Universidad de Deusto
Biblioteca

.S

O

TOM. IV

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est. 10
Plút. 6

2"16"
Syl 58
43.1358
347032

V. 1.

21.

40000431358

125/6

Universidad de Deusto
Biblioteca

# FRANCISCI SYLVIJ

A BRANIA COMITIS,

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS

IN ACADEMIA DUACENA,

Ibidemque Regij, ac Ordinarij Professoris, & Insignis Ecclesiæ S. Amati Can. & Dec. Eamque ob causam Vniversitatis Duacenæ Vice-Cancellarij

COMMENTARIJ

IN TERTIAM PARTEM

S. THO. AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI ET COMMVNIS:

ET IN EIVSDEM SVPPLEMENTVM

CENTESIMA QUÆSTIONE AUCTUM.

Libreria de S. Fran.co EDITIO SEXTA. de Pal.a

RECOGNITA ET EMENDATA.

25556




COLEGIO DE ESTUDIOS SUPERIORES BILBAO

ANTVERPIÆ,

APUD VIDUAM ET FILIUM IOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN, sub signo duarum Ciconiarum, M.D.C.XCV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TIBI
BENEDICTA ET SANCTA
CREATRIX ET GVBERNATRIX
OMNIVM
UNA ET INDIVIDUA
TRINITAS,
VOBIS
INVIOLATA, INTEGRA, IMMACVLATA
S. MARIA
VIRGO DEIPARA,
DOCTOR
COMMVNIS ET ANGELICE,
THEOLOGORUM PRINCEPS
S. THOMA,
CÆTERIQVE OMNES CÆLITES,
OMNIA MEA
OPERA, LABORES, MEIPSVM
OFFERO, DICO, CONSECRO
FRANCISCVS SYLVIVS.

COLEGIO DE ESTUDIOS SUPERIORES DE FILOSOFIA

Universidad de Deusto
Biblioteca

# REVERENDISSIMO
## IN CHRISTO PATRI
## AC DOMINO
# D. CHRISTOPHORO DE FRANCE
## EPISCOPO AVDOMARENSI.

COMMUNI Angelicoque Doctori THOMÆ AQUINATI R.^me ANTISTES, cum Doctorali Laurea donandus, Magisterque in Sacro Theologiæ studio esset renuntiandus, supernè jussum ferunt, ut pro Themate actûs solemnis, hunc Psalm. 103. versiculum, *Rigans montes de superioribus suis, operum tuorum satiabitur terra*, sumeret explicandum. Idque profecto tam aptè & tam convenienter, ut certo certius non ab alio quam à futurorum omnium præscio id mandari potuisse videatur: erat enim ipse non sua, sed Dei virtute & gratia mons futurus, qui de superioribus rigaretur, & de cujus operum fructu satiaretur terra.

Qui namque sunt montes? Magni Prædicatores, Sancti Dei excelsi, non gratia minus quam doctrina sublimes, qui sic idonei sunt alios docere, ut loquendo fideliter instruantur, ut vivendo salubriter imitentur. Hi montes sunt, & magni montes, montes Dei, non tales de quibus dicitur, *Tange montes, & fumigabunt*; sed de quibus scriptum est, *Suscipiant montes pacem populo*, de quibus legitur, *Montes in circuitu ejus* (scilicet Ecclesiæ) de quibus Psaltes Regius, *Præparans montes in fortitudine suâ*: non utique in fortitudine illorum, sed in fortitudine ejus qui præparat magnos Prædicatores, Sanctos, Sublimes, Eximios Pastores & Doctores, humiles in se, excelsos in ipso. Hi sunt montes qui rigantur de superioribus, quorum tam doctrina quam pietas *desursum est, descendens à Patre luminum, quorum conversatio in cœlis est*, qui sic à sole justitiæ prius illuminantur, ut ab ipsis deinde lumen ad valles descendat. Hi sunt montes per quos nobis prærogantur Scripturæ, sive Propheticæ, sive Evangelicæ, vel Apostolicæ, vel quæcumque aliæ.

Psalm. 143. Psal. 71. Psalm. 124. Psal. 64. Jac. 1. Ad Phil. 3.

Cùm igitur B. Thomas Aquinas fuerit (verbis utor Bessarionis Cardinalis & Patriarchæ Constantinopolitani) *non minus inter sanctos doctissimus, quam inter doctos sanctissimus*; & ut loquuntur Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. *tum sanctitatis ac miraculorum gratia, tum doctrinæ laude clarus extiterit Angelicus*, ideò *divinæ voluntatis interpres, & splendidissimus Catholicæ fidei athleta* nuncupatus: eum esse montem quis dubitare queat?

Clem. in Bulla ad Neapol. Pauli V. in Bulla splendissimi.

Cumque *in Scripturæ sacræ pagina, tam super novum, quam super vetus Testamentum scriptâ, plurimâq; alia opera in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque studentium, non* ABSQUE SPECIALI DEI INFUSIONE PERFECERIT, ut Joannes XXII. in Bulla Canonizationis ejus loquitur; *in eisque conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum & Paulum colloquentes & locos illi quosdam Dei jussu enarrantes habuerit*; Fratrique Reginaldo dicere solitus fuerit, se quicquid sciret non tam studio & labore, quam divinitus traditum accepisse: An non mons Aquinas, quem rigavit Deus de superioribus? quem cœlesti rore suæ benedictionis perfudit? quem gratiarum & doctrinæ affluentia donavit?

Clemen. VIII. in dicta Bulla.

Sed erit fortasse qui nesciat, quomodo de fructu operum ejus satietur terra. Qui hoc nescit, haud scio quid sciat, cum candorem lucis fulgentissimæ non conspiciat. *Ejus doctrina* (ait Stephanus Parisiorum Episcopus) *fulget Ecclesia, ut sole luna.* Ipse tanta fuit à Deo scientia dotatus, *ut ordinem Fratrum Prædicatorum & universalem Ecclesiam illustraverit, ac B. Augustini vestigia insequens Ecclesiam eandem doctrinis & scientijs quamplurimis adornaverit*, quemadmodum Urbanus istius nominis quintus loquitur. Atque ut Pius V. ait: *Omnipotens providentia factum est, ut Angelici Doctoris vi & veritate doctrinæ, ex eo tempore pro cœlestibus civibus adscriptus fuit, multæ quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ & convictæ dissiparentur:*

Anno 1567.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# EPISTOLA DEDICATORIA.

Pauli V. *cujus meritis Orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur: cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit;* cujus doctrinæ veritas in omnem terram exivit, & in fines orbis terræ verba oris ejus: cujus libris omnes edocentur, Philosophi & Theologi, Medici & Jurisconsulti, Discipuli & Magistri, Concionatores & Professores; Omnes enim hi de fonte bibunt Angelico, & satiantur de micis quas Aquinatis mensa copiosè effudit: ut proinde Joannes XXII. meritò dixerit *illud Psalm. Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra;* in eo verissimè impleri.

Quoniam verò mons est B. Thomas, & quidem à Deo de superioribus suis mirificè irrigatus; quemadmodum sponsus dicit, *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus;* ita ego ab annis septem & triginta Montem hunc ascendere & Sanctum Aquinatem legere ac intelligere sategi, ut apprehenderem fructus ejus, ut virtutes & doctrinam ipsius pro imbecillitatis meæ modulo imitarer. Et ubi Academicorum aliorumque prudentum judicio visum est quod idoneus essem alios docere, Primum Philosophicas in Regio Duacensi Gymnasio disciplinas; mox Theologiæ arcana in publica eademque Regia Universitatis Duacenæ palæstra; tantum abest ut de hujus montis descensu cogitarem, quin potiùs eum alacrius & altius ascendendi crescceret animus, caperetque indies singulos incrementa. Unde factum ut Summam ejus Theologicam quatuor Commentariorum Voluminibus (tenuitatem meam sublevante & adjuvante Deo) illustraverim. Et Tertiam quidem cum ejus Supplemento Partem, primò in lucem emisi, & postea nonnihil auctiorem dedi: At cum deficientib us Exemplaribus iterata impressio, eaque prioribus auctior ad importunitatem usque expeteretur; ad novas curas totum istud negotium revocavi, & paucis mutatis; plurimis verò additis, ita Commentarium disposui, ut quasi novum Opus videri possit.

Quidquid autem illud est, R.ma D. ac P.ri tuæ inscribo, offero, varijs rationibus ita exigentibus.

Cuinam enim potius nuncuparem hoc Opus, quàm illi Amico (si inter magnos & parvos amicitia perseverat) qui cùm in minoribus esset, sæpius in Scholis nostris Theologicis nos de hujus (ut & de aliarum partium Theologicarum) materijs audivit disserentes?

Cuinam magis Tractatum de Incarnati Verbi œconomia; de ejusdem Passione ac Morte, de Sacramentis ab eo institutis; deque ijs quæ mundi finem præcedent ac subsequentur, quàm Episcopo vitæ ac mortis Christi devoto contemplatori, quam sacrorum Principi, quàm Sacramentorum operatori, quam ei qui ministros magnâ spirituum discretione consecrat, & ut
2. ad Tim. 4. ministerijs suis sedulò perfungantur indefesso labore invigilat, *Instans oportunè, importunè, arguens, obsecrans, increpans in omni patientia & doctrina.*

Cui magis quam Antistiti qui sicut ante Præsulatum, ita & modò se studet ab omni culpa facere alienum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo; quasi quotidie Sapientem audiret monentem, *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua & in æternum non peccabis?*
Jac. 1. Eccles. 7.

Cuinam magis, quàm Theologo pariter & Jurisconsulto; cum Doctor noster B. Thomas Aquinas non Theologis modò, sed & Jurisperitis lucem ferat, in ijs quidem potissimum quæ sunt de jure & justitia, sed & in plurimis quæ tum in Parte Tertia, tum in ipsius Supplemento pertractantur: Præclarum est illud Francisci Vargas Catholicæ Majestati à Consilijs rerum
De episc. jurisdict. Confirm. 7. status, & ejusdem apud S.D.Pium Quartum Oratoris: *Mihi Thomas pro centum millibus est, quemadmodum Cicero de Catone dicebat. Is enim adeò diligens semper fuit explorator veritatis, ut nihil abditum, nihil remotum, nihil obscurum esse permiserit, sed omnia exposita, prompta, ipsa denique luce clariora fecerit. Huic uni non modò in Theologicis definitionibus, in quibus, ut ita dicam, divinus est, & ab omnibus amplectendus, sed in Iurisprudentiæ studijs plus debeo quam infinitis Iurisperitorum Commentarijs.* Hunc igitur R.me In Christo P. ac Domine, Commentarium, recens nunc limatum, auctum, & quasi novum factum Nomini Tuo inscribo, Tuæque Dignitati dico. Eum pro sancta tua in Beatum Communemque Doctorem Thomam Aquinatem devotione, pro tua singulari in illius Cultores & Interpretes affectu, pro summa rerum quæ ibi explicantur dignitate & reverentia, benigno vultu suscipe, Sanctique nostri doctrinam tanquam veridicam & Catholicam, (juxta Urbani V. ad Tholosanum Archiepiscopum, aliosque Tholosanæ Ecclesiæ Viros præclaros rescriptum) totis viribus ampliare satage, Universitatem nostram Duacensem commendatam habe.

*Duaci 20. April. Anno 1637.*

Reverendissimæ D. et p. Vestræ
Deditissimus et Obsequiosissimus

FRANCISCUS SYLVIUS.

INDEX

# INDEX QUÆSTIONUM ARTICULORUM, ET QUÆSITORUM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

## QUÆSTIO I.

*De convenientia Incarnationis.*


Uæsitum 1. *Quare B. Thom. non disputat, utrum Incarnatio sit possibilis.* pag. 2.
Quæsit. 2. *Utrum incarnatio sit possibilis.* ibid.
Quæsit. 3. *Utrum per aliquam naturalem rationem cognosci vel demonstrari possit Incarnationem esse possibilem.* 4
Quæsit. 4. *Utrum demonstrari possit Incarnationem esse impossibilem.* 5
Quæsit. 5. *Utrum Incarnationis Mysterium sit peractum.* ibid.
Quæsit. 6. *Utrum aliqua creatura naturaliter cognoscere possit Incarnationis mysterium esse peractum.* 7
Quæsit. 7. *Possitne contra Gentiles probari Incarnationem esse peractam.* ibid.
Art. 1. *Utrum conveniens fuerit Deum incarnari.* ibid.
Art. 2. *Utrum fuerit necessarium ad reparationem generis humani verbum Dei incarnari.* 8
Quæst. 1. *An Deum incarnari fuerit necessarium tanquam melius & convenientius ad reperationem generis humani.* 9
Quæsit. 2. *An Christus non tantum sit Doctor, sed etiam verus hominum Redemptor.* 11
Quæsit. 3. *An Christus satisfecerit secundum perfectam justitiam.* ibid.
Quæsit. 4. *An purus homo potuerit satisfacere secundùm perfectam justitiam pro peccato humani generis.* 14
Art. 3. *Utrum si homo non peccasset, Deus Incarnatus fuisset.* 16
Quæsit. 1. *Utrum ex vi alicujus alterius decreti verbum divinum assumpsisset humanam naturam, si homo non peccasset.* 19.
Art. 4. *Utrum Deus principalius Incarnatus fuerit in remedium actualium peccatorum quam in remedium originalis peccati.* 19
Quæsit. 1. *Utrum si nullum esset peccatum actuale præter peccatum Adami, quod originaliter transit in posteros, futura fuisset Incarnatio, similiterq; si essent sola actualia & non originale.* 20
Art. 5. *Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi.* ibid.
Quæsit. 1. *An salus humani generis fuerit verè & propriè causa Incarnationis.* 21
Art. 6. *Utrum Incarnationis opus differri debuerit usque in finem mundi.* 22


## QUÆSTIO II.

*De modo unionis Verbi Incarnati.*


Art. 1. *Utrum unio verbi Incarnati sit facta in naturâ.* 22.
Art. 2. *Utrum unio verbi Incarnati sit facta in persona.* 24
Art. 3. *Utrum unio verbi incarnati sit facta in supposito sive hypostasi.* 25
Art. 4. *Utrum persona Christi sit composita.* 26
Quæst. 1. *Utrum Christus seu Christi persona rectè dicatur composita ex verbo aut verbi personalitate & humanitate.* 27
Art. 5. *Utrum sit facta aliqua unio animæ & corporis in Christo.* 28.
Art. 6. *Utrum natura humana fuerit unita verbo Dei accidentaliter.* ibid.
Art. 7. *Utrum unio naturæ divinæ & humanæ sit aliquid creatum.* 29
Art 8. *Utrum unio verbi Incarnati sit idem quod assumptio.* 30
Art. 9. *Utrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unionum.* 31
Art. 10. *Utrum unio incarnationis sit facta per gratiam.* ibid.
Art. 11. *Utrum unionem verbi incarnati aliqua merita præcesserint.* ibid.
Art. 12. *Utrum gratia unionis sit homini Christo naturalis.* 33


## QUÆSTIO III.

*De unione ex parte personæ assumentis.*


Art. 1. *Utrum personæ divinæ conveniat assumere naturam creatam.* 33
Quæsit. 1. *Utrum per absolutam Dei potentiam fieri possit, quod aliqua persona creata naturam alienam assumat in unitate suppositi.* 34
Art. 2. *Utrum divinæ naturæ conveniat assumere.* 35
Quæsit. 1. *Utrum nulla creatura unionem verbi hypostaticam effecerit vel efficere potuerit.* ibid.
Art. 3. *Utrum abstracta personalitate per intellectum natura possit assumere.* 36
Art. 4. *Utrum una persona possit assumere naturam creatam alia non assumente.* 37
Quæsit. 1. *An Pater & Spiritus Sanctus sint in Christi humanitate per concomitantiam ratione Incarnationis & non solum ratione immensitatis.* 38
Art. 5. *Utrum qualibet persona divina potuerit naturam humanam assumere.* 39
Art. 6. *Utrum plures personæ divinæ possint unam eandem numero naturam assumere.* 40
Art. 7. *Utrum una persona divina possit assumere duas naturas humanas.* ibid.
Art. 8. *Utrum fuerit magis conveniens quod persona Filij assumeret naturam humanam quam alia persona divina.* 41


## QUÆSTIO IV.

*De modo unionis ex parte naturæ assumptæ.*


Art. 1. *Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis à Filio Dei quam qualibet alia natura.* ibid.
Art. 2. *Utrum Filius Dei assumpserit personam.* 42

Universidad de Deusto
Biblioteca



Art. 3. *Utrum persona divina assumpserit hominem.* ibid.
Art. 4. *Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis.* ibid.
Art 5. *Utrum Filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus individuis.* 43
Art. 6. *Utrum fuerit conveniens ut Filius Dei naturam humanam assumeret ex stirpe Adæ.* ibid.

## QUÆSTIO V.

*De modo unionis ex parte partium humanæ naturæ.*

ART. 1. *Utrum Filius Dei assumpserit verum corpus.* ibid.
Art. 2. *Utrum Filius Dei assumere debuerit corpus terrenum, scilicet carnem & sanguinem.* 44
Quæsit. *An sanguis Christi fuerit immediatè & secundum hypostasim unitus verbo.* 45
Art. 3. *Utrum Filius Dei assumpserit animam.* 46
Art. 4. *Utrum Filius Dei assumere debuerit intellectum.* ibid.

## QUÆSTIO VI.

*De modo assumptionis quantum ad ordinem.*

ART. 1. *Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.* 46
Art. 2. *Utrum Dei Filius assumpserit animam mediante spiritu.* ibidem.
Art. 3. *Utrum anima à Dei Filio prius fuerit assumpta quam caro.* 47
Art. 4. *Utrum caro Christi fuerit prius à verbo assumpta quam animæ unita.* ibid.
Art. 5. *Utrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.* ibid.
Art. 6. *Utrum humana natura sit assumpta mediante gratia.* ibid
Quæsit. 1. *An gratia habitualis præcesserit gratiam unionis saltem ut dispositio natura prior.* ibid.

## QUÆSTIO VII.

*De gratia Christi prout est quidam singularis homo.*

ART. 1. *Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.* 48
Art. 2. *Utrum in Christo fuerint virtutes.* 49
Art. 3. *Utrum in Christo fuerit fides.* 50
Art. 4. *Utrum in Christo fuerit spes.* ibid.
Art. 5. *Utrum in Christo fuerint dona.* 51
Art. 6. *Utrum in Christo fuerit donum timoris.* ibid.
Art. 7. *Utrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.* ibid.
Art. 8. *Utrum in Christo fuerit prophetia.* ibid.
Art. 9. *Utrum in Christo fuerit plenitudo gratiæ.* 52
Art. 10. *Utrum plenitudo gratiæ sit propria Christi.* ibid.
Art. 11. *Utrum Christi gratia sit infinita.* 53
Art. 12. *Utrum gratia Christi potuerit augeri.* ibid.
Art. 13. *Qualiter gratia Christi habitualis se habeat ad unionem.* 54

## QUÆSTIO VIII.

*De gratia Christi secundum quod est Caput Ecclesiæ.*

ART. 1. *Utrum Christus sit caput Ecclesiæ.* ibid.
Art. 2. *Utrum Christus sit caput hominum quantum ad corpora vel solum quantum ad animas.* ibid.
Art. 3. *Utrum Christus sit caput omnium hominum.* 55
Art. 4. *Utrum Christus sit caput Angelorum.* ibid.
Quæsit. 1. *An Angeli gratiam & gloriam acceperint intuitu meritorum Christi.* 56
Art. 5. *Utrum gratia Christi secundùm quam est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali ejus, secundùm quod est quidam homo singularis.* 57
Art. 6. *Utrum esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo.* ibid.
Art. 7. *Utrum diabolus sit caput omnium malorum.* ibid.
Art. 8. *Utrum Antichristus possit etiam dici caput omnium malorum.* 58

## QUÆSTIO IX.

*De scientia Christi in communi.*

ART. 1. *Utrum Christus habuerit aliquam scientiam præter divinam.* 58
Art. 2. *Utrum Christus habuerit scientiam quam habent Beati, vel comprehensores.* ibid.
Art. 3. *Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam.* ibid.
Art. 4. *Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam.* 59

## QUÆSTIO X

*De scientia beata animæ Christi.*

ART. 1. *Utrum anima Christi comprehenderit Verbum, sive divinam essentiam.* 60
Art. 2. *Utrum anima Christi in verbo cognoverit omnia.* 60
Art. 3. *Utrum anima Christi in verbo cognoverit infinita.* 62
Art. 4. *Utrum anima Christi videat verbum sive divinam essentiam clarius qualibet alia creatura.* ibid.

## QUÆSTIO XI.

*De scientia indita vel infusa animæ Christi.*

ART. 1. *Utrum secundùm scientiam inditam vel infusam Christus omnia sciat.* ibid.
Art. 2. *Utrum Christus hac scientia uti potuerit, convertendo se ad phantasmata.* 63
Art. 3. *Utrum hæc scientia fuerit collativa.* ibid
Art. 4. *Utrum hæc scientia in Christo fuerit major scientia Angelorum.* ibid.
Art. 5. *Utrum hæc scientia fuerit habitualis.* ibid.
Art. 6. *Utrum hæc scientia fuerit distincta per diversos habitus* ibidem.

## QUÆSTIO XII.

*De scientia animæ Christi acquisita.*

ART. 1. *Utrum secundùm hanc scientiam Christus cognoverit omnia.* 64
Art. 2. *Utrum Christus in hac scientia profecerit.* ibid.
Art. 3. *Utrum Christus aliquid ab homine didicerit.* ibid.
Art. 4. *Utrum Christus aliquid acceperit ab Angelis.* ibid.

## QUÆSTIO XIII.

*De potentia animæ Christi.*

ART. 1. *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.* 65
Art. 2. *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.* ibid.
Quæsit. 1. *Utrum anima Christi sit causa principalis gratiæ* 66
Quæsit. 2. *An humanitas Christi sit causa gratiæ & miraculorum efficiens tantum moraliter.* ibid.
Quæsit. 3. *An etiam nunc humanitas Christi physicè operetur effectus gratiæ per passionem aliasve res præteritas.* 67
Quæsit. 4. *An & quæ virtus miraculorum sit communicata humanitati.* 67
Art. 3. *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprij corporis.* ibid.

Art. 4.



Art. 4. *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis.* ibid.
Quæsit. *An voluntate absoluta voluerit aliquid per alios implendum quod non sit factum.* ibid.

## QUÆSTIO XIV.

*De defectibus corporis, assumptis à Filio Dei.*

ART. 1. *Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus.* 68
Art. 2. *Utrum Christus necessitatem his defectibus subjacendi assumpserit.* ibid.
Art. 3. *Utrum Christus defectus corporales contraxerit.* 69
Art. 4. *Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.* ibid.
Quæsit. *An & morbos aliquos assumpserit.* 70

## QUÆSTIO XV.

*De effectibus animæ à Christo assumptis.*

ART. 1. *Utrum in Christo fuerit peccatum.* 70
Quæsit. *An Christus peccare potuerit.* ibid.
Art. 2 *Utrum in Christo fuerit fomes peccati.* 73
Art. 3. *Utrum in Christo fuerit ignorantia.* ibid.
Art. 4. *Utrum anima Christi fuerit passibilis.* ibid.
Art. 5. *Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis.* ibid.
Art. 6. *Utrum in Christo fuerit tristitia.* 74
Art. 7. *Utrum in Christo fuerit timor.* 75
Art. 8. *Utrum in Christo fuerit admiratio.* ibid.
Art. 9. *Utrum in Christo fuerit ira.* ibid.
Art. 10. *Utrum Christus simul fuerit viator & cõprehensor.* 79

## QUÆSTIO XVI.

*De consequentibus unionem, quantum ad ea quæ conveniunt Christo secundùm se.*

ART. 1. *Utrum hæc sit vera, Deus est homo.* ibid.
Art. 2. *Utrum hæc sit vera, homo est Deus.* 78
Art. 3. *Utrum Christus possit dici homo dominicus.* ibid.
Art. 4. *Utrum ea quæ conveniunt Filio hominis possint prædicari de Filio Dei & è contrario.* 79
Art. 5. *Utrum ea quæ conveniunt Filio hominis possint prædicari de divina natura: & de humana ea quæ conveniunt Filio Dei.* ibid.
Art. 6. *Utrum hæc est vera. Deus factus est homo.* 81
Art. 7. *Utrum hæc est vera, Homo factus est Deus.* ibid.
Art. 8. *Utrum hæc sit vera, Christus est creatura.* 82
Quæsit. *An prædictus sermo (Christus est creatura) sit vitandus etiam propter falsitatem.* 82
Art. 9. *Utrum hæc sit vera, iste homo, demonstrato Christo, incœpit esse.* ibid.
Art. 10. *Utrum hæc sit vera, Christus secundùm quod homo, est creatura.* ibid.
Art. 11. *Utrum hæc sit vera, Christus secundùm quod homo, est Deus.* ibid.
Art. 12. *Utrum hæc sit vera, Christus secundùm quod homo, est hypostasis vel persona.* ibid.

## QUÆSTIO XVII.

*De pertinentibus ad unitatem in Christo.*

ART. 1. *Utrum Christus unum vel duo.* 84
Quæsit. *An dici possit, Christus est divinitas & humanitas simul.* 84
Art. 2. *Utrum in Christo sit tantum unum esse.* 85

## QUÆSTIO XVIII.

*De voluntate Christi.*

ART. 1. *Utrum in Christo sint duæ voluntates.* 86
Art. 2. *Utrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis præter rationis voluntatem.* 87
Art. 3. *Utrum in Christo fuerint duæ voluntates quantum ad rationem.* ibid.
Art. 4. *Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.* ibid.
Art. 5. *Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinæ voluntati in volito.* 88
Art. 6. *Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum.* 89

## QUÆSTIO XIX.

*De pertinentibus ad unitatem Christi quantum ad operationem.*

ART. 1. *Utrum in Christo sit una tantùm operatio divinitatis & humanitatis.* ibid.
Art. 2. *Utrum in Christo sint plures operationes humanæ.* 90
Art. 3. *Utrum actio humana Christi potuerit sibi esse meritoria.* 90.
Quæsit. 1. *Quænam Christus sibi meruerit.* 92
Quæsit. 2. *An Christus mereri posset scientiam, gratiam, beatitudinem, si quod videtur non implicare contradictionem, humanitas assumeretur absque illis.* 93
Art. 4. *Utrum Christus alijs mereri potuerit.* ibid.
Quæsit. *Quænam Christus nobis promeruerit.* ibid.

## QUÆSTIO XX.

*De subjectione Christi ad Patrem.*

ART. 1. *Utrum dicendum sit Christum esse subjectum Patri.* 94
Art. 2. *Utrum Christus sit subjectus sibi ipsi.* 95

## QUÆSTIO XXI.

*De oratione Christi.*

ART. 1. *Utrum Christo competat orare.* 96
Quæsit. *An Christus nunc in cœlo existens oret pro nobis* 96.
Art. 2 *Utrum Christo conveniat orare secundùm suam sensualitatem.* 97
Art. 3. *Utrum fuerit conveniens Christum pro se orare.* ibid.
Art. 4. *Utrum oratio Christi semper fuerit exaudita.* ibid.

## QUÆSTIO XXII.

*De sacerdotio Christi.*

ART. 1. *Utrum Christo conveniat esse sacerdotem.* 98
Quæsit. 1. *Cujus legis sacerdos fuerit Christus.* ibid.
Quæsit. 2. *An Christus sit legislator.* 99
Art. 2. *Utrum Christus fuerit simul sacerdos & hostia.* ibid.
Art. 3. *Utrum effectus sacerdotij Christi sit expiatio peccatorum.* 100.
Art. 4. *Utrum effectus sacerdotij Christi non solum ad alios pertinuerit, sed etiam ad ipsum.* ibid.
Art. 5. *Utrum sacerdotium Christi permaneat in æternum.* ibid.
Art. 6. *Utrum sacerdotium Christi fuerit secundùm ordinem Melchisedech.* 101

## QUÆSTIO XXIII.

*De adoptione Christi.*

ART. 1. *Utrum Deo conveniat filios adoptare.* 102
Art. 2. *Utrum adoptare conveniat toti Trinitati.* 103
Art. 3. *Utrum adoptari sit proprium rationalis creaturæ.* ibid.

Art. 4.

Universidad de Deusto



Art. 4. *Vtrum Christus secundum quod homo sit Filius Dei adoptivus.* ibid

QUÆSTIO XXIV.

*De prædestinatione Christi.*

ART. 1. *Vtrum Christo conveniat prædestinatum esse.* 105
Art. 2. *Vtrum hæc sit falsa, Christus secundum quod homo, est prædestinatus esse filius Dei.* 106
Art. 3. *Vtrum prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis exemplar.* ibid.
Art. 4. *Vtrum prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis.* ibid.
Quæst. *An prædestinatio Christi sit causa meritoria nostræ.* ibid.

QUÆSTIO XXV.

*De adoratione Christi.*

ART. 1. *Vtrum una & eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi & ejus humanitas.* 107
Art. 2. *Vtrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriæ.* ibid.
Art. 3. *Vtrum imago Christi sit adoranda adoratione latriæ.* 108
Quæst. 1. *An cultus imaginum sit licitus.* ibid.
Quæst. 2. *An Dei & Angelorum imagines licitæ sint.* 111
Quæst. 3. *Cur institutæ sunt imagines.* 112
Quæst. 4. *An cultus imaginum cadat sub præcepto.* ibid.
Quæst. 5. *Qua specie cultus imagines venerandæ sint.* ibid.
Art. 4. *Vtrum crux Christi sit adoranda adoratione latriæ.* 113
Art. 5. *Vtrum mater Christi sit adoranda adoratione latriæ.* 114
Art. 6. *Vtrum reliquiæ sanctorum sint adorandæ.* ibid.

QUÆSTIO XXVI.

*De Christo mediatore.*

ART. 1. *Vtrum esse mediatorem Dei & hominum sit proprium Christo.* 115
Art. 2. *Vtrum Christus secundum quod homo, sit mediator Dei & hominum.* ibid.

QUÆSTIO XXVII.

*De B. Mariæ sanctificatione.*

ART. 1. *Vtrum B. Virgo Mater Dei, fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero.* ibid.
Art. 2. *Vtrum B. Virgo, fuerit sanctificata ante animationem.* 116
Quæst. *An B. Virgo sit concepta in peccato originali.* ibid.
Art. 3. *Vtrum per sanctificationem fuerit B. Virgini fomes totaliter sublatus.* ibid.
Art. 4. *Vtrum per hujusmodi sanctificationem fuerit consecuta, ut nunquam peccaret.* ibid.
Art. 5. *Vtrum B. Virgo per hujusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum.* 118
Art. 6. *Vtrum sic sanctificari, fuerit proprium B. Virgini.* ibid.

QUÆSTIO XXVII.

*De Virginitate B. Mariæ.*

ART. 1. *Vtrum B. Maria fuerit Virgo in concipiendo.* 119
Art. 2. *Vtrum Mater Dei fuerit Virgo in partu.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Mater Dei permanserit Virgo post partum.* 120
Art. 4. *Vtrum Mater Dei virginitatem voverit.* 121

QUÆSTIO XXIX.

*De desponsatione Matris Dei.*

ART. 1. *Vtrum Christus nasci debuerit de Virgine desponsata.* ibid.
Art. 2. *Vtrum inter Mariam & Joseph fuerit verum matrimonium.* 122

QUÆSTIO XXX.

*De Annuntiatione B. Mariæ Virginis.*

ART. 1. *Vtrum necessarium fuerit annuntiari B. Virgini quod in ea erat generandum.* ibid.
Art. 2. *Vtrum annuntiatio B. Virginis fieri debuerit per Angelum.* 123
Art. 3. *Vtrum Angelus annuntians, debuerit B. Virgini visione corporali apparere.* ibid.
Art. 4. *Vtrum annuntiatio convenienti fuerit ordine perfecta.* ibid.

QUÆSTIO XXXI.

*De conceptione Salvatoris quoad materiam.*

ART. 1. *Vtrum Caro Christi fuerit sumpta de Adam.* 124
Art. 2. *Vtrum Caro Christi fuerit sumpta de David.* ibid.
Art. 3. *Vtrum convenienter genealogia Christi ab Evangelistis texatur.* ibid.
Art. 4. *Vtrum decuerit Christum nasci de fœmina.* 125
Art. 5. *Vtrum corpus Christi de purissimis sanguinibus virginis formatum fuerit.* ibid.
Art. 6. *Vtrum corpus Christi in antiquis Patribus fuerit secundum aliquid signatum.* ibid.
Art. 7. *Vtrum Caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia.* 126
Art. 8. *Vtrum Christus in lumbis Abrahæ fuerit decimatus.* ibid.

QUÆSTIO XXXII.

*De principio activo in conceptione Christi.*

ART. 1. *Vtrum Spiritus sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Christus debeat dici conceptus de Spiritu sancto.* 127
Art. 3. *Vtrum Spiritus sanctus dici debeat Pater Christi secundum carnem.* ibid.

QUÆSTIO XXXIII.

*De modo & ordine conceptionis.*

ART. 1. *Vtrum corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis.* ibid.
Art. 2. *Vtrum corpus Christi fuerit animatum in primo instanti suæ conceptionis.* 128
Art. 3. *Vtrum cor Christi in primo instanti suæ conceptionis, fuerit à verbo assumptum.* ibid.
Art. 4. *Vtrum conceptio Christi fuerit naturalis, vel miraculosa.* ibid.

QUÆSTIO XXXIV.

*De perfectione prolis conceptæ.*

ART. 1. *Vtrum Christus in primo instanti suæ conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit usum liberi arbitrij.* 129
Art. 3. *Vtrum Christus in primo instanti suæ conceptionis mereri potuerit.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christus fuerit perfectus comprehensor, in primo instanti suæ conceptionis.* 130

QUÆSTIO XXXV.

*De Nativitate Christi.*

ART. 1. *Vtrum nativitas sit naturæ vel personæ.* ibid.
Art. 2. *Vtrum attribuenda sit Christo aliqua nativitas temporalis.* ibid.
Art. 3. *Vtrum secundum temporalem Christi nativitatem B. Virgo posit dici Mater ejus.* 131
Art. 4. *Vtrum B. Virgo debeat dici Mater Dei.* ibid.
Art. 5. *Vtrum in Christo sint duæ filiationes.* 132
Art. 6. *Vtrum Christus fuerit natus sine dolore matris.* ibid.
Art. 7. *Vtrum Christus debuerit in Bethleem nasci.* ibid.
Art. 8. *Vtrum Christus fuerit tempore congruo natus.* 133

QUÆSTIO XXXVI.

*De manifestatione Christi nati.*

ART. 1. *Vtrum nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.* 134
Art. 2. *Vtrum Nativitas Christi debuerit aliquibus manifestari.* ibid.
Art. 3. *Vtrum sint convenienter electi illi, quibus est Christi nativitas manifestata.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christus per seipsum nativitatem suam manifestare debuerit.* 135
Art. 5. *Vtrum nativitas Christi debuerit per Angelos & stellam manifestari.* 136
Art. 6. *Vtrum nativitas Christi ordine convenienti fuerit manifestata.* ibid.
Quæst. *Quando stella cœperit apparere, & quando Magi Christum adoraverint.* ibid.
Art. 7. *Vtrum stella quæ Magis apparuit, fuerit una de cœlestibus stellis.* 138
Art. 8. *Vtrum Magi convenienter ad Christum adorandum venerint.* ibid.

QUÆSTIO XXXVII.

*De Circumcisione Christi.*

ART. 1. *Vtrum Christus debuerit circumcidi.* ibid.
Art. 2. *Vtrum convenienter fuerit nomen Christo impositum.* 139
Art. 3. *Vtrum Christus convenienter fuerit in templo oblatus.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Mater Dei convenienter ad templum purganda accesserit.* ibid.

QUÆSTIO XXXVIII.

*De Baptismo Ioannis.*

ART. 1. *Vtrum fuerit conveniens Joannem baptizare.* 140
Art. 2. *Vtrum Baptismus Joannis fuerit à Deo.* 141
Art. 3. *Vtrum in Baptismo Joannis gratia daretur.* ibid.
Art. 4. *Vtrum alij præter Christum Baptismo Joannis baptizari debuerint.* 142
Art. 5. *Vtrum Baptismus Joannis debuerit cessare Christo baptizato.* ibid.
Art. 6. *Vtrum baptizati Baptismo Joannis, essent postea Baptismo Christi baptizandi.* ibid.

QUÆSTIO XXXIX.

*De Baptizatione Christi.*

ART. 1. *Vtrum fuerit conveniens Christum baptizari.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Christus Baptismo Joannis debuerit baptizari.* 143
Art. 3. *Vtrum Christus convenienti tempore fuerit baptizatus.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christus debuerit in Jordane baptizari.* 144
Art. 5. *Vtrum Christo baptizato cœli debuerint aperiri.* ibid.
Art. 6. *Vtrum convenienter Spiritus S. super Christum baptizatum descenderit in specie columbæ.* ibid.
Art. 7. *Vtrum illa columba in qua apparuit Spiritus Sanctus fuerit verum animal.* ibid.
Art. 8. *Vtrum convenienter Christo baptizato fuerit vox Patris audita, Filium protestantis.* 145

QUÆSTIO XL.

*De modo conversatione Christi.*

ART. 1. *Vtrum conveniens fuerit Christum inter homines conversari.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Christus in hoc munde debuerit pauperem vitam ducere.* 146
Art. 4. *Vtrum Christus in hac vita secundum legem conversatus fuerit.* ibid.

QUÆSTIO XLI.

*De tentatione Christi.*

ART. 1. *Vtrum conveniens fuerit Deum tentari.* 147
Art. 2. *Vtrum Christus in deserto tentari debuerit.* 148
Art. 3. *Vtrum Christi tent. debuerit esse post jejunium.* ib.
Art. 4. *Vtrum fuerit conveniens ordo & modus tentationis Christi.* ibid.

QUÆSTIO XLII.

*De doctrina Christi.*

ART. 1. *Vtrum conveniens fuerit Christum Judæis & non Gentibus prædicare.* 149
Art. 2. *Vtrum Christus debuerit Judæis sine eorum offensione prædicare* ibid.
Art. 3. *Vtrum Christus omnia publicè docuerit.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christus debuerit doctrinam suam scripto tradere.* 150

QUÆSTIO XLIII.

*De miraculis à Christo factis in generali.*

ART. 1. *Vtrum Christus debuerit facere miracula.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Christus fecerit mirac. divina virtute.* ib.
Art. 3. *Vtrũ Christus inceperit facere mirac. in nuptijs.* ib.
Art. 4. *Vtrum miracula per Christum facta sufficienter ejus divinitatem ostenderint.* 151

QUÆSTIO XLIV.

*De singulis miraculorum speciebus.*

ART. 1. *Vtrum miracula facta per Christum circa spirituales substantias fuerint convenientia.* ibid.
Art. 2. *Vtrum convenienter facta fuerint miracula per Christum circa cœlestia corpora.* 152
Art. 3. *Vtrum convenienter Christus circa homines miracula fecerit.* ibid.
Art. 4. *Vtrum convenienter Christus fecerit miracula circa creaturas irrationabiles.* ibid.

QUÆSTIO XLV.

*De Transfiguratione Christi.*

ART. 1. *Vtrum fuerit conveniens Christum transfigurari.* 153.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Art. 2. *Vtrum claritas Christi in transfiguratione fuerit claritas gloriosa.* ibid.
Art. 3. *Vtrum testes transfigurationis convenienter fuerint inducti.* 154
Art. 4. *Vtrum convenienter auditum fuerit testimonium paternæ vocis in transfiguratione.* ibid.

## QUÆSTIO XLVI.

### *De Passione Christi.*

ART. 1. *Vtrum fuerit necessarium Christum pati pro liberatione humani generis.* ibid.
Art. 2. *Vtrum fuerit possibilis alius modus liberationis humanæ quam per passionem Christi.* ibid.
Art. 3. *Vtrum fuerit aliquis modus convenientior ad liberationem humani generis, quam per passionem Christi.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christus pati debuerit in cruce.* ibid.
Art. 5. *Vtrum Christus omnes passiones sustinuerit.* 155
Art. 6. *Vtrum dolor passionis Christi fuerit major omnibus doloribus.* 156
Art. 7. *Vtrum Christus passus fuerit secundum totam animã. ib.*
Art. 8. *Vtrum tota anima Christi in passione frueretur fruitione beata.* ibid.
Art. 9. *Vtrum Christus fuerit convenienti tempore passus.* 157
Quæst. *Quo die mensis crucifixus sit Christus.* ibid.
Art. 10. *Vtrum Christus fuerit convenienti loco passus.* 160
Art. 11. *Vtrum conveniens fuerit Christum cum latronibus crucifigi.* 161
Art. 12. *Vtrum passio Christi sit ejus divinitati attribuenda. ib.*

## QÆSTIO XLVII.

### *De causa efficiente passionis Christi.*

ART. 1. *Vtrum Christus fuerit ab alio occisus, an à seipso. ib.*
Art. 2. *Vtrum Christus fuerit ex obedientia mortuus.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Deus pater tradiderit Christum passioni.* 162
Art. 4. *Vtrum fuerit conveniens Christum pati a Gentibus.* ibid.
Art. 5. *Vtrum Christi persecutores eum cognoverint.* ibid.
Art. 6. *Vtrum peccatum, Christum crucifigentium, fuerit gravissimum.* 163

## QUÆSTIO XLVIII.

### *De modo efficientiæ passionis Christi.*

ART. 1. *Vtrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti.* ibid.
Art. 2. *Vtrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum satisfactionis.* 164
Art. 3. *Vtrum passio Christi operata sit per modum sacrificij.* ibidem.
Art. 4. *Vtrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis.* 165
Art. 5. *Vtrum esse redemptorem sit proprium Christi.* ibid.
Art. 6. *Vtrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiæ.* 166

## QUÆSTIO XLIX.

### *De effectibus passionis Christi.*

ART. 1. *Vtrum per passionem Christi simus liberati a peccato.* ibid.
Art. 2. *Vtrum per passionem Christi simus liberati a potestate diaboli.* ibid.
Art. 3. *Vtrum per passionem Christi homines sint liberati a pœna peccati.* ibid.
Art. 4. *Vtrum per passionem Christi simus Deo reconciliati.* 167.
Art. 5. *Vtrum Christus sua passione aperuerit nobis januam cæli.* ibid.
Art. 6. *Vtrum Christus per suam passionẽ meruerit exaltari. ib.*

## QUÆSTIO L.

### *De morte Christi.*

ART. 1. *Vtrum conveniens fuerit Christum mori.* ibid.
Art. 2. *Vtrum in morte Christi fuerit separata divinitas a carne.* ibid.
Art. 3. *Vtrum in morte Christi fuerit facta separatio divinitatis ab anima.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christus in triduo mortis fuerit homo.* 168
Art. 5. *Vtrum fuerit idem numero corpus Christi viventis & mortui.* ibid.
Art. 6. *Vtrum mors Christi aliquid operata sit ad nostram salutem.* 169

## QUÆSTIO LI.

### *De sepultura Christi.*

ART. 1. *Vtrum fuerit conveniens Christum sepeliri.* ibid.
Art. 2. *Vtrum convenienti modo Christus fuerit sepultus.* ibid.
Art. 3. *Vtrum corpus Christi in sepulchro fuerit incineratũ. ib.*
Art. 4. *Vtrum Christus fuerit in sepulchro solum una die & duabus noctibus.* ibid.

## QUÆSTIO LII.

### *De descensu Christi ad inferos.*

ART. 1. *Vtrum conveniens fuerit Christum ad infernum descendere.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Christus descenderit ad infernum damnatorum.* 170
Art. 3. *Vtrum Christus fuerit totus in inferno.* 171
Art. 4. *Vtrum Christus aliquam moram traxerit in inferno. ib.*
Art. 5. *Vtrum Christus descendens ad inferos, Sanctos Patres inde liberaverit.* 172
Art. 6. *Vtrum Christus aliquos damnatos ab inferno liberaverit.* ibid.
Art. 7. *Vtrum pueri qui cum originali peccato decesserant, fuerint a Christo liberati.* ibid.
Art. 8. *Vtrum Christus suo descensu liberaverit animas è purgatorio.* ibid.

## QUÆSTIO LIII.

### *De Resurrectione Christi.*

ART. 1. *Vtrum fuerit necessarium Christum resurgere.* 173
Art. 2. *Vtrum fuerit conveniens Christum tertia die resurgere.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Christus primò resurrexerit.* 174
Art. 4. *Vtrum Christus fuerit causa suæ resurrectionis.* 175

## QUÆSTIO LIV.

### *De qualitate Christi resurgentis.*

ART. 1. *Vtrum Christus post resurrectionem habuerit verum corpus.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Christi corpus resurrexerit integrum.* ibid.
Quæst. 1. *An Christus resumpserit totum sanguinem quem pro nobis fudit.* ibid.
Quæst. 2. *An in corpore Christi sit præputium.* 176
Art. 3. *Vtrum Christi corpus resurrexerit gloriosum.* 177
Art. 4. *Vtrum corpus Christi debuerit cum cicatricibus resurgere.* ibid.

QUÆ-



## QUÆSTIO LV.

### *De manifestatione resurrectionis.*

ART. 1. *Vtrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari.* ibid.
Art. 2. *Vtrum fuisset conveniens quod discipuli viderent Christum resurgere.* 179
Art. 3. *Vtrum Christus post resurrectionem debuerit continuè cum discipulis conversari.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christus debuerit discipulis in aliâ specie apparere.* 180
Art. 5. *Vtrum Christus veritatem resurrectionis debuerit argumentis declarare.* 181
Art. 6. *Vtrum argumenta quæ Christus induxit sufficienter manifestaverint resurrectionem ejus.* ibid.

## QUÆSTIO LVI.

### *De resurrectionis Christi causalitate.*

ART. 1. *Vtrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum.* ibid.
Art. 2. *Vtrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum.* ibid.
Quæst. *An etiam solis bonis meruerit Christus resurrectionem corporum.* ibid.

## QUÆSTIO LVII.

### *De Ascensione Christi.*

ART. 1. *Vtrum fuerit conveniens Christum ascendere.* 182
Art. 2. *Vtrum conveniebat Christo ascendere in cælum secundum divinam naturam.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Christus ascenderit propria virtute.* 183
Art. 4. *Vtrum Christus ascenderit super omnes cælos.* ibid.
Art. 5. *Vtrum corpus Christi ascenderit super omnem creaturam spiritualem.* ibid.
Art. 6. *Vtrum ascensio Christi sit causa nostræ salutis.* ibid.
Quæst. *An Paulus viderit Christum oculis corporalibus.* 183

## QUÆSTIO LVIII.

### *De sessione Christi ad dexteram Patris.*

ART. 1. *Vtrum Christo conveniat sedere ad dexteram Dei Patris.* 184
Art. 2. *Vtrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo secundum quod Deus,* ibid.
Art. 3. *Vtrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo secundum quod homo.* ibid.
Art. 4. *Vtrum sedere ad dexteram Patris sit proprium Christi.* 175.

## QUÆSTIO LIX.

### *De judiciaria potestate Christi*

ART. 1. *Vtrum judiciaria potestas sit specialiter Christo attribuenda.* 185
Art. 2. *Vtrum judiciaria potestas conveniat Christo secundum quod est homo.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Christus ex meritis adeptus fuerit judiciariam potestatem.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christo conveniat judiciaria potestas, quantum ad omnes res humanas.* ibid.
Art. 5. *Vtrum post judicium quod agitur in præsenti tempore restet aliud judicium.* 186
Art. 6. *Vtrum judiciaria potestas Christi se extendat ad Angelos.* ibid.

## QUÆSTIO LX.

### *De Sacramentis.*

ART. 1. *Vtrum Sacramentum sit in genere signi.* 186
Art. 2. *Vtrum omne signum rei sacræ sit Sacramentum.* 187
Quæst. 1. *Quæ necessaria sint ut res aliqua sit proprie Sacramentum.* ibid.
Quæst. 2. *An & quo modo excludantur sacrificium & aqua benedicta.* 188
Quæst. 3. *Quæ sit definitio Sacramenti veteris ac novæ legis. ib.*
Art. 3. *Vtrum Sacramentum sit signum unius rei tantum.* 189
Art. 4. *Vtrum Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.* ibid.
Art. 5. *Vtrum requirantur determinatæ res ad Sacramentum. ib.*
Art. 6. *Vtrum in significatione Sacramentorum requirantur verba.* 190
Art. 7. *Vtrum requirantur determinata verba in Sacramentis.* 191.
Art. 8. *Vtrum liceat aliquid addere verbis in quibus consistit forma Sacramentorum.* ibid.
Quæst. 1. *Quæ mutatio tollat veritatem Sacramenti.* ibid.
Quæst. 2. *An ex intentione proferentis pendeat ut mutatio sit substantialis vel accidentalis.* 192
Quæst. 3. *An & quale peccatum sit mutare formam aut materiam Sacramentorum.* 193

## QUÆSTIO LXI.

### *De necessitate Sacramentorum.*

ART. 1. *Vtrum Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.* 194
Art. 2. *Vtrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta.* ibid.
Art. 3. *Vtrum post peccatum ante Christum Sacramenta debuerint esse.* 195
Quæst. *Vtrum ante circumcisionem fuerit aliquod remedium pro parvulis contra peccatum originale.* ibid.
Art. 4. *Vtrum post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta.* 196.

## QUÆSTIO LXII.

### *De principali effectu Sacramentorum.*

ART. 1. *Vtrum Sacramenta sint causa gratiæ.* 197
Quæst. 1. *An omnia Sacramenta per se conferant primam gratiam.* ibid.
Quæst. 2. *An Sacramenta gratiam conferant ex opere operato.* ibidem.
Quæst. 3. *Quomodo Sacramenta gratiam conferant.* 200
Art. 2. *Vtrum gratia sacramentalis addat super gratiam virtutum & donorum.* 204
Art. 3 *Vtrum Sacramenta novæ legis contineant gratiam.* 205
Art. 4. *Vtrum in Sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causativa.* ibid.
Art. 5. *Vtrum Sacramenta novæ legis habeant virtutem ex Passione Christi.* 206
Art. 6. *Vtrum Sacramenta veteris legis causarent gratiam.* 207
Quæst. *An Sacramenta vetera ne quidem justificarent ex opere operantis.* 208

## QUÆSTIO LXIII.

### *De effectu Sacramentorum qui est character.*

ART. 1. *Vtrum Sacramentum imprimat aliquem characterem in anima.* 209

Universidad de Deusto
Biblioteca



Art. 2. *Vtrum character sit spiritualis potestas.* ibid.
Art. 3. *Vtrum character sacramentalis sit character Christi.* 210.
Art. 4. *Vtrum character sit in potentijs animæ sicut in subjecto.* 211.
Art. 5. *Vtrum character insit animæ indelebiliter.* ibid.
Art. 6. *Vtrum per omnia Sacramenta novæ legis imprimatur character.* 212

## QUÆSTIO LXIV.

*De causa Sacramentorum.*

ART. 1. *Vtrum solus Deus operetur interius ad effectum Sacramenti.* ibid.
Quæst. *An Sacramentorum ministri possint dici instrumentaliter conferre gratiam.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Sacramenta sint solum ex institutione divina.* 213
Art. 3. *Vtrum Christus secundum quod homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum Sacramentorum.* 214
Art. 4. *Vtrum Christus potestatem suam quam habuit in Sacramentis potuerit ministris communicare.* ibid.
Quæst. 1. *Vtrum potestas excellentiæ quam Christus ut homo habuit, potuerit communicari creaturæ.* ibid.
Quæst. 2. *An ea potestas fuerit communicata.* 215
Art. 5. *Vtrum per malos ministros Sacramenta conferri possint.* ibidem.
Art. 6. *Vtrum mali ministrantes Sacramenta peccent.* 216
Quæst. 1. *An omnis qui in peccato mortali ministrat Sacramenta, peccet mortaliter.* 217
Quæst. 2. *An minister debeat esse confessus de mortali cujus habet conscientiam.* 219
Quæst. 3. *An liceat Sacramenta recipere à malis ministris.* ibidem.
Art. 7. *Vtrum Angeli possint Sacramenta ministrare.* ibid.
Art. 8. *Vtrum intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti.* 220
Art. 9. *Vtrum fides ministri sit de necessitate Sacramenti.* 227
Art. 10. *Vtrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti.* 230

## QUÆSTIO LXV.

*De numero Sacramentorum.*

ART. 1. *Vtrum debeant esse septem Sacramenta, sive utrũ sint septem Sacramenta.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Sacramenta convenienter ordinentur secundum modum prædictum.* 231
Art. 3. *Vtrum Sacramentum Eucharistiæ sit potissimum inter Sacramenta.* 232
Art. 4. *Vtrum omnia Sacramenta sint de necessitate salutis.* ibid.

## QUÆSTIO LXVI.

*De Baptismo.*

ART. 1. *Vtrum Baptismus sit ipsa ablutio.* 232
Art. 2. *Vtrum Baptismus fuerit institutus post Christi passionem.* 233
Art. 3. *Vtrum aqua sit propria materia Baptismi.* 234
Art. 4. *Vtrum ad Baptismum requiratur aqua simplex.* 235
Art. 5. *Vtrum hæc sit conveniens forma Baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* ibid.
Art. 6. *Vtrum in nomine Christi possit dari Baptismus.* 237
Art. 7. *Vtrum immersio in aqua sit de necessitate Baptismi.* 239
Art. 8. *Vtrum trina immersio sit de necessitate Baptismi.* 240
Art. 9. *Vtrum Baptismus possit reiterari.* ibid.
Quæst. 1. *Quæ sit pœna iterationis Baptismi.* 241
Quæst. 2. *Sitne irregularis qui baptizatum domi ab obstetrice postea sub conditione baptizat.* 242
Quæst. 3. *An baptizatum ab hæreticis liceat baptizare sub conditione.* ibid.
Art. 10. *Vtrum ritus quo Ecclesia utitur in Baptismo, sit conveniens.* ibid.
Art. 11. *Vtrum convenienter describantur tria Baptismata.* ib.
Quæst. 1. *An Baptismus flaminis suppleat vicem Baptismi aquæ.* 243
Quæst. 2. *An martyrium suppleat vicem Baptismi.* 244
Quæst. 3. *Quæ dispositio requiratur ad martyrium.* 245
Quæst. 4. *An martyrium conferat gratiam ex opere operato.* ib.
Quæst. 5. *Quo tempore martyrij conferatur gratia.* 246
Art. 12. *Vtrum Baptismus sanguinis sit potissimum inter alia baptismata.* ibid.

## QUÆSTIO LXVII.

*De ministris Baptismi.*

ART. 1. *Vtrum ad officium diaconi pertineat baptizare.* 247
Art. 2. *Vtrum baptizare pertineat ad officium presbyterorum.* ibid.
Art. 3. *Vtrum laicus possit baptizare.* ibid.
Art. 4. *Vtrum mulier possit baptizare.* ibid.
Art. 5. *Vtrum non baptizatus possit Sacramentum Baptismi conferre.* ibid.
Art. 6. *Vtrum plures possint simul unum baptizatum.* 248
Art. 7. *Vtrum in Baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte.* 249
Art. 8. *Vtrum ille qui aliquem levat de sacro fonte teneatur ad ejus institutionem.* 250

## QUÆSTIO LXVIII.

*De suscipientibus Baptismum.*

ART. 1. *Vtrum omnes teneantur ad susceptionem Baptismi.* ibidem.
Art. 2. *Vtrum sine Baptismo aliquis possit salvari.* 252
Art. 3. *Vtrum Baptismus sit differendus.* 253
Art. 4. *Vtrum peccatores sint baptizandi.* 254
Quæst. *Quæ dispositio requiratur ad Baptismum bene suscipiendum.* 255
Art. 5. *Vtrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.* 256
Art. 6. *Vtrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri.* ibid.
Art. 7. *Vtrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi Sacramentum Baptismi.* ibid.
Quæst. *Vtrum in suscipiente aliquod Sacramentum requiratur intentio.* ibid.
Art. 8. *Vtrum fides requiratur ex parte baptizati.* 258
Art. 9. *Vtrum pueri sint baptizandi.* ibid.
Art. 10. *Vtrum pueri Judæorum vel aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi.* 259
Art. 11. *Vtrum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi.* 261.
Art. 12. *Vtrum furiosi & amentes debeant baptizari.* 262

## QUÆSTIO LXIX.

*De effectibus Baptismi.*

ART. 1. *Vtrum per Baptismum tollantur omnia peccata.* ib.
Art. 2. *Vtrum per Baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati.* 263
Art. 3. *Vtrum per Baptismum debeant offerri pœnalitates præsentis vitæ.* ibid.
Art. 4. *Vtrum per Baptismum conferantur homini gratia & virtutes.* ibid.
Art. 5. *Vtrum convenienter attribuantur Baptismo quidam actus.* ibid.
Art. 6. *Vtrum pueri in Baptismo consequantur gratiam & virtutes.* ibid.
Art. 7. *Vtrum effectus Baptismi sit apertio januæ regni cœlestis.* 264
Art. 8. *Vtrum Baptismus habeat in omnibus æqualem effectum.* ibid.
Art. 9. *Vtrum fictio impediat effectum Baptismi.* 265
Art. 10. *Vtrum fictione recedente Baptismus suum effectum consequatur.* 266
Quæst. 1. *Per quid peccata in Baptismi susceptione commissa tollantur.* 267
Quæst. 2. *An habere effectum recedente fictione proprium sit Baptismo.* ibid.

## QUÆSTIO LXX.

*De Circumcisione.*

ART. 1. *Vtrum circumcisio fuerit præparatoria & figurativa Baptismi.* 268
Art. 2. *Utrũ circumcisio fuerit convenienter instituta.* ib.
Quæst. *Quos comprehendat lex circumcisionis.* 269
Art. 3. *Vtrum ritus circumcisionis fuerit conveniens.* ibid.
Art. 4. *Vtrum circumcisio conferebat gratiam justificantem.* 270

## QUÆSTIO LXXI.

*De præparatorijs quæ simul concurrunt cum Baptismo.*

ART. 1. *Vtrum catechismus debeat præcedere Baptismum.* 272
Art. 2. *Vtrum exorcismus debeat præcedere Baptismũ.* ib.
Art. 3. *Vtrum ea quæ aguntur in exorcismo aliquid efficiant.* ibid.
Art. 4. *Vtrum sit officium Sacerdotis baptizare & exorcizare baptizandum.* 273

## QUÆSTIO LXXII.

*De Sacramento Confirmationis.*

ART. 1. *Vtrum Confirmatio sit Sacramentum.* 273
Art. 2. *Vtrum chrisma sit conveniens materia hujus Sacramenti.* 275
Quæst. 1. *An Balsamum requiratur in chrismate confirmationis de necessitate Sacramenti.* ibid.
Art. 3. *Vtrum sit de necessitate Sacramento quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum.* 277
Art. 4. *Vtrum hæc sit conveniens forma Sacramenti confirmationis, Consigno te signo Crucis &c.* 278
Art. 5. *Vtrum Sacramentum confirmationis imprimat characterem.* 279
Art. 6. *Vtrum character confirmationis præsupponat characterem Baptismi.* 280
Art. 7. *Vtrum per Sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens.* ibid.
Art. 8. *Vtrum hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum.* 281
Quæst. *An Sacramentum confirmationis sit omnibus baptizatis ad salutem necessarium.* ibid.
Art. 9. *Vtrum hoc Sacramentum sit conferendum homini in fronte.* 282
Art. 10. *Vtrum ille qui confirmatur debeat teneri ab alio.* ibid.
Art. 11. *Vtrum solus Episcopus hoc Sacramentum conferre possit.* 283
Art. 12. *Vtrum ritus hujus Sacramenti sit conveniens.* 285

## QUÆSTIO LXXIII.

*De Sacramento Eucharistiæ secundùm se.*

ART. 1. *Vtrum Eucharistia sit Sacramentum.* 285
Quæst. *Quid propriè vocetur Sacramentum Eucharistia.* ibid.





Art. 2. *Vtrum hoc Sacramentum sit unum vel plura.* 287
Art. 3. *Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis.* 288
Art. 4. *Vtrum convenienter hoc Sacramentum pluribus nominibus nominetur.* ibid.
Art. 5. *Vtrum institutio hujus Sacramenti fuerit conveniens.* 289
Art. 6. *Vtrum Agnus Paschalis fuerit præcipua figura hujus Sacramenti.* ibid.

## QUÆSTIO LXXIV.

*De materia Eucharistiæ quantum ad speciem.*

ART. 1. *Vtrum materia hujus Sacramenti sit panis & vinum.* 290
Quæst. *Vtrum una Sacramenti materia nunquam conficerari possit sine alia.* ibid.
Art. 2. *Vtrum requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam hujus Sacramenti.* 292
Art. 3. *Vtrum requiratur ad materiam hujus Sacramenti quod sit panis triticeus.* ibid.
Art. 4. *Vtrum hoc Sacramentum debeat confici ex pane azymo.* 293
Art. 5. *Vtrum vinum vitis sit propria materia hujus Sacramenti.* 294
Art. 6. *Vtrum aqua sit vino permiscenda.* 295
Art. 7. *Vtrum permixtio aquæ sit de necessitate Sacramenti.* 296
Art. 8. *Vtrum aqua debeat in magna quantitat. apponi.* ibid.
Quæst. *Vtrum aqua vino mixta convertatur in sanguinem Domini sive antea sit in vinum conversa sive non.* ibid.

## QUÆSTIO LXXV.

*De conversione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.*

ART. 1. *Vtrum in hoc Sacramento sit corpus Christi secundùm veritatem.* 302
Art. 2. *Vtrum in hoc Sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem.* 308
Art. 3. *Vtrum substantia panis vel vini post consecrationem hujus Sacramenti annihiletur.* 312
Art. 4. *Vtrum panis possit converti in corpus Christi.* ibid.
Art. 5. *Vtrum in hoc Sacramento remaneant accidentia panis & vini post conversionem.* 314
Art. 6. *Vtrum facta consecratione remaneat in hoc Sacramento forma substantialis panis.* ibid.
Art. 7. *Vtrum ista conversio fiat in instanti.* 315
Art. 8. *Vtrum hæc sit falsa, Ex pane fit corpus Christi.* ibid.

## QUÆSTIO LXXVI.

*De modo quo Christus est in hoc Sacramento.*

ART. 1. *Vtrum totus Christus contineatur sub hoc Sacramento.* 316
Quæst. 1. *An humanitas Christi sit ubique.* 317
Quæst. 2. *Quando corpus Christi sit in Sacramento.* 318
Quæst. 3. *Quæ adsint sub speciebus vi verborum.* 320
Quæst. 4. *Quid ea vox, corpus complectatur quatenus est hic ex vi verborum.* ibid.
Art. 2. *Vtrum totus Christus contineatur sub utraque specie hujus Sacramenti.* 322
Art. 3. *Vtrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis & vini.* ibid.
Art. 4. *Vtrum tota quantitas dimensiva Corporis Christi sit in hoc Sacramento.* 323
Art. 5. *Vtrum corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco.* 324
Art. 6. *Vtrum Corpus Christi sit mobiliter in hoc Sacramento.* 325

Universidad de Deusto
Biblioteca



Art. 7. *Utrum corpus Christi prout est in hoc Sacramento possit videri aliquo oculo saltem glorificato.* 326
Quæst. 1. *An per absolutam Dei potentiam oculus corporeus nequeat videre Christum in Eucharistia.* ibid.
Quæst. 2. *Utrum intellectus creatus videat Christum in Eucharistia existentem.* 327
Art. 8. *Utrum quando in hoc Sacramento miraculosè apparet caro vel puer, sit ibi verè corpus Christi.* ibid

## QUÆSTIO LXXVII.

*De accidentibus remanentibus in hoc Sacramento.*

ART. 1. *Utrum accidentia remaneant sine subjecto in hoc Sacramento.* 328
Art. 2. *Utrum in hoc Sacramento quantitas dimensiva panis vel vini sit aliorum accidentium subjectum.* 329
Art. 3. *Utrum species quæ remanent in hoc Sacramento possint immutare aliquid extrinsecum.* ibid.
Art. 4. *Utrum species Sacramentales possint corrumpi.* ibid.
Art. 5. *Utrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari.* 330
Art. 6. *Utrum species sacramentales possint nutrire.* ibid.
Art. 7. *Utrum species sacramentales frangantur in hoc Sacramento.* ibid.
Art. 8. *Utrum aliquis liquor possit vino consecrato commisceri.* ibid.

## QUÆSTIO LXXVIII.

*De forma Sacramenti Eucharistiæ.*

ART. 1. *Utrum hæc sit forma hujus Sacramenti, Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei.* 332
Quæst. 1. *An Christus illis verbis consecraverit.* ibid.
Quæst. 2. *An benedictio Christi fuerit consecratio.* ibid.
Quæst. 3. *An Sacramentum perficiatur his solis verbis, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* 333
Art. 2. *Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis panis, Hoc est corpus meum.* 334
Quæst. 1. *Quid demonstret pronomen* Hoc, ibid.
Quæst. 2. *Quam vim habeat verbum* Est. 335
Quæst. 3. *Quid significet* Corpus. ibid.
Art. 3. *Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis vini, Hic est calix sanguinis mei &c.* 335
Art. 4. *Utrum prædictis verbis formarum insit aliqua vis creata effectiva consecrationis.* 337
Art. 5. *Utrum prædictæ locutiones sint veræ.* ibid.
Art. 6. *Utrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum antequam perficiatur forma consecrationis vini.* ibid.

## QUÆSTIO LXXIX.

*De effectu Sacramenti Eucharistiæ.*

ART. 1. *Utrum per hoc Sacramentum conferatur gratia.* 337
Art. 2. *Utrum effectus hujus Sacramenti sit adoptio gloriæ.* 338
Art. 3. *Utrum effectus hujus Sacramenti sit remissio peccati mortalis.* ibid.
Art. 4. *Utrum per hoc Sacramentum remittantur peccata venialia.* 339
Art. 5. *Utrum per hoc Sacramentum tota pœna peccati remittatur.* 340
Art. 6. *Utrum per hoc Sacramentum præservetur homo à peccatis futuris.* ibid.
Art. 7. *Utrum hoc Sacramentum prosit alijs quam sumentibus.* ibid.
Art. 8. *Utrum per veniale peccatum impediatur effectus hujus Sacramenti.* ibid.

## QUÆSTIO LXXX.

*De usu, seu sumptione hujus Sacramenti.*

ART. 1. *Utrum distingui debeant duo modi manducandi Corpus Christi.* 341
Art. 2. *Utrum solius hominis sit hoc Sacramentum sumere.* ibid.
Art. 3. *Utrum solus homo justus possit Christum sacramentaliter manducare.* 342
Art. 4. *Utrum peccator sumens Corpus Christi sacramentaliter peccet.* ibid.
Quæst. 1. *Quæ dispositio requiratur ad dignè recipiendum hoc Sacramentum.* 342
Quæst. 2. *Quibus casibus liceat communicare non præmissa confessione.* 343
Quæst. 3. *Quæ dispositio necessaria sit quando non potest præmitti confessio.* 345
Quæst. 4. *Quæ dispositio necessaria sit ei qui solum opinatur, vel dubitat de peccato mort. non confesso.* ibid.
Art. 5. *Utrum accedere ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum.* 345
Art. 6. *Utrum Sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.* 346
Quæst. 1. *Qui dicantur manifesti seu publici peccatores.* ibid.
Quæst. 2. *Utrum peccatori occulto deneganda sit Eucharistia.* ibid.
Art. 7. *Utrum nocturna pollutio aliquem impediat à sumptione hujus Sacramenti.* 348
Art. 8. *Utrum cibus vel potus præassumptus impediat sumptionem hujus Sacramenti.* ibid.
Quæst. *An sacerdos non jejunus celebrare possit ut communicetur infirmus, alioquin sine viatico moriturus.* 350
Art. 9. *Utrum non habentes usum rationis debeant suscipere hoc Sacramentum.* 351
Quæst. 1. *Utrum infantibus danda sit Eucharistia.* ibid.
Quæst. 2. *An saltem liceat Eucharistiam dare parvulis.* 352
Art. 10. *Utrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere.* 352
Art. 11. *Utrum liceat omnino à communione cessare.* ibid.
Quæst. 1. *Quando præceptum communionis obliget.* 353
Quæst. 2. *An qui communicant indignè satisfaciant præcepto Ecclesiæ.* 354
Quæst. 3. *An qui prævidet impedimentum ob quod non poterit in Paschate communicare teneatur prævenire.* ibid.
Quæst. 4. *An qui prætermisit communicare in Paschate adhuc teneatur pro isto anno ad communionem.* ibid.
Art. 12. *Utrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine.* 353
Quæst. 1. *An communio sub utraque specie sit laicis necessaria.* 355
Quæst. 2. *Utrum non detur major gratia sumenti duas species quam sumenti unam.* 358
Quæst. 3. *Utrum Ecclesia potuerit prohibere laicis usum calicis.* 360
Quæst. 4. *Utrum calix sit ex dispensatione concedendus hæreticis.* ibid.
Quæst. 5. *Quid olim fuerit communio laica & quomodo distingueretur à sacerdotali seu clericali.* 361
Quæst. 6. *Quæ fuerit olim dicta communio peregrina & quæ communio præsanctificatorum.* 362

## QUÆSTIO LXXXI.

*De modo quo Christus usus est hoc Sacramento.*

ART. 1. *Utrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.* ibid.
Art. 2. *Utrum Christus Judæ dederit suum corpus.* 363
Art. 3. *Utrum Christus sumpserit & discipulis dederit corpus suum impassibile.* 364
Art. 4. *Utrum si hoc Sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum vel consecratum ibi moreretur.* ibid.



## QUÆSTIO LXXXII.

*De ministro hujus Sacramenti.*

ART. 1. *Utrum consecratio hujus Sacramenti sit propria Sacerdotis.* 364
Art. 2. *Utrum plures Sacerdotes possint unam & eandem hostiam consecrare.* 365
Art. 3. *Utrum dispensatio hujus Sacramenti pertineat solum ad Sacerdotem.* 367
Art. 4. *Utrum Sacerdos consecrans teneatur sumere hoc Sacramentum.* 368
Art. 5. *Utrum malus Sacerdos Eucharistiam consecrare possit.* ibidem.
Art. 6. *Utrum Missa mali Sacerdotis minus valeat quam Missa Sacerdotis boni.* ibid.
Art. 7. *Utrum hæretici, schismatici, & excommunicati possint consecrare.* ibid.
Art. 8. *Utrum Sacerdos degradatus possit hoc Sacramentum conficere.* 369
Art. 9. *Utrum liceat ab excommunicatis vel hæreticis, seu peccatoribus, communionem recipere, & eorum Missam audire.* ibid.
Art. 10. *Utrum liceat Sacerdoti, omnino à consecratione Eucharistiæ abstinere.* ibid.

## QUÆSTIO LXXXIII.

*De ritu hujus Sacramenti.*

ART. 1. *Utrum in hoc Sacramento Christus immoletur.* ibidem.
Quæst. 1. *Utrum Eucharistia sit veri nominis sacrificium.* ibid.
Quæst. 2. *In quo consistat ratio sacrificij novæ legis.* 372
Quæst. 3. *Utrum consecratio utriusque speciei sit de essentia hujus sacrificij.* 376
Quæst. 4. *Quid sit res principaliter oblata in hoc sacrificio.* 377
Quæst. 5. *Quæ sit differentia hujus sacrificij ab alijs.* ibid.
Quæst. 6. *Quinam sint offerentes.* 378
Quæst. 7. *Pro quibus offeratur sacrificium.* 379
Quæst. 8. *Utrum pro solis fidelibus offerendum sit sacrificium.* ibidem.
Quæst. 9. *Utrum pro omnibus fidelibus sit offerendum sacrificium.* 380
Quæst. 10. *Utrum pro defunctis offerendum sit sacrificium.* 381
Quæst. 11. *An hoc sacrificium ut est impetratorium sit pro beatis offerendum.* 382
Quæst. 12. *Utrum hoc sacrificium sit propitiatorium.* ibid.
Quæst. 13. *Quo modo valeat hoc sacrificium.* 383
Quæst. 14. *Ad quid ex opere operato valeat hoc sacrificium.* 384.
Quæst. 15. *Utrum valor hujus sacrificij sit infinitus intensivè.* 385.
Quæst. 16. *An hoc sacrificium pro multis oblatum æquè prosit singulis ac si solum offerretur pro uno.* ibid.
Quæst. 17. *Utrum qui pro pluribus celebrare debet, satisfaciat celebrando unam Missam pro omnibus.* 386
Quæst. 18. *Cur hoc sacrificium vocetur Missa.* 387
Art. 2. *Utrum convenienter sit determinatum tempus celebrationis.* 388
Quæst. 1. *Utrum ea sexta feria licitum sit communicare.* ibid.
Quæst. 2. *Utrum sabbatho sancto liceat Sacerdotibus qui Missam istius diei solemnem non faciunt celebrare.* ibid.
Quæst. 3. *Utrum feria quinta Cœnæ Domini liceat singulis sacerdotibus celebrare.* 389



Quæst. 5. *Utrum Parochus qui solus est in duabus Ecclesijs debeat isto die Cœnæ Domini in utraque Ecclesia consecrare duas hostias, quarum unam tunc sumat, & aliam die sequenti faciens officium in illis Ecclesijs.* ibid.
Quæst. 5. *An licitus sit usus Missarum siccarum.* 390
Art. 3. *Utrum oporteat hoc Sacramentum celebrari in domo & vasis sacris.* 391
Quæst. 1. *Quibus casibus Ecclesiam pollui seu violari contingat.* 393
Quæst. 2. *An liceat in Ecclesia violata celebrare.* 395
Quæst. 3. *Per quem Ecclesia violata debeat reconciliari.* 396
Quæst. 4. *An ad Missam celebrandam necessarium sit altare consecratum.* ibid.
Quæst. 5. *An ad altaris consecrationem necessariæ sint sanctorum reliquiæ.* 397
Quæst. 6. *Quando altare censeatur violatum.* ibid.
Art. 4. *Utrum convenienter ordinentur ea quæ circa hoc Sacramentum dicuntur.* 400
Quæst. 1. *Utrum canon rectè submissa voce recitetur.* 401
Quæst. 2. *Utrum missa sit celebranda lingua vulgari.* ibid.
Art. 5. *Utrum ea quæ in celebratione hujus Sacramenti aguntur, sint convenientia* ibid.
Quæst. *Utrum Missæ quæ privatæ dicuntur licitè celebrentur.* 402.
Art. 6. *Utrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem hujus Sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesiæ observando.* 406
Quæst. 1. *Utrum qui Missam incœptam sine causa relinquit imperfectam, idque sive ante sive post consecrationem, excommunicationem ipso facto incurrat.* ibid.
Quæst. 2. *Utrum aliquando liceat Missam incœptam non absolvere, sed imperfectam relinquere.* 407
Quæst. 3. *Utrum liceat Missam incœptam interrumpere postea perficiendam.* ibid.

## QUÆSTIO LXXXIV.

*De Sacramento Pœnitentiæ.*

ART. 1. *Utrum Pœnitentia sit Sacramentum.* 411
Art. 2. *Utrum peccata sint propria materia hujus Sacramenti.* 412
Art. 3. *Utrum hæc sit forma hujus Sacramenti. Ego te absolvo.* 414.
Quæst. 1. *Quæ verba sint necessaria ad essentiam Sacramenti.* 415.
Quæst. 2. *Quis sit sensus horum verborum. Te absolvo.* 417
Art. 4. *Utrum impositio manuum Sacerdotis requiratur ad hoc Sacramentum.* 420
Art. 5. *Utrum hoc Sacramentum sit de necessitate salutis.* ibid.
Art. 6. *Utrum Pœnitentia sit secunda post naufragium tabula.* 421
Art. 7. *Utrum hoc Sacramentum fuerit convenienter in nova lege institutum.* ibid.
Art. 8. *Utrum Pœnitentia debeat durare usque ad finem vitæ.* 422.
Art. 9. *Utrum Pœnitentia possit esse continua.* 423
Art. 10. *Utrum Sacramentum Pœnitentiæ debeat iterari.* ibid.

## QUÆSTIO LXXXV.

*De Pœnitentia secundùm quod est virtus.*

ART. 1. *Utrum Pœnitentia sit virtus.* ibid.
Art. 2. *Utrum Pœnitentia sit specialis virtus.* ibid.
Quæst. 1. *Utrum Pœnitentia sit virtus acquisita an infusa.* 426.
Quæst. 2. *Utrum effectus Sacramenti Pœnitentiæ conferatur effectivè per solam Sacerdotis absolutionem, ita ut actus pœnitentis solum se habeant ad illum dispositivè.* ibidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quæst. 3. *Virum non solum contritio & confessio gratiam conferant, sed etiam satisfactio.* 427
Art. 3. *Virum virtus pœnitentiæ sit species justitiæ.* 428
Art. 4. *Virum voluntas sit propriè subjectum Pœnitentiæ.* ibid.
Art. 5. *Virum principium pœnitentiæ sit ex timore.* ibid.
Art. 6. *Virum pœnitentia sit prima virtutum.* 430

## QUÆSTIO LXXXVI.

*De effectu Pœnitentiæ quoad remissionem peccatorum mortalium.*

ART. 1. *Virum per pœnitentiam omnia peccata auferantur.* ibid.
Art. 2. *Virum sine pœnitentia peccatum mortale remitti possit.* 433
Quæst. 1. *Virum ad remissionem peccati mortalis requiratur formalis pœnitentia.* ibid.
Quæst. 2. *Virum per absolutam Dei potentiam possit remitti ac deleri peccatum mortale sine omni pœnitentia.* 434
Quæst. 3. *An peccatum mortale possit remitti ac deleri sine infusione gratiæ.* ibid.
Art. 3. *Virum per pœnitentiam possit unum peccatum sine alio remitti.* 436
Art. 4. *Virum remissâ culpâ per pœnitentiam remaneat reatus pœnæ.* 437
Art. 5. *Virum remissâ culpâ mortali tollantur omnes reliquiæ peccati.* 439
Art. 6. *Virum remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ.* ibid.

## QUÆSTIO LXXXVII.

*De remissione peccatorum venialium.*

ART. 1. *Virum peccatum veniale possit remitti sine pœnitentia.* ibid.
Quæst. 1. *An & quatenus remitti possint venialia post hanc vitam.* 441
Quæst. 2. *Quando & per quid fiat culpæ venialis remissio.* 442.
Art. 2. *Virum ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiæ infusio.* ibid.
Quæst. 1. *An peccatum veniale possit remitti per actum contrarium naturæ viribus elicitum.* 443
Quæst. 2. *Virum in remissione peccati venialis solum tollatur reatus pœnæ.* ibid.
Art. 3. *Virum venialia peccata remittantur per aspersionem aquæ benedictæ & hujusmodi.* 444
Quæst. *Quomodo aqua benedicta aut ea quæ dicuntur sacramentalia, remittunt peccata venialia.* ibid.

## QUÆSTIO LXXXVIII.

*De reditu peccatorum per Pœnitentiam dimissorum.*

ART. 1. *Virum peccata dimissa redeant per sequens peccatum.* 446
Art. 2. *Virum peccata dimissa redeant per ingratitudinem quæ specialiter est secundum odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, & dolorem de pœnitentia habita.* 449
Art. 3. *Virum per ingratitudinem peccati sequentis consurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimissorum.* 450.
Art. 4. *Virum ingratitudo, ratione cujus sequens peccatum facit redire pecca a prius dimissa sit speciale peccatum.* ibid.

## QUÆSTIO LXXXIX.

*De recuperatione virtutum per Pœnitentiam.*

ART. 1. *Virum per pœniten iam virtutes restituan ur.* ibidem.
Art. 2. *Virum post pœnitentiam resurgat homo in æquali virtute.* 451
Art. 3. *Virum per pœnitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem.* 456
Art. 4. *Virum opera virtutum in charita e facta, possint mortificari.* ibid.
Art. 5. *Virum opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam revivisc ant.* ibid.
Art. 6. *Virum per pœnitentiam subsequentem etiam opera mortua vivificentur.* 457

## QUÆSTIO XC.

*De partibus Pœnitentiæ*

ART. 1. *Virum Pœnitentiæ debeant partes assignari.* ibidem.
Art. 2. *Virum convenienter assignentur partes pœni en iæ, contritio, confessio & satisfactio.* ibid.
Art. 3. *Virum prædicta tria, scilicet contritio, confessio, & satisfactio sint partes integrales Pœnitentiæ.* 460



INDEX

# INDEX QUÆSTIONUM ARTICULORUM, ET QVÆSITORVM SUPPLEMENTI,

SEU ADDITIONUM AD TERTIAM PARTEM

# S. THOMÆ AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI,

ET COMMUNIS.

## QUÆSTIO I.

*De partibus Pœnitentiæ in speciali: & primò de Contritione.*

ARTICULUS 1. *Virum contritio sit dolor de peccatis.* 462
Quæst. 1. *Virum ad contritionem requiratur expressum propositum non peccandi de cætero.* 464
Quæst. 2. *An votum confitendi & satisfaciendi sit ad veram contritionem necessarium.* 465
Quæst. 3. *Virum ad contritionem requiratur amor Dei super omnia.* 466
Art. 2. *Virum contritio sit actus virtutis.* 468
Quæst. 1. *Virum attritio ex metu gehennæ sit bona.* ibid.
Art. 3. *Virum attritio possit fieri contritio.* 469
Quæst. 1. *Quæ attritio cum absolutione sufficiat ad remittenda peccata.* 471
Quæst. 2. *Quomodo contritio differat ab attritione.* 474
Quæst. 3. *Quæ sit divisio veræ attritionis seu cum Sacramento sufficientis ad reconciliationem.* ibid.

## QUÆSTIO II.

*De contritionis objecto.*

ART. 1. *Virum homo debeat conteri de pœnis.* 475
Art. 2. *Virum contritio debeat esse de peccato originali.* ib
Art. 3. *Virum de omni actuali peccato debeamus conteri.* ibid.
Art. 4. *Virum de peccatis futuris, aliquis debeat conteri.* 476
Art. 5. *Virum homo debeat conteri de peccato alieno.* ibid.
Art. 6. *Virum de singulis peccatis mortalibus requiratur contritio.* ibid.

## QUÆSTIO III.

*De quantitate Contritionis.*

ART. 1. *Virum contritio sit major dolor qui esse possit in natura.* 477
Art. 2. *Virum possit esse nimis magnus contritionis dolor.* 480
Art. 3. *Virum debeat esse major dolor de uno peccato, quam de alio.* ibid.

## QUÆSTIO IV.

*De tempore Contritionis.*

ART. 1. *Virum tota hæc vita sit contritionis tempus.* 480
Art. 2. *Virum expediat continuè de peccato dolere.* ibid.
Quæst. 1. *An sit aliquod præceptum contritionis.* 481
Quæst. 2. *Virum præceptum contritionis obliget ad statim.* ibid.
Quæst. 3. *Quo tempore obliget præceptum contritionis.* 483
Art. 3. *Virum etiam post hanc vitam animæ de peccatis conterantur.* ibid.

## QUÆSTIO V.

*De effectu Contritionis.*

ART. 1. *Virum peccati remissio sit contritionis effectus.* 485
Quæst. *Virum omnis contritio semper conjunctam habeat remissionem peccati, etiam antequam recipiatur Sacramentum* ib.
Art. 2. *Virum contritio possit totaliter tollere reatum pœnæ.* 491
Art. 3. *Virum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum.* 492

## QUÆSTIO VI.

*De Confessione.*

ART. 1. *Virum confessio sit necessaria ad salutem.* ibid.
Quæst. 1. *Qua necessitate confessio sit necessaria.* 494
Quæst. 2. *Virum confessio debeat fieri secretè.* 495
Art. 2. *Virum confessio sit de jure naturali.* ibid.
Art. 3. *Virum omnes ad confessionem teneantur.* 496
Quæst. 1. *An talis ad cõfessionẽ teneatur ex vi juris Ecclesiast.* ib.
Quæst. 2. *An Ecclesia præcipere possit confessionem venialium certis temporibus faciendam.* ibid.
Quæst. 3. *Virum pueri obligentur præcepto confessionis.* 497
Quæst. 4. *An summus Pontifex obligetur præcepto confessionis annuæ.* ibid.
Art. 4. *Virũ aliquis licitè possit cõfiteri peccatũ quod nõ habet.* ib.
Quæst. 1. *Virum in confessione mentiri affirmando, vel negando peccatum veniale, sit solum veniale.* 498
Art. 5 *Virum aliquis teneatur statim confiteri.* 499
Quæst. 1. *Quando præceptũ cõfessionis obliget ex jure divino.* ib.
Quæst. 2. *Quãdo præceptũ cõfessionis obliget ex jure Eccles.* 500
Quæst. 3. *Pro qua parte anni obliget præceptum Ecclesiæ de confessione.* ibid.
Quæst. 4. *Per quam confessionem impleatur præceptum confessionis annuæ.* 501
Art. 6. *Virum possit cum aliquo dispensari ne confiteatur.* ibid.

## QUÆSTIO VII.

*De quidditate Confessionis.*

ART. 1. *Virum Augustinus convenienter definiat confessionem.* 502
Art. 2. *Virum confessio sit actus virtutis.* ibid.
Art. 3. *Virum confessio sit actus pœnitentiæ virtutis.* ibid.

## QUÆSTIO VIII.

*De ministro Confessionis.*

ART. 1. *Virum necessarium sit confiteri Sacerdoti.* ibid.
Art. 2. *Virum in aliquo casu liceat alijs quam Sacerdotibus confiteri.* 503
Art. 3. *Virum extra casum necessitatis possit aliquis non Sacerdos confessionem venialium audire.* 504
Art. 4. *Virum sit necessarium quod homo confiteatur proprio Sacerdoti.* ibid.
Quæst. 1. *Quæ potestas requiratur in Sacerdote confessiones audituro.* ibid.
Quæst. 2. *Quid sit ea jurisdictio & quando detur.* 46
Quæst. 3. *Quis dicatur proprius Sacerdos.* ibid.
Art. 5. *Virum aliquis possit alteri, quam proprio Sacerdoti confiteri, ex privilegio vel mandato superioris.* ibid.
Quæst. 1. *Qui præter privilegiatos sortiantur jurisdictionem delegatam.* 506
Quæst. 2. *Qui possint eligere confessarium.* ibid.
Quæst. 3. *Virum illi quibus est facultas eligendi Confessarium, possint*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*possint eligere quemlibet Sacerdotem.* 49
Quæst. 4. *Quæ approbatio si necessaria.* ibid.
Quæst. 5. *Cujus Episcopi approbatio sit necessaria.* 50
Quæst. 6. *Utrum approbatus ab uno Episcopo, censeatur approbatus pro omni loco.* ibid.
Quæst. 7. *Quæ bonitas, scientia, prudentia confessori necessaria.* 510
Quæst. 8. *Quid faciet qui commisit errorem in confessionem audiendo.* 511
Quæst. 9. *Quando confessor teneatur audire confessionem pœnitentis.* 512
Art. 6. *Utrum pœnitens possit in fine vitæ à quolibet Sacerdote absolvi.* 513
Art. 7. *Utrum pœna temporalis taxetur secundum quantitatem culpæ.* ibid.

QUÆSTIO IX.
*De qualitate Confessionis.*

ART. 1. *Utrum confessio possit esse informis.* ibid.
Quæst. *Utrum confessio sine contritione facta possit esse informis & tamen valida, ideoq; non repetenda.* ibid.
Art. 2. *Utrum oporteat confessionem esse integram.* 514
Quæst. 1. *Quid requirat confessionis integritas.* ibid.
Quæst. 2. *Quæ diligentia sit pœnitenti necessaria.* 518
Quæst. 3. *An circumstantiæ loci, temporis, personæ & scandali sint confitendæ.* ibid.
Quæst. 4. *Utrum confessio non integra possit esse valida.* 519
Quæst. 5. *Utrum absolvendus sit moribundus, qui cum pro confessione faciendâ vocavit Sacerdotem, antequam is adveniat vocem & omne rationis judicium amittit; modo testes affirment quod confessionem petierit.* 521
Quæst. 6. *Quando necesse sit confessionem iterare.* 522
Quæst. 7. *Utrum confessarius teneatur examinare pœnitentem & curare ut integrè confiteatur.* 523
Art. 3. *Utrum possit quis per alium vel per scriptum confiteri.* 524
Quæst. *An liceat per literas seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* 525
Art. 4. *Utrum sedecim conditiones requirantur ad confessionem.* 527

QUÆSTIO X.
*De effectu Confessionis.*

ART. 1. *Utrum confessio liberet à morte peccati.* ibid.
Art. 2. *Utrum confessio liberet aliquo modo à pœna.* ibid.
Art. 3. *Utrum confessio aperiat Paradisum.* 528
Art. 4. *Utrum confessio tribuat spem salutis.* ibid.
Art. 5. *Utrum confessio generalis sufficiat ad delenda mortalia oblita.* ibid.

QUÆSTIO XI.
*De sigillo confessionis.*

ART. 1. *Utrum quolibet casu teneatur Sacerdos celare peccata, quæ sub sigillo confessionis novit.* ibid.
Quæst. 1. *Ex quali confessione oriatur sigillum confessionis.* 529
Quæst. 2. *Utrum liceat manifestare pœnitentem indirectè.* 530
Quæst. 3. *An extra confessionem uti liceat scientia per eam acquisita.* ibid.
Art. 2. *Utrum sigillum confessionis se extendat ad alia quam ad illa quæ sunt de confessione.* 531
Quæst. *An sigillum se extendat ad aliena peccata in confessione audita.* 532
Art. 3. *Utrum solus Sacerdos habeat sigillum confessionis.* ibid.
Quæst. *An ipse pœnitens teneatur ad sigillum.* 533
Art. 4. *Utrum de licentia pœnitentis possit Sacerdos peccatum quod scit sub sigillo confessionis, alteri prodere.* ibid.
Quæst. *An Sacerdoti liceat extra confessionem loqui cum pœnitente de auditis in illa.* ibid.
Art. 5. *Utrum illud quod quis scit per confessionem & etiam aliquo alio modo possit alteri revelare.* 534

QUÆSTIO XII.
*De Satisfactione.*

ART. 1. *Utrum satisfactio sit virtus, an actus virtutis.* ibid.
Art. 2. *Utrum satisfactio sit actus justitiæ.* ibid.
Art. 3. *Utrum definitio satisfactionis in litera convenienter ponatur.* ibid.

QUÆSTIO XIII.
*De possibilitate satisfactionis.*

ART. 1. *Utrum homo possit Deo satisfacere.* 535
Art. 2. *Utrum pœnam satisfactoriam possit unus pro alio explere.* 537
Art. 3. *Utrum pœna temporalis taxetur secundùm quantitatem culpæ.* 539

QUÆSTIO XIV.
*De qualitate satisfactionis.*

ART. 1. *Utrum homo possit de uno peccato satisfacere sine alio.* ibid.
Art. 2. *Utrum aliquis extra charitatem existens possit satisfacere de peccatis ante contritis.* 540
Art. 3. *Utrum homini postquam charitatem habuerit valere incipiat satisfactio præcedens.* 541
Art. 4. *Utrum opera extra charitatem facta sint alicujus boni meritoria.* 542
Art. 5. *Utrum opera prædicta valeant ad mitigationem pœnarum infernalium.* ibid.

QUÆSTIO XV.
*De his per quæ fit satisfactio.*

ART. 1. *Utrum satisfactio fieri oporteat per opera pœnalia.* ibid.
Quæst. *An satisfactio possit fieri per opera alias debita.* 543
Art. 2. *Utrum flagella præsentis vitæ sint satisfactoria.* 544
Art. 3. *Utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria.* ibi.

QUÆSTIO XVI.
*De suscipientibus Sacramentum Pœnitentiæ.*

De subjecto Pœnitentiæ.

ART. 1. *Utrum Pœnitentia possit esse in innocentibus.* ibid.
Art. 2. *Utrum sancti homines, qui sunt in gloria habeant Pœnitentiam.* ibid.
Art. 3. *Utrum Angelus sit susceptivus Pœnitentiæ.* ibid.

QUÆSTIO XVII.
*De potestate ministrorum hujus Sacramenti sive de clavibus.*

ART. 1. *Utrum claves in Ecclesia esse debeant.* 545
Art. 2. *Utrum clavis sit potestas ligandi & solvendi &c.* ibid.
Art. 3. *Utrum sint duæ claves, vel tantum una.* ibid.

QUÆSTIO XVIII.
*De effectu clavium.*

ART. 1. *Utrum potestas clavium se extendat ad remissionem culpæ.* 546
Art. 2. *Utrum Sacerdos possit remittere peccatum quoad pœnam.* ibid.
Art. 3. *Utrum Sacerdos per potestatem clavium possit ligare.* ib.
Quæst. 1. *An Sacerdos non solum possit, sed etiam teneatur satisfactionem injungere pœnitentibus.* ibid.
Quæst. 2. *Quando sit imponenda & explenda satisfactio.* 547
Quæst. 3. *An pœnitens teneatur injunctam pœnitentiam acceptare & acceptatam implere.* ibid.
Quæst. 4. *Utrum pœnitentia semel injuncta possit ab aliquo mutari.* 548
Quæst. 5. *An pœnitens debeat sponte suscipere aliquam pœnitentiam præter eam quam confessarius imposuit.* ibid.
Art. 4. *Utrum Sacerdos possit ligare & solvere secundùm proprium arbitrium.* 549

QUÆSTIO XIX.
*De ministris clavium.*

ART. 1. *Utrum Sacerdos legalis claves habuerit.* ibid.
Art. 2. *Utrum Christus clavem habuerit.* ibid.
Art. 3. *Utrum soli Sacerdotes claves habeant.* 550
Quæst. *Utrum possit mulieri committi quod excommunicet.* ib.
Art. 4. *Utrum etiam sancti homines, non Sacerdotes clavium usum habeant.* ibid.
Art. 5. *Utrum mali Sacerdotes usum clavium habeant.* ibid.
Art. 6. *Utrum schismatici, hæretici, excommunicati, suspensi & degradati, usum clavium habeant.* ibid.

QUÆSTIO XX.
*De his in quos usus clavium exerceri potest.*

ART. 1. *Utrum Sacerdos possit uti clave quam habet in quemlibet hominem.* ibid.
Art. 2. *Utrum Sacerdos possit semper suum subditum absolvere.* 551
Quæst. 1. *Quæ peccata possint reservari.* ibid.
Quæst. 2. *Qui possint peccata reservare.* ibid.
Quæst. 3. *Quis possit absolvere à casibus reservatis.* 552
Art. 3. *Utrum aliquis possit uti clavibus in suum superiorem.* 554

QUÆSTIO XXI.
*De excommunicatione.*

ART. 1. *Utrum excommunicatio convenienter definiatur.* ibid.
Art. 2. *Utrum Ecclesia debeat aliquem excommunicare.* 555
Art. 3. *Utrum aliquis pro aliquo temporali damno debeat excommunicari.* 556
Art. 4. *Utrum excommunicatio injustè lata habeat aliquem effectum.* 557
Quæst. *An ab excommunicatione justa nullus per ignorantiam excusetur.* 558

QUÆSTIO XXII.
*De his qui possunt excommunicare & excommunicari.*

ART. 1. *Utrum quilibet Sacerdos possit excommunicare.* 559
Art. 2. *Utrum non Sacerdotes excommunicare possint.* ibid.
Art. 3. *Utrum excommunicatus vel suspensus, possit alium excommunicare.* 560
Art. 4. *Utrum aliquis possit seipsum, vel æqualem, vel superiorem excommunicare.* ibid.
Quæst. *Qui possint excommunicari.* ibid.
Art. 5. *Utrum in aliquam universitatem ferri possit excommunicatio.* 561
Art. 6. *Utrum ille, qui semel est excommunicatus, ulterius excommunicari possit.* ibid.

QUÆSTIO XXIII.
*De participatione cum excommunicatis.*

ART. 1. *Utrum liceat excommunicato communicare in purè corporalibus.* 562
Art. 2. *Utrum participans excommunicato, sit excommunicatus.* 563
Art. 3. *Utrum participare cum excommunicato in casibus concessis, sit peccatum mortale.* ibid.

QUÆSTIO XXIV.
*De absolutione ab excommunicatione.*

ART. 1. *Utrum quilibet Sacerdos possit suum subditum ab excommunicatione absolvere.* 564
Art. 2. *Utrum aliquis possit absolvi invitus.* ibid.
Art. 3. *Utrum aliquis possit absolvi ab una excommunicatione, nisi absolvatur ab omnibus.* ibid.

QUÆSTIO XXV.
*De Indulgentijs.*

ART. 1. *Utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de pœna satisfactoria.* 565
Quæst. 1. *An prædictus Ecclesiæ thesaurus sit agnoscendus.* 566
Quæst. 2. *Utrum indulgentia sit solutio & non absolutio.* 568
Art. 2. *Utrum indulgentiæ tantum valeant quantum pronuntiantur.* 569
Quæst. 1. *Utrum indulgentiæ valeant pro pœnitentijs dumtaxat illis quæ fuerunt injunctæ.* 570
Quæst. 2. *Quid requiratur ut indulgentia tantum valeant quantum sonant.* 571
Art. 3. *Utrum pro temporali subsidio debeat fieri indulgentia.* 573

QUÆSTIO XXVI.
*De his qui possunt indulgentias facere.*

ART. 1. *Utrum quilibet sacerdos parochialis possit indulgentias facere.* ibid.
Art. 2. *Utrum diaconus vel alius non sacerdos possit indulgentias facere.* 574
Art. 3. *Utrum Episcopus possit indulgentias facere.* ibid.
Quæst. *Utrum Concilium generale possit concedere indulgentiam plenariam.* ibid.
Art. 4. *Utrum ille, qui est in peccato mortali, possit indulgentias facere.* 575

QUÆSTIO XXVII.
*De his quibus valent indulgentiæ.*

ART. 1. *Utrum indulgentia valeat existentibus in peccato mortali.* 575
Quæst. 1. *An culpa venialis impediat fructum indulgentiæ.* ib.
Quæst. 2. *Utrum ad consequendam indulgentiam requiratur diligentia & solicitudo per se satisfaciendi.* ibid.
Quæst. 3. *Utrum ad fructum indulgentiæ percipiendum requiratur confessio sacramentalis.* 576
Art. 2. *Utrum indulgentiæ valeant religiosis.* ibid.
Art. 3. *Utrum ei, qui non facit illud, pro quo indulgentia datur possit quandoque indulgentia dari.* 577
Art. 4. *Utrum indulgentia valeat illi, qui facit.* ibid.

QUÆSTIO XXVIII.
*De solemni ritu pœnitentiæ.*

ART. 1. *Utrum aliqua pœnitentia debeat publicari, vel solemnizari.* ibid.
Art. 2. *Utrum solemnis pœnitentia iterari possit.* ibid.
Art. 3. *Utrum solemnis pœnitentia sit imponenda mulieribus atque clericis, & utrum à quolibet sacerdote possit imponi.* ib.

QUÆSTIO XXIX.
*De Sacramento extremæ unctionis.*

ART. 1. *Utrum extrema Unctio sit Sacramentum.* 578
Art. 2. *Utrum extrema Unctio sit unum Sacramentum.* 580
Art. 3. *Utrum hoc Sacramentum fuerit à Christo institutum.* ib.
Art. 4. *Utrum oleum olivæ sit conveniens materia hujus Sacramenti.* ibid.
Art. 5. *Utrum oporteat esse oleum consecratum.* ibid.
Art. 6. *Utrum oporteat materiam hujus Sacramenti esse consecratam ab Episcopo.* ibid.
Art. 7. *Utrum hoc Sacramentum habeat aliquam formam.* 581
Art. 8. *Utrum forma hujus Sacramenti debeat proferri per oratio-*

Universidad de Deusto



tionem indicativam & non deprecativam. ibid.
Art. 9. Vtrum prædicta oratio sit competens forma hujus Sacramenti. 582

QUÆSTIO XXX.
De effectu hujus Sacramenti.

ART. 1. Vtrum extrema Unctio valeat ad remissionem peccatorum. 583
Quæst. Quis sit proprius & primarius effectus hujus Sacramenti. ibid.
Art. 2. Vtrum sanitas corporalis sit effectus hujus Sacramenti. 584.
Art. 3. Vtrum hoc Sacramentum characterem imprimat. ibid.

QUÆSTIO XXXI.
De ministro hujus Sacramenti.

ART. 1. Vtrum laicus possit hoc Sacramentum conferre ib.
Art. 2. Vtrum diaconi possint hoc Sacramentum conferre, ibidem
Art. 3. Vtrũ solus Episcopus possit hoc Sacramentũ conferre. 585

QUÆSTIO XXXII.
Quibus hoc Sacramentum conferri debeat & qua parte corporis.

ART. 1. Vtrum hoc Sacramentũ debeat conferri sanis. 585
Art. 2. Vtrum hoc Sacramentum dari debeat in qualibet infirmitate. 586
Art. 3. Vtrum hoc Sacramentum dari debeat furiosis & amentibus. ibid.
Quæst. Num Parochus teneatur suis parochianis peste aut aliquo alio morbo contagioso laborantibus Extremæ Unctionis Sacramentum administrare. 587
Art. 4. Vtrum hoc Sacramentum debeat dari pueris. 590
Quæst. 1. An hoc Sacramentum sit ad salutem necessarium. 591
Quæst. 2. Quæ præparatio ad hoc Sacramentum prærequiratur. ibid.
Art. 5. Vtrum in hoc Sacramento totum corpus injungi debeat. ibid.
Art. 6. Vtrum convenienter determinentur partes ungendæ. ibid.
Quæst. 1. An Episcopis & aliis sacerdotibus sint inungendæ manus. 592
Quæst. 2. Quæ unctiones ad essentiam Sacramenti requirantur. ibidem.
Art. 7. Vtrum mutilati debeant inungi in illis dictis partibus. 594

QUÆSTIO XXXIII.
De iteratione hujus Sacramenti.

ART. 1. Vtrum hoc Sacramentum debeat iterari. 594
Art. 2. Vtrum in eadem infirmitate debeat iterari. 595

QUÆSTIO XXXIV.
De Sacramento Ordinis.

ART. 1. Vtrum Ordo in Ecclesia esse debeat. 595
Art. 2. Vtrum convenienter ordo definiatur. ibid.
Art. 3. Vtrum Ordo sit Sacramentum. ibid.
Art. 4. Vtrum forma hujus Sacramenti convenienter exprimatur. 597
Art. 5. Vtrum hoc Sacramentum habeat materiam. ibid.

QUÆSTIO XXXV.
De effectu hujus Sacramenti.

ART. 1. Vtrum in Sacramento Ordinis conferatur gratia gratum faciens. 598
Art. 2. Vtrum in Sacramento Ordinis imprimatur character, quantum ad omnes Ordines. ibid.
Art. 3. Vtrum character Ordinis præsupponat characterem baptismalem. ibid.
Art. 4. Vtrum character Ordinis præsupponat de necessitate characterem Confirmationis. ibid.
Art. 5. Vtrum character unius ordinis de necessitate præsupponat characterem alterius ordinis. ibid.

QUÆSTIO XXXVI.
De qualitate suscipientium hoc Sacramentum.

ART. 1. Vtrum in suscipientibus Ordines requiratur bonitas vitæ. 599
Art. 2. Vtrum requiratur scientia totius Scripturæ sacræ. ibid.
Art. 3. Vtrum ex merito vitæ aliquis gradus ordinis consequatur. ibid.
Art. 4. Vtrum promovens indignos ad ordines peccet. 600
Quæst. Vtrum electio & constitutio ministrorum pendeat a potestate laica. ibid.
Art. 5. Vtrum aliquis in peccato existens possit sine peccato ordine suscepto uti. 602

QUÆSTIO XXXVII.
De distinctione Ordinum.

ART. 1. Vtrum debeant plures Ordines distingui. 602
Art. 2. Vtrum sint septem Ordines. ibid.
Quæst. 1. An omnes jam dicti ordines sint Sacramenta. ibid.
Quæst. 2. Quæ sint materia, forma, & officia minorum ordinum. 605
Quæst. 3. Quæ sint materia, forma, & officia subdiaconatus, & diaconatus. 606
Quæst. 4. Quæ sit materia, & forma Presbyteratus. 608
Quæst. 5. Quæ sint officia Presbyterorum. 611
Quæst. 6. An idem valeat Presbyter & Sacerdos. ibid.
Art. 3. Vtrũ ordines debeant distingui per sacros & nõ sacros. 612
Art. 4. Vtrum actus ordinum convenienter in littera assignentur. ibid.
Art. 5. Vtrum Sacerdoti character imprimatur in ipsa calicis porrectione. ibid.

QUÆSTIO XXXVIII.
De conferentibus hoc Sacramentum.

ART. 1. Vtrum solus Episcopus possit hoc Sacramentum conferre. 612
Art. 2. Vtrum hæretici & ab Ecclesia præcisi possint ordines conferre. 614

QUÆSTIO XXXIX.
De impedimentis hujus Sacramenti.

ART. 1. Vtrum sexus fœmineus impediat Ordinis susceptionem. 614
Quæst. Quæ fuerint olim diaconissæ, Presbyteræ, Episcopæ. ibid.
Art. 2. Vtrum pueri & carentes usu rationis, ordines possint suscipere. 615
Art. 3. Vtrum servitus impediat aliquem ab ordinis susceptione. ibid.
Art. 4. Vtrum propter homicidium debeat aliquis ab ordinibus prohiberi. ibid.
Art. 5. Vtrum illegitimè nati debeant ab ordinis susceptione impediri. ibid.
Art. 6. Vtrum propter defectum membrorum debeat aliquis impediri. ibid.

QUÆSTIO XL.
De his quæ annexa sunt Sacramento Ordinis.

ART. 1. Vtrum ordinati debeant deferre tonsuram. 616
Art. 2 Vtrum corona sit ordo. 617
Art. 3. Vtrum per acceptionem coronæ aliquis renuntiet temporalibus bonis. ibid.
Art. 4. Vtrum supra sacerdotalem ordinem debeat esse aliqua potestas Episcopalis. 618
Art. 5.



Art. 5. Vtrum Episcopatus sit ordo. 620
Art. 6. Vtrum supra Episcopum possit esse aliquis superior in Ecclesia. 622
Art. 7. Vtrum vestes ministrorum sint in Ecclesia convenienter institutæ. 623

QUÆSTIO XLI.
De Matrimonio.

ART. 1. Vtrum Matrimonium sit de jure naturali. 623
Art. 2. Vtrum matrimonium cadat sub præcepto. 624
Art. 3. Vtrum actus matrimonij sit licitus. 625
Art. 4. Vtrum actus matrimonij sit meritorius. 626

QUÆSTIO XLII.
De Matrimonio in quantum est Sacramentum.

ART. 1. Vtrum matrimonium sit Sacramentum. 627
Quæst. 1. Quis sit minister Sacramenti matrimonij. 629
Quæst. 2. Quæ sit materia & forma Sacramenti matrimonij. 632.
Quæst. 3. Quid sit dicendum de matrimonio per procuratorem vel litteras contracto. 633
Art. 2. Vtrum matrimonium debuerit institui ante peccatũ. 634
Art. 3. Vtrum matrimonium conferat gratiam. ibid.
Art. 4. Vtrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonij. 635.

QUÆSTIO XLIII.
De Sponsalibus.

ART. 1. Vtrum sponsalia sint futurarum nuptiarum promissio. 636
Quæst. 1. An sponsalia conditionata robur habeant. ibid.
Quæst. 2. Qui sint effectus sponsalium. 639
Quæst. 3. Quale impedimentum sit justitia publicæ honestatis. ib.
Art. 2. Vtrum tempus septennij sit convenienter assignatum sponsalibus contrahendis. 640
Art. 3. Vtrum sponsalia possint dirimi. ibid.

QUÆSTIO XLIV.
De ratione Matrimonij.

ART. 1. Vtrum matrimonium sit in genere conjunctionis. 641.
Art. 2. Vtrum matrimonium convenienter nominetur. ibid.
Art. 3. Vtrum matrimoniũ convenienter definiatur in littera. ib.

QUÆSTIO XLV.
De consensu Matrimonij secundum se.

ART. 1. Vtrum consensus sit causa efficiens matrimonij. 642
Art. 2. Vtrum oporteat consensum per verba exprimi. ibid.
Quæst. 1. An oporteat consensum viri & mulieris simul exprimi. 643
Quæst. 2. Quæ consensus expressio requiratur ad validandum matrimonium quod prius initium, erat invalidum. ibid.
Art. 3. Vtrum consensus expressus per verba de futuro faciat matrimonium. 644
Art. 4. Vtrum consensus etiam per verba de præsenti expressus si desit interior consensus faciat matrimonium. ibid.
Quæst. 1. An qui simulatè contraxit matrimonium cum aliqua teneatur eam ducere. ibid.
Quæst. 2. An proles ex matrimonio fictè contracto suscepta sit legitima. 645
Quæst. 3. An qui post matrimonium fictè contractum cum una, contraxit secundum cum altera, possit redire ad priorem. ibid.
Quæst. 4. Vtrum uno conjugum affirmante sibi defuisse consensum, alter possit intre novum conjugium. ibid.
Quæst. 5. Quid faciet qui de valore sui matrimonij dubitat. 646.
Quæst. 6. Quid uno de valore matrimonij dubitante faciet alter qui novit eum dubitare. 647
Art. 5. Vtrum consensus in occulto factus per verba de præsenti faciat matrimonium. ibid.
Quæst. 1. Quid sit matrimonium clandestinum. ibid.
Quæst. 2. An matrimonium clandestinum semper fuerit illicitum. ibid.
Quæst. 3. Vtrum matrimonia clandestina jam sint valida. 648
Quæst. 4. Vtrum matrimonia contra formam Conc. Trid. contracta, nullo casu sint valida. 649
Quæst. 5. Quis dicatur proprius Parochus contrahentium. 651
Quæst. 6. Quæ præsentia Parochi & testium sit necessaria. ibid.
Quæst. 7. Qualis Parochus sit necessarius. 652
Quæst. 8. Quis ordinarie possit concedere alteri licentiam assistendi matrimonio. 653
Quæst. 9. Quales testes sint necessarij ad hoc ut matrimonium coram Parocho & testibus contractum sit validum. ibid.
Quæst. 10. An matrimonia clandestina habeant vim sponsalium. 654

QUÆSTIO XLVI.
De consensu cui advenit juramentum vel copula carnalis

ART. 1. Vtrum juramentum adjunctum consensui, per verba de futuro expressa, faciat matrimonium. 655
Art. 2. Vtrum carnalis copula post verba de futuro consensum exprimentia faciat matrimonium. ibid.

QUÆSTIO XLVII.
De consensu coacto & conditionato.

ART. 1. Vtrum aliquis consensus possit esse coactus. ibid.
Art. 2. Vtrum aliqua coactio metus, cadat in constantem virum. ibid.
Art. 3. Vtrum consensus coactus tollat matrimonium. 656
Quæst. 1. An matrimonium coactum & juratum habeat vim sponsalium. 657
Quæst. 2. An matrimonium metu contractum convalescat per supervenientem consensum spontaneum ejus qui fuerat coactus. 199
Quæst. 3. Vtrum matrimonium metu justo extorium, sit validum, si metus non sit excussus ab altero contrahente, sed ab alio absque scientia & culpa illius. ibid.
Art. 4. Vtrum consensus coactus, ex parte cogentis faciat matrimonium. ibid.
Art. 5. Vtrum per consensum conditionatum fiat matrimonium. ibidem.
Art. 6. Vtrum aliquis præcepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum. ibid.

QUÆSTIO XLVIII.
De objecto consensus.

ART. 1. Vtrum consensus, qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam. 660
Art. 2. Vtrum matrimonium possit esse ex consensu alicujus in aliquem propter causam inhonestam. ibid.

QUÆSTIO XLIX.
De bonis Matrimonij.

ART. 1. Vtrum haberi debeant aliqua bona, ad excusandum matrimonium. ibid.
Art. 2. Vtrum bona matrimonij sufficienter assignentur. 662
Art. 3. Vtrum Sacramentum sit principalius inter bona matrimonij. ibid.
Art. 4. Vtrum actus matrimonij excusetur per bona prædicta. ibidem.
Art. 5. Vtrum actus matrimonialis excusari possit sine bonis matrimonij. 662
Art. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Art. 6. *Virum cognoscens uxorem non intendens aliquod bonum matrimonij, sed solam delectationem, mortaliter peccet.* ibid.
Quæsit. *Quando actus conjugalis sit bonus quando malus.* ibid.

QUÆSTIO L.
*De impedimentis Matrimonij.*

ART. Unic. *Virum matrimonio convenienter impedimenta assignentur.* 664
Quæsit. 1. *Quis dispensare possit in impedimentis quæ solum impediunt.* 666
Quæsit. 2. *Quis dispensare possit in impedimentis dirimentibus.* ibid.
Quæsit. 3. *Quæ causa requiratur ad dispensandum in impedimentis matrimonij.* 668
Quæsit. 4. *Quantum sit peccatum contrahere matrimonium cum aliquo impedimento.* 669
Quæsit. 5. *Quis possit impedimenta matrimonij constituere.* ibid.

QUÆSTIO LI.
*De impedimento erroris.*

ART. 1. *Virum error convenienter ponatur impedimentum matrimonij.* 671
Art. 2. *Virum omnis error matrimonium impediat.* ibid.

QUÆSTIO LII.
*De impedimento conditionis.*

ART. 1. *Virum conditio servitutis impediat matrimonium.* 672
Art. 2. *Virum servus possit contrahere matrimonium sine consensu Domini.* 673
Art. 3. *Virum servitus matrimonio possit supervenire.* ibid.
Art. 4. *Virum filij debeant sequi conditionem patris.* ibid.

QUÆSTIO LIII.
*De impedimento voti & Ordinis.*

ART. 1. *Virum per obligationem voti simplicis matrimonium contractum dirimi debeat.* 674
Art. 2. *Virum votum solemne dirimat matrimonium jam contractum.* 676
Quæsit. *An votum solemne religionis dirimat matrimonium jure solum ecclesiastico.* 677
Art. 3. *Virum ordo impediat matrimonium.* 678
Quæsit. 1. *Quo jure sacer ordo dirimat subsequens matrimonium.* 681
Quæsit. 2. *An ordo ante usum rationis vel post eum, sed ex metu gravi ad hoc ordinato susceptus, dirimat subsequens matrimonium.* 682
Art. 4. *Virum ordo sacer possit matrimonio supervenire.* ibid.

QUÆSTIO LIV.
*De impedimento consanguinitatis.*

ART. 1. *Virum definitio consanguinitatis sit competens.* 683
Art. 2. *Virum consanguinitas convenienter distinguatur per gradus & lineas.* ibid.
Art. 3. *Virum consanguinitas impediat matrimonium de jure naturali.* 684
Quæsit. 1. *Qui alij gradus jure naturæ matrimonium dirimant.* 687
Art. 4. *Virum consanguinitatis gradus, matrimonium impedientes potuerint taxari ab Ecclesia.* ibid.

QUÆSTIO LV.
*De impedimento affinitatis.*

ART. 1. *Virum ex matrimonio consanguinei affinitas causetur.* 688
Art. 2. *Virum affinitas maneat post mortem viri aut uxoris.* 689
Art. 3. *Virum illicitus concubitus causet affinitatem.* ibid.
Art. 4. *Virum ex sponsalibus causetur affinitas.* ibid.
Art. 5. *Virum affinitas sit causa affinitatis.* ibid.
Art. 6. *Virum affinitas impediat matrimonium.* 690
Art. 7. *Virum affinitas habeat per se gradus.* 691
Art. 8. *Virum gradus affinitatis extendatur sicut gradus consanguinitatis.* ibid.
Art. 9. *Virum conjugium contractum inter affines vel consanguineos semper sit dirimendum.* ibid.
Art. 10. *Virum ad separationem matrimonij contracti inter affines & consanguineos, sit procedendum per viam accusationis.* 693
Art. 11. *Virum ad separationem matrimonij contracti inter affines & consanguineos, procedi debeat per testes.* ibid.

QUÆSTIO LVI.
*De impedimento cognationis spiritualis.*

ART. 1. *Virum spiritualis cognatio matrimonium impediat.* 693
Art. 2. *Virum per solum Baptismum spiritualis propinquitas contrahatur.* 694
Art. 3. *Virum cognatio spiritualis contrahatur inter suscipientem Sacramentum Baptismi, & levantem de sacro fonte.* ibid.
Art. 4. *Virum cognatio spiritualis transeat à viro in uxorem.* 695
Art. 5. *Virum cognatio spiritualis transeat ad filios carnales patris spiritualis.* ibid.

QUÆSTIO LVII.
*De cognatione legali.*

ART. 1. *Virum adoptio convenienter definiatur.* ibid.
Art. 2. *Virum ex adoptione contrahatur aliquod vinculum impediens matrimonium.* ibid.
Art. 3. *Virum cognatio legalis contrahatur solum inter adoptantem patrem & filium adoptatum.* 696

QUÆSTIO LVIII.
*De impedimento frigiditatis, maleficij, furiæ vel amentiæ, incæstus & defectus ætatis.*

ART. 1. *Virum frigiditas matrimonium impediat.* ibid.
Quæsit. 1. *Qualis impotentia dirimat matrimonium.* ibid.
Quæsit. 2. *Quo jure, naturalis impotentia dirimat matrimonium.* 697
Quæsit. 3. *An detur impotentia naturalis respectiva quæ matrimonium dirimat.* ibid.
Quæsit. 4. *Quid sit agendum quando constat de perpetua impotentia alterutrius conjugatorum.* ibid.
Quæsit. 5. *Virum naturalis impotentia perpetua matrimonio superveniens ipsum dirimat.* 698
Art. 2. *Virum maleficium possit matrimonium impedire.* ibid.
Quæsit. 1. *Quæ sit differentia inter impedimentum frigiditatis & maleficij.* ibid.
Quæsit. 2. *Quid agendum si post separationem causa impotentiæ factam, is qui judicabatur impotens, sit religionem ingressus vel sacris initiatus & deprehendatur potens.* 699
Quæsit. 3. *An maleficiatus uti possit aliquo remedio.* ibid.
Art. 3. *Virum furia impediat matrimonium.* ibid.
Art. 4. *Virum incæstus quo quis cognoscit sororem suæ uxoris dirimat matrimonium.* ibid.
Art. 5. *Virum defectus ætatis impediat matrimonium.* 700

QUÆSTIO LIX.
*De disparitate cultus.*

ART. 1. *Virum fidelis possit contrahere cum infideli.* 701
Quæsit. 1. *Quo jure cultus disparitas matrimonium dirimat.* ibid.
Quæsit. 2. *An validum sit matrimonium fidelis cum persona hæretica baptizata.* 702
Art. 2. *Virum inter infideles possit esse matrimonium.* ibid.
Art. 3. *Virum conjux conversus ad fidem possit commanere cum uxore nolente converti.* 703
Art. 4. *Virum fidelis conversus possit uxorem infidelem dimittere, volentem cohabitare sine contumelia creatoris.* ibid.
Art. 5. *Virum fidelis discedens ab uxore infideli possit aliam ducere.* 704
Quæsit. 1. *Quando & per quid in casu jam dicto solvatur prius matrimonium.* 705
Quæsit. 2. *Quibus ex causis ab infideli alatis possit solvi tale conjugium.* ibid.
Art. 6. *Virum alia vitia solvant matrimonium.* ibid.

QUÆSTIO LX.
*De uxoricidio. Tractat in ista quæstione S. Doctor de impedimento quod vocatur crimen.*

ART. 1. *Virum liceat uxorem interficere in actu adulterij deprehensam.* ibid.
Art. 2. *Virum uxoricidium impediat matrimon.* 706

QUÆSTIO LXI.
*De impedimento voti solemnis Matrimonium subsequentis.*

ART. 1. *Virum alter conjugum altero invito post carnalem copulam possit religionem intrare.* ibid.
Art. 2. *Virum unus conjugum possit altero invito religionem intrare ante carnalem copulam.* 707
Quæsit. 1. *An per simplicia biennij vota, aut coadjutorum formatorum in societate Jesu emissa matrimonium præcedens dissolvatur si non fuerit consummatum.* 709
Quæsit. 2. *An vinculum matrimonij inconsummati possit aliter solvi quam per professionem religionis.* ibid.
Art. 3. *Virum mulier possit nubere alteri viro, ante carnalem copulam viro suo religionem ingresso.* 710

QUÆSTIO LXII.
*De impedimento fornicationis Matrimonio superuenientis.*

ART. 1. *Virum propter fornicationem liceat viro uxorem dimittere.* 711
Quæsit. *Sintne aliæ præter adulterium causæ, propter quas separari possint conjuges habitatione vel thoro.* 712
Art. 2. *Virum vir teneatur ex præcepto uxorem fornicantem dimittere.* ibid.
Art. 3. *Virum vir proprio judicio possit uxorem fornicantem dimittere.* 713
Art. 4. *Virum vir & uxor in causa divortij possint ad paria judicari.* ibid.
Art. 5. *Virum post divortium vir alteri nubere possit.* ibid.
Art. 6. *Virum post divortium vir & uxor possint reconciliari.* 715

QUÆSTIO LXIII.
*De secundis nuptijs.*

ART. 1. *Virum secundæ nuptiæ sint licitæ.* 715
Art. 2. *Virum secundum matrimonium sit Sacramentum.* 716

QUÆSTIO LXIV.
*De redditione debiti.*

ART. 1. *Virum alter conjugum teneatur alteri ad redditionem debiti.* ibid.
Quæsit. 1. *An conjux teneatur reddere debitum quando is qui petit, petendo peccat.* 717
Quæsit. 2. *Virum quando unus conjugum est ebrius, alter teneatur ei petenti reddere debitum.* ibid.
Quæsit. 3. *An liceat negare debitum, ne proles multiplicemur* 718
Quæsit. 4. *An uxor peccet negando debitum, quando experta est se non posse aut parere sine gravi mortis periculo, aut pueros in lucem edere vivos.* ibid.
Art. 2. *Virum vir teneatur debitum reddere uxori non petenti.* 718
Art. 3. *Virum vir & mulier sint in actu matrimoniali æquales.* ib.
Art. 4. *Virum vir & uxor possint votum emittere contra debitum matrimonij, sine mutuo consensu.* ibid.
Art. 5. *Virum in diebus sacris impediatur petitio debiti.* 719
Art. 6. *Virum petens debitum in tempore sacro, mortaliter peccet.* ibid.
Art. 7. *Virum unus conjux teneatur alteri debitum reddere in tempore festivo.* ibid.

QUÆSTIO LXV.
*De pluralitate uxorum.*

ART. 1. *Virum habere plures uxores sit contra legem naturæ.* 719
Art. 2. *Virum aliquando licitum fuerit habere plures uxores.* 720
Quæsit. 1. *Quando primum fuerit dispensatum ut polygamia esset licita.* 721
Quæsit. 2. *An hæc dispensatio pertinuerit ad solum populum fidelem.* ibid.
Quæsit. 3. *De impedimento quod vocatur ligamen.* ibid.
Quæsit. 4. *Virum matrimonium ratum sit alterius matrimonij impedimentum dirimens.* 722
Art. 3. *Virum habere concubinam sit contra legem naturæ.* 723
Art. 4. *Virum accedere ad concubinam sit peccatum mortale.* ib.
Art. 5. *Virum aliquando licitum fuerit concubinam habere.* ib.

QUÆSTIO LXVI.
*De digamia.*

ART. 1. *Virum bigamiæ irregularitas sit annexa.* ibid.
Art. 2. *Virum irregularitas sit annexa bigamiæ, qui contigit ex hoc quod homo habet duas uxores; unam de jure & alteram de facto.* 724
Art. 3. *Virum contrahatur irregularitas ex hoc, quod aliquis ducit uxorem non virginem.* ibid.
Art. 4. *Virum bigamia solvatur per Baptismum.* ibid.
Art. 5. *Virum cum bigamia liceat dispensare.* ibid.

QUÆSTIO LXVII.
*De libello repudij.*

ART. 1. *Virum inseparabilitas matrimonij sit de lege naturæ.* 725
Art. 2. *Virum potuerit esse licitum per dispensationem, uxorem dimittere.* 726
Art. 3. *Virum sub lege Moysi licitum fuerit uxorem dimittere.* ibid.
Art. 4. *Virum licuerit uxori repudiatæ alium virũ ducere.* 727
Art. 5. *Virum liceat viro repudiatam à se dimittere.* 728
Art. 6. *Virum causa repudij fuerit odium uxoris.* ibid.
Art. 7. *Virum causæ repudij debeant in libello scribi.* ibid.

QUÆSTIO LXVIII.
*De filijs illegitimè natis.*

ART. 1. *Virum filij qui nascuntur extra verum matrimonium sint illegitimi.* 728
Art. 2. *Virum filij illegitimi debeant ex hoc aliquod damnum reportare.* ibid.

QUÆSTIO LXIX.
*De his quæ spectant ad statum resurrectionis: & primo de loco animarum post mortem.*

ART. 1. *Virum animabus post mortem receptacula assignentur* 729

Universidad de Deusto
Biblioteca



Art. 2. *Vtrum statim post mortem animæ deducantur ad cœlum vel ad infernum.* ibid.
Art. 3. *Vtrum animæ in paradiso vel in inferno existentes, egredi valeant.* 732
Art. 4. *Vtrum limbus inferni sit idem quod sinus Abrahæ.* ibid.
Art. 5. *Vtrum limbus idem sit quod infernus damnatorum.* 733
Art. 6. *Vtrum limbus puerorum sit idem quod limbus Patrum.* ib.
Art. 7. *Vtrum debeant tot receptacula distingui.* ibid.

## QUÆSTIO LXX.

### *De qualitate animæ exeuntis à corpore.*

ART. 1. *Vtrum in anima separata remaneant potentiæ sensitivæ.* 733
Art. 2. *Vtrum in anima separata remaneant actus sensitivarum potentiarum.* ibid.
Art. 3. *Vtrum anima separata pati possit ab igne corporeo.* ibid.

## QUÆSTIO LXXI.

### *De suffragijs mortuorum.*

ART. 1. *Vtrum suffragia per unum facta, alijs prodesse possint.* 734
Art. 2. *Vtrum mortui possint juvari ex operibus vivorum.* 735
Art. 3. *Vtrum suffragia per peccatores facta mortuis prosint.* 736
Art. 4. *Vtrum suffragia quæ à vivis per mortuis fiunt facientibus prosint.* ibid.
Art. 5. *Vtrum suffragia prosint existentibus in Purgatorio.* ibid.
Art. 6. *Vtrum suffragia valeant pueris in limbo existentibus.* ibid.
Art. 7. *Vtrum suffragia prosint Sanctis existentibus in patriâ.* 738
Art. 8. *Vtrum orationes Ecclesiæ, sacrificium altaris, & eleëmosynæ prosint defunctis.* 739
Art. 9. *Vtrum indulgentiæ Ecclesiæ prosint mortuis.* ibid.
Art. 10. *Vtrum cultus exequiarum prosint defunctis.* 740
Art. 11. *Vtrum suffragia, quæ fiunt pro uno defuncto, magis proficiant ei pro quo fiunt, quam alijs.* 742
Art. 12. *Vtrum suffragia pro multis, tantundem valeant singulis, ac si pro unoquoque specialiter fierent.* ibid.
Art. 13. *Vtrum tantum valeant suffragia communia illis, pro quibus specialia non fiunt, quantum illis, pro quibus fiunt, valent specialia & communia simul.* 743

## QUÆSTIO LXXII.

### *De oratione respectu Sanctorum qui sunt in patriâ.*

ART. 1. *Vtrum Sancti orationes nostras cognoscant.* ibid.
Art. 2. *Vtrum debeamus Sanctos interpellare ad orandum pro nobis.* 744
Quæst. *Vtrum absolutè necessarium sit, Sanctos cognoscere nostras preces ad hoc ut illorum invocatio sit nobis salutaris.* 747
Art. 3. *Vtrum orationes Sanctorum pro nobis ad Deum fusæ, semper exaudiantur.* ibid.

## QUÆSTIO LXXIII.

### *De signis quæ judicium præcedent.*

ART. 1. *Vtrum aliqua signa præcedent adventum Domini ad judicium.* 748
Quæst. 1. *Vtrum Antichristus venerit, An venturus sit.* ibid.
Quæst. 2. *Quis & qualis futurus sit Antichristus.* 750
Quæst. 3. *Qui prædicatores sint contra Antichristum venturi.* 751
Quæst. 4. *Vtrum Judæi sint in fine mundi convertendi.* 753
Art. 2. *Vtrum circa judicium secundùm rei veritatem sol & luna obscurabuntur.* 754
Art. 3. *Vtrum virtutes cœlorum Domino venienti commovebuntur.* ibid.

## QUÆSTIO LXXIV.

### *De igne ultimæ conflagrationis.*

ART. 1. *Vtrum mundi purgatio sit futura.* 754
Art. 2. *Vtrum mundi purgatio sit futura per ignem.* 755
Art. 3. *Vtrum ignis ille quo mundus purgabitur sit ejusdem speciei cum igne elementari.* ibid.
Art. 4. *Vtrum ignis ille purgabit etiam cœlos superiores.* ibid.
Art. 5. *Vtrum ignis ille alia elementa consumet.* 756
Art. 6. *Vtrum omnia elementa per illum ignem purgabuntur.* ibid.
Art. 7. *Vtrum ignis ultimæ conflagrationis judicium debeat sequi.* ibid.
Art. 8. *Vtrum ille ignis habiturus sit talem effectum in hominibus, qualis designatur.* 757
Art. 9. *Vtrum ignis ille involvet reprobos.* ibid.

## QUÆSTIO LXXV.

### *De Resurrectione.*

ART. 1. *Vtrum corporum resurrectio sit futura.* ibid.
Art. 2. *Vtrum erit resurrectio omnium generaliter.* 759
Art. 3. *Vtrum resurrectio sit naturalis.* 760

## QUÆSTIO LXXVI.

### *De causa Resurrectionis.*

ART. 1. *Vtrum Christi resurrectio sit causa nostræ resurrectionis.* 761
Art. 2. *Vtrum vox tubæ sit causa nostræ resurrectionis.* ibid.
Art. 3. *Vtrum ad resurrectionem Angeli operabuntur.* ibid.

## QUÆSTIO LXXVII.

### *De tempore & modo Resurrectionis.*

ART. 1. *Vtrum tempus nostræ resurrectionis oporteat differre usque ad finem mundi.* 762
Art. 2. *Vtrum tempus resurrectionis nostræ sit occultum.* ibid.
Art. 3. *Vtrum resurrectio futura sit in noctis tempore.* 763
Art. 4. *Vtrum resurrectio futura fiet subitò vel successive.* ibid.

## QUÆSTIO LXXVIII.

### *De termino à quo Resurrectionis.*

ART. 1. *Vtrum mors erit terminus à quo resurrectionis in omnibus.* 764
Quæst. *An omnes omninò sint morituri.* 764
Art. 2. *Vtrum omnium resurrectio erit à cineribus.* 766
Art. 3. *Vtrum pulveres illi, ex quibus humanum corpus reparabitur, aliquam habeant inclinationem naturalem ad animam, quæ eis conjungetur.* ibid.

## QUÆSTIO LXXIX.

### *De conditionibus resurgentium.*

ART. 1. *Vtrum anima idem numero corpus resumat in resurrectione.* 767
Art. 2. *Vtrum sit idem numero homo qui resurget.* 768
Quæst. *An aliquod ens penitus corruptum possit per Dei potentiam idem numero reproduci.* 769
Art. 3. *Vtrum pulveres humani corporis ad eam partem corporis, quæ in eis dissoluta est, per resurrectionem redire oporteat.* ibid.

## QUÆSTIO LXXX.

### *De qualitate corporum resurgentium.*

ART. 1. *Vtrum omnia membra humani corporis resurgent.* 770
Art. 2. *Vtrum capilli & ungues in homine resurgent.* ibid.
Art. 3. *Vtrum humores in corpore resurgent.* ibid.
Art. 4. *Vtrum totum quod fuit in corpore de veritate humanæ naturæ resurget in ipso.* 771
Art. 5. *Vtrum quidquid fuit materialiter in membris hominis totum resurget.* 772

QUÆ-



## QUÆSTIO LXXXI.

### *De qualitate resurgentium.*

ART. 1. *Vtrum omnes resurgent in eadem ætate.* 773
Art. 2. *Vtrum omnes resurgent ejusdem staturæ.* 773
Art. 3. *Vtrum omnes resurgent in sexu virili.* ibid.
Art. 4. *Vtrum omnes resurgent in vita animali.* 774

## QUÆSTIO LXXXII.

### *De impassibilitate corporum beatorum resurgentium.*

ART. 1. *Vtrum corpora Sanctorum post resurrectionem erunt impassibilia.* 775
Art. 2. *Vtrum impassibilitas in omnibus erit æqualis.* ibid.
Art. 3. *Vtrum impassibilitas sensum in actu à corporibus gloriosis excludat.* ibid.
Art. 4. *Vtrum in beatis post resurrectionem sint omnes sensus in actu.* 776

## QUÆSTIO LXXXIII.

### *De subtilitate corporum beatorum.*

ART. 1. *Vtrum subtilitas sit proprietas corporis glorioſi.* ibid.
Art. 2. *Vtrum ratione hujus subtilitatis competat corpori glorioso esse in eodem loco cum alio corpore non glorioso.* ibid.
Art. 3. *Vtrum per miraculum fieri possit quod duo corpora sint in eodem loco.* 777
Art. 4. *Vtrum corpus gloriosum possit esse cum alio glorioso in eodem loco,* ibid.
Art. 5. *Vtrum ex sua subtilitate removeatur à corpore glorioso necessitas existendi in æquali loco.* ibid.
Art. 6. *Vtrum corpus gloriosum ratione suæ subtilitatis sit impalpabile.* ibid.

## QUÆSTIO LXXXIV.

### *De agilitate Corporum beatorum.*

ART. 1. *Vtrum corpora gloriosa sint futura agilia.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Sancti agilitate sua nunquam utentur, ita quod moveantur.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Sancti moveantur in instanti.* 778

## QUÆSTIO LXXXV.

### *De claritate corporum beatorum resurgentium.*

ART. 1. *Vtrum corporibus gloriosis claritas conveniet.* ibid.
Art. 2. *Vtrum claritas corporis glorioſi possit videri à non glorioso oculo.* ibid.
Art. 3. *Vtrum corpus gloriosum necessariò videbitur à corpore non glorioso.* ibid.

## QUÆSTIO LXXXVI.

### *De conditionibus corporum damnatorum resurgentium.*

ART. 1. *Vtrum corpora damnatorum cum suis deformitatibus resurgent.* 779
Art. 2. *Vtrum corpora damnatorum erunt corruptibilia.* ibid.
Art. 3. *Vtrum corpora damnatorum sint futura impassibilia.* ib.

## QUÆSTIO LXXXVII.

### *De cognitione quam habebunt resuscitati in judicio, respectu meritorum & demeritorum.*

ART. 1. *Vtrum post resurrectionem quilibet cognoscet peccata quæ fecit.* 780
Art. 2. *Vtrum quilibet poterit legere omnia, quæ sunt in conscientia alterius.* ibid.
Art. 3. *Vtrum omnia merita, vel demerita, propria & aliena, uno intuitu ab aliquo videbuntur.* 781

## QUÆSTIO LXXXVIII.

### *De judicio generali, tempore & loco in quo fiet.*

ART. 1. *Vtrum generale judicium sit futurum.* ibid.
Art. 2. *Vtrum judicium fiet per locutionem vocalem.* ibid.
Art. 3. *Vtrum tempus futuri judicij sit ignotum.* 782
Art. 4. *Vtrum judicium fiet in valle Josaphat.* ibid.

## QUÆSTIO LXXXIX.

### *De judicantibus & judicatis in judicio generali.*

ART. 1. *Vtrum aliqui homines judicabunt cum Christo.* ib.
Art. 2. *Vtrum judiciaria potestas correspondeat voluntariæ paupertati.* 783
Art. 3. *Vtrum Angeli debeant judicare.* ibid.
Art. 4. *Vtrum dæmones exequentur sententiam judicis in damnatos.* ibid.
Art. 5. *Vtrum omnes homines in judicio comparebunt.* 784
Quæst. *An omnes homines judicandi sint.* ibid.
Art. 6. *Vtrum boni in judicio judicabuntur.* 785
Art. 7. *Vtrum mali judicabuntur.* ibid.
Art. 8. *Vtrum Angeli in futuro judicio judicabuntur.* ibid.

## QUÆSTIO XC.

### *De forma judicis venientis ad judicium.*

ART. 1. *Vtrum Christus in forma humanitatis sit judicaturus.* 786
Art. 2. *Vtrum Christus in judicio apparebit in forma humanitatis gloriosa.* ibid.
Art. 3. *Vtrum divinitas à malis sine gaudio videri possit.* 787

## QUÆSTIO XCI.

### *De qualitate mundi post judicium.*

ART. 1. *Vtrum mundus innovabitur.* ibid.
Art. 2. *Vtrum motus corporum cœlestium cessabit.* 788
Art. 3. *Vtrum in corporibus cœlestibus claritas augebitur in illa innovatione.* ibid.
Art. 4. *Vtrum elementa innovabuntur per receptionem alicujus claritatis.* ibid.
Art. 5. *Vtrum plantæ & animalia remanebunt in illa innovatione.* 789

## QUÆSTIO XCII.

### *De visione beatorum respectu divinæ essentiæ.*

ART. 1. *Vtrum intellectus humanus possit pervenire ad videndum Deum per essentiam.* ibid.
Art. 2. *Vtrum sancti post resurrectionem Deum corporalibus oculis videbunt.* ibid.
Art. 3. *Vtrum sancti Deum videntes, omnia videant, quæ Deus videt.* 790

## QUÆSTIO XCIII.

### *De sanctorum beatitudine, & eorum mansionibus.*

ART. 1. *Vtrum beatitudo sanctorum sit major futura post judicium.* 790
Art. 2. *Vtrum beatitudinis gradus mansiones dici debeant.* 791
Art. 3. *Vtrum diversæ mansiones distinguantur, penes diversos gradus charitatis.* ibid.

## QUÆSTIO XCIV.

### *De modo quo sancti se habebunt erga damnatos.*

ART. 1. *Vtrum beati, qui erunt in patria, videbunt pœnas damnatorum.* 792
Art. 2. *Vtrum beati compatiantur miseriis damnatorum.* ibid.
Art. 3. *Vtrum beati lætentur de pœnis impiorum.* ibid.

## QUÆSTIO XCV.

### *De dotibus beatorum.*

ART. 1. *Vtrum sint ponendæ aliquæ dotes in hominibus beatis.* 793

Art. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Art.2. *Utrum dos sit idem quod beatitudo.* ibid.
Art.3. *Utrum competat Christo habere dotes.* 794
Art.4. *Utrum Angeli habeant dotes.* ibid.
Art.5. *Utrum convenienter ponantur tres animæ dotes.* ibid.

QUÆSTIO XCVI.

*De Aureolis.*

ART.1. *Utrum aureola sit aliud à principio essentiali, quod aurea dicitur.* ibid.
Art.2. *Utrum aureola differat a fructu.* 795
Art.3. *Utrum fructus debeatur soli virtuti continentiæ.* ibid.
Art.4. *Utrum convenienter assignentur tres fructus tribus continentiæ partibus.* ibid.
Art.5. *Utrum aureola debeatur ratione virginitatis.* ibid.
Art.6. *Utrum martyribus aureola debeatur.* 796
Art.7. *Utrum doctoribus aureola debeatur.* ibid.
Art.8 *Utrum Christo aureola debeatur.* 797
Art.9. *Utrum Angelis aureola debeatur.* ibid.
Art.10. *Utrum aureola etiam corpori debeatur.* ibid.
Art.11. *Utrum convenienter designentur tres aureolæ, virginum, martyrum & prædicatorum.* ibid.
Art.12. *Utrum aureola virginum sit potissima inter alias.* ibid.
Art.13. *Utrum unus alio aureolam excellentius habeat.* ibid.

QUÆSTIO XCVII.

*De pœna damnatorum.*

ART.1. *Utrum damnati in inferno sola pœna ignis affligantur.* 798
Art.2. *Utrum vermis damnatorum sit corporalis.* ibid.
Art.3. *Utrum fletus qui erit in damnatis sit corporalis.* 799
Art.4. *Utrum damnati sint in tenebris corporalibus.* ibid.
Art.5. *Utrum ignis inferni sit in terra.* 800

QUÆSTIO XCVIII.

*De pertinentibus ad effectum & intellectum damnatorũ.*

ART.1. *Utrum omnis damnatorum voluntas sit mala.* 800
Art.2. *Utrũ damnati pœniteant de malo quod fecerunt.* 801
Art.3. *Utrum damnati recta & deliberativa ratione vellent non esse.* ibid.
Art.4. *Utrum damnati in inferno vellent alios esse damnatos, qui non sunt damnati.* ibid.
Art.5. *Utrum damnati habeant Deum odio.* ibid.
Art.6. *Utrum damnati demereantur.* 802
Quæst. *An igitur damnati sint impeccabiles.* ibid.
Art.7. *Utrum damnati possint uti notitia quam in hoc mundo habuerunt.* 803
Art.8 *Utrum damnati aliquando cogitabunt de Deo.* ibid.
Art.9. *Utrum damnati gloriam beatorum videant.* ibid.

QUÆSTIO XCIX.

*De misericordia & justitia respectu damnatorum.*

ART.1. *Utrum ex divina justitia inferatur peccatoribus pœna æterna.* ibid.
Art.2. *Utrum per divinam misericordiam omnis pœna terminetur tam hominum quam dæmonum.* 805
Art.3. *Utrum divina misericordia patiatur homines in æternum puniri.* ibid.
Quæst.1. *An saltem in inferno sit aliqua pœnarum mitigatio.* ibidem.
Quæst.2. *An damnati puniantur infra condignum.* 345
Art.4. *Utrum pœna christianorum damnatorum per divinam misericordiam terminetur.* 807

QUÆSTIO C.

*Suo loco à collectore supplementi omissa, & editioni Summæ Theol. S. Thomæ per Theologos Duacenses ann. 1614. adornatæ, addita ex Commentario in 4. sentent.*

DE PURGATORIO.

ART.1. *Utrum sit purgatorium post hanc vitam.* 809
Art.2. *Utrum sit idem locus quo animæ purgantur & quo damnati puniuntur.* 813
Art.3. *Utrum pœna purgatorij excedat omnem pœnam temporalem hujus vitæ.* ibid.
Art.4. *Utrum illa pœna sit voluntaria.* ibid.
Art.5. *Utrum animæ in purgatorio per dæmones puniantur.* ibid.
Art.6. *Utrum per pœnam purgatorij expietur peccatum veniale quoad culpam.* ibid.
Quæst. *Utrum animæ in purgatorio certæ sint de sua salute.* 814.
Art.7. *Utrum ignis purgatorius liberet à reatu pœnæ.* 816
Art.8. *Utrum ab illa pœna unus liberetur alio citius.* ibid.
Quæst. *Quamdiu unaquæque anima maneat in purgatorio.* ibidem.

Finis Indicis Supplementi.

---

## SVMMA PRIVILEGII.

CAROLUS Dei gratiâ Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps; diplomate suo sanxit, ne quis præter VIDUÆ JOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN Typographi Antverpiensis voluntatem, *Eximij Domini Francisci Sylvij, Sacræ Theologiæ Doctoris commentaria in D. Thomam*, intra novennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum vel locorum excusa in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve exponat. Qui secùs faxit, præter exemplarium confiscationem triginta florenorum Rhenensium pro unoquoque exemplari persolvendorum pœnâ multabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ.

*Signat*

LOYENS.

PROE-



# PROEMIUM IN TERTIAM PARTEM SUMMÆ THEOLOGICÆ S. THOMÆ AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI ET COMMUNIS.

*Divisio Summæ S. Thomæ*

POSTQUAM Sanctus Doctor Primâ parte tractavit de Deo, partim secundùm se, partim secundùm quod est principium efficiens creaturarum: Secundâ verò (quæ in duas subdividitur) de eodem egit quatenus est finis creaturæ rationalis deque actibus tam in generali quàm in speciali, per quos ad eum perveniri possit: in Tertiâ, tractat de salvatore Salvatorisque beneficijs. Et quamvis, si hujus Partis objectum spectemus, ratione dignitatis meritò possit esse proxima doctrinæ de Sanctissima Trinitate, utpotè quæ filium Dei incarnatum, ejusque dignissima opera considerat: disciplinæ tamen ordine cæteris postponitur, non solùm quia simplicia sunt priora compositis; in prioribus autem seorsim tractantur quæ ad Deum, & quæ ad hominem pertinent, in hac verò quæ ad eum qui simul Deus est & homo: sed etiam quia opus Redemptionis quod hîc explicatur, supponit hominis creationem primamque ejus in originali, justitia institutionem, de qua in prima parte; lapsum item, & vitæ hominum sub lege naturæ & Moysi longum decursum: fidei quoque cæterarumque virtutum actus in omni vitæ statu necessarios.

---

## QUÆSTIO PRIMA.

*De convenientia Incarnationis.*

*Vocabuli Incarnationis antiquitas.*

INCARNATIONIS vocabulum esse antiquissimum, ex Concilij Nicæni Symbolo, & ex vetustissimis Patribus, Leone sermon. 2. de Nativitate, August. libro 10. de Civ. Dei, c. 29. ex Comm. super caput primum Marci apud Hieronym. ex Cyrillo Alexandrino, & alijs liquet. Sumptum autem videtur ex illo Joannis primo: *Verbum caro factum est*; quod perinde est, ac si diceretur, Verbum incarnatum est. Carnis autem nomine totus homo significatur, ut annotat Augustin. Enchir. c. 34. & in Psalmum 29. Cyrillus libr. de Incarnatione c. 24. Rupertus in caput primum Joannis, & B. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 33. & infra q. 5. art. 3. ad 1. Ac proinde.

*Joan. 1.*

*Sylv. in III. Part.*

*Quid Incarnatio.*

Verbum incarnari, non est aliud quam Verbum fieri hominem. Incarnatio autem est ea actio, quâ Deus factus est homo; sive quâ Verbum divinum naturam humanam sibi univit & ad se sumpsit. B. Thom. in 2. scripto super 3. sent. art. 1. dicit quod *Incarnatio est divinæ Personæ ad humanam naturam unio.* Ex quibus consequens est quod hæc tria, Incarnatio, unio seu unitio, & assumptio significent eandem actionem, sed diversimodè quæ diversitas ex q. 2. art. 7. & 8. intelligi potest.

*Cur à carne potiùs quam ab anima nominetur*

Potiùs tamen à carne quàm ab anima mysterium hoc nomen accepit.

Primò, quia caro conspicua est oculis hominum; atque ita nobis commendatur quod qui in forma Dei erat invisibilis, in carne voluerit visibilis & manifestus apparere; juxta illud 1. ad Tim. 3. *Manifestatum est in carne.* Unde S. Leo sermone 2. de Nativitate, *Invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris.*

Secundò, ad commendandam nobis humilitatem Filij Dei, quæ tantò major apparet in assumptione carnis potiùs quàm animę, quanto minoris

Universidad de Deusto
Biblioteca



est dignitatis caro quàm anima ; præsertim si carnem sumamus (ut ferè sumitur in Scripturis) corruptioni & morti obnoxiam. A

Tertiò, quia caro si propriè dicta sit & viva, habet animam, non enim est viva, niti animata.

Quartò, Ne dum animatus diceretur Filius Dei sicut dicitur incarnatus & incorporatus; putaretur substantia ejus esse corporea, propriè enim animati dicuntur corporea.

Porrò, quia nonnulli hæretici etiam hoc Incarnationis nomine sunt abusi, volentes eo significare quod Verbum assumserit carnem, neque animâ neque mente præditam, ut testatur S. Athanas. in sermone de Deipara: hinc est, quod dum ipse contra illos loquitur, dicit; *Ideoq; & eos qui dicunt solam essentiam Dei Verbi incarnatam, neque addunt eam animatã esse & rationalem, & mente præditam; non admodum recipimus, nisi resolvant & exponant quid ijs verbis sentiant.* B

Incarnationis autem inveniuntur apud Veteres quædam alia nomina; nam apud Damasc. l. 3. c. 6. Græcè est inhumanatio; apud Hilarium in prologo Psal. corporatio: sed illis idem significare voluerunt. Aliquot difficultates hîc discutiendæ occurrunt, priusquam ad articulos veniamus. Igitur

## QVÆRITVR I.

*Quare B. Thomæs non disputat, utrùm Incarnatio sit possibilis.* C

ID præstitit S. Doctor in 3. dist. 1. qu. 1. ac etiã aliquot argumenta Incarnationis possibilitatem impugnantia dissolvit lib. 4. contra Gent. c. 49. quæ nimirum proposuerat c. 40 istius lib. Quare autem hoc loco quæstionem illam prætermiserit incertum est. Potuit eum movere quippiam quod nos latet; quis enim alienos conceptus scire queat? inter varias tamen rationes hæ nobis occurrunt probabiliores.

Una, quod non putaverit magnoperè esse necessarium eam quæstionem specialiter hîc discutere, eò quód difficultates circa Incarnationis D possibilitatem occurrentes, fere omnes aliâ occasione solvantur, tum hâc q. tum in sequentibus, præsertim q. 3.

Secunda, quia possibilitas Incarnationis satis ostenditur, ostensa ejus convenientia: quamvis enim, esse possibile, latius pateat, quam esse conveniens; probato tamen quod quippiam sit conveniens, satis quoque probatur esse possibile.

Tertia, quia Incarnatio est objectum hujus tractus scientifici; scientia autem non probat suum objectum esse possibile, sed hoc supponit.

Nec obstat quod hoc objectum non sit per se notum, aut in superiori scientia demonstratum; satis enim est, quod supponatur per fidem quæ E certior est omni demonstratione.

Non obstat etiam, quod in prima parte probatur Deum esse: nam id à posteriori poterat demonstrari, per rationes naturales; id quod de præsenti objecto fieri non posse, ex quæsito 3. patebit. Quoniam tamen plerique hîc de Incarnationis possibilitate differunt, ut alijs morem geramus.

## QVÆRITVR II.

*Vtrum Incarnatio sit possibilis.*

*Sensus quæsiti*

NOn quæritur, an possibile sit Deum converti in carnem; nam hoc non est, Deum incarnari; & si hoc quæreretur obvia foret respon. Neg. ex q. 2. ar. 1. Sed quæstio est. Sitnè possibile Deum fieri hominem, seu assumere sibique unire naturam humanam, ita ut verè ac propriè dici possit, quod Deus est homo.

Videri potest hoc non esse possibile. PRIMÒ, quia Deus neque est corpus, neque virtus in corpore: ergo impossibile est quod Deus incarnetur; si enim incarnaretur, vel deberet mutari in corpus vel esset virtus in corpore, saltem post Incarnationem.

SECUNDÒ, omne quod acquirit novam naturam substantialiter mutatur; secundùm hoc enim generatur: quippiam, quod acquirit aliquam naturam Si ergo persona filij Dei fiat de novo subsistens in naturâ humanâ, mutabitur substantialiter; acquiret enim novam naturam: sed impossibile est illam mutari; ergo impossibile est illam incarnari;

TERTIÒ, impossibile est Deum non esse ubiq. si autem Deus incarnaretur, non esset ubique, quia nulla hypothesis potest egredi limites suæ naturæ: ergo nec Deus posset egredi limites naturæ humanæ, cùm natura humana hoc posito pertineret ad Dei hypostasim.

QUARTÒ, Omne quod est alteri unibile, est possibile ad unionem: sed omne possibile ad aliquid, reducitur ad actum, per motum vel passionem, idque ab aliquo alio priori agente; cùm non sit idem agens & patiens, movens & motum: Cùm ergo impossibile sit Deum mutari vel pati, nec aliquid eo prius esse possit, videtur quod Deus non sit unibilis carni.

QUINTÒ: quod est perfectum in esse non unitur alicui unioni essentiali, unio enim essentialis est ex actu & potentia, seu ex forma & materia, quorum utrumque est imperfectum in esse: ergo quod omnibus modis est perfectum, nullo modo potest uniri alteri: Deus autem est omnibus modis perfectus, impossibile ergo est ipsum humanæ naturæ uniri.

Confirmatur, ex duobus entibus in actu non potest fieri quid unum, nisi accidentaliter: Sed natura divina, & natura humana sunt duo entia in actu: ergo ex illis non potest fieri unum per se, quale est Deum esse hominem.

SEXTÒ infinitè distantium non est proportio; quorum autem non est proportio, non est possibilis unio, unde non potest quodlibet cuilibet uniri: Cùm ergo Deus & creatura infinitè distent, videtur impossibile quod Deus uniatur creaturæ.

SEPTIMÒ. Major est distantia Dei & creaturæ, quam duorum contrariorum; cùm contraria sub eodem genere contineantur, non autem Deus & creatura: sed contraria non possunt uniri ad invicem: ergo neque Deus & creatura.

OCTAVÒ, unius & ejusdem rei non est nisi unũ quod quid est, nam hoc significat substantiam rei, quæ unius est tantùm una: sed natura cujuslibet rei est quod quid est ejus, natura enim rei est quod significat definitio: impossibile ergo videtur quod una hypostasis subsistat in duabus naturis. *Incarnationem esse possibilem ostenditur fidelibus.*

RESPONSIO ad fidem pertinens est, Incarnationem esse possibilem: Ad quod probandum fidelibus



bus sufficere debet, quod juxta Scripturam (de A quâ qu. 5.) constat Incarnationis mysterium esse peractum; ab actu autem ad potentiam necessaria est consequentia. Confirmatur, non est majoris difficultatis unam personam in duabus naturis subsistere, quam tres personas subsistere in unâ naturâ: sed hoc posterius invenitur in mysterio Sanctissimæ Trinitatis, ergo & prius in mysterio incarnationis reperiri potest.

Accedit, quod accidentia panis in Eucharistiâ sint sine suo proprio subjecto: ergo natura humana potest etiam esse sine proprio suo suppositо, sicut est in Incarnatione.

*Apud Gẽtiles quomod possit Incarnationis possibilitas ostendi.*

Apud infideles vero probari potest incarnatio- B nis possibilitas hoc modo: Illud prudenti omnium judicio rectè dicitur esse possibile, quod nullis argumentis contrarijs potest refelli, quodque nullo etiam argumento potest ostendi esse impossibile vel absurdum: Ejusmodi autem est Incarnatio; contra eam quippe nullum argumentum adduci potest, quod non legitimam habeat solutionem.

Confirmatur, Mysterium Incarnationis non implicat contradictionem: ergo est possibile, Ant. prob. quia unio eorum quæ habent inter se similitudinem, non implicat contradictionem aliquam: Sed natura humana habet similitudinem ad divinam, fecit enim *Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Gen. 1. ergo illarum unio C in uno supposito non implicat contradictionem.

Præterea, anima rationalis quæ est substantia spiritualis & immortalis bene potest naturaliter ita conjungi corpori quod est materiale & mortale, ut constituatur unum suppositum in illis subsistens: quare per absolutam Dei Omnipotentiam non posset fieri quoddam aliquo modo simile, sed longè excellentius, ut nimirum ad divinam naturam sic jungatur humana ut unum suppositum divinum in illis subsistat. Vide quæ dicimus q. 2. a. 1

Quidam aliâ utuntur similitudine, idque ut aiunt ex Durando, sed quam revera prius attulit B. Th. in 3. d. 1. a. 1. ubi dicit quod Incarnatio insertioni comparatur. Sicut enim in insertione D in eodem trunco in quo erat unus ramus per naturam, sit ramus alius per insertionem; ita in eâdem personâ in quâ naturaliter erat divina natura, est per unionem natura humana; Quare, sicut ex duabus arboribus diversarum specierum quæ per insertionem unius ad alteram coalescunt, unicum quasi suppositum manet, una scilicet radix, unus truncus, & una arbor diversos specie fructus proferens: quare non possent in unum suppositum convenire humana natura cum divina, & diversas specie operationes producere? Observandum tamen nullam hujus mysterij posse adferri perfectam similitudinem, & quæcumque adferatur, illam debere intelligi seclusis imperfectionibus, E *Comparatio* enim *terrenorum ad Deum nulla est*, ait Hilar. l. 1. de Trin. &, si hujus mysterij *ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur non erit singulare*, ait Aug. epist. 3.

AD 1. ARG. RESP. Neg. C. quia Incarnatio Verbi non ita est intelligenda quasi Verbum possit converti in carnem vel fieri virtus, seu forma corporis, sed sic ut possit fieri suppositum, seu hypostasis humanæ naturæ, quæ per carnem significatur.

AD 2. RESP. Major. solum esse veram de eo quod acquirit novam naturam tanquam subjectum, sicut semper est quando homo vel quælibet alia creatura generatur: tunc enim materia quæ est subjectum generationis, semper mutatur: non est autem vera de eo quod acquirit novam naturam, solum tanquam suppositum vel hypostasis, sicut fit in Incarnatione Verbi. Ratio diversitatis est, quia subjectum acquirendo novam naturam, acquirit novum esse substantiale, noviterque informatur à forma ipsi adveniente, suppositum autem divinum accipiendo novam naturam, neque accipit novum esse substantiale, neque informatur ab ea natura quam ad se sumit, sed isti naturæ tribuit suum esse seu subsistere, faciens quod illa in eo subsistat. Ac proinde mutatio quæ in Incarnatione reperitur, tota subjecta est in humanitate seu in ejus materiâ; & per hoc Deus factus est homo, quod mutationem fecit in creatura, non verò per hoc quod ipse mutationem subierit. Confer quæ dicimus ar. 1. ad 1. *Cur verbum Dei non sit mutatum in Incarnatione.*

AD 3. Neg. Subs. quamvis enim nulla hypostasis possit egredi limites illius suæ naturæ, ex quâ habet subsistentiam; quia tamen Verbum divinum non habet subsistentiam ex natura humana quam assumit, sed magis eam naturam trahit ad suam subsistentiam vel personalitatem (non enim per illam, sed in illâ subsistit) Ideò nihil prohibet Verbum Dei esse ubique, licet humana natura à Verbo assumpta non sit ubique.

AD 4. RESP. Major. esse veram de eo quod est unibile per potentiam passivam, non de eo quod est unibile per potentiam activam; quia hoc non est aliud, quam posse alteri conferre suam subsistentiam & personalitatem: Deus autem non est unibilis creaturæ juxta priorem modum, sed tantùm juxta posteriorem.

Si dicas, eorum quæ uniuntur utrumque de- *Ob.* bere mutari. RESP. id non esse necessarium, sed *Resp.* sufficit mutationem fieri in uno illorum. Sicut enim nullâ mutatione factâ circa scibile, illud incipit esse à me scitum, per mei mutationem; & sicut res dicitur scibilis non per potentiam passivam quæ sit in ipsa, sed per potentiam quæ est in scientem: ita Deus dicitur unibilis creaturæ, non per mutationem sui, sed ejus cui unitur; neq; per potentiam passivam in Deo existentem, sed tum per potentiam passivam quæ est in creatura ut uniri possit, tum per potentiam activam quâ Deus potest creaturam sibi unire. Neque refert, quod esse hominem, non sit relatio: satis enim est quod Deo conveniat ratione unionis que est relatio ut dicitur q. 16. art. 6.

AD 5. RESP. ex eo bene sequi, illud quod est omnibus modis perfectum, non uniri ad acquirendam sibi aliquam perfectionem, non sequi tamen quod non possit uniri ad se suamque perfectionem alicui communicandam, quo modo Deus voluit uniri humanitati, non propter se neque ut novam perfectionem sibi acquireret, sed propter hominem cui subveniendum erat.

SI DICAS, humana natura est aliqua perfe- *Ob.* ctio; humanam autem naturam Deus non habet ab æterno; ergo si potest illam assumere, potest novam perfectionem assumere.

RESP. Neg. C. PRIMÒ, quia etsi Deus non habeat naturam humanam ab æterno formaliter, *Resp.* habet tamen eam eminenter, atque ita nihil perfectionis per Incarnationem Deo accedit, quod Deus antea nullo modo habebat.

SECUNDÒ, quia licet humana natura sit aliqua per-

Universidad de Deusto
Biblioteca



perfectio non est tamen perfectio Verbi divini; A neque illi advenit tanquam subjecto quod peream perficiatur, sed tanquam supposito quod naturam illam perficiat, & ab eâ non perficiatur. Quare sicut homo tenens muscam vel quippiam aliud vile, quod licet sit se in aliqua perfectio; nõ idcircò ipse est perfectior; ita nec Verbum incarnatum est perfectius, quam erat ante Incarnationẽ, præsertim cùm non sit ullo modo perfectibile vel mutabile sicut est homo. Imò secundùm ea quæ 1.p. q.4. a.2. diximus, Persona Verbi simul cũ humanitate, non est majus bonum, quàm sine illa; uti nec est magis diligenda: quâ ratione nec una persona magis diligenda est, quam alia, ut notavit Author noster q. de unione Verbi, ar.1. ad 9. inter qq. disp. B

Ad Confir. Resp. quod ex duobus entibus in actu non potest fieri quid unum seu una natura per se; quo modo etiam ex divina & humana natura non fit una natura quæ ex illis duabus resultet: potest tamen fieri unum subsistens per se, hoc est, potest fieri quod una hypostasis subsistat in duobus illis entibus completis, si unum illorũ non ita sit in actu, quin etiam sit aliquo modo in potentia, sicut humana natura est in potentia obedientiali ad Divinam, & sic Verbum subsistit in divina & humana natura.

Ad 6. quamvis eorum quæ infinitè distant, nõ sit proprio determinata, potest tamen esse proportio ordinis, quem unum dicit ad alterum; po- C test etiam esse proportio actus & potentiæ, & hoc satis est ut unio sit possibilis, ut articulo. 1. ad 2. dicetur.

Ad 7. Neg. C. quod enim contraria non possint uniri ad invicem, sic ut uni & eidem insint, non provenit ex distantia illorũ, sed ex repugnantia quæ inter illa reperitur; talis autem repugnantia non est inter Deum & humanam naturam.

Ad 8. Resp. unius rei subsistentis tantùm esse unum quod quid est, sive unam essentiam & naturam, per quam habet esse simpliciter, & sic Verbum Dei per solam naturam divinam habet esse simpliciter, non autem per naturam humanam, per hanc enim non habet esse simpliciter, D sed tantum, esse hominem.

## QUÆRITUR III.

*Vtrùm per aliquam naturalem rationem cognosci vel demonstrari possit Incarnationem esse possibilem.*

Videtur quod sic. Primò, quia intellectus creatus, saltem Angelicus potest naturaliter comprehendere naturam humanã ergo potest evidenter cognoscere illam esse assumptibilẽ à Deo.

Secundò, Angelus naturaliter scire potest Deum esse omnipotentem, posseque idcircò om- E nia quæ contradictionem non involvunt; Atqui Deum incarnari non involvit contradictionem: ergo naturaliter scire potest hoc esse possibile, quod Deus incarnetur.

Tertiò, Evidens solutio argumentorum quæ contra aliquod mysterium adducuntur, evidenter ostendit illud esse possibile; si enim esset impossibile, ex eo inferri posset aliquid rationi repugnans: sed Angelus vel homo Theologus potest evidenter solvere omnia argumenta quæ contra Incarnationem adferuntur (omnia enim quæ contra fidem adferuntur, esse solubilia argumenta dixit B.Th. 1.p.q.1. ar.8.) ergo etiam potest evidenter ostendere quod Incarnatio sit possibilis.

Quartò, Incarnatio est evidenter credibilis, quemadmodum de mysterijs fidei docetur 2.2.q. 1. a. 4. ergo est etiam evidenter possibilis. Prob. C. per argumentum ex oppositio consequentis ad oppositum Ant. Quod est evidenter impossibile, est evidenter incredibile: ergo quod est evidenter credibile, est evidenter possibile. Pro Resp. sit.

### Conclusio I.

Non potest per rationem naturalem evidenter sciri vel demonstrari, quod Incarnatio sit possibilis. Ita B.Th. in 3.d. 1.ar.2.& alij communiter.

*Non potest demonstrari Incarnatio per rationem naturalem.*

Prob. 1. quia in natura neque est causa, neque principium, neq; effectus qui nos in Incarnationis cognitionem possit ducere. Unde Ethnici, quantumvis sapientes, eam reputârunt impossibilem.

Secundò, quia alioquin sequeretur omnia aut pleraque fidei nostræ Mysteria esse naturaliter demonstrabilia: hoc enim est inter illa potissimum & mirabilissimum, ut ait Author l. 4. contra Gentes, c. 27.

Tertiò, quia hoc mysterium æternis temporibus erat tacitum, ad Ro. 16. à sæculis, & generationibus absconditum, ad Coloss. 1. est magnum Sacramentum, 1. ad Tim. 3 Hinc Chrys. ho. de S. Joan. Bap. to. 3. *Scio quia Verbum caro factum sit; & quo modo factum sit nescio: miraris quia ego nesciam Omnis creatura ignorat.* Et Conc. Tol. 11. *De tribus Personis solam Filij Personam, pro liberatione humani generis, hominem verum seu veram humanitatem sine peccato de Sancta & immaculata* Maria *Virgine credimus assumpsisse, de quâ novo ordine, novaq; nativitate est genitus &c. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur. Quod si ratione colligitur, non erit mirabile: si exemplo non erit singulare.* Eodẽ pertinent quæ habet S. Aug. Ep. 3. Chrys. ho. 2. in Matt. Cyril. l. 1. in Ioa. c. 15. Athan. l. de Incarnatione, Leo serm. 3. de Nativ.

### Conclusio II.

Nec homo nec Angelus potest ex propria naturaliq; suâ inventione cognoscere, etiam imperfectè, utrum Incarnatio sit possibilis: quia est penitus supernaturalis, nec in naturis rerum invenitur aliquod principiũ vel effectus ex quo assurgere quis possit ad considerationẽ hujus mysterij.

Si dicas personalitatem esse posteriorem naturâ; Angelum verò posse naturaliter scire quod prius possit esse sine posteriori.

Resp. ipsum solo naturali lumine non posse cognoscere quod omne prius possit esse sine posteriori; sed etsi sciret humanitatem separari posse à sua subsistentia, non tamen sciret an posset subsistere per divinam personalitatem, & ab eâ terminari; quia ratio naturalis non potest eò assurgere, sive sit homo sive sit Angelus, potest aliquam habere notitiam Incarnationis: verùm hæc media nõ sunt propriæ inventionis, nec pertinent ad solum ordinem naturæ, sed sunt ordinis supernaturalis.

Ad



Ad Primum Argum. Resp. Neg. Conseq. A partim quia Angelus non potest comprehendere omnia quæ secundùm capacitatem obedientialem Deus potest in humana natura operari, sed solùm ea quæ naturaliter ei conveniunt; partim quia non potest comprehendere Verbum divinum, aut illud sicut in se est videre; atque ita non potest scire, an Verbum sine aliqua sui vel mutatione vel imperfectione possit naturam humanam assumere.

Ad 2. etiam Neg. C. quamvis enim Angelus naturaliter sciat Deum posse omnia quæ contradictionem non involvunt; hoc tamen solùm in confuso novit, distinctè autem & in particulari non novit quænam sint illa quæ contradictionem B non involvunt, neque cognoscit, an Deum incarnari sit de numero istorum.

Ad 3. Neg. Major. quoniam ad solvendum evidenter argumenta quæ contra aliquem fidei articulum opponuntur, sufficit respondere ex probabilibus vel apparentibus, vel ex eis quæ non apparent esse falsa, quamvis non evidenter cognoscantur esse vera: Ad evidenter autem cognoscendum quod sit possibilis, oportet quod vel à priori per propriam causam, vel à posteriori per aliquem ejus effectum evidenter cognitum talis possibilitas cognoscatur.

Ad prob. Resp. ex impossibili tunc demum posse evidenter inferri aliquid rationi repugnans, C quando cognoscitur esse impossibile: quando autem neque cognoscitur esse impossibile, neque cognoscitur esse possibile, nullum potest inde absurdum evidenter inferri. Incarnatio verò hujusmodi est, ut naturaliter ignoretur, sitnè possibilis an impossibilis.

Ad 4. Neg. Cons. quia evidentia credibilitatis ex alijs principijs sumitur, quam evidentia possibilitatis: hæc enim, sicut etiam evidentia veritatis, sumitur ab eo quod est in re; ex eo namque quod in re est propositio dicitur vera vel possibilis: evidentia autem credibilitatis non sumitur ab eo quod est in re, sed ex alijs causis ipsi extrinsecis, veluti ex testimonijs, signis, & alijs, de quibus 2. 2. D q. 1. ar. 4. diximus.

Ad Prob. Resp. illud argumentum non esse ab oppositio consequentis, cùm tam consequens, quam id quod adfertur tanquam ei oppositum, sit affirmativum, oppositarum, autem enuntiationum una debeat esse negativa. Similiter non sequitur, Quod est evidenter falsum, est evidenter improbabile: ergo quod est evidenter probabile, est evidenter verum, constat enim multa falsa interdum esse probabiliora ac etiam credibiliora veris. Ut autem esset argumentum ab oppositio consequentis ad oppositum antecedentis, sic formari deberet: Quod est evidenter impossibile est evidenter incredibile: ergo quod non est evidenter in- E credibile, non est evidenter impossibile. Sed hoc argumentum nihil urget contra doctrinam in conclusionibus traditam, quin potius juvat responsionem ad id quod.

*Sylv. in III. Part.*

## QUÆRITUR IV.

*Vtrùm demonstrari possit Incarnationem esse impossibilem.*

Videtur quod sic: quia si non posset demonstrari esse impossibilem, posset demonstrari esse possibilem, cujus oppositum in quæsito 2. fuit resolutum.

Responsio Neg. quam B. Th. in 3.d.1.ar.2. tradit certa est & communis: quia id quod demonstrativè probatur, est verum: Incarnationem autem esse impossibilem, non est verum; ergo Incarnationem esse impossibilem non probatur, imò nec probari potest demonstrativè. Mai. certa est, quia demonstratio facit scire; scientia autem non *Non potest demonstrari quod Incarnatio sit impossibilis.* est nisi verorum. Confirmatur, Incarnationem esse possibilem est veritas fidei: ergo illam esse impossibilem, non potest esse veritas rationis naturalis. Prob. C. quia veritas rationis naturalis non contrariatur veritati fidei, quemadmodum ostendit S. Doctor l. 1. contra Gent. c. 7. Nec refert quod ratio dicat Virginem non posse parere, mortuum non posse vivere, & alia hujusmodi: quibus opposita per fidem credimus. Ratio enim docet ista non posse fieri naturaliter; & fides dicit fieri posse non naturaliter, sed supernaturaliter, atque ita non est oppositio.

Ad Arg. Resp. Neg. Ass. quia de uno eodemq; mysterio verum est quod demonstrari non potest, neque esse possibile, neq; esse impossibile, quando nimirum nec possibilitas nec impossibilitas ejus cadit sub demonstrationem; sicut contingit quando mysterium aliquod ignoratur, vel non evidenter cognoscitur, sitnè possibile an impossibile, sed transcendit omne lumen naturale: & hujusmodi est mysterium Incarnationis.

Si dicas istas propositiones esse contradictorias, *Ob.* Incarnatio est possibilis, Incarnatio non est possibilis. Resp. ita quidem esse, & propterea unam *Resp.* earum debere esse veram, alteram falsam, sicut vera est affirmativa; & negativa, falsa, sed non idcircò una illarum cadit sub demonstrationem, quia non oportet quod ex duabus contradictorijs una sit evidenter vel cognoscibilis vel demonstrabilis, cùm & utraque possit ignorari, vel possit esse quod neutra sit demonstrabilis vel evidenter cognoscibilis per lumen naturæ.

## QUÆRITUR V.

*Vtrùm Incarnationis Mysterium sit peractum.*

Videtur quod non. Primò, quia Isai. 2. ubi de Messiæ adventu sermo est, significatur esse venturus in fine mundi, in novissimis scilicet diebus; & dicitur etiam quod ad eum fluent omnes gentes: Christus autem per Incarnationem non venit in fine mundi, nec ad eum confluunt omnes gentes.

Secundò, Messias venturus est cum gloriâ & majestate, juxta illud Ps. 49. *Deus noster manifestò veniet.* Et Is. 69. *Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus.* Christus autem venit cum maxima humilitate & paupertate: ergo ipse non est Messias.

Tertiò, Messias cum venerit, est liberaturus Ju-

Universidad de Deusto
Biblioteca



dæos à servitute: Id quod Christus non fecit, cum ipsi gravi servitutis jugo præmantur.

QUARTÒ, Tempore Messiæ omnis & solus Israël salvabitur: Omnis quidem, quia Micheæ 2. dicitur, *Congregatione congregabo Iacob totum te; in unum conducam reliquias Israël:* solum autem, quia Isai. 60. Israëli dicitur, quod *tenebræ operient terram & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur.*

QUINTÒ, Messias venturus est similis Moysi, Deut. 18. talis autem non fuit Christus.

*Incarnationis mysterium esse peractum est fidei.*

RESPONSIO ad fidem pertinens est, Incarnationis mysterium esse peractũ, ac Deum revera esse Incarnatũ, & Messiam olim promissum advenisse, frustraque illum à Judæis expectari venturum. B

PROB. PRIMÒ, Ex Gen. 49. ubi Jacob Patriarcha Spiritu Sancto plenus vaticinatur ac dicit: *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est.* De cujus expositione multa dicimus q. 35. art. 8.

PROBATUR SECUNDÒ, Ab edicto de instauranda civitate Jerusalem usque ad Messiam tantum debent esse hebdomades septuaginta seu anni quadringenti nonaginta, accipiendo nimirum illas hebdomadas pro hebdomadibus annorum, quarum unaquæque complectitur septem annos: Sed illæ hebdomades pridem sunt finitæ, idque tempore Jesu Christi, qui in medio hebdomadis ultimæ fuit occisus, quando & hostia legalis defecit: C Ergo necesse est fateri Messiam venisse, eumque esse Jesum Christum, major. ex Dan. 9 patet, ubi *ab exitu sermonu ut iterum ædificetur Ierusalem*, hoc est ab eo tempore quo exijt sermo seu edictum publicum de reparandis muris non templi, sed urbis Jerusalem (quod fuit anno vigesimo Artaxerxis 2. Esdræ 2.) usque ad Christum ducem dicuntur futuræ 70. hebdomades.

PROBATUR 3. quia quod Isai. 7. promissum erat de Messia quod Virgo esset illum concepturа, & paritura; Matth. 1. declaratur in Christo ejusque Matre benedicta fuisse impletum: & quod Deut. 18. fuerat prædictum de Propheta suscitando; ex Actor. 3. constat in Christum Dominum D competere.

PROBATUR 4. ex Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Conferat Lector cap. 9. Isai, v. 6. c. 35. v. 6. c. 11. Matth. Item c. 23. Ierem. v. 5. & 6. c. 2. Aggæi v. 8. Zach. 9. v. 9. & Malac. 3. cum Matth. 11. Item cap. 5. Mich. cum cap. 2. Matth.

PROBATUR 5. Ex Joann. 1. *Verbum caro factum est* Ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum* &c. A d Phil. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualẽ Deo sed semetipsum exinanivit formã servi accipiens* &c.

*Christus est verus Deus.*

Hæ porrò probationes non tantùm serviunt ad concludendum contra Iudeos & hæreticos, quod E mysterium Incarnationis sit peractum, sed etiam ad ostendendum Christum Dominum esse verum Deum sic enim vocatur Isai. 9. & 35. si ut etiam Joan. 3. 8. 10, ad Rom. 9. 1. Jo. 5. & alibi. Quod autem idem Christus etiam verus homo sit, contra quã senserunt Marcionitæ, Manichæi & alij quidam hæretici, evidentissimum est ex Evangelijs ubi Christus frequẽtissimè vocatur filius hominis & ubi ejus genealogia texitur; conceptio, nativitas, circumcisio refertur; tristitia. Passio, mors & resurrectio narratur. Undè & 1. ad Cor. 15. *Per hominem* (scilicet Adam) *mors, & per hominem* (scilicet Christum) *resurrectio mortuorum*: Et alia plura quæ non est necessarium hìc recensere.

*Et verus homo.*

AD PRIMUM ARG. RESP. duplicem esse Christi adventum in hunc mundum. Primum quo carnem assumpsit, nosque redemit. Secundum, quo expectatur venturus ad judiciũ. De primo nunc disputatur, & juxta illum Messias nunquam significatur venturus in fine mundi: novissimi autem dies de quibus Isai. 2. non sunt intelligendi pro ipso fine seu extremitate mundi præcisè, sed significant ultimã mundi ætatem, quæ complectitur totum tempus gratiæ ac legis novæ, quod est à Christo usque ad finem mundi; quodq; ideò vocatur novissimum, quia sic durabit usq; ad finem ut nulla alia ætas, nulla alia lex nullumve aliud tẽpus sit in hoc mundo expectandum, quemadmodum etiam ar. 6. videbitur. Quamquam & novissimi dies subinde non aliud importent, quam tempora posteriora seu subsequentia, ut Genes. 49. *Vt annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis*, Similiterque 1. ad Tim. 4. *In novissimis temporibus*. Et 2. ad Tim. 3. *In novissimis diebus.*

*Duplex Christi adventus.*

*Qui dicantur dies novissimi.*

Sive autem per montem Isaias intellexerit Messiam & Christum, sive Christi Ecclesiam (quod fermè in idem recidit) notissimum est quod ad illum confluant omnes gentes, non simul & semel sed divisim & successive; cùm à tempore Christi plurimè gentes ad fidem & religionem Christi venerint ac indies veniant.

AD 2. RESP. illa quæ objiciuntur pertinere ad secundum Christi adventum, præter illum autem qui sine dubio futurus est gloriosus, Scripturæ significant alium priorem eumq; humilem, de quo Ps. 21. *Ego sum vermis & non homo, opprobriũ hominũ & abjectio plebis:* Et Isa. 53. *Vidimus eum & non erat aspectus.* Zach. 9 *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper & ascendens super asinã & pullum filium asinæ*; quod impletũ legimus Mat. 21.

AD 3. RESP. Christum fuisse liberaturum Iudæos à jugo legis Mosaicæ & à servitute peccati ac Diaboli; id quod abundè præstitit, ac etiamnum præstat.

AD 4. NEG. ASSUMPT. *Non enim omnes qui ex Israël, ij sunt Israëlitæ, neque qui semen sunt Abrahæ omnes filij*, ad Rom. 9. ubi etiam ex Ilai. dicitur; *Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Sed & ex c. 10. & 11. liquet ab Isaia prædictam fuisse Israëlitici populi cæcitatem sicut & contigit.

De gentium porrò conversione ad Christum videri possunt quæ idem Apostolus refert ejusdem Epistolæ c. 9. 10. 11. 15. & alibi.

Quod ex Mich. 2. adfertur, aut de reditu Iudæorum ex captivitate Babilonica intelligendum est, quando etiamsi non singuli sunt reversi, tam multi tamen redierunt ut constituerent unum populum Israëliticum, possetque dici universus Israël habitare in civitatibus suis, 1. Esdræ 2. vers. ult. & c. 3. vers. 1. aut de congregatione omnium qui sunt Israëlitæ non tantum carne, sed etiam fide & spiritu.

Ad locum Isai, RESP. istam prophetiam fuisse impletam, quando Christus advenit per nativitatem ex Virgine; nam & tunc, & postea usque ad Evangelij publicationem in gentibus factam, gentiles sedebant in tenebris & umbra mortis; in Iudæis autem erat ortus Dominus, & gloria ejus apud eos videbatur, quando prædicabat, miracula faciebat, & peccatores convertebat.

AD



AD 5. RESP. fuisse similitudinem in Christum & Moysen, eamque multiplicem: uterque enim populum eripuit de captivitate; Moyses de Ægyptiaca, Christus de diabolica: Moyses fuit legislator seu annuntiator & interpres, Christus est author novæ legis: Moyses multa fuit perpessus, & Christus etiam. Ita porrò fuit inter eos similitudo, ut Christus admodum præcelluerit, sicut ad Hebr. 3. deducit Apostolus. A

## QUÆRITUR VI.

*Vtrùm aliqua creatura naturaliter cognoscere possit Incarnationis Mysterium esse peractum.* B

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia Angelus naturaliter cognoscit humanitatem Christi & videt eam carere propriâ subsistentiâ ac nihilominus subsistere: cùm ergo non videat eam subsistere per subsistentiam aliquam creatam, consequens est quod cognoscat subsistere per increatam.

SECUNDÒ, Dæmones habuisse aliquam Christi notitiam constat ex Mat. 8. Marc. 1. & aliundè.

RESP. Neg. est communis: quia mysterium Incarnationis est penitus ordinis supernaturalis, neque in rebus naturalibus est aliqua causa vel effectus qui ducere possit in notitiam ejus, ne quidem C postquam est peractum,

AD 1. ARG. RESP. Neg. C. si enim Angelus naturæ suæ relictus, consideret humanam Christi naturam, eamque videat carere propriâ subsistentia, dubitare potest utrùm subsistat per aliquam subsistentiam, an sine ullâ. Deo per suam omnipotentiam sic faciente: potest etiam esse, quod nõ valens penetrare modum subsistendi illius, suspendat omne judicium; vel advertens actiones humanitati proprias, putet illic esse suppositum humanum, quamvis illud non cognoscat.

AD 2. RESP. Dæmones potuisse aliquam notitiam saltem ex suspicione vel opinione, de Christo habere ex prophetijs & miraculis quæ sciebant esse prædicta, & videbant in Christo impleri: sed ea notitia fundabatur in medijs naturam excedentibus, quo modo etiam quidam Pagani aliquid de Christo intellexerunt per revelationem, aut sibi factam, ut Sybillæ; aut factam alijs, ut qui vel libros Moysi legerunt; vel cum Israëlitis fuerunt familiariter conversati. D

## QUÆRITUR VII.

*Posítne contra Gentiles probari Incarnationem esse peractam.*

NON potest efficaciter probari ex Scripturis, E quia illarum authoritatem non admittunt. Non potest etiam probari ex naturali ratione, quia hæc solitariè considerata non potest ea quæ naturam superant demonstrare.

*Vt probari possit esse credibilis.*

Aliundè tamen probari potest quod Incarnationem esse factam, sit res credibilis; quodque secundùm rectam rationem oporteat ita credere. Miracula enim & prodigia quæ in confirmationem incarnationis Dominicæ facta sunt, & vel relata reperiuntur etiã ab Ethnicis, vel in dies ipsis videntibus contingunt, rem hanc in primis bene probant, quia superant omnes vires naturæ creatæ ideòque à solo Deo fieri possunt; Deus autem non potest testari falsum: ergo verum esse oportet illud in cujus confirmationem illa facit.

Huc pertinent, non solum infirmorum curationes, mortuorum suscitationes, cæcorum illuminationes, sed etiam eclypsis quæ præter naturam accidit in Passione Domini, & quam refert Phlegon Gentilis apud Eusebium in Chronico.

Idem probari potest ex conversione infidelium ad Christum Christianamq; religionem, per paucos homines, vitam humilem ac pauperem agentes, nec vi aut armis, nec potentia hujus sæculi, nec Philosophiæ ac literarum sæcularium peritia utentes, nec pollicentes honores, aut divitiam temporales; sed Verbum divinum simpliciter & modestè, efficaciter tamen prædicantes, tormenta patientes & prænuntiantes Hoc enim maximũ est miraculum, præsertim cum non plebeos tantum, sed & Reges & Imperatores; nec unam civitatem vel unam gentem, sed totum pene mundum; nec solùm idiotas & ignaros, sed Philosophos & doctissimos quosque ad Christum adduxerint. His ita præmissis ad Authoris nostri textum veniamus.

### ARTICULUS I.

*Vtrùm conveniens fuerit Deum incarnari.*

VIDETUR quod non, quia si Deum incarnari fuit cõveniens: ergo Deum non incarnari fuit inconveniens; Id quod non videtur esse concedendum; cùm Deus non possit aliquid inconveniens facere, potuerit autem non incarnari.

RESP. certa est, fuisse conveniens Deum incarnari: quia, quod ad rationem summi boni pertinet, est conveniens: Ad rationem autem summi boni pertinet, communicare se summo modo, & hic modus maximè apparet in eo quod natura humana conjungatur divinæ per Incarnationem: ergo Incarnatio fuit conveniens. Conveniens autem hìc dicitur, quod decens est & consentaneum.

Quod in probationem assumit; *Quidquid pertinet ad rationem, conveniens est* Deo intelligitur de illo quod pertinet ad rationem boni simpliciter & absolutè, seu secundùm rationem bonitatis in communi; non autem de illo quod pertinet ad rationẽ hujus aut illius boni, v. g. hominis, lapidis &c.

Quod deinde sumit; *pertinet ad rationem boni ut se alijs communicet:* non ita est intelligendum, quasi de essentia boni sit actualis communicatio sui-ipsius; sed quod in essentia boni contineatur aptitudo & propensio ad se communicandum. Cui aptitudini respondet actualis communicatio, pertinens etiam ipsa ad rationem boni, quatenus consentanea est naturæ & propensioni ipsius Unde B. Th. l. 1. contra Gent. c. 94. Docet, Deum communicare suam bonitatem, esse ei conveniens sicut fonti bonitatis.

AD ARG. oppositum RESP. Neg. C. Quamvis enim tale argumentum bene concludat, ubi aliquid est conveniens tanquam necessarium vel debitum; in alijs tamen non concludit. Nam etsi conveniens sit servare virginitatem, non est tamen inconveniens uti matrimonio.

In primo argumento hæc propositio, *Sic optimũ est Deũ esse sicut ab æterno fuit*, vera est si intelligatur exclusio modi qui inducat realem mutationem in Deo, & tunc Neg. Conseq. argumenti. Si ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca



rò intelligatur excludi omnis modus sive appel- A
lationis sive susceptionis, quæ nullam in Deo re-
lem mutationem indicat; falsa est, ut patet ex ijs
quæ de nominibus Deo ex tempore convenientibus
dicta sunt, 1. p. q. 13. art. 7. Undè B. Th. hic, & qu.
2. ar. 7. ad 1. & q. 16. ar. 6. ad 2. & l. 4. contra Gen.
*Verbum non est per Incarnationem mutatum.* c. 49. docet per hoc quod Filius Dei sit incarna-
tus, nullam mutationem in ipso Verbo Dei factã
esse; sed solum in humana natura, quæ est à Verbo
assumpta. Quamvis ergo absolutè fieri hominem
de novo, importet mutationem in subjecto, scilicet
in materia acquirente humanam naturam: Perso-
nam tamen divinam fieri hominem, non importat
mutationem in Persona assumpta, quia Persona
divina fit homo per hoc solum quod suam Perso- B
nalitatem tribuat naturæ humanæ, & naturam
(ut ita loquar) personabilem terminet, ejusque per-
sonalitatem suppleat; non autem sic, ut informe-
tur humanitate, sicut subjectum informatur for-
mâ sibi inhærente; cum nec suppositum divinum
possit esse subjectum inhæsionis, nec humanitas
sit accidens, cui soli competit inhærere subjecto:
neque etiam sic, ut humana natura fiat pars aut
compars essentiæ aut personæ divinæ.

Ad hujus rei declarationem pertinet, quod Deus
novo modo uniatur animabus, dum eas justificat
& beatificat; quodq; incipiat realiter esse in nova
creatura quam condit nulla tamen existente mu-
tatione circa ipsum, sed solum circa creaturam: C
ergo similiter potest novo modo uniri humanæ
naturæ, solum existente mutatione circa illam seu
circa ejus materiam, & non circa Deum.

Quod in respons. ad 2. dicit, *Vniri Deo in unitate personæ non fuit conveniens carni humanæ secundùm conditionem suæ naturæ*: non significat naturam hu-
manam non fuisse unionis illius capacem, aut ad
eam non habuisse potentiam obedientialem; sed ei
secundùm se consideratæ negat fuisse conveniens,
eò quod nullam haberet proprietatem aut qualitatẽ
quæ hanc unionem requirat. Quia tamen ei non
repugnabat; erat etiam illi conveniens, ratione po-
tentiæ passivæ & capacitatis: Deo autem, ex parte
bonitatis ejus conveniens erat ut naturam huma- D
nam sibi uniret; quia ratione illius infinitæ bonita-
tis, ei convenit se communicare. Neque propterea
sequitur hanc communicationẽ esse necessariam,
quamvis enim sit accommodata divinæ naturæ,
ad suam tamen consummatam perfectionem
Deus eâ communicatione non indiget.

Circa eandem responsionem est observandum,
quod distantia rerum in natura non faciat unionẽ
earum impossibilem, aut inconvenientem, quia
non idcircò deest proportio ad unionem requisi-
*Quæ proportio sit humanæ naturæ ad Divinam.* ta, quæ proportio hîc in eo consistit quod natura
humana apta sit terminari & sustentari per divi-
nam subsistentiam: Ac proinde quamvis finiti ad
infinitum non sit proportio certa & determinata, E
quâ unum excedat alterum certo gradu; sicut est,
inter duplum & dimidium; potest tamen esse
proportio sive habitudo generalis, qualis est inter
res ad invicem ordinatas; ut effectus ad causam,
patientis ad agens, potentiæ ad actum: ut docet
auctor in 3. dist. 1.

Pro responsione ad tertium, dicendum est con-
ditionem malitiæ hominis, cùm sit per recessum à
Deo, prorsus repugnare sapientiæ & bonitati divi-
næ; non sic autem corpus hominis cum suis condi-
tionibus: ac proinde non omninò sic distat corpus
à summo spiritu, sicut malitia à summa bonitate.

## Art. II.

### Articulus II.

*Vtrùm fuerit necessarium ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari.*

Respondet non fuisse simpliciter & absolu-
tè; fuisse tamen, ut iste finis melius & com-
modius haberetur. Utrum istorum certum est.

Prius affirmant Aug. l. 13. de Trin. cap. 10. &
l. de agone Christiano c. 11. Athanas. l. 3. contra *Incarnationem nõ fuisse absolutè necessariam.*
Arianos, Leo serm. 2. de Nativ. & serm. 14. de
Passione. Bernard. Epist. 190. Greg l. 20. Moral.
c. 16. & Scholast. in 3. dist. 20. Cùm enim Deus
sit non solùm supremus judex, sed etiam is qui
peccato erat offensus, nulli faceret injuriam, si,
vel peccatum gratis absque ullâ satisfactione re-
mitteret; vel contentus esset qualicumque ho-
minis alicujus satisfactione; vel eum liberaret alio
aliquo modo; qui cùm contradictionem non im-
plicet, possibilis erat.

Quod autem Scripturæ & Patres subinde di-
cunt non potuisse hominem aliter liberari, quam
per Christum, vel per mortem Christi; veritatem
habet, partim præsuppositâ Dei æternâ ordina-
tione & decreto, quò constituit unicum hunc mo-
dum salutis & liberationis humani generis; partim
quia negant alium modum liberationis quæ esset
secundùm perfectam justitiam. Hinc intelligitur
illud Act. 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; Illud item *Actor. 4.*
Aug. tra. 37. in Joan. *Si sanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur.* Similia sunt apud Greg.
l. 3. Mor. c. 11. Apud Gloss. in c. 2. ad Heb. & An-
sel. in libris, cur Deus homo; qui quidem nonnul-
lis visus est necessitatem Incarnationis absolutam
docuisse, sed eum benignè explicant. Bonav. &
Scotus in 3. d. 20 Imò ipse seipsum, l. 2. c. 5. & 17.
Huc pertinet quod S Leo. quamvis ser. 7. de Epi-
phania, & ser. 8. de quadragesima dixerit non ali-
ter sanari potuisse vulnera humanæ naturæ, quam
per Incarnationem Verbi, serm. tamen 2. de Na-
tiv. Domini, affirmat, *quod ad reparandum huma-*
*num genus ineffabiliter*, Deo *multa suppeterent*: Et
serm. 14. de Passione, quod *Omnipotentia Filij po-*
*tuisset humanum genus à dominatu diaboli, solo im-*
*perio suæ voluntatis eruere.* Hinc enim manifestum
est priora non posse intelligi de absoluta Incar-
nationis necessitate, sed de illa quæ ordinationem
Dei supponit.

Observandum, porrò quod si Deo ita placuis-
set, humanum genus potuisset (etiam secundùm
perfectam justitiam) liberari sine morte Christi,
veluti per Circumcisionem, aut per aliam alicujus
sanguinis ejus effusionem, vel etiam per Christi
orationem aut aliam ejus actionem: ea tamen libe-
ratio non fuisset sine Incarnatione, & propterea
non est idem loqui de reparatione per Incarna-
tionem vel per Christum, & per Christi mortem,
cum sermo est de eo quod juxta rigorosam justi-
tiam fieri potuit. Sed & per unionem hypostati-
cam quâ Deus naturâ Angelicam assumpsisset in
unitatem suppositi, potuisset etiam fieri satisfactio
rigorosæ justitiæ, absque eo quod humanam natu-
ram assumeret. Unde consequens est nec Chri sti
mortem, nec divinæ personæ Incarnationem
fuisse absolute necessariam, ne quidem ut secun-
dùm perfectam justitiam liberaremur; multò au-
tem minus ut quoquo modo liberaremur.

Si objicias, Deus nihil potest facere indecorum

&



& sua bonitate indignum; tale autem esset relin- A
quere genus humanum in suo peccato, ut asserunt
Athanas. l. de Incarnatione Verbi, & Cyril. Ale-
xandrinus l. 5. Thesauri, cap. 7. ergo non potuit
non liberare: Atqui liberatio per solam misericor-
diam, aut per imperfectam satisfactionem esset
incedens; partim, quia non decet eum qui pec-
cando abstulit honorem Deo debitum, manere
impunitum; partim quia reparatio videtur æqua-
litatem postulare, & omne imperfectum supponit
perfectum, ut hic dicitur ad secundum: ergo ge-
neris humani liberatio necessariò fieri debuit per
Deum carnem factum, qui solus (ut postea dici-
tur) poterat perfectè satisfacere.

*Resp.* Resp. Neg. Subs. Cum enim Deus nec tene- B
retur hominem liberare, nec eo indigeret; nihil
absurdi vel inconvenientis fuisset, sine omnes si
remedio reliquisset, vel si voluisset esse contentus
satisfactione imperfectâ. Athanas. ergo & Cyrill.
indecens, indecorum, indignum posuerunt, vel
quia sic primo aspectu appareret hominibus; vel
quia non esset ita conveniens & consentaneum
divinæ bonitati. Patet hic intellectus ex contextu,
& ex lib. 3. contra Arianos, apud Athan. post me-
dium; & ex lib. 8. contra Julianum, apud Cyril-
lum.

*Alia Ob. Resp.* Si dicas Deum non posse quod convenientius
est, non facere: Negatur assumpt. quia liberè hoc
eligit, potestque quod ex objecto minus conve- C
niens est, eligere, & facere esse magis conveniens
ex parte operantis, vel modis operandi utpotè vo-
luntati ejus magis conformatum. Si ergo offen-
sam condonare voluisset, vel per misericordiam,
vel per imperfectam satisfactionem absque rigo-
rosa (quod tanquam supremus judex simulque
offensus poterat:) nihil fuisset indecorum. Quod
sumitur, reparationem postulare æqualitatem;
Neg. est: tantum enim requirit ut homo perfectè
restituatur in pristinam dignitatem, & liberetur à
peccato.

Quod deinde assumitur, Omne imperfectum
supponere, perfectum; si intelligatur quantum ad
definitionem, verum est universaliter; quia im- D
perfectum definiri debet per habitudinem ad per-
fectum: si quantum ad existentiam, verum est
regulariter & de facto, sed non de possibili.

Circa alteram responsionis partem.

### Quæritur I.

*An Deum Incarnari fuerit necessarium tanquam melius & convenientius ad reparationem generis humani.*

Videtur quod non; primò, quia Deus
semper potest facere meliora ijs quæ facit,
ut 1. p. quæst. 25. docetur. E

Secundò, misericordia præcellit justitiam, ut
ex 2. 2. quæst. 30. liquet; unde Ecclesia, Dominica
14. post Pentecosten dicit; *Deus qui omnipoten-*
*tiam tuã parcendo maxime, & miserando manifestas*;
ergo convenientius hominem reparasset, misе-
ricorditer ei percendo, quam satisfactionem exi-
gendo. Si dicas, misericordiam fuisse conjunctam
justitiæ: contra est, quod dum augetur rigor justi-
tiæ, minuatur misericordia.

Tertiò, liberalius est offensam gratis & si-
ne satisfactione remittere, quàm satisfactionem
exigere.

Quartò, prædestinatio electorum est me-
rè gratuita: ergo eorumdem reparatio talis esse
debuit; effectus enim debet proportionari causæ.

Quintò, aliter magis eluxisset Dei & suffi-
cientia cum sic ostendisset se satisfactionis nostræ
non esse indignum, & potentia, dum solo verbo
reparasset, quem solo verbo creaverat.

Sextò sic homo magis fuisset obstrictus Deo;
majores enim debet gratias is cui Judex gratis
condonat, quam cui non sine prævia satisfactione.

Septimò, debemus dimittere debitoribus no-
stris: ergo convenientius Deus similiter egisset cũ
humano genere; sic enim dedisset exemplum.

Octavò, videtur esse prodigalitas potius
quam liberalitas, pro re vili, (qualis est hominum
salus) rem pretiosissimam offerre, qualis est vita
Christi;

Nonò, Lex justitiæ postulat ut puniatur is qui
peccavit, unde videtur injustum, punire innocen-
tum pro noxijs.

Decimò, non est prudentiæ, tollere pecca-
tum levius per majus; quod hic invenitur, quia
peccatum Adæ levius erat peccato Crucifixorum
Christi.

Undecimò, Deus non assumpsit naturam An-
gelicam, ad Angelorum ruinas reparandas: ergo
nec decuit, ut assumeret humanam.

Duodecimò, Ex medio Incarnationis sequi-
tur glorificatio paucorum: potuit autem Deus
medium aliquod adhibere, quo omnes fuissent
salvati; ergo potuit convenientius adhibere.

His tamen non obstantibus responsio autho- *Resp. affir.*
ris affirmativa vera est, ita ut omninò possimus
cum August. pronuntiare, sanandæ nostræ mi-
seriæ convenientiorem alium modum non fuisse,
quam per Incarnationem Verbi. Hanc suam res-
ponsionem probat B. Thom. decem rationibus,
quas omnes ex August. confirmat, quasdam etiam
ex S. Leone. Ex his decem rationibus, quinque
pertinent ad promotionem hominis in bono,
quam & Hugo Victor. ex Incarnatione deducit
l. 1. de Sacramentis, p. 8. c. 10. quinque aliæ con-
cernunt remotionem mali ab homine. Sed est in-
ter eas & alia differentia, quod duæ posteremæ sup-
ponant lapsum, non aliæ; quæ tamen si locum ha-
bent, non existente peccato, tantò magis nunc ur-
gent, quantò natura per peccatum facta est infir-
mior, Præter loca in textu citata, de ratione pe-
nultima videndus est August. l. 1. de doct. Christ.
c. 14. & Leo serm. 5. de Nativitate

Cùm in ultima dicit: *Homo purus satisfacere non*
*poterat, id est*, impotens erat satisfacere, *pro toto hu-*
*mano genere: Deus autem* (intellige etiam purus) *non*
*debebat satisfacere*, nec erat satisfactionis exhiben-
dæ capax: purum hominem non tantum intelligit
eum qui sit ex stirpe Adæ, neque solum qui possit
cogitari factus in puris naturalibus; sed generali-
ter eum qui non sit Deus: purum enim hominem
opponit Deo, sicut Deũ homini; undè consequens
est quod Deum, sive purum Deum, intelligat eum
qui tantùm sit Deus, & non simul homo. Loqui-
tur autem de satisfactione perfectâ & condignâ,
quemadmodum patet ex resp. ad 2. satisfactione,
enim imperfecta homo purus supernaturalibus
gratiæ donis instructus potuisset satisfacere.

Circa eandem ultimam rationem sciendum est
quod primus homo cum suâ posteritate actus in
culpam, servus fuit & peccati, & diaboli: Nam
cum morte incurrit captivitatem sub ejus potesta-

te,

Universidad de Deusto
Biblioteca



te, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, A diaboli, ait Synod. Trident. sess. 5. Canon 1. conformiter Apostolo Petro, 2. Epistol. cap. 2. *A quo quis superatus est, hujus & servus est.* Hinc diabolus vocatur *Rex super omnes filios superbiæ*; Job. 41. *Princeps hujus mundi*, Joan. 12. 14. 16. & dicitur habere potestatem tenebrarum, Luc. 22. & ad Coloss. 1. Imperium mortis. Ad Hebr. 2. jugum quo premat baculum, sceptrum, virgam dominantem, Isaiæ 9. & 14. Vide parabolam de forti armato, Matth. 12.

*Homo per peccatum est servus diaboli. 2. Petr. 2. Joh. 41. Joan. 12. Act. 26. Ad Coloss. 1. Ad Heb. 2 Isai 9. 14 Jus diaboli in peccatores.*

Ex quibus contra Pet. Abailliardum liquet diabolum peccato nostro acquisiviſſe sibi jus, potestatem, & dominium in homines; quod tamen, si ipse spectetur, nonnisi tyrannicum est; sed si merita hominis debitum. *Superbia hostis antiqui*, ait S. Leo ser. 2. de Nativ. *non immerito in omnes homines jus tyrannicum vendicabat, nec indebito dominatu premebat.* &c. Et Bern. Epist 190. affirmat hoc diaboli quoddam in homines jus etsi non jure acquisitum, sed nequiter usurpatum, justè tamen permissum: ut proinde homo justè captivus teneretur, justamque in eum diabolus haberet potestatem; quæ tamen justitia non erat in diabolo, sed in Deo. Unde prætium Redemptionis nulli debuit exhibere nisi Deo. Consentit his B. Tho. q. 46. ar. 3. ad 3. & q. 48. ar. 4. ad. 2. B

Portò convenientius fuisse, ut ad reparandum genus humanum, Deus non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ; convenientissimumque ad hoc fuisse Incarnationis mysterium; egregiè docet Athan. l. 3. contra Arian. Aug. l. 13. de Trin. c. 13. & 14. Enchir. c. 49. l. 10. de Civ. Dei c. 24. Greg. l. 17. Moral. c. 16. Bernard. Ep. 190. Leo in varijs sermonibus, de Nativ. & passione, & alij communiter, justum arbitrantes; *Primò* ut liberi dimittantur credentes in eum, quem sine ullo peccati merito iniquissimè diabolus occidit: *Secundò*, ut hostis humani generis, de eo quod vicerat, vinceretur: *Tertiò* ut victor hominis, ab homine vinceretur: *Quartò*, ut homo aliundè lapsus in culpam, aliunde restitueretur in gratiam: *Quintò*, ut sicut per hominem mors, ita & per D hominem vita. C

*Quare per Incarnationem conveniebat nos liberari.*

Confirmatur, Deus est judex justus, & etiam summè misericors; ergo medium reparandi homines convenientissimum est, in quo exercetur summa misericordia & summa justitia: tale autem est in proposito. Nam, est summa misericordia sine diminutione justitiæ; & summa justitia, sine diminutione misericordiæ; dum Pater & Filium suum nobis mittit propitiatorem, & in eo justam accipit satisfactionem; ut sic miseriam tollat summâ misericordiâ, & offensam summâ justitiâ. Unde patet, in isto mysterio elucere misericordiam, justitiam, sapientiam, bonitatem, liberalitatemque divinam. Plura videantur apud Bonav. & alios in E 3. d. 20. q. 2.

AD ARGUMENTA verò, & AD 1. quidem Respons. assumptionem veram esse de omnibus rebus creatis quæ non habent infinitatem ex conjunctione ad Deum, & quatenus illam non habent. Nam alioquin, quædam inveniuntur quibus non potest aliquid fieri melius ex aliqua parte: ut natura humana Christi, quâ licet melius aliquid fieri possit, in quantum est creata; quantum tamen ad unionem cum Verbo, non potest aliquid esse melius. 1. non potest uniri rei meliori. Ita B. Th. in. 1. d. 44. art. 3. & 1. part. q. 25. art. 6. ad 3. Sicut autem humanitas Christi propter illam unionem est nobilissima, nec potest acquirere nobilius esse, ita reparatio per Christum, quia est reparatio Dei & hominis, nobilissima est, nec melior excogitari potest.

AD 2. Neg. Conseq. Perfectius enim est opus in quo cum summa misericordia elucet simul summa justitia, quam in quo sola misericordia; hîc autem *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculata sunt.* Et quia Deus infinitè connexuit utramque; ideò una nihil diminuitur ex altera. Undè patet responsio ad confirmationem. Conferri potest Damas. l. 3. de fide, c. 1. & Bonav. in 3. d. 20.

AD 3. RESP. id regulariter verum esse in hominibus, ijsque privatis; non in Deo neque in homine judice. Primum, quia homines privati satisfactionem expetunt vel ex odio & indignatione vel ex desiderio suæ utilitatis; Deus autem *bonorum nostrorum non eget.* Secundò, quamvis privatũ decet remittere offensam sine satisfactione, judicẽ tamen non decet. Hujus enim est, sic uti misericordiâ, ut non obliviscatur justitiæ: Deus autem est justus judex. Dixi, *regulariter*, quia si commune bonum postulet satisfieri offensæ, majoris virtutis erit satisfactionem exigere; quam remittere. Præterea cum majoris sit liberalitatis non solum remittere offensam, sed etiam dare pretium Redemptionis, & vires, ac modum satisfactionis; major hic est misericordia quàm alioquin fuisset.

AD 4. Tam reparatio quam prædestinatio est ex parte nostri gratuita; neutram enim possumus mereri: sed Christus utramque nobis promeruit. Possumus tamen aliquem prædestinationis effectum mereri, & non reparationem; partim quia nostra reparatio est initium merendi; principium autem meriti non cadit sub meritum, partim quia effectus prædestinationis ordinem habent inter se, ita ut unus sit causa alterius, ut q. 23. 1. p. dictum est. Nihilominùs autem servatur proportio causæ ad effectum, quia utraque ordinatur ad gloriam.

AD. 5. Neg. Assumpt. neque enim satisfactionem ideò requirit Deus, quia indigeat, sed ut justitiæ satisfiat, & utilitati nostræ consulatur. Et quamvis potentiam, cùm in opere creationis ea satis apparuerit, non esset necesse ostendere, maximam tamen hîc ostendit, tum rei difficillimæ congruentissimum exitum invenit.

AD 6. Neg. Assump. Probatio vera est cæteris paribus, quæ hic non sunt, quia Deus non tantùm expetijt satisfactionem, sed eam exhibendam Filium suum nobis misit; & sic ipsemet Filius offensus satisfecit, viresque præbuit, ut & nos satisfaciamus.

AD 7. Neg. Cons. tum quia nos non sumus judices, sicut Deus; tum quia etiam sic exemplum dedit; subditis quidem, parcendi; superioribus verò justitiam servandi.

AD 8. Non fuit prodigalitas: Primò quia vita humana Christi non fuit deperdita, niti ad triduum. Secundò, quia recta ratio dictat perfectius ordinari posse ad imperfectius, non sicut ad finem ultimum, sed sicut ad effectum, & sicut ad id quod perficiatur & adjuvetur. Tertiò, quia Dei gloria ad quam vita & Christi & hominum ordinabatur, excellit vitam Christi.

AD 9. quamvis in puniendo peccata, oporteat illum puniri qui peccavit; in satisfaciendo tamen, unus potest ferre pœnam alterius, quia in illo pensatur



satur ejus qui peccavit; iniquitas; in isto, satisfacientis charitas, ait B. Th. 4. contra Gent. cap. 55. Deinde, Christus oblatus est non invitus, sed quia voluit; traditusque est à Patre, qui Dominus est vitæ & mortis. A

AD 10. Passio voluntariè à Christo suscepta medium fuit per se ad hominum salutem ordinatum; peccata verò crucifigentium permissa fuerunt, non ad eam ordinata.

AD 11. Neg. Conseq. voluit enim Deus in una natura misericordiam, in altera justitiam manifestare, ob rationes 1. p. qu. 64. ar. 2. indicatas.

AD 12. Neg. etiam Conseq. Nam & per Incarnationem potuit omnes salvare; sed, *si omnes* B *liberarentur, lateret quid peccato per justitiam deberetur*, ait Aug. Ep. 105. *nec beneficium quod quibusdam gratis tribuitur, appareret, nisi Deus alijs ex eadem massa pariter reis, justo supplicio condemnatis quid utrisq; deberetur, ostenderet*, inquit idem l. 2. ad Bonif. c. 7. Quod autem pauci salventur, non est ex defectu Incarnationis, sed ex malitia voluntatis eorum qui non adhærent illi per fidem & charitatem; quam malitiam cur ab omnibus non tollat, vel impediat, *Noli quærere, si non vis errare.* Inscrutabilia sunt enim judicia ejus. Ex his patet, quid sit dicendum ad id quod

## QUÆRITUR II.

### *An Christus non tantum sit Doctor sed etiam verus hominum Redemptor.*

*Quid sit redimere.*

EST enim affirmandum, sicut & Scriptura clarè affirmat, dicens ad Ephes. 1. *In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus.* 1. ad Tim. 2 *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* 1. Petr. 5. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis &c, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Apoc. 5. *Redemisti me Deo in Sanguine tuo.*

Confirmatur, redimere est vel numerato pretio liberare captivum aut servum ab eo qui habet in D illum potestatem; vel rem quamcumque alienatam aut occupatam pretio accipere, Liquet autem ex dictis, hominem sustinuisse servitutem peccati, diaboli, & mortis, à quâ nos Christus liberavit per suam Passionem & superabundantem satisfactionem: ergo nos redemit. Satisfactio enim cujusli-bet pro se vel pro alio, pretium quoddam est, quo se vel alium redemit ab eo cui erat obstrictus, adeò ut & homo pœnas peccatorum suorum redimere dicatur, voluntaria pro ijs satisfactione; juxta illud

*Dan. 4.* Dan. 4. *Peccata tua elemosynis redime.*

Pretium autem à Christo persolutum modò vocatur passio, scilicet ipsum satisfactionis opus, modò Sanguis Christi, modò ipse Christus: Matt. E 20 *Filius hominis venit dare animam suam, redemptionem pro multis*, 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno* Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis.*

*Matt. 20. 1. Cor. 6. Gal. 3. 1. Tit. 2.* Tit. 2. Hebr. 9. 1. Joan. 3.

Hic accedit declaratio Conc. Tridentini. Cùm enim Sess. 5. can. 1. & Sess. 6 cap. 1. dixisset omnes homines in prævaricatione Adæ perdidisse innocentiam, & fuisse captivos sub potestate diaboli: eâdem Sess. cap. 2. dicit Christum ad hoc à Patre missum ut eos redimeret.

Ex quibus patet S. Bern. Ep. 190. meritò impugnare Abaillardum contra sentientem: Vide q. 48. seq. art. 4.

Quòd si quæras: quorum hominum redemptor sit Christus. RESP. quod omnium, quemadmodum Scripturæ frequenter exprimunt. Pretium enim quod persolvit, valet quoad sufficientiam, pro omnibus hominibus; atque ita etiam oblatum fuit Deo Patri. Portò veritas hæc multum roborabitur, si ostenderimus Christum obtulisse pretium æquale offensæ, imo superabundans.

## QUÆRITUR ERGO III.

### *An Christus satisfecerit secundùm perfectam justitiam.*

VIDETUR quod non: Primò, quia filij ad patrem, servi ad dominum, ejusdem ad seipsum, non est perfecta justitia, ut post Philosophum docet Author 2. 2. q. 57. ar. 4. Christus autem in natura servili satisfecit, & Patri & sibi-ipsi. Nec responderi debet suffeciſſe diversitatem naturarum: justitia enim propriè dicta requirit diversitatem suppositorum, inquit idem q. 58. ar. 2.

SECUNDÒ, satisfactio quæ nititur gratiâ & beneficio creditoris, non est secundùm rigorem justitiæ: talis autem est Christi satisfactio. Maj. patet quia gratia & justitia opponuntur. Min. prob. quia valorem habuit ex gratia unionis, quæ est beneficium gratis impensum à Deo creditore.

TERTIÒ, Satisfactio debet esse ex indebitis: totum autem quod Christus gessit, debebat Deo, tùm gratitudinis, tum obedientiæ causâ. C

QUARTÒ, Satisfactio Christi non fuit æqualis offensæ: nam offensa est infinita ex parte objecti, eò quod sit contra Deum; ac insuper, quia (quantum est ex parte sua) est destructiva Dei, si Deus esset interitus capax. Omnis autem Christi actio fuit infinita non solùm in genere naturæ, sed etiam in genere moris: fuit enim humanitatis, tanquam instrumenti.

QUINTÒ, Christus non substituit tantam pœnæ acerbitatem quanta est damnatorum; nec tam diuturnam, quia non æternam: peccatum autem mortale meretur illam acerbitatem & æternitatem pœnæ ergo non plenè satisfecit.

SEXTÒ, satisfactio debet fieri per bona quæ non sunt creditoris: operationes autem Christi erant bona & beneficia Dei creditoris, qui manebat earum Dominus.

SEPTIMÒ, Christus oravit Patrem pro nostra salute: oratio autem innititur misericordiæ, non justitiæ.

OCTAVÒ, Pater non obligabatur acceptare satisfactionem Christi, ejusque intuitu salutem nobis conferre. Si enim & humanitatem ejus, & omnes homines annihilasset; quis justè posset conqueri?

NONÒ, Si satisfactio Christi fuit sufficiens, ut quid ergo exigitur à pœnitentibus ut satisfaciant? ut quid mortem aliasque peccati originalis pœnas patiuntur? Quare non omnes salvantur, cùm omnes sint redempti?

DECIMÒ, Homines pro suo peccato non debebant Deo satisfactionem ex justitiâ: ergo nec Christus. Ipse enim non potuit subire aliam obligationem erga Deum, quam homines haberent. Antecedens probatur. quia obligatio satisfaciendi ex justitia semper nascitur ex justitia violata; ubi enim hæc non est violata, non postulatur satisfactio. Sed homines peccantes peccato superbiæ, in-

tem-

Universidad de Deusto
Biblioteca



temperantiæ,aut simili, non peccarunt contra ju- A stitiam propriè dictã ; alioquin sequeretur homines in quovis peccato bis peccare, quia contra duplicem virtutem specialem , justitiam scilicet , & temperantiam, obedientiam vel aliam:ergo.

UNDECIMÒ , Satisfactio rigorosa requirit debitum in satisfaciente : Christus autem nihil debebat Patri, cùm non peccaverit.

DUODECIMÒ , Passiones Christi fuerunt imperfectè : adimplentur enim per Paulum ad Coloss. 1. ergo non fuerunt ex perfecta justitia.

His similibusque argumentis moti nonnulli , inter quos Scotus in 3. dist. 19. partem istam defendunt.

*Resp.* VERUMTAMEN longè probabilior ac verior B est PARS AFFIRMATIVA , scilicet Christum satisfeciſſe secundùm veram & propriè dictam justitiam.

PROBATUR PRIMÒ , ex Scripturis. *Non sicut delictum,ita & donum. Vbi abundavit delictum , superabundavit gratia,* Ad Rom. 5. quibus verbis *Rom. 5.* significare voluit Apostolus beneficium Christi esse potentius & efficacius peccato : sed peccatum de rigore justitiæ intulit damna quibus homo erat obnoxius:ergò gratia Christi etiam de rigore ju- *Hebr. 10.* stitiæ damna illa paravit. Ad Hebr. 10. *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata:* sed ex acceptatione divina poterant per sanguinem istum auferri peccata;ergo Apostolus loquitur de C plena justitia,quando dicit Christum venisse ad satisfaciendum pro nostris peccatis. Et confirmatur, de Christo enim scribitur 1. Joa. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris ,non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et Ps. 129 *Copiosa apud eum redemptio.* Ad Col. 1. *Habemus redemptionem in Christo per sanguinem ejus* Et Cap. 2. *Expolians principatus & potestas , traduxit confidenter , palam triumphans illos in semetipso* Marc. 3. *Alligavit fortem,* id est, Diabolum, *& domum ejus diripuit.*

SECUNDA PROBATIO est ex patribus : Quorum alij diabolum æquissimo jure victum asserunt, ut Aug. lib. 13. de Trin. c. 14. Alij effusionem Sanguinis Christi tam potentem fuisse dicunt D ad privilegium,tam divitem ad prætium,ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet;nullum diaboli vincula retinerent. Sic Cajus Papa in Epistola decretali, Agapetus in epistola ad Anthimum, Leo Epistola 83. & 97. & ser. 12. de Passione. Alij plenam fuisse dicunt satisfactionem, ut Athanas. l. de incarnatione : Alij dignum pretium,ut Basil. in Psal. 48. Alij sufficiens ad redemptionem totius mundi, ut Cyrillus l. 1. de recta fide ad Reginas: Alij quod pretij magnitudo superaret negotium,nec æquari posset damnum promeritum obedientiæ Christi ; ut Cypr. vel quisquis sit author tractatûs de Ascensione.

Hinc Chrysost. hom. 10. in cap. 5. ad Roman. E *Multò plura ijs quæ debebantur dependit Christus,atque adeò tantò plura, quantò mare immensum ad pusillam guttam collatum,majus esse posit.*

Et Clemens 6. in extravag. *Vnigenitus,* de pœnit. & remissionibus , *Non guttam Sanguinis modicam ( quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione generis humani sufficisset ) sed copiosè velut quoddam profluvium nosci tur effudisse.*

Nec apta est quorundam responsio , hoc ideò dictum , quia Christus potuisset nos redimere per minus aliquod opus , accedente Dei permissione non servata æqualitate justitiæ. Nam Pontifex pro causa , adfert unionem ; quasi diceret ex supposito ( quod est Persona divina ) valorem hunc & dignitatem habuisse , etiam unius guttæ sanguinis effusionem.

Eodem pertinent & aliæ Patrum sententiæ Aug. Enchir. c. 108. Leo ser. 1. de Nativ. & aliorum, quibus significant necessitatem Incarnationis tantam , ut si Christus non esset Deus , non adferret remedium. Nisi enim ejusmodi intelligantur de satisfactione ex perfecta justitia ; erunt falsæ ; si quidem potuit homo purus per satisfactionem imperfectam adferre remedium.

TERTIA PROBATIO est ex Scholast. inter quos Doctor Communis quæst. 48. seq. art. 2. *Passio,* inquit, *Christi non solùm sufficiens sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis.* Et l. 4. contra Gent. c. 55. *Mors Christi sufficiens fuit ad omnium expianda peccata.* Et hîc ad 2. satisfactionem Christi condignam fuisse asserit. Consentiunt Bonavent. Paludanus, Richardus in 3. d. 20. Soto in 4 d. 19. Bannes in 1. p. q. 21. Medina & alij hîc.

His accedunt & rationes. PRIMA, Satisfactio Christi tum ex parte offerentis , tum ex parte rei oblatæ fuit infiniti valoris ; Deus enim erat qui seipsum offerebat : ergo ex natura rei , & secluſa Patris acceptatione , habebat valorem æqualem offensæ.

SECUNDA, Christus dedit pretium æquale,imò majus,quàm esset offensa; dedit etiam ex proprijs & aliàs indebitis:ergo satisfecit ex perfectâ justitia. Antec. Probatur,quia dedit seipsum , suasque operationes , quæ sunt infiniti valoris. Quod autem ex proprijs dederit, satis clarum videtur : gratia enim, charitas , & cætera charismata erant Personæ Verbi, tanquam absolutissimi Domini , cui proinde nihil est gratuitò donatum ad hoc ut esset potens satisfacere , sed totum quod gratis datum invenitur ipsi humanitati datum est. *quidquid* , ait S. Leo Ep. 83. *in tempore accepit Christus secundùm hominem accepit; cui quæ non habuit , conferuntur :* Et consequenter etiam unio hypostatica beneficium erat humanitatis, non Personæ Verbi.

Ut consequentiæ vis intelligatur, notandæ erũt solutiones argumentorum : ante quas tamen observandum est, quid sit satisfactio ; & quid requiratur ad ejus perfectionem secundùm justitiam.

*Quid satisfactio.* Satisfactio est debiti solutio:sed cum debita sint varia , de eo solo hic sermo est , quod nascitur ex divinæ legis transgressione. Cùm enim per eam factus sit homo mortis æternæ debitor;justitia Dei exigebat , ut vel in æternum periret , vel aliquid æquivalens pro eo solveretur. *Nam,* ut ait Aug. l. 26. contra Faustum, c. 3. *ad naturalem justitiæ ordinem pertinet,ut aut peccata non fiant,aut impunita esse non valeant.* Verùm si homo per se satisfaceret ; nunquam liberaretur à morte æterna : non enim pro se aliter satisfacere poterat, quam ipsam quam meruerat, mortem æternam sustinendo. Ut ergo & liberaretur,& justitiæ divinæ fieret satis ; Verbum caro factum pro homine satisfecit.

*Quæ ad perfectam satisfactionem necessaria.* Ad perfectam verò satisfactionem requiritur primum & potissimum condignitas,quàm Author hic & q. 48. ar. 2. expressit;in eo consistens,ut opus satisfactorium in bonitate & valore sit æquale malitiæ quæ est in offensa ; sive , sit æqualitas inter rem & rem , solutionem & debitum , opus & offensam. Quæ quidem condignitas provenire debet ab ipso satisfactore, tanquam ex causa ; sicut gravitas



gravitas malitiæ quæ est in offensa , provenit ab A offendente. Nam si opus satisfactorium valorem & condignitatem accipiat, non à satisfaciente,sed ab eo cui satisfactio fit ; aliquid minuitur de rigore justitiæ; quia est gratia & remissio quædam virtualis.

SECUNDÒ, requiritur ut satisfactio fiat ex proprijs, id est , illis quæ verè & propriè sunt satisfacientis ; sive interim fuerint ei gratis donata à creditore , sive non ; modò per donationem facta sint ejus,cum libertate disponendi de illis. Ex quo intelligitur multò magis veram & propriam fore satisfactionem,si quis satisfaciat ex ijs quæ suo labore & industria acquisivit , operans per ea quæ creditor ei donaverat. Juxta hæc intelligendum B est quod alij requirunt , ut satisfactio non nitatur gratia creditoris ; ita scilicet ut valorem habeat ab ipsomet satisfaciente , non autem ex gratuita acceptatione creditoris.

TERTIÒ,ad satisfactionem perfectè justam requiritur , ut fiat ex alijs indebitis , id est , ex illis quæ non debebantur eidem creditori alio titulo justitiæ. Quod autem sint debita titulo gratitudinis , obedientiæ vel alterius virtutis , non minuit perfectionem justitiæ ; quia non minuit æqualitatem. Conditionem hanc significârunt Ansel. in libris Cur Deus-homo , Aug. libr. 13. de Trinitate,capite 14. Leo epist. 97. & Scholastici in 3. d. 20. C

Ad argumenta verò PRIMUM ET SECUNDUM certa responsio est, Christum satisfeciſſe ut sustinentem personam generis humani , atque ita in se susc ipientem peccata illius , secundùm quod Aug. exposit. 2. in Ps. 21. dicit; *delicta nostra sua delicta fecit.* Atque ita facilè invenitur distinctio ad veram justitiam requisita.

Insuper tamen AD 1. ARG. Resp. potest , inter patrem & Filium parvulum qui adhuc est sub cura parentum nec habet bona propria , imò nec proprium voluntatem distinctam à voluntate patris (quantum saltem attinet ad dispositionem rerum externarum) non posse esse perfectam justitiam : posse tamen esse inter patrem & filium D emancipatum, qui habet bona propria estque sui juris & voluntatis. Cùm ergo Christus sit persona realiter à Patre distincta , habeatque naturam & voluntatem humanam ab eodem distinctam ; nihil vetat inter eum & Patrem fuisse veram justitiam.

Inter dominum quoque & servum tunc demum justitia esse non potest , quando servus est mancipium, nihil juris habens,nulliusque rei dominium:omne enim quod talis acquirit,non sibi, sed domino acquirit : Ejusmodi autem servus Christus dici non potest , quia habuit propria , fuitque Dominus omnium.

Ejusdem verò ad seipsum . non potest esse per- E fecta justitia;quia non est sufficiens diversitas. Et quia in naturalibus non inveniuntur diversæ naturæ sine diversitate suppositi:ideò inter homines non est justitia,nisi sint diversa suppositа; eò quod alioquin non sit ad alterum. At verò Christi ad seipsum , ideò potuit esse vera proprièque dicta justitia & satisfactio ; quia propter diversarum naturarum distinctionem , earumque diversas voluntates , habentes dominium suorum actuum , sufficiens exitit ratio justitiæ ad alterum. Itaque Christus ut Deitatem habens acceptat satisfactionem , quam ipse ut humanitatem habens offerre-



bat,quomodo Aug. l. 10. de Civ. c. 20. dicit,quod Christus in forma Dei sacrificium cum Patre sumat & tamen in forma servi sacrificium sit : & in Psal. 29. quod Christus homo sit mediator inter Trinitatem & homines.

AD SECUNDUM patet Responsio ex dictis , quia non Christus satisfecit per gratiam unionis , sed per suos labores , suasque operationes ; nec opera ipsius habuerunt valorem ex gratia personæ satisfacienti collata , sed ex dignitate ipsi connaturali & propria.

AD TERTIUM, non videtur quod Christus ob solam gratitudinem debuerit tanta pati:quamquam & si debuisset , nihil propter hoc justitiæ deperiret , quandoquidem ex justitia non tenebatur. Deinde , quando pretium quod persolvitur est infinitum, potest per illud solvi id quod pluribus justitiæ titulis debebatur.

AD QUARTUM , Neg. Ass. Ad cujus intelli- *Peccatum non est simpliciter infinitum.* gentiam observandum est peccatum non esse infinitum simpliciter. PRIMÒ , quia alioquin omnia peccata ( quamvis inæqualia forent ratione objecti & circumstantiarum ) simpliciter essent æqualia ; quemadmodum operationes Christi , quamvis ob hanc vel illam circumstantiam essent inæquales in merito & valore , si secundùm se& excluſa consideratione operantis spectentur ; simpliciter tamen fuerunt æquales in intensione & valore; propter dignitatem operantis.

SECUNDÒ , quia sequerentur alioquin hæc absurda dari summum malum : Deum per omnia peccata mortalia æquæ offendi ; peccatorem tantum demereri uno actu peccati mortalis, quantum Christus promeruit uno actu meriti ; peccatorem mereri pœnam intensivè infinitam : & similia.

TERTIÒ , Quia peccatum non habet infinitam malitiam; neque ex operante vel ejus conatu (ille enim est finitus; neque ex objecto:nam illud solũ tribuit actui bonitatem & malitiam terminativè, neque tantam dat quantam habet, sed juxta mensuram & modum quo potentia tendit in illud.

Confirmatur, bona opera justorum non sunt simpliciter infinitæ bonitatis:ergo nec opera mala impiorum sunt simpliciter infinitæ malitiæ. Sicut enim hæc avertunt à Deo qui est infinitus , ita illa convertunt & ordinantur ad Deum , adeò ut opera illa bona non minus habeant Deum pro objecto quam opera mala.

Denique , bonitas actus quæ tollitur per peccatum, est finita simpliciter , tanta scilicet quanta poterat inesse:ergo & malitia peccati ; quia utraque versatur circa Deum. Ita sentiunt Palud. in 3. d. 20. Scot. in 3. & Soto in 4. d. 19. estque Authori nostro consentaneum, qui Opus. 2. c. 7. dicit peccatum contra legem Dei commissum , habere quodammodo injuriam infinitam;& hoc loco,habere infinitatem , non simpliciter , sed quandam: Eodemque modo loquitur in 3. dist. 20. assignans quâ ratione peccatum Adæ dicatur infinitum secundùm quid ; scilicet ratione objecti quod est Deus : ratione boni amissi quod est vita æterna , & ratione naturæ quam sic infecerat,ut quotquot naturaliter ex ea nascerentur , necessariò essent peccatores.

Quod autem sumitur,peccatum quantum est ex parte sua, esse destructivum Dei ; posset quidem admitti quatenus peccator per hoc quod præfert creaturam Deo , implicitè vult Deum non esse : simpliciter tamen est falsum;non enim est tanta vis

Universidad de Deusto
Biblioteca



peccati, sed solum tollit extrinsecè à Deo rationem ultimi finis; à peccante verò moralem rectitudinem, eò tamen concesso, non sequeretur infinita peccati malitia: nam effectus peccantis est finitus; nec actio ex se damnificativa infinitè est, infinitè mala, si non sit damnatum istud illatura, imò nec possit inferre, & hoc prævideatur.

*Operationes Christi etsi finitæ sed ob. loris infiniti.*

Ad alteram argumenti partem Resp. operationes Christi licet in ratione entis finitas, fuisse tamen propter suppositum divinum valoris infiniti, multò aliter quàm peccatum: quia persona operans habet se respectu sui operis (præsertim vitalis & immanentis) per modum intrinseci; persona verò in quam peccatur, est quid extrinsecum. Hinc est quod etiam in humanis tantò majoris æstimatur humiliatio & satisfactio, quantò procedit à persona digniore; ut quæ est à Rege, quam quæ est à milite. Confirmatur, qui per humiliationem sui satisfacit, non tantum offert alteri eam actionem quâ se humiliat, sed etiam offert seipsum; ac proinde persona satisfaciens cum tota sua dignitate pertinet ad rationem satisfactionis, valoremque propterea illi confert qualem habet, & vult principium ejus intrinsecum: Non sic verò se habet persona quæ offenditur ad actionem offendentis, cum sit ei prorsus extrinseca.

Porrò valor operationum Christi, qui dicitur simpliciter infinitus, non est aliqua substantialis, seu Physica entitas infinita, quæ & à persona Verbi distincta & operationi satisfactoriæ sit intrinseca; sed est dignitas & appretiatio secundùm æstimationem moralem, quâ operationes ejusmodi dignæ sunt infinitâ æstimatione propter infinitam dignitatem personæ illas facientis. Verùm quidem est humanitatem fuisse instrumentum divinitatis ad illas, quod tamen eas operabatur, erat Verbum divinum: Actiones enim sunt suppositorum: humanitas autem non erat illarum principium quod, sed solum principium quo.

Adde quod operationis dignitas desumenda est ex dignitate principalis operantis quocunque instrumento utatur, si ipse possit ac velit instrumentum vile elevare.

Ad Quintum, Neganda est Consequentia quia utrumque illorum abundè supplevit personæ patientis dignitas, charitas, & benevolentia, quæ potissimum in satisfactione considerari debent, ut docet Author 4. contra Gentes cap. 55.

Ad Sextum, certum est operationes Christi peculiari quâdam ratione ad eum pertinuisse, utpotè à libero ipsius arbitrio profectas, ideòque offerri potuisse toti Trinitati. Generale autem & universale Dei dominium in omnes creaturas, non magis obstat huic Christi dominio, quam obstat dominio aliarum rerum, quas homines tanquam domini possident.

Ad Septimum, oratio Christi fuit unum ex medijs à Deo ordinatis ad salutem nostram: unde per eam Christus & ex meritis, & ex dignitate sua habuit quod petebat. *Exauditus est* enim *pro sua reverentia*, Hebr. 5. Quam scilicet erga Patrem semper habuit, & ob quam dignus erat exaudiri. *Hebr. 5.*

Ad Octavum, Ut intercedat vera justitia inter aliquos, non est necesse unum teneri acceptare quod ab altero offertur: Nam etsi Rex aut mercator non teneatur acceptare justum captivi vel mercis pretium; si tamen acceptet, vera intercedet justitia, modò sit æqualitas rei ad rem.

Deinde, quamvis Deus (qui propriè non est capax debiti vel obligationis) secluso pacto non teneretur ex justitia satisfactionem Christi acceptare: ex necessitate tamen naturali quâ fertur in Filium; Item supposito quod vellet habere aliquam satisfactionem, non poterat istam rejicere.

Ex suppositione verò pacti & promissionis, nõ potuit salva justitia non acceptare: *Fidelis enim est & negare seipsum non potest*, 2. Ad Timoth. 2. *2. ad Ti. 2*
Pactum autem illud significatur, Isai. 53. *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*: Et Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*; Itemque, *Sic Deus dilexit mundũ, ut Filium suum unigenitum daret*, Joan. 3. *Isai. 53. Psalm. 2. Ioan. 3.*

Neque verò hæc necessitas acceptationis sonat imperfectionem; quia non oritur ab extrinseco, sed ab ipsamet voluntate Dei promittentis, neque facit Deum simpliciter alteri debitorem, sed sibi suæque promissioni & ordinationi, in quantum est debitum ut illa impleatur. Vide 1. part. quæstion. 21. articul. 1. & quæ diximus 1. 2. qu. 114.

Ad Nonum Resp. rationem esse, ut Christo conformemur, ut exerceamur, ut passio Christi nobis applicetur, quæ licet sufficiens sit pro salute omnium; non tamen est efficax, nisi applicata.

Ad Decimum, Neg. Ant. peccatum enim mortale est vera ac propria injuria Dei; alioquin peccatores non deberent satisfacere. Neque tamen semper est duplex peccatum: quia peccata multiplicantur ex objectis, non autem ex eo quod communiter invenitur in omnibus.

Ad Undecimum, Non est necesse, ut qui satisfacit pro alijs, sit debitor, : satis est quod aliorum debita in se suscipiat.

Ad Duodecimum, Nego Assumptum vel enim sensus est. Apostolum patiendo adversa adimplere ea quæ sunt passionum quos pro Christo sustinere debebat; vel potius; quia Christus hîc præsentialiter agens non per se omnia fecit quæ requiruntur ad hoc ut Ecclesia (quæ est corpus mysticum) sit omnibus suis numeris absoluta & perfecta (non enim fidem prædicavit in Gentibus, ubi multa futura erant membra illius corporis mystici: Apostolus adimplet ea quæ desunt Passionum Christi, dum præter eas quas Christus passus est, ipse etiam multas patitur; hortando, prædicando, docendo, ut Ecclesia multiplicetur, & multiplicando perficiatur. Confer Sasboldum in illud cap. *Coloss. 1.*

Cur autem hinc non sequatur injustitia in Deo Patre, qui non omnes salvat; vide ad quæstionem 19. art. 4.

## QUÆRITUR IV.

*An purus homo potuerit satisfacere secundùm perfectam justitiam pro peccato humani generis.*

Videtur quod sic: Primò quia teste Bernardo epist. 190. non deerant Deo alij modi non solum liberandi & justificandi hominem, sed & redimendi.

Secundò, Ille propriè satisfacit de condigno, qui exhibet offenso id quod æquè aut magis diligit quam oderit offensam, ut dixerit quæst. 48. seq.



seq. art. 1. sed purus homo per actum charitatis reddit Deo id quod æquè aut magis diligit: ergo.

Tertiò, In homine est meritum de condigno: ergo etiam potest esse satisfactio.

Quartò, peccatum non habet malitiam simpliciter infinitam: ergo potest adæquari per aliquod bonum opus, aut certè per plura; præsertim cùm satisfactio hominis justi etiam habeat quandam infinitatem, ut habetur in supple. q. 13. art. 1. ad 1.

Responsio tamen Authoris negativa, certa est, quam hîc in Corpore, & ad 2. & qu. 46. art. 1. ad 3. & lib. 4. contra gentes c. 55. & alibi tradit; per purum hominem intelligens, non eum qui in puris naturalibus nasceretur, sed eum qui non est simul Deus, quemadmodum supr. quæstio 1. declaravimus.

Probat autem duplici ratione. Prior est, quia tota natura humana erat per peccatum corrupta, nec bonum alicujus personæ vel plurium poterat per æquiparantiam recompensare totiùs naturæ detrimentum.

Si dicas potuisse aliquem creari extra massam perditionis, qui foret caput omnium hominum: In primis responderi potest hoc non fuisse futurum propter dignitatem personæ, sed ex merâ Dei misericordiâ in homines redimendos, & ex gratuitâ benevolentiâ in redimentem. Deinde, Author loquitur de homine qui communi modo nascitur ex massa perditionis.

Posterior ratio est, peccatum contra Deum commissum habet quandam malitiæ infinitatem ex eo quod sit contra personam infinitam ergo quicumque purus homo detur, sive ex massa corruptionis, sive extra illam, non poterit condignam satisfactionem offerre; quia nihil potest ex se habere, quod tantùm bonitatis habeat, quantum malitiæ vel offensæ habet peccatum. Ad cujus rei intelligentiam, opere pretium est considerare, quod quantò aliqua persona est dignior, tantò illi debetur major reverentia; & consequenter tantò gravior est injuria quæ fit ipsi; ac proinde gravitas offensæ crescit ex dignitate personæ quæ offenditur, non quidem univocè vel secundùm gradum, numerum, aut æqualitatem; sed secundùm proportionem: ita scilicet, ut quantò persona offensa est majoris dignitatis, tantò offensa sit gravior; Et, si persona est altioris ordinis; etiam injuria est superioris rationis. Satisfactionis autem valor crescit ex persona satisfaciente, ut docet Author dicto c. 55. contra Gentes, quia satisfactio consistit in exhibitione honoris, ac in humiliatione & pœna ejus qui satisfactionem exhibet; tantò autem magis reputatur honor & humiliatio, quantò major est persona honorans & se humilians; non solum quia honor est in honorante, sed etiam quia minus ei convenit se humiliare, & alium per subjectionem sui, honorare; ac in super quia seipsam subjicit & offert, ut in resp. ad 4. diximus. Ut ergo satisfactio habeat proportionem æqualitatis cum injuria, oportet quod vel satisfactio vel dignitas personæ satisfacientis tanta sit quanta est gravitas offensæ, & ut proportionem habeat ad personam quæ injuriam passa est: Istam verò sive dignitatem sive proportionem non potest in proposito habere, non solus purus homo, sed nec Angelus: & ideò nulla persona creata potuit condignam satisfactionem Deo exhibere pro peccato humani generis.

*Sylvius in III. Part.*

Nec obstat quod infimæ sortis homo possit perfectè satisfacere excellentiori.

Si enim injuria fiat in honore; ut si Rex percuteretur fuste à plebeio, vel verbis contumeliosis impeteretur; negatur quod per sui humiliationem aut honoris exhibitionem talis posset perfectè satisfacere. Deinde, Deus offensus, & homo purus satisfaciens non solum sunt inæquales, sed nec sunt ejusdem ordinis, nec habent proportionem.

His accedit, quod satisfactio rigorosa non debet niti gratia creditoris, sed debet esse ex proprijs, & aliàs indebitis; debetque condignitatem habere ex persona satisfaciente: Hæc autem nulli creaturæ conveniunt, cum quæcumque creatura assignetur, nihil boni possit operari, nisi Deus ei dederit, (adeò ut & usus gratiæ magis sit Dei quam ejus, quemadmodum affirmat Augustinus in Ps. 137.) nec possit per gratiam prius habitam aliquid boni agere, nisi hoc ipsum gratis accipiat.

Denique, Deus potest satisfactionẽ exigere pro dignitate sui honoris: ergo quicunque homo purus ei offerat opera charitatis Deus potest plus exigere: quia dignitas honoris ipsius infinitè superat dignitatem istorum operum. In hanc sententiam loquitur Proclus Episcopus in Concilio Eph. to. 6. *Homo, quod peccati debito subjaceret, salvare se non poterat: Angelus verò, quod tantum redemptionis pretium ipsi non suppeteret, humanum genus redimere nequibat.* Et in eodem tomo Cyrill. Alex. *Quo pacto unus pro omnibus mortuus justum pro omnibus pretium exolvere potuit, si perpessionem illam puri cujuspiam hominis fuisse dicamus*; Ambr. l. 6. in Luc. c. ult. *Quoniam nullus hominum tantus esse potuit, qui totius mundi peccata tolleret, &c. idcirco non unus è plebe, non unus è numero, sed Filius Dei à Deo Patre electus est.* Greg. l. 24. Moral. c. 1. *Vitiosus homo corrigi non poterat nisi per Deum.*

Eandem hanc doctrinam tradunt Basil. in Psal. 48. Cyrill. l. 1. de recta fide ad Reginas. Fulg. li. de Incarnatione c. 4. & lib. 2. ad Trasimundum c. 2. Leo serm. 12. de passione, Aug. Enchir. 108. alijque communiter tum Patres, tum Scholastici. Alioquin enim Christus gratis mortuus esset, si alius ab ipso potuisset condignum pretium exhibere.

Ex his intelligi potest, quod neque passio vel mors Christi fuerit absolutè necessaria ad nostram libertatem, ut initio hujus art. diximus; ad eam tamen redemptionem quæ fieret secundùm exactum rigorem justitiæ, necessariam fuisse unionem aliquam hypostaticam quâ Deus naturam aliquam assumeret in qua posset satisfacere. Si enim nulla pura creatura potuit rigorosam satisfactionem præstare: ergo ut talis satisfactio præstaretur, necessaria erat persona increata, id est, divina.

Ad 1. Argum. Resp. Bernardum vel loqui de redemptione quæ fieret per satisfactionem non omninò perfectam; vel intelligere modum redemptionis, diversum quidem à morte Christi, qui tamen esset per Christum.

Ad Secundum, Maj. intelligitur de eo quod ex parte exhibentis habet ut æquè sit diligibile, atque peccatum erat odibile ex parte offendentis. Actus autem charitatis quem homo purus offerret Deo, non esset ex parte operantis, ipsumque Deo offerentis, tam diligibilis quam peccatum est ex parte offendentis odibile. Nam Deus dili-

Universidad de Deusto
Biblioteca



dissit actum ut procedentem à persona finita ; A odit verò peccatum ; ut quod sit contra personam infinitam. Deinde, actus charitatis quem potest homo elicere, totus est à gratia, ipsi operanti planè gratuita ; & sic satisfactio quæ per eum fieri potest, innititur gratiæ, ideoque non habet exactum rigorem justitiæ.

Ad Tertium Resp. quod homo justificatus possit per gratiam satisfacere de condigno pro pœnis peccatorum suorum restantibus, sicut potest de condigno mereri gloriam & augmentum gratiæ. Loquendo autem de satisfactione & meritò secundùm omnem rigorem justitiæ, qui requirit, ut ea valorem suum habeant ex se & ex persona merente vel satisfaciente, quale fuit me- B ritum & satisfactio Christi: sic homo purus nec mereri nec satisfacere potest, præsertim pro toto humano genere.

Ad 4. Neg. Conseq. quantumcumque enim actus charitatis crescant in intentione & numero semper manent improportionati, quia sunt personales : peccatum verò & injuria per illud facta, est totius naturæ. Deinde infinitas quam habent, est ex gratia seu misericordia Dei : & non oritur ex dignitate operantis ; atque ita deficit rigor justitiæ.

Circa Responsionem ad 1. adverte Verbum Dei non esse potentius factum per Incarnationem : quia nihil potentiæ illi accessit : potest ta- C men in aliquo genere, & secundùm aliquem modum, operari, secundùm quem alioquin non conveniebat.

## Articulus III.

*Vtrùm si homo non peccasset, Deus Incarnatus fuisset.*

Videtur quod sic : Primò, quia ut ar. 1. dixit Author, ideò conveniens fuit Deum incarnari, quia pertinet ad rationem summi boni summo modo se communicare : quod autem pertinet ad rationem summi boni, fit etiamsi peccatum non præcedat : ergo Deus summo modo se D communicasset. Non est autem perfectior modus se communicandi, quam per incarnationem : ergo

Secundò, Christus primò omnium prædestinatus est : ergo ejus prædestinatio est prior prævisione peccati, ideòque implenda quamvis peccatum non eveniret. Antecedens probatur ex Proverb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, ante quam quid quam faceret à principio* Undè ad Colosſ. 1. vocatur primogenitus omnis creaturæ.

Tertiò, Summum bonum in natura humana non debet esse occasionatũ : Ergo Incarnatio Verbi non est referenda in occasionem peccati.

Quartò, Beatior est homo videns gloriosam Christi humanitatem oculis corporeis, quàm si E non videret : atqui non minus beatus fuisset, si non peccasset quàm nunc sit : ergo.

Quintò, Christus ut homo est caput Ecclesiæ : fuisset autem Ecclesia homo non peccante ; ergo & Christus ut homo.

Sextò, Recta ratio dictat majus bonum non esse ordinandum ad minus : sed gratia unionis majus bonum est quam salus hominum : ergo non ordinatur ad illam.

Septimò, Sequeretur alioquin nobis licere gaudere de peccato, ut quod nobis acciderit magnum gaudium.

Octavò, De se testatur æterna Sapientia, Prov. 8. *Delitiæ meæ esse cum filijs hominum*, quod multò magis verum esset de genere hominum integro & incorrupto.

Nonò, In statu innocentiæ matrimonium significabat conjunctionem Christi cum Ecclesia.

Decimò, Adam accepit in sui creatione effectum prædestinationis Christi, scilicet gratiam ex ejus meritis : posito autem effectu ponitur causa. Antecedens probatur, quia gratia illa erat effectus prædestinationis Adami ; Christus autem prædestinationem ejus, ut & aliorum electorum promeruit.

His similibusve argumentis motus Scotus in 3. d. 7. q. 3. & d. 19. q. unica partem tuetur affirmativam ; cum hac tamen distinctione, quod homine non peccante Deus accepisset carnem, sed immortalem & impassibilem ; ideoque venisset, at non ut Redemptor.

Verum Scripturis & Patribus conformiter loquendo, Dicendum est cum Authore hic, & in primum caput prioris ad Tim. quod si homo non peccasset, Deus Incarnatus non fuisset.

Scripturæ sunt, Matth. 18. & Luc. 19. *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat.* 1. ad Tim. 1. *Venit Christus in hunc mundum peccatores salvos facere.* Gal. 4 *Misit Deus Filium suum factum ex muliere factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.* 1. Joan. 2 *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et c. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Isai 61. *ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* Dan. 9. Indicatur Sanctus Sanctorum ungendus ut *consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.* Zach 3. *Adducam servum meum Orientem &c. & auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Videri etiam possunt c. 3 Io. 1. Joan. c 4. Ad Hebr c. 1. & Matt. 1. Ex quibus, ut & ex multis alijs quæ studiosus lector invenire potest, elucescit quod B. Tho. hìc ait : *In sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur.* Et in 3. d. 1. q. 1. a. 3 *In canone Scripturæ & in dictis sanctorum expositorum, hæc sola assignatur causa Incarnationis, redemptio scilicet hominis à servitute peccati.* Quod ex eo potest confirmari, quia nusquam in scripturis assignatur aliqua Incarnationis causa, quæ sit à liberatione hominis sejuncta. Quamvis enim interdum assignetur Dei bonitas, misericordia, gloria ; nihil obstat : quia omnes istæ causæ coincidunt vel maximè conveniunt cum liberatione hominis. Supposito namque, peccato, maximè decebat ut Deus misericordiam, charitatem, & bonitatem suam ostenderet, liberando inimicos, & eripiendo miseros atque ita glorificaretur. Unde causæ illæ in nostra redemptione clarissimè patescunt. Non obstat etiam quod Scriptura interdum significet causam Incarnationis fuisse exaltationem humanæ nostræ naturæ in Christo : hæc enim exaltatio non erat futura nisi per viam humilitatis & passionis. *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Luc. 24. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem : mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum.* Ad Philip. 2. *Eum qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum*, ad Hebr. 2.

Patres idem cum B. Thoma affirmantes sunt, Athanas. libr. 3. contra Arianos, *Vt fieret homo,*



*mo, nunquam destinatum fuisset, nisi hominum neces-* A *sitas ejus rei causam prabuisset.*

Aug. ser 8. de verb. Apost. *si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Et ser. 9. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.*

Leo ser. 3. de Pentecoste, *Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in sua honore naturæ mansisset*, &c. *Creator mundi creatura non fieret.*

Chrysost. hom. 5. in epist. ad Heb. *Propter hoc carnem assumpsit nostram : propter misericordiam solam ut misereretur nostri, non est enim alia quapiam causa dispensationis quàm hæc sola.*

Ambr. de Incarn. Sacramento, c. 6. *Quæ erat causa incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per* B *se redimeretur.*

Gregor. Nazianz. orat. 36. *Quæ humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa extitit, profectò ut nobis salus pareretur. Quid enim aliud causæ afferri possit ?* Videri etiam possunt. Basilius hom. 25. Gregor. libr. 4. in 1. Reg. cap. 1. & libr. 3. Moral. c. 15. Iren. l. 5. contra hæres. c. 14. alijq; complures : qui cum absolutè pronuntient quod homine non peccante Creator mundi creatura non fieret : quodque non sit alia causa Christo veniendi, nisi peccatores salvos facere ; non solùm negant Christum venturum ut Redemptorem, sed simpliciter negant esse venturum. Hinc in Symbolo canitur ; *Qui propter nos homines & propter nostram* C *salutem descendit de cœlis.*

Quare opinionem illorum qui dicunt, si homo non peccasset, futuram fuisse Incarnationem Verbi, sed non ad mortem pro nobis subeundam, non existimamus sacris Scripturis, Sanctisve Patribus esse consentaneam. Imò, nec rationi convenit. Si enim, etiam homine non peccante Deus erat incarnandus, quamvis non carnem passibilem assumpturus ; possemus dicere ipsum non assumpsisse carnem propter nos, sed solum qualitatem carnis. Sicut, si decrevisti Romam proficisci, sive proximus tui indigeat, sive non ; sed intelligens quod ipse indigeat, ut tu proficiscaris pedestri itinere ; resolvis propter ipsum ire itinere pedestri ; D non ires simpliciter propter ipsum, sed solum ires propter eum tali itinere. Atqui dicere quod Deus non simpliciter propter nos venerit in carne, est contra Scripturam, Patres & Ecclesiam : ergo non potest dici.

Confirmatur, sequeretur ex tali doctrina nos non debere agere gratias Deo, pro eo quod Filius Dei carnem assumpserit, sed solùm quod assumpserit passibilem : Hoc autem est etiam contra morem loquendi tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ. Deinde, quando alicujus operis causa est occulta, ex nulla re melius deprehendi potest quam ex modo executionis : atqui omnia quæ apparent in executione hujus myste- E rij indicant illud esse institutum, propter salutem hominum : ergo non est alia causa.

Ad 1. Arg. Resp. id quod est de ratione essentiali summi boni, esse inseparabile ; actu verò se communicare summo modo, non pertinet ad ejus rationem essentialem, sed solum ad ejus rationem pertinere dicitur, quia est ipsi consentaneum. Quapropter nihil absurdi est dicere, quod homine non peccante Deus non communicasset se ad extra summo modo, sicut nec se communicavit Angelis ; quia communicatio illa libera est & non essentialis.

Ad Secundum, ut respondeatur, plura occurrunt observanda, de quibus non omninò convenit inter Doctores, etiam illos qui B. Thom. secuti, asserunt Deum si homo non peccasset, nequaquam fuisse incarnandum. Quamvis enim in Deo non sint plures actus quorum alij sint priores, alij posteriores, sed ipse uno simplicissimo *Nulli sunt in Deo actus priores & posteriores.* actu omnia simul intelligat, velit, ordinet, ac decernat, unde fit consequens, quod non prædestinaverit Christum uno anteriori actu, & postea homines reliquos alio actu posteriori, nihilominùs propter imbecillitatem nostram distingui solent in Deo diversa instantia seu signa rationis, quæ non diversificantur ex parte Dei, sed ex parte objectorum ; idque juxta modum nostrum concipiendi, & prout alia ab alijs aliquam habent dependentiam. Et in his signis assignandis seu distinguendis non parva est varietas.

Primum igitur quod observandum occurrit est, secundùm ordinem executionis nos posse concipere, quod Deus in primo signo rationis cognoverit tres rerum creabilium ordines, unum naturæ *Varia signa rationis.* cum suis defectibus, secundum gratiæ cum suis pariter defectibus, Tertium unionis hypostaticæ. In 2. quod voluit creare primum ordinem rerum, earumque defectus seu peccata permittere. In 3. quod voluit producere ordinem gratiæ, simulque permittere peccata gratiæ contraria. In 4. quod voluit ordinem unionis hypostaticæ cum omnibus ejus perfectionibus & proprietatibus in remedium peccati, tum primi parentis, tum aliorum hominum ; sive quod voluit Verbum divinum incarnari ad redemptionem humani generis. In 5. quod ex Verbi Incarnati meritis eos homines quos vocamus electos, prædestinavit ad gloriam. In 6. quod hæc omnia ordinavit in gloriam suam, ac etiam in gloriam Verbi Incarnati juxta illud Prov. 16. *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus* ; Et juxta quod Conc. Trid. sess. 6 c. 7. docet gloriam Dei & Christi esse causam finalem nostræ justificationis ; ex quo sequitur esse etiam causam finalem rerum creatarum, cùm omnia creata ordinentur ad ordinem gratiæ sicut ad finem.

Secundum observatu dignum est, quod juxta ordinem intentionis sic ad conceptum nostrum possumus distinguere signa rationis : ut in primo Deus voluerit gloriam suã in omnibus quæcunque esset facturus, ac etiam in omni permissione malorum, quæ sciebat eventura. In 2. voluerit gloriam Christi, quem sciebat esse hominibus necessariũ pro redemptione à peccatis, quemque volebat in mundum venire tanquã ipsorum Redemptorem. In 3. homines aliquos ex Christi meritis prædestinavit ad gloriã. In 4. decrevit eis dare gratiam per quam ad istam gloriam essent perventuri.

Tertium observandum est, quod Christus rectè dicitur esse primò omnium prædestinatus : tum quia prædestinatus est ut caput, alij autẽ ut membra corporis mystici quod est Ecclesia : tum etiam *Christus est primus prædestinatus.* quia prædestinatio Christi est causa finalis prædestinationis omnium hominum : finis autẽ est prior secundùm intentionem in mente artificis, quam ea quæ ordinantur ad finem : tum deniq; quia prædestinatio Christi est causa meritoria & exemplaris nostræ prædestinationis, ut q. 24. videbitur : causa autem meritoria & exemplaris in quantum hujusmodi, præcedunt effectum & exemplatum. His consentanea scribunt Bannes 1. p. q. 23. a. 5. §. *Ad complementum*, Medin. Alvar. & Nazar. hìc.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Conformarij; potest hæc doctrina ex c. 8. ad Ro. A ubi Apostolus dicit, *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* Et ad Eph. 1. *Elegit nos in ipso seu per ipsum ante mundi constitutionem ut essemus Sancti:* Et mox, *prædestinavit nos in adoptionē filiorum per Iesum Christum*; id est, æterno consilio & decreto prædestinavit nos per meritum Iesu Christi Filij sui naturalis, ad illam eximiam dignitatem, qua essemus filij ejus adoptivi.

Ex his haberi potest. Resp. Ad 2. Argum. Cùm enim ex eo quod Christus est primò omnium prædestinatus, infertur quod ejus prædestinatio sit prior prævisione peccati, distinguendum est Consequens: quoniam si intelligatur de prio- B ritate in genere causæ materialis, & Consequens falsum est, & non sequitur ex illo Antec. Si autem intelligatur de prioritate causæ finalis, verum est Consequens, sed non est contra doctrinam Articuli. Quamvis enim Christus sit primò omnium prædestinatus tanquam finis aliorum prædestinatorum in genere tamen causæ materialis, & quasi objectivè prius fuit prævisum peccatum, (in cujus remedium ipse est prædestinatus) quam ipse prædestinaretur. Peccatum namque ut abolendum & destruendum, sive peccati quod futurum Deus præsciebat, remissio & abolitio erat materia circa quam versari deberet Christi Incarnati operatio; Imò etiam erat quidam finis propinquus, ut C art. 5. videbitur. Ad hoc enim prædestinata fuit Incarnatio, ut adferretur remedium peccato humani generis, utq; Christus esset hominum Redemptor; qui tamen finis ordinabatur prætereà in gloriam Dei & Christi.

Quod in eodem 2. Arg. ulterius inferebatur prædestinationem de Christi Incarnatione implendam, quamvis peccatum non eveniret, haud difficulter intelligi potest malè inferri, partim quia illa prædestinatio præsupponit peccati futuri præscientiam velut modo nostro intelligendi priorem, partim quia sicut prædestinatio ad gloriam est prior prædestinatione ad gratiam: & generaliter, sicut intentio finis est prior intentione D mediorum, & tamen si secludatur gratia, non habebitur gloria; &, si tollantur media, non acquiretur finis; ita si tollatur peccatum, peccatique permissio, non erit Incarnatio. Deus enim non solum decrevit finem; sed etiam statuit eum esse acquirendum per certa media, & non aliter, ut in 1. p. q. 23. art. 5. declaratum est. Et q. 25. hujus partis art. 4. ita loquitur B. Thomas, sub prædestinatione æterna non solùm cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus & ordo secundùm quem est complendum in tempore.

*Permissio peccati est à Deo volita.*

Ex his porrò non est concludendum quod peccatum non sit medium à Deo procuratum & ordinatum ad Incarnationem Verbi: sola enim ejus E permissio est à Deo volita & intenta: Cùm verò non sit volita per se & secundùm se, sed propter aliquod bonum, quod per eam intenditur; sicuti nec secundùm se habet rationem boni, sed secundùm quod ordinatur ad bonum; dicendum est quod permissio peccati Adæ fuerit à Deo volita propter bonum finem, scilicet ut ex magno malo eligeret magnum bonum, quale est Christi Incarnatio & glorificatio.

Si dicas, Deus non voluit primò & per se Incarnationem Verbi ob remedium peccati, sed propter seipsum & propter majorem divinæ bonitatis manifestationem: Resp. Deum voluisse Incarnationem Verbi propter semetipsum & propter manifestationem immensæ suæ bonitatis, tanquam propter finem ultimum: Cæterùm tanquam propter finem proximum sine quo Incarnatio non esset, eam voluit ob remedium peccati seu propter redemptionem generis humani.

Ad Tertium Resp. nullum Dei opus propriè esse occasionatum, quia Deus omnium suorum operum rationes ab æterno cognoscit, & nihil operatur præter intentionem. Illud autem opus estimandum est magis principaliter à Deo procedere, quod secundum se est præstantius, etiamsi non esset futurum, nisi præsuppositâ mali alicujus vel minoris boni præscientia. Hinc verò admonemur immensæ bonitatis divinæ erga genus humanum, quod ei reparando tantum bonum, scilicet hominem Deum contulit, aliàs non collaturus; ut juxta Apost. Rom. 5. *Vbi abundavit delictum, superabundaret gratia.* Quare meritò canit Ecclesia, *O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

*Nullum Dei opus est occasionatum.*

Ad Quartum. Non est absurdum hominem lapsum ex gratuita Dei misericordia ad majorem evehi felicitatem; quamquam hæc felicitas tantum est accidentalis.

Ad Quintum, Homine non peccante Deus erat caput Ecclesiæ; neque illa tunc requirebat caput visibile conveniens in natura cum membris; eò quòd haberet naturam integram, & ad invisibilem Verbi gubernationem sufficienter dispositam, ut colligi potest ex B. Th. q. 29 de verit. art. 4. ad 3.

Ad Sextum, Majus bonum rectè refertur ad minus, non sicut ad finem ultimum, sed sicut causa ad effectum, & sicut perfectivum ad perfectibile, ut ipsum perficiat, ac etiam sicut medium ad finem proximum, modò utrumque ulterius ordinetur ad aliquem finem ultimum, eumque meliorem & perfectiorem. Nam & in hominibus familiare est quod exponant mille florenos imo & vitam suam pro bono centum aut ducentorum florenorum, sed qui deinde totum ordinant ad sui suæq; familiæ conservationem & sustentationem. Illa ergo maxima. *Id quod est perfectius, non debet ordinari ad minus perfectum*, habet veritatem de ordinatione ad finem ultimum, ac etiam de eâ quâ ex hujusmodi ordinatione per se sequeretur destructio magis perfecti; non autem quando per se sequitur, conservatio utriusque, hoc est, & perfectioris & minus perfecti.

*Vt perfectius ordinari possit ad minus perfectū.*

Ad Septimum, Neg. Assumpt. quia est per accidens culpæ quod tantum bonum sit secutum post eam: non enim ex illa, sed ex Dei benignitate accidit, ac proinde non de culpa gaudendum est, sed de eo quod occasione culpæ contigit.

Ad Octavum Resp. eo Scripturæ loco significari quo modo Sapientia in operibus à Deo creatis complacentiam habeat: specialiter tamen gaudeat in hominibus, ut qui sint ad Dei imaginem facti, & propter quos alia sint creata. Ex hoc autem quod peculiariter sibi complaceat in hominibus, fit quod illis se infinuet, eis communicare se cupiat, & in illos se transfundere: per quod Sapientia validè movere studet homines ad sui desiderium. Quod si homo non peccasset, fuisset utique jucundum Sapientiæ communicare se hominibus per cognitionem & affectum: sed non potest hinc sequi quod voluisset se communicare per



per Incarnationem: quandoquidem alij sint modi A communicationis, etsi non tam singulares. Sicut ergo Ps. 103. dicit David, quod *Lætabitur Dominus in operibus suis*; ex quo tamen non sequitur assumptio naturæ Angelicæ, imò nec alicujus alterius operis: ita ex eo quod legamus delicias Sapientiæ divinæ esse cum filijs hominum, non sequitur assumptio naturæ humanæ, si non præcessisset peccatum; præsertim si advertamus quod Incarnatio est ut medicina, quæ non paratur nisi ægrotis. Undè Christus de seipso loquens Matthæi 9. *Non est* (ait) *opus valentibus medicus, sed malè habentibus.*

Ad Nonum, Matrimonium in statu innocentiæ significabat conjunctionem Christi cum Ec- B clesia secundùm carnem: eò quòd verè futura erat Incarnatio: & hoc Deus præsciebat qui mulierem viro conjungebat. Si verò non fuisset futurum peccatum; solùm significasset unionem per affectum & charitatem.

Ad Ultimum Neg. Antecedens: gratia enim ante peccatum collata, non fuit ex meritis Christi: cùm gratia Christi sit gratia redemptionis & reconciliationis. Christus ergo meruit omnem effectum nostræ prædestinationis prout nunc est post peccatum, sed non prout fuisset ante. Vide Authorem in 2. d. 29. q. 1. ar. 3. ad 5. & q. 29. de verit. ar. 4 ad 9. Huc pertinet illud Aug. de correp. & C grat. c. 11. *Ille in illis bonis, Christi morte non egebat.*

In Corp. ubi dicit, *ea quæ ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creatura, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur*, vel significat ea dum in Scripturis continentur non posse nobis manifestari nisi secundùm ea quæ ibi dicuntur: vel sub Scriptura complectitur omnem divinam revelationem. Undè in 3. d. 1. q. 1. ar. 2. dixit, *nisi quatenus innotescunt per authoritates Sanctorum.*

Circa Resp. ad 2. observa quod ex perfectione Universi non sequitur unio Dei cum homine per gratiam, multoque minus unio hypostatica; D eò quòd hæc sint supra naturam, & excedunt limites perfectionis naturalis; ad quam sufficit, quod Universum, cùm sit quid naturale, habeat perfectionem naturalem, & naturali modo ordinetur in Deum, sicut in finem naturalem.

In Resp. ad 3. significatur natura humana non esse per peccatum facta capacior gratiæ unionis; sed tamen est facta indigentior, & sic aptior ut in eâ, simul cum justitia, exerceretur summa misericordia.

Ad 4. Neg. Cons. quia æterna præordinatio seu prædestinatio Incarnationis, antequam fieret, erat conjuncta cum æterna præscientia peccati antequam illud committeretur. Hæc autem Incarnationis ordinatio continebat ut Incarnatio E fieret ad abolendum peccatum ab æterno prævisum, ideoque non fieret nisi post peccatum admissum.

Cùm B. Thomas in ejusdem argumenti resp. dicit, quod *prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum*, rectè intelligitur loqui de illis futuris quæ per prædestinationem non constituuntur neq; sub eâ continentur sicut effectus sub causa; cujusmodi sunt peccata, quemadmodum diximus 1. p. q. 23. a. 5. ad 11. arg. ex Patribus; & ita sententiam interpretantur Alvar. disp. 9. ad præsentem art. concl. 1. & Navar. concl. 3. post Cajetanum. Quamquam & dici possit eam sententiam non plus importare, quam quod prædestinatio supponat, eum qui prædestinat, esse præscium futurorum.

Responsioni ad 5. non obstat quod Adam fuerit Propheta, teste Hier. in cap. 5. ad Ephes. Aug. l. 9. de Gen. cap. 19. Epiph. hæres. 48. Neque enim veri prophetæ semper habent perfectam notitiam revelatorum, & circumstantiarum ipsorum; ut docet Author 2. 2. q. 173. ar. 4. Adam ergo ante peccatum habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, ut ejusdem p. q. 2. ar. 7. asserit B. Th. conformiter Aug. serm. 2. de Nativitate, Anselm. in c. 5. ad Ephes. Leoni Epist. 23. eam tamen non cognovit secundùm quod ordinabatur ad liberationem à peccato, sed solùm secundùm quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, Quædam huc pertinentia diximus quæst. 63. artic. 3. in 1. parte.

*Adam credidit Incarnation.*

Ex his satis (ut opinor) intelligitur, Deum si homo non peccasset, non assumpturum fuisse humanam naturam, ex vi decreti quod de facto fuit in Deo: ostensum enim est decretum illud fuisse de Deo incarnando in remedium peccati hominum atque in Redemptionem humani generis; ita ut nulla alia istius decreti causa motiva fuerit quæ cum hac redemptione non cohæreat, in eaque non fundetur. Sed quærunt nonnulli:

*Vtrum ex vi alicujus alterius decreti Verbum Divinum assumpsisset humanam naturam, Si homo non peccasset.*

Sunt qui affirmant: at solidior est responsio eorum qui vel negant, vel dicunt nullum esse fundamentum affirmandi. Nam *Deus* (ait B. Thol. ect. 4. in prior. ad Tim.) *Ordinavit fienda secundū quod res fienda erant: & nescimus quid ordinasset, si non præsciviſſet peccatum.*

Confirmatur, si Deus non præsciviſſet peccatum, potuisset pro sua libertate decernere id quod sibi placuisset; & nobis quoque per Scripturam, neq; per Patres, vel traditionem significavit quid hoc fuisset; imò Patrum authoritates absolutè magis negant futuram Incarnationem, si homo non peccasset; ergo sine fundamento afferitur futura ex vi alterius decreti divini. Huc pertinet illud ad Rom 11. *quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit.*

## Articulus IV.

*Vtrum Deus principalius Incarnatus fuerit in remedium actualium peccatorum, quam in remedium originalis peccati.*

Responsio est neg. eaque bipartita, pro cujus explicatione sit.

### Conclusio I.

Fide certum est Deum fuisse Incarnatum, in remedium omnium peccatorum, atque adeò ad deletionem non solum originalis sed etiam omnium actualium peccatorum.

Prob. 1. ex Isa. 53. ubi de Christo dicitur, *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et Mat. 1. *Ipse salvum faciet populū*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*suum à peccatis eorum.* 1. Joan. 1. *Sanguis Iesu Christi eximdat nos ab omni peccato*: Et c. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro mundi.* Cap. 3. *In hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera diaboli.* Et Apoc. 1. *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

PROBATUR. 2. Ex Conc. Tolet. 6. can. 1. ubi Patres confitentur quod ex tribus Personis divinis solus Filius ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libro arbitrio contraximus resolvenda, à secreto Patris arcaneque prodierit & humanitatem assumpserit. Quibus addi potest Concil. Trid. sess. 6. cap. 2. His non obstat quod B. Thomas opusc. 58. dicit, sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce pro debito originali; sic offertur jugiter pro nostris quotidianis delictis in altari: solum enim significat, quòd quia originale non iteratur in eodem, Christus semel tantùm se obtulit in cruce: sed quia idem homo sæpius actualia committit, eorumque remissione sæpius indiget; ideò Christus non solum in cruce, sed etiam in altari sæpius se offert, quò peccator fiat particeps sacrificij in cruce peracti.

Monet autem S. Doctor Christum non ita venisse in deletionem omnium peccatorum, ut de facto omnia deleantur ac remittantur, cum certissimum sit multa nunquam remitti, ea scilicet omnia in quibus moriuntur qui propter illa damnantur; sed quia ipse id exhibuit quod ad quorumcumque hominum quæcumque peccata delenda est sufficiens.

## CONCLUSIO II.

*Christus præcipuè venit propter peccatum originale.*

DEus fuit principalius incarnatus in remedium peccati originalis: quia tantò principalius contra aliquod peccatum venit, quantò illud est majus seu quanto majus nocumentum infert in humano genere: peccatum autem quod originaliter contrahitur licet sit minus gravitate & reatu pœnæ, utpote minus habens de voluntario, est tamen majus seu magis noxium humano generi cum actualia solum noceant personæ peccanti; originale autem sit commune, ita ut ad omnes pervadat omnesque inficiat.

Confirmatur, peccatum originale est origo & occasio actualium. Cum ergo Christus venerit pro reparatione generis humani; dicendum est quod prius & potius, hoc est, principalius venerit pro illo quod est radix omnium peccatorum in humano genere, & communiter ad totum illud extenditur.

Porrò cum Author concludit; *Et quantum ad hoc principalius venit Christus ad tollendum originale peccatum*, non intelligit quod ejus tollendi gratia venerit principalius, solum secundum quid; ut ex resp. ad 4. liquet; sed ostendit quâ ratione venerit principalius propter peccatum originale, quam propter actuale: quia scilicet peccatum originale etsi intensivè nō sit majus quolibet peccato actuali est tamen majus intensivè, quia per illud totum genus humanum inficitur. Atq; ita hæc major extensio peccati originalis continet rationem absolutè principalis; quia scilicet induxit universalem calamitatem in genus humanum, & destruxit commune bonum totius naturæ quod est divinius. Id autem peccato actuali, solam personam inficienti, non convenit; etsi in ratione culpæ sit gravius, quia magis voluntarium. Sub originali tamen comprehenditur actuale primorum parentum; eò quòd sit in omnibus causa vel pars originalis.

Ad ejusdem doctrinæ probationem pertinet quod Joan. 1. Christus dicitur tollere peccatum mundi; Peccatum enim mundi, exponente Glossa est peccatum originale, quod est commune totius mundi. Est autem ista lectio quæ hîc in argumento. sed cōtra, & similiter 1. 2. q. 82. ar. 2. itemque in opusc. 9. aliàs 10. art. 28. habetur, *Qui tollit peccatum mundi*, apud Iren. l. 3. c. 11. Amb. l. 3. de fide cap. 5. August. tract. 4 in Joan. estque in Græcis exemplaribus, ac etiam in Biblijs Clementinis.

De eo quod in Resp. ad 2. dicitur, peccato originali non deberi pœnam sensus, in 1. 2. q. 85. ar. 6. diximus, Vide lectio. 2 in ca. 5. ptior. ad Corinth.

Ad argumentum verò Neganda est cōsequentia, quia Christus Passione sua sensibili satisfecit non minus pro pœna damni quam sensus, imò magis, tanquam pro majori. Sicut autem non oportuit Christum pati pœnas inferni ut pro illis satisfaceret; sic nec pœnam damni, ut pro illa satisfaceret: sed satis fuit quod pretium æquivalens, imò superabundans pro omnibus illis pœnis Patri exhibuerit, quodque tantum luerit quàntum satis erat ad placandum Deum offensum & quantum exigebat ratio justitiæ. Quæritur hîc à quibusdam.

*Vtrum si nullum esset peccatum actuale præter peccatum Adami quod originaliter transit in posteros futura fuisset Incarnatio: similiter q. si essent sola actualia, & non originale.*

Ad Prius Responsio affirmat. videtur esse probabilior, quia Incarnatio fuit principaliter prædestinata in remedium peccati originalis, ut scilicet repararetur humana natura quæ præsciebatur esse tota peccato inficienda; ista autem causa manssisset, etiamsi solum originale peccatum fuisset.

Ad Posterius Resp. Neg. videtur danda, partim quia per sola peccata actualia non fuisset totum genus humanum infectum, nisi fortè omnes peccassent: partim, quia Incarnatio fuit prædestinata ad liberationem humani generis à peccato originali & ab actualibus ex eo pullulantibus: At si nullum esset originale peccatum, actualia quæ fierent, non pullularent ab originali: ergo stando in decreto quod fuit de Incarnatione, ipsa non esset futura. An verò ex vi alterius decreti futura esset, sciri non potest; quia scripturæ & Patres de hoc non loquuntur, nec aliundè possumus scire consilia Dei.

## Articulus V.

*Vtrum conveniens fuerit Deum Incarnari ab initio mundi.*

Resp. non fuisse: quia nec decuit eum Incarnari ante peccatum, *Non enim est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*; nec Christus *venit vocare justos, sed peccatores*, Matth. 9. nec statim post illud.

Primò, quia cum homo per superbiam peccasset, oportebat quod repararetur per humilitatem, ad hanc autem requirebatur ut homo defectum suum agnosceret, videretque quid natura, quid lex posset, ac tum demum earum imbecillitate ad justificandum agnita. Salvatorem acciperet: Ne alioquin, ut ratiocinatur Chrys. hom. 7. in Ep. ad Rom. *Si à principio advenisset, dicerent fieri potuisse, ut quis per ipsam legem servaretur, & laboribus propijs & meritis. Hanc igitur illorum observans impudentiam, magnam temporis moram interposuit antequam adveniret, &c.*

*Non decuit Incarnatio nem fieri statim post peccatum.*

Secundò, ut paulatim ad id quod perfectum est procederetur. In quo processu, prima est natura, secunda lex, tertia gratia. In his enim, quod posterius est semper perficit id quod prius est, non contra. Naturalis ordo est, ait B. Th in 3. d. 1. ar. 4. ut ab imperfecto ad perfectum veniatur: perfectissimum autem in operibus Dei est ipsa Incarnatio, per quam creatura Deo unitur in unitatem personæ: & ideò oportuit ut non in principio humani generis, sed postmodum versus finem sæculorum, compleretur, ut sic prius esset quod animale est, deinde quod spirituale est, 1. Cor. 15.

Et hanc causam assignat Aug. l. 83. qq. q. 44 dicens, Sicut absurdus est qui juvenilem tantùm ætatem vellet esse in homine, invideret enim cæteris pulchritudinibus quæ cæteris ætatibus suas vices atque ordinem gerunt: sic absurdus est qui in ipso universo genere humano unam ætatem desideraret: Nam & ipsum, tanquam unus homo, suas ætates agit: Nec oportuit divinitùs venire magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis. Undè Apost. Gal. 3. *Sub lege custodiebamus conclusi. Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo.*

Tertiò, ut idoneis testificationibus, tanquam præconijs, prænunciaretur adventus Filij Dei, ait Estius in 3. d. 1. §. 3. ita explicans tertiam B. Th. rationem. Quæ pronunciatio facta est per oracula Prophetarum, per figuras, variaque sacramenta legis veteris. *Sic congruebat illos populos erudiri*, ait S. Leo ser. 13. de Passione, *ut quæ revelata non caperent, obumbrata susciperent: & major evangelij esset authoritas, cui tot signis, totq; miraculis atque mysterijs, veteris Testamenti pagina deseruisset.*

Quartò, ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret. Ita enim sunt mores hominum, ut in primo fervore non diu multumque perseverent, sed paulatim deficiant. Unde circa finem mundi *refrigescet charitas multorum*, Matth. 24.

*Etiam ante Incarnationem salus erat per Christum.*

Porrò ad Paganorum quæstionem, Quid egerint tot homines ante Christum, si ipse est via salutis: Respondet Aug. Epist. 49. q. 2. statim ab exordio generis humani, postquam justitia fuit peccato primi parentis deperdita, cæpisse salutem hominibus prædici & præstari per Christum, quem credebant venturum, sicut nos credimus quod venerit. Idem docet Ep. 89. 95, 157. l. 1. de pecc. merit. c. 11. l. 2. c. 29. l. de natur. & grat. c. 44. & 69. & alibi. Eademque est sententia Leonis, ser. 1. 13. 14. 18. de Passione, & S. Thom. qu. 6. art. 3. ad 3.

*Aug. loca difficilia explicantur.*

Quod in Resp. ad 2. affirmat Augustinum retractasse id quod in dicta Ep. dixerat, Christum tunc prædicasse, ubi & quando sciebat fore credentes, manifestum est ex l. de præd. Sanct. c. 9. ubi sic loquitur: *Porrò quod dixi tunc voluisse hominibus Christum apparere & apud eos prædicare quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri: posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam quando sciebat & ubi sciebat esse qui electi fuerant ante mundi constitutionem* &c. Et quod in ead. dixit, *salus nulli unquam defuit, qui dignus fuit*: partim retractavit, partim explicavit eodem l. c. 10. *Quod dixi* (inquit) *salutem religionis hujus nulli unquam defuisse qui dignus fuit, & dignum non fuisse cui defuit: si discutiatur, & quæratur unde quisque sit dignus, non desunt qui dicant voluntate humana: nos autem dicimus gratia vel prædestinatione divina.* Et l. 2. Retr. c. 31. *Non ita dixit tanquam ex meritis suis quisque dignus fuerit: sed, quemadmodum dicit Apost. non ex operibus sed ex vocante*, &c. De resp. ad 3. Vide quæ diximus 1. p. q. 82. art. 2. ad 2.

In verbis Apost. quæ argumento, *Sed contrà* citantur *plenitudo temporis*, subintelligitur præfiniti à Deo: quasi diceret, cùm tempus à Deo præfinitum de Filio Dei mittendo, advenit &c. Dicitur autem tempus adventus Filij Dei, plenitudo temporis aut plenum tempus, quia Deus in eo implevit mysterium quod præfinierat, implevit figuras veteres, & promissiones, deditque plenitudinem gratiarum. Vide S. Th. super c. 4. ad Gal. Quoniam B. Thom. hîc dicit opus Incarnationis principaliter ordinari ad reparationem humanæ naturæ per peccati abolitionem, ijsque similia etiam art. 3. scripsit. *Ad gal. 4.*

## QUÆRI POTEST.

*An salus humani generis fuerit verè & propriè causa Incarnationis.*

Videri potest quod non: quia Incarnatio est finis reparationis humani generis ac nostræ salutis: ergo salus & reparatio nostra non potest esse finis Incarnationis; Alioquin idem esset causa & effectus in eodem genere causæ.

*Salus humani generis erat finis Incarnationis.*

Resp. cum Alvarez sub distinctione. *Si* in Incarnatione consideretur vel ipsa ejus substantia, secundùm quam Verbum Dei nostram humanitatem assumpsit in unitatem Personæ; vel ipsius Verbi Incarnati œconomia & operatio, quam usque ad mortem fecit, salus humani generis fuit revera finis Incarnationis, non quidem principalis, sed proximus: finis enim est id cujus gratiâ aliquid fit: ipsa autem Incarnatio, & Verbi Incarnati opera facta sunt causa nostræ salutis, atque adeò ad nostram salutem sicut ad finem fuerunt ordinata. Hinc ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*, ubi vox illa (*ut*) habitudinem causæ finalis connotat, quæ habitudo etiam designatur Matth. 26. *Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; Et 1. ad Tim. 1. in illis verbis, *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Unde in Symbolo. *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

*Gloria Christi est finis nostræ salutis.*

Si autem in Incarnatione consideretur gloria & exaltatio Christi, quæ tum ex Incarnatione tū ex operibus nostræ redemptionis est secuta, sic salus nostra non est finis Incarnationis, sed è converso Incarnatio seu Verbi incarnati gloria & exaltatio est finis ad quem salus nostra ordinatur. Dicit enim Conc. Trid. sess. 6. c. 7. quod nostræ Justificationis *causa finalis est gloria Dei & Christi.* Eodemque pertinet illud 1. Corinth. 3. *Omnia*

*vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

Ad Arg. Resp. non esse inconveniens quod aliqua duo (secundum diversas rationes ordinentur ad invicem tanquam ad finem; unum tanquam ad finem proximum & minus principalem; alterum tanquam ad finem ultimum & principalem; sicut unumquodque est propter suam operationem, tanquam propter finem proximum; & operatio ordinatur ad perfectionem agentis, sicut ad finem remotiorem & principaliorem.

### Articulus VI.

*Vtrum Incarnationis opus differri debuerit usque in finem mundi.*

Respondet non fuit conveniens ut differretur; quia Verbum incarnatum est causa efficiens ejus perfectionis quæ in nobis est per gratiam. *De plenitudine* enim *ejus omnes accepimus.* Joan. 1. Non decet autem quod causa efficiens perfectionis tam diu differatur.

Dices, Consummatio gloriæ differtur usque in finem mundi: ergo & sic differri debuit opus Incarnationis; quia utrumque est perfectum Resp. Neg. Conseq. quia gloriæ consummatio est illa perfectio, ad quam ultimò perducenda est humana natura: Incarnationis autem opus est perfectio quæ nos ad aliam perfectionem ducere debebat. Præterea, Si hoc remedium differretur usque in finem mundi, totaliter Dei notitia, & reverentia, & morum honestas fuisset abolita ex hominibus.

In argumento, Sed contra idem probat ex illo Habacuc 3. *In medio annorum notum facies.* Nam sermonem ibi esse de opere Incarnationis, docent Augustlib. 18. de Civit. cap. 32. Euseb. l. 6. demonstrat. Evangelic. cap. 15. & Hieron. super Habacuc.

Sed quia nonnulli erroneè hinc intellexerunt Christum sic venisse in medio durationis mundi, ut æqualiter distet ab utriusq; extremis sciendum est, illud dici esse in medio alicujus rei, quod est intra illam: *Non habitabit in medio domus mea qui facit superbiam*, Psal. 100. *Fugite de medio Babylonis* Hierem. 51. *Auferam equos tuos de medio tui*, Micheæ 5. Ac proinde in medio annorum, idem est, quod intra annos à Deo præstitutos. Unde aquila vertit in appropinquando annos; & Simmachus, intra annos vivifica: id est produc in lucem, & comple ipsum. Itaq; in medio annorum, non aliud est, quàm ubi venit plenitudo temporis. Quod cur aliquando dicatur novissimum, & finis sæculorum, ut Ioelis 2. Actor. 2. 1. Cor. 10. & alibi; ratio est quia lex gratiæ toto reliquo tempore duratura est nec habebit aliam legem quæ ei succedat; estque ultima ætas & vespera mundi.

Ætates autem mundi, sex, aut secundum aliorum computum, septem numerantur. *Prima*, ab Adam usque ad Noë, sive ad diluvium, *Secunda*, à finito diluvio & Noë egressio de Arca usque ad Abraham. *Tertia*, ab Abraham usque ad Moysen educentem Israëlitas de Ægypto & accipientem legem scriptam à Deo: Quam tertiam illi qui sex tantum ætates computant, extendunt usque ad Davidem; Alij verò, *Quartam* numerant à Moyse usque ad Davidem aut templi ædificationem. *Quinta*, computatur à Davide, usque ad captivitatem Babylonicam sub Sedecia. *Sexta*, ab illa captivitate usque ad Christum. *Septima*, à Christo usq; ad finem mundi, Venit ergo Christus initio hujus septimæ, hoc est ultimæ ætatis, quando juxta Prophetiam. Iacob Gen. 49. ablatum erat sceptrum de Iuda, regnante jam Herode alienigena; & quando finiebatur Hebdomas Danielis sexagesima sexta, ut post septuaginta Hebdomades occideretur.

Quid esse in medio

Tempus novissimũ

Ætates mundi.

## QUÆSTIO II.

*De modo unionis Verbi Incarnati.*

### ARTICULUS I.

*Vtrum unio Verbi Incarnati sit facta in natura?*

Esse. dogmatizavit Eutyches, contra quem celebrata est Synodus Chalcedonensis. Cum enim non aliter putaret defendi posse contra Nestorium, unicam Christi personam, nisi & unicam diceret esse naturam; asseruit in Christo, ante unionem quidem præcessisse duas naturas, sed post unionem seu Incarnationem, unam tantum fuisse, vel duabus naturis in unam coëuntibus, per confusionem, commixtionem, aut compositionem unius perfectæ ex pluribus imperfectis; vel per conversionem humanitatis in divinitatem, quasi scilicet divina natura in se converterit humanam, eam assumendo. Hinc dicebat deitatem esse passam, sepultam &c. Christumque subsistere ex, sed non, in duabus naturis.

Eutycheti subscripsit Dioscorus, nec ab eo multum abfuerunt Timotheani, Acephali, id est, sine Episcopis degentes, & Polemius quidam apud Theodoretum libr. 4. hæreticarum fabularum.

Ortus autem est hic error ex ignorantia discriminis inter personam & naturam; quod quidem licet ex Catholicis non pauci, putent non esse reale: nos tamen reale esse diximus 1. p. q. 3 ar. 3. patetque ex Authore, qui disertis verbis ibi dicit, *In rebus compositis ex materia & forma, necesse est quod differant natura vel essentia, & suppositum.* Et hujus q. ar 2. *In talibus etiam secundum rem differt natura & suppositum.* De rebus autem non compositis, ut Angelis; idem docet 1. p. q. 75. ar. 5. ad 4 q. 88. ar. 2. ad 4. quodl 2. ar. 2. & alibi. Confirmatur, Suppositum supra naturam, etiam suis proprietatibus & accidentibus naturalibus & singularibus affectam addit perfectionem quandam & complementum seu modum realem, qui terminat naturam, facitque rem esse completam & subsistentem: qui modus vocari potest *per se existentia*, vel *subsistentia.*

Eutychetis error. Suppositũ & naturæ differunt realiter in creaturis.

Antequam verò jam dictam hæresin Eutichetis impugnemus; advertendum est *naturam* hic sumi pro perfecta rei essentia, quæ definitione essentiali explicatur; ita tamen ut non intelligatur sola natura communis, sed etiam singularis & individua, qualis in Christo est natura tam humana quam divina.

*Vniri verò in natura* est sic uniri, ut ex unione resultet tantum una natura, Quibus præmissis.

Quid uniri in natura.

Responsio fidei est unionem Verbi incarnati non esse factam in natura, id est, non sic, ut natura divina & humana coalescerent in unam. Probat autem S. Tho. ex triplici modo quo possit cogitari duas naturas in unam coaluisse.

Resp. Neg.

Circa primam refutationem secundi modi, objicitur



jicitur; In Eucharistia panis convertitur in Corpus Christi, quod est ingenerabile & incorruptibile: ergo non bene probatur humanitas non posse converti in divinitatem, ex eo quod Deitas sit ingenerabilis.

Sed Responderi potest 1. Neganda Conseq. Transsubstantiatio enim panis non fit sine Corporis Christi mutatione secundùm quid, scilicet secundùm præsentiam & modum existendi sub speciebus, sub quibus nunc est, movetur, manducatur &c. quomodo prius ibi non erat: Deo autem nec talis mutatio convenit. Aliter tamen & (quantum quidem nobis videtur) Authori conformiùs, Resp. rationem cur non sequatur, esse; quia in transsubstantiatione nulla est commixtio panis cum Corpore Christi, nulla unio, nihilque unum ex utroque resultat: Author autem ijs verbis refutat eos, qui admissa unione naturarum in Incarnatione, dicebant eam esse factam per mixtionem & transmutationem, eò quòd mixtio, vel per transmutationem unio fieri non possit in natura prorsus immutabili.

Circa tertium modum, notanda sunt duo.

Prius, *naturam divinam non posse esse formam alicujus, præsertim corporei*, non solum substantialem, sed nec accidentalem.

Posterius, nec humanam nec aliam aliquam naturam perfectam, posse esse formam informantem.

Divina natura non est alterius formæ.

Prius probatur, quia informare dicit imperfectionem partis & dependentiæ, limitationemque ac potentialitatem formæ informantis. Deinde, sicut totum est perfectius suis partibus: ita id quod componeretur ex Deo tanquam forma, deberet esse perfectius ipso Deo; quod est impossibile. Ex his consequens est, Deum non esse formam intellectus beati, quia non eum informat, sed supplet vicem formæ intelligibilis. Addit autem S. Doctor, *præsertim corporei*, quia hæc repugnantia informationis manifestior est respectu corporis.

Posterius autem probatur, quia nihil potest informare materiam vel subjectum, nisi sit forma habens proportionem cum tali materia vel subjecto; natura autem integra & perfecta non est forma habens ejusmodi proportionem.

Quod deinde infert; *Si divina natura esset forma humana seeuturum ut species resultans sit communicabilis pluribus, & ita sint plures Christi*: id per se est consequens; quoniam illa natura esset corruptibilis, saltem ratione unius partis; nec haberet totam materiam suæ speciei.

Sunt in Christo duæ naturæ.

Porrò hujus art. doctrina, quâ docetur in Christo post unionem esse duas naturas perfectas & integras; & consequenter refutatur hæresis ponentium unam tantum naturam; ex Scripturis & Patribus manifesta est.

Joan. 5. & 14.

Ex Scripturis quidē, ubi Christo tribuitur quod sit æqualis Patri, & quod minor Patre, & universim, ubi de illo affirmatur quæ sunt potentiæ divinæ, & quæ infirmitatis humanæ. Ista enim de eodem dici non possunt, nisi secundùm diversas naturas ut ratiocinatur Author l. 4. contra Gent. c. 39. Deinde, Christus cum dicitur *Deus* ad Rom. 9. dicitur ibidem *esse ex Patribus secundùm carnem:* Et ad Phill. 2 *Cum in forma Dei esset*, id est cùm in divina natura subsisteret, *dicitur accepisse formam servi*, id est, naturam humanam: Non potest autem dici quod sit eadem forma Dei & forma servi, cùm illa sit æterna, hæc temporalis; Nec etiam potest dici quod una illarum sit corrupta; quia tunc Christus, non esset Deus, vel non esset homo: quorum utrumque fidei repugnat: restat ergo, ut post unionem sint duæ formæ seu naturæ.

Inter patres idem affirmantes sunt Cyrill. in epist. ad Nestor. & Joann. Antioch. Fulg. l. 5. ad Trasim. c. 7. 8. 9. S. Leo. ep. 10. 11. 13. & specialiter 97. ubi Hilarij, Athan. Basil. Ambr. Aug. Chrys. & aliorum Patrum sententias verbatim citat.

Concilia verò sunt, Ephesinum can. 13. Chalcedon. act. 4. & 5. Syn. 5. generalis, can. 7. & 8. Syn. 6. act. 11. Huc pertinet & illud Symbol. Athan. *Vnus autem, non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: Vnus omninò, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Et Vinc. Lirin. aurei sui libelli, c. 19. *In Deo una substantia, sed tres personæ: in Christo duæ substantiæ sed una persona.* Et iterum, Sicut in homine aliud caro & aliud anima; sed unus idemq; homo, anima & caro. In Petro & Paulo aliud anima, aliud caro, nec tamen duo Petri, caro & anima, aut alter Paulus anima, & alter caro; sed unus idemq; Petrus, unus idemq; Paulus ex duplici diversaque substistens animi corporisque naturâ: Ita in uno eodemque Christo duæ substantiæ sunt, una divina, altera humana; &c. unus tamen idemque Christus in utraque substantiâ.

Verba Cyrill. explicantur.

Neq; his obstat comparatio quam facit Lirin. & ante ipsum Athan. dicens: *Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus*, quasi inde sit consequens sicut ex animâ rationali & carne, constat una hominis natura: ita ex duabus naturis divina & humana, unam compositam esse Christi naturam. Similitudo enim illa non per omnia constat, cùm divinitas non sit forma humanitatis, sicut anima rationalis est forma carnis seu corporis; sed ad hoc solùm adducitur, ut personalis unitas Christi in duabus naturis subsistens declaratur. Nam ex unione animæ & corporis constituitur in nobis duplex unitas; naturæ scilicet & personæ: similitudo autem ista attenditur, quantum ad unitatem Personæ dumtaxat, ut ostendit Author ad 2.

Circa 1. Arg. adverte verba objecta non esse Cyrilli, sed Eustachij malè allegantis. Unde Patres Concilij Chalced. istis ex ore Eustachij auditis, reclamaverunt, ipseq; Cyril. Ep. ad Joan. Antioch. conqueritur suas voces in malum verti ab ijs qui recta pervertere solent. Ipsum autem Cyrillum asseruisse duas in Christo naturas post Incarnationem, evidentissimum est ex lib. de rectâ fide, ubi multis docet Christum, & verum Deum, & perfectum esse hominem ex corpore & animâ cōstantem; additque quod *non est eadem natura carnis & Deitatis*; quodque nec Verbum in humanitatem fit conversum, nec humanitas in Verbū; sed quod Deus sit *secundùm veritatem homo factus, cum hoc suam gloriam servans. Vnde divinus Paulus* ostendit *divinitatem & humanitatem inter se consubstantialitate differre & immenso intervallo disjungi.* Et iterùm, *Cùm Deus stabilu sit, nec conversionē admittat, semper mansit id quod erat, etiam quando factus est homo.* Et l. 2 *Si quis non confitetur carnē Domini ex S. Virgine, & hominibus consubstantialem, anathema sit.* Ep. 8. *licet differentes inter se naturæ, in veram sint unitatem conjunctæ*, non esse tamen sublatam differentiam naturam asserit. I. de Incarn. cap. 12. *unum eundemq;* (ait) *Iesum Christum esse dicimus,*

non

Universidad de Deusto
Biblioteca



*non ignorantes differentiam naturarum, sed eas in-* A
*confusas inter se servantes.* Plura videri possunt eodem isto lib. c. 24. & 25. Item in Ep. 10. 27. 28. ac insuper in act. 1. & 2. Conc. Chalcedon.

Si quando tamen inveniatur asserere, duas quidem naturas unitas; post unitionem verò, unam Filij esse naturam: Contra Nestorianos loquitur, ponentes in Christo duas naturas subsistentes in duobus suppositis; ac docet, in eo post unitionem non esse duas naturas supposito distinctas, etiamsi utraq; maneat in suâ proprietate; sed unum Christum, unamq; personam. Liquet hic intellectus, tũ ex ejus epistolis ad Successum, tum ex Syn. 5. Generali can. 8. qui cùm in Resp. ad 1. mutilè referatur in plerisq; exemplaribus legendus est cum B
correctione, ad 3. p. editionis Duacensis indicata, ut scil. post ista verba, *unione secundùm subsistentiam facta*, addatur *unus Christus factus est.*

*Natura divina quo sensu dicatur incarnata.*

Circa Resp. ad 3. observandum est subinde à Patribus dici naturam divinam, aut unam Verbi naturam esse Incarnatam; non solùm quia naturæ nomine usi sunt pro subsistentia; quomodo verba Cyrilli explicantur in Edicto Justiniani Tomo 2. Conciliorum: sed etiam qnia essentialis & propria Verbi natura quæ est una, post unionem est Incarnata, id est, carni unita. Ejusmodi locutio invenitur apud Cyrill. Epi. 2. ad Successum, Fulg. Resp. 2. ad Ferrandum, & l. de Incarn. c. 6. Aug. l. 1. de Trin. c. 7. C

*Caro Christi quo sensu dicatur Deificata.*

Similiter autem & hæ sunt benignè interpretandæ: Caro seu natura humana est Deificata, apud Naz. orat. 51. Corpus Christi est divinum, apud Cyril. Ep. 1. ad Successum; ut sensus sit, caro per conjunctionem ad Verbum facta est caro Dei; & corpus, factum est corpus Dei. Confer q. 16. art. 3. in corp. fin.

*Ioan. 1.* Dictis non obstat illud Joan. 1. *Verbum caro factum est*, quod videri potest sic intelligendum, sicut c. dicitur, aqua vinum facta, scil. per conversionem unius in alterum. Cùm enim non similiter converti possit Verbum divinum in carnem, quomodo aqua converti potest in vinum; eò quòd Verbũ sit omnis conversionis & mutationis expers: D
ex subjectâ materiâ liquet non prorsus eandem esse propositionem utriusq; capitis: sed ista, *Verbum caro factum est*, habet similitudinem cum hac Philosophi 1. Phys. c. 7. Homo fit musicus: Altera verò, *Aqua est vinum facta*, similis est isti, Immusicus fit musicus: quia in priore sumitur subjectũ quod permanet cum termino non autem in posteriori: Ad hoc autem ut subjectum vel suppositum dicatur fieri id quod significatur in termino, satis est quod formam illa suscipiat, eamq́ue personaliter
*Philip. 2.* sibi uniat, quomodo ad Philip. 2. Christus dicitur factus homo, formam servi accipiens: quomodo etiam communiter dicimus aliquem fieri sanum, fieri Episcopũ &c. non quod convertatur in Epis- E
copatum aut sanitatem, sed quia illam accipit. Sic ergo Verbum dicitur caro factum non immutando quod erat, sed suscipiendo quod nõ erat, quemadmodum loquitur Greg. l. 9. Epi. 61. conformiter Nazianzeno orat. 51. Athan. Epi. ad Epictetum. Ambr. l. de Incarn. Sacramento, c. 7. & Patribus Concilij Ephesini can. 13. Alioquin, eadem ratione dicerent hæretici quod Christus sit conversus in peccatum & maledictum, eò quòd 2. Cor. 5. & Gal. 3. dicitur factus peccatum & maledictum, peccata scilicet & maledicta nostra in se suscipiens.

## Art. II.

### Articulus II.

*Vtrùm unio Verbi Incarnati sit facta in persona.*

Videtur quod sic: quia Christus assumpsit personam humanam simul cum naturâ: ergo unio non est facta in personâ, Prob. Antec. ex Damasceno l. de fide, cap. 6. asserente Verbum divinum assumpsisse totum id quod cum ratione indigebat, nihilq́ue curasse nisi quod assumpsit.

Nestorius negavit olim unionem Incarnationis factam esse in persona, volens quod sicut sunt in Christo duæ naturæ, ita etiam sint duæ personæ, una divina, altera humana, docensq́ue Christum purum hominem natum esse ex B. Virgine, quam idcircò non Dei, sed Christi solum Genitricem appellabat. Verùm assertio fidei habet, in Christo, Deo & homine, tantum esse unam personam, ex duabus, & in duabus naturis subsistentem: ideòque

Responsio ad fidem pertinens est, unionem Verbi Incarnati factam esse in persona. Quid sit persona, diximus primâ parte quæstione 29. art. 1. Uniri in personâ, est uniri personæ, *Quid uniri in personâ.* non constituendo aliam personam ab eâ cui unitur: ac proinde, unionem factam esse in personâ, est naturas sic fuisse unitas, ut unio seu unitio terminata fuerit ad unam personam in utraque naturâ subsistentem.

Quod in suâ ratione sumit Author: *Si humana natura Verbo Dei non unitur in personâ, nullo modo ei unitur:* Verum est, præsupponendo id quod ipse tanquam fide certum supponit, scil. humanam naturam sic uniri Verbo, ut ei insit: unde in primâ propositione assumpserat, *Omne quod inest* (intrinsecè scil.) *alicui personæ, unitur ei in personâ.* Deinde, subsumptio Authoris intelligi posset, quod nullo modo speciali & proprio secundæ personæ uniretur: Nam unio per gratiam, præsentiam, operationem, est communis tribus personis: Specialis autem modus unionis quem B. Tho. negat eo casu futurum, est ille quem fides orthodoxa tenet nunc esse, quo scilicet humana natura sic est unita Verbo, ut Christus sit verus homo, sitq́ue utriusque naturæ, divinæ & humanæ, una persona, unaq́ue subsistentia: quam divinitas Verbi ab æterno naturaliter habuit: humanitas autem suâ naturali personalitate & subsistentia, Dei dispensatione destituta, eo temporis momento accepit, quo *Verbum caro factum est*: ut sicut natura hominis aut quælibet alia, in suo supposito, sic duæ naturæ, divina & humana, in una Filij Dei persona subsistant. Hinc Aug. Enchir. cap. 35. *In unitatem personæ acceßit Verbo anima rationalis & caro.* Et c. 36. *Vt quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro; ita sit Christus una persona Verbum & homo.* Simi- *Vnica est persona in Christo.*
liter tract. 19. in Joan. *Sicut anima habens corpus, non facit duas personas, sed unum hominem: sic Verbum habens hominem, non facit duas personas, sed unum Christum.*

Insuper autem probari potest hæc fidei veritas, ex Concilijs, Ephes. contra Nestorium congregato, ex Chalced. Act. 5. ex Syn. 5. can. 3. 4. & 5. item ex Cyril. & Fulg. libris de Incarn. ex Cyrilli epistolis ad Nestorium, Nazianz. orat. 51. Leonis ep. 97. alijsq́ue quamplurimis,

Scripturæ quoque idem probant evidenter, illæ



illæ præsertim, quibus unus & idem ostenditur A
Deus & homo.

*Ioan. 6. & 16.* Homo erat qui Joan. 6. dicebat: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi;* Et Joan. 16. *Exivi a Patre & veni in mundum.*

Homo erat, qui circumcidebatur, flagellabatur, crucifigebatur, moriebatur, resurgebat; Idem
*Io. 5. 10. 8.* autem ille *faciebat se æqualem Patri*, Joan. 5. faciebat seipsum Deum, Joan. 10. & dicebat, *Ego & Pater unum sumus*, ibidem. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, Joan. 8. ergo eadem hypostasis hominis loquentis, erat etiam hypostasis & persona Filij Dei: pronomen enim istud demonstrativum, *ego*, demonstrat personam.

Deinde, quando aliqua duo distinguuntur per- B
sonaliter, unum non dicitur esse alterum: dicitur autem Deus esse homo, & homo esse Deus: ergo non sunt ibi duæ distinctæ personæ. Minor patet, tum ex jam dictis, tum ex c. 9 ad Rom. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* De quo etiam 1. Joa. 5. dicitur, *Hic est verus Deus*: Et Joa. 1. *Verbum caro factũ est*, id est, Deus factus est homo. Sicut ergo, ubi dicitur David factus esse Rex quamvis humanitas & regia dignitas sint diversæ formæ) non significantur diversæ personæ, una Davidis, altera regis: ita non significantur duæ personæ, una Dei, altera hominis, quando dicitur, Deus esse homo.

*Ob.* Sed objiciunt Nestoriani, Iesum quidem esse C
Deum, & unum, non tamen unitate personæ, sed habitationis gratiæ, & voluntatis: In homine enim illo (inquiunt) Deus habitavit, sicut in templo, per gratiam. Sed contra hanc unionem Dei & ho-
*Resp. Phil. 2.* minis Apostolus vocat exinanitionem, Philip. 2. Non est autem exinanitio Dei, quod creaturam rationalem inhabitet per gratiam; Alioquin, & Pater, & Spiritus Sanctus exinanirentur: Nam & ipsi inhabitant illam per gratiam, Joan. 14. 1. Ad Cor. 3. & alibi. Ita author opusc. 3 c. 203.

Deinde, Verbum Dei & Deus habitavit in omnibus sanctis à constitutione mundi, ut patet ex 2. Ad Cor. 6. Neque tamen est tunc Incarnatus; ergo Incarnatio plus est quam inhabitatio. D

*Christus non est Deus per solam habitationẽ.*

Si dicas, quod pleniori gratia habitaverit in hoc homine, quàm in alijs, propter quod specialiter hîc inveniatur Incarnatio.

Resp. hoc non sufficere, quia magis & minus non diversificant speciem unionis. Ac præterea, licèt homines sancti interdum vocati sint dij, scilicet per participationem; nunquam tamen dicti sunt esse æquales Deo, & fuisse ab æterno; neque de illis dicitur, quòd Verbum Dei sit factum Moyses, aut Ieremias, aut unus ex alijs sanctis; sicut legitur quod Verbum sit caro factum, quod Christus sit ab æterno, quòd Christus sit æqualis Patri. Plura videri possunt libro 4. contra Gent. cap. 34. E

Ad Arg. Resp Negand. Anteced. Ad ejus prob. Resp. Damasceni sensum esse, quod Verbum divinum assumpserit totam integramq́ue naturam humanam, non enim sine carne, nec carnem sine anima, eaq́ue rationali, nec partes illas naturæ sine suis proprietatibus. Qui sensus in textu Damasceni clarissimus est: ex quo etiam patet ipsum non velle quod Christus assumpserit humanam personalitatem.

In Resp. ad 1. Neg. conseq. eò quòd persona divina distinguatur à natura secundum rationem & modum significandi; natura autem humana conjungatur Verbo, quatenus non naturæ, sed personæ rationem habet.

Pro solutione 2. Respondendum est ad Minor. quod propria personalitas pertineat ad naturalem perfectionem hominis, secundum rationem personæ; sed cùm ad rationem humanitatis ea non requiratur, suppleri potest, & perfectissimè suppletur per subsistentiam Verbi: unde sequitur quod Christus sit perfectus homo, nec quicquam ea desit, ad perfectionem humanæ naturæ pertinens, quia habet perfectam humanitatem à perfectissima persona sustentatam. Neque refert quod non habeat subsistentiam creatam, humanæ naturæ propriam, atque ita humanitas non subsistat in sua propria personalitate: Cum enim personalitas & suppositum suprà naturam dicat rationem in se & per se subsistendi: hæc autem per se subsistentia non competat substantiæ creatæ, nisi præsupposita ad hoc influentia primæ causæ; quæ influentia nunquam adfuit humanæ naturæ Christi, ad hoc ut subsisteret in creata subsistentia, sed ut subsisteret in increata, scilicet in Verbo: Idcircò natura humana manet salva, integra, & perfecta, tametsi non habeat suum naturale & creatum suppositum, sed increatum & æternum.

Si dicas, humanam naturam frustrari suo naturali appetitu quem habet ad suam personalitatem: neg. est; Cum personalitas divina eminenter contineat omnem perfectionem, etiam illam quæ increata personalitate reperitur, ipsa per seipsam complet ac plenè satiat naturalem appetitum humanæ naturæ, dans ei totam illam perfectionem, imo & majorem quam ei dare posset personalitas creata.

Pro reponsi. ad 3. dicendum est quod natu- *Christi humanitas est individua.*
ra humana Christi sit individua, id est, singularis: sed non est substantia individua, quo modo sumitur in definitione personæ; id est, non est substantia completa per se subsistens, incommunicabilis; existit enim in alio, eoq́ue perfectioni supposito.

Verba Damasceni dupliciter habent veritatem. D
Primò quod Verbum Dei assumpsit naturam humanam in atomo, id est, in individuo, quia assumpsit singularem & individuam. Secundò, quia assumpsit illam, ut subsistat in individuo, quod est suppositum divinum. Priorem modum hîc indicat Author, posteriorem qu. 4. art. 2. ad 1. & art. 4. ad 3.

### Articulus III.

*Vtrum unio Verbi Incarnati sit facta in supposito sive hypostasi.*

Responsio affirmat. est fidei; paterq́ue tum ex ijs quæ art. 2. attulimus, tum ex ijs quæ hîc adferuntur ab Authore, contra quosdam hæreticos, qui vel errorem suum occultare volentes, vel ex ignorantia errantes, malèq́ue distinguentes personam ab hypostasi, concesserunt in Christo esse quidem unam tantùm personam, sed duas hypostases aut suppositа. In his à quibusdam putantur aliquando fuisse Nestorius & Dioscorus. Ad quorum refutationem videnda sunt quæ de hypostasi diximus 1. p. q. 29. & observandum quod persona supra hypostasim solum addit determinatam naturam, scilicet rationalem, ideòq́; E

Universidad de Deusto
Biblioteca



se habet ut minus commune; nec aliud est in rationali natura suppositum vel hypostasis, quam persona.

Quod in secunda ratione dicit, *Si facta sit unio in persona non in hypostasi sequuturum non esse factam nisi secundum dignitatem quandam*; intelligendum est de dignitate accidentali: quia quod est dignitatis substantialis involvitur in hypostasi; in qua si non fiat unio, restat ut secundum dignitatem accidentalem facta sit.

Huic doctrinæ non obstat quod omnis generatio terminatur ad suppositum; unde sequi videtur quod nova Christi generatio ex B. Virgine debuerit terminari ad novum suppositum; quodque propterea in Christo sint duo suppositа: Neg. est enim sequela; quoniam ad terminandam duplicem generationem sufficit unum suppositum in quo reperiatur duplex natura: Nam suppositum terminat ut quod; & natura ut quo. Sic idem suppositum divinum, ratione divinæ naturæ terminat generationem æternam; & ratione naturæ assumptæ terminat temporalem.

Non obstat etiam quod omnis unio terminatur ad aliquid unum quod est posterius unione; unde consequens videtur, esse unum suppositum posterius unione (ideòque diversum à persona Verbi) ad quod unio est terminata. Hoc enim non sequitur; quia illud unum ad quod unio Incarnationis fuit terminata, est suppositum Verbi, non secundùm se (quomodò est prius utpotè æternum) sed quatenus subsistens in natura humana, eique unitum.

Pro Resp. ad 1, distinguenda est subsumptio, & dicendum quod, aliud & aliud in rigore sumptum & alicui attributum in recto, differt suppositо, quatenùs importat diversitatem naturæ & suppositi simul. Si autem sumatur paulò generalius, vel si non in recto, sed in obliquo tribuatur alicui, tantum significat diversitatem naturæ, & non suppositi; quo posteriori modo intelligenda sunt testimonia in argumento objecta. Confer ea quæ diximus q. 17. art. 1. ad 2.

*Humanitas Christi non est hypostasis*

In Respons. ad secundum docet hypostasin significare substantiam particularem, non qualemcunque sed per se existentem & completam: humana autem Christi natura non existit per se separatim, sed in alio; nec habet suum ultimum complementum, cum veniat in unionem cujusdam completi, scilicet Christi, ac proinde non est hypostasis.

In Resp. ad tertium docet Christum esse in genere prædicamentali, non ratione suppositi, sed ratione naturæ humanæ. Quod autem posset opponi ex Damascen. videri potest art. 5. hujus ad 2. & qu. 5. art. 3. ad 3.

## Articulus IV.

*Vtrum persona Christi sit composita.*

Videtur quod non. Primò, quia ad veram compositionem requiruntur hæc quatuor. Primum, quod componentia sint realiter distincta. Secundum, quod realiter uniantur. Tertium, quod uniantur in aliquo esse. Quartum, quod extremorum componentium unum habeat rationem potentiæ, aliud rationem actus: In persona autem Christi non inveniuntur actus & potentia.

Secundò, Compositum est perfectius suis extremis seorsim sumptis: Christus autem non est perfectior quam Verbum vel natura Verbi.

Tertiò, Christus non potest dici creatura simpliciter, sed tantum cum addito, *secundum humanitatem*, ut docetur q. 16. art. 8. ergo nec dici debet persona composita, nisi cum ejusmodi addito.

Quartò, Ad compositionem requiritur ordo mutuus componentium ad invicem; qualis non reperitur inter naturas divinam & humanam.

Quintò, Compositum est posterius suis componentibus; ex illis enim resultat: Christus verò non est aliquid posterius naturis divina & humana.

Priusquam respondeatur, Observandum est quod vocabulo Christi, solet intelligi suppositum & hypostasis utriusque naturæ, divinæ scilicet ac humanæ, & quod propterea Christus verè ac propriè dicitur Deus & homo, juxta quod Athanasius dicit in Symbolo, *Deus & homo unus est Christus.*

*Cum enim esset unicus Dei Filius, non gratia, sed natura ut esset etiam plenus gratia factus est & hominis filius; idemq; ipse utrumque ex utroque unus Christus*, ait August. Enchir. c. 35.

Et tract. 19. in Joan. *Quid est Christus? Verbum Dei habens hominem*, id est, humanitatem. Undè tract. 78. *Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri; humanam, qua major est pater. Vtrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus*, &c.

Damasc. l. 3. de fide cap. 3. *Christi porrò vocabulum, persona esse dicimus, ut quod non unimodè dicatur sed duplicem naturam significet.* Et c. 4. *Christus (qua vox utrumque complectitur) & Deus & homo dicitur.* His etiam consentanea scribunt Cyrillus in libr. de recta fide, & Fulg. l. de Incarn. c. 5.

His præmissis Resp quod etsi B. Thomas in 3. dist. 6. alios Scholasticos secutus, aliter scripserit; hoc tamen Articulo rectè docet concedendum esse, quod persona Christi post Incarnationem sit composita; quia subsistit in duabus naturis. Idque probat ex Damasc. l. 3. cap. 4. dicente, quod *In Domino duas quidem naturas, at unam dumtaxat personam ex utrisque compositam agnoscimus*: Et lib. 4. c. 5. *Dei Verbi persona ante carnem assumptam, simplex erat, compositionisq; expers: postquam autem carnem assumpsit, ex Divinitate & carne constitit.*

*Vna Christi persona est composita.*

In Syn. 6. general. act. 11. *Vnam ejus subsistentiâ compositam dicimus.* Ac rursum, *Quæ enim extat persona composita ex inconfuso constans temperamento, partitionem convenientium nescit.*

In 5. Syn. gener. can. 4. & in Syn. Lateran. sub Martino 1. can 8. anathema dicitur illis, qui non confitentur, sicut Patres docuerunt, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, secundum compositionem, id est, secundum subsistentiam, factam.

Idem confirmari potest ex Dionys. c. 1. de div. nomin. Aug. l. 13. de Trinit. cap. 17. Greg. hom. 38. in Evang. & Petro Diacono c. 3. de Incarnat. ubi adfert declarationem Concilij Antiocheni & ex Lanfranco, citato ab Ivone, p. 2. cap. 9. pro quo Grati de consecrat. dist. 2. cap. Hoc est, citat August.

Probari etiam potest ratione. Prima, Quamvis persona Christi, secundùm illud quod est in se, id est, secundum quod ab æterno in propria tantum natura subsistit, habens ea sola quæ



quæ sibi connaturalia sunt & intrinseca, sit omninò simplex, sicut ipsa natura, à qua non differt realiter: quia tamen ei accessit aliena natura quam sustentat & in qua subsistit; ideò dicitur composita, in quantum ex duabus naturis, in ipsa unitis constat.

Secunda, Ad realem compositionem sufficit quod duo realiter distincta conjungantur ad constitutionem unius; quid enim aliud est componere quàm cum alio unum ponere; Sed personalitas & natura Verbi realiter differt ab humanitate, & cum ea conjungitur ad constitutionem unius Christi, qui unus existens simul sit Deus & homo: ergo ibi est vera compositio.

Tertia, Ubi est multitudo rerum diversæ naturæ sine compositione, ibi necesse est confusionem reperiri, sicut in acervo lapidum. Sed in persona Christi sunt naturæ diversæ, absque omni confusione: ergo ibi est compositio.

Cum B. Thom. dicit. *in persona secundùm rationem personæ vel hypostasis considerata*; (id est, secundùm quod illa persona est hypostasis duarum naturarum in eisque subsistit,) *esse aliam & aliam rationem subsistendi*; non vult dicere, quod sint duæ subsistentiæ, sed quod una Christi subsistentia increata, secundùm unam rationem sit unius naturæ subsistentia; & secundùm aliam rationem sit subsistentia alterius naturæ. Est enim subsistentia divina, in quantum terminat naturam divinam; dicitur etiam humana, in quantum terminat humanam: Ita ergo loquitur, non propter diversitatem subsistentiarum, sed ob varietatem naturarum.

*Non omnis compositio est ex partibus.*

In Resp. ad 2. virtualiter negat Majorem, docetque non omnem compositionem esse ex partibus, nec omnia componentia esse partes. Cùm addit. *Hanc compositionem esse ratione numeri*; vult dicere, quod numerus plurium rerum quæ ad unum constituendum conveniunt, sufficiat ad illius compositionem, etsi ejusmodi res non sint partes. Hinc Angelus & homo componuntur ex quo est & quod est, sive ex esse & essentia, cum tamen neutrum sit pars.

*Neutra Christi natura est ejus pars.*

Omninò igitur dicendum existimamus neutram naturarum in Christo habere rationem partis. Utraque enim est completa & perfecta in esse naturæ; de ratione autem partis est, esse imperfectam. Hinc August. libr. 3. contra Maximinum c. 10. *Christus*, inquit, *una persona est gemina substantia, quia & Deus & homo est: nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest.* Si qui verò Sancti Patres aliter locuti inveniantur, ut Damasc. lib. 3. cap. 4. dicens, quod interdum ab una parte Deum solum ac Dei Filium nominamus; partis nomine intelligunt extrema componentia, sicut etiam nomine totius quando Christus dicitur esse quoddam totum, non intelligunt totum integrale, vel essentiale, vel universale quod habeat respectum ex parte, sed aliquid completum & perfectum. Totum enim dici, cui nihil deest, non solum liquet ex Philosopho qui l. 1. de Cœlo c. 1. dicit omne, id est, totum & perfectum non differre secundùm speciem; sed etiam ex Theologia, ubi Deus dicitur à beatis totus videri. His conformiter Scholastes Damasceni ad lib. 3. cap. 3. ait quod hæc compositio non vulgatam & tritam habet acceptionem, ut sit alicujus totius ex suis partibus constitutio; sed paulò differentem, ut designent duarum naturarū in una hypostasi simplicissimam, ac citra totius constitutionem ex partibus unionem. Ex his colatis cum superioribus, consequens est Christi personam dici compositam, sine ulla conversione ac mutatione naturarum inter se; sic videlicet ut nec à sua simplicitate divina natura desciverit, nec humana in divinam conversa, aut in nihilum redacta, aut una ex duabus naturis composita natura effecta sit; sed quia duæ illæ naturæ, humana & divina manentes realiter distinctæ ab invicem, sunt in eodem divino supposito unitæ, quod in illis subsistit, & ex illis constat.

Ad Primum Argumentum Resp. quamvis nec Persona nec natura Verbi possit esse actus seu forma informans, potest tamen aliquo modo habere atque etiam habet rationem actus, in quantum natura illa, mediante personalitate Verbi, sustentat ac terminat naturam humanam; unde natura humana respectu personalitatis Verbi, & ea mediante, respectu divinæ, ipsius naturæ, habet rationem potentiæ quatenus per eam sustentatur & terminatur: & hoc sufficit ut persona Christi ducatur composita.

Ad Secundum Resp. id quod assumitur, esse verum quando omnia extrema componentia sunt finita, quæ idcircò non includunt omnem perfectionem.

Ad Tertium Neg. Cons. partim quia, esse creaturam, non competit Christo nisi ratione humanitatis; esse autem personam compositam convenit ratione utriusque naturæ: partim quia hoc vacabulum, *creatura*, non appellat supra formale subjecti, sed supra materiale, & propterea dicendo Christus est creatura, non significaretur quod Christus ut humanitatem habens, sed quod simpliciter ipsa Christi persona sit creatura: Vocabulum autem hoc, *compositum*, appellat suprà formale subjecti: ita ut dicendo Christus est persona composita, significetur Christus ut Christus seu ut subsistens in duabus naturis.

Ad Quartum Resp. ad compositionem supernaturalem non requiri ordinem naturalem componentium ad invicem, sed sufficit quod plura conjungantur ad unum per se & substantialiter constituendum.

Ad Quintum patet Responsio ex dictis articulo 3. nimirum, quod Christus ut humanitati unitus, est aliquid natura posterius componentibus.

## QUÆSTIO NUNC SUPEREST

*Vtrùm Christus seu Christi Persona rectè dicatur composita ex Verbo aut Verbi Personalitate & humanitate.*

Alvarez, Nazarius, & Puteanus affirmant. Quorum assertio probari potest.

Primò, quia accidens facit veram compositionem cum subjecto à quo sustentatur; idque ideò, quia ab eo sustentatur & tribuit ei esse accidentale: atqui humanitas etiam sustentatur à Verbo divino, & tribuit illi esse suppositum humanum: ergo ipsa facit compositionem cum persona Verbi.

Secundò, Illud est hujus compositionis extremum ex parte Dei, cui unitur humanitas; ipsa autem unitur Verbo, & quidem immediatè; ratione autem Verbi unitur Deitati: ergo Verbum est unum extremū componens hujus compositionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



TERTIO, Persona Christi est composita ex divina & humana natura: ergo ex divina personalitate & humanitate. Prob. Con ideò enim persona est composita ex divina & humana natura; quia utraque illa natura subsistit in eodem Verbi divini supposito: in eodem autem subsistunt Personalitas Verbi & humanitas. A

Observandum porrò quod licet rectè dicatur, Christus est compositus, aut persona Christi est composita: non similiter dicendum sit, Filius Dei est compositus, aut Verbum Dei est persona composita, nisi addatur quatenus homo: quia in prioribus propositionibus significatur compositio convenire Christo secundùm quod est Christus seu in duabus naturis subsistens: in posterioribus autem significatur convenire Verbo aut Filio Dei secundùm seipsúque propterea, quia compositum appellat suprà formale subjecti, ut supra dictum est. Verùm autem dici possit, Christus est duæ naturæ seu Christus est Deitas & humanitas simul, vide q. 17. art. 5. B

## ARTICULUS V.

*Vtrùm sit facta aliqua unio animæ & corporis in Christo.*

RESPONSIO affirmativa est fide certa: PRIMÒ, quia fide certum est Corpus Christi fuisse animatum, juxta illud Ecclesiæ: *Animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est*: corpus autem non potest dici animatum nisi ex unione animæ. C

SECUNDÒ, quia Christus est univocè homo cum alijs hominibus, ejusdemque speciei cum ipsis: Ad rationem autem humanæ speciei pertinet unio animæ & corporis.

TERTIÒ, terminus conceptionis & generationis humanæ est compositum ex anima & corpore: cùm ergo fide certum sit, Christum esse conceptum & natum hominem: consequens est quod sit compositus ex anima & corpore. Extat enim hujus rei clara definitio canon 13. Concil. Ephes. D

Adfert autem B. Th. hanc doctrinam, propter quosdam, qui ut vitarent hæresim Nestorij ponentis in Christo duas personas, dicebant animam & carnem non fuisse in Christo unita ut partes. Existimabant enim concedendum alioquin esse personam creatam, ex tali unione resultantem. Sed non advertebant in puris hominibus propterea resultare personam ex unione animæ & corporis, quia caro & anima uniuntur in unum, ad hoc ut illud per se subsistat: in Christo autem non sic uniuntur, sed ut adjuncta principaliori, scilicet Verbo divino, & ad ejus personalitatem assumpta. E

*In Christo non est species cõmunis.*

In Resp. ad 2. explicantur verba Damasc. dicentis in Christo non reperiri communem speciem: ut eorum sensus sit, non esse in ipso naturam aliquam communem ex divina & humana unitis resultantem: alioquin enim Christus neque Deus esset, neque homo, sed aliquid tertium natum communicari pluribus. Plura de hoc & præcedentibus art. videri possunt apud B. Thom. q. disputata de unione Verbi, & l. 4. contra Gent. c. 32. cum seq.

Pro solut. 3. dicendum est ad Minorem, corpus Christi posse vivificari à Verbo divino tanquam à principio vitæ effectivo, sed non tanquam à principio formali, cùm Verbum Dei non possit esse forma corporis.

## ARTICULUS VI.

*Vtrùm natura humana fuerit unita Verbo Dei accidentaliter.*

RELATIS ac confutatis hæresibus contrarijs Nestorij & Eutychetis, quorum ille ponebat in Christo duas personas, sicut sunt duæ naturæ, iste verò unam naturam ex divina & humana unius exsurgentem, sicut est una persona.

RESPONDET humanam naturam non fuisse unitam Verbo Dei accidentaliter, neque essentialiter, sed subsistentialiter.

*Quid uniri accidentaliter.*

Uniri accidentaliter, est quando ex conjunctione plurium, sive accidentium, sive substantiarum, resultat unum per accidens.

*Quid essentialiter.*

Uniri essentialiter est, quando ex pluribus resultat una tantum essentia.

*Quid substantialiter.*

Uniri substantialiter, est res aliquas substantiales conjungi ad constituendum unum per se in genere substantiæ. Et quamvis non ratò *substantia* sumatur pro *essentia*; sumitur tamen etiam pro subsistentia & hypostasi; atque ita sumitur in proposito, quando dicitur ex pluribus naturis resultare unam substantiam, id est, unam subsistentiam & hypostasim. Et consequenter unio substantialis hic vocatur quæ est personalis & hypostatica.

Fuisse autem hanc unionem substantialem probat, quia hæc unio facta est secundum subsistentiam, ut definitum est in Syn. 5. canon. 4. & 8. ergo est substantialis. Quæ conseq. ut sit legitima Antecedens intelligi debet, non de quacumque unione secundùm subsistentiam, sed de illâ quæ est rerum substantialium ad componendam & constituendam personam. Quamvis enim accidentia quædam uniri contingat in persona, non dicuntur tamen uniri substantialiter; tum quia non est conjunctio substantiarum; tum quia non conjunguntur ad substantiam, id est, ad suppositum substantiale componendum & constituendum sed supposito jam constituto adveniunt.

*Quid requiratur ad unionẽ substantialem.*

Deinde, ad unionem substantialem duo requiruntur, scilicet ut quod unitur, & sit substantia, & tribuat rei cum qua unitur, denominationem substantialem: sed in Incarnatione natura humana quæ unitur, est substantia, & tribuit Verbo denominationem substantialem, scilicet esse hominem: ergo est unio substantialis.

Confirmatur, Quando unio est accidentalis, vel per modum accidentis; id quod unitur, etiamsi sit substantia, non prædicatur per modum substantiæ, sed per modum accidentis, ut homo dicitur albus, non albedo, vestitus non vestis: Atqui ratione hujus unionis de Verbo prædicatur aliquid per modum substantiæ; dicitur enim esse homo: ergo est substantialis.

Idem probari potest ex Conc. Lateran. sub Martino 1. can. 6. & 8. ubi condemnatur si quis nolit confiteri propriè & verè ex duabus naturis Deitate & humanitate secundum subsistentiam unitis, inconfusè & indivisè, eundem & unum Christum esse.

In Resp. ad 1. propter verba Apostoli ad Philippen. 2. dicit humanitatem assimilari indumento, juxta expositionem Aug. q. 73. inter octoginta tres, & aliorum; non quod Verbum non sit verè & substantialiter homo; sed partim quia sicut per vestem cognoscitur homo, ita per humanitatem Deus Verbum; *Invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris*, ait S. Leo: partim quia homo vestitur sine sui mutatione, cum mutatione solius vestis; & Deus est Incarnatus sine sui mutatione, facta solùm mutatione naturæ assumptæ, seu materiæ ipsius, tanquam subjecti. Sensus Scripturæ est, ut dicatur Deus *habitu*, id est, forma & specie extetiore *inventus ut homo*, quia inventus est in specie & figura hominis, *Phil. 2.*

In Resp. ad 2. hæc sententia, *Quod advenit post esse completum accidentaliter advenit*; dicitur veritatem habere quando illud quod advenit, non tra- B hitur in communionem ejusdem esse completi, id est, quando secum adfert esse quod non pertinet ad constitutionem personæ cui advenit; quomodo accidentia supposito adveniunt accidentaliter: tum quia secum adferunt proprium & accidentale esse existentiæ, distinctum ab existentia subjecti, tum quia non faciunt unum in esse substantiali tum illo nec terminant potentiam substantialem subjecti; sed accidentalem. Humanitas autem adveniens Verbo Dei, non adfert secum esse, neque existentiæ, neque personæ, sed recipitur in communionem ejusdem esse completi; quia non existit neque subsistit nisi existentia & subsistentia Verbi, & cum eo facit unum in persona: quomo- C do corpus in resurrectione, quamvis adveniat animæ præexistenti, non unitur tamen ei accidentaliter, quia recipitur ad communionem ejusdem esse tam existentiæ quam subsistentiæ. Unde sicut corpus non dicitur inhærere seu inexistere in animâ, sic nec humanitas dicitur inhærere Verbo instar accidentis, sed existere existentia & personalitate Verbi, & ab eo sustentari.

In Resp. ad 3. tacitè negatur Min. Cùm enim substantia sumatur vel pro essentia, vel pro subsistentia; non quidquid ad substantiam, id est, essentiam rei non pertinet, est accidens ejus; si vel sit terminus & complementum naturæ; vel trahatur ad participationem ejusdem existentiæ. Hinc for- D ma non est de essentia materiæ; nec subsistentia de essentia naturæ cujus est terminus & complementum; neque tamen sunt accidentia.

His non obstat quod Conc. Ephes. can 3. unitatem hanc vocet naturalem: naturalis enim dicitur, non quia sit essentialis, sed quia est duarum naturarum in eadem hypostasi. Neque tamen sequitur, esse accidentalem, ex eo quod humanitas potest Verbo Dei adesse & abesse sine ejus corruptione: nam & corpus humanum potest animæ rationali adesse & abesse sine illius corruptione, cui tamen non unitur accidentaliter. Ut enim aliquid non sit accidens, satis est quod abesse nequeat absque corruptione vel suppositi, si sit ca- E pax corruptionis, vel denominationis substantialis: corpus autem non potest abesse ab anima absque corruptione suppositi humani, uti nec humanitas à Verbo, nisi ipsum Verbum definat esse persona humana.

Quod in arg. 4. sumitur *Instrumentum accidentaliter advenit*; verum est de eo quod solum advenit ut instrumentum, & non assumitur ad hypostasim ejus cui advenit: humanitas autem personæ Verbi sic advenit, ut assumatur ad unitatem hypostasis ipsius: & propterea humanitas est quidem instrumentum, Verbi conjunctum, ejus tamen unio non est unio instrumenti sicut volebat Nestorius, sed est unio secundùm hypostasim & personam.





## ARTICULUS VII.

*Vtrum unio naturæ divinæ & humanæ sit aliquid creatum.*

RESP. esse aliquid creatum in natura humana, scilicet relationem realem; in divinâ autem esse tantum relationem rationis. Non vult tamen dicere, nihil aliud factum esse in humanitate per Incarnationem, quam solam relationem: sed quia in præcedentibus egit de substantiali conjunctione, nunc quærit an relatio, quæ conjunctionem illam sequitur, sit aliquid creatum.

*Vnionis varia acceptio.*

Ad horum pleniorem intelligentiam sciendum quod Unio quandoque est Verbum, & significat actionem qua conjunguntur ea quæ dicuntur unita, vocaríque potest unitio: quandoque est nomen, & significat vel ipsam conjunctionem aliquorum in aliquo uno, vel relationem quæ conjunctionem illam sequitur.

Quatenùs unio dicit actionem unitivam humanitas cum Verbo, est actio communis toti Trinitati: Nam & Pater & Spiritus Sanctus fuit uniens, etiamsi non assumens, ut ex art. 8. liquet. Hæc autem actio quatenùs est in Deo, non differt ab eo, sed quatenùs recipitur in creatura, est aliquid creatum, & mutatio quædam in humanitate recepta: à qua sic eam distinguunt, sicut generatio substantiæ distinguitur à substantia scilicet non realiter; quia tam hæc actio quam substantiæ generatio, sit actio substantialis, & substantia tum ratione termini, tum ex sua formali & intrinseca ratione qua est via ad substantiam.

Quatenùs verò unio est nomen, significans conjunctionem aliquorum in uno, quomodo sumitur ab Authore art. 9. videtur esse modus quidam substantialis dependentiæ humanitatis à Verbo tanquam à supposito assumente, terminante, & sustentante illam; juxta illa quæ dicit Author in scripto super 3. sent. d. 5. art. 3.

Quatenùs autem est relatio, est habitudo quædam unitorum, orta ex ipsorum unione; quæ cùm in humanitate existens sit realis, per se primò terminatur per hypostasin divinam, tanquam ad extremum & terminum primarium hujus relationis: Secundariò autem ad naturam divinam.

*Quis terminus unionis hypostaticæ.*

Quod si de unione quatenus actio est, quæritur quis sit ejus terminus. Resp. esse personam Verbi, non secundùm quod est in se una ab æterno, sed secundùm quod est unita humanæ naturæ in tempore; & ita unio secundùm modum intelligendi præcedit personam, non prout est una, sed prout est unita, inquit Author de unione Verbi art. 1. ad 5.

Et Confirmatur, In omni unione substantiali terminus totalis per se primò intentus, est ipsum totum compositum ex unione resultans: ut in generatione & resurrectione hominis, terminus totalis nec est anima, nec corpus, sed totum compositum: Atqui unio hypostatica est vera substantialis unio: ergo totalis ejus terminus est ipsum totum, videlicet persona Verbi, non simpliciter, sed in humanitate subsistens, sive verbum caro factum, aut (quod in idem redit) Deus homo, seu Christus unus in persona subsistens in duabus naturis.

Dices, Actio identificatur suo termino: sed actio

Universidad de Deusto
Biblioteca



unitiva non identificatur personæ Verbi; ergo illa non est ejus terminus.

*Resp.* Actionem unitivam sicut consideratur ut in fieri, sic identificatur suo termino, considerato ut est in fieri: non enim est aliud quam Verbum fieri non simpliciter, sed hominem seu subsistens in natura humana.

*Terminus unionis hypostaticæ est aliquid creatum.*

Ex his patet unionis hypostaticæ terminum totalem esse aliquid creatum seu factum; est enim id quod ante non erat, scilicet Christus, Deus & homo.

Nec debet simpliciter dici increatus, propter naturam & personam divinam: quia compositum denominatur à componentibus ut unitis; unio autem naturæ humanæ cum Verbo est facta in tempore. B

Deinde, si diceretur increatus significaretur omninò independens & non factus, cùm tamen sit factus, quando Verbum caro factum est.

Formalis autem terminus Incarnationis, id est, ille quo terminus totalis est formaliter talis, est ipsa humanitas; quæ proindè habet rationem subjecti quatenùs per assumptionem mutatur; Habet etiam rationem termini ad quem formalis, quatenus est id quo Verbum factum est homo; & habet rationem termini à quo, quatenùs tendens ad propriam personalitem prævenitur à Subsistentia Verbi. Quamquam alij non improbabiliter dicant terminum à quo fuisse, carentiam termini C ad quem, vel negotiationem hominis in supposito divino.

Non dicimus autem terminum formalem esse personam divinam, vel modum substantialem; non prius, quia nec Verbum nec homo factus est Deus, sed Deus factus est homo, ut patebit q. 16. nec posterius quia modus ille nec proximè, nec formaliter fit per actionem Incarnationis, sed concomitanter se habet ad terminum sive formalem sive totalem; estque conditio requisita ut terminus totalis constituatur per formalem.

Denique, si unionis ut relatio est fundamentum quæritur; breviter dici potest ejus, ut in fieri, fundamentum esse unionem seu humanitatis as- D sumptionem ad Verbum: ut autem in facto esse, fundamentum quo, sive ratio fundandi, est unitas personalis: illa enim est ratio subsistendi in natura humana quamvis sub alia ratione (qua scilicet humanitati est ratio subsistendi in natura divina) sit terminus ad quem unio humanitatis terminatur, & ad quem ipsa humanitas refertur. Fundamentum verò principale quod, est humanitas: Omnis enim relatio realis creaturæ ad Deum fundatur in creatura, & proximè afficit suum fundamentum, tanquam modus & forma quædam illius.

*Vnio est relatio realis in humanitate.*

Circa Resp. ad 1. observandum est quod tametsi unio sit relatio rationis ex parte Verbi, propterea- E que Verbum non sit unitum humanitati secundùm relationem realem in ipso existentem: verè tamen & realiter est unitum, non formaliter sed terminativè, quia terminat relationem unionis realem, & dependentiam humanitatis sibi unitæ, Simili ferè modo 1. p. q. 12. art. 7. dixit Deum esse realiter dominum, ex reali subjectione creaturæ ad ipsum, etiamsi in eo nihil novi accedat.

In Resp. ad 3. Neg. Min. Quod enim homo dicatur creator, non est propter unionem præcisè, sed propter unionem ut terminatam ad hypostasim divinam, id est, propter unitatem divinæ personæ ad quam fit unio: Ipsa autem unio seu unitionis relatio, solùm est conditio necessaria ad ejusmodi communicationem, quatenus nimirum terminatur ad hypostasim Verbi, ut qua subsistit; ideòque non potest dici creator sed creatura, quia creatum respicit esse, esse autem unionis relativæ est à subjecto quod est creatum, non à termino qui est increatus.

## ARTICULUS VIII.

*Vtrum unio Verbi Incarnati sit idem quod assumptio.*

*Quo modo unio & assumptio differant.*

Resp. non esse formaliter idem. Unio enim uno modo sumpta est relatio; assumptio verò per comparationem ad assumentem, est actio: & per comparationem ad naturam assumptam, est passio.

Quod si unionem accipias quatenus est actio, adhuc ab eâ differt assumptio; quia in assumente qui est principium actionis, consignificat habitudinem termini, quod videlicet assumens ad se sumat: unio verò solùm notat conjunctionem Hinc Pater & Spiritus Sanctus, licet dicantur unire naturam humanam, non dicuntur tamen eam assumere, quia univerunt, at non sibi; atque ita non sumpserunt ad se.

Deindè, unio relatio significat ut in facto esse, & sic denominat extrema, ut indifferenter dicatur de utroque, significat enim relationem æquiparantiæ; ac proindè humanitas dicitur unita Verbo & naturæ divinæ; divina quoque natura & Verbum dicitur unitum humanitati. Non similiter autem Deitas aut Verbi personalitas dicitur assumpta, quia assumptio est actio personæ assumentis: ideoque non denominat eam nisi ut agentem, id est, assumentem: rem autem assumptam, non nisi ut ea subest assumptioni; ac proinde, non potest denominare aliud assumptum quam humanitatem, quæ & tracta est ad subsistentiam Verbi, & subest assumptioni.

Cur autem dicatur Verbum Dei Incarnatum & humanatum, non assumptum; & humanitas dicatur assumpta, non incarnata vel humanata: ratio est, quia Incarnatio & humanatio significant extremum unionis ex parte assumpti, quod est humanitas; ideoque non tribuuntur nisi illi ad quod ipsa terminatur tanquam ad assumens: Assumptio autem, indicans naturam assumptam, connotat terminum ex parte assumentis, & ideò solum illud potest dici assumptum, quod non est assumens.

Denique, cur aliquando dicatur caro deificata, id est, Deitate unita, non humanata: ratio est, quia licet deificatio & humanatio significent eandem actionem unitivam, significant tamen illam contrario modo: Nam deificatio significat Deum ut terminum, & carnem, ut subjectum; humanatio verò, significat humanitatem seu carnem ut terminum, & Verbum ut subjectum.

## ARTICULUS IX.

*Vtrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unionum.*

*Vnio hypostatica est maxima unionum.*

Resp. esse maximam unionum, non quidem ex parte illorum quæ conjunguntur, cum distent infinitè; illa autem unio censeatur minor ex parte extremorum cujus extrema magis distant ab invicem; sed ex parte ejus in quo uniuntur.



*Quid sit maxima unio.*

tur. Maxima enim unio hoc modo dicitur, quæ A terminatur ad unitatem maximam seu ad aliquid maximè unum: præsens autem unio est ad personam divinam, quæ cum altera quidem natura non tàm unitur, quàm est idem: cum alia verò intimè & substantialiter unitur, ita ut ei tribuat suum esse, suam unitatem, suam subsistentiam.

*Vnitas trium Personarum est major.*

Porrò, ea quæ conjunguntur B. Thom. non considerat, absolutè, sed ut sint apta conjungi, & ut actu conjunguntur: similiterq; id in quo uniuntur, spectat non solum quatenus est in se unum, sed etiam prout conjungit & copulat extrema, illisque tribuit suam unitatem. Atque ita patet unitatem trium Personarum in essentia Dei, esse majorem unione Incarnationis, etiamsi hæc sit ad personam divinam, quia ista persona non sic tribuit suam unitatem humanitati, ut sit re una & eadem cum illa, sicut eadem est res, persona & B natura divina.

Inter uniones tamen creatas, hæc est maxima, ut asseruit Bernard. l. de Consider. c. 8. *Inter omnia quæ rectè unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres Personæ una substantia sunt: secundo loco illa præcellit quæ è converso tres substantiæ una in Christo persona sunt.* Et Conformiter Cyril. Alex. l. de Incarn. c. 7. dicit hunc adunationis modum superiorem esse omni adunatione quam homo cogitare potest.

Sumit autem B. Thom. hic unionem non tam prout est relatio, quàm prout est subsistantialis conjunctio.

His non obstat, quod unio accidentium in Chri- C sto, & justorum in Deo, non sit maxima, etiamsi sit in re maximè una: quia accidentia non uniuntur Verbo immediatè, sed mediante humanitate: & justi non uniuntur, Deo substantialiter & personaliter, nec eis Deus communicat suam summam unitatem, aut suum esse; sed aliud est eorum, aliud Dei esse. Non obstat etiam Aug. l. 1. de Trin. c. 10. dicere, quod homo potius est in filio quàm filius in Patre; unde sequi videtur unionem Incarnationis esse majorem unitate Trinitatis. Id enim non sequitur, sive quia Aug. loquitur de homine in concreto, & quidem habita ratione personæ, hoc est, de unione in persona, non in essentia: Sic autem homo potius est in filio per D Incarnationem, quam Filius in Patre per circuminsessionem, quia homo non distinguitur personaliter neque realiter à Filio, sed est una persona cum illo; Filius autem distinguitur personaliter ac per consequens realiter à Patre. Sive quia humanitas unam personam componit cum Filio, & non similiter Filius cum Patre, quamvis alioquin Filius magis sit unum in essentia cum Patre, quam humanitas cum Filio.

In Resp. ad 1. dicit unitatem naturalem esse majorem unitate humanitatis quæ est in Christo, non tamen unitate personæ in qua unitur; & consequenter nec unitate humanitatis consideratæ ut E participat unitatem illius personæ.

Circa Resp. ad 3. advertè quod licet unio animæ & corporis sit aliqua ratione major unione Incarnationis, scilicet extensivè, in quantum ex illis unitis non solùm una persona resultat, sed etiã una natura in puris hominibus: intensivè tamen & simpliciter unio Incarnationis est major, ut ex Bernar. & Cyrill. patet: nam anima & corpus sic uniuntur substantialiter, ut uniantur cum imperfectione partium, & non in unitatem divinam, simplicissimam, incorruptibilem, sed in unionem creatam longè inferiorem: Quò etiam pertinet quod morte salvatur, non item unio Incarnationis, ut ratiocinatur S. Leo serm. 17. de Passione.

*Ob.* Si cum Durando dicas, illa esse maximè unum, quorum extrema magis & intimius efficiunt vel efficiuntur unum; per animam verò & corpus fit unum essentiale: ergo. *Resp.* Neg. Maj. quia maximè unum spectari potest ex duobus: Primò, ex parte illorum quæ conjunguntur. Secundò, ex parte illius in quo conjunguntur. Ex hoc secundo docet B. Th. hanc unionem esse maximam: argumentum verò procedit de primo.

## ARTICULUS X.

*Vtrùm unio Incarnationis sit facta per gratiam.*

Pro Resp. tria dicit. Primum, si gratia intelligitur gratuita Dei voluntas, unio Incarnationis facta est efficienter per gratiam.

Secundum, si intelligatur donum aliquod habituale inhærens animæ aut humanitati, quo mediante facta sit unio; non est facta per gratiam.

Tertium, si gratia intelligatur donum Dei gratuitum, hæc unio est maxima gratia, quia est donum nullis præcedentibus meritis humanitati concessum.

In Resp. ad 1. probat hanc unionem non esse factam per gratiam habitualem; partim quia sequeretur eam esse accidentalem; partim quia per gratiam habitualem non communicatur ipsa divina natura, sed ejus tantum similitudo.

*Coloss. 2.* Circa Resp. ad 2. observandum est, quòd in Christo dicitur *inhabitasse plenitudo Divinitatis*, id est, plena, tota, ac perfecta Deitas, *corporaliter*; quia divinitas in eo habitavit non solùm per gratiam & energiam, sed per unionem ipsiusmet divinitatis cum substantia corporea seu carne humana in persona Verbi. Conferri possunt Aug. Epi. 57. Leo ser. 15. de Passione, Cyril. l. 2. de recta fide, & Author ad c. 2. coloss.

## ARTICULUS XI.

*Vtrum unionem Verbi Incarnati aliqua merita præcesserint.*

*Apoc. 5.* Videtur quod sic, si non in re, saltem in mente divina. Primò, ex Apoc. 5. Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem & divinitatem.

*Psal. 44.* Secundò, Ps. 44. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.

*Philip. 2.* Tertiò, ad Phil. 2. Humiliavit semetipsum &c. propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.

Quartò, meritum Christi fuit infinitum: ergo meruit præmium infinitum, quale est unio hypostatica. Nec obstat unionem præcessisse; nihil enim vetat mercedem prius tribui, intuitu meritorum quæ noscuntur secutura.

Quintò, Christus perfectissimè satisfecit pro omnibus beneficijs suæ humanitati collatis: ergo potuit mereri hanc dignitatem.

Sextò, de B. Virgine dicit Aug. ser. 10. de Nativit. Talis eligitur virgo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei Filium in semetipsam reciperet. Similia habent Ansel. l. de excellentia B. Mariæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca



c.9.Hieron.Ep.22.c.16.Ambr.Ep.82.Et in ora- A tionibus Ecclesiæ dicitur, per quam meruimus Authorem vitæ susçipere ; item ut dignum Filij tui habitaculum effici mereretur.

SEPTIMÒ, perfectius est habere ex merito quàm sine merito ; id enim est per se habere, ut ostendit Author q. 19. seq. art. 3.

*Gen.28.* OCTAVÒ, Abrahæ dicitur Gen. 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Confirmatur, Author hîc dicit antiquos Patres eam meruisse de congruo : ergo ratio quæ adfertur contra meritum, quòd scilicet principium meriti non cadit sub merito, non est efficax.

*Resp. Neg.* AUTHORIS RESP. EST, nec Christi, nec cu- B jusçumque alterius hominis opera meruisse Incarnationem de condigno, quorum prius, si de oppribus Christi præcedentibus, cum Authore accipiamus, fide certum est, contra hæresim Photini dogmatizantis Christum esse purum hominem ; & per opera meruisse, ut esset Filius Dei per excellentem divinæ gloriæ participationem.

*Nullus meruit Incarnationem de condigno.* Utrumçue verò simpliciter verum esse, de quibuscunque operibus intelligatur, Probatur

PRIMÒ, Ex verbis Aug. citatis hîc ab Authore; quibus addi possunt c. ult. libri de dono persever. c. 11. l. de correp. & gr. c. 36. & 40. Enchridij, c. 17. l. 13. de Trin. C

SECUNDÒ, Christus ante Incarnationem non fuit homo: Deus autem non est capax meriti.

TERTIÒ, Nemo meretur ut sit; quia mereri & operari præsupponit esse: humanitas autem Christi non est nisi in Verbi ; ergo non potuit mereri ut sic esset.

QUARTÒ, Omnes homines erant peccatores : ergo non potuerunt mereri Incarnationem. Nec obstat, quod Sancti Patres fuerint justificati: omnem enim gratiam acceperunt ex merito Verbi Incarnandi.

QUINTÒ, Principium & radix meriti non cadit sub merito : sed post lapsum, Incarnatio est principium & radix omnis meriti: ergo. Maj. pro- D batur. Ideò enim prima gratia non cadit sub meritum, ut docetur 1.2.q.114.art.5. quia est principium cujuslibet boni operis. Et confirm. Omne meritum debet antecedere præmium, saltem naturæ ordine, & in Dei prævisione: est enim velut medium ad finem, & via ad terminum : sed nec Christi nec Sanctorum opera sive Incarnationem sequentia sive præcedentia, eam antecedunt naturæ ordine, vel in Dei prævisione: ergo non meruerunt illam. Min. prob. quia Christi quidem opera totum suum valorem acceperunt à reali & intrinseca unione humanitatis cum Verbo; Sanctorum verò opera valorem non habuerunt, nisi ex E gratia quam Deus Intuitu Incarnationis & meritorum Christi aliquando futurorum, eis donavit, ac proinde Incarnatio semper ut prior supponitur in re, vel in mente divina.

Ex quibus etiam colligendum relinquitur, nec Christum, nec aliquam creaturam potuisse de condigno mereri hanc unionem.

*Christus meruit præmium infinitum.* AD 1. verò arg. RESP. Christum promeruisse, non ut esset, sed ut palam agnosceretur esse Deus: Ac pronde ipsum accipere divinitatem, est publicari & agnosci esse Deum : sicut eum accipere sapientiam, est publicari & agnosci esse sapientem; juxta phrasim Scripturæ usitatam, quâ dicitur aliquid fieri quando innotescit, ut ex Authore diximus 1.p.q.27.art. 1.

Adverte tamen juxta lectionem Græcam, ubi pro *divinitatem* habetur *divinitas* ; sensum esse, quod agnus dignus est ostendere omnes thesauros, ad se tanquam ad Deum pertinere.

AD 2. inter varias ejus loci probabiles expositiones, PRIMA, est ut vocula, *propterea*, significet causam finalem: quasi diceretur, *Dilexisti justitiam, & odio habuisti iniquitatem* ; ad hoc enim unxerat te Deus oleo suæ gratiæ; quo modo Luc.4. dicitur *Alijs civitatibus oportet me evangelizare, quia ideo*, id est, *ad hoc missus sum*. SECUNDA, Ut *propterea*, positum sit pro, propterea, quod, & significetur quod unctio est causa cur Christus dilexerit justitiam: quomodo Act. 18. dicitur, *Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter quod* ; sive quia *ego sum tecum*. TERTIA, ut retenta propria significatione vocis, *propterea*, sermo intelligatur esse de unctione qua Christus post passionem immortalitate donatus, & ad dexteram Patris collocatus est, ac regni possessionem accepit: & est sensus; Quia dilexisti justitiam & odisti iniquitatem; ideò Deus unxit te ea unctione, quâ jam stola gloriæ & immortalitatis indutus, ac regio diademate coronatus, in regni possessionem venires. *Psal.44.*

Ad 3. Respondet Author in Comment. quod propter Christi humilitatem & obedientiam Deus Pater ei donavit nomen Dei ; quia fecit manifestum mundo quod hoc nomen haberet, cùm anteà non ita esset manifestũ. Undè sequitur, *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur*; quasi diceretur, non jam dedisse nomen Dei quasi antè non habuerit, sed dedisse & fecisse, ut omnes illud venerarentur.

Potest etiam per nomen intelligi celebritas & fama Divinitatis quam Deus Christo dedit post resurrectionem, quatenus fecit ut in toto mundo palam agnosceretur & celebraretur esse verus Deus. Quæ expositio bene cohæret cum priori.

AD 4. RESP. Christum meruisse quidem præmium infinitum, at non illud quod est unio hypostatica Verbi divini per Incarnationem, sed aliud, nimirum quod Divinitas quæ est bonum simpliciter infinitum, in Christi resurrectione, reuniretur toti ejus humanitati. Nam Christus per meritum suæ passionis meruit suam resurrectionem ; in resurrectione autem divinitas reunita est toti humanitati ; quæ quidem humanitas sic per mortem fuerat absoluta, ut quamvis Verbum maneret tam corpori quam animæ unitum, non tamen toti humanitati simul, sive non animæ & corpori simul junctis ac unitis, quo modo in resurrectione fuit unitum.

Deinde, Christus etiam meruit quod in Eucharistia panis & vinum convertantur in corpus & sanguinem suum ; quodçue ibi sit divinitas per realem concomitantiam: & hoc præmium simpliciter quoque fuit infinitum.

Supposita porrò unius personæ divinæ Incarnatione, illa posset alterius personæ Incarnationem mereri, si Deus vellet : Sed non eadem est ratio merendi unicam unius personæ Incarnationem, cum hæc sit omnis omninò meriti radix, fundamentum & principium. Bene credimus quod Incarnatione facta, potuisset Christus mereri continuationem unionis hypostaticæ; quia continuatio illa vel non est, vel saltem non est necessariũ quod sit principium meriti : non videtur tamen quod eam meruerit; quia continuatio non fuit data vel sub



sub conditione meriti vel dependenter à merito, A sed gratis & absolutè, sicut ipsa unio.

Ad replicam, licet merces tribui possit operario ante meritum, non tamen omne præmium potest sic donari; non enim illud quod est operantis interna perfectio: ut ostensum est 1.p.q.62.ar. 4. Deinde, prima radix meriti non potest esse merces, ideòque nec ut præmium donari ante meritum.

AD 5. Neg.C. quia satisfactio supponit beneficium esse datum ; meritum verò, cùm sit causa præmij, debet ipsum antecedere.

Ad 6. RESP. Author hîc ad 3. quod B Virgo non meruit Deum Incarnari, sed solùm ex gratia data meruit illum puritatis & sanctitatis gradum, B ut congruè posset esse Mater Dei, & consequenter ut esset idoneum Filio Dei susçipiendo habitaculum. In ea ergo non fuit meritum, vel respectu Incarnationis, vel respectu Maternitatis Dei, etsi de hoc alij aliter sentiant, sed respectu sanctitatis quâ à Spiritu Sancto præventa, per gratiam meruit. Confirm. quia Incarnatio fuit causa meritoria & principium omnis gratiæ, quam habuit B. Virgo, similiterçue fuit radix omnis meriti ipsius : ergo nullum ejus opus potuit esse causa meritoria Incarnationis, ne quidem de congruo.

Quod verò dicimus, per quam meruimus authorem vitæ susçipere : hunc habet sensum, per quam nobis contigit ut eum susceperimus. C

AD 7. RESP. id quod assumitur verum esse, si non sit tale, cujus carentia magis præjudicet honori & dignitati merentis, quam ei accrescat per meritum: ut B.Th. dicit q.19. art.3. In proposito autem maximè præjudicaretur honori Christi, quia sequeretur fuisse aliquando non Deum, & promeruisse ut esset.

*Nullum fuit Incarnationis meritum ne quidem congrui.* AD 8. Si propriè loquamur de merito congrui, probabilius videtur quod nullus Incarnationem meruit de congruo.

PRIMÒ, quia Incarnatio & Christi Incarnati opera sint primum fundamentum & principium omnis meriti, sive congrui sive condigni, D non verò effectus.

SECUNDÒ, quia sequeretur alioquin, Sanctos meruisse primam gratiam, ac meruisse Christo & toti humano generi ejus mortem, satisfactionem, redemptionem, ideòque Incarnationem non esse illis primam gratiam, sed secundam.

TERTIÒ, quia meritum congrui importat ut id quod ejus intuitu datur, detur per modum alicujus recompensæ vel retributionis, saltem gratuitæ & liberalis, ut diximus 1.2.q.114.art.7.ad 4. Incarnatio autem non est facta tanquam retributio vel recompensa ullorum operum, sed ita fuit prorsus gratuita ut omninò esset independens ab opere quocumque & cujuscumque. Hinc B. Th. E 1.2.q.8.art.4. docet promissiones de Christo factas esse Patribus ac specialiter Abrahæ, non ob merita ipsorum, sed ex gratuita Dei electione & vocatione.

Quod ergo hîc dicit, Sanctos Patres meruisse Incarnationem de congruo per preces & pia desideria; quidam intelligunt de Incarnatione secundùm aliquas ejus circumstantias, veluti quod tali tempore & de tali populo Christus nasceretur. Sed præterea videtur loqui de merito congrui latè & impropriè, ita ut mereri equivaleat ei quod est impetrare ; & meritum accipiatur pro opere per quod fiebat ut divinæ bonitati congruum esset exaudire illos qui ei obediebant, *Propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum*, Ad Rom. 15. Confirmatur, B.Th. in resp. ad 3. non admittit B. Virginem meruisse Incarnationem, ergo multò minus existimandus est sentire quod Sancti Patres illam meruerint, cùm ipsi sint B. Virgine longè inferiores. Ista autem desideria vel opera Patrum ideò non habebant propriam meriti congrui rationem, tum quia erant effectus Incarnationis, tum quia Incarnatio est omnis meriti principium & radix, etiam ejus quod vocatur de congruo.

AD Arg. de Abraham RESP. eo loco significari quod promissiones jam antea gratuitò factas Deus nunc iteraverit, & superaddito juramento confirmavit, propter ejus obedientiam.

### ARTICULUS XII.

*Vtrum gratia unionis sit homini Christo naturalis*

RESP. neque gratiam unionis, id est, neque unionem ipsam subsantialem cum Verbo, neque gratiam habitualem esse homini Christo naturalem; quasi causatam ex principijs humanæ naturæ in ipso: esse tamen alio modo naturalem; partim, quia fuit humanitati collata simul cum ipsa natura, seu ab initio conceptionis; partim, quia fuit causata à natura divina, quæ est natura Christi. Undè non solùm dicitur naturalis, quia fuit naturæ coæva & ad eam se concomitanter habuerit secundùm tempus, sed etiam, quia competebat ex vi Nativitatis talis, & ex ratione principij activi intrinseci, id est, divinæ naturæ quæ erat Christo intrinseca. Simpliciter autem gratia unionis est quid supernaturale, sicut & gratia habitualis.

## QUÆSTIO III.

*De unione ex parte Personæ assumentis.*

### ARTICULUS I.

*Vtrum Personæ divinæ conveniat assumere naturam creatam.*

RESP. Affirm. est fidei, ut patet ex præcedentibus, ubi probatum fuit, quod *Verbum caro factum est*, Joan. 1. Undè B.Th. hîc concludit, quod *Proprijssimè competit personæ assumere naturam.* Confirmatur, Assumere naturam, est eam ad se sumere, atque ita assumens debet esse principium & terminus assumptionis: Sed persona divina est principium assumptionis) cùm actiones sint suppositorum) & est etiam terminus ejusdem: Nam unio facta est in persona, & Verbum divinum ad se sumpsit naturam humanam: ergo assumere naturam proprijssimè convenit personæ.

In resp. ad 1. tradit Deo, cum sit perfectissimus, nihil posse addi seu apponi; quia quod additur, habet se ad id cui additur tanquam forma perfectiva ad perfectibile. Per assumptionem ergo non est necessarium quod addito fiat assumpti ad assumentem ; sed potest esse assumptio per talem unionem qua assumens aliquid sumit ad se, non acquirens sibi perfectionem, sed alteri, cui se suamçue

Universidad de Deusto
Biblioteca



suamque perfectionem communicat. Hinc autem sequitur potius dicendum quod aliquid fuerit additum humanitati, quàm Verbo; quia ipsa est quæ perficitur & à Verbo dependet. A

In Resp. ad 2. distinguitur Minor, dicendo quod persona sit incommunicabilis alijs personis, sed non alijs naturis; sicut è contrario, natura individua est incommunicabilis alijs naturis, sed non alijs personis.

Circa eandem Resp. ad 2.

## QUÆRI POTEST.

*Vtrùm per absolutam Dei potentiam fieri possit quod aliqua persona creata naturam alienam assumat in unitate suppositi.* B

VIDETUR quod sic: partim quia nulla inde contradictio sequi videtur: partim quia nulla est repugnantia ex parte personæ creatæ, neque ex parte naturæ. Ita docent Becanus, Pesantius, & quidam alij, nec omninò improbabiliter.

*Resp. non posse fieri.*

VERUMTAMEN B. Thom. conformius & probabilius videtur id non posse fieri. Ita enim ipse hoc loco scribit. *Hoc est proprium divinæ Personæ propter ejus infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam.* Ità sentiunt Duran. in 3. d. 1. q. 5. Hentic. quodl. 11. q. 10. Palud. d. 1. ar. 2. Sotus in 4. d. C 9. q. 2. ar. 2. Cajet. Medina, Cabrera, Alvarez, Nazarius, Gamacius, Puteanus, Wiggers hîc, Suar. disp. 3. Vasq. disp. 25.

*Requiritur vis infinita ad assumendam alienam naturam.*

PROBATUR 1. quia quemadmodum S. Doctor hîc indicat, Ad hoc ut aliqua persona naturam alienam assumat in unitate suppositi, requiritur vis infinita in assumente: sed ejusmodi vis non potest esse in ulla creatura: ergo nulla creatura potest naturam alienam sic assumere.

Probatur Maj. quoniam persona assumens naturam alienam, debet esse simpliciter & absolutè non limitata ad unam naturam, atque adeò debet esse talis, ut quamvis unam naturam habeat, reliquas tamen virtute vel eminenter contineat, tan- D quam à se subsistantialiter suppositabiles.

*Obj.*

Si dicas ita quidem oportere, ut persona quæpiam assumat alienam naturam tanquam causa principalis, non verò ut assumat tanquam instrumentum: contra est, quod assumere in unitatem suppositi vel sic terminare, non potest esse alicujus personæ tanquam instrumenti, sed solùm tanquam causæ principalis; quia personam aliquam terminare naturam in unitate suppositi subsistantialiter, idem est quod illi communicare suum proprium esse personale; hoc autem est concurrere per modum causæ principalis; nam quod seipso formaliter & immediatè, ac propria virtute & per esse proprium concurrit, hoc ipso concurrit E ut causa principalis in suo ordine; cùm causa instrumentalis solùm ex motione principalis agentis operetur.

*Resp.*

PROBATUR 2. certum est quod nulli personæ creatæ ex naturali sua virtute conveniat, assumere alienam naturam; cùm inter omnes conveniat Incarnationem esse opus maximè miraculosum; Sed nec aliter ei convenire potest: quia hoc vel fieret per aliquam virtutem ipsi superadditam, vel sine ea per solam Dei assistentiam externam. Neutro autem modo fieri potest. Non priori, quia juxta illum unio est accidentalis, fieret enim medio accidente, jam verò disputatur de unione substantiali. Non etiam posteriori, quoniam licet Deus per solam assistentiam externam possit elevare naturam creatam, & cum ea vel per eam in genere causæ efficientis agere, non tamen hoc potest in genere causæ formalis & ad effectum formalem, ubi necessaria est causalitas intrinseca; sustentare autem & terminare naturam in unitate suppositi substantialis, pertinet aliquo modo ad genus causæ formalis, estque causalitas intrinseca; provenit enim ab ipso supposito quod se suamque subsistentiam dat, non per modum accidentis, sed substantialiter.

*Obj.*

Si dicas, Deus non potest esse forma seu causa formalis; & tamen Deus suppositat humanitatem quam assumpsit: ergo sustentare & terminare naturam non pertinet ad genus causæ formalis.

*Resp.*

Resp. Neg. Cons. quia in causalitate formali duo reperiuntur: unum, actuare: aliud, informare, sive inhærendo, si sit forma accidentalis, sive tanquam pars vel compars, si sit forma substantialis: Juxta posterius Deo convenire non potest causalitas formalis, sed bene juxta prius, sublatis imperfectionibus; & sic persona divina terminat humanitatem assumptam, in genere causæ formalis, non eam informando, sed actuando & sustentando.

AD 1. ARGUM. RESP. hanc contradictionem sequi, quod persona creata sit ad unam naturam limitata, & non limitata; finita & infinita.

AD 2. RESP. Neg. Assumpt. Est enim repugnantia tum ex parte personæ creatæ, tum ex parte naturæ assumendæ. Ex parte personæ quidem, quia terminare alienam naturam, est terminare sine limitatione quoad numerum naturarum, & quoad virtutem terminativam; habere autem ejusmodi illimitationem, est virtutis infinitæ. Ex parte autem naturæ, quia natura creata tantùm est in potentia obedientiali, solùm respectu personæ eminenter continentis eam naturam totaliter; qualis nulla persona creata esse potest.

*Obj.*

Si dicas quod terminare naturam alienam non fit majus, quam terminare proprium. *Resp.* non esse quidem majus ex parte termini; ex parte tamen modi terminandi est infinitè majus, propter illimitationem, quæ in eo importatur.

Ex his patet, non esse audiendos qui dixerunt Angelos Abrahæ & Loth apparentes, Joannem Baptistam, Malachiam, Aggæum, & Melchisedech fuisse Angelos incarnatos; sicut nec eos qui putant Antichristum fore diabolum incarnatum, de quibus Hieronym. in cap. 7. Dan. in Prologo super Malachiam, in cap. 1. Aggæi, & Epist. 126.

Quod in 3. Arg. sumitur, *Persona constituitur per naturam*: accipiendum est de persona secundùm rationem speciei & essentiæ; natura enim est quæ facit, ut personæ sint in illa specie & essentia, in qua est natura quam terminant, & in qua subsistunt. Quomodo Christus constituitur in specie humana per humanitatem. Unde in resp. ad 3. affirmat personam Verbi non simpliciter constitui per naturam humanam, sed solùm, constitui hominem.

ARTI-



## ARTICULUS II.

*Vtrum divina natura conveniat assumere.*

RESPONDET convenire: quia esse principium assumptionis convenit naturæ divinæ secundùm seipsam, cum ejus virtute fiat assumptio, ipsaque sit principium quo effectivum unionis, quæ in assumptione reperitur. Addit tamen quod assumere primò & proprijssimè conveniat Personæ, & secundariò naturæ: quia in Verbo assumendi, non tantum significatur principium assumptionis, sed etiam terminus; esse autem terminum assumptionis non convenit natu- B ræ secundùm seipsam, sed ratione personæ; quia persona est quæ primò ac directè naturam humanam ad se sumpsit, communicando illi suam subsistentiam, natura verò non primò & directè ad se naturam illam sumpsit, sed ad personam Verbi, quod est persona suæ naturæ, & secundum rem idem cum illa.

*Assumere primò convenit personæ & secundariò naturæ.*

Hîc ergo est observandum, unionem hypostaticam non esse sic factam, ut natura immediatè & per se primò copularetur naturæ, sed ut Personæ. Neque hinc sequitur, quod etiam Pater assumpserit naturam humanam secundariò, eò quòd & ipse identificetur illi naturæ quæ dicitur assumens: natura enim divina dicitur assumens, quatenus C identificatur Verbo, & quatenùs sumit ad Personam Verbi, quod primò & per se humanitatem assumpsit. Quamvis autem pater eandem humanitatem sumpserit seu univerit ad Personam Verbi, non tamen illam sumpsit ad se, seu ad suam personam; quia non est idem suppositum Patris & Verbi, sed sunt personæ realiter inter se distinctæ. Vide resp. ad 1. ubi S. Doctor concludit non priè dici posse quod Pater assumat naturam humanam.

*Natura divina est secundariò assumens, in quantùm identificatur ei persona quæ ad se sumpsit humanitatem. Variæ propositiones explicantur.*

Circa finem corp. est observandum quod licet hæc propositio vera sit: *Natura divina est Incarnata*, ut q. 2. art. 1. dictum est: istæ tamen: *Natura Divina est facta caro seu homo, est nata, passa, vel crucifixa*, non sunt pariter admittendæ, ut ex Damasc. l. D 3. c. 6. liquet. Prima enim solùm significat naturam divinam esse carni unitam: secunda autem significare videtur naturam esse conversam in carnem: ceteræ, quia (cùm illa adjectiva appellent suum formale significatum super formale significatum subjecti;) significant essentiam divinam secundùm se esse natam, passam, crucifixam. Dicitur tamen verè, *Deus natus & passus*; quia subjectum, Deus, supponit pro persona; & sic adjectiva applicant suum formale significatum ad personam, cui secundùm aliquam naturam conveniunt. Hæc autem, *Natura divina, est homo*; quamvis in sensu formali sit falsa, in identico tamen, ut vera E recipitur à Medina, & Cabrera post B. Tho. & S. Bonavent. in 3. dist. 5. qui posterior addit esse minus propriam minusque usitandam.

An verò sicut dicitur, Natura Verbi Incarnata, ita, dici possit divinitas Incarnata; quæri potest Damascen. enim l. 3. cap. 11. negat, quia ex modo significandi, *divinitas* non supponit pro persona sicut cum dicitur divinitas Verbi. Quia tamen divinitatem esse Incarnatam, non aliud significat quàm naturam Verbi esse carni unitam, communiter admittitur à Scholasticis, præsertim nunc quando nullum subest erroris periculum.

In Resp. ad 2. observa, illud quod convenit divinæ naturæ secundum se, convenire tribus personis, sicut est bonitas, sapientia, & alia ejusmodi, eò quòd natura sit communis tribus personis: quod autem convenit naturæ divinæ non secundùm se sed tantum ratione unius personæ, hoc non potest convenire omnibus, sed illi tantum, cujus ratione convenit naturæ. Cum ergo, assumere naturam humanam; solum conveniat divinæ naturæ, ratione Personæ Verbi; non potest convenire omnibus personis, sed soli Verbo.

Occasione ejus quod hîc in corp. dicitur, assumptionem factam esse virtute Divinæ naturæ.

## QUÆRITUR,

*Vtrùm nulla creatura unionem Verbi hypostaticam effecerit vel efficere potuerit.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia ad alios supernaturales effectus assumuntur creaturæ, veluti ad gratiam, & ad transsubstantiationem causandam: ergo etiam ad unionem hypostaticam.

SECUNDÒ, Pertinet ad B. Virginis dignitatem, quod effectivè concurrat ad istam unionem: ergo hoc illi fuit datum. Et confirmatur, quia alioquin non propriè posset dici esse Mater Dei, si nullum influxum, ne instrumentalem quidem habuerit, quo unionem illam effectivè attingeret.

TERTIÒ, Hesichius Hierosolym. serm. 2. de Deipara tom. 2. Biblioth. Patrum sic B. Virginem alloquitur: *Si cognosceres virum, nunquam fieres instrumentum Incarnationis.* Et Ambros. ep. 82. *Per virum & mulierem caro ejecta est de Paradiso: Per Virginem juncta est Deo.* Opponuntur etiam aliqua ex S. Bernardo: sed eorum solutio ex jam dictorum solutione facilè haberi potest.

Pro Resp. sit.

### CONCLUSIO I.

*Non potest creatura esse causa unionis hypost. effectiva principalis.*

NULLA creatura potest efficere unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo tanquam causa principalis. Est communis omnium orthodoxorum; quoniam ista unio excedit omnem facultatem naturæ creatæ ac etiam creabilis, imo est altioris ordinis quam ullum aliud donum supernaturale; nullum enim aliud est quod possit hominem in tanto gradu constituere, sicut facit hæc unio.

### CONCLUSIO II.

*Nec fuit ulla causa instrumenti.*

NULLA creatura unionem hypostaticam efficientes causavit, neque idem ut instrumentum. Ita Vasquez, disput. 25. Alvarez disp. 19. Nazarius hîc contra Suarez: quia scriptura sacra soli Deo ut causæ efficienti attribuit unionem hypostaticam, neque ex ullo scripturæ loco potest colligi quod Deus ad eam efficiendam aliquo instrumento usus fuerit. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, Matth. 1. Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Jer. 31. *Creavit Dominus novum super terram.*

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca



### Conclusio III.

Et probabile est non posse dari.

Etsi probabile sit creaturam assumi posse ut sit instrumentum efficiens unionis hypostaticæ quemadmodum Suarez,& Becanus,& alij quidam sentiunt; Vasquez tamen,Alvarez,& Nazarius non minus probabiliter negant; quia nulla creatura potest attingere, ne quidem instrumentaliter, ipsum esse personale Verbi: ergo non potest elevari ut sit instrumentum effectivum unionis Verbi cum humana natura.

Probatur Cons. quia instrumentum effectivum debet attingere extrema quæ unit, ipsumque terminum unionis. Antec. Prob. quia esse personale Verbi est infinitum & extra limites activitatis cujuslibet creaturæ, non solum quoad produci, sed etiam quoad uniri.

Ad 1. Arg. Resp. Neg. Cons. quia in ejusmodi actionibus creatura nihil debet agere circa esse divinum, sed tantum circa creaturam.

Ad 2. Neg. Ant. quin potius ad Incarnationis excellentiam pertinebat, ut à solo Deo efficeretur: & propterea licet concederetur creaturam posse instrumentaliter ad eam efficiendam assumi,non posset inde concludi B. Virginem ad illam fuisse assumptam præsertim cum Deus non omnia illi dederit, quæ dare posset,veluti ut mortalis existens, frueretur visione Beatifica: & quamvis daretur quod creatura possit creare instrumentaliter, non propterea esset consequens B. Virginem fuisse instrumentum ad creandam animam Christi.

Vt B. Virgo sit proprie Mater Dei non oportet quod activè sit operata unionem.

Ad Confirm. Resp. Negan. Assump. quia ad hoc ut B. Virgo verè & propriè dicatur Mater Dei, non oportet quod effecerit unionem hypostaticam.

Primò, quia ipsam verè & propriè esse Matrem Dei,est dogma catholicum, quemadmodum quæst. 35. art. 4. docetur; dogma autem catholicum non pendet ex eo quod vel est impossibile, vel solum probabiliter dicitur esse possibile.

Secundò,quia B. Thomæ doctrina quæst. 32. art. 4. habet B. Virginem nihil activè operatam esse in ipsa conceptione Christi.

Ad 3. Resp. ejusmodi sententias non esse intelligendas de instrumento Physico seu realiter effectivo,sed partim de morali,quo modo is qui nobis salutem impetrat, dicitur esse instrumentum nostræ salutis; partim de causa humanitatis Christi, in qua facta fuit Incarnatio.

### Articulus III.

*Vtrum abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere.*

Sensus est, si natura divina intelligeretur esse sine relationibus personalibus, & sine personis quas agnoscit fides catholica (quomodo Ethnici & Judæi imaginantur Deum existere;) An posset assumere.

Resp. naturam sic consideratam adhuc posse intelligi ut assumentem; quia remanet in nostra consideratio ne ut subsistens, & ut persona;remanet etiam Dei virtus & omnipotentia.

In Resp. ad 3. per modum resolutionis manere intelligit, quando manet aliquid facta reali separatione.

Quæ cum ita sint, Non pauci putant alium esse hujus articuli sensum, hunc scilicet: An nunc divina natura existente conjuncta relationibus personalibus, posset assumere per ea quæ præcisè illi conveniunt, ut à relationibus abstrahitur sive, An hoc Deus posset assumere naturam humanam, non terminando per aliquam subsistentiam personalem, sed per communem.

An Deus possit assumere abstrahendo à tribus personis.

Posse Probatur 1. quia hic Deus creat, non ratione personalis proprietatis; sed ratione essentiæ: ergo potest etiam assumere.

Secundò, subsistentia capitur essentialiter ab Aug. l. 7. de Trinit. cap. 4. Omnis res ad seipsam subsistit, quantò magis Deus.

In Synod. 6. act. 4. Sancta Trinitas dicitur esse unius subsistentiæ. In actione etiam undecima ità legimus, Undè collige subsistentiam in divinis & personaliter & essentialiter dici. Si personaliter accipias,tres subsistentiæ sunt:si essentialiter,unica est subsistentia.

In Concilio etiam Romano apud Theod. lib. 2. c. 22. dicitur Spiritus Sanctus unam eandemque cum Patre & Filio substantiam habere & subsistentiam.

Tertiò, Essentiæ creatæ habent suam subsistentiam: ergo & divina

Resp. Neg.

Conformiter ijs quæ dicta sunt 1. p. q. 29. art. 3. Resp. cum Bonav. & Richardo in 3. d. 5. naturam divinam non posse eo modo assumere; quia præter tres subsistentias relativas in Deo,non est agnoscenda alia essentialis communis & absoluta, ne ponatur quaternitas

Confirmatur, quia si detur subsistentia absoluta;sequitur quod sit communicabilis,quia ponitur essentialis; sequitur etiam quod sit incommunicabilis, quia de ratione subsistentiæ est, esse per se incommunicabilem. *Ex hoc* (inquit Auct. quæst. 9 de pot. art. 3. 5.) *quod aliquid est subsistens, habet quod de pluribus prædicari non potest.* Hinc 1. p. q. 29. docet,quod suppositum, subsistentia,hypostasis & persona sunt unum & idem in natura rationali.

Præterea, sequeretur dici posse quod tres personæ sint solùm unus subsistens, sicut sunt solùm unus Deus;& quod sit Trinitas in una subsistentia,sicut est in una deitate;quodq; sint in Deo vel quatuor personæ, si illa subsistentia constituit personam vel si non constituat,quòd sit imperfectior creatis subsistentijs, quæ semper constituunt personam in natura rationali.

Deniq; huc facit quod can. 1. Syn. quintæ jubet confiteri Deitatem in tribus subsistentijs; quodq; sancti Patres communiter agnoscunt tres hypostases & subsistentias, non unam. Vide Basil. epist. 64. & Edictum Iustiniani tomo 2. Concil. imò Actionem undecimam Synodi sextæ in eodem secundo tomo, ubi sic habetur, *Trinitatem in unitate credimus, & in Trinitate unitatem glorificamus. Trinitatem quidem pro tribus subsistentijs;unitatem autem,propter singularitatē deitatis.* Et posteà, *Dominatio una firmiter agnoscitur, licet in tribus subsistentijs demonstretur.* Et iterum,*Impium est orthodoxis utrumq; tam singularitas secundum subsistentiam, quam ternalitas in naturis, &c.*

Ad 1. verò Arg. Resp. sicut non est subsistentia communis, cui tribuatur assumere, non terminando per subsistentiam personalem; ità non est etiam communis, cui competat creare;sed suppositum Verbi, *creat*,est,hic Deus; supponens indiffe-



renter pro Patre,& Filio, & Spiritu Sancto,non autem abstrahens ab illis.

Ad 2. Cum Aug. ibi dicat, subsistere esse absolutum,non relativum;sciendum est, quod non intelligat propriè dictam subsistentiam, sed existentia,de qua dicto art. 3. q. 29. 1. partis diximus, esse tantum unam in Deo.

Ad id quod ex Actio. 4. Synodi sextæ objicitur,Resp.non haberi in tomis Conciliorum,*subsistentiæ* sed *substantiæ*; idque omninò postulat sententia Agachonis Pontificis,cujus epistola illic recitatur:*Vt confitentes* (inquit) *sanctam & inseparabilem Trinitatem,id est Patrem,& Filium,& Spiritum Sanctum, unius esse Deitatis, unius naturæ, & substantiæ sive essentiæ; unius eam prædicemus & naturalis voluntatis &c.*

Ad id quod ex Act. 11. adducitur, Resp. illud non esse ipsius Concilij;sed Collectoris Summæ Conciliorum,in qua Summa, & non in ipsa Synodo, hoc legitur.

In Synodo Romana, subsistentia,non sumitur propriè, sed vel pro essentia, vel pro existentia, Idem enim vult Synodus de Spiritu Sancto dicere, quod prius de patre dixit & Filio:esse scilicet unius & ejusdem essentiæ.

Ad 3. Essentia divina habet propriam subsistentiam, non unam tantùm, sed tres;quæ tamen cum illa sunt una & eadem res.

Non est facta unio in subsistentia aliqua communi, sed in propria Verbi eaque relativa.

Ex his intelligi facile potest unionem hypostaticam non esse factam in communi subsistentia, sed in personalitate relativa quæ est propria Verbi; ita ut per se primò & immediatè terminans ut quod & ad se sumens naturam humanam, sit solum Verbum divinum;id autem quo formaliter & primò eam natura terminavit, est propria Verbi divini personalitas. Quæ omnia ex ijs quæ articulo sequenti dicuntur, confirmari possunt.

Et quamvis de humanitatis existentia variè sentiant Doctores; conformiter tamen his quæ quæst. 17. habet *S.* Doctor, Probabile est quod Verbum divinum sic immediatè terminat naturam humanam, tribuendo illi suam propriam subsistentiam relativam, ut secundariò eidem naturæ tribuat existentiam increatam & absolutam, quâ ipsum Verbum formaliter existit, quemadmodum post alios docet Alvarez disp. 14. concl. 2. & disp. 21. concl. 4.

### Articulus IV.

*Vtrum una Persona possit assumere naturam creatam alia non assumente.*

Respondet posse. Cùm enim assumptio importet operationem & terminum; id quod est operationis, commune est tribus personis; sed non id quod est termini; quia quælibet persona operata est assumptionem, non tamen quælibet naturam assumptam ad se accepit sed sola persona Verbi.

Prius definitum est in Concilio Later. c. *firmiter*,tit de Summa Trinitate; ubi dicitur, Unigenitus Deus Filius à tota Trinitate communiter Incarnatus:Utrumq; verò in Conc. Tolet. 6. c. 1. sic habetur:*Cum tota cooperata sit Trinitas formationē susceptī hominis; quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen Filius susceptit humanitatem in singularitate personæ,non in unitate divinæ naturæ,* id est,*in eo quod proprium est Filij,non quod commune Sylv. in III. Part.*

Ob. Resp.

Si dicas, actionis reciprocæ idem esse principium effectivum & terminativum: Resp. etiam hîc esse idem,scilicet Verbum divinum;sed quando multi efficiunt unam actionem,non est necesse quod singuli terminent illam; ideòque etiamsi & Pater,& Filius. & Spiritus Sanctus operati sint actionem quâ Deus factus est homo;non oportet tamen quod singulæ illæ personæ terminaverint eam actionem, sed satis est quod Filius. Sicut si tres homines vestiant unum ex suo numero; vestitio non terminatur ad singulos.

Neque verò putandum est,sicut implicat contradictionem, unam personam aliquid facere sine alia; ita implicare quod aliquid terminet:primùm quidem, quia terminare non est agere, sed sequitur actionem.

Persona Verbi terminavit humanitatem, ut distincta ab alijs personis.

Deinde,dispar est ratio:nam ratio efficiendi Incarnationem est una & eadem in omnibus personis, scilicet natura, quæ in omni re est principium agendi; ratio autem terminandi est relatio quæ cum realiter distinguatur ab alijs personis, fit ut una persona terminet quatenus ab alijs distincta.

Posset quispiam objicere. Una persona divina non potest clarè videri sine alia, ergo nec Incarnati seu carnem vel humanitatem assumere & terminare potest una persona sine alia. Sed. 1. part. quæst. 12. art. 8. quæsito 1. ostendimus neg. esse Cons.

In argument. ad oppositum observa *discretam Theologiam* à Dionysio vocari illam quæ de ijs est, quæ & quatenùs toti Trinitati non sunt communia sive quæ de his tractat in quibus una persona distinguitur ab alia: Ut est esse Patrem,esse Filium Verbum est Incarnatum,& similia. Opponitur autem *Theologia conjuncta* sive unitæ,quæ de his est, in quibus tres Sanctissimæ Personæ Trinitatis unum sunt, nec ab invicem distinguntur: cujusmodi sunt Deitas, bonitas,natura causalitas, &c.

Locus Aug. in arg. 1. citatus confirmat fidei & Arti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Articuli doctrinam, si integrè legatur: Ita enim habet, *Illam creaturam quàm Virgo concepit & peperit, quamvis ad solam personam Filij pertinentem, tota Trinitas fecit; neque enim separabilia sunt opera Trinitatis.* Hîc enim & assumptionem humanitatis soli Filio attribuit; & quidquid actionis est, toti Trinitati.

In Resp. ad 1. Neg. Cons. quia natura divina non est Incarnata nec assumpsit humanam ratione naturæ quæ est communis tribus personis, sed ratione personæ Filij, ad quam terminata est unio, & cui ipsa natura identificatur. Addit autem totam naturam dici Incarnatam, non quia sit in omnibus personis Incarnata, sed quia tota perfectio naturæ divinæ est in ea persona quæ carnem assumpsit.

Cæterùm, etsi sola Verbi persona sit Incarnata, quia solus Filius ad se humanitatem sumpsit, eamque personaliter sibi univit; quantum tamen ad potentiam & majestatem, tota Trinitas fuit in Christi humanitate, undè Augustinus serm. 3. de tempore, *Suscepit Filius carnem in proprietate; sed tamen & Pater, & Spiritus Sanctus non defuit majestate. In divinitate, æqualitas; in carne sola, Filij proprietas non autem ab eo Patris aut Spiritus S. receßit aliquando divinitas.* Et posteà, *Implevit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus Sanctus sed majestate, non susceptione.* Deinde, exemplo familiari declarat quod sicut tria sunt, ars, manus, & chorda, quæ musicum melos operantur; nec tamen ars, nec manus reddunt sonum, sed sola chorda sonum excutit: ita Pater & Spiritus Sanctus cum Filio pariter operantur nec tamen Pater nec Spiritus Sanctus susceperunt carnem, sed solus Christus, *Quomodo* inquit, *ad solam pertinet chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio.*

## QUÆRITUR AUTEM.

*An Pater & Spiritus Sanctus sint in Christi humanitate per concomitantiam, ratione Incarnationis, & non solùm ratione immensitatis.*

NEgat Alvarez disputat. 20. cum quibusdam aliis eique favere videtur.

Primò, quod nec Pater nec Spiritus Sanctus fuit Incarnatus, ne quidem mediatè; quod autem speciali modo est in humanitate ex vi Incarnationis: verè est Incarnatum saltem mediatè; hâc enim ratione Deus verè dicitur Incarnatus, quia secundariò terminavit Incarnationem.

Secundò, Pater & Spiritus Sanctus non sont in Eucharistia per concomitantiam vi consecrationis; ergo nec in Christi humanitate.

Anteced. prob. Primò, quia Concil. Trident. sess. 13. c. 3. dicit divinitatem esse in Eucharistia *propter admirabilem ejus cum corpore & anima, hypostaticam unionem*; Pater autem & Spiritus Sanctus non habent unionem hypostaticam cum corpore & anima Christi.

Secundò, quia alioquin sequeretur quod in Eucharistia manducamus & sacrificamus Patrem & Spiritum Sanctum; manducamus enim & sacrificamus etiam id quod in Eucharistia est per concomitantiam.

Tertiò, B. Thomas q. 79. art. 7. ad 3. scribit quod in hostia consecrata non est nisi totus Christus: sed Pater & Spiritus Sanctus non sunt totus Christus nec pertinent ad Personam Christi, cum sint distincta suppositа: ergo Pater & Spiritus Sanctus non sunt in Eucharistia per concomitantiam.

Quartò, sola illa persona est in humanitate ratione mysterij Incarnationis, quæ dicitur fuisse in utero B. Virginis; in ejus autem utero sola Verbi persona fuisse dicitur, quia sola illa fuit concepta & ejus Filius dicitur: Pater & Spiritus Sanctus non sunt in humanitate Christi ex vi Incarnationis. ne quidem per concomitantiam.

Pro resolutione Resp. in primis certum esse quod Pater & Spiritus Sanctus reverà sint in humanitate Christi, cum ibi sit divinitas, à qua sunt inseparabiles; cumque Pater sit in Filio, & Filius in Patre, secundùm ea diximus 1. p. quæst. 42. art. 5.

*Pater & Spiritus S. sunt in humanitate, ratione Incar. per concomitantiam.*

Resp. Secundò, rectè dici quod Pater & Spiritus Sanctus sint in humanitate Christi, ratione mysterij Incarnationis per aliquam concomitantiam, & non ratione solius immensitatis & infinitatis. Ita namque post Gabrielem lectio. 42. in canonem; & Major. in 4. dist. 11. q. 1. docent Suarez disp. 12. sectio 2. Vasquez disp. 26. cap. 2. Puteanus in fine artic. 2. Nazarius isto art. 4. Gamacius cap. 3. Et confirmatur, licet per impossibile poneretur, quod Personæ divinæ non essent ubique per immensitatem vel infinitatem; tamen ratione mysterij Incarnationis, Verbum non posset non esse in humanitate quam assumpsit: Cum Verbo autem non posset non esse divinitas, quia non distinguitur ex natura rei, à Verbo: Cum divinitate autem non possent non esse duæ aliæ personæ, quia nec ipsæ ex natura rei distinguuntur à divinitate: ergo ratione mysterij Incarnationis necesse est quod Pater & Spiritus Sanctus sint in ea Christi humanitate, in qua est Verbum: etiamsi hæc sit differentia, quod Verbum per se primò ac directè sit ex vi Incarnationis in Christi humanitate, cum solus Filius eam, ratione suæ propriæ personalitatis terminet: Pater autem & Spiritus Sanctus non sint ibi per se primò ac directè cum ipsi humanitatem neque assumpserint, neque terminaverint, sed per concomitantiam & indirectè.

*Verbum per se primò & directè est in humanitate.*

Huc pertinet illud Joan. 8. *Solus non sum, sed ego & qui misit me Pater*: Et c. 16. *Non sum solus, quia pater mecum est.* Et c. 14. *Non creditis quia ego in Patre & Pater in me est.* Ad Col. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

*Pater & Spiritus S. indirectè & per concomitantiam.*

Eodem spectat, quod in Concil. Ephes. tom. 6. c. 17. legitur ex Cyrillo Alexand. *Erat Deus Pater cum Filio, hoc est, cum Incarnato inhumanatoq; Verbo: prout is à Filio separari nequaquam potest.* Huc etiam adferri possunt quæ Basil. epist 43. & quæ Aug. supra art. 3. citatus habet.

*Pater non est Incarnatus ne quidem secundario.*

Ad 1. Arg. Resp. Negand. Subsump. quoniam ut persona aliqua dicatur Incarnata, non sufficit quod sit quocumque modo in humanitate sed oportet quod humanitatis dependentiam terminaverit; eam verò terminavit sola Persona Filij primò & per se, secundariò autem natura divina, in quantum est natura Filij. At Pater & Spiritus Sanctus nequaquam illam vel secundariò terminaverunt, sed tantum ibi sunt propter identitatem naturæ, quæ una eademque est in omnibus Personis, & propter inseparabilitatem unius ab altero.

Au-



Ad 2. Neg. Ant. quemadmodum patet ex q. 76. art. 1. quæstio. 3.

Ad primam eius probationem Respond. quod etsi Pater & Spiritus Sanctus non habeant unionem hypostaticam cum anima & corpore Christi ac per consequens neque cũ humanitate; habent tamen connexionem inseparabilem cum Verbo, ratione unius essentiæ; & hoc satis est, ut dicantur esse in Sacramento per concomitantiam. Persona namque Verbi est in eo per concomitantiam, in quantum comitatur corpus Christi, quod illic est vi verborum; Pater autem & Spiritus Sanctus ibidem sunt per concomitantiam ulteriorem, in quantum sint inseparabiles à Verbo cum quo sunt unius ejusdemque naturæ. Neque Concil. Trid. exclusit hunc modum concomitantiæ, quando expressit alium.

*Pater & Spiritus S. sunt in Eucharistiâ per concomitantiam.*

Ad 2. Prob. Resp. neg. sequelam. Solùm enim manducamus & sacrificamus in Eucharistia id quod ibi est per concomitantiam immediatam: Pater autem & Spiritus Sanctus non sunt ibi per concomitantiam immediatam, sed solum per mediatam.

Ob. Si dicas, divinitatem seu Deum sacrificari, cum tamen ipsa non nisi mediatè ibi sit per concomitantiam: Resp. illam esse immediatè: in quantum enim est natura Verbi, ita comitatur corpus quod Verbum hypostaticè sustentat, sicut ipsum Verbum.

Resp.

Ad 3. Prob. Resp. neg. Cons. quia sensus verborum S. Thomæ non est, quod in Eucharistia nihil sit nisi ipse Christus, prout à Patre & Spiritu Sancto distinguitur; (cum nemo dubitare possit, quin Pater & Spiritus Sanctus ibi sint, etsi non eodem modo, de cujus tamen modi varietate ibi non agitur) sed docere intendit, quod sive sint plures hostiæ consecratæ, sive una tantum, non plus contineatur in omnibus quam in una; quia nunquam est ibi aliud quam totus Christus sub Christo autem comprehendit divinitatem, à quâ separari non possunt Pater & Spiritus Sanctus, quorum est alia divinitas, non minus quam Filij.

*Non est dicendum quod tota Trin. est in Filio.*

Ad tertium Arg. Resp. neg. Minorem. Revera enim Pater & Spiritus Sanctus fuerunt in utero B. Virginis peculiariter, ratione Incarnationis; nimirum propter conjunctionem vel identitatem cum divinitate, quæ ibi erat & à qua nequeunt separari. Neque refert quod sola Verbi persona dici possit esse concepta, nata & Filius B. Virginis: quia concipi, nasci, & esse Filium, est ejus tantum personæ quæ fuit Incarnata, & quæ humanitatem ad se sumpsit ac terminavit; Pater autem & Spiritus Sanctus non sunt Incarnati, nec humanitatem ad se sumpserunt vel terminaverunt, sed sola Persona Verbi.

*Pater & Spiritus S. fuerunt in utero B. Virg. ex vi Incarn. indirectè.*

Quæst. Petes, quare ex hac doctrina non sequitur quod tota Trinitas est in Christo, id quod Ioannes Maxentius dial. 2. contra Nestorianos cap. 16. qui extant tom. 4. Biblioth. Patrum, 2. edit. negat posse admitti.

Resp. Resp. hoc rectè sequi & esse verum, si intelligatur de Christo secundùm humanitatem: in eâ namque sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: Filius quidem directè & primariò, alij indirectè & secundariò.

Quamvis ergo non sit dicendum quod tota Trinitas est in Filio, quia sic significaretur, Filius esse persona alia à Trinitate seu à tribus Divinis Personis, atque ita introduceretur quaternitas: & quamvis etiam non sit ob eandem rationem dicendum, tota Trinitas est in Christo, si Christus accipiatur pro ipsa persona Verbi: nihilominus rectè dici potest quod tota Trinitas est in Christo, intelligendo Christum secundùm eam naturam quam habet diversam à divina, id est, secundùm humanam; quia ut trinitas sic dicatur esse in Christo, non requiritur quod Christus sit suppositum diversum à Personis Sanctæ Trinitatis, sed sufficit quod habeat naturam diversam.

*Sed bene quod sit in Christo secundùm humanitatem.*

In Arg. 3. quod B. Thomas sibi objicit, verba Apostoli, ex c. 14. ad Rom. *Deus illum assumpsit*, hunc habet sensum: Deus illum scilicet manducantem, assumpsit in servum & cultorem suum, per fidem & gratiam Evangelij, seclusa obligatione Judaicæ observationis. Vide B. Th. in cap. 14. ad Rom.

Locus 2. B. Petri c. 1. citatus in Resp. ad 3. pertinet ad dona, tum gratiæ in præsenti, tum gloriæ in futuro: per gloriam enim, quæ tametsi accidens est quædam similitudo divinitatis participata in homine, ut dixit B. Tho. q. 2. art. 10. ad 1. efficimur Deiformes, Deo similes, divinæ naturæ conformes: hæc autem conformitas multò perfectius obtinebitur in futuro; quandò videbimus Deum sicuti est.

## Articulus V.

*Vtrùm qualibet Persona Divina potuerit naturam humanam assumere.*

Responsio affirmativa certa est. Cùm enim Patris, & Filij & Spiritus Sancti eadem sit virtus, illa potuit naturam humanam unire cuilibet istarum Personarum.

*Pater & Spiritus S. potuêrunt carnem assumere.*

In Resp. ad 1. tradit non secuturam idcircò Personarum confusionem; quia quod eadem persona & Pater diceretur & Filius, hoc esset secundùm diversas naturas, secundùm quas ille qui ab æterno Pater est diceretur Filius in tempore, propter naturam in tempore per nativitatem temporalem acceptam: & ei cui propria est innascibilitas secundùm naturam divinam, conveniret nativitas secundùm humanam.

Ex his patet quomodo sint accipienda verba B. Anselmi. l. de Incarn. cap. 4. ex Incarnatione alterius personæ quam Filij, inferentis quandam dubietatis confusionem; quod scil. ista confusio non fuisset in re vel personis; sed in sermone de personis divinis, cùm audiremus plures filios.

Circa locum in arg. 2. citatum, ex c. 8. ad Rom. advertendum est, quod filiatio justorum adoptiva sit participata similitudo filiationis Filij Dei naturalis, in quantum per adoptionem accipiunt gratiam, quæ est participatio, & consortium (licet accidentarium (divinæ naturæ: & per quam sumus filij adoptivi, sicut ille est Filius naturalis. Verba tamen Apostoli præsertim referri videntur ad Christum secundùm humanam naturam, & ad conformitatem gloriæ corporis & animæ: sequitur enim, *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*: quod Christo secundùm humanam naturam convenit. Sensus autem est, Deum prædestinasse electos fieri conformes Filio suo Christo, sic ut sint quædam ejus imago, sive quemadmodum 1. Cor. 15. dicitur, ut *portent ejus imaginem*, in seipsis repræsentantes Christum glorificatum, tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca



quam ejus imago; & habentes corpus *configuratum corpori claritatis suæ*, Ad Phil.3.

In Resp. ad 3. docet Incarnationem absque hoc quod est esse ab alio, non sufficere ad missionem Personæ divinæ; & ideò quamvis Pater Incarnaretur, non tamen diceretur missus. Conferti potest q.43. art.8. in 1. P.

### Articulus VI.

*Vtrùm plures Personæ divinæ possint unam & eandem numero naturam assumere.*

*Plures personæ divinæ potuerunt assumere unam naturam.*

Resp. affirm. quia neque est repugnantia ex parte personarum inter se, cum non necessariò se excludant ab eâdem naturâ; neque ex parte ullius personæ assumentis; cum tam una quam altera persona sit omnipotens. Neque dici potest esse repugnantia ex parte naturæ assumendæ. Cum enim in isto mysterio tota ratio facti sit potentia facientis, magis circa hoc judicandum est secundùm conditionem divinæ personæ assumentis, quam secundùm conditionem naturæ assumendæ.

Accedit nullam assignari posse repugnantiam, quare natura humana sit assumptibilis à singulis personis seorsim, & non ab omnibus simul.

*Ob.* Si cum Scoto objicias, naturam divinam ideò capacem esse trium personarum, quia est infinita: ergo creata ideò non est capax, quia est finita:

*Resp.* Resp. divinam ideò esse communicabilem tribus suppositis, sic ut cum singulis sit idem re, quia est infinita; sed hoc modo creata non est communicabilis pluribus.

*Alia Ob.* Objici etiam solet. Primò, impossibile esse quod unus effectus pendeat à pluribus causis totalibus.

Secundò, fieri non posse, quod idem accidens sit in pluribus subjectis.

Tertiò, divina Persona non potest assumere humanitatem propriâ personalitate terminatam; ergo nec terminatam alienâ.

*Resp.* Verùm hæc non concludunt. Ad Primam enim Ob. Resp. Neg. Ass. pro cujus intelligentia observandum est dupliciter intelligi posse, quod unus effectus dependeat à pluribus causis totalibus: uno modo, si sic à singulis pendeat ut unà earum sublatâ, subsistere nequeat. Alio modo, si ita pendeat ab omnibus, ut singulæ sufficienter eum causent, adeò ut quâlibet sublatâ, ipse adhuc remanere possit propter dependentiam quam habet ab aliâ causâ.

Priori modo non potest unus effectus pendere totaliter à pluribus causis ejusdem rationis; neque ex eo quod plures personæ divinæ unam naturam assumerent, sequeretur unum effectum sic pendere à pluribus causis ejusdem rationis: quia vel essent plures modi unionis & plures dependentiæ, quarum singulæ personas singulæ respicerent; aut, si poneretur unicus modus unionis & unica dependentia, non sic penderet à singulis personis, ut una earum cessante naturam illam sustentare, ipsa natura desineret esse sustentata; ac per consequens non penderet totaliter à singulis, juxta illum modum.

*An effectus unus pendere possit à pluribus causis totalibus.*

Posteriori modo non repugnat unum effectum à pluribus causis totalibus etiam ejusdem ordinis ac rationis dependere; & sic una natura à pluribus divinis personis assumpta posset dependere ab illis omnibus totaliter, seu ita ut ex vi cujuslibet personalitatis divinæ subsisteret, & quâcunq; earum cessante, ex vi alterius naturam illam terminantis & sustentantis, maneret subsistens.

Ad Secundam etiam neg. Assump. nulla namque est contradictio, ponere idem accidens in pluribus subjectis.

Ad Tertiam Resp. Neg. C. quia humanitas terminata propriâ personalitate, per se subsistit, & ideò, ut sic non est assumptibilis, & propterea mirum non est quod assumi non possit: terminata verò per divinam hypostasim non per se existit, sed in alio, ideoque non repugnat, quod & in alio supposito divino subsistat. Neque idem judicium est de personalitate propriâ, & de alienâ: cùm illa sequatur ex vi naturæ & sit terminus velut intrinsecus: hæc, extrinsecus.

Circa finem corporis, adverte duplicem esse verborum Anselmi expositionem: unam, plures personas non posse assumere eundem hominem, id est, eandem hypostasim humanam. Secundam, non posse assumere eandem naturam in unitate suppositi ita ut ex naturâ assumptâ & personis assumentibus resultet una persona, quomodo admittit Anselmus in personâ Verbi assumptum hominem, id est, humanam naturam, in unitatem personæ Verbi.

Circa Responsum ad 2. dicendum videtur quod una assumptio terminetur ad unitatem personæ: si autem tres personæ unam naturam assumerent, essent tres assumptiones, quarum quælibet terminaretur ad unitatem personæ, sive ad unam personam, sed non ad eandem. Consequenter etiam essent tres dependentiæ unius naturæ à tribus personis; quomodo idem accidens penderet à pluribus subjectis; si Deus poneret ipsum in illis. Utrum tamen non posset etiam poni una dependentia à tribus personis, si quæritur probabile videtur quod sic.

Quod in resp. ad 2. dicit: *Quæcumque conveniunt naturæ, possunt prædicari de personâ subsistente in naturâ illâ. cujuscumque naturæ nomine significetur*, intelligi debet de prædicatione in concreto: Propria verò unius personæ non possunt alteri personæ tribui.

### Articulus VII.

*Vtrum una persona divina possit assumere duas naturas humanas.*

*Una persona divina potest assumere duas naturas.*

Resp. posse assumere duas vel plures naturas humanas. Idemque est judicium de naturis specie differentibus: est enim eadem ratio, scilicet infinitas personæ, sive consideretur ratio principij sive termini.

In corp. hæc propositio; *quod potest in unum & non in amplius habet potentiam limitatam ad unum*: intelligi debet de uno affectu simpliciter finito; ne quis putet potentiam Patris generativam esse limitatam. Unde addit B. Th. potentiam personæ divinæ non posse limitari ad aliquid creatum.

Solutio primi consistit in eo, quod naturæ multiplicari possint sine suppositis, propterea quod naturarum multiplicatio est, quando definitæ & distinctæ patres materiæ informantur diversis formis, ex qua compositione licet constituatur ordinariè natura & suppositum; potest tamen aliter fieri, ut in Incarnatione contingit.

Circa Resp. ad 2. hujus, & ad 1. superioris art. est observandum, quod si una persona assumeret duas humanas naturas; aut duæ personæ unam naturam, semper diceretur esse unus homo: In posteriori quidem casu, propter unitatem formæ; in priori autem, propter unitatem suppositi; quod non ideò pluraliter dicitur, quia plures formæ ei conveniunt, sicut non dicitur quis esse plures Patres, plures artifices, plures vestitos, etiamsi habeat plures paternitates, plures artes, plures vestes. Nam ut 1 part. quæst. 39. artic. 3. dicebamus ex hoc articulo, Nomina substantiva non dicuntur pluraliter nisi præter multiplicationem formarum, etiam multiplicentur suppositа: adjectiva quoque, ut pluraliter dicantur, requirunt multiplicationem suppositorum, etsi non formarum.



Hinc tamen non sequitur quòd plures personæ habentes unam naturam humanam, essent simpliciter unus: Nam, & tres Personæ sunt unus Deus, neque tamen sequitur quod sint unus, sine addito; quia unus Deus, unus homo, significat unitatem naturæ, non personæ: unus autem sine addito, significat unitatem personæ. Ex his patet Authorem retractare quod in 3. scripserat.

Circa resp. ad 3. nota majorem esse unionem naturæ divinæ cùm humana assumpta, quam esset plurium naturarum assumptarum inter se; partim ob majorem unitatem naturæ divinæ cum divinâ personâ; partim, quia humana natura assumpta non esset ratio assumendi aliam, sicut divina est ratio assumendi humanam; partim denique, quia non esset necesse quòd omnes partes unius naturæ unirentur omnibus partibus alterius, sicut tota natura divina unitur toti naturæ assumptæ.

### Articulus VIII.

*Vtrùm fuerit magis conveniens quod persona Filij assumeret humanam naturam, quam alia persona divina.*

*Convenientius fuit Filium Incarnari quam Patrem aut Spiritum S.*

Resp. fuisse. Primò, ut sicut per Verbum omnia facta sunt, Joan. 1. ita & per illum reficerentur. Vide Athan. l. de Incarnat. & August. tract. 17. in Joannem.

Secundò, ut efficeremur Filij Dei adoptivi per eum qui erat Filius Dei naturalis; non quòd Pater non adoptet, sed quia conveniens erat ut adoptionis mediator esset Filius.

Tertiò, ut homo qui per appetitum scientiæ lapsus fuerat, per eum cui appropriatur sapientia repararetur; & qui appetens Dei similitudinem peccaverat, per naturalem Patris imaginem sanaretur. Ubi Bernard. serm. 1. de Adventu, Richardum de S. Victore l. de Verbo Incarnato c. 9. 10. 11. Ansel. l. de Incarn. cap. 4. & l. 2. Cur Deus homo c. 9. Damasc. l. 4. c. 4.

Ad ejusdem rei congruitatem pertinet conveniens fuisse.

Primò, ut qui ab æterno Filius Dei erat ex Patre sine Matre, in tempore fieret Filius hominis ex Matre sine Patre.

Secundò, ut Verbum quo dicuntur omnia, nobis diceret voluntatem Patris.

Tertiò, ut manerent proprietates immobiles, etiam in nostro sermone; nec Patrem ingenitum vocaremus genitum, nec Spiritum S. appellaremus Filium.



## Quæstio IV.

*De modo unionis ex parte naturæ assumptæ.*

### Articulus I.

*Vtrum natura humana fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quam quælibet alia natura.*

*Natura humana est magis assumptibilis quàm alia.*

Resp. fuisse, si congruitatem spectemus; non quidem ex parte potentiæ passivæ naturalis (sic enim nulla creatura est assumptibilis) sed ex conditionibus, naturæ assumendæ in existentibus, quæ in proposito sunt duæ; scilicet, dignitas, & necessitas: quarum prior deest in naturis humanâ inferioribus, posterior autem non est in Angelica.

Primò, quia non tota cecidit.

*Cur pro Angelis non venerit Christus.*

Secundò, quia cecidit irreparabiliter, non quidem absolutè, sed juxta modum, providentiæ Dei, consentaneum illius naturæ, Unde Damasc. lib. 2. cap. 4. *quod hominibus est mors, hoc Angelis est lapsus.*

Tertiò, quia peccavit sola propriæ voluntatis aversione à Deo, sine exteriori tentatione; ideòque magis liberè quam primus homo, qui tentatus fuit, ex quo deinde cæteri per generationem peccatum trahunt; ac proinde minus indigni sunt miseratione.

Ultima tamen & verissima causa cur Deus Angelicam naturam non assumpserit in unitatem suppositi, ad liberandos eos qui ceciderant; est judicium Dei inscrutabile. Nam dicere Deum non potuisse vel Angelos liberare, vel naturam Angelicam assumere in veritatem suppositi; est à ratione alienum: cùm neutrum repugnet infinitæ Dei potentiæ, neque sit implicantia ex parte Angeli.

*Natura & suppositum differunt realiter in Angelis. Vide q. 2. art. 1*

Si dicas naturam, & suppositum non distingui realiter in Angelis, ut significare videtur S. Tho. 1. part. quæst. 3. art. 3. ideòque non posse unum sine alio assumi: Quidam solùm negant Consequentiam; Nobis tamen omninò videtur negandum Antecedens, ut ibidem probavimus; dicentes Authorem eo loco suppositum accepisse non pro persona, sed pro individuo & singulari. Vide 1. part. quæst. 50. art. 2. ad 3. quæst. 70. art. 3. ad 4. quæst. de spiritualibus creaturis art. 1. ad 8. & art. 3. ad 9. l. 2. contra Gentes, c. 52. & 53. & præsentis qu. art. 3. in corp.

Circa Responsionem ad 2. quæri potest, An Deus possit naturam irrationalem, aut insensibilem assumere in unitatem personæ.

*Deus potest assumere naturam irrationalem.*

Author in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 1. *Absolutè affirmat*, loquendo scilicet de potentiâ Dei absolutâ nulla enim est contradictionis implicantia, nec ullus propterea defectus poneretur in Deo. Huc pertinet quod corpus Christi mortui, licet inanime, fuerit tamen Verbo unitum.

Nec obstat videri implicare, quòd Deus sit irrationalis, lapis, bos, &c. Quamvis enim Deo repugnet esse ista intrinsecè, & secundùm se; non repugnat tamen esse extrinsecè, & ratione tantùm naturæ assumptæ. Quomodo repugnat Deum esse secundùm naturam suam, passibilem; qui tamen passibilis fuit secundùm naturam assumptam.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ex his porrò non sequitur Deum fore Dæmonem aut damnatum, si concedatur, quod possit illos assumere: cum enim assumeret naturam, non culpam; à natura denominaretur Angelus, vel homo; non à culpâ vel effectu culpæ, Dæmon aut damnatus. A

Quæ cum ita sint; merito nihilominus Author dicit hîc naturam irrationalem non habere congruitatem ut Deo uniatur. In cujus confirmationem quod adducit, *Quod defecit à minori, non habet congruitatem ad id quod majus est*, intelligi debet de minori & majori subordinatis: qualia sunt in Deum tendens operatio per cognitionem & amorem, ejusque fruitio, & unio personalis.

B

ARTICULUS II.

*Vtrùm Filius Dei assumpserit Personam.*

*Non est assumpta persona.*

RESP. non assumpsisse: quia quod assumitur, secundùm naturæ ordinem præintelligitur assumptioni: persona verò (cùm sit assumptionis terminus, ut q. 2. art. 7. fuit ostensum) non præintelligitur assumptioni, sed sola natura. Quod si assumeretur persona: vel oporteret eam in assumptione corrumpi & sic frustra esset assumpta: vel essent duæ personæ, quod fidei repugnat. *Ad fidem ergo*, contra Nestorium definitam, pertinet hæc assertio, de quâ videatur, q. 2. art. 2.

An verò persona creata sit assumptibilis: Item, An natura habens propriam personalitatem sic possit assumi, ut quamvis non assumatur personalitas: assumatur tamen natura eam retinens: quæri potest. C

*Persona non est assumptibilis.*

Sed ex art. 1. & 6. q. 3. liquet Resp. Neg. In ratione enim personæ continetur ut incommunicabiliter per se, & in se, non in alio existat, tanquam in supposito. Hinc Patres & Concilia ex unione divinæ naturæ cum humanâ, colligunt unam tantùm in Christo esse personam. Quæ collectio non subsisteret, si persona posset assumere vel personam, vel naturam personatam propriâ personalitate, fieri tamen posse quod persona naturam in propriâ personâ subsistentem assumat, modò per assumptionem istâ propriâ personalitate privetur: confirmari potest ex eo quod si Christus humanitatem dimitteret, relinquendo eam suæ naturæ (quomodo propriam personalitatem acciperet) posset tamen eam, quando vellet, reassumere. Et quamvis Author l. 4. contra Gent. c. 43. videatur existimasse hunc casum esse impossibilem: hîc tamen, tacitè istud retractans, solùm dicit, frustra tunc fore assumptam personam. Neque verò hinc sequitur humanitatem secundùm suam substantiam corrumpendam: solùm enim desineret esse, quoad rationem & modum istius personalitatis quem ante habebat. D

De verbis Damasc. in Resp. ad 1. hujus, & ad 3. art. 4. videantur quæ diximus ad 3. argum. art. 2. q. 2. E

Summa Responsionis ad 2. est, nihil ad naturam humanam pertinens deesse ei quod assumptum est, ut etiam August. l. de dono persev. c. 24. ostendit. Unde Damasc. l. 3. c. 6. dicit *Verbũ assumpsisse omnia*, id est, corpus, animam intelligentem & ratione præditam, eorumque proprietates: & sic patet, id quod ibidem sequitur; *Quod est inassumptibile, est incurabile*, intelligendum esse de illis quæ pertinent ad naturam ut à personâ distinguitur. Cùm verò c. 11. legitur apud eundem, *personarum unionem*, ut quidem per inadvertentiam vertit Bilius, verti debet sicut Græcè est, *propter unionem secundum hypostasim*; sive, *in persona*, quomodo habet versio Gravij ann. 1546. nam cap. 8. 9. 11. & alijs, manifestissimè prædicat unam in Christo personam. Et similiter pro eo quòd apud Chrys. hom. 3. in epist. ad Hebr. dicitur duas esse personas, Deum & hominem, Sixtus Sen. l. 6. annot. 329. suspicatur legendum esse Deum & Deum; addens nihilominus bonam interpretationem, ut per Deum intelligatur is qui tantùm Deus; per hominem verò, qui homo simul & Deus est.

ARTICULUS III.

*Vtrùm persona divina assumpserit hominem.*

*Quo sensu Deus assumpserit hominem.*

RESP. non assumpsisse, atque adeò non propriè dici quod Filius Dei assumpserit hominem; eò quòd homo sit nomen personæ, significans humanitatem ut subsistentem, Filius autem Dei non assumpsit personam: *Nec enim hominem assumpsit Dei Filius*, ait S. Felix hîc ab Authore citatus. Et Julianus Papa, *Non duo Filij unus quidem proprius Filius assumens hominem, alter verò mortalis susceptus à Deo.* Vide Conc. Chalcedon. act. 1.

Quia tamẽ ejusmodo sermo apud Patres Aug. de dono persev. cap. 24. tract. 19. in Ioannem, l. 9. de Civit. c. 21. l. 10. c. 29. serm. 8. de tempora: apud Ansel. lib de Incarn. c. 2. & apud alios, frequens invenitur; imò & Ecclesia in hymno, *Te Deum laudamus cantat tu ad liberandum suscepturus hominem*: sciendum, quod hominem usurpant pro hominis naturâ, ut ex Aug. liquet, qui dicto serm. 8. ait Filium Dei assumpsisse hominem; in Dei tamen Filio ex divinitate, & humanitate unam esse personam. Et cap. 24. de dono persev. Naturam humanam sic à Deo Verbo susceptam affirmat, *Vt qui susceptus & quod susceptus una esset in Trinitate persona. Neque enim homine* (id est humanitate) *assumpto, quaternitas facta est. sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente persona unius in Deo & homine veritatem.* Et similiter Anselm. loco allegato, *illam naturam, non aliam personam esse assumptam* dicit. Confer Hic Resp. ad 1.

Locus Psal. 64. argumento 1. citati, ad litteram rectè intelligitur de assumptione secundùm adoptionem gratiæ & electionis; sequitur enim, *Inhabitabit in atrijs tuis.* Potest tamen etiam accipi de assumptione in protectionem, curam, & favorem singularem.

In 3. argumenti solutione notandum est, quòd homo cujus naturam assumpsit Verbum divinum, sit Jesus; ejus enim, & nullius alterius hominis, est vel fuit natura à Verbo assumpta.

ARTICULUS IV.

*Vtrùm Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis.*

*Filius Dei non assumpsit naturam abstractã ab individuis.*

RESPONDET non debuisse, seu non decuisse, PRIMÒ, quia nulla datur talis natura, nisi per operationem intellectûs.

SECUNDÒ, quia assumptio terminatur ad Personam; est autem contra rationem formæ communis seu abstractæ ab omnibus individuis, ut sit in Personâ; quia natura individuatur in personâ.

TERTIÒ, Quia Incarnatio facta est ut Christus per humanas operationes mereretur; natura autem



autem communis & abstracta non posset habere operationes nisi communes, per quas nec mereri contingit nec demereri. A

QUARTÒ, Quia natura sic abstracta non est sensibilis sed intelligibilis; Filius autem Dei fuit Incarnatus ut sensibilis ac visibilis appareret. *Post hæc in terris visus est & cum hominibus conversatus est*, Baruch. 3.

Sed nec decuit Filium Dei assumere naturam humanam, prout est, in intellectu vel divino, vel humano. Non priori modo; quia natura humana sic considerata non est aliud quam natura divina, atq; ita sequeretur Filium Dei ab æterno assumpsisse naturam humanam, quod falsum est ac fidei repugnans. Non etiam posteriori, quia talis humanæ naturæ assumptio non est aliud quam fictio Incarnationis. B

*1. ad Tim. 4.*

Circa responsion. ad 1. observandum est ex Authore super c. 4. prioris ad Tim. quod Deus dicatur *Salvator omnium hominum*, (salvat enim omnes salute corporali) *sed maximè fidelium*, eorũ scilicet qui in fide per charitatem operante, perseverant: quia cùm det omnibus aliquam salutem, qualis est vita temporalis, & bona quæ ad eam pertinent omnibus communia; istis tamen solis dat vitam æternam, quæ simpliciter & secundùm excellentiam est salus; quorum & in hac vitâ singulariter est Salvator, dum eos ut ad eam perveniant, laborantes adjuvat. De hâc expositione videatur Prosper l. 2. de vocat. Gent. c. 31. Chrys. Beda, Ansel. Oecumen. Primasius in dictam Ep. & Aug. ad illud Psal. 35. *Homines & jumenta salvabis Domine*: ubi manifestum est, nomen salutis etiam in bonis temporalibus intelligi. C

ARTICULUS V.

*Vtrùm Filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus individuis.*

*Non conveniebat naturam humanã assumi in omnibus individuis.*

*Suppositũ pro naturâ individuâ usurpatur.*

RESPONSIO EST non debuisse, hoc est, non decuisse: B. enim Thomam per hoc quod quærit, *Vtrùm debuit*, intelligere an decuit, manifestum est ex initio Corp. ubi Respondet nõ fuisse conveniens quod humana natura in omnibus suis suppositis à Verbo assumeretur; ubi suppositum usurpat pro individuis, conformiter ijs quæ ad art. 1. notavimus; tum quia non responderet aliquin ad quæstionem Art. quæ est de individuis & non de suppositis propriè dictis, quæ in humanâ naturâ idem sunt quod Personæ; tum quia ex art. 2. constat mentem B. Thomæ esse, quod non fuerit conveniens, imò nec possibile, ut Filius Dei assumeret naturam humanam in aliquo uno supposito seu in una Persona humana, atque ita cessat quæstio, An conveniens fuerit ut assumeret in omnibus Personis. D

Præterea quod per, *debuit*, in his 4. & 5. art. intelligat debitum congruentiæ; etiam clarum est ex proœmio istius q. 4. ubi illos articulos proponens quærit, *Vtrùm fuisset conveniens*, E

His ita præmissis dicendum est Verbum divinum potuisse quidem omnes individuas naturas humanas, seclusis proprijs earum subsistentijs & personalitatibus, assumere; sed hoc nequaquam decuit.

PRIMÒ, quia si hoc fieret, sequeretur, quod non esset nisi unus homo in rerum naturâ; propter sc. unitatem suppositi assumentis omnes individuas naturas. Unde ulterius sequeretur, nullum esse mediatorem Dei & hominum; & Christum non esse primogenitum in fratribus; nec Salvatorem hominum.

SECUNDÒ, quia una tantùm persona assumpsit humanam naturam: ergo decebat ut solum etiam unam naturam humanam assumeret.

TERTIÒ, quia salus humani generis sufficientissimè potuit reparari per assumptionem unius humanæ naturæ; ergo superfluum fuisset assumere plures, quemadmodum in Resp. ad 3. indicatur.

ARTICULUS VI.

*Vtrùm fuerit conveniens ut Filius Dei naturam humanam assumeret ex stirpe Adæ.*

RESP. potuisse quidem aliunde assumere, si ita ipsi placuisset; convenientius tamen fuisse ut de ejus qui peccaverat, hoc est, de Adami stirpe assumeret.

PRIMÒ, ut diabolus per eandem naturam quam vicerat, vinceretur.

SECUNDÒ, ut in eâ naturâ fieret satisfactio, quæ fuerat per peccatum corrupta.

TERTIÒ, quia hoc, & ad hominis pertinet dignitatem, & ad Dei declarandam potentiam.

Non decuit autem, ut ipsam singularis Adæ naturam assumeret: *Primò*, quia illa erat peccato obnoxia, Christus autem debebat esse segregatus à peccatoribus. *Secundò*, quia natura Adæ habebat suam personalitatem, quâ manente assumi non poterat, secundùm dicta ad art. 2. nec convenie-bat eam destrui; cùm ab Adamo propagandum esset genus humanum. Vide q. 31. art. 1.

# QUÆSTIO V.

*De modo unionis ex parte partium humanæ naturæ.*

ARTICULUS I.

*Vtrùm Filius Dei assumpserit verum corpus.*

RESP. Assumpsisse. Quæ doctrina est fidei definitæ contra Marcionitas & Manichæos, qui Christo tribuebant corpus phantasticum; partim ne cogerentur dicere Christum sordibus uteri muliebris inquinatum, partim quia putabant omne corpus esse à malo principio, ideòque malum.

Contra prius vide Aug. de Agone Christiano, c. 18. Oratione de quinque hæres. c. 5. & quæ diximus 1. p. q. 8. art. 1. Hinc Apostolus Hebr. 7. impollutum & innocentem vocat. Cui consentiens Mater Ecclesia dicit; *Non est pollutus ex eâ carnem assumens.*

Contra posterius, vide 1. p. q. 44. art. 1. q. 47. art. 1. & 2. q. 49. art. 3.

Porrò doctrina Ecclesiæ non solùm confirmatur ex Concilijs, Nicæno, Ephesino, Constantin. Chalced. Later. sed etiam ex Scripturis, in quibus ipse Dei Filius loquitur; *Corpus meum dedi peredentibus*; Isa. 50. *Solvite templum hoc*, Joa. 2. quod statim exponens Evangelista subdit, *ille autem dicebat de templo corporis sui.* Eodemque pertinet illud Joa. 1. *Verbum caro factum est*; Et istud 1. Petri 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo.* & quæcunque affirmant Christum esse verum homi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



nem; non enim homo esse potest, qui corpore non A constat; ac generaliter illæ omnes quæ asserunt Christum corporaliter natum, circumcisum, passum, crucifixum: quæ omnia (ut & quæ de illius resurrectione habemus) falsa sunt, si non habuit verum corpus, quod & talia pateretur, & post mortem resurgeret. Plura vide lib. 4. contra Gentes c. 29.

Locus quem inter alia urgebant hæretici est 2. Ad Cor. 5. *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*, hoc est, inquiebant, Etsi putaverimus aliquando Christum habuisse veram carnem; nunc tamen non putamus. Verùm nihil tale significat Apostolus.

Sensus enim est juxta Aug. l. 11. contra Faustum c. 7. Noveramus Christum secundùm carnis B mortalitatem, passibilitatem, infirmitatem, antequam resurgeret: sed nunc jam non novimus; quia *Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur*, Ad Rom. 6. Quem ut antecedentibus cohærentè ostendat, monet Apostolum, ob spem certam, loqui de statu electorum, quem post resurrectionem habebunt, quasi nunc esset præsens: & sic neminem electorum novimus secundùm carnem, mortalem, & corruptibilem; attento tempore quod post resurrectionem erit; quia certi sumus de illorum futurâ tunc incorruptione & immortalitate. Consentiunt Chrys. & Cyrillus Alexandr. in 7. Synodi generalis actione 6. citati, Leo sermone 1. de resurrectione, C ipseque Thom. quæst. 57. sequent. articulo 6. & in Commentario, ubi etiam alias duas adfert expositiones.

In responsione ad 1. explicat verba Apostoli dicentis de Filio Dei, quod sit *in similitudinem hominum factus*; ut scilicet illa similitudo, cum notet convenientiam speciei, veritatem humanæ naturæ significet, hoc sensu; Filium Dei esse factum hominibus similem, quia factus est verus homo. Omnes enim homines sibi ipsis sunt similes secundum speciem. Secundum Græcos, paulò aliud significatur, scilicet Christum factum similem alijs hominibus, non tamen unum ex illis; quia non erat homo purus aut peccator, quales D sunt alij.

*Ob.* Dices, Joan. 3. Christus dicit, *quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*: ergo cum ipse natus sit ex Spiritu, juxta illud Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, consequens est ipsum esse Spiritum, ideòque non habere verum corpus.

*Resp.* Resp. Neg. Cons. quia sensus Scripturæ non est, id quod natum est ex Spiritu, esse Spiritum formaliter & propriè; sed esse spiritum secundùm similitudinem, hoc est, habere quoddam esse spirituale, & vitam quandam spiritualem, ratione gratiæ & donorum Spiritus Sancti; spiritualem quoque cognitionem & propensionem ad spiritualia opera. E

*Alia Ob.* Dices præterea, in sacris litteris sæpè videmus Angelos apparuisse in corporibus quæ humana videbantur & non erant; neque tamen per hoc censeri possunt quemquam fefellisse: ergo licet Christus non habuisset verum corpus, non idcircò dici posset decepisse homines; ac per consequens nullius momenti videtur ratiocinatio quam ex B. Aug. hîc adfert B. Th. *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus.*

*Resp.* Resp. Neg. C. quia Christus ita assumpsit corpus ut etiam affirmaret ac testificaretur se & verum corpus habere, & verum hominem esse, quemadmodum patet ex Isai. 50. & Joan. 2. supra citatis, ex Matt. 26. ubi dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; Et Luc. 24. ubi ait, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*; Et ex omnibus illis ubi Filium hominis se nominat. Si ergo verum corpus non habuisset, revera eos decepisset. At Angeli non assumpserunt corpora ut assererent vel probarent se esse homines vel se habere corpora humana, sed alijs ex causis, ut diximus 1. p. q. 51. art. 3.

## Articulus II.

*Utrùm Filius Dei assumere debuerit corpus terrenum, scilicet carnem & sanguinem.*

Intentio S. Doctoris est, investigare quale fuerit corpus Christi Domini, an cœleste, an terrenum, carne & sanguine, atque adeò constans ex elementis & humoribus (per sanguinem significatis) sicut constant aliorum hominum corpora.

Respondet autem Corpus Christi non fuisse cœleste, sed terrenum, sicut nostra. Quæ doctrina est fidei contra Valentinianos definitæ, qui dicebant Christum nihil accepisse de B. Virgine, sed per eam tantùm transiviisse; & corpus ex cœlesti materiâ attulisse. Contra quos egregiè disputat Author l. 4. contra Gent. c. 30. eoque pertinent omnia quæ Christum asserunt fuisse verum hominem; eò quòd humanitas non consistat sine carne & sanguine. Igitur huc adferri possunt non solùm Concilia de quibus art. 1. sed & Scripturæ: *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem*, ad Rom. 1. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*, Ad Gal. 4. *Qui non confitetur Iesum Christum venisse in carne, est seductor*, ait Joan. in 2. sua epistola. Deinde, si corpus Christi esset vel phantasticum vel cœleste; falsæ forent genealogiæ Christi per Evangelistas recitatæ; falsum illud Christi, Lucæ ultimo; *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*; falsa denique passio, falsa & resurrectio.

Circa Responsionem ad 1. *secundus homo* sive 1. Cor. 15 Christus, dicitur *de cœlo cœlestis*; partim quòd qui est de cœlo secundùm divinam originem, fit post resurrectionem cœlestis, ratione qualitatum corporis, scilicet immortalitatis, impassibilitatis, gloriæ: partim, quia descendit de cœlo, secundùm quod Deus quidem, non illud deserendo, sed novo modo hîc esse incipiendo; secundum corpus verò, quia cœlesti virtute mirabiliter est efformatum. Neque verò corpus Adæ similiter dici potest de cœlo, etiamsi sit à Deo immediatè formatum; quia factum est non speciali quodam miraculo, sed eo naturali modo quo primum speciei humanæ individuum fieri poterat. Unde nec aliarum rerum primæ productiones commutantur inter specialia miracula. Christi verò corpus miraculosè factum est, non solum quia à Verbo assumptum, sed etiam quia institutâ jam natura naturaliquè modo nascendi, præter illum supernaturaliter est formatum.

De verbis Apostoli 1. Corinth. 15. in resp. ad 2. explicatis, vid. Suppl. 79. art. 1.

Circa eandem resp. potest moveri difficultas.

An-



A sanguinem esse partem corporis, ubi dicit sanguinem esse sub specie panis vi illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini inter se copulantur. Idem verò anteà docuit Author hujus p. q. 76. art. 1 conformiter ijs quæ dixerat q. 54. art. 2. & in 4. d. 44. & quodl. 5 art. 5 secutus Philosophum, qui sanguinem esse partem, eamq; similarem expressit l. 1. de historia animal. c. 1. & l. 2. de partibus animal. c. 2. addens l. 3. de historia animal. c. 19. eum quamdiu vita servatur, semper animari, & fervere. *Sanguis est pars corporis.*

Sextò, Huc pertinet quod Pius 2. & Clemens 6. relati à Syl. in rosa aurea, q. 31. condemnaverunt quemdam, eò quòd assereret Sanguinem Christi quem in Passione fudetat, fuisse à Divinitate separatum. Hâc de re, ut & de doctrina 1. & 2. art. videri possunt Nazian. orat 50. Leo Ep. 10. Beda in c. 20. Act. Cyril. Ep. 8. Epiphan. hæres. 77. Concil. Chalcedon. Actio. 1. Synod. 6. Actio. 16. Potrò cùm Scriptura & Patres indifferenter loquantur de Christi Sanguine; cùmque totus Sanguis qui est in corpore humano sit ejusdem speciei, licet accidente differat; probabile sit, quòd omnis Christi Sanguis, sive nutrimentalis sive perfectus, fuerit Verbo immediatè unitus.

Ad 1. argumentum patet ex dictis sanguinem esse partem ad humani corporis integritatem pertinentem. Cùm autem vocatur pars in potentiâ comparatio fit ad partes solidas & permanentes, respectu quarum est alimentum, & in via ad perfectam naturam speciei. Undè 1. p. q. 119. art. 1. 3 dicit, *quod humidum nutrimentale nondum pervenit ad perfectè suscipiendum naturam speciei, sed est in via ad hoc*; & pro exemplo ponit sanguinem. Ubi notandum est illud; *perfectè*) sicut & quod in corp. habet, *Alimentum nutrit in quantum est potentia caro*; & quod hujus p. q. 31. art. 5. dicit sanguinem esse potentia carnem.

Ad 2. Axioma illud citati solet ex Damasc. l. 3. c. 27. ubi tamen non habetur nisi apud ejus Scholiasten. Ut admittatur intelligendum est de natura assumpta, deque partibus quæ secundùm se totas pertinent ad veritatem naturæ humanæ; & quidem ut advertit Medina, de illis non materialiter; sed quoad speciem consideratis. Deinde, totus sanguis in Passione effusus, & in Resurrectione reassumptus, semper mansit Verbo unitus, sed hâc de re q. 54. dicendum erit.

Ad 3. probabile est etiam ista, cùm ad integritatem humanæ naturæ pertineant, fuisse Verbo unita, ut tradunt Medina & Cabrera.

Ad 4. Neg. Seq. eò quòd sanguis non dicat naturam completam sed incompletam, & ad aliud ordinatam. Sicut ergo Verbum assumens animam caput, pedes: non dicitur esse anima, caput, vel pedes: ita nec sanguis, & quemadmodum illæ eædem partes non sunt Deus, sed Dei habentis illas: ita & sanguis. Vide q. 50. art. 3. ad 3. Neque hinc sequitur, dici posse quod Deus fuerit sparsus, effusus. terræ commixtus: sicut dicitur descendisse ad inferos, sc. ratione unius partis: nam spargi, effundi, misceri, conveniunt sanguini quatenus est pars à toto distincta: quæ verò talia sunt non possunt prædicari, vel de toto, vel de supposito: Descensus autem, etiam composito convenit, ideòq; potest suppositò tribui. Nam quæ indifferenter denominant partem vel totum, possunt dici de supposito. Vide d. q. 50. art. 3. ad 3.

## An Sanguis Christi fuerit immediatè et secundùm hypostasim unitus Verbo.

Pars negans suadetur. Primò, quia sanguis non est pars humani corporis, nec informatur anima rationali, ut tradit philosophus l. 2. de partibus animalium c. 3. & 10. sed est alimentum. Hinc Author q. 31. seq. art. 5. ad primum dicit sanguinem non esse actu partem, sed potentia: & q. 119. 1. part. art. 1. ad 3. dicit sanguinem non habere naturam speciei, sed esse in via ad illam.

Secundò, Quod Verbum assumpsit nunquam dimisit, ut habet axioma Theologicum, sed dimisit sanguinem in Circumcisione, & Passione: ergo eum non assumpserat; præsertim si verum est, quòd sanguinem quem emisit, nunquam reassumpserit. B

Tertiò, Non quicquid Verbum assumpsit; fuit ei unitum hypostaticè, nam & reliquos humores, & capillos, & dentes assumpsit, de quibus non videtur quod fuerint uniti Verbo secundùm hypostasim: ergo ex assumptione sanguinis, non concluditur unio.

Quartò, Sequitur alioquin quod Sanguis sit Deus, & contrà: propter communicationem idiomatum.

*Sanguis fuit unitus Verbo.* His tamen non obstantibus certum est aliquem Christi sanguinem fuisse immediatè unitum Verbo secundùm hypostasim, sive enim sanguis sit pars quæ informetur anima rationali, ut Medinæ, Alvarez, & nobis videtur; sive non sit: pertinet tamen ad veritatem & integritatem humanæ naturæ. Atqui Christus sibi univit humanitatem perfectam & integram, ut non solùm verus, sed etiam integer homo esset; ergo sibi univit sanguinem major probatur, tum ex illo Lev. C

*Lev. 17.* 17. *Anima carnis*, id est, vita, *in sanguine est*, quia scilicet ab illo maximè pendet; tùm ex B. Th. q. 54. sequenti, art. 2. & Supplementi q. 80. art. 3. Undè sanguis simpliciter est necessarius ad consistentiam humani corporis; ut, & calorem, & spiritus tam vitales quam animales, omniaque membra foveat. D

Secundò, Sanguis Christi fuit inæstimabilis prætij, non solùm quia fundebatur à persona infinita, sicut ab ea emittebantur lachrymæ, vel dabantur eleëmosynæ (Scriptura enim tribuit aliquid peculiare sanguini, quod non lachrymis aut eleëmosynis; ad Eph. & Col 1 Rom. 3. Hebr. 9. 1. Petri, & 1. Joan. 1. Apoc. 1.) sed etiam secundùm se, propter Verbum hypostaticè illi unitum. Unde Clem. 6. in Extra. *Vnigenitus*, asserit unam guttam sanguinis Christi fuisse sufficiens pretium nostræ redemptionis, propter unionem ad Verbum.

Tertiò, Christus accepit sanguinem sicut carnem; *Quia* (inquit Apost. ad Hebr. 2.) *Pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*: sed carnem sibi proximè & hypostaticè univit, ergo & sanguinem. Hinc canon quintus Concil. Ephes. anathema dicit neganti quod Verbum caro factum communicavit, similiter ut nos carni & sanguini. E

Quartò, In Eucharistia, Verbum non minùs est sub specie vini qui per concomitantiam, quàm sub specie pars panis: ergo similiter unitur carni & sanguini.

Quintò, Conc. Trid. sess. 13 cap. 3. significat

Arti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS III. & IV.

*Verbum assumpsit animam & mentē.*

ART. 3. & 4. probat Filium Dei assumpsisse animam rationalem & intellectum.

Quæ doctrina est fidei contra Arium & Apollinarem hæreticos, qui primùm Christo ademerunt omnem animam; postmodùm verò animam ei concedentes, mentem seu intellectum ipsi negaverunt dogmatizantes Verbum fuisse carni loco mentis, ut testantur Aug. & Epiphan. l. de hæresibus.

Contra quos non solùm faciunt Scripturæ, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26. *Animam meam pono*, Ioan. 19, *Ecce intelliget puer meus*, Isa. 52. *Nunc anima mea turbata est*. Ioan. 12. sed etiam Patres & Concilia, Leo ep. 11. Aug. de agone Christiano, c. 21. ep. 57. & l. contra Felicianum c. 13. Cyrill. ep. ad Nestorium, Damasus in suis decretis. Conc. Ephes. can. 13. Syn. 5. can. 4. Syn. 6. Act. 11. & alij.

Confirmatur PRIMÒ, Christus fuit verus homo: ergo habuit animam, eamque intellectualem, ac per consequens mente seu intellectu præditam, non potest enim homo esse, qui animam non habet intellectualem; Talem verò animam intellectus naturali necessitate consequitur.

SECUNDÒ, Christus venerat ut nobis mereretur: Sed nec Deus in natura Deitatis mereri potest, neque etiam corpus, imò nec anima nisi ea sit mente prædita & libera: ergo Christus assumpsit animam & mentem.

TERTIÒ, Verbum divinum non potest esse forma informans, cùm informare sit entis imperfecti & ejus cui convenit esse partem: ergo impossibile est ponere quod Verbum fuerit in Christo, loco animæ, vel loco mentis. Quoniam verò ad veram humanitatem non satis est anima & corpus, nisi sint eo modo unita quo inter se uniuntur materia & forma: Ideò dicendum est quod Filius Dei corpus & animam inter se unita assumpserit.

## QUÆSTIO VI.

*De modo assumptionis quantum ad ordinem.*

ARTICULUS I.

*Verbum assumpsit carnem mediante anima.*

ART. 1. Docet Filium non assumpsisse carnem mediantè anima, si spectemus ordinem temporis; quia totam naturam humanam simul assumpsit: sed tamen si spectemus ordinem naturæ seu dignitatis & causalitatis, assumpsisse corpus mediante anima & animam priùs quàm corpus: eò quòd anima sit dignior corpore, & quodammodo causa cur corpus sit assumptibile: non enim esset assumptibile, nisi per ordinem ad animam rationalem, à qua habet quod ad naturam humanam pertineat, quam Verbum intendebat assumere; ut loquitur Author q. 50. art. 2. ad. 2.

Hæc doctrina est communis Scholasticorum in 3. d. 2. contra Durandum; & sumitur ex Aug. epist. 3. & de agone Christiano, c. 18. & ex Damasc. l. 3. c. 6.

Circa Resp. ad 1. adverte, in opere creationis, quamvis anima quæ est præstantior corpore, sit quodammodo causa creationis corporis, eò quòd illud non crearetur nisi propter animam; non oportere tamen dici quod Deus sit in corpore mediante anima; quia naturaliter est in utroque; omnis enim res eo ipso quo est, necessariò postulat ut Deus sit in ea per essentiam, præsentiam, & potentiam. At verò si loquamur de unione personali; quia Verbum non unitur humanitati naturaliter, sed voluntariè; ideò potest in ea esse ratio cur Verbum huic vel isti parti uniatur: dignior enim pars, est ratio cur uniatur inferiori.

Quia in RESP. ad 2. docet corpus esse vicinius supposito humanæ naturæ proprio quam sit anima; Alvarez observat subsistentiam quæ ad suppositum pertinet, & naturam individualem consequitur, dupliciter posse comparari ad naturam; Uno modo tanquam ad potentiam quam complet, non quidem informando, sed terminando. Alio modo tanquam ad formam quatenus est quidem effectus formalis naturæ. Iuxta priorem modum, subsistentia vicinius pertinet ad corpus quod habet rationem materiæ, quam ad animam; quia individuatio sumitur à materia, & subsistentia immediatè; terminat naturam individualem. Iuxta posteriorem, subsistentia est vicinior animæ quia est effectus quidam animæ. B. Thomas hîc loquitur juxta priorem considerationem.

In Responsione ad 3. observandum est Verbum esse immediatè unitum carni, sicut animæ, & independenter ab animæ informatione; eò quòd anima non sit medium colligantiæ, id est, per quod ista extrema, Verbum & caro, ligantur ad invicem, sicut duo corpora junguntur ad invicem interveniente glutino: sed est medium congruentiæ id est, ratione cujus congruum est aliqua duo perduci ad unionem, sicut nobilitas vel pulchritudo est medium congruentiæ, ut aliqua mulier jungatur Regi in matrimonium; quemadmodùm explicant Bonav. & Richard in 3. nec dissimiliter B. Tho. tum hîc ad 3. tum. q. 5. art. 2. ad 2.

ARTICULUS II.

*Verbum assumpsit animam mediante spiritu.*

ART. 2. Docet Filium Dei assumpsisse animam mediante spiritu seu mente. Spiritus hîc significat superiorem animæ portionem, sive intellectum: Anima verò potentias inferiores, ut ex corp. & ex Responsione ad 3. patet. Intelligitur etiam hic ordo dignitatis, causalitatis, & congruitatis, nam intellectus est cæteris partibus dignior, & ratio quædam assumptionis earum, illas habilitans & aptas reddens, cùm non sint ad assumptionem congruæ, nisi ut conjunguntur illi parti, per quam homo est capax Dei, & ad illius imaginem creatus; hæc autem est intellectus.

In Resp. ad 1. non vult animam realiter identificari suis potentijs (hoc enim 1. p. q. 77. art. 1. refutat, ut impossibile) sed solum vult quod intellectus non sit aliud ab anima secundùm essentiam, id est, quod non habeat aliam essentiam in quâ radicetur quam ipsam animam: vel potius quod tota essentia animæ adsit intellectui: de ratione enim totius potestativi est, quod secundùm totam suam essentiam adsit singulis suis partibus, ut expressè dicit S. Tho. infrà q. 9. art. 3. in corp.

ARTI-



ARTICULUS III.

*Anima non est assumpta ante carnem.*

ART. 3. Loquens de prioritate temporis docet ex Sanctis Damasc. & Leo animam non priùs assumptam fuisse à Verbo quam carnem: quia non ante fuit creata quam assumpta; non est autem creata ante corpus, ut hîc contra Origenem differit, & latius 1. p. q. 90. ar. 4.

Hæc doctrina est definita in 5. Syn. generali his verbis, *Si quis dicit aut sentit animam Domini præexitisse, unitamq; esse Deo Verbo, ante Incarnationem & Nativitatem ex Virgine, anathema sit.* Id testatur Niceph. l. 7. historiæ, c. 28. Cui definitioni alia est similis in 6. Syn. Act. 11.

In Responsione ad 2. rationem unam cur anima non præexistat corpori adfert, quia est forma corporis: ideò enim produci debet cum ejus informatione & in illud infusione. *Est* (ait ar. 4) *contra naturam animæ ut prius sit quam corpori uniatur*: quod autem post corpus existat, fit, quia est immortalis; & nihilominùs illa existentia non est secundùm naturam: unde & appetit reuniri.

In Resp. ad 3. docet Veteres potuisse accipere de plenitudine gratiæ Christi, secundùm fidem quam habebant in ipsum venturum; ut quæ vim haberet justificandi. Sed cùm etiam ipsa fides sit gratia & donum ex plenitudine Christi participatum: præsupponendum est quòd in Dei præscientiâ certissimè futurum erat meritum Christi plenitudoque gratiæ ipsius, ob quod præviſum & præordinatum, dabatur Veteribus fides, fidelibus autem fidei augmentum, aliæque gratiæ. Unde illud Ioan. 1. *De plenitudine ejus accepimus*, causaliter est accipiendum.

ARTICULUS IV.

*Caro non est priùs unita Verbo quam animæ.*

ART. 4. Ostendit carnem non priùs tempore unitam fuisse Verbo quam animæ rationali, quia non prius est assumpta, quàm esset caro humana: non fuit autem caro humana, nisi per animam rationalem. Huc pertinet illud Synod. 6. Act. 11. *Simul quippe caro: simul Dei Verbi caro, animata, rationalis*, quæ eadem reperiuntur apud Damasc. l. 3. c. 2. & similia apud Fulg. l. de Incarn. c. 3. Leo. Epist. 3. Aug. Epist. 3. & can. 13. Conc. Ephesini.

Ex quibus colligendum relinquitur eodem temporis momento carnem Christi fuisse conceptam, perfectè formatam, animatam, & à Verbo assumptam, ut & q. 33. probatur; quamvis secundùm naturæ, rationis ac generationis ordinem, prius intelligatur caro, deindè productio animæ, tum ejusdem unio, & per eam naturæ humanæ constitutio & denique assumptio ejus ad personalitatem Verbi: prius enim intelligitur caro quàm intelligatur animata; & prius animata quàm Verbo unita, inquit author ad 3. quia ex unione ad animam, habet quod sit unibilis Verbo in persona.

*Obj.* Secundum Argum. B. Thomæ est: Anima non habuit aliud esse in Christo quam in nobis; ergo neque corpus: sed in nobis corpus est ante animam, ergo similiter in Christo, & per consequens, Verbum fuit prius unitum corpori, quàm animæ.

*Resp.* Respondet autem Neg. Cons. quia alia est ratio corporis, alia animæ: nam anima dat speciem, & ideò contra ejus naturam est quod præcedat: corpus verò habet rationem materiæ, potest autem eam rationem habere, sive antecedat formam, sive non; nam quod præcedere debeat secundùm successivas dispositiones ad imperfectionem pertinet, non ad rei speciem.

Cùm addit, quòd *differentia quæ esset quantum ad originem animæ, redundaret in diversitatem naturæ*: videtur intelligere de differentia originis quæ foret animæ Christi connaturalis, quia in argumento refert se ad epistolam B. Leo. ar. 3. in fin. corp. citatam, dicentis non aliam esse Christo animam, quam cæteris hominibus, inspiratam. Tunc enim demum alia est ei anima, si esset talis inspirata quæ haberet originem connaturalem diversam.

Si dicas, etiam fore diversitatem naturæ, si connaturale esset carni Christi concipi ante animam, non autem carni aliorum: Videturex mente S. Thomæ negandum, quia non propterea desineret esse caro; & ideò sequeretur eadem natura per eandem animam, quia ipsa anima est quæ dat speciem.

Cùm in Resp. ad 3. dicit, *Prius enim intelligitur caro ut quoddam ens (quod à Verbo habet) quàm ut animata, quod habet ab anima*: non loquitur de unione personali, quâ Verbum det carni esse ens, sed de unione secundum communem rationem, quâ Deus per essentiam, præsentiam, potentiam, est in omnibus creaturis.

ARTICULUS V.

*Quatenus Verbum assumpserit partes humanitatis mediante toto.*

ART. 5. Declarat Verbum assumpsisse partes humanitatis mediante toto, si spectemus ordinem intentionis; nam in intentione perfectum est prius imperfecto, & totum prius suis partibus: Ideò enim est voluntas partium, quia est voluntas totius, quod proinde per se intenditur: & propter ipsum partes. Si verò spectetur ordo executionis vel operationis, prius naturâ partes sunt assumptæ: tum quia secundùm viam generationis, partes sunt, priores toto; tum quia existentia totius in Verbo pendet ab existentia partium in illo, non contrà; uti apparuit in triduo mortis, quando partes manserunt unitæ Verbo, etiamsi propter separationem ab invicem, non constituerunt totum.

ARTICULUS VI.

*Humana natura nō fuit assumpta mediante gratia.*

ART. 6. Docet naturam humanam non esse assumptam mediante gratia sive unionis, sive habituali, quia utraque est posterior assumptione gratia unionis est terminus; habitualis ut proprietas & effectus. Si verò gratia intelligatur gratuita Dei voluntas; unio facta est per gratiam, non ut per medium, sed ut per causam efficientem. Vide q. 2. ar. 10. Nec obstat unionem, utpotè relationem, esse mediam inter duo extrema: gratia enim unionis de qua hîc agitur, est esse personale: unio verò ut est relatio, non est causa assumptionis, sed ex ea sequitur, ut annotavit Richard. in 3.

Circa Resp. ad 2. Quæri potest.

*An gratia habitualis præcesserit gratiam unionis saltem ut dispositio naturâ prior.*

PRÆCESSISSE probatur PRIMÒ, Anima Christi prius natura intelligitur esse quam assumatur, ut ex art. 4. patet, ergo in illo priori potest intelligi habere gratiam.

SECUNDÒ, Gratia quæ ponitur in essentia animæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



animæ; non ordinatur immediatè ad operationem, sed ad conferendum animæ quoddam esse divinum: illud autem videtur esse optima dispositio ad esse personale.

TERTIÒ, Natura humana non est ex se ad unionem hypostaticam disposita: ergo debet disponi per aliquid superioris ordinis; sicut intellectus creatus ideò eget lumine gloriæ ad videndum Deum, quia ex se est improportionatus; & generaliter ad formas quaslibet prærequiritur dispositio subjecti.

QUARTÒ, Gratia habitualis ordinatur ad unionem personalem, sicut ad finem, affirmat Author q.7.art.12. in corp. & ad 2. ergo est dispositio; præsertim cùm nihil obstet quominus id fieri potuerit, & factum sit.

*Resp. Neg.* Hanc partem licet tenuerit Author in 3. sent. B CONTRARIA TAMEN, quam tradit hîc, & q. 2. ar.10.q.7. ar 13. opusc.3.c.214. VERIOR EST. Gratia enim habitualis est ordine naturæ posterior gratiâ unionis, tanquam ejus effectus, ut ratiocinatur Author, & conforme est Scripturæ, Ioa. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis*, quasi diceret, quia Verbum caro factum est, inde evenit ut plenitudine gratiæ repleretur. Hinc est quod humanitas Christi non dicitur ideò assumpta, quia fuit Deo tam grata; sed potiùs ideò tam grata est, quia fuit assumpta; quam assumptionem consecuta est maxima gratia habitualis.

Confirmatur, esse substantiale præcedit esse accidentale: sed anima non habet esse substantiale, C nisi per unionem ad Verbum, per gratiam verò habet esse accidentale: ergo prius unita est Verbo, quam habuerit gratiam. Deinde humanitas est immediatè unita Verbo: ergo non mediante habitu; ipsaque unio est substantialis, ergo non mediat accidens,

AD 1. ARG RESP. Negando Consequentiam: licet enim anima secundùm ordinem generationis priùs intelligatur, quàm intelligatur esse unita; non tamen priùs intelligitur habere gratiam; quia gratia est effectus unionis personalis, & secundùm naturam est posterior substantiali subsistentiâ.

AD 2. Respondet Author dicto ar. 13. gratiam D ordinari ad bene agendum. Vide 1.2. q.110. a.3. esse verò quod confert, ideò non potest esse dispositio ad esse personale, quia est posterius ipso, & supponit unionem à quâ dimanat.

AD 3. Neg. Cons. quia lumen gloriæ & formæ de quibus procedit argumentum, supponunt subjectum quod possit disponi: natura autem humana non præexistit ante unionem.

AD 4. Resp. duplicem esse dispositionem: unam quæ subjectum præparat ad formam suscipiendam: Alteram, quæ subjectum quod habet formam, exornat, & ad perfectiùs operandum perficit. Priori modo, gratia non est dispositio ad E unionem: ut enim ipse Author loquitur q.7,a.13. *Gratia habitualis Christi intelligitur ut consequens hanc unionem, sicut splendor solem.* Et postea, *gratia unionis secundùm intellectum præcedit gratiam habitualem*: Et iterùm, *gratia habitualis non intelligitur ut præcedens unionem, sed ut consequens eam.* Posteriori modo, gratia habitualis est quædà dispositio ad unionem; procedens nimirù ex unione, *facitq;* (prout loquitur Author q.8.ar.5. ad 3.) *congruitatem quandam ad unionem*, non antecedenter, sed consequenter; sicut cultus regius facit congruitatem ad esse uxorē Regis, in eâ, quæ cùm esset vilis, à Rege ducitur, & ducta ornatur. Quòd verò dicit gratiam ordinari ad unionem, sicut ad finem, non est intelligendum de fine, cujus: sed de fine, cui deseruit & congruit.

Cæterùm, an contradictionem implicet gratiam fuisse ejusmodi præviam dispositionem, controvertitur. Jam dictis conformior est pars affirmativa, quandoquidem hæc unio sit substantialis & immediata suppositi ad naturam, cui prius est habere esse substantiale per divinum suppositum, quam accidentale per gratiam habitualem.

## QUÆSTIO VII.

### *De gratia Christi prout est quidam singularis homo.*

### ARTICULUS I.

*Christus habuit gratiam habitualem.* ART. 1. probat in anima Christi fuisse gratiam habitualem. Et confirmari potest ex Scriptura Joan. 1. ubi Verbum caro factum dicitur *Plenum gratiæ & veritatis.* Luc. 1. *quod ex te nascetur sanctum.* Isa. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Dan. 9. *Ungetur Sanctus Sanctorum.* Act. 10. *Unxit eum Deus Spiritu Sancto & virtute.* Ps. 44. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*: Quod de gratia habituali explicant Athan. lib. contra Arianos, & Ambr. l. de Spiritu Sancto, c.8. si meminerimus quod in 1.p.q.43.ar.3. dictum est; Spiritum Sanctum habitare in hominibus per gratiam habitualem. Hinc Aug. l. 15. de Trin. c.26. *Quia Dominus* JESUS (inquit) *Spiritum Sanctum non solùm dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus est plenus gratiæ. Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum* (c. 10.) *Quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto: non utique oleo visibili, sed dono gratiæ.*

Eodem spectat illud Isa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini* &c. quod de donis gratiæ habitualis exponunt Cyril. super Isa. Greg. l. 29. Moral. c.30. & Bern. ser. 16. in Cant.

Præterea, cæteris justis *Diffunditur charitas Dei in cordibus eorum*, ad Ro. 5. *ergo multò magis Christo, cui non ad mensuram dedit Deus Spiritum*, Io. 3.

Denique, fides in Conc. Trid. sess. 6. c. 7. & can. 11. definita, habet nos justificari per infusionem gratiæ & charitatis: ergo de Christi animâ similiter est judicandum. Ideoque non pauci existimant hanc doctrinam esse fidei: sed & B. Th. concludit *necesse esse ponere in Christo gratiam habitualem*: eique consentiunt communiter Scholastici in 3.d. 13. Quæ tamen Authoris nostri verba non de necessario simpliciter atque ex absolutâ Dei potentiâ æstimato, intelligi debent, quasi non fuerit Deo possibile, assumi naturam humanam nisi habituali gratiâ informaretur: sed secundùm legem ordinariam; quia scil. hæc gratia omninò est consentanea, & velut connaturalis animæ personaliter Deo unitæ, ut a. 13. docetur. Unde ex primâ ratione B. Th. tantùm infert, fuisse maximè conveniens ut anima Christi reciperet illam gratiam. Quomodo & reliquæ rationes possunt intelligi concludere; si præsertim conferantur cum resp. ad 3. ubi infert quod *ad convenientiam actionis oportuit eum habere gratiam habitualem.*

Quapropter alij existimant certum quidē esse, quod in Christo fuerit gratia habitualis, adeò ut id absque temeritate, & scandalo negari non pos- A sit; dicunt tamen non esse certam tanquam dogma fidei, eò quòd neque in Scripturis clarè sit expressum neque ab ullo Pontifice vel Concilio definitum, neque ex ulla Patrum traditione habitum velut doctrina ad fidem pertinens. Ita sentiunt Vasq. Puteanus, Gamacius, Mæratius, Præpositus, Kellisonus, dicentes Scripturas quæ solent allegari, posse exponi vel de gratia unionis, vel de unctione ratione Deitatis, vel de gratia actuali. Quâ sententiarum varietate consideratâ, hæ nobis statuendæ videntur Conclusiones.



### CONCLUSIO I.

*Fidei est Christum fuisse Sanctum hominem.* B FIDE certum est quod Christus etiam secundùm humanitatem fuerit Sanctus & Deo gratus, id enim clarissimè affirmant Scripturæ, tum supra citatæ, tum illæ quæ ad Hebr. 7. dicunt *Talis decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Matt. 3. & 14. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

### CONCLUSIO II.

*Non est certum esse fidei quod Christus habuerit gratiam habitualem.* PROBABILE est quod ad fidem pertineat Christum fuisse Sanctum per gratiam habitualem ejus animæ infusam, quemadmodum Suarez, Aluarez, Pesantius & alij quidam docent; quia C Scripturæ omninò videntur talem gratiam in Christo agnoscere: non tamen est certum, quod ad fidem pertineat quandoquidem inter Doctores orthodoxos inveniantur qui cum probabilitate sustineant, non esse de fide.

### CONCLUSIO III.

CHRISTUS secundùm humanitatem fuit Sanctus duobus modis. Uno modo, per gratiam unionis seu potius per divinitatem Verbi, quæ mediante unione quâ humanitati unitur, ipsam humanitatem sanctificat & dignificat, ac Deo gratam reddit. Alio modo, per gratiam ha- D bitualem. Prior sanctitas est substantialis: posterior accidentalis.

Neque his obstat, quod tam divinitas quam personi Verbi non fit forma informans humanitatem: satis enim est quod formam informantem eminenter contineat, quodque humanitati uniatur hypostaticè, & eam afficiat, ac sustentet; quia talis unio est velut conditio aut via, quâ interveniente divinitas humanitatem dignificat & sanctificat. Non obstat etiam, quod gratia habitualis faciat eum, cui infunditur, Filium *Ob. Resp.* Dei adoptivum: hoc enim verum est, quando infunditur subjecto extraneo, seu ei qui non est E filius naturalis; Christus autem est Filius Dei naturalis.

Quando autem data sit animæ Christi gratia creata, si quæritur: Inter Catholicos convenit, quod eam acceperit simul tempore cum gratiâ unionis, atque ideò in instanti suæ conceptionis. Vide Damasc. l.3. de fide orthod. c.22. Aug. l.15. de Trin. c.26. & alios: Hæc tamen gratia quemadmodum ex ar.6.q.superioris patet, secundùm ordinem naturæ posterior est gratiâ unionis, & eam consequitur ut proprietas vel effectus; non quidem prorsus pari modo quo naturalis proprietas consequitur essentiam rei, sed simili; propter quod



aliquo modo Christo homini est connaturalis, ut ex Aug. dicit Author ar.12. ad 2.

*Anima Christi est divina per participationem.* Pro resp. ad 1. dicendum quod Christus quidem sit Deus, non participativè, sed per essentiam: Anima tamen Christi non est divina per essentiam, sed per participationem gratiæ habitualis.

Responsio ad 2. consistit in hoc quod Christus secundùm naturam divinam sit ex necessitate beatus ab æterno, beatitudine increatâ; possitque per operationem divinam omnia perfectè operari; sed secundùm naturam humanam indiguerit gratiâ habituali, tum ut ejus anima esset donis supernaturalibus exornata, & Deo per formam sibi inhærentem grata: tum ut ejus operationes meritoriæ fierent modo quasi connaturali hominibus justis, per aliquod scilicet principium sibi intrinsecum & inhærens.

*Quæst.* An autem gratia habitualis fuerit ei prorsus necessaria, ita ut alioquin non potuisset mereri de condigno. Responsio Neg. videtur probabilior; *Resp.* quia etiam ejusmodi gratiâ seclusâ, fuisset in eo radix & fundamentum meriti, ipsa nimirum personæ operantis dignitas, & ex ejus conjunctione, etiam humanitatis sanctitas; sicque adfuisset quippiam quod donum gratiæ habitualis supereminenter continet.

In Responsione ad 3. distinguitur prima propositio: Instrumentum enim inanimatum, cùm seipsum non moveat, non est capax habitus, etiamsi requirat dispositiones sibi convenientes: sed instrumentum animatum, cui convenit seipsum movere, habitum requirit ad convenientiam actionis. Humana autem natura Christi est instrumentum divinitatis animatum: ergo requirit habitum gratiæ.

### ARTICULUS II.

*In Christo fuerunt omnes virtutes non importantes imperfectionem* ART. 2. probat in Christo fuisse omnes virtutes. Quam doctrinam, etsi quidam restringant ad eas virtutes quæ voluntatem afficiunt, eò quòd postea de intellectualibus agatur; Author tamen videtur intellexisse de omnibus omnium potentiarum virtutibus quæ non important imperfectionem: dicit enim *consequens esse quod ex gratia processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animæ, quantum ad omnes animæ actus.* Ubi cùm loquatur de virtutibus perficientibus potentias, ista ejus doctrina necessariò restringi debet, ut modò indicavimus, ad eas virtutes quæ non involvunt imperfectionem repugnantem statui beatitudinis, in quâ Christus erat. Quæ enim talem imperfectionem involvunt, non perfecissent animam vel potentias Christi; sed imperfectas ostendissent. Unde in *Quæ virtutes non fuerunt in Christo.* sequentibus articulis excludit à Christo fidem & spem; & juxta ea quæ habet in 3. dist. 13 qu. 1. art. 2. q. 1. ad 1. & in 4.d. 14. q. 1. ar. 3. q. 3. ad 2. excludenda est etiam pœnitentia: quamvis enim perfectissimè detestaretur peccatum, non potuit tamen peccatum in eo esse, ideoque nec pœnitentia, cùm hæc præsupponat peccatum à pœnitente commissum vel commissibile. Confer quæst. 84. art. 7. in Responsione ad 4. Similiter continentiam Philosophicè acceptam (quæ scil. est circa præsentes concupiscentias, quibus resistit cum difficultate,) à Christo excludendam dicit hic in Responsione ad 3. quia, ut sic non est virtus: Quamquam, sicut continens dicitur qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cunque abstinet, sive cum difficultate abstineat, A
sive sine illâ, Ut ad Titum 1. *Oportet Episcopum*
*Ut Christus fuerit continens.* *continentem esse*; Et Eccles. 26. *Omnis ponderatio*
*non est digna continentiæ animæ*: sic Christus dici
potest continens; quatenus nimirum fuit temperans, q.40.ar.2. arg.2. Ad temperantiæ enim virtutem non est necesse quod sit in subjecto patiente concupiscentias, ut hîc; & 1.2 q.67.ar.1. docetur: Et generaliter non oportet quod virtus moralis actu moderetur passiones exorbitantes; sed satis est quod elicere possit actus bonos circa propriam materiam; sitque moderativa passionum, si exorbitarent.

Ex his patet virtutes per se acquisitas, (id est, quæ naturâ suâ aptæ sunt acquiri) per accidens autem infusas, etiam fuisse in Christo; quia poten- B
tiæ debuerunt optimo & perfectissimo modo disponi; non tantùm ad bonum supernaturale, sed etiam ad naturale quatenus est conforme rectæ rationi.

*Ob.* Si dicas, Christi animam, quia Verbo unitam, habuisse perfectissimam facultatem omnia virtutum officia perfectissimè exercendi, ideòque non opus fuisse virtutibus superadditis.

*Resp.* Resp. eum debuisse modo ordinario & connaturali operari; hic autem modus est per habitus & qualitates inhærentes, quibus ipsæ potentiæ formaliter perficiuntur.

*Virtutes per se acquisitæ, sunt in conceptione Christo infusa.* Cùm autem Adamo fuerint in suâ creatione virtutes omnes infusæ: dicendum videtur quòd C
Christo infusæ sint ab initio conceptionis virtutes etiam illæ quæ dicuntur per se acquisitæ. Convenientiùs enim est quòd potentiæ semper fuerint in suo ultimo complemento (quod pertinet ad rationem honesti, & ad reddendum bonum habentem) quam quod aliquando eo caruerint. Nec videtur verisimile, quòd primo instanti suæ conceptionis potuerit omnium virtutum illarum actus exercere, & sic per actus eas acquirere: cùm sine miraculo fieri non possit, ut tunc omnium virtutum materias haberet in cogitatione præsentes; tale autem miraculum non est necessarium ponere.

Circa hujus articuli doctrinam adverte S. Do- D
ctorem supponere quod in 1.2. quæst. 110, art. 3. & 4. docuit, gratiam habitualem secundùm suam essentiam inhærere ipsi essentiæ animæ, & realiter distingui à virtutibus. Quod etsi ab alijs non improbabiliter negetur (utraque enim pars probabiliter potest sustineri, quemadmodum ibi diximus) ex sententia tamen B. Thomæ certum est, gratiam sanctificantem & virtutem charitatis esse conjunctissimas & inseparabiles; ut proinde quando in Christo probata est gratia, etiam charitas in eo probata censeri debeat, quamvis dicatur quod realiter differant. Quamquam & Christo Scriptura expressè charitatem tribuat, ad Ephes. 3. Joan. 15. & alibi. A charitate autem ad cæteras virtu- E
tes promptum est argumentum: quoniam ut Apostolus ad Colos. 3. dicit, *Charitas est vinculum perfectionis*, omnes virtutes veluti vinciens & colligans. Unde B Tho. 1.2. quæstione 65. docet cum charitate non solùm cohærere virtutes Theologicas, sed cum eâ simul infundi & morales. De Respons. ad 2. vide quæ diximus 1.2. quæstione 54. articulo 3.

## Art. IV.

### Articulus III. & IV.

*Fides & spes in Christo non fuerunt.* Art. 3. & 4. Docet in Christo non fuisse fidem & spem virtutes Theologicas, quia includunt imperfectionem repugnantem beatitudini. Fidei enim objectum est res divina, non visa; spei autem, non habita. Huc pertinent quæ in 1.2. q 67. ar. 3. 4. & 5. dicuntur de fide & spe, quod non maneant post hanc vitam: & quæ 2.2.q.5.ar.1. & q.18. ar.2 quòd non sint in Beatis.

Adde, quod in Christo essent *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi* & quod clarissimè omnia intueretur; quodque non ex parte, neque per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem Deum videret, eoque frueretur: quæ omnia non conveniunt ambulantibus per fidem, sed solis cernentibus per speciem. *Fides* enim *est non apparentium*, ad Hebr. 11. & similiter, spem esse de non visis liquet ex c. 8. ad Rom. *Spes quæ videtur non est spes, nam quod videt quis, quid seu cur sperat?* ubi (videt) pro (habet) dictum est: beatitudo namque cum sit in visione, per visionem habetur, & possidetur. Sensus autem Scripturæ est, spes, id est, res sperata quæ jam præsens habetur, non amplius habet rationem rei speratæ: nam quod aliquis habet, quare illud speraret? cùm spes non sit rei obtentæ, sed obtinendæ, & per patientiam expectandæ.

In Resp. ad 2 ar. 3 non docet in Christo fuisse meritum fidei, sed id unde meritum fidei est in nobis, id est, obedientiam.

Cùm autem Isa. 11. dicitur, *Erit fides cinctorium renum ejus*, fides ponitur pro fidelitate, quæ est in servandis promissis, ut & ad Rom. 3. Ps. 32. Oseæ 2. & alibi.

In corpore articuli 4. dicit Christum nullius objecti respectu habuisse fidem, quia omnia evidenter & plenè cognoscebat: habuisse tamen spem seu actum spei, respectu alicujus; quia nondum omnia habebat, non enim gloriam & immortalitatem corporis. Ipsum tamen velle hanc spem non fuisse virtutem Theologicam, quia deficiente *Quæ spes fuerit in Christo.* objecto proximo & principali, habitus ipse virtutis non exstat: principale autem objectum spei virtutis. (quod est beatitudo animæ nondum habita) deficiebat in Christo, qui ab initio conceptionis erat beatus; manifestum est ex eo quod in corp. disertis verbis ait: *virtutem spei non habuit*, ac insuper ex eo quod ista verba Psal. 30. *In te Domine speravi*, in Resp. ad 1 scribit: *Non dici de Christo secundùm spem quæ est virtus Theologica, sed eò quòd quædam alia speravit nondum habita*; & se refert ad ea quæ in corp. art. dixerat: ex quibus etiam hoc intelligitur quod actus spei quem agnoscit in Christo, non fuerit actus spei Theologicæ. Confer in 2.2.q. 18.ar.2.ad 1. & in qu. disp. q. de spe, ar. 4. ad 16.

Quæ cùm ita sint, difficultas est, qualis actus erat quo Christus sperabat immortalitatem sui corporis. Resp. fuisse actum voluntatis per charitatem & fruitionem sufficienter dispositæ. Qui enim habet primarium bonum spei, sufficienter est dispositus ad eliciendum actum circa secundarium: non per ipsam spem quæ ponitur exclusa, sed per charitatem quæ est vinculum perfectionis: quomodo B. Tho. docet Beatos sperare alijs beatitudinem, non virtute spei, sed ex amore charitatis, 2.2.q.18.ar.2.ad 3.

Dices, animæ Beatorum non habent spem respectu gloriæ sui corporis, sed solùm desiderium; ut



ut affirmat Author jam dicto ar. 2. ad 4. & 1.2.q. A
67. ar. 4. ad 3. *Ergo idem est de Christo* dicendum. R.N.C. quia gloria corporis habebat aliquid difficultatis in Christo, quæ non est in alijs beatis. Hæc autem, quamvis non sufficeret ad rationem spei virtutis Theologicæ, cùm non esset circa objectum primarium, sufficiebat tamen ut desiderium illud vocaretur spes.

In Resp. ad 2. cum dicitur, *Spes secundùm quod est virtus Theologica non respicit beatitudinem* (sed potius glotiam) *corporis*; intelligi debet principaliter, ut ex eo quod ibidem, & in corpore præcedit, liquet.

### Articulus V. & VI.

B

*In Christo fuerunt dona.* Art. 5. & 6. Docet in Christo fuisse dona Spiritus Sancti; & specialiter hoc probat de dono timoris, eò quòd in eo peculiaris difficultas appareat.

*Isai. 11.* Prius confirmari potest ex c. 11. Isa. *Requiescet super eum spiritus Domini*, &c. & ex Patribus eum locum de Christo accipientibus Aug. ser. 1. de Annunciatione, & ser. 1. de Dominicâ ante Nativit. Damasc. Orat. 1. de Nat. B. Virginis. Basil. Cyril. Hier. super Isa. Iren. l. 3. contra hæreses, c. 10. & alijs. Huc pertinent quæ dicuntur 1.2. qu. 68. de donis, quòd maneant in beatis, scil. non secundùm eosdem omninò actus qui reperiuntur in puris viatoribus, sed secundùm essentiam, & se- C
cundùm illos actus qui non dicunt imperfectionem statui Sanctorum repugnantem. Ideò est observandum, dubitationem, obscuritatem, aut alias similes imperfectiones, quæ nunc in actu consilij, sapientiæ, vel aliorum donorum inveniuntur, non pertinere ad eorum rationem.

*In Christo fuit donum timoris.* Quod ad Posterius attinet, conveniunt plerique tam Patres quam Scholastici in 3. d. 34. etiam timoris donum fuisse in Christo; timoremque non mundanum, servilem, aut initialem, sed filialem & castum. Unde Petr. Abaillardus id negans apud Bern. Ep. 190. condemnatus est ab Innoc. 2. Epist. 194. inter Epistolas Bernardi; & hunc errorem inter hæreses numerat Alphonsus à Castro, verbo, Christus, hæresi 9. Sed in modo expli- D
*Qualiter in beatis sit timor.* candi controversia est, eò quòd objectum timoris filialis sit malum culpæ, à Beatis autem vel Christo peccatum timeri non possit, cùm sint de suâ salute securi.

Breviter dici potest, sicut in beatis, ita & in Christo esse timorem filialem secundùm actum reverentiæ; nam ex consideratione majestatis & eminentiæ Dei, oritur quidam affectus admirationis, stuporis, & reverentiæ in animâ Beatâ, ut parvitatem suam ex unâ parte considerans, & eminentiam Dei ex alterâ, totam se Deo submittat, nec audeat se ei æquare, ac reformidet secreta ejus investigare. Hinc Dion. cœlestis hierarch. c. 13. velationem Seraphim de quâ Isa. cap. 6. dicit sig- E
nificare sacram illam ac plenam horroris venerationem, quâ Sancti celsiorem mysteriorum indaginem perhorrescunt. Et Greg. l. 17. Moral. c. 15. *Ipsa quoq; virtutes cœlestium quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt: sed idem tremor ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis.* Simili modo loquuntur Chrys. in c. 6. Isa. & Basil. hom. 11. in Hexameron. Atq; ita sumitur timor Luc. 5. & 7. v. 26. & 16. Apoc. 15. & alibi. Hanc explicationem tradunt post Magist. in 3. d. 34. Bonav. Rich. Gabr. Tho. hîc, & in

*Sylv. in III. Part.*

Ps. 18. Unde 1.2.q.67.a.4.2. docet esse duos actus timoris filialis, scil. revereri Deum, & timere separationem ab ipso; quorum prior, qui est potissimus manet in Beatis, ac proinde timor: cujus proprium objectum, cùm in 1.2. & 2.2. dicit esse malum; *Duo actus timoris filialis.* intelligit quoad actum puris viatoribus convenientem, qui est fuga mali, non autem simpliciter quoad habitū: nam hîc in Resp. ad 1. dicens, quod *habitus virtutum & donorum propriè & per se respiciant bonum, malum autem ex consequenti; addit, de ratione doni timoris non est illud malum quod respicit timor, sed eminentia boni divini.* Cur autem non sequatur hunc timorem esse eundem cum virtute humilitatis, sed ejus principium, videre est 2.2.q. 19.ar.9.ad 4. & ar. 12. in corp. *Ex hoc* enim, *quod quis perfectè timet Deum*, reverendo illum & refugiendo se illi subducere, *consequens est*, *quod non quærat magnificari in seipso per superbiam*, ait Author.

### Articulus VII.

*Gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo* Art. 7. probat ex Aug. & ratione, fuisse in Christo omnes gratias gratis datas, quæ novem enumerantur 1. Cor. 12. quia ipse fuit primus & principalis fidei doctor, illæ autem gratiæ ordinantur ad fidei & spiritualis doctrinæ manifestationē. Idem haberi potest ex Chrys. ho. 29. in Joan. Ansel. in c. 1. ad Coloss. & Scholasticis in 3. d. 13.

Nec obstat, quòd fides in Christo non fuerit, *1. Cor. 12.* quæ enim ponitur ab Apostolo inter gratias gratis datas, non intelligitur virtus Theologica quæ omnibus fidelibus est communis, ut bene docet Au- *2.2.q.4. ar. 5. ad 4.* thor in eum locum; sed primò, rerum fidei singularis & excellens cum certitudine cognitio: secundò, facilitas & promptitudo ad res fidei accommodatè proponendas: tertiò, fervor fidei, & fiducia singularis impetrandi faciendique miracula, juxta illud. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis:* Luc. 17. quæ omnia perfectissimè fuerunt in Christo, sublatâ omni obscuritate & imperfectione. *Quicquid*, ait Author ar. 9. ad 1. *est perfectionis in fide & spe, in Christo est multò perfectius.*

Circa resp. ad 3. est observandum quòd Christus non fuerit communiter & publicè usus dono linguarum, eò quòd opportunitas hoc non postularet: probabile tamen est quòd aliquando fuerit eo usus: ut cùm erat in Ægypto; & quando loquebatur Gentilibus. De gratijs gratis datis plura 1.2.q.111

### Articulus VIII.

*Vtrùm in Christo fuerit Prophetia.*

De hoc dono specialem movet Author disputationem, propterea quòd videatur habere peculiarem difficultatem. Unde Tertul. l. 4. contra Marcion. c. 22. & Abulensis super Numeros, docent Christum non rei veritate, sed vulgi appellatione fuisse Prophetam.

Et confirmatur, si enim Joannes Baptista fuit plusquam Propheta; multò magis Christus.

Deinde, ad rationem Prophetiæ pertinet obscuritas cognitionis; quæ à Christo aberat.

Verum Authoris Doctrina certa est, Chri- *Christus verè fuit Propheta.* stum verè & propriè fuisse Prophetam: quia dum esset viator, annunciabat ea quæ secundùm statum communem viatorum erant remota, ut inventionem stateris in ore piscis, Mart. 17. suam traditionem, mortem, & resurrectionem, Mat. 16. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca



& alibi; eversionem civitatis Jerusalem & signa A extremi judicij, Matth.24.Luc.21. negationem Petri, Matth.26. mortem ejusdem, Joan.ult. secretas cordium cogitationes, Matth.9.Luc.5.7.11. & alia plura. Confirmatur, quia de seipso loquebatur Christus dicens, Matth.13. *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua*; Et de illo dicebant omnes. Luc.7. *Propheta magnus surrexit in nobis*; Et Discipuli Luc.24. *Qui fuit vir Propheta.*

Adde, quod illud Deut.18. *Prophetam suscitabit vobis Deus*, de Christo intelligunt Petrus & Stephanus Act.3.& 7. Iren.l.3.contra hæreses.c. 12. Cyril.l.1. in Joan. c.24. Cypr.l.1. contra Judæos, c.18. Aug.l.16.contra Faustum, c.18. Ambros. serm.8.in Ps.118.

B

Ad 1. Arg. Resp. & Christum, & Joannem fuisse plusquam Prophetas, etiamsi uterque habuerit donum Prophetiæ; quia non solùm prædixerunt futura, eo modo quo solent alij Prophetæ; *Christus & Joan. plusquam propheta.* sed Christus quidem omnibus excelluit: habens donum Prophetiæ (quemadmodum & cæteras gratias gratis datas) permanenter, per modum habitûs, & evidentissimè contemplans tam Deum, quàm ea quæ futura prædicebat; Ioannes verò, quem cæteri venturum prædixerant, etiam digito monstravit. Cæterùm Prophetiæ donum, quod in Christo dicimus fuisse per modum habitûs, non est necesse esse re diversum à scientia vel visionis vel infusa.

C

Ad 2. B.Th. hîc ad 1. satis significat obscuritatem non esse de ratione Prophetiæ, quod & dissertis verbis asserit 2.2.q.171. art.1. ad 4. dicens quod *per ipsam removetur obscuritatis & ignorantia velamen*. Unde q.174.a.4. hinc docet excellentiam gradus prophetici qui fuit in Moyse, quia *Obscuritas non est de ratione prophetiæ.* clarè viderit divinam essentiam. Et Basil. præf. in Isa. dicit Prophetas ideò olim videntes vocatos, quia futura intuentur quasi præsentia.

Si objiciatur, Author eadem q 174.art.2. ad 3. dicens: *Similiter autem Prophetia importat quandam obscuritatem*: Quidam respondent, istud ab eo tacitè hîc retractatum: sed verius videtur, quod solũ voluerit significare, obscuritatem communiter D involvi in cognitione Prophetica, prout ordinariè conceditur; quomodo & illud à quibusdam intelligitur. 1.Cor.13. *Ex parte prophetamus*; quia ordinarium est ut qui solum sunt viatores, imperfectè prophetent, id est imperfectè cognoscendo prophetent, quamquam alij significatam velint imperfectionem ex parte illorum, propter quos datur donum Prophetiæ; non ex parte illius cui conceditur, eò quòd non concedatur propter ipsum, sed propter alios, in quo differt à fide.

Ut autem intelligatur quare Christus nunc non sit propheta; sciendum est in illo manere eandem cognitionem, sed non secundùm eandem rationem; quia de ratione Prophetæ est, ut nunciet ea E quæ sunt procul secundùm communem statum cognoscentis, & quæ sunt remota à communi hominum sensu cum quibus conversatur & communicat in statu viæ.

Ex his consequens est Propheticam cognitionem nec esse fidem, nec in fide fundari.

Observandum autem quòd Christus potuerit quædam cognoscere in similitudinibus imaginativè, & sic imperfectè, facta scil. comparatione ad notitiam evidentem, quæ poterat etiam sine illis similitudinibus in ipso esse. Vide finem Responsionis ad 1.

## Articulus IX.

Art. 9. probat in Christo fuisse plenitudinem gratiæ, quia habuit illam perfectè & totaliter; sive quoad intensionem, sive quoad virtutem: habuit enim tantam quanta secundùm potentiam Dei ordinariam potest esse; non solùm extensivè, respectu eorum ad quæ extenditur, sive donorum, sive operum, sive virtutum, aliorumque gratiæ affectuum quos transfundit in alios; sed etiam intensivè & ex parte gratiæ: juxta illud Ioan.1. *Vidimus eum plenum gratia*: Et iterùm *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

B

Confirmatur, Non potest humanitas alicui digniori conjungi, quam Verbo divino: ex illa ergo *Christus habuit maximâ gratiam.* conjunctione gratiam accepit in gradu excellentissimo, quantò enim receptivum est propinquius causæ influenti, tantò abundantius recepit.

Deinde, cùm forma gratuita in sui perfectione subordinetur voluntati conferentis: ille gradus est ex parte gratiæ maximus, qui est maximus secundùm potentiam ordinariam conferentis: Anima autem Christi habuit gratiam maximam secundùm potentiam ordinariam Dei conferentis: ergo habuit maximam ex parte gratiæ. Hinc.Luc.4. *Iesus plenus Spiritu Sancto*: ad Colos.1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Cur huic plenitudinis assertioni non obstent verba Luc.2. *Iesus proficiebat sapientia* &c. Vide ad art.12.

C

In Resp. ad 2. Gratiam operantem vocat gratiam habitualem infusam: quamvis enim appellatio ista magis propriè conveniat actuali auxilio & motioni divinæ, convenit tamen etiam gratiæ habituali, 1.2.quæst.111.art.2. docet Author.

Subsump. argumenti 3. *Quod descendit habetur particulariter & non plenè*, verum est de plenitudine per essentiam: quod enim descendit, non est in eo ad quem descendit secundùm eam perfectionem seu plenitudinem essentialem, secundùm quam est in Deo: sed nihilominùs, potest esse plenè quantum ad capacitatem creaturæ, quam B. Th. hîc nominat, non naturalem, sed obedientialem, & secundùm ordinariam potentiam Dei.

## Articulus X.

Art. 10. Docet plenitudinem gratiæ esse *Quæ plenitudo gratiæ sit Christo propria.* propriam Christo, si attendatur plenitudo ex parte ipsius gratiæ, sive intensiva sive extensiva: quia solus Christus habuit gratiam in maximâ, tum excellentiâ, tum virtute ad omnes omninò gratiæ effectus: si verò attendatur plenitudo ex parte subjecti: sic non est propria Christo, sed per eum communicatur alijs, restrictè tamen, secundùm scil. dispositionem quam in eis Spiritus Sanctus operatur, prout ad officium & statum eorum judicat expedire.

Notandi ergo sunt tres modi plenitudinis gratiæ.

Primus convenit omnibus justis, quo sc. gratia *Tres modi plenitudinis gratia.* tam plenè habetur, ut sufficiat expellere omne peccatum mortale, & animam gratificare usque ad consecutionem gloriæ, hîc ad 2.

Secundus est, quo quis habet gratiam non solùm plenè ad ipsum Deo gratificandum, sed etiam sufficienter ad altius aliquod munus, ad quod ordinatur. Sic B. Stephanus & alij quidam, Actor. 6.& 11. dicuntur gratiâ pleni, sed supra omnes, Beatissima Deipara, Luc. 1. utpote habens illam suffi-



sufficienter ad statum sublimissimum, qui est esse A Matrem Dei.

Tertius ex parte gratiæ, quando habetur in tantâ excellentiâ & virtute, quanta secundùm potentiam ordinariam potest haberi; & hic modus est Christo proprius.

Quod Ioan.1. dicitur, *plenum gratiæ & veritatis*, tam à S.Thom. quàm à Sanctis Patribus, communiter de Christo intelligitur. Nec obstat, quod in Græco sit (plenus) in masculino & nominativo: nam & vocabulum λόγος cui respondet, etiam est masculinum; & illud *plenum gratiæ & veritatis*, potest non referri ad verbum (vidimus) sed ad præcedentia; hoc modo: Verbum caro factum B est, & habitavit in nobis plenum gratiæ & veritatis; quæ autem intercedunt, includantur parenthesi, prout habent Biblia Lovanienfia & Missale Romanum. Ideoque non sunt sequendi Erasm. in Annot. & Cajet. qui puncto facto post (*à Patre*) & eo sublato post (*veritatis*;) sermonem de Ioanne incipiunt ab eo: Plenus gratiæ & veritatis Ioannes, &c.

## Articulus XI.

*Gratia unionis est infinita: gratia habitualis, finita.*

Art.11. Docet in Christo gratiam unionis esse infinitam; quia persona Verbi quæ per eam unionem communicatur humanitati, est infinita; gratiam verò habitualem finitam esse in ge- C nere entis, utpote creatam, & in subjecto creato existentem; quæ tamen in genere gratiæ seu gratificandi possit dici infinita, non quòd ipsâ Christi humanitatem facit gratam infinitè simpliciter: sed partim quia dignitatem quandam moralem infinitam habet ex infinitate suppositi, ratione cujus erat principium operis infiniti valoris, atque adeò iufinitè meritorij & satisfactorij: partim quia non limitatur, neque ad effectus, neque ad homines, quasi non possit ad plures extendi: partim quia habet totum quod pertinere potest ad rationem gratiæ. Per eam enim humanitas perficitur non solùm quantum ad omnes virtutes, sed etiâ quantum ad omnes usus virtutum: & quantum ad om- D nes effectus gratiæ gratis datæ: & iterùm, ad omnis peccati remotionem, non solùm actualis, sed etiam originalis, & potentiæ peccandi: & sic omnia ad quæ ratio hujus speciei, quæ est gratia, potest extendi, continentur in gratiâ Christi. Vide B.Thom. in 3.d.13.q.1.ar.2.q.29. de verit.ar.3. & lect.6. super cap.3. Ioan.

*Gratia habet, Christi ut sit infinita.*

*Ob.* Dices, gratia Christi non se extendit ad Angelos: ergo est limitata quantum ad eos ad quos extenditur. Resp. Neg. Conseq. si loquamur de gratiâ Christi quantum ad sufficientiam: quia erat de se sufficiens, ut ipse per eâ merereturAngelis gratiam & gloriam, ac etiam ut mereretur alios effectus possibiles, si ita voluisset. Si autem loquamur E de gratiâ secundùm actualem efficaciam, non videtur negandum quod sit limitata, cùm non extendatur actu, efficaciter & actualiter ad omnes.

*Resp.*

*Ob.* Dices præterea, Scientia Christi nõ est infinitæ dignitatis ex eo quod sit in anima Verbo divino unita: ergo nec ejus gratia. Resp. Neg. C. quia infinitudo personæ non redundat per se in dignitatem scientiæ, quia est habitus speculativus: sicut etiam non redundat per se in dignitatem albedinis, sed concomitanter & quasi per accidens se habet ad illam: At in dignitatem gratiæ per se redundat, cùm gratiæ per se conveniat facere gratum.

*Resp.*

*Sylv. in III.Part.*

In Resp. ad 1. ad ista verba Ioan.3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, addit Filio, explicationis gratiâ: quamvis enim nonnulli putent id non de Christo dici: communior tamen expositio, de illo dictum intelligit. Ita Aug. Chrys. Cyril. Rupert. super Ioan. Nazianzenus orat.36. Bonav. & alij in 3.d.13.

*Gratia Christi est ejusdem speciei cum nostra.*

Circa Resp. ad 3. est observandum gratiam habitualem Christi ejusdem esse speciei cum nostrâ, sed diversæ rationis. Deum enim sub eadem ratione respicit, & animam Christi formaliter gratificat: sed est instar virtutis universalis, cùm nostra sit particularis: habetque perfectionem alterius rationis in esse morali quæ desumitur ex infinitate suppositi, ratione cujus erat dignitatis infinitæ. Atque hoc sufficit, ut quantumcumque puræ alicujus creaturæ gratia crescat, pertingere tamen non possit ad æqualitatem gratiæ Christi: quod enim finitum possit per continuum augmentum pertingere ad quantumcumque finitum, veritatem habet, si accipiatur eadem ratio quantitatis in utroque: hic autem invenitur diversa ratio. Vide prædictum art.3. q.29. de verit. ubi etiam addit quod charitas vitæ non possit adæquari charitati patriæ: quia aliquis afficitur aliter ad præsentia, & aliter ad absentia.

*Quæst. Resp.*

Quæri potest, an charitas Christi possit dici infinita, sicut ejus gratia. Resp. posse: quoniam sicut ejus gratia secundùm esse physicum, & secundùm suam rationem genericam seu specificam est finita solumque habet infinitam dignitatem moralem ex conjunctione ad suppositum divinũ: adeò ut si suppositum illud humanitatem desereret, gratia ipsi inhærens nequaquã esset infinita: ita charitas Christi finita quidem est secundùm suam rationem genericam seu specificam in esse physico, sed moralem dignitatem infinitam participat à divino supposito, ratione cujus est principium meriti, & satisfactionis infinitæ, quemadmodum explicat Alvares disp.34.

## Articulus XII.

*Gratia Christi non potuit augeri.*

Art.12. Docet gratiam Christi non potuisse augeri. Non ex parte gratiæ; quia pertingebat ad summum, quandoquidem ordinaretur ad finem excellentissimum: mensura autem formæ sumatur ex ordine ad finem. Neque ex parte subjecti: quia Christus ab initio conceptionis erat beatus.

Atque hæc de potentiâ Dei ordinariâ intelligimus: cùm enim nulla sit repugnantia, sive ex parte subjecti, sive ex parte gratiæ: putamus quòd per absolutam Dei potentiam augeri possit sine fine & termino: conformiter ijs quæ habentur quæst.10. articul.4. ad 3. & quæ de charitate dicit in 1. distinctione 17. quæstione 2. articulo 4. & 2.2. quæst.24.artic.7. Neque tamen sequitur Deum posse facere meliorem Christum: quia Christus habet ex alio bonitatem, scilicet ex unione ad Verbum: ex quâ parte ejus bonitas major intelligi non potest, ait Author ad 6. ar.3. qu.29. de veritate.

In Resp. ad 3. Verba Lucæ 2. quibus de Christo dicitur, quod *proficiebat sapientia, & ætate, & gratiâ*: explicantur de profectu vero, non quidem secundùm habitum, sed secundùm effectum. Licet enim habitus gratiæ & sapientiæ ab initio conceptionis infusus, nullum acceperit incrementum: ab eo tamen, per accessum ætatis, majora

Universidad de Deusto
Biblioteca



subinde opera gratiæ & sapientiæ procedebant, majora (inquam) secundùm rei veritatem; ideoque non tantum coram hominibus, sed etiam ante Deum: per hoc autem etiam fiebat, ut habitus qui reveta non crescebat, hominum opinione cresceret. Eandem expositionem tradens Cyrill. Alex. l. de Incar. Unigeniti, c. 12. ita scribit, *Et si dicatur proficere* JESUS *ætate, & sapientia & gratia: dispensationis hic ratio est. Deus enim Verbum humanitatem more suo proficere permittebat, & quasi paulatim divinitatis suæ volebat gratiam declarare, & cum corporis ætate, etiam sua extendere.* Confer. q. 11. art. 2. & vide Damasc. in orat. *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*, & l. 3. de Fide: c. 22. Hieron. super c. 31. Hier. Bern. ser. 3. super Missus, & Ansel. l. 1. Cur Deus-homo, c. 9.

Quod autem ex Ambr. solet objici, intelligendum esse de scientia acquisita docet Author in 3. d. 14. & infra q. 12. art. 2.

### Articulus XIII.

*Gratia unionis est natura prior quâ gratia habitualis.*

Art. 13. probat gratiam unionis non sequi, sed esse priorem gratia habituali, non tempore, sed natura & secundùm ordinem intelligendi: quia principium gratiæ habitualis est Spiritus Sanctus, qui secundùm hoc dicitur mitti, quòd per gratiam inhabitat: Missio autem Filij secundùm Incarnationem est prior missione Spiritûs Sancti per gratiam.

Deinde, quia in humanitate Christi gratia causatur ex præsentia Verbi divini eam ad se assumentis in unitatem suppositi.

Cum hujus art. doctrina conferatur q. 6. art. 6.

In fine Resp. ad 2. affirmat gratiam habitualem esse quodammodo Christo-homini naturalem: primò, quia ad modum proprietatum naturalium consequitur suum subjectum inseparabiliter: secundò, quia causatur ex altera suarum naturarum, scilicet ex divina, ut loquitur in 3. d. 4. q. 3. art. 2.

## QUÆSTIO VIII.

*De gratia Christi secundùm quod est Caput Ecclesiæ.*

### Articulus I.

*Christus ut homo est caput Ecclesiæ.*

Art. 1. docet Christum ut hominem esse caput Ecclesiæ ita, scil. ut dignitas capitis insit humanitati, ipsique per eam exequatur officium capitis. Caput intelligitur mysticum, secundùm similitudinem capitis humani, quod alijs membris eminet his tribus, ordine perfectione, & causalitate seu influentia.

*Quid hic Ecclesia.*

Ecclesia hoc loco, si non solum præsens, sed etiam quattus articulus consideretur, intelligitur cœtus hominum & Angelorum, partim militans, partim triumphans. Nam *corpus Ecclesiæ mysticum* quod est multitudo in finem divinæ fruitionis ordinata, *non solùm constitit ex hominibus, sed etiam ex Angelis. Totius autem hujus multitudinis Christus est caput*, inquit art. 4.

*Christus est caput Ecclesiæ constantis ex hominibus.*

Et quidem Christum ut hominem, esse caput Angelorum, art. 4. videbitur. Esse autem caput Ecclesiæ constantis ex hominibus, fide certum est: *Ipsum* (ait Apost. ad Ephes. 1.) *Dedit caput supra omnem Ecclesiam*: ubi loquitur, & de Christo ut homine (quandoquidem non sit suscitatus à mortuis nisi ut homo; præcedat autem, *suscitans eum à mortuis*,) & ut minimum de Ecclesia, prout completitur homines, ad quos liberandos venit. Et rursum c. 5. dicit. *Christus caput est Ecclesiæ*: Et ad Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*, nimirum *ob dispensationem corporis*, ait Hilar. l. 8. de Trin. & *secundùm formam servi*, ait Aug. 1. de Trin. c. 12. undè ad Ephes. 1. prioris ad Cor. 6. & alibi, nos & corpora nostra dicimur esse membra Christi. Confirmatur, quia Christus, & est ejusdem naturæ secundùm speciem cùm cæteris hominibus, & omnes homines ordine dignitatis, perfectione gratiarum & virtute seu causalitate præcellit.

*Ob. Resp. Christus non est propriè membrũ Eccles.*

Dices, si Christus est caput Ecclesiæ; ergo est membrum. Resp. quamvis hoc sequatur in naturalibus; in metaphoricis tamen non est necessarium: undè nec sequitur, Christus est agnus, ergo est brutum: quia in locutionibus metaphoricis aliquid pertinens ad metaphoram explicatur in vocabulo inferioris, quod non explicatur in vocabulo superioris. Hinc Author licet in c. 12. prioris ad Cor. & q. 29. de ver. ar. 4. ad 6. dixerit Christum esse membrum Ecclesiæ; negat tamen in 3. d. 13. q. 2. ar. 1. ad 6. Cùm enim ibi solum consideraret, esse unitum corpori; hic etiam partis imperfectionem & à toto dependentiam, consideravit. *In nomine membri*, inquit; *importatur partialitas quæ repugnat rationi primæ originis &c. Et ideò Christus non potest dici membrum, quia non recipit ab aliquo alio influentiam.*

Nec obstat illud, 1. ad Cor. 12. *Vos estis corpus Christi & membra de membro.* Vel enim sensus est, quòd sint membra ad invicem connexa; vel potius, quòd sint aliqua pars membrorum corporis Christi; juxta quod in multis Græcis habetur, *& membra ex parte.*

In resp. ad 3. observandum est, hanc conditionem capitis naturalis, quæ est, recipere vitalem influentiam à corde, tanquam à membro: non convenire Christo, qui nihil à suis membris accipit. Cordi autem animalis intus latenti assimilatur Spiritus S. secundum id quod ei appropriatur, nimirum occultè vivificare, & unire membra Ecclesiæ. Christus autem propriè assimilatur capiti, propter visibilem naturam & manifestiores etiam proprietates capitis.

### Articulus II.

*Christus etiam secundùm corpus est caput hominum.*

Art. 2. Docet Christum non solùm secundùm animam, sed etiam secundùm corpus esse caput hominum, & quantum ad animas, & quantum ad corpora.

Prius quidem, quia tota Christi humanitas est instrumentum divinitati conjunctum, operans nostram salutem, operaque nobis salutaria.

Posterius autem, quia per causalitatem & influentiam facit nostra corpora nunc esse arma, seu instrumenta justitiæ: in patria verò influet eis immortalitatem & cæteras gloriæ dotes. Hinc 1. ad Cor. 6. Apostolus corpora nostra vocat membra Christi. An autem Christus physicè influat: partim q. 13. dicetur: partim haberi potest ex Resp. ad 1. art. superioris. ubi *Christi humanitas* dicitur fuisse *instrumentum veritatis*: & actiones ipsius dicuntur ex virtute divinitatis fuisse nobis salutiferæ, *ut potè gratiam in nobis causantes, & per meritum, & per efficientiam quandam.*

Arti-



### Articulus III.

*Christus est caput omnium hominũ.*

Art. 3. Declarat Christum esse caput omnium hominum; quorundam actu; aliorum potentiâ; quorumdam semper; aliorum ad tempus quo peregrinantur; quia tam diu recipiunt; vel secundùm legem ordinariam recipere possunt aliquem influxum à Christo.

Pro verbis Apostoli ad Ephes. 5. quæ in Responsione ad 2. explicantur de Ecclesia qualis erit in futuro, videndus est August. Epist. 57. libr. de perfectione justitiæ, capite 18. & libr. 2. Retract. capite. 18. *Vbicumq;* (inquit) *commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum quasi jam sit, sed quia præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa.* Huic expositioni consonat alius Apostoli locus 2. ad Corinth. 11. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ubi tempus virginis desponsatæ distinguit à tempore ejusdem exhibendæ; tanquam adhuc futuro. Sic enim & hoc ad Ephes. loco tempora distinguere videtur: quasi diceret nunc mundat per Baptismum, ut aliquando exhibeat gloriosam & immaculatam; omni macula ruga & deformitate carentem. Si quis tamen Apostolum cap. 5. ad Ephes. interpretari velit de Ecclesia qualis nunc est, secundùm quod in

*Ecclesia quatenùs sit etiam in hoc sæculo sine macula.*

Concilio Tolet. 6. c. 1. dicitur, *Credimus Ecclesiam Catholicam sine macula, & ruga*: non propterea consequens erit, vel Ecclesiam solis justis constare, vel justos posse hîc absque peccatis etiam levibus vivere: Intelligi enim potest Ecclesia præsentis temporis esse sine macula & ruga, non quod omni prorsus macula careat, sed quod in præstantioribus suis membris nullam habeat ejusmodi maculam, â qua simpliciter quis appellari possit maculosus. Tales enim solæ sunt maculæ peccatorum mortalium. Vide Estium in Comment. in hunc sensum ita scribit Aug. l. de perfe. just. c. 9. *Ingredi sine macula non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.*

*Mali Christiani sunt membra Ecclesiæ.*

Ex ijs quæ in eadem Responsione dicuntur, non sequitur malos Christianos solum esse potentialiter membra Christi: constat enim ex verbis in corpore positis, quòd per fidem actu uniantur Christo, à quo proinde recipiunt quemdam actum vitæ, qui est credere, ut in ista ad 2. Responsione dicitur: & propterea sunt membra secundùm essentiam, quamvis non secundùm perfectionem. Cùm ergo dicit, *Qui subduntur peccatis mortalibus non sunt membra Christi actualiter* solùm negat eos esse membra, per actualem unionem charitatis, ut ex præcedentibus patet. Quapropter etsi mali Fideles non sint perfecta, imò nec viva, sunt tamen vera membra Ecclesiæ: quia membrum corporis mystici non ab eodem habet esse verum, & esse vivum. Prius habet à fide, posterius à Charitate. Undè Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. non negat fidem dum sine charitate est, aliquo modo unire cum Christo & efficere membrum corporis ejus, sed tantum dicit quod *neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.*

### Articulus IV.

*Christus est caput Angelorũ.*

Art. 4. docet Christum, etiam ut hominem esse caput Angelorum. Quæ doctrina est communis Scholasticorum in 3 distinctione 13. & fundatur in Scriptura quæ ad Coloss. 2. dicit Christum *esse caput omnis principatus & potestatis.* Et ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Si dicas in Græco haberi, super omnia Ecclesiæ: *Obj.* Resp. idem significari, scilicet quod Deus dederit Ecclesiæ Christum, ut esset super omnia, sive omnibus præpositus: ita ut nec Angelum, nec Archangelum, nec alium quemquam superiorem esse reliquerit, ut interpretatur Chrysost.

*Obj.*

Nec obstant ejusdem Chrysostomi verba homilia 1. in dictum caput ad Ephes. quibus indicare videtur Christum ut hominem esse caput hominum: Angelorum verò non nisi ut Deum: Ibi enim spectavit in capite conformitatem naturæ cum membris; quo pacto Christus non est caput Angelorum, quia *nusquam Angelos apprehendit.* *Resp.* *Hebr. 2.*

Quia tamen hæc conformitas in natura speciei non omnino est necessaria ad rationem capitis mystici, ut hîc, & quæstione 29. de veritate; art. 4. declarat Author: ideò post August. concione 3. in Psalm. 26. simpliciter est affirmandum, quod Christus ut homo sit caput Angelorum.

Et confirmatur, nam conditiones capitis articulo 1. recitatæ, ei conveniunt, præminet enim Angelis ordine dignitatis, ut probat Apostolus ad Hebr. 1. & perfectione gratiæ, qua omnibus antecellit; & influentia: *Christus* enim, *secundum quod homo, Angelos illuminat & eis influit*, ait Author super cap. 1. ad Ephes. citans Dionys. ex c. 7. cœlest. hierarch. *Christus influit in Angelos.*

Ex quibus cum Resp. ad 5. dicti art. de verit. collatis patet influentiam de qua hoc art. loquitur, esse illuminationis & cognitionis: Addi potest, præceptionis & directionis in fines Ecclesiæ suæ convenientes.

His conformiter scribens S. Bonav. in 3. d. 13. q. ult. Ex hoc eodem (inquit) Angelis mysteria multa revelantur, & gaudia multa referuntur de restauratione sua quæ invenitur facta per Christum. Et ideò *etiam ipsi accipiunt & motum & sensum; non inquam illum qui est de essentia gratiæ & gloriæ; sed qui est de bene esse & perfectione.* Concedendum est ergo quod gratia capitis redundat in omnes cives supernæ Jerusalem, licet secundùm plus & minus.

Ad hanc autem influentiam quæ dicta est, operatur tota Christi humanitas, non anima tantum, sed etiam corpus, propter mirabilem ad Verbum unionem, cujus est instrumentum.

Ad eandem capitis rationem ostendendam, pertinet quod Ecclesia triumphans est unum corpus mysticum, non tantùm constans ex hominibus, sed etiam ex Angelis, Cùm ergo Christus ut homo sit caput totius istius corporis mystici, consequens est quod sit caput non solùm hominum, sed etiam Angelorum.

Accedit quod Angeli ministrant ac obediunt Christo homini, quodque ab eo sint judicandi; q. 59. art. 6. Difficultas autem est.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*An gratiam & gloriam acceperint intuitu meritorum Christi.*

VIDETUR quod sic. quia *Deus proposuit in Christo instaurare omnia, & quæ in cælis & quæ in terra sunt*, ut c.1. ad Eph. dicitur.

SECUNDÒ, Per eum *reconciliavit omnia, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*, ad Colos. 1.

TERTIÒ, Legimus cap. 12. Apocal. Angelos viciſſe in ſanguine agni: ergo gratiam acceperunt ex meritis Chriſti.

QUARTÒ, Crux Salvatoris non ſolùm ea quæ in terra, ſed etiam ea quæ in cælis erant, purgaſſe dicitur, ait *S.* Hieron. in cap. 1. ad Eph.

QUINTÒ, Omnes tam Angeli quam homines de plenitudine Chriſti acceperunt, teſte B. Tho. ſect. 10. in c.1. Joannis.

SEXTÒ. Bern. ſerm. 22. in Cant. vocat Chriſtum Redemptorem Angelorum. Quò pertinet, quòd ab initio habuerunt fidem Incarnationis, 1. p. quæſt. 57. art. 5. ad 1.

SEPTIMÒ, Gregor. l. 1. c. 2. in 1. lib. Regum, ad illa verba, *non eſt alius extra te*; ſubauditur (inquit) Sanctus, quia nullus hominum neque Angelorum Sanctus eſt, niſi per Chriſtum.

DENIQUE id videtur ſignificare Eccleſia, dum canit quòd Angeli divinam majeſtatem laudant per Chriſtum.

RESPONSIO tamen VERIOR EST, Angelos non accepiſſe gratiam aut gloriam ex intuitu meritorum Chriſti.

*Angeli nõ receperũt gratiam ex meritis Chriſti.*

PRIMÒ, quia tam Scripturæ quàm Patres non aliam adferunt cauſam Incarnationis Chriſti, quã liberationem & redemptionem humani generis, ut q. ar. 3. vidimus. Hinc illud Symboli, *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cælis.* Si verò Angeli gratiam adepti ſunt, eamque conſervantes, gloriam acceperunt ex meritis Chriſti, tunc tam propter Angelos veniſſet, quàm propter homines.

SECUNDÒ, Si Angeli acceperunt gratiam & gloriam ex meritis Chriſti, ergo pro illis paſſus & mortuus eſt; quandoquidem nulla ſit ratio quare Angelis valerent merita antecedentia paſſionem & mortem, & non meritum ipſius paſſionis & mortis.

TERTIÒ, Angeli Lucæ 2. annunciant quòd natus eſt nobis (ſcil. hominibus) Salvator: ſi verò per ejuſdem merita ſalvati ſunt etiam ipſi, debuiſſent non hominum tantum, ſed & ſuum Salvatorem confiteri, ut agnoſcerent beneficium acceptũ. Eodem pertinet quod Iſai. 9. dicatur *nobis datus.*

QUARTO, Chriſtus qui ſanctificat ejuſdem eſt naturæ cum illis qui ſanctificantur: undè eos fratres vocat; & Apoſtolus appellat pueros carni & ſanguini communicantes, ad Hebr. 2. tales autem non ſunt Angeli.

QUINTÒ, Aug. c. 61. Ench. dicit Chriſtum non eſſe mortuum pro Angelis: & Bern. ſer. Feriæ 4. Hebdomadæ ſanctæ affirmat Chriſti Paſſionem nec Angelo datam nec Diabolo; ſed ſoli homini; conformiter Apoſtolo 2. ad Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt.* Angeli autem non ſunt mortui; ergo nec pro illis Chriſtus mortuus eſt. Neq; ſatisfacit reſponſio dicentium quod meritum mortis Chriſti extendatur ad Angelos pro quibus tamen ipſe non poteſt dici mortuus, eò quòd non aſſumpſerit mortem, propter illos; quo modo nec propter ſeipſum mortuus eſt, etiamſi per mortem ſibi meruerit: Sibi enim non promeruit eſſentialia: gratiam & gloriam, ſicut diceretur Angelis meruiſſe.

Sententiam Hanc B. Thomas clare aſſerit in 2. d. 9. ar. 8. ad 2. Ubi docet noſtra merita habere efficacia ex merito Chriſti, non merita Angelorum; Et in 3. d. 13. q. 2. ar. 2. dicens Chriſtum *non influere Angelis merendo gratiam, aut orando pro eis, ſed in his quæ ad actus Hierarchicos pertinent.* Et q. 29. ver. ar. 7. ad 5. *Angeli* (inquit) *non ſunt viatores quantum ad præmium eſſentiale; & ideò quantum ad hoc nihil eis meruit: Sunt autem aliquo modo viatores, reſpectu præmij accidentalis in quantum nobis miniſtrant, ad quod valet eis meritum Chriſti.*

Eodem pertinet quod cum articulo 9. q. 7. dixerit animæ Chriſti datam eſſe gratiam tanquam univerſali principio in genere habentium gratiam: art. 11. limitat addens, *in humana natura*: & q. 59. artic. 6. affirmat Chriſtum Angelos judicaturum quoad præmium accidentale, non quoad eſſentiale.

Si Dicas, hoc ideo eſſe, quia judicium iſtud conſummatum fuit ante Incarnationem: contrà, ergo in iſto judicio non acceperunt gloriam per merita Chriſti, quia non magis debuiſſent glorificari ante Chriſtum quam Patres Veteris Teſtamenti.

Eadem eſt Bonav. ſententia: nam in 3. d. 10. art. 2. q. 2. dicit Angelos non eſſe filios mediantibus meritis Chriſti hominis. Et d. 13. *Etiam ipſi accipiunt motum & ſenſum, non illum qui eſt de eſſentia gratiæ & gloriæ, ſed qui eſt de bene eſſe* Eandem quoque ſententiam ſequuntur Alvares diſp. 40. Vaſquez. diſp. 49. Nazarius & alij plures ab eis citati.

AD 1. ergo Arg. RESP. ſenſum Apoſtoli eſſe quod Deus Pater propoſuerit *inſtaurare*, ſive (ut Hieron. vertendum dicit) recapitulare, id eſt, ad unum caput revocare. *omnia quæ in cælis ſunt, & quæ in terra*, hoc eſt, Angelos & homines, qui per peccatum erant diviſi; quia illos conjunxit, & in uno capite Chriſto univit.

AD 2. juxta Aug. c. 61. Ench. ſignificatur quòd cœleſtia pacificentur terrenis per Chriſtum, quia homines reconciliantur Angelis, dum inimicitiæ quas peccatum fecerat, ſolvuntur, & Angelorum ruinæ reparantur.

AD 3. RESP. Neg. Antec. Quod enim Apoc. 12. legitur: *Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni*, non de Angelis dicitur, ſed de hominibus quos diabolus accuſabat, & qui animas ſuas oderunt uſque ad mortem, quemadmodum contextus indicat. Prælium quoque de quo illic ſermo eſt, non eſt illud quod contigit initio mundi, quando diabolus & Angeli ejus ejecti ſunt de cœlo, ut Eſtius bene probat, ſed quod in Eccleſiâ (quæ frequenter cœlum dicitur) vel futurum eſt extremis temporibus, ut Ribera oſtendit ex S. Greg. hom. 34. in Evang. & ex Aretha in Apoc. vel factum eſt Chriſto pro nobis moriente, ut Eſtius & Alcaſar volunt.

AD 4. Hieronymus id non dicit aſſertivè, ſed aliorum opinionem referens; undè ſtatim ſubjungit aliam expoſitionem, eamque confirmat varijs locis Scripturarum. Et ſimiliter quæ poſſent ex Commentario in cap. 2. objici, recitativè proferuntur ab eo, ſive ex Origine, ſive ex alijs ſecundùm quod in præfatione præmonuit ſe illos ſecutum. Hinc eſt *eſt quod* eorundem ſententiam referens *in* cap. 4. dicat Angelum refugam id fore quod



quod creatus eſt; ex ſua ſententiâ id nequaquam dicturus.

AD 5. B. Thomas ibi non explicat quid Angeli acceperint de plenitudine Chriſti: ſed in 2. & 3. ſent. affirmat non eſſe gratiam.

AD 6. Bernardus generaliter loquitur de redemptione, quatenus etiam comprehendit præſervationem à captivitate. *Qui* (inquit) *erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur; ſic illum de captivitate eruens, ſicut hunc à captivitate defendens. Et hâc ratione fuit æquè utrique redemptio, ſolvens illum & ſervans iſtum.* Vult autem Bernardus oſtendere eundem Chriſtum Dominum eſſe & liberatorem hominum, & Salvatorem Angelorum; quamvis non ſecundùm eandem naturam, Unde ſermone 1. de Circumciſione: *Idem* (inquit) *& Angeli Salvator & hominũ: ſed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Eodem etiam illo ſermone 22. in Cant. non dicit Chriſtum eſſe factum Angelis Redemptorem, juſtitiam, ſanctificationem; ſed fuiſſe ſcilicet ſecundùm naturam divinam; hæc autem ipſa eſſe factum propter homines, *quoniam quod erat Angelis, factus eſt & nobis.*

*Chriſtus ut Deus eſt Salvator Angelorum, etiam ut homo hominum.*

AD Confirmationem RESP. non eſſe neceſſe quòd fides Incarnationis data ſit Angelis, ex merito Chriſti; uti & de Adam diximus ar. 3. q. 1.

AD 7. Gregor. loquitur de Chriſto ſecundùm divinitatem. AD POSTREM. RESP. quod Angeli dicuntur majeſtatem divinam laudare per Chriſtum, ſive quia per eum acceperunt clariorem notitiam quorundam myſteriorum; ſive quia per illum reparantur eorum ruinæ; & gaudent de redemptione hominum.

Pro Reſponſione ad 3. videndus eſt Author lect. 5. ſuper cap. 5. Joannis, ubi verba Aug. clariùs explicans dicit eum loqui de cauſa exemplari, quâ quod vivificatur, conformatur vivificanti: Anima verò dum à peccato ſuſcitatur, non conformatur carni Chriſti, ſicut corpus quod ſuſcitatur à morte; ſed Verbo: & ideò dicit Aug. quod Verbum, ut Deus, vivificat animas; ut caro factum, corpora.

## ARTICULUS V.

*Quid ſit gratia capitis.*

ART. 5. Oſtendit gratiam capitis in Chriſto eſſe eandem ſecundùm ſubſtantiam cum gratiâ perſonali ſive habituali quæ eſt in ejus animâ; differt tamen ſecundum rationem: gratiam verò unionis non eſſe eandem; hæc enim vel intelligitur actio unitiva ſive unio actualis, ut in Reſp. ad 3. vel ipſum eſſe perſonale. Sicut tamen gratia habitualis modo quodam dici poteſt gratia unionis, capitis, & perſonalis; unionis, ut eam conſequens, & ut ad eam congrua: capitis, ut quæ redundet in alios: perſonalis, ut quæ perficiat animam Chriſti: ſic gratia capitis quâdam ratione poteſt dici eſſe gratia unionis, quatenus ſcilicet unio ad Verbum eſt origo gratiæ in alios refundendæ, & principium dans vim & efficaciam operandi pro membris. Eam tamen Auctor non ſic vocat, quia gratia unionis non eſt principium proximum operandi & pro alijs merendi, ſicut gratia & virtutes quæ ſint in animâ ejusque potentijs: hîc autem eſt ſermo de gratiâ quâ Chriſtus tanquam caput operetur pro membris.

## ARTICULUS VI.

*Eſſe caput Eccleſiæ proprium eſt Chriſto.*

ART. 6. probat quod eſſe caput Eccleſiæ ſit proprium Chriſto: quia cùm capitis ſit influere in membra, ſolus ipſe influit non ſolùm quoad exteriorem gubernationem, ſed etiam interius. Alijs autem convenire poteſt eſſe caput, ſed ſolùm, quoad exteriorem gubernationem; idque differenter à Chriſto: Nam illi gerunt vicem Chriſti, & ſunt capita ſecundùm determinatum locum, populum, tempus; Chriſtus verò propriâ authoritate caput eſt omnium, pro omni loco, & tempore.

Dices, miniſtri Sacramentorum cauſant gratiam, tanquam inſtrumenta: ergo gratiæ influxus non eſt proprius Chriſto. *Ob.*

RESP. negando conſequentiam, quia ſolus Chriſtus ratione latentis in ſe virtutis poteſt alios juſtificare, & gratiam influere; Cæteri verò ſolùm gratiam conferunt, quatenus adminiſtrant ſacramenta, quæ habent vim conferendi illam; non habent autem ipſi vim inſitam ſibi, qualem habet Chriſti humanitas ex conjunctione ad divinitatẽ. *Reſp.*

Circa Reſponſionem ad 3. contra Sectarios eſt obſervandũ duplex Eccleſiæ fundamentum: unum primarium, quod ſpiritum ſubminiſtrat, & propriâ ſuâ virtute ſtructuram Eccleſiæ ſuſtinet, ac intus operatur, roburq; & incrementum tribuit. Atque hoc ſoli Chriſto proprium eſt, qui primus eſt Eccleſiæ fundator & ædificator. Alterum fundamentum eſt ſecundarium, & miniſteriale, cui ſpiritus à primo fundamento ſubminiſtratur, & virtute ab illo acceptâ, Eccleſiam ſtabilem tenet. *Duplex fundamentum Eccleſiæ.*

Sic Apoſtoli, Epiſcopi, ac ſpecialiter Romanus capita ſunt & fundamenta Eccleſiæ. Quædam tamen ſunt omnia Chriſto propria, ut eſſe ſummum lapidem angularem, eſſe oſtium: Ipſe enim ſolus eſt qui populum Gentilem & Judæum, in ſeipſo adunavit; ipſe ſolus, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. Ad Eph. 2. Ipſe ſolus per cujus fidem omnes omninò tam paſtores quam oves intrant in ovile Eccleſiæ. Atque hoc eſt quod dicit Author, in oſtio importati principalem authoritatem.

## ARTICULUS VII.

*Diabolus eſt omnium malorum caput.*

ART. 7. oſtendit Diabolum qui & Lucifer, & princeps dæmoniorum dicitur, eſſe caput omnium malorum quoad exteriorem gubernationem. Præterquam enim quod omnes ſuperat in malitiâ; etiam gubernat omnes in malo, dum eos inducere volens ad peccatum, conatur trahere in ſuum finem, qui eſt averſio à Deo ſub ſpecie libertatis. Neque verò ſimiliter poteſt dici Adamus eſſe caput malorum, ex eo quod ſit initium peccati originalis; quia neque in malitiâ ſuperavit malos, neque ex ejus intentione directa communicatur alijs peccatum originale, neque voluit poſteros in malum finem ducere & gubernare.

*Diabolus non influit malitiam.*

In Reſponſione ad 1. B. Tho. negat Diabolum influere malitiam, interius eam vi ſuâ immediatè indendo; quomodo Chriſtus, bonitatem influit; quod & ex 1. 2. q 80 ar. 1. notum eſt. Sed cum ibidem ar. 2. exponat Diabolum ad mala tentare, non ſolùm exterius, ſed etiã interius inſtigando: ſciendum eſt quod omnes inſtigationes, ſuggeſtiones, ſuaſiones, hîc in corpore pertinere velit ad gubernationem

Universidad de Deusto
Biblioteca



nationem exteriorem; non enim exteriorem gubernationem Diaboli solam eam intelligit, quæ est visibilis ( qualis est Principum & Prælatorum Reipublicæ , cui ipsam comparat ) sed illam omnem quæ est extra essentiam animæ & voluntatis, in quam non potest illabi. A

In Resp. ad 2. nota , quod cum non omnia peccata fiant diabolo suggerente, vel tentante, ut 1.p.q. 114.ar.3.& 1.2 q.80. ar.4.docetur : omnium tamen peccantium & malorum diabolus sit caput, quia ipse primus omnium peccavit,& peccatum suum velut signum alijs omnibus sequendum proposuit. Ad caput verò & gubernationem sufficit, si alios in suum finem adducat uno istorum modorum : vel suasione, imitatione, proposito scilicet exemplo quod cæteri imitentur. Unde ad impios Judæos Joan. 8. dicitur *Vos ex patre diabolo estis & desideria patris vestri vultis facere* : Et 1.Joan.3. *Qui facit peccatum ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat.* B

### Articulus VIII.

*Antichristus est omnium malorum caput.*

Art. 8. tradit Antichristum esse caput omnium malorum, non quoad ordinem temporis, aut vim influendi: sed quoad malitiæ perfectionem. Et cùm non sit improbabile quod non solùm homines, sed etiam dæmones diabolo inferiores vincet in malitiâ, quantum ad intensionem seu magnitudinem malitiæ, etsi non quoad rationem status ( Diabolus enim suam malitiam eminentiùs ei influit suggerendo plus quàm omnibus alijs, ut hic docet Author) intelligi potest esse caput omnium malorum tam dæmonum quàm hominum , excepto diabolo. C

## QUÆSTIO IX.

*De scientia Christi in communi.*

### Articulus I.

*In Christo est aliqua scientia.*

Art. 1. tribus rationibus probat in Christo præter scientiam increatam seu divinam , fuisse etiam creatam. Et quia non stricte loquitur de scientiâ , sed generaliter eam accipit pro quâcumque creatâ intellectus cognitione : hæc doctrina est fidei , quam Scripturæ confirmant, dum Christo tribuunt dona sapientiæ, scientiæ,& intellectus, Isa. 11.& plenitudinem gratiæ & veritatis , Joan. 1. Cùm enim gratia intelligatur creata ; veritas similiter intelligenda est : & Joa.8. dicit Christus de Patre, *Scio eum, & sermonem ejus servo* : atqui sermonem Patris servabat ut homo , per actiones creatas : ergo similiter eum cognoscebat. D

Hinc in Synodo damnata est positio negantium in Christo esse duas scientias vel duas sapientias, ait Author. Actione enim quarta dicit Pontifex , *Omnia duplicia unius , ejusdemq; Domini Salvatoris nostri* Jesu-Christi , *secundùm Evangelicam traditionem asserimus, id est duas ejus naturas prædicamus , divinam scilicet & humanam ; & unamquamque proprietatem naturalem habere confitemur ; & habere divina nomina quæ divina sunt , & humanam omnia quæ humana sunt , absque ullo peccato.* Si omnia sunt quoad naturas & proprietates duplicia : ergo est duplex scientia. Ac rursum , si natura humana habet omnia quæ humana sunt : ergo & humanam sive creatam scientiam ; nam sine hujusmodi scientia , non tantùm imperfecta esset anima Christi , sed etiam sequeretur Christum , vel non assumpsisse animam rationalem, utpotè quam necessariò sequitur potentia intellectiva ; vel frustra assumpsisse, cùm unaquæq; res sit propter suam operationem. Quamvis ergo prædicta Syn. præsertim contra Monothelitas unam Christi voluntatem dogmatizantes, loquatur; satis tamen etiam locuta intelligitur contra unius scientiæ assertores. Unde interdicta hæreticorum.act.4 recitantur verba cujusdam Theodotij asserentis , unam esse eamdemque Domini nostri Deo dignam sapientiam , & scientiam secundùm utrumque, id est, secundùm divinitatem & humanitatem. E

Contra hunc errorem videri potest Ambros. l. de Incarnatione, c.7.& B.Th.q. 20.de veritate , ar. 1.

Responsio ad 1.consistit in negatione Consequentiæ. Si enim Christus tantùm haberet scientiam increatam , esset quidem sapiens Deus , sed non sapiens homo, ait Author ejusdem quæst.20. art. 1. ad 7. cùm fieri non possit quòd anima Christi formaliter intelligat per increatam scientiam divinitatis.

*Anima Christi non potest formaliter intelligere per scientiam divinam.*

Primò, quia scientia increata est ipsa Dei essentia, quæ nulli est formaliter communicabilis.

Secundò , quia intelligere creaturæ est actus ejus immanens & vitalis : scientia autem increata non potest esse actus vitaliter procedens à creaturâ.

Tertiò , quia impossibile est propriam unius naturæ operationem, esse alterius. Vide in Synod. 6.action.4. Epist.Agathonis , Damasc.l.3. c.14. & Leonem Epist.10.& 97.

### Articulus II.

*Christus habuit scientiam beatorum*

Art.2.probat in Christo fuisse scientiam beatorum, quæ in Dei visione consistit quia cùm ipse sit alijs causa talis scientiæ, consequens est, ut cæteris perfectius eam habuerit : & ideò ab ipso suæ Incarnationis principio plenam Dei visionem possedit ; & quidem perfectiùs quam ullus alius beatorum, ut opusc.3.c.216.docet. Ex tunc enim fuit perfectus Deus & perfectus homo , plenus gratiæ & veritatis, Joan.1.vide q.34.ar.4.

In Responsione ad 1.docet unionem non esse factam in naturâ, quasi divinæ naturæ proprietates communicatæ sint naturæ humanæ ; sed cum unitate personæ, mansisse distinctionem naturarum ; & per consequens etiam proprietatem ipsarum: & ideò animam Christi, quæ est pars humanæ naturæ , indiguisse lumine gloriæ ad videndum Deum , quod conforme est definitioni Concilij Viennens.& ijs quæ 1.part.quæst.12.artic.5.docentur.

Ex his ad 2.solutionem est observandum quòd licet homo Christus fuerit beatus beatitudine increatâ, sicut fuit Deus; ipsa tamen natura humana non fuerit sic beata. Quia ergo beatitudo est suppositi ratione naturæ; Christus secundùm naturam humanam debuit esse beatus beatitudine creatâ.

### Articulus III.

*Christus habuit scientiam infusam.*

Art.3. Docet Christum habuisse scientiam inditam sive infusam, quàm alij vocant congenitam, quia enim decuit animam Christi ab initio



tio perfectam esse; oportuit eam reduci ad actum, secundùm potentiam quam habet ad intelligibilia, sive naturalia, sive supernaturalia; proindeque accipere rerum illarum scientiam infusam per species proportionatas & congenitas. Infusa autem per se, vocatur scientia illa quæ naturâ suâ supernaturalis est, non nata acquiri per humanam industriam. A

### Articulus IV.

*Vtrùm Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam.*

Videtur quod non. Primò , quia duo accidentia ejusdem speciei non possunt esse simul in eodem subjecto; sed scientiæ, infusa & acquisita sunt ejusdem speciei : ergo. Minor probatur, quia versantur circa idem objectum, & solùm differunt ex parte causæ efficientis. B

Secundò , etiamsi non ponatur in Christo hæc scientia, ejus intellectus agens non erit frustra: ergo saltem ex hac parte non bene concludit Author. Antecedens probatur, quia habebit alias operationes. Unde Beatorum intellectus non dicitur frustra , quamvis non abstrahant species neque Adami, quamvis haberet scientiam infusam.

Tertiò , Christus non didicit scientiam ab homine : ergo à nullo acquisivit.

Quartò , si poneretur in Christo scientia acquisita, esset valde imperfecta, quia nõ habuit experientiam omnium rerum neque omnia sensibilia fuerunt sensibus præsentia. C

Quintò , Virtutes morales, quæ dicuntur per se acquisitæ,& per accidens infusæ, fuerunt Christo per infusionem datæ ab initio conceptionis : ergo & intellectuales, quæ sunt digniores.

Sextò, Actus melior est quam potentia : ergo Christus ab initio debuit habere scientiam acquisitam, & non esse in potentiâ ad illam.

*Christus habuit scientiam acquisitâ.*

His tamen non obstantibus , probabilius est Christum & habuisse scientiam acquisitam sive experimentalem, quæ est habitus acquisibilis per experientiam & vires intellectus agentis, species à rebus abstrahentis; & acquisivisse illam modo naturali & ordinario. Ita hîc,& art.2. q.12. docet Author , retractans quod in 3. aliter docuerat ; eique consentiunt Cajet. Medina alij in 3.partem, Capreol.& Major in 3.d.14. idemque significat non solùm Apostolus ad Hebr.5. dicens, *quod didicit ex ijs quæ passus est obedientiam*; sed etiam Patres , Cyril. Alex. l.2.de rectâ fide ; *Præexistente*, inquit, *divinâ cognitione, etiam per ipsam experientiam voluit discere.* Richard.de S. Victore l.de Emanuele c.15. *Christus per experientiâ didicit, quod priùs per experientiam nescivit.* Ambr. l.de Incarnatione,c.7. *Sensus* , inquit , *proficiebat humanus.* D E

Hic accedit ratio. Prima , naturale est homini quod ministerio sensuum & phantasmatum intelligat , ut q 84.art.7.1.p. dictum est : ergo Christus sic intellexit, atque ita per sensum, experientiam habuit ; ex multis autem experientijs comparatur scientia.

Secunda , Beati præter scientiam beatam, habent etiam humanam, quam hic propriâ industriâ acquisierunt : ergo & Christus ; præsertim cùm modus per se acquirendi scientiam , potior sit modo per accidens.

Tertia, perfectius est habere omnes scientias, omnesque omnium scientiarum modos , juxta conditionem uniuscujusque scientiæ ; quam aliquo illorum carere : ergo id Christo tribuendũ est.

Ex quibus consequens est quod in Christo præter scientiam divinam fuerit triplex scientia scilicet beata, infusa,& acquisita.

*Scientiæ infusa & acquisita differunt specie.*

Ad 1. autem argumentum negatur Minor ; scientia enim per se infusa ( qualis est quam in Christo inditam aut congenitam vocant ) differt specie à scientiâ per se acquisitâ, ut 1.art.1.in fin. & 1.2.q.63.art.4. diximus, ideòq; non differunt solùm ex parte causæ efficientis, sed etiam ex objecto formali : nam objectum scientiæ per se acquisitæ est quidditas rei materialis à singularibus abstracta,& relucens in phantasmatibus ; objectũ verò scientiæ per se infusæ est quidditas rei non abstracta; nec dependens in sui cognitione à phãtasmatibus. Unde fit quod per illam directè solum universale materiale cognoscatur, non singulare, non Angeli, non supernaturalia : per hanc autem cognoscantur substantiæ universales & singulares , materiales & immateriales , earumque proprietates & accidentia , imò & mysteria supernaturalia, ut de Christo dicetur q.11.

Ad 2. Neg. Antec. quia si scientia quæ per se acquisita vocatur , eò quòd suâpte naturâ possit per humanam industriam comparari, non fuisset in Christo , nec per infusionem , nec per acquisitionem, intellectus agens nullam omninò habuisset operationem , quæ enim assignantur ejus officia , sunt respectu eorum objectorum quorum species sunt à sensibus desumptæ.

Si verò fuisset per infusionem , & non per acquisitionem; caruisset operatione propriâ & principali, quæ est abstrahere species à phantasmatibus ; & consequenter suo fine ; quia principalis operatio est finis potentiæ , reliquarumque operationum minus principalium.

Neque simile est vel de Sanctis, vel de Adamo: primùm, quia Sancti non sunt viatores; & eorum intellectus vel habuit principalem suam operationem , vel saltem est consecutus suum terminum. Secundò, quia cùm Adamus esset doctor quantum ad naturalia, conveniens erat eum statim habere omnium naturalium scientiam, quam tamen sine infusione non poterat statim habere : Christus autem est doctor quantum ad supernaturalia; & absque infusione scientiæ acquisitæ, habebat notitiam omnium, per scientiam beatam & infusam. Deinde , Adam non poterat intelligere sine conversione ad phantasmata sicut Christus; & sic erat ei necessaria operatio intellectus agentis, non autem Christo, si scientiam non acquisivisset. D

Ad 3. Neg. Cons. quia Christum doceri ab homine dicit imperfectionem , scilicet ejus intellectum ab homine reduci de potentia in actum, & ab eo determinari ad intelligendum : accipere autem species à rebus,& quantum ad hoc scientiam ejus acquisitam pendere ab illis; non est imperfectio ; quia intellectus ejus se ad illas determinabat potius quam determinaretur ab eis.

Ad 4. neganda est illa assumpt.ut q.12.videbitur art. 1. & 2.

Ad 5. Neg. C. quamvis enim virtutes intellectuales simpliciter seu in ratione specifica sint præstantiores; morales tamen præcellunt quoad rationem virtutis, ut patet ex q.66.art.3.in 1.2.quia faciunt habentem simpliciter bonum ; cùm intellectuales

Universidad de Deusto
Biblioteca



lectuales non faciant nisi secundùm quid: Christus autem erat ab initio, in termino perfectæ bonitatis. A

Deinde, virtutes morales serviunt ad moderandas passiones: decuit autem Christum ab initio suæ conceptionis sic se habere, ut passiones in eo nunquam exorbitarent: ergo fuit cõveniens quod illas virtutes haberet ab initio. De scientia verò experimentali non est talis ratio.

Ad 6. Antecedens verum est cæteris paribus & pro eo tempore quo actus debet inesse; non debebat autem scientia per se acquisita inesse actu ab initio conceptionis: cùm enim ipsa secundùm genus seu speciem suam pendeat à sensibus & phantasmatibus, quantum ad usum, nullus tunc B fuisset usus ipsius.

Sed neque cætera sunt paria, quia sic Christus carnisset modo per se acquirendi scientiam, cùm tamen per hoc non fuisset melior. Adde quòd hoc modo, id est, si ponatur etiam in eo scientia acquisita; clarius ostenditur convenire cum beatis, cum Angelis, cum hominibus; scil. per beatam, per inditam, & per acquisitam.

## QUÆSTIO X.

### *De scientiâ beatâ animæ Christi.*

### Articulus I.

*Anima Christi non comprehendit divinam essentiã.*

Art. 1. docet animam Christi non comprehendere Deum, quia Deus est infinitus, ipsa autem finita. Comprehensio hìc est adæquata & exacta rei cognitio, quâ sc. tantum ipsa cognoscitur quantum est cognoscibilis. Plura videantur 1.p.q.12. art.7.& 3. contra Gent.c.55. C

Circa resp. ad 1. adverte apud Isidor.l.1. de summo bono, c.3. sicut B.Th. ita & Scotum in 3. d.14.q.2. legisse, *Trinitas sibi soli nota est*, & *homini assumpto*. Connumerat autem Isid. hominem assumptum Trinitati; vel quia hominis illius anima, licet non comprehendat Trinitatem, plenè tamen cognoscit eam quantum fas est creaturæ cognoscere, scil. quantum ad omnia quocunque tempore futura: Vel, quia homo assumptus etiam comprehendit Trinitatem, non ratione naturæ humanæ, sed ratione divinæ, quemadmodum interpretatur B. Th. 3.d.14.q.1.art.2.qu.1.ad 1. ut propterea sensus sit, Trinitatem sibi soli, homine tamen Christo non excluso, esse perfectè cognitam. Libri tum hodierni, tum alij sic ibi legunt, *Sola Trinitas sibi integrè nota est, & humanitas à Christo susceptæ, quæ tertia est in Trinitate Persona.* Ubi pro *sola*, videtur legendum (*soli*) quemadmodum legit Alvarez dicens in novissimâ editione quam vidit, ita haberi, *Trinitas sibi soli integrè nota est, & humanitas à Christo susceptæ.* Docet enim ibi E Isid. Mysterium Trinitatis à nullo plenè cognosci, præterquam ab ipsamet Trinitate, idemque de Incarnationis mysterio significat, per ea verba, *& humanitas à Christo susceptæ.* Quod nimirum etiam hoc mysterium sit soli Trinitati perfectè seu comprehensivè cognitum. D

Cùm sequitur, *quæ tertia est*, Suarez existimat legendum, *qui*, ut referatur ad Christum: Alij tamen retinendũ esse volunt, *quæ*, quomodo in cõdicibus viginti quatuor haberi notat Scholiastes; ac nihilominus ad Christum referunt juxta regulam Grammaticorum, qua docent relativum interser substantiva diversi generis positum, posse convenire cum utrolibet, juxta illud Tullij, *Extat ejus ratio qui epilogus dicitur*; Et istud Virgilij, *Duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto.* Quâ ratione etiam ipse Isid.l.2.sent. seu de summo bono c.15. scripsit: *Inimicos Dei persequuntur tenebræ qui intelliguntur dæmones.* Nam, *qui* habent omnes manuscripti. Vocat autem Isidorus Christum, tertiam personam, tum isto loco, tum l.de Nativitate Domini c.4. quia est una trium personarum.

Cæterùm non sentire Isidorum quòd anima Christi comprehendat divinam essentiam, probet illud quod B.Tho.qu.20.ver.art.4.argumento 9. adducit Isidorum dicere quòd *anima Christi non æquatur Verbo, neque in scientiâ, neq; in alio aliquo.*

Observandum porrò quod licet ita habeatur l.1.de summo bono c.3. quemadmodũ diximus; *Sola* (vel soli) *Trinitæ sibi integrè nota est. & humanitas à Christo susceptæ*: c. tamen 39. aliàs 42. in Exo. sic legatur; *Sola sibi integrè nota est Trinitas, & humanitati susceptæ.* Ubi nomine humanitatis susceptæ, Verbum susceipiens intelligimus, ait Scholiastes; eò scilicet sensu quem initio dedimus.

In Responsione ad 2. adverte, illa quæ per naturam conveniunt Filio Dei, convenire per gratiam unionis filio hominis; non tamen naturæ humanæ cujus anima est pars: & ideò non sequitur quod anima Deum comprehendat, sed solùm C quòd filius hominis, idque non secundùm naturam humanam, sed secundùm divinam.

### Articulus II.

*Vtrum anima Christi in Verbo cognoverit omnia.*

Videtur quod sic, Primò quia sicut Christo non est datus spiritus ad mensuram, ita nec scientia; ergo habet scientiam omnium eorum quæ Deus novit.

Secundò Christi animæ data est notitia tanta quantæ est capax; sed est capax omnium intelligibilium, quia secundùm Philosophum, intellectus possibilis est in potentiâ ad omnia intelligibilia.

Tertiò, essentia divina est omnium rerum repræsentativa, & non est à quo determinetur, ergo repræsentat omnia animæ Christi.

Sed contra, Christum neque in Verbo neque aliter cognovisse omnia: sed habuisse quorundam ignorantiam prob. 1. ex Scripturis. Ps.34. *Quæ ignorabã, interrogabant me: & congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Item Jerem.11. *Non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia.*

Secundò, ex Patribus, Ambr.l.de Incarn.c.7. expers agnitionis infantia, per humanam utique imprudentiam quod adhuc non didicit, ignorat: Et Cyril. varijs locis, ac præsertim l.9. thesauri c.4. Verbum (inquit) humanam ignorantiam susceipit, & ut homo ignorat diem Judicij; imò & ignorabat ubi corpus Lazari erat. Similia sunt apud Athan.l.4.contra Arianos, Hilar.l.9.de Trin. & Nazian.orat.36.

*Christus ut Deus omnia scit.*

His tamen non obstantibus, Primò, fide certum est, Christum eo ipso quo Deus est, omnia scire: hoc enim convincunt partim omnia quæ docent Christum esse verum Deum. Baruch.3. *Hic est Deus noster &c. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Isa.9. *Parvulus natus est nobis & Filius datus est nobis, &c. & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus.*



*Deus.* ad Rom.9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*: partim ea quæ ostendunt Deum habere scientiam omnium, 1.p.q.14. A

Huc pertinet illud Petr. Ioan. vlt. *Domine tu omnia nosti*; multaq; alia sunt in Scripturis, & Patribus, Cyrill. Athan. vbi supra, & alijs, quæ veritatem hanc astruunt.

*In Christo nulla fuit ignorantia.*

Secundò certum etiam est animam Christi in Verbo cognoscere non solùm omnia quæ sunt, fuerunt, vel erunt, seu dicta, seu facta, seu cogitata, seu quæcunq; aliam entis rationem habentia; verum etiam quæcunq; sunt in potentiâ creaturæ, nunquam reducta, vel reducenda in actum; sed non omnia quæ sunt in potentiâ divinâ. B

Prius est contra hæresim Agnoitarum tribuentium Christo ignorantiam secundùm humanitatem, vt refert Niceph.l.18.c.50. vel etiam secundùm divinitatem, ut alij volunt ex Isidoro l.8. etymolog.c.9. Probatur autem: Cùm enim Christus ut homo sit Iudex omnium à Deo constitutus; conveniens omninò fuit ut nec iudicij tempus nec res ullas iudicio ejus subjectas ignoraret. Hinc Glossa super illud Apoc.5. *Dignus est agnus*, &c. tribuit agno cognitionem omnium; & Apost. ad Colos.2. dicit in eo esse omnes *thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos.*

Deinde, anima Christi, cùm sit perfectissima, in Verbo comprehendit omnis creaturæ essentiã, atque adeò potentiam & virtutem quousque illa se extendat. In hanc sententiam videri possunt Clemens Alex. in Pædagogo, Hier. Chrysost. & alij, partim ad c.24 Matth. partim ad cap.2. ad Colos. C

*Anima Christi non scit omnia Deo possibilia.*

Posterius probatur, quia sic anima Christi comprehenderet divinam essentiam, cognoscendo nimirum totam ejus virtutem, & ad quanta se extendat; tunc enim comprehenditur causa quando tota ejus causalitas, omnesque effectus cognoscuntur. Vide Authorem q.20.ver.ar.4. & 5.

Ad 1. Arg. Resp. scientiam non ad mensuram Christo datam, quia data est maxima, secundùm potentiam Dei ordinariam.

Ad 2. Neg. Min. quia nullus intellectus creatus est capax videre omnia quæ Deus potest, ut probat Author dictâ q. & l. 3. contra Gentes, c. 56. D

Quod verò dicitur, intellectus possibilis esse in potentiâ ad omnia intelligibilia; verum est de intelligibilibus suo lumini proportionatis: lumen autem sive naturæ, sive gratiæ, sive gloriæ cùm sit finitum, nõ est proportionatum ad omnia quæ sunt Deo possibilia; & ideò quamvis essentia divina sit omnium repræsentativa intellectui adæquato, id est, divino; non tamen inadæquato, id est creato; neque ipsi conjungitur ut ratio videndi omnia. Cur ergo divina essentia non omnia repræsentet intellectui beatorum, provenit tum ex E incapacitate subjecti, tum ex lumine gloriæ. Cur autem hæc potiùs quàm alia, pendet ex divinâ voluntate. Unde patet Responsio ad 3.

Ad 1. verò in Oppositum Resp. sensum esse, *quæ ignorabam*, id est, quæ non feci, quorum non eram mihi conscius: & similiter in posteriori, significatur congregatos esse homines paratos ad flagella inferenda, cùm tamen nullius peccati esset conscius, quod talia mereretur.

Verborum queque ipsius apud Ierem. sensus est, dissimulavi, nõ ostendi me scire quod machinarentur consilia contra me, perinde me habui, ac si nescirem eorum insidias.

Ad 2. Amb. ignorantiam non simpliciter, sed secundùm quid Christo tribuit. Cùm enim doceat eum profecisse secundùm scientiam quandam, sc. experimentalem; consequens est ut res illas tali modo prius non sciverit: quia tamen sciebat eas alio modo notitiæ, non potest dici quod eas simpliciter ignoraverit.

Cyrill. si bene examinentur sequentia, non aliud vult quam Christum hactenus dispensatione ignorasse, quia sic in humanâ carne se gessit, tanquam multa ignoraret, quomodo etiam intelligendi sunt Athan. Hilar. & Nazian.

Ex his patet nullam prosus ignorantiam secundùm quodcunque tempus, animæ Christi, sive Christo ut homini tribuendam. Ignorantia enim significat absentiam notitiæ in intellectu apto eam habere. Confer quæstionem 15. articulo 3. & observa Christum uno sensu assumsisse naturam ignorantem, id est, eam quæ secundùm rationem suæ speciei est ignorans; alio tamen sensu non assumpsit ignorantem; quia secundùm quod fuit assumpta. Verbo unita, & beata, nihil ignoravit, sed omnia illa cognovit quæ conveniebat eam scire.

*Christus videt omnia quæ ad statum suum spectant.*

Quod in corpore dicitur: *Nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia quæ ad ipsum spectant*, difficultatem habet: hinc enim sequitur eum qui propter minora merita minus est beatus, plura videre in Verbo, quam alius magis beatus videat; quia scilicet plura pertinere possunt ad statum illius; & tamen qui plura videt in Verbo beatior est.

Sed Responsetur hoc potius verificari de illis, quæ velut per se videntur in Deo, secundùm gradum sanctitatis & meriti; non autem de illis quæ ex accidenti, & ex variis circumstantijs.

Deinde, qui unâ parte pauciora cognoscit, ex aliâ & potiore potest superare.

Præterea, non omnia particularia cognoscuntur eâdem ipsâ visione qua videtur Deus; sed quædam per revelationis, sive in Verbo factas, sive aliter, secundùm ea quæ diximus 1.p.q.12. ar.3.

*Quatenus Filius nesciat diem Iudicij.*

Quod in Responsione ad 1. asserit Filium Marci 13. dici nescire diem iudicij, quia non facit alios scire; de Christo ut homine intelligendum est: nam ut Deus, sicut accipit à Patre, ita Spiritui Sancto notitiam illam communicat. Ut homo autem nulli prorsus diem illum revelat, neque facultatem revelandi accipit. Et propterea sicut Confessarius, de alicujus pœnitentis homicidio quod ex solâ ejus confessione Sacramentali novit, interrogatus, potest respondere, se nescire quis illud commiserit; quia non scit cum potestate revelandi: ita Christus ut homo dixit se nescire diem judicij, quia non acceperat facultatem eum manifestandi. Vide quæ diximus 2.2.q.89.ar.7. quæsito 3. concl. est autem prædicta expositio Aug.l.1.de Trin.c.12.l.qq.83.q.60. & in Ps.6. Ambr.l.5.de fide c.8. Hilar. l.9. de Trinit. Cyrill. l.9. Thesauri. Gregor. lib.8. epistola 42. Ubi quod addit Filium in ipsa humanitate novisse diem iudicij, sed non ex ipsa, id est, non ex vi aut virtute humanitatis, quandoquidem gratuitò fuerit ei infusa talis scientia; valet ad quorundam similia dicta intelligenda.

In Responsione ad 2. concedit Deum plura

Universidad de Deusto
Biblioteca



cognoscere quàm animam Christi: hæc enim non cognoscit omnia quæ Deus novit per scientiam simplicis intelligentiæ, sed solùm eas creaturas quæ sunt in actu secundùm quodcunq; tempus, vel sunt in potentia creaturæ. Neque hinc sequitur quod anima Christi adæquet scientiam Dei quæ dicitur visionis: quamvis enim videat illa quæ Deus per eam scientiam videt, non tamen tam clarè & evidenter cognoscit. Confer Resp. ad 3.

ARTICULUS III.

ART. 3. distinguens in Christi animâ scientiam, ut alia sit visionis, alia simplicis intelligentiæ; quarum priore cognoscit omnia quæ aliquando sunt, fuerunt, vel erunt; posteriore autem quæcunque sunt in potentiâ creaturæ.

Docet eam scientiâ simplicis intelligentiæ scire infinita, non autem scientiâ visionis.

PRIUS quidem, quia comprehendit essentiam, potentiamque creaturæ, quæ ad infinita se extendit, ut patet de cogitationibus hominum & Angelorum.

POSTERIUS verò, quia status generationis & corruptionis rerum non semper durabat.

*Quomodo anima Christi sciat infinita.*

Ex hac ratione colligendum relinquitur, quando B. Tho. hîc negat animam Christi scientiâ visionis scire infinita, eum loqui de substantijs, sive de rebus per se subsistentibus: loquendo autem de omnibus absolutè sive substantijs, sive accidentibus, concedendum est quòd anima Christi per scientiam visionis sciat infinita potentiâ, quia cognoscit rerum præsentium, præteritarum, aut futurarum multitudinem tantam, cujus non sit invenire ultimam unitatem. Quæ multitudo propterea non est infinita actu, non solùm quia nunquam existet tota simul, sed etiam quia non est tanta, quin possit in eodem ordine dari maior: Infinito autem nihil est majus in illo ordine secundùm quem est infinitum, ut hic ad 2. docet.

In Resp. ad 1. explicat illud, *Repugnat definitioni infiniti quòd ipsum cognoscatur*, esse intelligendum de infinito secundùm materiam & quantitatem: huic enim infinito repugnat quòd cognoscatur secundùm modum ipsius, qui est ut accipiatur pars post partem: nam non potest aliquis intellectus ipsum cognoscere numerando partem post partem, cùm partes ponantur infinitiæ. Confer q. 2. de ver. ar. 9. ad 8.

Addit autem animam *Christi cognoscere infinita quasi finitè in aliquo scilicet uno*: puta in creaturâ in cujus potentiâ sunt, & principaliter in Verbo divino. Eodem pertinet quod in quodl. 3. ar. 3. dicit, animam Christi non posse cognoscere omnia quæ Deus facere potest: & ideò non cognoscere infinita simpliciter: comprehendere autem totam potentiam creaturæ, in quâ sunt infinita, non simpliciter, sed secundùm aliquod genus: & ideò ipsam cognoscere infinita secundùm quid.

*Scientia creata Christi est infinita.*

Ex Resp. ad 2. patet, quamvis scientia animæ Christi possit modo quodam dici infinita, sc. extensivè, & secundùm quid, simpliciter tamen esse finitiam, tam in genere scientiæ quam in genere qualitatis: ut enim cognitio sit infinita, debet esse de objecto secundùm essentiam infinito, ac insuper debet illud comprehendere.

ARTICULUS IV.

*Anima Christi perfectius*

ART. 4. Docet animam Christi videre divinam essentiam perfectiùs quam ulla alia creatura, quod ex 1. p. q. 13. ar. 6. notum est ubi diximus perfectionem visionis Dei attendendam ex intentione maiori luminis gloriæ; quod animæ Christi, utpote Verbo unitæ, non dubium est datum esse perfectius, quam ulli alij, & si non tam perfectum, quin absolutâ Dei potentiâ potuerit dari perfectius, ut patet ex Responsione ad 3. *Deum videt quam alij beati.*

In Responsione ad 2. adverbium (*magis*) impropriè sumitur; & sensus est, gradum visionis attendi secundùm ordinem gratiæ, & non secundùm ordinem naturæ. Constat enim ex adjunctis, & ex 1. p. qu. 12 quod visio Dei excedat naturalem potentiam, ideoque non attendatur quantitas visionis ex naturâ, sed ex gratiâ.

## QUÆSTIO XI.

### *De scientiâ inditâ vel infusâ animæ Christi.*

ARTICULUS I.

ART. 1. Docet animam Christi per scientiam inditam cognovisse omnia, & quæ sunt ordinis naturalis, & quæ supernaturalis, exceptâ divinâ essentiâ. Perfectio enim Christi secundùm naturam, requirit ut omnia cognoverit quæ per naturalem rationem cognosci possunt: perfectio verò ejusdem per gratiam, exposcit cognitionem omnium quæ per revelationem innotescunt, sive Angelis, sive hominibus; ut sic omnis ejus potentia tam naturalis quàm obedientialis esset perfecta & in actum reducta; non quidem ad omnem omninò actū quomodocunque possibilem, sed ad omnem humanitati Christi proportionatum, per ordinem ad unionem hypostaticam. Excipit verò ab hâc notitiâ divinam essentiâ; quia per eam non est cognoscibilis, cùm illius nulla species dari possit: hæc autē scientia infusa fuit per species ab initio datas. *Quæ per scientiam inditam Christus cognovit.* *Per scientiā infusā Christus non videt Dei essentiam.*

Ex his patet Christum per hanc scientiam cognovisse omnia singularia, præsentia, præterita, & secura, tam contingentia quā necessaria tam immaterialia quam materialia: tam substantialia, quā accidentaria, omnesq; omnium cogitationes, & volitiones quantumcunq; liberas; de quibus licet contrariè senserit Author in 3. d. 14. & de ver. q. 20. ar. 6. re tamen accuratiùs perpensa, hîc ita asserit; & quidem rationabiliter: Cùm enim res omnes Christo ut homini, subjectæ sint, ipseq; cogitationum etiam occultissimarum sit Iudex; conveniens est quòd eum etiam ut hominem non lateant.

*Ob.*

Dices, Angelis infusæ sunt species ab initio, & tamen per scientiam infusam non cognoscunt futura contingentia, nec cogitationes cordium; ergo nec Christus. RESP. Neg. Cons. quia Christo præter species, quæ solam rerum, quæ contingenter futuræ sunt, quidditatem repræsentant, aderat revelatio, per quam futura, non in seipsis, nec in causa indeterminata cognoscerat, sed per divinam revelationem. *Resp.*

Quod ad rerum naturalium singularia attinet, non necesse est singulis singulas species intelligibiles attribuere; sed per unam repræsentatur ei quidditativè natura communis, cum omnibus individuis eorumq; conditionibus, futuris quando futuræ sunt; præsentibus, quando sunt præsentes; præteritis, quando sunt præteritæ.

Quod in argumento 2. sumitur ex Philosopho, habet hunc sensum, sicut visus non potest videre sine



sine colore: ita intellectus in hoc rerum statu, non potest naturaliter intelligere sine phantasmate. Confer articulum 2. ad 1.

Cùm in Resp. ad 2. dicit, *post statum hujus vitæ anima separata poterit aliqualiter substantias separatas per seipsam cognoscere*: non vult excludere species intelligibiles, ut ex 1. p. q. 89. ar. 2. ad 2. & hujus q. ar. 2. ad 1. patet: sed ostendit quod cognoscendo seipsam deveniet in cognitionem substantiarum separatarum: per species sibi & illis proprias, non autem per species rerum sensibilium ut modò fit.

Cajet. & unum exemplar nostrum impressum anno 1478. pro (per seipsam) habent (per seipsas) sed nostra lectio magis quadrat initio corporis ar. 1. q 89. in 1. p. ad quem se remittit Author.

ARTICULUS II.

*Anima Christi poterat non uti phantasmatibus.*

ART. 2. Probat Christum potuisse uti scientiâ inditâ, non convertendo se ad phantasmata: quia cùm ipse esset comprehensor, ejus anima non erat subdita corpori, corporeisque facultatibus, sed eis dominabatur.

Potuisse tamen se ad illa convertendo, uti prædictâ scientia: docet hîc in Resp. ad 3. & rursus ar. 4. Cùm enim anima Christi sit actus corporis: nihil verat eam pro suâ voluntate uti vel non uti corporeo phantasmate ad eas res intelligendas, quarum sunt phantasmata, per species, etiamsi illæ non sint per corporis sensus acceptæ.

De eo quod habet in RESP. ad 1. *Finis potentiæ intellectivæ non est cognoscere phantasmata, sed cognoscere species intelligibiles*, diximus in 1. p. q. 85. ar. 2. speciem scilicet hîc poni pro rebus per eam repræsentatis.

ARTICULUS III.

*Scientia Christi indit à non necessariò erat discursiva.*

ART. 3. Docet scientiam Christi inditam non fuisse acquisitam per discursum, sed per infusionem: quoad usum tamen potuisse esse discursivam, etsi non necessariò. Hic autem discursus non sic est intelligendus, quasi dumtaxat unum post aliud cognosceret; neq; tamen sic, ut ex notis procederet ad simpliciter ignota; sed sic, ut præter successionem cognitionum actualium, una esset causa alterius; ac proinde poterat anima Christi secundùm hanc scientiam procedere ex causâ ad cognitionem effectus, simpliciter quidē noti, sed non cogniti per eum actum quem de novo faciebat. Quo modo, scientes aliquando concludunt effectus ex causis, non ut addiscant; sed volentes uti scientiâ priùs habitâ, & actus novos elicere. Hinc Author in 3. 14. ar. 3. q. 3. *Alia* (inquit) *collatio est secundùm quam homo ea quæ habitu tenet, in actum ducens, ex principijs considerat conclusiones, sicut ex causis effectus: & talis collativa scientia fuit in Christo.*

ARTICULUS IV.

*Scientia Christi infusa fuit perfectior scientiâ Angelorum.*

ART. 4. Declarat scientiam Christi inditam fuisse excellentiorem & perfectioté, quam sit Angelorum, si spectemus id quod habet ex parte influxûs sive luminis divinitûs infusi, per illud enim Christus non solùm plura, sed etiam clariùs & certius cognoscit, quàm ullus Angelorum. Si verò spectemus modum subjecti recipientis, qui est ut prædictâ scientia uti possit per discursum, & conversionem ad phantasmata, cùm ille sit minus perfectus quàm oppositus, utpotè materialis & compositus: hac parte scientia Christi infusa fuit minus perfecta, quantum ad actus, qui cum isto modo exercebantur: simpliciter tamen erat perfectior, etiam quoad illos actus, ob luminis perfectionem, ut etiam asserit dicto art. 3. sent. q. 2.

Expositio quæ in argumento. Sed contrà, indicatur verborum Apost. ad Hebr. 2. *Minuisti eum* (scil. Christum) *paulò minus ab Angelis*, de minoratione scil. quoad tempus Passionis & mortis valde probabilis est. Unde in Græco habetur, breve quid, seu paulisper: estque hæc interpretatio Cyryl. super dictum cap. Aug. l. 3. contra Maximin. c. 25. Athanasij tract. de Incarn. ipsius etiam B. Tho. in Comment.

ARTICULUS V.

*Scientia Christi infusa fuit habitualis.*

ART. 5. tradit supradictam Christi scientiam fuisse habitualem quia receptum est in recipiente per modum recipientis: modus autem, humanæ animæ connaturalis, est ut recipiat scientiā per modum habitûs. Poterat ergo Christus scientia infusa uti, quando volebat. Non dicitur quod aliquando cessaverit ab omni actu hujus scientiæ, sed quod non semper fuerit in actu secundo quoad omnia objecta: neque enim perfectio humanitati debita postulabat, ut semper actu consideraret omnia, sed ea tantùm quæ loco & tempori conveniebant. Quia tamen nec corpore nec phantasmatibus indigebat: nobis videtur quod ab initio conceptionis semper fuerit in actuali usu scientiæ infusæ, & in actuali contemplatione quorundam objectorum illius, corpore licet ac sensibus quiescentibus, vel aliò intentis. *Anima Christi semper fuit in aliquo actu scientiæ infusæ.*

In argumento, *Sed contrà*, cùm dicit scientiam Christi inditam esse univocam nostræ: non vult eam esse ejusdem speciei infimæ cum nostra, sed ejusdem generis: est enim univocatio in genere scientiæ. Vide quæ diximus ar 4. q. 9.

In Resp. ad 1. scientia excedens modum humanæ naturæ, intelligitur ea quæ non tantùm est supra naturam, sed est etiam supra modum connaturalem naturæ creatæ, qualis est scientia beata, quæ nulli creaturæ est connaturalis, & sine speciebus exit in actum. Scientia verò secundùm modum proportionatum naturæ humanæ, non intelligitur ea quæ est naturalis, sed cujus usus est juxta modum, naturæ humanæ per se conveniens, qui est ut per species rerum creatarum sibi impressas intelligat.

ARTICULUS VI.

*Fuerunt in Christo diversi habitus scientiæ.*

ART. 6. Docet scientiam Christi infusam quæ in ratione generica erat una, fuisse distinctam in habitus specie diversos. Scientiam intellige, non strictè pro habitu demonstrativo, sed generaliter pro cognitione perficiente intellectū. Confirmatur, quia in ista scientia continentur diversæ rationes formales scibilium, ipsaque sapientia, scientia, & alia Spiritus Sancti dona, ut ar. 1. hujus, & ar. 6. q. 7. dixit.

Porrò cùm ad scientiam varia requirantur præter potentiam intellectivam, hîc requirit species intelligibiles: eas verò non solùm inter se, sed etiā ab habitu sciētiæ esse diversas, tradit hîc & ar. 4. dū ex una parte species; ex alia lumen habituale

Universidad de Deusto
Biblioteca



agnoscit; quod verisimiliter est ipsemet habitus scientiæ potentiam afficiens & habilitans ad eliciendos actus. Unde in 3 sent. d. 14. ar. 3. q. 2. dicit quòd ad cognitionem intellectivam tria requiruntur, potentia, lumen, & similitudo. Idem significat Bonav. dum in 3. d. 14. dicit cognitionem simplicis notitiæ consistere in habitibus & speciebus ipsi animæ Christi inditis. Medina quoque, Cabrera, & alij dicunt ipsum lumen habituale esse habitum scientiæ.

Nec obstat, quod in naturalibus requiratur habitus diversus à lumine intellectûs agentis; quia is non aliter dicitur illuminare, quàm per abstractionem, species imprimendo, & faciendo res actu intelligibiles, ut dictum fuit q. 79. ar. 3. 1. p. B hæc autem illuminatio intellectûs agentis non requiritur ad actus hujus scientiæ.

*Cur potius fit una fides de diversis objectis quam una scientia.*

Circa resp. ad 2. adverte fidem ferri in omnia credibilia sub una ratione formali adæquata, nimirum sub authoritate divina; & ideò sufficere unum fidei habitum; scientia verò Christi infusa sub diversis rationibus fertur in diversa scibilia: ideòque sicut sunt species diversæ rationis, ad diversum formale objectum pertinentes; ita etiam sunt diversi habitus; quorum tamen diversitas nõ oritur ex qualibet diversitate specierum, sed ex illarum, quarum quælibet est ex sua natura principium adæquatum ad actus specie diversos.

Resp. ad 3. consistit in negando Conseq. C quia ratio illa una secundùm quam anima Christi scivit omnia, scil. lumen divinitùs infusum, non intelligitur una simplex qualitas, sed una communis ratio generica, in qua conveniunt omnia quæ divinitùs revelantur; sub ea verò continentur multi habitus distincti; quemadmodum lumen intellectûs agentis est una communis ratio intelligendi ea quæ naturaliter cognoscuntur; & nihilominùs dantur multi habitus naturales, ut patet ex 1. 2. q. 51. ar. 1.

## QUÆSTIO XII.

*De scientiâ animæ Christi acquisitâ.* D

### Articulus I.

*Per scientiam acquisitam Christus non omnia scivit, multa tamen.*

Art. 1. Docet Christum per scientiam acquisitam sciviſſe nõ omnia simpliciter, sed ea omnia quæ per actionem intellectûs agentis sciri possunt.

Nec obstat. quod nec litteras didicerit, nec Philosophorum libros revolverit, nec omnium, imò neque plurimorum experientiam habuerit: tanta enim erat vis animæ ipsius, partim naturalis, partim ex adjuncto lumine infuso, ut ex rebus quas experiebatur (suppositâ directione scientiæ beatæ, & per se infusæ) colligere posset species & cognitionem aliarum; nec distraheretur, vel impedi- E retur à consideratione unius rei per aliam; quia sic integrè poterat intendere pluribus, ac si occupata tantùm esset circa unam. Unde patet non consistere similitudinem, quam nonnulli objiciunt de cœco nato, qui non potest colorum scientiâ acquirere; is enim nullius coloris habet experientiã.

*Ob.* Dices, anima separata intelligit etiam ea quæ per actionem intellectûs agentis nequeunt cognosci, ut immaterialia: ergo similiter anima Christi, quæ & perfectior est & beata. *Resp.* Resp. ex dictis q. 11. patet animã Christi ea omnia cognoscere, sed, cur non per hanc scientiam; ratio est, quia B. Thom. loquitur de scientiâ cujus acquisitio pendet à phantasmatibus, etiamsi illius jam acquisitæ usus inde non penderet in Christo, propter animæ dominium supra vires corporis.

Scientia verò quâ animæ separatæ cognoscunt immaterialia, non est ejusdem speciei cum eâ quæ nata est acquiri per sensus: quamvis enim naturalis dici possit, ob species ei naturaliter debitas in tali statu, juxta ea quæ diximus 1. p. q. 89. art. 1. est tamen per infusionem specierum, quæ non sunt natæ acquiri per sensus, vel per operationem intellectûs agentis.

### Articulus II.

*Christus profecit in scientia acquisita.*

Art. 2. Docet Christum in scientiâ acquisitâ profeciſſe, tam secundùm habitum, quam secundùm actum; ita ut per actionem intellectûs agentis paulatim species abstraxerit, quarum accessu habitus ipse perficiebatur. Incæpit autem eam scientiam acquirere, cùm primum cœpit uti ratione, modò hominibus connaturali; & semper habuit totam illius perfectionem, singulis ætatibus accommodatam: ac proinde nihil unquam ignoravit, non tantùm scientiâ divinâ beatâ & infusa; sed nec acquisitâ, eò quod nihil eorum sub hanc scientiam cadentium ignoravit, quæ secundùm tempus & locum ei conveniebant; etsi non semper habuerit quarundam rerum scientiam acquisitam.

De hâc scientiâ intelligit Ambros. verba Lucæ 2. de quibus art. 12. q. 7. diximus, conformiter ijs quæ hîc dicuntur initio corporis.

### Articulus III. & IV.

*Christus nihil didicit ab Angelis, vel hominibus.*

Articulo 3. & 4. ostendit Christum nec aliquid didiciſſe ab hominibus, nec ab Angelis: quia non est conveniens eum doceri ab illis, quorum ipse est doctor; Christus autem & Angelorum & hominum doctor erat, non discipulus.

Confirmatur, ille propriè discit, qui cum aliquid ignoraret, ejus notitiam accipit à sciente, & cum non habeat ex se principium sufficiens, acquirit species dependenter à conceptu magistri per eum sibi explicato, qui velut quoddã lumen eum illuminat & determinat: Christus autem non illuminabatur ab hominibus vel Angelis; sed cum ab eis aliquid audiebat, habebat se instar præceptoris, cui discipulus ex libro legit ea quæ priùs sciebat.

In Resp. ad 2. neg. C. Dignius enim est accipere scientiam à rebus sensibilibus, quam ab homine. Primò; quia creaturæ sensibiles sunt velut Dei voces; ideoque ab eis abstrahere species, est doceri à Deo per eas ut ejus instrumenta. Secundò, quia scientia quæ habetur à rebus sensibilibus, acquiritur per propriam inventionem, & ex propijs ingenij viribus, absque alterius adjumento. Quæ autem habetur ab homine, est per modum disciplinæ, ex adjumento docentis.

*Luc. 22. Angelus quo modo confortavit Christum.*

In Resp. ad 1. art. 4. sciendum est Angelum Luc. 22. dici confortaſſe Christum, non per modum instructionis, cùm omnia meliùs sciret & cõsideraret quàm Angelus; sed partim quia virtutem & robur magnanimi laudans, rectè dicitur eum confortare, partim quia proponebat rationes quæ natæ erant tristitiam lenire, & inferioré animæ partem confortare; quamvis nec Christus eas igno-



ignoraret, nec consolationem ex illis acciperet; ut A ostendit sequens agonia (de quâ ar. 6. ad 3. quæst. 18.) & sudor sanguineus. Permisit tamen sic fieri, tum ut vim orationis; tum ut veritatem humanitatis, ostenderet. Priorem hujus expositionis partem tradidit S. Epiphanius hæresi 69. ubi in eo quod Christus visus est ab Angelis confortari, impletum esse ait dictum Cantici à Moyse descripti (Deut. 32. v. 43. juxta versionem septuaginta visam ab Epiphanio) *Adorent ipsum omnes Filij Dei, & confortent ipsum omnes Angeli Dei*) pro quo nostra versio 70. habet, confortentur in eo omnes Filij Dei, sumpto aoristo ἐνισχυσάτωσαν neutraliter, quem Epiphanij interpres activè accepit, quemadmodũ Græcæ linguæ periti dicunt utro- B que modo posse accipi verbum ἐνισχύω neutraliter, pro invalesco; & activè pro conforto:) *Non ut dent ipsi robur Angeli, non enim indigebat Angelorum confortatione; sed confortent ipsum, hoc est, confitendo propriũ ipsius robur ipsi attribuant.* Et postea, *Angelus circa illam horam admiratione ductus super excellentia benignitatu erga homines proprij Domini &c. dicebat ad ipsum, glorificans ac benedicens proprium Dominum in tali studio ac miraculosa actione consistentem, tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo, ut impleret id quod à Moyse scriptum est, confortent ipsum omnes Angeli Dei.* His consentiens Chrysost. Tomo 3. in hom. de Trinit. *quo pacto ab Angelo robur accipiebat; non robur accepit sed glorificationem Angeli dicentis, tuum est regnũ & imperium Domine.* Ex his sequitur quod Angelus dicatur confortaſſe Christum, ejus robur laudando seu fortitudinem ei attribuendo. Albertus Magnus in c. 22. Lucæ, dicit Angelum se habuisse ad modum confortantis; quod posteriori expositionis supradictæ parti conforme est.

## QUÆSTIO XIII.

*De potentiâ animæ Christi.*

### Articulus I.

*Anima Christi non habuit omnipotentiam.*

Art. 1. docet animam Christi non habuisse omnipotentiam simpliciter, quia hæc est proprietas naturæ divinæ: per unionem autem neq; est facta confusio naturarum, neque proprietatum; sed unaquæque retinuit suas proprietates naturales, quemadmodum definitum est in Syn. 6. act. 4. 11. 17.

Confirmatur, omnipotentia est incarnata, infinita, independens ab actione superioris, & eminenter omnia continens: potentia autem animæ Christi est creata, finita dependens, nec omnia eminenter continens. Cùm enim potentia sequatur naturam, & unumquodque in tantum sit activum, in quantum est actu; consequens est natura *Omnipotentia non est communicabilis creaturæ.* quæ est actu in circumscripto & illimitato, esse activam infinitè omnium eorum quæ possunt habere rationem entis: quæ autem est actu limitato, E esse activam limitatè; ac proinde nulli creaturæ communicabilem esse omnipotentiam.

*Christus erat omnipotens.* Quia tamen ratione communicationis idiomatum, id quod ad utramque naturam pertinet, supposito tribuitur, fit, ut & Christus, & homo ille rectè vocetur omnipotens, etiamsi non ut homo. Sic Ambrosius hîc arg. 1. citatis dicit, quod *Potentiam quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus*; non quasi humanitas facta sit aliquando omnipotens; sed quia id quod ab æter- *Sylv: in III. Part.* no competebat Filio Dei, ex tempore tribuitur homini seu Filio hominis per communicationem idiomatum, modò cõvenienter exprimatur. Cùm enim ab æterno Filius Dei sic omnipotentiam haberet, ut verè dici posset omnipotens: in tempore factum est, ut etiam homo dicatur omnipotens; quando eadem est persona divinæ & humanæ naturæ.

*Ob.* Si objicias Damascenum li. 3. cap. 18. omnipotentiam tribuere ipsi humanitati, dum ait: *Per naturam quidem haud quaquam omnipotens erat: ut autem Dei verbi verè ac naturaliter effecta, nihil non quoque ipsa poterat.* *Resp.* Resp. cum non velle dicere quod voluntas humana Christi (de eâ enim loquitur) sit simpliciter omnipotens; sed quod ut instrumentum Verbi, possit omnia etiam naturæ vires excedentia, quæ tanquam ad finem Incarnationis ordinabilia, vult aut velle potest.

In Respons. ad 2. Primò negat scientiam divinam totam esse communicatam humanæ naturæ in Christo; ac deinde negat Consequentiam argumenti, quia quorundam scientia communicari potest (ut creationis sui-ipsius & aliorum) quorum tamen non potest communicari potentia: nam ad nullius rei cognitionem requiritur virtus infinita, quæ tamen ad quorundam effectionem est necessaria.

*Ob.* Præterea quæ hîc solvuntur ab Authore, objici potest illud Christi Matt. ult *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ.* *Resp.* Sed Resp. id vel de divinâ Christi potentiâ dictum, quæ per gratiam unionis communicata est homini Christi ab initio Incarnationis, ut jam superius fuit explicatum, utque explicat Author ar. sequenti, & in 3. d. 14. Vel potius de humanâ, quæ licet non sit æqualis divinæ, ideoque nec omnipotentia; est tamen eximia & singularis, qualem nulli alteri Deus communicavit. Ita Author in Catena. Significat ergo Christus datã sibi potestatem excellentiæ, & præfecturam qua omnes creaturas regat, ipsisq; imperet, ac possit omnia quæ pertinent ad ædificationem & consummationem corporis mystici, quod est Ecclesia. Unde statim subjungit præceptum de prædicatione Evangelij, baptizandisq; gentibus. Hanc potestatem ab instanti quidem conceptionis habuit; (unde Matth. 11. & Luc. 10. ait, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: Ioa. 13. *Scient quia omnia dedit ei Pater in manus.* Et c. 17. *Dedisti ei potestatem omnis carnis*:) nunc tamen commemorat sibi datam, quia demùm innotescere palam cœpit post resurrectionem; *tunc autem, res dicuntur fieri, quando innotescunt*, inquit ar. seq. ad 1.

### Articulus II.

*Anima Christi non fuit omnipotens ad immutandas creaturas.*

Art. 2. Docet animam Christi non habuisse omnipotentiã respectu immutationis creaturarum; & potuisse quidem secundùm propriam naturam & virtutem, sive naturaliter sive gratuitò acceptam, producere motus & effectus animæ convenientes, sive naturales sive supernaturales; ut gubernare corpus, actus humanos disponere, homines & Angelos illuminare; potuisse item secundùm quod erat instrumentum Verbi sibi uniti, facere illas omnes immutationes mira- *Anima Christi non potuit creare.* culosas quæ sunt ordinabiles ad finem Incarnationis: non potuisse tamen, vel creare quidpiam, vel in nihilum redigere; istud enim creationi respondet, creatio verò solius Dei est, ut dictum fuit 1. p. q. 45.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Cùm hîc addit, quod *solus Deus creaturas in esse conservat*: intelligendus est de esse simpliciter & totali, cujus ipse solus causa est; cum actioni creaturæ semper aliquid supponatur, ob quod ipsa non est causa totius esse simpliciter, sed solùm causa essendi hoc aut illud. Conferri debent quæ diximus in 1.p.quæst.8.ar.1.& quæst.104.ar.2. Quæ cùm ita sint, variæ tamen hîc oriuntur difficultates.

## QUÆRITUR ERGO I.

*Vtrum anima Christi sit causa principalis gratiæ.*

ESSE probatur PRIMÒ, quia B. Thom. dicit hîc illam esse causam gratiæ secundùm virtutem propriam gratuitam, miraculorum autem secundùm quod est instrumentum.

SECUNDÒ, in 4. dist.5. q.2. ar.2. agens (inquit) principale in baptizando est ipse Deus, & Christus secundùm quod homo.

TERTIÒ, Sacerdotes sunt ministri Christi, etiam ut hominis: ergo ipse est plusquam instrumentum.

CONTRA tamen facit quod, Authore B. Th.1.2.qu.112.ar.1.& q.27.de verit. ar.3. solus Deus est causa gratiæ, scilicet principalis; humanitas autem Christi non causat gratiam propriâ virtute, sed virtute divinitatis adjunctæ, cujus est instrumentum.

SECUNDÒ, Solus Deus est causa principalis nostræ salutis; humanitas verò solùm est instrumentum, ut habetur q.48. sequenti ar. 6.

TERTIÒ, Solus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti, qui est per modum principalis agentis, ut ar.1.q.64.docet.

QUARTÒ, per infusionem gratiæ voluntas immutatur: solus autem Dei est voluntatem interiùs immutare, ut multis locis repetit.

*Anima Christi habet aliquam principalitatem, non tamen est simpliciter principalis causa gratiæ.*

RESPONSIO igitur vera est, animam Christi seu Christum secundùm quod homo est, non esse causam physicam gratiæ & justificationis nostræ per modum principalis agentis, sive per authoritatem, sed per modum instrumenti: Quia tamen est instrumentum hypostaticè conjunctum divinitati; respectu instrumentorum extrinsecorum qui sunt ministri Ecclesiæ, habet quandam principalitatem, quæ vocatur potestas ministerij principalis, sive excellentiæ, articulo tertio, quæstione 64. & secundùm hæc intelligenda sunt argumenta quæ humanitati Christi principalitatem attribuunt, Nisi quod addi potest Christi animam seu Christum ut hominem esse causam gratiæ principalem, moralem; quia per actiones humanitatis charitate & gratiâ informatæ nobis gratiam meruit, & idem ipse Sacramenta instituit quæ illam conferendi vim habent: ille autem est causa moralis principalis, qui seipsum movet, certaq; ac determinata signa determinat per quæ effectus conferatur. Accedit quod Christus est principalis offerens, ministri autem ejus Sacerdotes: Atqui non est offerens in quantum Deus; ergo in quantum homo.

## QUÆRITUR II.

*An humanitas Christi sit causa gratiæ & miraculorum efficiens, tantùm moraliter.*

ESSE probatur 1. quia causavit gratiam antiquis Patribus, quando nondum existebat.

SECUNDÒ, ad rationem instrumenti physici requiritur ut per actionem sibi propriam agat dispositivè ad effectum, & contingat subjectum patiens, humanitas autem Christi gratiam causat in subjectis distantibus.

TERTIÒ, creatura nihil potest creare: ergo nec gratiam.

QUARTÒ, Conc. Trident. sess.6 c.7. assignans causas nostræ justificationis, efficientem tribuit Deo, meritoriam Christo homini.

QUINTÒ, res corporea non potest agere efficienter in spiritum: ergo nec humanitas Christi in animas hominum.

*Humanitas Christi est causa gratiæ quasi physica.*

RESP. humanitatem Christi non solùm moraliter ad hæc valuisse, sed etiam ut physicum instrumentum à quo effectus reipsa producitur & dependet.

PROBATUR 1. *Virtus de illo exibat & sanabat omnes*, Luc.6. *Novi virtutem de me exisse*, Luc.8. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Ioa. 1. Quæ Scripturæ significant effectus gratiæ & miraculorum ab humanitate Christi manasse, tanquam effectus à causa realiter efficiente.

SECUNDÒ, Conc. Ephes. can. 11. definit carnem Christi esse vivificatricem, eò quòd facta sit propria Verbi.

Atque hanc esse B.Th. sententiam patet ex eo quod efficientiam realem tribuat Sacramentis, q. 62.ar.1. quodque in præsenti articulo negans humanitati Christi vim instrumentalem respectu creationis, illam ei attribuit respectu gratiæ & miraculorum; Hoc enim non potest intelligi de instrumento morali, cùm B. Thomas non diffiteatur eâ ratione creaturam posse assumi ut instrumentum creationis.

Deinde, q. 50. ar. 6. expressè docet mortem Christi consideratam in facto esse, non esse operatam ad salutem nostram per modum meriti, sed per modum efficientiæ, in quantum corpus ejus mortuum ex virtute divinitatis sibi unitæ instrumentaliter ad eam operabatur: Quæstione etiam 8. superiori ar.1. *Actiones*, inquit, *Christi ex virtute divinitatis fuerunt nobis salutiferæ, utpote gratiam in nobis causantes, & per meritum, & per efficientiam quandam*: sive ut loquitur ar.3 q.64. *& meritoriè & efficienter, sed instrumentaliter*. Idem habetur ex qu.48.ar.6.& 49. ar.1. Hanc etiam sententiam tuetur & explicat Suarez tom.1.disp.31. sect.13. Alvarez, Nazarius, Pesantius.

AD ARGUMENTA VERÒ, & AD 1. quidem RESP. humanitatem Christi non causasse gratiam in Veteri Testamento per modum instrumenti physici, sed moraliter solùm; quia causa efficiens non potest esse durationе posterior suo effectu, ideoque requiritur actualis ejus existentia, ut ostendit Author q.62.ar.6.

AD 2. Instrumento sufficit quod aliquam habeat operationem naturæ suæ proportionatam, quæ elevetur ad effectum principalis agentis producendum, etiamsi non contingat subjectum realiter,



liter, sed virtute. Hinc vis imaginativa & appetitus bruti sunt instrumenta animæ sensitivæ ad motum localem pedis, etiamsi in eo non resideant subjectivè: quia sufficit quod principale agens, id est, anima, eò pertingat: & similiter humanitas Christi operatur efficienter ad quamlibet distantiam: licet enim non realiter contingat subjectum distans; contingit tamen virtute, per actionem Verbi producentis effectum dependentem ab humanitate, & utentis eâ tanquam instrumento. Hinc Author qu.56.ar.1. dicit *sufficere contactum virtualem ad rationem hujus efficientiæ*, ubi sc. humanitas operatur in virtute divinitatis omnia contingentis.

AD 3. q.45. 1.p. diximus ex Authore gratiam non creari, sed modo quodam educi de potentiâ animæ obedientiali: tunc enim forma educitur de subjecto, quando subjectum quod ad eam erat in potentiâ, virtute agentis reducitur in actum, sic ut ipsa dependeat à subjecto in esse & conservari.

*Vide q. 62. seq. ar.3. q.3. ad 2.*

AD 4 Conc. assignavit solùm causas, de quibus nulla est inter Catholicos controversia.

AD 5. res corporea virtute supernaturalis agentis elevata, potest agere in spiritualem.

## QUÆRITUR III.

*An etiam nunc humanitas Christi physicè operetur effectus gratiæ per passionem, aliasve res præteritas.*

AUTHOR affirmare videtur infrà q.56 ar.1. docens Resurrectionem Christi esse causam nostræ, efficientem & exemplarem. Hinc Apost. Rom.4. *Christus resurrexit propter justificationem*

*Rom. 4.* *nostram.*

RESP. Actiones Christi præteritas non habere rationem instrumenti physici respectu nostræ justificationis, aut aliorum effectuum, quia requiritur existentia causæ physicæ ut realiter operetur; humanitas autem ipsa, cùm existat, retinet causalitatem physicam; & hoc est quod B Tho. vult dicto ar.1. Docet enim Resurrectionem Christi esse causam efficientem, *In quantum humanitas Christi secundùm quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis, & operatur in virtute ejus*, ut propterea idè sit ac si diceret, humanitas Christi ut resurrectioni subjecta. Quomodo ar.1.q.49. dicit Passionem Christi esse causam remissionis peccatorum, *Per modum efficientiæ in quantum caro secundùm quam Christus est passus, est instrumentum divinitatis*. Et q.50. ar.6. quod etiam mors Christi operata est ad salutem nostram per modum efficientiæ. *In quantum caro vel corpus Christi mortuum fuit instrumentum divinitatis sibi unitæ.* Confer q.82.ar.7. in fin. corp. de verbis Apost. dicemus ar.1.q.53.

## QUÆRITUR IV.

*An, & quæ virtus miraculorum communicata sit humanitati Christi.*

VIDETUR quod nulla, quia B.Thom.2.2. q. 178. art. 1. dicit quòd ea sit omnipotentiæ.

Verum, cùm non loquatur de qualicunq; virtute miraculorum, sed de eâ quæ & permanens sit & ad omnia omninò quæ supernaturaliter fieri possunt, se extendens.

DICENDUM est humanitati quidem concessam virtutem miraculorum per modum habitus seu permanenter, in quantum datum est ei ab instanti conceptionis, ut quotiescunque vellet, miracula faceret; eam tamen nec esse habitum, nec qualitatem superadditam humanitati, sed potentiam obedientialem ab humanitate non distinctam, quia potest efficere omne id, ad quod Deus eam elevare & applicare voluerit.

Virtus autè instrumentalis quæ illam in actuali ratione instrumenti constituit, est motus passivus seu usus quo movetur à Deo ad effectum supernaturalem, aut vis quædam spiritualis per modum transeuntis & entis incompleti, quam Verbum divinum illi tribuit, ut infrà de Sacramentis erit dicendum, q.64.ar.4.

### ARTICULUS III.

*Quæ potentia animæ Christi ad corpus proprium.*

ART. 3. Docet animam Christi ex propriâ virtute quæ ei competit naturaliter in quantum est anima humana, non habuisse omnipotentiam circa proprium corpus immutandum à naturali dispositione. Nec obstat, quod esset beata: nam nec animæ beatæ habent illam omnipotentiam, & insuper anima Christi assumpserat sicut corpus passibile, ita & corporis passibilis conditiones, quas non habent corpora animarum beatorum, ideoq; quod istæ possunt sine miraculo, propter dotes agilitatis, claritatis, &c. poterat quidem & illa, sed cum miraculo: quia non assumpserat corpus præditum illis dotibus. Ac proinde ambulatio super mare, fulgor in Transfiguratione, miracula erant, ait Author q.45. ar.2.

Ex his patet animam Christi non potuisse naturaliter impedire, ne corpus suum nutriretur, augeretur &c.

Quatenus verò eadem illa anima erat instrumentum Verbi, habet potestati suæ subjectam proprij corporis dispositionem.

### ARTICULUS IV.

*Quæ potentia animæ Christi ad suam voluntatem.*

ART. 4. ostendit animam Christi habuisse omnipotentiam respectu suæ voluntatis, ita scil. ut posset facere quæcunque absoluta & rationali voluntate volebat fieri, vel per se, vel per divinam virtutem cujus erat instrumentum. Quæ autem voluntate non omninò absoluta (quam alij conditionalem, alij inefficacem, alij velleitatem dicunt) voluit, non semper fuerunt impleta, ut patet de voluntate calicem Passionis ab eo transferendi. Sed difficultas manet.

*An voluntate absolutâ voluerit aliquid per alios implendum quod non sit factum?*

PRÆTER Cajet. alij probant quod sic. PRIMÒ ex Epist. Agathonis Pontif. quam refert Author in Resp. ad 1.

SECUNDÒ, ex eo quod Christus volebat homines non peccare, qui tamen peccabant.

*Resp. Neg.*

VERUM Authori nostro conformior est pars negans; nam q.18.ar.5. docet voluntatem Christi humanam semper fuisse conformem divinæ, & quòd Christus *secundùm voluntatem qua est per modum,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Omnis humana Christi voluntas absoluta fuit impleta.*

*dum rationis, sed idem volebat quod Deus.* Quæst. A etiam 21. art. 4. dicens quòd *Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle*; concludit; *& ideò omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, impleta fuit, quia fuit Deo conformis.*

Adde, quod beati nihil volunt absolutâ voluntate quod non impleatur; ergo nec Christus. Antecedens ita ab Authore traditur Suppl. q. 71. ar. 1. ad 3. *Animæ Sanctorum habent voluntatem plenariè conformen divinæ voluntati, etiam in volito.* Et ar. 3. *Non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod volunt fieri; quod autem Deus vult, semper impletur &c.*

Ad 1. ergo Resp. verba Pontificis indicare quod Christus humanâ voluntate (utiq; non absolutâ, sed conditionali) voluerit aliquid quod B non poterat propriâ suæ humanitatis virtute consequi; ut proinde à Deo differat qui nihil vult sive antecedente, sive consequente voluntate, quod non possit per seipsum implere. Genuinus autem Scripturæ per eum ex Marci 7. citatæ, sensus est, quòd Christus foris ita se gesserit sicut ij qui latere volunt, veluti se subducendo; ac nihilominus per illam sui subductionem latere non potuerit. Neque verò tunc ulla fuit fictio; quia verè faciebat actionem similem actioni illorum qui latere volunt, & quidem non animo fallendi, sed ad instructionem nostram; nempe ad fugam ambitionis & vanæ gloriæ.

Ad 2. naturali desiderio volebat Christus hominum, ac præsertim Judæorum salutem: ut eorum qui ejusdem secum essent nationis, erga quos solet affectus naturalis esse vehementior, similiterque volebat eos non peccare: sed absoluta voluntas idem volebat quod Deus, permittere nimirum ut peccarent. C

Circa Resp. ad 2. adverte quod Christus dans præceptum Matth. 9. de tacendo miraculo, non habuit voluntatem absolutam, ut taceretur: sed absolutè volebat, etiam humanâ voluntate, ut divulgaretur: Dat tamen ejusmodi præceptum, doctrinæ causâ; ut ostendat fugiendam esse humanam gloriam.

D

## QUÆSTIO XIV.

*De defectibus corporis, assumptis à Filio Dei.*

### Articulus I.

*Christus assumpsit defectus corporis.*

Art. 1. Docet Filium Dei assumpsisse defectus & imperfectiones humanas: Primò, ut pro nobis satisfaceret.

Secundò, ut veritatem humanæ naturæ comprobaret.

Tertiò, ut nobis fieret exemplum virtutis. E Addi potest & quarta ratio quam urget Apostolus ad Hebr. 2. & 4. ut tanquam caput, membris suis non tantùm in naturâ, sed etiam in passionibus & infirmitatibus conformatum, eisdem compareretur.

Contra primam rationem opponi potest, quod si ideò Christus naturæ nostræ defectus suscepit, *ut pro peccato humani generis satisfaceret: Unus autem pro peccato alterius satisfacit, dum pœnam pro peccato alterius debitam in se suscipit*, Quemadmodum B. Th. hîc loquitur; consequens sit ipsum sustinuisse pœnas inferni, ut blasphemavit Calvinus, eò quòd illas promeriti eramus. Resp. non esse consequens: quia etsi unus tunc pro peccato alterius satisfaciat, quando pœnam pro peccato alterius debitam in se suscipit (propter quod & conveniens fuit Christum aliquas pœnas seu pœnalitates nostras, ut passibilitatem, & mortem sustinere;) non oportet tamen ut omnem pœnam peccato alterius debitam in se suscipiat, præsertim si aliqua sit quæ indecentiam magnam contineat, sed sufficit quod reddat æquivalens, sicut fecisse Christum docuimus q. 1. ar. 2. quæsito 3.

Responsio ad 1. consistit in neg. Cons. anima enim Christi propterea debuit esse perfecta secundùm habitus virtutum & scientiarum, ut esset idonea ad satisfaciendum eo modo qui hominibus convenit: Corpus verò ideò debuit subjectum esse infirmitatibus, ut posset pati & patiendo satisfacere.

Quod dicit; *non esset efficax satisfactio quam nimirum homo unus pro alio facere suscipit, nisi ex charitate procederet*, habituali scil. de perfecta & condignâ satisfactione est intelligendum: nam imperfectè & ex congruo satisfaciunt pœnitentes, ut dicetur in Suppl. q. 14. ar. 2.

In Responsione ad 2. naturalis habitudo inter animam & corpus ea intelligitur, quòd quemadmodum anima, cùm sit forma corporis, naturaliter ipsum perficit; ita conveniens sit quod ipsâ supernaturaliter perfecta, etiam corpus perficiatur supernaturaliter, præsertim cùm & corpus ad meritorias actiones operetur, & non sola anima. Vide q. 45. ar. 2.

Circa Resp. ad 4. posset objici: Filius Dei assumpsit humanam naturam ad curandos ejus defectus; ergo non debuit defectus corporales assumere, sed contrarias perfectiones, quia contraria contrarijs curantur. *Ob.*

Sed Resp. Neg. C. quia infirmitatis curatio optimè sit per remotionem causæ, causa autem defectuum nostrorum est peccatum; præsertim superbiæ: & ideò per contraria peccatorum, gratiam, virtutes, ac specialiter humanitatem, optimè curavit nostros defectus, etiamsi quosdam illorum convenienter assumpserit. *Resp.*

### Articulus II.

*Corpus Christi ut fuerit subjectum necessitati moriendi.*

Art. 2. Docet corpus Christi ex necessitate subjectum fuisse morti, & alijs defectibus: spectando necessitatem quæ sequitur ex principijs naturæ. Hinc Apost. ad Rom. 8. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*, id est, habentem corpus ejusdem conditionis, cujus est caro peccatrix, seu corpora post peccatum. Si verò spectemus necessitatem coactionis; quatenus quidem hæc repugnat voluntati divinæ aut humanæ absolutæ; in Christo non fuit necessitas horum defectuum: fuit autem, quatenus repugnat naturæ corporali; nam secundùm conditionem propriæ naturæ subjacuit necessitati & clavorum & flagellorum.

Si dicas, Christum oblatum quia voluit, & voluntate suscepisse quæ nos patimur necessitate; ut frequenter memorant Scripturæ & Patres; Isa. 53. Ad Gal. 2. Hilar. 10. de Trin. Aug. in Ps. 21. 87. 96. Damasc. l. 3. cap. 20. Resp. fuisse in Christo necessitatem voluntariam, id est, voluntariè assumptam: eam enim patiendi & moriendi necessitatem, quam nos ex corruptione naturæ per peccatum vitiatæ, contrahimus, Christus divinâ voluntate, *Ob.* *Resp.*



luntate assumpsit. Ac proinde, quamvis non sic A esset necessitati horum defectuum subjectus, quin fuerit in ejus voluntate eos non sentire, si loquamur de divinâ ejus voluntate, aut de humanâ non absolutè, sed quatenus erat instrumentum Verbi: spectando tamen vires naturales humanæ voluntatis, ejusque corpus in eo statu, in quo illud assumpsit, simpliciter necessitatem habuit. Unde Author in 3. d. 16. q. 1. ar. 2. *Simpliciter concedere possumus* (inquit) *quod Christus necessitatem moriendi habuit, non solùm ex causa finali, sed etiam necessitatem absolutam ut moreretur, etiamsi non occideretur.* Necessitatem autem absolutam eam intelligit, quâ removetur à Christo potentia non mo- B riendi, quantum attinet ad naturam ejus humanâ talem qualè assumpsit. Hinc Aug. l. 2. de pec. mer. c. 29. dicit quòd, *ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus:* Idem significat B. Th. q. 51. ar. 3. ad 2. & clarè affirmat dictæ d. 16. ar. 2. & 3. cui consentiunt Bonav. Scot. & Richard. *Christus secundùm conditionem corporis quam accepit, habuit necessitatem moriendi.*

In Christo ergo quantum ad humanam naturam, fuit necessitas moriendi; *Nec illa subdebatur voluntati ejus humanæ*; ut dictæ d. ar. 3. loquitur Author, *sed solùm divinæ.* Solius enim Dei est immutare legem & cursũ naturæ; secundùm quem, mors nata erat sequi constitutionem talis corporis.

Differentia tamen fuit Christi à nobis. Prima C Quia necessitatem illam voluntariè assumpsit, nos autem ex peccato contrahimus. *Differentia Christi à nobis quantum ad necessitatem moriendi.*

Secunda. Quia in nobis est necessitas moriendi per comparationem & ad naturam, & ad personam; sic ut persona non possit naturam præservare à morte: in Christo autem non fuit necessitas moriendi per comparationem ad personam; quæ si voluisset, naturam perservasset à morte; sed solùm per comparationem ad naturam assumptam, eò quòd in ea nulla esset virtus aut naturalis aut naturæ infusa, per quam posset seipsam à morte præservare.

Tertia, In nobis nec natura potest mortem prohibere, nec voluntas; nam velimus nolimus, D mori debemus: In Christo verò, voluntas etiam humana potuisset mortem prohibere, si voluisset, quatenus illa est instrumentum Verbi.

Ex his ergo patet hanc necessitatem mortis non obstare voluntati Christi: quandoquidem & voluntariè illam assumpserit, & voluntariè mortuus sit.

*Ob.* Si dicas, passibilitas corporis Christi erat miraculosa: miraculum enim est quod gloria animæ beatæ non derivetur ad corpus: ergo non erat ex naturali necessitate, ex dictis ar. 3. q. 13. patet negandum esse Antecedens. Christus enim non accepit corpus præditum dotibus glorioſis, sed simile nostro; & animam, beatam quidem in ordine E ad Deum, sed passibilem in quantum erat forma corporis. *Resp. Passibilitas corporis Christi non erat miraculosa.*

Quod autem in sumptione significatur, gloriam corporis sequi ex gloriâ animæ, secundùm naturalem habitudinem; id verum est *quando anima est omni modo glorificata*, tam secundùm ordinem ad corpus, quàm secundùm ordinem ad Deum ut dicit Author q. 29. ver. ar. 6. ad 4. Et certè, si miraculosus erat corporis ejus fulgor in Transfiguratione, ut q. 45. docet; non potest esse miraculosum quòd in reliquo vitæ mortalis decursu, fulgorem illum non haberet.

Verum quidem est, quod impassibilitas ei deberetur, tam ratione unionis; quàm ratione beatitudinis animæ; sed dispensatione quâdam factum est, ut debiti istius solutio differretur donec salutem nostram esset operatus, faceretq; ut id quod uno modo erat debitum, fieret ei alio modo debitum, inquit eodem art. 6. ad 3.

### Articulus III.

*Christus non contraxit defectus, sed suscepit.*

Art. 3. Docet Christum defectus humanæ naturæ non contraxisse, id est, non ex debito peccati eos habuisse, sicut habent qui naturali modo nascuntur ex semine viti; quiq; trahentes cum vitiata natura peccatũ originale defectus eos ex peccati debito necessariò incurrunt, atque adeò contrahunt. Nam in verbo *contrahendi*; intelligitur ordo effectus ad causam, ut illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur: causa autem pœnalitatum in humana natura, & necessitatis eas patiendi, non alia est, quàm peccatum. Quamvis enim una alia mortis causa, sit compositio ex contrarijs; hæc tamen in naturâ primitùs instituta sic impediebatur, ut homo non esset moriturus si non peccasset; quemadmodum est explicatum 1. p. q. 97. Sed Christus licet puritatem illius naturæ acceperit, voluit tamen de statu nostro assumere passibilitatem, ac patiendi necessitatem, provenientem ex compositione ex contrarijs, ut declarat Bonav. in 3. d. 16 q. 3. conformiter ijs quæ hîc dicuntur in Resp. ad 2. de qua etiam aliquid dicetur ar. 5. q. 15. *Quid sit contrahere defectus.*

### Articulus IV.

*Christus non assumpsit omnes nostros defectus,*

Art. 4. ostendit Christum non assumpsisse omnes defectus hominũ. Cùm enim venerit satisfacturus pro peccato humanæ naturæ, ad quod plenitudo scientiæ & gratiæ requirebatur: conveniens fuit ut sic defectus naturæ, id est, qui totam naturam sequuntur, assumeret, ut tamen careret ijs qui perfectioni gratiæ & scientiæ repugnant. Defectus ergo illos assumpsit, qui & communiter consequuntur totam naturam humanam, & non repugnant perfectioni scientiæ vel gratiæ.

Duplices autem sunt quos non assumpsit, scil. personales, qui nõ universaliter naturam sequuntur, sed in certis tantùm personis reperiuntur, ut lepra, cœcitas, febris, & alia morborum genera: & communes, qui ad imperfectionem gratiæ & scientiæ pertinent, quales sunt non solùm peccatum, sed etiam qui vel ad peccatum ducunt, vel à virtute retardant, ut fomes peccati, difficultas boni operis, ignorantia agendorum, hebetudo mentis, & similes.

Cùm ergo Apostolus ad Hebr. 2. & 4. dicit, Christum suscepisse omnia nostra, excepto peccato; quod & Patres subinde repetunt, ut Leo Epistolâ 10. & Damasc. l. 3. c. 20. intelligendum est de illis quæ sunt toti hominum generi communia, ut mors, fames, sitis, & sub exceptione peccati, comprehenduntur etiam quæ ad illud ducunt, cujusmodi est proclivitas ad malum, & difficultas ad bonum. *Quos defectus non assumpserit Christus.*

Defectus quos in fine corporis vocat indetractibiles, id est, detractionem seu defectum scientiæ & gratiæ non importantes; alij apud Damasc. dicto c. 20. vocant indetrectabiles, id est, qui non debebant detrectari. Billius vertit, reprehensione carentes, Faber, innoxios.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quod in arg. 1. adfert ex Damasc. explicatum A est q.4.ar.2.& explicatur à Bonav.in 3.d.15.q. 2. de natura ejusque partibus.

Ex Resp. ad 2. colligitur Christus quosdam personales defectus assumpsisse, quos nimirum operis, ad quod veniebat, qualitas requirebat; ut sunt livores & vulnera.

## QUÆRITUR AUTEM.

### *An & morbos aliquos assumpserit.*

QUIDAM affirmant: sed negantium pars conformior est Scripturis & Patribus; qui pœnas Christi recensentes, nullius ægritudinis meB minerunt. Unde etiam Scholastici, Th. Bonaven-
*Christus non assumpsit morbos.* Richar. Durand & alij in 3.d.15. & 16. simpliciter negant. Et confirmatur, quia morbus oritur, vel ex imperfectione virtutis formativæ, vel ex inordinatione in cibo & potu, quorum neutrum in Christo esse potuit.

*Ob.* Si dicas, morbos aliquando oriri ex causa externa, veluti ex aëris inclementia aut infectione, quemadmodum tempore pestis contingit; ergo B. Thomam insufficienter dividere causam morborum, quando dicit eos oriri vel ex inordinato victu vel ex defectu virtutis formativæ. *Resp.* neg. C quia dum morbi oriuntur ex aliqua causa externa, etiam oriuntur ex defectu virtutis formativæ, quæ non est tanta ut sufficiat corporis temperiem seu complexionem ita conservare & corroborare, ut prævaleat causis externis: At Christus C sua tum scientia & prudentia; tum bona corporis complexione & virtute, poterat omnes morborum causas avertere, & contra illas, si extrinsecus adveniissent, corpus suum tueri, idque sine miraculo, quia vis resistendi erat in eo potentior quacunque causa externa morbi causativa.

*Alia Ob.* His non obstat quod ar. 2. diximus Christum potuisse senescere, ac tandem ex senio mori si nullus eum interfeciisset: Medicorum autem sententia habeat, mortem nemini posse naturaliter accidere absque febri aut aliqua putrefactione: ut
*Resp.* enim detur ita esse in hominibus carnem peccati D habentibus, & temperantiæ regulas omnes non semper ita servantibus quin aliquando (si desit privilegium) paululum exorbitent, vel deficiant: *Christus potuisset naturaliter mori sine morbo.* in Christo tamen non videtur necessarium hoc admittere, propter naturæ ipsius puritatem, bonam temperiem, prudentiam & virtutem quam habebat: & propterea probabile est, si ad extremam senectutem perveniisset, quod potuisset mori calori naturali & humido radicali paulatim deficiente, sine morbo.

*Alia Ob.* Non obstat etiam quod Christus subinde habuerit aliquam intemperiem qualitatum, ut quãdo vehementiori frigore vel calore fuit infestatus: & quando propter violentas percussiones & E
*Resp.* vulnerationes in sua Passione alterata fuit sui corporis dispositio: quia non quælibet intemperies dicitur morbus, sed ea demùm quæ ex humorum corruptione seu infectione vel putredine aut alia ratione habitualiter radicatur, & per se primò impedit operationes.

*Alia rursum Ob.* Sed neque obstat Christum Isa. 53. dici putatum quasi leprosum: non enim idcircò dicendus
*Resp.* est fuisse leprosus. *Nos* (inquit Propheta) *putavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras.* Quasi leprosum dixit, non leprosum:



Item putavimus dixit perinde ac si diceret, in persona Judæor loquens: nos putavimus eum propter propria pati peccata, sed ut verius intelleximus pro nostris vulneratus est iniquitatibus. In hunc sensum scribit Syn. Francofurt. ita subjiciens de Christo: *Nullatenus morbo lepræ percussus est in corpore, nec lepra peccati vulneratus est in animâ.*

*Alia item Ob.* Denique non obstat eodem c.53.& Matth.8. Christum dici tulisse & portasse nostras infirmitates & ægrotationes. Responderi enim potest, *Resp.* tum quod eos defectus portaverit qui propriè non sunt morbi, tum quod nostros languores & ægrotationes tulerit, id est, abstulerit & depulerit, sanando languidos; tum denique quod pertulerit in corpore suo peccata seu pœnas peccatis nostris debitas, quæ sunt morbi spirituales.

## QUÆSTIO XV.

### *De defectibus animæ à Christo assumptis.*

ARTICULUS I.

ART. 1. Docet in Christo non fuisse peccatum, neque originale neque actuale: quia illud nihil conducebat ad hoc ut Christus pro nobis satisfaceret: neque ut veritatem naturæ humanæ ostenderet, neque ut virtutis exemplum præberet, quæ sunt causæ præcipuæ ob quas defectus humanos assumere voluit.

Hæc doctrina est fidei, patetq. ex Scripturis & Patribus, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, Isa.53.& 1. Petr.2. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioa. 8. Ad Hebr. 7. vocatur Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus: & c.4. tentatus dicitur pro omnia pro similitudine, absque peccato. Hinc can. 10. Conc. Ephes. *Non eguit oblatione, qui peccatum omninò nescivit.* Consentiunt Conc. Later, sub Martino I. can.5.& Syn.6.act.11. Ambr.l.de Incarn.c.7.& alij, de quibus, cùm resolvetur. D

### *An Christus peccare potuerit.*

DURANDUS & alij quidam opinantur Christum saltem de potentiâ absoluta potuisse peccare. Quorum opinio probari posse videtur.

PRIMÒ, quia natura humana in Christo est ejusdem rationis cum nostra, habetque eandem potentiam in supposito Verbi, quam haberet si separaretur: Sed separata posset peccare: ergo & unita.

Confirmatur, Christus secundùm humanum liberum arbitrium poterat non obedire præcepto Patris quod acceperat de morte pro nobis subeunda; ergo poterat peccare; quia non obediendo peccasset. E

SECUNDÒ, ex hoc quod voluntas Christi humana peccaret, non idcircò divinum suppositum peccaret: ergo nihil vetat dicere quod illa peccare potuerit. Antec. Prob. quia omnes actiones ad extra sunt communes toti Trinitati: Sed eo casu posito nec Pater nec Spiritus Sanctus peccaret; ergo nec Filius.

TERTIÒ, Deus potest absque peccato permittere quod humana natura pecceat, cum non teneatur ejus peccatum impedire: ergo quamvis humani-



humánitas assumpta peccaret, peccatum non tiA bueretur Deo.

QUARTÒ, Christus ut homo potest peccare, si vult: ergo absolutè potest peccare. Prob. Conseq. partim quia id quod potest quis facere si vult, absolutè potest: partim à simili: ex eo namque quod homo potest ambulare si vult, bene infertur quod potest ambulare.

QUINTÒ, Justus non obstante gratiâ habituali potest peccare mortaliter, sic ut peccando gratiam illam perdat: ergo etiam voluntas humana Christi non obstante gratia unionis poterat peccare mortaliter, sic ut gratiam illam perderet. Utraque enim gratia habet repugnantiam ad peccatum mortale.

SEXTÒ, Mortuum esse repugnat Deo secundùm se; & tamen potest illi tribui in humana naB tura: ergo similiter peccatum.

*Christus nec peccare potuit nec peccatum habere.* His alijsque similibus non obstantibus.

RESPONSIO communis & certa est Christum neque ut Deum, neq; ut hominem potuisse peccare, vel peccatum habere, etiam de potentia Dei absoluta.

PROB. 1. quia hoc ipso quo humana Christi natura est hypostaticè unita Verbo divino, factum est quod ipsa sit natura Verbi tãquam suppositi illam velut naturam suam hypostaticè sustentantis ac terminantis: ergo ad Verbum divinum pertinet, eam dirigere ne à recto deficiat, sicut ad alia suppositа humana pertinet ut naturam cujus suppositа sunt, dirigant; adeò ut si natura peccet, ipsi supposito imputetur, ipsumque sup- C positum peccare dicatur. Ita namque Verbum divinum se habet ad naturam suam humanam & ad illius actiones, sicut propria & naturalia suppositа se habent in cæteris hominibus ad suas naturas & ad naturarum suarum actiones liberas: Atqui in alijs hominibus ita se habent suppositа propria, ut ad ea pertineat quicquid libera voluntas naturæ ipsorum agit, eisque verè imputetur si illa peccet: ergo etiam ad Verbum divinum pertinet quicquid libera voluntas ejus humana agit, verèque illi imputaretur si ipsa peccaret.

*Tacita ob.* Neque refert, quod Verbum divinum non te-
*Resp.* neatur ullis legibus: quod enim ad ipsum pertineat, dirigere suam humanitatem, atque adeò ipsi imputetur id quod illa agit, non est ex aliqua lege D vel præcepto quod particulariter sit ei impositum; sed est ex conditione suppositi ad naturam quam hypostaticè sustentat comparari; quæ conditio talis est, ut suam naturam dirigat & ita modificet ac dirigat, ut in quantum potest, non sinat eam operari difformiter rectæ rationi; &, si sinat, ipsum sit quod malè operatur, & cui malæ operationes imputantur, Addi potest quod licet Verbum divinum secundùm naturam divinam non teneatur ullis legibus, secundùm humanam tamen tenetur aliquibus, ut q.30.ar.1. docet B.Th.

PROB. SECUNDÒ, natura Christi humana ex eo quod sit Verbo divino unita, est Deificata E & Deo infinitè digna ipsiq; gratissima: ergo nullum ne veniale quidem peccatum potest habere vel committere. Quod enim est Deificatum, & Deo infinitè dignum, eique gratissimum, nihil habere vel committere potest quod Deo displiceat: Certum autem est, Deo displicere quodcunque peccatum etiam levissimum.

PROB. TERTIÒ, Actiones sunt suppositorum, ita ut verè ac propriè dici possit, quod omnium illarum operationum cum suis modis & circumstantijs sive bonis sive malis, quarum natura vel facultas naturæ est *principium quo*: earumdem etiam cum suis modis & circumstantijs. *principium quod*, sit ipsum suppositum; ac per consequens si aliqua naturæ potentia sit causa alicujus actionis peccaminosæ seu habentis defectum rectitudinis; ipsum suppositum est principium quod talem actionem tali modo talibusque circumstantijs affectam operatur, atque adeò quod verè ac propriè peccat. Sed in Christo tantùm est unum suppositum, illudque divinum: ergo si natura ejus humana peccaret, esset divinum suppositum quod actionem illâ etiam ut peccaminosam committeret, quodque propriè peccaret: id quod est omninò impossibile. Neque est quod respondeatur *Tacita ob.* actiones esse suppositi, non ut agentis & moventis (cùm personalitas non sit activa) sed solùm ut sustentantis naturam: quo modo aqua calida quempiam calefaciens non propriè est principium quod calorem agit, sed est subjectum sustentans calo- *Resp.* rem. Quamvis enim personalitas non sit activa, suppositum tamen per eam constitutum ita est activum, ut sit principium *quod* operationem elicit quemadmodum natura est principium ejusdem operationis *quo*: ipsum autem suppositum simul cum natura, sit unum totale principium operationis productivum. Neque est simile quod adfertur de aquâ calidâ, cùm calor adveniat aquæ tanquam accidens, & quidem contra naturalem ipsius inclinationem: Verbo autem divino non sic advenit humana natura, sed ita ut subsistantialiter seu hypostaticè illam sibi uniat, & ita sustentet sicut suppositа solent sustentare naturam cujus sunt suppositа.

PROB. QUARTÒ, per communicationem idiomatum, quicquid fecit ille homo Christus, potest dici fecisse Deus: ergo si ille homo peccaret, Deus peccaret.

QUINTÒ. Christus ab initio conceptionis erat beatus: beati autem peccare non possunt, ob rationem 1.p.q.62.art 8. dictam.

SEXTÒ, Christus ut homo est caput & regula aliorum: regulam autem primam oportet esse inflexibilem.

POSTREMÒ: quælibet actio magis tribuitur causæ ptincipali quàm instrumento: sed humanitas Christi erat instrumentum Verbi: ergo humanitatis actiones magis tribuendæ sunt Verbo. Hinc est quod art.2.quæst.1. diximus eas habere valorem infinitum à supposito: à quo procedunt.

His accedunt Patrum testimonia, *Humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus noster* inquit ex Athan. Syn.6.act.8. *Illius voluntas cùm tota Deificata sit, Deo proculdubio non adversatur*, Nazia. orat.36. *In ejus non tantùm divinitate; sed nec in animâ, nec in carne ullum potuit esse peccatum*, ait Aug.l.2.de pec.merit.c.1. & Ench.c.40.sic in naturæ humanæ susceptione factam ait gratiam illi homini quodammodo naturalem, ut nullum peccatum posset admittere. Videri etiam potest l.de prædest.Sanct. c.15. & de correp. & grat. c. 11. Quibus consentiunt Greg. l.3. Moral. c.13. Basil Epist.65. Chrys. in c.7 Isai. S.Tho. Bonav. Richar. Palod. in 3.d. 12 & alij complures.

Ex his notum est, quod licet anima Christi peccabilis esset, si in se & seorsim tum à Verbo, tum à beatitudine consideraretur: simpliciter tamen peccare non poterat, eò quòd unio hypostatica Verbi divini ad naturam humanam non compatiebatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca



tiebatur ullum peccatum in naturâ Verbo sic unitâ, adeò vt si Deus poneretur assumere naturam vel ex Adamo via ordinaria,& per vim seminalem procedentem, vel antea peccato obnoxiam; natura illa peccatum non contraheret, sed esset ipso suæ conceptionis instanti sancta propter unionem ad Verbum; & peccatum quod poneretur fuisse ante assumptionem, statim desineret, sicut tenebræ disparent luce adveniente.

Et ex ijsdem colligendum relinquitur, quòd licet in Christo fuerit potentia quâ peccatur, id est, liberum arbitrium; non sit tamen dicendum quod ipse habuerit potentiam peccandi, quia cum peccare non specificet potentiam liberi arbitrij: potentia peccandi ea esse intelligitur, quæ est ordinata ad peccatum ita ut peccare possit. Ita Author in 2. d. 12. q. 2. ar. 2.

Ad Arg. verò, et ad 1. quidem Resp. Neg. C. tum quia posse peccare non est potentiæ in quantum est potentia, sed defectus, & ad aliquam potentiam pertinet secundùm quod est defectibilis, non verò secundùm quod est potens: tum quia humana Christi natura ex hoc quod est unita Verbo, impeditur ne peccet, imò & ne possit peccare: hoc autem impedimentum cessaret: si esset à Verbo separata.

Ad Confir. Resp. dupliciter intelligi posse istud, *non obedire*. Uno modo privativè seu contratiè, ut importat præcepti transgressionem, seu privationem observationis præcepti quod debet observari. Alio modo merè negativè, ut importat solam negationem actûs: quæ quidem negatio tam dicitur præcepto non existente, quàm existente. Cùm enim nullum est alicui præceptum impositum, verè affirmamus quod ipse præceptum non implet, & hoc modo nullum est peccatum, non implere præceptum. Si ergo Antec. intelligatur juxta hunc posteriorem modum, eo concesso neg. est Cons. Sicut enim Christus absolutè potuit non velle mori, propter arbitrij sui libertatem, secundùm quam in sensu diviso & simpliciter poterat non mori; & non velle mori; ita juxta hunc sensum potuit non obedire.

*An Christus potuerit non obedire.*

Si verò Antecedens intelligatur juxta priorem modum, negandum est: quia sicut Christus non potuit peccare; ita non potuit non obedire vel nō implere præceptum; quia non obedire juxta hunc modū, est peccare. Quomodo autem hæc non adversentur libertati Christi, videri potest q. 18. ar. 4.

Ad 2. neg. Ant. Ad ejus probat. Resp. omnes quidem actiones ad extra, esse communes toti Trinitati tanquam efficienti, non sunt tamen communes secundùm quod involvunt aliquid causæ formalis seu quasi formalis: quo modo actiones humanitatis Christi involvunt, scil. quod sint actiones vitales, quodque procedant à Verbo tanquam illius naturæ supposito, ac per consequens actionis vitalis principio quodammodo interno. Quamvis ergo si humanitas Christi peccaret, nec Pater nec Spiritus Sanctus peccaret; peccaret tamen Filius, quia Filius est istius humanitatis suppositum, non autem Pater nec Spiritus Sanctus, quâ ex causâ idem Filius in humanitate & per humanitatem meritus est ac satisfecit, non verò Pater nec Spiritus Sanctus.

Ad 4. Resp. Antecedens si intelligatur de Deo secundùm divinam naturam, verum esse sicut & bona est consequentia, si consequens similiter intelligatur: nam nec Pater nec Spiritus Sanctus tenetur impedire ullum peccatum; ut nec Filius secundùm naturam divinam, cùm juxtà ordinem suæ providentiæ tota Trinitas possit illud pro maiori bono permittere.

Si verò Antecedens intelligatur de Deo, id est, de Dei Filio secundùm quod est suppositum humanæ naturæ, sic non poterat absq; peccato permittere quod sua humana natura peccaret, sed tenebatur peccatum illud impedire sicut tenebatur obedire præcepto Patris, & per suam humanam naturā operari secundùm regulam rectæ rationis.

Ad 4. Resp. neg. Cons. neque enim universaliter verum est, id quod potest quispiam facere, si vult, absolutè ipsum posse, nisi supponatur quod hoc ipsum possit velle, Christus autem etiam ut homo non potest velle peccare. Alioquin simili ratione concludi posset, lapidem absolutè posse peccare; quia etiam lapis si vellet peccare, peccaret: Notum est enim quod huiusmodi conditionales propositiones propriè loquendo nihil ponāt in esse, neque affirment aliquid esse possibile; sed ad earum veritatem sufficit esse bonam consequentiam, ita ut repugnet antecedens esse verum & consequens falsum: involvunt namq; talem consequentiam, Christus vult peccare, ergo potest peccare; & similiter de lapide. Quæ consequentia est bona, tametsi antecedens quemadmodum & cōsequens, sit falsum, imò & impossibile: quia si antecedens esset verum, etiam consequens verum esset, & ex illo antecedente bene sequeretur. Unde patet id quod pro simili adducitur, non esse simile, quia homo potest velle ambulare, vide quæ diximus 1. 2. q. 79 ar. 1. ad 8.

Ad 5. neg. C. quia non eandem habet utraque gratia repugnantiam ad peccatum. Habitualis enim non repugnat peccato veniali, mortali autem sic quidem repugnat, ut non conpatiatur illud simul in eodem subjecto, non tamen excludit possibilitatem vel potentiam peccandi. Et ideò justus nō potest simul peccare mortaliter, & retinere gratiam habitualem, potest tamen sic peccare & peccando gratiam perdere. At gratia unionis ita repugnat cuicunque peccato, ut etiam peccandi possibilitatem excludat. Cujus diversitatis ratio est, quia unio gratiæ habitualis solùm est accidentalis, & non facit liberum arbitrium stabile ac immutabile in bono, ideoque relinquit ipsum potens deficere: Unio autem Verbi ad humanitatem est substantialis, & humanitatem suam fixam ac immobilem facit in bono, atque ita non sinit eam potentem ad deficiendum, propter impeccabilitatem suppositi quod illam tanquam ejus suppositum terminat. Deinde, quando justus peccat, gratia quæ in eo præexistit, non est causa peccati, sed per peccatum expellitur. Si autem Christus ut homo peccaret, suppositum divinum esset causa peccati, quia non est ei aliud suppositum quod possit dici causare peccatum, diversum à divino.

*Cur Deus possit dici mortuus, & non peccare.*

Ad. 6. etiam neg. Cons. quamvis enim *esse mortuum*, repugnet Deo secundùm se: mori tamē vel *esse mortuum*, secundùm aliam naturam, nimirum secundùm eam quam assumpsit, nō involvit ullam rationis de ordinationem, neque ullam à Deo aversionem, sed est quiddam pœnale, quod & à Deo potest procedere, & in Deum sicut in finem ordinari: & hinc est quod mori & esse mortuum possit tribui Deo secundùm naturam humanam: At peccatum, & peccare, involvit rationis deordinationem & aliquam à Deo aversionem, quæ nec à Deo procedere, nec in Deum ut in finem potest ordinari; & propterea nullo modo dici potest quod Deus secundùm humanam naturam peccat, vel peccatum habeat; Id quod tamen foret dicendum, si Christus secundùm humanam naturam peccaret seu peccare posset.



In Responsione ad 1. locus Psal. 21. *Verba delictorum meorum*, sic exponitur ut Christus delicta hominum vocet sua per appropriationem personalem, quâ id quod membris ejus convenit, personæ capitis attribuitur, quasi diceret delicta quæ in me suscepi, & pro quibus tanquam meis satisfacere proposui, elongant me à liberatione ex his malis. Consonat his Augustin. in Psalmum 21. dicens de Christo quod delicta nostra, sua delicta fecit, dum videlicet suscepit pro illis satisfacere.

### Articulus II.

*In Christo non fuit fomes peccati.*

Art. 2. negat in Christo fuisse fomitem peccati. Quo nomine licet aliquando intelligatur actualis motio appetitus sensitivi ad objectū sensibile contrarium rationi, ipsam præveniens, vel ei obluctans, & ad peccatum trahens; magis tamen denotat vim insitā, quę non est aliud quam habitualis & inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, ut dicitur art. 3. q. 27. Non quod sit qualitas aliqua positiva ex peccato addita appetitui, augens & deordinans inclinationem ejus ad bona sensibilia; sed quia est inclinatio appetitus, sive ipsemet appetitus sensitivus, ut inclinatus & proximè dispositus ad præveniendum rationem, & contra eam agendum. Hanc vim ex peccato initam, vocant fomitem in actu primo; motionem verò, fomitem in actu secundo. Neutrum fuisse in Christo probat Author; tum quia virtutes in Christo fuerunt secundùm perfectissimum gradum, ut qui singularissimè haberet plenitudinem gratiæ & veritatis: tum quia fomitis assumptio non conducebat ad finem Incarnationis. Addi potest quod & status beatificus, & Verbum hypostaticè unitum humanitati sic tenebat inferiorem appetitum, superiori subjectum ut non sinerent eum esse dispositum ad motus inordinatos. Eandem doctrinam habent S. Leo Epist. 11. Damasc. l. 3. c. 20. & Scholastici in 3. d. 15.

*Quid sit fomes peccati.*

Cæterùm potuerit ne Christus assumere naturam humanam vel cum fomite, vel cum habitibus vitiosis, disputari potest. Pars affirmativa non videtur improbabilis; quia Christus etiam ut homo sufficientem habebat virtutem ea (si in ipso fuissent) ita moderandi & cohibendi, ut nullum ne veniale quidem, peccatum sequeretur. Ita sentiunt Vasq. disp. 61. c. 6. & 8. Gamacius ad hanc q. 15. c. 2. Kellison. dub. 3. à quibus dissentit Nazarius post Suar.

Quod in Resp. ad 2. indicatur, naturale esse, ut appetitus sensitivus hominis concupiscat secundū modum ordinemque rationis: id verum est, partim secundùm naturam ut ab initio fuit instituta, partim etiam secundùm naturam præcisè & simpliciter; ut 1. 2. q. 82. art. 3. ad 2. Author exprimit. Per naturalem enim dominatum mentis, fieri aliquatenus potest, ut appetitus sensitivus concupiscat secundùm modum rationis; quamvis non universim id fieri possit, ne quidem in homine per gratiam reparato.

De eo quod in Responsione ad 2. dicit Chri-



stum non sustinuisse impugnationem interiorem ex parte fomitis, dicendum erit quæst. 41, art. 1. ad 3.

Objici quidem posset Cyril. qui l. 10. Thesauri, c. 3. affirmat singulas passiones carnis fuisse in Christo absque peccato: sed loquitur de affectibus naturalibus & innoxijs, cujusmodi sunt timor, dolor, tristitia.

### Articulus III.

*Nulla fuit in Christo ignorantia.*

Art. 3. probat in Christo nullius rei fuisse ignorantiam; quod ex ante dictis de ejus scientiā manifestum est, ac specialiter ex q. 10. ar. 2. *Quam planè ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis*, ait Aug. l. 2. de pecc. merit. c. 29. Vide Bern. hom. 2. super Missas. Quidam objiciunt B. Aug. velut adista verba Ps. 21. *Quare me dereliquisti*, scribentem, Christum ignorasse quare Deus ipsum dereliquerit. At negandum est Aug. hoc de Christo scribere. Verba ejus sunt: *Vetus homo confixus cruci loquitur, etiam causam ignorans, quare eum dereliquerit Deus.* Ex quibus manifestum est Aug. non de Christo, sed de vetere homine loqui.

Locus Isai. 8. qui in arg. 3. objicitur, varias habet de Christo expositiones. Una est, *Antequam sciat puer vocare patrē & matrem*. id est, antequam fiat homo habens scientiam humanam quâ possit vocare. Secunda, antequam ostendat se scire. Tertia, antequam sciat, id est, possit ore humano, vulgari & naturali modo loqui ac dicere, Pater mi; Sic enim habent Hebræa: *Antequam sciat puer vocare Pater mi, & mater mea.* Id est, ait Aug. ser. 32. de temp. qui est 4. de Epiph. *Antequam per humanam carnem humana verba proferret.* Eandem expositionem adferunt B. Th. hîc, Carthus. & Cornelius in Isai.

### Articulus IV.

Art. 4. docet Christi animam fuisse passibilem: quia de ipso legitur, Psal. 87. *Repleta est malis anima mea.* Malis autem non peccatis, sed humanis doloribus. Ipse etiam Joan. 12. dicebat nunc anima mea turbata est, Matth. 26. Tristis est anima mea.

Hac occasione S. Doctor distinguens passiones animæ, ut aliæ sint corporales quibus anima patitur ad corporis læsionem aut perturbationem: aliæ animales, quæ vel propriè sunt animæ, vel saltem principalius quam corporis.

*In Christo fuerunt passiones, sed aliter quam in nobis.*

Docet utraque fuisse in Christo. Vocantur autem passiones animæ, affectiones appetitus sensitivi, eò quòd oriantur cum motione & alteratione corporis; & hæ fuerunt in Christo, sed aliter quàm in nobis.

Primò, quia in nobis plerumque fuerunt ad illicita.

Secundò, quia frequenter præveniunt judicium rationis, imò & contra illam insurgunt.

Tertiò, quia nonnunquam pertrahunt rationem, & consensum ejus obtinent. In Christo autem nihil istorum poterant: nā omnes motus appetitus sensitivi exoriebantur in eo secundùm dispositionem rationis, vel positivè moventis, quomodo Io. 11. *Turbavit semetipsum*, vel prævidentis & permittentis. Cùm semper esset in actuali

Universidad de Deusto
Biblioteca



usu rationis, & perfectum haberet dominatum A suorum omnium affectuum poterat prævidere omnem motum, eumque vel prohibere vel admittere prout volebat. Hinc Syn.6.General.act.11. *Christus arbiter & Dominus erat motuum naturalium & omnium suorum affectuum sive passionum qui nisi eo annuente non movebantur.* Confer Epist.11. S.Leo.Aug.in Ps.87.& Damasc.l.3.c.20.

Hinc est quod apud Veteres aliquando legitur non fuisse passiones in Christo; perfectas scilicet, quæ vel prævenirent judicium rationis, vel ipsam pertraherent, illique dominarentur; fuisse autem propassiones, id est, motus sensitivi appetitus, non se extendentes ad rationem vel commovendam vel perturbandam, ut ex Hier.in c.26. Matth. ac- B cipitur; quamvis prout in c.5. eas accipit, scil. in quibus est initium culpæ, non sit in Christo. Hic autem modus loquendi propter Stoicos usurpatus fuit, qui passionum nomine non nisi pravos animi motus intelligebant; sed nunc usus obtinuit, ut etiam passiones vocentur affectiones animi ordinatæ.

### Articulus V.

*Fuit in Christo dolor sensibilis.*

Art. 5. probat in Christo fuisse dolorem sensibilem: fuit enim in eo læsio acerba in Passione, ac etiam sensus læsionis, quandoquidem ejus animæ nulla naturalis potentia defuerit, nec C fuerit imperfecta. Præter Scripturas quæ Christum vocant virum dolorum & dicunt eum dolores nostros portasse, Isai.53. aliasque ejusmodi, videri possunt Ambr.l.2. de fide, & c.22. Lucæ, Aug.in Ps.87.Hier.in c.26.Matth.& Scholastici in 3.d.15.& 16.

Circa Resp. ad 1. non sunt audiendi, qui B. Hilarium accusant quasi dolorem à Christi animâ excluserit. Accusavit olim Berengarius; sed is à Lanfranco justè reprehenditur in Epistolâ quam refert Baron.tom.11. Annal. ad An. Christi 1088.§.22.& seq.S.Bonav.narrat se ex Guil. Episcop.Parisiensi audivisse quod legerit librum, sive, ut est apud S.Th. Epistolam retractationis. D Sed quamquam ista retractatio posset intelligi sententiarum duriusculè sonantium explicatio, non sistit tamen Bonaven. in istâ Responsione; sciens ab Hieron.id de Hilario dictum, quod Ecclesia recitat in ejus Festo, *Hilarij libros ineffenso decurrat pede.*

Quapropter cum Sanctis Tho.& Bonav.consentientibus Magistro, Richardo, & alijs, dicendum est, S. Hilarium à Christi humanitate non excludere veritatem doloris; sed quibusdam locis necessitatem sentiendi dolorem, qualis est in nobis: Alijs, dolorem qui aliquâ ex parte mentem turbaret aut impediret: Alijs, dolorem à naturâ divinâ. Loquitur enim contra Arianos, qui ex ejus- *Pro S.Hilario.* modi, affectionibus, velut involuntarijs, arguebant E Christi impotentiam: & omninò ex earum perpessione concludebant eum non esse ejusdem cũ Patre substantiæ. *Aliquorũ*, inquit can.31.in Matt. *ea opinio est, quod cadere propter se mæstitudo in Deũ potuerit*, Et paulò post, *volunt enim ex infirmitate corporis, ærumnam spiritui adhærere, ac si virtutem illam incorruptæ substantiæ imbecillitatu suæ sorte assumptio carnis infecerit.* Contra quos loquens, *Mori*, inquit, *nihil in Deo potuit, neque ex se metus Deo ullus est,& non ante tristu est quam assumit* (Apostolos) *& omnis metus, illis esse cœpit assumptis.* Item *Superiorũ metũs sui indicat causas dicens, Orate ne intretis in tentationem.* Et rursum: *Omnem in se corporis nostri infirmitatem assumpsit, pro nobis dolet,&c.* In Ps.verò 53. sic loquitur, *Esurivit, sitivit, dormivit lassatus fuit, impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, & flevit, & passus est, & mortuus est. Et ut hu omnibus, non naturâ, sed assumptione subjectus esse posset intelligi, perfunctus hu omnibus, resurrexit.* Et postea, *Dolorem divinitatis natura non sentit.* Et in Ps 68. *Universarum humanarum passionum sorte perfunctus, secundum susceptas infirmitates nostras loquitur & dolet, ipse quidem extra necessitatem & timoris positus & doloris; sed hu se tamen quæ suscepit, accommodãs.* Et iterùm, *Pro nobis secundùm Prophetam dolet, & idcircò esse in doloribus æstimandus est.* Plura tum l.10.de Trin.tum locis jam dictis occurrunt, quæ quorundam isto libro durè sonantium explicationem possint suggerere. Neque enim Hilar.negat (ait Philippus Abbas bonæ spei, S.Bernardo contemporaneus Ep.5.) *quin ille nostri & corporis & animi passiones pertulerit, perferendo doluerit: sed quia hunc dolorem non ei necessitas naturalis intulerit*, talis nimirum necessitas, quâ quis velit nolit, ad dolendum compellitur. Ejusmodi enim necessitatem removere à Christo Hilarium censet Philippus, quâ invitus vel pati vel dolere posset, sicut in nobis accidit, eò quòd non haberet naturam, ut sicut nos dolere cogeretur, quamvis infirmum corpus ejus esset in eo quod pati posset & dolere.

Præterea, cùm Hilarius eodem libro 10.doceat, sensum fidei sic aliquorum Sanctorum corpora immutare, ut dolores non sentiant (quod de Laurentio & alijs tradunt etiam Aug. Bernard. & alij) sciendum est, quòd ejusmodi sermone non removeatur ab eis sensus doloris, sed tantùm significatur quod tormenta non hoc in eis efficiant quod in alijs efficere solent, id est, quod dolor inde perceptus non ita eos affecerit ut mentem perturbaret, atque à recto statu ullatenus dimoveret; sed ita constantes manebant quasi tormenta omninò non sentirent. Quod si rectè dixerunt de illis in quibus sensualitas nondum erat perfecta subjecta rationi; quantò convenientius de Christo dicere potuerunt.

Ex his patet quomodo sanè intelligi possit Clemens Alexand.l.6.stromatum, ubi Christum vocat impatibilem, quem nullus subit motus affectionis, neque voluptas, nec dolor. Negat enim necessitatem patiendi aliquid istorum; negat affectus qui mentem alterant; negat ablolutam comedendi necessitatem; eò quòd vis divina corpori unita posset corpus sine cibo tenere, si voluisset.

Circa eandem Responsionem difficultas est, quomodo peccatum vocet causam primam seu remotam defectuum humanæ naturæ, cum art.3. qu. 14. ad 2. vocaverit proximam. Resp. quod ibi loquatur de causis secundùm se; sic autem compositio ex contrarijs est prima; & peccatum quod illi supervenit, posterior: hîc autem loquitur de causis prout in exercitio mortem adferunt; quomodo peccatum, à quo mors alijque defectus inceperunt, primum est; compositio autem ex contrarijs est causa proxima. Postquam enim peccato sublata est originalis justitia, hæc est quæ proximè exequitur operationes, ex quibus sequitur mors.





A mor potuit esse in Christo, cum sciret mortem absque ulla dubitatione futuram.

Resp. tam ex mente Philosophi, quam S. *Resp.* Thom. agnoscendum esse aliquem timorem de malo imminenti futuro, etiamsi sciatur certò eventurum. Nam hîc adferens duplicem timoris modum, unum quo appetitus refugit malum *Timor etiam est de malo inevitabili.* futurum alium quo refugit malum consideratum cum incertitudine eventûs: illum Christo tribuit, istum removet: Ille à Damasc.l.3. c.23. vocatur naturalis; ab alijs simplex dispicentia, quæ est actus animæ naturaliter malum refugientis, & seipsam viresque suas contrahentis contra illud: alter verò, quem B. Thomas Pholosophum secutus dicit non esse de malo inevitabili, intelligitur is qui est per modum actus perfecti & efficacis, quique inducit ad consulendum de modo evadendi, & ad quem auditores induci debent à Rhetore, ut declarat Philosophus 2. Rhet.c.5. *Timor* (inquit) *ad consulendum inducit, nemo enim de re consulit de quâ nulla spes apparet.*

Pro Resp. ad 1. negand. est Conseq. quia Sapiens Proverb. 28. non excludit à justo omnem timorem, cum eodem c. dicat illum beatum *qui semper est pavidus*; sed cum quo quispiam sibi malè conscius pœnam meruit, sicq; timet ut ratione se turbari permittat. Vult enim significare quod bona conscientia & gratia justum confortans facit ipsum esse confidentem & imperterritum, illo nimirum timore, qui eum à bono avertat rationisque ordinem perturbet, aut quo peccatorum vindictam exhorrescat.

In resp. ad 2. observa B. Hilarium excludere à Christo timorem, non simpliciter, sed quoad necessitatẽ timendi. Confer quæ diximus Ar.5.ad 1.

Resp. ad 3. addi potest, timorem etiam esse de malo quod non potest honestè & rationabiliter vitari; quomodo Martyres mortem timere potuerunt, quam tamen vitare potuissent, sed non honestè vel sine peccato.

### Articulus VI.

*In Christo fuit tristitia.*

Art. 6. Docet in Christo fuisse tristitiam, quia potuit interius apprehendere aliquid ut nocivum; & quantum ad se, ut est mors & passio; & quantum ad alios, ut peccata eorum: Quod autem sic apprehenderit, atque adeò tristatus fuerit; ex Matth.26.liquet ubi legitur dixisse, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Idemque ex alijs Evangelistis manifestum est, & ex Ambr.l.2.de fide, Hieron.in c.26.Matth.Aug.in Ps.92.

Quod autem Hieron. isto loco, & Hilar.l.10. de Trin. dicunt Christũ non timore patiendi contristatum, sed propter scelus Judæ, & scandalum B Apostolorum eversionem Jerusalem &c. ideò dicitur, quia passio erat ei prorsus voluntaria, ideòque non tristabatur de illâ quasi de re quæ ipso nolente accideret: scelera verò erant contra voluntatem ejus, quæ dicitur signi; ipsaque eversio Jerusalem quantum ad meritum Judæorum, similiter erat contra eandem voluntatem; etiamsi omnia illa permittente eo contingerent.

In Resp. ad 1. verba Isai. 42. *Non erit tristis*, ita explicantur, ut à Christo removeant tristitiam inordinatam, quæ vel præter, vel contra dictamen rationis oritur, ipsamque ad se perrahit: unde additur, *neque turbulentus.* Sensus ergo est, C quod Christus per passionem tristitiæ non turbabitur, sed mentis tranquillitatem semper conservabit. Apud Septuaginta legitur, *splendebit & conteretur*; quo significatur quod ex mortuis resurgens cunctos illuminabit, nec morte contritus sit, ait Hieron.in c.42.Isaiæ.

Pro Resp.ad 3.neg.est.C.quia locus Prov.12. solùm significat quod quicquid justo acciderit, non eum faciet esse dejecto animo, neque illum sic contristabit ut rationis ordo perturbetur.

*Tristitia est etiam de malis quæ volentibus accidunt.*

Responsio ad 4. est non pertinere ad rationem tristitiæ ut sic de illis quæ absolutè nobis nolentibus accidunt, licet ita sæpè contingat; sed ut sit de illis quæ aliquo modo sunt involuntaria. Sicut D enim projectio mercium in mare, & potio amara secundùm se sunt involuntaria; sed ex consideratione finis, voluntaria: sic in Christo mors & passio fuit secundùm se involuntaria, quia repugnant naturali appetitui; sed ob redemptionem nostram necessaria.

### Articulus VII.

*In Christo fuit timor.*

Art. 7. Docet in Christo fuisse timorem: *Cœpit enim*, (ait Marc.c.14.) Jesus *pavere & tædere.* Ex timore mortis etiam procedebat illa oratio: *Si possibile, transeat à me calix iste*, ut videre est apud Ambr.l.2. de fide, c.3. Leo.ser.7. de Passione, Chrys.in c.26.Matt. *Caro factus* (ait E Cyril.l.4.in Joan.c.1.) *permittit carni ut sua patiatur, & ideò ut verè homo præsentem jam in januis mortem timescit.*

Neque his repugnat Aug.enarr.2.in Ps 21. conferens Paulum cum Christo ac dicens, *Ille optat mortem ut sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem!* Solum enim excludit à Christo timorem quo deliberatè vellet mortem declinare, non verò timorem naturalem.

*Ob.* Dices, timor est de malo futuro quidem, sed evitabili, quemadmodum ex Philosopho hîc tangitur, & latiùs 1.2.q.42.art.2. quomodo ergo ti-



### Articulus VIII.

*In Christo fuit admiratio. Quid admiratio.*

Art.8. Docet ex cap.8. Matthæi fuisse admirationem in Christo, non solùm quia instar admirantis vultum composuerit, sed quia verè habuerit affectũ admirationis. Est autem admiratio nõ ipsa rei novæ ac insolitæ cognitio; sed id quod eam in animo sequitur, scilicet intenta animæ applicatio per attentionem aut effectum, ex eo quod occurrat aliquid sive ignotum, sive insolitum & excellens. Hinc varij sunt admirationis modi.

Primus est ex ignorantiâ causæ, quam viso effectu insolito, scire desideramus.

Secundus, est ex apprehensione rei magnæ, singularis & insolitæ, etiamsi antea cognosceretur: quæ si bona est, oritur in affectu complacentia desiderium eam laudandi. Et de hâc videtur locutus Philosophus argumento 2. citatus; Magnanimus enim non facilè judicat aliquid esse magnum & laude dignum. Si verò sit incommoda; infert genus quoddam timoris, quod à quibusdam vocatur stupor.

Tertius, secundo affinis, est, quando viso effectu insolito, incitamur ad eum, ejusque causam novo modo cognoscendum & laudandum. *Quatuor modi admirationis.*

Quartus, quando licet effectus & causa cognoscantur; non tamen comprehenduntur. Hunc indicavit Author 1.2.q.32.art.8. dicens admira-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tionem oriri ex hoc quod causa effectus, excedit A cognitionem aut facultatem admirantis: Tertium idem Author etiam hic innuit: Primum & secundum expressit Aug. epist. 101. dicens, *Istæ causæ sunt admirationis; cum vel ratio cujusq; rei latet, vel eadem res usitata nō est, quod aut singularis, aut rara est.* Et postea; *Ex aliâ causa admirationis, quæ ideò est quia insolitum aliquid occurrit scriptum est de Domino, quod miratus sit Centurionis fidē. Neq; enim tum rei ullius ratio potuit latere, sed admiratio pro laude posita est.* Quod non sic intellige, quasi non fuerit modus admirationis propriè dictus; sed quia ad secundum illum modum pertinet desiderium laudandi rem, quam ut insolitam quis admiratur. Hinc Aug. dicta epist. 101. *Hæ causæ atq; rationes* B *cùm latent, miramur quæ fiunt: cum autem patent, consequenter ea vel convenienter fieri dicimus: nec mirandum esse quia facta sunt quæ ratio exigebat ut fierent. Aut si miramur, non inopinata stupendo, sed excellentia laudando miramur.* Et postea, *est aliud genus admirationis etiam cum ratio est manifesta admiranti.* Conferenda sunt quæ supra diximus de scientiâ Christi, sive divinâ, sive humanâ, etiam acquisita; secundùm quā etsi non omnia omninò sciret; nihil tamen ignoravit propriè loquendo, sed visio per eā effectu, statim causas omnes cognoscebat. Ex illis enim manifestum erit, primum admirationis modum in eo nō fuisse, reliquos autem tres in eo esse potuisse; quandoquidem anima C Christi Deum rerum omnium causam non comprehenderet, multaq; per experientiam scire inciperet, antea quidē nota, sed non isto modo: ipsiq́ue occurrerent effectus rari, miri, ac insueti.

*In Deo non est admiratio.*

Neque verò propter hos effectus, agnoscenda est in Deo admiratio secundi modi: quia ad eam vel necessaria est cognitio nova, quantum ad modum; vel saltem res insolita debet excedere vires naturales admirantis. Nemo enim propriè admiratur effectum alijs insuetum, si ex proposito illum fecit aut facere potest. Anima verò Christi non poterat ex naturæ suæ viribus facere illa, quæ admiratione digna contingebant.

### Articulus IX.

*In Christo fuit ira.*

D

Art. 9. probat fuisse in Christo iram, illam scilicet quæ est appetitus vindictæ secundùm ordinē justitiæ; quia cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, Joan. 2. & è templo vendentes ac ementes ejecisset, *Recordati sunt discipuli ejus quia scriptum est* (de ipso scilicet Christo,) *zelus domus tuæ comedit me:* zelus autē quædam est species iræ: *Ira* enim *bona dicitur ira per zelū.* 2.2.q. 158.a.1.ad 2. Et a.2. *Si aliquis appetat quod secundùm ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum.* Ad hujus rei cōfirmationem, pertinet illud Marci 3. *Circūspiciens eos cum ira*; ubi internum mentis sensualitatisque E affectum, vultu etiam ad iram composito prodidit. Et Isai. 63. Propheta in ejus persona loquens dicit, *Calcavi eos in furore meo, & cōculcavi eos in irâ meâ.*

Cum in corp. Dicit iram esse passionem compositam ex tristitiâ & appetitus vindictæ: non intelligit ex tristitia, tanquam parte, sed tanquam causa: ut ipsemet exposuit 1.2.qu.46.art.3.ad 2.

In Resp. ad 1. observa iram de qua Iac. 1. dicitur, quod non operatur justitiam, esse illam quæ prævenit rationem, eamq́ue secum trahit; secus verò est de illâ, quæ sequitur rationem ejusq́ue dictamen.



### Articulus X.

*Christus fuit simul viator & comprehensor.*

Art. 10. Docet Christum simul fuisse comprehensorem & viatorem: comprehensorem quia beatitudinem animæ obtinebat; viatorem, quia quantum ad aliqua deerat ei beatitudo. Nam & anima ejus erat passibilis, & corpus erat passibile ac mortale. Quando autē fuerit beatus, quantum ad animam & visionem divinæ essentiæ, q. 34. art. 4. dicetur.

Cæterum, ut melius intelligatur, quomodo Christus secundùm eandem animam potuerit simul esse viator & comprehensor, observandum est quod Christi anima duobus modis considerari possit. Uno modo secundùm ordinem ad Deum, in quantum scilicet per id quod est proprium animæ quatenus est rationalis, id est, per intellectum & voluntatem fertur in Deum; alio modo secundùm ordinem ad corpus, sive in quantum est forma corporis.

Priori modo semper fuit beata, & Christus secundùm eam erat comprehensor; quia ferebatur in Deum, clarè eum videndo & amando, eoq́ue fruendo.

Posteriori modo non erat beata ante Christi mortem, & secundùm eam ipse erat viator; quia informabat corpus passibilis & mortale, ipsaq́ue erat passibilis, tum passione corporali, quæ ex corporis læsione provenit; tum passione animali, quæ vel est propria animæ, vel principalius est animæ quam corporis.

## QUÆSTIO XVI.

*De consequentibus unionem, quantum ad ea quæ conveniunt Christo secundùm se.*

### Articulus I.

Art. 1. ostendit hanc propositionem, *Deus est homo*, esse veram, non solùm ob veritatem terminorum, quia scilicet subjectum & attributum sumantur verè & propriè, sed etiam ob veritatem prædicationis: quia verè & propriè unum de altero enunciatur. Nomen enim significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quolibet suppposito illius naturæ: sed nomen (*Deus*) est concretum significans naturam divinam tribus Personis communem: ergo potest supponere pro Personâ Filij. Atqui nomen significans naturam communem potest prædicari de quolibet suppposito illius naturæ: ergo nomen (*homo*) potest prædicari de Deo qui est suppositum humanæ naturæ. Doctrina hæc tum ex fide, tum ex dictis q. 2. liquet.

*Deus est homo. est prædicatio univoca.*

Ex his autem colligi potest B. Th. ibid. art. 5. & in 3. d. 7. art. 1. ad 3. rectè dicere quod (*homo*) univocè prædicatur de Deo & alijs hominibus: Homo enim significat suppositum subsistens in naturâ humanâ, ex corpore & animâ compositâ: hæc autem est ejusdem rationis in Christo & in alijs. Unde in Symbolo Athan. vocatur *Perfectus Deus & perfectus homo ex animâ rationali & humanâ carne subsistens.* In Syn. 5. can. 8. *Consubstantialis Patri secundùm Deitatem, & consubstantialis nobis secundùm humanitatem.* Et apud S. Leo. serm. 10. de



de Nativit. consubstantialis Matri secundùm car- A nem.

*Ob. 1.* Dices, Christus & alij homines non conveniunt univocè in ratione suppositi, quod significat nomen (*homo.*)

*Ob. 2.* Item, Deus dicitur humanatus, apud Magistrum l. 3. d. 7. ex Damasc. l. 3. de fide c. 2. ergo non propriè dicitur homo. Cùm enim Petrus propriè dicatur, homo, non propriè dicitur humanatus.

*Resp. ad 1.* Resp. ad 1. Ob ad prædicationem univocam satis esse, quod natura in prædicato significata, univocè conveniat subjectis quibus tribuit. Quod autem posset objici, nihil dici univocè de Deo & creaturis; intelligendum est de Deo in quantum est Deus; ait Author dicto ac. 1. in 3. sent.

*Resp. ad 2.* Ad alteram Ob neg. Cons. Petrus enim ideò nō B dicitur humanatus; quia nō præextitit humanitati, quam diceretur postea accepisse: dicitur autem Deus humanatus, quia idem ille qui ab æterno præextitit, in tempore assumpsit humanitatem; per quam tamen ideò non est constitutus in esse suppositi; quia ante subsistebat. Præterea, *Cum dicitur Deus humanatus, humanatus non sumitur in vi nominis denominativi*, quasi Deus ab humanitate tanquam à formâ dicatur humanatus; (hoc enim modo Deum dici humanatum negatur in Conc. Francofurt. in Epist. ad Episc. Hispan.) *sed in vi participij*, ut tantum valeat humanatus, quantum homo factus, ut patet per B. Th. in 3. d. 7. q. 1. ar. 2. ad 4. Unde apud Damasc. in editione Billij, pro (Deum humanatum) legitur, *Deum humanitatem assumpsisse dicimus.*

*In quâ materiâ sit ista propositio, Deus est homo.* In Respons. ad 1. docet hanc propositionem, *Deus est homo*, non esse in materia remota; quia formæ per extrema significatæ conveniunt in C unum suppositum. Non esse etiam in materia contingenti; quia prædicatum convenit subjecto, non per accidens, sed ratione suppositi, cui esse hominem convenit non accidentaliter, sed substantialiter. Concludit autem esse in materiâ naturali & necessariâ: quia homo dicitur de Deo tanquam de suppposito humanæ naturæ, ac proinde sicut species de individuo.

*Ob. 1.* Si dicas, Propositio per se, est etiam vera, cum reduplicatione: hæc autem non est talis; non enim dicitur quod Deus ut Deus est homo. D

*Ob. 2.* Deinde, Propositio per se, non potest esse falsa: hæc autem, *Deus est homo*, & falsa erat ante Incarnationem; & falsa esset, si (quod possibile est) Deus humanitatem relinqueret.

*Resp. ad 1.* Ad prius Resp. Cùm hæc propositio. *Deus est homo*, verificetur non ratione formæ significatæ in subjecto, hoc est, non ratione divinitatis, sed ratione illius suppositi quod in subjecto significatur; secundùm quod est vera, est prædicatio per se, & potest verificari cum reduplicatione, non formæ, sed suppositi; hoc modo; Deus ut subsistens in naturâ humanâ divinæ conjunctâ, est homo.

Sciendum est enim quòd, *Deus*, in illâ propositione, non sumitur indefinitè: (quomodo si sumeretur non esset prædicatio per se, eò quòd prædicatum neque sit de ratione subjecti, neque naturâ suâ connexum cum illo:) Nam hæc negativa est falsa, Deus non est homo; quæ tamen negativa si subjectum indefinitè sumeretur in priori, vera esset, eò quòd habeat eundem modum suppositionis, nec negatio eam variet: sed supponit pro solâ personâ Verbi, conjunctâ humanæ naturæ: juxta id quod B. Th. docuit 1. p. q. 39. ar. 4. ad *Sylv. in III. Part.*

3. nomen (*Deus*) determinati ex adjuncto ad personam. Et propterea, etsi propositio non sit per se ex parte formæ significatæ; est tamen per se ex parte suppositi, quia suppositum illud subsistit in verâ naturâ humanâ. *Est*, ait Author in 3. d. 7. q. 1. ar. 1. ad 6. *Prædicatio essentialis non quod divinitas sit humanitas; sed quia suppositum divinæ naturæ, essentialiter est suppositum naturæ humanæ.*

*Resp. ad 2.* Ad posterius Resp. quod dicta propositio non potest esse falsa, si subjectum sumatur juxta posteriorem modum. Quamvis enim Deus non semper fuerit homo, falsum tamen esse nequit quòd Deus, ut subsistens in naturâ humanâ & quatenus habet eam sibi unitam, sit homo. Sicut ergo hæc propositio, homo ambulans movetur, est in materiâ naturali & per se, quamvis non sit necesse hominem semper ambulare vel moveri; ita & præcedens; quia sufficit ordinem inter prædicatum & subjectum esse necessarium, etiamsi neutrum eorum semper existat. Et quamvis nullum supperet similе exemplum, non ideò doctrina hæc esset falsa, quia ut monet Author dicto art. 1. libri tertij sent. hoc est singulare in istâ materiâ; eò quòd nunquam alibi inveniatur, quod sit suppositum unum essentialiter subsistens in duabus naturis substantialibus & perfectis.

*Ob.* Si dicas, prædicatum (*homo*) neque est de ratione subjecti (*Deus*) neque illi necessariò necessitate naturali connexum, sed ex liberâ Dei voluntate; quomodo ergo est prædicatio per se?

*Resp.* Resp. attributum non esse quidem de ratione C subjecti vel ei de necessitate connexum, si illud aut intelligatur indefinitè, aut definitè, sed secundùm naturam divinam quam significat, ideòq́ue non est prædicatio per se philosophis cognita, absolutè tamen est prædicatio per se, quia est substantialis seu suppositalis, & prædicatum quod est substantia quædam, convenit subjecto, non accidentaliter, sed substantialiter: Præterea si subjectum (*Deus*) intelligatur supponere non quocunque modo pro personâ Verbi, sed pro personâ Verbi ut subsistente in naturâ humanâ quæ illi hypostaticè est unita, sic prædicatum est de ratione subjecti, & indissolubiliter ei conjunctum: quia humanitas etsi simpliciter non sit de ratione Verbi divini, est tamen de ratione Verbi ut subsistentis in humanitate, cùm humanitas ad Verbum sic consideratum pertineat tanquam ejus natura, substantialiter ei conjuncta.

In Resp. ad 2. observa quod una Trinitatis persona non affirmatur de alia dicendo v.g. Pater est Filius; etiamsi inter se magis conveniant (cùm sint ejusdem omninò naturæ) quam divina & humana natura, quia sunt suppposita realiter distincta: natura autem humana & divina conveniunt in idem suppositum: & ideò potest in concreto (quod significat suppositum seu personam) dici. Deus est homo.

*Ob.* Pro sol. 3. Neg. C. non enim sequitur, Si abstracta non possunt de invicem affirmari, quod nec concreta possint: cùm habeant alium modum significandi, & concreta supponant pro persona, non similiter abstracta. E

Circa Resp. ad 4. adverte istam Majorem: *Quod prædicatur de Deo, non relativè, sed absolutè, convenit toti Trinitati & singulis Personis*, veram esse de ijs attributis absoluti:, quæ Deo conveniunt ab æterno, suntq́ue illi connaturalia & intrinseca: talia enim communia sunt omnibus

Universidad de Deusto
Biblioteca



personis divinis. Quæ autem absoluta sunt, & A Deo conveniunt ex tempore propter unionem personalem, imitantur naturam nominum relativorum, quæ propria sunt personis; & ideò (*homo*) dicitur tantùm de Verbo.

### Articulus II.

ART. 2. docet hanc propositionem esse veram (*homo est Deus*) quia subjectum supponit pro supposito Verbi, quod essentialiter est Deus. Vide quæ pro divinitate Filij dicta sunt 1. p.q. 27.ar.1.

Circa Resp.ad 2.adverte quod B.Th.q.8.pot. ar.2. ad 6. hanc regulam antepræd icamentalem, *Quicquid dicitur de prædicato, dicitur etiam de subjecto*, B dicit tenere in prædicabilibus per se, id est, quæ prædicantur non secundùm identitatem rei, sed secundùm rationem formalem qua prædicatum habet subjectum sibi essentialiter subjicibile. Hinc non sequitur, Homo est Deus, Deus est Pater, ergo homo est Pater; quia hæc propositio (Deus est Pater) quamvis sit per se secundùm identitatem, ut asserit 1.p.q.39.ar.6.ad 2. non est tamen per se formalis, ut indicat dicto loco de potentia. Breviter potest responderi, istud (*Deus*) supponere pro distinctis suppositis; & sic nõ resumitur idem subjectum: Aut si quis sumat ut terminum communem, non potest completè distribui. C

### Articulus III.

*Christus non dicitur homo dominicus.*

ART.3.probat Christum non posse dici hominem Dominicum. Dominicus enim dicitur denominativè seu accidentaliter à Domino, & significat istius rei, quæ vocatur dominica, distinctionem, ab eo qui est Dominus; quòd sc. ipsa non sit Dominus, aliquo tamen modo pertineat ad Dominum. Cùm ergo in Christo non sit nisi unum utriusque naturæ suppositum, quod essentialiter est Dominus; non debet dici Christus homo Dominicus: quod quia dixerat Aug. in Ps.2.& 47.& l.2.de ser.Dom.in monte, retractavit l.1.retract.c.19. D

Solitos autem fuisse hæreticos, ac nominatim Apollinaristas dicere quod Christus esset homo Dominicus, tanquam alius esset Dominus, & alius homo, testatur Nazian. orat.51.

Portò, quia præter Aug.etiam Athan.in expositione fidei, Chrys.hom.de Cruce, Didimus l.3. de Spiritu S. eodem sermone usi inveniuntur: sciendum est Aug. non sine ratione in retractationibus addidisse, *Quamvis nonnulla possit ratione defendi*: nam ratione humanitatis quæ in Christo verè potest dici dominica, utpote quæ & à supposito distinguitur, & ad ipsum ratione unionis pertinet: possunt intelligi vocasse Christum hominem Dominicum, id est cujus humanitas esset E Domini. Quia tamen vocibus utendum est juxta usum communem simpliciter non est dicta phrasis usurpanda: licet dici possit, Christi humanitas est Dominica.

*Vt humanitas dici possit deificata.*

Circa finem corp. & Resp.ad 2. observandum est quòd, natura humana, itemque anima, vel caro Christi possit dici deificata, quemadmodum ex Syn.6.Act. 11.Nazian. orat.51.Damasc.l.3.ca. 26.& l.4. c.19. habetur, quantum videlicet natura humana est Deo unita in unitatem Personæ, atque ita factum est quod illa natura sit Dei, non tamen dici potest esse Deus, vel Dei, quoniam



*Humanitas Christi non est Deus. Ob.*

humana Christi natura non est ipsa natura divina, neque potest esse realiter idem cum illâ.

Si dicas, aqua calefacta rectè dicitur calida: ergo humanitas deificata rectè dicitur Deus.

*Resp.*

Resp. neg. C. cum enim aqua dicitur calefacta, significatur quod in se tanquam in subjecto receperit calorem: & quia calor denominare solet subjectum suum calidum, (quæ solùm est denominatio accidentalis, non plus importans, quam quod in se calorem habeat) ideò aqua rectè dicitur calida: At, esse Deum, non est denominatio accidentalis, neque ista propositio, humanitas est Deus, significat quod humanitas sit conjuncta vel unita Deo, sicut significat illa, humanitas est Deificata: sed perinde valet ac si diceretur, humanitatem esse ipsam naturam divinam: id quod falsissimum est. E converso autem, homo Christus potest dici Deus, sed non Deificatus, ut ostendit Cyril.de Incar. c.11. quia hominem esse Deificatum significat hominem præexistere, & sibi unire divinitatem, quod non potest esse verum. Quapropter, si aliquando occurrit apud Antiquos, piè est exponendum: ut Deificatus dicatur, quia divinitas est humanitati unita.

*Christus non dicitur deificatus.*

*Nec Deifer.*

Eâdem ratione juxta can. 5. Concilij Ephes. homo Christus non est dicendus Θεόφορος, id est, Deifer, aut Deum ferens, quamvis dici possit Deum esse carnifetum: Deus enim carnẽ assumpsit, eamque sustentat: homo autem nõn assumpsit divinam naturam, nec eam sustentare potest: id quod tamen significat prior propositio.

Quapropter quod apud Basil.in Ps.59. dicitur caro Deum ferens, piè exponendum, nec extendendum.

Quod autem Apollinaristæ abusi etiam sunt ista voce (*carnifer*) teste Nazianz.orat.52. factum est ex eo quod inde vellent concludere Deum assumpsisse carnem sine anima.

Circa Resp. ad 3. adverte quòd quando dicitur persona vel essentia divina, aut Verbum divinum, non est prædicatio denominativa, sed essentialis; quia divinum non excludit absolutè quin etiam illud de quo dicitur, sit Deus; & ideò, additum naturæ aut personis divinis, dicitur essentialiter, seu tanquam forma essentialis: additum verò creaturis, dicitur accidentaliter, utpotè significans accidentalem participationem divinitatis; quæ accidentalis participatio cùm non sit in Christo, nisi ratione humanitatis, Christus non est dicendus denominativè divinus, nisi cum addito, *Secundum naturam humanam.*

*Christus quatenus divinus.*

Pro eo autem quod apud Dionys. hîc ab Authore citatum legitur divinissimum Jesum, alij ex Græco vertendum putant summum Deum; Ambrosius Camaldulens. vertit Augustissimum Jesum, Græcè est θεαρχικώτατον, quasi dicat, Divinum principatum summè tenentem.

*Ob.*

Quod si jam dictis objiciatur Christum dici sanctificatum à Patre, Joa.10.etiamsi sit Sanctus per essentiam; ergo etiam posse dici dominicum, quamvis sit essentialiter Dominus. Resp. neg. *Resp.* Conf. propter diversum modum significandi; ex posteriori enim sequeretur Christum esse Dominum participativè solùm; eò quòd (*dominicus*) non solet dici de eo quod est Dominus: Ex priori autem non sequitur Christum esse Sanctum per participationem: nam vel intelligitur sanctificatus ratione humanitatis, quia Deus humanitatem univit divinitati in personâ, fecitque ut idem esset Filius

*Ut Christus sit sanctificatus.*



sus hominis & Filius Dei naturalis, vel intelligitur ratione divinatis, & sic Pater Filium sanctificavit, quia Sanctum eum genuit ab æterno. Vide B.Th. in dictum caput Joan. A

### Articulus IV.

*Vtrùm ea quæ conveniunt Filio hominis, possint prædicari de Filio Dei: & è contrario.*

*Quid idioma.*

IN hoc & sequenti articulo disserit Sanctus Doctor De Communicatione Idiomatum.

Idioma Græcè, Latinè idem est, quod proprietas: communicatio ergo idiomatum, est communicatio proprietatum. B

*Quid communicatio idiomatum.*

Et quidem fide certum est in Mysterio Incarnationis repereri communicationem idiomatum, ut patet ex Anathematismo 4.S.Cyrilli Alex. qui non tantùm in ejus operibus extat, sed etiam in Conc. Ephes. can.4. Itemque ex Conc.Later.sub Martino I. Consultati.5. can.4. & ex Syn.6.act. 11.& 18.& ex unanimi Sanctorum Patrum sententia.

Sed observandum est, eam non in hoc consistere, quod proprietates naturæ divinæ sint realiter communicatæ humanitati; & proprietates humanitatis realiter communicatæ sint divinitati, quasi humanitas facta sit æterna, infinita, omnipotens, omniscia, immensa, ubique; & divinitas C facta sit mortalis, passibilis, temporalis, corporea, &c. cùm in ejusmodi sermonibus manifesta contradictio includatur: sed in eo, quod propter unionem hypostaticam, attributa divina, & humana, si convenienter exprimantur, verè & propriè dicantur de eodem supposito, ita nimirum, ut divina de Deo & de homine seu Filio hominis: humana verò de homine & de Deo seu Filio Dei affirmentur.

*In quo consistat communicatio idiomatũ.*

Observandum præterea, idiomata seu proprietates & attributa de quibus nunc sermo est, esse triplicia, ut notavit Cyril. in Epist.ad Acatium, to.5. Actorum Conc.Ephesini c.7.

*Triplicis generis idiomata.*

Primi generis sunt, quæ conveniunt Christo D ratione solius divinæ naturæ seu divini suppositi, non factâ consideratione unionis hypostaticæ, ut sunt, esse æternum, immensum, omnipotens, omni scium: & hæc vocantur divina.

*Divina.*

Secundi generis sunt, quæ Christo conveniunt ratione solius humanæ naturæ, ita ut non postulent aliquid divinum, neque unionem cum divino supposito; sed convenire possint etiam puris hominibus, ut, esse animal rationale, passibile, mortale, crucifixum, mortuum: & ista vocantur simpliciter humana.

*Humana.*

Tertij generis sunt quæ non conveniunt Christo ratione solius naturæ vel personæ divinæ, nec ratione solius humanę naturę, sed ratione utriusque simul: ut esse mediatorem, Redemptorem: E vel mereri & satisfacere ex rigore justitiæ: nam hujusmodi ex unâ parte requirunt naturam finitam quæ sit capax meriti, & habeat superiorem: ex alia autem parte requirunt suppositum infinitum, ex quo proveniat meriti & satisfactionis valor & rigor infinitus.

*Resp. assir. ad Artic.*

Ex præmissis liquet esse Respondendum, quod ea quæ conveniunt Filio hominis possint prædicari seu affirmari de Filio Dei, & è converso, ea quę conveniunt Filio Dei, possint affirmari de Filio hominis.

Confirmatur, quando in uno eodemque supposito sunt diversę formę seu naturę, sive substantiales sive accidentales; tam ipsę quam earum proprietates, convenienter (hoc est, in concreto) expressę, possunt de illo affirmari; sicut, quia in homine est corpus & anima, homo rectè dicitur esse corporeus & animatus: & quia in igne est calor & siccitas, ignis dicitur calidus & siccus. Cùm igitur in eodem divino supposito sint duę naturę, divina, & humana, illę in concreto expressę rectè affirmari possunt de eo, similiterque illarum naturarũ proprietates, ita ut quæ de Deo conveniunt, prędicentur de Christo homine; & quæ conveniunt homini, prędicentur de Deo, Deique Filio; servatis tamen illis de quibus in sequenti articulo.

Circa Resp. ad 1. adverte, si Christus dicatur esse immortalis & mortalis; non verè dici oppositа de eodem, quia non secundùm idem dicuntur. Quamvis autem Christus dicatur corporeus & incorporeus, in Syn.6.act.11.& alibi; non perinde tamen potest dici, non corporeus; quia non corporeum plus importat, sc. quod nullo modo sit corporeum.

### Articulus V.

*Vtrùm ea quæ conveniunt Filio hominis possint prædicari de divinâ naturâ, & de humanâ, ea quæ conveniunt Filio Dei.*

ITA præsentis articuli titulum proposuit ipse B.Thomas in quæstionis proœmio. Pro cujus Responsione, ac simul pro ampliori superioris articuli explicatione, fit

### Conclusio I.

*Proprietates unius naturæ non prædicantur de alia natura abstractim expressa.*

EA quæ conveniunt Filio hominis nõ possunt prędicari de divinâ naturâ, abstractim expressa; & ea quæ conveniunt Filio Dei non possunt prędicari de naturâ humanâ abstractim expressa: non potest v.g. dici divinitas est nata de Virgine, est mortalis, est passa, est mortua: vel humanitas est Deus, est Creator, omnipotens, omniscia, immensa, & alia hujusmodi.

### Conclusio II.

*Nec abstracta unius naturę prædicantur de proprietatibus alterius naturæ, ne quidem in concreto.*

ABSTRACTA unius naturę non possunt prędicari, vel de aliâ natura, vel de alterius naturę proprietatibus, sive in concreto, sive in abstracto: non enim dici potest quod homo est divinitas, quod Deus est humanitas, aut quod humanitas est divinitas, vel contrà, neque quod homo est ęternitas, vel quod Deus est mortalitas, vel quod mortalitas est immortalitas &c.

De istâ verò, *Natura divina est homo*, vel *homo est divinitas*, vide q.3.art.2.

Utriusque conclusionis ratio est, quia ea quæ sunt propria unius, non possunt affirmari nisi de eo quod est idem cum illo, sicut risibile non potest affirmari nisi de eo quod est idem cum homine: In mysterio autẽ Incarnationis quamvis duæ naturæ, divina & humana, conveniant in eandem hypostasim, ipsę tamen manent inter se distinctę, sic ut una non sit alia; & similiter earum naturarum proprietates: ergo nec natura una, nec ejus proprietates possunt in abstracto affirmari de alterâ, vel de alterius concretis, neque concreta

Universidad de Deusto
Biblioteca



unius de abstractis alterius : quia abstracta ( cum A significent ipsam naturam seu formã abstractim, seu simpliciter ) neque supponunt hypostasim, in quam eandem conveniant, neque significant naturarum conjunctionem in illa.

Hinc igitur est, quod communicatio idiomatum non fiat in abstractis ; ac per consequens quod attributa divina abstracta non possint dici de attributis humanis abstractis, aut contrà ; nec concreta de abstractis, nec abstracta de concretis.

### Conclusio III.

*Communicatio idiomatũ solum fit in concretis.*

Communicatio idiomatum facienda est solum in concretis; quia sola concreta suppo- B nunt hypostasim in quam duæ naturæ conveniunt; communicatio autem idiomatum fit propter convenientiam naturarum in unam hypostasim. Cùm enim sit eadem hypostasis utriusq; naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturæ, ait S. Doctor art. 4. Sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinæ & humanæ naturæ : & ideò possunt dici de homine, ea quæ sunt divinæ naturæ, tanquam de hypostasi divinæ naturæ ; & de Deo possunt dici, ea quæ sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ.

### Conclusio IV.

*Rectè dicitur hic homo est æternus.*

Quidquid dicitur essentialiter de Deo, de C Verbo autem essentialiter vel personaliter, simpliciter potest in concreto prædicari de hoc homine, id est, de Christo : & propterea verum est dicere : Hic homo est æternus, omnipotens, immensus, Filius Dei naturalis.

Probatur Primò, quia in sacris Scripturis huic homini tribuuntur ea quæ tum Deo, tum Dei Verbo conveniunt. Ioa. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Ad Rom. 9. Christus dicitur *super omnia Deus benedictus* : Ad Hebr. 1. vocatur *splendor gloriæ & figura substantiæ ejus.* Ioan. 14. ille homo, dicit de Spiritu Sancto *quem mittet Pa-* D *ter in nomine meo.* Et c. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre,* & plura similia.

Probatur Secundò, Hic homo ) nempe Christus) est verè Deus & Verbum Dei : ergo revera illi conveniunt attributa Dei absoluta, & personalia ; non autem relativa aliarum personarum; quia hic homo neque est Pater, neque Spiritus Sanctus.

Probari potest Tertiò, tum ex Concilijs art. 4. citatis, tum ex Nazian. orat. 51. & 52. August. l. 1. de Trinit. cap. 7. Fulg. q. 2. ad Ferrandum, & l. 1. de fide ad Petr. c. 2. Damasc. l. 3. c. 4. 6. & 11.

### Conclusio V.

E

*Deus est mortuus verè dicitur.*

Quidquid essentialiter dicitur de homine, vel absolutè de hoc homine Christo, prædicari potest de Deo & Dei Filio. Unde verus est hic sermo. Deus & Dei Filius est animal rationale, est natus ex Virgine, mortuus, crucifixus, &c.

Probatur 1. quoniam in Scripturâ attribuuntur Deo illa quæ ratione humanitatis ipsi conveniunt, ut quod ascendit. Ps. 67. & ad Ephes. 4. Actor. etiam 20. dicitur Deus acquisivisse Ecclesiam sanguine suo.

Probatur 2. quia Deus & Dei Filius per



Incarnationem est verus homo : ergo ipsi verè conveniunt ea quæ sunt hominis.

### Conclusio VI.

Quamvis ea quæ prædicantur de Christo, non distinguantur quantum ad id de quo prædicantur, id est, quantum ad suppositum, distinguuntur tamen secundùm id secundùm quod prædicantur. Nam ea quæ sunt divinæ naturæ, prædicantur de Christo secundùm divinam naturam ; ea autem quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundùm humanam naturam, ait B. Th. art. 4. id confirmans ex S. Aug.

Cavendum igitur est, ne id quod convenit supposito, ratione unius naturæ, denotetur convenire ratione alterius ; & propterea quando de Christo dicuntur prædicata seu attributa divina, non est addenda reduplicatio supra humanitatem; neque supra Deitatem, quando humana attributa prædicantur de Deo. Non est v. g. dicendũ, Christus quatenus homo, est æternus : Christus vel Deus, quatenus Deus est passus & crucifixus ; quia per ejusmodi reduplicationem significatur quod attributa conveniunt subjecto alia ratione, quam revera convenire possint.

Cavendum præterea, ne prædicatio importet attributum requirens aut involvens suppositum creatum : cùm enim fide constet illud non fuisse in Christo, consequens est talem propositionem futuram falsam, velut si dicas, Christus est persona creata, Christus est purus homo, est Filius Dei adoptivus : & ad hanc cautionem servit quod art. 8. dicemus ex q. 29. de verit.

### Conclusio VII.

Attributa quæ nec sunt merè humana, nec merè divina, sed Christo conveniunt ratione utriusque naturæ simul, de quibus art. 4. diximus ; si absolutè prædicentur, regulariter prædicari possunt de Christo, de hoc homine, & de Verbo seu Dei Filio : nam verè dicimus, Christus est Redemptor & mediator noster; similiterq; hic homo ac etiam Dei Filius : possumusq; præterea dicere, quod Verbum nos redemit ac ex rigore satisfecit. Dico, regulariter, quoniam potest fieri quod assumantur prędicata, quæ hoc subjectum *Christus*, determinant pro composito in quantum est tale: ut, esse compositum, esse terminum resultantem ex unione hypostatica: & tunc attributum non potest absolutè prędicari de Verbo vel Dei Filio, quemadmodum ostensum est q. 2. art. 4.

Si verò hujusmodi attributa prędicentur non absolutè, sed cum reduplicatione, illa reduplicatio non debet cadere super solam unam naturam sive divinam sive humanam, neque super solum suppositum, sed super utrumque, v. g. non est dicendum quod Christus est Redemptor vel mediator noster, vel quod ex rigore satisfecit, solum quatenus homo, vel solum quatenus Deus, sed quatenus Deus-homo. ut observavit Cabrera. Prædictis non obstat.

*Objectiones solvuntur.*

Primò, quod Fulg. q. 2. ad Ferrandum dicit divinitatem passam.

Secundò, Quod Ecclesia cantet, *In ligno quando mortua vita fuit.*

Tertiò, Quod humanitas Christi sit nunc immortalitas & passibilis.

Quar-



Quartò, quòd divinitas dicatur incarnata, & A humanitas deificata.

Ad 1. enim Resp. quod Fulg. addat, *secundùm carnem*, quod quando additur, *offenditur* (inquit) *non ejus divinitatem passioni subjacuisse, sed carnem.*

Ad 2. Ecclesiæ locutio est metaphorica, quâ nomine vitæ significatur Deus qui est essentialiter vita.

Ad 3. Attributa quæ humanitati post resurrectionem tribuuntur, ut immortalitas, impassibilitas, non sunt proprietates divinæ, sed inferiores & creatæ, ut hic ad 3. docet Author.

Ad 4. Illæ locutiones verificantur propter unionem, ut quæstione 2. articulo primo, & 8. & quæstione 3. articulo 2. itemque hujus quæst. articu- B lo tertio, est ostensum, ostenditurque hic ad 2.

### Articulus VI.

*Deus est factus homo.*

Art. 6. Ostendit verè & propriè dici (Deus factus est homo ) Quæ doctrina est fidei : Dicitur enim Ioa. 1. *Verbum caro factum est*, quod juxta communem Patrum expositionem perinde est, ac Verbum factum est homo. Et in symbolo fidei, de Deo seu Dei Filio disertis verbis habemus: *Et homo factus est.* Confirmatur, unumquodque dicitur fieri aut factum esse illud quod de novo ei per veram prædicationem tribuitur : sed esse hominem sic tribuitur Deo, ergo. C

*Non sequitur Deum esse mutatum.*

Quare hinc nõ sequatur mutatio in Deo quando ipse factus fuit homo: B. Th. in Resp. ad 2. declarat ex eo quod non est necesse ut (*esse factum*) importet mutationem in subjecto cui attribuitur, sicut patet in relativis ; dicitur enim Petrus factus esse dexter Paulo, quamvis non Petrus sit mutatus, sed solus Paulus. Neque refert quod (esse hominem) non sit relatio: quia Sancto Doct. satis est quod Deo conveniat ratione unionis quæ est relatio quædam. Addi potest quod (*esse factum*) importat mutationem in subjecto, quando sic fit ut informetur ; nec verò quando sic unit vel unitur ut non informetur. Deus autem ad se quidem univit naturam humanam, ipsa tamen non inest ei D tanquam forma eum informans, sed dependet ab eo tanquam à termino & suppositо. Ex hoc enim Deus homo factus est, quod subsistentiam & personalitatem suam tribuerit humanitati, ejusque personalem dependentiam terminaverit quam ante non terminabat. Vide quæ diximus q. 1. quæsito 2. ad 2. & art. 1. ad 1.

*Ob.* Dices, per communicationem idiomatum, quod humanitati convenit, Deo tribuitur : sed mutatum esse quando Deus factus est homo, convenit humanitati seu alicui ejus parti, scil. materiæ, ergo etiam convenit Deo.

*Resp.* Resp. Neg. C. Primò, quia prædicata humana quæ prædicantur de Deo per communicationem E idiomatum, supponunt unionem hypostaticam. saltem ut ordine naturæ priorem ; mutatio autem quæ in Ipsa Incarnatione fuit, non supponit illam unionem, sed potiùs præcedit. Neque hinc sequitur non esse dicendum quod Deus sit genitus ex Virgine; Nam hæc generatio est unio materię cum formâ, atque ita supponit unionem Verbi cum singulis partibus, secundùm ea quæ dicebantur q. 6. art. 5.

Secundò, quia mutari non solet denominare terminum generationis, seu hominem qui generatur; Unde in Incarnatione homo non est mutatus, sed humanitas seu potius aliqua ejus pars, nimirum materia. Et propterea quamvis generatio temporalis sit mutatio, non est tamen mutatio ejus quod generatur, sed materiæ primæ ; ut enim aliquid mutetur, debet manere sub utroque termino : id autem quod generatur, non manet, sed solùm materia prima. Licet ergo in temporali generatione Verbi ex B. Virgine quædam mutatio fuerit : ea tamen neque fuit Verbi, neque hominis mutatio, sed materiæ primæ.

Si contra dicas, ergo nec homo dici potest genitus : Neg. C. quia mutatio denominare solet suum subjectum, generatio verò terminum. Cùm ergo generationis terminus sit homo: consequens est quod homo rectè dicitur genitus.

At dices: Deus non potest dici esse factus: ergo nec est factus homo. Videtur enim esse argumentum à superiori ad inferius negativè, sicut si diceretur, non est animal, ergo nõ est animal rationale.

Resp. Neg. C. quia non proceditur à superiori ad inferius, sed à dicto simpliciter ad dictum secundùm quid, sicuti si quis diceret : Iste discipulus non est his annis factus: ergo non est his annis factus doctus.

Confirmatur, licet Petrus qui jam est, non possit fieri, potest tamen fieri doctus : & similiter, quamvis Deus qui est ab æterno non possit fieri, potest tamen fieri, aut factus esse homo.

### Articulus VII.

*Homo non est factus Deus.*

Art. 7. Ostendit hanc propositionem (homo factus est Deus) in proprio sensu falsam esse : quia subjectum supponit pro personâ quæ ab æterno est Deus : propositionis enim sensus proprius est, aliquem hominem, nempe Christum, factum esse Deum seu acquisivisse esse divinum, per factionem vel effectionem aliquam ; quod de nullo suppositо verum est. *Igitur non hominem Deum factum dicemus*, ait Cyril. Alex. l. de Incarn. c. 11. Et Fulg. l. de Incarnat. c. 10. *Neque ipsa caro, id est, ipse homo in se formam Dei viventis accepit: sed Deus qui in formâ Dei erat, formam servi accepit.*

Si tamen ( *factus* ) determinet compositionem, id est ; si cadat in totam propositionẽ, verum erit, quod homo factus est Deus: quia tunc sensus est, factum esse, ut homo sit Deus. Quo modo verba quædam Aug. esse accipienda monet Author in resp. ad 2. Sed iste sensus est improprius, ideòque non frequentandus. Cùm addit, *Nisi forte intelligatur secundùm quod ly, homo, non habet personalem suppositionem, sed simplicem*, videtur significare, quod fortassis hujus propositionis, homo factus est Deus, aliquis sensus proprius esse possit, si homo non accipiatur personaliter, id est, pro aliquâ personâ singulari, sed simpliciter seu in communi: quia licet de nullo homine in particulari possit dici, quod sit factus Deus : homo tamen in communi, non semper fuit Deus, & sic factum est ut homo sit Deus.

*Ob. 1.* Si dicas, Primò, hâc propositione. homo est factus Deus, nihil aliud significari, quam verâ aliquâ actione factum esse ut homo sit Deus.

*Ob. 2.* Secundò, per simplicem conversionem sequi, Deus factus est homo : ergo homo factus est Deus.

*Resp. ad 1.* Resp. ad 1. Neg. assumptionem : per illam enim propositionem significatur, quod homo præex-

Universidad de Deusto
Biblioteca



præexiterit factioni, quodque illa factio sit terminata ad divinitatem, quæ tunc incœperit esse in illo homine: Siquidem quod dicitur fieri tale, vel tempore vel naturâ antecedit productionem eam quâ sit tale. Cùm igitur homo neque natura, neque tempore antecedat productionem quâ possit dici factus esse Deus; verùm esse non potest in sensu proprio, quod homo factus est Deus.

*Resp. ad 2* Ad 2. Resp. non sequi. Nam in eâ conversione notum est ex Philosophiâ vitium, quod videlicet non mutetur totum prædicatum: deberet enim sic inferri; ergo is qui factus est homo, est Deus. Ob quam etiam causam non sequitur, Paries factus est albus; ergo album factum est paries; cùm inferri deberet, ergo quod factum est album, est paries.

Hanc doctrinam, excepto Scoto, communiter tenent Scholastici in 3. d. 7. secuti Patres, Fulg. de Incarn. c. 10. Petr. Diac. de Incarn. c. 5. Damasc. l. 3. c. 2. Qui autem aliter locuti inveniuntur, exponendi sunt juxta ea quæ B. Th. hîc dicit ad 2.

In verbis argumento 1 citatis ex c. 1. ad Rom. non dicitur Christus esse factus Filius Dei, sed Filius Dei (hunc enim infert relativum, *qui*) esse factus ex semine David secundùm carnem, hoc est, esse factus homo, assumendo carnem ex semine David.

Non sequitur autem, est factus homo, ergo est factus; proceditur enim à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Quam ob causam etiam non sequitur, Paries hodie est factus albus; ergo hodie est factus: Joannes hoc anno est factus doctus; ergo hoc anno est factus.

Quod autem in c. 1. ad Ro. sequitur, *Qui prædestinatus est*, refert Filium ex semine David secundùm carnem factum, ut ex q. 24. ar. 1. ad 3. patebit.

Similiter ad Gal. 4. Apostolus non dicit Christum simpliciter factum, sed factum ex muliere, ut naturam ostendat, secundùm quam Filius Dei possit dici factus, scil. humanam. Hinc Ambr. l. 1. de fide, c. 6. *Hunc postea factum ex muliere asseruit, ut factura non divinitati, sed assumptioni corporis ascriberetur.*

Illud etiam Act. 2. *Dominum eum & Christum fecit Deus*, secundùm humanitatem est accipiendum: secundùm illam enim Deus Pater unxit Jesum Spiritu Sancto, & Dominium spirituale humanis generis ei contulit jure redemptionis quam in primo suæ conceptionis instanti inchoavit, & in morte consummavit.

Cùm Joan. 1. dicitur factus ante Joannem Baptistam, sensus est, quod sit ei prælatus. Vide Aug. tr. 4. in Joan. & q. 51. super Numeros.

Similiter ad Hebr. 1. dicitur, *Melior Angelis effectus*, id est, tanquam major & excellentior præ Angelis honoratus, aut major Angelis declaratus. Vide Cyril. l. 8. thesauri, c. 2. Chrysost. & Theophylactum.

Cùm ad Hebr. 3. dicitur Pater fecisse illum, subintelligendum est ex antecedentibus, Apostolum & Pontificem.

### Articulus VIII.

*Christus non est creatura.* Art. 8. negat hanc propositionem (Christus est creatura) simpliciter esse concedendum, idque ut evitetur hæresis Arij dogmatizantis Filium Dei esse factum & creatum; contra quem 1. p. q. 27. ar. 1. actum fuit.

## Quæritur autem.

### *An prædictus sermo sit vitandus, etiam propter falsitatem.*

Videtur enim quod non. Primò, quia multi Sanctorum Patrum inveniuntur eo usi, Leo ser. 3. de Pentec. *Si homo in suæ honore naturæ manssisset; Creator mundi creatura non fieret.* Nazia. orat. 34. *Qui non est creatus creatur.* Aug. Ep. 57. *Quod ad Verbum attinet, Creator est Christus; quod ad hominem, creatura est.* Multaque similia sunt apud illum ser. 16. 25. & 26. de Tempore, l. de fide, & symbolo c. 4. & Enchir. 38. apud Hier. in c. 2. ad Ephes. & apud alios.

Secundò, ratione divinæ naturæ Christus dicitur simpliciter Creator: ergo ratione humanæ potest dici simpliciter creatura, quomodo tribuimus illi conditiones humanas etiam imperfectionem involventes, ut quod sit passibilis, mortalis &c.

Tertiò, De quocumque prædicatur inferius, etiam prædicatur superius: Sed creatura est superius ad hominem: Cùm igitur homo prædicetur de Christo, de eodem prædicari debet creatura.

Responsio S. Th. in 3. d. 11. ar. 2. est, Christus *non potest dici creatura, non tantùm ad evitandum errorem Arij, ut quidam dicunt: sed etiam ad vitandum falsitatem*; quia esse Christi simpliciter est increatum. Idem sentit l. 4. contra Gent. c. 48. q. 29. de verit. ar. 1. ad 1. Nec hoc loco dissentit, ubi dictam propositionem comparat cum ista, Æthiops est albus, quæ non est simpliciter vera.

Cum eo sentiunt post Magistrum. Scot. Dur. Palud. Medin. & communiter alij, secuti Chrys. hom. 3. in Joan. Basil. l. 2. contra Eunom. Ambr. l. 1. de fide, c. 6. & 7. Aug. l. 1. de Trinit. c. 6. tametsi non desint ex orthodoxis, qui aliter sentiant. Confirmatur, in hâc propositione, Christus est creatura, subjectum supponit pro persona quæ est increata, & prædicatum personæ increatæ repugnans ei tribuitur absque ullâ restrictione. Adde quod alioquin similiter enunciari posset, Christus incœpit esse, & Christus non semper fuit; quia omnis creatura incœpit esse.

Ad Arg. & ad 1. quidem Responsio S. Th. est; in dictis Patrum esse subintelligendam determinatum (*in quantum homo.*

Ad. 2. Resp. Neg. Consequentiam; quia Christus ratione humanæ naturæ non habet existentiam & hypostasim creatam, quomodo ratione divinæ naturæ habet increatam. Insuper autem in hâc materiâ duo sunt observanda, de quibus B. Thom. q. 29. de verit. ar. 1. ad 1. & nos q. 23. seq. ar. 4.

Prius, Illa quæ nata sunt convenire personæ ratione sui-ipsius, nõ possunt dici de Christo si habeant repugnantiam ad proprietates personæ æternæ, quæ sola in eo est; sicut patet de hoc nomine, creatura; esse enim creaturam, & esse factum seu creatum, nata sunt convenire personæ ratione sui; nam creatio est rerum subsistentium, respicitque esse seu subsistere: cùm ergo habeant repugnantiam ad personam æternam, quæ significatur nomine Christi, non debent simpliciter ei tribui, sed solùm cum addito vel subintellecto,) quatenus



nus homo.) Tunc enim quod natum est convenire personæ ratione sui, significatur convenire personæ Christi ratione naturæ, quam ex tempore assumpsit.

Cùm hoc notabili convenit quod alij dicunt ea prædicata quæ non possunt homini convenire nisi ut supponit pro supposito creato, non possunt prædicari de Deo, aut Filio Dei, aut Christo, Nec differt ab istâ regulâ: Quæ conveniunt homini, & repugnant hypostasi divinæ, non possunt de Deo aut de Christo prædicari.

Posterius, Illa quæ non sunt nata convenire personæ, nisi ratione naturæ vel partis naturæ, possunt dici de Christo, quamvis habeant repugnantiam ad personam æternam. Et hoc propter dualitatem naturarum, sicut pati, mori, & alia hujusmodi.

Ad 3. B. Thom. in 3. d. 11. negat Min. dicens: *quod creatura non est superius ad hominem; quia creatura magis respicit esse quam naturam*; homo autem quando prædicatur de Christo, magis significat naturam; non enim Christus est homo, quia habet esse seu existentiam humanam, sed quia habet naturam humanam.

### Articulus IX.

*Christus non incœpit esse.* Art. 9. probat hanc propositionem (Iste homo, demonstrato Christo, incœpit esse) vitandam esse; tum ob falsitatem, tum ob Arianismum. Nam juxta sententiam Catholicæ fidei, unicam agnoscimus in Christo hypostasim, personam scilicet Verbi, cujus æternitate repugnat, aliquando cœpisse.

Et quamvis incœperit secundùm humanitatem; non tamen simpliciter concedi debet incœpisse; quia vox illa (*incipere*) includit negationem anterioris existentiæ; quam negationem non licet attribuere simpliciter supposito æterno. Non enim sic in tempore accepit humanum esse, ut antè non esset; cùm semper ab æterno fuerit, ut ostendit Author ex cap. ult. ad Hebr. & ostendimus nos 1. p. q. 42. ar. 2. unde Aug. l. de hæres. ponit hæresim 44. Pauli Samosateni dicentis Christum non semper fuisse.

Argumenta videri possunt apud Authorem hîc, & in 3. d. 12. inter quæ illud; incœpit esse homo, ergo incœpit esse, est à minùs communi ad magis commune negativè. A simili autem non est dicendum, quod Christus desierit esse, quamvis in morte desierit esse homo. Confer responsionem ad 1. articuli sexti.

### Articulus X.

*Christus secundùm quod homo incœpit esse.* Art. 10. ostendit hanc propositionem (Christus secundùm quod homo, est creatura vel incœpit esse;) magis concedendam esse quàm negandam: quia nomen (homo) per reduplicationem resumptum magis propriè tenetur pro natura, quàm pro persona; resumitur enim in vi prædicati quod tenetur formaliter, idemque est ac si diceretur; Christus sub ea ratione qua est homo, est creatura; sive, Christo convenit esse creaturam non aliter quam ratione humanæ naturæ. Unde monent Scholastici signum reduplicativum in isto sermone sumi non reduplicativè, seu causaliter, sed specificativè; & ideò non est necesse, quòd resolvatur in duas de inesse, Christus est homo, Christus est creatura. Hinc Author in 3. d. 11. a. 3. dicit hanc non esse propriam & per se prædicationem, Christus in quantum homo, est creatura: quia quando cum reduplicatione est propria prædicatio, prædicatum per se convenit ei quod reduplicatur, sicut Christus secundùm quod homo est animal: hæc enim est per se homo est animal; & ideò simili modo prædicatum & reduplicatio dicuntur de subjecto. In proposito autem, reduplicatio non est nota prædicationis per se: nam ista; hic homo (scilicet Christus) est creatura, neque est propria, nec per se; quia creatura non est superius ad hunc hominem, significans quid sit iste homo.

Ex dictis patet potius dicendum, Christus ut homo est creatura, quam simpliciter, Christus est creatura: quia licet reduplicatio non sit proptiè diminuens, facit tamen subjectum aliter accipi: nam in posteriore, subjectum materialiter accipitur, & stat simpliciter pro supposito: in priori verò stat pro supposito, ut habente talem naturam. Ex art. namque 7. Resp. ad 4. observandum est subjectum sine ullâ restrictione enunciatum, supponere pro personâ: si autem enuncietur cum aliquâ restrictione significante humanam naturam, non supponit simpliciter pro supposito, sed vel pro natura, vel pro supposito vel talem naturam habente.

### Articulus XI.

*Christus secundùm quod homo non est Deus.* Art. 11. docet hanc propositionem (Christus secundùm quod est homo, est Deus) potius negandam quam concedendam; quia (homo) in reduplicatione magis propriè stat pro naturâ quàm pro supposito: hanc verò (Christus in quantum iste homo, est Deus) potius concedendam: quia demonstrativum facit ut (homo) in reduplicatione, stet pro supposito habente naturam humanam.

### Articulus XII.

Art. 12. Ostendit aliquo sensu concedi posse Christum secundùm quod est homo, esse personam, quatenus videlicet nomen (homo) accipitur in ratione suppositi.

Si autem accipiatur pro natura, tunc vel signum reduplicativum sumitur reduplicativè, hoc sensu: Christus quia homo & ex humanitate, habet quod sit persona: vel specificativè, hoc modo, Christus ut in humanitate subsistens est persona. Illo sensu propositio est falsa, sic enim significatur Christus esse persona creata, cujus velut radix esset humanitas: isto, est vera, quia omne subsistens in naturâ humanâ est persona. Quia tamen sermo iste Nestorianis favere videtur, & duas in Christo personas agnoscere: non est propriè & absolutè admittendus sine explicatione. Unde Author art. 4. dixit ex August. considerandum esse, *quid propter quid, & quid secundùm quid dicatur*: divina enim prædicantur de Christo secundùm divinam naturam: humana verò, secundùm humanam.

*Non est simpliciter dicendum Christus ut homo est persona.*

His non obstat quod Christus secundùm quod homo sit aliquid, ut definivit Alex. 3. l. 5. decre. tit. de hæretic. c. cùm Christus: est enim aliquid, *Quia est verus homo ex anima rationali & humana carne subsistens.* Nam & si natura ejus humana (cum non sit completa, per se & seorsim ab alio subsistens) non sit persona, ut hîc ad 2. & q. 1. art. 3. tradit

Universidad de Deusto
Biblioteca



tradit B. Tho. qui tamen eam naturam habet, est A persona, simpliciter quidem divina, quodam tamen sensu etiam humana: quamvis enim Filius ab humanitate non habeat esse, ideòque nec esse personam habet tamen esse individuum humanum. Vide l. 4. contra Gent. c. 49.

Neque tamen sequitur, humanitas dat Filio, esse humanam personam, ergo dat esse personam. Vel, Christus ut homo est persona humana, ergo est persona. Est enim argumentum à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter.

## QUÆSTIO XVII.

### *De pertinentibus ad unitatem in Christo.*

#### Articulus I.

*Christus non est duo, sed unus, & unum.*

Art. 1. declarat quòd Christus sit dicendus unus; item unum; non duo; sive masculinè sive neutraliter. Hinc in Symbolo Athan. *Non duo tamen, sed unus est Christus.* Et in Nicæn. *Credo in unum Dominum Iesum Christum.* In Ephes. can. 2. anathemate feritur qui non confitetur unum esse Christum cum propria carne, eundem sc. Deum simul & hominem: & can. 13. *Ita Christum unum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum Verbo coadorantes,* C *ne divisionis quadam species inducatur; sed unum jam & eundem adorantes.*

Similia dicunt Patres Conc. Alex. apud Cyril. epist. 10.

Confirmatur, in Christo non sunt duæ personæ, unus autem personam significat: ergo Christus est dicendus unus, & non duo: sicut è contrario, tres divinæ Personæ, quamvis dicantur unus Deus, non dicuntur tamen simpliciter unus, sed unum.

Quod verò Christus dicendus etiam sit unum neutraliter, non duo; prob. quia licet neutrum genus sit naturæ significativum, & sint in Christo duæ naturæ; non sunt tamen aliqua duo quæ possint de illo prædicari; natura enim humana non D potest in abstracto prædicari de supposito, dicendo quòd Christus sit humanitas, quo modo, ratione suppositi divini, verum est quod sit divinitas. Non ergo, quemadmodum tres Personæ divinæ dicuntur unum, propter unam essentiam, ita Christus dicendus est duo, & non unum, propter duas naturas: quia hæ naturæ eo modo quo sunt duæ, hoc est, in abstracto, non dicuntur de Christo: In concreto autem Deus & homo, quæ de Christo dicuntur, non sunt duo: propter unitatem suppositi. Confer Resp. ad 5.

Confirmatur, Petrus tametsi constet ex pluribus, non dicitur plura: ergo similiter Christus, licet ex naturis divinâ & humanâ constet, non est E tamen plura seu duo, sed unum: quia ista plura conveniunt in unum idemque suppositum. Ubi observa nos non negare quin in Christo sint aliqua duo, sed tantùm dicimus quod Christus non est duo, sed & unus & unum.

Circa resp. ad 1. adverte hæc verba Aug. *Utrumque Deus propter accipientem Deum: utrumque homo, propter acceptum hominem;* duobus modis posse exponi. Uno ut illud *(utrumque)* se teneat ex parte subjecti, & non ponatur pro duobus suppositis, sed pro duobus nominibus, Dei videlicet ac hominis, significantibus idem suppositum sub duabus naturis, hoc sensu, utrumque (sc. Deus & homo) est Deus, propter Deum accipientem; & utrumque, est homo, propter humanitatem à Deo acceptam. Alio modo, ut, *(utrumque)* etiam teneat locum subjecti, sed positum sit pro duabus naturis, & significetur quod utraque natura simul juncta sit Deus ac etiam sit homo, sensu nimirum causali; quia ex illis in unam Verbi Dei personam unitis, unus Christus componitur, qui & est Deus & homo. Utrumque ergo, id est, utraque natura, sive is qui ex utraque naturâ constat est Deus, & est etiam homo. Sensum hunc indicare videtur Aug. loco in arg. citato; quia subdit, *neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum,* B *atque mutatum est: nec divinitas quippe in creaturâ mutata est &c. nec creatura in divinitatem.* Et Enchir. 38. *utraque substantia divina sc. atque humana, Filius est unicus,* &c. ac rursum tr. 78. in Joan. *Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet quâ æqualis est Patri, humanam quâ major est Pater, utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus.*

*Christum nec est alius, nec aliud.*

Circa Responsionem ad 2. observandum est quod Christus neque dicendus sit alius & alius, neque aliud & aliud: quia *(alius)* suppositi; *(aliud)* autem, suppositi simul & naturæ diversitatem significat, quando alicui tribuitur in recto à parte subjecti positio. Cùm enim sit relativum diversitatis substantiæ, propriè refertur ad suppositum, sicut & omnia relativa facientia personalem relationem: hîc ad 3. Ac proinde quando apud aliquos Patres invenitur Christum esse, aliud & aliud, piè est exponendum pro eo quòd diceretur habens aliam & aliam naturam, ut hîc monet Author, simul explicans quod ipse ar. 3 q. 2. dixerat *(aliud)* non importare diversitatem suppositi, dum scilicet à Patribus Christo tribuitur: nam alioquin illam absolutè significat, ut hîc in Responsione ad 7. ostendit. Hanc esse genuinam istius loci expositionem, probat illud quod ex Nazianz. subjungit, *Aliud & aliud sunt ea ex quibus Salvator est.*

*In Christo est aliud & aliud.*

Unde patet in Christo esse aliud & aliud, id est, aliam & aliam naturam; (quam diversitatem solum significat istud *(aliud)* quando ita prædicatur de subjecto in obliquo:) etsi ipse Christus non propriè sit aliud & aliud; quia licet in Christo sit humanitas, Christus tamen non est humanitas; non enim humanitatem, sed hominem significat Christus: homo autem non est aliud à Verbo & Filio Dei, sed sola humanitas est quippiam aliud, scilicet diversa natura à divina.

### QUÆRITUR.

### *An dici possit, Christus est divinitas & humanitas simul.*

In partem affirm. adducuntur testimonia S. Augustini ex Enchir. cap. 38. & ex tract. 78. in Joan. itemque ex B. Leo, epist. 11. & ex Damasc. l. 3. de fide c. 19. Quibus addi potest quod totum non distinguitur à suis partibus simul sumptis: ergo nec Christus à divina & humana naturis simul unitis.

Propter hæc & alia hujusmodi. Valentia, Vasquez, Gamacius, & alij quidam ad q. 2. art. 4. non improbabiliter affirmant rectè dici quod Christus est divinitas & humanitas simul.

Neque



Neque ipsis adversatur quod iste Articulus, A duæ naturæ, divinitas & humanitas sunt unus Christus, condemnatus fuerit sess. 15. Conc. Constantiens. condemnatus enim fuit juxta sensum Joannis Hus eum asserentis, qui erat quod natura divina & humana non solùm conjunctim, sed etiam divisim ac seorsim, esset unus Christus, idque citra ullam Synecdochen & Metonimiam: ita ut verum esse vellent, quod & humanitas sit Christus, ac etiam divinitas. Si autem solùm conjunctim intelligatur quod humanitas & divinitas simul junctæ, sint unus Christus, aut quod Christus sit illæ duæ naturæ simul junctæ, juxta hunc sensum nihil est definitum.

Nihilominùs tamen Medina, Alvar. Nazar. Puteanus negant prædictas propositiones esse in B sensu proprio ac formali veras; quia *Christus* plus includit, quam natura divina & humana significent, ipsam videlicet personalitatem seu personam, de quâ nullo modo prædicari possunt abstracta humanitatis, sed solùm concreta.

Confirmatur, Christus est æternus: divinitas autem & humanitas simul non est aliquid æternum.

Ad Sanctorum Patrum testimonia Resp. illa vel in sensu identico esse intelligenda, quasi dicerent quod Christus non est aliud quam persona ex divinitate & humanitate composita: Vel in sensu causali, ut idem sit, ac Christus est persona composita ex divinitate & humanitate unitis in hypostasi. Simili modo intelligi potest illud Athanasij, *Anima rationalis & caro unus est homo,* id est, C ex animâ rationali & corpore unus homo constituitur. Potest etiam esse, quod Patres abstracta pro concretis usurpaverint. Et uno ex his modis accipi potest quod ex Syn. 6. actio. 18. solet adferri.

Ad rationem allatam Resp. non liquere quod totum à suis partibus unitis non distinguatur, ut videri potest apud Conimbricenses & alios lib. 1. Physic. eo tamen ut probabiliadmisso, in toto essentiali, non est universaliter verum in alijs, vel certè connotatum subinde obstat, ne partes affirmentur de toto: non enim rectè dixeris, quod homo albus sit humanitas & albedo simul: aut quod D homo doctus, sit humanitas & doctrina simul, idque propterea, quia homo importat subjectum quod illa abstracta non important. Similiter autem Christus importat suppositum, quod naturæ in abstracto non important. His consentanea scribit B. Thomas tum hîc in resp. ad 1. tum qu. de unio, Verbi art. 2. ad 2. exponens quædam verba S. Augustini.

In Responsione ad 3. hujus propositionis falsæ (Christus est tantùm homo) sensus est, quòd Christus habet naturam humanam, & non aliam.

#### Articulus II.

*In Christo est tantùm unum esse. Quæst.*

Art. 2. Docet quod in Christo, sit tantùm unum esse: quia Christus est una tantùm persona.

Sed controversia est, num loquatur de esse existentiæ. Et videtur quod non.

Primò, quia humanitas Christi debet habere suam existentiam propriam & creatam: nam esse non potest separari à formâ, sicut nec à circulo rotunditas, ut ostendit Author 1. p. q. 50. articulo primo.

*Sylv: in III. Part.*

Secundò, anima Christi est creata, ergo habet esse creatum.

Tertiò, Si Christus haberet unicam existentiam; illa non posset esse increata, quia illa est essentialis; si autem existentia essentialis communicata esset humanitati, sequeretur unionem substantialem Incarnationis factam fuisse cum omnibus Personis divinis, ratione communis existentiæ.

Verumtamen Resp. & Authorem hîc loqui *Resp.* de esse existentiæ, & illud in Christo esse unicum; juxta ea quæ diximus primâ parte, qu. 3. art. 4.

*In Christo est tantùm una existentia.*

Confirmatur, quia B. Thomas hîc loquitur de esse quod sequitur personam, & pertinet ad esse personale hypostasis subsistentis; De quo etiam quod l. 2 articulo quarto dixit, *Licet ipsum esse non sit de ratione suppositi, pertinet tamen ad suppositū, & non est de ratione naturæ:* sed ista, non possunt intelligi de esse essentiæ quod supposito præintelligitur, & est de ratione naturæ, vel potius est ipsa natura; nec de esse subsistentiæ; quod personam non sequitur, sed eam formaliter constituit: ergo intelligenda sunt de existentiâ. Unde licet in Deo sint tres subsistentiæ; hîc tamen in Responsione ad tertium, *Tres* (inquit) *persona non habent nisi unum esse.*

Deinde, existentia sequitur hypostasim ut habentem esse, & ut immediatè susceptivâ existentiæ; non est autem in Christo hypostasis creata, ergo nec existentia creata.

Confirmatur, Nam in Syn. 6. action. 11 dicitur, *In illo & non in semetipsa, habuit existentiam unam.* Nec obstat Sophronium ibi ostendere quod humanitas Christi non habuerit existentiam, antequam uniretur Verbo: simul enim docet, quod non habuerit aliam quàm ipsius Verbi, unde addit, *Quæ enim existat persona composita ex inconfuso constans temperamento, partitionem convenientium nescit, sed esse unum & permanere unum indivisum sortitur, & neque duo (juxta quod unum existit) efficitur.*

Denique, si duæ sint in Christo existentiæ; ergo sunt duo esse: quod tamen ibi negatur: nam ab existentia aliquid dicitur esse.

Sententiam hanc contra Scot. & alios tuentur Henricus à Gandav. quodlib. 3. quæstione secundâ, Bannes 1. parte quæstione 4. articulo secundo, Cajetan. Medina, Alvarez disput. 14. & alij Thomistæ hîc, conformiter ijs quæ Author nostet tradit qu. 8. de pot. art. 2. ad 12. & qu. 9. art. 5. ad 10.

Ad 1. Argumentum Resp. negando assump. quia esse quidem existentiæ non potest naturaliter separari à formâ, nec supernaturaliter à formâ per se existente: humanitas autem Christi non existit per se, sed per existentiam Verbi.

Quod de rotunditate objicitur, non est per omnia simile: nam esse convenit formæ tanquam principio quo hypostasis existit; principium verò potest impediri per causam superiorem: rotunditas autem circuli convenit circulo, ut principio & subjecto per eam in tali ratione constituto.

Ad 2. anima Christi habet esse essentiæ creatum. Nec obstat quod terminus generationis non sit essentia: nam nec est existentia, sed suppositum in naturâ existens, cui soli, non naturæ aut ejus partibus, propriè convenit esse, ut ostendit Author in 3. d. 6. q. 2. art. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



RESP. neque sumptionem esse veram, neque A sequelam deinde formatam, legitimam. Unio enim humanitatis ad Verbum, facta est immediatè in personâ Verbi, atque ita humanitas non existit aliter quam existentia Verbi divini. Et quamvis existentia in divinis sit aliquid essentiale, quia tamen non communicatur humanitati, nisi prout est personæ Filij, ideò solus Filius existit homo. Quamvis ergo unum sit esse, (ait B. Th. dicto art. 2. ad 2.) *Potest tamen esse considerari vel prout est esse; & sic non unitur humanitas in esse divino; unde non unitur Patri: vel potest considerari prout est persona, & sic unitur in esse divino.* Eâdem ratione posset quis argumentari. Si essentia divina sit communicata humanitati: ergo unio Incar- B nationis facta est cum omnibus personis, ratione communis essentiæ. Sed cut hæc ratiocinatio non valeat, indicavimus q. 2. ar. 2. & q. 3. ar. 2. quia sc. essentia divina communicata est humanitati, quatenus non essentiæ, sed personæ & quidem secundæ rationem habet; sive prout identificatur Verbo, non prout identificatur Patri vel Spiritui Sancto. Similiterque dicendum est de existentiâ.

Quod in 1. Argumento sumitur, *ea quæ consequuntur naturam, in Christo duplicantur*: intelligi debent de illis quæ consequuntur naturam ut ejus perfectiones & proprietates, independenter à supposito, ut principio proximo, quales sunt operationes naturales; esse autem existentiæ non sic consequitur naturam, sed dependenter à sup- C posito; quia existentia non convenit naturæ, nisi mediante supposito quod prius existit quàm ipsa natura.

## QUÆSTIO XVIII.

### *De voluntate Christi.*

### ARTICULUS I.

ART. 1. recensitis ijs qui ex varijs principijs dogmatizârunt unam in Christo esse voluntatem: contra etrorem Macharij Antiocheni. Cyri. Alex. Ser- D gij Constantinop. qui licet duas Christi naturas agnoscerent, duas tamen voluntates fateri recusa-
*Duæ sunt in Christo voluntates.* bant, ab unitate voluntatis ob hoc Monothelitæ dicti; docet agnoscendas in Christo duas voluntates, humanam unam, divinam alteram. Quæ doctrina est fidei definita in Conc. Later. sub Martino 1. can. 10. qui sic habet: *Si quis non confitetur propriè & verè duas ejusdem & unius Christi Dei voluntates, similiter & operationes cohærentur unitas, divinam & humanam &c. sit condemnatus.*

Idem confirmari potest ex sequentibus aliquot canonibus: & ex Synodo sextâ Act. 4 8. & 11. In E octavâ sic habetur. *Omnes qui docuerunt & dicunt unam voluntatem & unam operationem in duabus naturis unius Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri, anathematizamus.* Conformia sunt in Syn. 7. action. 7.

Confirmatur, *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth. 26. *Non mea voluntas sed tua fiat*, Luc. 22. *Ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere*, Marci 7. *Non quæro voluntatem meam, sed ejus qui misit me*, Ioan. 5. &c. Quorum pleraq; licet non pertineant ad voluntatem Christi rationalem, seu ad sensitivam; sufficienter tamen probant aliquam voluntatem in eo fuisse, præter increatam.

Rationalem autem in eo fuisse probari potest ex cap. 2. ad Philipp. ubi Christus dicitur *Factus obediens usque ad mortem.* Et ad Hebr. 5. *Didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam:* obedientia enim est voluntatis rationalis, neque potest esse secundùm divinam, sed tantùm secundùm humanam voluntatem; cum obedientia sit respectu superioris; secundùm verò divinam voluntatem Christus non habuerit superiorem, sed ab æterno sit æqualis Patri.

In ejusdem rei confirmationem diversa Sanctorum Patrum tam Græcorum quam Latinorum loca proferuntur in jam dictæ Syn. 6. act. 10, quibus addi possunt Ambr. lib. 2. de fide c. 3. & in cap. 22. Lucæ, August. in Psalm. 2. & libro 3, contra Maximin. capite 19. Damasc. libro 3. cap. 14. & libro de hæres. & ex instituto in tractatu quem inscripsit, de duabus Christi voluntatibus; & S. Maximus in disputatione contra Pyrrhum Monothelitam, quæ est in fine tomi 8. Baron.

Movebantur autem Monothelitæ, quia videntes humanam Christi voluntatem moveri ad nutum divinæ, existimabant illam nunquam moveri motu proprio: id quod nullo modo consequens est; nam & Sancti cum Christo regnantes moventur ad nutum divinæ voluntatis, de quibus tamen liquidò constat quòd & habent propriam voluntatem, & moveantur motu proprio.

PROBATUR autem hoc fidei dogma: PRIMÒ, quia voluntas sequitur naturam, & non personam: alioquin enim tres in Deo essent voluntates, sicut tres hypostases; cùm igitur duæ sint à Christo naturæ; duæ sunt etiam voluntates. Quæ consequentia tantò magis videbitur esse legitima, si consideremus Christum assumpsisse humanitatem perfectam, divinitatem verò nullam pati potuisse jacturam, vel diminutionem, vel mutationem.

SECUNDÒ, homo secundùm voluntatem ad imaginem Dei factus est: Christus autem assumpsit humanam naturam, quatenus est imago Dei: ergo & voluntatem humanam.

TERTIÒ, Adam peccando, tam in se quàm in posteris, voluntatem infecit; ergo Christus eam, ut sanaret, assumpsit; Quod enim est inassumptibile pertinens ad naturam, est incurabile; ut ex Damasc. dictum fuit q. 4. art. 2.

QUARTÒ, Christus sibi & nobis meruit, at meritum non est nisi secundùm voluntatem creatam; ergo illam habuit Christus.

DENIQUE, Heraclius Imperator statim ut in Monothelitarum hæresim incidit, infelices habuit successus, ac tandem miserè perijt. Contra verò S. Maximus eam acriter impugnans, sic à Deo clarificatus est, ut post abscissionem linguæ, sermones articulatos magis quàm antè emitteret; quemadmodum scribit Baron. ad annum Christi 640. 641. 657.

Portò jam dictæ rationes, de quibus videri potest Author. lib. 4. contra Gentes capite trigesimo sexto, potissimum quidem probant fuisse in Christo humanam voluntatem; prædictos tamen hæreticos efficaciter convincunt; quia ipsi divinam voluntatem agnoscebant in Christo, sed negabant humanam.

Cum in corp. de Nestorio dicitur, quòd unam tantùm voluntatem posuit in Christo: sciendum est,



est, sermonem esse de Nestorio Christum ut pu- A tum hominem considerante, cui Deus per affectum & voluntatem esset unitus accidentaliter. Sicut enim, ex ejus mente, Christus non erat essentialiter Deus; ita nec divinam habebat voluntatem, sed solùm humanam.

Præter argumenta quæ B. Tho. hîc adfert, objici potest Honorium Pontificem Romanum fuisse Monothelitam, ut in 6. & 7. Synod. continetur. Verum S. Maximus in supradicto tractatu respondet eum asseruisse unam voluntatem humanitatis, non autem unam divinitatis & humanitatis.

*Defenditur Honor. Sum. Pontifex.*

Insuper autem conficta esse ab hæreticis & A Actis Synodi 6. inserta ea quæ ibi dicuntur contra B Honorium, probari potest ex Agathonis Epistolâ quæ recitatur à & 4. & recipitur act. 8. ubi dicit Apostolicam Christi Ecclesiam nunquam à tramite Apostolicæ traditionis errasse, nec hæreticis novitatibus depravatam succubuisse; cunctis autem esse cognitû Prædecessores suos semper confirmasse Fratres in fide. Quod quâ fronte dixisset Agatho, si vel ipse Honorium ut hæreticum anathematizaret, vel Synodus cui præsidebat.

Huc facit quod Græcis in more erat canones vitiare: Nicolaus enim I. in Ep. ad Michaëlem Imp. remittens eum ad Epist. Adriani Pontif. ait, *Si tamen non falsata more Græcorum, sed sicut à Sede missa est Apostolica, penes Ecclesiam Constanti-* C *nop. hactenus perseverat.*

In ipsa etiam Syn. 6. deprehensum est falsatum esse librum Syn. 5. act. 3. & 14. Sed & Synodum Chalcedon. fuisse falsatam à Græcis, testatur B. Greg. l. 5. Ep. 14.

Patres autem septimæ Synodi secuti fuerunt sextam.

### ARTICULUS II.

*Fuit in Christo voluntas sensualitatis.*

ART. 2. probat in Christo fuisse voluntatem sensualitatis, quo nomine non hîc intelligitur potentia appetitiva ut vitiosa & repugnans rationi; sed ipsa facultas naturalis; hæc enim cùm ad perfectionem naturæ humanæ pertineat, D in Christo esse debuit; & fuisse, dogma fidei est, confirmatum partim ar. 1. partim ex omnibus illis quæ veram & perfectam humanitatem Christo tribuunt. Et quamvis solus appetitus rationalis propriè dicatur voluntas; interdum tamen etiam hoc nomen sensitivo tribuitur. Unde Ioa. 1. & ad Ephes. 2. voluntas carnis nominatur, ut & apud Prosp. l. 1. de vocat. Gent. c. 2.

*Variæ voluntates Christi.*

Ex his patet in Christo fuisse duas voluntates, si naturæ considerentur; divinam scil. & humanam: tres autem, si potentiæ, scil. divinam, rationalem creatam, & sensitivam: ut ostendunt Bonav. & Richar. in 3. d. 17. Si autem considerentur modi volendi; quatuor voluntates enumerari solent, E post Hugonem Victor. divina, rationis, carnis, pietatis, quâ sc. ex quodam commiserationis affectu condolebat alienis malis, ut Lucæ 19. Sed hanc B. Th. ar. seq. ad 3. rectè dicit non esse aliud quam voluntatem ut est natura seu naturalis, in quantum enim refugit alienum malum, absolutè considerator.

Pro Resp. ad 1. observandum quod in illo Philosophi *Voluntas in ratione est, voluntas* intelligitur non per participationem (quomodo sensualitas est per participationem voluntas) sed essentialiter; nomine autem *rationis* intelligitur mens seu superior animæ pars, cujus duæ sunt facultates; scil. intellectus & voluntas. Vide quæ diximus 1. 2. q. 1. ar. 2. ad 3.

### ARTICULUS III.

*Una est voluntas humana Christi rationalis.*

ART. 3. Docet unicam fuisse voluntatem humanam rationalem in Christo, si potentiam consideremus; duas, si actum. Eadem enim potentia fertur in objectum, aut simpliciter & absolutè; aut ex ordine ad aliud: priori modo vocatur *voluntas ut natura*: quia non per modum rationis, sed per modum naturæ movetur, velut dum naturaliter refugit ea quæ sunt naturæ contraria & secundùm se mala, ut mortem, cruciatus; & similia, Posteriori autem, dicitur *voluntas ut ratio.*

### ARTICULUS IV.

*Fuit in Christo liberum arb.*

ART. 4. probat in Christo fuisse liberum arbitrium: quia de illo Isai. 7. habetur quod *butyrum & mel comedet*, hoc est, *cibis infantilibus utetur*, ait Hieron. *ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Ubi vocula (ut) non finem, sed consecutionem denotat, & sensus est; in statu adhuc infantili consistens, adhuc pannis involutus & cibo puerorum nutritus, habebit boni maliq; judicium, scietq; reprobare malum, & quod bonum est eligere. Ita Basi ius & Hieronymus: electio autem est actus liberi arbitrij: ergo fuit in Christo liberum arbitrium. Quod etiam confirmat B. Th. ex eo quod fuerit in Christo voluntas ut ratio, cujus est ferri in aliquid per ordinem ad aliud, quod non est sine electione, & per consequens, nec sine libero arbitrio.

Accedit quod ejusdem Isaiæ c. 53. dicitur Christus. *Oblatus quia voluit*: Ubi Hiero. *non necessitate crucem, sed voluntate sustinuit*, voluntate inquam, non divinâ tantùm, quia ultro se morti obtulit: sed etiam humanâ, ut ait Damasc. l 3. c. 18.

Hæc doctrina fidei confirmari potest ex illis Scripturis & Concilijs, quibus statuitur Christum, assumpsisse perfectâ humanitatem cum suis proprietatibus naturalibus, & nobis meruisse, pro nobis satisfecisse, humiliatum, & Patri obedientem fuisse. Ista enim non consistunt sine libertate. Consentiunt Aug. lib. 8. de Genesi ad litteram c. 14. lib 4. de Trinit. cap. 13. lib. de prædest. SS. cap. 15. Anselmus in libris, cur Deus homo, Gregor. libro 24. moral. cap. 2. Damasc. dicto lib. 3. cap. 13. & sequentibus.

Hæc autem libertas quæ Christo attribuitur, non est intelligenda solùm à coactione, sed etiam à naturali necessitate. Prior enim illa non sufficit ad rationem liberi arbitrij, ut ex q. 6. de malo, & aliunde, probavimus 1. p. q. 83.

*Ob.* His non obstat, vel præceptum Christo datum à Patre, vel impeccabilitas: neutrum enim libertati repugnat; ut patet tum in Sanctis Angelis, *Resp.* tum in ipso Deo, tum ex ijs quæ articulo decimo quæst. 19. dicta sunt in eadé 1. p. Nam cum utroque constitit voluntatem esse ex se indifferentem, & posse hoc vel illud bonum eligere, atque ita habere dominium sui actus, non solum quoad exercitium, sed etiam quod specificationem.

Confirmatur, præceptum nihil ponit in eo cui præcipitur, ex quo dici possit necessitati; & peccabilitas non pertinet ad rationem liberi

Universidad de Deusto
Biblioteca



arbitrij: ergo nec præceptum Christo datum nec ejus impeccabilitas obstant libertati. A

In Responsione ad 3. voluntas Christi dicitur determinata ad bonum, non solùm sub generali ratione boni; veri vel apparentis; quomodo omnes determinati sumus per naturam, ad bonum in communi: sed ad verum & propriè dictum bonum. Hæc autem determinatio neque erat per naturalem necessitatem, neque per violentiam; sed per gratiam, partim unionis, partim beatitudinis; ideoque libertatem non evertebat, sed perficiebat. Unde Aug. de prædest. Sanct. c. 15. *Nũquid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato servire non poterat?* Vide & cap. 11. lib. de corrept. B & gratiâ.

*Ob.* Dices, Christus non poterat non acceptare mortem, non pati flagella, non eligere actus sibi à Patre præceptos: ergo in illis non erat liberi arbitrij

*Resp.* Ant. probatur, quia non poterat peccare; peccasset autem non acceptando id quod Pater æternus præceperat. Resp. neg. Antec. Quamvis enim Christus peccare non posset, ideoque nec transgredi mandatum Patris, secundùm ea quæ dicebamus qu. 15. ar. 1. ad 1. sic tamen isti mandato obtemperabat, ut eodem illo tempore quo actus præceptos faciebat, posset ipsos non facere, si humana ejus voluntas secundùm se & secundùm modum operandi quem in illo statu habebat, C consideretur. Sicut enim Angeli beati liberè mandata divina exequuntur, neque tamen possunt ea transgredi & peccare: ita Christus liberrimè faciebat quicquid mandati à Patre acceperat. Non poterant quidem hæc duo simul componi, Christus accepit à Patre præceptum moriendi, & Christus non vult mori, atque ita in sensu composito, non poterat non mori, supposito præcepto: simpliciter tamen, si & mors, & Christi voluntas secundùm se spectentur, eodem præcepto stante, retinebat liberam facultatem non moriendi, & poterat non mori. Præceptum enim Patris nihil in Christi voluntate operabatur quod ejus libertatem impediret, sed D eam æquè liberam relinquebat atque si non fuisset datum. Neque propterea poterat peccare; quia cum præcepto non poterat poni ejus omissio, tametsi actus ejus, qui præceptus erat, omissio, non simpliciter foret impossibilis.

Quando cœperit usus liberi arbitrij in Christo, vide art. 2. quæst. 34.

## Articulus V.

*Voluntas Christi humana fuit per omnia conformis divinæ. Voluntas ut natura poterat velle aliud quam divina.*

Art. 5. tradit voluntatem Christi humanam, ut ratio est, fuisse per omnia conformem divinæ, scilicet in objecto tam materiali quã formali; eandem verò, ut est natura, seu naturalis, E non semper fuisse conformem in objecto materiali. Sicut enim appetitus sensitivus, ita voluntas ut natura poterat aliud velle quam Deus; & consequenter quam voluntas ut ratio: movebatur enim proprio & naturali motu, ille quidem prosequens ea quæ sensibus commoda, & refugiens quæ sensibus essent molesta; hæc verò, appetens bonũ naturæ, & refugiens ea quæ illi sunt noxia; ita tamen ut semper essent conformes divinæ voluntati tanquam principio & regulæ: nihil enim volebant nisi quod divina, & humana rationalis voluntas volebat eas velle. Sic Christus volebat non mori, & non bibere calicem passionis. *Nec verò* (ait Damascenus in oratione Quomodo ad imaginem Dei facti sumus) *in eo sententia erat ulla repugnantia: obtemperabat enim ultrò divinæ illius & paternæ voluntati voluntas ipsius humana; eademq; voluit eam velle divina*; sive, & ea volebat quæ divina ipsius voluntas, eam velle volebat.

Isti autem actus voluntatis consideratæ ut natura, dicuntur naturales & inefficaces; non quia naturali necessitate præveniebant deliberationem rationis, quomodo in nobis accidit (operabatur enim Christus semper ex advertentiâ & deliberatione:) sed quia Christus ex deliberatione rationis finebat eos elici à suâ voluntate humanâ, operante secundùm inclinationem naturalem, qua naturaliter fertur in bonum quod secundùm se est naturæ commodum; & refugit malum eidem naturæ adversum.

Difficultas autem est, an ejusmodi actus inefficaces qui ab alijs vocantur velleitates, ab alijs simplices actus complacentiæ & displicentiæ, fuerint in voluntate Christi non solum ut natura, sed etiam ut est ratio, & quidem superior. Voluntas ut ratio potest intelligi, quâ ex ordine ad aliud volumus aliquid, etiam inefficaciter & imperfectè; quod si sit æternum, ratio quæ illi intendit, dicitur superior: si temporale, inferior. Sic B. Thom. in 3. distinction. 17. quæstione primâ, articulo secundo, multique alij agnoscunt ejusmodi actus in voluntate rationis Christi: superiori quidem, quatenus ex charitate refugiebat mortem, non simpliciter, sed sub conditione, & secundùm quod ex eâ secutura essent varia Judæorum peccata: In inferiori autem, quatenus eandem refugiebat secundùm quòd ex eâ secutura erat Jerosolymæ vastatio. Et quidem juxta modum nostrum intelligendi, videti possunt fuisse in Christo tales velleitates, secundùm voluntatem rationis imperfectè volentem.

*Voluntas ut ratio.*

Verum, quia frequentiùs tum apud Authorem nostrum, tum apud alios, voluntas ut ratio, intelligitur ea quâ quis ex judicio & deliberatione rationis eligit media in ordine ad finem, aut vult finem ex ordine mediorum.

Ideo Verius apparet; nullos actus voluntatis consideratæ ut est ratio, fuisse imperfectos & inefficaces in Christo; si secundùm rem loquamur. Unde tam hîc, quam quæstione 21. ar. 3. & 4. B. Thom. docet Christum secundùm voluntatem rationis nihil voluisse nisi quod sciret Deum velle.

*Non fuerunt in Christo voluntatis, ut ratio est, actus imperfecti.*

Qui verò actus objiciuntur ut imperfecti; non fuerunt in Christo secundùm rem à deliberatâ ejus rationali voluntate eliciti, sed solùm in eo fuit affectus non moriendi, partim sensualitatis, partim voluntatis simplicis, quæ consideratur ut natura. Confer articulum sequentem, in corpore & ad 3.

Quod in Responsione ad 1. dicit motum sensualitatis non se extendere usque ad voluntatem Dei; intelligi debet de motu qui tantùm fit propriâ virtute sensualitatis; nam ex imperio rationis fertur etiam, & consentit suo modo in eâ quæ alioquin naturaliter refugit.

Circa Responsionem ad 3. adverte etiam beatus aliquid velle naturaliter seu voluntate ut est natura, quod nec Deus vult, nec ipsi volunt voluntate ut est ratio: meritò tamen Author ponit



ponit discrimen inter Christum & ipsos, quia A Christus habebat corpus passibile, cui læsiva poterant accidere, quæ refugiebantur à voluntate ut natura.

## Articulus VI.

*Non fuit in Christo contrarietas voluntatum.*

Art. 6. docet nullam fuisse contrarietatem voluntatum in Christo. Quæ doctrina est fidei definitæ in Syn. 6. actione quartâ. Ubi sic legitur. *Cum duas autem naturas duasq; naturales voluntates, & duas naturales operationes confitemur in uno Domino nostro Iesu Christo, non contrarias eas, nec adversus ad alterutrum dicimus, sicut à viâ veritatis errantes Apostolicam traditionem accusant. Absit hæc impietas à fidelium mentibus.* Et Synod. Lateran. sub Martino 1. can. 15. anathema dicit illis B qui ex piè prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, dissensiones & divisiones insipienter inducunt.

*Ob.* Nec obstat, quod sensualitas & voluntas ut natura quandoque vellent aliud quam divina, & consequenter quam humana rationalis; quia nec una alteram impediebat, nec secundùm eandem

*Resp.* rationem movebatur; contraria verò se invicem impediunt, & spectari debent secundùm idem. Volebat Christus voluntate divinâ, & humanâ rationali, quod sua sensualitas ac voluntas ut natura moveretur secundùm ordinem suæ naturæ; eisdemque nihilominùs plenè & perfectè ita dominabatur, ut nec rationis motum quoquo modo turbarent, nec ipsæ moverentur, nisi quantum ra- C tio permitteret. In nobis autem aliter est; nam ex vitiatâ origine sic *caro concupiscit adversus spiritum spiritus autem adversus carnem ut non quæcumque volumus facimus*; Ad Gal. 5. & ut unum impediat alterum; sitque homo sibi contrarius: juxta illud Job 7. *Quare me posuisti contrarium tibi; & factus sum mihimet ipsi gravis?*

De Christo loquens B. Ioan. Damas. l. 3. c. 18. *Divinam*, inquit *ipsius voluntatem humana sequebatur eiq; obtemperabat, ut quæ propria voluntate ac sententia minimè moveretur, verum ea demum vellet quæ divinæ ipsius voluntati placebant. Permittente siquidẽ divina voluntate naturaliter ea quæ ipsi propria erant patiebatur. Etenim cum mortem aversaretur ac* D *detrectaret, eam divina ipsius voluntate ita ferente ac sumente naturaliter detrectabat atque in mortis pavore ac trepidatione versabatur. Rursus cum divina ipsius voluntas hoc ferret, ut humana ipsius voluntas mortem amplecteretur, voluntaria ipsi passio extitit.*

Doctrinam hanc illustrat Christi ante passionem oratio Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. in quâ licet multiplex ejus voluntas contineatur, contrarietas tamen excluditur, dum creata voluntas divinæ subjecta monstratur. Dum enim ait, *transeat à me calix iste*. Et iterùm, *non sicut ego volo*. expressit humanam voluntatem sensitivã, & naturalem; utraque enim mortem & passionem, tanquam E quiddam secundùm se malum ac naturæ reformidabile, refugiebat. Addens autem, *sed sicut tu*, divinam monstrat voluntatem quam habebat cum Patre communem, eique suam rationalem conformat, dicens, *non mea, sed tua voluntas fiat.* Confer quæ dicimus qu. 21. art. 4.

*Ob.* Dices, Peccator non habet voluntatem suam conformem divinæ, sed contrariam, quando privatæ utilitatis causâ, quâ inducitur ad peccandũ, non vult facere id quod Deus secundùm rationem boni communis vult ab eo præstari ergo ad



contrarietatem voluntatum sufficit unam nolle quod altera vult, etiamsi secundùm diversam rationem.

*Resp.* Resp. Neg. Cons. quia peccatoris voluntas tam est perversa, ut etiam spectatâ ratione boni communis velit aliud quam habeat lex divina, quomodo voluntas nolentis ob privatum commodum latronem suspendi, contraria est voluntati Judicis, id ob bonum publicum jubentis; quando privati illius boni amor tantus est, ut propter eum velit impedire bonum publicum; quemadmodum hîc ostendit Author.

Quando in corp. dicit, *Volebat voluntas absoluta in Christo salutem generis humani, sed ejus non erat velle hoc in ordine ad aliud*: per voluntatem absolutam, intelligit naturalem seu rationalem consideratam ut naturam: de eâ enim verum est quod non voluerit salutem humani generis in ordine ad aliud, nempe ad passionem, ut sc. per eam compararetur salus ista. Voluntatis autem sensualis objectum non est salus humani generis unde subdit B. Th. *Motus autem sensualitatis ad hoc se extendere non valebat.*

In Responsione ad 3 docet agoniam de quâ Luc. 22. fuisse in Christo quantum ad partem sensitivam, secundùm quod importat timorem *Agonia Christi.* infortunij imminentis, fuit scilicet certamen quoddam, non inter ipsas voluntates, sed inter sensualitatem & mortem, quam natura velut malum quoddam & sibi contrarium refugiebat, cujusmodi pugna seu concertatio conspicitur etiam in pueris, cæterisque animalibus, rationalem voluntatem vel ejus usum non habentibus. Quapropter hæc pugna nihil aliud fuit quàm timor mali imminentis: unde quod Lucas ait Christum in agoniâ factum Matth. & Marc. scribunt, *Cœpit pavere, tædere & mœstus esse*. Vide Iansen. in Evangelia.

# QUÆSTIO XIX.

*De pertinentibus ad unitatem Christi quantum ad operationem.*

## Articulus I.

Art. 1. Docet esse in Christo duas operationes, divinam & humanam. Ista est increata, utpote ab essentiâ Dei non diversa; hæc est creata, à potentijs vel habitibus creatis elicita.

*Sunt in Christo duæ operationes.*

Quæ doctrina est fidei, definitæ in Syn. 6. act. 17. & in Syn. Lat. sub Martino 1. can. 10. 11. 12. 13. 14. quorum ultimus ita habet; *Si quis secundùm hæreticos, Dei virilem operationem unam insipienter suscipit, & non duplicem eam confitetur, hoc est, divinam, & humanam sit condemnatus.*

Confirmatur, Si in Christo tantùm esset una operatio, vel ea est divina, vel humana, vel neutra. Non primum, quia sequeretur Christum esse merum Deum, & nõ hominem: Non secundùm, quia sequeretur eum esse purum hominem: Non tertium, quia sequeretur eum nec esse Deum nec hominem.

Præterea, sequeretur in Christo esse unicam naturam & unicam voluntatem: nam juxta Sanctos Patres, unitas vel diversitas operationis sequitur unitatem vel diversitatem naturarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Denique, natura divina habet propriam A mam, virtutem, & libertatem; & humana similiter suam: ergo sunt duæ operationes; quia hæ sequuntur formas quæ sunt principia agendi.

Contra hanc doctrinam senserunt Monothelitæ, & alij hæretici, qui ad hoc inducebantur, partim quod unicam agnoscerent in Christo voluntatem, partim propter unitatem suppositi, partim aliis causis: quæ sic variabantur, sicut hæreses sunt instabiles.

*Variæ Christi operationes.*

Ad horum confutationem, observant nonnulli fuisse in Christo triplicem operationem: unam merè divinam, ut est creatio animarum. Secundam purè humanam, quam Christus ut homo exercebat virtute propriæ formæ & virtutis inhæ- B rentis, ut sunt flere, esurire, ambulare, comedere. Tertiam, quæ fiebat à Christo per virtutem divinitatis, ut causæ principalis, per humanitatem verò solum ut instrumentum; quales sunt suscitatio Lazari, illuminatio cœci, & hujusmodi. Atque in his etiam, distinguendum est, inter actionem divinitatis & humanitatis. Quamvis enim suscitatio & illuminatio esset una tantum operatio, divinitatis ut agentis principalis, humanitatis ut instrumenti, juxta ea quæ hic dicuntur de operatione quæ est rei solum secundùm quod movetur ab alio: Christi tamen clamor, & contactus, erat formaliter alia operatio à suscitatione, procedens ex formâ seu virtute humanitatis. C

Quod hic objici posset, esse unicam in Christo filiationem realem; ergo & unicam operationem; ex qu. 36. art. 5. solvi potest. Si enim concedatur Anteced. ratio disparitatis dabitur, quod filiationis subjectum non sit natura vel pars naturæ, sed suppositum: humanæ autem operationis subjectum immediatum est natura cum suis potentijs.

At dices, Actiones ad extra sunt communes toti Trinitati: tales autem erant humanæ operationes Christi; ergo etiam erant toti Trinitati communes. Sed in Patre & Spiritu Sancto non erant plures operationes, sed tantùm una, scilicet divina: ergo similiter in Christo: Resp. Neg. C. quoniam humanæ Christi operationes erant quidem communes toti Trinitati, in quantum ex eâ D velut causa principaliter efficiente procedebant; peculiari tamen aliquâ ratione procedebant à Christo, secundùm quam non procedebant à Patre nec à Spiritu Sancto; quia Christus operabatur eas per naturam humanam sibi hypostaticè unitam, ac per consequens persona Verbi erat causa proxima illas eliciens per naturam humanam quam terminabat, atq; ita dicebant intrinsecum ordinem ad humanitatem, ut ad principium quo: & ad Verbum humanitati conjunctum, ut ad principium quòd.

Circa Resp. ad 1. est observandum operationes Christi vocari theandricas, id est, Dei-viriles, E non quod esset una actio ex divina & humana conflata, sed quia erant Dei viriq́ue operationes, sc. ab eo qui simul erat Deus & homo. *Non enim aut diversas actiones esse, aut naturas distinctim operari dicimus*, ait Damasc. l. 3. c. 19. *sed conjunctim utramque alterâ socià adhibitâ, id efficere quod ipsi proprium est.* Divinitas v. g. faciebat miracula, sed non citra carnem: caro patiebatur humilia, & agebat quæ propria, sed non citra Deum, sive non sejuncta à divinitate. Hinc patet meritò pronunciatum in Syn. 6. Act. Christi operationes esse indivisas, inconfusas, inconvertibiles. Quamvis enim sint duæ, non sunt tamen, ut Nestoriani volebant, à diversis suppositis, sed sunt ejusdem personæ, salvâ differentiâ naturarum, ideoq́ue indivisæ. *Agit enim utraque forma* (id est, natura) *cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est*, inquit S. Leo Ep. 10.

In Resp. ad 4. esse (existentiæ scil.) dicitur pertinere ad constitutionem personæ, non essentialiter, sed quia persona constituitur per subsistentiam, in ordine ad existentiam tanquam ad complementum & terminum.

### Articulus II.

ART. 2. tradit in Christo esse tantùm unam operationem humanam, id est, quæ à ratione per voluntatem procedit, non quod non sint plures numero & specie, si loquamur secundùm distinctionem quæ est ex objectis: sed quia est una in genere, factâ videlicet comparatione ad principium operativum. Quemadmodum enim art. præcedenti docuit operationes divinitatis & humanitatis esse duas, propter duo principia, quæ sunt voluntas divina, & voluntas creata: ita hoc art. resolvit operationem Christi humanam esse tantùm unam, propter unicum principium quod est voluntas & ratio. Istæ enim duæ potentiæ solum habent rationem unius generalis principij, à C quo operationes hominis ut homo est, habent quod sunt humanæ.

*Una est humana Christi operatio.*

Nec obstat, in Christo fuisse actiones appetitus sensitivi, & partis vegetativæ: sicut enim in nobis aliquæ actiones & sensuales, & naturales in quantum sunt humanæ, in tantum ab humano voluntatis ac rationis principio proficiscuntur quatenus scilicet ratio eas dirigit ac moderatur: ita in Christo omnes operationes tam naturales quàm sensuales erant quodammodo humanæ, & eatenus pertinebant ad ejus voluntatem. Anima enim ipsius, ratio, & voluntas, non solùm sensualitatem plenè sibi subjiciebat, sed tanquam instrumentum divinitatis habebat etiam in plenâ potestate omnes actiones, corporales & naturales, ita ut quamvis illæ non pertinerent ad voluntatem; consideratâ naturali conditione vel corporis passibilis, vel ipsius voluntatis, ad eam tamen pertinerent ut existentem instrumentum verbi; & propterea voluntariè susciebantur, & tam diu durare permittebantur quamdiu illa volebat.

*Obj.*

*Resp.*

### Articulus III.

*Vtrùm actio humana Christi potuerit sibi esse meritoria.*

VIDETUR quod non. Primò, quia Christus habebat præceptum à Patre quod non poterat transgredi: ergo non liberè illud implevit.

Secundò, Liberum arbitrium Christi habebat se determinatè ad bonum: qui autem meretur debet esse indifferens.

Tertiò, Id quod alicui debetur, non oportet quod mereatur: sed Christo debebatur gloria corporis, cùm esset beatus; ergo illam non meruit.

Quartò, meritum non est respectu eorum quæ necessariò consequuntur quasi naturali ordine; gloria autem corporis ita consequitur beatitudinem animæ, ergo.

Quintò, Christus non meruit per actus Chari-



Charitatis; ergo multò minùs per alios, Antecedens A probatur, quia actus charitatis cum de necessitate sequatur visionem beatificam, erat necessarius.

Sextò, Si esset aliquod meritum Christi; vel esset infinitum, vel finitum: non infinitum: quia est operatio creata; nec finitum, quia est operantis infiniti: ergo nullum est.

Septimò, Christus nihil sibi meruit per oblationem crucis; ergo nec per alios actus. Ant. Prob. ex can. 10. Conc. Ephesini, *Qui dicit quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potius pro nobis solis, anathema sit.*

Octavò, Christus non potuit adoptari ad aliquam hæreditatem, cùm non sit Filius adoptivus, sed naturalis ut q. 23. ar. 4. docetur: ergo, nec B potuit mereri. Nam mereri est Filij adoptivi.

Responsio Authoris certa est, Christum per actiones humanitatis sibi meruisse.

*Christus meruit.*

Quod meruerit, & quidem non solùm ex dispensatione, sed secundùm legem ordinariam: probari potest ex eo quòd fuerit viator, viator enim potest mereri absque miraculo, tum sibi ea quæ non habet, tum alijs. Sicut ergo anima Christi cùm esset beata, accepit ex dispensatione corpus passibile & ponderosum; eâ tamen dispensatione factâ, ipsum naturaliter patiebatur, & absq; miraculo potuisset aquis immergi: ita similiter, quamvis Christus fuerit ex dispensatione viator; eo tamen posito, poterat absque miraculo & de lege C ordinariâ mereri.

*Conditiones ad meritum necessaria.*

Accedit, quod conditiones ad meritum requisitæ, (quæ sunt libertas in operando, esse viatorem, operantis & operis cum relatione in Deum bonitas, proportio ad præmium, pactum sive promissio mercedis sub conditione operis) omnes in Christo reperiantur. Nam quod fuerit liber, patet ex ar. 1. q. 18. quod viator, ex art. 10. q. 15. quod bonus cũ bonis operibus, ex q. 7. & 8. quod non defuerit proportio, ex q. 48. & 49. quod præcesserit pactum, ex Psal. 2. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*: & apertiùs Isai. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Et iterùm, *Pro eo quod laboravit anima* D *ejus, videbit & saturabitur*, id est, continget ei quod voluerit; videbit Ecclesias toto orbe consurgere, & gentes relictis idolis amplecti Evangelium; quod dum annunciabitur, ipse Christus multos justificabit.

*Christus sibi meruit.*

Quod autem sibi meruerit, probat illud ad Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltavit illum*: de quo diximus q. 2. ar. 11. illud item Apoc. 5. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere gloriam*: Et ad Hebr. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Cui simile est illud Luc. 24. *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* His consentientes videri possunt Chrys. & alij super c. 2. ad Philip. & Augu. l. 2. E contra Maxim. c. 5.

Ad 1. verò Arg. Resp. Neg. Cons. Christus enim liberè passus & mortuus est; poteratq́; absolutè non mori, quamvis non in sensu composito: quia hæc non erant compossibilia, præceptum esse datum Christo, & illud non servari ab illo. Unde ex præcepto, non sequitur alia necessitas, quam conditionata.

Ad 2. Etsi liberum arbitrium Christi esset determinatum ad bonum, non erat tamen determinatum ad unum simpliciter, sed poterat hoc vel illud facere & non facere: atque ita remanebat in eo libertas & indifferentia potentiæ liberæ intrinseca.

Ad 3. Sicut quod est uno titulo debitum, potest fieri debitum ex alia causa: ita potest aliquis ipsum mereri. *Christus* ergo *non meruit aliquid quasi sibi non debitum*, ait B. Th. q. 29. de ver. ar. 6. ad 3. *Neque etiam, ut quod erat debitum, fieret magis debitum: sed ut id quod erat uno modo debitum, ratione gratiæ*, sc. unionis, *fieret ei alio modo debitum, ratione meriti.* Similia scribit q. 34. ar. 3. ad 3. & q. 59. ar. 3. in 3. d. 18. ar. 5. ubi, sicut & Bonav. eadem dist. quæst. 1. artic. 2. docet tribus modis contingere quod quispiam aliquid mereatur.

Uno modo, quando ex indebito facit debitum sicut cùm aliquis primo motu charitatis meretur vitam æternam.

*Potest quis id mereri quod est sibi debitum.*

Secundo modo, quando ex debito facit magis debitum, quod contingit in eo qui proficit in charitate.

Tertio modo, quando ex debito uno modo facit debitum alio modo: sicut puer cui debetur vita æterna ex habitu charitatis in Baptismo acceptæ, facit eam sibi debitam exactu, cum venit ad usum rationis & bene operatur. *Omnibus hu modu Christus meruit nobis*, ait Bonav. *sibi autem non meruit, nisi tertio modo tantùm, post conceptionem.* B. quidem Th. in 3. d. 18. ar. 5. significat Christum etiam primo modo sibi aliquid meruisse: sed hoc revocasse videtur dictâ q. 29. de verit. ar. 6. & hujus p. q. 59 ar. 3.

Ad 4. Resp. gloriam corporis sequi ex beatitudine animæ, quando anima est omni modo glorificata, & secundùm ordinem ad Deum, & secundùm ordinem ad corpus. Sic autem anima Christi non erat glorificata, sed solùm in ordine ad Deum; secundùm autem quod erat forma corporis, erat passibilis, ait B. Th. q. 29. de verit. ar. 6. ad 4.

Ad 5. variè responderi potest. Primò, Neg. Cons. quamvis enim daretur quod Christus non meruit per actus charitatis Dei, eò quòd illi es- *Christus meruit per actus omnium virtutum quos exercuit.*
sent necessarij; potuit tamen mereri, & omninò D dicendum est quod meruerit per actus charitatis erga proximos, & per actus patientiæ, humilitatis, obedientiæ, aliarumq́ue virtutum; sive ipsi essent ex se ordinis naturalis, sive supernaturalis; quia erant liberi, & referebantur ad finem supernaturalem à personâ Deo infinitè gratâ; nec assignari potest defectus ullius conditionis requisitæ ad meritum.

Secundò, Neg. Anteced. probabiliter namq́ue dici potest, quod præter actum dilectionis Dei, consequentem visionem beatificam, in Christo fuerit alius actus dilectionis Dei, consequens scientiam infusam; quamvis autem ille prior esset necessarius; iste tamen potesterior erat liber, utpote à potentiâ voluntatis, charitate, (quæ scientiæ infusæ respondebat & quæ est secundùm conditionem viatoris informata) liberè elicitus. Neque huic responsioni obstare videtur; quod in eodem subjecto frustra ponerentur duo actus dilectionis, solo numero differentes: non enim isti actus solo numero differunt, quandoquidem ex diversis principijs procedant, unus ex scientiâ beatâ, alter ex infusâ; & unus sit liber, alter necessarius. Ita respondent Medina, & Gamac. hîc, Suar. disp. 39. seq. 2. cum pluribus quos allegat: eundemq́ue modum respondendi probabilem censet Valentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca
"Unus actus potest una ratione esse liber, & alia ratione necessarius."



TERTIÒ, Respondeti etiam potest Neg. Antec. ac dicendo quod Christus meruit per illum ipsum actum charitatis, qui visionem beatificam consequitur, etiam secundùm quod terminatur immediatè in Deum, ita ut idem actus fuerit necessarius & liber respectu ejusdē quidem objecti, sed diversimodè considerati. Divina enim bonitas seu Deus ipse dupliciter considerari potest. Uno modo absolutè & secundùm se: & juxta hanc rationem anima Christi cùm esset beata, necessariò diligebat Deum, ea dilectione quæ visionem beatificam consequitur. Alio modo secundùm quod Deus in actuali exercitio est ratio formalis diligendi creaturas, præsertim autem rationales, pro quibus voluntariè seipsum obtulit Christus. Juxta hanc rationem anima Christi liberè diligebat Deum, etiam illo dilectionis actu qui consequebatur visionem beatificam: quia non ex necessitate, sed ex libera voluntate diligebat homines, ac per consequens etiam Deum sub ea ratione consideratum. Nec est inconveniens eundem actum respectu ejusdem objecti, sed secundùm diversas rationes considerati esse necessarium & liberum. Nam Deus necessariò diligit suam bonitatem, secundùm se & absolutè consideratam: Eandem verò liberè diligit, secundùm quod actualiter est ratio formalis diligendi creaturas in aliqua temporis differentia existentes: sicut enim liberè eas produ-
cit, ita etiam liberè eas diligit ut sint & conser-
ventur. Istum respondendi modum indicaverunt Altisiod. l. 3. tract. 1. cap. 7. Gabriel in 3. d. 18. concl. 2. Capreol. eadem d. ar. 2. in fin. & latius explicant. Alvar. disp. 45. Cabrera disp. 4. §. 4. super præsentem art. & Nazarius; adferrique potest B. Th. in 3. d. 18. ar. 2. ad 2. dicens quod *Idem non potest esse meritum & præmium respectu ejusdem & secundùm idem. Vnde ipse motus charitatis hominis Christi in quo consistit præmium ejus, quantum ad beatitudinem animæ potest esse meritum respectu beatitudinis corporis: quod alijs beatis non contingit, quia non sunt in statu acquirendi secundùm aliquid sui; & ideò nec sibi nec alijs merentur.* Quibus verbis omninò concedit actum charitatis beatificæ in Chri-
sto, fuisse meritorium. Similiter q. 29. ver. ar. 6. ad 6. *Christus non erat extra statum merendi, quia viator erat, & ideò charitate eadem fruebatur, & merebatur sicut & eadem voluntate. Nec tamen erat idem principium meriti & præmij, quia non merebatur gloriam animæ, ad quam pertinet charitas, sed gloriam corporis.* Ad id verò quod ex hujus ar. resp. ad 1. ubi dicitur quod *Christus non meruit per charitatem in quantum erat comprehensoris, sed in quantum erat viatoris.* Objici solet: Resp. posse videtur, eandem esse charitatem quæ secundùm unam rationem est comprehensoris, & secundùm aliam viatoris.

AD 6. Ex ijs quæ ar. 2. quæstionis 1. in Responsione ad 3. quæsiti 3. patet meritum Christi fuisse valoris infiniti, etiamsi opera ejus essent finita secundùm entitatem.

AD 7. Neg. Ant. Canon enim ille solùm significat Christum esse pro nobis & non pro seipso passum, quantum attinet ad expiationem peccatorum. Nam pro ratione additur, quod *non indiguit oblatione, qui peccatum omninò nescivit.* Vide art. 4. quæstionis 22.

AD 8. RESP. Neg. C. quia non eadem est ratio adoptionis quæ meriti, cùm adoptari sit immediatè personæ; mereri autem sit personæ ratione naturæ. Quamquam nec solius Filij adoptivi est mereri; cum & Filius naturalis possit à Patre aliquid mereri per suam industriam, laborem vel obsequium, si Pater propter ejusmodi promisisset aliquod præmium.

Quæri hic posset quando Christus mereri cœperit ac desierit: sed is in suum locum servatis, qui est q. 34. seq. examinandum restat quod

## QUÆRITUR,

*Quænam Christus sibi meruerit.*

PRo Responsione sit

### CONCLUSIO I.

CHRISTUS non meruit sibi unionem hypostaticam. Patet ex articulo undecimo, quæstionis 2.

### CONCLUSIO II.

*Christus non meruit sibi gratiam.*

NON meruit etiam sibi gratiam, aut scientiam, aut gloriam seu beatitudinem animæ; imò verisimilius est, quod nec potuerit ea mereri secundùm potentiam Dei ordinariam.

PROBATUR 1 quia non meruit ea quorum carentia magis præjudicaret honori & dignitati ipsius, quam per meritum accresceret; ejusmodi autem sunt scientia, gratia, & gloria seu beatitudo: cum enim meritum non sit nisi ejus quod nōdum habetur, oporteret quod Christus aliquando illis caruisset; illis autem carere magis diminuit dignitatem Christi quam meritum possit augere. *Nec potuit eam mereri.*

Confirmatur, *Ad statum merendi requiritur*, ait B. Th. quæst. 29. de verit. ar. 6. *quod sibi desit id quod mereri dicitur.* Quia meritum est causa præmij in genere causæ efficientis, in quantum facit dignum præmio, & ad illud disponit: ergo meritum debet antecedere præmium.

SECUNDÒ, nullus mereri potest beatitudinem nisi speret se illam habiturum: sed Christus non poterat sperare se habiturum illam: ut patet ex articulis 3. & 4. q. 7. ergo nec mereti.

TERTIÒ, principium meriti non cadit sub meritum: scientia autem & gratia Christi animæ data, sunt principium meriti: ergo.

*Ob.* Nec obstat, quod aliquando merces possit esse simul. imò & antecedere præmium: nam in eodem hoc esse non potest, quando tam merces quàm *Resp.* præmium sunt internæ perfectiones operantis; eò quòd meritum sit perfectio inchoata & imperfecta, præmium verò perfecta; idem autem non potest eandem perfectionem simul habere perfectam & imperfectam, vel perfectam priùs & postea imperfectam, quando imperfecta est causa alterius in genere causæ efficientis.

*Alia Ob.* Nec obstat, etiam, quòd meritum comparetur ad præmium sicut via ad terminum; in instantaneis autem simul sint via & terminus, esse & fieri; *Resp.* quia solùm habet veritatem in viâ quæ est productio termini; & in illis instantaneis, quæ non important actus diversos ac repugnantes. Sic illuminatio simul est cum luce, quia illuminatio est ipsamet lucis productio. At quando via & terminus, fieri & esse, acquiruntur per actus repugnantes, non possunt esse in eodem instanti, & hujusmodi sunt meritum & præmium respectu beatitudinis & gratiæ.

CON-



### CONCLUSIO III.

*Christus meruit sibi gloriam corporis.*

CHRISTUS promeruit sibi gloriam corporis; animæ & corporis impassibilitatem, divinitatis manifestationem, nominis exaltationem, Resurrectionem, Ascensionem, potestatis judiciariæ usum, & alia quæ pertinent ad exteriorem ejus excellentiam. Id enim significant Scripturæ, ad Philip. 2. ad Hebr. 2. Apoc. 5. Isai. 53.

Et confirmatur, quia Christus non semper habuit illa omnia; per actus autem suos meruit ea quæ non habuit ab initio, pertinentia aliquo modo ad beatitudinem vel glorificationem. De his enim verificatur quod isto Art. dicit, esse perfectius ea habere per se, seu per suos actus, quàm sine illis; eò quòd carentia ipsorum non tantùm præjudicet dignitati Christi, quantum illa augetur per meritum.

## QUÆRITUR II.

*An Christus mereri posset scientiam, gratiam, beatitudinem (si quod videtur non implicare contradictionem) humanitas assumeretur absque illis.*

RESPONDERI potest affirmativè; quia dignitas personæ posset valorem & dignitatem operibus tribuere, & supplere absentiam gratiæ, quæ solet esse radix meriti.

Si dicas, repugnare gratiæ, quod cadat sub meritum. RESP. ita esse si loquamur vel de merito quod sit hominis à seipso sine gratiâ; vel de gratiâ quæ sit omninò prima ita ut nullam gratiam præsupponat: non repugnat autem, ex gratiâ præcedenti mereri aliam gratiam; quomodo justi merentur augmentum gratiæ, & gratiam consummatam., id est, gloriam: & similiter posito quod Verbum assumpsisset humanitatem sine gratiâ habituali, potuisset eam mereti ex præsuppositâ gratia unionis humanitati collata.

Si præterea dicas, nullum posse esse meritum de condigno sine grátia habituali. RESP. nullum esse sine ea, vel sine dono supereminente aut æquivalente, ut indicavimus 1. 2. qu. 114. art. 2. quæsit. 2. concl. 2. In casu autem posito esset donum supereminens, sc. infinita dignitas personæ talem haturam sustentantis.

### ARTICULUS IV.

ART. 4. Docet Christum alijs meruisse. Cùm enim gratiam habuerit tanquam caput, & unam cum membris personam mysticam constituerit: ut ostendit Greg. initio explanationis quarti Psal. Pœnitentialis; ejus actiones non tantùm personales fuerunt, sed spirituali generatione communicantur omnibus qui ex eo renascuntur. Hæc doctrina est fidei, tum ex Scripturis & Patribus, tum ex Conc. Trid. sess. 6. manifestè.

## QUÆRITUR AUTEM.

*Quænam Christus nobis promeruerit.*

*Christus meruit nobis gratiam &c.*

BREVITER dicendum est, quòd primam boni cupiditatem seu gratiam, fidem, pœnitentiam, remissionem peccatorum, omne genus virtutum & bonorum operum, in ijs perseverantiam; vitam æternam; & in universum omnia quæ ad salutem pertinent.

Confirm. ex Ioa. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Ad Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo.* Ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere; Hoc uno verbo initium finemq; comprehendit*, ait Aug. l. 2. contra duas Epistolas Pelag. c. 8. Et tract. 81. in Ioan. *Sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sive quo nihil fieri potest.*

Eodem pertinent non solùm Scripturæ quæ ostendunt omnia salutaria bona nobis à Christo provenire; sed etiam orationes Ecclesiæ quæ omnes concluduntur per Christum. *Oratio* (inquit Aug. in Psal. 108.) *quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum sed etiam ipsa fit in peccatum.*

Porrò sicut per offensam Adæ *homo totus, id est, secundùm corpus & animam, in deterius est mutatus*, ut loquitur Conc. Arausic. can. 1. & ex Trid sess. 5. can. 1. doctrinæ, docuimus prima parte, qu. 95. articulo 1. ita existimandum est Christi meritis nos totos reparari in melius, tam corpore quàm animo.

Circa Responsionem ad 3. quidam opinantur Authorem sentire quod gratia quidem quæ in Baptismo datur sit ex meritis Christi, non autem hoc quod quis baptizetur; & eatenus salutem hominis esse ex gratia, & nullo modo ex meritis, ne quidem ipsius Christi.

*Etiam baptismi applicatio est ex meritis Christi.*

Verùm, quod & ipsa regeneratio seu Sacramenti applicatio sit ex meritis Christi, non est dubitandum: meruit enim nobis & gratiam: & Sacramentum grátiæ, ipsiusque Sacramenti applicationem. Hinc Author q. 29. verit. ar. 7. ad 8. *Meritum* (inquit) *Christi sufficienter operatur ut quædam causa universalis salutis humanæ: sed oportet hanc causam applicari singulis per Sacramenta, & per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur: & ideò requiritur aliquid aliud ad salutem nostram præter meritum Christi cujus tamen meritum Christi est causa.*

Quamvis ergo justificatio nostra fit respectu Christi debita, & mercedis rationem habeat; simpliciter tamen est nobis gratia, quantum enim ad nos attinet, gratis justificamur; & ut gratis justificemur, Christus meruit. Et quia etiam hoc ipsum quòd Christus nobis daretur ad merendum, ex gratuita Dei voluntate profectum est; hinc ultetius justificatio nostra est etiam ex alio capite gratuita, quantum scil. ad suam primam originem, & includendo ipsum Christum.

*Ob.* Dices, si Christus omnibus meruit; ergo vel omnes debent salvari, vel non satisfit ejus merito. *Resp.* RESP. Neg. Cons. quia ut jam dicto articulo septimo ad 4. tradit S. Th. Christus meruit pro omnibus hominibus, quoad sufficientiam, pro electis autem solis, efficaciter. Sufficiunt scilicet Christi merita salvandis omnibus, non solùm Judæis, sed etiam quibuscumque alijs, sed non omnibus applicantur: partim ex secreto Dei judicio, cui Christus voluntatem suam conformavit: partim ex ipsorum malitia: quam etsi posset Deus tollere, quemadmodum facit in alijs, non facit tamen. *Quare autem illos potius quam istos liberet: ô homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Aug. l. de dono perseu. c. 12.

Sicut ergo Christus Ioa. 17. dixit. *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*: ita existimandum

est

Universidad de Deusto
Biblioteca



est quod merita & satisfactionem obtulerit Patri, A cum intentione absolutâ & efficaci salutis æternæ ipsorum, quos cum eo elegerat ab æterno: non autem cum simili intentione salutis eorum, quos in peccato erat relicturus. Vide q. 21. seq. art. 4. ad 2.

## QUÆSTIO XX.

*De subjectione Christi ad Patrem.*

### Articulus I.

*Christus est Patri subjectus.*

ART. 1. Docet Christum esse Patri subjectum. Subjectionis autem nomine tria comprehendit.

*Tria in nomine subjectionis comprehensa.*

PRIMUM, Minorationem seu inæqualitatem, quæ æstimatur ex inferiori gradu B bonitatis & naturæ.

SECUNDÙM, Subjectionem illam, quâ quælibet creatura subjacet ordinationi divinæ potestatis: *Et hæc est subjectio servitutis*, ait B. Th. *secundùm quod omnis creatura Deo servit ejus ordinationi subjecta. secundùm illud* Sap. 16. *creatura tibi factori deserviens.*

TERTIUM, est obedientia mandatorum, obligatioque ad ijs parendum.

*Quis subjectus.*

Ex quibus collige subjectum eum dici, qui minor est, qui alterius ordinationi subjacens, qui præceptis obnoxius. Quæ tria Christo secundùm humanitatem respectu Dei Patris convenire, B. Th. ostendit ex Scripturis. C

DE PRIMO est illud Ioan. 14. *Pater major me est*: nam Christus secundùm humanitatem consideratus habet naturam, quæ in bonitate est inferior divinâ.

SECUNDUS subjectionis modus sequitur ex primo. Omnis enim creatura ex creatione, conservatione, gubernatione & dominio Dei super eam, ei subjacet, ipsi deservit, ejus ordinationi subjecta est: humanitas autem Christi erat creatura: ergo Christus secundùm illam erat subjectus ordinationi Patris.

AD TERTIUM subjectionis modum pertinent mandata quæ Christus dicit se à Patre accepisse, Ioan. cap. 8. 10. 14. 15. & obedientia, de qua ad D Philipp. 2. Hinc Isaiæ quadragesimo secundo dicitur, *Ecce servus meus*, quod de Christo interpretatur S. Matthæus capite duodecimo, Ubi pro servo, puerum habet eâdem prorsus significatione: quomodo & capite octavo, pro servo dixit, *Ecce puer meus jacet in domo.* Similiter Ezechielis trigesimo quarto, dicitur de Christo, *Servus meus David princeps in medio eorum*: Zachariæ 3. *Adducam servum meum Orientē* Isaiæ quadragesimo nono, *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob.*

Sed quia tum Adrianus I. Epist. ad Episcopos Hispaniæ, tum Conc. Francoford. tum alij quidam, non magis volunt Christum vocari servum, E quàm Filium adoptivum: Observandum est duplicem esse servitutem.

*Duplex servitus.*

Una est legalis seu pœnalis, quæ non naturali, sed humano jure est introducta, & significat vilem quandam & miseram conditionem hominis qui in pœnam peccati, redactus est in captivitatem, ratione cujus nec libertatem habet nec rerum proprietatem sed totus est alterius. Ad eundem modum, homo per peccatum servilem & miseram quandam conditionem contraxit, non sibi connaturalem, sed pœnalem, quia & peccato subjicitur, & ad ei parendum quodammodo trahitur: Ac insuper in statu ignobili servitutis constituitur, ab amicitiâ Dei exclusus, ad ei obediendum tardus; & ad rebellandum pronus.

Alia autem est servitus in homine respectu Dei quæ non est conditio ignobilis, neque vel in pœnam, vel ob similem aliquam causam introducta, sed est naturalis, utpote consequens naturam creatam Creatori tanquam superiori subjectam, à quo regitur & dependet.

*Christus non est servus servitute pœnali vel legali.*

Habitâ ratione prioris illius servitutis, Christus nullo modo dicendus est servus, non solùm quia nulli peccato fuit aut esse potuit obnoxius, sed etiam quia miseram & ignobilem illam conditionem cum difficultate obediendi & facilè rebellandi non assumpsit, sed ut ab omni ejusmodi servitute nos liberaret, venit. Unde Ecclesia ad Patrem cœlestem, *Vt servum redimeres, Filium tradidisti.* Hinc & Veteres aliquando dicunt Christum non assumpsisse veram servitutem, sed similitudinem servitutis, sicut non assumpsit carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati.

Quamquam & alia etiam ex causa Adrianus & alij quidam Veteres refugiebant Christo tribuere nomen servi; quia scilicet loquebantur contra Elipandum & alios, qui sub eo nomine conabantur introducere duas personas in Christo. *Quid est aliud* inquiunt Patres Concilij Francofordiensis, *dicere eandem Virginem adoptivum vel servum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse?* Et Damasc. libro 3. cap. vigesimo primo, *ij qui cum servum dicunt, instar Nestorij in duos dividunt.* Cùm autem idem Damasc. l. 4. c. 19. dicit de Christo quod non habet necesse subjici Patri; loquitur de subjectione quam rebellio præcessit: sequitur enim, quod ut homo *nunquam Patri contumax fuit ut ei subjectione sit opus.*

Cæterùm, An consideratione posterioris jam dictæ servitutis, quæ naturam creatam consequitur, possit verè dici Christi esse servus, quatenus *Christus ut homo fuit servus Dei Patris servitute qua consequitur naturam creatam.* est homo; variè disputatur. Scripturis tamen ante allatis conformius est, posse. Atque ita sentit B. Th. dicens quod *triplicem subjectionem ad Patrem Christus de seipso confitetur: & quod nihil prohibet Christum dicere Patri subjectum vel servum, secundū humanam naturam.* Ac rursum ar. seq. ait Christum secundùm naturam in quâ nobiscum convenit, subesse & servire, posseq; illi cum determinatione hâc (secundùm humanam naturam) attribui quod sit subjectus, vel servus, vel minor, & q. 24. art. 4. ad 3. dat rationem quare possit dici Christus secùdùm quod homo est servus, non autem, Christus secundùm quod homo est Filius adoptivus; quia scil. servitus non solùm respicit personam, sed etiam naturam; non similiter filiatio.

His omninò consentiunt Patres, Chrys. tom. 1. hom. de verbis David, *Quid* (inquit) *humilius servo, & tamē hoc Dominus esse dignatus est, ut ex servis liberos faceret, ut servitus ipsius nobis ingenuitatem donaret.* Hom. 7. in Epist. ad Philip. *Si forma Dei perfectus Deus est, est & forma servi perfectus servus.* Et, *Quam magnum & vehementer ineffabile est quod servus factus est.*

Hieron. in c. 1. ad Titum, *Nec mirum quamvis sanctos homines, tamen Dei servos nobiliter appellari, cum per Isaiam Prophetam Pater loquatur ad filium, magnum tibi est, vocari te puerum meum, quod in Hebræo est, servum meum.*

Ambr. lib. 5. de fide cap. 7. *Non præjudicet quod subje-*



*jectus dicitur, cui non præjudicat quod servus legitur.* Videri etiam potest Ep. 47. & præfat. in Ps. 35. A

Aug. Ep. 178. *In quâ cum infirmitate non solum subditum, sed & servum evidentissime confitemur*, &c. ser. 6. de tempor. *Secundùm hanc regulam modò pauper est, modò dives, modò minor, modò æqualis, modò Dominus, modò servus.*

Greg. l. 2. Moral. c. 22. *Qui bene etiam servus dictus est, qui formam servi susceperè dignatus est.* Similia scribunt Cyril. l. ad Euoptium ad anathematismum 6. & l. 12. thesauri c. ult. fin. Fulg. l. de fide ad Petrum, c. 2. Theodotus Ancyræ Episcopus tom. 6. Concilij Ephes. cap. 9. Adde non esse majus inconveniens Christum ut hominem appellare servum, quàm creaturam, de quo q. 16. B ar. 8.

*Christus non fuit subjectus legibus Mosaicis.*

Sed quæritur, An Christus ratione humanæ naturæ fuerit alicui legi subjectus? RESP. fuisse subjectum legi Dei æternæ, ut patet ex 1. 2. q. 93. ar. 4. ad 2. non autem legi Mosaicæ; nam ab eâ se liberum ostendit Matth. 12. dicens Filium hominis esse Dominum, etiam Sabbathi. Erat enim legifer cum plenâ potestate disponendi ea quæ ad regnum suum, quod est Ecclesia, pertinent. Hinc B. Tho. q. 34. ar. 4. affirmat Christum non fuisse legi obnoxium.

*Nec legibus humanis.*

A legum etiam humanarum subjectione multò magis erat immunis; quia ratione unionis habebat potestatem omni humanâ excellentiorem, C declaravitque Matthæi decimo septimo, se esse liberum à tributo solvendo. Unde Joannis vigesimus secundus damnavit eos qui dicebant ipsum solvisse non condescensione & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactum, ut refert Turrecremata l. 4. suæ Summæ cap. trigesimo-septimo.

Nec obstat, quod Ioannis decimonono videatur agnoscere Pilati potestatem supra se: Non enim agnoscit eam quam de jure haberet: sed quam de facto permittebatur exercere, erat enim tunc potestas tenebratum, ut dicebat ipse Lucæ 22. Vide quæ de isto loco dicimus 2. 2. q. 67. art. 1. ad 2.

D

Præceptis etiam parentum non obligatione & necessitate subjiciebatur, sicuti nos, sed voluntate: Quamvis enim esset Filius B. Virginis, erat tamen etiam (& quidem ut homo) Dominus illius, propter potestatem excellentiæ quam habebat.

Circa Responsionem ad 1. adverte non esse dicendum, Christus est servus, sine addito vel subintellecto, *secundùm humanam naturam*: ut de hâc propositione, Christus est creatura, dictum fuit quæstione decima sexta, articulo octavo. Idemque judicium est de istâ, Christus est subjectus Patri; nisi quod hæc non pariter sit in rigore sermonis falsa, si omittatur determinatio: esse enim alteri subjectum non plus requirit quam habere voluntatem alterius voluntati subjectam. Nec E obstat, Damasc. libro quarto, capite decimonono dicens Christum 1. ad Corinth. 15. vocari subjectum Patri ex personâ non suâ, sed nostra: exponit enim, se non loqui de quâlibet subjectione, sed de eâ quæ est post rebellionem, in pœnam peccati.

Circa 2. argument. adverte Authorem hîc, ut & alibi sæpe, attulisse verba Damasc. secundùm veterem Interpretem. Billius autem ita reddidit, *Sciendum illum, ne servum quidem nobis dicere, licere*: sensu scil. suprà explicato de servitute pœnali. Vide Leo. Sermone 2. de Nativ. & eundem Damasc. l. 4. c. 19.

### Articulus II.

*Christus ut sibi-ipsi si subjectus.*

ART. 2. tradit Christum posse dici subjectum sibi-ipsi cum determinatione, secundùm humanam naturam; ita scilicet ut Christus ratione humanæ naturæ, intelligatur esse subjectus sibi secundùm naturam divinam consideratus. Et juxta hunc sensum interpretatur verba S. Aug. dicentis Christum seipso minorem, vel sibi subjectum.

Si autem ista propositio, Christus est sibi-ipsi subjectus, intelligatur ratione alterius personæ vel hypostasis, est simpliciter falsa & pertinet ad Nestorianismum. Unde Cyrillus Alexandr. tomo quinto, Auctor. Conc. Ephesin. capite primo, in declaratione Anathematismi 6. de Christo dicit, *sui ipsius nec Deus, nec Dominus est.* Ipse autem Anathematismus (qui est canon sextus dicti Conc.) sic ibi effertur: *Si quis Verbum quod ex Deo Patre procedit Christi Deum vel Dominum esse dixerit* &c. *anathema sit.*

Quibus consideratis, non est absolutè seu sine determinatione dicendum quod Christus sit sibi-ipsi subjectus; quia sic videretur induci pluralitas suppositorum. Et idcircò observanda est ista regula quam B. Tho. hîc tradit.

Illa quæ conveniunt Christo ratione suæ personæ quæ divina est & æterna, possunt per se & absolutè dici de Christo, absque ullo additamento: Quæ autem conveniunt Christo secundùm humanam naturam, potius ei attribuenda sunt cum determinatione; ut dicatur simpliciter maximus, & Dominus; minor autem vel subjectus, vel servus, cum determinatione.

*Ob.*

Si dicas, eum sine ullâ determinatione dici passum & mortuum; quæ tamen conveniunt ipsi secundùm humanam naturam: *Resp.* Resp. discrimen istâ regulâ assignatum non consistere in contrarietate, ut Philosophi loquuntur, sed in contradictione; ut significetur, omnia quidem attributa Verbo convenientia ratione naturæ vel personæ divinæ, posse semper de Christo simpliciter prædicari: non omnia verò quæ illi conveniunt secundùm naturam humanam posse de illo dici sine aliqua determinatione; sed partim ad vitandum erroris periculum, partim propter rigorem sermonis, quibusdam talibus esse addendam determinationem; veluti illis quæ significant subjectionem aut aliam similem imperfectionem quæ videri posset attribui Christi secundùm se, nisi per determinationis additionem tolleretur ambiguitas: quæ autem similem ambiguitatem non important, dicuntur simpliciter de Christo, ut quod sit passus, mortuus, sepultus: quia satis clarum est quod non dicantur de illo secundùm divinam, sed secundùm humanam naturam. Ideoque non est opus addere determinationem.

QUÆ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# QUÆSTIO XXI.

## *De oratione Christi.*

### Articulus I.

*Christus oravit.*

ART. 1. Docet Christum secundùm quod homo est, Patrem oralse; quod manifestum est ex Matth. 14. 26. Lucæ 6. Ioan. 11. 22. 17. ad Hebr. 5. Psal. 2. & aliunde.

Quamvis autem oratio non fuerit ei omninò necessaria, sicut nobis, ex suppositione tamen ordinationis divinæ fuit necessaria.

*Non ex eâ necessitate quâ nos.*

PRIUS probatur, quia nobis necessaria est ut medium ex se necessarium ad implendum id quod per nosipsos implere non possumus: Christus autem cùm esset Deus, poterat per se exequi quod in oratione petebat.

POSTERIUS expressit Author hîc ad 2. & super Ps. 2. sciebat enim Christus esse divinitùs ordinatum, ut quædam non nisi per orationem acciperet; Patremque velle, ut aliqua eorum peteret, quæ sibi jure hæreditario competebant.

*Explicantur Patres.*

PRIUS illud respexerunt Hilarius, Ambr. & alij Patres, cùm dicunt Christum prece non egusse. Agunt enim contra Arianos, qui ex Christi ad Patrem orationibus conabantur ostendere eum non esse verum Deum: ut ex orat. 36. Nazianz. patet: quamquam Hilarius in fin. lib. 10. de Trin. excludat à Christo necessitatem orationis vocalis, ut articulo tertio, ad primum ostenditur: quamvis enim mentalis quodammodo esset ei necessaria, ut scilicet per eam impetraret & mereretur: vocalis tamen, quæ per se ad impetrationem aut meritum non requiritur, sed vel ad excitandam & colligendam attentionem, vel ad devotionis & satisfactionis augmentum; non erat ei necessaria: sed quadam ratione fuit nobis necessaria, quibus & profecit, non solùm promerendo bona salutaria, sed etiam instruendo, & exemplum dando.

Potrò cùm Damascenus libro quarto, capite decimonono, dicit Christum simulationis modo quædam fecisse, ut cùm precaretur; non intelligit eum non verè orasse: addit enim, quod *ob eam causam precabatur, ut se impium quendam Deique adversarium minimè esse demonstraret; atque ut Patrem à quo causam ducebat, honore afficeret*: sed vult significare quod non oraverit ob id ob quod nos oramus, scil. ob indigentiam, infirmitatem, impotentiam: ideoque orando occultabat suam potentiam.

Notandum autem quod vox Græca quæ est apud Damasc. potius verteretur assimilatio: nec enim perpetuò simulationem significat, ut est apud Budæum in Commen. Linguæ Græcæ, & doceri potest ex originali Scriptura Evangelij B. Lucæ, cap. 24. vers. 28.

*Ob.* His non obstat, quod Christus fidem non haberet, cum tamen Aug. serm. 36. de verbis Domini dicat, *Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non credit?*

*Resp.* Quamvis enim nobis adhuc à Domino peregrinantibus, nec habentibus meliorem Dei rerumque divinarum cognitionem, omninò necessaria sit fides ad orandum, quemadmodum Apostolus Paulus ad Rom. 10. & Iacobus cap. 1. significant; quia orantes debemus credere Deum omnium bonorum authorem posse dare quod petimus; Christo tamen non erat necessaria fides ad orandum: quia loco fidei habebat scientiam tum infusam, tum beatam, certusque erat se impetraturum quod petebat, & quia Beati Deum clarè vident, ibique noverunt, quæ illos scire decet; Ideò nec ipsis necessaria est fides ad orandum pro nobis.

## QUÆRITUR AUTEM.

### *An Christus nunc in cœlo existens oret pro nobis.*

NON solùm tacitè, repræsentando videlicet Patri suam humanitatem; ut ejus intuitu nobis beneficiat; sed etiam expressè, petendo nimirum à Patre ea quæ nobis sunt salutaria.

Partem negantem colligunt nonnulli ex Gregorio l. 1. Moral. c. 24. & l. 22. c. 18. ubi priorem tantùm modum exprimit, Sed cùm ista repræsentatio adjunctum habeat nostræ salutis desiderium, orationem saltem internam non negat Gregorius. Similiter Author noster in caput septimum ad Hebræos, Christum nunc interpellare pro nobis, exponit; tum quia humanitatem quam pro nobis assumpsit repræsentat; tum quia Sanctissimæ animæ desiderium quod de salute nostrâ habuit, exprimit.

*Resp. affir. Christus etiam nunc verè orat.*

QUAPROPTER dicendum putamus Christum nunc verè & propriè orare pro nobis, ut in 4. d. 15. q. 4. ar. 6. q. 2. ad 1. & 2. 2. q. 83. ar. 11. indicat B. Tho. & ante ipsum Greg. in Ps. 5. pœnit. & Aug. enar. in Ps. 29. *Et modò* (ait in serm. 4. de Sanctis) *orat pro nobis, orat in nobis, & oratur à nobis. Vt Sacerdos noster orat pro nobis, ut caput nostrum orat in nobis, ut Deus noster oratur à nobis.* Confirmatur, quia Christus etiamnum advocatus noster est, 1. Ioa. 2. & mediator; 1. ad Tim. 2. proprium autem munus advocati & mediatoris est, orare & intercedere.

Deinde, id per se probat verbum Græcum ad Rom. 8. ubi Christus dicitur *Interpellare pro nobis*; Et ad Hebr. 7. ubi scribitur: *semper vivens ad interpellandum pro nobis*; quod verbum significat interpellationem quæ fit cum oratione seu postulatione; ut annotavit Aug. Ep. 59. q. 5. ubi manifestè agnoscit Christum nunc postulare; conformiter ijs quæ tradit enarr. 1. in Ps. 29. & in præfat Psal. 85. Si qui verò Veterum id negent: de supplici ac submissa precatione, ut loquitur Rupertus l. 9. de Offi. c. 3. sunt intelligendi: Non enim Christo jam in gloriam Patris assumpto convenit ita supplicandi humilitas, quâ usus est in diebus carnis suæ mortalis.

Sed nec obstat, quod Pater omnia dederit ei in manus: Nam hoc de Christo adhuc mortali dictum esse, constat ex Matth. 11. quando tamen certum est eum orasse, tum ut formam hominis impleret, tum quia advocatus noster erat, ut ostendit Ambr. l. 5. in Luc. c. 6.

Neque verò hinc sequitur, dici posse, Christe ora pro nobis. *Primò*, quia alloquimur eum qui simpliciter est persona divina: cujus, ut sic, non est petere, sed donare. *Secundò*, quia attributo potiore honorandus est qui oratur. *Tertiò*, quia servanda est Ecclesiæ consuetudo, & vitandi errores Arij & Nestorij. Vide S. Thomam dicto ar. 6. in 4. sent. & suppl. q. 72. ar. 2. ad 3.

Arti-



### Articulus II.

ART. 2. docet Christum non orasse secundùm sensualitatem, quasi hæc esset principium elicitivum orationis; quia oratio est actus rationis: orasse tamen secundùm sensualitatem, hactenus, quia oratio erat de sensualitatis objecto; dum scilicet exprimebat apud Deum, eique dicebat desiderium sensualitatis, de quo egimus q. 18. ar. 5. & 6.

### Articulus III.

*Christus pro se oravit.*

ART. 3. docet Christum pro se convenienter orasse ut acciperet quæ nondum habebat, qualia sunt ea quæ expressimus art. 3. q. 19.

Cyprianus in arg. 3. citatus respicit ad formam Orationis Dominicæ, quæ est pluralis, & pro multis. Ut tamen semper sic oremus, non est necessarium, neque Dominus formam communis precationis tradens, privatam & singularem orationem damnavit. Quod autem dicit Cyprianus, Unitatis magistrum noluisse sigillatim & privatim preces fieri, ut quis cùm precatur, pro se tantùm precetur; significat eum noluisse formam talem dare; quia, ut subjungit, hæc oratio est publica & communis; per quam communiter orandum erat ab Ecclesiæ ministris & ab unoquoque fidelium. Et quamvis nemo Dominicam Orationem volens fundere, ejus formam mutare præsumat, sicut tamen non semper eâ uti tenemur, sic nec prohibemur singularem precem facere. Quinimò Oratione Dominicâ utens, eam ad seipsum vel ad quempiam alium dirigere potest, non cogitando de pluribus, modò pro loco & tempore etiam pro alijs oret.

### Articulus IV.

*Omnis oratio Christi fuit exaudita.*

ART. 4. probat omnem Christi orationem propriè dictam, quæ scilicet procedebat à ratione deliberata, seu quâ simpliciter & absolutè aliquid petebat; semper fuisse exauditam: quia voluntas ejus absoluta semper fuit conformis divinæ, ita ut nihil vellet fieri, nisi quod Deus volebat, quemadmodum q. 13. art. 4. & q. 18. art. 5. dictum est.

Confirmatur ex Joan. 11. *Quæcunque poposceris à Deo dabit tibi Deus*: Et, *ego autem sciebam, quia semper me audis.*

Adde quod Christus semper tam piè & perseveranter petebat ut in omnibus dignus esset exaudiri. Unde Apostolus ad Hebr. 5. dicit eum *exauditum pro sua reverentia*; quam nimirum semper habuit erga Deum Patrem, & ob quam dignus erat qui exaudiretur. Exauditus autem fuit in die mortalis suæ vitæ, ac etiam instante passione, preces Deo offerens: non ut mortem non patiendo evaderet; sed ut mortem patiendo eam superaret, & resurgendo de illa triumpharet: Hoc enim est quod absoluta ejus oratio petebat, & ad quod sensualitas pertingere non poterat. Ac proinde, quamvis hæc oratio sensualitatis, seu potius significatio voluntatis sensualis & naturalis desiderij mortem & passionem horrentis, *Matth. 26.* *Transeat à me calix iste*, non fuerit exaudita: ea tamen quæ propriè & absolutè oratio vocatur, quâ nimirum dicens, *Non mea, sed tua voluntas fiat*, simpliciter & secundùm judicium

*Sylv. in III. Part.*

rationis orabat erga se impleri æternum Patris decretum; exaudita est.

*De Christi oratione in horto.*

Quod autem hæc verba non tantum spontaneam submissionem voluntatis humanæ, sed etiã orationem contineant, petentis ut voluntas Patris impleretur; manifestum est ex illo Matthæi vigesimosexto; *Iterum* secundò *abijt & oravit dicens, Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum fiat voluntas tua.* Quibus verbis cùm orasse eum testetur Evangelista, non aliam tamen orationem indicat, quam, *fiat voluntas tua.*

Nec obstat conditio adjuncta, *si non potest* &c. Cum enim Christus sciret quid æternum Patris decretum habebat; talis conditio non poterat suspensam & inabsolutam reddere ipsius voluntatem. Verba autem ista, *si possibile est*, non arguunt ullam in Christo (etiam ut homine) dubitationem, quæ est suspensio judicij de rei veritate: nam apud Marcũ dicit, *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt*; idque repugnaret ijs quæ de humana Christi scientia certò docentur quæstione decima & undecima. Ac proinde quod Ambrosius libro secundo de fide, capite tertio, dicit Christum verbis allegatis, de Patris potentia dubitasse humano affectu; sic intelligendum est ut dubitatio intelligatur *indifferentia quadã partis sensibilis ad sequendum affectum naturæ inclinantem, vel rationem imperantem*, ut exponit Bon. in 3. d. 17. in expositione textus, conformiter B. Th. ejusdem d. ar. 4. ad 3. vide Aug. l. 3. de consensu Evangelistarum c. 4.

Pro Responsione ad 1. ex dictis patet rationem illam *Transfer calicem*, &c. fuisse declarationem appetitus sensualitatis & voluntatis ut naturæ; non autem absolutam seu perfectam partis rationalis orationem, de qua sola dicimus quod semper fuerit exaudita. Voluntate enim rationem deliberatam consequente volebat mori, tametsi naturalis & sensualis appetitus mortem horreret.

*Pro quibus oravit Christus.*

Circa Responsionem ad 2. observandum est. B. Thomæ sententiam, quam & in c. 5. ad Hebr. indicat, omninò tenendam, scil. quod Christus non oraverit pro omnibus suis crucifixoribus, sed pro his solùm qui erant prædestinati, ita enim ipse loquitur Joan. 17 *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo.* Quod autem ex crucifixotibus aliqui sint conversi, patet ex c. 2. Act. Hinc Aug. tra. 31. in Joan. ad verba Christi quæ referuntur Luc. 23. *Ignosce illis: videbat* (ait) *quosdam suos inter multos alienos: illu jam petebat veniam à quibus adhuc accipiebat injuriam.* Suos autem intelligit Augustinus prædestinatos: juxta illud 2. ad Timoth. 2. *Novit Dominus, qui sunt ejus.* Eademque est ejus sententia tract. 107. seq. & l. 3. de symbolo c. 5.

Circa Resp. ad 4. adverte ista verba; *Clamabo & non exaudies*, intelligenda esse quantum ad effectum sensualitatis, quæ mortem refugiebat: quantum enim ad effectum rationis Christus fuit exauditus. Unde in eodem Psal. dicit, *Nec avertit faciem suam à me, & cum clamarem ad eum, exaudivit me*, liberans scil. à morte per resurrectionem gloriosam. Cùm enim in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerret, exauditus est pro sua reverentia, ad Hebr. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# QUÆSTIO XXII.

*De Sacerdotio Christi.*

## ARTICULUS I.

ART. 1. Docet Christum esse Sacerdotem. Sacerdos enim dicitur qui inter Deum & homines ita intercedit, ut juxta sui nominis etymon, sacra det non quomodocunque, sed preces, dona & sacrificia pro hominibus Deo offerendo. Nam principale Sacerdotis munus est, offerre sacrificium, non metaphoricum (quâ ratione sicut omne bonum opus dicitur sacrificium ab Aug. lib. 10. de Civ. cap. 6. ita quilibet ipsum operans dicitur Sacerdos Apocalyp. 5.) sed propriè dictum; cujus offerendi potestas necessaria est ac sufficit ut aliquis dicatur propriè Sacerdos. Atqui Christus hanc potestatem habuit, eaque potestate usus sacrificium obtulit, cruentum in cruce, incruentum in ultimâ Cœnâ: ergo Christus fuit verus ac propriè dictus Sacerdos.

*Christus fuit Sacerdos.*

Quæ doctrina fide certa est, nota in Scripturis: Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* ad Hebr. 4. *Habemus Pontificem qui penetravit cœlos, Iesum Filium Dei:* C. 7. *Hic eò quòd maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium:* Et c. 8. quia omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur; Apostol. concludit Christum debere habere aliquid quod offerat.

His accedit definitio Concilij Trid. sess. 22. c. 1. quæ omninò est conformis canoni 10. Conc. Ephesini.

*In quantum homo.*

Ex quo, ut & ex B. Tho. hujus q. art. 3. ad 1. etiam illud habetur, Verbum seu Filium Dei factũ esse Sacerdotem in humanâ naturâ, seu ratione humanitatis; atque adeo non dicendum quòd Christus ut Deus sit Sacerdos, sed in quantum homo: juxta regulam ex Authore datam q. 16. a. 4. *Quod convenit Christo secundùm humanam naturam, dicitur de illo cum hac reduplicatione, secundùm quod homo*; non autem cum ista, *secundùm quod Deus.* Hinc Aug. l. 1. de consensu Evangelist. c. 3. *Secundùm hominem* (inquit) *Christus & rex, & Sacerdos effectus est.* Eademque est Ambr. sententia l. 3. de fid. c. 5. Fulg. de fid. ad Petr. c. 2. Verumtamen propter communicationem idiomatum, sicut verum est, quod Deus nos redemit, & Patri reconciliavit suo sanguine: ita simpliciter dicitur Deus esse Sacerdos.

*Ob.*

His non obstat, Cyril. catech. 10. dicens Christũ habere Sacerdotium immutabile, quod neque à tempore cœpit, neque successionem habebit. Vult enim eum non ex corporeâ successione Sacerdotium accepisse, neque unctum oleo temporali, sed æterno, quod est divinitas; à quâ habet ut ejus Sacerdotiũ sit cæteris dignius, oblatioque dignior. Unde quod catech. 11. dicit eum semper Sacerdotij habuisse dignitatem, intelligi potest, quod licet ab æterno Sacerdos non fuerit; habuerit tamen eam dignitatem quæ est Sacerdotij, utpotè Deus, omnia continens eminenter.

*Resp.*

In Resp. ad 1. observandum est Angelos non habere proprium munus Sacerdotij, quod est sacrificare; habere tamen aliqua ministeria Sacerdotum, in quantum sunt medij inter Deum & homines; à quibus proinde ministerij Sacerdos vocatur aliquando Angelus: ut Malach. 2. Neque propterea Christus est minor Angelis: quia non est qualiscunque Sacerdos; sed Sacerdotum omnium Princeps supremus, superans non tantùm homines, sed etiam Angelos, ratione unionis hypostaticæ, ratione plenitudinis scientiæ & gratiæ, ac ratione dominij, quod (etiam ut homo) habet super omnem hominem & Angelorum Ecclesiã. Dicitur quidem ad Hebr. 2. Christus paulò minùs ab Angelis minoratus; sed hoc non tam ratione naturæ humanæ (cùm semper eam retineat, neque tamen semper manet minoratus ab Angelis) quam ratione passibilitatis, quemadmodum B. Th. hîc indicat. unde lect. 2. in illud c. Apostoli, *Quando Christus dignatus est Passionem & mortem sustinere, minoratus est ab ipsis.* Vide Estium, qui illud (*paulò minùs*) ad temporis brevitatem quo duravit ista minoratio, docet referendum.

*Christus ut Angelus superet.*

Circa Resp. ad 2.

QUÆRI POTEST I.

## *Cujus Legis Sacerdos fuerit Christus.*

FUISSE Legis veteris, probare videtur illud quod Elizabet cognata matris ejus, esset de Tribu Sacerdotali: hinc enim apparet ipsum fuisse ex eâdem Tribu.

DEINDE, quod Lucæ 4. functus inveniatur officio Sacerdotum, legens scilicet sabbatho in synagoga.

Pro Responsione sit

### CONCLUSIO I.

EAQUE ad fidem pertinens, Christum non fuisse Sacerdotem Legis veteris. Sacerdotium enim legale tribui tantùm Leviticæ competebat; Christus autem non erat ex Levi, sed ex Juda. *Manifestum est* (inquit Apostolus ad Hebr. 7.) *Quod ex Iuda ortus sit Dominus noster; in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.*

DEINDE, sequeretur alioquin sacerdotium Leviticum adhuc durare, & consequenter legem veterem; quod ibidem refellit Apostolus: quia sacerdotium Christi perseverat. Neque dici potest Christum non successione sed electione fuisse sacerdotem legalem, ut fabulosè refert Suidas: eligebantur enim dumtaxat ex tribu Levi.

AD ARGUMENTUM verò, & AD PRIMUM quidem Respond. fieri potuisse, ut vel Elizabeth stirpis Aaronicæ mulier, per matrem pertineret ad tribum Juda, quandoquidem lege Num. ult. mulieres non prohiberentur nubere viris diversæ tribus, nisi per ejusmodi connubium hæreditas transitura esset ad aliam tribum, & secutura tribuum confusio: vel, ut quispiam ex majoribus B. Virginis acceperit uxorem de tribu Levi: præsertim cùm inter tribum regiam & Leviticam familiaris fuerit conjunctio: Et sic B. Virgo pertinuit ad tribum Leviticam: non absolutè, quia non secundùm lineam paternam, secundùm quam solam censebatur aliquis in certa tribu, texebanturque genealogiæ: sed secundùm quid, quia vel matrem, vel superiorem aliquam progenitricem habuit ex tribu sacerdotali secundùm lineam femininam. Hinc Augusti. quæstione quadragesima septima in librum Judicum, *Intelligatur* (inquit)

*B. Virgo aliquo modo pertinet ad Tribum Levi.*



(inquit) *de Tribu Levi & filiabus Aaron aliquam nupsisse in Tribum Iuda, unde ita fieret inter ambas illa cognatio, ut Domini caro non solùm de regiâ, verum etiam de Sacerdotali stirpe propagaretur.* Consentiunt Veteres, Ambrosius, Beda, Euthymius in Luc. Nazianz. carmine de genealogiâ Christi, Thomas quæst. trigesima prima, articulo secundo ad secundum: In cujus fine quamvis recitet verba Augustini significantia quod Beata Virgo fuerit ex Tribu Levi per Patrem; non tamen hoc vel ipse, vel Augustinus affirmat, sed, ex suppositione Fausti hæretici, docet cum Aug. quomodo etiam sic salvari possit Beatam Virginem pertinere ad Tribum Juda; ratione scilicet tum Matris tum uxoris ipsius Jonachim. In præcedentibus autem, sicut & in 4. d. 30. qu. 2. art. 1. quæstiuncula 3. ad 4. disertè scribit eam descendere de stirpe David ex parte Patris. Augustinus etiam qu. sexagesima prima, inter octoginta tres, affirmat Christum sic descendere ex utraque Tribu, Regia & Sacerdotali, ut tamen non sit de Levi, sed de Juda.

AD 2. RESP. Christum non esse ibi functum officio Sacerdotis legalis: nam homines in lege doctos, etiamsi non de Tribu Levi, aliquando eam interpretari solitos in synagogis, certum est, patetque in Actibus Apost. de S. Paulo, cap. 13. 14. & 17.

### CONCLUSIO II.

SACERDOTIUM Christi non fuit ejusdem rationis cum Sacerdotio legis naturæ. Differt enim ab eo non solùm in effectu, sed etiam in re oblata, rituque offerendi.

### CONCLUSIO III.

NEQUE est omninò ejusdem rationis cum Sacerdotio quod habent Sacerdotes Legis novæ, sed longè altioris & perfectioris modi.

PRIMÒ enim erat ordinatum ad offerendum sacrificium cruentum & incruentum: nostrum autem Sacerdotium tantùm ordinatur ad sacrificium incruentum.

SECUNDÒ, Christi Sacerdotium non erat alligatum Sacramentis, sed Christus poterat Sacramentorum effectus conferre sine ipsis: Nostrum Sacerdotium est alligatum Sacramentis, ita ut Sacerdotes non possint baptizare, consecrare, à peccatis absolvere, &c. nisi utendo materiâ & formâ præscriptis.

TERTIÒ, Christus non fuit ordinatus per ullam exteriorem consecrationem, sed dignitatem illam habebat ex vi suæ originis, & hypostaticæ unionis, ac divinæ ordinationis, sine eo quod acquireret ullam qualitatem aut characterem, ut ostendit Author q. 63. art. 5. Sacerdotes autem novæ legis debent ordinari per exteriorem illam cæremoniam quam Christus instituit, atque ita characterem sacerdotalem accipere.

*Christi sacerdotium ut pertinuerit ad sacerdotium novæ legis.*

QUARTÒ, Sacerdotium Christi habet se ad nostrum novæ legis Sacerdotium, sicut causa universalis ad particularem; & sicut causa principalis ad instrumentalem. Ideò B. Thomas dictæ qu. 63. art. 3. dicit quod totus ritus Christianæ Religionis derivatur à Sacerdotio Christi: quodque Sacramentales characteres sunt quædam participationes Sacerdotij Christi ab ipso Christo derivatæ. Ex quibus haud difficulter colligeris Sacerdotium Christi aliquo modo pertinuisse ad novam legem, novæque legis sacrificium, sicut scilicet causa universalis ad particularem, principalis ad instrumentalem.

Circa Resp. ad 3. cùm dicit quantum ad alios à Christo, *alius est legislator, alius Sacerdos, & alius Rex:* respicit ad statum veteris Synagogæ ordinarium: alioquin Machabæi temporalem simul & spiritualem habuerunt potestatem, ut & Heli qui fuit simul summus Sacerdos & Judex: immò & Moyses, quamvis ejus Sacerdotium esset extraordinarium, ac proinde ad posteros ejus non transiturum.

Quod hîc quæri posset, num Christus ut homo fuerit Rex temporalis: negativè resolutum fuit & probatum q. 3. de Pontifice, art. 2. & 2. 2. q. 66. art. 1. quæsito 4. istique resolutioni consentit Author noster q. 31. ar. 2. ad 3. & in c. 18. Joan. Restat examinandum quod

QUÆRITUR II.

## *An Christus sit Legislator.*

NON esse, contendunt sectarij, volentes cum esse datum Redemptorem, auxiliatorem, consolatorem; nõ legislatorem. *Lex* enim *per Moysen data* dicitur Joan. 1. *gratia & veritas per Iesum Christum facta:* ubi lex opponitur gratiæ.

*Christus est legislator.*

Nihilominus catholica veritas est, Christum esse legislatorem, cui sit obediendum: *Ipse enim est legifer noster,* Isai. 33. Ipse est propheta quem debemus audire; Deut. 18. Actor. 3. & 7. quique *obtemperantibus sibi factus est causa salutis æternæ,* ad Hebr. 5.

*Matt. 28. Jo. 14. & 15.*

Hanc ob causam ipse Christus vult Apostolos ire *docentes servare omnia quæcunque mandavit,* Matthæi vigesimo octavo: & Joannis decimo quarto, *Si diligitis me; mandata mea servate.* Et 15. *Si præcepta mea servaveritis, &c.* Capite autem tertio particulare mandatum proponit: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Matthæi quinto, sexies repetit. *Ego autem dico vobis,* varia præcepta proponens & explicans. Quapropter veritas hæc definita est sub anathemate, sessione sexta Concil. Trident. can. 21.

*Cur lex vetus retineat nomen legis. Christus fuit Sacerdos & hostia.*

AD ARGUMENTUM verò RESP. illud esse inter Moysem & Christum, legem veterem & novam discrimen; quòd Moyses promulgavit tantum legem, Christus autem fecit gratiam; legemque novam non solum promulgavit, sed instituit. Et quia lex vetus præcipiebat tantum, non juvabat, retinet nomen legis: non autem obtinet nomen gratiæ, quia juvat: immò præcipuum quod in ea continetur, est gratia: secundarium, præcepta, ut ostendit Author 1. 2. qu. 106. & Augustinus toto l. de spiritu & littera. Vide quæ ad q. illam 106. diximus.

### ARTICULUS II.

ART. 2. docet Christum simul fuisse sacerdotem & hostiam, *Tradidit enim semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.* Ad Eph. 5. unde Jo. 17. dicit, *Pro eis ego sanctifico meipsum,* id est, in sacrificium offero, ut exponunt Cyril. Chrys. Tho. & alij: conformiter scripturæ, Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Eandem doctrinam expresserunt Ambr. l. 3. de fide c. 5. Aug. li. 4. de Trin. c. 14. Fulg. de fide ad Petr. c. 2. Leo epi. 83.



*Sylvius in III. Part.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Non erat necesse quod Sacerdos ipse occideret hostiam.*

In responsione ad 1. B. Thomas supponit ad A essentialem rationem sacrificij quod fit ex viventibus, non requiri quod ipsemet sacerdos offerens occidat rem offerendam. Idemque indicat q.48.a.3.ad 3.quatenus ibi dicit passionē Christi fuisse sacrificium,non ex parte illorum qui Christum occiderunt, sed ex parte Christi seipsum offerentis.Eandem doctrinam expresè tradunt Valentia q.22.puncto 4. Suares d.46.sectio.1.tom. 1. & ante ipsos Abulensis ad c.3.Josue,q. 12.docens in necessitate quædam officia sacerdotalia licuisse levitis,ut hostias jugulare, decoriare,& similia idque probans ex 2. Paral. 29.v.34.

Ad sacrificium ergo ex pecudibus sufficere poterat quod hostia per aliquem, ad nutum sacer- B dotis occideretur,& ab ipso deinde sacerdote assumeretur,ac in sacrificium offerretur.

Ad sacrificium autem Christi cruentum satis erat, quod cum alijs occideretur, mortem ipse lubens & volens acceptaret, atque ita seipsum Patri offerret. Et propterea quamvis Christus seipsum non occiderit; verè tamen se in sacrificium obtulit, quia voluntariè oblatus est, non tantùm mortem acceptando; (quomodo etiam martyribus mors est voluntaria,) sed insuper,non impediendo vel hostium vires, vel egressum animæ de corpore; quorum utrumque in ipsius erat potestate:ut ostendit non solùm Author q. 47. art.1. sed etiam hoc quod ad Christi verbum *omnes* C *abierunt retrorsum.* Joan.18.quodque de animâ suâ c.10. dicit, *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.*

In Resp. ad 2. observa Sacerdotium Christi magis esse simile Sacerdotio Judæorum, quàm Gentilium: quia tam Christi, quàm Judæorum Sacerdotium & sacrificium est à Deo institutum, & vero Deo offertur, & valet ad effectus spirituales à Deo obtinendos;non similiter Gentilium sacrificia & sacerdotia. Quamvis autem in sacrificijs Gentilium offeretur homo, non ideò tamen illa erant similia sacrificio Christi, in quo Christus homo fuit occisus: quia illi qui occiderunt Christum, nullum obtulerunt sacrificium, sed ipse Christus, voluntariè mortem sustinens ac seipsum Patri offerens. In hoc autem cum sacrificijs Gentilium non convenit. D

## Articulus III.

*Effectus sacerdotij Christi, est expiatio peccatorum.*

Art. 3. docet effectum Sacerdotij Christi esse expiationem peccatorum, quoad culpam & pœnam. Cum c.9.ad Hebr.confer Matt. 26 1. Joan. 1. Apoc.1.

In Respons. ad 2. docet in Ecclesia offerri quotidianum Missæ sacrificium, ut virtus oblationis cruentæ ad homines derivetur. Quod addit *ipsum non esse aliud à sacrificio quod ipse Chri-* E *stus obtulit*, scil. in Cruce; verum est ratione rei oblatæ: *Vna enim eademq; est hostia* (inquit Conc. Trid.sess. 22.c.2.) sed quantum ad actionem offerendi, quæ importatur in nomine sacrificij; est diversum. Unde Conc. dicit, *sola ratione offerendi diversa.* Confer quæ dicimus q.83. art.1. quæsito 5. Cùm addit, sacrificium quod in Ecclesiâ offertur, esse commemorationem sacrificij quod Christus obtulit;non intelligit nudam commemorationem & merum signum, sed commemorationem per actionem sacrificalem, & signum quod continet rem signatam,eandem nimirum hostiam.

Pro Resp. ad 3. Neg. est Min. Quamvis enim Christus specialiter comparetur agno, propter innocentiam, mansuetudinem, promptam tolerantiam; comparatur tamen etiam hirco, capræ, vitulo; ad Hebr. 9.v. 13.ad Hebr.13. v.12. quod D. Tho.non tacuit, art.5.q. seq.Imò, omnia sacrificia vetera cum essent typica, erant præfigurativa sacrificij Christi, quemadmodum tradit B.Tho. 1.2.q. 102.art.3. Aug.l. 10.de Civ.Dei c.20.& Ecclesia dicens in secreta Domin. 7. post Pentecost.quod Deus legalium differentiam hostiarum unius sacrificij perfectione sanxit.

## Articulus IV.

*Christus sui sacerdotij effectum qui est expiatio pec. non recepit.*

Art. 4. ostendit Christum non recepisse effectum sui Sacerdotij, illum scil. de quo egit art.3. quique est potissimus,& ob quem nos egemus sacrificio. Non ergo negat eum recepisse effectum sacrificij, quatenus illud erat opus devotum summæ religionis,humilitatis,& obedientiæ: (sic enim fuit sibi meritorium impassibilitatis,aliorumque, de quibus a.3.q.19.dictum est:) sed negat recepisse primarium effectum, qui erat propitiare seu reconciliare nos Deo, & pro peccatis nostris satisfacere. Unde in resp. ad 2. ait Christum esse per suam Passionem consecutum gloriam resurrectionis, non quasi ex vi sacrificij, quod offertur per modum satisfactionis; sed ex ipsa devotione,quâ secundùm charitatem humiliter Passionem sustinuit.

Cùm in Resp. ad 1. dicit quod alij Sacerdotes effectum Sacerdotij participant in quantum peccatores,loquitur de illo effectu Sacerdotij, qui est propitiare & satisfacere pro peccatis: non autem universim de effectu Sacerdotij vel sacrificij, inter quos est mereri & impetrare, quatenus sacrificium est quoddam opus singulariter bonum.

Ex his intelligi potest can.10.Conc.Eph. anathemate ferientis eum qui dixerit Christum pro seipso obtulisse sacrificium,& non potius pro nobis solis, Deo scil. propitiantis & reconciliantis. Loquitur enim Conc. de sacrificio quatenus est expiatorium, reconciliatorium,& propitiatorium pro peccatis. Hac autem ratione pro nobis solis obtulit Christus sacrificium & non pro seipso: *Non enim eguit oblatione, qui peccatum omninò non fecit*,ut in eod.can. dicitur,ex Isai.53.

## Articulus V.

*Christus est sacerdos in æternum ex triplici ratione.*

Art.5. probat Sacerdotium Christi manere in æternum,ratione effectûs,qui est gratia & gloria. Sed cùm lectione 1.in caput 5. ad Hebr. aliam adhuc rationem adferat, ipseque Apostolus c. 8. dicat *Omnem Pontificem constitui ad offerendum munera & hostias, ideoq; necesse esse Christum habere aliquid quod offerat:* observandum est Christum vocari Sacerdotem in æternum, Psalm.109.ratione Personæ, Officij, & effectûs.

Ratione quidem Personæ quoniam ita Sacerdos est, ut nec ipse cuiquam successerit, nec ipsi quisquam successurus sit: semper enim vivit, nec futurum est, ut aliquando transferatur ejus Sacerdotium. Unde differt à Leviticis Sacerdotibus, quorum Sacerdotium morte finiebatur, quique propterea accipiebant successores.

Ratione Officij, non solùm quia semper interpellat pro nobis,verùm etiā quia jugiter sacrificat; illud



illud agens continuò per seipsum, hoc per mini- A stros ac vicarios suos. *Idem enim est nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obtulit*, ait Conc. Trid.sess.22.c.2. Fungitur autem Christus hoc officio *in æternum*, id est,usque ad finem sæculi,donec omnes suos electos consummaverit, vide apud Anselmum comment.in cap.5.ad Hebr.

Denique ratione effectûs, quia est nobis causa salutis æternæ. Quâ ratione, ipsum etiam crucis sacrificium vocari potest æternum.

## Conclusio VI.

*Vtrum sacerdotium Christi fuerit secundùm ordinem Melchisedech.* B

Videtur quod non, Primò,quia Melchisedech,non sacrificavit: Gen.enim 14. non dicitur obtulisse panem & vinum, sed protulisse, & quidem non Deo, sed Abrahæ, ut significat relativum *ipsi*,apud 70.*protulit ipsi*,ut scilicet eum cum exercitu refocillaret, quomodo Joseph. li.1. antiq. c.11. & Damasc. l. 4. de fide. c.14.intellexerunt. Hinc in Hebr. non legitur, *erat enim*, sed (& erat) *sacerdos.*

Secundò, Apostolus in epistola ad Hebr. accuratè & propemodum scrupulosè (ait Calvinus) excutit ea quæ in Melchisedech pertinent ad sacerdotium Christi;neque tamen meminit oblationis sacrificalis. C

Responsio tamen affirmativa est fidei, ex Ps.109.ad Hebr.5.& 7.& ex Conc.Trid.sess.22: manifestatæ, *Tues sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: Ubi ordinem,Apostolus c. 7. ad Hebr.v.15.interpretatur similitudinem,vox Hebræa quæ in Psalmo habetur, significat morem,consuetudinem, ritum: unde,secundùm ordinem aut similitudinem Melchisedech, idem est, ac, juxta ritum similem illi quem Melchisedech sacerdos legitur observasse. Ritus autem ille est quo *panem & vinum obtulit*; ut canit Ecclesia in officio corporis Christi per S. Thomam composito. Huic enim ritui simillimum est,quod Christus egit in ultimâ cœnâ, quando *corpus & sanguinem* D *suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit,ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis eorumq; in sacerdotio successoribus ut offerrent,præcepit*, Atque hæc est prima ratio, quare Christus vocetur sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.

*Cur Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.*

Secunda ratio est,propter æternitatem. Quemadmodum enim Melchisedech introducitur *sine Patre sine Matre sine genealogia,neq; initium dierū, neque finem vitæ habens*, atque adeò sacerdos æternus: ita etiam Christi sacerdotium tale est, cui aliud non succedit; ipseque talis sacerdos cui nemo succedit;& propterea sacerdos æternus. Hinc Apostolus dicit eod.c.7.quod *Melchisedech assimilatus Filio Dei manet sacerdos in æternum*, id est, E gerens figuram & similitudinem Filij Dei; cum enim neque finem dierum ejus, neque initium scriptura recenseat;ex eo intelligitur sacerdos perpetuus in similitudinem Christi.

Tertia ratio est, propter excellentiam sacerdotij. In hoc enim quòd Melchisedech decimas accipiebat ab Abraham, & simul etiam à Levitis in eo secundùm seminalem rationem existentibus; quodque illis benedicebat; Melchisedech excelluit sacerdotes legales, & figura fuit sacerdotij Christi,tanquam sacerdotio Levitico excellentioris. Hac igitur ratione Christus dicitur Sacerdos



secundùm ordinem Melchisedech, quasi præfigurantis excellentiam Sacerdotij Christi supra Sacerdotium Levit.

Ad 1. Arg. Neg. Assum.quamvis enim verbum Hebræum non significet offerre, sed proferre,vel adducere; necesse tamen est fateri,quod aliquid illic obtulerit Deo ut Sacerdos: primò, quia nō erat alioquin cur commemoraretur quod Melchisedech erat Sacerdos. Secundò, quia non est,cur Christus dicatur Sacerdos secundùm ordinem seu ritum Melchisedech, nisi aliquid obtulerit,in quo sint similes. Nec dici potest quod ibi obtulerit pecudes;partim quia id extra Scripturam est; partim quia sic non Christus, sed Aaron dicendus esset Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech;imò & Aaron & Melchisedech secundùm ordinem Abel, qui primus legitur cruentum ex pecude sacrificium obtulisse.

Dicimus ergo ex Scriptura,unanimiq; Patrum consensu Melchisedech obtulisse panem & vinū: protulit enim ad eum usum, ut quia Dei excelsi erat Sacerdos, primum offerret Deo sacrificium gratiarum actionis pro tam insigni victoria Abrahæ concessa; ac deinde,id quod obtulerat apponeret Abrahæ & comitibus ejus in epulum, fuisse enim consuetudinem,ut quæ Deo sanctificata essent,epulo deinde appositā consumerentur; apud Hebræos quidem probari potest ex c.9.& 16.l.1. Reg.apud Gentiles autem ex Deut.32.*De quorū victimis comedebant adipes*: & omninò ex idolothytis. Hinc Clem. Alex. sub finem l.4.Stromatum,Melchisedech (inquit) *vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ*, Et Hieron. (ex cujus versione habemus Gen.14. *protulit*) in c.22. Matth.asserit Melchisedech pro Abraham obtulisse panem & vinum. *Melchisedech obtulit panē & vinū.*

Juxta hæc intelligendi sunt Ioseph & Damasc. ipsaque lect. 70. ut scil. Abrahæ dederit, sed non nisi postquam Deo prius obtulerat: quamquam verius sit relativum (ipsi) non à 70. sed aliis additum: nam nec est in editione 70. Interpretum, Romana, nec apud Chrys. aliosque veteres Geneseos Interpretes.

Quod denique addunt,in Hebræo non haberi particulam causalem, sed copulantem,non ignoravit Hieron. eam sæpè aliter quam copulativè sumi, prout sententia loci exegerit; quod notum est linguæ Hebraicæ doctis: Ideòq; serie sermonis ita requirente hic reddidit per causalem, sicut & alibi reddenda est; veluti, Genesis 20.ubi Hebræa prima fronte sonant, *Et ipsa habens virum*, item Ps.59. & 107.ubi sonant, *Et vana salus hominis*,reddidit Interpres,*habet enim virum;quia vana salus hominis.* Adde quod oratio non cohæret, nisi significetur causa ejus quod præcedit. Quod enim dicunt orationem sic distinguendam ut illa pars, *Et ipse Sacerdos*, à præcedentibus sejuncta, referatur ad sequentem benedictionem;novitium est commentum;non enim ideò benedixit Abrahæ quia Sacerdos (siquidem & Abraham Sacerdos erat) sed quia major: at sacrificium offerre, proprium est munus Sacerdotis. Deinde Hebræi Codices versum terminant ad illud, *Et ipse Sacerdos Dei excelsi.*

Ad 2. Resp. Imprimis, argumentum esse ab authoritate negativum: Deinde,Apostolo propositum erat ea commemorare, quibus ostenderet præcellentiam Sacerdotij Christi supra Aaronicum:ad hoc autem non pertinebat quod Melchi-

Universidad de Deusto
Biblioteca
Christus cur non sacerdos secundùm ordinem Aaron.



sedech panem & vinum obtulerit; tum, quia si res A in se spectetur, non majus est offerre panem & vinum, quàm viva animalia; tum, quia secundùm legem offerebantur etiam quædam similia.

Circa Resp. ad 2. observa Christum potiùs dici Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech quàm secundùm ordinem Aaron, etiamsi Christus obtulerit in cruce sacrificium cruentum; partim quia effectus Sacerdotij Christi expressius figurabatur per panem & vinum, oblata per Melchisedech, & significantia Ecclesiæ unitatem; partim & præcipuè, quia non obtulit sacrificium sub eorum animalium figura, sub quâ offerebant Levitæ, sicut obtulit sacrificium Eucharistiæ sub specie panis & vini. Deinde, Christus vocatur Sacer- B dos secundùm ordinem Melchisedech, non quomodocunque, sed respectu ejus sacrificij quod semper est offerendum, quodque propterea dicitur æternum.

Si dicas, quod Aaron etiam obtulerit panem & vinum. Levit. 2. & 24. & Num. 28. Resp. quod non ea obtulerit purè sicut Melchisedech, sed vel cum alijs sacrificijs; vel cum thure, oleo, sale, ut ex dictis patet.

Circa Resp. ad 3. observa interpretationem illam quâ Melchisedech dictus est sine Patre, sine matre, & sine genealogiâ; non quia ista non habuerit, sed quia in Scriptura sacra, ista de eo non leguntur, indicatam esse ab ipso Apostolo Paulo, C ad Hebr. 7. v. 6. his verbis, *Cujus autem generatio nō annumeratur in eis.* Qui enim dicit genus Melchisedech non recenseri in eis, seu ex eis, vel inter eos; tacitè significat, ipsum aliunde genus ducere, quamvis non exprimatur in Scripturâ.

## QUÆSTIO XXIII.

### *De adoptione Christi.*

### Articulus I.

*Quid adoptio.*

ART. 1. docet Deum adoptare filios. Adoptio autem est gratuita assumptio personæ extraneæ ad jus hæreditatis, quod non habebat ex vi suæ originis. Cùm er- D go Deus non gratuitò assumat ad jus hæreditatis suæ, id est, beatitudinis cœlestis, quæ nobis non debetur ex vi nostræ originis: dicendus est nos adoptare in filios, conformiter Scripturæ, quæ & nos vocat filios Dei, 1. Joan. 3. & meminit adoptionis ad Rom. 8. & ad Ephes. 1.

*Deus aliquos filios adoptat.*

*Differentia adoptionis divinæ ab humanâ.*

Differt autem adoptio divina ab humana, quod hæc fiat ex defectu filij naturalis: illa ex bonitate Dei, volentis perfectionem suam communicare: hæc ordinatur ad succedendum in hæreditatem, illa, ad communicationem ejusdem hæreditatis, remanente eo qui adoptat: hæc, non facit eum qui adoptatur, idoneum ad participationem hæreditatis, sed (quando prudenter fit) idoneum repertum E eligit: illa verò facit idoneum, tribuendo gratiam per quam habetur jus ad gloriam cœlestem, ac proinde talis filiatio adoptiva est relatio realis.

*Etiam reprobi sunt filij Dei adoptivi quando sunt justi.*

Ex his sequitur 1. etiam reprobos pro eo tempore quo donum justificationis habent, esse Dei filios per adoptionem: consistit enim ratio adoptionis in eo quod quispiam habeat jus ad hæreditatem sibi non competentem ex naturali origine: Reprobi autem hoc ipso quod sunt justi, habent jus ad hæreditatem cœlestem, ipsis non competentem ex naturali sua origine: habent enim gratiam justificantem, ac per consequens habent Spiritum Sanctum in eis habitantem: ipse autem est pignus hæreditatis, Ad Ephes. 1.

Confirmatur ex Apostolo ad Rom. 8. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* Sed reprobi quando sunt justificati, aguntur Spiritu Dei: ergo sunt Filij Dei. Neque refert, quod reprobi nunquam recipient hæreditatem cœlestem: id enim non est ex eo quod non habuerint jus ad illam; sed quia jure quod habuerunt, excidunt peccando mortaliter. Cæterùm quod propter peccata mortalia quæ committunt, non sit dicendum ipsos nunquam fuisse justos, definitum habemus in Conc. Trid. sess. 6. can. 17. & 23.

Ad ejusdem doctrinæ confirmationem pertinet B condemnatio articuli Joannis Hus dicentis quod præscitus etsi aliquando sit in gratia secundū præsentem justitiam, tamen nunquam est pars Sanctæ Ecclesiæ, sess. 15. Conc. Constant. Quapropter reprobi quando gratia justificationis donantur, & justi, & filij Dei sunt, & habent jus ad hæreditatem cœlestem, sed ita ut jure illo excidere possint, mortaliter peccando: si enim non permanserint in bonitate, excidentur, ad Rom. 11.

Sequitur 2. prædestinatos non semper esse actu & reipsa filios Dei, non tunc scil. quando gratiâ sunt destituti, ideòque non habent jus & idoneitatem ad regnum.

Nec obstat, quod Joan. 11. Christus dicatur mortuus *ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum:* intelliguntur enim filij, non actu & simpliciter, sed secundùm prædestinationem.

Sequitur 3. Sanctos veteris testamenti fuisse filios Dei adoptivos: habebant enim gratiam justificantem & erant justi ac Deo grati, id quod hominibus sufficit ad filiationem adoptivam veram & propriè dictam.

Confirmatur, quia in Scriptura frequenter Deus vocat illos, suos filios. Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israël.* Oseæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meū.* Matth. 8. Judæi vocantur filij regni. Et rursum Matt. 15. vocantur filij Ad Ro. autem 9. clarè significatur quod ad Israëlitas pertineat *adoptio filiorum.* Certùm nihilominus est, quod adoptio quæ novæ legis tempore data est, sit perfectior; cum hæc non solum tribuat jus participandæ hæreditatis, sed etiam ipsam possessionem & ingressum in regnum, ijs qui plenè purgati sunt; & hîc speciale consortium per communicationem carnis & sanguinis Domini in Eucharistia.

*Ob.* At dices, ad Rom. 8. Apostolus facit oppositionem inter veteres qui acceperant spiritum servitutis in timore, & Christianos qui acceperunt spiritum adoptionis filiorum: ergo vult veteres non fuisse filios adoptivos. Et confirmatur ex ca. 4. ad Galat. ubi dicit Filium Dei missum esse ut adoptionem filiorum reciperemus.

*Resp.* Resp. neg. Cons. quia Apostolus non opponit justos veteris Testamenti justis novi Testamenti quoad rationem justitiæ & filiationis adoptivæ simpliciter; sed opponit legem veterem ejusque statum, legi novæ & ejus statui.

*Discrimen legis veteris à nova.*

Lex vetus pœnas temporales, easque graves ac multiplices suis trangressoribus infligebat, neque vel ipsa gratiam dabat, vel ejus Sacramenta gratiam conferebant, per quam ejus præcepta possent observari; quæ idcirco dicebatur lex timoris & illi quibus data fuit, quique sub ea vivebant, dicti sunt servi: quia Deus agebat cum ijs tanquam



quam cum servis, qui timore continentur in offi- A cio. Consequenter autem eadem lex erat lex servorum, quæ tamen servitus erat honorabilis, cum honorificum sit esse de numero servorum ac populi Dei.

Lex autem nova temporales pœnas non infligit, & tum ipsa gratiam continet, ut 1. 2. q. 106. art. 1. & 2. docetur; tum ejus sacramenta gratiam ex opere operato conferunt, ideòque est lex amoris & lex filiorum.

Quapropter etiam illi qui sub veteri testamento erant pij ac justi, ex vi seu ex ratione istius testamenti solum acceperant spiritum servitutis in timore, non autem spiritum adoptionis; per quod tamen non negatur quin essent filij adoptivi, sed B solum quod non essent tales ex lege seu ex ratione vel conditione legis veteris.

Breviter dici potest quod erant filij, at non habebant statum filiorum, sed servorum potius.

Ad Confirm. Resp. Filium Dei esse missum, tum ut à servitute legis & servorum statu nos redimeret, tum ut hæreditatem Filiorum quæ prius nulli dabatur, acciperemus.

*Alia ob.* Si præterea dicas, filiatio antiquorum erat figura filiationis novæ legis: Sed figura & figuratum non conveniunt univocè in eadem ratione formali ergo filiatio antiquorum non erat vera filiatio, sed typica solum & figurativa, sicut imago Cæsaris non est verè Cæsar sed tantum typicè. C

*Resp.* Resp. distinguendo Minorem: quandoque enim figura & figuratum sunt res diversæ rationis; & sic vera est Minor: quandoque verò sunt ejusdem rationis; & tunc figura univocè convenit cum figurato; sicut lex vetus fuit figura legis novæ; & sacramenta veteris legis erant figura Sacramentorum novæ legis: ac nihilominus illa lex fuit vera lex; & illa Sacramenta fuerunt vera Sacramenta, quamvis imperfecta; sic filiatio antiquorum erat vera filiatio adoptiva, licet imperfecta comparatione filiationis novæ legis; non enim dabat statum filiorum; nec ipsam hæreditatis filiorum possessionem.

### Articulus II.

*Adoptare convenit toti Trinitati.*

ART. 2. Docet quod adoptare conveniat toti Trinitati. Cum enim filius adoptivus sit factus, juxta illud Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; adoptare filios, est quoddam facere; facere autem toti Trinitati commune est, sicut & omnia opera extera sunt toti Trinitati communia. Unde sequitur, quod sumus per adoptionem Filij etiam Spiritus Sancti, quodque ipse est Pater noster.

Observa tamen diversam assignari posse rationem appropriandi adoptionem diversis personis. Nam Patri appropriatur adoptio tanquam E authori, non solum quatenus in eo elucet potentia quæ Patri appropriata est, sed etiam quatenus misit filium in mundum causa nostræ adoptionis. Spiritu Sancto appropriatur, ut imprimenti nobis gratiam habitualem cæteraque dona gratiarum quibus sumus formaliter filij adoptionis; quia ipsi appropriatur bonitas, quæ est fons & origo omnium donorum quæ habemus.

Peculiariter autem adoptare convenit filio, partim ut exemplari, quia filiatio nostra adoptiva, similitudinem aliquam habet cum ea filiatione qua Christus est Filius Dei; partim, quia Christus secundùm humanitatem suam est instrumentum divinitatis conjunctum & causa meritoria nostræ adoptionis. Unde ad Gal. 4. missus dicitur Filius, ut adoptionem filiorum reciperemus.

### Articulus III.

*Adoptari est proprium rationalis creaturæ.*

ART. 3. declarans adoptari proprium esse rationalis seu intellectualis creaturę, quia sola illa est capax hæreditatis cœlestis: Ostendit adoptionem habēre similitudinem filiationis naturalis, non solùm secundùm rationem formæ exemplaris, quomodo omnis creatura habet similitudinem ad Verbum Dei, per quod & ad quod tanquam ad exemplar facta est: sed etiam secundùm intellectualitatem, & unitatem quæ est per gratiam & charitatem.

Pro Resp. ad 2. Observandum est ex Authore in 3. d. 10. q. 2. art. 2. ad spiritualem adoptionem non requiri ut qui adoptatur, aliquo tempore fuerit in peccato, vel caruerit gratiâ: sed quod non habeat ex vi suæ naturæ vel originis, gratiam seu jus ad hæreditatem cœlestem, etiamsi primo momento suæ creationis habuerit. Unde patet nihil obstare; quominus Angeli Sancti vocentur & sint Filij Dei: quomodo eos vocat Scriptura Iob. 1. 2. & 38. secundùm lectionem vulgatam & Hebraicam: tametsi Chrys. hom. 22. in Gen. dicat Angelos nunquam in Scriptura vocatos Filios Dei, loquens sc. de Scripturâ juxta versionem 70. quæ tunc illi erat in manibus.

*Ob.* Si dicas obstare Scripturam quæ ad Hebr. 1. negat ulli Angelorum aliquando à Patre dictum, *filius meus es tu.*

*Resp.* Resp. ibi non negari filiationem adoptionis, sed singularem ac peculiarem illam de quâ Pater cuilibet filio ex se genito (maximè si sit unigenitus) dicere solet, Filius meus es tu, naturalis scilicet.

### Articulus IV.

D ART. 4. negat Christum, etiam ut hominem, dici posse Filium adoptivum. De Christo simpliciter, apertæ sunt Scripturæ quæ Christum aut naturalem Dei Filium vocant, aut ita dicunt Filium ut significent eum longè aliter esse Filium quam per adoptionem: ut Matth. 16. cū Christus quæreret: *Quem dicunt homines esse filium hominis*, Petri responsionem, *Tu es Christus Filius Dei vivi* Probavit ac laudavit. Sed & de Christo est vox illa Patris, Matthæi 17. *Hic est Filius meus dilectus:* Luc. 1. *Filius Altissimi vocabitur:* Et mox: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* De Christo etiam est illud Ioa. 1. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Videri possunt aliæ Scripturæ, Matth. 3. Ad Rom. 8. ad Heb. 1. 1. Ioa. ult. His conformiter Hieron. in c. 1. ad Ephes. de Christo loquens ait: *Ille quidem natura Filius est, nos verò adoptione.* Amb. l. 1. de fide, c. 9. *Filius aut per adoptionem, aut per naturam est, per adoptionem nos filij dicimur: ille per veritatem naturæ est.* Plura habentur testimonia in Syn. Francofurt. ubi frequentissimè asseritur Christus Dei hominisque Filius, non per gratiam adoptionis, sed propriâ Filij dignitate. Ac tandem in professione fidei: Verus in utraque substantia Dei Filius non putativus, sed vetus: non adoptione sed proprietate. Difficultas autem est.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## An Christus ut homo sit Filius Dei naturalis, an adoptivus.

ESSE adoptivum probatur. PRIMÒ, exIrenæo l.3. contra hær. cap.21.propter hoc Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, Filius hominis factus est,commixtus Verbo Dei,ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.

SECUNDÒ, Quamvis Christus ut Deus sit ens per essentiam,ut homo tamen est ens per participationem:ergo potest etiam ut homo vocari Filius per participationem, seu adoptivus.

TERTIÒ, Patres qui negant esse adoptivum, loquuntur vel contra Arianos negantes Christum esse Filium Dei naturalem; vel contra Nestorianos inducentes in Christo duas personas:nihil autem istorum sequitur, si tantùm ut homo dicatur Filius adoptivus: ergo.

Confirmatur, Ambros. l.5.de fide c.4.de Dei Filio scribit quod à se deficiens nostræ jus sibi adoptionis acquisivit.

QUARTÒ, in humanitate Christi est fundamentum filiationis adoptivæ, scilicet gratia, propter quam Christus qui per essentiam est beatus,quatenus homo, beatus dicitur per participationem.

QUINTÒ, Christus rectè dicitur esse prædestinatus,nimirum ut homo, quemadmodum qu.24. docetur: ergo similiter dici potest esse Filius adoptivus.

DENIQUE ad Rom.8. Christus dicitur *Primogenitus in multis fratribus*, qui fratres sunt filij adoptivi.

*Christus non est Filius Dei adoptivus, ne quidem ut homo.*

RESP. quod Christus,etiam ut homo sit Filius Dei,non adoptivus,sed naturalis: non quidem reduplativè, quasi hoc ab humanitate habeat tanquam à causa,sed specificativè,hoc sensu,Christus subsistens in humanitate & ut includens eam tanquam formam seu naturam in supposito unitam, non est Filius Dei adoptivus,sed naturalis.

PROBATUR 1. quia Filiatio tantùm tribuitur personæ: sed in Christo est tantùm una persona, eaque æterna,cui repugnat adoptari; (cùm adoptio sit illius personæ cui non naturaliter, sed ex gratiâ conceditur filiatio:) ergo filiatio adoptiva non potest Christo tribui.

PROBATUR 2. Adoptio postulat ut adoptatus sit extraneus adoptanti, ita ut jus hæreditatis non sit ei debitum ex ratione originis; sed liberaliter & gratuitò ad illud assumatur:quamvis autem humanitas secundùm se sit Deo extranea, non facit tamen ut persona quæ illam habet,sit extranea, quin potius ipsa persona se suamque filiationem naturalem humanitati communicat,facitque quod ipsi, (etiam ut in humanitate subsistenti) debeatur ex vi originis hæreditas: ergo Christus, etiam ut homo non est persona extranea à Deo,Deique filiatione naturali, nec à jure hæreditatis:& consequenter non est Filius adoptivus.

PROBATUR 3. Qui adoptatur in filium non est adoptanti conjunctus secundùm naturam, sed solùm secundùm affectum: Atqui humanitas Christi non est conjuncta Verbo secundùm solum affectum,sed secundùm naturam: ergo non est adoptata à Verbo, ac per consequens nec à Patre, cùm Pater nullum adoptet quem Filius etiam non adeptet.

*Ob.* Si dicas Christum ut hominem,non esse genitum à Patre per æternam generationem: ergo nec esse Filium Dei naturalem. RESP. Neg.C. Idem *Resp.* enim ille qui ut Deus,est Filius Dei naturalis per æternam generationem; est in quantum homo, Filius naturalis per unionem hypostaticam: quia per eam factum est ut humanitas verè & propriè sit subsistentialis natura Filij Dei: & consequenter, ut hic, in quantum homo, sit Filius & hæres, cui proinde etiam ut homini hæreditas debeatur ex vi talis originis.

Quapropter duobus modis potest intelligi Filius Dei naturalis.Uno modo per æternam generationem.Alio modo per unionem subsistantialem. Illo modo Christus ut Deus est Filius Dei naturalis: Hoc modo Christus ut homo,est & dicitur Filius Dei etiam naturalis.

DEINDE,id quod alicui convenit per naturam, non potest ei attribui per participationem, si in participatione includatur imperfectio repugnans subjecto per se tali: sed esse Filium Dei convenit Christo per naturam: ergo non potest ei tribui per talem participationem, qualis significatur in adoptione:quia illa includit imperfectionem subjecto repugnantem.Unde B.Th.q.29.art.1.ad 1. Illa quæ nata sunt convenire personæ ratione suiipsius, non possunt dici de Christo,si habent repugnantiam ad proprietates personæ æternæ,quæ sola in eo est;sicut patet de hoc nomine,creatura. Ea verò quæ non sunt nata convenire personæ, nisi ratione naturæ vel partis naturæ,possunt dici de Christo, quamvis habeant repugnantiam ad personam æternam; & hoc propter dualitatem naturarum; sicut, pati, & mori, & alia hujusmodi; filiatio autem per prius respicit personam, gratia autem non respicit personam nisi ratione mentis, quæ est pars naturæ; & ideò filiatio adoptionis nullo modo convenit Christo, cui tamen convenit gratiam habere.

Atque hanc suam sententiam docet B.Thom. etiam hoc ar.& q.32.ar.3.q.43.ar.1.in 3.dist.10. q.2.ar.2.quæstiuncula 3.& li.4.contra Gent.c.4. Eandem tradunt Bonav. Richardus, & communiter Scholastici vel in 3.d. 10. vel præsentem qu. idque conformiter scripturæ, quæ Christum hominem vocans Filium Dei, nunquam dicit adoptivum,sed semper indicat naturalem,ut initio art. ostendimus. Patres quoque tum ab Adriano 1.tum à Syn.Francofor.citati,sæpe idem repetunt adeò ut contrarium non nisi temerè defendi possit.

Quapropter AD 1. ARG. RESP. quod adoptionem recipiens apud Iren. non Christus intelligitur,sed quilibet fidelis:sic enim habet. *Propter hoc Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei,ut adoptionem percipiens* (quilibet alius à Christo) *fiat Filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ & mortalitati.*

AD 2. neg.Consq.quia ens creatum,ut & beatitudo, potest tribui naturæ: filiatio autem tantum personæ tribuitur: In Christo autem tantum est una persona, eaque divina; cujus proinde perfectioni repugnat adoptio.

AD 3. etsi Patres eo respexerint: quia tamen hoc argumento utuntur, Christus est naturâ Filius Dei,ergo non adoptione, ex consequenti senserunt eum, ne quidem ut hominem, adoptivum dicendum,ut ex dicta epistola Adriani patet. Ad confirmationem RESP. verborum Ambrosij sensum esse, quod Filius Dei incarnatus meruerit sibi jus nostræ adoptionis, id est, ut nos essemus Filij Dei adoptivi.



AD 4. gratia habitualis est Christo homini debita ex vi unionis, nec est in subjecto filiationis adoptivæ capaci.

AD 5. RESP. neg. cons. quia filiatio adoptiva excludit filiationem naturalem; talis autem exclusio non habet locum in prædestinatione.

AD POSTREM.RESP. Christum vocari primogenitum in multis fratribus per gratiam unionis, non autem per gratiam adoptionis,Gratia autem unionis non impedit quominus idem ille qui dicitur primogenitus,sit etiam filius naturalis, Non ergo vocatur primogenitus in fratribus,quasi ipse sit filius adoptivus sicut fratres; sed ut quædam derivatio filiationis ab eo in alijs ostendatur, ait B. Th. l. 4. contra Gen. c.4. secundùm illud ad Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus &c. & ad Gal. 4. Misit Deus filium suum ut adoptionem filiorum reciperemus.

Porrò,quia S.Ildefonsus in concilio isto Francofor. videtur sensisse Christũ esse Filium adoptivum: sciendum est ex ejus libris,qui extant tomo 9. bibliothecæ Patrum, liquere contrarium. Sed cum Elipandus in confirmationem suæ hæresis,citaret ejus verba, nec codices qui examinarentur,præsentes essent: Patres Concilij respondерunt; minus deferendum hac in causa Ildefonso quàm Gregorio, Augustino, & similibus,si nimirum vera essent quæ adferebantur.Vide Baron. ad 23. Ianuar.& tom.9.Annal.ad annum 794.

In RESP. ad 1. observa apud. Hilar.sic haberi *dum carnis humilitas adoptatur*;vel ut alij, *adoratur*.

Observandum præterea quod Hilarius alibi sic de Christo dicit,lib.3.de fide;*Hic & verus & proprius est filius, origine; non adoptione; veritate,non nuncupationi; nativitate,non creatione.* Et l.6.*Non est per Deum Patrem Filij nomen in Christo,ex adoptione bonitatis: neque sanctitate meruit hoc nomen, sicut plures post confessionem fidei,Dei filij sunt.* Et aliquantò ante, *Donavit adoptionis nomen plurimis, sed iste mihi Filius iste.*

Circa Responsionem ad 2. adverte in verbis Aug. gratiam intelligi increatam, de qua dictum est q.2.a.10. quod sit gratuita Dei voluntas: & significatur quod sicut fine meritis quilibet Christianorum habet, quod sit Christianus: ita sive meritis habet iste homo quod sit Christus.

## QUÆSTIO XXIV.

## De prædestinatione Christi.

### ARTICULUS I.

*Christus est prædestinatus.*

ART. 1. ostendit Christo convenire,esse prædestinatum,quemadmodum,Apostolus ad Rom.1.fuit locutus.Prædestinatio enim est Dei præordinatio qua ab æterno statuit quæ per gratiam facturus est in tempore sed in tempore factum est, ut duæ naturæ, unirentur in hypostasi, per quod homo esset Deus, & Deus homo: ergo sic erat prædestinatum ab æterno.

*Ob.* Et quamvis nonnulli sic ratiocinentur, Quæ non possunt absolutè dici de Verbo,non possunt etiam absolutè dici de Christo; sed prædestinatum esse, non potest absolutè dici de Verbo,quia Filius Dei non habet esse divinum ex gratiâ seu ex prædestinatione, sed per naturam & æternam generationem:ergo nec de Christo:B.tamen Th. præmittens unionem,quæ est summum opus gratiæ, esse ab æterno prædestinatam ut in tempore fieret: simpliciter concludit Christum esse prædestinatum. Quod quamvis intelligendum sit de Christo quatenus homo est; simplici tamen sermone, seu nulla determinatione addita verum est Christum esse prædestinatum: quia *Christus* significat subsistentem in duabus natutis:prædestinatum autem est, ut Dominus JESUS in illis subsisteret. *Quatenus homo.* *Resp.*

Major autem argumenti non est universaliter vera; in proposito quidem vera non est,quia *prædestinatio* cum significet actum animæ,facit subjectum formaliter accipi;& ideo quando tribuitur Christo;significatur ei convenire ut subsistenti in duabus naturis:quando autem Verbo,significatur quod hoc ei conveniat secundùm se, atque adeò ipsum sit divinum ex gratia, non ex natura.

Hinc intelligi potest,quare Christus non dicatur simpliciter factus, aut incœpisse esse,sicut dicitur prædestinatus: Item,quare Filius Dei dicatur simpliciter mortuus, & non prædestinatus; quia scilicet, *factum esse*, applicat suum significatum subjecto materialiter sumpto, quod est persona æterno, ideòque dicere quod Christus est factus, esset idem ac si diceretur, Filius Dei est factus, *mortuum* quoque facit subjectum accipi materialiter:& ideo cum dicitur Filius Dei esse mortuus, significatur quod mortuum esse conveniat quidem illi personæ quæ est Dei Filius: non tamen significatur quod conveniat illi sub ea ratione qua est Dei Filius,sed alia quadam ratione,scilicet humanitatis.

Dices, subsistere in duabus naturis pertinet ad constitutionem Christi:sed quæ pertinent ad constitutionem rei,non cadunt sub prædestinatione, ergo. RESP. Minorem esse veram,quando constitutio rei est merè naturalis; qualis non est in proposito, quandoquidem ex gratuita Dei voluntate factum sit,ut duæ naturæ unirentur in supposito,idemque esset suppositum Dei & hominis.In hanc sententiam videndus est præter Apostolos, Paulum ad Rom.1.Petrum prioris suæ epist.c.1. ac Conc. Tolet.11. August. l.de prædestinatione Sanctorum c.15. De dono perseverant. c.24. & tract.105.in Joannem.

In Responsione ad 1.tradit Christum singulari quodam modo esse prædestinatum, scilicet ut in humanitate subsistens esset Filius Dei naturalis: secundariò autem, prædestinatum esse ad gratiam & gloriam,non est negandum.

In responsione ad 2. adverte, naturam humanam non propriè dici prædestinatam ad beatitudinem: quia ad illam prædestinari, cùm in operatione consistat, propriè est ejus qui dirigitur & operatur,id est, suppositi: nec simpliciter dicitur prædestinata, sed benè & propriè prædestinata ad unionẽ,ut patet ex scholast.in 3.d.10.Cum enim unio sit prædestinata, nihil vetat humanitatem propriè dici prædestinatam ad illam, quandoquidem & ipsa uniatur,ipsique gratia conferatur.

Circa responsionem ad 3.nota sententiam Apostoli ad Rom. 1. tametsi à Græcis ita exponatur, ut Filius Dei dicatur prædestinatus.1.declaratus

Universidad de Deusto
Biblioteca



ratus esse Filius Dei; ab Aug. tamen, quem B. Th. A & alij plures sequuntur, convenientiùs intelligi retentâ usitatiore in Scripturis significatione, quâ prædestinare sumitur pro eo quod est destinare, definire, statuere, & sensus est. *Qui*, scil. *Filius factus ex semine David secundùm carnẽ prædestinatus est Filius Dei*, sive ut sit Filius Dei verus & naturalis, *in virtute*, id est, in potentiâ & majestate veri Filij Dei; *secundùm spiritum sanctificationis*, seu sanctificantem, id est, ut haberet spiritum nos sanctificantem; quod quidem post Christi resurrectionem ex mortuis maximè declaratum est.

In fine Resp. ejusdem declarat non paritet dicendum, *Christus factus est Filius Dei* (quod & ex q. 16. art. 7. constat) sicut dicimus, *Christus prædestinatus est Filius Dei*: quia cùm fieri significet actionem realem, eaque supponat subjectum cui tribuitur; significaretur mutatio & factio in supposito Christi, quod est Deus: *prædestinatio* autem est actus mentis; quæ sicut præscindere potest ea quæ in re sunt conjuncta, ita potest præcisè concipere hunc hominem ut in humanitate subsistentem, ac ordinare ut sit Filius Dei. Unde ut hæc prædestinatio mandetur executioni, non est necesse quod hic homo fiat Deus, sed satis est quod Filius Dei fiat homo; ex hoc enim consequens est, illum hominem esse Filium Dei naturalem, quod erat prædestinatum.

### Articulus II.

*Christus ut homo prædestinatus est esse Filius Dei.*

ART. 2. Docet Christum, secundùm quod est homo, prædestinatum esse Filium Dei. Sed cùm in prædestinatione requiratur ut subjectum quod dicitur prædestinari, non includat in se terminum ad quem prædestinatur, sicut homo qui prædestinatur ad gloriam, non includit in se gloriam, sed prædestinatione ordinatur ut eam habeat.

*Quæst.* Difficultas est, quodnam sit in proposito prædestinationis subjectum, & quis terminus. Et quidem quod principalis terminus sit, *esse Filium Dei*, *Resp.* haud difficulter colligi potest, tum ex Apost. verbis Rom. 1. jam explicatis, tum ex Aug. de prædest. Sanctorum, capite decimoquinto, & ex Beato D Thoma hîc.

Subjectum verò, est Christus quatenus homo, sive ut humanitate subsistens. Ordinavit enim Deus ab æterno, ut subsistens in humanitate vocaretur & esset Filius Dei; priusque est in conceptu nostro, Deum fieri hominem, seu in humanitate subsistentem, quam hominem illum esse Deum Deique Filium.

Ex his intelligi potest, quomodo in Conc. Tolet. 11. professio fidei habeat Christum nec factum nec prædestinatum esse: loquitur scil. de Christo ut Deus est, quemadmodum ex contextu liquet, Unde mox subditur: Per hoc tamen quod de Maria Virgine natus est, & natus & factus, & præ- E destinatus esse credendus est.

Quod in Resp. ad 1. significatur Christus secundùm quod homo nõ esse prædestinatus Filius Dei naturalis, intelligendum videtur reduplicativè, quia non est prædestinatum ut Christus sit Filius Dei quia homo, id est, ut ab humanitate habeat esse Filium Dei, sitque ideò Filius Dei, quia est homo: id quod tamen significare videtur reduplicatio, si intelligatur designare rationem & causam ex quâ ei qui prædestinatur, conveniat esse Filium Dei.

Verum si reduplicatio intelligatur non designare causam, sed conditionem: sic Christus, secundum quod homo prædestinatus est esse Filius Dei naturalis, per gratiam scilicet unionis. Quamvis enim humanitatis non sit ratio seu causa propter quam personæ Christi conveniat, esse naturalem Dei Filium; est tamen conditio secundùm quam Christus est subjectum capax prædestinationis ad esse. Filium Dei naturalem per gratiam unionis, ut in responsione ad 2. significat: ac proinde quod in argumento 1. negatur Christus esse Filius Dei secundum quod homo, verum est, accipiendo reduplicationem causaliter; alioquin specificativè intelligendo, Christus, secundum quod homo verè B dicitur Filius Dei non adoptivus, sed naturalis, per gratiam unionis, ut a. 4. q. 23. dictum est.

### Articulus III.

*Prædestinatio Christi est exemplar nostræ.*

ART. 3. declarat prædestinationem Christi esse exemplar nostræ: primò, si spectetur ex parte termini seu effectus: quia bonum ad quod Christus est prædestinatus, est exemplar boni quod nobis datur per prædestinationem. Secundò, si prædestinationem consideremus quantum ad modum consequendi ejus effectum: quia sicut natura humana nullis præcedentibus meritis unita est Filio Dei; ita nos, sine ullis nostris meritis accipimus de plenitudine gratiæ Christi.

C Anverò, & quâ ratione, Christus sit primò prædestinatus, diximus q. 1. art. 3. ad 2. Ex quo etiam patet quod in seq. Ar. docetur.

### Articulus IV.

ART. 4. Docet prædestinationem Christi esse causam nostræ, in alio scilicet adhuc genere, quam exemplaris. Unde quæri solet.

## *An prædestinatio Christi sit causa meritoria nostræ.*

EX cap. 7. sess. 6. Conc. Trid. habetur Christum justificationem nostram nobis meruisse: quod etiam veritatem habere de omnibus prædestinationis nostrę effectibus, sive de omnibus bonis salutaribus quæ prædestinatis conferuntur, probatum fuit qu. 19. art. 4. Ac proinde putamus esse B. Thomæ tum hîc, tum in 3. d. 10. sententiã eamque veram, prædestinationem Christi seu potius Christum prædestinatum esse causam meritoriam nostræ prædestinationis, ut enim loquitur Apostolus, ad Ephes. 1. *Deus benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo*, seu per Christum. *Elegit nos in ipso*, id est, per ipsum *ante mundi cõstitutionem: Prædestinavit nos in adoptionẽ filiorum per Iesum Christũ*: Ex quibus bene probatur, ait Estius electionem seu prædestinationem nostram ac totius Ecclesiæ esse per Christi meritum, licet id aliqui negent. Huc etiam adferri potest illud 2. ad Tim. 1. *Liberavit & vocavit nos vocatione sua sancta &c. secundum gratiam quæ data est nobis in Christo.* Et quamvis Christus non meruerit reprobationẽ aliquorum, rectè tamen intelligitur meruisse electionem prædestinatorum, etiam quatenus est unius è multis acceptatio; quia specialiter applicare voluit sua merita quibusdam, ut ipsi (relictis alijs) salventur, juxta ea quæ de conformitate voluntatis

*Resp. affir. Christus meruit nostram prædestinationẽ.*



juntatis ejus humanæ ad divinam, & de oratione A qua non pro mundo, sed pro his qui sibi dati erant è mundo, rogavit, dicta fuerunt qu. 18. art. 5. & qu. 21. art. 4. B. Thomæ subscribunt Bonav. & Durand. in 3. d. 11. Med. de Cabrera hic, Bannes ad q. 23. 1. partis.

## QUÆSTIO XXV.

## *De adoratione Christi.*

### Articulus I.

*Christi humanitas & divinitas una adoratione adorantur.*

ART. 1. Docet una & eadem admonitione adorari Christi humanitatem, & ejus B divinitatem; si honor spectetur ex parte ejus qui adoratur: si autem spectentur causæ adorationis, posse dici plures esse adorationes, quia alia adorationis causa est Sapientia increata; alia creata.

Notandum autem quod licet concedat posse dici plures adorationes ex parte causę; non tamen concedit plures adorationes simpliciter, sed unam ex pluribus causis: honor enim exhibetur rei subsistenti: in Christo autem est unica hypostasis subsistens: ergo & una ejus adoratio. Hinc est quod concludens dicit tum demum fore simpliciter plures adorationes, *Si ponerentur plures personæ hypostases.* C

*Una tantum est adoratio Christi eaque latriæ.*

Advertendum proinde, fide certum esse quod non solum Christus quatenus Verbum, sed etiam ut subsistens in divina & humanâ naturâ, adorandus sit perfectissimo illo cultu qui vocatur latria: ut simpliciter & absolutè una sit adoratio Dei & hujus hominis Jesu Christi. Unde Joan. 5. cùm de se loqueretur, *Vt omnes* (inquit) *honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*: Et ad Philip. 2. *In nomine* Jesu *omne genu flectatur*: ipsaque communicatio idiomatum omnino requirit ut eadem sit adoratio Dei & hominis: idque imprimis definitum est in Concilijs contra Nestorium celebratis qui sicut duas in Christo personas distinguebat: ita consequenter ponebat duas adorationes, negans D Christum hominem adorari eâdem adoratione quâ adoratur Verbum, quæ assertio damnatur sub anathemate à Cyrillo, anathematismo 8. à Concilio Ephesino, canone octavo: à Syn. 5. can. 9. de qua etiam dicetur in sequentibus.

### Articulus II.

ART. 2. docet humanitatem Christi consideratam ut est res adorata, adorandam esse latria: ut autem est ratio adorandi, solum dulia.

Quod ad prius attinet, confirmatur, quia sic adorare Christi carnem seu humanitatem, nõ aliud est secundùm proprietatem sermonis, quàm adorare ipsum Dei Verbum carnem factum humanatum, vel Incarnatum; quæ adoratio cum exhibeatur divinæ personæ, est illa ipsa, quæ Deo debetur, & proinde unica, eaque summa, id est, latria. E

*Humanitas Christi adoratur latria.*

Quare simpliciter dicendum est carnem & animam Christi, sicut & membra corporis ejus adoranda esse adoratione latriæ; quæ quidem eis debetur ratione hypostasis Verbi Dei, à qua & in qua sustentantur. Hinc Damasc. l. 3. c. 8. *Vnus est Christus, Deus perfectus & homo perfectus, cui unam eandemq; adorationem cum Patre ac Spiritu, ac cum immaculata ipsius carne adhibemus, neque enim non adorandam ipsius carnem dicimus. Adoratur enim ea in una Verbi hypostasi, quæ quidem ipsi hypostasis extitit.* Et lib. 4. c. 3. *Cum caro copulata sit Deo Verbo: ob ipsum, & in ipso adoratur. Quia increati corpus factũ est; ideo ejus corpus dicitur, cujus factum, est ac proinde illi sacra offertis: adhibetisq; vestram adorationem: eaq; de causa rite legitimaque ratione adoratur, & divina adoratione colitur*, ait Athanas. lib. de Incarn. Christi. Videri etiam possunt August. in Psalm. 98. & serm. 58. de Verbis Domini; Epiph. in Anchorato. Athanas. alijs etiam locis de incarnat. Verbi, & Cyrillus anathematismo 8. Quorum nonnulli rem hanc illustrant similitudine vestis regiæ, quæ simul cum rege induto adoratur. Sed observandũ est id esse discriminis, quod illa propter regem quidem honoratur, sed per accidens: utpote peraccidens conjuncta & circumposita regi: humanitas autem Christi propter verbum quidem honoratur, verùm non per accidens, sed per se; quia modo perfectissimo unitur personæ Verbi: quæ dum incarnata adoratur, non potest caro ab adoratione illa excludi.

Ad hanc rem pertinet Can. 8. Conc. Ephes. *Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo tanquam alterum cum altero, & non potius una adoratione honorificat Emanuelem, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.* Et can. 9. Syn. 5. General. *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt semotim Dei Verbo, & semotim homini, anathema sit.* Denique huc adferri possunt quæ pro cultu corporis Christi in Eucharistia dicuntur à Patribus, & specialiter in Conc. Trid. sess. 13. c. 5. & can. 6.

Ex his patet adorationem latriæ quæ Verbo incarnato exhibetur, non solùm homini Christo tribui per communicationem idiomatum, sed etiam redundare in humanitatem tanquam in rem adoratam: & consequenter Christum ut hominem adorari latria, si reduplicatio solùm intelligatur specificativè; quia persona illa ut in humanitate subsistens verè & propriè adoratur, simulque adoratur ejus humanitas, ratione unionis hypostaticæ.

*Tacita ob. solvitur.*

Neque his repugnat can. Conc. Ephesini jam allatus: aliud enim est loqui de homine Christo aliud de ipsius *humanitate*: homo, quia personam significat, non potest dici coadorari, sed adorari ut Deum: eò quod verbum *coadorandi* personis adjunctum, significet distinctionem unius personæ ab alteram: humanitas autem rectè dicitur coadorari, sicut pars coadoratur toti, quia ipsa non est persona, sed personæ conjuncta, in quâ & ob quam adoratur eadem numero adoratione cum ipsa, vide Cyril. in apolog. defens. 8.

*Ob.* Si dicas, latriam deberi soli Deo; humanitas autem quantumcunque sit unita Deo, semper manet creatura: ergo. *Resp.* adorationem primò & principaliter tendere in Deum qui humanitatem sibi univit hypostaticè: ratione autem illius redundat etiam in humanitatem tanquam in rem adoratam. Sicut enim unus honor debetur Regi quamcunque vestem induto; ita una adoratio debetur Deo, quamcunque naturam assumpserit. Cùm ergo dicitur soli Deo latriam deberi, excluditur omnis persona alia à divinâ: quicquid autem est Deo conjunctum in unitâtem personæ, non excluditur, sed magis comprehenditur.

*Resp.*

Quod attinet ad partem doctrinæ hujus articuli posteriorem, eorum sententia nobis probatur

Universidad de Deusto
Biblioteca



tur, qui Authorem sic explicant ut dicere voluerit A quod si mente concipiamus carnem Christi separatam à Verbo : qualis nec est, nec unquam erit : tum (eâ conditione positâ) nec esse adorandam latria, sed inferiori quadam veneratione, scil. hyperduliæ, propter donorum, quibus adornatur, excellentiam. Id enim apertè significat Author in resp. ad 1. explicans verba Damasc. *Si intellectæ* (inquit) *ut separatæ à Dei Verbo, deberetur sibi adoratio duliæ, non cujuscunque, sed cujusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.*

Verùm an liceat, & omninò, an hoc sit practicandum ut eadem persona, propter duas naturas, duabus adorationibus adoretur, non affirmat, ut quidam putant : sed magis negat. Ad 1. enim ita B loquitur, *Glossa illa non est sic intelligenda, quasi seorsim adoretur caro Christi ab ejus divinitate : hoc enim posset contingere solùm hoc modo, si esset alia hypostasis Dei & hominis.*

Neque dumtaxat Canones superius allati rem istam significant, sed etiam Athan. sic loquens in Epist. ad Adelphium contra Arianos: *Neque istiusmodi corpus seorsim discriminatum à verbo adorationem prosequimur ; neque Verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus ; sed cùm sciamus Verbum carnem esse factum, illud jam in carne situm, Deum agnoscimus.* Videri etiam potest in apolog. apud Cyril. defens. 8. ubi ipse Cyril. concludens ita habet, Inquirant, an non dicamus, *Vnum Filium unica* C *confidentia honoratum esse, & non duabus ita ut una & propria tributa sit corpori, alia verò iterum & propria Verbo.*

Accedit & ratio, quia honor, simplex scil. & absolutus, exhibetur toti rei subsistenti : humanitas autem seorsim à Verbo concepta non est subsistens, ergo.

Deinde, unusquisque debet coli eo honore qui debetur supremæ ipsius excellentiæ : idq; eo magis faciendum est in proposito, quia usus Ecclesiæ non aliud habet circa adorationem Christi.

Si objicias, Authorem hîc dicere duplicem illam adorationem non esse inconvenientem. Resp. eum non simpliciter hoc affirmare, sed dicit non D esse inconveniens, quod adoratio humanitatis Christi possit intelligi alia quam latriæ, modò intelligatur fieri non ratione divinæ personæ, sed ratione humanitatis perfectæ omni munere gratiarum : non dicit autem esse conveniens, ut adorationes ita distinguantur ab adoratoribus qui exhibeant diversas adorationes.

Verba Glossæ ad Ps. 7. quæ tum B. Tho. tum Bonav. & alij in 3. citant, etsi olim in ea fuerint, nunc tamen nō inveniuntur. Ad finē c. 23. Exodi sic legitur ex Aug. q 94. in Exod. *Dulia debetur Deo, tanquam Domino : latria verò non nisi Deo, sicut Deo.* Hæc autem verba non sic intelligenda E sunt, ut alia specie adorationis adorandus sit Deus ut Dominus ; & alia, ut Deus : sed quod Deo si cōsideretur ut Dominus, debeatur cultus, qui licet sit summus, quemadmodum ipse est supremus Dominus ; convenire tamen potest in nomine, cum cultu qui exhibetur creaturis illis rationalibus, quæ participant de dominio : & hic est dulia ; quatenus autem consideratur ut Deus, debetur ei cultus, ipsi soli proprius ; etiam quoad nomen, scilicet latria, quia præter eum nullus aut Deus est, aut Creator. Vide B. Tho. 2. 2. q. 103. art. 3. ad 1. & 5. Bonav. in 3. d. 9. fin. Auguſt. autem fortasse respexit ad ipsa nomina, quorum *latria* (significat reverentiam ; *dulia* servitutem : servitus autem respicit dominium, & reverentia majestatem Creatoris.

Circa Resp. ad 1. observandum est hæc verba in argumento objecta, *Non illâ dico adoratione quæ latria est, quæ soli Deo debetur*, hodie in Glossa non reperiri, tametsi Bonav. Scot. & alij eorundem meminerint ; quæ à quodam Nestorianum aliquid sapiente olim adjecta fuisse docti existimant. Priora verò sumpta sunt ex Aug. in Psal. 98. ubi manifestè agnoscit, carnem Christi, modo quo supra dictum est, adorandam.

## Articulus III.

### *Vtrum imago Christi sit adoranda adoratione latriæ.*

Huic priusquam respondeatur, quædam sunt *Quid imago.* de imaginibus præmittenda. *Imago*, inquit Damasc. oratione 3. de imag. *est similitudo ; seu effigies quæ illum in se, cujus imago est exprimit.* Differt ab idolo ; quod imago (ab imitando dicta) sit rei verè subsistentis, ad eam repræsentandam expressa similitudo ; Idolum verò est simulacrum *Quid idolum.* repræsentans id quod vel simpliciter non est, vel certè non est tale quale colitur. *Idolum*, inquit Apostolus 1. Cor. 8. *nihil est*, scilicet quantum ad *1. Cor. 8.* formam seu naturam, quæ ab idololatris creditur ibi esse, ut explicat Author. *Idolo* synonimum in scriptura & Patribus est *simulachrū* ; dicitur enim à simulando, eò quòd sit ficta repræsentatio. Unde in sacris literis simulachra ubiq; ponuntur pro *Quid simulachrum.* Idolis ; neque imagines unquam vocantur simulachra. Controversia autem est cum sectarijs, & ideo.

## Quæritur I.

### *An cultus imaginum sit licitus.*

Videtur quod non 1. quia prohibitus videtur Exod. 20. *Exod. 20.* Non faciet tibi sculptile.

Secundò, *placuit* (inquiunt Patres Concilij Eliberini can. 36.) *picturas in Ecclesia esse non debere ne quod colitur aut adoretur in parietibus depingatur.*

Tertiò, Synodus 7. reprobata est à Concilio Francoford. propterea quod decrevisset cultum imaginum, ut testantur Ado ad annum 795. manus, & alij.

Quartò, Carolus Magnus fertur scripsisse librum contra imagines.

Quintò, Epiphanius in epistola ad Joan. Hierosol. velum scidit in quo pendebat imago : & in hæresi 79. diaboli dicit esse inventum, statuas humanas imagines præ se ferentes exprimere ; ac postea reprehendit eos qui imagines adorandas introducunt.

Sextò, Gregor. l. 9. epistola 9. dicit, Imagines ideo frangi non debere, quia non ad adorandum in Ecclesijs, sed ad instructionem tantum fidelium collocantur : ergo saltem non debent adorari. Unde Hieron. in c. 3. Daniel. *Cultores* (inquit) *Dei, imagines adorare non debent.* Plura videantur apud eos qui tractant de controversijs.

Septimò, à *Baltasare Hiemairo hæretico oppositur Concilium Ephesinum* tertiū sub Leone & Constantino filio Augustis, ubi cultoribus imaginum dictum fuit anathema. Opponitur & illud S. Ambrosij ex oratione funebri in Theodosiū, *Invenit Helena*



*Helena crucem Domini : regem adoravit, non lignum* A *utique quia hic gentilis error est.*

Ut autem catholica veritas intelligatur, sciendum est eos qui omnes imagines volunt aboleri, cum naturâ pugnare : Nam & homo secundùm naturam intellectualem imago Dei est ; & omnis filius, imago Patris. Imo in speculis, in aquis, ac etiam in oculis hominum naturaliter resultat imago intuentium.

Quapropter, naturæ conformiter, Respondemus Christi & sanctorum ejus imagines, tum licitas, tum venerandas esse.

*Cultus Imaginū est licitus.* Confirmatur ex sudario quod à Berenice faciei Domini sanguine & sudore aspersæ admotum, ejusdem dominici vultus effigiem in se retinuit, B ut habet christiana traditio, & libellus manuscriptus de translatione ejus Romam facta, qui asservatur in Vaticana Bibliotheca, testatur, ait Baron. ad ann. Christi 34.

Eandem Christi imaginem Romæ asservari tradit Mol. 74. de pictura, aliàs l. 4. c. 2.

De prænominata Berenice, quæ & Veronica dicta habetur, deque eadem Christi imagine velo excepta, Methodius Episcopus antiquus chronographus meminit, ait Baron. ibidem.

Integra etiam permansit, divina operante virtute, illæsaque hactenus sanctissima sindon illa quæ corporis Christi Domini delibuta unguento, in sepulchro posita fuit velut operimentum & stra- C tum, quæ & in se imaginem Domini in sepulchro jacentis expressit ; asservaturque summo honore in Ecclesia Taurinensi ; ubi S. Carolus Borromeus magna animi devotione illam visit.

Sed & Christus ipse Agabaro regi Edessæ suam imaginem pallio impressam misit, ut testatur Damasc. l. 4. c. 17.

S. Lucam Christi & Deiparæ virginis imagines depinxisse, antiqua traditio est, cujus meminerunt Nicephorus l. 2. c. 43. Damasc. in vita S. Stephani junioris, S. Tho. hîc ad 4.

Mulierem quoque à sanguinis fluxu per Christum liberatam, ejus imaginem erexisse, juxta quam herba nasci soleret, quæ ubi fimbriam ima- D ginis attigisset morbis mederetur ; ex Eusebio refert Damasc. orat. 3. de imag. Quod verò dicunt hæretici, fulmine divinitus dejectam fuisse ; mendacium est ; sublata enim fuit à Juliano apostata, qui suam in ejus loco posuit ; sed eo facto, ignis violentus de cælo lapsus statuam illam Juliani secuit & dejecit, ut refert Sozom. l. 5. historiæ c. 20. & Nicephorus l. 10. c. 30.

Deinde, litteræ dicuntur sacræ, ideoque in veneratione habendæ, quia significant aliquid sacrum : cur non & imagines, quæ rerum sacrarum similitudines sunt ?

Regum & Imperatorum effigies si quis contemptibiliter tractaverit, pœnâ dignus habetur : fig- E num ergo est quod honorificè tractari debeant : Quanto autem magis Christi regis regum Domini sanctorumque ejus imagines in honore sunt habendæ ?

Hinc Cyr. catec. 12. *Imago lignea terreni regis honoratur : quāto magis rationalis imago Dei scil. homo.*

Et Amb. ser. 10. in Ps. 118. *Qui coronat imaginem Imperatoris, utique illam honorat cujus imaginem coronavit, & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique cujus statuam conspuaverit feciſſe videtur injuriam.*

Eodem pertinent non solum multa quę extant apud Damasc. tribus orationibus de imaginibus & l. 4. de fide c. 17. sed tum Patres in Syn. 7. citat ac definitiones Conciliorum, Rom. sub Greg. 2. septimi generalis, sub Adriano 1. Trid. sess. 25 tum beneficia collata cultoribus imaginum ; miracula item ab ijs edita qui pro earum cultu sanguinem fuderunt, de quibus Baro. & Mola. in Martyr.

Ad 1. ergo Arg. Resp. primo præcepto decalogi non simpliciter prohiberi ne faciamus quamcunque similitudinem seu imaginem cujuscunque rei, sed prohibetur fieri idolum (sic enim legunt 70. & Hebræa) & quacunque aliam similitudinem alicujus numinis, quod cum Deus non sit, pro Deo habeatur, vel adoretur. Hoc enim vult clausula, *Non adorabis ea, neque coles*, q. d. non ea tibi facies ut adores aut colas sicut Deos. Unde Levit. 26. ubi præceptum istud repetitur. *Non facietis*, inquit, *vobis idolum & sculptile, ne titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum*, Et hoc ipso c. 20. Exod. v. 23. Deus explicare volens cujusmodi sculptilia & similitudines prohibuisset ; *Non facietis*, ait, *Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.* Hanc interpretationem tradunt Aug. Ep. 119. c. 12. Damas. orat. 3. de imag. S. Th. hîc, & 2. 2. q. 122. art. 2. & Antiqui communiter. Vide quæ isto art. 2. diximus. *Exod. 28.*

At dicent hæretici, Israëlitas fuisse reprehen- *Ob.* sos quod vitulum adoraverint, Exod. 32. cùm tamen non ipsi vitulo deferrent honorem, sed Deo per vitulum significato.

Resp. Calvini hoc esse mendacium, Scripturis *Resp.* ex diametro repugnans. Palam enim Israëlitæ videntes vitulum dixerunt, Exod. 32. *Hi sunt dij tui Israël*, ipsecq ; textus Scripturæ sacræ apertè habet Deum dixisse Moysi, *peccavit populus tuus &c. fecerunt q, sibi vitulum conflatilem & adoraverunt eū*, (nam hoc relativum exprimitur in Hebræo) *& immolantes ei hostias dixerunt, ei sunt dij tui Israël.*

Accedit quod cùm Israëlitæ tunc temporis obtulerunt holocausta, nō ea Deo vero obtulerunt, sed idolo, *Immolaverunt damonijs & non Deo, Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui : ipsi me provocaverunt : in eo qui non erat Deus.* Deut. 32.

Hinc David Ps. 105 *Fecerunt vitulum in Horeb & adoraverunt sculptile, & mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti sunt Deum &c.*

Imò Apost. ad hoc Israëlitarū facinus respiciens 1. Cor. 10. disertis verbis eos idololatriā commississe docet, *Neque*, inquit, *idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis : quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, hoc est, cohors agitare, & in ijs canere voce & instrumentis, tanquam coram Deo. Moyses enim dixit se vocem cantantium audire, *Cumq, appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros.* Exod. 32. v. 18. & 19.

Hinc B. Atha. in illud, *Quicunq ; dixerit verbū* &c. *In eremo*, inquit, *nuper admodū egressi ex Ægypto in vitulū quem finxere, Dei in se collata beneficia retulerunt, dicētes ; hi sunt dij tui Israël qui te ex Ægypto eduxerunt ; propter istam igitur blasphemiam, & eorum qui talia tunc ausi fuere, multi sublati sunt :*

Et Hier. in c. 5. Amos *Ex eo tempore quo aurū in caput vituli transformarunt, dicentes ; isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti : omnia quæ fecerunt, non Deo, sed idolis feciſſe monstrantur.* Ad quod propositū non tantùm verba Domini apud Amos

Universidad de Deusto
Biblioteca



Amos c.5. *Nũquid victimas & hostias obtuliſtis mihi* &c. adducit, ſed etiam verba Stephani act.7. *Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiã ſimulachro, & lætabantur in operibus manuum ſuarũ.* A

His adde illud Ierc.2. *Confuſi ſunt domus Iſraël, ipſi & reges eorum, principes & ſacerdotes, & Prophetæ eorum, dicentes ligno: Pater meus es tu: & lapidi: tu me genuiſti* &c.

Gentilitatem quoq; ſimiliter putaſſe opera manuum ſuarum eſſe Deos, ipſiſq; idolis latriam exhibuiſſe; ſcriptura teſtatur frequentiſſimè. Sap.13. & 14. Pſ.113. Iſa.44. Baruch.6. Dan.5. &c.

Ad 2. quamquam Conc. Eliborin. fuerit ſolum Provinciale, ideòque ſine fidei periculo putetur à nonnullis erraſſe in iſto can. correctumque fuiſſe B per.7. Syn. Gener. Alij tamen reſpondent Concilium non prohibuiſſe imagines vel earum cultum: ſed tantùm, ne depingerentur in parietibus. Cùm enim congregatum fuerit ante Conſtantini tempora, quando perſecutiones nondum ceſſabant: periculum erat, ne imagines ab infidelibus irreverenter tractarentur, ſi pictæ eſſent in parietibus. Baron.tom.1.ad an. Chriſti 57. multa dicit contra iſtud Conc. ſed ea partim temperat, partim revocat tom.2.ad ann.305.

Ad 3. & 4. Idem Baron.tom.9. & alij quidam concedunt Synodum 7. Gener. rejectam fuiſſe in Conc. Francoford. quamvis non per ipſum Concil. quia non per Pontificem Adrianum, nec per C ejus Legatos: qui cæteris malè informatis & nimium credulis reſtiterunt.

Cùm enim imaginum adverſarij Francofurtum veniſſent, quoſdam libros ſcripſerunt, illa ſeorſim ſinguli commiſcentes, quæ & adverſus imagines, & contra 7. Synodum facere exiſtimabant: ut, quod non eſſet per authoritatem Pontificis probata, quodque imaginibus veram latriam exhibere juberet. Quibus permoti nonnulli concilio præſentes Epiſcopi, Synodum illam abdicarunt.

Authoritate itaque hujus Synodi, (Francoford. videlicet) nonnihil depreſſa eſt imaginum veneratio: *Sed tamen adrianus & alij Pontifices in ſuâ opinione perſeveraverant*, ait Hincmarus apud Ba- D ron.tom.5.ad ann.5. Conſtantini.

Volumen autem iſtorum librorum fuit Carolo traditum, qui deinde per Engilbertum Abbatem eos miſit ad Pontificem Adrianum. Quorum refutationem cùm Pontifex Carolo deſtinaſſet, vocati ſunt Carolini, quamvis ab eo non fuiſſent ſcripti, ſed ab alijs, ijſque pluribus. Quod autem non extet iſtud illorum Epiſcoporum in Concilio Francoford. exiſtentium decretum, accidiſſe putatur per Legatos Pontificis, quibus repugnantibus fuerat editum.

Non deſunt tamen alij Scriptores, qui doceant nihil in iſto Concilio decretum vel contra imagines, vel cõtra 7. Syn. quin potiùs, quemadmodum E everſores imaginum. *Illâ Nicænâ Synodo, concordi Patrum aſſenſu damnati ſunt, ita & Carolus ille cognomento Magnus Francofordienſi conventu ejuſdem erroris ſuppreſſit inſaniam*, ut loquuntur PP. Concilij Provincialis Senon. decretorum fidei c.14.

Putant proinde Adonem & alios Cõcilio Francoford. poſteriores, errorem illũ accepiſſe ab Hincmaro, Hincmarum autem ex libris Carolinis.

Accedit quod Ionas Aurelianen. Paulus Diaconus, alijq; iſtius temporis Authores, nullam faciant prædictæ damnationis mentionem, uti nec Adrianus in voluminibus Carolini refutatione.

Quapropter probabile videtur quod libri (occaſione refutationis ad Carolum miſſæ) vocati Carolini fuerint ab aliquibus Francofurti quidem, at non in ipſo Concilio editi; quos Hincmar. non diſcernens ab Actis Concilij, exiſtimavit eſſe ipſum Concilium; & quod in illis damnabatur, putavit à Concilio fuiſſe damnatum. Sententiam autẽ Hincmari ſecuti ſunt poſteriores. Plura videri poſſunt apud Vaſq. diſp.107.c.5.6.7.8. ad q.25.

Ad 5. Arg. duplex Resp. eſt: prior Damaſceni orat.1. & 2. de imag. exiſtimantis verba illa eſſe ſuppoſititia. Damaſceno ſubſcribunt Baron. tom. ad ann. Chriſti 392. & Bellar. tom.2. controverſ. favetque quod etiam in 7. Syn. Act.6. tom.5. plura confinxerint adverſarij, ſub ejuſdem Epiphanij nomine.

Altera eſt Mariani Victorij in ſcholijs ad illam epiſt. quæ eſt 60. inter epiſtolas B. Hier. & Azorij l.9. inſtit.c.7.q.1.tom.1. fuiſſe in iſto velo depictam hominis alicujus profani imaginem, unde nec verba dicunt fuiſſe Chriſti aut Sancti alicujus imaginem; neque veriſimile eſt quod in aliena Eccleſia laceraret imagines Chriſti aut Sanctorum qui (teſte Damaſceno) in ſuâ, multas habebat. In altero loco Epipha. reprobat eos qui deferunt imaginibus cultum ſupremum, quaſi ipſæ eſſent Deus: nomine enim adorationis, latriam intelligit, ut patet ex eo quod ibidem concedit B. V. Deiparam eſſe honorandam, negat tamen eſſe adorandam. *Revera*, inquit, *ſanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Revera Virgo erat ipſa Virgo & honorata, ſed non ad adorationẽ nobis data.* Et poſtea, *Sit in honore Mariæ: Pater & Filius & Spiritus Sanctus adoretur. Mariam nemo adoret*, Et iterùm, *Maria in honore ſit: Dominus adoretur.* Et notandum quod loquatur adverſus Collyridianos hæreticos B. Mariam ſemper Virginem colebant ut Deum, eique ſacrificia offerebant collyrides ſive placentas, & quidem per mulieres tanquam ipſæ fuiſſent Sacerdotes. Qui errores bene illic ab Epiphanio refelluntur.

Ad 6. Resp. B. Gregorium dicere quod imagines non collocentur in Eccleſijs ut adorentur, cultu ſcil. latriæ, quia non ſunt colendæ tanquam Dij, ſed inferiori quodam honoris genere venerandæ ſunt. Hinc idem Greg. tum Ep. illa 9 tum l.7. epiſt.53. imagines frangi non vult, quemadmodum Sectarij faciunt, ſed monet eſſe retinendas, imò & quaſdam Secundo mittit dicens ſe ſcire quod imaginem Salvatoris noſtri non ideò petit, ut quaſi Deum colat, *Sed ob recordationem Filij Dei, in ejus amore recaleſcat. Et nos*, inquit, *non quaſi ante divinitatem, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur.* Ibi cum dicat nos ante imaginem proſterni, imaginem honorandum eſſe ſignificat, ſed non ſicut Deum. Exod. l.7. ep.5. jubens imaginem & crucem in dæorum ſynagogis indiſcretè collocatas, tolli, vult ut tollantur cum ea quæ dignum eſt veneratione: & paulò ante, crucem Domini nuncupaverat venerandam: ſentit ergo eſſe venerandas ſive crucem ſive imagines. Ac de cruce etiam liquet tum ex Antiphonario, tum ex Sacramentario.

Ad authoritatem B. Hier. Resp. eum loqui de ſtatuis Regum & Imperatorum, qualis erat Nabuchodonoſoris. Unde addit, quod *judices & principes ſæculi, qui Imperatorum ſtatuas adorant & imagines,*



*imagines, hoc ſe facere intelligant, quod tres pueri* A *facere nolentes placuerunt Deo.*

Ad 7. Resp. nullum eſſe Concilium Epheſinum tertium legitimâ authoritate celebratum: neque enim eſt Imperatorum vel concilia convocare, vel in ijs de dogmatibus Eccleſiaſticis decernere, aut Epiſcopis jubere ut decernant: quomodo in eo concilio, quod à quibuſdam dicitur Epheſinum tertium & abſque Romani Pontificis authoritate convenit, factum eſt. Vide Sixtum Senenſem l.5. annot.247.

Ad authoritatem Ambroſij Resp. eſſe Gentilium errorem, exiſtimare quod lignum crucis ſit Deus, aut aliquod deitatis numen: ipſumque tali intentione adorare: & hoc modo non adoravit B iſtud lignum Helena, cultu ſcilicet latriæ, ſed adoravit eum qui in cruce pro nobis pependit. Quod autem Ambroſius ſenſerit crucem eſſe venerandam: ex eadem oratione clarum eſt, ubi de Helena dicit quod de uno clavo, *diadema intexuit, unum ad decorem, alterum ad devotionẽ vertit* Et poſtea: *Sapienter Helena egit, quæ crucẽ in capite regũ levavit & locavit, ut crux Chriſti in regibus adoretur:* Et iterum: *ferro pedũ ejus reges inclinantur. Reges adorant & Fotiniane divinitatem ejus negant?* & alia ibid.

## QUÆRITUR II.

*An Dei & Angelorum imagines licitæ ſint.* C

*Iſai.40.* Videtur quod non 1. ex Iſai.40. *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginẽ ponetis ei* Imago enim eſt rei corporeæ & circũſcriptibilis.

Secundò, Nicephorus l.18.c.53. in Armeniorum hæreſi ponit quod imagines Patris & Spiritus Sancti effigiarent.

Tertiò, Greg. 2. in epi.1. ad Leonem Iſauricum, & Damaſ. ora.2. de imag. divinitatem depingi negant.

Denique, præcepto primo decalogi quidam putant imagines Dei prohibitas fuiſſe.

Catholica tamen Responsio eſt affirmativa. De Angelis manifeſtum eſt, tum ex Che- D rubim in templo Salomonis; tum ex S. Dionyſio cæleſt. Hierarch. cap.15. qui indicat ſuo ſæculo uſum fuiſſe in Eccleſia pingendi Angelos: tum ex Synodo ſeptima. Cum enim actio.4. & 5. variè fuiſſet diſputatum: Actione 7. definitur, non tantum Chriſti Domini & intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, ſed etiam Venerandum Angelorum, & omnium deinde ſanctorum vivorũ imagines licitas eſſe & honorariâ adoratione colendas. Conſtantinus magnus, uti Damaſus in Pontificali teſtatur, in baſilica Conſtantiniana quæ hodie Lateranenſis dicitur, poſuit cum alijs imaginibus Angelos quatuor.

*Quomodo Angeli pinguntur & quare.* Pinguntur autem Angeli in ſpecie humana, E quia in corporibus humanis videndos ſe exhibent, cum ſint incorporei. Effiguntur juvenes, ut exprimatur eorum vita perpetua quæ nullo tempore ſeneſcit. Appinguntur eis alæ, quia ſunt Dei à quo mittuntur nuncij, celerrimè exequentes quod ipſis mandatur. In veſtibus albis formantur, quia candor ſignificat puritatem, innocentiam, & integritatem: ſi quidem Angelicum eſt, veſtitus candor & ſplendor, cum corporea forma pinguntur, ad deſinandum, ni fallor, naturalem ipſorum puritatem, ait Nazianz. oratio.23.

De Trinitate, quamvis ea qualis in ſe eſt, figu- *De ima- gine SS. Trin.*

tari non poſſit, nec imagine ulla exprimi, quod Synodus Tridentina vult populum edoceri; certum tamen eſt quod liceat ipſius aliquas habere imagines, quibus nimirum vel perſonarum aliqua proprietas inſinuetur, vel ea figura exprimatur in qua perſonæ illæ apparuerunt. Eccleſia Nolenſis ante annos mille habebat SS. Trinitatis imaginem cum à S. Paulino aſcriptis verſibus:

*Pleno coruſcat Trinitas myſterio:*
*Stat Chriſtus amne, Vox Patris cœlo tonat,*
*Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.*

Imaginem Spiritus Sancti ſub ſpecie columbæ eſſe antiquiſſimam & in Eccleſia probata liquet ex Synodi quintæ actio.1. & ex Synodi ſeptimæ actio.5. ubi reprehenditur Severus, quod columbas aureas & argenteas, in figura Spiritus ſancti ſupra divina lavacra & altaria appenſas, ſibi appropriaverit dicens non oportere in ſpecie columbæ Spiritum ſanctum nominare. Imaginem qua Pater, depingitur ſenex, ad ſignificandum ejus æternitatem: ideò probat Eccleſia quia Dan.7. ita legitur apparuiſſe. Cur filius in humana ſpecie pingatur, Chriſtiano ignotum eſſe non poteſt, qui ex fide novit, ipſum propter nos hominem eſſe factum. Eſt autem hîc notandum, non eſſe varias Trinitatis imagines efformandas, ſed retinendas illas quæ in Eccleſia probantur. Et ſpecialiter non ſic eſt pingenda, quaſi eſſet unus homo cum tribus capitibus vel tribus faciebus: ut bene monuit Molanus l.2 de picturis c.4.

Ad 1. Argumentum Resp. nullam fieri poſſe imaginem Dei quæ Divinitatem ipſam exprimat, poſſe tamen alias fieri, modo ſuperius explicato.

Ad 2. Resp. Nicephorum, ſi inter hæreſes cenſeat facere imaginem Patris aut Spiritus ſancti, quaſi effigietur ipſorum divinitas, nobiſcum ſentire: ſi non admittat eos ulla ratione aliquibus figuris aut ſigni exprimi, aberrat.

Ad 3. Resp. Damaſc. & Gregorium negare divinitatem poſſe figurari.

Ad Postremum Resp. juxta ſententiam Au- *Judæi non fuerunt prohibitæ imagines.* guſt. epiſtola 119.c.12. & Irænei l.4. contra hæreſ. c.31. omnia decalogi præcepta eſſe moralia, præter tertium: Ac proinde primo præcepto ſolum vetantur idola, idolorum cultus: Imagines autem non prohibentur iſto præcepto, nequidem Judæis, etſi ad idololatriam pronis. Vide quæſiti 1 reſp. ad 1. In hujus rei confirmationem facit, tum quod Deus non prohibuerit iſti populo artem ſculptoriã, utpote qua ipſi exornavit Ooliab & Beſeleel, Exodi 31. eaque uti juſſit ad effigianda Cherubim, eademque uti voluit Moyſem in efformando ſerpente æneo, Num.21. tum quod Salomon, præter Cherubim arcæ, fecit in oraculo duos Cherubin de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis, 3. Reg 6. & c.7. efformavit boves, ac rurſum Cherubim, & leones, & palmas quaſi in ſimilitudinem hominis ſtantis. Quibus in rebus cum non peccaverit, conſequens eſt primo decalogi præcepto non fuiſſe prohibitum imagines facere vel habere, modò neque eſſent dij alieni, neque deorum alienorum ſimilitudines.

Dices, Deut.4. Moyſes populo Iſraëlitico di- *Ob.* cit, non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem aut imaginem: ergo Deus populo iſti prohibuerat facere imagines. Resp. Neg. C. quia *Reſp.* verbis illis neque præceptum aliquod fert, neque



*Sylv, in III. Part.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



significat se tulisse, sed ostendit quid eorum infirmitati consulens fecerit. Cum enim Judæi essent rudes & ad idololatriam proni, facile evenisset (si vidissent imaginem Dei) quod cogitassent Deum esse talem, quodque illi imagini adhæsissent, tanquam Deo suo. Ut ergo Deus erroris occasionem eis amputare, non sic illis apparuit.

## QUÆRITUR III.

*Cur institutæ sint imagines.*

PRIMÒ, ad instruendam rudem plebem : nam *quod legentibus scriptura : hoc idiotis præstat pictura, inquit* Gregorius l.9.epist.9.

SECUNDÒ, quia vehementius animam excitare solent, ut ostendit idem Greg.l.7.epi.53.Greg.2. epi.1.ad Leonem Isauricum, & Chrysost.ho.33. in Ioannem.

TERTIÒ, quia sunt protestationes amoris & benevolentiæ in eos quorum sunt imagines.

QUARTÒ, quia ijdem hoc modo honorantur, ut ostendit Damasc.l.4.c.17.& ora.3.de imag.

## QUÆRITUR IV.

*An cultus imaginum cadat sub præcepto.*

DICENDUM est quod sic : est enim affirmativum, pro loco & tempore obligans ad eas debito cultu venerandas, est & negativum, prohibens, vel eas indecenter haberi, vel cultum earum improbare. Contra quæ præcepta peccant, non solum qui imagines frangunt, sed etiam qui è templis amovendas putant, traditioni antiquitus receptæ adversantes ; nam referentibus Sozomeno l.5.c.20. & Nicephoro l.10. c. 30. imago Christi, quam supra diximus Julianum sustulisse, fuit à Christianis in templum illata : & tum ex Prudentij versibus tum ex vita Sylvestri, tum ex Adriano in libro pro imaginibus, liquet eas in Ecclesijs poni solitas, causâ venerationis, sed

## QUÆRITUR V.

*Qua specie cultus imagines venerandæ sint.*

QUIDAM arbitrati rem inanimatam non esse in se adorabilem, dixerunt imagines non nisi impropriè & abusivè adorari, ita scilicet ut honor non exhibeatur ipsis, sed solum exemplaribus, ad earum præsentiam. Sed quamvis res inanimata non sit in se adorabilis propter se, seu considerata in quantum est res quædam, puta aurum, argentum, &c. est tamen adorabilis in se propter aliud, ita ut ipsa possit esse objectum quod adorationis, propter excellentiam aut sanctitatem ejus rei quam repræsentat.

*Honor exhibendus est non solum exemplari, sed etiam propter illud imagini Nulla imago adoranda est cultu latriæ.*

CATHOLICA igitur veritas est, imagines verè ac propriè esse venerandas, ita ut honor exhibeatur non soli exemplari, sed propter illud, etiam imagini. Hoc enim est quod Synod.7.actio.2.3.7. continetur.

Ut autem genus adorationis intelligatur, pro certo habendum est, quod nulla imago adoretur verâ & propriè dictâ latriâ, sed honorariâ quadam adoratione, ut in 7. Synod. Act.7. est definitum. Nam latria est cultus simpliciter summus, & absolutus, ac rei propter se debitus : imaginis autem cultus est respectivus & non summus, neque illi propter se, sed propter aliud debitus.

*Resp.* Si dicas B. Thomam hîc resolvere quod imago Christi sit adoratione latriæ adoranda. *Ob.* RESP. cum (ut quidem nobis videtur) non vidisse definitionem prædictæ Synodi generalis septimæ : Ita autem locutum, quia agebat de imagine ut actu exercet munus imaginis, id est, ut personam repræsentatam facit esse præsentem in mente adorantis, & in illam ducit tanquam in objectum, quod primò & per se est adorabile.

*Imago aliqua potest considerari duobus modis.*

Sciendum enim quod imago præter eam rationem quâ est res quæpiam, puta lignum, argentum, aurum, (quo modo non debet adorari) potest considerari duobus alijs modis ; & secundùm utrumque modum spectata, est veneranda & honoranda.

PRIMÒ, considerari potest in actu exercito, quatenus scilicet actu repræsentat menti adorantis prototypon ut per se primariò & directè adorandum.

SECUNDÒ, in actu signato, quatenus scil. significat exemplar, sed non sic ut per eam illud actu concipiatur, tanquam per se adorabile. Et hac etiam ratione imago est quædam res sacra, ideoque habenda in honore.

Priorem modum hîc spectavit B. Th. ac similiter 2.2.q.103.ar.3. cùm dixit eundem esse motum in imaginem ut imago est, & in rem cujus est imago. Considerat enim hîc unitatem motus seu actionis, quâ unâ & eâdem ferri quis potest in objectum primarium simul & in secundarium. sicut ergo eodem actu visionis beatificæ intellectus videt Deum & creaturas, qui tamen actus non est beatitudo quatenus est visio creaturarum, sed solùm quatenùs est visio Dei ; ita eodem actu potest quis honorare Christum & ejus imaginē ut imago ejus est ; qui tamen actus est latria, solùm comparatus ad Christum ; comparatus verò ad imaginem erit longè inferior, sicut inferior est excellentia imaginis quàm exemplaris. Dixit ergo imaginem adorari latriâ, non quia adoretur cultu qui respectu ejus sit vera & propriè dicta latria, sed quia adoratur illo ipso actu qui est latria, respectu prototypi. Huc pertinet quod ex Basilico adfert Damas. orat.3. de imag. *Quemadmodum regis imago rex dicitur, & non duo reges, neque enim imperium scinditur, neque dividitur gloria, &c. sic etiam honor quem nos exhibemus, unus est, non multi. Nam honor imagini habitus ad exemplar transit.* Hinc in Syn.7.act.4. reprobato hoc axiomate tanquam falso, Quicunque imaginem Christi adorat, in duo Christum dividit ; concluditur cum verbis ejusdem Basilij, non esse duas adorationes, sed unam ipsius imaginis & primi exemplaris cujus imago est.

*Explicatur S. Thomas.*

Accedit & Conc. Trid. sess.25. docens honorem imaginibus exhibitū sic referri ad prototypa quæ repræsentant, ut per imagines quas osculamur & coram quibus caput aperimus. Christum adoremus, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur : hinc enim apparet Concilium velle quod eodem illo osculo quod præbetur imagini, honoremus exemplar, ita scilicet ut istius adorationis objectū sit & exemplar & imago, juxta illud Syn.7.Act.7. *Qui adorat imaginem, in eâ adorat quoque descriptum argumentum*, cui consonat quod ex Athanasio adfertur action.4.& 6. *Qui imaginem adorat, adorat etiam ipsum regē.*



*Ob.* Si dicas imaginem non continere prototypon : *Resp.* RESP. quod non contineat illud secundùm esse reale, continet tamen in esse repræsentativo, sic ut præsuppositā imagine secundùm actum exercitum, statim cum eâ apprehendatur exemplar : positâ autem ista apprehensione, animus directè & primariò fertur in exemplar, concomitanter verò in imaginem, quam homo deosculatur intendens adorare Christum in imagine repræsentatum, & propter illum, etiam imaginem : utrumque proportionaliter suæ excellentiæ.

Porrò quod de imagine Christi dictum est, de B. Virginis, ac sanctorum imaginibus proportionaliter est intelligendum, scilicet quod etiam illæ non adorentur verè & propriè dictâ hyperdulià vel dulià, nisi materialiter & per accidens, quatenus honorantur actu qui est hyperdulia vel dulia, sed non factâ comparatione ad ipsas.

Considerāvit autem B. Tho. imaginem prout simul cum prototypo est objectum adorationis : ipsa secundarium, illud primarium : sive prout in ea primariò & directè adoratur exemplar, secundariò autem ipsa imago propter illud : quia iste modus considerandi imaginem est illi proprius : Alter autem, quo imago ut res quædam sacra concipitur ; habens significationem ac similitudinem tei sacræ, scil. prototypi, non expressè in animo concepti ut primò & per se adorabilis ; est communis alijs rebus sacris. Quem tamen modū etiam agnoscit : Nam 2. 2.q.99.a.1. docet aliquid dici sacrum ex eo quod ad divinum cultū ordinatur : & art.3. rerum sacrarum ordinem exptimens.

PRIMÒ, numerat personam sacram, SECUNDÒ, Sacramenta ; tum addit, *Post Sacramenta autem secundùm locum tenent vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, & ipsæ imagines sacræ, & reliquiæ sanctorum in quibus quodam modo ipsæ personæ Sanctorum venerantur.* Ubi manifestè agnoscit minorem sanctitatem, ideoque minorem venerationem imaginum quàm personarum. Quod & lectio.1.ad c.3. epistolæ ad Colosf. clarè significat, dicens, *Idololatria est quando quis exhibet alicui imagini honorem debitum Deo.*

Cæterum, ut imagines sint sacræ, non est necesse quòd ceremoniâ aliquâ consecrentur, sed fiunt sacræ ex hoc ipso quod deputantur ad sacrum cultum ; quod est quando ecclesiastica authoritate venerationi exponuntur. Earum enim sanctificatio non consistit in consecratione, sed in deputatione ad religiosam repræsentationem personæ sacræ, eoq; nomine ad cultum sibi convenientē. Si tamen aliæ hujus venerationis causæ jungantur, ut si ad eas Deus miracula operetur, si à sanctis factæ sunt, si consecratæ vel benedictæ ; meritò habentur in majori adhuc veneratione.

*Crux Christi non adoratur latriâ etiā ex mente B. Thomæ.*

non esse adorandam vera & propriè dicta latria, quia dignitatem vel excellentiam habet minorem quam Deus. Si tamen ea in quâ Christus pependit, consideretur cum ipso Christo, propter contactum ; vel tam ipsa quam alia spectetur, in quantum per eam concipitur Christus in Cruce extensus ; sic adoratur eodem actu quo Christus, ideòque latriâ, sed materialiter & per accidens ; quomodo hîc est intelligendus Author, adferens similitudinem de vestimento Regis. Vide Gamacium hîc concl. 2. Cabreram, Putean. & quæ nos diximus in Apologiâ pro S. Thoma an. 1624. Simpliciter autem, tam ex veritate, quàm ex mente S. Th. adoranda est cultu inferiore ; quemadmodum imagines & aliæ res sacræ, ut liquet ex Syn. 7. Hinc lect.5. in c.11. ad Hebr. dicit ; *Si Iacob adoravit fastigium virgæ Ioseph ; sensum esse quod adoravit Christum significatum per virgam, sicut & nos adoramus crucifixum, & Crucem, ratione Christi passi in ipsa.* Et concludens, *Vnde*, inquit, *propriè non adoramus crucem* (scil. latriâ) *sed Christum crucifixum in ipsa.*

Illa autem oratio, *ô crux, ave spes unica*; continet partim prosopopœiam seu fictionem personæ, partim Metonymiam quâ loquimur cruci continenti, pro Christo contento : quasi diceremus, O Christe crucifixe.

Quod ex Ambr. posset objici, solutum fuit art. 3. quæsito 1. ad 7.

Quod etiam objici solet, filios abhorrere gladium quo pater eorum fuit occisus, & patibulum in quo fuit suspensus : RESP. gladium & patibulum ab ijs solùm considerari, quatenus per ea illatum est malum ipsorum patri : si autem fuissent instrumenta exaltationis patris, & liberationis filiorum ex ingenti tyrannide, promotionisque eorundem ad summas dignitates, sic ea non abhorrerent, sed in pretio haberent. Nos autem crucem Christi veneramur juxta posteriorem considerationem, & non juxta priorem.

*Quæres ob contactum Christi sint honoranda.*

Neque verò ex his consequens est labia Judæ adorari posse propter contactum : ut enim ex contactu Christi res aliqua possit honorari, debet sanctitatem ipsius aliquo modo participasse. Unde Damasc. orat. 3. de Imag. c. 4. *Non adoro Iudæos, neq; enim actionis divinæ participes extiterunt, neque gloriæ Dominum Deum meum eo consilio affixerunt cruci, ut mihi salutem pararent sed invidiâ potiùs & odio.* E contrario autem adoranda dicit ea per quæ & in quibus salutem nostram Deus operatus est, montem Sinai, Nazareth, præsepe in Bethleem, speluncam, Golpotham, Crucis lignum, clavos, spongiam, arundinem, lanceam, vestem, tunicam, lintea, fascias, monumentum, lapidem monumenti, montes Sion & Olivarum, probaticam piscinam, hortum Gethsemanes, quoniam actionis divinæ sunt receptacula.

*De clavis.*

Cur autem non omnes clavi & lanceæ adorentur, sicut adorantur omnes cruces : rationem dat Author hîc ad 3. quia non repræsentant imaginem Christi sicut crux ; imò nec sunt imagines instrumentorum Passionis Christi ; quandoquidem nec unum ex altero, nec ad alterius similitudinem exprimatur, nec sit erectum in signum ac repræsentationem hujus potius quàm alterius clavi. Quæ autem eriguntur in repræsentationem, ut similitudines clavorum, lanceæ &c. quæ simul cum cruce pinguntur, simul cum eâ honorantur ; quia tunc Christum repræsentant.

## ARTICULUS IV.

*Vtrum crux Christi sit adoranda adoratione latriæ.*

PRÆSUPPOSITO quod habet antiqua Ecclesiæ traditio, de quâ Synod.7.actio.7. Damasc.l.4. c.12. alijque complures, crucem Christi esse adorandam : eò quod sit aliquid sacrum, ac etiam nobis repræsentet figuram Christi in illa extensi ; de modo adorationis non pariter convenit inter doctos

JAM DICTIS conformiter est dicendum, eam

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS V.

*B. Virgo non est adoranda cultu latriæ.*

ART. 5. negat B. Virginem adorandam esse latriâ, absoluta quidem, quia est creatura per se subsistens, non hypostaticè Verbo unita, sicut humanitas Christi: respectiva verò, quasi dixit adorandam esse crucem Christi: quia B. Virgo utpote creatura rationalis, est secundùm se capax honoris, ideoque honoranda illo cultu qui ei secundùm se convenit, qualis non est latria, sed hyperdulia. Crux autem cùm sit insensibilis, non est secundùm se capax honoris, nisi ratione Christi conjuncti vel repræsentati; & ideo honoratur eo cultu qui debetur ipsi ratione Christi, quem ante B diximus non esse latriam, nisi materialiter.

Præterea, cùm rationalis creatura sit imago Dei secundùm animam; ideoque intenta & obscura, nec ad cultum prototypo debitum convenienter expressa, nunquam adorari debet latriâ. Unde Bonaventura in 3. d. 9. qu. 2. dicit quod offerat se magis per modum rei quàm per modum signi.

Circa hujus articuli doctrinam, observandum est fuisse contrarias de B. Virgine Maria hæreses. Qui enim dicti sunt Antidicomarianitæ nimis exiliter de ipsa senserunt, apud Epiphanium hæresi 77. & 78. qui autem vocati sunt Collyridiani, in aliam extremitatem declinantes, ultra decorum eam glorificabant, honores divinos ipsi exhibentes, & Collyridas sive placentas in sacrificium illi offerentes, apud eundem Epiphan. hæresi 79. Sed Ecclesia mater nostra, & veritatis magistra mediũ tenet, docens B. Virginem sine dubio esse venerandam, sed cultu inferiore quam divino, scilicet hyperdulia. Est enim vera creatura, ideo non debetur ei honor soli Deo proprius. Est tamen creatura, excellentissimis donis exornata; ideo debetur ei cultus major quam cæteris sanctis, non solum quia sanctissima, gratia plena, Spiritus Sancti sacrarium, & Verbi divini habitaculum; sed etiam quia Mater Dei, Deoque propinquissima. Hunc autem istius sanctissimæ Virginis cultum esse antiquissimum patet, tum ex liturgijs Sanctorum, Jacobi, D Basilij, Chrysostomi; tum ex aliorum Patrum monumentis, ex canone missæ, ex festis per Ecclesiam observari solitis, ac etiam ex Concilijs.

Circa Responsionem ad 2. adverte quod honor matris refertur ad Filium sicut ad finem: qui autem exhibetur imagini Christi refertur in eum, sicut in subjectum quod adoratur eodem illo actu. Vide Bonav. q. 3.

ARTICULUS VI.

*Reliquiæ SS. sunt honorandæ.*

ART. 6. docet reliquias Sanctorum esse adorandas: quarum nomine non tantum corpora, eorumque partes intelligit, sed etiam quæ E vel ipsis conjuncta fuerunt, ut vestes: aut quibus usi sunt dum hîc viverent, ut instrumenta; aut quæ ad eorum corpora fuerunt admota, ut semicinctia, de quibus Act. 19. aut instrumenta quibus cruciati fuerunt, ut catenæ Petri, lapides Stephani &c.

Harum cultum probat Synod. 7. & Concil. Trid. sess. 25. eodemque pertinent miracula quæ Deus ad eas operatur, quibus nonnunquam eas manifestavit, alioquin occultas: ut de reliquijs Sanctorum Gervasij & Prothasij refert Aug. l. 9. Confess. c. 7.

A Incœpisse autem hunc cultum initio nascentis Ecclesiæ, quando & Sancti honorati fuerunt, probat Ecclesiæ perpetua consuetudo apud Cornelium Papam in ep. 1. Hieronymum contra Vigilantium Ambrosium ser. 93. Aug. l. 22. de civit. c. 8. Gregorium l. 3. ep. 30. & alios.

Nec obstat vel reprehensio Domini Matt. 23. vel can. 34. Concilij Elibertini; vel Hier. dicto loco contra Vigilantium.

*Objection. tacita solvuntur.*

Dominus enim non ideo reprehendit Pharisæos, quod ædificarent sepulchra prophetarum, (cùm id eis fuisse licitum constet ex Gen. 23. Josue 24. Act. 2. & 7.) sed redarguit eorum hypocrisim, & ostendit eos consentire operibus patrum; partim quia fictè dicebant, *Si fuissemus in diebus patrum* &c. partim quia sicut illi prophetas occiderant, ita ipsi persequebantur principem prophetarum, ut eum occiderent. Ideoq; si illa dumtaxat verba Domini quæ sunt apud Matth. considerentur, sensus erit: Testimonio estis vobis ipsis, quod filij estis eorum qui prophetas occiderunt; Cum enim dicitis, *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum*, dicendo *patrum nostrorum*, & non recedendo à motibus eorum, agnoscitis vos esse filios homicidarum; idq; ad vestram ignominiam, quia redditis vos eis similes. Si autem ea quæ sunt apud Luc. c. 11. attendamus, ubi non fit mentio ejus C quod dixerunt, sed solùm quod fecerunt; *sensus est*, Dum ædificatis monumenta Prophetarum, qui à patribus vestris occisi sunt, nec tamen à peccatis patrum vestrorũ recedit is; vos testificamini quod consentitis patrum illorum operibus; partim quia illa monumenta velut contra vos clamant, & testimonia sunt vestræ malitiæ: sicut homo sceleratus laudans virum sanctum dicit testimonium cõtra seipsum, facitq; suam improbitatem ita magis apparere: partim, quia vestra mala conversatione & Christi persecutione, declaratis vos non diligere sanctitatem Prophetarum, sed odisse; unde relinquitur intelligendum quod non in honorem, sed potius in contumeliam Prophetarum ea monumenta erigitis, quantumvis externâ specie aliud D præferatis. Vide Estium ad c. 11. Luc.

In Concil. Elibertino non prohibetur simpliciter accensio cereorum, sed per eam inquietatio animarum. Solebant enim Gentiles animas defunctorum inquietare, id est, accensis cereis, alijsq; superstitiosè adhibitis, evocare. Talem autem accensionem ad animas defunctorum sollicitandas factam inhibet istud Concilium; ut ostendit Baron. tom. 1. ad annum Christi 34. §. 312. Simul etiam vetat accensionem cereorum quam ex imitatione Gentilium potuissent rudes quidam Christiani facere, existimantes ita Sanctos illustrari.

Et similiter Hieronym. eos dicit zelum Dei habere non secundùm scientiam, qui tali aliquâ falsâ opinione cereos accendebant in honorẽ Martyrum: alioquin, eum non improbare cereorum accensionem, liquet ex sequentibus, ubi dicit *hoc fieri Martyribus, & ideò recipiendum; nam & absque Martyrum reliquijs per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed in signum nostræ lætitiæ*, & ad indicium gloriæ quâ Sancti perfruuntur.

*Ob.* Dices, Moysis prophetæ sanctissimi corpus fuit absconditum, Deut. ult. signum est ergo Deum nolle ut Sanctorum ejus reliquias veneremur.

Quor-



Quorsum enim alioquin tanti amici sui reliquias A
*Resp.* eo honore privasset? RESP. neg. Cons. Quod enim sepulchrum Moysis nullus homo cognovetit, longè aliâ ratione factum est. sc. ne populus Israëliticus Moysen coleret ut Deum, ejusq; corpori divinos honores exhiberet, propter ipsius excellentiam. & miraculorum magnitudinem, Chrysost. hom. 5. in Mat. Procopius in c. ult. Deut. alijque Scriptores tradiderunt: & hanc fuisse causam altercationis, de quâ Judas in suâ epist. loquitur, rectè ostendit Estius. Volebat scil. diabolus (quasi qui pro honore Moysi esset solicitus) tanti Prophetæ sepulchrum debere apud homines esse celebre; hoc agens ut populus ad idololatriam pronus, eâ occasione ad idololatriam declinaret. Mi- B chael autem jubente Domino, voluit occultè sepeliri Moysen ob causam dictam.

Neque dicas, idem nunc esse periculum, ex cultu reliquiarum populus enim Christianus non est ad idololatriam pronus, & habet Pastores ac Doctores qui legitimum cultum doceant.

*Ob.* Si objicias, Israelitæ non coluerunt Moysen viventem pro Deo, ergo non erat periculum quod
*Resp.* colerent mortuum. RESP. Neg. C. quia Moysen vivum audiebant quotidie ipsis dicentem, esse unum Deum, cujus ipse esset servus. Post mortem verò ejus, recordati mirabilium quæ fecerat, nec amplius ipsum audientes facilè putassent eum esse Deum: sicut serpentem æneum non coluerunt C Moyse vivente, coluerunt tamen eo mortuo 4. Reg. 18. Imò & ipsum Moysen tandem pro Deo habuerunt illæ nationes quæ in Arabiâ Petreâ, Robom & Edom appellata, habitabant, teste Epipha. hæres. 55.

## QUÆSTIO XXVI.

### *De Christo mediatore.*

ARTICULUS I.

*Resp. affir. Solus Christus est mediator perfectè.*

ART. 1. docet solum Christum esse mediatorem perfectum seu perfectivè, quia D solus Christus perfectè intercessit apud Patrem; mediator autem dicitur qui inter personas dissidentes intercedit. Ista autem perfecta intercessio consistit in eo quod Christus nos redemerit, pro nobis plenè satisfecerit, inimicitias sustulerit, per seipsum ad Patrem accesserit. Si dicas, quod solus Christus in naturâ cum utroque extremo (Deo scil. & homine) conveniat, & ab utroque differat; alia adhuc erit ratio, cur solus ipse mediator Deo & hominum nominetur.

Alios verò posse dici mediatores secundùm quid seu imperfectè, notum est, tum ex Deut. 5. E *Ego sequester & medius sui inter Dominum & vos.* tum ex c. 3. ad Gal. ubi lex data dicitur *per Angelos in manus mediatoris*, sc. Moysi, juxta expositionem Theodor. & Sasboldi.

Cùm verò Aug. l. 2. contra Parmen. c. 8. negat Paulum esse mediatorem, intelligit de perfecto qui nullo alio mediatore egeat: Ac insuper agit contra Donatist. qui cùm docerent Sacramenta valere ex ministrantis qualitate, faciebant ministros esse mundatores & justificatores, quod propriè est unius mediatoris Christi.

ARTICULUS II.

*Christus secundùm quod homo est mediator.*

ART. 2. docet Christum esse mediatorem secundùm quod est homo, quia principium formale quo exercuit officium mediatoris, nõ est divina natura, sed humana: secundùm enim naturam humanam distat à Deo in naturâ, & ab hominibus in dignitate gratiæ & gloriæ. Secundùm eam conjungit homines Deo per satisfactionem perfectam, & interpellationem. Hinc Aug. l. 2. de peccato origin. c. 28. *Non per hoc mediator est quod æqualis est Patri: per hoc enim quantum Pater, tantum & ipse distat à nobis; per hoc ergo mediator, per quod homo* &c. Vide & libri 10. Confess. cap. 43. tract. 82. in Joan. in Psal. 29. serm. 11. de verbis Apost. Quia verò S. Leo serm. 1. de Nativ. alijque Patres de Christo dicunt, *Nisi esset homo, non præberet exemplum, nisi esset Deus, non adferret remedium:* Ideò non negamus quin oporteat supponi tum illud cui convenit esse mediatorem, esse etiam Deum; sed negamus illi ut Deo seu secundùm divinam naturam convenire ut exerceat opera mediatoris; quæ sunt orare, mereri, sacrificare, satisfacere.

*Quæst. Resp.* Si quæratur, An Christus concedi possit esse mediator in quantum Deus homo. RESP. affir. quia non est sensus quòd secundùm divinam & humanam naturam sit mediator, quasi utraque sit principium formale quo exercentur opera mediatoris; sed significatur utramque naturam convenisse in personam mediatoris, & utramque fuisse necessariam: humanam; ut secundùm eam Christus faceret opera mediatoris; divinam, ut vim & efficaciam daret illis operibus. Hinc Augustinus in serm. de ovibus c. 12. dixit (impropriè tamen) *mediatrix humana divinitas, & divina humanitas*: pro eo quod propriè diceretur, *Deus-homo, & homo-Deus.*

Porrò licet Christus secundùm utramque naturam simul sumptam habeat rationem medij, utpote participans cum extremis, & ab eis dissidens; non tamen utraque natura simul juncta debet dici mediatrix, nec ipse mediator secundùm utramque; quia mediator dicitur ab actione intercessionis: hæc autem est suppositi prout ipsum est in humanâ naturâ.

## QUÆSTIO XXVII.

### *De B. Mariæ sanctificatione.*

ARTICULUS I.

*B. Virgo fuit sanctificata in utero.*

ART. 1. docet B. Virginem fuisse sanctificatam in utero: quia hoc concessum fuit S. Joan. Baptistæ, & (juxta quorumdam sententiam) Hieremiæ: Rationabiliter autem creditur quod illa quæ genuit Unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis præ omnibus alijs majora privilegia gratiæ acceperit. Hæc assumptio est B. Th. non autem Aug. vel Authoris sermonis de Assump. Similem verò habet Bern. Ep. 174. *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum; fas certè non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.*

Si quis tamen consideret quod ipsa mortalis existens nullos mortuos suscitaverit, nullos cœcos illuminaverit, nullos libros canonicos scripserit, facile videbit non singula omninò quæ aliqui-

Universidad de Deusto
Biblioteca



bus in particulari sunt concessa, fuisse donata B. Virgini, sed ea demum quæ ad majorem Sanctitatis gradum pertinent.

*Cur B. Virgin. nativ. celebretur.*

Sanctificationem porrò B. Virginis in utero clarè docet Bernardus in epist. prius citatâ, eique consentiunt Scholastici in 3.d.3.

Festi Nativitatis ejus antiquitas declaratur à Baronio ad 8. Septemb. in Martyrol. Causæ festivitatis sunt : partim quod Ecclesia credit eam fuisse Sanctam; partim quod imaginum tunc beneficium accepimus : ea enim nascebatur quæ paritura erat Salvatorem, *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo*, ait Ecclesia.

Circa corpus art. adverte duos sermones de Assumptione; unum tomo 9. operum Aug. qui est in appendice, Tract. 8. alterum tom. 10. qui est in appendice serm. 83. & de Sanctis 35. non esse Augustini, ut post Lovanienses annotavit Baro. ad annum Christi 48. §. 17.

Circa Resp. ad 3. dicendum est quod B. Maria, sive à peccato originali purgata fuerit, sive præservata; si mortua fuisset ante Christum, descensura erat in limbum, nec visura Deum donec Christus satisfactionis opus implesset: quia reatus naturæ non erat solutus. Vide B. Th. in 3. d. 3. q. 1. ar. 2. ad 1. quæstiunc. 1.

In solutione 4. rectè docet in ipsa animatione prolis, contrahi peccatum originale : non tamen fic necesse est tunc contrahi, ut divinitiùs nequeat impediri; potuit enim, etiam ex mente S. Th. in 3. distin. 3. qu. 1. Christus matrem suam præservare.

### Articulus II.

*B. Virgo fuit sanctificata post animatio.*

Art. 2. tradit B. Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem; quia sanctificatio fit per gratiam cujus sola anima est capax. Sed quia infert sanctificatam fuisse post animationem, cùm tamen videatur dari medium, scil. instans animationis & conceptionis : observandum est verborum B. Th. hunc posse esse sensum, non ante animationem, id est, non antequam in tempore existeret animata, comprehendendo sc. momentum animationis. Solet autem circa hunc locum moveri difficultas.

*An B. Virgo sit concepta in peccato originali.*

Sed cùm ejus neutram partem Sedes Apostolica ut fide tenendam definiverit; *donec articulus hujusmodi à Sede Apostolicâ fuerit definitus, vel per sanctitatem suam & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum*, servari debet quæ interim Sedes illa Apostolica provisionaliter ordinavit. Confer quæ diximus 1.2.q.81. ar.3.concl.2.

### Articulus III.

*Fuit in B. Virg. fomes sed ligatus.*

Art. 3. docet in B. Virgine mansisse fomitem, usque ad secundam sanctificationem, hoc est, usque dum in utero Christum concepit, sed ligatum : in secunda verò sanctificatione, fuisse penitus extinctum; ita sc. ut primò quidem vires inferiores non sic fuerint dispositæ, quin motus aliquos habere possent à ratione non præordinatos; sed tamen tum per virtutem gratiæ, tum per Dei providentiam cohibebantur ut nullo modo contra rationem moverentur; & sic fomes dicitur ligatus, quia non est permissus exire in actum : sicut in ebrio scientia ligari dicitur, dum prohibetur ab actu, ait Author in 3.d.3.

*Et postea extinctus.*

At verò in secunda sanctificatione, quando concepit Filium Dei, fomes dicitur quoad essentiam extinctus; quia pronitas habitualis ad malum sublata est, ita ut vires inferiores non essent dispositæ ad exeundum in actus inordinatos, propter majorem gratiæ & virtutum abundantiam; quo modo fomes ab Adamo removebatur : & remotum fuisse à Christo diximus q. 15. ar. 2.

Hanc sententiam, præter B. Thomam, tradunt Bonav. Durand. Rich. in 3. d. 3. Imò & Bernar. serm. 3. de Purificatione, & hom. 3. super Missus, Leo serm. 2. de Nativ. Glossa Ordinaria super cap. 1. Luc. quando asserunt eam in Christi conceptione purgatam & purissimam factam. Inde enim sequitur aliquid purgandum in eâ mansisse usque ad illud tempus, quod cùm non fuerit peccatum, dicendum restat fuisse infectionem fomitis : Infectionem inquam, Nam fomes non dicitur ipse appetitus sensitivus nudè vel secundùm se spectatus, sed secundùm quod exit aut inclinat ad exeundum rationis ordinem. Vide 1.2. q.91. ar.6. & hujus 3.p.q. 15. ar.2. & hoc ar.3. in corp.

Ex his haud difficulter potest intelligi nullum unquam fuisse motum inordinatum in B. Virgine quidem indeliberatum.

Cùm in corp. dicit, *Actualis concupiscentia est motus peccati*; non est putandum quod velit ipsam esse peccatum propriè dictum ante consensum; sed vocat motum peccati, quia est motus ad peccatum, imò & verum peccatum si adsit consensus.

De eo quod ibidem postea dicit, esse speciale privilegium Christi, habere usum rationis in utero, vide ar.6.

De verbis autem Apost. quæ in arg. 2. citantur, videantur quæ diximus 2.2.q.123.ar.1.

### Articulus IV.

*B. Maria non peccavit actual.*

Art. 4. tradit B. Virginem nunquam peccasse actualiter, ne minimum quidem veniale peccatum. Ita docent Ambr. in vers. ultim. Ps. 118. Bern. epist. 174. Rich. de S. Victore l. 2. de Emanuele. c. 31. alijque communiter, tum Patres, tum Scholastici.

Unde Conc. Trident. sess. 6. can. 23. dicit quod de B. Virgine tenet Ecclesia, ipsam ex speciali Dei privilegio in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia vitasse. Ubi licet expresè non definiat Ecclesiam id tenere tanquam dogma fidei ac proinde nec sententiam contrariam damnet ut hæreticam : ut minimum tamen tanquam temeraria rejicienda est.

Circa argumentum ad oppositum, observa B. Tho. sicut etiam Bonav. in 3. d. 3. sic referre verba S. Aug. ex l. de natura & gratia cap. 36. loquentis de sanctissima Virgine Deipara : *Inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendũ omni ex parte peccatũ, quod concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum.* Quomodo si legamus, in his verbis continebitur assertio doctrinæ præsentis. Cæterum, ipsius Augustini codices tam excusi quam manuscripti paulò aliter habent, ita nimirum; *Unde enim scimus quid ei plus gratiæ* &c. Neque tamen propterea sequitur Augustinũ dubitasse, an B. Virgo fuerit immunis ab omni peccato actuali : sed solùm dubitasse, An quod immunis fuerit, asserendum esse velut articulus



culus fidei, quemadmodum volebat Pelagius qui non contentus asserere beatam Virginem Deiparam fuisse sine peccato; affirmabat necesse esse pietati hoc confiteri : Eum autem reprehendit Augustinus dicens, non esse tam certum id quod Pelagius ut fide certum asseruerat : *Unde enim scimus* (certa nimirum fide) *Quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum*, &c. Et propterea significat non deesse locum inquisitioni, quam tamen propter honorem Domini vult omittere.

*Motus fomitis omnem rationis deliberationem præveniens non est pec. ne quidem veniale.*

In primo arg. allegatur ex Aug. l. 12. de Trinit. c. 12. quod motus fomitis etiamsi rationem præveniat, sit peccatum veniale. Hoc autem esse intelligendum de motu non omnem rationis deliberationem præveniente, sed de illo qui antecedit plenam seu perfectam deliberationem, habet tamen aliquem voluntatis consensum, ex eo quod cum ipsa possit eum reprimere, non statim reprimit; ex ipsis Aug. verbis manifestum est : distertis enim verbis affirmat reperiri consensum, dicens; *sed iste consensus si solá cogitationis delectatione contentus est, superioris verò authoritate consilij ita membra retinentur, ut non exhibeantur iniquitatis arma peccato; sic habendum existimo, velut cibum vetitum mulier sola comederit, hoc est, velut* si sola inferior ratio consentiat in delectationem, non actus sed cogitationis. Et postea *Nec sanè cùm sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter quæ statim ut attigerunt animum respui debuerunt, negandum est esse peccatum*, &c. Conferantur quæ dicimus 1.2.q.74.ar.3.& 8.

In arg. 2 opponuntur verba quasi Aug. ex l. qq. veteris & novi testamenti, ad ista verba Simeonis Luc. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, dicentis B. Virginem in morte Domini stupore quodam dubitasse.

*Quis gladius doloris. Luc. 2.*

Sed Resp. genuinam verborum Simeonis expositionem esse de gladio doloris, seu de dolore quem Sanctissima Virgo passa est in Christi Passione. Et hanc expositionẽ adferunt Aug. ep. 59. Damasc. l. 4. cap. 15. Beda & Author noster hîc.

Liber vero citatus non est revera B. Aug. sed alicujus hæretici, quemadmodum ostendit Bellar. in Catalogo.

Qui alij veteres dubitasse putant B. Virginem cruci astantem, non de dubitatione infidelitatis, sed admirationis & discussionis locuti sunt.

*Quæst.*

Si quæras, quare B. Deipara non sit culpanda infidelitatis, quando Angelo nuntianti; *Ecce concipies* &c. Luc. 1. respondit, *quomodo fiet istud*: Resp.

*Resp.*

rationem esse; quia nequaquam dubitavit de re quæ ipsi annuntiabatur, sed tantùm inquisivit modum, quo res illa esset implenda, Unde ab Elizabeth laudatur quod crediderit : *Beata* (inquit) *quæ credidisti*. Habebat verò causam inquirendi de modo; partim quia sciebat se voto virginitatis obstrictam; partim quia nullum præcesserat exemplum de conceptu & partu Virginis, sicut præcesserant exempla de conceptu & partu sterilium, Saræ, Rebeccæ, & Rachelis in Gen. Annæ 1 Reg. 1. hinc Bern. ho. 4. super Missus de B. Virgine loquens; *Non dubitat*, inquit, *de facto, sed modum requirit & ordinem.* Et S. Ambr. l. 2. in Luc. vides (ait) non dubitasse Mariam, sed credidisse. Et ante. Non fidem renuit, non officium refutavit, sed accommodavit affectum, spospondit obsequium. Etenim cùm dixit, *Quomodo fiet istud*, non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectus. Quantò temperantior ista responsio, quam verba Sacerdotis (Zachariæ.) Hæc ait, quomodo fiet istud? Ille respondit, unde hoc sciam? Hæc tam de negotio tractat; ille adhuc de nuncio dubitat. Negat ille se credere qui negat scire, & quasi fidei adhuc alium quærit authorem : ista se facere profitetur, *Nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri posit, inquirit.*

*Ob.*

Si ex Aug. ho. 44. inter 50. dicas Mariam tale aliquid dixisse quale Zacharias. Resp. Aug. seipsũ explicare, quod Maria tale aliquid dixerit, si spectentur nuda verba; simpliciter autem & absolutè longè aliud dixit. Verba Aug. sunt : *Intelligimus charissimi quoniam Zachariæ quando ait, per quid cognoscam hoc, ego nec sum senex* &c. *desperando dixit, non inquirendo. Maria verò quando è contra ait, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, inquirendo dixit non desperando : dum interrogavit, non de promissione dubitavit.*

*Resp.*

*Alia Ob.*

Si præterea dicas B. Virginem suspicatam esse dolum in salutatione, quemadmodum significat Bern. ser. 33. in Cant. Resp. non fuisse suspicatam ullum dolum ex parte Angeli, postquam advertit esse Angelum : sed Bern. videtur velle, quod in primo salutationis principio subitò timuerit, ne non esset Angelus bonus, sed malus.

Quia verò August. tr. 109. in Ioan. videri potest ipsam recensere inter eos qui nondum credebant in Christum sicut ipse credi volebat, in primis hoc est negandum : ac deinde observandum quod B. Virgo, licet in fide esset firma, sicut tamen non habuit omnium rerum notitiam (nam & modũ conceptus Filij Dei, & conceptum præcursoris miraculosum, & Filium suum in Jerusalem remansisse, non cognovit : neque intellexit verbum quod ad eam Christus repertus locutus est,) ita & de quibusdam mysterijs aliquando minus terram cognitionem habuerit, tunc scil. cùm de ijs nondum esset divinitus plenè instructa. Unde est illud Christi, *Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Sciebat quidem in generali, credens eum esse Dei Filium, & salutis hominum causa missum à Patre : ordinem tamen, initium; & progressum œconomiæ ipsius non sciebat, nec scire debebat.

*B. V. non est spasmum passa.*

Porrò quod nonnulli dicunt ipsam ex vehementia dolorem, velut exanimem cecidisse, & spasmum passam fuisse : quatenus ille dicit corporalem defectum cum privatione vel perturbatione sensuum contractione membrorum, & similibus non est recipiendum : talis enim imperfectio non congruit perfectioni Virginis, & dominio quod habebat in suos motus : Unde S. Ioannes refert eam tempore passionis stantem.

Possunt tamen eorum verba sic accipi, ut significare voluerint vehementem dolorem cum ingenti admiratione & stupore.

Quamquam Bonavent. in libello de vita Christi multa adferat, non quæ putat ita accidisse, sed quæ faciunt ad animi devotionem ergo Christum ejusdem matrem excitandam.

Quod ex Epistola Paulini quæ est 58. inter ep. Augustini solet objici, B. Virginem in passione Domini non existimasse ipsum esse resurrecturum; nihil urget : quia non suam asserit sententiam, sed quæ sit vera, inquirit ab Aug.

Circa responsionem ad 3. observandum est Chrysostomum & alios eum sequentes, in hac materiâ

Universidad de Deusto
Biblioteca



materiâ modum excessisse. Alij ergo respondent A B. Virginem Matt. 12. bono animo & probabili aliquâ ratione Christum quæsijsse, ut scil. instrueret & confirmaret fratres & consanguineos illos qui secum aderant, & hæsitabant. Juxta quem sensum, potest etiam illa dici vocasse Filium, sed sine importunitate, significando se ibi esse ad aliquid serium cum eo tractandum; quod ideò significare potuit, ut citius finiret sermonem quem ad turbas longum habebat. Astantes autem importunè ipsum interpellarunt; ad quorum proinde verba respondit, *Quæ est Mater mea &c.* significans cognationem spiritualem præferendam esse carnali; sic tamen ut à spirituali matrem suam non excluserit. Vide Hilarium, Hieronymum, B & August. libr. de Sanctâ Virginitate, c. 3. S. Th. qu. 30. seq. ar. 1.

Ioan. etiam 2. hæc verba, *Quid mihi & tibi est mulier?* non sunt reprehendentis, sed circumstantes instruentis, & declarantis nihil sibi cum matre esse commune in negotio miraculorum; nondum venisse horam quâ ostendat quid sibi cum eâ sit commune, ut Aug. interpretatur tra. 8. in Ioan. l. 3. de symb. c. 5. l. de verâ relig. c. 16. Vel, horam patrandi miraculi, (ut alij interpretantur) necdum venisse, quia vini defectus nondum erat omnibus palam notus.

*Verba Maximi exponuntur.*

Quapropter quod Maximus hom. 1. de Epiph. dicit verba Domini esse reprehendentis, non de C verâ ob culpam aliquam reprehensione est intelligendum; sed de eâ quæ formam & speciem reprehensionis, (si nudè verba spectes) præ se ferebat; quodque addit eam temerè Dominum monuisse: non culpam, sed ignorantiam aliquam significat: non sciebat enim tempus opportunum edendi miraculi.

Simili modo accipiendum est quod apud S. Ambr. legitur in c. 2 Luc. *Alibi eum ad mysterium mater impellit; hîc mater arguitur, quia adhuc quæ humana sunt sapiat* ut sc. mater dicatur argui, non per veram reprehensionem, sed quatenus verba exterius prolata possunt videri habere speciem reprehensionis. Alioquin ipse Ambr. B. Virg. D Mariam pronuntiat integram ab omni labe peccati, ser. 22. ad ult. vers. Ps. 118.

*Quomodo Christus mansit in Jerusalem.*

Cur autem nō sit accusanda negligentiæ quando Christus Luc. 2. mansit in Jerusalem. Resp. potest, vel cum Beda utrumque parentem seorsum redeuntem existimasse de altero quod puerum secum adduceret: vel potius, quia de hujusmodi consuetudine non constat, ipsum Christum clam se subtraxisse, ut exemplo docet postponendos esse parentes, si negotium fidei aliò vocet; parentes autem meritò cogitare potuisse eum cum cognatis paululum præcedere aut subsequi, præsertim cùm ejus virtutem & sapientiam non ignorarent.

E

Et in hunc posteriorem modum nos omninò ducit Scriptura, de Ioseph & Maria conjunctim, dicens quod cùm *Iesus remansit in Ierusalem*, id parentes ejus non cognoverint, sed *existimaverunt eum esse in comitatu*, cùm cognatis nimirum & notis; inter quos etiam ipsum postea quæsierunt. Ubi observandum quod textus non significet alterum Parentum existimasse quod puer esset cum altero, sed quod uterque putaret eum esse in comitatu, cognatorum scil. & concivium.

Denique, hîc observandum est B. Virginem potuisse orare, *dimitte nobis debita nostra*: non in suâ, sed in aliorum personâ: Cùm autem dicitur in Concilio Milevit. cap. 7. omnes pro seipsis partem illam verè recitare; hoc intelligendum est salvo privilegio Virginis, de quo postmodum Syn. Trident. sess. 6. ut initio hujus art. diximus.

### Articulus V.

*B. Virgo fuit plena gratiâ.*

Art. 5. docet B. Virginem fuisse ita plenam gratiâ, ut præ cæteris majorem gratiæ plenitudinem habuerit, sive Angelis, sive hominibus: sive quoad extensionem, sive quoad intensionem, Unde colligendum relinquitur gratiam viatoris posse esse intensiorem gratiâ comprehensoris, quamvis hæc sit excellentior ratione status, & illa possit adhuc augeri.

Sermo de Assumptione qui citatur in arg. ad oppositum & extat to 9. operum B. Hieron. non est illius, sed putatur esse Sophronij.

*An & quatenus confirmata in bono.*

Circa Resp. ad 2. nota quod B. Virgo quamdiu erat mortalis, non fuit confirmata ab intrinseco, ut esset impeccabilis sicut beati; sed, primò quidem sic fuit custodita ut non peccaret: postea verò accepit auctiorem gratiam, ipsam in bono confirmantem modo conveniente statui viatoris; quæ non solùm impediret motus inordinatos, sed etiam efficeret ut appetitus non esset dispositus ad exeundum in illos. Vide q. 24. de ver. ar. 9. ubi insuper requirit custodiam divinæ providentiæ, & 1. p. q. 100. ar. 2. ad 1.

### Articulus VI.

*Sanctificatio in utero non est B. V. propria.*

Art. 6. tradit sanctificationem in utero non esse propriam B. Virgini, quæ quidem quod S. Joanni Baptistæ conveniat, aperta est Scriptura Lucæ 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc in utero matris suæ.* Cui Scripturæ conformiter loquens Cyprianus epist. 73. Joannem pronuntiat divina gratia adhuc in utero matris impletum. Et Amb. l. 1. in Luc. scribens ad citata Scripturæ verba. *Non dubium*, ait, *verum hoc Angeli esse promissum: siquidem Sanctus Ioannes antequam nasceretur matris adhuc in utero positus, Spiritus accepti gratiam designavit.* Et postea, *nondum erat illi spiritus vitæ* (scil. quantum ad exteriores & manifestas operationes vitales) *sed Spiritus gratiæ.* Nec minus clarè loquitur idem Ambros. l. 4. de fide, cap. 4. Cyrillus Ierosol. catechesi 3. & Gregor. l. 3. Moral. c. 4. Bernardus epistol. 174. Petrus Chrysologus serm. 88.

*Convenit Ioa. Bapt.*

De Ieremia verò non pariter liquet: quia sanctificatio de quâ sermo est Ierem. 1. rectè intelligitur secundùm prædestinationem: Ambr. tamen l. 1. in Luc. & l. 4. de fide c. 4. Chrysost. to. 1. hom. de Ieremia, Athanas. l. 4. contra Arianos, Origen. hom. 1. in Ieremiam, Bern. Ep. 174. ipsum pariter ut Joannem in utero justificatum docent; quas sequitur Author noster, & communiter Scholastici in 3. d. 3.

*Ob.*

Si dicas, ea quæ de S. Ioanne legimus Lucæ 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*, sic posse intelligi, quod replebitur Spiritu S. statim ut egressus erit de Matris utero. Resp. neg. Ass. ipsa enim Scripturæ phrasis aliud significat, & similiter Sanctorum Patrum testimonia. Neque refert S. Ioannem Chrys. in sermon. de Nativit. S. Ioa. Baptistæ sic loqui, *Et Spiritu Sancto replebitur mox ut exierit de utero matris suæ.* Dubiū enim est, fitnè iste sermo S. Ioannis Chrysostomi, cum

*Resp.*

neque



neque códices Græci qui hodie visuntur, eam le- A ctionem habeant, neque Theophylactus Chrysostomi sectator diligentissimus. Quod si forte sit Chrysostomi, oportet eum codice vitiato usum fuisse.

*Alia Ob.*

Si præterea dicas Augustinum epistola 57. tam de S. Joanne Baptista, quam de Jeremia scribere quod non fuerint à peccato justificati, nisi post nativitatem ex utero, eò quod nemo possit renasci, si non sit natus. Resp. illam ejus opinionem esse postponendam aliorum plurium communi sententiæ, quantum ad Sanctum Ioannem Baptistam, ac multò magis quantum ad B. Virginem Deiparam: & dicendum unam esse nativitatem in utero, juxta illud Matth. 1. *Quod in ea natum est*, B *de Spiritu Sancto est*; ideoque nihil vetare quo minus is qui sic est natus, per Dei gratiam renascatur. Quo modo etiam is renasceretur qui matre moriente in ejus utero, realiter aqua tingeretur & in forma Ecclesiæ baptizaretur, B. Th. q. 27. ar. 1. ad 2. Respondet August. ista ep. 57. loqui secundùm legem communem.

*An vero* aliquis istorum habuerit in utero usum rationis: aliam habet quæstionem B. Thomas tam hîc quam art. 3. negat, vultque soli Christo id esse proprium conformiter Augustino epistola 57. Neque obstat quod Ioannes exultavit in (seu, præ) gaudio; quia solum significatur quod exilierit cum gesticulatione; hoc autem potuit esse per C aliquem motum sensitivæ partis, absque proprio & rationali affectu. Unde cum dicitur, *exultavit infans*; Et iterum, *exultavit in gaudio*; pro (*exultavit*) non est idem verbum apud Græcos quod postea in cantico, cum dicit B. Maria, *exultavit spiritus meus*, sed aliud quod nō significat, lætatus est, sed salijt, vel subsilijt.

*Probabile est S. Ioannem habuisse usum rationis in utero.*

Cætetum etsi non possit convinci ex evangelio quod ad præsentiam Domini fuerit in S. Ioanne acceleratus usus rationis; si quis tamen accelera- tum fuisse dixerit, nihil dicet improbabile. Ita enim loquitur Cyrillus catechesi 3. *Solus Ioannes in utero existens exultavit in gaudio, & corporeis oculis nihil videns, spiritu Dominum cognovit.* Et Amb. l. 4. D de fide c. 4. *Vocem quidem Mariæ prior Elizabeth audivit, sed Ioannes prior Domini gratiā sensit.* Et Paulo ante, *Præsentiam Domini spiritu cognovit.* Li. etiam 1. in Luc. *Mariæ salutationem antequam nasceretur, adivit.* Et iterum, *Habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum.*

Quo etiam pertinere potest illud Ecclesiæ, *Ventris obstruso recubans cubili senseras regem thalamo manentem*, quamvis hoc & aliter intelligi possit; & sensibili scilicet exilitione quam in Ioanne operatus est Christus.

Aug. ep. 57. illuc propendet, ut exultatio planè inusitata & nova divinitus facta sit in infante, non humanitus ab infante: ac per consequens quod E non habuerit usum rationis: postea tamen addit *Quamquam etiamsi usque adeò est in illo puero acceleratus usus rationis & voluntatis, ut intra viscera materna jam posset agnoscere, credere, consentire, &c. etiam hoc in miraculis habendum divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ.*

Ex his porro probabiliter etiam dici potest B. quoque Virginem Deiparam habuisse aliquem rationis usum dū adhuc in utero matris existeret.

Si quæras quomodo id non repugnet doctrinæ B. Thomæ, Nazarius in 2. controv. ad art. 3. hujus q. post Cajetanum ait rationis usum dupliciter conferri posse alicui in matris utero existenti, uno modo ut illi detur à principio conceptionis seu infusionis animæ ac deificeps perpetuo conservetur. Alio modo ut detur ad unum atque alterum actum, puta, fidei, Charitatis, gaudij spiritualis & ad alios hujusmodi. Quando B. Thomas negat vel B. Virgini vel Sancto Ioanni Baptistæ ac Ieremiæ in utero matris datum fuisse usum rationis, intelligi potest juxta priorem modum ac dici quod sic usum rationis habere est Christo proprium. Aliter autem habere usum rationis in utero non est proprium soli Christo sed concedi potest datum fuisse S. Ioanni, ac multo magis B. Virgini.

## QUÆSTIO XXVIII.

## *De Virginitate B. Mariæ*

### Articulus I. & II.

*B. Maria semper virgo etiam in partu.*

Art. 1. & 2. Docet B. Mariam fuisse Virginem, & in conceptu; & in partu. Quæ doctrina est fidei contra Cerinthum, Iovinianum, & alios; quorum ille dixit Christum ex Ioseph genitū, ut testatur Epiphanius hæresi 28. iste verò licet B. Mariam in conceptu Virginem agnosceret, dixit tamen fuisse corruptam in partu, ut refert August. hæres. 82. & lib. 1. contra Iulianum c. 2. Contra quos faciunt symbola, Apostolorum & Constantinopolitanum, Concilij Ephesini can. 13. Nazianzenus oratione 51 Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Leo & alij: specialiter autem caput 7. Isaiæ, *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Nec enim (ut nonnulli ex Iudæis volunt) vox Hebraica tantum puellam significat, sed ut 70. reddiderunt, Virginem, seu puellam secretam & absconditam, quæ, nunquam virorum patuerit aspectibus, ut exponit Hieronymus. Neque etiam dumtaxat significatur fuisse aliquando Virginem: Pro magno enim signo promittitur quod Virgo concipiet & pariet; nullum autem signum seu miraculum est quod ea quæ fuit ante Virgo, concipiat vel pariat, amittendo D virginitatem. Quare cum Matthæus probare vellet conceptionem Christi de Spiritu Sancto; *Hoc*, inquit, *totum factum est ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo concipiet &c.* q. d. propterea ex Spiritu Sancto, quia salvâ virginitate in utero habebit.

*Christus natus est sine apertione uteri materni.*

Porro circa partum B. Virginis observandum est corpus Christi non solum exijsse de utero sine ulla matris ruptura; sed etiam sine ulla membrorum apertione, ita scilicet ut penetratione dimensionum sic prodierit clauso utero, quomodo post resurrectionem intravit ad discipulos januis clausis. Ita docent Gregorius hom. 26. in Evangelia, Augustinus ep. 3. & serm. 14. de Nativit. Beda in 2. caput Lucæ.

Quod ergo Ambrosius super Lucam, & alij quidam veteres dicunt Christum aperuisse uterum matris; vel hoc sensu intelligendum est quod Christus reddidit matrem suam fœcundam (sicut enim claudere vulvam, est reddere infœcundam in eandem aperire, est fœcundare; nullus autem præter Christum potuit dare fœcunditatem matri:) vel potius, aperire vulvam apud istos Authores, est exire sine impedimento. Unde Ambrosius sicut in c. 2. Lucæ ait de Christo; *Hoc est qui aperuit matris suæ vulvam ut immaculatus exiret*; Ita l. de

Instit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Instit. virg. c. 8. scribit: *Bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur. Transivit per eam Christus, sed non aperuit.*

Si dicas Luc. c. 2. significari quod illa sententia Christo conveniat, *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Resp. convenire quatenus illa verba continent periphrasim primogeniti seu ejus qui primus ex utero matris nascitur, sive id fiat cum ruptura (quo solo modo naturaliter prodeunt primogeniti) sive absque ruptura. *Ob.* *Resp.*

Ex his consequenter est fatendum, quod omnes dolores à partu B. Virginis abfuerint. Remotâ enim dolorum causâ, quæ est apertura & ruptura claustrorum, etiam ipsi dolores censeri debent esse remoti. Hinc Bern. ser. 4. in vigilia Nativit. *Conceptus fuit sine pudore, sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ. Peperit enim Filium sine dolore.* Et postea, *O beata sola à generali maledicto libera, & à dolore parturientiũ aliena.* Et Fulg. ser. de laudib. B. Mariæ, *Nulla fieri gravedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti,* Et apud Aug. ser. 18. de Sanctis, *Præcisum est in eâ illud Evæ infelicitatis elogium quo dicitur: in dolore paries filios tuos: quia ista in lætitia Dominum peperit.* Et Nyssenus orat. 1. de resur. hanc Virginis parturitionem doloris expertem asserit, quia ubi voluptas partum non antecessit, nec dolor subsecutus est. Idq; confirmat ex Isai. 66. secundùm versionem 70. Priusquam laboraret ex doloribus partus, peperit. Vide q. 35. art. 6.

In Resp. ad 1. articuli 1. observandum est B. Joseph. dici patrem Christi; uno quidem modo, quia communiter sic putabatur; alio autem, eoque potiori, propter copulationem conjugalem ipsius cum B. Deipara: *Propter fidele conjugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt & non solùm illa mater, verum etiam ille pater ejus, sicut conjunx matris ejus;* ait Aug. l. 1. de nuptijs, c. 11. & non solùm eo modo est Joseph pater Christi, quo vitricus vocatur pater filiorum sùæ uxoris, sed multò conjunctius, quia scil. Christus natus est in illo ipso conjugio, & sine ipsius injuriâ. *Joseph quomodo pater Christi.*

Si Dicas, B. Luc. c. 3. vocare Joseph patrem Christi tantùm putativum. Resp. ipsum hoc non dicere, sed referendo opinionem vulgi de Christo pronuntiat, *ut putabatur filius Ioseph*; propter eos scil. qui eum ex Joseph eo modo natum arbitrabantur, quo cæteri nascuntur. Alioquin c. 2. simpliciter eum vocat patrẽ. *Erant pater ejus & mater mirantes: Ibant parentes ejus per omnes annos in Ierusalem:* Et B. Deipara, *Ecce pater tuus & ego.*

Utrùm verò S. Joseph possit dici pater Dei sicut dicitur pater Christi? Resp. quod sic; ut concedit S. Bern. ser. 2. super Missus eò quòd Christus sit Deus: quæ tamen locutio non est omninò propria, ideòque nec extendenda.

### Articulus III.

*B. Maria etiam post partum est Virgo.*

Art. 3. docet B. Mariam mansisse Virginem etiam post partum. Quæ doctrina contra Helvidium & Antidicomarianitas dogmatizantes B. Deiparam post Christum natum, alios ex Josepho liberos genuisse; *est fidei*, ut patet ex August. hæresi 56. Epiphanio hæresi 78. Hieronymo contra Helvidium, Ambrosio epist. 81. & ex Syn. 5. can. 6. Syn. 6. Act. 11. Syn. 7. Act. 3. Eodemque pertinet *Porta semper clausa*, Ezech. 44. juxta expositionem Hieronymi super Ezech. Ambrosij l. de instit. Virg. c. 7. & 8. S. Aug. serm. 18. de tempore.

*De vocábulis ante quã &c.*

In Resp. ad 1. observandum est ex illo Matth. 1. *Antequam convenirent inventa est*, non sequi quod Joseph & B. Virgo postea convenerint; quia quando aliquid dicitur factum ante aliud, non semper illud aliud postea fit, ut si quis dicatur perijsse antequam perveniret ad portum, non oportet intelligere quod postea ad portum venerit: nam præpositio (*ante*) aliquando quidem indicat consequentia; aliquando vel apta erant ut cogitarentur, verò solùm ostendit ea quæ cogitabantur. Hinc Isaiæ 37. *Antequam matureſceret, exarvit.* Et cap. 66. *Antequam parturiret, peperit.* Sensus igitur est, *Antequam convenirent*, id est, nulla conventione (sive carnali commixtione) præcedente, quo modo illud Matth. 6. potest accipi, *Antequam petatis eum*, id est, etiam vobis non petentibus.

*Donec.*

In Resp. ad 3. Nota voculam (*donec*) non semper post tempus quod notatur, significare affirmationem, cùm præcessit negatio; vel negationem, cùm præcessit affirmatio; sed in negativâ propositione solùm excludit tempus, de quo posset dubitari, significans id quod narratur, non esse factum illo tempore, & relinquens cogitandum multò minus factum esse alio: in affirmativa autem, significat rem quæ asseritur esse factam usque ad tempus designatum, sed non negat etiam fieri, vel factam esse postea.

Prioris exemplum est Matt. 1. *Non cognoscebat eam donec perperit.* Ubi Evangelista excludit tempus ante partum, de quo potuisset dubitari; ut multò magis intelligatur non fuisse cognita post partum, talem scil. quo Deum Deique Filium genuerat. Similiter Daniel. 6. *Non pervenerunt usque ad pavimentum, donec arriperent eos leones*; non significatur quod postea pervenerint: & Gen. 8. secundùm editionem vulgatam cùm dicitur de corvo, *Non est reversus donec siccarentur aquæ*, non significatur quod post aquas siccatas sit reversus.

*Quid primogenitum.*

Posterioris exemplum est Ps. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos* &c. 1. ad Cor. 15. *Oportet eum regnare, donec ponat* &c. Matth. ult. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Vide Hier. c. 3. contra Helvid.

In Resp. ad 4. sciendum est quod *primogenitus* dicatur, ante quem nullus est genitus, sive post eum aliqui gignantur, sive non, ut B. Hieron. observat c. 5. contra Helvid. Unde primogenita debebantur ex lege, non expectando an aliud nasceretur: Et 1. Paral. 33. Rohobia dicitur primus filius Eliezer, cùm tamen esset solus.

*S. Joseph mansit virgo.*

In Resp. ad 5. tradit ex B. Hieron. c. 9. contra Helvid S. Joseph permansisse virginem, idipsumque confirmat lect. 5. in cap. 1. ad Galat. ratione congruenti. *Si enim Dominus Matrem Virginem noluit nisi Virgini commendare custodiendam: quomodo sustinuisset sponsum ejus non fuisse & perstitisse Virginem?* Consentiunt Bernardus hom. 2. super Missus; Beda in c. 2. Joannis, Rupertus in c. 1. Matth.

*Fratres Domini qui.*

Nominantur tamen in Scriptura fratres Domini, more Scripturæ quæ consanguineos vocat fratres, ut de Abraham & Loth patet Gen. 13. de Laban & Jacob, Gen. 29.

Ad cujus rei intellectum observandũ est quod Cleophas, aliter dictus Alphæus, fuerit frater Joseph; & per consequens Maria Cleophæ uxor (quæ alibi



alibi vocatur Maria Jacobi, scilicet minoris, mater) fuit soror B. Virginis per affinitatem matrimonialem: quatuor autem filij, Iacobus, Joseph, Simon, & Judas erant fratres seu cognati Christi, quia erant filij fratris Joseph, qui æstimabatur carnalis Pater Christi; erat autem Pater non carne, sed conjugij copulatione, ut loquitur Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum c. 1. & de nupt. & concup. c. 11. & post eum B. Thomas art. 1. hujus quæstionis ad 1.

*Ob.* Si jam dictis objicias Iosephum fuisse senem quando junctus est B. Mariæ, non esse autem verisimile quod antea continuerat: *Resp.* Resp. abusum esse pictorum, Ioseph ut senem depingentium; cum verisimilius sit juvenem juveni junctum, qui posset ferre incommoda peregrinationis in Ægyptum, matremque in negotijs familiæ adjuvare. Vide Molanum c. 62. de picturis.

### Articulus IV.

*B. Virgo vovit virginitatem.*

Art 4. docet matrem Dei vovisse virginitatem: votum autem illud emisit ante annuntiationem, imo (ut verisimilius est) ante desponsationem.

Prius asseritur à Bernardo homil. 4. super Missus, & ser. 4. de assumptione, Anselmo super illud, *Intravit Iesus quoddam castellum*, Et Augustin. lib. 2. de sancta virginitate cap. 4. propter illa verba. *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco*, id est, cognoscere non pollum, obstante scilicet non solum proposito virginitatis, quod propria voluntate potuisset immutare; sed voto, quod irritare non poterat. *Hoc* enim *non diceret* (ait Augustinus) *nisi Deo virginem se ante vovisset.*

Nec obstat quod ex prophetia Isaiæ sciret conceptum Messiæ futurum esse ex virgine; non enim illa statim ei occurrit ut ad se pertinens; unde & turbata dicitur in sermone Angeli: sed *nec modum quo talis conceptio fieret, ante legerat*, ait Ambrosius.

Posterius affirmatur ab Augustin. ibidem dicente, *desponsatam esse viro justo non violenter ablaturo, sed contra violentos custodituro quod illa jam voverat.* Idemque sentit Greg. Nyssenus orat. de Christi nativitate; docens eam esse disponsatam Iosepho, qui *ad custodiendam virginitatem ejus esset idoneus.* Et postea, *Interdicta mihi*, inquit, *est viri consuetudo: quo pacto hoc mihi continget, quandoquidem virum non cognosco?* Et iterum. *Quoniam Deo dicatam & consecratam carnem veluti sanctum quoddam donarium intactam servari oportebat, propterea, etiamsi Angelus sis*, inquit, *ac de cœlo veneris, etiamsi supra hominem sit id quod apparet, attamen ut virum cognoscam, fieri non potest.*

*Votum B. virg. fuit absolutum.*

Votum autem illud fuisse absolutum, etiam ante desponsationem; probatur primò, quia proponebatur alijs virginibus in exemplum; illæ autem vovent absolutè.

Secundò, quia votum absolutum est perfectius conditionato; B. autem Virgo se Deo consecravit perfectiori modo, quo tunc poterat.

*B. Virgo sciebat suum matrimonium nunquam esse consummandum.*

Tertiò, quia nihil est quod urgeat dicere fuisse conditionatum. Sicut enim proposito virginitatis præcedenti non repugnat matrimonium subsequens; ita nec voto absoluto, quando scitur nullus actus conjugalis secuturus: B. autem Virgo antequam contraheret cum Joseph, fuit certificata quod actus nunquam deberet sequi, ut affirmant Anselmus in dicta hom. B. Th. & Bonavent. in 4. dist. 30. Et confirmatur. Cùm enim speciali Spiritus sancti directione gubernaretur in suis rebus; maximè in ea quæ ad statum totius vitæ pertinebat: & cum Angelus Iosephum instruxerit. *Ne timeret accipere Mariam conjugem suam:* consequens est quod multò magis ipsa fuerit à Deo per Angelum edocta, ut desponsaretur, nec ullum timeret virginitatis dispendium; quandoquidem quidquid circa Iosephum per Angelum factum est, propter Mariam fieret.

Denique, potest quis consentire in translationem potestatis, & nihilominus habere in animo constitutum, nunquam pervenire ad actum: secundùm se enim licitum est, post matrimonium ratum non consummatum, religionem ingredi & profiteri.

*Ob.* Si dicas, qui consentit in matrimonium, implicitè consentit in copulam carnalem: ergo saltem B. Virgo habuit voluntatem copulæ.

*Resp.* Resp. negando Antecedens, si per consensum implicitum intelligatur virtuale propositum copulæ carnalis: si autem intelligatur implicitus, eo modo quo effectus continetur in causa; sic neg. Conseq. quia stare potest consensus in potestatem & causam, cum voluntate non perveniendi ad effectum & copulam. Vide Supplem. quæst. 49 art. 1.

*Virginitas nunquam fuit probrosa.*

Neque ex his sequitur aliquid deperire veritati matrimonij, eò quòd conditio repugnans bono matrimonij, scilicet proli procreandæ, videtur fuisse appositа: non enim fuit apposita consensui, sed consensus erat absolutus & sine conditione. Confer quæ habentur ad quæst. 4. Supplementi art. 1. concl. 12.

Circa Responsionem ad 1. Adverte virginitatem in veteri lege non fuisse illicitam aut probrosam. ut ex Hieronymo l. 1. contra Jovinianum c. 13. Damasc. l. 4 c. 25. Ignatio epistolâ ad Philadelph. & ex B. Thoma in 4. dist. 33. qu. 3. art. 2. ad 3. patet, ac confirmari potest ex Elia, Elisæo, Hieremia, Daniele cum socijs eam colentibus.

Quare illud Deut. 7. *Non erit apud te sterilis:* non continet præceptum (unde etiã dicitur de pecoribus) sed promissionem fœcunditatis: ac præterea, non est idem de virginitate, quod de sterilitate judicium; cum illa sit virtus, hæc pœna:

Istud verò, *Maledictus homo qui non suscitaverit semen in Israël*, citatum ab Augustino l. 14. contra Faustum c. 13. non exprimitur ijs verbis in scriptura, sed refertur ad c. 25. Deut. & ignominiam, qua jubetur affici is qui non vult suscitare semen fratris defuncti.

Ex his patet B. Mariam non fuisse primã quæ virginitatem servavit: primam tamen vovisse tradunt Beda in Lucam, Rupertus l. 4. in Cantica, Origines in 13. Matth. & alij.

## Quæstio XXIX.

*De Desponsatione matris Dei.*

### Articulus I.

Art. 1. probat duodecim rationibus decuisse Christum nasci ex disponsata.

Circa Resp. ad 3. Adverte diabolum virgines innuptas in primis observasse, eò quod ex Isaiæ 7. sciret unã virginem parituram. Ita Basilius hom. 15. & Damasc. l. 4. c. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quia ergo B. Deipara virum habebat: hinc est A quod diabolus nec integritatem, nec modum concipiendi illius multum scrutabatur, Deo per istud medium providente, ut partus virginis celaretur.

Circa Responsionem ad 4. sciendum est quod licet virgo simplicem fornicationem admittens non lapidaretur in veteri lege, ut patet ex c. 22. Exodi. & Deut. 22. versu 29. illa tamen quæ in domo parentum habitans fornicabatur, ac nihilominus se virginem gerebat, ut tanquam virgo posset nubere, lapidari solebat ex ejusdem c. 22. Deut. versu 20. & hinc est quod B. Hieronymus dicit B. Deiparam, ideo desponsatam, ne lapidaretur à Iudæis tanquam adulteta.

### Articulus II.

*Verum fuit matrimonium B. Virginis cum Ioseph.*

Art. 2. Docet verum fuisse matrimonium inter B. Mariam & Ioseph, ita scilicet ut ante Christi conceptionem fuerint desponsati, non verbis de futuro dumtaxat, quomodo contrahuntur sponsalia matrimonio præmitti solita, sed verbis de præsenti. Confirmatur, Nam Mat. 1. ita dicitur *antequâ convenirent*, ut significetur eos fuisse in eo statu quo convenire possent, quantum quidem erat ex parte vinculi conjugalis. Unde Ioseph ibidem vocatur vir Mariæ ipsaq; ejus conjux: Et Luc. 2. *Ioseph ascendit cum Maria desponsata sibi uxore.* Anxietas etiam ipsius Ioseph & voluntas dimittendi, certum est veri matrimonij argumentum; cum sponsalia jure naturæ ditimantur, per supervenientem fornicationem.

Deinde, rationes Bernardi hom. 2. super Missus, Ambrosij in Lucam, Hieronymi, & aliorum super Matth. ne B. Maria infamaretur & putaretur concepisse ex adulterio, idipsum confirmant: Immo ex ijsdem sequitur eam in domum Ioseph traductam cum eo habitasse; alioquin enim non satis cautum fuisset ipsius famæ. Eodem pertinet voluntas dimittendi, *Qui enim vult dimittere, fatetur acceptam*, ait Ambrosius.

Illa autem verba; *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; non aliud significant, quam ut non timeat ante acceptam & in animo jam dimissam, retinere, ut ex Chrysost. adfert Author in catena. D

Ista verò, *Cum nollet eam traducere*; solum significant quod nolebat eam diffamare, & per hominum ora traducere; unde verbum Græcum significat exemplum facere, seu publico exemplo puniendam curare. Augustinus epistola 54. legit divulgare.

*Matrimonium B. Virginis fuit perfectum.*

Si quæras, an matrimonium B. Virginis fuerit perfectum; Dicendum est quod sic, quantum ad perfectionem essentialem, quæ consistit in datione & acceptione mutua potestatis corporum. Quantum autem ad perfectionem accidentalem, ei defuit aliquid; cùm nō significaret conjunctionem Christi cum ecclesia per naturam: habuit tamen aliquam perfectionem accidentalem, tum ex parte significationis, tum ex parte finis: significabat enim conjunctionem Christi cum ecclesia per charitatem, & habuit prolem excellentissimā. Præterea perfectionem aliquam habuit ex mutua animorum conjunctione per magnam charitatem, quæ excludebat omnem amorem carnalem. E

In fine corporis, observandum est hîc reperiri tria bona matrimonij.

De fide & sacramento, nulla est difficultas, quia inseparabiliter sibi adhæserunt, nec ulla ex parte fidem promissam violaverunt.

De prole probari potest, quia illa concepta & genita est in isto matrimonio absque ulla ejus injuria, ut propterea pertineret etiam ad Ioseph, tanquam maritum, jure vinculi conjugalis; quo modo patrem eum esse diximus qu. 28. art. 1.

## QUÆSTIO XXX.

*De annuntiatione B. Mariæ Virginis.*

### Articulus I.

Art. 1. Probat fuisse necessarium necessitate congruentiæ, ut B. Virgini annuntiaretur quòd erat conceptura Filium Dei. B

Circa ultimam rationem observandū est quod non conceperit ipsum statim atque Angelus dixit *Dominus tecum*; sequitur enim, *Ecce concipies in utero, Spiritus sanctus superveniet in te*, ipsaq; de modo interrogabat, *Quomodo fiet istud?* Sed & ex Luc. 2. constat ab Angelo *vocatum nomen Iesu priusquā in utero conciperetur*; & tamen necdum erat vocatum quando dixit ei, Dominus tecum. Quod ergo Bernardus hom. 3. super Missus, B. Thomas in explicatione salutationis Angelicæ, & alij, commentantur in verbis Angeli significari Dominum esse cum B. Virgine secundùm carnem; Verum est ob conceptum proximè futurum; qui factus est statim ut illa consensum suum exprimens, dixit; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum: Nec mora*, inquit Augustinus ser. 18. de sanctis *revertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus.* Similia habet idem Aug. ser. 17. de Nativit. Damascenus l. 3. c. 2. Bern. hom. 4. super Missus, Beda in Lucam. C

*Quando B. Virgo conceperit Christum.*

Circa Responsionem ad 1. collatam cum 3. 10. q. 12. de veritate, & cum art. 1. q. 174. in 2. 2. dicendum videtur quod B. Thomas propter glossam ordinariam, sub nomine S Hieronymi citari solitam ad caput 1. Matth. prophetiam prædestinationis strictè accipiat pro prædictione effectus implendi ex sola operatione divinæ virtutis; glossa enim sic habet; *Prophetia alia est ex prædestinatione Dei, quam necesse est omnibus modis evenire, ut sine nostro impleatur arbitrio*, causante scilicet; non tamen semper sine illo consentiente. D

*De prophetia prædestinationis, præscientiæ, & comminationis.*

Opponitur autem huic, prophetia præscientiæ, quæ est prædictio eorum quæ futura sunt per operationem causarum secundarum; & prophetia comminationis, quæ est prædictio effectus secundùm ordinem causæ ad illum.

Si quis autem expendat 1 p. q. 23. articulum 5. & 8. ubi affirmat effectum prædestinationis humanæ, esset ex gratia & ex libero hominis prædestinati arbitrio, Itemq; 1. sent. dist. 41. art. 3. & 4. & q. 6. de verit. art. 3. & 6. manifestè videbit tam ex rei veritate, quam ex mente *S. Doctoris*, aliquos divinæ prædestinationis effectus impleri à Deo & simul ab hominis libero arbitrio tanquam causa secunda primæ subordinata, ut proinde prophetia prædestinationis generaliter intelligi possit omnis illa prædictio, quæ est de effectu secundùm absolutam Dei voluntatem & prædefinitionem futuro, sive is sit futurus per solam Dei operationem absque ullo creatæ voluntatis consensu, sive à libero arbitrio pendeat ut consentiente vel etiam ut causante.

Circa



Circa Resp. ad 2. observa B. Virginem ante A Annuntiationem Angeli habuisse quidem fidem Incarnationis futuræ, non tamen cognovisse se esse illam in quâ tale mysterium perficeretur. Hâc enim in parte ignaram fuisse divini consilij, & colloquio Angelico didicisse quod in eâ erat operandum; affirmat S. Leo ser. 1. de Nativ. Neque propterea positivum ponit assensum falsum in Deiparâ, sed solùm excludit cognitionem rei nondum nuntiatæ vel revelatæ.

Ex Resp. ad 3. adverte illum qui credit, non certò scire se habere gratiam, scire tamen fidem quam accepit, esse veram; id est, articulos quibus per fidem assentitur, esse veros: ut proinde B. Th. fidem hîc intelligat secundùm sua objecta. Utrùm B verò sciat se habere fidem supernaturalem: 1. 2. qu. 112. art. 5. disputatur, & in partem affirmativam à non paucis resolvitur.

### Articulus II.

Art. 2. declarat Annuntiationem convenienter esse factam per Angelum.

Sermo seu libellus in Resp. ad 2. citatus non est Augustini, ut diximus q. 27. ar. 1. Non debuit autem B. Virgo de Mysterio Incarnationis instrui per Ioseph, quia revelationes divinæ non semper fiunt viris, priusquam mulieribus, sed nunc viris, nunc mulieribus. Neque est tam generale ut ad mulieres deveniant per viros, quam ut, & ad viros, & ad mulieres deveniant per Angelos, ut patet de Rebecca Gen. 25. & 27. de Debora Iudic. 4. Monitio autem Apostoli 1. ad Cor. 14. ut mulieres à viris discant, intelligitur de ijs quæ communiter in Ecclesiâ docentur & pertinent ad communem fidelium cognitionem; non autem de revelationibus divinis & extraordinarijs. C

De Resp. ad 3. videri potest Author 1. p. q. 57. art. 5. ad 1. q. 106. art. 4. ad 2. Opusc. 1. c. 26. q. 8. de ver. art. 9. ad Ephes. 3. lect. 3.

In Responsione ad 4. observandum est Gabriëlem, qui ad B. Virginem est missus, esse ex infimâ hierarchiâ, primum in secundo ordine, qui est Archangelorum. Confer quæ diximus 1. p. q. 112. art. 1. D

### Articulus III.

*Angelus B. Virgini apparuit in humanâ specie.*

Art. 3. docet Angelum Incarnationis nuntium convenienter B. Virgini apparuisse in humanâ specie. Quod præter rationes ab Authore allatas, omninò suadet series narrationis Evangelicæ, & affirmat Hieronymus epistola 22. cap. 16. Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 18. & communiter alij.

*Quæ visio est intellectualis.*

Pro intelligentia Responsionis ad 1. observandum est quod visio seu revelatio intellectus propriè loquendo est, quæ non habet ortum à sensu vel imaginatione, sed immediatè fit in intellectu per lumen infusum & per species intelligibiles, etiamsi non perficiatur sine cooperatione phantasmatum. E

*Quæ imaginaria.*

Imaginaria verò est, quæ licet ad intellectum pertingat, non tamen immediatè fit ipsi, sed imaginativè, aut per speciem, aut per imaginariam aliquam repræsentationem.

*Quæ corporalis.*

Corporalis autem est, quæ originem habet à sensibus, per eos interim pertingens ad imaginativam & intellectum.

Harum trium prima potissima est, etiamsi sit



sola; manifestatio enim veritatis facta per nudam ejus contemplationem, potior est, & visioni patriæ vicinior, quam si fieret per similitudines corporales. Atque ita docet Author 2. 2. q. 174. a. 2. cujus contrarium hîc significare videtur dicens, quod *Excellentior est Prophetia quæ habet simul intellectualem & imaginariam visionem, quam illa quæ habet alteram tantùm.* Sed, quia sententiam hanc adfert ex Augustino in Responsione autem ad 1. istius secundi articuli, dicit Augustinum esse intelligendum, *Quando veritas supernaturalis est revelanda per similitudines corporales:* ideò quod hîc dicit, non est universaliter & per se intelligendum, sed solum *Explicatur B. Thom.* in eo casu; tunc enim perfectior est propheta qui habet lumen intellectuale & visionem imaginariam, quam is qui habet solum alterum.

Præterea, non videtur hîc loqui de visione veritatis divinæ sed de visione Angeli revelantis: & sic proculdubio perfectior est visio per intellectum & sensum simul, ita scilicet ut videatur figura corporea, & intelligatur sub ea esse Angelus, quam per alteruttum tantùm. Quem sensum quamvis Augustini verba non explicent, licet tamen ex illis deducere.

Utrùm autem B. Virgo intellectualiter viderit Angelum in suâ essentiâ, quæri potest.

*B. Virgo non vidit hic essentiam Angeli.*

Sunt qui affirment; B. Thomas verisimiliùs negat, quia modus quo Angeli solent cognosci à C mortalibus, est per speciem corpoream.

Circa Resp. ad 2. adverte quod visio imaginaria secundum se sit simplicior & potior, quam corporalis exteriorum sensuum: quia tamen corporalis est certior hominibus, à sensu principium cognitionis accipientibus; Ideò conveniens fuit quod Angelus B. Virgini appareret visione corporali. Quæ quidem visio non fuit instar propheticarum, ut aliqua imago sensibus ejus objiceretur, ex quâ & per quam mysterium perciperet; sed in ea observata fuit via doctrinæ ut per auditum edoceretur Virgo ab Angelo tanquam à magistro.

Circa Responsionem ad 3. ea potius tenenda videtur sententia quæ dicit B. Virginem turbatam non ex visione Angeli, vel speciei virilis in qua Angelus apparuit, sed *in sermone ejus*, ut indicat *B. Virgo turbata est non ex visione, sed ex sermone.* Evangelista. Ita docent Eucherius Lugdu. hom. Feriæ 4. post Dominicam 4. Adventus quæ sub nomine Eusebij Emisseni circumfertur, & Petrus Chrysologus serm. 14. Turbationis autem causæ fuerunt tum humilitas Virginis talem salutationem admirantis, tum amor virginitatis.

### Articulus IV.

Art. 4. declarat Annuntiationem convenienti ordine factam.

Quod in corpore dicit, istis verbis, *Dominus Tecum*, conceptum exprimi, intelligendum est de conceptu mox futuro, ut dictum fuit ad art. 1.

In Responsione ad 2. & 3. Notandum est illa verba, *Quo modo fiet istud*; non esse dubitantis, sed modum requirentis. Adfert tamen Angelus exemplum de conceptu Elizabeth; non ut ipsi velut incredulæ persuadeat (nam conceptus ille, minor eo *Cur exemplum sit B. Virgini datum.* qui nuntiabatur, ipsiq; Virgini aliàs ignotus, non erat dubitationi tollendæ idoneus;) sed tum ut eam lætificaret, tum ut aliquo simili mysterium explicaret; tum ut rem ipsam confirmaret: quomodo 1 Reg. 10. Sauli in Regem uncto Samuel, & Luc. 2. Pastoribus Christi nativitatem nuntians

Universidad de Deusto
Biblioteca



Angelus signum dedit, quamvis ipsi de re sibi significata non essent dubij. A

## QUÆSTIO XXXI.

*De conceptione salvatoris quoad materiam.*

### Articulus I.

*Caro Christi est de Adam.*

ART. 1. docet carnem Christi sumptam esse de Adam; quia cùm Christus vellet assumere naturam humanam ut eam purgaret, decens erat ut assumeret illam quæ indigebat purgatione; hæc autem est quæ descendit ex Adam. Vide quæ diximus q. 4. art. 1. B

Neque tamen Christus debuit assumere humanam naturam cum peccato; quia peccatum non valebat ad purgationem faciendam, & erat impossibile CHRISTUM esse peccato subjectum, ut dictum fuit q. 15. art. 1.

Circa argumentum ad oppositum advertè duplicem esse hujus sententiæ ad Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit*, expositionem.

Una est, Christus nusquam Angelicam naturam, velut à se aversam & fugientem apprehendit, sibique copulavit, sed solam humanam, eamque quæ de stirpe est Abrahæ.

Altera, Christus non Angelos, sed homines C Abrahæ posteros velut injecta manu apprehendit, sibi vendicat, ac in libertatem asserit. Verbum enim, *apprehendit*, est præsentis temporis, & significat, fugientem occupare ac apprehendere.

In RESP. ad 1. observa quod 1. ad Corinth. 15. secundus homo, id est, Christus dicitur esse de cœlo, non secundùm materiam, sed vel secundùm virtutem formativam (nam supra totum naturæ ordinem cælesti virtute Spiritus Sancti ex B. Virgine est conceptus & natus;) vel secundùm ipsam ejus divinitatem. Addi potest Christum dici cælestem, id est, glorioſum & incorruptibilem uti sunt corpora cælestia; quia est talis post resurrectionem; loquitur autem ibi Apostolus de re- D surrectione. Vide quæ diximus q. 5. art. 2.

De Responsione ad 3. vide hujus qu. art. 6.

### Articulus II.

*Caro Christi est de David.*

ART. 2. declarat carnem Christi fuisse sumptam de David, non solùm quia Joseph esset ex David, sed etiam quia B. Virgo, ex qua Christus carnem accepit, erat ex David: unde scriptura non tantum vocat Christum Filium David sed expresè dicit, *Qui factus est ex semine David secundùm carnem*, Ad Rom. 1. Et Psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, quod de illo interpretatur S. Petrus Act. 2. Ad veritatem au- E tem horum testimoniorum non satis est quod Christus existimaretur esse ex David propter Joseph; sed requiritur ut caro ejus verè formata fuerit ex ea carne quæ descendebat ex David; quod cum ratione Joseph verum esse non posset; conse-
*B. Virgo erat ex David.* quens est ipsam Virginem ex quâ Christi caro sumpta est, fuisse ex David. Unde Augustinus l. 2. de consensu Evangelistarum c. 2. *Cum evidenter dicat Apostolus ex semine David secundùm carnem Christum: ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare utique non debemus.*

Illam verò esse ex David secundùm lineam paternam, etiam ex mente Augustini, & S. Thomæ, diximus art. 1. quæst. 22. explicantes hujus artic. Resp. ad 2.

Circa RESP. ad 1. est observandum quod Mattheus genealogiam Christi rectè deduxerit usque ad Joseph, quia veterem morem, qui erat genealogias, etiam mulierum non texere, nisi per patres, non oportuit mutari statim in principio novi testamenti, præsertim cùm explicata origine Joseph; consequenter constet B. Virginem esse ex tribu Juda & progenie David, propter legem Num. ult. qua fœminæ jubebantur nubere viris ejusdem tribus & familiæ, ut ratiocinatur Hieronymus, Chrysostomus, & alij super Matthæum.

*Occurritur objectioni.* Ne quis autem objiciat Davidem duxisse Michol quæ erat de tribu Benjamin; frequentia quoque fuisse conjugia inter tribum Juda & Levi; sciendum est legem illam habuisse locum in fœminis succedentibus hæreditatem, ut colligitur ex occasione illius legislationis, & ex lectione Hebraica, consentientibus 70. quæ habet, *Omnis filia hæreditans*, &c. Virgo autem Maria erat unigenita & hæres Joachim; quod cum Judæis ad quos Matthæus scribit, esse notissimum, satis esse duxit lineam Josephi describere. Vide serm. de nativitate B. Mariæ sub nomine Eusebij Emisseni, Anselmum, Hieronymum, Chrysostomum, Hilarium in c. 1. Matthæi, Damascenum l. 4. c. 15. Eusebium li. 1. c. 7.

Responsio ad 3. est observanda, & conferenda cum ijs quæ scribit ad cap. 18. Ioan. & in cap. 3. Matthæi, & infra q. 36. art. 2. ad 3. ut sciatur ejus sententiam esse quod Christus non fuerit Dominus temporalis mundi, vel provinciæ alicujus, quemadmodum in tract. de Pontif. latius prosecuti sumus, & postea 2. 2. qu. 66. art. 1. quæsito 4.

### Articulus III.

*De genealogiâ secundùm Matthæum & secundùm Lucam.*

ART. 3. Docet genealogiam Christi convenienti ordine describi ab Evangelistis. D

In Responsione ad 2. est observandum eos qui enumerantur à Lucâ usq; ad Nathan filium Davidis, diversos esse ab illis quos Matthæus recenset à Salomone usque ad Iacob, licet interdum nomina conveniant; ac proinde Salatiel & Zorobabel non sunt ijdem apud utrosque.

Cur autem ea sit varietas, duobus probabilioribus modis potest explicari. Uno, ut dicamus Matthæum recensere generationem naturalem Josephi, Lucam verò B Virginis; ut is qui vocatur Elisit idem qui Eliachim sive Ioachim, Pater B. Mariæ, socer autem Iosephi. Et secundùm hæc, Christus ex Davide descendit per Nathan Filium Davidis, Ioseph autem ex eodem Davide descendit per Salomonem ipsius Filium. Quamquam & ex Salomone, descendat etiam tum Christus, tum ejus mater B. Virgo Maria, ut hîc in resp. ad 2. dicetur, quatenus scilicet familiæ istorum duorum filiorum Davidis, Nathan & Salomonis, sæpe matrimonio inter se jungebantur, atque ita acciderit ut in genealogia B. Virginis naturali, aliqui fuerint posteri Salomonis.

Observa hîc Nathan istum Davidis filium non fuisse Nathan prophetam qui redarguit Davidem de adulterio, sed omnino diversum, natum scilicet ex Bethsabee, 1. Paralip. 3. versu 5.

Dices,



*Ob.* Dices, Matthæus propterea non texit genea- A logiam B. Mariæ, sed Ioseph, quia consuetudinis erat apud Judæos, non mulierum sed virorum genealogias texere, quemadmodum testantur Hieron. super Matth. c. 1. Ambr. l. 3. in Lucam, Aug. l. 3. contra Faustum, c. 2. & l. 1. de nuptijs, c. 11. eadem autem ratio adferri potest, cur B. Lucas genealogiam Iosephi descripserit, & non B. Ma-
*Resp.* riæ ergo dicta explicatio non subsistit. RESP. non esse eandem rationem. Nam Matthæus ad Judæos scribebat, quorum proinde morem sequi voluit: Lucas verò ad Theophilum Antiochenum, apud quem nullam habebat necessitatem sequendi morem in texendis genealogijs usitatum populo Judaïco. B

Secundus modus explicandi causam varietatis nominum, quem & B. Tho. & post Africanum, Hieron. Ambr. Beda, complureſque alij Veteres adferunt, est, ut uterque Evangelista dicatur texere genealogiam Josephi, Matthæus carnalem, Lucas legalem. Iacob (inquiunt) & Heli erant fratres uterini: Heli autem mortuo sine liberis, Iacob ex lege Deut. 25. accepit uxorem illius, ex quâ genuit Ioseph, atque ita Ioseph erat naturâ filius Iacob, lege autem filius Heli. Nec obstat, quod non fuerit appellatus nomine Heli: nam quod lex jubet primogenitum ex nomine defuncti appellare, *ad hoc valet ut ejus filius diceretur, non ut hoc quod ille vocaretur*, ait Aug. l. 2. retract. c. 12. C

### Articulus IV. & V.

*Christus est conceptus de purissimis sanguinibus B. Virginis.*

ART. 4. & 5. ostendit decuisse Christum nasci ex fœminâ, corpus autem ejus formatum fuisse de purissimis sanguinibus B. Virginis. Cùm enim Christus sit verus & naturalis ejus filius, ipsaque vera & propriè dicta mater ipsius: matris autem sit in generatione prolis materiam ministrare: necessarium est quod in conceptione idem præstiterit, quod aliæ fœminæ solent in conceptione filiorum præstare. Materia autem hæc est sanguis, non quicunque, sed qui per virtutem generativam matris sit conceptus aptus, & per dige- D stionem purgatus: In B. verò Maria fuit purissimus, tum ex meliore temperamento, tum ex peculiari Dei providentiâ & Spiritus S. virtute. *Ex inviolabili namque & virginali sanguine Sanctæ & immaculatæ Virginis Mariæ, Verbum verè factum est incarnatum*, ajunt Patres Syn. Act. 11. Et dudum antea B. Dionys. de div. nom. c. 2. p. 1. *Ignoramus* (ait) hoc est, non perfectè scimus, non capimus, *quo modo ex virgineis sanguinibus, altero quam naturali jure formatus est*, sc. Iesus-Christus.

De RESP. ad 2. a. 5. diximus 1. p. q. 92. ad ar. 3.

*Quæst.* In Resp. ad 3. quæritur, An B. Virgo præter
*Resp.* sanguinem, etiam ministraverit semen. B. Th. putans id non esse necessarium ad rationem matris, E
*Christus non est natus ex semine matris.* partem asserit negativam, quæ & conformior est puritati B. Virginis, & traditur à Damasc. l. 3. c. 2. dicente, *Non solùm ex castis & purissimis B. Virginis sanguinibus Christum esse conceptum, sed etiam sine seminis emissione.* Quod & conforme est Syn. 6. generali Act. 11.

*Ob.* Nec obstant verba Bedæ l. 4. in Luc. c. 49. quibus in hâc conceptione agnoscit materiam sementinam: per eam enim non intelligit semen propriè dictum, cum illo semine non nutriatur fœtus, sed
*Resp.* sanguine: ibi autem dicat fœtum nutriri sementinâ materiâ. Sed præterea est observandum verba quæ ex homilia Bedæ habebantur lect. 8. in Festo B. Mariæ ad Nives, non habet in Breviarijs reformatis. Vide quæ dicentur ar. 4. q. seq.

Porrò ut B. Virgo sit vera Christi Mater, non est satis dicere quod conceperit eum in corde, vel in mente, vel in pectore, ut olim quidam tenuerunt: Conceptio enim fieri debet in loco ad eam naturali, unde Scriptura habet, Mariam fuisse prægnantem, & *inventam habere in utero* juxta illud Angeli, *Ecce concipies in utero*: ideoque error ille damnatus fuit Romæ, Cajetano præsente, ut ipse refert.

Circa eandem Resp. observa rectè B. Thomam docere quod in conceptu virginali concupiscentia locum habere non potuerit: quia Spiritu Sancto operante, ita perfecta fuit ista conceptio, ut B. Virgo nullam libidinis voluptatem senserit, nullumque motum concupiscentiæ. Vide q. 27. art. 3.

### Articulus VI.

*Corpus Christi non fuit secundùm aliquid sui in antiq. Patribus.*

ART. 6. docet corpus Christi non fuisse in antiquis Patribus secundùm aliquid signatum, sive secundùm aliquam substantiæ particulam, quæ vel in Adami vel in alicujus alterius corpore designari posset, ut diceretur quod ex hac materia determinata formandum esset corpus C Christi: sed ait ibi fuisse secundùm originem, sicut fuit caro aliorum hominum.

PROBATUR PRIMÒ, quia corpus Christi non est formatum ex aliquo quod erat actu pars corporis virginei: quicquid autem permanens illa accepit à suis patribus, fuit actu pars sui corporis, quamvis enim acceperit ab eis sanguinem, is tamen cùm esset potentiâ caro vel quid simile, fuit factus actu pars, antequam illa Christum conciperet.

SECUNDÒ, Corpus Christi non fuit alio modo in parentibus quam corpus Virginis: hoc autem non fuit secundùm aliquam substantiæ particulam; fuit enim eo modo quo alij filij sunt in suis parentibus. D

TERTIÒ, sequeretur Christum non esse Filium David & aliorum progenitum, sed solùm Adami; quia accepisset substantiam quæ ad nullos alios pertineret, nisi sicut ad deferentes. Vide in 3. dist. 3. qu. 4.

Ex his intelligi potest neque Galatinum, neq; alios quosdam esse audiendos, qui dixerunt Deum in Adamo designasse, & quasi separasse aliquam partem substantiæ, quæ usque ad B. Virginem per succedentes generationes transfunderetur, & ex quâ Christi corpus formaretur.

In Responsione ad 3. docet Christum fuisse in Adam ut in principio activo, secundùm corpulentam substantiam; quia materia corporalis à matre ministrata, derivata est ab Adam, in quantum per virtutem generativam ipsius & aliorum ab eo descendentium, factum est, ut & materia illa præpararetur, & B. Virgo haberet vim generativam maternam: sed vis activa qua de materiâ à matre ministrata formaretur corpus, non venit ab Adam; quia corpus non est formatum per virtutem seminis virilis, sed per operationem Spiritus Sancti; *Quid ratio seminalis.* & ideo non fuit in illo secundùm rationem seminalem. Ratio enim seminalis est vis activa existens in semine patris ad fætum efformandum. Vide qu. 15. art. 1. ad 2. & 1. p. q. 119. art. 2. ad 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca



### Articulus VII.

*Tota caro antiq. Patrum fuit peccato obnoxia.*

Art. 7. dicit totam carnem antiquorum Patrum fuisse peccato obnoxiam, ita scilicet ut in eis nihil esset immune à peccato, de quo postmodum formaretur corpus Christi. Hinc in 3. dist. 3. q. 4. art. 1. admittit carnem Christi secundùm quod erat in Patribus, & etiam in B. Virgine fuisse peccato infectam, antequam assumeretur: hoc enim non est aliud quam carnem Patrum (quæ erat potentiâ caro Christi) fuisse peccato infectam eò modo quo in ipsis fuit, & secundùm qualitatem quam in illis habuit; non autem secundùm eam qualitatem quàm habet in Christo; ut significat art. seq. ad 3.

Cæterùm quia potentia illa non erat in actum reducenda per rationem seminalem; Patres autem solam illam carnem poterant inficere quam seminaliter continebant: ideò non est simpliciter dicendum carnem Christi fuisse in Patribus peccato obnoxiam, ne quidem prout in illis continebatur potentiâ; non enim poterat ex vi talium parentum infici. Unde hîc in resp. ad 1. disertis verbis dicit quod Christus non assumpserit carnem subjectam peccato, sed ab omni infectione peccati mundatam; similiterque loquitur in resp. ad 2.

### Articulus VIII.

*Christus fuit decimatus ad Heb. 7.*

Art. 8. docet ex Apostolo Christum non fuisse in lumbis Abrahæ decimatum. Cum enim decimatio esset protestatio imperfectionis & indigentiæ ex peccato ortæ (*pertinebat* enim *ad figurandum medicinam*, ait Augustinus l. 10. de Genes. cap 20. ipsaque ideo fit, ut sacerdos pro peccatis offerentium deprecetur: (sicut illi soli peccaverunt in Adam, qui continebantur in eo secundùm seminalem rationem, & sic ab eo descensuri erant; ita in Abraham illi soli sunt decimati, qui sic in eo erant quia soli illi imperfectionem & peccatum trahunt.

*Quid detrnari.* *Decimari* ergo prout hîc accipitur, *Nihil est aliud quàm præfigurari liberationi indigere*, ut loquitur Author in 3. dist. 3. q. 4. art. 3. conformiter ijs quæ dicit hîc in corp.

Abraham autem offerendo decimas pro se & omnibus illis qui ab eo descensuri erant secundùm seminalem rationem, confitebatur se & eos qui sic ab eo erant descensuri, indigere liberatione: Christus autem qui non erat isto modo descensurus ex Abraham, non decimabatur; quia non significabatur indigere curatione. Cùm ipse esset medicina & liberationis author. Levi verò, & qui postea dicti sunt levitæ decimati fuerunt, quia continebantur in Abraham secundùm rationem seminalem, & secundùm eam descensuri erant ex illo. Præfigurabantur ergo, ut qui curatione seu liberatione indigerent. Confer Hugonem Victorinum l. 2. de Sacramentis p. 1. c. 5. & Bonaventuram in 3. d. 3.



## Quæstio XXXII.

*De principio activo in conceptione Christi.*

### Articulus I.

*Spiritus S. est operatus conceptionem Christi.*

Art. 1. docet Spiritum Sanctum fuisse principium activum conceptionis Christi. Eam quidem tota Trinitas est operata, sed appropriatur Spiritui Sancto; quia amor, gratia, sanctitas, quæ illi attribuuntur, maximè in isto opere eluxerunt. Fuit autem maximum miraculum; opera autem miraculosa eidem attribuuntur.

*Quare Christi conceptio appropriatur Spiritui S.* Deinde, Verbum humanum in corde existens gerit similitudinem æterni, secundùm quod existit in Patre. Sicut autem verbum humanum assumit vocem, ut sensibiliter hominibus innotescat; Verbum Dei carnem assumpsit, ut visibiliter hominibus appareret. Vox autem humana formatur per spiritum hominis; ergo & caro Christi convenienter dicitur formata per Spiritum Verbi.

Circa Resp. ad 1. adverte B. Thomam, aliosque veteres non paucos, per virtutem Altissimi Lucæ 1. intelligere ipsum Dei Filium, de quo nuntiatur quod obumbraret B. Virgini, quatenus erat in ea corpus humanitatis accepturus.

*Quæ virtus Altissimi.* Alij virtutem Altissimi intelligunt potentiam Dei Patris, qui Virginem totam erat circumdaturus, & per Spiritum Sanctum operatus ut inviolata conciperet.

Beati tamen Augustini sententia admodum probabilis est, qua virtutem Altissimi, interpretatur tract. 90. in Ioan. esse Spiritum Sanctum de quo præcessit *Spiritus Sanctus superveniet in te. Nam virtutis nomine* (inquit) *appellari etiam Spiritum Sanctum, & eo loco clarum est, ubi Angelus dicenti Mariæ quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: respondit Spiritus Sanctus superveniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et ipse Dominus promittens eum discipulis ait, Vos sedete in civitate quousque induamini virtute ex alto.* In hunc etiam modum intelligere videtur Ecclesia, dum in præfatione de Beata Virgine canit, *Qua & unigenitum tuum Spiritus sancti obumbratione concepit*, sicut & Conc. Tolet. infra art. 3. adductum.

Sensus igitur Scripturæ est, *Spiritus Sanctus superveniet* seu illabetur *in te, & virtus Altissimi*, seu idem ille Spiritus, *obumbrabit te*, hoc est, fovebit, teget, ac fœcundabit, ut sine virginitatis detrimento possis concipere.

Videtur autem Angelus summo consilio, uti voluisse nomine *virtutis*, & *Altissimi*; quia de ea re agebat quæ divinam potentiam maximè postulabat.

At dices, Nisi in verbis istis, *Et virtute Altissimi obumbrabit tibi*, per virtutem Altissimi intelligas Filium Dei qui est virtus & potentia Patris; non videtur hæc subsequens sententia (*Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*) ex superioribus recte inferri: Non enim sequitur, Spiritus Sanctus obumbrabit te: ergo quod ex te nascetur, erit Dei Filius: quia potest Spiritus S. obumbrare ad alios effectus, veluti ad hunc, quod nascator homo Sanctus qui non sit Filius Dei: ergo per virtutem Altissimi necesse est intelligere

Filium



Resp. Filium Dei. Resp. Neg. Ant, hæc enim sententia, *Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*; non infertur ex istis verbis, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, solitariè & secundùm se spectatis: sed ex illis ut continentibus declarationem modi eventus eorum quæ Angelus prius dixerat, *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Iesus. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur* &c. Bene autem sequitur, Spiritus Sanctus superveniet in te, & idem ipse obumbrabit te, ad hoc ut concipias & paries Filium Iesum qui erit magnus, & Altissimi (Dei sc. Patris) Filius naturalis; ergo quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

De Resp. ad 3. quod domus quam (ut Prov. 9. dicitur) ædificavit sibi Sapientia æterna, sit tum Ecclesia, tum corpus in utero Virginis assumptum, videri possunt August. l. 17. de Civit. Dei, c. 20. Ambrosius l. 1. de fide; c. 7. Gregor. lib. 33. Moral. c. 21.

### Articulus II.

*Christus est de Spiritu S. conceptus.*

Art. 2. Probat Christum fuisse conceptum de Spiritu Sancto; quia ista vocula (*de*) significat consubstantialitatem & efficientiam: Spiritus autem Sanctus est consubstantialis Christo, quatenus est Deus; & est causa efficiens corporis & conceptionis ejus humanæ. Porrò, quod vocu-

*Quid vocula (de) significet.* lam (*de*) existimat esse notam consubstantialitatis, tam hîc quam q. 75. ar. 8. & 1. p. q. 41. ar. 3. ad 2. ob quam causam non propriè dicimus domum esse de ædificatore; hoc secundùm vim propriam istius voculæ est accipiendum. Nam usu receptum est, ut ista habitudo sæpe non attendatur: ut cum dicitur, *De corde exeunt cogitationes: Virtus de illo exibat: De plenitudine ejus omnes accepimus*, Atque hoc B. Th. agnoviisse patet ex lect. 10. in c. 1. Ioa. ubi docet voculam istam aliquando significare efficientiam, vel causam originalem; aliquando consubstantialitatem, aliquando partialitatem. Cùm autem dicitur esse *conceptus de Spiritu Sancto*: propriè significatur quod virtute & operatione Spiritus Sancti conceptum & formatum sit corpus Christi ex Virgine. Unde in Resp. ad 3. *De Spiritu Sancto, effectivè*, inquit: *De B. Maria materialiter.*

### Articulus III.

*Spiritus S. non potest dici Pater Christi.*

Art. 3. Probat Spiritum Sanctum non posse dici Patrem Christi, quia pater non dicitur propriè, nisi qui de suâ substantiâ producit sibi similem in naturâ, & hoc ex vi productionis: nam paternitas sequitur generationem: generatio autem est productio viventis à vivente secundùm similitudinem in naturâ. Cùm ergo Spiritus Sanctus non sic de suâ substantiâ produxerit humanam Christi naturam: nullo modo est dicendum quod sit Pater Christi. Unde Conc. Tolet. 11. *Nec Spiritus Sanctus Pater esse credendus est Filij, pro eo quod Maria eodem Spiritu Sancto obumbrante concepit* Vide Aug. Ench. c. 38 B. Tho. l. 4. contra Gent. c. 46. 47.

### Articulus IV.

*B. Virgo non est activè operata in Christi conceptione.*

Art. 4. Docet B. Virginem nihil activè operatam esse in conceptione Christi, id est, in ipsa corporis ejus formatione & organizatione: ante eam tamen aliquid activè egisse, ministrando & præparando materiam ut esset apta conceptui, prout solent aliæ matres: nisi quod ipsa per vim uteri à Spiritu Sancto adjutam, sanguinem congregaverit & ad locum naturalem attraxerit, non suscepto virili semine, nec cum mora temporis eâ quæ in alijs requiritur.

*B. Virgo non ministravit semen.* Quamvis autem sententia Galeni contra Aristotelem, (quem Author noster sequitur,) dicentis semen à fœminâ ministratum habere vim aliquam effectricem simul cum semine viri, non sit improbabilis: non ideò tamen cogimur fateri B. Virginem administrasse semen quod vim illam effectricem haberet. Ut enim admittatur mulieres, & semen emittere ad generationem, & ad eam activè operari: satis tamen convenit hoc non esse necessarium, & suppleri posse, tum per materiam matris sanguineam, tum per vim activam patris generantis.

Et quamvis etiam ut probabile admittatur quod in conceptionibus naturalibus semen viri, præterquam quod sit efficiens, sit etiam materiale principium: & transeat in constitutionem fœtus, ut sic caro Christi fuerit non solùm in Evâ, sed etiam in Adam secundùm corpulentam substantiam, ut in principio materiali: non est tamen illud semen admittendum in B. Virgine, quia Spiritus S. supplevit omnem efficientiam quæ posset requiri, ipsa autem Virgo materiam ministravit, præparavit, fovit ac disposuit.

Quod in Resp. ad 1. ait ex Damasc. quod *Spiritus Sanctus supervenerit Virgini purgans ipsam, id est, præservans ne cum peccato originali conciperet*: non sic est accipiendum quasi Virgo B. Christum concipiens sine virili semine, ipsum in peccato conceptura fuisset nisi purgaretur: sed, quia eo ipso fuit præservata ne sic conciperet, quo factum est ut non de virili semine conciperet, sed de Spiritu Sancto, efformante & efficiente corpus Christi in utero Virginis.

## Quæstio XXXIII.

*De modo & ordine conceptionis.*

### Articulus I.

*Conceptio Christi facta est in instanti.*

Art. 1. docet conceptionem Christi esse factam in instanti, quantum ad corporis formationem, in qua principaliter consistit ratio conceptionis; quia (ut ex verbis Angeli constat, *Ecce concipies in utero & paries Filium*) sicut Spiritus Sanctus est operatus etiam ab initio, totam actionem conceptionis, ita ipsa tota est terminata ad Filium: atqui Filius non assumpsit aliquid imperfectum & inanimatum; ergo corpus quod assumpsit, erat primo instanti perfectum & animatum.

Huc pertinet anatheismatismus quem ex Concilio quodam Constantinop. refert Nicephorus l. 17. c. 28. *Si quis dicit aut sentit prius formatum esse corpus Domini in utero Virginis Sanctæ, & deinceps unitum esse ei Deum Verbum atque animam, ut quæ prius extiterit, anathema sit.* Unde Fulgent.

Universidad de Deusto
Biblioteca



lib. de fide ad Petr. c. 18. firmissimè tenendum A monet, non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis priusquam susciperetur à Verbo, sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi Incarnatione conceptam.

Idem affirmat Basil. hom. 25. de humanâ Christi generatione; Syn. 5. Act. 11. Damasc. l. 3. ca. 2. & alij, de quibus q. 6. ar. 4.

Ex his sequitur, fide certum esse quod corpus Christi non sit formatũ per additamenta & temporum intervalla, communi aliorum more; sed statim: quod autem omninò in instanti; etsi certum sit, non constat tamen esse fidei.

*Ob.* Si dicas, Motus localis non potest fieri in in- B stanti: sed formatio & organizatio corporis non est sine motu locali, ergo non potest esse in instanti: Minorem q. probes, quia etiamsi ponatur totus sanguis necessarius in loco conceptionis, ipse tamen non potest intelligi coagulari, condensari, & diversis figuris formari, nisi partes mutent locum cùm pars facta densior minorem locum occupet, & diversa figura diversum situm requirat.

*Resp.* Una Responsio est, quod quando dicit S. Th. motum localem sanguinis ad locum generationis, fuisse factum in tempore: sub illo motu includat omnem alium motum ad coagulationem, condensationem, & organizationem necessarium ut quemadmodum in tempore facta est transmissio C sanguinis, ita etiam in tempore facta sit coadunatio singularum partium materiæ, & ea celeritet perfecta, totum corpus uno momento organizatum & animatum sit.

Altera Responsio est, probabile esse quod non implicet contradictionem idem corpus transferri de loco ad locum in instanti, si nimirum vel non tranleat per medium, vel simul constituatur in diversis locis.

Circa Resp. ad 1. observandum est quantitatem corpori humano accommodatam non consistere in indivisibili, sed habere suam latitudinem: & ideò potuit in momento corpus Christi esse formatum minimâ aliquâ quantitate, non monstrio- D sâ, sed quæ tali corpori esset naturalis, consideratâ ejus complexione & dispositione, ut etiam ar. seq. ad 2. ostendit B. Th. per nutritionem verò novem mensium pervenit ad eam quantitatem quâ nasci solent infantes; & sic perfectum est quadraginta sex senarijs dierum, qui numerus conficit novem menses & sex dies.

### Articulus II.

*Corpus Christi fuit animatum primo instanti.* Art. 2. Probat corpus Christi fuisse animatum in primo instanti conceptionis: quia *ad hoc quod conceptio attribuatur Filio Dei* (terminativè scil.) *necesse est dicere quod ipsum corpus Christi esset à Verbo Dei assumptum, quando concipiebatur:* E sed non fuisse assumptum nisi mediante anima & intellectu, quemadmodum ex q. 6. patet: ergo in instanti assumptionis erat animatum anima rationali.

In Responsione ad 1. observandum est, animam Christi fuisse ejusdem naturæ cum nostra, & propterea habuisse idem principium, scil. per creationem & infusionem in corpus simul atque est formatum.

In Resp. ad 3. B. Thomas tradit quod in communi & consueta conceptione ac formatione hominum sit successio animarum imperfectarum & ad aliam ordinaturam, ordine succedentium in materiam, & eam rursum relinquentium, manente tandem sola rationali, quam Christus statim ab initio solam habuit. Hanc eandem sententiam explicat 1. p. q. 76. ar. 3. ad 3. & latiùs q. 118. ar. 2. ad 2. propter quædam verba Philosophi l. 2. de gen. animal. c. 3. quæ ita videntur sonare, quasi fœtus primo habeat animam vegetativam, deinde materia perfectius disposita eam recedere, & succedere sensitivam, ac postmodum materia rursum perfectius disposita, & anima sensitiva desinente, succedere rationalem. Quæ Philosophi verba etsi aliter possint explicari, ut scil. per ea significetur quod fœtus primò vivat vita vegetativa, id est, quod primò exerceat orationes animæ vegetativæ, deinde sensitivæ, ac postea demùm rationalis; B. tamen Th. sententiam probavimus dicta q. 118. ar. 2.

### Articulus III.

*Corpus Christi est assumptum primo instanti conceptionis.* Art. 3. Docet Corpus Christi fuisse à Verbo assumptum in primo instanti conceptionis, ita scilicet ut nullo tempore fuerit conceptum, quo non esset assumptum. *Vt enim caro extitit, simul quoque Dei Verbi caro extitit, simul caro animata, rationis, atque intelligentiæ particeps,* ait Damascenus libro 3. capite 2. & Synod. 6. Act. 11.

### Articulus IV.

*Conceptio Christi est miraculosa.* Art. 4. docet conceptionem Christi simpliciter esse miraculosam, propter virtutem principij activi; etiamsi naturalis fuerit ex parte materiæ quam B. Virgo ministravit.

*Christus est naturalis filius hominis.* Circa Resp. ad 1. observandum est Christum esse naturalem Filium hominis, non propter modum conceptionis qui potius fuit supernaturalis, ut ex dictis ar. 1. patet: neque etiam propter causam efficientem, quæ fuit Spiritus S. supernaturalem generationis modum hic mirabiliter operans: sed quia ex vi suæ originis habet humanam naturam eandem cum matre.

Cùm ergo B. Th. dicit, *quod Christus dicitur naturalis Filius hominis, in quantum habet naturam humanam verã per quam est Filius hominis,* non vult significare ideò esse naturalem hominis Filium, quia habet naturam humanam (cum hoc etsi sit satis ad esse verum hominem, non tamen sufficiat ad esse naturalem Filium hominis:) sed quia habet naturam humanam sibi communicatam per viam conceptionis & generationis humanæ; quæ conceptio quamvis esset supernaturalis, ex causa efficiente, & modo; erat tamen naturalis tum ex parte materiæ ad eam ministratæ, tum ex parte termini qui est humana natura.

## QUÆSTIO XXXIV.

*De perfectione prolis conceptæ.*

### Articulus I.

Art. 1. Docet Christum accepisse plenitudinem gratiæ sanctificantis in momento conceptionis. Vide quæ diximus ar. 1. q. 7.

In Respons. ad 1. observa perfectam animæ spiritualitatem fuisse in Christo à principio: quia tamen



tamen corpus ejus (ut & aliorum hominum) prius A fuit mortale & animale; post resurrectionem verò spirituale, id est, immortale & alimentis non indigens; ideo locus Apostoli 1. ad Corinth. 15. literaliter ad eum pertinere potest. Significat verò B. Thomas corpus Christi fuisse ab initio sanctificatum, eò quòd sine omni vitio carnis carnalisque concupiscentiæ, & ut Spiritus organum particeps sanctitatis, sit assumptum.

### Articulus II.

*Vsus liberi arbitrij fuit in Christo ab initio conceptionis.* Art. 2. Probat Christum in primo instanti suæ conceptionis habuisse usum liberi arbitrij; quia statim à principio habuit perfectionem spiritualem, illa autem est in operatione in- B tellectus & voluntatis; in qua consistit usus liberi arbitrij.

Confirmatur ex illo Jerem. 31 *Fœmina circumdabit virum*; Virgo scilicet Christum, ut interpretatur B. Hieronymus; dicens perfectum virum in ventre fœmineo fuisse contentum; virum (inquam) non ætate, vel corporis robore, sed vigore & perfectione animi.

Huc pertinet locus Isaiæ 7. *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum*; secundùm ea quæ ar. 4. q. 18. diximus. Hinc Basilius in illud caput scribens, *In statu adhuc infantili, ante maturam perfectamque ætatem reprobabit quidem mala, eliget autem bona.* C

Et Bernardus hom. 2. super Missus, *Vir erat Iesus, necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate: animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentiâ membrorum.*

Eadem est sententia Augustini l. 2. de peccatorum meritis cap. 29. Gregorij lib. 9. epist. c. 61. Anselmi lib. 2. Cur Deus homo c. 13.

Quod objici posset ex Isaiæ 8. Antequam sciat puer &c. B. Thomas solvit quæst. 15. ar. 3. ad 3.

*Solvitur objectio.* Si dicas Christum assumpsisse nostros defectus: respondet idem q. 26. de veritate art. 8. ad 10. quod non assumpserit eos qui in imperfectionem gratiæ & scientiæ redundare possent. Confer qu. 14. superiorem ar. 4. D

### Articulus III.

*Christus meruit primo instanti.* Art. 3. docet Christum meruisse in primo instanti suæ conceptionis.

Primò, quia juxta sanctos, Augustinum hîc ab Authore citatum, Bernardum homilia 2. super Missus, & alios, non habuit juxta animæ meritum, quòd potuisset proficere; multùm autem profecisset, si cùm prius nullum habuisset meritum, postea cœpisset habere.

Secundò, quia tribuendum est Christo id quod est perfectius; tale autem est mereri ab initio.

Tertiò, Usus liberi arbitrij non pendet per se loquendo ex successu temporis; sed solum ubi est E aliquod impedimentum corporis; quemadmodum in nobis: sed hoc impedimentum non reperiebatur in Christo, cum in intellectione non penderet è conversione ad phantasmata ut quæst. 11. art. 2. dictum est; ergo potuit in primo instanti habere usum libertatis: Sed in eodem instanti erat plenus gratia; ergo nihil ad meritum deerat.

*Ad Heb. 10.* Huc pertinet, quod *ingrediens in mundum dixit, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*, id est, aptum fecisti immolationi. *Tunc dixi; Ecce venio*, ad passionem scilicet, ut interpretatur B. Thomas in Comment. Hoc autem dixit Christus, quando corpus sibi aptatum assumebat, sive, quando est incarnatus: Tunc enim paratum se obtulit ad faciendum Patris voluntatem. Unde sequitur; quod primo illo instanti voluerit mortem subire; *In qua voluntate sanctificati sumus*, ut ait Apostolus, *per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Eandem dat interpretationem Guilielmus Estius ad versum 7. ca. 10. ad Hebræos. Et quamvis non nulli putent nullum esse ex Patribus aut Scripturæ interpretibus præter B. Thomam, qui verba illa Psalmi dicta à Christo referat ad primum instans conceptionis: in contrariam tamen sententiam facit quod Glossa Ordin. habet, *Tunc*, quando vidi omnia illa displicere, & corpus idoneum ad hoc mihi datum: *dixi, ecce venio*, ad me offerendum. Et Anselm. seu potius Hervæus ad idem c. commentans, Dei, inquit, filius *ingrediens mundum*, id est, assumens carnem, hoc est, respectu illius temporis quo erat mundum ingressurus assumendo carnem, dicit per prophetam &c. *Hostiam & oblationem noluisti* &c. & tunc quando vidi omnia tibi displicere, & corpus aptum immolationi esse mihi datum, *dixi, ecce venio*, ad me offerendum spontaneus accedo. Et Haimo, *Ecce venio per Incarnationis mysterium, ut meo sacrificio redimam genus humanum.*

Ad doctrinæ articuli hujus confirmationem pertinet quod Ambros. l. 2. in Lucam c. de nativitate Salvatoris dicit: *Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus; mea lachryma illæ delicta laverunt.* Et quod Bernard. serm. 1. de circumcisione: *Quis hominum tantæ sibi non dicam gloriæ, sed vel innocentiæ conscius aquanimiter circumcidentis manum admitteret? Christus verò patienter qua non rapuit, exoluit.*

*Christus sine interruptione meruit usque ad mortem.* Cæterum cùm Christus fuerit in continuo usu liberi arbitrij, nec aliquid esset quod eum vel ejus virtutes impediret ab interioribus operationibus: consequenter est dicendum quod à primo instanti, semper sine interruptione meruerit, usque ad instans mortis: conformiter ad ea quæ dicebamus q. 11. ar. 5.

*Meritum Christi est mortis finium.* Tunc autem quia desijt esse viator, desijt etiam mereri; ut quæst. 50. art. 6. docet B. Thomas. Hinc scriptura consummationem tribuit morti ejus *factus obediens usque ad mortem.* Ad Philipp. 2. *Opus consummavi quod dedisti mihi*, Ioannis 17. *Consummatum est.* Ioannis 19. Consummasse autem se dicit opus (scilicet nostræ redemptionis) quia jamjam moriturus, erat illud consummaturus.

*Solvitur objectio.* Nec obstat fuisse ipsi apertum latus post mortem: quamvis enim illa sanguinis effusio nec merendi nec satisfaciendi vim haberet; per eam tamen ostensum est quod Christus verè esset mortuus. Quis enim dubitaret mortuum, cujus latus post tot ac tanta vulnera constat apertum? Declarata etiam est veritas humanæ naturæ: quæ componitur, tum ex quatuor humoribus quorum unus est sanguis; tum ex quatuor elementis, quorum unum est aqua: & insuper significatum est quod sacramenta vim haberent à morte, quam subsecuta est aquæ & sanguinis effusio.

Cur jam dictis non obstet quod redemptio nostra peculiariter ascribatur passioni & morti Christi, Vide q. 48. art. 1.

In Responsione ad 1. hæc verba: *Si tamen naturæ sit integra* putantur à quibusdam assuta: sed cum reperiantur in antiquissimis exemplaribus tam scriptis quam impressis, possintque esse addita per authorem, ad significandum quod si quis in natura

Universidad de Deusto
Biblioteca



natura corrupta produceretur ætatis adultæ, seu cum usu rationis, posset is primo instanti peccare, propter ejusmodi naturæ proclivitatem ad malum: non est necesse confugere ad talem Responsionem Confer q.16.de malo, ar. 4. ad 22.

*Christus ab initio fuit comprehensor.*

### Articulus IV.

Art. 4. docet Christum fuisse perfectum comprehensorem primo momento suæ conceptionis, quia tunc accepit gratiam non ad mensuram; gratia autem viatoris habet mensuram minorem respectu gratiæ comprehensoris; ergo tunc accepit gratiam comprehensoris. Atqui non accepit illam sine actu; ergo tunc fuit actu comprehensor.

Confirmatur, *Quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur*, ait Ioan.3.& Ioan.8. *Quæ vidi apud Patrem, loquor.*

Et quibus constat animam Christi eo tempore vidisse Deum quo erat in corpore passibili: Sed non est ratio, cur viderit uno tempore & non alio; ergo vidit ab instanti conceptionis.

Præterea, Filius Dei *in hoc natus est, & ad hoc venit, ut testimonium perhibeat veritati*, Ioan. 18. Testis autem ut sit perfectus, debet rem de quâ quæritur, clarè videre.

Huc pertinet quod Richar. de S. Victore l. 2. de Emanuele cap. 22. dicit, *Quod accepturi sumus in vita futura, ille accepit in vita ista: quod nobis dabitur in consummatione, illi datum est ab hora conceptionis suæ.*

Quod in Corp.dicit, *Gratia viatoris, cùm sit deficiens à gratiâ comprehensoris, habet mensuram minorem respectu gratiæ comprehensoris*, non est intelligendum de gratiâ comprehensoris habituali secundùm se; seu secundùm ejus intentionem (cùm possit fieri quod habitus gratiæ sit in aliquo viatore æqualis vel etiam major, quoad intensionem, quàm in quibusdam Beatis, ut ex 2.2.q.24. ar. 7. notum relinquimus:) sed secundùm quod est in termino, sive secundùm quod est de fine jam adepto & immobiliter possesso.

## QUÆSTIO XXXV.

*De nativitate Christi.*

### Articulus I.

*Nasci est hypostasis.*

Art. 1. docet Nativitatem esse hypostasis ut subjecti, naturæ ut termini; quia nasci, cùm sit quoddam generari, est rei subsistentis; persona autem vel hypostasis significatur ut subsistens, & propterea ipsa est quæ nascitur in hâc vel illâ naturâ; ipsa autem natura est id quo, vel secundùm quod persona dicitur nasci.

Cùm autem sit duplex subjectum, inhæsionis & denominationis, nec possit in hypostasi divinâ inhærere ullũ accidens, quale est nativitatis & generatio temporalis; Author intelligendus est loqui de subjecto denominationis seu quod denominatur nasci, & quod revera secundùm naturam aliquam sibi convenientem natum est: unde dicit Nativitatem attribui personæ tanquam subjecto quod nascitur: Subjectum autem cui per se primò inhæret nativitas, est altera pars naturæ.

Similiter, cùm terminus generationis sit duplex, integer seu completus, & formalis; quorum ille dicitur ut quod; iste ut quo; cumque ipsum compositum sit id ad quod terminatur generatio; sermo hîc est de termino formali: unde in corpore dicitur natura significari per modum formæ, quâ aliquid subsistit.

Ex eo quod Philosophus argumento 2. citatus ait naturam dici à nascendo, non sequitur naturam nasci, sed, quod nasci faciat, sitque id, ratione cujus persona nascitur.

Ex his patet non esse dicendum, quod vel divinitas, vel humanitas nata sit.

### Articulus II.

*Duæ sunt Christi nativitates.*

Art. 2. Probat Christi attribuendas esse duas nativitates, æternam & temporalem, propter duas naturas, quarum unam accepit ab æterno, aliam ex tempore.

Quæcunque ergo probant Deum factum esse hominem & genitum ex Maria Virgine, convincunt nativitatem Christi temporalem.

Syn. etiam 5. can. 2. sic loquitur, *Si quis non confitetur Dei Verbi esse duas nativitates &c. anathema sit.* Et Syn. 6. Act. 11. *secundam* affirmat esse nativitatem, quâ Deus ex Virgine natus est *post primam* ejus sempiternam, naturalem, ineffabilemque Nativitatem ex Patre. Et postea, *duabus nativitatibus nasci à pijs meritò creditur.*

Summa responsionis ad 1. est, Christum natum esse hominem, quod non erat ab æterno; Ac proinde temporalis ejus Nativitas fuit quidem ejus qui semper erat, sed secundùm quod non erat, id est, secundùm humanam naturam.

Circa Responsionem ad 4. difficultas est. Durandus enim in 3. negat Christum esse bis natum; partim quia illud adverbium repetit actum ejusdem speciei; partim quia præsupponit interruptionem.

*Christus rectè dicitur natus.*

Verum communis aliorum doctrina in 3. d.8. constanter affirmat. Ab æterno enim genitus est ex Patre, sine Matre: in tempore genitus est ex Virgine Matre, sine Patre. Hinc in Syn. 6. Act. 11. *Ex Deitate, & humanitate, & ex duabus naturis Christum nominantes, & Deum eundem & hominem, diphyan, quod est bis genitum &c. prædicamus.*

His consonat S. Fulgent. l. de fide ad Petrum, c.2, *Idem unigenitus*, inquit, *natus est semel ex Patre, semel ex Matre.* Videre etiam potest Lactant. l.4. instit.c.8.

Ad 1. verò in contrarium allatum Resp. sufficere quod repetatur actus conveniens in communi aliquâ ratione analogicâ. Unde quamvis generatio & resurrectio differant specie, homo tamen resurgens rectè dicetur bis productus.

Ad 2. negatur illud adverbium præsupponere interruptionem; dicitur enim bis Episcopus, & bis Doctor qui secundùm Episcopatum vel Doctoratum suscipit, etiamsi nulla prioris interruptio interceserit.

Citatur quidem Maximus hom. 1. de Natali; dicens: Non bis asseritur natus, sed gemina in uno Dei Filio confirmatur esse substantia. Verùm hunc loquendi modum eatenus solùm negat quatenus eo abuti quis posset ad duplicem personam in Christo constituendam, quæ hæresis, quia dicendo Christum esse duos Filios, clarè significaretur, eò quòd ille sermo significet pluralitatem suppositorum, quam non significat qui dicit esse bis genitum: ideò non est dicendum quod Christus sit duo Filij.

An



An dici possit esse bis Filius, quæri posset. Verum quia iste sermo multum accedit ad significandum pluralitatem personarum; non est frequentandus, etiamsi pati possit veram intelligentiam.

### Articulus III.

Art. 3. docet B. Virginem esse Matrem Christi, eamque veram & naturalem. Quod ex q.31.ar.4.5 & 6.notum est, junctis illis Scripturis, quæ ipsam appellant Matrem Jesu, Ioan. 2. Matrem Domini, Luc.1. & multis alijs.

*Solutio ob.*

Nec obstat, quod Damasc.l.3.c.12. dicat Christiparam neutiquam dicimus: significat enim eum sermonem ideò vitandum, quia Nestorius eo abutebatur, volens B. Virginem sic vocandam esse Christiparam; ut non diceretur Deipara, hoc autem periculum cessat.

### Articulus IV.

*B. Virgo est Mater Dei.*

Art.4.tradit hæreticum esse, negare B.Virginem esse Matrem Dei. Negârunt id olim Photinus & Nestorius; ille putans humanitatem prius fuisse conceptam & natam, quàm à Verbo assumptam; ut B.Th. hîc in Corp.dicit. Iste, negans unionem humanitatis cum Verbo in hypostasi, docensque purum hominem ex B. Virgine natum, & aliam faciens personam carnis, aliam Deitatis. Nestorius namq; duas in Christo personas asserebat, duosq; volebat esse Dei Filios, duos Christos; unum Deum, alterum hominem, unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex Matre, atque ideò asserebat Sanctam Mariam, non Theotocon, sed Christotocon esse dicendam, quia scil. ex eâ non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo, sit natus. Ita Vincent.Lirin. l. contra hæres.c.17.

At fidei dogma asserentis Sanctam Mariam esse Matrem Dei, definitum; hæreticorumque oppositus error id negantium condemnatus fuit in can.1.Conc. Ephesini contra Nestorium congregati; ac rursum in Conc.Chalcedonensi Act.8. in Synodo 6. Act. 11. & in Conc. Lateranensi sub Martino l. can.3. Et contra eum errorem scripserunt Cyrillus Alex. Athanasius, Irenæus, Greg. & alij Veteres.

Quamvis autem in Scripturâ non disertè exprimatur B. Virgo esse Mater Dei; in ea tamen evidenter continetur, cùm asserit Christum esse Deum, eumq; docet ex B. Virgine genitum esse. *Quod ex te nascetur Sanctum vocabitur* (id est, revera erit ac passim celebrabitur) *Filius Dei*, Lucæ 1. Et paulò ante, Angelus Virgini nuntiat quod is quem erat concepturam in utero & paritura Filium, vocabitur Filius altissimi: ergo ipsa erat futura Mater Filij altissimi, hoc est, Filij Dei, naturalis; quæ enim in utero concipit & parit Filium, est vera hujus Filij Mater. Hinc Elizabeth ad eam eodem c.loquens ait; *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me*, Dominum sine dubio, Deum intelligens.

Confirmatur, Generatio terminatur ad suppositum: ergo B.Virgo generavit Deum; pro illius enim generationis termino nullum potest assignari suppositum, nisi persona Filij Dei.

*Solvitur objectio.*

Nec obstat, actionem B. Virginis terminatam esse ad humanitatem prius naturâ, quam illa uniretur Verbo; unionemque illam non fuisse ex vi actionis ipsius: Nam, ut dicatur Mater Dei, satis est quod eodem instanti conceptionis & Nativitatis in utero, Verbum terminaverit & hypostaticè sibi univerit humanitatem ex Virgine assumptam; sic enim conceptionis & generationis illius terminus fuit persona Verbi unita humanitati; ipsaque Virgo Deum concepit & genuit: ex hoc autem dicitur mulier aliqua mater alicujus; quod eum concepit & genuit.

Et quamvis ordine naturæ seu generationis, prius sit humanitatem esse, quam uniri; ordine tamen naturæ qui est perfectionis, non est prius; cùm uniens sit juxta hunc modum prius unito.

His adde, quod fœmina ex quâ aliquis homo nascitur, ex eo dicitur mater illius, quod materiam ministrat humano conceptui, & hoc in loco ad eum conceptum naturali: Cùm igitur B. Virgo Maria materiam ministraverit conceptui Filij Dei, idque in loco ad humanam conceptionem naturali, vera Mater Filij Dei dicenda est; Non enim refert ad rationem matris, quâ virtute materia per eam ministrata formetur; modò sic eam ministret, ut revera concipiat in utero ac pariat; Non igitur minus Mater est, quæ materiam ministravit à Spiritu Sancto formandam, quam quæ materiam ministrat formandam virtute virilis seminis.

*Ob.*

Si quis autem hæreticus dicere velit Beatam Virginem, non debere dici Matrem Dei, quia non est ex eâ assumpta divinitas, sed sola caro; redat-

*Resp.*

gui potest, quia non ex hoc aliqua dicitur mater alicujus, quia totum quod in isto est, ex ea sumitur. Homo enim constat ex animâ & corpore; magisque est homo id quod est secundùm animam, quam id quod est secundùm corpus: nullius autem hominis anima sumitur à Patre. Sicut igitur cujuslibet hominis mater aliqua fœmina dicitur ex hoc, quod ab eâ corpus ejus sumitur; ita Beata Virgo debet dici Mater Dei, quia ex eâ assumptum est corpus Dei.

*B. Virgo non est causa Dei.*

Neque verò hinc sequitur absolutè dicendum, quod B. Virgo sit causa Dei: Nomen enim *causæ* non ita determinat productionem sicut nomen *Matris*, quo significatur humana generatio. Unde *esse causam*, involvit aliquid repugnans quod non includitur in (*esse Matrem*) quomodo & aliqua mulier dicitur esse *Mater* Episcopi, quæ tamen non potest dici *causa* Episcopi, quia esse matrem significat peculiarem modum, esse causam verò significat generalem causalitatem totius ejus, respectu cujus dicitur.

Ex his patet B. Virginem esse Matrem Dei verè & propriè, non abusivè, sicut Nestorius & Nestoriani intelligebant, admittentes aliquando ipsam esse Matrem Dei, quia genuisset eum in quo postea tanquam in templo Deus per gratiam sanctificantem habitavit: quo modo mulier aliqua dicitur mater Regis aut Episcopi, quæ genuit eum qui postea evectus est ad Regnum vel Episcopatum.

*Nestorij mors.*

Quantum verò Christo Domino displicuerint ejusmodi in Matrem suam blasphemiæ, probat exitus Nestorij qui (referentibus Evagrio l.1.c. 7.& Nicephoro l.14.historiæ,c.36.) linguâ vermibus exesâ extinctus est: quibus addunt Theodorus lector & Cedrenus apud Baron. tom.5. ad ann. Dom.436. cum lingua totum corpus computruisse.

Sed & B. Virginem mirum in modum execratam esse prædictas Nestorij blasphemias, vel ex eo

solo

Universidad de Deusto
Biblioteca



solo intelligi potest, quod idem Baro. ad an. 429. refert ex Prato spirit. cap. 66. ipsam in visu apparuisse sanctissimo anachoretæ, nec cellam ejus ingredi voluisse, propterea quod ipse haberet (nescius tamen) in ea libros Nestorij. A

ARTICULUS V.

ART. 5. tradit esse duas filiationes in Christo, si attendamus rationes filiationis: Unicam verò, si attendamus subjectum quod est persona Verbi. Est enim in Christo filiatio æterna, per quam est naturalis Filius Dei: est & temporalis, per quam est Filius hominis, hæc autem, secundùm B. Thomam, non est realis in Christo, sed rationis; quamvis per eum dicatur realiter Filius B. Virginis; quemadmodum Deus dicitur realiter B Dominus creaturæ, etiamsi relatio Dominij non sit in ipso realis; satis enim est quod sit realis relatio maternitatis in beata Virgine, sicut in creaturis est relatio realis ad eum ut Dominum.

Fundamentum B. Thomæ est, quod filiatio nō possit habere subjectum inhæsionis aliud quam personam; personæ autem Verbi non potest inhærere accidens.

*Non est improbabile esse in Christo duas reales filiationes.*

Cæterum, quia probabiliter dici potest filiationem, sicut & nativitatem temporalem non necessariò inhærere suppositō secundùm se, sed posse inhærere naturæ, sic tamen ut ratione naturæ denominet personam. Ideo non pauci existimant C esse in Christo duas filiationes reales; est enim inter ipsum ut hominem, & B. Virginem ut matrem, relatio causati ad causam, eamque non in genere, sed in specie certâ; hæc autem relatio non videtur alia esse, quam filij ad matrem.

Et quia objici posset filiationem divinam non inesse naturæ; observanda est dissimilitudo; divina enim est per se subsistens, & constitutiva personæ; temporalis autem advenit personæ jam constitutæ, ipsique inest mediante natura.

Neque verò hinc sequitur Christum esse duos filios, non magis quam ex duabus nativitatibus: Ob formas enim abstractas non necessariò multiplicantur concreta seu subjecta, ut art. 3. quæst. D 7. fuit ostensum.

ARTICULUS VI.

*B. Virgo peperit sine dolore.*

ART. 6. probat B. Virginem peperisse sine dolore; quia dolor patientis causatur ex apertione meatuum per quos proles egreditur: dictum est autem q. 28. ar. 2. nullam fuisse talium meatuum apertionem in B. Virgine pariente, sed Christum esse egressum ex clauso utero matris. Quapropter nullus omnino fuit B. Virginis patientis dolor, sicut nec ulla corruptio, quemadmodum ista q. 28. ar. 2. ostendimus ex Aug. serm. 18. de sanctis, Fulgentio serm. de laudibus B. Mariæ, Bern. serm. 4. in vigilia Nativit. Nisseno orat. 1. de resurrect. Quibus hîc addimus Bernardum hom. 3. super Missus, Nazianzenum in Tragœdia de Christo patiente, & Damascenum li. 4. de fide cap. 15 dicentem quod B. Virginis partus *sine ullo sensus dolore*, supra generationis legem fuit. *Quam enim voluptas non anteivit, ne dolor quidem in partu secutus est. Quo spectat illud propheta, Antequam parturiret, peperit,* Isai. 66. E

Observandum porro quod Virgo Deipara non tantum sine dolore, sed etiam cum lætitia Christum peperit, sicut sanctus Doctor ex Isai. 35. hîc deducit, & antea docuit B. Aug. serm. 18. de sanctis, ac etiam Zeno Veronensis serm. 2. de Nativitate.

Ut autem servetur proprietas partus, addit Damasc. dicto ca. 15. quod per eam partem contigit, qua fœtus in lucem exire consueverunt. Et Epiph. circa fin. l. 3. contra hæres. *In Virginu* (ait) *utero revera genitus ac per genitales matris in lucem editus sine ullâ turpitudine fœditate, vel labe,* Eademq; est sententia Hieronymi l. contra Helvidium c. 9.

Consentaneum proinde est dicere B. Virginem, & per actionem, & per impulsum quendam fœtum emisisse, sicut & aliæ parientes; quò pertinet illud ecclesiæ, *Enixa est puerpera.* secludendo tamen violentiam & laborem, quandoquidem nulla fuerit apertio uteri, ut quæst. 28. art. 2. dictum est.

Ex his patet malè eos mereri de S. Deipara qui eam puerperam lecto decumbentem velut infirmam depingunt, cum pingenda potius sit genibus flexis, & manibus complicatis ante puerum Jesum: canente Ecclesia, *Ipsum quem genuit, adoravit,* Vide Molanum cap. 20. de picturis, aliàs libri secundi capite vigesimo septimo.

Circa Responsionem ad 3. observa Hieronymum epistola 22. & contra Helvidium c. 9. videri quidem agnoscere sordes in hoc puerperio, quæ sunt in alijs naturales, omnino tamen esse negandum quod aliquæ ibi fuerint. Unde B. Aug. c. 5. l. de quinque hæres. *Stulte, unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Vbi sordes in ea quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo perpessa est dolorem?* Et Fulg. ser. de laud. B. Mariæ, loquens de conceptione Christi, O, inquit, *conjunctio sine sordibus facta.* Consentit & Epiphanius ubi supra, imo & ipse Hieron. c. 4. contra Helvid. ita scribens: *Polluatur cruore puerpera obstetrices suscipiant parvulum vagientem, maritus lassam teneat uxorem. Sic incipiant nuptiæ, ne Evangelista mentitus sit. Sed absit, ut hoc de matre Salvatoris, & viro justo sit existimandum. Nulla ibi obstetrix. Nulla mulierculârum sedulitas intercesserit, Ipsa pannis involvit infantem. Ipsa & mater & obstetrix fuit.* Quæ verò istius l. c. 9. aliter sonant, non sunt assertivè ab eo dicta, sed per concessionem Rhethoricam quasi diceret, esto talia esset in partu Virginis reperta, non ideo erubescheremus, cum cruce nihil sit contumeliosius, quam confitemur Christum sustinuisse. Quæ in epist. 22. habet, vel ex aliorum sententia dixit, vel correxit seu explicavit c. 3. contra Helvid. dicens. *Sed absit ut hoc de matre Salvatoris sit existimandum,*

*Nullæ sordes in partu B. Virg.*

ARTICULUS VII.

*Christus in Bethleem natus.*

ART. 7. docet Christum convenienter natum in Bethleem, juxta prophetiam Micheæ 5. qui Bethleem vocat Ephratam, eò quod isto nomine jam olim vocaretur Gen. 35. & 48. E Matthæus autem ad distinctionem ejus quæ ut Iosue 19. habetur, erat in tribu Zabulon, vocat Bethleem Judæ, seu Juda, eò quòd esset in sorte Judæ non procul à Ierusalem.

Michæas vocat eandem *parvulam*, scilicet morum ambitu, civium numero, locique splendore, Matthæus autem *nequaquam minimam*, nimirum secundùm nobilitatem & dignitatem; quia Messias inde nasciturus.

Porrò, quia videri posset prophetia ista ad Christum non pertinere, tum quod ipse non fuerit prin-



princeps populi Israël; tum quod natus sit in stabulo seu spelunca juxta muros Bethleem: sciendum est sermonem ibi esse de duce & rectore spirituali; sicut Ezechiel. 34. & Oseæ 3. suburbium verò censeri partem civitatis; quamquam Hieronymus Ep. 27. speluncam intra muros Bethleem fitam tradat. A

*Bovem & asinū fuisse in loco nativ. Christi Gen. 49.*

In eo autem loco non solùm fuisse præsepe, sed etiam bovem & asinum; antiqua traditio est, apud Hieronymum dictâ Epistolâ, capite quarto, Nazianzenum oratione trigesima octava, Cyrillum Catechesi 12. Nyssenum in orat. de Christi Nativitate, & alios, conformiter Scripturæ Isaiæ 1. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui:* Et isti Abacuc. 3. juxta lectio- B nem 70. *In medio duorum animalium cognosceris*; quam retinet Ecclesia in Tractu Feriæ 6. Parasceves. Unde in 6. Responsorio Festi Circumcisionis canit; *In medio duorum animalium jacebat in præsepio, & fulgebat in cœlo.*

ARTICULUS VIII.

*Christus est congruo tempore natus.*

ART. 8. Docet Christum congruo tempore natum, quia ipse elegit sibi tempus in quo nasceretur; quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt & convenienter disposita. Natus verò est vigesimaquinta Decembris, quæ incidebat in diem Dominicum, post mediam noctem, anno quadragesimo secundo Imperij Augusti, & Herodis Ascalonitæ vigesimonono inchoato, Olympiade centesima nonagesima quarta, ab Urbe Roma condita C ann. septingentesimo quinquagesimosecundo hebdomada juxta Prophetiam Danielis sexagesimaquinta.

*De censu in Nativ. Christi.*

Circa Resp. ad 1. adverte censum seu descriptionem quæ refertur Lucæ 2. non fuisse omnium descriptionum absolutè primam, cùm ex Josepho & Dione constet Judæam dudum antea & sæpius fuisse censam: sed vocatur prima, vel respectu secundæ sub eodem præside, ut vult Baronius in Apparatu ad suos Annales, vel potius, quia fuit prima generalis in omnibus mundi partibus Romano Imperio subjectis. Licet enim antea fuerant particulares aliquorum locorum & Regionum descriptiones, nunquam tamen præcesserat tam D generalis, etiam ab Orbe condito: ut testatur Orosius l. 6. cap. 22. eumque secutus Jansen. ac postea Maldonatus.

Circa eandem Responsionem observa Christum esse natum toto Orbe in pace compositō, secundùm illud Isaiæ 2. *Non levabit gens contra gentem gladium, & non exercebuntur ultra ad prælium.* Quibus verbis etsi rectè & ad litteram intelligi possit pax & concordia spiritualis omnium Gentium unanimiter confluentium ad Evangelium & Ecclesiam Christi, & in eâ pacificè viventium, Veteres tamen etiam de pace temporali E interpretantur; & vocabulum (*ultra*) non necessariò significat perpetuitatem, sed longum aliquod tempus, ut 4. Reg. 6. *ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israël.*

Circa locum Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore ejus,* &c. citatum in Resp. ad 2. gravis est difficultas; partim quia potestas Regalis non fuit in Tribu Juda nisi annis septingentis post mortem Iacob; partim quia potestas illa desijt in Sedecia 4. Reg. ult. quando tamen non venit Messias; partim quia si dicatur Zorobabelem & alios post ipsum, fuisse duces usque ad



Machabæos, qui deinde rerum potiti sunt; saltem viginti novem annis antequam Christus nasceretur, etiam Machabeorum potestas desijt, Judæâ in formam Provinciæ per Romanos redactâ & Herode alienigenâ dominante.

*De Prophetia Iacob. Gen.*

Pro cujus resolutione dicendum videtur per verba Iacob non significari sceptrum regium statim futurum in Tribu Iuda, sed significatur quod ex eo tempore quo potestas regalis incipiet esse in domo Iuda, sive, ab eo tempore quo populus Israëliticus incipiet habere Regem de suâ gente, non desinet habere Regem, Ducem, aut Principē, vel alium potestate civili superiorem, qui ipsis præsit, de eadem gente sua, quin brevi post, venturus sit Christus & Messias. Quod & contingit: nam Herodes Ascalonita, sub quo natus est Christus, fuit primus Iudæorum Rex alienigena.

Neque refert, quod tunc viginti novem annis regnasset Herodes: Illud enim (*donec veniat*) non debet capi determinatè pro eadem hora, die, mense, vel anno: sed idem valet quod, circa illud tempus, ut sensus sit, non deficiet in Israëlitis potestas dominativa de stirpe ipsorum, quin circa illud *Prima expositio* tempus quo deficiet sive quo habebunt alienige- *per Iudam, Gentem Iudæam intelligit.* nam, venturus sit Messias. Hoc modo Iudas non Tribum ipsam præcisè significat, sed gentem: quę cùm à Iuda denominanda esset Iudæa, cumque potestas regalis diutissimè fuerit in eâ Tribu: Hinc est quod Iacob filio suo Iudæ Prophetiam istam dixerit.

Illud porrò, *& dux de femore ejus*, idem est, ac *de sanguine & stirpe Iudæorum*, seu de stirpe quæ à Iuda erat denominationem acceptura.

Considerandum hîc est, quod licet in captivitate Babylonica finem habuerit series Regum Iuda; aliqualis tamen fuerit continuatio Regni, quando Ioachin elevatus fuit ab Evilmerodach Rege Babylonis, 4. Reg. ult. qui *locutus ei benignè posuit thronum ejus super thronum Regum qui erant cum eo in Babylone.*

Continuata deinde fuit potestas, non quidem regalis, sed tum judicialis, tum ducalis; quia Rex Babylonis permisit Iudæis judicia secundùm consuetudinem suæ legis, etiam in quibusdam criminalibus: unde Dan. 13. duo Iudices dicuntur constituti illo anno.

Post captivitatem verò Dux populi fuit Salathiel filius Ioachin sive Iechoniæ de Tribu Iuda, & sic deinceps donec penes Machabæos fuit Principatus populi. Quo tempore etsi non illi qui oriundi erant ex Tribu Iuda, potirentur rerum, sed Levitæ; semper tamen fuerunt Duces seu Principes, Iudæi; donec Herodes, natione Idumæus fuit Rex constitutus, atque ita ablatum sceptrum de Iuda, ut sciretur proximè venturus Christus.

Istam loci superius citati expositionem, quâ per Iudam nō intelligitur ipsa Tribus precisè, sed gens Iudaica, traditam invenimus à Iustino in dialogo cum Triphone, Eusebio l. 1. historiæ c. 6. & l. 3. demonstrationis Evangelicæ, c. 2. Augustino l. 18. de civ. Dei, c. 45. Chrysostomo hom. 67. in Genesim, Athanasio l. de Incarnatione Verbi, Ruperto l. 9. in Genesim, c. 29. Theodor. q. 109. in Genes.

*Ob.* Neq; illi obstat, quod Iacob non omnibus Tribubus eam benedictionem dederit; sed soli Tribui Iuda. Eatenus enim ad solam Tribum Iuda perti- *Resp.* net quod in ea diutissimè mansurū erat sceptrum seu potestas tum regia, tum ducalis; quodq; usque ad tempus Christo proximum semper futurum

Universidad de Deusto
Biblioteca



erat in eo populo, qui à Iuda passim denominaretur Iudæus.

Sunt tamen & boni Authores qui per Iudam, ipsam Tribum accipiunt: quorum alij docent Machabæos ex illa Tribu fuisse oriundos, atque ita sceptrum mansisse in Tribu Iuda, quando Machabæi dominati sunt.

*Machabei non erant simpliciter de Tribu Iuda.*

Sed his repugnat Apostolus qui ad Hebr. 7. affirmat nullum de Tribu Iuda præfuisse altari. Cùm enim Machabæi præfuerint altari, 1. Machabæorum 10. v. 51. c. 12. v. 6. c. 14. v. 27. & inter filios Aaron fuerint ex eâ sorte quæ 1. Paral. 24. prima nominatur, ut liquet ex initio c. 2. dicti 1. l. Machab. evidenter sequitur quod non fuerint de Tribu Iuda.

Si dicas, ipsos paterno quidem genere fuisse ex Tribu Levi, sed materno ex Iuda: RESP. id non constare; & ut constaret, non videretur sufficiens, quandoquidem apud Iudæos aliquis non censebatur ex aliqua Tribu, nisi secundùm lineam paternam.

*Alia expositio.*

Alij concedunt Machabæos simpliciter censendos esse de Tribu Levi, sed hunc reddunt sensum Prophetiæ Iacob, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, hoc est, jus & potestas sive regnandi sive gubernandi manebit in Tribu Iuda, donec veniat Messias. Quamvis autem Levitæ gubernaverint, scil. Machabæi, contra tamen & potestas dominandi semper mansit penes Tribum Iuda, quia ipsa (quæ sola cum adjunctis sibi Beniamitis, Levitis, alijsque diversarum Tribuum aliquot familijs eam ut principalem sequentibus, redierat,) ipsos Machabæos elegit, sibique præfecit.

*Impugnatur.*

Verum & his opponi potest quod 1. Mach. 2. peculiariter de Assidæis seu Essenis qui erant ex Levi, dicitur, quod ad Mathathiã & filios ac amicos ejus congregata est Synagoga Assidæorum; quodque Mathathias Iudam filium suum constituit Principem militiæ, sicut & postea Simon dixit suis filijs c. 16. *Estote loco meo & fratris mei, & egressi pugnate pro gente nostrâ:* ex quibus satis clarum est quod electio Machabæorũ in duces populi non magis fuerit à Tribu Iuda, quam vel à Levitis, vel ab alijs qui ex captivitate redierant. Adde ex his fore consequens quod post secundũ Christi annum, sceptrum adhuc fuerit in Tribu Iuda, quando, ut est apud Philonem. Iudæi tandem fessi, ultrò Herodi & ejus posteris, regnum obtulerunt, jurantes in fide ipsius ac posterorum sese permansuros. Vide Baron. ad ann. Christi 2.

*Alia versum expositio.*

Alij veritatem Prophetiæ per hoc salvari putant, quod regnantibus Machabæis fuerit summum Concilium Sanhedrim ex Tribu Iuda collectum.

*Sed etiã impugnatur.*

Verum istud Concilium neque habebat potestatem regalem vel ducalem, ac proinde penes istud non erat sceptrum, non magis tempore Machabæorum, quam tempore Zorobabelis vel aliorum præcedentium usque ad Machabæos; neque constabat ex sola Tribu Iuda, sed ex viris diversarum Tribuum.

Ex his patet nihil esse quod cogat nos à primâ Veterum explicatione, quam & nõ pauci Recentiores sequuntur, recedere. Si tamen per verba Prophetiæ Iacob non aliud significetur, quam quod nunquam penitus ac omnimodo definet esse regia temporalisque potestas in Tribu Iuda, (quin scilicet semper remaneat spes certa illam recuperandi, si quando interrumpatur successio) nisi quando Messias veniet; sic per Iudam, ipsam Tribum intelligere licet, quemadmodum explicat Torniellus ad ann. mundi 4052. Sed vehementer subito, an non plus significetur: & ideò in primâ expositione potius sistendum reor.

## QUÆSTIO XXXVI.

### *De manifestatione Christi nati.*

### ARTICULUS I.

*Non decuit Christi nativitatem ab initio manifestari omnibus.*

ART. 1. Docet Nativitatem Christi non debuisse omnibus communiter seu promiscuè manifestari, per signa scil. externa conjuncta cum ostensione ipsius signati, hoc est, Christi; qualis manifestatio facta fuit pastoribus, Magis, Simeoni, Annæ. Ita enim vult non fuisse statim ab initio manifestandam communiter omnibus; sicut articulis 2. & 3. resolvit manifestatam esse aliquibus.

Circa 1. rationem observandum est, quod licet ex signis, Nativitatem Christi significantibus non necessariò secuta fuisset credulitas in omnibus; omnes tamen credidissent si non sola signa, sed etiam ipsum signatum vidissent, eo modo qua pastores; Magi, Simeon, Anna, hoc est, si sic omnibus fuisset manifestata Christi Nativitas, quo modo fuit jam dictis ostensa, non solum sc. exterius per signa, sed etiã interius per lumen fidei; atq; ita patet quo modo B. Th. dicat quod fuisset impedita humana redemptio: si enim omnes credidissent, Christus nõ habuisset persecutores & crucifixores.

Quod sumitur in secundâ ratione, *hoc diminuisset meritum fidei:* verum est, quia plurimi credidissent propter signa potius quam propter divinam revelationem; & sic in illis diminutum, imò extinctum fuisset meritum fidei.

Tertia, quæ est ex testimonio Aug. servit ad probandum Christum non debuisse per seipsum Nativitatem suam omnibus manifestare; sic enim verisimile est multos fuisse dubitaturos, an vera esset ejus humanitas, vide art. 4.

De verbis Apostoli 1. Corinth. 2. *Si enim cognovissent*, &c. quæ hîc in corp. citantur, vide qu. 45. art. 1.

### ARTICULUS II.

*Debuit Christi nativitas aliquibus manifestari.*

ART. 2. probat Nativitatem Christi debuisse aliquibus manifestari; quia nulli fuisset proficua, si omnibus esset occulta: *Sapientia enim abscondita, & thesaurus invisus, qua utilitas in utrisque?* Ecclesiastici 10.

Deinde, ad ordinem divinæ sapientiæ pertinet, ut Dei dona & opera non maneant penitus occulta, *Opera enim Dei revelare & confiteri, honorificum est.* Tob. 12. Neque tamen ad omnes æqualiter debent pervenire, sed ad aliquos priùs, ad alios posteriùs.

Quod in Resp. ad 3. dicit, *Christus non venerat, regnum in terra habere.* Confer cũ q. 31. ar. 2. ad 3.

### ARTICULUS III.

ART. 3. declarat convenienter electos eos quibus est manifestata Christi Nativitas, sc. Magos, Simeonem, & Annam, & Pastores; quibus pastoribus annuntiatio facta est ad turrim Ader, id est, gregis, *Iuxta quam Iacob pavit greges suos*, ait Hieron. Ep. 27. c. 5. & de quâ etiam habetur Micheæ 4.

In



*Magi de quibus Matth. 1. non fuerunt malefici.*

In Responsione ad 2. est observandum nomen *Magorum* non semper in malam partem sumi quemadmodum testatur Hieronymus in caput 2. Danielis. Quamvis ergo non sit improbabile Magos de quibus Matth. 2. utpote Gentiles, vanitati & superstitioni deditos fuisse, & non soli naturali laudabilique scientiæ: quia tamen nihil cogit dicere, quod fuerint malefici; ideo potius existimandum videtur quod fuerint sapientes, à peritiâ astrorum, Magi vocati. Ita sentiunt Anselmus, Beda, Rupertus in ca. 2. Matth. S. Leo serm. 4. de Epiphania & alij; quorum plerique & reges; & tres fuisse dicunt, conformiter officio Ecclesiastico: Ita tamen ut usitato more scripturæ, rex intelligatur is qui oppidi sui est dominus, quomodo amici Iob vocantur reges, Tobiæ 2. & alij quinquot, quos superavit Abraham, Genes. 14.

Quod autem scriptura Magorum nomine ipsos appellaverit, non regum: ratio est, quia non ei illud accommodatius erat per stellam adductis; & fortassis non minus honorabile, quandoquidem eo significentur fuisse sapientes; nomen autem regum significet solam potentiam.

In Responsione ad 3. tanguntur duo prodigia quæ nativitati Christi famulata sunt: præter quæ, alia contigisse, ut quod oracula dæmonum defecerint, quod puro serenoq; cœlo circulus ambierit orbem solis; quod Augustus vetuerit se vocari dominum; quod Iani foribus jam tertiò clausis, totus orbis in pace compositus esset; constat ex Orosio lib. 6. cap. 20. & 22. Nicephoro li. 1. c. 17. & alijs historicis.

*Prodigia circa Christi adventũ.*

Sciendum tamen est errare eos qui omnia contigisse scribunt eadem ipsa die, quâ Dominus natus est: Paulò enim antequam nasceretur Augustus, in Capitolio statuæ de cælo tactæ liquefactæ fluxerant; dejectaque erant simulachra Iovis & aliorum.

Et adhuc ante, illustrissimum totoque orbe celeberrimum Apollinis Delphici oraculum occlusum erat, nec usitata responsa dabat.

Anno ab urbe Rom. condita circiter 710. circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambijt, cœlo penitus sereno.

Anno sequenti visus est sol intra tres circulos effulgere, quorum unum corona spicarum ignita circumdabat. Postea visi fuere tres soles.

Fons deinde olei fluxit, annis ante Christum natum facile triginta.

Hæc omnia propter venturũ Regem Regum, idololatriæ calcatorem, solis creatorem, singulariter unctum, contingebant, etsi à Gentilibus non sic intelligerentur. Porrò quod Augustus Dominus vocari recusaverit, Dio id refert factum anno Urbis 757. hoc est, anno sexto post Christum natum. Videri potest Baron. in Apparatu, & Haræus ad ann. Urbis 751.

Quod verò quidam referunt de Templo Pacis, ipsa natalis Domini nocte, Romæ collapso, probari nõ potest: Referente enim Iosepho l. 7. de bello Iudaico, c. 14. & alijs à Baronio citatis in principio Annalium, demum fuit constructum à Vespasiano post Iudæos edomitos, qui cœpit imperare anno septuagesimo post Christum natum.

In eadem Resp. quæri potest, ex quâ regione Magi venerint: quamvis enim Evangelium dicat, *ab Oriente*, non constat tamen ex quâ parte Orientis, ideoque nonnulli putant venisse ex Chaldæa, alij ex Perside, alij, quibus non illibenter assenti-

*Sylvius in III. Part.*

*Magi venerunt ex Arabia.*

mur ex Arabia. In his sunt Iustinus in dialogo cum Triphone, Tertull. l. contra Iudæos ca. 9. & l. 3. contra Marcionen. c. 13. Epiph. in compendio, Baronius & alij.

Confirmatur, tum quia obtulerunt ea dona quorum felix Arabia est ferax: tum quia Scripturæ quas Ecclesia recitat in festo Epiph. significant Magos fuisse Arabes: Ps. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent. Dabitur ei de auro Arabiæ*, Isai. 60. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes.* Has enim de Messia intelligi tam nostri quam Iudæorum interpretes tradunt.

Accedit quod Madian, Epha, & Saba, ex Abraham oriundi, Genes. 15. incoluerunt terram Orientalem, eique nomina sua reliquerunt. Unde Hieronym. in cap. 60. Isai. *Madian & Epha regiones sunt trans Arabiam, omnúq; provincia appellatur Saba.*

Cùm autem Arabia sit triplex, deserta, petræa, & felix: Magos venisse putamus, non ex Arabia deserta, quæ nec regibus, nec opibus abundabat; neque ex petræa, quæ Iudææ est vicina, ipsique meridionalis: sed ex felice, quam constat feracem esse auri & aromatum.

Si dicas venisse ex Saba Æthiopiæ, juxta ea quæ Ps. 71. leguntur ex veritate Hebraica; Reges Scheba (Arabicæ,) & Seba (Æthiopicæ) munus offerent: in primis responderi potest incolas Arabiæ felicis olim vocatos fuisse Sabæos, ipsamque provinciam Sabam. Deinde, rectè intelliguntur venisse ex Saba Æthiopiæ; non meridionalis, ex quâ venit Regina Saba 3. Reg. 10. & Matth. 12. sed Orientalis: ita enim venerint ex locis Arabiæ.

Porrò, quia hæc Arabia felix sic est vicina Persidi, ut solo sinu Persico ab ea separetur, ideò interdum sub Persiæ appellatione comprehenditur: Et huc fortasse spectârunt, qui scribunt Magos ex Perside venisse.

Quia verò S. Leo alijque complures tradunt Magos fuisse commotos vaticinio Balaam; sciendum est illud prolatum fuisse in Arabia, quandoquidem Moab (ut testatur Hieronymus libro de locis Hebraic. & in cap. 15. Isaiæ) sit in Arabia, imò provincia Arabum. Et quamvis B. Thomas hîc sub disjunctione dicat Magos, *vel ex ultimis Orientis partibus venisse: vel de aliquibus Iudææ vicinis*: articulo tamen 8. ad 1. vocat eos longinquos alienigenas; & in RESP. ad 3. docet studio Magorũ de longè venientium damnatam esse Iudæorum pigritiam proprè existentium; ut propter ea magis existimasse videatur, quod à remotis partibus venerint, etsi non omnibus ab extremitate Orientis.

### ARTICULUS IV.

*Non decebat ut Christus per se suã nativitatem manifestaret.*

ART. 4. ostendit Christum non debuisse Nativitatem suam per se manifestare; tum ne alioquin derogaretur fidei humanitatis; tum etiam, quia alij infantes non seipsos manifestant; Christus autem assumpsit nativitatem infirmitati nostræ similem.

Liber de infantiâ Salvatoris, quem in responsione ad 3. dicit esse apocryphum, talis judicatus est à Gelasio distinctione 15. cap. *Sancta Romana.*

An verò miraculum conversionis aquæ in vinum de quo in eadem resp. agitur, fuerit omnium

Universidad de Deusto
Biblioteca



primum; examinandum erit articulo tertio, qu. 43. A

Interim verò observa non decuisse ut Christus adhuc puer miraculum faceret.

*Non fuit conveniens quod Christus puer faceret miracula.*

Primò, quia voluit habere infantiam & pueritiam similem aliorum hominum pueritiæ & infantiæ. Unde S. Leo ser. 4. de Epiph. dicit Magos vidisse & adorasse puerum quantitate parvulum, alienæ opis indigum, fandi impotem, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem.

Secundò, quia si in primâ ætate miracula fecisset, vulgus existimasset Incarnationem esse phantasma, & ante tempus oportunum, Cruci eum tradidisse, livore liquefacti, ait hic B. Thom. B

Tertiò, quia etiam ad virilem ætatem provectus, se occultare & in miraculis edendis laudem fugere consuevit. Nam quos ipse curasset, ijs imperabat ut nemini dicerent: quo modo igitur fuisset conveniens ut in ætate puerili miracula faceret, seque miraculis manifestaret.

Denique, si in illa ætate miracula fecisset, Israelitæ non indiguissent alio ipsum manifestante; cùm tamen Joannes Baptista dicat Ioan. 1. *Vt manifestetur in Israël; propterea veni in aquâ baptizans.* Cum B. Tho. hîc ad 3. conferri potest Euseb. l. 9. demonst. Evang. c. 4.

## Articulus V.

*Manifestatio Nativ. Christi varia ad varios.*

Art. 5. docet Nativitatem Christi convenienter manifestatam Simeoni & Annæ, tanquam justis, per interiorem Spiritus Sancti instinctum; Pastoribus, tanquam Judæis apud quos frequens erat Angelorum apparitio, per Angelos; Magis, tanquam Gentilibus, in consideratione cœlestium corporum assuetis, per stellam; quam licet ex Prophetia Balaam, *Orietur stella ex Iacob*, Num. 24. eos observasse tradant Basilius hom. de humana Christi generatione, Chrysostomus hom. 6. in Matth. Hieronymus & Anselmus in caput 2. Matthæi, & Origenes super Numeros: omnino tamen est dicendum quod præter signum visibile, adfuerit internum lumen, ipseque Spiritus sanctus, quo inspirati cognoscerent, quis & quantus esset ille qui per stellam illam significabatur. Neque enim ex solius stellæ aspectu scire poterant natum esse Christum, regem spiritualem, verum Deum & verum hominem: cum tamen quærerent Christum, non Regem dumtaxat temporalem, sed ut spiritualem; neque ut hominem tantum, sed etiam ut Deum; quemadmodum mysticis munerum oblationibus protestati sunt, dicente Iuvenco Evangelicæ hist. l. 1.

*Magi præter stellam habuerunt divinam inspirationem.*

*Aurum, thus, mirrham, Regi, homini, Deo, dona ferunt.*

Atque hanc esse mentem B. Th. manifestum E est, si conferantur quæ dicit tum hîc in Resp. ad 4. fin. tum ar. 8. in corp.

Eadem est sententia Chrysost. hom. 6. Ruperti, & Anselmi in cap. 2. Matth. Augustini serm. 7. de Epiphania, Chrysologi serm. 156. & communiter aliorum, inter quos S. Leo ser. 2. *Dedit* (ait) *inspicientibus intellectum, qui præstitit signum:* Et ser. 3. *Agente hoc, sine dubio, in eorum cordibus inspiratione divinâ, ut eos tantæ visionis mysterium non lateret.*

Unde patet illorum opinionem qui voluerunt Magos ex inspectione siderum potuisse cognoscere Christi Nativitatem, à Sixto Senensi libro 6. Bibliothec. annotatione 10. meritò refelli.

Quod in Arg. ad oppositum citatur ex Deut. 32. *Dei perfecta sunt opera*, hunc sensum habet; Dei opera nulla ratione culpari aut reprehendi possunt, sed sunt irreprehensibilia. Unde sequitur, *Et omnes Viæ ejus judicia*, id est, omnia ejus opera justa & æqua sunt. Quo modo Sapientia Prov. 8. dicit, *Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum.*

## Articulus VI.

*Ordo manifestationis Nativ. Christi.*

Art. 6. declarat Nativitatem Christi convenienti ordine manifestatam, quia ipse Deus est qui mutat tempora & ætates, Dan. 2. ideoque ad ipsum spectat disponere tempus, & ordinem temporis, quo quidpiam est hominibus manifestandum. Manifestavit autem se primò Pastoribus, qui Apostolos, Judæorumque primitias repræsentabant: Deinde, Magis qui erant primitiæ Gentium: Denique, justis in templo, qui repræsentabant plenitudinem Iudæorum; quia fides Christi primò fuit manifestata Apostolis; deinde, plenitudini Gentium; postremò manifestabitur plenitudini Iudæorum.

Circa Responsionem ad 3. difficultas est,

### *Quando stella cœperit apparere; & quando Magi Christum adoraverint.*

Quidam enim opinantur eam apparuisse biennio ante Nativitatem Christi, ut Aug. serm. 7. de Epiph. & serm. 1. inter editos à Parisiens. aut certè ante multum tempus, ut Chrys. hom. 7. in Matth.

Alij dicunt Christum adoratum biennio post stellæ apparitionem & Christi Nativitatem, ut Epiphan. hæresi 30. & 51. propterea quod Herodes jussit interfici infantes à *bimatu & infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.* Inde enim apparet eos in Hierusalem perveniisse biennio post ortum stellæ. D

Alij denique sentiunt Magos non nisi post Purificationem B. Virginis & Præsentationem Christi in Templo, advenisse.

Primò, quia locus Orientis ex quo venerunt, multorum dierum itinere distabat ab Hierusalem, neque tamen iter arripuerunt statim visâ stellâ, sed credibile est quod prius simul convenerint, ac de apparitione differuerint, tandemque divino lumine illustrati resolverint esse illam de quâ Balaam prædixerat; & sic cœperint proficisci.

Secundò, quia statim post discessum Magorum Ioseph in somnis est admonitus ut in Ægyptum cum puero & matre fugeret: eademque nocte fugit. Quo modo ergo potuisset B. Virgo die quadragesimo esse in Hierusalem?

Tertiò, si post adventum Magorum & inquisitionem novi Regis in Bethleem nati, fuisset infans in Hierusalem ubi erat Herodes, allatus & in Templo præsentatus; quo modo non fuisset objectus manifesto discrimini?

Denique, Si Magorum adventus præcessit Purificationem, qui fit quod oblatione pauperum fuerit contenta Virgo Deipara, quæ magnam auri



auri copiam acceperat ex muneribus Magorum? A His tamen non obstantibus.

Resp. verius videri, quod stella ipso demũ Nativitatis Domini die apparuerit; quodque Magi post visam stellam iter arripientes, dromedariorum velocitate adjuti pervenerint in Bethleem decimâ tertiâ die à Christi Nativitate.

*Stella cœpit apparere die Nativit. Christi.*

Prius Probatur, quia Scriptura refert Mat. 2. Magos quæsiviisse, *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam ejus*, scil. nati Regis. Unde apparet quod intellexerunt stellam esse indicium nati regis: si autem apparuisset vel biennio, vel saltem ante Christum natum; magis fuisset indicium nati Regis nascituri, quàm nati.

Confirmatur, si stella biennio ante Christi Na- B tivitatem apparuit, & ideò Herodes biennes infantes occidit: videtur quod occidisset, sicut minores biennio, ita & majores; alioquin nequivisset comprehendere tempus ætatis Christi; poterat enim existimare illum simul cum stella natum, & sic esse plusquam biennem, si duxerant anni duo antequam Magi ad Herodem venirent, & iterum menses aliquot post eorum ab Herode discessum. Neque verò propter itineris longitudinem aliter est dicendum: Nam & in sententia Augustini, neque iter arripuerunt, neque quem stella designaret intellexerunt, nisi Christo nato.

Posterius, scilicet Magos decimo tertio die Christum adorasse, communis & antiqua Eccle- C siæ traditio est, quemadmodum docent Canus lib. 11. de locis Theol. cap. 5. ad 5. Iansenius c. 9. concordiæ, Baronius, Torniellus; & ante ipsos Anselmus seu quisquis author est commentarij in Matth. qui extat sub ipsius nomine, & B. Thomas. Si enim vel post biennium à Christi nativitate, vel post annum, vel etiam post purificationem Magi venissent, non invenissent Christum in Bethleem; cum scriptum sit Lucæ 2. quod postquam perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Confirmatur. Ioseph & B. Virgo erant peregrini in Bethleem: non est ergo verisimile quod post observata quæ secundùm legem erant D facienda, reversi sunt in Bethleem, sed potius in Nazareth ubi habebant domicilium: præsertim cum non venerint in Bethleem nisi causa census, quæ nunc cessabat.

Si dicas, eadem ratione voluisse Iosephum jam ire ex Ierusalem in Bethleem, quâ revertens ex Ægypto volebat ire in terram Iuda, nisi metus Archelai, & exinde monitio divina ipsum impediviset: Resp. non esse eandem rationem. Credibile est enim quod ex Ægypto rediens libenter transisset per Ierusalem, ac fortasse etiam Bethleem, sacra loca revisurus & gratias Deo acturus. Quæ ratio cessat in reditu è Jerusalem, quia no- E vissimè fuerat in Bethleem diebus quadraginta. Quod alij dicunt Iosephum elegisse habitationem in Bethleem, valdè incertum est, nulloque modo credibile quod voluerit illic figere sedem antequam fuisset in Nazareth, locum ab Angelica annuntiatione, Verbique Domini conceptione sacrum, ubi & habebat domicilium. Sunt qui verba B. Lucæ, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth, intelligunt pro eo tempore, quo rediverunt ex Ægypto. At scripturæ contextus significat eos in Nazareth venisse, nõ post annos plures, sed ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini, hoc est, mox ut absolverant quæ pro pueri præsentatione, matrisque purgatione lex jubebat. Atque ita intelligunt plærique scripturæ divinæ interpretes.

Quare ad id quod vel Augustinum vel Epiphanium movit contra priorem hujus assertionis partem, salvo, quem maximum illis deberi scimus honore; cum alijs etiam sanctis & doctis viris, imò & cum ipso Aug. l. 2. de consensu Evangel. cap. 11.

Resp. Herodem eò quod à Magis nihil audiret, existimasse ipsos fallaci visione deceptos; & cùm nihil reperissent, pudore prohibitos, redire in Ierusalem. Peractâ verò purificatione, ac vulgatis ijs quæ in templo acciderant; seipsum à Magis delusum existimavit, & cœpit quærere puerum ad perdendum; ac secundo vel tertio mense, cùm interea Christus à templo latus esset in Nazareth, Luc. 2. & à Nazareth in Ægyptum; Matth. 2. aggressus est cædem infantium: quos *occidit à bimatu & infra*, non quod existimaret stellam à biennio apparuisse, sed præ timore & furore, ac ob majorem securitatem. Quod autem dicitur; *secundum tempus*, significat eum ex consideratione temporis auditi à Magis, constituisse occidi omnes bimulos, & qui essent minoris ætatis. Sicut enim ad majorem cautelam occidit infantes non tantùm Bethleemitas, sed etiam quos reperit in omnibus finibus ejus; quamvis audivisset Christum in Bethleem nasciturum; ita credibile est extendisse tempus: ideòque licet putaverit cum apparitione stellæ puerum natum, timuisse tamen ne vel aliquantò ante, vel aliquantò post esset natus. Videri possunt Chrysostom. Beda: & alij super Matth. B. Thomas, ejusque commentatores hîc.

*Cur Herodes occiderit infantes bimulos.*

Ad ea quæ contra posteriorem assertionem opponebantur, Et Ad 1. quidem Resp. negando locum unde venerunt, ita fuisse dissitum ut non potuerint, saltem dromedariorum opera, totum iter conficere novem aut decem diebus.

Ad 2. Resp. admonitionem quæ Matth. 2. refertur facta ut in Ægyptum fugerent, non contigisse vel in Bethleem, vel statim à recessu Magorum, sed in Nazareth, post purificationem. Cum enim Matt. dicit, *Qui* (Magi) *cum recessissent*, prætermittit, teste Aug. l. 2. de consensu Evang. c. 5. ea quæ Lucas c. 2. narrat gesta circa Dominum, in templo, & dicta à Simeone & Anna. Ideo si quis velit unam ex utraq; narrationem texere, sic intelligere debet; Qui cum recessissent postquam impleti sunt dies purgationis matris, & servata sunt quæ lex jubebat, venerunt in Nazareth: & Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph &c.

Ad 3. Resp. non fuisse periculum, eò quod Herodes putabat Magos fuisse deceptos.

Ad 4. Resp. B. Virginem aurum quod acceperat, dedisse in eleemosynas: neque fuit conveniens ut oblationem divitum ipsa paupertatis amans eligeret.

Ex his consequenter videri potest probabile, Magos invenisse Christum in spelunca ubi natus fuerat, quemadmodum indicasse videntur Hieronymus epistola 17. & 18. Aug. serm. de Epiphania, & alij quidam. Quia tamen ratio ob quam Evangelista commemorat B. Virginem reclinasse infantem in præsepio (*quia scilicet non erat ei locus in diversorio*) tunc cessabat, dilapsâ hospitũ multitudine, qui occasione descriptionis adventaverant: ideò

*Vbi Magi Christum adoraverint.*

ideo Theophilactus, Ianſen. Maldonatus, Salianus & alij quidam probabiliùs exiſtimant, quod B. Virgo in domum aliquam ſe receperit, de qua Matth. *Et intrantes* (Magi) *domum, invenerunt puerum, cum Maria matre ejus.* Idemque videtur indicaſſe Chryſoſtomus. hom. 8. in Matth.

Certè, ſi ſtabulum ſive ſpelunca erat locus vel communis, vel cuique pervius (quod nonnulli ſentiunt) admodum probabile eſt verecundam S. Virginis puritatem, quæ ſecreta magis quam publica loca diligebat, non tuliſſe morari in loco illo diutius quam neceſſitas poſtularet, ideòque domum aliquam petijſſe quam citò fieri potuit; potuit autem digreſsâ multitudine, quia nullo præcepto tenebantur puerperæ in loco partûs morari, ſic ut non poſſent vicinum adire, præſertim eo caſu quo neceſſitas domum eis præcluſiſſet ad pariendum.

Si dicas Eccleſiam canere, *Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium:* Resp. id eſſe verum, ſive quia duxerit ad domum in qua puer erat, & cui vicinum erat præſepium; ſive quia Magi ſtellâ duce pervenientes ad domum, etiam ſpeluncam ac præſepium eadem duce viſitaverunt.

*Singuli Magorũ tria munera obtulerunt.*

De muneribus autem, An ſinguli Magorum ſingula obtulerint; An verò ſinguli tria; non una eſt omnium ſententia. Anſelmus, Paſchaſius, Ratbertus, & alij qui tria per ſingulos oblata affirmant, probabiliſſimè loqui videntur.

Primò, quia dicuntur aperuiſſe theſauros: ſi quis autem ſolam myrrham, aut ſolum thus obtuliſſet, nulla theſaurorum apertione fuiſſet opus.

Secundò, quia ſinguli credebant ac profitebantur puerum quem adorabant, eſſe regem, eſſe hominem, eſſe Deum.

### Articulus VII.

*Stella Magis apparens fuit novi.*

Art. 7. variè probat ſtellam quæ Magis apparuit, non fuiſſe unam de numero cæleſtium ſiderum, ſed novam de novo creatam ſeu productam ex elementari aliqua præjacente materia. Erat hæc ſtella non in ſublimi cœlo ſtellato, ſed in aëre, vicino terræ: Quomodo enim alioquin duxiſſet Magos, & certam eis domum deſignaſſet?

*Quæſt. 1*

Quæri hîc poſſunt, tria, 1. Utrum hæc ſtella in Oriente exiſtens apparuerit Magis; An potius Magis in Oriente exiſtentibus ipſa apparuerit exiſtens in terra Iuda

*Reſp.*

Resp. cum B. Thoma, quod in Orientis plaga exiſtens apparuerit. Id enim magis ſignificare videntur verba ſive Magorum, *Vidimus ſtellam ejus in Oriente*, ſcilicet ortam & fulgentem; ſive Evangeliſtæ Matth. 1. *Stella quam viderant in Oriente.* ſitam videlicet. Neque obſtat vaticinium Balaam Num. 24. *Orietur ſtella ex Iacob.* Illud enim de Chriſto Domino ad litteram intelligitur, qui Apoc. 22. vocatur *Stella ſplendida & matutina:* Ad hanc autem ſtellam in aëre conſpectam pertinet, tanquam quæ eſset indicium ſtellæ illius principaliter intentæ.

*Quæſt. 2.*

Secundum; An hæc ſtella fuerit à Iudæis viſa.

*Reſp.*

Resp. non fuiſſe. Ex textu namque Evangelij conſtat Herodem non ab alio quam à Magis didiciſſe tempus apparitionis ſtellæ. Deinde, ſi ſola relatio apparitionis in cauſa fuit ut Herodes turbaretur, & omnis Jeroſolyma cum illo; quid feciſſent Judæi, ſi ipſimet vidiſſent ſtellam proficiſcentem ab Jeruſalem uſque in Bethleem? quomodo fuiſſent omnia turbationibus plena? quarum tamen turbationem ſcriptura non meminit. Cæterum, utrum à nullis prorſus præterquam à Magis viſa fuerit, incertum eſt. Nicephorus li. 1. cap. 13. probabiliter putat quod Aſtrologi eam viderint.

*Quæſt. 3.*

Tertium, An ſtella Magos duxerit ab Oriente uſque in Ieruſalem. Sententia quidem affirmans ex quorundam veterum ſententijs, Auguſtini, & Leonis in ſermonibus de Epiphania, Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij in Matthæum, probabilitatem habet. Eam tamen à quibuſdam relinqui ſub dubio tradit hîc S. Doctor. Et quamvis non dubitemus quin Magos duxerit à Jeruſalem uſque in Bethleem; quod nihilominus non duxerit ab initio uſque in Ieruſalem, videtur ſacræ Scripturæ conforme, ut Ianſenius & aute eum Paſchaſius Ratbertus docent: quia ſpecialiter poſt egreſſum de Ieruſalem dicit Scriptura: *Ecce ſtella quam viderant in oriente, antecedebat eos*, quaſi antea, ſolum fuerit viſa, non autem anteceſſerit. Accedit quod iter Magorum in Bethleem non erat per Ieruſalem: atque ideò ſtella quæ recto itinere duxiſſet, ſi præiviſſet; non videtur eos præiviſſe & præeundo viam monſtraſſe. Ita etiam ſentit Torniel.

*Reſp. Stella non toto itinere præivit Magos.*

Dices, ſi venerunt uſque in Ieruſalem abſque ductu ſtellæ: quid neceſſe fuit eam antecedere à Ieruſalem uſque in Bethleem? Resp. duas ob cauſas. Primò, ut fides Magorum tentata, corroboraretur. Secundò, ne cogerentur ſollicitiùs inquirere, & ſic occaſionem dare prodendi Herodi natum regem.

### Articulus VIII.

*Magi exhibuerunt Chriſto honorem divinum.*

Art. 8. declarat. Magos & convenienter ad Chriſtum adorandum acceſſiſſe, & reverentiam illi exhibuiſſe non civilem, ſed ſpiritualem, eamque talem quæ ſoli Deo convenit. Videbant enim hominem, & agnoſcebant Deum. Unde & obtulerunt munera dignitati ejus congruentia; aurum quaſi regi magno; thus ut Deo; myrrham, ut pro ſalute omnium morituro. Ita ſentiunt SS. Patres, tum in ſermonibus de Epiphania, Auguſtinus, Leo, Fulgentius, Bernardus; tum in Comment. ſuper Matth. Chryſoſt. Hieronymus, & alij.

## QUÆSTIO XXXVII.

*De circumciſione Chriſti.*

### Articulus I.

*Decuit Chriſtũ circumcidi.*

Art. 1. varijs rationibus ex Epiphanio hæreſi 30. ſumptis, probat Chriſtum debuiſſe circumcidi; debitum intelligens non neceſſitatis, ſed congruentiæ: quandoquidem, ut ar. 4. loquitur, Chriſtus *non eſſet legi obnoxius* ſive, ut qu. 20. art. 1. dicebamus, non eſſet legi Moſaicæ ſubjectus. *Sub qua* tamen ad Galat. 4. *factus* dicitur: quia voluntariè ſe illi ſubjecit, ut *eos qui ſub lege erant*, id eſt, qui legis mandatis & authoritate obſtricti tenebantur, *redimeret.*

*Chriſtus octavo die circumciſus.*

Circumciſum autem eſſe die octavo teſtatur Evangeliſta dicens: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt*, ſive ut in Græco ſignificantiùs habetur. *Et vocatum eſt nomen ejus* Jesus, id eſt, Cum jam adeſſet dies octava circumciſioni deſtinata, & circumciſus eſt, & vocatum eſt nomen ejus Jesus, hoc enim ſignificat copulativa adjuncta, conſentientibus Patribus, & Eccleſia ipſa in officio.



*Cauſa circumciſionis.*

Circa Reſponſionem ad 1. obſervandum eſt varias fuiſſe cauſas circumciſionis: ſcilicet ut eſſet ſignum fœderis de Chriſto ex ſemine Abraham naſcituro: ut eſſet fidei illius proteſtatio; & ſpiritualis circumciſionis ſignificatio: ſpecialiter autem, ut populus Dei conſignaretur, ejuſque cultui deputaretur, *ut ſim* (inquit Deus Gen. 17. *Deus tuus, & ſeminis tui poſt te*, Et cum hæc poſtrema in Chriſtum competeret; conſequens eſt eum abſque mendacio vel ſignificatione falſi circumciſum, quomodo Paulus circumcidit Timotheum, etiam poſt Domini Aſcenſionem, Act. 16. Conferatur qu. 70. art. 1. de cauſis circumciſionis.

*Qui locus circumciſionis Chriſti.*

In Reſponſione ad 5. indicat octavam rationem Chriſti circumciſi, *ut ſuſcipiendo figuram, impleret veritatem*; de quâ Auguſtinus ſerm. 13. de tempore.

Locus autem circumciſionis fuit Bethleem, ut expreſſit Epiphanius hæreſi. 20. quia nullus erat locus circumciſioni deputatus, ſed quilibet circumcidebantur in privatis ædibus. Chriſti autem circumciſio probabiliter putatur facta non à principe Sacerdotum, de quo nullum extat legis decretum, ſed vel à Ioſeph, vel à B. Virgine. *Ipſa* (inquit Bernardus, ſeu quiſquis apud Bernardum eſt author ſermonis de lamentatione B. Virginis) *genuit eum, lactavit eum, die octavâ circumcidit, & quadrageſimâ præſentavit in templo*; Aut certè facta fuit ab uno ex illis qui conſtituti erant proprij circumciſionis miniſtri, ſi verum eſt quod quidam ſcribunt, extitiſſe in ſingulis civitatibus & villis proprios miniſtros à principibus ſacerdotum deputatos, qui de ortu alicujus pueri admoniti ad domum octavo die veniebant, eum circumciſuri: de quibus intelligi poteſt illud Lucæ 1. *Et factum eſt in die octavo venerunt circumcidere puerum.* An verò præputium à Sancta Virgine ſervatum, fuerit in reſurrectione reaſſumptum, videbitur qu. 54.

### Articulus II.

*De nomine Jeſu.*

Art. 2. declarat Chriſto convenienter impoſitum nomen Iesus; quod licet materialiter & ſecundùm litteras, alijs quibuſdam convenerit, ut B. Thomas veteres ſecutus hîc affirmat, repugnantibus licet quibuſdam; integra tamen & perfecta ſignificatio ſoli Chriſto convenit: utpote qui ſolus univerſalem, perfectam, & integram ſalutem attulerit, corporum & animorum, temporalem & æternam. Quæ omnia cum in nomine Iesus ſignificentur; hinc eſt quod reverentiam exhibemus potiùs eo audito, quàm audito nomine Chriſti aut Dei; attento etiam, quod ſit ei proprium, non appellativum, non metaphoricum.

Locus Iſaiæ 62. in argumento 2. adductus per accommodationem Chriſto tribuitur; in ſenſu autem proprio pertinet ad Sionem, cui promittitur nomen novum, ſcilicet nomen Eccleſiæ Chriſti populique Chriſtiani: ut exponunt Hieronymus, Cyrill. Thom. in cap. 62. Iſaiæ, & Euſebius l. 2. demonſtrationis Evang. c. 49.

### Articulus III.

*Chriſtus in templo oblatus.*

Art. 3. oſtendit Chriſtum convenienter in templo oblatum. Erant enim duæ leges: una ſpecialis, circa ſolum maſculum eumque primogenitum, ut offerretur Deo & redimeretur quinque ſiclis Exod. 13. de Num. 18. Altera generalis, circa omnem puerperam, ut in die purificationis ſuæ pro filio ſive pro filiâ, deferret agnum & pullum columbæ, ſive turturem; vel ob tenuitatem, duos turtures aut duos pullos columbarum, Levit. 12. Et quia oblationi primogeniti non erat per legem præfixus dies; videtur conſuetudo habuiſſe, ut fieret eadem die qua purificatur mater. Unde Lucas c. 2. ſignificat idem obſervatum à B. Virgine; & præſuppoſita ejus paupertate, ſolum facit mentionem oblationis pauperum.

Circa legem priorem, quidam opinantur verba illius Chriſtum comprehendere, dicentes, quod aperire vulvam, non aliud ſit quàm primò exire de vulva; ſed contrarium eſt probabilius; quia in rigore ſermonis aperire vulvam, eſt naſci referando vulvam matris; hanc autem in matre Chriſtus non aperuit, ut art. 2. qu. 28. diximus.

*Quæſt.*

Circa legem poſteriorem, quæritur pro cujus peccato dicatur offerendum ſacrificium. Videtur quod pro peccato filij ſeu filiæ, partim quia lex habet, *Pro filio ſive pro filia, deferet agnum*; partim, quia Luc. 2. de parentibus Chriſti dicitur, *quod fecerunt ſecundùm conſuetudinem legis pro eo.*

*Reſp.*

Resp. Legem Levit. 12. Præſcribere ſacrificium pro peccato ſolius matris: ſic enim habet, *orabitque pro ea ſacerdos, & mundabitur.* Quod autem præcedentibus, hoc ſenſu: Cumque expleti fuerint dies deſtinati purificationi ſive pro filio genito, ſive pro filia, hoc eſt, purificationi ab immunditia contracta ex partu filij vel filiæ; agnum immaculatum deferet. Illud autem Lucæ, *pro eo*, intelligendum eſt ſicut id quod in Eccleſiaſtico Officio dicitur, *obtulerunt pro eo domino*, id eſt, quia eum B. Virgo pepererat.

*Quæſt.*

Sed alia difficultas eſt, quodnam fuerit peccatum matris, pro quo expiando jubebatur offerri ſacrificium.

*Reſp.*

Resp. fuiſſe immunditiam legalem ex profluvio ſanguinis contractam, ob quam nihil ſacrum poterat tangere, & qui eam tetigiſſent, immundi reddebantur. Ab hanc immunditia, non autem à veri & proprij nominis peccato, purgabat iſtud ſacrificium; nam *legalia ſacramenta non purgabant ab immunditia culpæ, quod ſit per gratiam: ſed ſolùm purgatione quadam carnali purgabant ab immunditia irregularitatis cujuſdam*, ait Author art. ſequenti ad 3. Unde quod hîc in c. refert ſacrificium ad expiationem pro peccato, in quo proles erat concepta nata; non eſt intelligendum de peccato ejus originali, quod in circumciſione remittebatur, ſed de immunditia ex vi conceptionis impuræ ortâ.

### Articulus IV.

*B. Virgo convenienter venit purganda ad templum.*

Art. 4. docet B. Virginem convenienter acceſſiſſe purgandam ad templum, etiamſi hac legali obſervantia non indigeret, neque ad eam teneretur, eò quod nullam contraxerat immunditiam, nec peccati, nec legis: quia decebat ut ipſa humilitatis & obedientiæ exemplum daret

legem approbaret, & Judæis occasionem calumniæ tolleret.

Quamvis autem nonnulli velint verba legis Levi. 12. *Mulier quæ suscepto semine pepererit masculum*, eam comprehendere; propterea quod in Hebræo habeatur, Mulier quæ seminificaverit seu quæ fecerit semen, id est, quæ generaverit, ut semen pro ipsa prole positum intelligatur: Contrarium tamen quod B. Thomas in resp. ad 2. indicat probabilius est. *Lex ipsa matre Domini non includit quæ non suscepto semine peperit*, ait Bernardus ser. 3. de purificatione. Eadem est sententia Origenis Procopij, Ruperti, Bedæ super Levit. & Theophilacti super Lucam. Etsi enim quandoque ponatur *semen* pro ipsa proles seminificare, tamen, & suscepto semine parere propriè est emittere prolem ex semine susceptam.

*B. V. non tenebatur lege purificationis.*

Adde, quod cessante ratione legis in particulari, non propterea cessat obligatio erga eum qui verbis legis comprehenditur: ut ergo B. Virgo ostendatur non fuisse obligata ista lege, melius dicitur non fuisse comprehensa verba ipsius.

Absolutis autem omnibus quæ secundùm legem facienda erant in Jerusalem, Virgo Deipara & Joseph non per oracula moniti ut Nazareth pergerent; quasi libentius in patria conversantes, illuc ultrò perrexerunt, ut scribit Græcus interpres apud B. Thomã in catena. Ubi cum essent, Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, eum admonens ut in Ægyptum fugiat, eò quod futurũ esset ut Herodes quæreret puerum ad perdendum eum.

*Quæst.* Sed quæritur, quid opus fuga; cum Dominus aliter posset effugere machinationes Herodis.

*Resp.* RESP. primam rationem esse; quia non conveniebat ut Christus adhuc puer existens inciperet miracula facere, quemadmodum quæst. 36. art. 4. fuit declaratum; sed potius esset inter homines quasi unus ex illis, *in similitudinem hominum factus.*

Secunda est, ut ostenderetur quod vitam ærumnis & periculis plenam assumpserat.

Tertia, ut fidelibus suis exemplum daret fugæ capessendæ, quando esset persecutio.

*Ob.* Dices cum Herodes tantum jusserit occidi pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus ejus: quare Christus non est relictus in Nazareth,

*Resp.* aut in alio aliquo Judeæ loco. RESP. quia humanitus loquendo ubique in Judæa periculum ipsi erat. Inquisitum enim fuit, unde venerat illa mulier cujus puerum adoraverunt Magis quò deinde recesserat; ubi degebat. Cum enim scriptura de Herode simpliciter dicat, quod quæreret puerum ad perdendum; non est dubium quin varias inquisitiones diligenter fieri jusserit; imò existimandum videtur quod præter cædem parvulorum; varijs locis de puero isto quæsierit, adjuvantibus eum etiam scribis & sacerdotibus qui cum ipso fuerant turbati.

*Quo modo Ioan. Bapt. non fuit occisus.*

Petes, quomodo igitur non fuit occisus Joannes Baptista, cujus fama non videtur potuisse latere Herodem, quandoquidem super omnia montana Judææ divulgabantur omnia quæ in die circumcisionis ejus acciderant.

Baronius ex Petro Alex. refert Zachariam patrem Ioannis ideo jusum occidi, quia filium suũ ad necem quæsitum subtraxisset. Quicquid autem sit de nece Zachariæ (nam de illa vehementer alij dubitant) dicendum tamen videtur quod Herodes auditis quæ de Ioanne infantulo dicebantur, vetitus ne forsitan is esset Christus, mandaverit etiam ipsum occidi: sed divina providentia factum est, ut ad deserta & invia loca portaretur, ibique clam educaretur à matre, futurus postea magnus eremi cultor.

Sed quare in Ægyptum fugere jubetur Joseph, potius quam in aliam regionem? RESP. ut per hanc fugam, & reversionem subsecutam impleretur quod ad literam de populo Israëlitico, ut gerente figuram Christi, sensu autem allegorico de persona Christi dictum fuerat Osee 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Præterea, quia Ægyptus fuit antiquum refugium Israëlitarum; ubi & Joseph fami prospexit, & principatum consecutus est, dictusque Salvator mundi. Gen. 41. in typum Christi Salvatoris.

In arg. 3. hujus Art. aliquid deest non tantum in uno cod. sed in omnibus quos videri potui; vidi autem plurimos. Cum enim ita subsumitur; *Sed sacramenta veteris legis gratiam non conferebant, sed ipsa potius secum gratiæ auctorem habebat*; manifestum est fieri sermonem de B. Virgine, cujus nulla in argumento præcessit mentio. Ita autem videtur supplendum; *Sed Sacramenta veteris legis gratiam non conferebant; sed potius ipsa B. Virgo secum gratiæ auctorem habebat: Non ergo conveniens fuit ut ad templum purganda veniet.*

## QUÆSTIO XXXVIII.

*De Baptismo Ioannis.*

### ARTICULUS I.

ART. 1. docet fuisse conveniens Ioannem baptizare. Cujus baptismum, etsi in 4. d. 2. q. art. 1. dixerit fuisse Sacramentum medium inter Sacramenta veteris & novæ legis: re tamen accuratiùs perpensa, hîc ad 1. dicit quod *non erat per se Sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi.* Neque enim sufficit ad rationem Sacramenti quod præparet viam ad gratiam, vel significet Sacramentum novæ legis: (Nam hoc modo catechismus, & transitus maris rubri diceretur propriè Sacramentum:) sed requiritur ut sit gratiæ sanctificantis quæ per illud datur aut promittitur signum divinitus institutum, ideoq; stabile & fixum. Vide q. 60. Adde, quod propria & primaria ratio institutionis Baptismi istius non fuit ut esset figura baptismi Christi, sed ut esset præparatio ad Christum, & affuefactio ad ejus baptismum, & inductio ad pœnitentiam: hic ad 1. 2. & 3. ar. 2. ad 1. & ar. 5. ad 3. *ut manifestetur in Israël* (ait ipse Baptista Ioa. 1.) *Propterea veni ego in aqua baptizans. Neque alia ratione illud lavacrum institutum est, quam ut viam reliquis ad Christi fidem præberet. Non enim inquit, ut baptismate ablutos mundum, neque ut peccatis liberem, ad baptizandum veni; sed ut manifestetur in Israël*, &c. *Si quidem multitudo non ut prædicationem audiret sed ut confessi peccata baptizarentur, concurrebat. Ubi autem advenissent Christi* (id est, quæ de Christo erat) *doctrina imbuebantur, & baptismatis intelligebant differentiam.* Ita Chrys. ho. 16. in Ioan.

*Baptismus Ioan. non erat Sacramentum.*

*Ratio institutionis baptismi Ioan.*

Circa Responsionem ad 3. observa Ioannem esse prophetã, juxta illud Lucæ 1. *Tu puer propheta altissimi vocaberis:* ac etiam plusquam prophetã Matt. 11. quia non solum prænuntiavit Christum absentem, sed etiam demonstravit præsentem, Ioannis

*Ioan. Bap. fuit verus Propheta.*



Joannis 1. dicens, *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi.*

Ita Hilarius & Hieronymus in Matth. Augustinus tract. 4. in Joan.

*Ioannes fuit terminus legis.*

Dicitur autem hîc ab Authore, post Tertullianum lib. 4. contra Marcionen. cap. 3. terminus legis, juxta illud. *lex & propheta usque ad Ioannem*, Lucæ 16. non quia legem veterem abrogaverit, sed quia lex duravit usque ad illum, seu toto illius tempore; jam inde autem cœpit abrogari & regnum Dei non amplius prophetari, sed evangelizari & annuntiari, ut dicitur ibidem apud Lucam. Unde Ambrosius libr. 8. in Lucam, *Non quia lex deficit, sed quia incipit Evangelij prædicatio.* Præterea *lex & prophetæ* qui Christum venturum prædixerunt, *usq; ad Ioannem prophetaverunt*, ut dicitur Matth. 11. non quia nulli pott Joannem fuerint prophetæ apud Judæos, Actor. enim 11. dicuntur superveniſſe ab Hierosolymis prophetæ quorum unus erat Agabus; sed quia dum Joannes ostendit Christum venisse, quem alij prophetæ venturum prædixerant, Judæi nullum deinceps prophetam habuerunt qui eum prænuntiaret venturum.

Quod autem Joannis 1. negat se esse prophetam; ideò est, vel quia rogabatur an esset propheta unus ex antiquis, juxta opiniones de Christo varias, Lucæ 9. vel an esset ille propheta, de quo Deut. 18. cujus præcepta & leges deberent audire; ut ex articulo Græco colligit Cyrillus lib. 1. in Joannem cap. 24. & Chrysostomus homil. 15. in Joan. dicens, *Non rogarunt an esset unus ex aliorum numero prophetarum, sed articulum addiderunt, ac si dicerent, Prophetane ille es qui à Moyse prædictus est? propterea negavit, non se prophetam esse; sed se prophetam illum esse negavit.*

Contra istam expositionem opponunt alij quod Judæi non alium intelligerent prophetam sibi promissum, quam Messiam, de quo jam ante responderat Joannes, dicens, *Quia non sum ego Christus.*

Verumtamen Responderi potest, quod etiamsi propheta Deut. 18. promissus, esset ipse Christus; Judæi tamen in hoc, ut & in multis alijs errantes, ex eo Deuter. loco existimabant promitti illic propheram quendam eximium, qui tempore Messiæ esset venturus: Unde Lucæ 7. dicebant. *Quia propheta magnus surrexit in nobis.* Et Ioan. 7. *Hic est verè propheta*, seu ut Græcis est, ille propheta. *Alij decebant, Hic est Christus.* Ubi manifestum est quod prophetam illum distinguebant à Christo seu Messia: sicut & Ioan. 6. dicentes: *Quia hic est verè propheta qui venturus est in mundum:* Hunc enim prophetam non intelligebant esse Messiam, alioquin dixissent. Hic est verè Messias. Vide Toletum ad c. 1. Ioan.

### ARTICULUS II.

*Baptismus Ioan. est à Deo.*

ART. 2. probat baptismum Ioannis fuisse à Deo, quantum ad ritum. Et quamvis non omnino conveniat, an fuerit immediatè institutus à Deo; an à Ioanne: probabilius tamen est quod à Ioanne ministerialiter, à Deo autem principaliter: Deus enim ritum illum Ioanni inspiravit, & ut assumeret, præcepit. Ita se explicat Auth. in 4. dist. 2. conformiter Evangelio Lucæ 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem, & venit prædicans baptismum pœnitentiæ.* His enim verbis significatur hoc verbum Domini esse factum super Ioannem, ut ad baptizandum exiret. Unde Ioannis 1. dicit *se missum baptizare.*

Effectus autem baptismi Ioannis erat ab ipso Ioanne, tanquam causa principali quia nihil in illo baptismo efficiebatur quod homo facere non posset; solum enim consistebat in externa corporis ablutione, hîc ad 1. Unde hæc ponitur una ratio, propter quam baptismus ille denominaretur *Ioannis*; cum baptismus Christi non dicatur Petri vel Pauli; quia nimirum effectus erat à Ioanne principaliter operante; effectus autem baptismi Christi est à solo Deo ut principali causa, ab homine solum ministerialiter.

*Cur baptismus diceretur Ioan.*

Ratio secunda esse potest, quia ille erat quodammodo institutus à Ioanne.

Tertia, quia ab ipso solo promulgabatur, imò & ministrabatur; unde & cum illo cessavit.

### ARTICULUS III.

ART. 3. docet baptismum Ioannis non contulisse gratiam aut remissionem peccatorum. Confirmatur ex Matth. Et Luc. 3. Marci & Ioan. 1. *Ego baptizavi vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu sancto:* hæc enim differentia non subsisteret, si (ut sectarijs placet) eadem foret efficacia baptismi Ioannis & baptismi Christi; quandoquidem & iste sit in aqua.

*Baptismus Ioan. non conferebat gratiam.*

Adde quod Act. 19. baptizati baptismo Ioannis, nec Spiritum sanctum acceperant, nec si Spiritus sanctus esset, audierant. Idem docent Chrysostomus hom. 16. in Ioannem, Gregorius ho 7. in evangelia, Richardus Victorinus l. de baptismo Christi, Augustinus Enchiridij cap. 49. Hieronymus contra Luciferianos cap. 3. & alij Patres, partim in Matthæum partim in Ioannem.

Cum in corp. dicit baptismum Ioannis disposuisse ad gratiam; non vult docere, illum baptismum secundùm se consideratum, fuisse veram dispositionem ad gratiam: jam enim ar. 2. dixit effectum illius baptismi fuisse ab homine; *Quia nihil in eo baptismo efficiebatur quod homo* (etiam secundum naturæ vires consideratus) *facere non posset:* sed sensus est, quòd erat præparatio quædam ad gratiam, ratione doctrinæ inducentis ad fidem; & quia, sic homines assuefiebant ad recipiendum baptismum Christi: ac insuper, quia invitabat ad pœnitentiam cujus erat signum.

*Quòd baptismus pœnitentiæ.*

Circa Responsionem ad primum adverte baptismum Christi non vocari baptismum pœnitentiæ; & hoc ideo quia non est nudum ejus signum, neque servit ad excitandum homines ad pœnitentiam, sed eam præsupponit, ac remissionem peccatorum tribuit. Quapropter baptismus pœnitentiæ à Ioanne prædicatus, erat baptismus ipsius Ioannis: qui dicebatur *pœnitentiæ*, quia ad pœnitentiam invitabat, eratque signum & admonitio illius, ut hîc, & articulo sequenti ad 2. asserit Author: quia verò poterant consequi remissionem peccatorum per pœnitentiam, ideo dicitur *baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; quasi diceretur, baptismus esse signum & excitatio ad pœnitentiam perducentem ad remissionem peccatorum.

In Responsione ad 2. collatâ cum art. 6. quæst. 68. ad 1. patet Authorem sentire quod confessio peccatorum facta à baptizandis baptismo Ioannis, non erat solum generalis, quâ agnoscerent se peccatores; sed particularis criminum saltem graviorum. Idem anteâ sensit Cyrillus catechesi 3. &

Tertul-

Tertullianus lib.de baptismo c. 20.quos sequitur A Ianſenius c.13.ſuæ concordiæ.

ARTICULUS IV.

*Non ſolus Chriſtus erat baptizandus baptiſmo Ioannis.*

ART.4. docet alios præter Chriſtum debuiſſe baptizari baptiſmo Ioannis: quia potiſſima inſtitutionis ejus ratio erat,ut populus Iudaicus præpararetur ad baptiſmum Chriſti.

Quod in Reſponſione ad 3. dicit baptiſmum Ioannis non miniſtratum parvulis, eò quod non eſſent capaces pœnitentiæ, cujus ſignum erat ille baptiſmus:non facit pro Anabaptiſtis contra Baptiſmum noſtrorum parvulorum; quia (ut prius dicebatur) baptiſmus Chriſti non eſt baptiſmus pœnitentiæ;ac inſuper ex ſuâ inſtitutione eſt efficax ad conferendam parvulis gratiam & remiſſionem peccatorum; & non tantùm valet ad fidem ſignificandam & excitandam, ut volunt ſectarij. B

ARTICULUS V.

*Quando baptiſmus Ioannis ceſſaverit.*

ART. 5. docet baptiſmum Ioannis non ceſſaſſe ſtatim Chriſto baptizato, ſed Ioanne incarcerato,ut indicatum videtur Ioa.3.ubi Ioannes ideo introducitur baptizans, quia nondum miſſus fuerat in carcerem.Cum enim Ioannes ad hoc venerit in aqua baptizans, ut Chriſtus manifeſtaretur in Iſraël Ioan. 1. hoc autem nondum eſſet impletum, Chriſto baptizato, hîc ad 1.conſequens eſt quod adhuc poſtea baptizaverit, donec ſcilicet mitteretur in carcerem. C

Quapropter illi de quibus Act. 19. legimus, fuerunt Iudæi ab ipſo Ioanne nondum captivo baptizati, ut ex ſubjunctis.B.Pauli verbis colligitur, *Ioannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ*, &c. Verius namque videtur, ſolum Ioannem baptizaſſe, & non ejus diſcipulos, quia ille baptiſmus erat præparatorius ad Chriſtum,& ſic erat munus perſonale præcurſoris.

ARTICULUS VI.

*Baptizati baptiſmo Ioannis debebant baptizari baptiſmo Chriſti.*

ART.6.docet omnes baptizatos Ioannis baptiſmo,ſive ſpem in eo ponerent, ſive non, debuiſſe baptizari baptiſmo Chriſti. Quæ doctrina eſt fidei. D

Confirmatur PRIMÒ, quia ſolus Chriſti baptiſmus erat in Spiritu, *Niſi autem quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Ioan.3.

SECUNDÒ, quia cum Matth.3. & Marci.1.dicitur,*Ego baptizavi vos aqua,ille verò baptizabit vos Spiritu ſancto*,ſignificatur quod eoſdem illos baptizaturus ſit Chriſtus.

TERTIÒ, quia illi qui erant in Ioannis baptiſmate baptizati Act. 19. juſſu Pauli baptizati ſunt baptiſmo Chriſti.

His accedit unanimis Patrum conſenſus. Hier. contra Luciferianos c.3.Auguſt.tract.5.in Ioannem,Chryſoſtomi,Bedæ & aliorum ſuper dictum caput Act. E

*Apoſtoli baptizati fuerunt baptiſmo Chriſti.*

Ex quibus patet verum eſſe quod in Reſponſione ad 2.traditur,ſcilicet Apoſtolos fuiſſe baptizatos baptiſmo Chriſti, quod ſenſerunt non ſolum Auguſtinus epiſt. 108. ſed etiam Evodius Antiochenus apud Nicephorum l.2.c.3. & Clemens Alexandrinus apud Sophronium in prato ſpirituali c. 176. tomo 7. bibl. patrum; addentes ſolum Petrum à Chriſto baptizatum; à Petro autem Andream, Iacobum,& Ioannem,ab his deinde reliquos. Non improbabiliter tamen quidam poſt Euthymium in cap̃ut 3. Ioannis tradunt B. Virginem etiam fuiſſe à Chriſto baptizatam,ut & de Ioanne baptiſta ſcribit Author hîc ad 3.& Nazianzenus oratione 39.circa illud Matthæi 3.*Sine modò.Sciebat namque*(ait)*paulò poſt futurum,ut Baptiſtam baptizaret*, quod idem colligi poteſt ex his Baptiſtæ verbis; *Ego à te debeo baptizari.*

Circa Reſponſionem ad 4. obſervà Hieronymum in caput 2.Ioelis non tradere cauſam rebaptizationis, ſed tantum cauſam cur eſſent amplius inſtruendi. Inſufficientia enim fidei non poſſet eſſe cauſa cur aliquis rebaptizari deberet; ſed ſolum, cur magis inſtrui. Sic Reſpondet Author in 4.diſt.2.quæſt.2. art.4.ad 2. Ad alium verò ejuſdem Hieronymi locum ex Epiſtolæ 83.cap.3.hîc reſpondet.

In Reſponſione ad 5.ex Act.19.dicit Ioannem baptizaſſe in nomine venturi;non quòd eâ formâ uteretur, ego te baptizo in nomine venturi; (ſic enim non fuiſſet locus cogitandi de Ioanne quod eſſet Chriſtus;neque rogandi, *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus:* neque ea forma locum habuiſſet quando vel Chriſtũ baptizabat, vel alios, poſtquam Chriſtum oſtenderat dicens, ecce Agnus Dei;) ſed quia eos quos baptizabat, ſimul docebat quod credere deberent in Chriſtum advenientem poſt ipſum.Multò autem minus dicendus eſt baptizaſſe ſub forma baptiſmi Chriſti; ut patet tum ex eo quod baptizati baptiſmo Ioannis dicunt ſe ne quidem audiviſſe ſi Spiritus ſanctus eſt, Act.19. tum ex eo quod baptiſmus ille fuerit in aquâ ſolùm,& non in ſpiritu. Quapropter verius eſt ſub nulla forma datum fuiſſe, ut ſcribit Durandus in eadem diſt.2. q.3. C

## QUÆSTIO XXXIX.

*De baptizatione Chriſti.*

ARTICULUS I.

*Chriſtus fuit conveniens baptizatus.*

ART. 1. docet fuiſſe conveniens Chriſtum baptizari.

Quod in prima ratione dicit eum baptizatum, ut aquas mundaret, quæ ſic ſanctificatæ haberent vim baptiſmatis; non ita eſt intelligendum quaſi aquis vim aut qualitatem aliquam impreſſerit; ſed quia facto ſuo eos deſtinavit ad ſacramentale miniſterium,& cõſtituit ut tanquam materia ſacramenti baptiſmi valerent ad hominum ſanctificationem. Fecit nimirum id quod Eccleſia petit in benedictione fontis baptiſmalis,ut eſſet *unda purificans,aqua regenerans*;quâ ſcilicet omnes ea abluendi, operante in eis Spiritu ſancto,perfectæ purgationis indulgentiam conſequerentur. Simili modo intelligendum eſt quod in benedictione aquæ petit Eccleſia,ut ei *virtutem ſuæ benedictionis infundat*,id eſt, (quemadmodum poſtea explicat)*myſterijs Dei ſerviens ad abigendos dæmones, morboſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum*; ſive, ut Deus ea tanquam inſtrumento utatur ad producendos illos effectus.

*Ob.* Ex eo quod in 3.ratione dicit *Chriſtum voluiſſe facere quod faciendum omnibus imperavit*,videtur ſequi quod ſuo baptiſmo debuerit baptizari, qui ſolus fuit ab eo præceptus. Sed *RESP.* illud eſſe intelligendum de externa ablutione quæ eſt communis utrique baptiſmo, non verò de ſpecie baptiſmi: *Reſp.*



tiſmi: *Sic enim cognoſcunt ſervi quanta alacritate debeant currere ad baptiſmum Domini; quando ipſe non dedignatus eſt ſuſcipere baptiſmum ſervi*, ait Auguſtinus tract.5.in Joan. A

Circa locum Matth. 3. qui in eadem ratione allegatur, adverte literalem ejus ſenſum eſſe, *Sic decet nos*,te videlicet & me, *implere omnem*,id eſt, conſummatam perfectamque *juſtitiam*,te quidem obediendo, me autem humilitatis exemplo. Vel omnem juſtitiam,intellige etiam hanc. Quaſi diceret, omne genus virtutis,etiam hujus,nimirum humilitatis & obedientiæ.

ARTICULUS II.

*Non decuit Chriſtum ſuo baptiſmo baptizari.*

ART. 2. tradit Chriſtum convenienter baptizatum baptiſmo Ioannis, ut eum comprobaret, & quas ſanctificaret; non autem ſuo,quia plenus erat Spiritu Sancto;& ſic non egebat baptiſmo ſpirituali. B

Nec obſtat baptiſmum Ioannis fuiſſe ſignum pœnitentiæ,qua Chriſtus non indigebat: ſignificatum eſt enim eâ baptiſmi ſuſceptione,naturam noſtrã indigere pœnitentiâ & ablutione à peccatis.

Cum in Reſponſione ad 2. dicit non decuiſſe Chriſtum baptizari baptiſmo legali Iudæorum, quia cum ipſe eſset veritas, non competebat ei id quod in ſola figurâ gerebatur; præſupponit quod in tali baptiſmo præter figuram, non fuerit ſpecialis aliqua ratio ob quam Chriſto conveniret; ſicut fuit in circumciſione;quam (licèt figurativa eſſet) obſervavit,ob rationes à figuratione diverſas,art.1.qu.37.per authorem allatas. C

ARTICULUS III.

*Chriſtus eſt baptizatus anno trigeſimo ætatis inchoato.*

ART. 3. docet Chriſtum convenienter baptizatum trigeſimo ætatis ſuæ anno. Quod cùm variè intelligatur; ex Euſebio & alijs obſervandum eſt, Chriſtum natum eſſe quadrageſimo ſecundo anno Cæſaris Auguſti, & eodem imperante vixiſſe annis quatuordecim & menſibus aliquot (ſiquidem Auguſtus legitur imperaſſe annis 56.) Cui cum Tiberius ſtatim ſucceſſerit; anno autem Tiberij quintodecimo Ioannes baptizare cœperit, nec multò plus quam annum baptizaverit: conſequens eſt Chriſtum ab eo baptizatum anno trigeſimo inchoato, eoque adhuc currente; ſi præſertim advertamus Chriſtũ nec fuiſſe ex omnino primis, neque ex ultimis à Ioanne baptizatis,ſed ex medijs,ut conſtat ex Matthæi 3. & Ioannis 1. Eodem pertinet quod de JESU à Ioanne baptizato, dicitur Lucæ 3. *Erat incipiens quaſi annorum triginta.* Ubi quamvis participium (incipiens) non malè intelligatur, velut per ſe poſitum, ſignificare inchoationem œconomiæ & manifeſtationis Chriſti;convenientius tamen refertur ad ætatem hoc ſenſu, *Ieſus erat incipiens*,ſive incipiebat eſse ferme triginta annorum,ut legit Theophylactus: quia ſcilicet *annum trigeſimum ætatis agere incipiebat*, quemadmodũ loquitur Euſebius l.1. hiſtoriæ c.10. conformiter Nazianzeno orat.39.Irenæo l.2.cap.39.Iuſtino in dialogo cum Tryphone,Iſychio in caput.27.Levit. Hieronymo in caput 1. Ezech. Aug.l.2. de doctrin. Chriſti an.c.28. & alijs. Et certè,obvius iſtorum verborum B.Luc. *Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris,& ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta*; ſenſus eſt,quod annus decimus quintus imperij Tiberij Cæſaris ſit annus Chriſti, trigeſimus inchoatus, & non trigeſimus primus. Unde licet Bernardus ſermone 10. de Epiphania dixerit Chriſtum baptizatum cum jam triginta annorum tempus exegiſset in carne; ut tamen ſignificaret ſe ita locutum, quia Chriſtus inchoaverat annum trigeſimum; ſer.3.ſic dicit, *Cum jam* triginta *ferme in diſpenſatione carnis egiſſet annos*,&c. *ad Iordanem baptizandus advenit.* D

Urgeri fortaſse poteſt quod S.Ignatius in epiſtola ad Trallianos ſcribit, καὶ τριὰς δεκάδας πολιτευσάμενος βαπτισθῆ ὑπὸ Ἰωάννου, quæ ſic reduntur à nonnullis, & expletis tribus annorum decadibus baptizatus eſt à Ioanne.Sed cũ vulgari & conſueto more id factum dicatur expletis annis triginta vel poſt triginta annos,quod durante adhuc trigeſimo factum eſt; quia dum trigeſimus eſt inchoatus,triginta ſint aliquo uſque,ſecundum partem ſcilicet & Synecdochicos,expleti;quomodo dicitur.Lucæ 2.*poſt quam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer*, qui tamen die octava ſecundũ legẽ fuit circumciſus:Et Marc.8.*Oportet filiũ hominis poſt tres dies reſurgere*, qui tamen die tertio ſurrexit: intelligi poteſt Ignatiũ,quod Chriſtus ſit baptizatus expletis annis triginta,ſive cum expleſſet tres annorum decades,quia tunc ferme impleverat tres illas decades, inchoaveratque annum trigeſimum. Adde, verba Ignatij etiam ſic verti poſſe,*triginta annos agens baptizatus eſt*; quo modo habet antiqua verſio. Operæ pretium eſt conferre quæ Haræus ſcripſit ad olympiad.194. E

*Quæſtio.* Quo autem anni tempore contigerit hîc baptiſmus Chriſti;& an eodem die, diverſis tamen annis acciderint,adventus Magorum,baptiſmus Chriſti, & miraculum in nuptijs; res incerta eſt.

*Vna Reſp.* Pars affirmans non ſolum ex officio Eccleſiaſtico probabilitatem accipit, ſed etiam ex Patribus. Bernardus enim de Epiphania ſer.1. *Nec ſolum*(inquit) *hæc apparitio,ſed altera quædam (ſicut à Patribus accepimus)hodie celebratur,quæ etſi longo poſt tempore,facta creditur hoc ipſo die?* Et ſer.2.*Tres apparitiones Domini legimus,uno quidem die,ſed non uno tempore factas.* Et Petrus Chryſologus ſerm. 157.*Chriſtus diverſo tempore uno eodemq; die,Magorũ munere, aquæ mutatione,atq; Patris voce;Deus trino teſtimonio noſcitur*: quæ repetit ſerm.160.

Eandem ſententiam affirmant Iſidorus l.1. de offic.cap.26.& Albinus Flaccus li.de divinis officijs cap.6. Juxta hæc dicendum eſſet Chriſtum toto anno à ſuo baptiſmo uſque ad ſequentis anni diem eundem,nullũ feciſſe miraculum. Quod ne videatur incredibile; ſciendum à baptiſmo primum interceſſiſſe jejunium quadraginta dierum, poſt quod Chriſtus venit in Nazareth, ibiq́ue ad tempus commoratus eſt; & ad Joannem aliquando ivit,teſtimonium ab illo accepturus; paulatimq́ue diſcipulos collegit, quos jam tum habebat, quando ad nuptias eſt vocatus, quoſque ſine miraculis prævijs congregaverat.

*Reſp. altera.* Alij nihilominus,valde probabiliter exiſtimant uno eodemq́ue anno contigiſſe Chriſti baptiſmum,& miraculum aquæ in vinum converſæ:eò quod Joannes videatur ea texere quæ primo prædicationis Chriſti anno facta, à cæteris Evangeliſtis fuerant prætermiſſa; nec appareat Chriſtum integro à ſuo baptiſmate anno,abſtinuiſſe à miraculis,quando jam diſcipulos habebat, & Evangelium prædicabat. Adde quod Auguſtinus ſerm. 154. de tempore aſſerit Chriſti baptiſmũ & prædictum

Universidad de Deusto
Biblioteca



dictum miraculum cõtigisse die dominico, quod A esse non potest, si eodem sequentis anni die 6. Januarij accidisset. Collectio autem discipulorum rectè potuit eodem anno fuisse facta.

Ad officium Ecclesiasticum RESP. Ecclesiam non velle affirmare quod illa tria contigerint uno die, sed ita loquitur, quia illa uno eodemque die solemni recolit, ac de ijs festivitatem agens, ea quodammodo repræsentat. Quale quid est in officijs Paschæ, Pentecostes, Ascensionis, & alijs, ubi quæ jam olim acciderunt, recolit quasi illo ipso die facta essent. Confer. Baron. ad an. Dom. 31.

### ARTICULUS IV. & V.

*Cæli Christo baptizato aperti.*

ART. 4. & 5. docet Christum conveniens ter in Jordane baptizatum, eique baptizato cælos apertos. Inter varias doctorum opiniones, probabilior est eorum qui cælorum apertionem dicunt oculis corporalibus propositam, & à præsentibus promiscuè visam; eò quòd esset signum mysticum, Joanni & populo propositum. Matthæus tamen dicit aperti sunt ei, (scilicet Christo;) quia versus eum, & propter eum aperti fuerunt. Per cælos autem quos apertos dicimus, non

*Qui sint.*

sunt intelligendi, syderei, sed aërei, in quibus facta

*Quomodo fuerint aperti.*

est ejusmodi mutatio, ut hiatus appareuerit. Verisimile est, quod partes aëris extremæ & superiores fuerint condensatæ & lumine magno illustratæ, C ita ut ad illas terminari posset visus intuentium; aët autem intermedius fuerit redditus rarior solito, ita ut non videretur, sed appareret hiatus & quædam apertura usque ad supremam regionem aëris, è qua vox descendit & columba.

*Quæst.* Si quæras, sitne similiter accipiendum quod

*Resp.* Act. 7. dicitur B. Stephanus vidisse cœlos apertos. RESP. neg. videtur verior. Stephanus enim vidit cœlos sydereos apertos, ipsumque empyreum: ut enim canit Ecclesia. *Vidit cœlos apertos & introivit*; introivit autem in cœlum empyreum.

*Vt B. Stephanus viderit cælos apertos.*

Deinde dixit se videre filium hominis stantem à dextris Dei; per quem sermonem volebat profiteri Jesum Christum esse in cælo, ibique regnare. D & esse paratum ad ei auxiliandum, & ad eum in cælum recipiendum ac coronandum.

Neque refert quod cœli siderei sint incorruptibiles & infrangibiles: quia ipsi non fuerunt fracti, sed aperti sive patentes, idque non per realem aliquam divisionem, sed per hoc quod oculi B. Stephani divinitus confortati, omnes cœlos quasi apertos & patentes penetraverunt usque ad cœlum empyreum, in quo Dei gloriam sive claritatem videbant, ipsumque Jesum Christum à dextris Dei. Sicut enim nos per aërem purum & patentem intuemur remota, puta solem, lunam, & stellas ita Christi martyr per apertos, hoc est, patentes & perspicuos cœlos videbat claritatem Dei, E & Christum.

### ARTICULUS VI.

*Vtrum convenienter Spiritus sanctus super Christum Baptizatum descenderit in specie columbæ.*

RESPONSIO AFFIRM. certa est. Quæ enim divinitus geruntur sunt convenientissima; divinitus autem factum fuisse, quod super Christum baptizatum descendisse dicitur Spiritus sanctus in specie columbæ, ex Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. Joan. 1. manifestum est.

PRIMA RATIO convenientiæ est, ad significandam dispositionem requisitam in eo qui baptizatur, ut scilicet non fictus accedat sed cum simplicitate & sinceritate: nam *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*, seu fictionem. Sap. 1. Columba verò est animal simplex. Unde Matth. 10. legimus, *Estote simplices sicut columbæ.*

SECUNDA EST, ad designandum septem dona Spiritus sancti quæ communicantur in baptismo, & significatur per proprietates columbæ, quemadmodum in resp. ad 4. declarat S. Doctor.

TERTIA EST, ad significandum effectum baptismo proprium, qui est remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo: columba enim est animal mansuetum, & communem orbis terrarum B tranquillitatẽ olim post diluviũ annuntiavit Gen. 9.

QUARTA RATIO EST, ad significandum communem effectum baptismi qui est constructio Ecclesiasticæ unitatis: nam columba est animal amicabile & gregale. Unde Cant. 5. de Ecclesia dicitur, *Vna est columba mea.*

Non est autem existimandum ideo descendisse Spiritum in specie columbæ super Christum baptizatum, ut vel tunc primò Christum ungeret ac sanctificaret, vel ut ei augmentũ gratiæ donaret: quia certum est, ut q. 7. art. 1. & q. 34. art. etiam 1. diximus, quod ab initio conceptionis fuerit Spiritu sancto plenus: & qu. 7. art. 12. fuit ostensum quod ejus gratia nullum acceperit incrementum.

Si dicas, columbam descendisse super Christum antequam baptizaretur; propterea quod Joannes non noverat Christum ante illum descensum, novit autem ante baptismum: RESP. negando quod assumitur: certum enim est Ioannem sciviss & testificatum esse de Christo antequam is ad eum venerit. Dicit tamẽ Ioannis 1. *Ego nesciebam eum*, quia antequam Christus ad Ioannem venerit, etsi Ioannes sciret Iesum esse natum, esse Christum sive Messiam, esse filium Dei? non noverat tamen designare quisnam esset ille, quia non sciebat eum distinctè & secundùm faciem: quomodo ipsum ad se venientem cognovit per interiorem Spiritus sancti instinctum; & hoc cognoscens dixit: *Ego à te debeo baptizari.* Signum porro illud; *Super quem videris Spiritum Dei descendentem & manentem, ille est*; datum est pro populo; apud quem per illud visibile, & divinum signum testificaretur Ioannes de Christo. Unde dixit Ioannes, *Vidi & testimonium perhibui.*

Ex his patet (quod in Responsione ad 3. indicatur) columbam illam esse visam indifferenter à præsentibus.

### ARTICULUS VII.

*Columba apparens non erat verum animal.*

ART. 7. tradit istam columbam non solum fuisse verum corpus, sed etiam verum animal: Cujus tamen contrarium ab eo traditum in 1. d. 16. non minus probabile est, quia sufficiebat similitudo columbæ ad significationem ad quam assumebatur. Unde Ambrosius l. 1. de Sacramentis c. 5. *Descendit* (ait) *Spiritus sanctus in specie, non in veritate columbæ.* Idem sentit Optatus Milevitanus li. 4. contra Parmenianum, eodemque propendet Augustinus epist. 102.

Neque propterea fuerit ulla fictio; tum quia non assumebatur ad hoc ut Spiritus S. esset, vel significaretur esse vera columba, sed ad significandum & repræsentandum ea quæ a. 6. ad 4. latè deducit



deducit S. Doctor: tum quia dum aliqua species A divinitus formatur, & ad aliquam veritatem significandam refertur, nulla deceptio est, sed veritatis significatio; ut ostendit Author q. 79. art. 8. Neque enim deceptio tribui potest illi qui verbis aut factis vera significat, sine ulla intentione fallendi; etiamsi contingat aliquos falli.

Neque verò eadem est ratio de humanitate assumpta: quia humanitas non est assumpta ad repræsentandum, sed ad hoc ut Deus esset homo, & homo Deus.

### ARTICULUS VIII.

*Qualis vox audita sit.*

ART. 8. docet Christo baptizato convenien- B ter auditam esse vocem: quæ quidem etsi non fuerit vox vera, edita per vitæ & animalis organa; fuit tamen verus, sensibilis, & articulatus sonus, ideoq; habens similitudinem vocis. Et quia erat commune signum toti populo, sicut & altera Ioan. 12. ubi dicitur, *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos*: ideo existimandum est auditam esse non à solo Ioanne, sed etiam ab alijs qui præsentes aderant. Ex quo ulterius colligendum relinquitur, apertionem cæli, & speciem columbæ, visam esse à populo. Si enim audivissent hanc vocem, nec aliud speciale signum vidissent, quod eum indicaret de quo dicebatur; potiùs æstimassent illam de Ioanne dictam esse quàm de C Christo.

Hæc autem vox, etsi à tota Trinitate formata fuerit, eò quod opera Trinitatis ad extra sint indivisa; dicitur tamen esse Patris, secundum appropriationem; quia sic formata est ut exprimeret solum Patrem loquentem: quomodo species columbæ missa est, ad solius Spiritus Sancti repræsentationem.

## QUÆSTIO XL.

*De modo conversationis Christi.*

### ARTICULUS I.

*Christũ decuit cõversari cum hominibus.*

ART. 1. Declarat decuisse Christum conversari cum hominibus & communem vitam agere: quia finis ob quem venerat, requirebat familiarem facilemque cum hominibus consuetudinem. Et quamvis rationes B. Thomæ primò & propriè pertineant ad tempus quo cœpit facere & docere: ex consequenti tamen etiam pertinent ad tempus prædicationem suam præcedens. Nisi enim anteriorem vitam communi hominum convictu vulgariter traduxisset: non ita compertũ fuisset eum non accepisse scientiam ab hominibus, sed potuissent suspicari quod per solitudinis, iejuniorum, & E austeritatis exercitia sibi eam comparasset. Unde, quia notus erat familiariter alijs convixisse; mirabantur Iudæi, dicentes, Ioannis 7. *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* & Marci 6. *Multi admirabantur in doctrina ejus, dicentes*; *Vnde huic hæc omnia?* Dedisse tamen Christum etiam vitæ solitariæ exemplum constat ex eo, quòd à suo baptismo vixerit in deserto, *eratque cum bestijs*; ut dicitur Marci 1.

*Dan. 2.* In argumento 1. citantur verba Danielis 2. quibus dicitur somniorum explicatio solùm pertinere ad Deos, *quorum non est cum hominibus conversatio*. Verum verba illa non sunt Danielis; sed Chaldæorum, qui variè errabant.

PRIMÒ, quia somnia, si non sunt supernaturalia, possunt per homines etiam explicari; veluti, ægrotorum somnia, quid portendant aut significent, per peritos medicos.

SECUNDÒ, quia frequentes fuerunt conversationes Angelorum cum hominibus, imò Dei, seu Angelorum in personâ Dei apparentium, ac tandem Verbi incarnati Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

### ARTICULUS II.

*Christus nõ debuit eligere vitam austeram.*

ART. 2. probat Christum non debuisse eligere vitam austeram; quia magis decebat ut se hominibus conformaret, quorum communem vivẽdi rationem sequi volebat. Dicitur enim veniss manducans & bibens; quia communi aliorum cibo & potu utebatur. Quia tamen certum est quod nec suavem ac mollem vitam elegerit (*Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*, Matth. 11.) Ideo dicendum est, quod elegerit vitam moderatam, & fini suo accommodatissimam, magis accedentem ad severam, quam ad suavem.

*Christus habuit tres vestes.*

Ad ejus vestes quod attinet, probabile est ad minimum tres fuisse, quemadmodum ratiocinatur Euthymius in caput 27. Matthæi, tunicam inconsutilem, & alia vestimenta quæ Ioannis 19. divisa sunt à militibus: Nam, & cum *surgens à mensâ posuit vestimenta sua*. Ioa. 13. constat plures vestes habuisse; quarum aliquam retinebat, ne nudus maneret. Neque tamen fecit contra id quod Apostolis vetuerat. Matth. 10. ne duas tunicas haberent: quia solùm prohibuit duplices vestes ejusdem generis, seu mutatorias; volens ne præter vestes quibus induti proficiscebantur, aliàs secum deferrent, quæ prioribus sordidatis, induerent; ut indicat August. lib. 2. de consensu Evangelistarum, c. 30. Unde quod Marcus habet c. 6. *Ne induerentur duabus tunicis*, intelligendum est conformiter, prohibere, ne plures ferant vestes ejusD dem generis: quarum modò unam induerent modò aliam.

Ex his intelligitur illud Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti*, accipiendum esse de vestimentis ejusdem rationis, ad eundem finem ordinatis, & superfluis. Vide Hieron. ep. 150. quæ est ad Hedibiam q. 1.

Sed doctrinæ jam traditæ non parum adversari videtur, quod ire nudis pedibus, novum & insolitum esset apud Iudæos, & pertinens ad austeritatem vitæ. Unde Isa. c. 20. jubetur ire nudus & discalceatus: ad terrendum populum, & horrendum aliquid significandum Christum autem nudis pedibus incessisse, probari posse videtur.

PRIMÒ, quia suis Apostolis jusserat Matth. 10. ne calceamenta portarent.

SECUNDÒ, quia in Passione milites acceperunt ejus vestes, & nihil dicitur de calceis.

TERTIÒ, quia Magdalena non potuisset lavare pedes ipsius recumbentis, si calceatus incessisset.

DENIQUE, ita sentiunt Hieronymus epistola 22. cap. 8. & Bonaventura tom. 1. opuscul. Noli (ait) contra Evangelicorum pedum nuditatem pelles mortuas, id est, usum calceorum, defendere.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Christus videtur fuisse usus calceis.*

Resp. probabilius videri quod Christus calceatus inceſserit, ſicut alij homines. A

Primò, quia ex dicto capite Iſaiæ, & ex Deut. 25. conſtat Paleſtinorum morem fuiſse, ut calceis uterentur.

Secundò, quia Joan. Baptiſta videtur eis uſus; cùm enim Evangeliſtæ accuratè ſcribant auſterum ejus veſtitum; non videntur hoc omiſsuri fuiſse, ſi calceis caruiſset.

Tertiò, *Si Chriſtus calceatus non eſſet, non de illo Ioannes diceret; Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum*, ait Auguſtinus ſer. 42. de ſanctis, quamvis enim nonnulli velint ſermonem hunc eſse proverbialem, quo Joannes ſignificet ſe indignum, ut vel in viliſſimo miniſterio Chriſto famuletur; dicitur tamen ſervatâ proprietate verborum, & ſignificatur vulgare fuiſse uti calceis. Auguſtinum ſequuntur Janſenius c. 25. Concordiæ, Toletus annotatione 65. in caput 1. Joannis. B

Ad 1. autem Arg. in contrariam partem allatum. Resp. vel prohiberi calceamenta duplicia, ſicut tunicas: vel potiùs, quia Lucæ 22. ipſis dicitur, *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, & calceamentis*: prohibentur ſimpliciter uti calceis permittuntur autem uti ſandaliis, ut eſt apud Marcum; quorum illi totum pedem tegebant, non iſta; ut exponit Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum c. 30. & Beda in caput 6. Marci. C

Ad 2. vel milites contempſerunt calceamenta Chriſti, eò quòd eſſent vilia; vel comprehenduntur nomine veſtimentorum.

Ad 3. probabile eſt Chriſtum, ſaltem aliquando, uſum ſandaliis, quæ Magdalena detraxerit, ut nudos pedes ungere poſſet.

Ad Postremum, Resp. videri poſſe Hieronymum fuiſse iſtius opinionis; niſi intelligatur à Chriſto calceos totum pedem tegentes excludere, non ſandalia. Bonaventura autem diſputat contra quendam qui præceptum Apoſtolis datum Matth. 10. ſolum myſticè intelligebat.

## Articulus III.

*Chriſti paupertas.*

Art. 3. docet Chriſtum elegiſſe vitam paupertatem, idque ſatis notum eſt ex Evangelijs: ſed difficultas manet, qualis fuerit Chriſti paupertas. Ante baptiſmum quidem, vixit ex bonis parentum; nec bonorum immobilium videtur habuiſſe dominium, quamvis id de mobilibus probabile ſit. Tempore autem ſequente, interdum habuit aliquarum rerum dominium, ſaltem in communi; id eſt, ſimul cum collegio diſcipulorum: Interdum verò nullarum, ne quidem in communi. D

Prius affirmatur à Joanne 22. in extravagante, *Quia quorundam*, conformiter ſcripturæ Joannis 4. 6. 12. 13. ubi collegium Apoſtolorum legitur habuiſſe loculos, quos ſervabant in uſus, pro tempore neceſſitatis, ut docet Auguſtinus lib. de mendacio cap. 15. E

Posterius traditur à Nicolao 3. (ſive ut alij volunt 4.) in cap. *Exijt*, De verb. ſignific. in 6. dum ait Chriſtum verbo & exemplo docuiſſe abdicationem proprietatis omnium rerum, tam in ſpeciali, quàm in communi. Et confirmatur ex Matthæi 8. *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*; & ex Luc. 8. Ubi *ſequebantur cum mulieres quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.*

An verò Chriſti paupertas eò ſe extenderit, ut mendicaverit; incertum eſt. Mendicus enim (quod Pſalm. 39. & alibi de ipſo dicitur) idem eſſe poteſt quod calamitoſus & afflictus, ſeu humana ope deſtitutus.

Chriſtus tamen, ſive in triduo, quo à parentibus duodennis aberat Lucæ 2. ſive aliàs, ut Joannis 4. ſecundùm interpretationem Auguſtini ad Pſal. 108. petiiſſe id cujus habebat indigentiam, quod eſt mendicare; probabiliter putat B. Thomas opuſculo contra impugnantes religionem c. 7. & Bonav. in opuſculo de hac re edito. *Chriſtum mendicaſſe eſt probabile.*

Denique, an Chriſtus pauperratem, vel aliquid aliud voverit, ambiguè diſputatur. B. Thomas 2. 2. quæſt 88. artic. 4. ad 3. dicit quod ei ſecundùm ſe non competebat vovere; non quod opinetur eum non fuiſſe capacem voti, cum fuerit capax præcepti; & in Pſ. 21. dicat; *votum Chriſti fuit ut ſe daret pro ſalute fidelium*: ſed quia non fuit eadem ipſi ratio vovendi, quæ nobis.

Quare ſicut Chriſtus habuit præceptum moriendi pro hominum ſalute; ita etiam de eadem re votum emiſiſſe primo inſtanti conceptionis, credibile eſt: & in hunc finem omnes ſuas actiones voto obtuliſſe: *Ipſe enim vovit in quantum homo*, ait Author ubi ſupra. Hæc autem vota non fuerunt ad voluntatem Chriſti firmandam in bono; ſed partim ad offerendum Deo obſequium, partim ut ejus actus eſſet perfectior. *Chriſtus votum emiſit.*

## Articulus IV.

Art. 4. probat Chriſtum convenienter converſatum eſſe ſecundùm legem, etiamſi non eſſet ei ſubjectus, ut ar. 1. quæſt. 20. & 37. dictum fuit.

Nec obſtat illud Apoſtoli, *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quia debitor eſt univerſæ legis faciendæ*; nam, ut Anſelmus interpretatur, de illis hoc verum eſt, qui circumciduntur pro adipiſcenda juſtitiâ, quique exiſtimant ſe, niſi per circumciſionem, ſalvari non poſſe. Alij ad ſolos Gentiles id pertinere exiſtimant, qui cum non haberent eas ſcandali vitandi cauſas, quas habebant Judæi; ſi circumcidebantur; ipſo facto legem profitebantur, eique ſe ſubjiciebant. *Ad Gal. 5.*

Circa locum in arg. ad oppoſitum allegatum, obſervandum eſt quod Chriſtus legem veterem impleverit ſex modis. *Quibus modis Chriſtus legem impleverit.*

Primò, quia illam ſervavit, in nullo ejus præcepta tranſgrediens, & omnia quæ jubebat, exequens.

Secundò, quia manifeſtavit myſteria in lege latentia.

Tertiò, quia præſtitit ea quæ promittebantur in lege, & exhibuit veritatem rerum in ea præfiguratarum.

Quartò, quia verum legis ſenſum expoſuit.

Quintò, quia dedit gratiam & virtutem qua nos legem impleamus.

Sextò, quia in paſſione illam conſummavit. videri poteſt *Aug. l. 17. contra Fauſtum c. 6. l. 18. cap. etiam 6. & l. 19. c. 9. Impletur* (ait *l. 17.*) *lex, vel cum fiunt quæ ibi præcepta ſunt, vel cum exhibentur quæ ibi prophetata ſunt*: ubi *primum* & *tertium* modum expoſuit. De *ſecundo* habemus Luc. 24. v. 27. & 45. de *quarto* Matth. 5. per multos verſus. De *quinto*, Aug. l. 19. contra Fauſtum c. 27. De *ſexto*, B. Thom. q 47. art. 2. ad 1.

QUÆ-



# QUÆSTIO XLI.

## *De tentatione Chriſti.*

## Articulus I.

*Chriſtus fuit convenienter tentatus.*

Art. 1. quatuor rationibus probat Chriſtum convenienter tentatum. Ut nobis ferret auxilium; ut præberet cautelam, ut daret exemplum; & ut largiretur nobis fiduciam. A

In Chriſti porro tentatione diabolus primò & principaliter volebat explorare, num ipſe eſſet Filius Dei naturalis: ſecundariò, inducere illum in peccatum. Ductus autem eſt Chriſtus in deſertum à Spiritu Sancto; ut communiter interpretantur Patres, & ut B. Lucas cap. 4. ſignificat; *Jeſus plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Iordane, & agebatur à ſpiritu* (illo ſancto ſcilicet) *in deſertum*. Ex quo intelligitur non fuiſſe ductus motu aliquo externo & ſenſibili; ſed interno inſtinctu, & motione ſpirituali; quo modo ad Rom. 8. Filij Dei per gratiam adoptionis, dicuntur agi Spiritu Dei. Cum autem Spiritus Sancti inſpirationi Chriſtus conſentiret, non poteſt non rectiſſima intentione iviſſe in deſertum. B

*Ob.* Nec obſtat, quod non licet tentationes expetere, & earum occaſiones quærere; ipſe autem iverit ut tentaretur à diabolo: Vocula enim (*ut*) poteſt accipit conſecutivè, quemadmodum ſæpe aliàs; aut etiam cauſaliter, ita tamen ut activa diaboli tentatio non fuerit finis, vel à Spiritu Sancto vel à Chriſto intentus; ſed ipſa tantum permiſſio tentationis, ejuſque exceptio; hoc ſenſu, *ut tentaretur* id eſt, eo fine ut ibi tentationem diaboli exciperet ac pateretur, tanquam loco ad eam rem oportuno. *Reſp.*

Deinde, Chriſto licuit expetere tentari, & tentationis ſufferendæ oportunitatem quærere: tum quia Spiritus Sanctus eum ad hoc movebat; tum quia ſciebat nullum ſibi imminere poſſe periculum: quæ ſi ponerentur in cæteris hominibus; etiam ipſis idem liceret, verùm quia non ponuntur, non licet. C

In primâ ratione obſervandum, quod tam humilitas & dignatio illa Chriſti quâ tentationes ſuſtinere voluit, quam ingreſſus ejus in deſertum ut tentaretur, valuit tanquam pars œconomiæ Chriſti, ſicut alia ejus opera. Cùm additur, *Iuſtum quippe erat ut ſic tentationes noſtras ſuis tentationibus vinceret, ſicut mortem noſtram venerat ſuâ morte ſuperare*, ſermo eſt accommodatus ad ſignificandum decuiſſe ut tentationes ſuſtinendo mereretur nobis gratiam vincendi tentationes noſtras, ſicut mortem ſuſtinendo meruit ut mortem ſuperaremus; etiamſi unicum ejus opus ad omnia ſuffeciſſet. D

Secundam rationem confirmat, quod diabolus nullum in Chriſto peccatum advertens, multa autem bona opera, auſus tamen eſt eum tentare: ſic enim & cogitare debent Sancti ſe à diabolo tentandos, quantumcunque ſint Sancti. E

Circa tertiam notandum quod Chriſtus multipliciter exemplo ſuæ tentationis docuerit quo modo reſiſtere debeamus diaboli tentationibus, nimirum nos armando per jejunium, tentationi opponendo Scripturam ſacram; & dum ipſe Scripturis utitur, memorando præcepta divina, eorumque obedientiam, fiduciam in Deum collocando & reſiſtendo diabolo. Cum Reſp. ad 1. confe-

renda ſunt quæ dicemus quæſt. 44. artic. 1.

In Reſp. ad 3. tacitè concedens Chriſtum non eſſe tentatum à mundo, intelligit concupiſcentiam rerum mundanarum: Nam quod à mundo, id eſt, à mundanis hominibus fuerit impugnatus, docuit q. 15. ar. 2. ad 3.

Circa eandem Reſp. eſt obſervandum Chriſtum non potuiſſe tentari internâ tentatione; neque per carnem (ut qui fomitem non haberet, & in quo vires inferiores perfectè ſubjicerentur rationi;) neque per ſuggeſtionem diaboli phantaſiam commoventis; quia facultas imaginativa nulla in ſe phantaſmata rerum recipiebat, niſi ex deliberato judicio rationis; ipſaque diabolo neutiquam ſubjiciebatur: Ac proinde omnes ejus tentationes fuerunt exterius factæ: illæ quidem de quibus nunc agimus, per diabolum immediatè, apparentem in ſpecie viſibili, quæ (ut ex acceſſu & colloquio veriſimilius eſt) fuit humana: Illa autem quæ circa paſſionem, per malos homines ab ipſo inſtigatos. Idem de primis hominibus dicendum eſſe, antequam de innocentiâ laberentur; integritas ſtatûs oſtendit, & affirmat Author 2. 2. q. 165. ar. 2. ad 2. *Chriſtus non eſt tentatus tentatione interna.*

Dices, etiam per externam ſuggeſtionem immutatur phantaſia ejus qui tentatur, dum ſuggeſtio per auditum venit ad ſenſum interiorem, & tandem ad ipſum intellectum. *Ob.*

Resp. hoc ad naturalem hominis conditionem pertinere, ut percipiat objecta exteriora, atq; ea deinde ſenſu interiori & mente apprehendat: ſed nec ad Chriſti, nec ad hominis primi perfectionem pertinebat, ut clauſis exterioribus ſenſibus, ejus imaginatio immutaretur ab alio quam à Deo. *Reſp.*

His non obſtat Auguſt. l. 32. contra Fauſtum, cap. ult. dicens carnem Chriſti à dæmonum duce tentatam: non enim vult in Chriſto excitatam tentationem carnis, ſed Chriſtum ſecundùm quod homo eſt, à diabolo fuiſſe tentatum, ut patet ex contextu. *Alia Ob. Reſp.*

Non obſtat etiam quod ad Hebr. 4. Chriſtus dicatur *tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Neque enim illic dicitur eſſe tentatus, id eſt, ad peccatum ſollicitatus per omnia; ſed *tentatus* ibi eſt idem quod afflictus, eò quòd per afflictiones ſoleat hominum virtus & conſtantia probari. Tentatus ergo fuit per omnia, hoc eſt, omne genus malorum hujus vitæ expertus. Mala autem intellige quæ ſunt merè pœnalia, & toti humano generi communia, cujuſmodi ſunt fames, ſitis, laſſitudo, triſtitia, metus mortis, mors ipſa. Quæ verò vel non ſunt communia, vel communia quidem ſed bono virtutis & gratiæ quoquo modo repugnant, non eſt expertus. Talia ſunt morbi, ignorantia; concupiſcentia. Si quis tamen de tentatione ſeu ad peccatum ſollicitatione velit Apoſtolum interpretari; dicere poteſt Chriſtum eſſe tentatum per omnia, non quia ſit tentatus ab omnibus quæ peccata non ſunt, ſed quia tentatus fuit de omnibus generibus rerum tentationi ſervientium, exceptâ tentatione quæ eſt cum peccato ejus qui tentatur. Sanctus enim Joannes illas res ad tria genera reducit, primæ ſuæ epiſtolæ c. 2. Chriſtus autem eſt tentatus de gulâ quæ eſt mater luxuriæ, *dic ut lapides iſti panes fiant*. Tentatus etiam eſt de inani gloriâ, *mitte te deorſum*. Denique de concupiſcentiâ oculorum, *Oſtendit ei omnia regna mundi & gloriâ eorum; & dixit: Hæc omnia tibi dabo* &c Mat. 4. Præterea dici poteſt tentatus per *Ob. Reſp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



omnia, scilicet suavia hujus vitæ, & adversa. Per suavia, modo jam dicto: per adversa, quia per contumelias, insidias, flagella, blasphemias, mortem.

Cum in eadem Responsione dicit, *Tentatio quæ est à carne, non potest esse sine peccato*, non vult omnem contentionem carnis esse peccatum: si enim nullus voluntatis consensus adfuerit, nullum erit peccatum, ut 1.2. quæst. 74. docetur, & ex Concil. Trid. sess. 5. can. 5. manifestum est: sed vel loquitur de illa tentatione carnis quæ præveniri potest & vitari, uti potuisset in Christo; vel intelligit eam non esse sine peccato, quia licet ipsa peccatum non sit, peccatum tamen præsupponit & ad peccatum excitat, perque eam fit ut non vivamus sine peccato: vel denique accipit peccatum pro quavis indecentia & inordinatione; quo modo accipitur in verbis ex Augustino citatis, *nonnullum peccatum est* &c. pro quo apud Augustinum habetur; *Neque enim nullum vitium est.*

### Articulus II.

*Non omnes Christi tentationes acciderunt in deserto.*

Art. 2. probat Christum debuisse tentari in deserto. In eo autem non accidisse omnes tres tentationes, satis significat in Responsione ad 3. & ex Evangelistis certum est, qui referunt Christum ductum in sanctam civitatem, & statutum supra pinnaculum templi.

Cum ex Ambrosio refert, quod *Christus agebatur in desertum consilio ut diabolum provocaret:* non est propriè accipiendum; sed quatenus esuriem Christi accepturus erat diabolus, pro occasione ipsum tentandi. Vide quæ ad art. superiorem notavimus.

### Articulus III.

*Christus ante quam tentaretur jejunavit.*

Art. 3. docet tentationes illas non debuisse, esse nisi post jejunium. *Jejunavit* enim Christus quadraginta *diebus &* quadraginta *noctibus* ab omni prorsus alimento abstinens; *postea verò esurijt*, permittens scilicet humanam naturam pati quæ propria; ut docent Hilarius in Matthæum, Joannes Damascenus lib. 3. c. 20. & Cyrillus lib. 2. ad Reginas, Esuries autem hæc dedit diabolo tentandi audaciam, suspicanti ipsum esse purum hominem, cùm non diutiùs jejunasset quam Moyses & Elias. Accessit ergo statim finitis quadraginta diebus, id est, die quadragesimo primo. Neque tamen sequitur (quandoquidem Christus non manducaverit, nisi omnibus tentationibus peractis) jejunium Christi diutiùs protractum quàm Moysi aut Eliæ: eodem enim illo die tentationes peractæ fuerunt.

Ex his patet Christum non esurijsse, nisi consummatis quadraginta diebus, ut indicant Evangelistæ, & Hilarius in Matthæum, alijque Patres. Neque propterea multiplicantur miracula; quia uno & eodem fieri potuit, ut nec refectionem sumeret, nec famem sentiret, impediendo scilicet actionem caloris naturalis, aliorumque contrariorum agentium. Deinde, qui censent Christum esurijsse, nihilominus agnoscere debent miraculum in esuriei continuatione & contrarium cohibitione, ne alioquin corpus Christi consumeretur. Non est autem hinc consequens ut Christus frustra jejunaverit: præterquam enim quod esuries secuta sit, variæ fuerunt rationes istius jejunij, quæ hinc & ex ar. 2. qu. superioris possunt colligi.

In Responsione ad 2. præligenda videretur prior explicatio; ut durante quadraginta dierum jejunio Christus non fuerit à diabolo tentatus: demum enim post dies quadraginta esurijt, & ex esurie capiens audaciam tentator accessit ad eum, ut significat Matthæus capite 4. & qui à B. Thoma citantur in catena; nisi moveretur scrupulus ex c. 4. Lucæ, secundùm originalem scripturam, in principio, ubi sic legitur: *Dies quadraginta tentatus à diabolo*; secundùm quæ Dominus videtur illo quadraginta dierum spatio, fuisse tentatus à diabolo, sive aërem inusitato aliquo modo alterante, sive phantasias bestiarum ut illi molestæ essent, immutante, sive aliquo alio modo. Demum tamen post illos dies visibilem se exhibuit, & ut visibiliter tentaret, accessit. *Dominus* (ait hic B. Thom. ex Venerabili Beda) *tentabatur quadraginta diebus & quadraginta noctibus*: sed hoc intelligendum est non de tentationibus illis visibilibus quas narrant Matthæus & Lucas, quæ manifestè factæ sunt post jejunium, sed de quibusdam alijs quas diabolus eo tempore suscitabat.

### Articulus IV.

*Quis ordo tentationum. Matth. 4.*

Art. 4. declarat convenienti modo & ordine peractam esse Christi tentationem. Et quamvis in Respons. ad 5. sub dubio relinquat, quæ fuerit secunda; probabilius tamen est Matthæum servasse ordinem rei gestæ; ac proinde secundam fuisse in pinnaculo templi, tertiam in monte: post hanc enim Matthæus dicit, *Tunc reliquit eum diabolus*; non reliquisset autem, si secundo loco ista contigisset. Adde, quod enarrans assumptionem in montem dicit; *Iterum assumpsit*, ergo jam ante semel assumpserat.

In Resp. ad 7. supponit Christum deportatum esse à diabolo ad pinnaculum templi Jerosolymitani, quod & Gregorius hom. 16. in Evangelia, & Beda in Lucam tradunt, ex eo quod in Evangelio diabolus, & assumpsisse Christum dicitur, & statuisse super pinnaculum templi. Neque hinc sequitur quod diabolus manifestaverit se, quis esset: quamvis enim tali facto manifestaret se non esse hominem, non tamen declarabat se esse Angelum tenebrarum, sed lucis potius, qualis fuit qui transtulit Abacuc, Dan. 14. Ut autem scandalum aspicientium vitaretur; credibile est quod Christus effecerit ut ipse à nemine videretur, idque diabolo nesciente.

Utrum tamen Christum verè portaverit Diabolus, an solum duxerit; incertum est. Ipse B. Tho. ar. 1. in fin. Resp. ad 2. scribit quod *Christus sequebatur Diabolum ad tentationem quasi athleta, sponte procedens*; quod si ita est non portatus fuit Christus, sed ductus. Unde S. Lucas c. 4. scribit, *duxit illum diabolus in montem excelsum.* Et postea, *duxit illum in Ierusalem.* Neque potest fieri vis in verbo assumendi; cum Matth. 16. legamus de Christo, *assumens eum, Petrus*; Et c. 17. *assumit Iesus Petrum*: ubi non est sermo de deportatione, Conferantur Euthimius, Maldonatus, & alij.

Quod in eadem responsione dicit diabolum ostendisse Christo omnia regna mundi, quia brevissimo tempore, digito monstraverit varias terræ partes, in quibus sunt ista regna, simulque exposuerit magnificentiam illorum: probabilius est, quam quod regnorum species foris objecerit oculis Christi. Ad hunc enim ostensionis modum non oportebat ascendere in montem.

QUÆ-



## QUÆSTIO XLII.

## *De doctrina Christi.*

### Articulus I.

*Christus Judæis prædicavit.*

Art. 1. egregijs quatuor rationibus docet Christum à principio convenienter prædicasse Judæis, & non Gentibus; juxta illud Mat. 15. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*: quia scilicet erat missus ut Judæis personaliter & corporali præsentia prædicaret Evangelium, & ut in ejus confirmationem apud eos miracula faceret, quasi ex instituto & ex munere sibi ordinario. Vide Hilarium, Hieronymum, Anselmum in Matt. Quamvis ergo missus esset pro salute tam Gentium quam Judæorum; non erat tamen missus ad Gentes, sed ad Judæos, ut scilicet in eis nasceretur, converseretur, palam & promiscuè prædicaret; ac miracula faceret.

*Ob.* Contra id quod in quarta ratione dicit Christum per crucis victoriam meruisse dominium super Gentes; objici potest quòd similiter etiam

*Resp.* meruerit dominium super Judæos. Sed Resp. quòd non omnino similiter: Præveniendo enim meritum passionis & mortis, Christus erat Iudæis datus doctor cum authoritate & potestate: Gentibus autem non erat datus, neque illis futurus erat doctor, nisi passionis merito interveniente. Metuit ergo per passionem, ut *actu* esset Gentium doctor, ipsosque per Apostolos ab eo missos doceret ac ad suum evangelium duceret. *Actu dico:* Ratione enim unionis hypostaticæ generalem habebat potestatem tam in Gentiles quam in Iudæos; sed non erat eam actu exerciturus in Gentes, nisi prævio merito passionis.

Pro resp. ad 2. neg. est Cons. si consequens intelligatur quod Christus debuerit per se prædicare Gentibus; quia prædicavit Gentibus easque per Apostolos convertit; non est autem minoris potestatis, sed majoris, facere aliquid per alios quibus hoc faciendi potestatem tribuas, quam facere per teipsum.

In eadem resp. notanda sunt quatuor in quibus Christi doctrina excelluit, scilicet potestas faciendi miracula, vis persuadendi, authoritas loquentis, & vitæ sanctitas.

Pro resp. ad 3. etiam neg. est Cons. partim quia præter utilitatem instructionis insuper considerari debet quod populo Iudaico peculiariter promissus fuerit Messias; cui proinde tanquam filio primogenito debitum observari conveniebat, id quod non fuisset si ab initio indifferenter prædicasset Iudæis & Gentibus: partim, quia multorum utilitas fuit procurata, dum Christus Gentium multitudini per suos Apostolos prædicavit. Observandum porro Christum ita per seipsum solis Iudæis principaliter & velut ex officio prædicasse; ut tamen aliquibus Gentibus seu à populo Iudaico extraneis prædicarit, veluti Chananeæ Matth. 15. & Samaritanæ, ac alijs deinde Samaritanis Ioan. 4. Idque propterea, ne Gentiles omnino viderentur negligi, & via salutis eis præcluderetur.

### Articulus II.

*Utrum Christus debuerit Iudæis sine eorum offensione prædicare.*

Resp. non debuisse: quia quando aliqui sua perversitate salutem multitudinis impediunt, prædicator non debet eorum offensionem timere, vel sic curare, ut propter illam abstineat à providendo saluti multitudinis; & hoc ideo, quia salus multitudinis præferenda est paci multorum: Scribæ autem & Pharisæi qui offendebantur ex prædicatione Christi, sua perversitate impediebant salutem multitudinis: ergo ipse non debebat à prædicatione abstinere propter illorum offensionem. Accedit, quod offensio quæ contingebat, erat scandalum non datum, sed ex malitia acceptum ideoque non curandum; juxta illud quod Matth. 15. discipulis dicentibus, *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt*, Christus respondit, *Sinite illos* &c. Vide in 2.2.q.33. ar.6. & 43. ar. 7.

Locus Apostoli 1. ad Tim. 5. citatus argum. 3. quo dicitur ut Episcopus senes non increpet duriùs intelligendus est de communibus correptionibus, quæ propter honorem senectutis sine verborum asperitate fieri debent, præsertim à junioribus, qualis erat Timotheus Episcopus: non autem de illis quæ fiunt ob gravissima scelera, si præsertim conjuncta sint cum malitia & obduratione animi, vel cum gravi scandalo aliorum. Vide Gregorium l. 7. epist. 1.

### Articulus III.

*Utrum Christus omnia publicè docuerit.*

*Christus omnia docuit publicè.*

Resp. Christum aliquo sensu omnia publicè docuisse, juxta illud quod Ioan. 18. de seipso dixit, *Ego palam locutus sum in mundo* &c. *Et in occulto locutus sum nihil*: quoniam alicujus doctrina potest non palam sed in occulto tradi dupliciter. Uno modo, quoad intentionem docentis, qui intendit suam doctrinam non manifestare multis, sed magis occultare; idque aut ex invidia, aut propter inhonestatem eorum quæ tradit. Alio modo, quia doctrina aliqua paucis exponitur. Neutro tamen istorum modorum Christus in occulto docuit. Non priori, quia ex Christi Persona scriptum est Sap 7. *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo.* De cujus etiam doctrina maximè dici potest quod *non est de errore neque de immunditia*, 1. ad Thessal. 2. Non posteriori, quia Christus omnem suam doctrinam vel toti turbæ proposuit, vel omnibus suis Apostolis in communi, & quidem ea intentione ut per eos communicaretur alijs.

Huc proinde spectat illud Aug. tract. 113. in Ioan. *Quis in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur, præsertim si hoc loquitur paucis quod per eos vult innotescere multis?*

His igitur consideratis verissimum est quod Christus omnia publicè, & nihil in occulto docuit.

Cæterum, si solum docendi modum spectemus (qui tertius est modus, quo doctrina aliqua dicitur in occulto tradi) sic Christus quædam aliquando docuit in occulto, quando scilicet turbæ loquebatur in parabolis ad ea spiritualia annuntianda, quæ non erant idonei vel digni aliter audire;

Universidad de Deusto
Biblioteca



dire; & tamen melius erat turbis vel sic sub tegumento parabolarum illa audire, quam nullo modo; præsertim cùm Christus istas parabolas discipulis exponeret, ut per eos veritas alijs deinde manifestaretur. Unde paret huic doctrinæ non adversari quod Christus interdum in mari, in domo in deserto, in tenebris seu occultè docuerit; quodque visionem transfigurationis aperiri vetuerit: Quæ enim occultè dicebat, eadem palam docebat docerique volebat. Neque aliquid celari iussit nisi, ad tempus, & propter utilitatem audientium, ut de mysterio Transfigurationis, Matth. 17. nobis manifestato, & 2. Petr. 1. indicato, patet.

### Articulus VI.

*Christus non tradidit suam doctrinæ scripto.*

ART. 4. tradit non fuisse conveniens ut Christus doctrinam suam scripto traderet.

PRIMÒ, quia ille est excellentior doctor, qui doctrinam imprimit cordi, quam qui chartæ vel membranæ.

SECUNDÒ, quia sic est significatum, doctrinam Christi esse tam sublimem & excellentem, ut tota nequeat scripto comprehendi.

TERTIÒ, ut optimus ordo docendi apud omnes servaretur, & ordine quodam ad alios perveniret doctrina, ex auditu scilicet & viva voce, minifestaretur alijs tum per scripturam, tum per vocem eorum qui scripturam interpretantur & explicant.

*De epist. ad abgarum.*

Dubitatur quidem à quibusdam, an scripserit epistolam ad Abgarum. Verum ea nec est doctrinalis, sed salutatoria, & ad Abgari literas responsoria: nec verisimile est quod per eum scripta sit. Nam Gelasius cap. *Sancta Romana*, dist. 15. declaravit esse apocryphum.

Illud verò Ioan. 8. *quod Christus scribebat in terra*, non erat scriptura permanens, neque constat quos characteres quamve sententiam scripserit; sed aliquid quod non scimus scripsit, verisimiliter ad eorum peccata arguenda pertinens, & ad ostendendum quod accusatores illi digni erant qui scriberentur in terra, tanquam cælo indigni, juxta illud Ierem. 17. *Recedentes à te in terra scribentur.*

## QUÆSTIO XLIII.

*De miraculis à Christo factis in generali.*

### Articulus I.

*Christus conveniëter fecit miracula.*

ART. 1. docet convenientissimum fuisse ut Christus faceret miracula: quia duplex est finis miraculorum: unus est ad confirmandam veritatem: Alter, ad ostendendam præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritus sancti. Uterque autem ille finis erat persuadendus hominibus de Christo, scilicet ejus doctrinam esse veram ac divinam, & Deum esse cum eo singulariter.

Simpliciter tamen non fuisse necessarium ut miracula faceret, probari potest; tum quia varij sunt moli ad persuadendum doctrinam aliquam esse veram & fide dignam: tum quia de *Ioanne* legitur Joan. 10. *quod signum fecit nullus*; cujus tamen testimonium non propterea est indignum fide, ut loquitur Chrysost.

Nec obstat illud Joan. 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, infidelitatis scilicet: Nam Christus loquitur ex suppositione prædictionum propheticarum, de quibus Isaiæ 35. quò etiam respexit Matthæi c. 11. respondens discipulis Joannis, *Cæci vident, claudi ambulant* &c. Si enim ea signa non fecisset quæ prædicta erant facienda per Messiam, non fuisset dignus cui crederetur: & consequenter Judæi non credentes non habuissent peccatum infidelitatis. Quamquam per *opera Ioan.* 15. non necesse est intelligere miracula præcisè; sed possunt intelligi ea omnia quæ Christus fecit prædicans, cùm potestate docens, irreprehensibiliter vivens: ut sit sensus; Si dictis & factis quæ nemo alius fecit, doctrinam meam non sufficienter confirmassem; peccatum non haberent. Ita Cyrillus lib. 10. in Ioannem cap. 30.

Porrò ex priore expositione non est consequens, quod Iudæi, non tenerentur credere, antequam adimplerentur omnia quæ de Christo erant prædicta: In primis enim credere debebant Ioanni Baptistæ, qui *missus erat ut testimonium perhiberet de lumine*, Ioannis 1. Deinde, videntes quod implerentur prima, eaq; talia quæ per se fidem merentur, & ad persuasionem sufficerent, credere debebant cætera subsecutura. Quomodo, si Christus non resurrexit; inanis est fides nostra. 1. Cor. 15. & tamen etiam antequam resurgeret, oportebat Iudæos credere; propter prædicationem scilicet præcedentem sufficienter confirmatam.

Circa Respònsionem ad 1. observa sensum hujus scripturæ, Matth. 12. *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ*, hunc esse convenientissimum: Scribis, & Pharisæis signum è cælo petentibus, non dabitur tale quale petunt, id est, è cælo, sed longè aliud; scilicet è profundo terræ; signum videlicet resurrectionis in Iona præfiguratum. Confer. q. 44. ar. 2. ad 3.

### Articulus II.

ART. 2. Docet Christum miracula fecisse divina virtute, quia sola ea virtute fieri possunt. Vide 1. partem q. 165. art. septimo, qu. 110. art. 4. & quæ supra diximus qu. 13. ar. 2.

Circa Responsionem ad 1. adverte, cum dicitur Marci 6. de Christo, *non poterat ibi virtutem ullam facere*, significari quod abhorrebat à miraculis in patria faciendis, propter incredulitatem ipsorum. Ita Nazianzenus orat. 36.

### Articulus III.

*Quod primum à Christo factum miraculum.*

ART. 3. ostendit non fuisse conveniens ut Christus miracula faceret, antequam doceret; non debuisse autem docere ante perfectam ætatem: ex quo implicitè sequitur quod primum signorum seu miraculorum quæ fecit, fuerit conversio aquæ in vinum, de qua Ioan. 2.

Nec obstat quod ea signa quæ in ejus nativitate contigerunt, per eum facta sint: cum enim dicitur Ioa. 2. *Hoc fecit initium signorum* &c. sensus est, hoc esse primum omnium signorum quibus Iesus cœpit manifestare gloriam & divinitatem suam, & quod ipse esset author illorum. Quapropter non putamus convenienter dici quod miraculum istud fuerit solùm primum in Cana Galileæ, non autem absolutè primum omnium: scriptura enim aliud significat, eamque sic intellexerunt,



runt, Tertullianus libr. de baptismo, Ambrosius sermone decimo nono, Chrysostomus hom. 2. in Joan. eumque secutus B. Thom. q. 35. art. 4. ad 3. & in catena super Joan. Theophylactus, & alij communiter. Adde quod nullum assignari possit miraculum à Christo ad manifestationem sui suæque gloriæ factum, ante istam aquæ mutationem in vinum.

### Articulus IV.

*Miracula Christi probant ejus divinitatem.*

ART. 4. probat miracula per Christum facta sufficienter ostendisse ipsius divinitatem.

PRIMÒ, quia superabant omnem potestatem creatam.

SECUNDÒ, quia fiebant ab eo ex propria potestate.

TERTIÒ, quia fiebant in testimonium veritatis suæ doctrinæ, in qua continebatur, quod ipse erat verus Deus. Quæ tria simul jungenda sunt: Alioquin, ex sola miraculorum operatione non sequeretur eum esse Deum: sequitur autem ex eo quod in testimonium suæ divinitatis ea fecerit; quia cum miracula sint testimonia divina, certò probant id, in cujus confirmationem fiunt. Idem sequitur ex uno etiam solo propriâ virtute facto: ut est in Resp. ad 3. quando scitur quòd propriâ virtute factum est.

*Ob.* Circa rationem secundam difficultas est, quomodo B. Thomas dicat Christum non fecisse miracula orando, cum articulo secundo, ad secundum, agnoscat eum fecisse illa, nunc quidem cum potestate, nunc autem orantem. *Resp.* Respondeo B. Thomam addere quod nulla miracula fecerit orando, *sicut alij*: sic nimirum quasi oratione & suffragio indigeret: quandoque tamen verba orationis adhibuisse propter nostram instructionem. Ita se explicat quæst. vigesima prima, artic. primo, ad primum. Unde Chrysostomus homiliâ sexagesimâ tertiâ in Joannem, agnoscit Christum in resuscitatione Lazari orasse, & tamen reipsa authoritatem suam ostendisse: cùm dixit, *Lazare veni foras.*

Circa Resp. ad 2. notandum est hæc verba Joannis decimoquarto: *Majora horum faciet*, à non paucis, tum Veteribus, tum Recentioribus ita accipi, ut contineant promissionem quod credentes facient majora miracula quam fuerunt ea quæ Christus visibiliter hic conversans per se fecit, & consequenter quod Christus per fideles majora esset facturus, quàm fecerit sine illis. Majora autem intelliguntur, vel secundùm reputationem hominum: vel comparatione miraculorum ejusdem generis: qualia fuerunt quòd Petrus umbrâ, Christus fimbriâ sanaret: quod Apostoli plures, Christus in vita mortali degens pauciores converterit mortuos suscitaverit, sanaverit. Vide August. tractatu septuagesimo secundo in Joannem, Chrysostomum homiliâ duodecimâ in Acta, Rupertum, Dionysium Carthusianum, Jans. Tolet. in Ioannem.

Alij non minus probabiliter intelligunt promissum quod fideles facturi sunt miracula majora horum, id est, maxima ex illis quæ Christus fecit.

## QUÆSTIO XLIV.

*De singulis miraculorum speciebus.*

### Articulus I.

*Convenienter fecit miracula circa dæmones.*

ART. 1. docet Christum convenienter fecisse miracula circa substantias spirituales, dum scil. ejiciebat spiritus verbo, Mat. 8. 12. & alibi: tum quia hoc prædictum fuerat Zachar. 13. *Spiritum immundum auferam de terrâ*; tum quia hoc erat signum quod excluserus erat potestatem dæmonum ab hominibus crediturus in eum.

In Responsione ad primum videri potest quasdam appatitiones Angelorum annumerare miraculis, non tamen quod sint propriè dicta miracula, cùm fiant virtute ipsorum naturali, ut ex primâ parte q. 51. liquet: sed quia illæ de quibus loquitur, fuerunt singulariter admirabiles, & ad testificandum maximum miraculorum, scilicet Christi mysterium. Revera tamen non asserit illas esse miracula; sed tantum dicit non fuisse opus quod circa Angelos sanctos alia miracula Christus demonstraret hominibus, nisi ut Angeli eis apparerent.

*Quæst.* Circa Responsionem ad secundùm quæritur, an dæmones sciverint Christum esse Messiam & verum Dei filium.

Ab initio quidem id eos ignorasse, satis certum est, cum diabolus hoc Matth. 4. voluerit per tentationem explorare, nec obtinuerit.

*Resp.* Ex ijs tamen quæ animadverterunt & experti sunt in Christo, eo usque sunt postea progressi, ut cognoverint eum esse Messiam in lege promissum. Ut enim loquitur Author q. 47. art. 5. *omnia signa videbant in eo quæ prophetæ dixerant futura.*

*Dæmones Christum agnoverunt esse, Messiam & Deum.*

Et similiter verius videtur quod paulatim signis, virtutibus, alijsque argumentis eò sint adducti ut crederent, ac vel inviti confiterentur ipsum esse Dei Filium naturalem. Neque enim soli ipsi dicunt, Marci 1. *Scimus qui sis, Sanctus Dei*; sed etiam Evangelista Luc. 4. *Non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum esse Christum.* Unde Hier. in c. 8. Mat. & Beda in 1. Marci, *Non voluntatis*, inquiunt, *confessio est, sed necessitatis extorsio, quæ cogit invitos. Doloribus enim quos sentiebant fidem ipsis facientibus, Deum agnoverunt* ajt Nazianzenus orat. 42.

Nec obstat quod Hieronymus dicit dæmones magis suspicatos quàm agnovisse Filium Dei: primum enim solum ab eis removet claram & utilem confessionem (unde addit, *Nemo patrem novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*,) non verò eam quæ est per effectus & signa.

*Non tamen prorsus certò.*

Præterea, quamvis cogerentur ad judicandum quod esset Deus: quia tamen mysterium Incarnationis non intelligebant, videbantque ipsum esse hominem, & quæ hominis sunt agere ac pati: Ideo occasionem accipiebant non nihil fluctuandi, num verè ita esset; accedente præsertim pravo quem habebant affectu. Unde Author licet q. 29. art. 1. ad 3. affirmat diabolum progressu temporis aliqualiter agnovisse quod Christus esset Filius Dei: hic tamen dicit eum id fuisse suspicatum ex potentiâ signorum. Et q. 41. art. 1. ad 1. dicit quod propter signa humanæ infirmitatis quæ videbant dæmones, non pro certo cognoverint eum esse

Universidad de Deusto
Biblioteca



filium Dei. Ac rursum sect. 2. 2. in ca. 2. posterioris ad Corinth. *Dicendum est* (inquit) *quod sicut Chrysostomus dicit, non habebant adventus Dei formam & certam notitiam, sed quasdam conjecturas,*

Ad Arg. verò ex 1. Corinth. 2. *Si enim cognovissent,* &c. Resp. sapientiam dæmonibus incognitam, de qua loquitur Apostolus, esse arcanum divinæ sapientiæ consilium quo Deus ordinaverat Christi morte hominem redimendum, infernum spoliandum, & regnum diaboli evertendum: ut interpretantur Beda, Anselmus, Thomas, conformiter Leoni sermone 9. de passione. Hoc enim consilium fuit res omnino tum incognita, tum inopinata dæmonibus, donec eam cœperunt nosse per experientiam, quando Christus illam exequebatur. Si verò illam antea cognovissent, cum saluti nostræ quam maximè invideant, nunquam Christum crucifigendum procurassent.

Non desunt tamen boni authores qui per sapientiam Dei 1. Cor. 2. Christum Dei virtutem & Dei sapientiam intelligunt: ut B. Thom. q. 36. art. 1. c. & ântea Aug. in Psal. 44. & in enarr. Ps. 100. Sed tunc videtur esse dicendum, quod si firmiter ac certò cognovissent Christum, simul noscentes quam ob causam venerat, tunc nunquam crucifixissent ipsum. Alioqui si ipsum etiam esse Deum cognovissent, ex odio quo in Deum & divina ferebantur, nihilominus persecuti eum fuissent usque ad mortem & crucis ignominiam: ut revera fecerunt, etsi aliquam de ipsius divinitate notitiam haberent. Videri potest Greg. 33. Mor. c. 7. aliàs 10.

### Articulus II.

Art. 2. tradit Christum convenienter fecisse miracula circa cælestia corpora; sive, quando nova stella in ejus nativitate apparuit; sive quando tenebræ factæ sunt in ejus morte: quia pertinebant ad ostendendum ipsum esse Deum, qui solus cælestium orbium cursus immutare potest.

*Eclypsis miraculosa.* Circa Responsionem ad 2. tenendum est eclypsim quæ in passione Domini contigit, fuisse miraculosam: tum quia erat plenilunium, quo tempore non potest naturaliter fieri eclypsis solis, ut observarunt Dionysius in epistola ad Policarpum, & Augustinus epistola 80. tum etiam, quia erat universalis & per totum mundum: ut docent Chrysostomus, Euthymius, & alij in Matth. Unde, quamvis aliqui Gentiles astrologi non eam observaverint, quia cum non esset tempus eclypseos, non solicitabantur de ea observanda, ut hîc traditur: fuit tamen à quibusdam eorum observata, ut à Dionysio in Ægypto, & ab alijs in Italia, ut ex Tertulliano capite vigesimo primo Apologetici colligitur. Unde Phlegon in suis chronicis eam scripsit, ut testantur Origenes homil. 35. in Mattheum & Eusebius in chronico.

Quo autem modo contigerit, ambigitur: verius videtur contigisse per retractionem radiorum solis, Deo scilicet suspendente suam causalitatem; quomodo ignis Babylonicus non combussit pueros. Danielis 3. Ita significant Hieron. in Matthæum, Beda in Marcum, Cyprianus libro de bono patientiæ. Neque tamen negandum est interpositam fuisse lunam inter solem & aspectum nostrum; quod vidisse se testatur Dionysius. Voluit enim Deus utrumque astrum sibi deservire; ac etiam in luna miraculum facere, quæ ex loco suo celeriter transijt ad supponendum se soli, ac post tres horas egressa est ad locum suum pristinum, Propter durationem autem illam tenebrarum, dicendum est, vel quòd sol & luna permanserint immota, vel potius quod soli cursum suum peragenti luna se accommodaverit. Hoc enim & facilius est, inducens mutationem in solo orbe lunari, & miracula non sunt sine necessitate multiplicanda.

### Articulus III.

Art. 3. probat Christum convenienter fecisse miracula circa homines; mitaculosè eos curando: quia sic fecit ut ostenderet se esse universalem & spiritualem salvatorem omnium.

*De Christi miraculis erga homines.* Quod in resp. ad 1. ait interiorem illuminationem non computari inter miracula visibilia; conferendum est cum ar. 10. qu. 113. in 1.2. & cum ar. 7. qu. 105. in 1. p.

*Vt Christus se absconderit.* In eadem resp. observandum quod Christus Lucæ 4. ita per medium suorum hostium transiens abibat, sicut Joan. 8. se abscondit & exivit è templo, vel nimirum incutiens illis terrorem ex præsentia suæ divinitatis, vel potius se invisibilem reddens. Neque enim se abscondit vel in angulo vel post murum aut columnam; sed potestate divina se invisibilem insidiantibus constituens, ait ex Aug. B. Thomas hîc & in catena. Fugit autem tum quia nondum venerat hora ipsius, tum quia non hoc genus mortis elegerat, quod tunc volebant ei inferre.

In resp. ad 2. observandæ sunt hæ rationes quare cæcum Marci 8. sensim curaverit.

*De cæco sensim illuminato.* Prima, propter infidelitatem, aut saltem fidem imperfectam ipsius cæci. Quamvis enim posset ei & fidem firmam seu perfectam dare, & imperfectè credentem perfectè sanare; voluit tamen suæ potentiæ effectum ad illius fidem moderari. Addit B. Tho. in catena, fuisse etiam imperfectam fidem adducentium.

Secunda, ut magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat, quæ vix & quasi per gradus ad lucem redeat.

Tertia, ut gratiam suam indicet, per quam singula perfectionis incrementa adjuvat; sive ut declaret se esse authorem rerum non tantum perfectarum, sed etiam imperfectarum, atque adeò omnium.

Quarta, ut intelligamus non solum justificationem esse ex gratia; sed etiam prævias dispositiones.

Quinta, ut cæcus beneficium quod accipiebat, pluris faceret.

De Responsione ad 3. dicetur q. 69. ar. 9.

De Responsione ad 4. dictum est qu. 13. ar. 4.

### Articulus IV.

*De miraculis erga creaturas irrationales.* Art. 4. declarat Christum convenienter fecisse miracula circa creaturas irrationales quia ejus miracula ordinabantur ad hoc quod virtus divinitatis ipsius manifestaretur ad hominum salutem; hæc autem manifestabatur per miracula etiam circa creaturas irrationales; quia sic ostendebatur quod omnis creatura erat illi subjecta.

Pro resp. ad 1. neg. Cons. loquendo de brutis terrestribus, quia quantum ad naturam sensibilem & corporalem eadem est ratio illorum, quæ hominum, ideoque satis erat quod miracula fierent circa homines: quia tamen pisces à natura hominum magis differunt, fecit miracula circa eos. Matth. 17. Luc. 5. Joan. ult.



*De sicu arefacta.* In resp. ad 2. adverte Christum Matth. 21. rectè ficum arefecisse, quamvis ut est Marc. 11. non esset tempus ficorum: quia futuri speciem damno arboris indicare voluit.

Causa ergo hujus maledictionis fuit mysterium, partim scilicet ut discipulis ostenderet suam vim punitivam, quemadmodum scribit Chrysost. partim & præcipuè, ut significaret Judæorum synagogam defecturam, ipsosque Judæos deserendos, eò quod fructum non ferrent: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*, ait Dominus, hoc ipso cap. 21. In re igitur per parabolam significata non est urgendum illud parabolæ, *non enim erat tempus ficorum:* sed ea tantum quæ serviunt ad scopum, qui erat docere quod Judæi qui fructum non ferebant, Isaiæ 5. & Lucæ 13. essent à Christo arefaciendi. Sed quare Christus rem illam in ista arbore voluit docere? Resp. quia ista arbor est humidissima; & sic majus apparet miraculum.

In resp. ad 4. observa sancti Doctor. sententiam, quod multiplicatio panum non sit facta per creationem, sed per additionem materiæ extraneæ in panes convetsæ, & vide quæ 1. p. q. 92. art. 4. diximus.

## Quæstio XLII.

## *De Transfiguratione Christi.*

### Articulus I.

*Christus quare est transfiguratus.* Art. 1. docet conveniens fuisse Christum transfigurari; tum ut ostenderet finem ad quem erat perventurus per crucem; tum ut discipulos animaret ad tolerantiam laborum, ut nimirum delibatâ ad breve tempus, gaudij contemplatione, fortiùs adversa tollerarent; cum denique ut sic de eorum cordibus tolleretur scandalum crucis. Vide Leonem sermone de transfiguratione, Bedam in caput 9. Marci.

Circa Responsionem ad primum & 2. sciendum est quod transfiguratio non aliud sit quam claritatis assumptio; & Christum fuisse transfiguratum, est externam corporis seu faciei ejus speciem fuisse immutatam, non in substantia vel figura, sed per accessionem novi splendoris, atque adeò per adventitiam splendoris qualitatem.

Cum autem scriptura dicat, *resplenduisse faciem ejus, & factam esse speciem vultûs ejus alteram:* consequenter dicendum est, in facie & carne Christi factam esse aliquam immutationem per qualitatem ei inhærentem; etiamsi neque natura corporis fuerit mutata, neque lineamenta.

Immutatio verò vestium secundùm candorem & fulgorem, extrinseca erat corpori Christi, sicut & vestes extrinsecæ sunt; quamvis esset indicium & effectus claritatis totius corporis, unde quasi per redundantiam processit. Ideò autem in claritate posita est transfiguratio: tum quia claritas facit apparere figuram corporis aliam, hoc est alterius splendoris; tum quia cum figura pertineat ad superficiem & extremitatem corporis; ea quæ circa eandem superficiem considerantur, ut color & claritas, ad figuram pertinent.

In responsione ad 3. non intendit negare tres alias dotes esse qualitates; dicit enim articulo sequenti, *quod dos nominat quandam qualitatem immanentem corpori glorioso:* sed loquitur de quatuor dotibus prout omnes Christo adhuc mortali attibuuntur: & sic verum est quod sola claritas fuerit qualitas ipsi Christi inhærens. Addi etiam possit, solam claritatem esse qualitatem insitam quoad perceptionem sensuum; quia sola illa sensum immutat, aliæ autem non, nisi motus interveniat. Unde cùm dixisset, *sola claritas est qualitas*, non addidit, *aliæ autem tres non sunt qualitates; sed, non percipiuntur nisi in aliquo actu, vel motu seu passione.*

### Articulus II.

*Qualis claritas corporis Christi.* Art. 2. tradit claritatem corporis Christi fuisse claritatem gloriæ, id est, qualem habebunt corpora gloriosa post resurrectionem. Quod ex Augustino addit, claritatem corporis glorioſi derivari à claritate animæ: non est intelligendum de derivatione physica (quandoquidem illæ claritates sunt diversæ rationis, una spiritualis, altera corporalis; una consistens in lumine gloriæ & visione beatâ; altera in externo fulgo: una intelligibilis, altera sensibilis) sed de morali, secundùm quandam rationem debiti, fundatam in merito, & in proportione connaturali quæ est inter animam & corpus. Sicut enim utrumque communicavit in actionibus meritorijs: ita utrique debetur merces; corpori tamen propter animam, quæ est principalius merendi principium.

*Claritas Christi in transfiguratione fuit miraculosa.* Quare autem hinc non sequatur claritatem corporis Christi non fuisse miraculosam; sicut non erit miraculosa in beatis postquam resurrexerint ad gloriam: ratio est, quia Christus dispensativè assumpserat corpus passibile: & animam, glorificatam quidem secundùm ordinem ad Deum, sed non secundùm ordinem ad corpus. Vide quæ diximus quæst. 13. art. 3. & quæst. 14. ar. 2.

Si ergo loquamur de debito, omnes corporis glorioſi dotes erant ab initio debitæ Christo; tum divinitatis ratione; tum propter beatitudinem animæ: sed quia acceperat corpus passibile, & animam non glorificatam secundùm ordinem ad corpus, ideo miraculum erat quando dotes illas assumebat, vel earum indicia demonstrabat; ut impassibilitatis, quando evasit de manibus Judæorum volentium eum præcipitare, Luc. 4 & lapidare, Joan. 8. subtilitatis, quando de claulo Virginis utero exivit: Agilitatis, quando super aquas ambulavit, Matth. 14. & claritatis in Transfiguratione, Matth. 17.

Quapropter non est admittendum claritatem hanc vel fuisse corpori Christi naturalem vel semper inhærentem sed oculis intuentium occultatam: sequeretur enim ejus corpus fuisse impassibile.

Nec obstant verba quædam Damasceni in oratione de transfiguratione: ijs enim non aliud vult quàm carni Christi, ab ortu suo, communicatam gloriam divinitatis, per unionem hypostaticam quæ gloria latens antea, in transfiguratione fuit; conspicua, non in se, sed radijs lucis tanquam in effectu. Ex his patet, longè aliam fuisse hanc claritatem quàm Moysi, quæ solum erat in facie, & extrinsecus adveniens ex colloquio Dei.

Arti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS III.

*Qui testes in Transfiguratione.*

ART. 3. declarat convenienter inductos testes transfigurationis. Ubi tamen sciendum est Moysen & Eliam non ideo inductos ut de ea testificarentur; cujus causa adhibiti fuere tres Apostoli: sed ut Apostolis & per eos alijs, testarentur Christum habere testimonium ex lege & prophetis esse Dominum vitæ & mortis, Salvatorem priorum & posteriorum.

Circa Responsionem ad 2. observa verisimilius esse quod hîc tradit Author, animam Moysi apparuisse in corpore assumpto. Nihil enim nos cogit dicere, fuisse naturale ipsius corpus, ut postea iterum morereretur: quamvis Hieronymus ita sentire B videatur super Matth. & alij quidam.

ARTICULUS IV.

ART. 4. docet vocem Patris convenienter auditam.

In Responsione ad 1. sententiam ex Job 33. allatam, accommodatè magis quam literaliter explicat, secutus Gregorium libr. 23. Moralium capite 19. Ad literam autem sensus est, quod Deus semel homini loquatur sufficienter ad ejus instructionem; ut proinde non oporteat quod deinceps ad singulas ipsius interrogationes respondeat. Ita ipse B. Thomas lectione secunda ad. cap. C 33. Job.

*De loco Transfigurationis.*

De loco autem transfigurationis non constat. Communior sententia est fuisse in monte Thabor. Ita Hieronymus in Epitaphio Paulæ, Damascenus oration. 3. de imaginibus, Beda de locis sanctis, Euthymius in Psalm. 88. & Patres Concilij Florentini sess. 1. Unde Ecclesia in Transfiguratione canit, *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.*

Nec obstat quod Thabor sit in Galilæa, videantur autem hæc contigisse in partibus Cæsareæ Philippi, de qua Matth. 16. Cùm enim aliquot dies intercesserint inter aditam Cæsaream, & transfigurationem; potuit Christus ex Cæsarea redijsse in Galilæam. D

Si dicas, Christum statim à transfiguratione prætergressum Galilæam, ut est Marc. 9. RESP. non sic prætergressum ut in ea non conversaretur: sed sensus esse potest; quod conversaretur in Galilæa (quemadmodum habetur ex Matth. 17. versu 22.) quodque conversando transiret per Galilæam, seu varia Galilææ loca, relicto eo ubi post transfigurationem sanaverat dæmoniacum.

Cæterum, quia mons Libani vicinior est Cæsareæ Philippi, in qua videtur Christus Matth. 16. locutus de sui transfiguratione: magisque proprius sermo est, si verba B. Matei, *Et inde profecti*, (utique ex loco alio quam Galileæ) *pertransiebant Galilæam*, interpretentur quod Christus relicto loco transfigurationis transierit per Galilæam: ideo sententia eorum qui transfigurationem accidisse dicunt in monte Libano, valde probabilis est.



A

## QUÆSTIO XLVI.

## *De Passione Christi.*

ARTICULUS I.

*Ut fuerit necessarium Christum pati.*

ART. 1. docet Christum pati pro liberatione generis humani, fuisse necessarium; non simpliciter & absolutè, sed ex suppositione finis, & præordinationis divinæ. Ordinaverat enim Deus, ut Christus pateretur, & ut sine ipsius passione non liberaremur.

Ex Respons. ad 3. patet quod necessarium in argumento sumat pro convenienti, vel pro necessario ex suppositione.

De Respons. ad 4. diximus 1. p. q. 64. art. 2. & qu. 4. hujus partis ar. 1.

ARTICULUS II. & III.

ART. 2. & 3. probat possibilem fuisse alium liberationis nostræ modum; sed hunc esse convenientissimum; qua de re dictum est articulis 1. & 2. qu. 1. Cum quibus conferatur quod hîc art. 1. ad 3. scribit Author, abundantioris fuisse misericordiæ, quod Deus Pater Filium suum unigenitum dederit nobis redemptorem & propitiatorem, quam si peccata absque satisfactione dimisisset. Unde Ecclesia in benedictione cerei paschalis, *O inæstimabilis dilectio charitatis! Ut servum redimeres, filium tradidisti.* Vide Rom. 8. ad Eph. 2. & 3. Ioan. 3. 1. epist. ejusdem Ioan. 4.

In Responsione ad 4. art. 2. notandum est fidei non subesse falsum, etiam si sit de rebus non necessarijs, sed liberis; quia est de illis præsuppositâ Dei ordinatione; sic autem sunt necessariæ, ex suppositione. Vide in 2. 2. q. 1. ar. 2. ad 2. & in 3. dist. 20. q. 1. ar. 4. ad 4.

De Responsione ad 3. utriusque artic. diximus ar. 2. q. 1.

ARTICULUS IV.

*Decuit Christum in Cruce pati.*

ART. 4. docet fuisse convenientissimum Christum pati in cruce.

Quod in prima ratione dicit: *Nihil erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius & formidabilius*; verum est quantum ad ignominiam & dolorem. Unde Athanasius ser. in sanctam Paraskeven, *Alias mortis species prætermittentes, ad crucem festinarunt, punitionis simul atque ignominiæ id instrumentum existimantes.* Quantum ad ignominiam quidem, quia cum supplicio crucis viliores tantum homines, (ut mancipia) & non nisi valde scelerati solerent affici; nihil illo tempore fuit ignominiosius quàm mors crucis, ut loquitur Augustinus serm. 18. de verbis Domini, probans id ex cap. 2. ad Philipp. *mortem autem crucis*, ubi etiam videndi sunt Chrysostomus, Thomas, Anselmus. Hinc Sap. 2. in persona Judæorum dicitur, *Morte turpissima condemnemus eum*: scilicet Christum, ut Cyprianus lib. 2. contra Iudæos, cap. 4. Prosper lib. 1. de prædictio cap. 26. Augustinus lib. 17. de civitate cap. 20. & lib. 12. contra Faustum c. 44. intellexerunt. Eodem pertinet quod Deuteron. 21. dicitur, *Maledictus à Deo qui pendet in ligno*: quamvis illud (*a Deo*) in antiquis Hebræorum codicibus putetur non haberi: Sensus enim est, Si quis admiserit



serit peccatum tam enorme quod sit cruce plectendum; is adeò abominabilis est Deo, ut nec cadaver ejus ferat esse in lumine, sed ex hominum aspectu velit tollendum, ne terram polluat. Quemadmodum enim facinorosis hominibus terra polluitur: ita quamdiu aliquid ipsorum reliquum est, utpote cadaver, non censetur plenè expiata. Sic *maledictus* intelligitur qui propter malum culpæ crucifigitur. Christus autem factus est maledictum: partim quia sustinuit pœnam quam qui patiebantur, maledicti habebantur: partim, quia Judæi existimabant eum ob sua peccata cruci affigi: partim denique, quia pœna ipsa maledictio erat.

*Christus maledictum factus.*

*Mors crudelis maximè dolorosa.*

Quod autem mors crucis fuerit etiam maximè formidabilis propter dolorem: probari potest; quia B inter genera suppliciorum usitata quæ vel lege, vel consuetudine reis inferatur, supplicium crucis erat durissimum, ut tradit Augustinus tractatu 31. in Joannem, Anselmus in caput. 2. ad Philipp. Lactantius lib. 4. Instit. c. 26. B. Thomas ar. 6. tum quia diutius cruciantur, dum longa morte necantur; tum quia configuntur in locis nervosis, in quibus maximè viget sensus tactus.

Ad secundam rationem spectat illud Ecclesiæ, *Qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*: Item, *Et medelam ferret inde, hostis unde læserat.* Vide Hieronymum in c. 3. ad Galatas, Damasc. li. 4. cap. 12. Leonem sermo. 6. de passione.

In tertia intellige æris emundationem à dæ- C monum in hunc aërem caliginosum detrusorum infestationibus & tentationibus, quæ per meritum crucis Christi superantur & minuuntur. Quod autem de terra additur, ad homines in terra degentes referendum est.

Circa sextam observandum est quosdam ex Hieronymo suspicari crucem Christi fuisse instar literæ Græcæ T. Verum cum is in caput. 9. Ezech. solum dicat literam illam habere crucis similitudinem; non necesse est intelligere similitudinem plenam & perfectam. Unde communior sententia est crucem fuisse ita formatam, ut super lignum transversum extiterit aliqua pars, cui titulus fuit affixus. Ita Augustinus epistola 112. 119. 120. & D li. 2. de doctrina Christiana c. 41. Anselmus, Thomas, & alij ad caput 3. epistolæ ad Ephesios. Vide Molanum cap. 64. & 75. de picturis, Alias l. 3. c. 17. & lib. 4. c. 5.

Ex his patet authorem supponere quod fidei est, Christum Dominum verè & propriè fuisse crucifixum; non autem Simonem Cyrenæum in speciem Christi transformatum, ut fabulatus est Basilides, testibus Irenæo li. 1. c. 23. & Epiphanio hæresi 24. qui propterea volebat non esse credendum in crucifixum, ne non in Christum, sed in Simonem crederetur.

*Quæst.* Petes, quo modo rectè dicitur quod Christus fuerit crucifixus, cum moris esset apud Judæos, E ut malefactores non clavis affigerentur, sed funibus appenderentur, ut ostendi potest ex cap. vigesimo Deuteron.

*Resp.* RESP. in lege præceptum non fuisse de clavis, sed nec prohibitum; quibus proinde fixi fuerunt filij Saul, 2. Regum 21.

Sed præterea Christus à Romanis morte affectus est, quibus in more fuisse clavis reum figere (quod propriè est crucifigere) docet Covarruvias l. 4. variarum c. 5.

*Christus fuit clavis affixus cruci.*

Denique, circa reos, & alia fiebant de quibus lex non loquitur; ut crurifragium, & lateris aperti-

tio. Et alioquin ex Evangelio Joan. 20. constat Christum fuisse clavis affixum cruci. *Nisi videro*, dicebat Thomas, *in manibus ejus figuram clavorum, & mittam digitum in locum clavorum*, &c. *non credam.* Cui postea Christus, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.* Qui etiam alijs Apostolis octiduo ante ostenderat *manus*, clavis utique fixas, *& latus lancea* apertum, & quorsum alioquin Luc. 24. dixisset: *Videte manus meas & pedes quia ego ipse sum?* Huc etiam pertinet illud Psalm. 21. *foderunt manus meas & pedes meos.*

*De numero clavorum.*

De numero autem clavorum non constat. Nam in scriptura Ioan. 20. solùm fit mentio fixuræ & loci clavorum, tacetur autem de numero.

Gregorius Turonensis l. 1. de gloria martyrum c. 6. alijq; quos citat Molanus c. 24. & 75. de picturis, alias lib. 4. c. 6. quatuor agnoscunt, extantque veteres imagines Christi quatuor clavis crucifixi.

Opinionem tamen de tribus clavis probabilem facit quod duorum pedum unico clavo transfixio non minorem videatur dolorem adferre, quodque multæ tum veteres; tum recentiores imagines extent cum tribus clavis.

Sed priorem sententiam veriorem esse probat, quod S. Franciscus in singulis pedibus singulos habuerit clavos, repræsentantes clavos illos quibus pedes Christi fuerunt perfossi & cruci affixi, ut patet ex ejus vita per B. Bonaventuram scripta cap. 13.

*Christus est nudus crucifixus.*

Nudum porro crucifixum esse Christum, sine omni velamine, crudelitas & petulantia crucifigentium suadet: ipsi enim neque habebant curam tegendi illum; neque verisimile est quod permisissent quemquam ad eum accedere. Unde Ambrosius li. 10. in Lucam, nudum dicit crucem ascendisse, talem *quales nos authore Deo natura formavit, & qualis Adam in Paradiso habitavit.* Videatur Molanus dicto l. 4. c. 4.

ARTICULUS V.

*Christus non omnes passionum species sustinuit.*

ART. 5. Docet Christum non sustinuisse omnes passiones quantum ad speciem, cùm D earum quædam inter se pugnent, sicut combustio in igne & submersio in aqua; manifestumque sit ipsum non fuisse igne exustum, nec gladio transfixum, nec vivum excoriatum, nec in fructra concisum; & possit hominum malitia semper alias & alias passiones excogitare: Addit tamen eum sustinuisse omnes passiones quantum ad genus; quia passus est ab omni genere hominum, in omni bono humano, in omnibus membris & sensibus corporis.

Sermo autem est de generibus passionum quæ vi & malitiâ humanâ possunt effici: Nam quod sectarij dogmatizant Christum dolores Inferni ac damnatorum in hac vita passum; ejusdem est blasphemiæ cum illo Calvini, Christum desperationis vocem emisisse: pugnatque & cum promptitudine spiritus de qua dixit Matth. 26. *Spiritus quidem promptus est*: & cum beatitudine animæ; Itemque cum voluntaria sui ad passionem oblatione; cum impeccabilitate; cum scientia eorum quæ futura erant super se: cum potestati habendi duodecim legiones Angelorum, & dandi beatitudinem latroni.

*Obj. Resp.*

Si dicas; Christus pro nobis satisfecit; ergo passus est illas ipsas pœnas quæ peccatis nostris erant debitæ: Negatur consequentia, quia assumpsit pœnas hujus vitæ sibi indebitæ, ut satisfaceret pro

pœnis

Universidad de Deusto
Biblioteca



pœnis inferni, hominibus debitis. Neque satisfactionis valor sumendus est ex identitate pœnæ, sed ex patientis dignitate & charitate. A

### Articulus VI.

*Dolor passionis Christi maximus.*

Art. 6. declarat dolorem passionis Christi fuisse majorem omnibus doloribus, non quidem qui de potentia Dei absoluta possunt suscipi, sed qui in præsenti vita sustinentur. Et quamvis, si unam tantum doloris causam consideremus, possit in aliquibus esse major dolor: si tamen omnes causæ quas sanctus Doctor pulcherrimè explicat, simul jungantur; major fuit in Christo secundùm intensionem scilicet: Nam de extensione non videtur loqui Author, neque ullo modo constat quod directè & per se passus sit in pluribus partibus corporis, quàm illi quorum corpora frustatim in minimas partes concisa sunt. B

Quod in 4. ratione dicitur Christus voluntariè assumpsisse dolorem & tristitiam: non sic est intelligendum quasi ultra modum ejus doloris, quem naturaliter causare possunt causæ præsentes, in se per miraculum intenderit, vel dolorem ex læsione corporali, vel tristitiam ex apprehensione: sed sic quod non avertit mentem aut imaginationem à consideratione illorum quæ tristitiam adferre possunt, sed potius ea omnia efficacissimè consideravit; & reliquit unicuique tormentorum agere, & unicuique virium agere & pati quod proprium est; appetitum quoque, quantum naturæ propensione & efficacia posset, contristari. Quò pertinet, quod divinitus fiebat ut unus actus non impediret alium, nec gaudium unius partis redundaret in aliam. C

Circa Responsionem ad 3. observandum est B. Th. non comparare dolorem Christi cum doloribus animæ sive in Inferno, sive solum in purgatorio patientis; sed cum doloribus dumtaxat illis quos patiuntur homines adhuc mortales: Ac proinde non solum dolor damnatorum, sed etiam animarum quæ sunt in purgatorio, major est doloribus Christi; saltem quoad genus pœnæ & doloris; dolent enim de carentia visionis Dei, & affliguntur per ignem ut instrumentum divinæ justitiæ. Ad intensionem tamen quod attinet, non videtur improbabile aliquam purgatorij pœnam esse minùs acerbam, quàm fuerit pœna Christi, utpote illa quæ infertur ob pauca eaque minora peccata. D

Quod in Responsione ad 6. dicit Christum, *non solum attendisse quantam virtutem dolor ejus haberet ex divinitate unita, sed etiam quantum* (sive, ut potius videtur legendum, quantus) *dolor ejus sufficeret secundùm humanam naturam ad tantam satisfactionem*: non est intelligendum de sufficientia quæ esset per se, seclusâ dignitate personæ, E sed secundùm proportionem: quasi dicat, Non solum attendit valorem & efficaciam doloris quæ erat ex unione ad Verbum, sed insuper voluit servare proportionem; ut sicut maximum erat peditum ex peccatis nostris, ita maximos dolores assumeret.

### Articulus VII.

*Christus secundùm totam animam assus.*

Art. 7. Docet Christum passum esse secundùm totam animam: totalitate quidem essentiæ, quia tota essentia animæ patiebatur: totalitate autem potentiarum, quia omnes potentiæ passæ sunt: vel passione propria, id est, quæ nata est fieri à proprio objecto; vel passione subjecti, id est, quam habet potentia per redundantiam, quando subjectum ejus patitur: quo modo visus dolet, quando oculus malè afficitur.

*Distinctio rationis superioris & inferioris.*

Ad eorum quæ tum in fine corporis, tum in Responsione ad 2. dicuntur, intelligentiam sciendum est rationem superiorem & inferiorem esse eandem potentiam: quæ dicitur superior, quatenus intendit rationibus, superioribus & æternis: inferior, quatenus inferioribus, id est, humanis & temporalibus, ut ex Augustino docet B. Thomas 1. p. qu. 79. art. 9. Cùm autem objectum sufficiens ad causandum tristitiam, sit malum imminens aut præsens; si illud apprehendatur per sensum internum, excitatur dolor sensibilis; si per rationem, & propter rationes inferiores & humanas (ut cum mors & læsio apprehenditur ab intellectu ut malum naturæ, & bono naturali disconveniens) excitatur dolor in voluntate secundùm portionem inferiorem: si autem per rationem, propter rationes divinas & superiores, (ut cum apprehenditur peccatum quatenus est offensa Dei & contrarium divinæ bonitati;) tunc oritur tristitia in voluntate secundùm portionem superiorem.

*Fuit in Christo tristitia etiam secundùm rationem superiorem.*

Cùm ergo Christus, non solum mala naturæ, sed etiam peccata ut Dei offensiva, per rationem apprehenderet: consequens est tristitiam fuisse non solum in appetitu sensitivo, sed etiam in voluntate; nec solum quantam ad rationem inferiorem, sed etiam quantum ad superiorem. Neque B. Thomas contrarium vult: dicens enim quod *ratio superior non patiebatur ex parte objecti*, non negat quod patiebatur, sed solùm negat quod ex ea parte. Patiebatur ergo, sed non objecto suo primario quod est Deus: Unde addit, quod Deus *non erat anima Christi causa doloris.*

### Articulus VIII.

*Ut tota Christi anima frueretur beatitudine in Passione.*

Art. 8. docet quod in passione Christi tota ejus anima, si essentiam spectemus, fruebatur beatitudine; non tota autem, si potentias.

Difficultas manet, quomodo summa tristitia potuerit consistere cum summo gaudio. Neque enim recipiendum est (quod quibusdam placuit) Christum ad breve tempus suspendisse actum gaudij, ut daret locum tristitiæ: nam semper fuit beatus, beatitudinem autem consequitur sicut fruitio, ita & gaudium, sed neque satisfacere videntur, qui respondent contraria posse esse simul in eodem per miraculum: quamvis enim hoc verum sit in alijs qualitatibus & formis; repugnantia tamen videtur in actibus vitalibus, qui per intrinsecam emanationem procedunt à subjecto, & ex parte objectorum includunt repugnantiam.

B. Thomas hîc ad 1. & qu. 48. art. 9. ad 2. docet gaudium & tristitiam quæ sunt actus voluntatis, non esse contraria, nisi sint de eodem, secundùm idem, sive secundùm eandem rationem. Sicut enim non repugnat idem objectum, esse bonum & malum secundùm diversas rationes: ita etiam non repugnat actus gaudij & tristitiæ versari circa illud, secundùm eas rationes diversas, v. g. quia mors in ordine ad naturam, est disconveniens: potest de illa esse tristitia: quia verò est conveniens in ordine ad obedientiam, & redemptionem generis humani; potest de illa esse gaudium.

Quapropter q. 29. de ver. ar. 10. ad 9. respondet gaudium & dolorem Christi *non fuisse contraria quia*



*Gaudium & tristitia qualiter simul in Christo.*

*quia non erant de eodem*: gaudebat enim de suâ beatitudine & hominum redemptione: dolebat autem de peccatis hominum. De morte quoque suâ dolebat, ut est malum naturæ: sed de illa gaudebat ut erat medium ad nostram redemptionem, & de utilitate consequente. A

*Ob.* Sed contra: si hæc ita essent, non esset miraculum fuisse in Christo gaudium simul & tristitiam

*Resp.* Resp. negando sequelam; quia licet actus illi non sint contrarij, propter diversum tamen modum tendendi in objectum, gaudium si sit perfectissimum, naturaliter non compatitur secum tristitiam: tum quia in summo gaudio voluntas tota occupatur: tum, quia gaudium dilationem cordis habet, tristitia constrictionem. B

Præterea, cùm visio & fruitio Dei constituant animam in ultimo statu perfectionis: naturaliter excludunt omnem miseriam, tristitiam, & dolorem: & ideò miraculosè factum est, ob finem Incarnationis, ut ab anima Christi non excluderentur, etiam quoad partem superiorem.

### Articulus IX.

Art. 9. Docet Christum convenienti tempore passum, quia passus est quando voluit; ejus autem voluntas regebatur à divina sapientia & perfectissimè illi consentiebat.

Circa responsionem ad 1. difficultas est. C

## *Quo die mensis crucifixus sit Christus.*

Ubi, primò sciendum est, Iudæos menses omnes numerare à novilunio, ut prima & secunda luna illis idem esset, quod primus & secundus dies.

Deinde statuendum, Christum mortuum illa die primi mensis, quæ proximè sequebatur immolationem agni, & institutionem Eucharistiæ: juxta illud 1. ad Corint. 11. *In qua nocte tradebatur, accepit panem* &c. & illud Ecclesiæ in Canone Missæ: *qui pridie quàm pateretur, accepit panem.* D

Quo posito: Græci contendunt Christum uno die prævenisse diem immolationis agni deputatū, eumque immolasse decima tertia luna ad vesperam, occisum autem à Iudæis luna decima quarta.

Probatur Primò, quia, ut Evangelistæ referunt Matth. 20. & Marci 14. decretum erat in Concilio Iudæorum, ut Christus non occideretur die festo.

Secundò, Christus immolavit pascha *ante diem festum paschæ*, Ioan. 13. ergo decima tertia luna: Nam decima quarta, erat dies paschæ.

Tertiò, Iudæi ipso die passionis Christi *non introierunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Ioan. 18. E

Quartò, Crucifixus est quando erat *parasceve paschæ*, id est, præparatio ad pascha, Ioannis 19.

Quintò, Agnus erat figura sacrificij crucis, juxta illud ejusdem capitis 19. *Os non comminuetis ex eo*: igitur ut figuratum responderet figuræ, sacrificium illud peractum fuit decimâ quartâ lunâ.

Sextò, In die passionis licebat parare cibos, *& mulieres paraverunt aromata: Ioseph quoq; mercatus est sindonem.* Marci 15. & Lucæ 23. Quæ omnia non licebant in die festo azymorum, ut habetur Levit. 23. A

Septimò, primus dies azymorum eo anno incidebat in sabbathum: ergò Christus non comedit agnum paschalem primo die azymorum, sed prævenit. Antecedens probatur; tum quia sabbathum vocatur illo anno magnus dies, Ioannis 19. tum quia festum Pentecostes eo anno incidit in diem dominicum, ut habetur ex traditione ergo etiam secundus dies azymorum incidit in illum diem; quia Levit. 23. jubetur festum Pentecostes celebrari die quinquagesimo à secundo die azymorum.

Octavò, Sententiam hanc tradit Anselmus in caput 27. Matthæi, & Augustinus tract. 120. in Ioannem, dicens acceleratam fuisse Domini sepulturam, propter parasceven quâ cœnam putam comesturi erant. B

Ad hæc *sunt qui respondeant*, Christum servasse legitimum tempus edendi agni paschalis: Iudæos verò vel omnes, vel præcipuos neci Domini intentos, distulisse suum pascha in sequentem diem. Ita Chrysostomus hom. 85. in Matthæum.

Alij dicunt eum, simul & Iudæos celebrasse paschâ lunâ decimâ quartâ; sed istos non celebrasse solemnitatem azymorum nisi die sabbathi, propterea quod ex traditione seniorum nunquam celebrarent duo festa continuis diebus: quia difficile erat corpora mortuorum, aut cocta olera servare in tertium diem, ob calorem regionis. Quando ergo festum paschæ incidebat in feriam sextâ, quod evenit tempore passionis differebant illud in proximum diem, scilicet sabbathum. Ita Rupertus l. 10. in Matth. paulò post initium. C

Tertiò, Sunt qui velint Iudæos utrumque distulisse & immolationem agni, & festivitatem azymorum: quia traditio erat ut festum azymorum nunquam celebraretur die secundâ, quartâ, vel sextâ. Sic Burgensis in addit. ad Liranum, super caput 26. Matth.

Verum Iudæos pascha celebrare solitos luna decima quarta, in quamcunque diem septimanæ incidisset, testatur Epiphanius hæresi 30 & probat non solùm hæresis Quartodecimanorum, qui Iudæorum exemplo docebant pascha celebrandum esse quolibet die septimanæ, in quem incideret luna decimaquarta; sed etiam mos Ecclesiarum Asiaticarum, quæ Iudæos imitatæ, pluribus annis id observaverunt: ut qu. 2. de traditionibus art. 3. diximus.

Deinde, si quandoque transferenda fuisset paschalis festivitas; non erat ratio transferendi in sequentem diem, sed magis in decimam quartam lunam mensis sequentis: Id enim continebat lex Num 9. & observatum est 2. Paral 30.

Quamquam quod Iudæi tunc temporis, propter privatū scelus eam transtulerint, nullo modo probari potest; cum ad diem ordinarium conveniret undiq; innumera hominum multitudo; cumque Iudas eidem sceleri maximè intentus; nihilominus commoditatem habuerit pascha celebrandi.

*Iudæi aliquando celebrabant plura festa continuè.*

Accedit, quod traditionum quæ prætenduntur, nec solidum inveniatur fundamentum, nec author sufficiens: Non enim insolitum fuisse Iudæos plura festa continuò celebrare, manifestum est ex Iosepho l. 13. antiquit. c. 16. qui post verba Nicol. Damasc. scribentis. *Antiochus erecto trophæo ad Sycum fluvium, ubi Indatem Partborum ducem profligaverat, hæsit ibi per biduum ad Preces Hircani*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Iudæi, quod in id tempus fortè quædam Iudæorum festivitas incurrerat; per quam non licebat eis iter facere.* Adjungit, *Et verum est quod ille scripsit: Nam Pentecoste instabat post sabbathum, quo tempore nostris iter facere nefas habebatur.*

Deinde, cùm festa celebrarentur eo die quem lex præscribebat, incidere poterant in feriam sextam, aut eam quam nos vocamus dominicâ. Imò, positâ paschatis translatione in sabbathũ: sequenti septimanâ fuissent duo festa continua, scil. Sabbathum & septima dies Paschæ, quæ jubebatur solemnizari Exod. 12. & Levit. 23. Neque propterea parandi erant cibi pro Biduo: Nam ea præparatio in solis sabbathis prohibebatur universaliter, non in alijs festis: unde nominatim de primâ & septimâ die azymorum, quæ concurrebat cum Paschate dicitur Exo. 12. *Nihil operis facietis in eis excepto his quæ ad vescendum pertinent.* His addi potest quod Israëlitæ soliti fuerint quartamdecimâ & quintamdecimam mensis Adar quotannis solemni honore celebrare & pro festis habere. Imò ex 2. Machab. ult. patet quod & decimum tertium diem istius mensis habuerint festivum.

Quæ cum ita sint, longè verius est & Christum & Judæos celebrasse Pascha juxta præscriptum legis, lunâ decimâ quartâ ad vesperam: sequenti verò die, qui erat festum Paschæ, Christum esse crucifixum & mortuum.

*Christus est passus luna decimaquinta.*

PROBATUR PRIMÒ, quia ex Evangelistis constat Dominum Pascha celebrasse, *primo die azymorum, quando pascha immolabant,* Judæi scil. sive (ut Lucas dicit) *in qua necesse erat occidi pascha,* quod non potest intelligi de vespera lunæ decimæ quintæ, tum quia primus dies azymorum incipiebat in vespera lunæ decimæ quartæ; tum quia vespera lunæ decimæ quintæ erat in die festo Paschæ, cùm tamen S. Ioan. dicat, *antea diem festum paschæ,* c. 13. sequitur ergo esse intelligendum de vespera lunæ decimæ quartæ & quidem posteriore, ut probamus q. 73. art. 5.

SECUNDÒ, Christum crucifixum esse die festo Paschæ, & consequenter pridie Paschæ comedisse agnum, probat illud Pilati, Ioan. 18. *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha:* Hinc enim apparet jam tum incœpisse dies Paschales. Unde Matth. c. 27. eundem Passionis diem vocat *solemnem* Marcus verò c. 15. & Lucas c. 23. *festum.* Eodem pertinet quod quidam Apostoli putaverunt illud Christi ad Judam, *Quod facis, fac citius,* Ioan. 13. significasse idem atque si dixisset, eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festũ: quomodo enim suspicari poterant opus esse tanta festinatione; si intercessurus erat totus dies sequens ante solemnitatẽ festi? Denique, sententiam hanc tradunt Hieronymus in cap. 27 Matth. Ambrosius epistola 83. Augustinus epist. 86. B. Thom. Scotus, Durandus, & alij Veteres in 4. d. 11.

AD ARGUMENTA verò, & AD PRIMUM quidem RESP. eum qui mortuus est quando voluit, etiam quando voluit passum esse, non obstantibus Judæorum consultationibus: qui licet non Deum, sed tumultum vetiti præterire voluissent diem festum: *irâ tamen inflammati, post ea quam proditorem invenerunt, commutati, expectare non potuerunt, sed in ipsa solemnitate ipsum occiderunt,* ait Chrysost. hom. 80. in Matth. Adde, non liquere quod ista verba, *non in die festo,* Matth. 26. fuerint verba Concilij decernentis, & non potius quorundam in Concilio hoc proponentium, à quibus ultima totius Concilij resolutio fuerit diversa.

AD 2. Negatur consequentia, immolavit enim Christus lunâ decimâ quartâ ad vesperam, *ante diem festum Paschæ,* naturalem vel artificialem: cujus initium erat: vel à media nocte, vel ab ortu solis: non autem ante diem Paschæ legalem. Dies enim decimus quartus, vocabatur Paschæ & azymorum, propter suam vesperam in qua Pascha immolabatur, & azymi partes comedebantur. Consuetudinis enim erat ut dies præcedens denominaretur à sua subsequente vespera: utque vespera sequens tribueretur diei præcedenti. Exodi 12. Num. 30. Ioan. 6. 20. & alibi: quod etiam asserit Aug. dictâ epistolâ 86. Non vocabatur tamen dies festus Paschæ; quia licet vespera illius deputata esset immolationi Paschæ, solemnitas tamen paschalis non incipiebat, nisi cum media nocte. Unde Num. 28. *Mense primo quartâ decimâ die mensis, Phase Domini erit: & quinta decima solemnitas* quod idem habetur Levitici 23. & repetitur ab Ecclesia in primo Responsorio Dominicæ Passionis.

Simile aliquid est in festis Christianorum, quæ licet quoad officium Ecclesiæ inchoentur primis vesperis; quoad vacationem tamen ab opere servili, non nisi à media nocte incipiunt.

Ac proinde, *ante festum Paschæ,* idem est, quod ante festivitatem paschalem, quæ incipiebat à media nocte.

*Varia Paschæ acceptio.*

AD 3. RESP per *Pascha* subinde intelligi agnum paschalem, ut Marci 14. Lucæ 22. *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? necesse erat occidi Pascha.*

Aliquando intelligitur primus dies festus azymorum, ut eodem c. Luc. *Appropinquabat dies festus Iudæorum, qui dicitur Pascha.*

Aliquando tota solemnitas septem dierum, ut Act. 12. *Volens post pascha,* id est, paschalis solemnitatis septem dierum hebdomadam, *producere eum populo.*

Denique, *Pascha* significat victimas paschales quæ immolabantur septimana paschali, de quibus habetur Num. 28. quod enim illæ vocarentur pascha, liquet non solùm ex Augustino, qu. 24. in Deut. sed etiam ex 2. Paralip. 15. & ex Deut. 16. ubi dicitur *immolari Phase,* sive ut Septuaginta vertunt, *Pascha de ovibus & bobus.* Quod autem deberent sumi à mundis, patet ex Levit. 6. & 7. Et hoc modo sumitur apud Ioannem loco illo qui objicitur.

*Ob.*

Si dicas, sacrificia Paschalia seu quæ offerebantur in septimana paschali fuisse holocausta, Num. 28. v. 19. quæ non comedebantur, sed tota comburebantur: *Resp.*

*Resp.*

RESP. non omnia fuisse holocausta, sed erant etiam hostiæ pacificæ, quemadmodum ex 2. Paralip. 30. v. 20. & 21. & ex cap. 35. v. 8. 9. 12. & 13. manifestum est.

*Feria sexta erat Iudæis parasceve.*

AD 4. RESP. *parasceve pascha* non esse idem quod præparatio ad pascha: cùm enim in die paschæ liceret cibos & similia parare, Exod. 12. v. 6. nulla erat ad ipsum præparatio, sed quia istiusmodi non erant licita in sabbatho, in quo & ignem succendere prohibitum erat, Exodi 35. ideò ad sabbathum (quod cæteris festis quodammodò venerabilius erat) necessaria fuit: quæ cum fieret in feriâ sextâ, hinc est quod illa diceretur parasceve, ait Beda in cap. 23. Lucæ, & Thomas lection. 3. in c. 19. Ioannis. Bedam sequitur Amalarius Fortunatus lib. 1. de eccles. off. cap. 13. ita scribens



scribens; *Parasceve, ut Beda ait, præparatio interpretatur. Quo nomine Iudæi qui inter Græcos conversabantur, sextam sabbathi, quæ nunc à nobis sexta feria vocatur, appellabant; quòd eo die quæ in sabbatho erant necessaria, præpararent; juxta quod de manna quondam erat præceptum* (Exodi cap. 16.) *sexta autem die colligetis duplum.*

Hanc sententiam juvat quod Iosephus lib. 16. antiquitatum c. 10. pridie sabbathorum dicit esse parasceven. *Parasceve* ergo *paschæ* idem est, quod præparatio ad sabbathum incidens in diem paschalem. Unde Lucas c. 23. significare volens ad quid erat parasceve, *erat* inquit, *parasceve, & sabbathum illucescebat,* & clariùs Marcus cap. 15. *erat parasceve, quod est ante sabbathum.*

AD 5. Negatur Consequentia, quia sacrificium agni non minus fuit figura sacrificij Eucharistiæ, quàm crucis, ut tradunt Patres, & B. Thomas in prosâ festi corporis Christi.

AD 6. RESP. in festo prohibita fuisse opera servilia, non autem opera pietatis, charitatis, aut alicujus necessitatis; sepelire autem mortuos, & ad sepulturam emere syndonem, vel parare aromata, erat opus charitatis; & propter sabbathum instans, etiam necessitatis. In eo enim non solum prohibebantur opera servilia, sed etiam alia, maximè laboriosa, si poterant prætermitti sine gravi incommodo, vel præveniri. Unde Lucas testatur mulieres à cruce reversas parasse aromata, & unguenta, priusquam scilicet sol occidisset, *sabbatho autem siluisse secundum mandatum.*

AD 7. Negatur Antecedens cum priori probatione: siquidem sabbathum illud vocabatur magnus dies, non quod esset primus dies azimorum, sed quia incidebat in hebdomadâ paschalem per se solemnem; & ita erat bis solemnis. Non est autem sensus quod illo demum anno sabbathum erat magnum, sed quod eo mense, vel ea septimana.

Ad alteram probationem RESP. ita quidem esse, quod festum Pentecostes eo anno quo Salvator noster passus est, inciderit in diem dominicum, quemadmodum tradunt Clem. Rom. l. 5. constit. c. ult. Aug. ser. 154. de tempore, Leo epistola 81. c. 1. & alij. At non propterea sequitur quod secundus dies azimorum similiter in diem dominicum inciderit: quod enim dies Pentecostes computandi essent à secundo die festi Paschæ, variè intelligi potest.

*Vnde dies Pentecostes computarentur.*

Uno modo, quod ab eo computandi essent, quando erat profanus seu non festus; ita ut cum dicitur Lev. 23. *numerabitis ab altero die sabbathi,* seu festi paschalis, perinde sit ac si diceretur à primo die profano post Paschæ: anno autem passionis dominicæ, dies qui immediatè sequebatur festum Paschæ seu secundus azimorum erat sabbathum, in quo juxta legem Exo. 3. 4. non licebat metere vel manipulos colligere; & ideo non ab eo secundo die computatio dierum quinquaginta facta est, sed à sequenti qui Judæis erat profanus, & nobis est dominicus. Ita Bellarm. l. 3. de cultu sanctorum c. 13. Baron. ad annum Christi 34. Marsilla & alij apud Lorin. in c. 2. Act.

*Ob. Resp.*

Quibus si objicias in sabbatho licuisse opera pietatis, quale opus erat metere ad offerendum Deo: Responderi potest licuisse quidem ejusmodi opera, quando vel erat eorum necessitas; vel non erant expressè excepta; sicut, metere, exceptum fuit in Exod. Imo Bellar. putat ideo dies quinquaginta jussos numerari non à primo die azymorum, sed à secundo; quia ista opera messionis, exsiccationis, deportationis prohibita erant die festo; sed multò magis prohibita erant in sabbatho: ergo nec à sabbatho computandi erat, sed à primo die non festo.

Alio modo intelligi potest quod dies quinquaginta computandi essent à secundo die Paschæ vel azimorum exclusivè, ut illud, ab altero die sabbathi, idem valeat quod post alterum diem seu post secundum diem festi paschæ; & sic explebuntur quadraginta novem dies in sabbatho, & sequens sive dominicus erit quinquagesimus. Ita Lorinus in Acta, Marius Bonfrerius in Levit.

Sunt qui velint Pentecosten Judæorum incidisse anno isto in sabbathum; Pentecosten verò Christianorum in dominicam sequentem; sanctum autem Lucam, qui diu scripsit post institutam Pentecosten Christianorum, de hac loqui.

AD 8. extrema illa pars ad caput 27. Matthæi non solum non est Anselmi, cujus nec fortassis est totus commentarius: sed nec videtur esse authoris ejus qui reliquum commentarium scripsit. Nam ad c. 26. longè aliter loquitur.

Ad Augustinum respondet Baronius tomo 1. annalium, quod per cœnam puram intellexerit cœnam in quâ deberet comedi panis purus, id est azymus. Verùm quod etiam ipse Augustinus senserit azymum incœpisse feria 5. ad vesperam, ex his ejus verbis epist. 86. sub finem, constat: *Matthæus Evangelista quintam sabbathi dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vespera sequente futura erat cœna paschalis, qua cœna incipiebat azymum, & ovis immolatio manducari.* §. 154. 159. & seqq.

*Qua cœna pura.*

Quapropter per cœnam puram intelligenda videtur ea cœna quam Judæi sumebant in vespera feriæ sextæ ad initium sabbathi, quando ab omni opere servili etiam eo quod ad cibos parandos erat necessarium, incipiebant quiescere, atque ita modo quodam esse puri. Unde parasceve ad sabbathum generaliter vocabatur cœna pura ut testatur Irenæus li. 5. ca. 23. quâ generalitate etiam Augustin. parasceven à Judæis in Africa dicit appellari cœnam puram. Nec dicit Augustinus cœnam puram comedendam fuisse, ut prætendit objectio; sed ita habet: *Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne adveſperascaret: quando jam propter parasceven, quam cœnam puram Iudæi latinè usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.*

Objici etiam solet Chrysostomus ex hom. 82. in Ioannem, cujus tamen verba non id continent quod objicitur: sic enim habet, *Sive ergo paschæ totam appellet solemnitatem, sive quod tunc faciebant, Christus autem pridie* (scilicet facere) *eadem suam in parasceve reservans: quando* (scilicet pridie istius parasceves) *antiquitus celebratum erat.* Ubi significat Christum servasse diem lege præscriptum.

*Quo die mortuus Christus.*

Ex his patet fuisse diem hebdomadæ sextum, quando Christus passus est: quod conforme fuit creationi, ut homo sexto die creatus, etiam sexto recrearetur, seu redimeretur. Pater etiam fuisse decimum quintum mensis lunaris: sed dubium manet de die mensis solaris. Verior sententia, quam tradunt Augustinus libr. 4. de Trinitate cap. 5. Beda, Thomas, alijque communiter, est fuisse 25. Martij.

*Qua hora crucifixus Christus.*

Circa responsionem ad 2. difficultas est de horâ crucifixionis, propter Marcum & Ioannem. Pro cujus intelligentiâ statuendum est, Judæos sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca



sicut dividebant noctem in quatuor vigilias, ita A etiam dividisse diem in quatuor horas, *primã, tertiam, sextam, & nonam*, quæ partim propter orationes, partim propter stationes, erant celebriores & earum unaquæque constabat tribus horis, atque ita erant quatuor ternarij horarum, quorum Primus, & consequenter prima diei hora incipiebat ab ortu solis. Secundus, qui vocabatur hora tertia, incipiebat à fine horę diei tertiæ, seu ab initio quartæ, & extendebatur ad finem horæ diei sextæ, quando jam incipiebat Tertius ternarius, qui nomen habebat horæ sextæ, & extendebatur ad finem horæ diei nonæ, quando incipiebat. Quartus ternarius, qui vocabatur hora nona, & extendebatur ad vesperam. Harum horarum vi- B detur esse mentio Actor. 3. *Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam:* & Act. 10. *Petrus ascendit ut oraret circa horam sextam*; easdemque significasse videtur Hieronymus in caput sextum Danielis. Cyprianus autem tractatu de oratione Dominica, Isidorus lib. 1. de officijs cap. 19 Chrysostomus homilia 59 ad populum Antiochenum expresè meminerunt hujus divisionis.

Quo suppositio, dicimus Christum crucifixum paulò ante meridiem, durante adhuc horâ tertiâ; propter quod Marcus dicere potuit crucifixum horâ tertiâ. Sed quia hora illa tertia jam ad exitum
*Ioan. 19.* tendebat, & proximè instabat sexta: ideo Ioannes C meritò dixit fuisse horam quasi sextam, quando Pilatus sedens pro tribunali tradidit Christum crucifigendum. Adde, id quod fit in tempore intermedio, rectè denominari ab utroque extremo.

Secundum hæc, ulterius dicendum est Christum expirasse hora, quæ nobis est tertia pomeridiana: Unde Matth. 27. significatur emisisse spiritum hora nona; hora autem illa nona, nobis est post meridiem tertia.

Si dicas videri Christum fuisse mortuum in meridie; ideò enim tunc pulsu campanæ admonemur Christiani commemorationis mortis Dominicæ: Respondet Estius, ista duo optimè convenire. Nam quo tempore erat Palestinis hora
D diei nonâ, quam vocamus post meridiem tertiam, eodem in tertis Occidentalibus, Galliæ, Germaniæ, Italiæ erat hora meridiana, vel circa meridiem. Orientalibus enim propter terræ globositatem prius oritur sol quam nobis, & prius est illis meridies, quam nobis; ita ut quando nobis est meridies, sit Palestinis hora tertia pomeridiana. Est igitur Christus mortuus eo tempore quo in his Occidentalibus partibus erat meridies, etiamsi Judæis esset hora nona, seu ut nos vocamus, hora tertia post meridiem.

De anno autem ætatis Christi, non parva restat difficultas. Baronius & alij qui existimant Chri- E stum fuisse baptizatum anno suæ ætatis trigesimo primo, consequenter dicunt eum esse mortuum anno trigesimo quarto inchoato; Et similiter, qui arbitrantur eum anno quidem trigesimo baptizatum, sed anno demum trigesimo primo, post unius scilicet anni circulum, fecisse miraculum conversionis aquæ in vinum: quia post istud miraculum quatuor paschata celebravit Christus.

*Quo ætatis anno Christus mortuus.* Cæterum, ad ea quæ superius q. 39. art. 3. dicta sunt conformiter & consequenter dicimus Christum anno suæ ætatis trigesimo tertio inchoato fuisse passum & mortuum. Primò, quia Christus fuit baptizatus anno suæ ætatis trigesimo; eodem autem illo anno cœpit & discipulos habere, & suum Evangelium prædicare. *Oportet*, dicebat S. Petrus Act. 1. *Ex his virís qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit & exivit inter nos Dominus* JESUS, *incipiens à baptismate Ioannis usque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Atqui totum tempus prædicationis Christi ab eo tempore quo cœpit habere discipulos usque ad ejus mortem non continet nisi quatuor paschata, & quidem sic ut mortuus sit in quarto ergo mortuus est anno trigesimo tertio jam per aliquot menses inchoato. Nam primum pascha incidit in trigesimum annum Christi; Secundum, in trigesimum primum. Tertium, in trigesimum secundum; Quartum in trigesimum tertium. Hæc autem quatuor paschata ex Evangelio B. Ioannis habemus Primum cap. 2. v. 13. Secundum. cap. 4. v. 35 collato cum c. 5. v. 1. etiamsi ipsum paschæ nomen non exprimatur. Tertium, c. 6. v. 4. Quartum, cap. 11. v. 15. c. 12. 13 18. & ut sciatur pascha c. 2. Ioan. relatum esse primum in tempus prædicationis Christi incidens, observandum est S. Ioannem qui post alios tres Evangelistas scripsit Evangelium, perscripsisse ea quæ primo suæ prædicationis anno fecit Christus.

Secundò, Christus baptizatus est anno Tiberij decimo quinto, Luc. 3. mortuus est autem ejusdem Tiberij anno decimo octavo, ut tradunt Eusebius in chronico, Beda l. de ratione temporum c. 7. & lib. de sex ætat. mundi an. 3984. Epiphanius l. de mensuris, Nicephorus l. 1. c. 40. & alij communiter: ergo mortuus est agens annum trigesimum tertium. Anno enim Imperij Tiberij decimo quinto agebat trigesimum: anno ejusdem decimo sexto agebat trigesimum primum; anno decimo septimo agebat trigesimum secundum: anno decimo octavo trigesimum tertium. Denique ita sentiunt Epiphanius hæresi 51. & 78. Nicephorus loco ante citato, & prolixè Pererius l. 11. in Danielem. Neque ab hac sententia fidelium opinio est aliena, quæ per tres decades & ternarium commemorare solet annos vitæ Christi Domini.

### Articulus X.

ART. 10. docet Christum convenienti loco passum, scilicet in Jerusalem; juxta illud. Lucæ 13. *Non capit prophetã perire extra Ierusalem*, id est; moribus & affectui horum hominum non est consentaneum prophetam occidi extra Jerusalem Per Jerusalem autem etiam suburbia intelligit.

In RESP. ad 1. observandæ sunt rationes, ob quas in Jerusalem pati voluerit Christus; & in resp. ad 2. quare extra portam.

In Respons. ad 3. quæri potest, An Adam sepultus sit in monte Calvariæ. Partem negantem recenset Auctor ex verbis Hieronymi.

*Adam sepultus est in monte Calvariæ.* Affirmativa tamen, cùm tradatur à veteribus, Origene tra. 15. in Matthæum, Epiphanio hæresi 46. Augustino sermone 71. de tempore, Chrysostomo ho. 84. in Ioannem, Athanasio lib. de passione, Cypriano ser. de resurrectione, Ambrosio l. 5. epistola 19. Tertullianoli. 2. concionum contra Marcionem cap. 4. quibus adstipulatur Baronius tomo 1. ad annum Christi 34. est satis probabilis, ut & indicavit ipse Hieronymus epistola 17 quam sub nomine Paulæ & Eustochij scripsit. Unde Augustinus dicto ser. 71. ita loquitur;

*Hieronymus presbyteri scripsit ab antiquis & senioribus Iudæis se certissimè cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est.* Et postea, *Etiam hoc antiquorũ relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus; & ideo Calvariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum, Et verè non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, ut jacebat ægrotus, &c.*



Nec obstat quod Josue 14. dicatur *Adam maximus* esse situs in Hebron: Adam enim appellativum nomen est, ibique significat hominem qui fuerit proceræ staturæ, utpotè qui esset de genere Enacim.

Quia verò credibile est eundem locum fuisse B communem damnatis ad mortem: ideò probabile est etiam ab hoc vocatum esse Calvariæ, quod ibi passim essent dispersa capita decollatorum; in magna copia.

### Articulus XI.

*Latrones fuerunt clavis affixi cruci.*

ART. 11. declarat ex parte ordinationis divinę conveniens fuisse Christum crucifigi cum latronibus. Qui quod clavis fixi fuerint; non solùm declarat nomen crucifixionis, sed etiam historia inventionis S. Crucis. Si enim solus Christus fuit clavis cruci affixus, facilè fuisset crucem ejus à crucibus latronum discernere, neque ad hoc C opus fuisset miraculo. His accedit Athanas. serm. in sanctam parasceven, latroni sic loquens; *Quid ait latro? ignoras qua pateris? oblitus es clavorum? non sentis dolores?* Et S. Hier. l. 2, contra Iovinian. c. 14. affirmat Dominum & latrones æquali judicio crucifixos, dicitque, *Si idem est hujus sæculi futurique judicium: ergo, quia hic pariter crucifixi sunt, & in futuro similiter habebuntur.*

Signa quorum meminit in responsione ad 3. non videntur alia fuisse quam tenebrarum: cætera enim post conversionem latronis contigerunt.

### Articulus XII.

D

*Christus non est passus secundum divinitatem.*

ART. 13. Docet passionem Christi non esse attribuendam ejus divinitati, sive non debere dici quod divinitas sit passa, vel quod Christus secundum divinitatem passus sit. Vide Augustinum serm. 71. de tempore, & Gregorium hom. 6. in Ezechielem, differentes quod Isaac, in quo divinitas Christi significabatur, non sit immolatus; sed aries in quo significabatur humanitas. Vide quæ diximus q. 16. art. 4. & 5.

## QUÆSTIO XLVII.

*De causa efficiente passionis Christi.*

E

### Articulus I.

*Christus est ab alijs occisus.*

ART. 1. docet Christum non à se, sed ab alijs, ut causa directa existentibus, occisum: quia ex intentione occidendi tanta vulnera & plagas inflixerunt, ut mors inde naturaliter sequeretur, ac etiam secuta sit. Unde patet quod mors ejus fuerit naturalis, & non miraculosa; quamvis non fuerit naturalis prout naturale opponitur violenta, quia fuit ab extrinseco illata contra naturalem inclinationem: fuit autem & voluntaria; quia voluntas vim illatam corpori habebat in sua potestate, nec tamen eam abnuit, sed acceptavit. Unde illud cap. 10. Ioan. *Nemo tollit animam meam à me*; rectè in resp. ad 1. exponitur, me invito.

Quod addit, animam Christi habuisse potestatem conservandi vitam corporalem non obstantibus omnibus læsivis; verum est de illa, ut est instrumentum Verbi per unionem hypostaticam; non autem ut consideratur in naturali virtute: & propter istum priorem modum, verum etiam est quod ipse *animam suam posuit*; quando voluit, Ioan. 10. Neque enim solùm acceptavit mortem voluntariè, (qua ratione mors martyrum est etiam ipsis voluntaria, dum voluntariè eligunt mori pro Christo:) sed insuper non repulit à proprio corpore nocumenta mortis illativa, neque ipsorum causalitatem impedivit, nec animam in corpore retinuit, sicut (non obstantibus omnibus vulneribus) poterat; sed permisit eam cedere, quando ipse voluit. vide q. 50. art. 3.

Dices, Christus animam suam posuit: ergo non est occisus ab alijs. RESP. neg. Cons. quia Christus non posuit animam suam, vulnera lethalia sibi inferendo, vel aliter seipsum occidendo; sed alij causam mortis efficacem, quantum in ipsis erat, posuerunt, inferentes vulnera quæ secundùm se erant sufficientia causare mortem; si non impeditentur; Christus autem qui oblatus est quia voluit, ea non impedivit, quamvis posset, sed cessit nocumentis mortiferis, permisitque ut illa mortem sibi causarent.

Circa Responsionem ad 2. advertè Christum hoc sensu conservasse naturam corporalem in sua fortitudine usque ad extremum: vel quia deficientibus licet alijs viribus & dispositionibus servata tamen fuerit per miraculum ea fortitudo quæ sufficeret magno clamori in ipsa expiratione: vel quia noviter superadditum tunc fuerit novum robur. In priorem modum magis inclinat B. Thomas: nam conservatio intelligitur esse ejus quod inerat.

Cùm addit B. Th. *fuit etiam mirabile quod Christus velociùs mortuus fuit alijs, qui simili pœna afficiebantur*: non vult dicere quòd anteverterit tempus mortis, ita ut anima corpus deseruerit priusquam adesset sufficiens mortis causa à persecutoribus illata, ac talis ipsius corporis dispositio cum qua non esset verè & realiter occisus ab hominibus: sed significare intendit tantam fuisse corporis Christi teneritudinem eamque ignotam, ut vulnera citiùs in eo mortem causarent quàm in alijs. Miratus autem fuit Pilatus si tam citò obiisset: partim, quia teneritudinem illam & complexionem ignorabat: partim, quia non satis plenè sciebat, nec satis considerabat tormenta Christo illata: & specialiter quantum sanguinis in suo Prætorio esset effusum E per diram flagellationem factam à multitudine militum: partim, quia cùm audisset ipsum Filium Dei se dixisse divinum aliquid suspicabatur, & cogitabat eum non tam citò moriturum.

### Articulus II.

*Christus est ex obedientia mortuus.*

ART. 2. tradit Christum ex obedientia mortuum. Patet hoc ex mandato quod Ioannis 10. & 14. dicit Christus se accepisse à Patre (nam ex præcepto sequitur obedientia ejus qui præceptum adimplet;) ac insuper ex verbis Apostoli ad Philippenses 2. *Factus obediens usque ad mortem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ob. Neque his obstat quod Chrysostomus hom. 59. & 68. in Joannem videtur removere à Christo præceptum, dicens eum qui mandatum accipit, non esse sui dominum. Quod enim non velit à Christo prorsus removere præceptum, ex his ejus verbis hom. 68. liquet, *Cur non creditis dicenti me mandatum accepisse*, &c. *Quemadmodum enim qui mandatum accipiunt, neque facere neque dicere volunt præter mittentis voluntatem, quousque mandatum impleant, ne quid transgrediantur: ita nec dicere, neque facere aliud possum, quam Patris voluntatem.*

Resp. Quidam igitur respondent quod Chrysost. excludit à Christo secundùm divinitatem considerato mandatum, ne Christus (ut Ariani contendebant) videretur esse minor, etiam ut Deus quam Pater. B

Insuper tamen dici potest quod removeat à Christo mandatum quasi Christus eo indiguerit, ut vel disceret Patris voluntatem, vel ad bonum constringeretur, ad quod alioquin non esset satis promptus. In hunc sensum loquitur ho. 59. ad illa verba, *Hoc præceptum accepi à Patre*; dicens, *Quodnam? mori pro mundo. Priusne ergo accepit, & inde paruit, & prius quid esset faciendum ut disceret opus habuit? & quis non expers rationis hoc dixerit?* Et iterum *Suas oves, & quidquid factū est suum opus esse, & præcepto non indigere ostendit. Quod si indigeret, quomodo à seipso ponere* (animam) *dixisset? Qui à seipso ponit, præcepto non indiget.* Huic responsioni C consentanea scribit B. Tho. hîc ad 1.

De eo quod in secunda ratione dicitur, scilicet de obedientiæ excellentia, videndus est Author 2. 2. q. 104. art. 3.

## Articulus III.

*Christus à Patre traditus.* Art. 3. declarat Christum tribus modis à Patre traditum.

Primò, in quantum præordinavit ejus passionem.

Secundò, in quantum inspiravit ei voluntatem patiendi.

D Tertiò, quia non protexit eum à passione sed persecutionibus exposuit. Quæ doctrina vera est; sive Pater sumatur essentialiter pro tota Trinitate, sive personaliter.

Porrò quia hîc dicit Deum præordinasse passionem Christi, conformiter scripturæ Actorum 4. dicenti, *quod manus & consilium Dei decreverunt fieri quæ Iudæi fecerunt:* sciendum est Deum nec decrevisse ullas Judæorum circa Christum actiones, quatenus sunt peccata; neque ut ipsi Christum occiderent: sed decrevit Christum pati à Iudæis, ejusque passionem ordinavit ad nostram redemptionem.

E Si ergo quæritur. Utrum passio Christi sit bona: Indubitanter est affirmandum. *Iudicium enim absolutum*, inquit Auctor in 3. dist. 20. art. 5. *sumitur de re considerata cum omnibus circumstantijs:* passio autem ut in Christo existens; cum charitate, & obedientia & efficacia; consideratur cum omnibus circumstantijs; ideòque simpliciter est bona; quamvis secundùm quid, (considerata nimirum secundùm quod adimit vitam,) sit malum naturæ. Vide responsionem ad 3. art. 6.

Quod in responsione ad 1. dicit, *Innocentem hominem passioni & morti tradere contra ejus voluntatem, est impium, & crudele:* verum est, quando innocens non tenetur mortem pati, potestque rationaliter id nolle.

*Vt bona fuerit Christi traditio.* Circa responsionem ad 3. observandum est traditionem Christi fuisse bonam, quatenus erat à Patre vel Filio; mala verò, quatenus etat à Iuda, Iudæis, vel Pilato; eadem enim actio bona est, propter bonam radicem; mala, propter malam; ut antea docuit Augustinus tract. 7. in epistolam primam Joannis. Pater autem tradidit Christum, & ipse seipsum ex charitate erga genus humanum: Iudas eundem tradidit ex cupiditate; Iudæi ex invidia; Pilatus ex timore mundano.

## Articulus IV.

Art. 4. declarat conveniens fuisse Christum pati à Gentilibus: partim quia sic fuerat prædictum Matth. 20. partim quia conveniens erat ut à Iudæis pati inciperet, ac deinde pateretur à Gentibus, sicut effectus passionis primò cæpit, in Iudæis, & postea pervenit ad Gētes. In modo enim passionis Christi præfiguratus est ejus effectus.

In Resp. ad 3. explicatur illud Iudæorum Joan. 18. *Nobis non licet interficere quemquam*; quod dictum esse ob solemnitatem festi, præter Augustinum docuerunt Cyrillus, Chrysostomus, Beda, alijque complures. Volebant enim Judæi ut Christus statim interficeretur, timentes ne evaderet; & ideò se excusant quod eo die per eos fieri non posset. *Christus est à Gentibus passus.*

Quia tamen ex Act. 15. patet Iudæos adduxisse Paulum ad Gallionem Proconsulem; quomodo & Dominus ad Pilatum ductus est: ideò, quod Origenes in c. 7. ad Romanos, B. Th. hîc, Chrysostomus & Rupertus in Joan. testantur, verum etiam est, scilicet Judæis per Romanos ademptam fuisse potestatem mortis; ita ut eis non liceret quemquam occidere, præsertim propter crimina legibus Romanorum prohibita; secus de ijs quæ contra legem ipsorum essent commissa; ea enim poterant morte punire, Romanis ita permittentibus, sicut factum videmus Act. 7. in lapidatione Stephani.

His consentiens videri potest Toletus annot. 23. in Ioan.

Et quamvis etiam Pilatus modò concederet Iudæis occidere Christum dicens, *Accipite eum vos & secundùm legem vestrā judicate eum:* quia tamen concessio erat indignantis, & per indignationem concedentis; non erant ausi facere, etiamsi non obstitisset festi solemnitas. Cum enim Christus haberetur vir magnus: meritò timuissent ne in eorum factum postea fuisset inquisitum.

## Articulus V.

Art. 5. docet quosdam persecutores Christi, majores scilicet, cognovisse ipsum esse Messiam in lege promissum: alios verò, minores videlicet, hoc est, populares, id non plenè cognovisse.

*Persecutores Christi quomodo eum cognoverint.* Quod non ita est accipiendum, quasi primores Iudæorum, vel fide cognoverint, vel firmiter & constanter assensi fuerint isti veritati; sed quia, dum sepositis affectibus rem considerabant; signaque & propheticas prædictiones attendebant; inducebantur ut sibi persuaderent quod Jesus esset Messias. Cæterum, ut hoc sibi firmiter non persuaderent, faciebat eorum perversa voluntas, & invidia erga Christum; & quod taliter affecti non



non seriò nec sincerè considerarent ejus opera, A sed potiùs quærerent argumenta in contrarium. Hinc Ioannis 12. *Cum tanta signa fecisset coram eu, non credebant in eum* Luc. 22. *Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illu si vobis dixero, non credetis mihi;* Act. 3. *Scio quia per ignorantiā fecistis, sicut & principes vestri:* & 13 *Qui habitabant Ierusalē & principes ejus, hunc ignorantes & voces prophetarū*, &c.

Quod attinet ad minores sive plebeios, illi (utpote mysteriorum & scripturarum non periti,) Christum esse Messiam non promiscuè cognoverunt: *Licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit*, ait B. Tho. & quamvis ex illa multitudine non pauci signis per Christum factis permoti, aliquando vel dubitaverint, vel etiam sibi persuaserint Jesum esse Messiam; B à Pharisæis tamen alijsque eorum similibus decepti in eâ persuasione non perstiterunt.

Ex his patet Judæos & eorum primores non cognovisse Christum esse verum Deum Deique Filium naturalem; juxta illud Ioan. 16, *Non noverunt Patrem neque me.*

Cùm autem à Veteribus quibusdam dicitur, quod eum Filium Dei esse intellexerunt; sensus esse potest, quod eum verum Dei Filium cognoviſſe dicantur, quia evidentia hujus rei signa habebant: sed quia his assentiri, propter odium & invidiam noluerunt, ideò non absolutè cognoscebant ipsum esse verum ac naturalem Dei Filium. C Vide resp. ad 1. fin.

Circa Resp. ad 3. adverte Judæos, non solùm Christi hominis, sed etiam Dei occisores & crucifixores posse dici: occiderunt enim Dominum gloriæ, 1. ad Cor. 2. v. 8. Neque refert quod B. Stephanus Act. 7. solùm vocet eos homicidas: nam in originali non homicidas, sed occisores seu interfectores vocat, quomodo Græcum vocabulum φονεῖς reddiderunt Pagninus & Erasmus.

## Articulus VI.

*Peccatum crucifigentium maximū.* Art. 6. tradit peccatum crucifigentium Christum fuisse gravissimū: in principibus quidem, tum ex genere, sive objecto; tum ex parte D peccantium, qui maximâ cum malitiâ illud admiserunt: in minoribus autem, solùm ex genere.

Porrò cum art. 5. qu. 80. sequentis docet peccata quæ in Deum seu divinam naturam committuntur, qualia sunt odium Dei, infidelitas, idolatria, blasphemia, esse ex parte objecti simpliciter graviora ijs quæ committuntur in humanitatem Christi, qualis fuit ejus crucifixio: dicendum videtur, quod peccatum crucifigentium Christum non fuerit comparativè omnium omninò peccatorum maximum ex parte objecti; quia non fuit formaliter contra divinitatem: quamvis enim ignorantia non excusaret eos à sacrilegio & injuria in Deum commissa; fecit tamen ut non peccarent E in Deum formaliter. Adde, majus peccatum futurum, si Deum occidissent palam & sine ullâ (etiam affectatâ) ignorantia cognitum.

*Quomodo peccatum crucifigentium Christum fuerit maximū.* Ob. Fuit ergo maximum; tum quia valde grave, imò gravissimum eorum quibus peccatur contra virtutes morales; tum quia fuit contra Deum id est, contra illum qui erat Deus, & quem scire poterant ac debebant esse Deum: atque ita fuit maximum ex genere, seu objecto materiali.

Dices, Judæi Christum oderant, ergo non bene distinguitur peccatum eorum à peccato odij.

Resp. Neg. Conseq. quia licet odio, etiam formali, persequerentur Christum, non erat tamen in illis odium Dei formaliter, ut Deus est, sed solùm materialiter, quatenus erat in eum qui erat Deus. *Resp.*

*Pro quibus oraverit Christus.* Circa Resp. ad 1. adverte, probabilius esse quod Christus in cruce oraverit tam pro peccantibus ex invidia, malitia, odio, quàm pro peccantibus ex ignorantia: tam pro majoribus; quàm pro minoribus, pro omnibus scil. illis, qui erant prædestinati, ut q. 21 art. 4. diximus. Sententiam hanc significat Augustinus serm. 8. de verbis Apostoli, & Leo serm. 15. de Passione. Et confirmatur, nam alioquin Christus non dedisset nobis perfectum exemplum orandi pro persecutoribus: ut quos persæpe malitia ad bonos persequendos incitat.

Quod ergo attinet ad locum Luc. 23. *Pater ignosce illu, non enim sciunt quid faciunt*: dicendum videtur quod feciſſe per ignorantiam, non propriè allegatur, neque ad exaggerationem, neque ad extenuationem peccati: sed ut ratio objecti maximè convenientis, circa quod Deus exerceat suam misericordiam. Nam objectū misericordiæ est miseria: unde quantò miseria est major, tantò est objectum convenientius ad misericordiam. Sensus igitur est, Pater ignosce illis, quia per ignorantiam quâ peccant nescientes quæ faciunt, valde miseri sunt. Eodem modo rectè intelligitur illud Apost. 1. ad Tim. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum quia ignorans feci*, id est quia magna erat miseria mea: tanta nimirum, ut maxima mala committerem per ignorantiam & incredulitatem, instar ægroti qui per insaniam sævit in medicum. Vide Aug. dicto serm. 8. Huc pertinent aliæ Scripturæ non dissimiles; Ps. 24. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.* & 78. *Citò anticipent nos misericordia tua; quia pauperes facti sumus nimis.*

# QUÆSTIO XLVIII.

*De modo efficientiæ Passionis Christi.*

## Articulus I.

*Passio Christi fuit nobis meritoria.* Art. 1. docet Passionem Christi causasse nostram salutem per modum meriti: quia Christus habebat gratiam ut caput; ideòque per voluntariam passionis susceptionem, non sibi tantùm merebatur, sed etiam suis membris. Videantur quæ diximus art. 3. qu. 19.

Impedimenta de quibus in Resp. ad 2. sunt, partim status peccati quod non erat tollendum sine Christi Passione; partim rationes ob quas conveniens fuit Christum pati.

*Quæst.* Circa Resp. ad 3. quæri potest, an Passio Christi habuerit aliquem effectum, quem non habuerint præcedentia merita.

*Una Resp.* Si de illis sermo sit secundùm valorem quem ex se habent; negativè respondendum est, quia ut ostendimus q. 1. art. 2. quæsito 3. singulæ Christi actiones erant valoris infiniti. Sed si considerentur secundùm ordinationem & deputationem Dei; Author hîc, & quodl. 2. art. 2. Respondet affirmativè. Habuerunt enim actualem & absolutam nostram satisfactionem & redemptionem, quæ non fuissent secuta, si Christus non fuisset passus. Verum quidem est quod opera Christi erant infiniti valoris secundùm se, sed ex Dei ordi- *Alia Resp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Redemptio nostra cur peculiariter ascribatur passioni.*

dinatione non deputabantur ad nostram redemptionem, absque ipsius morte: & ideo merita præcedentia non erant omnino absoluta neque dabant absolutum jus, sed quodammodo dependebant à passione & passionis merito, propter dispositionem Dei: & hinc est quod nostra redemptio peculiariter tribuatur passioni Christi; etiamsi non per illam solam pro nobis sufficienter Christus meruerit aut satisfecerit: quia nimirum, illa fuit præcipuum opus nostræ redemptionis, in quo propter divinam ordinationem est consummata, & sine quo non fuisset secura.

His consentaneè ita scripsit B. Thom. dicto quodlib. 2. art. 2. Si loquamur de redemptione humani generis, quantum ad quantitatem pretij, sic quælibet passio Christi, etiam sine morte sufficisset ad redemptionem humani generis propter infinitam dignitatem personæ. Si autem loquamur quantum ad deputationem pretij, sic dicendum est quod non sunt deputatæ ad redemptionem humani generis à Deo Patre & Christo aliæ passiones Christi absque morte. Cujus deinde rei triplicem adfert rationem.

PRIMA est, ut pretium redemptionis non solum esse infinitum, sed etiam ejusdem generis, ac de morte per mortem liberaremur: ut per mortem Christus destrueret eum qui habebat mortis imperium, Ad Hebr. 2.

SECUNDA, ut mors Christi non tantum esset pretium, sed etiam exemplum non timendi mortem; ac per eam Christus liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant servituti.

TERTIA, ut mors Christi esset sacramentum salutis, dum nos virtute mortis Christi morimur peccato & concupiscentijs, ipseque semel pro peccatis nostris mortuus, nos offeret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, 1. Petri 3.

## ARTICULUS II.

*Passio Christi fuit satisfactio.*

ART. 2. probat passionem Christi causasse nostram salutem per modum satisfactionis. Cùm enim satisfactio sit vel rei debitæ solutio, vel injuriæ illatæ compensatio; & Christus injuriam Deo per peccatum ab homine illatam, compensaverit, offerendo illi aliquid majus quam exigeret offensæ recompensatio; consequens est quod pleniſſimè satisfecerit; præsertim si ex Responsione ad 1. consideremus quod satisfecerit ut caput nostrum; capitis enim actiones sunt pro membris, non illis tantum quæ sunt actu membra, sed etiam pro alijs. Vide quæ diximus ad articulum 1. quæst. 1. & ad quæst. 8. art. 3. Christum autem obtulisse Patri aliquid majus, quam exigeret recompensatio offensæ, probat ex tribus.

*Christus obtulit majus quam erat offensa.*

Primum est, quia passus fuit ex summa charitate.

Secundum, quia posuit vitam suam, quæ, utpote vita Dei hominis, erat dignissima.

Tertium, quia sustinuit acerbissimos dolores, eosque complures. Ex quibus concludit satisfactionem Christi fuisse superabundantem.

## ARTICULUS III.

*Christi passio fuit verè sacrificium.*

ART. 3. probat passionem Christi fuisse verum sacrificium, hoc argumento. *Sacrificium propriè dicitur aliquid factum in honorem propriè debitum Deo, ad eum placandum:* Sed passio Christi est aliquid factum in honorem propriè Deo debitum, idque ad eum placandum: ergo est verum sacrificium.

*Ob.* Si dicas, istud argumentum similiter probare omnia alia Christi opera fuisse vera sacrificia, cum fierent in honorem Dei, ad eum placandum; ideoque solum hinc posse colligi quod Christi passio sit verum sacrificium, ea generali ratione qua omne opus bonum dicitur ab Augustino hìc citato, sacrificium, quandoquidem constet alia Christi opera non aliter fuisse sacrificia.

*Resp. 1.* Responderi potest bifariam. Uno modo, ut argumentum B. Thomæ intelligatur procedere ab effectu proprio sacrificij: *Est enim hoc propriè effectus sacrificij, ut per ipsum placetur Deus*, quæst. seq. art. 4.

*Ob.* Si dicas omnia Christi opera valuisse ad placandum Deum: dicendum est ita esse, si ea secundum suum valorem considerentur: secundum verò *Resp.* Dei ordinationem & deputationem, non simpliciter Deum humano generi placabant, absque Christi morte. Vide quæ ad art. 1. notavimus.

*Resp. 2.* Alio modo responderi potest dicendo primam B. Thomæ propositionem, quæ descriptionem sacrificij continet, non esse accipiendam, nudè prout verba sonant, sed secundum ea quæ ipse alibi requirit ad veram ac propriè dictam sacrificij rationem. Secunda sec. qu. 85. art. 2. dicit *sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre; ita etiam soli Deo debemus offerre exteriora sacrificia*, quibus similia reperit ar. 4. Unde sequitur rem quæ sacrificatur sacrificio propriè & strictè dicto; debere esse exteriorem & sensibilem. Cum autem ar. 3. ad 3. dicat, *Omne sacrificium est oblatio, sed nō cōvertitur*; Et paulo ante *sacrificia propriè dicuntur, quādo circa res oblatas aliquid fit: Nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum*: fatendum est ad rationem sacrificij præterea requiri oblationem cum ea mutatione qua res oblata fiat sacra. Denique, cum singulis istius q. art. postulet, ut sacrificium fiat in reverentiam divinā, in signum divinæ subjectionis, in honorem summi rectoris totius universi; sic intelligi debet quòd hìc dicit, *in honorem propriè debitum Deo*, ut significetur fieri ad honorem Deo ut Deo, eique soli debitum, in recognitionem scilicet supremi illius dominij, & ad ipsum ut supremum Dominum honorandum.

Ex quibus dicta B. Thomæ propositio sic intelligi potest, *Sacrificium propriè dictum est aliquid*, externum scilicet ac sensibile, *factum in honorem propriè Deo debitū*, hoc est, oblatum & aliquo modo mutatum, in recognitionem supremi dominij divini, & ad eum placandum. Quæ descriptio non convenit alijs Christi operibus, sed soli passioni, & consecrationi conjunctæ oblationi, quam fecit in ultima cœna: & ideo non potest concludi illa fuisse vera & propriè dicta sacrificia.

Neque huic explicationi repugnat, quod ut ex Augustino adfert, Omne opus quod agitur ut sancta societate inhæremus Deo, esse verum sacrificium: quia intelligi potest hoc allegasse ad tali modo declarandum quod sumpserat; Sacrificium propriè dicitur aliquid factum in honorem propriè Deo debitum, & inde est quòd omne opus quod agitur ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum ad eum finem quo veraciter beati esse possumus, verum est sacrificium; quia nimirum sicut participiat in effectu, ita etiam habet nomen sacrificij, & quidem veri: quia est verum veritate fructus & excellentiæ, etsi non proprietate essentiæ. Imò, si utrumque consideretur seorsim ab altero; istud cum ad internum sacrificium pertineat, principalius est alio quod est externum Vide supradictæ quæst. 85. art. 3. ad 1. & 2. & art. 4. corp.

Probari etiam potest hujus artic. doctrina ex Isa. 53. *Oblatus est, quia voluit.* 2. ad Cor. 5 *Eum qui non noverat peccatū pro nobis peccatū*, id est, sacrificium pro peccato, *fecit*, ut interpretatur Aug. libr. de peccat. origin. cap. 32. & li. 3. ad Bonifacium c. 6. multique alij. Ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo*, C. etiam 9. & 10. ad Hebr. multa disserit Apostolus de sacrificio in cruce per Christum oblato; ut & sancti Patres varijs in locis.

In Resp. ad 3. observandum quod non occisores Christi obtulerint sacrificium crucis, sed ipse Christus voluntariè mortem suscipiens, (cum posset eam, non obstantibus plagis & vulneribus, impedire) eamque Deo Patri ad reconciliationem humani generis offerens, quemadmodum etiam dixit B. Tho. q. 47. art. 4. ad 2.

Neque similiter possunt dici martyres offerre de seipsis propriè dictum sacrificium: partim quia non sunt sacerdotes ad hoc à Deo constituti, ut offerant tale sacrificium: partim quia non ita ponunt animam vel vitam suam sicut Christus, cum non habeant in sua potestate, tyrannos tyrannorumque tormenta impedire, & vitam suam illis non obstantibus conservare.

## ARTICULUS IV.

*Christus sua passione nos redemit.*

ART. 4. docet Christum sua passione nos redemisse: quia ad nos è captivitate liberandos, obtulit Deo justum pretium sci icet seipsum, suam passionem, suam mortem. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis*, Matth. 20. Unde & *justificati sumus per redemptionem quæ est in Christo Iesu*, Ad Rom. 3. Et seniores Apoc. 5. cantabant Agno, *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Conferri possunt Iob. 19. v. 25. 1. ad Cor. v. 30. Ad Tit. 2. v. 14. Ps. 129. v. 7.

Ex Hieronymo etiam observetur quod is redimere dicatur, *qui emit quod suum fuit, & suum esse desijt.* Cùm ergo ante peccatum essemus sub singulari dominio Dei, in ejus scilicet amicitia, ipsique per charitatem uniti; per peccatum verò evasissemus inimici ipsius, ab eo secundùm affectum divisi, & protestati seu dominio diaboli traditi, ac servituti miserabili subjecti; Christus per suam passionem satisfaciendo pro nobis, solvit pretium; atque ita nos Deo redemit, & à servitute liberavit, ac jus quoddam speciale in nos acquisivit.

Non oportuit autem pretium nostræ redemptionis offerri diabolo, sed soli Deo; quia diabolus non fuerat offensus, sed Deus; neque diabolus tenebat hominem captivum ut judex, sed ut carcerarius ac tortor, cui Deus ipsum subjecerat. Vide dicta q. 1. art. 1. & quæ B. Th. hìc ad 3. dicit.

## ARTICULUS V.

*Esse redemptorem est Christo proprium.*

ART. 5. docet quòd, esse redemptorem sit proprium Christo ut homini; quia solus ille vitam & sanguinem suum proprium posuit, ac pro liberandis hominibus obtulit: Redimere autem propriè est per se & de suo solvere pretium liberationis ex servitute vel captivitate.

Adde quod redemptio qua genus humanum fuit redemptum, simul est satisfactio pœnalis: & ideo in redimente requiritur passio: solus autem Christus est pro humano genere passus: ergo solus ipse illud redemit.

Cæterum si redimere paulò generalius sumatur, ut vel idem sit quod liberare, quomodo Psal. 118 dicitur, *Redime me à calumnijs hominum:* Vel is redimere dicatur qui est author redemptionis, dando istum qui pretium solvat, voluntatem redimendi ei inspirando, ipsum movendo, excitando, & cum illo ad omne opus, redemptionis operando; sic tota Trinitas nos redemit. Sicut enim est operata opus Incarnationis, ita & redemptionis; Dedit namque nobis Christum hominem, & voluntatem moriendi, cæteraque omnes redemptionis nostræ operationes in eo fuit operata.

*Trinitas quomodo nos redemerit.*

Hinc Cajetanus, Redimere, inquit causaliter tanquam causa prima commune est toti Trinitati; redimere personaliter soli Christo convenit, quia solus ille pretium per se exoluit.

Et B. Tho. hìc, *Esse immediatè redemptorem*, patiendo scilicet atque ita pretium solvendo *proprium est Christi, in quantum est homo: quamvis ipsa redemptio posſit attribui toti Trinitati, sicut prima causæ.*

Hinc est quòd in cantico Zachar. dicitur, *Benedictus Dominus Deus Israël quia visitavit & fecit redemptionem plebi suæ.*

Et Psa. 129 *Copiosa apud eum redemptio: & ipse redimet Israë ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Isa. 63 *Tu Domine pater noster redemptor noster.*

*Sancti non sunt redemptores nostri.*

In Responsione ad 3. observandum est sanctos, sive Angelos, sive homines, non esse simpliciter dicendos redemptores nostros: quamvis enim afflictiones & merita sanctorum nobis applicentur per indulgentias, possitque unus pro alio satisfacere, etiam de condigno; ejusmodi tamen non prosunt nobis per modum redemptionis; quia non ex rigore justitiæ, quem rigorem significat nomen redemptionis, neque ad auferenda peccata quoad culpam & pœnam æternam, sed solùm quoad temporalem, eamque non nisi præsuppositâ redemptione per Christum factâ.

*Supplem. q. 13. art. 2.*

Hinc Augustinus tractatu octogesimo quarto, in Joannem, *Et si fratres pro fratribus moriantur: tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius martyris sanguis funditur; quod fecit ille pro omnibus.* Similia sunt apud Leonem serm. 12. de passione.

*Ob. Resp.* His non obstat quod Sancti quidam ratione vocentur *mediatores*; quia *redemptoris* nomen à scriptur. nulli, præterquam Deo & Christo, tribuitur; secus de *mediatoris*, Deuteron. 5. & ad Gal. 3. propterea quod æqualitas & rigor justitiæ non ita significatur in *mediatione*, sicut in *redemptione*.

Si dicas Moysen vocari Act. 7. redemptorem: RESP. eum non sic vocari facta comparatione ad pœnas futuri seculi, vel ad culpas, sed solum respectu servitutis Ægyptiacæ, de qua Israelitas eduxit. Quando autem negatur nomen Redemptoris tribui sanctis, hoc intelligitur respectu salutis spiritualis, ad quam pertinet redemptio à peccatis quoad culpam & pœnam æternam: Nam loquendo de redemptione à pœnis & carceribus hujus sæculi, nimis clarum est unum posse esse Redemptorem alterius; sed loquendo de redemptione a peccatis & ab æterna damnatione, solus Christus est ac vocatur noster Redemptor.

*Ob.* Non obstat etiam illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime:* quamvis enim purus homo nec seipsum nec alium possit propriè redimere, potest tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca
Resp.



tamen peccata & sua & aliena, quoad pœnas temporales dimissâ culpâ restantes. Hoc enim non est aliud quam pœnas ipsas redimere seu compensare: non quòd illæ liberentur ex captivitate; sed quia dato pretio condigno, in misericordia tamen Dei fundato; illarum subeundarum reatus aufertur. Sic etiam Concilium Tridentinum sess. 14. can. 14. dicit quod pœnitentes peccata redimunt per Christum.

Cum in eadem Responsione dicit Author passiones sanctorum nobis valere per modum exempli & exhortationis; non negat eas habere vim satisfaciendi: sed explicans verba sibi ex capite primo ad Coloss. objecta, non plus dicit quam illa requirant, docetque Apostolum adimplere ea quæ desunt passionum Christi, non quia suæ passiones nobis proficiant per modum redemptionis, sed quia cum passionibus Christi verè ac propriè nihil desit, nisi hoc solum ut illarum fructus nobis applicentur; ad hoc laborabat Apostolus exemplo, exhortatione, concione, ac etiam passionibus quas interea patiebatur, ut fructus passionum Christi applicaretur fidelibus ijs apud quos prædicabat. Hinc ergo est quod Beatus Thomas scribit passiones sanctorum valere nobis per modum exempli & exhortationis. An etiam valeant per modum satisfactionis, non hîc dicit, quia id locus Apostoli non necessariò postulabat, ut diceret; poteratque alio loco dici convenientius, sicut dixit qu. 48. art. 2. ad 1. Suppl. qu. 13. art. 2. & q. 25. art. 1. Cum his conferri debet quod art. 2. qu. 1. diximus.

### Articulus VI.

*Passio Christi quo modo est causa efficiens nostræ salutis.*

Art. 6. docet passionem Christi efficienter esse causare nostram salutem; quasi dicat, Christum passum, & ut aliquando passioni subjectum; divinitas enim quatenus utitur Christo patiente tanquam instrumento, tribuit ei efficientiam; de quâ diximus qu. 13. art. 2. ipseque Christus patiens, seu qui passus est, salutem nostram efficit.

## QUÆSTIO XLIX.

## *De effectibus passionis Christi.*

### Articulus I.

*Per passionem Christi sumus à pœc. liberati.*

Art. 1. docet nos à peccato liberatos per passionem Christi. Nec obstat multos adhuc in peccatis manere, & mansuros in æternum: ex Responsione enim ad 3. & 4. liquet passionem Christi, esse velut causam universalem, quæ ad omnium totius mundi peccatorum remissionem sufficit; sed nisi applicetur, effectum non habet. Sicut, si medicus aliquis conficeret medicinam quâ omnes morbi curari possent: aut si quis statueret pretiũ omnibus captivis redimendis sufficiens; illa non sanaret, nisi sumentem; nec istud liberaret, nisi eum cui applicaretur. Sic passio Christi est pretiũ & medicina; sed nec redimit, nec sanat, nisi applicetur. Unde notum est illud Scholasticorum, per passionem Christi omnes liberatos sufficienter, sed non efficienter vel efficaciter. *Meritum Christi* (ait B. Th. qu. 29. verit. art. 7. ad 4.) *quantum ad sufficientiam æqualiter se habet ad omnes; non autem quantum ad efficaciam; quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divina electione &c.* Et in cap. 2. Prioris ad Tim. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, pro aliquibus efficaciter, sed pro omnibus sufficienter.* Quæ distinctio tam in scripturis quàm in patribus habet fundamentum. *Unus pro omnibus mortuus est*, 2. ad Cor. 5. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, 1. ad Timoth. 2. cum tamen Matth. 20. 26. & ad Hebr. 9. *Pro multis, & ad multorum exhaurienda peccata*, dicatur *oblatus & in redemptione datus*, similia videri possunt in Prospero resp. ad 1. ob Vincent. ubi de hac medicinâ loquens, *Habet quidem in se* (ait) *ut omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur.* Vide quæ diximus art. 4. qu. 19. & confer Estium in prædicta loca Apostoli, ac Concil. Valentinum ann. 855. celebratum, c. 4.

Quod in argumento 4. sumitur: Posita causa sufficienti nihil aliud requiritur ad effectum inducendum, intelligendum est nihil aliud requiri in eodem genere, & si illa causa actu operetur; ut autem operetur, applicatio est necessaria.

### Articulus II.

*Per passionem Christi liberati sumus erepti à potestate diaboli.*

Art. 2. docet nos à potestate diaboli per passionem Christi liberatos: *Eripuit enim nos de potestate tenebrarum, & expoliavit principatus ac potestates*, ad Coloss. 1. & 2. liberati autem sumus; partim quia ex passione Christi accipimus remissionem peccatorum, per quæ in servitutem diaboli incideramus; partim quia Deo reconciliamur; partim, quia vires diaboli ad nos tentandum & vexandum multum sunt imminutæ nec ita permittitur graviter sævire sicut antè? Atque ut permittatur, paratius tamen est remedium, quod passione sua Christus nobis promeruit.

Hanc doctrinam confirmat quod de bestia sive diabolo Apoc. 17. scribitur, *fuit, & non est*; quodque Apoc. 20. & Matth. 12. docetur esse alligatus. Vide Aug. li. 20. de Civit. Dei c. 7. & 8.

### Articulus III.

*Sumus etiam liberati, à pœna peccati.*

Art. 3. docet nos per eandem passionem liberatos à pœnâ peccati. Ex quo non sequitur, quod sectarij volunt, satisfactiones nostras tolli, vel per eas passioni Christi derogari: Ipse enim non sic pro nobis passus est, ut nos salutem consequamur otiando; sed ut salvemur, ei compatiendo (si enim *compatimur & conglorificabimur*) & secundùm infirmitatis nostræ vires ab ipso adjutas, satisfaciendo. *Rom. 8.*

Adde, passionis Christi efficaciam per hoc illustrari, quod non solùm satisfecerit ipse, sed etiam nos satisfactores faciat, vimque satisfaciendi nostris afflictionibus tribuat.

Dices, Omnes morimur; ergo non sumus liberati à morte, quæ est pœna peccati. *Ob. Resp.* Resp. negando consequentiam: *Per mortem* enim *suam destruxit Christus eum qui habebat mortis imperium*, id est, diabolum, ait Apostolus ad Hebr. 2. & liberavit nos à morte, non ut eam non patiamur, sed ut in eâ non maneamus. Nam electi sic à morte corporis tandem liberabuntur, ut corpus habeant immortale & impassibile.

Arti-



### Articulus IV.

*Reconciliati sumus Deo per Christi Passionem.*

Art. 4. docet ex cap. 5. ad Romanos; nos per passionem Christi reconciliatos Deo; sublatis nimirum inimicitijs quæ ex peccato erant. Hinc 2. Cor. 5. *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum.* Et iterum, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Ad Eph. 2. docet nos *reconciliatos Deo per crucem.* Ad Coloss. 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Reconciliavit autem, partim quia sustulit peccatum, offerens pretium illi tollendo sufficiens, multisque illud applicans: partim quia obtulit sacrificium Deo Patri gratissimum, cujus respectu ac virtute justificamur.

Circa Responsionem ad 2. observa dilectionem Dei quæ est principium passionis Christi, esse gratuitam Dei voluntatem mittendi nobis suum filium; de quâ dicitur Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*; similiterque ad Rom. 5. & 1. Ioan. 3. Hanc dilectionem Christus non promeruit, cùm per eam ipse sit in redemptionem destinatus, sed promeruit nobis dilectionem reconciliationis; quâ nimirum Deus nos diligit ut amicos & filios, ipsum vicissim diligentes: Meruit etiam ea omnia quæ ad dilectionem illam pertinent. Et quamvis in Deo sit unica dilectio; differt tamen ratione, & secundùm effectus; quorum causa est passio Christi, non autem ipsius actus volendi qui est in Deo.

### Articulus V.

*Januæ cœli per Passionem aperta.*

Art. 5. tradit Christum suâ passione nobis aperuisse januam cœli: quatenus nimirum amovit impedimentum ingressûs; quod erat peccatum, peccatique reatus, tum singulorum hominum, tum communis toti humano generi.

*Aperire ergo cœlum* non aliud est quam facere expeditam consecutionem æternæ beatitudinis. Unde sequitur, patribus in limbo detentis & alijs purgationis non indigentibus, statim post passionem Domini completam, fuisse apertam januam regni cœlestis, id est, admissos ad claram Dei visionem, quæ significatur per Paradisũ Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradiso*: quia illic est paradisus, ubi est felicitatis status. Vide Augustinum epist. 57.

Circa responsionem ad 2. est observandum Enoch & Eliam non videre divinam essentiam; ut Augustinus alijs patribus consentiens, testatur lib. 9. de Genesi ad literam c. 6. Communis enim sententia est quod sint circa extrema tempora venturi in mortali corpore, & ab Antichristo interficiendi, juxta id quod de duobus testibus, dicitur Apoc. 11. Vide quæ dicentur ad qu. 73. art. 1. in Supplemento.

### Articulus VI.

Art. 6. docet Christum per suam passionem meruisse exaltari, ut est manifestum ex cap. 2. ad Philipp. Sed de hac re dictum est qu. 19. art. 3.

## QUÆSTIO L.

## *De morte Christi.*

### Articulus I.

*Conveniens fuit Christum pati.*

Art. 1. docet Christum convenienter esse mortuum; ut pro nobis satisfaceret, qui eramus adjudicati morti propter peccatum; atque ut veritatem humanæ naturæ ostenderet.

In argumento ad oppositum, rectè ostendit convenientiam mortis Christi ex illis verbis; *Expedit unum hominem mori pro populo*, secundùm propheticum sensum intellectis. Nam divinæ misericordiæ, justitiæ, sapientiæ, potentiæ conveniens erat humanum genus redimi per mortem Christi, secundùm ea quæ de Incarnationis convenientiâ diximus, initio hujus partis. Non habetur autem convenientia mortis Christi secundum sensum Caiphæ, qui loquebatur de temporali salute & tranquillitate populi. *Joan. 11.*

### Articulus II.

*Divinitas nõ fuit separata à corpore Christi.*

Art. 2. probat divinitatem non fuisse in morte Christi separatam à corpore: quia id quod convenit corpori post mortem, dicitur de Filio Dei, ut esse sepultum; hoc autem non potest verificari, nisi ratione unionis hypostaticæ.

Ratio quam in corpore adfert, invenitur apud Gregorium Nyssenum in orat. super 6. Psal. intelligenda est autem de dono gratuito quod naturâ suâ est permanens; nam quæ constituunt in re transeunte, cessare possunt absque culpâ, ut quædam gratiæ quæ vocantur gratis datæ, & auxilia gratiæ specialia quæ dantur & transeunt.

In Responsione ad 1. non directè respondet ad verba Ambrosij, quia Responsio sequitur ex verborum Psal. 21. interpretatione quam adfert; ut Deus Christum dereliquisse dicatur, quia ipsum in manibus inimicorum reliquit pati quæ illi volebant. Nam separatio divinitatis Ambrosio nihil aliud est quam derelictio quâ divinitas reliquit Christum pati, nec eum à persecutoribus protexit. *Christus ut à Patre fuerit derelictus*

De Responsione ad 2. vide qu. 6. art. 1.

### Articulus III.

*Divinitas non fuit separata ab anima Christi.*

Art. 3. docet divinitatem non fuisse separatam ab anima: tum quia quod animæ est, Filio Dei tribuitur, scilicet descendisse ad inferos; tum quia Verbum Dei per priùs & immediatiùs unitum est animæ quàm corpori, à quo tamen non est separatum. Hinc natum est illud. *Quod verbum assumpsit, numquam dimisit*, de quo vide dicta ad art. 2. q. 5.

Circa Responsionem ad 1. notandi sunt tres modi quibus intelligi potest, Christus animam posuisse.

Primus, ut caro per virtutem Verbi illam posuerit. *Quo modo Christus animam suam posuit.*

Secundus, ut Verbum divinum posuerit animam non à se, sed à corpore.

Tertius, ut per animam non intelligatur altera pars compositi, sed vita, quomodo dicitur, *Animam illius serva: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Et sic ponere animam est voluntariè mori.

Primus

Universidad de Deusto
Biblioteca



Primus modus traditur ab Aug.& B. Th.hîc: A Secundus, ab eodem Tho.& Richard.in 3.d.21. Tertius est facilis, ac proprius soli Christo, si intelligatur voluntariè mori,cùm posset tum vitam, tum animam retinere, non obstantibus hostium vulneribus Secundùm quæ,soli Christo proprium est quod nemo tollit, ipso scil. invito, animam seu vitam ejus corporalem; quodque nullus separare valebat animam ejus à corpore, si voluisset eam retinere: sed ipse propriâ suâ voluntate eam posuit, cedens vulneribus, & permittens animam recedere, cùm posset eam non obstantibus quibuscunque retinere.

Differt ergo à cæteris hominibus qui sic necessitate naturæ moriuntur, ut non sit in eorum B potestate animam retinere in corpore, sed ea expellitur, velint nolint. Cum his conferenda sunt quæ art.1.qu.47. diximus.

Pro Resp.ad 3. confer quæ diximus qu. 16. Cùm enim communicatio idiomatum fiat in concreto, atque inter nomina quæ suppositum exprimunt,non quæ naturam: consequens est eam non fieri in partibus; & ideò idiomata, id est, attributa Filij Dei, non communicantur animæ, sed homini.

### Articulus IV.

*Christus in triduo mortis non fuit homo.*

Art. 4. docet Christum in triduo mortis C non fuisse hominem, quæ doctrina est fidei.Si enim verè mortuus est, ergo desijt esse homo,per separationem animæ à corpore.

Nec obstat quod hæc propositio, Christus est homo,sit per se,sicut illa,Ioannes est homo; ideoque vera omni tempore: ita enim est,si consideretur extrema secundùm essentiam, & præscindendo,ab existentiâ actuali.

Difficultas autem est, *An illo triduo fuerit Christus.* Ratio dubitandi est, quia Christus significat suppositum existens in divinâ & humanâ naturâ tunc autem humana natura non erat, desierat enim humanitas per hoc quod unio animæ & corporis (quæ est de essentiâ humanitatis) desie- D rat.Quapropter, verius videtur quod propriè non erat Christus,nisi per synecdochen; quomodo,sicut jam dicitur Sanctus Petrus esse, ita verum est,tunc fuisse Christum.

In Resp.ad 3. non vult in Christo fuisse characterem:id enim apertè negat art.5.qu.63.seq.sed vult in ejus animâ fuisse potestatem Sacerdotij, quam in morte non perdidit.

An verò dicendum sit Christum fuisse tunc Sacerdotem;etsi non exprimat,affirmare tamen videtur. Sed hic sermo magis verificandus est per synecdochen,quàm per locutionis proprietatem;Sacerdos enim propriè non dicitur nisi homo. Cur autem id non repugnet æternitati Sacerdotij Christi,ex art.5.& 6.q.22.potest colligi,quia scilicet ejus Sacerdotio nullum aliud successit,nec unquam succedet; ipseque Christus semper est Sacerdos,ac Sacerdotio fungitur modis illic explicatis. E

### Articulus V.

*Corpus Christi quo modo idem numero vivum & mortuum.*

Art.5.docet corpus Christi vivum & mortuum fuisse idem numero simpliciter, id est,absolutè,non autem omninò & totaliter: quia fuit idem supposito, sed amisit in morte aliquid ad essentiam corporis vivi pertinens,scil. vitam.

His non obstat,quod si persona divina sibi uniret plures animas illæ non propterea essent una numero,sed plures: suppositum enim unum non facit plures res esse unum quid in abstracto,sed in concreto.Unde, in isto casu essent quidem plures animæ, esset tamen unum subsistens, & unum animatum; juxta ea quæ diximus q.3.art.7. sicut corpus Christi concretim acceptum, est unum supposito, vivum & mortuum.

Quæri autem potest, Utrùm corpus illud in triduo fuerit sine formâ substantiali.

Videtur enim quod sic, 1. quia sequeretur ali oquin diversitas corporis.

Secundò quia Verbum assumpsisset aliquid, quod postea dimisit.

Tertiò, quia forma cadaveris est principium corruptionis.

Verùm cùm hoc repugnet principijs Philosophiæ, quæ tradunt materiam non posse naturaliter esse sine formâ: neque appareat necessitas hîc ponendi miraculum: Probabilius Cajetano videtur quod corpus Christi acceperit in morte formam cadaveris humani, idque satis ex Authore colligitur docente quod priorem formam amiserit, & quòd *non remanserit corpus idem secundùm speciem humanæ naturæ.* *Corpus Christi non fuit in triduo sine formâ.*

Ad 1. autem Arg. Resp. non fuisse idem corpus substantiale constans ex eâdem formâ: fuisse tamen idem numero secundùm materiam, materialiaque & sensibilia accidentia,item secundùm partes organicas habentes respectum ad eandem animam,ac etiam secundùm subsistentiam: erat enim idem subsistens per eandem suppositalitatem.

Ad 2. nil absurdi est quod aliquid fuerit assumptum & postea dimissum,si vel non fuerit per se,& principaliter assumptum, vel sit pars solum materialis.Prioris generis est forma cadaveris:posterioris, partes illæ quæ per actionem caloris naturalis defluebant. Vide quæ diximus art.2.qu.5.

Ad 3.Christus quidem non est passus eam corruptionem quæ est cum resolutione corporis in elementa: sed tamen cum mortuus sit, mors autem sit quædam corruptio, non est negandum quin aliquam corruptionem passus sit, eam nimirum quæ est ex separatione animæ à corpore, ut ex Damasc. docet hîc B.Th. *Quam corruptionem passus sit Christus.*

Dices, ex his sequitur in morte Christi fuisse novam unionem hypostaticam. Resp. quamvis negari non possit rem novam noviter esse unitam, ideòque fuisse aliquo modo novam unionem;quia tamen non est facta ex principali instituto, sed consequenter, ratione scilicet prioris operis, principalisque unionis: ideò non censetur omninò nova, sed priorem concomitans. Idem videtur dicendum de unione quâ Verbum unitum est animæ & corpori seorsim: cùm antea solùm uniretur illis,ut inter se unitis. *Ob. Resp.*

Docent enim B. Tho. Bonavent. Richar. in 3.d.21.unionem Verbi ad humanitatem, seu ad partes unitas, fuisse unam actu, plures potentiâ: post mortem verò, quando partes divisæ fuerunt ab invicem, fuisse duas in actu, sine hoc quod fieret unio omninò nova.

Ex his intelligi potest præter unionem animæ ad corpus, quæ in morte Christi desijt: desijsse etiam unionem Verbi ad humanitatem, si formaliter loquamur. Cùm enim humanitas desierit, desijt esse unita: quia tamen partes manserunt, mansitque Verbum eis uniformiter & immutabiliter unitum, quantum ad vinculum: ideo jam dicta unio ad humanitatem, non omnino desijt sed quæ erat actu una, & potentiâ plures, facta est actu plures, mutatione factâ circa extrema. A

Quod in argumento secundo sumitur: *Quæcunque sunt diversa specie, sunt etiam diversa numero:* veritatem habet in illis in quibus suppositum est ejusdem rationis cum naturâ, in quâ subsistit: Verbum autem divinum diversæ est rationis, à naturâ corporeâ, in quâ subsistit.



### Articulus VI.

*An mors Christi sit causa meritoria nostræ salutis.*

Art. 6. docet mortem Christi in facto esse B non esse causam nostræ salutis per modum meriti, sed per modum efficientiæ.

Prius patet, quia spectando mortem in facto esse, Christus jam erit mortuus, ideoque extra statum merendi: nam instans mortis est primum non esse hominis. vide qu. 34. ar.3.

Posterius intelligendum esse de carne Christi; quæ etiam mortua, fuit accommodatum instrumentum quorundam effectuum nostræ salutis: patet ex corpore, & ex Responsione ad 3.

## QUÆSTIO LI.

*De sepulturâ Christi.*

### Articulus I. & II.

*Christus convenienter fuit sepultus.*

Art. 1. & 2. probat decuisse Christum C sepeliri, convenientique modo fuisse sepultum.

Quod in Responsione ad 2. articuli primi dicit sepulturam Christi efficienter operatam esse nostram salutem; juxta superius dicta intelligendum est; quatenus videlicet corpus Christi sepultum; instrumentum suscitandi homines è sepulchris.

*De unctione corporis mortui.*

Circa id quod in Responsione ad 3.articuli 2. dicit ideo corpus Christi aromatibus conditum, *ut immune à corruptione servaretur:* observa unctionem illam quæ Judæis in usu erat, contulisse aliquid ad præservationem pro aliquanto tempore, D sed non pro diuturno: fiebat enim solùm exteriùs, sine sectione & sine viscerum extractione. Alia verò, eaque potissima condiendi corporis Christi ratio fuit, honor & decentia honestatis: quomodo Christianis in more est corpora suorum lavare,teste,Gregorio lib.3.Dial. cap.17. & lib.4.c.16. & 26. in signum benevolentiæ, & propter decentiam.

### Articulus III.

*Corpus Christi non fuit resolutum in cineres.*

Art. 3. docet non decuisse corpus Christi E resolvi in cineres.

Quod in Responsione ad 2.dicit illud, *quantum ad conditionem naturæ passibilis,fuisse putrefactibile,* ita nimirum ut non obstante unione Verbi, mori & putrefieri potuisset, si nullum aliud miraculum accessisset: communiter docetur à scholasticis in 3.dist.21. estque conforme illis quæ de defectibus à Christo assumptis dicta sunt.q.14. ar.2.

*Tacita ob.*

Nec obstat quòd Damascenus li.3. cap.18. dicat corpus Christi semper fuisse incorruptibile corruptione quæ dicit resolutionem in elementa: loquitur enim secundùm ea quæ de facto corpori Christi acciderunt, & secundùm divinam de eo dispositionem, accommodatam œconomiæ ipsius, simul & unioni Verbi: non quod sola unio per se & formaliter sufficeret, sed quia propter unionem sic erat divinitus ordinatum.

### Articulus IV.

Art.4.docet Christum fuisse unâ die,& duabus noctibus in sepulchro.Ratio quam tradit,mystica est;traditur autem ab Augustino li 4. de Trinitate cap. 3. Literalem habet Author noster qu.53.sequente art. 2. quia scilicet tempus illud fuit sufficiens ad ostendendum veritatem mortis dominicæ.

Circa Responsionem ad 1. observandum est quòd Filius hominis dicitur fuisse tribus diebus *Matth.* 12. & tribus noctibus in corde terræ, id est, vel in lymbo, secundùm animam; vel in sepulchro, secundùm corpus, locutione synecdochicâ: & quidem inter varios modos, duo sunt probabiliores.

Unus, ut illud (tribus diebus, & tribus noctibus) sit periphrasis trium dierum naturalium.

*Quomodo fuerit Christus in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.*

Aliter,ut computatione dierum naturalium factâ à media nocte in mediam noctem,juxta usitatum loquendi modum, distinctè reperiantur tres dies, & tres noctes, conformiter verbis Domini Matt.12.Primus autem dies, & prima nox computatur extrema pars feriæ sextæ cum ea parte noctis quæ illam feriam sequitur usque ad medium noctis.Secundus dies & secunda nox,est integrum sabbathum,cujus initium sumitur à media nocte feriam sextam sequente, & terminatur in mediam noctem sequentem sabbathum. Tertia nox, est hujus ipsius noctis posterior medietas. Tertius autem dies, est initium diei dominicæ: existimamus enim Christum in aurora surrexisse. Vide Augustinum libr. 3.de consensu Evangelistarum cap.24. Anselmum in cap. 12. Matthæi, Leonem, serm.1.de resurr.

Quot autem horis fuerit Christus in sepulchro, non omnino constat. Satis tamen certum videtur illos falli qui existimant eum ibi fuisse quadraginta horis: sepultus enim fuit feria sexta sub vesperam, & surrexit dominica, valde manè, utpote sub aurora. Ubi non possunt computari horæ nisi triginta quinque, vel (ut Aug.hîc ab Authore in argumento *sed contra*, citatus, ait) triginta sex.

## QUÆSTIO LII.

*De descensu Christi ad inferos.*

### Articulus I.

*Anima Christi realiter descendit ad Infernum.*

Art. 1. docet Christum convenienter descendisse in infernum. Difficulter autem est, An ad eum descenderit solùm secundùm effectum & operationem, quam in illo divinitas vel anima Christi sit operata. Sic enim explicat Durandus in 3. dist. 22. partim quia anima separata non potest moveri localiter;partim, quia res spiritualis non est in loco, nisi ratione operationis, quam anima Christi separata nullam habebat.

Verum indubitata fide credendum est Christum descendisse ad inferos, descensu reali, quo fieret,ut ejus anima existeret illic præsens, Secundùm

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Vita creaturam enim quum ex quodam tempore susci-* A *piendo, manens Deus homo factus est, hoc est secundum animã eum fuisse apud inferos, apertè scriptura declarat & per prophetiam præmissa, & per Apostolicum intellectum satis exposita, quã dictum est: Non derelinques animam meam in inferno.* Ita Augustinus epistola 99. Cum quo diligenter, observanda sunt illa Psal. 15. verba: *Non derelinques animam meam in inferno*; quæ Apostolus Petrus (ne quis aliorum detorqueat) Act. 2. de Christo interpretatur.

Confirmatur, Primò, Sancti Patres constanter docent Christum, & secundùm animam descendisse ad inferos, & secundùm carnem jacuisse in sepulchro, sed caro propriè fuit secundùm substantiam, in sepulchro: ergo & anima in inferno. B Nam alioquin, si dumtaxat per effectum fuit Christus in inferno: non tantum anima, sed & caro ibi fuisset, cũ causa ejusmodi effectus, fuerit etiã caro.

Secundò, Christus *descendit inferiores partes terræ*, Ephes. 4. *Inferiora* autem *terræ, infernus accipitur*, ait Hieronymus. Et B. Petrus primæ suæ epistolæ cap 3. testatur Christum spiritu, eodem scilicet illo quem moriens in Patris manus commendaverat, prædicasse his qui in carcere erant. Huc etiam pertinet illud Zachariæ 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua:* Et illud Matth. 12. *Ita erit filius hominis in corde terræ*, juxta expositionem Tertulliani, Hieronymi, Theophilacti; quî cor C terræ convenienter explicant esse infernum phrasi enim usitata, cor terræ significat imum, seu profundum terræ; sicut Ps. 45. *transferentur montes, in cor*, id est, in profundum, *maris*.

Eadem doctrina traditur ab Innocentio 3. in Concilio Lateranensi cap *firmiter*, de sancta Trinitate à Concilio Toletano 4. ca. 1. ab Athanasio in symbolo, ab Ignatio in epistola ad Traillianos, Epiphanio hæresi 69. Nazianzeno orat. 2. de resurrectione; Nysseno, oratio 1. Augustino ep. 57. 99. & alijs locis, & ab alijs Patribus, tum in sermonibus de resurrectione, tum in commentarijs super Psalmos vel Evangelistas. Et quamvis in symbolo Niceno non exprimatur articulus de descen- D *Objectio tacita.* su ad inferos; neque illum explicent quidam veteres in expositione symboli: alij tamen, ut Chrysostomus hom. 2. de symbolo, Cyrillus Jerosolymitanus catechesi. 4. Rufinus in expositione symboli apud Cyprianum, id faciunt; ut & isti priores alijs locis. Patres autem Niceni propterea non iteraverunt in suo symbolo, sed præsupposuerunt tanquam prædeterminatum in symbolo Apostolorum; quia de illo nullus erat error exortus apud hæreticos, ut necessaria esset expositio: quemadmodum ait B. Thomas 2. 2. quæstione 1. articulo 9. ad 4.

Ad 1. ergo motivum Durandi, negandum est quod assumit, quemadmodum in Responsione ad E 3. Author significat, & videri potest apud Dominicum in 4. dist. 45. q. 1. ar. 3.

Ad 2. Resp. certum esse quod res spiritualis sit substantialiter præsens in loco. Deinde, animam Christi aliquid operatam esse in inferno, ut tenebras exteriores expellendo, & locum illum illuminando, tradit Auctor in 3. d. 22. q. 2. art. 2. quæstiuncula 1. & similiter Richardus.

Circa primam rationem corporis, quæritur, An Christo fuerit pœna descendere in infernum. Videtur enim quod sic, quia Beatus Thomas pro ratione descensus Christi adfert, quod venerat pœnam nostram portare, ut nos à pœnâ eriperet.

Responsio tamen est negativa, quam expresse tradit Bonaventura dicta dist. 22. docens animam Christi, sicut & cujuslibet ista carentis omni reatu peccati, statim post separationem à corpore, factam esse impassibilem. Neque contrarium vult B. Thomas: docens enim Christum, quia venerat pœnam nostram portare, decuisse ut ad inferos descenderet, quod nos commerueramus: significat eum portasse id quod nobis pœna erat, sed non ait eum portasse tanquam pœnam, & sub ratione pœnæ. *Non fuit Christo pœna descendere ad infernum.*

Si dicas, istum descensum fuisse Christo remoram aliquam transitus in cælum.

Resp. non propterea fuisse pœnam propriè, loquendo; alioquin pœna etiam, eaque major eidem fuisset, mora quam traxit usque ad ascensionem. Neque verò hinc sequitur decuisse Christum assumere pœnas purgatorij & inferni; quia illæ nec per se nobis erant utiles (solùm enim illum qui eas sustineret vel purgant vel puniunt) nec erant medium conveniens ad applicandam satisfactionem Christi. Descensus autem ejus erat conveniens medium applicandi fructum passionis Christi juxtâ id quod ex Zachariâ superius allatum est. Rationes ergo descensus Christi ad inferos, fuerunt, tum ut sanctas animas inde educeret; tum ut ostenderet suam potestatem extendi usque ad infernum. *Ideo descendit*, ait Aug. *ut quibus oportuit subveniret*, epist. 57.

## Articulus II.

*Christus non descendit realiter ad infernum damnatorum.*

Art. 2. docet Christum non descendisse in infernum damnatorum secundum realem præsentiam sed solùm secundum effectum; non quo eos à damnatione liberaret (recenset enim Augustinus hæresim 79. dicentium descendente ad inferos Christo, credidisse incredulos & omnes inde liberatos) sed quo eos de suâ incredulitate confutaret; per modum scilicet cujusdam revelationis, dando eis intelligere quam justè sint damnati, & quanta sit gloria Christi in quem credere noluerunt; quamque felix beatarum animarum status, quæ jam ex inferno erant liberandæ. Ex quibus sequebatur etiam singularis aliquis dolor ob triumphum Christi & sanctorum felicitatem.

Circa Responsionem ad 1. adverte, quosdam opinari probabile esse quòd Christus secundùm animam realiter descenderit ad loca damnatorum; partim quia illud Ecclesiastici vigesimo quarto, *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, non sufficienter ab Authore explicatur de penetratione secundum effectum: cùm enim scriptura sit generalis, & æquè de omnibus loquatur, posset dici ad nullum inferni locum aliter descendisse; partim quia Augustinus epist. 99. & lib. 12. de Genesi ad literam c. 33. & alij quidam asserunt Christum descendisse ad ea loca, ubi erant dolores.

Verùm contraria Beati Thomæ sententia communis est Scholasticorum in 3. dist. in. 22. & confirmatur, quia ex Cyrillo catechesi 4. Augustino epistola 99. Hieronymo in cap. 4. ad Ephes. patet Christum ideo ad inferos descendisse, ut eos qui ibi detinebantur, consolaretur & liberaret: sed ex inferno damnatorum, nullum est consolatus aut liberavit, ut art. 6. docetur: ergo ad illum non descendit. Adde quod locus ille neque conveniebat statui Christi; sicut limbus Patrum qui erat locus



locus sanctorum post mortem, neque effectus A quem ibi habuit, requirebat ut anima ibi esset: poterat enim per modum locutionis aut manifestationis quæ inter spiritus non impeditur ex distantia loci, ea quæ diximus facere.

Ad 1. ergo motivum Resp. negando assumptum. Ad confirmationem verò, concedi potest ex eo loco non convinci Christum secundùm realem præsentiam ad ullum inferni sinum penetrasse; convincitur autem ex Psal. 15. Act. 2. ad Ephes. 4. Zachariæ 9. ut art. 1. fuit ostensum. Expositionem B. Thomæ confirmat quod sequitur; *Inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Ad 2. Resp. satis esse quòd Christus ad locum purgatorij descenderit, indeque alios eduxerit. B

*Ob.* Si ex capite 4. ad Ephes. dicas Christum *descendisse ad inferiores partes terræ*: hoc est, ad infima

*Resp.* terræ. Resp. infimum terræ esse infernum; ad quem descendisse Christum agnoscimus, etiamsi non descenderit ad omnes inferni sinus: Nam & Iob cap. 17. dicit, *In profundißimum infernum descendent omnia mea*, cùm tamen non esset descensurus ad infimam inferni partem. Totus scilicet infernus comparatione hujus loci, profundissimus & infimus vocatur.

Circa Responsionem ad 2. est observandum quòd sancti patres in inferno detenti; quamvis non sustinerent cruciatus & dolores ab extrinseco afflictivo provenientes, dolore tamen afficiebantur ob dilationem gloriæ: ut annotant B. Gregorius lib. 13. Moral. c. 21. & S. Th. art. 5. ad 1. Anima verò Christi illuc descendens neutros sustinuit; ac proinde quòd Petrus Act. 2. dicit Christum suscitatum *solutis doloribus inferni*, rectè intelligitur de doloribus, non quibus Christus tenebatur, sed quibus alij afficiebantur, quibusque eum ligare voluissent dæmones, sed non poterant, quia impossibile erat eum doloribus inferni affici. Solvit autem eos dolores; tum non patiendo, quomodo solvi possunt laquei venatorum, non quia tenuerunt, sed ne teneant, ut ait Augustinus epistolâ 99. tum eos ab illis quos liberavit, auferendo. Huc respicit ecclesia canens dominica in Albis, *Solutis jam gemitibus, & inferni doloribus, quia surrexit Dominus, resplendens clamat Angelus.* *Christus ut solverit dolores inferni.* D

In Responsione ad 3. duplex adfertur expositio sententiæ cap. 3. primæ Petri. Planior videtur esse hæc, quod Christus in infernum descendens prædicaverit, sive bonum nuntium attulerit, etiam spiritibus, id est, animabus illis quæ fuerant aliquando incredulæ. Bonum autem illud nuntium rectè intelligitur fuisse, quod annuntiaverit se esse illorum redemptorem, & ad hoc venisse ut eos beatificat, indeque educeret. Et quia posset quæri quo in loco tunc essent, quâve ratione Petrus de ijs loquatur; addendum est eas fuisse vel in limbo, E vel (quod verisimilius est) in purgatorio; quia limbus patrum non solet vocari carcer, sed sinus Abrahæ, & erat locus consolationis, Lucæ 16. Unde Hilarius in Psal. 118. ad illud. *Quando consolaberis me*, distinguit sanctos in inferno quiescentes hoc est, in sinu Abrahæ positos, ab ijs qui in carcere erant ut in loco pœnali, vetera adhuc peccatorum suorum debita luentes.

Dicendum igitur quod eorum qui, Noë diluvium annuntiante, erant incredoli, quidam in suâ incredulitate perierunt, quidam verò tandem pœnituerunt videntes diluvium, juxta illud Psal. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum*: ac nihilominus aquis diluvij fuerunt submersi, in pœnam prioris incredulitatis. Hinc Apostolus cum dicit, *qui increduli fuerant aliquando*, significare videtur quod in suâ incrudelitate non perseveraverunt, ijdemque videntur esse qui cap. 4. dicuntur *judicati*, id est, pœna diluvij castigati, *secundùm homines*, hoc est publicè & hominibus manifestè videntibus, *in carne* id est corpore, *sed vivere*, feliciter & beatè, *secundum Deum* sive coram Deo, *in spiritu*, hoc est in anima. Porro, quia de his majus erat dubium an essent salvi; cùm Apostolo propositum esse fideles animare ad mala fortiter ferenda pro Christo, voluit ostendere quòd quamvis varias in carne ferrent afflictiones, etiam usque ad mortem; possent nihilominus vivificari secundũ spiritum per fidem Christi. Vide Hieronymum in c. 1. Naum. Rupertum in Genesim, Athanasium in epist. ad Epictetum.

Quod hic in arg. 5. & art. 5. in arg. Sed contra adfertur ex ser. 137. B. Aug. Christum quando ad inferos descendit, omnes justos qui originali peccato astricti tenebantur, absolvisse, reperitur in Appendice ser. 52. & intelligi debet de illis, qui, etsi non essent in peccato originali quantum ad culpam neque quoad reatum pœnæ æternæ, cum hoc totum esset eis remissum quando facti erant justi; adhuc erant in eo communi reatu pœnæ peccati originalis, qui est exclusio à gloria: iste enim reatus non fuit sublatus nisi soluto per Christum pretio redemptionis humanæ. Vide ar. 5. ad 2.

## Articulus III.

*Totus Christus fuit in inferno.*

Art. 3. declarat quod totus Christus fuerit in inferno, quia masculinum genus refertur ad hypostasim; tota autem Christi hypostasis seu persona fuit in infetno: non tamen ibi fuit totaliter; quia aliqua pars Christi, nimirum ejus corpus ibi non fuit, & similiter non totum Christi illic fuit; quia totum, cum sit neutrum genus; pertinet ad naturam; tota autem Christi natura ibi non fuit cum ad humanam ejus naturam pertineat corpus quod non fuit in inferno.

Cæterum, quia obvium est intelligere, ut *totus Christus*, idem sit quod Christus secundum utramque naturam: ideo non quovis sensu verum est, quòd totus Christus fuerit in inferno. D

## Articulus IV.

*Quam moram traxit Christus in inferno*

Art. 4. docet Christum moram traxisse in inferno, scilicet usque ad resurrectionem, ita ut simul & anima de inferno exiret, & corpus de sepulchro educeretur. Cùm enim Act. 2. dicitur, *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni*, significari videtur quòd in inferno manserit usque ad horam suscitationis: præsertim si jungatur quod sequitur, *Non derelinques animam meam in inferno. Nam propheta providens locutus est de resurrectione Christi*, ait Petrus. Unde Irenæus l. 5. adversus hæres. cap. 31. diserris verbis asserit Christum tribus diebus conversatum esse ubi erant mortui; similiterque loquitur Nyssenus orat. 1. de resurrectione Christi, & Tertullianus l. de anima c. 55. & alij veteres ad illud Matt. 12. *in corde terræ*. Hinc Ecclesia in benedictionem cerei paschalis: *Hæc nox est in qua Christus ab inferis victor ascendit.* E

Quod porro in fin. cor. dicit simul animam de inferno eductam, & corpus de sepulchro; difficultatem habere potest propter loci distantiam:

Universidad de Deusto
Biblioteca



sed vel intelligi potest simul, quia eodem ferè instanti; vel dicendum est animam Christi motu instantaneo exiviſſe de inferno, ſecundùm ea quę de Angelis dicuntur 1.p.q.53. art.3. ſicque primum non eſſe ejus in inferno fuerit primum eſſe illius in ſepulchro & in corpore, ac ſtatim inde exierit.

### Articulus V.

*Chriſtus liberavit Patres de limbo.*

Art. 5. Docet Chriſtum ad inferos deſcendentem liberaſſe ſanctos patres ibi detentos; primò quidem claram divinitatis viſionem eis exhibendo ſtatim à ſua morte: poſtea verò, etiam ex loco inferni educendo. Id ſignificans Eccleſia dicit, *O verò digna hoſtia, per quam fracta ſunt tartara, Redempta plebs captivata; Reddita vita præmia.* Et Tertullianus l.de anima c.55. *Non ante aſcendit in ſublimiora cœlorũ, quam deſcendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes ſui faceret.* Suntque hæc ſatis clara ex Zach.9. & ex c.2.ad Coloſſ. Conſentiunt Augu.hom.57. Gregor.hom.22. in Evan. Hieron.in c.2.Jonæ.

Cæterum, quia Chriſtus, ut Pſalm. 106. ſcribitur, *contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit:* quia etiam ſic infernum momordit, ut mortem interimeret, Oſeæ 13. deſtruxitque *eum qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum*; ad Hebr. 2. idcirco non ſic eduxit ſanctos ab inferno ſeu limbo, ut alijs locum faceret, ſed ut deinceps ſancti eum non adirent, neque teneri ab illo poſſent, qui jam ſpoliatus ſuperatus eſſet. Quod in figura adumbravit Sampſon Judic.16. quando *apprehendit ambas portas* Urbis Gazæ *fores, cum poſtibus ſuis & ſera, & portavit ad verticem montis.* Unde Aug. l.20.de Civit. Dei c.15.

De verbis in arg. Sed contra diximus ar. 2.

### Articulus VI.

*Chriſtus nullum damnatorum liberavit.*

Art.6. docet Chriſtum neminem damnatorum liberaſſe ex inferno.

In argumento ad oppoſitum, exponit verba Oſeæ 13. *Ero mors tua, ô mors; morſus tuus ero inferne*: ut illis ſignificetur Chriſtus in electis *occidiſſe mortem*, quia fecit ut amplius non poſſet eos retinere: *Infernum* autem *momordiſſe*: quia ex locis ſubterraneis quæ per infernum ſignificantur, partem abſtulit, partemque reliquit. *Neque enim infideles quoſque & pro ſuis criminibus æterno ſupplicio deditos, ad veniam Dominus reſurgendo reparavit: ſed illos ex inferni clauſtris rapuit: quos ſuos in fide & actibus recognovit*, ait Greg. illa hom. 22. in evangelia. Et ad præfata Oſeæ verba: *Id quod occidimus, agimus ut penitus non ſit: Ex eo quod mordemus, partem abſtrahimus, partemque relinquimus, Quia ergo in electis ſuis funditus occidit mortem, mors mortua exitit. Quia verò ex inferno partem abſtulit, & partem reliquit, non occidit funditus, ſed momordit infernum.* Similia ſcribit l.12. moral. c.8.

Si objicias Chriſtum dixiſſe Ioan.12. *cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum:* Reſpondet idem Greg. dicta hom. *Omnia traxit qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit. Omnia abſtulit, utique electa.*

Circa rationem corporis quæri poſſet, quomodo rectè procedat, cùm paſſio Chriſti non ſolis ijs profit qui inveniuntur Chriſto per fidem & charitatem conjuncti: ſed etiam habet vim ea ipſa dona conferendi illis qui adhuc ſunt in peccatis.

Reſpond. paſſionem Chriſti habere quidem illam vim, ſed juxta decretum divinum, ea non exercetur niſi in eos qui ſunt in ſtatu viæ, ubi eſt locus converſionis à peccato ad juſtitiam: Ratio autem B. Thomæ procedit ex hujus decreti ſuppoſitione; atque ita rectè concludit damnatos propterea non fuiſſe liberatos; quia ſcilicet ibi ſunt inventi ſine fide & charitate, ubi non eſt locus iſta donandi, & ubi juvantur dumtaxat illi qui cum fide vivâ inveniuntur. Confer art.ſeq.ad 3.

In Reſponſione ad 1. obſervandum eſt iſto loco Iſaiæ ſermonem eſſe ad literam de die judicij extremi, quando Deus peccatores viſitabit in malum, ſcilicet ad eos puniendos. Quod autem ſequitur, *poſt multos dies viſitabuntur*, non aliud eſt quàm poſt quantumlibet tempus ſeu ſemper pœnis viſitandos, ut poſt Hieronym. exponunt S. Thomas, & Sasboldus ſuper Iſaiam. Unde patet hæc verba non ſuffragia errori Origenis, de pœnis damnatorum aliquando finiendis.

### Articulus VII.

*Chriſtus non liberavit pueros in pec. orig. mortuos.*

Art.7. tradit pueros qui cum originali peccato deceſſerant, non fuiſſe Chriſto ad inferos deſcendente liberatos; quia ſolis illis Chriſtus eò deſcendens communicavit ſuæ liberationis fructum, qui ipſi erant conjuncti per fidem & charitatem: nam juxta ſuperius dictam Dei ordinationem non eſt tempus tranſmutationis à culpâ ad gratiam, niſi in vita præſenti; ut in Resp. ad 3. tradit.

### Articulus VIII.

*Nec omnes eos qui erant in purgatorio.*

Art.8. docet non omnes animas quæ in purgatorio erant, fuiſſe liberatas deſcendente Chriſto ad inferos; quia deſcenſus ille, liberatorius fuit in virtute paſſionis; paſſio autem non habuit tunc majorem virtutem quam nunc habeat; nunc verò non omnes ſtatim liberat, ſed eos quibus applicatur per media ad hoc inſtituta.

*Ob.* Dices, ſimili ratione concludi poſſe ſacramenta novæ legis non eſſe majoris efficaciæ quam ſacramenta veteris legis, quia virtus paſſionis Chriſti ſemper eſt eadem. Sed Resp. negando aſſumptum: paſſio enim Chriſti ſemper valet ut quædam cauſa univerſalis, quæ proinde neminem actu liberat, niſi applicetur per media divinitus inſtituta; deſcenſus autem Chriſti non erat medium divinitus inſtitutum quo omnes animæ in purgatorio exiſtentes liberarentur, vel quo paſſio Chriſti illis omnibus applicaretur; ſacramenta verò novæ legis ſunt media divinitus inſtituta per quæ fiat applicatio paſſionis Chriſti, & ideo poſſunt eſſe majoris efficaciæ, ſecundùm quod ex ſua inſtitutione applicantur. *Reſp.*

Ex his ſuadetur quod ratio Beati Thomæ concludat deſcenſum Chriſti per ſe non liberaſſe omnes animas in purgatorio detentas.

*Quæſt.* An autem ex privilegio omnes liberaverit, utpotè donando veluti plenarias indulgentias, ambigitur.

Primò, quia Eccleſiaſtici 24. Sapientia dicit *Illuminabo omnes ſperantes in Domino.*

Secundò, quia Auguſtinus ſerm. 137. de tempore & in Pſalm. 85. tradit omnium electorum animas ex inferno per Chriſti deſcenſum erutas, libr.etiam 12. de Geneſi ad literam cap. 33. dicit Animam



Animam Chriſti veniſſe ad loca ubi peccatores cruciantur, ut liberaret quos liberandos judicabat.

Hæc ſententia probabilitate non caret, attentis præſertim veterum Patrum ſententijs qui de juſtorum liberatione ab inferis per Chriſtum facta loquentes, nuſquam piorum aliquos excipiunt, ſed ſolos impios; de quorum ſalute eſt penitus deſperatum.

B. tamen Thomas diverſum ſentit, docetque, ſolas eas animas liberatas, vel quæ erant ſufficienter purgatæ, vel quæ dum hîc viverent, ſpeciali fide & devotione ad mortem Chriſti, liberationem illam meruerant, merito ſcilicet congruentiæ; ita nimirum ut affectus ille non fuerit abſolutum meritum iſtius liberationis, ſed congruentia quædam, cujus intuitu conferretur illud beneficium ſimpliciter indebitum & extraordinarium.

Ita poſt Auctorem explicat hanc difficultatem Durandus in 3.diſt.22. qu.4.

Ad 1. autem argumentum Reſponderi poteſt illuminationem illam non eſſe liberationem à purgatorio, ſed conſolationem quendam, novique gaudij collationem, de gloriâ citò poſt purgationem habendâ.

Ad 2. ſatis conſtat ſermonem illum non eſſe Auguſtini. In Pſalmo 85. loquitur de animabus in ſinu Abrahæ exiſtentibus. In li.12. de Geneſi non dicit Chriſtum liberaſſe omnes, ſed quos eſſe ſolvendos, occultâ nobis ſua juſtitia judicabat.

Ad poſtremum dici poteſt ſanctos patres loqui de juſtis in limbo detentis, quos à beatitudine nihil impediebat, niſi communis totius naturæ reatus. Hos autem Chriſtus omnes omnino liberavit, Unde Auguſt. libr.20. de civit, cap.15. loquitur de juſtis qui in locis à tormentis impiorum remotiſſimis erant.

## QUÆSTIO LIII.

## *De Reſurrectione Chriſti.*

### Articulus I.

*Neceſſarium fuit Chriſtum reſurgere.*

Art. 1. docet neceſſarium fuiſſe Chriſtum reſurgere. Primò, ad commendationem divinæ juſtitiæ. Secundò, ad fidei noſtræ inſtructionem. Tertiò, ad ſublevationem noſtræ ſpei. Quartò, ad informationem vitæ fidelium. Quintò, ad complementum noſtræ ſalutis.

Accipit autem neceſſarium non ſolum pro eo quod erat admodum conveniens; ſed etiam pro eo quod non poterat non fieri; non quidem ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, partim prædictionis & ordinationis divinæ, partim meriti Chriſti.

Hinc, quod Lucæ ultimo dicitur, *Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis*, ſupponit divinam prædictionem, de qua præcedit, *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & Pſalmis de me.*

Prædictiones autem illæ ſunt, non ſolum quæ figuratè geſta ſunt in Iſaac immolando & tamen ſervato, Geneſis 22. vel in Joſeph educto è carcere, anno tertio, Geneſis 41. de quibus Proſper. lib. 1. prædictionum capit. 17. & 29. ſed etiam quod Geneſis 49. dicitur de Juda; *Requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum*; ut interpretantur Ambroſius libr. de benedictionibus Patriarcharum, cap.4. Auguſtinus libr. 12. contra Faustum c.42. Damaſcenus oratione 2. de nativitate B. Mariæ.

Præterea, quæ dicuntur Pſal. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Pſ.15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Sophoniæ 3. *Expecta me dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum*: & quod circa Jonam contigit, Jonæ 2. quodque Oſeæ 6. dicitur, *In die tertia ſuſcitabit nos*; certiſſima reſurrectionis Chriſti teſtimonia continent. Quorum primo ad ejus probationem utitur Paulus Act. 13. Secundo, Petrus Act.2. necnon Paulus Act.13. Tertio, Auguſtinus libr.18. de civitate Dei c. 33. Quarto Chriſtus ipſe Matth. 12. & 16. de quinto vide ſeq. art.

Ex his patet Apoſtolum 1.ad Corinth 15. non immeritò dixiſſe, *Chriſtus reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas*; propheticas nimirum, aliaſque veteri Teſtamenti. Quæ tamen particula, quamvis referri poſſit ad hoc totum, *reſurrexit tertia die*, (nam ſe tertia die reſurrecturum oſtendit Chriſtus in locis Evangelij memoratis, ex figura Jonæ prophetæ:) addita videtur ab Apoſtolo, vel ſolùm, vel præcipuè propter ipſam reſurrectionem; Nam cùm creditu difficilis ſit; ad eam ſtabiliendam opus fuit allegatione ſcripturarum; ea verò conſtituta facile conſtare potuit, etiam ex ſolis Apoſtolorum teſtimonijs, quo die facta eſſet.

Circa ſecundam rationem adverte, ſi Chriſtus non reſurrexit, inanem eſſe prædicationem Apoſtolorum, inanem eſſe & fidem; quia licet abſolutè, etiamſi Chriſtus non reſurrexiſſet, potuiſſet eſſe in nobis vera fides & ad ſalutem utilis ſuppoſitis tamen ijs quæ prædicta erant, *Si Chriſtus non reſurrexerit, inanis eſt fides noſtra*, quia falſa; atque adeò ſumus adhuc in peccatis, quia falſa fides non poteſt eſſe veræ ſalutis initium.

Quod in eâdem ratione dicit Author, reſurrectionem Chriſti fuiſſe argumentum divinitatis ipſius, verum eſt quatenus ſeipſum ſuſcitavit, ſuſcitationemque illam fecit ſignum ſuæ divinitatis & veritatis doctrinæ.

In ratione 5. Chriſtus dicitur ex cap. 4. ad Rom. reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram, non quod ejus reſurrectio fuerit juſtificationis noſtræ meritum; neque quod ſit exemplaris dumtaxat cauſa noſtræ reſurrectionis; ſed etiam quia niſi Chriſtus reſurrexiſſet, juſtitiam quam moriendo nobis meruerat, non eſſemus aſſecuti; Deo ita diſponente, ut non daretur Spiritus Sanctus, non mitterentur Apoſtoli ad prædicandum, non applicaretur generaliter fructus paſſionis, niſi poſt reſurrectionem. *Oportebat enim Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum*, Lucæ 4. Unde Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.*

### Articulus II.

*Chriſtus die tertia reſurrexit.*

Art. 2. docet Chriſtum convenienter reſurrexiſſe tertia die: quia per eam moram ſufficienter oſtenditur fuiſſe revera mortuus; & per hoc quod citò reſurrexit, ejus dignitas, imò & divinitas arguitur.

Huc pertinet figura Jonæ Matth. 12. & quod Oſeæ 6. dicitur *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos.* Sic enim intellexerunt Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca



lib.18.de civitate c.28.Bernardus ser 1.de resurrectione, Anselmus in caput 15. prioris ad Corinth. Tertullianus contra Judæos,& alij veteres,conformiter Ecclesiæ quæ in die parasceves id decantat.

Porrò,cum dicitur Christus tertiâ die surrexisse, id intelligendum est de die inchoata; juxta ea quæ diximus art.4.qu.51. & consequenter quod Matei 8.dixit Dominus se *post tres dies resurrecturum*;etiam de diebus inchoatis intelligendum est; sicut illud Luc.2 *post triduum invenerunt puerum*, scilicet Jesum.id est, post tres dies inchoatos, sive die tertia Et istud, *postquam consummati sunt dies octo*, id est,cùm dies octavus jam advenisset.Unde discipuli verba jam dicta Marc. 8. sic de resurrectione Christi intellexerunt Luc.24. dicentes; *Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie*; scilicet quâ implendum erat quod promiserat.

*Christus resurrexit in aurora.*

Circa Responsionem ad 3. est observandum, communiorem & veriorem esse sententiam dicentium Christum surrexisse in aurora,paulò post initium primæ lucis diei dominicæ, prout Author hîc,& dicto art.4.quæst. 5.alijque scholastici in 3. dist.22. docet. Hunc enim esse sensum Ecclesiæ indicat hymnus resurrectionis; *Aurora lucis rutilat* &c. *Cùm rex ille fortissimus,victor surgit de funere.* Eadem est sententia Augustini ad titulum Psal. 21.enarrat.2.in Psal.26.lib.4.de Trinitate cap.6. Hilarij can.33.in Matthæum, Prudentij in hymno ad galli cantum : estque conformis scripturæ Marci ult. *Surgens autem manè primâ sabbathi.*

Nec obstat quod in benedictione, cerei paschalis cantatur; *O verè beata nox,quæ sola meruit scire tempus & horam, quâ Christus ab inferis resurrexit.* Ibi enim non negatur aliquo modo sciri posse horam resurrectionis ( nisi fortè quis intelligendum putet de ipsius puncto ) sed significatur nox illa inter omnes aliàs esse sola in quâ contigit Dominum surrexisse.

*Christus resurrexit die prima septimanæ.*

Quod verò ad diem resurrectionis Domini attinet;cùm ex superioribus constet eum esse mortuum sexta die septimanæ, resurrexisse autem tertiâ deinde sequente ; consequens est quod resurrexerit primâ die hebdomadæ. *Una* (id est primâ) *sabbathi*,ait Lucas;quod exprimens Marcus dixit, *Surgens manè primâ sabbathi*,Hinc Aug.ser.15.de verbis Apostoli, Dominum primo die resuscitatum asserens, *Qui*,inquit,*vocatur dominicus,ipse videtur propriè ad Dominum pertinere ; quia eo die Dominus resurrexit.*Et ep.119.*Dies dominicus non Iudæis,sed Christianis, resurrectione Domini declaratus est ; & ex illo habere cepit festivitatem suam* Idem sentiunt Ignatius epistolâ ad Trallianos, Bernard. serm.1. de resurrectione, Hilarius in Matthæum, Cyrillus catechesi 14. alijque communiter.

*Ob.*

Difficultas superest ex Matth. 28. ubi dicitur *Vespere autē sabbathi quæ lucescit in prima sabbathi:* siquidem vespera tenebrescere potiùs solet quàm lucescere. *Resp.* quod Matthæus *vesperam sabbathi* vocat noctem quæ proximè sequitur sabbathum: quamvis enim vespera illa non pertineret ad sabbathum,quatenus erat dies festus: sæpe tamen vespera accipit nomen diei præcedentis, cum sit ejus pars, ex qua simul cum die solari præcedente resultat dies naturalis. Cùm autem nox lucescere dicatur, quando tenebræ incipiunt expelli; *Hæc vespera* seu nox sabbathum sequens,*lucescit in prima sabbathi*,quia extremum illius incipit illuminari luce diei sequentis, dum eâ paulatim inchoante minuuntur tenebræ noctis. Ita post Augustinum lib. 3. de consensu Evangelistarum c. 24. Thomas, Lyranus,Zegerus,Hesselius, Titelmannus in Matthæum.Et ante hos Greg.Nyssenus orat. 1. de resurrectione dicit quod ille *Vesper erat initium noctis, quam excipit dies una sabbathorum* ; quodque Christus resurrexerit quum jam vesper multum esset progressus.

Alij paulò aliter explicant secundùm lectionem Græcam notatam ab Hieron.epistola 150.& Ambrosio super Lucam: *Sero sabbathi*,id est,post sabbathum , *illucescente*, id est, cum illucesceret, tempus scilicet, aut dies.

Est autem observandum , mulieres pervenisse ad monumentum *orto jam sole* , ut est apud Marcum , quando scilicet jam incipiebat illuminare terram;etiamsi nondum ipse conspiceretur;quamvis domo egressæ essent *valde diluculo* , apud Lucam;*cùm adhuc tenebræ essent*,apud Joannem. Vide Augustinum ubi supra.

### Articulus III.

*Christus resurrexit primus.*

Art. 3. docet Christum ptimò omnium resurrexisse, resurrectione perfectâ,quæ scilicet est ad vitam immortalem ; quia dona gloriæ priùs communicari debuerunt Christo quàm alijs. Hinc 1. ad Cor. 15. *Christus resurrexit primitiæ dormientium.* Ad Coloss. 1. *qui est principium,primogenitus ex mortuis.*Apoc.1.*primogenitus mortuorum,*Actor.26.*Si passibilis Christus,si primus ex resurrectione mortuorum.*

*Quæst.*

Circa Responsionem ad 2. difficultas est , an sancti qui cum Christo resurrexerunt, iterum sint mortui.Author hîc,Augustinum secutus affirmat.

*Resp.*

Pars tamen negativa , quam ipse docuit in 4. d.43. art.3. quamque refert in catenâ , ex verbis Remigij, probabilior est.

Primò , quia scriptura non narrat eos convixisse alijs hominibus instar mortalium; sed *apparuisse multis* , quod est corporum glotiosorum proprium.

Secundò , quia surrexerunt in testimonium resurrectionis Christi; quæ fuit ad vitam immortalem.

Tertiò , quia connaturale est animæ beatæ uniri corpori immortali.

Quartò , quia nullum alioquin esset eis collatum beneficium, sed potiùs pœna.

Denique idem indicatur ab Origine in c. 1. ad Rom. & apertè asseritur ab Ambrosio super Lucam, & enarrat. in Psal. 1. Epiphanio in fin. hæresis 75. Eusebio lib.4. demonstratio. Evang. c.12.Anselmo in Matth.& communiter à recentioribus.

Ad narrationem verò Matthæi, dicendum est anticipationem esse in hoc miraculo ; quod una cum cæteris recensuit etiamsi cum illis non acciderit. Domino enim moriente, aperta quidem fuerunt monumenta per terræ motum; sed corpora in illis existentia, demum surrexerunt, vel Domino resurgente, vel statim post.

Unde dicitur, *& exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus*; nec enim verisimile est quòd toto illo triduo corpora viventia manserint in sepulchris , & quidem apertis: Dicendum igitur quod Matthæus meminerit resurrectionis illorum , per prolepsim , occasione sermonis de monumentorum apertione, quæ in Christi morte contigit;sicut supra occasione eorum quæ narrat de pœnitudine



tudine Judæ & relatis argentis , subjungit quòd emerunt ex illis agrum figuli ; licet id non statim factum fuerit.

His consentiens B Thom. ita scribit lect. 3. in c.15.Prioris ad Cor Matt.27. dicitur, *quod multa corpora sanctorum surrexerunt. Cum ergo hoc legatur ante Christi resurrectionem, & constet quòd non surrexerunt ad vitam mortalem, videtur quod adhuc restet quæstio prima,* ( quo modo Christus resurrexit primitiæ dormientium? ) Resp.*dicendum,quod hoc quod Matt dicit de resurrectione illorū,dicit per anticipationem, quia licet dicatur in tractatu de passione, non tunc surrexerunt sed postquā Christus resurrexit.*

Ex his patet , Christum resurrexisse primum negativâ superlativi expositione ; quia ante eum nullus ; non constat autem , an etiam affirmativâ Primus resurrexerit, id est, an tempore omnes in resurgendo antecesserit.

*Vide suppl. q. 69. art.2. & q.73. art. 1. q. 3.*

Superioribus non obstat, vel quod de corruptione corporis Davidis significatur Actor. 2. vel quod de sanctis antiquis dicitur , quòd non sine nobis consummarentur, ad Hebr. 11. Monumentum enim quod jam diu continuerat corpus Davidis ; erat sufficiens argumentum corruptionis illius,etiamsi fortè quum B.Petrus illa diceret,non tunc illud contineret. Ut taceam nihil necesse esse dicere quod David fuerit inter illos resurgentes ; quia privilegia sunt beneplaciti Dei.

Alter verò locus intelligi potest , communiter, & salvo privilegio, Quamquam fortasse non sit sermo de consummatione gloriæ per resurrectionem (c. enim 12.*justi* vocantur *perfecti* , seu *consummati*) sed de gloriâ animæ, quam patres antiqui non acceperunt sine nobis , id est , non ante statum novæ legis,Deo nobis meliorem quendam statum novi testamenti providente , ante quem nemo beatificari poterat.

### Articulus IV.

*Christus fuit suæ resurrectionis causa.*

Art. 4. docet Christum fuisse causam suæ resurrectionis:efficientem quidem principalem, quatenus erat Deus ; instrumentalem verò , in quantum & corpus & anima erant instrumentum Verbi uniti ; meritoriam denique in quantum ante mortem eam promeruit.

## Quæstio LIV.

## *De qualitate Christi resurgentis.*

### Articulus I.

*Christus verum habuit corpus post resur.*

Art. 1. docet Christum post resurrectionem habuisse verum corpus , illud ipsum scilicet quod ante mortem habebat , ejusdemque magnitudinis & mensuræ,quem admodum tradit Augustinus libr. 22. de civitate cap. 15.

*Surrexit clauso sepulchro.*

In Resp. ad 1. est observandum Christum, etiamsi verum corpus habuerit , resurrexisse tamen clauso sepulchro , & intrasse ad discipulos januis clausis.

Ad prius quod attinet,terræ motus, in quo revolutus est lapis à monumento, narratur esse factus descendente Angelo, & propter ejus descensum;qui alioquin debuisset esse factus propter resurrectionem Christi,si is non resurrexisset ante sepulchrum apertum & lapidem revolutum.Revolutio autem lapidis facta est propter mulieres,quemadmodum ex Marco colligitur, ut illæ possent ingredi , & videre sepulchrum vacuum. Huc facit quod determinatum tempus resurrectionis Christi sit ignotum; quod non esset,si ut sectarij volunt) lapis esset ad hoc revolutus tertæ motu , ut Dominus resurgeret. Unde Hieronymus epistola 150.q.6. *Angelum*(inquit)*non putemus idcirco venisse, ut aperiret sepulchrum Domino resurgenti,& revolverit lapidem;sed postquam Dominus resurrexit hora qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium est cognita, indicasse quod factum est.*

Ad significandum illud posterius , de januis clausis,Evangelista studiosè notavit quòd *fores essent clausæ, & eis clausis venerit Iesus,steteritque in medio discipulorum,* Joan. 20. Videri potest Hilar. l. 3. de Trin. Ad explicandum autem modum egressionis ejus è sepulchro , vel ingressionis ad discipulos ; supponit B. Thomas penetrationem corporum esse possibilem : eam tamen non convenire corpori glorioso , ratione dotis alicujus inhærentis , sed per virtutem Dei miraculosè operantis. Vide q.83. suppl.art.2.3. & 4.

*Quomodo Christus evanuit ex oculis discipulorū.*

In Responsione ad 2. explicatur quomodo Christus evanuit ex oculis discipulorum, Luc.ult. scilicet non tantum virtute divinitatis , sed etiam ratione status gloriæ ; qua fit quod corpus sit spirituale,id est spiritui plenè subjectum, ut proinde spiritus in suâ potestate habeat omnem efficientiam & actionem sui corporis. Unde sequitur quod beatus habet facultatem pro sua voluntate retinendi species sensibiles quas suum corpus de se natum est fundere , ne in oculis præsentium producatur illius visio.

Christus ergo evanuit,aut voluntate sua faciens ut non videretur, etiamsi præsens esset ; aut per dotem agilitatis , subitò se in alium locum transferens.

De Responsione ad 3. dicetur art. 4. quæstionis sequentis.

### Articulus II.

*Corpus Christi resurrexit integrum.*

Art. 2. docet corpus Christi resurrexisse integrum; id est, cum ijs omnibus quæ ad integritatem corporis pertinent , qualia sunt ossa, caro,& sanguis: quia fuit ejusdem naturæ, etsi alterius gloriæ. Difficultas autem est.

### *An Christus resumpserit totum sanguinem quem pro nobis fudit?*

Videtur quod non:Primò;quia sanguis est alimentum deserviens nutritioni animalis : sed corpus glorioſum alimento non indiget ; ergo nec sanguine,aut certè non tanto, quanto eget corpus mortale.

Secundò, Non videtur dubium , quin aliquæ sanguinis guttæ adhæserint spinis,clavis, imaginis sudario Veronicæ impressæ.

Tertiò, Christus nutriebatur tempore passionis: ergo habebat sanguinem nutrimentalem , ad integritatem corporis non pertinentem ; quem proinde non resumpsit.

Quartò , In passione habuit sufficientem sanguinem : ergo ille quem fudit in circumcisione , vel post mortem ex latere , non fuit necessarius.

Resp. fide certum esse , Christum in resurrectione resumpsisse sanguinem ; probabile verò,

Universidad de Deusto
Biblioteca



quod totum quem in Passione fudit; imò & quem A aliàs; si addatur moderatio de quâ in Responsione ad 2.

PRIOR pars probatur, tum quia sanguis est de integritate humanæ naturæ; tum quia in Eucharistia *sanguis est sub specie panis vi naturalis connexionis quâ partes Christi Domini inter se copulantur*, ut dicit Conc. Trid. sess. 13. c. 3.

POSTERIOR verò confirmatur.

PRIMÒ, Sanguis à Christo effusus sanctificavit genus humanum, ut habetur cap. 9. & ult. ad Hebræos: atqui non habuit vim sanctificandi, nisi ex virtute Verbi sibi uniti: ergo mansit unitus, ac proinde fuit resumptus.

SECUNDÒ, Christus in cœna consecravit totum B sanguinem qui tunc erat in ejus corpore: ergo & nos eundem consecramus, atque adeò oportuit quod in Passione fuerit effusus, per resurrectionem sit resumptus.

TERTIÒ, Christus passus est in ætate perfectâ, in quâ maximè habentur ea quæ pertinent ad veritatem & integritatem humanæ naturæ: ergo debuit resumere quod tunc effudit.

QUARTÒ, Athanasius seu quisque est Author in sermone de Passione Imaginis Christi, qui etiam refertur in Synodo 7. Act 4. docens id quod B. Tho. hîc ad 3, tradit, scil. sanguinem illum qui in quibusdâ Ecclesijs asservatur, non fluxisse de Christo, sed de ipsius imagine percussa: *Nec esse aliter*, inquit, C *æstimandum est à verè Catholicis prater id quod scribitur à nobis, quasi ex carne & sanguine Christi, aliquid postà in mundo inveniri, nisi illud quod in arâ altaris per manus Sacerdotũ quotidie spiritualiter efficitur.*

AD 1. ARG. RESP. sanguinem non solum deservire nutritione, sed etiam temperare corpus, illudque conservare in debitâ dispositione; ac proinde simpliciter esse necessarium, ut corpus informari possit ab animâ humanâ.

AD 2. de unâ vel alterâ guttâ non videtur incommodum, si concedatur esse relicta, quamquam id quod apparet in spinis aut similibus, fortasse non est sanguis, sed color ex sanguine relictus in parvis partibus materiæ. D

AD 3. Negatur consequentia, quia Christus erat tam bonæ temperaturæ, ut dum cibus convertebatur in sanguinem, qui & speciem & formam sanguinis haberet, de quali nos loquimur; simul etiam alia portio sanguinis converteretur in carnem, vel alias partes, respectu quarum sanguis dicitur esse alimentum; & ideò putamus totum illum sanguinem habentem formam sanguinis, qui simul fuit in corpore Christi, pertinuisse ad ejus integritatem.

AD 4. sanguis sive in circumcisione, sive post mortem ex latere effusus, potuit, resumi, ut esset loco eorum excrementorum & fæcum, quæ cum sint in corpore passibili, non erunt tamen in cor- E
*Suppl. q. 80. art. 1. ad 2.* pore glorioso. Unde S. Thom. in 4. dist. 44. qu. 1. art. 2. quæst. 1. ad 2. *Intestina* (inquit) *resurgent in corpore, sicut & alia membra, & plena erunt non quidem turpibus superfluitatibus; sed nobilibus humiditatibus.* Non apparet autem quæ humiditates commodiùs agnoscantur, quam purissimus sanguis cum alijs tribus humoribus; quos in corpore Christi resurgentis, ablata corruptione, fuisse, pariter est opinandum.

Ex his patet non improbabiliter dici; Christum in resurrectione plus sanguinis resumpsisse, quàm fuerit aliquando simul in ejus corpore mortali



Quod tamen, quia non certò constat, cum Pius 2. à Sylvestro relatus in Rosa aurea qu. 31. dicat fidei non repugnare, dicere aliquid sanguinis Christi remansisse in terris: ideo advertendum est sanguinem qui reassumptus est, semper mansisse unitum Verbo, juxta ea quæ diximus qu. 5. art. 2. & quæ dicuntur Act. 16. Synodi 6. si quis autem reassumptus non est, desijt esse unitus, idque statim in instanti post effusionem. Cur autem non obstet illud, Quod Deus assumpsit, nunquam dimisit; explicatum est dicto articulo 2. quæst. 5.

Baron. to. 9 ad an. Do. 804. scribit in sanguine Christi in Mantuana civitate reperto, quod re multum examinata, inventus est & approbatus ille fuisse, qui ex Christi corpore fluxit, tempore passionis ejus; non autem ille qui Beryti ex sacra Christi imagine fluxerat. De qua veritate extare dicuntur sacra diplomata Romanorum Pontif. ut de his non sit amplius dubitandum. Ita Baron. Verum ibidem subdit, quod ea diplomata ipse non vidit. Cum igitur fuerit diligentissimus antiquitatum scrutator, & Romæ habitaverit per multis annis in magna admodum authoritate: quis alius ea diplomata Romano Pontif. vidit, ut certam nobis fidem facere possit? Equidem non facile assentior emanasse talia diplomata quæ nec à veteribus SS. Thoma & Bonaventura, nec à recentioribus lecta inveniuntur.

Scribit etiam Sylvester, in Rosa aurea feria 5. Paschæ, quod cùm visitaret antrum in quo Sancta Maria Magdalena pœnituit, anno Dom. 1497. viderit ampullam vitream plenam terra habente colorem medium inter rubeum ac nigrum, quam in parasceve B. Magdalena sub cruce collegit, quæ, ut omnes ei sine hæsitatione affirmabant, singulis annis in die parasceves, perfecta passione, evidenter & clarè ebullit, ac si ibi videatur sanguis ebullire.

Verum non sequitur hinc ibi esse sanguinem, aliter quàm per guttulas aliquas isti adhærescentes. Nam ebullitio illa planè est miraculosa, & ex narratione liquet non esse humorem liquidum, imò nec concretum in ampulla; sed solam terram habentem colorem medium inter rubrum & nigrum. Alia difficultas.

### *An in corpore Christi sit præputium?*

VIDETUR quod non; quia Innocentius 3. lib. 4. de mysterijs missæ cap. 4. dicit illud ab Angelo delatum Carolo magno, qui ipsum posuit Aquisgrani; postea verò Romam translatum in Basilicam Lateranensem, per Carolum Calvum; ac deinde quæstionem insolutam relinquit, velut etiam Bonaventura in 4. dist. 12. ad expositionem textus, & Sylvester dicta qu. 31.

In contrarium tamen est, quod præputium videatur aliquo modo pertinere ad integritatem humanæ naturæ; quo proinde Adam, & alij sancti incircumcisi, non carebant.

QUAPROPTER ex doctrina B. Thomæ in Supplemento qu. 80. art. 5. & lib. 3. contra Gentes c. 81. sciendum est non esse necessarium ad unitatem corporis, ideoque nec ad veritatem resurrectionis, ut omnes partes materiales corporis, ex eisdem partibus materiæ constent ex quibus antea constabant; sed satis esse quod totum constet ex eadem materia tota, & ad majorem perfectionem sufficit, ut partes principales & organicæ sint omnino eædem, & ex eadem materia. Quod verò aliqua



qua pars materiæ subinde suppleatur ex aliâ ma- A terià, nihil officit veritati aut perfectioni resurrectionis; præsertim si hæc fuerit aliquando pars materialis ejusdem corporis.

*Christi redivivi corpus habet præputium.*

Sic igitur dici potest, corpus Christi resurgens habere præputium formatum ex aliquâ parte materiali, quæ aliquando fuerat in suo corpore, sed per continuam actionem caloris resoluta: particulam verò quæ in circumcisione fuerat abscissa, relictam esse in terris, ob fidelium devotionem.

### ARTICULUS III.

*Corpus Christi resurrexit glorioſum.*

ART. 3. docet corpus Christi resurrexisse gloriosum & incorruptibile: quia ad Phi- B lip. 3. dicitur quod *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Addit deinde tres rationes quæ in textu claræ sunt.

Circa responsionem ad 2. observa, corpora gloriosa, si præcisè spectentur secundùm naturam humani corporis, & quatenus ex elementis elementaribusque qualitatibus constant, esse corruptibilia: simpliciter tamen, propter supernaturalem dotem impassibilitatis, esse incorruptibilia.

Unde patet nihil obstare quominus corpus gloriosum Christi concedatur esse palpabile: quandoquidem compositum erat ex elementis, elementaribusque qualitatibus. Quia verò palpare est tactu percipere: ideò palpabile non dicitur ali- C quid propriè, nisi sit tactu perceptibile: ac proinde non est satis quòd resistat, sed necessarium est quod etiam constet qualitatibus tangibilibus.

Hinc cœlum etsi resistat, non est tamen palpabile, quia non habet qualitates tangibiles. Densitas enim ipsius non est qualitas orta ex primis, sed ex majori partium compactione: quò fit ut sit alterius rationis. Pars enim densior in cœlo est capax majoris luminis, non item in corporibus sublunaribus.

*Christus post resurr. verò comedit.*

Circa Responsionem ad 3. adverte comestionem, quam Christus fecit cum discipulis post resurrectionem fuisse veram, quia per instrumenta naturalia corporis animati.

Nec obstat quod cibus non fuerit conversus in D substantiam corporis ejus, sed virtute Christi resolutus in præjacentem materiam, ut docet Author quodl. 3. art. 5. quia, ut ibidem dicit, aliud est comestio, aliud nutritio; hæc enim priorem consequitur, & quidem non necessariò. Unde etiam in nobis, si cibus non convertatur, sed statim (exempli causa) evomatur, fuit tamen vera comestio. Ex his patet discrimen inter comestionem Christi, & eam quâ Angeli in assumptis corporibus dicuntur manducasse. Vide q. 55. art. 6. ad 1.

Petes, quò evasit cibus ingestus? Estius ad c. 22. Lucæ respondet quòd virtute caloris naturalis fuerit consumptus & in vapores ac aërem conversus. E

### ARTICULUS IV.

*Christus resurrexit cum cicatricibus.*

ART. 4. egregijs rationibus probat Christum resurrexisse cum cicatricibus manuum, pedum, & lateris; easque in perpetuum servaturum. Quod non esse intelligendum de solis vulnerum signis & vestigijs, sed de patentibus & apertis foraminibus, in responsione ad 2. significat, ubi docet illam aperturam vulnerum non obstare integritati corporis.

Idem apertè probat illud quod Christus dicebat Thomæ: *Infer digitum tuum huc: & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*; Joan. 20.

Eodemque pertinere censet Cyrillus l. 12. in Ioan. cap. 58. illud Zach. 13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?*

Hinc S. Ignatius in epistola ad Smyrnenses, supponit Christum in judicio ostensurum fixuram clavorum & lanceæ foramen: similiterque S. Leo epist. 97. c. 7. *Quid mirum si crucem portans adveniet, quando & vulnera corporis ipsa demonstrat.* Author serm. de baptismo Christi apud Cyprianum. *Semper*, inquit, *reservata in corpore plagæ salutis humanæ exigunt pretium.* Et Petrus Chrysologus ser. 78. & 81. *Vulnera enim reportat, & ipsa clavorum foramina resumit.*

Nec obstat, Augustinum dicere epistol. 49. Christum cicatrices, non vulnera demonstrasse: negat enim ostendisse vulnera, qualia præcesserant, & qualia communiter intelligimus, scilicet aperturas in corpore dolorem adferentes. Unde libr. 2. de symbolo cap. 8. dicit eum inimicis suis vulnera sua in judicio demonstraturum, & dicturum; *Videtis vulnera quæ inflixistis.* Et Ambr. l. 10. in Luc. c. ult. *Vulnera suscepta pro nobis, cœlo inferre maluit, abolere noluit; ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet.*

In resp. ad 2. dicit B. Thomam Apostolum tetigisse vulnera Christi. Ac proinde non est existimandum quod à Christo ad hoc invitatus abstinuerit præ reverentia; sed omnino dicendum quod palpaverit & tetigerit; sicut etiam tradunt Cyrill. Alex. dicto cap. 58. Aug. l. 4. de Trinit. c. 3. & in Psal. 56. Ambr. in cap. ult. Lucæ, Greg. hom. 26. in evangelia: Imò & Ecclesia quæ ex persona Thomæ dicit; *Misi digitum meum in fixuram clavorum & manum meam in latus ejus*, feria 5. post octavum paschæ; ad Magnificat.

An & cæteri Apostoli palpaverint, quibus Lucæ 24. dictum est: palpate & videte; non constat. Pars tamen affirmans traditur ab Augustin, & videtur esse verior, si conferatur initium 1. epistol. Ioan.

## QUÆSTIO LV.

### *De manifestatione resurrectionis.*

### ARTICULUS I.

*Non omnibus promiscuè Christus debebat suam Recognoscuntur nisi ex speciali munere gratiæ, cum fuit omnino supernaturalis & omnem humanam cognitionem excedat; talia autem non promiscuè omnibus revelari solent sed aliquibus, per quos deinde alijs manifestentur.*

ART. 1. docet non fuisse conveniens Christum per se manifestare omni populo suam resurrectionem, palam & promiscuè se illis exhibendo: quia Christi resurrectio est de numero eorum quæ non resurr. manifestare.

In Responsione ad 3. docet Christum à mortuis resurgentem primò apparuisse mulieribus: sed cui ex illis, non exprimit.

Videtur quod primò apparuerit matri; tum quia decet filium honorare matrem præ cæteris: tum, quia Ambrosius lib. 3. de virginibus ait, *Vidit Maria resurrectionem, & prima vidit, & credidit.*

Similiterque Anselmus libr. de excellentiâ virginis cap. 6. & Sedulius libr. 4. carminum operis paschalis.

RESP.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Primum est opinari Christum redivivũ primò apparuisse suæ matri.*

Resp. piam quidem ac probabilem esse hanc sententiam, affirmantẽ Christum à mortuis resurgentem primò dilectissimæ matri suæ apparuisse; tum quod eam teneant, Rupertus, S. Bonaventura, B. Albertus Magnus, & pleriq; recentiores, tum quod affectus pietatis in matrem ita suadere videri possit. A

*Non est tamen impium sentire oppositum.*

Ea tamen quæ negat, dicitque quod primò omnium apparuerit Mariæ Magdalenæ, non videtur, (ut fit à quibusdam) rejicienda tanquam improbabilis, neque ut impia; cum B. Marcus c. 16. dicat, *Surgens mane prima Sabbathi apparuit primò Mariæ Magdalenæ:* quibus verbis quid clarius dici possit ad significandum primam apparitionem factam fuisse Mariæ Magdalenæ?

Non ignoramus istud, *primò*, ita quosdam interpretari, ut non significet prioritatem absolutam, sed vel inter testes aut inter nuntios resurrectionis, vel inter discipulos, vel inter dubitantes egentesque corroboratione, vel inter apparitiones ab Evangelistis relatas. Et omnino necesse est aliquo simili modo interpretari, si prior sententia vera est: Sed cum Evangelista tam clarè dicat, *apparuit primò*, non immeritò dubitaveris, an ejusmodi interpretationes sunt ex illius mente. B

Unde Sancti Patres, Aug. in Psal. 68. & l. 3. de consensu Evangelistarum cap. 24. & 25. Cyrill. l. 12. in Io. c. 51. Beda l. 4. in Marc. Author commentarij in Marc. apud S. Hieron. conformiter sacro Evangelio dicunt Christum primò visum Mariæ Magdalenæ; sive quia plus cæteris discipulis ardebat; sive ut per eundem sexum duceretur vir ad salutem per quem deductus fuerat in peccatum; sive ut Christus ostenderet se totum Incarnationis mysterium peregisse ad hoc ut peccatores salvos faceret: Ideoque addit isto loco Marcus, *de qua ejecerat septem dæmonia*, per quæ universitas vitiorum mysticè significatur. Accedunt his antiqua Ecclesiæ officia. C

In veteri breviario majoris Ecclesiæ Traject. ita post 6. lectionem habetur, *O Beata Maria Magdalena quæ dominum post Resurrectionem videre meruisti prima, intercede pro omnibus tua festa colentibus:* Et in collecta ad nonam, *Quæ eundem filium tuum Dominum nostrum prima omnium videre meruit resurgentem.* D

In antiq. Breviario Leod. Antiphona 5. ad Vesp.

*Post quam Christus resurrexit.*
*Mortuum pro populis,*
*Nulli prius se erexit*
*Signis vel miraculis,*
*Quam cernendum se direxit*
*Peccatricis oculis.* Et ad Magnificat: *Hæc est illa Maria cui dimissa sunt peccata multa, quia dilexit multum. Hæc est illa Maria quæ resurgentem à mortuis prima omnium videre meruit Dominum nostrum Iesum Christum.*

In ejusdem Ecclesiæ Leod. veteri Missali, sequentia sic habet: *O Beati oculi quibus Regem sæculi morte jam depositi prima est intuita.* Quæ verba, ut & tota sequentia, habet similiter Missale Morin. in eodem d. Magdalenæ festo. E

In veteri quoque nostræ S. Amati Ecclesiæ officio proprio Antiphona una ad Matut. S. Mariæ Magdalenæ sic habet, *Celsi meriti Maria quæ solem verum resurgentem videre meruisti mortalũ prima.*

Sed & Hymnus de S. Maria Magdalena qui incipit, *Lauda mater ecclesia*, continet quod *surgentem cum victoria Iesum vidit ab inferis: Prima meretur gaudia, quæ plus ardebat cæteris scilicet discipulis.*

Prosa etiam antiqua incipiens, *Laus tibi Christe*, de eadem Magdalena dicit Christo ex mortuis resurgenti: *te das cunctis videre priorem.* In hanc quoque sententiam scribit Estius post Hesselium & Cornel. Jansen. c. 145. concordiæ Evangelicæ, post allatam priorem sententiam ita subjungit: *Quamquam etiam videri posit Dominus ideo non apparuisse subitò matri, quod illam in fide Resurrectionis sciret non vacillare.* His addi potest antiquior Petrus Blesensis epist 50. *Christus exurgens à mortuis non suæ matri Virgini benedictæ sed Mariæ peccatrici de qua septem ejecerat dæmonia, prius dignatus est apparere, ut puto.* Quæ verba (*ut puto*) Busæus cum MSS. codices sex & unum formulis olim excusum, examinavisset; ex uno solo addidit.

Confirmari potest hæc sententia; quia nulla sufficiens ratio assignari potest, cur contra scripturam dicamus Christum primò apparuisse matri. Non ad testificandum; matris enim pro filio testimonium non magni æstimaretur: Non ad eam in fide confirmandã, quia firmissima erat, nec ullo modo vacillabat: Non ad eam honorandam: sicut enim non prima inter homines vidit Dei essentiam, ita nec est necesse quod prima viderit redivivum Christum: præsertim cum sufficienter honorata sit & consolata per interiorem Spiritũs Sancti gratiam & per hoc quod declarata est ejus fides non indigere confirmatione externâ.

Deinde, si honoris causa hîc foret attendenda, sequeretur esse dicendum quòd B. Virgo cœnæ ultimæ interfuerit, ibique primò post Christum loco accubuerit, ac prima omnium corpus & sanguinem Domini sumpserit: quæ tamen nullus dicit. Sequeretur item quod Christus non debuisset apparere primò Mariæ Magdalenæ, deinde mulieribus; sed vel Petro qui totius Ecclesiæ caput erat postmodum constituendus, & generalis Christi vicarius, vel ipsi Apostolorum collegio.

Dici ergo potest apparitiones Christi redivivi ad hoc esse factas, primò quidem ut qui consolatione & confortatione fidei indigebant, consolarentur & confortarentur: Deinde, ut illi qui viderant, essent testes resurrectionis, Act. 1. v. 22. c. 2. v. 32. c. 3. v. 15. c. 10. v. 41. c. 13. v. 31.

Ex his patet Responsio ad 1. objectionẽ, quia filius non debuit isto modo honorare suam matrem.

Ad 2. Resp. Ambrosium (sicut ex lib. 10. in Lucam colligitur) non agere ibi de Maria matre Domini, sed de alterâ Mariâ Magdalenâ, quæ & ad sepulchrum ivit, & Angelos vidit, & Dominum resurrexisse nuntiavit, eumque tangere permissa est. Hanc enim distinguit ab illâ cui dicitur. *Noli me tangere*, & sic duas Magdalenas ponit quamvis communior sententia unicam agnoscat.

*Liber de excellentia Virginis, non est Anselmi*, ait Bellarminus lib. de scriptoribus ecclesiasticis, in Anselmo.

Sedulius ea dicit, quæ nec excellentiæ Beatæ Virginis conveniunt, nec satis consistunt cum fide quam ipsa habebat de resurrectione filij, Sic enim loquitur.

*Hoc luminis ortu*
*Virgo parens, aliaque simul cum munere, matres,*
*Mestis aromatica; notum venere gementes*
*Ad tumulum.*

Hæc tamen omnia sic in præsenti attulimus ut ostendamus, neque novam neque impiam aut improbabilem esse sententiam quæ dicit Christum non apparuisse primò matri suæ, sed Mariæ Magdalenæ.



dalenæ. Qui tamen sentiunt primò apparuisse matri, etiam loquuntur probabiliter, si istud, *apparuit primò*, apud Marc. sic interpretentur, prius quam Apostolis reliquisque discipulis, aut alio simili modo. A

## Articulus II.

*Christus non fuit visus resurgere.*

Art. 2. declarat non fuisse conveniens, ut discipuli viderent Christum resurgentem; quia ordo divinitus institutus habet ut ea quæ supra naturam sunt, denuntienter hominibus per Angelos. Observandum tamen quod iste ordo communiter quidem servatur, non tamen universim; Negari enim non potest quin Apostoli quædam mysteria fidei, eaque nec pauca nec parva immediatè vel à Christo ipsis loquente, vel à Spiritu Sancto inspirante acceperint: ut divinitatem Christi, Trium divinarum personarum æqualitatem ac in essentia unitatem, Incarnationem, baptismi necessitatem, aliorumque sacramentorum ritum. B

Quæri posset, Num custodes sepulchri Christum viderint resurgentem. Sed cum primò apparuerit Mariæ Magdalenæ; cumque custodes exterriti demum sint Angelo descendente, terram concutiente, & lapidem revolvente, ad ostendendum mulieribus sepulchrum vacuum; denique, cum in potestate corporis glorioso sit exhibere se videndum cui voluerit: non videtur dubitandum de parte negativa. Et consentit S. Aug. tract. 76. in Joannem. C

Responsioni ad 2. addi potest, contrario modo se habuisse Resurrectionem & Ascensionem: Per Resurrectionem Christus reddebatur visibilis, & videndus erat ab Apostolis; quod satis erat, ut possent esse testes resurrectionis: per Ascensionem verò, subtrahebatur ab oculis Apostolorum, qui propterea non potuissent testificari, nisi vidissent eum ascendentem.

## Articulus III.

*Non decuit Christum redivivum continuò conversari cum discipulis.*

Art. 3. probat non fuisse conveniens Christum post resurrectionem continuè conversari cum discipulis, ne videretur eis resurrexisse ad vitam, qualem ante egerat cum illis. Ubi autem fuerit tempore illo quo non legitur in Evangelijs apparuisse; rectè in Resp. ad 2. affirmat esse incognitum. Non improbabile est interdum fuisse apud B. Virginem; ut tradit Ludolphus Chartus. p. 2. c. 81. aliàs apud sanctos patres quos in die mortis suæ visitaverat & beatitudine donaverat, secundùm ea quæ S. Bonaventura scribit in vita Christ. c. 79. & 81. 92. Aliquando etiam apparebat Jacobo, aliàs quingentis fratribus simul 1. ad Corinth. 15. aliàs erat cum suis Apostolis, eos instruens de negotijs ad Ecclesiam pertinentibus. Nam per dies quadraginta apparuit Apostolis loquens de regno Dei, Act. 1. D E

*De numero apparitionum Christi.*

In Responsione ad 3. advertè decem Christi apparitiones ab Evangelistis narrari; ut etiam observavit Augustinus in fine libr. 3. de consensu Evangelistarum: quinque in die resurrectionis, & quinque postea.

Prima facta est Mariæ Magdalenæ, Marci ult. & Joan. 20.

Secunda, mulieribus à sepulchro regredientibus, Matth. 28.

Tertia, Petro: Hanc enim priorem esse illâ, quæ discipulis in Emaus euntibus facta est, & fuit quarta; ex eo probabile fit, quod illi redeuntes è castello invenerunt discipulos congregatos dicentes, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*, quasi diceretur; Non est incredibile quod narratis Dominum à vobis visum; jam ante enim Simoni visus est, Lucæ 24.

Quinta, cum Dominus januis clausis intravit ad discipulos, Lucæ 24. & Joannis 20. v. 19.

Sexta, facta est octavo die discipulis, cum quibus erat Thomas Joan. 20. v. 26.

Septima, Joan. 21. ubi vocat eam tertiam, inter eas scilicet quas ipse narrat, vel potius inter factas discipulis discipulorumque multitudini: dicit enim: *Hoc jam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis:* & sic non computat eas quæ factæ sunt Magdalenæ, Petro, & duobus discipulis.

Octava, in monte Galilææ, Matth. 28. ubi facta dicitur undecim discipulis.

Nona, Marci ult. v. 14. recumbentibus in domo, Jerosolymæ.

Decima, ipso die ascensionis, in monte Oliveti, in cujus latere sita est Bethania, Lucæ 24. & Actor. 1.

Nec obstat quod Marcus nonam vocet ultimam; quia duas ultimas, pro una supputavit, eò quod essent conjunctæ.

Præter has certum est varias adhuc fuisse, quæ partim refertur 1. ad Corinth. 15. partim non sunt scripturæ: *per dies* enim *quadraginta apparuit discipulis suis*; Act. 1.

Circa primam apparitionem, observandum est illam esse factam in secundo Magdalenæ adventu ad sepulchrũ. Quamvis enim nonnulli vehementer contendant neque Magdalenam, neque alias mulieres ipsius comites plus quam semel venisse ad sepulchrum; non videtur tamen dubitandum quin bis venerint. Constat siquidem ex Evangelio quod cum semel venissent, neque Domini corpus invenissent, sed Angelos qui dicebant Dominum surrexisse, & mittebant id nuntiare discipulis; regressæ à monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus. Et ne dubitaremus quænam mulieres ista nuntiaverunt, addit Evangelista: *Erat autem Maria Magdalena, & Joanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant quæ dicebant ad Apostolos hæc.* Quibus consentanea dicens Cleophas, ait. *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus, venerunt* (utique à monumento ad discipulos) *dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse qui dicunt eum vivere.* *Mulieres bis fuerunt ad sepulchrũ Domini.*

Similiter B. Joann. primum adventum Magdalenæ (cujus solius tanquam principalis meminit, non excludens tamen propterea alias, quarum cæteri Evangelistæ meminerunt) describens dicit, quod cum vidit lapidem sublatum à monumento; *cucurrit & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem amabat Iesus & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.*

De secundo autem Mariæ Magdalenæ adventu ad monumentum loquitur S. Ioannes postea, cum ait; *Maria stabat ad monumentum foris plorans;* & de ipsius post hunc secundum adventum recessu cum dicit; *Venit Maria Magdalena annuntians discipulis, Quia vidi Dominũ & hæc dixit mihi.* Et similiter Beatus Marcus, *Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus. Et illi audientes quia viveret, & visus esset ab ea, non crediderunt.* *Marci 16. v. 10.*

Ex his

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ex his ergo sic possumus ratiocinari: Maria A Magdalena semel nuntiavit discipulis quòd vidisset Angelos dicentes Christum surrexisse, Lucæ vigesimo quarto, vers. nono & decimo; & quòd tulerunt, Dominum, & nescimus ubi posuerunt eum: Joan. 20. v. 2. Nuntiavit etiam, se vidisse Dominũ Ioan. 20. v. 18. & Marci 16. vers. 10. Similiter, aliæ mulieres cum fuissent ad monumentum & non invenissent corpus Domini, sed Angelos dicentes eum vivere, hoc ipsum nuntiaverunt discipulis, Lucæ 24. v. 23. insuper autem etiam nuntiaverunt quod eum vidissent. Postquam enim tenuerunt pedes ejus & adoraverunt eum; Iesus eis dixit Matth. vigesimo octavo v. 10. *Ite nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Atqui non B potuerunt nuntiare Dominum esse sublatum, à se non inventum, & Angelos quidem dixisse quod vivat, sed se illũ non vidisse, & simul certò referre, vidi Dominũ, Dominus occurrit nobis, & tetigimus pedes ejus. Consequens igitur est, quod bis fuerint ad monumentum, bisq; ab eo recesserint.

*Marci 16. v. 2. Ioan. 20. vul.*

Ut ergo dicamus quod historiæ Evangelicæ videtur nobis conformius; Mulieres Magdalenam comitatæ valde mane, cum scilicet adhuc tenebræ essent, domibus suis egressæ sunt, ut ad sepulchrum Domini venirent; illucque appulerunt solis radijs jam aliquid luminis effundentibus, hoc enim est quod Marc. dicit, *orto jam sole.* In itinere verò, *di-* C

*Marci 16. v. 2. 3. 4. Matth. 28. v. 2. & 3.*

*cebant ad invicem, Quis revolvet nobis lapidẽ ab ostio monumenti?* Et accedentes ac *respicientes viderunt revolutum lapidem*, foris extra monumentum, & *Angelum sedentem*, supra lapidem, qui facie fulgurante terruit custodes extra monumentum existentes, mulieres autem invitavit ad intrandum sepulchrum dicens. *Venite & videte locum ubi po-*

*Matt. 28. v. 16. Marci 6. v. 5.*

*situs erat Dominus. Et ingressa non invenerunt corpus Domini; sed viderunt juvenem sedentem in dextris*; qui vel erat prior ille Angelus, qui eas ad intrandum invitaverat, intraveratque etiam ipse, & illic à

*Luc. 24. v. 4.*

dextris corporis Domini sedebat; vel alius ad hoc à Deo missus. Dum autẽ consternatæ essent, quia corpus Domini non inveniebant, novaeis Angelica visio adfuit: ecce enim duo viri steterunt, & D eis dixerunt eadem fermè quæ primus Angelus dixerat, *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est*

*Ibid. v. 5. & 6. Ioan. 20. v. 2.*

*hic, sed resurrexit* &c. Verumtamen neque Magdalena, neque mulieres aliæ Angelis crediderant, ut patet tum ex eo quod Magdalena dixit, *Tulerunt Dominum meum & nescimus ubi posuerunt eum*; tum ex eo quod mulieres terruerunt discipulos referendo illis quod non inveniissent corpus Domini.

Rediverunt ergo, & Magdalena, & aliæ mulie-

*Luc. 24. v. 22. 23. Ibid. v. 23.*

res à sepulchro ad discipulos, ut eis nuntiarent quæ viderant & audierant; quod scilicet vidissent Angelos, & quod ab eis audivisent Christum surrexisse, non tamen eum inveniissent, sed vidissent sepulchrum vacuum. Quo audito, Petrus & Joan- E

*Marci 16. v. 7. Ioan. 20. v. 2. Ioan. 20. v. 3. 4. & seq.*

nes cucurrerunt ad monumentũ: & viderunt *Linteamina posita, & sudariũ quod fuerat super caput Domini, non cum linteaminibus positũ, sed separatim involutum in unum locum.* Hos autem Apostolos subsecutæ sunt mulieres: Apostolis verò non invento corpore domum redeuntibus (*Abierunt*, ait Ioannes, *discipuli ad semetipsos*, id est, ad locum ubi antea fuerant cum alijs congregati:) Magdalena *stabat ad monumentum foris plorans*: & quidem sola, sive quia cæteræ nondum advenerant, sive potius quia advenerant quidem, sed à monumento jam

*v. 10. v. 10. v. 12. 13.*

erant digressæ. *Dũ ergo fleret, prospexit in monumen-*



*tum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus* Iesu. *Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eũ:* Dum autem ita respondet, audit aliquid post tergum, ideoque se convertit retrorsum, & *vidit* Iesum *stantem*, neque tamen sciebat quod esset Iesus; donec proprio nomine compellata; & audiens, Maria, ipsum agnovit, & voluit tangere. Post hæc accepto Christi mandato cœpit exire ut nuntiaret discipulis quod vidisset Dominum. Et cum progrederetur esset que vel cæteras mulieres ipsam præeuntes assecuta, vel adhuc ab eis ante ipsam gradientibus distans; *Ecce* Iesus *Mulieribus occurrit dicens. Avete. Illa autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eũ.* Accepto deinde mandato ut nuntiarent fratribus, viam suam perrexerunt, & cum Magdalena venerunt ad discipulos, nuntiaveruntq; illis quod vidissent Dominum. Illi autem audientes, quia viveret & quia visus esset à Magdalena, non credidetunt Marci 16. v. 11.

*v. 14. v. 16. v. 17. & Matt. 16. v. 10. Matt. 28. v. 9. v. 10 Ioan. 20. v. 18. Matt. 28. v. 10. & 11.*

Circa secundam apparitionem quæritur, quomodo mulieres permissæ sint tenere pedes Christi, qui prius Magdalenæ dixerat, *Noli me tangere!* Resp. sensum literalem esse, Vade citò ferre nuntium resurrectionis ad Apostolos, ne morẽris hîc in me tangendo, satis adhuc temporis tibi erit; nondum enim ascendi ad Patrem, id est non decrevi citò ascendere. Mulieribus autem (inter quas Magdalenam fuisse probabile est) tactum sui permisit, sed non sunt in eo moratæ, sicut Magdalena sola volebat priùs immorari osculando, amplexando, rigando, secundùm quod amore flagrabat, & secundum quòd antea consueverat familiariter tangere & amplecti.

Circa quartam, est observandum duobus discipulis visionem suam narrantibus quosdam credidisse, qui nimirum dicebant, *Surrexit Dominus*, Lucæ 24. quosdam verò non credidisse, de quibus Marci ult. dicitur: *Nec illis crediderunt.* Inter non credentes fuit Thomas, qui relatione duorum auditâ (*invenerant enim congregatos undecim*, Lucæ 24.) ex aliqua causa secessit, illo autem absente, *Dominus stetit in medio* congregatorum, & sic verificatur quod Joannes dicit, *Thomas non erat cum eis, quando venit Iesus.*

### Articulus IV.

*Christus apparuit in aliâ effigie.*

Art. 4. docet Christum convenienter apparuisse in alia effigie; non quam in se susceperit, sed quæ in oculis intuentium formata est, ut Augustinus docet lib. 3. de consensu Evangelistarum c. 25. tacitè retractans quod epistola 56. dixerat, de mutatione corporis Christi secundùm lineamenta & figuram. Et quamvis impedimentum putet à dæmone objectum; non est tamen id necessarium. Cum enim corpus gloriosum possit effundere species pro voluntate, potiùs videtur quod ex diverso modo eas imprimendi, Christus effecerit ne agnoscerentur; ut proinde oculi discipulorum tenerentur, ne eum agnoscerent, per hoc quod non erant eis impressæ species quibus agnoscerentur; sed aliæ quibus formabatur in ipsorum oculis alia effigies. Dicuntur autem oculi eorum postea aperti, quia diffusis à corpore Christi proprijs speciebus, & ex illis formata veræ effigiei Christi imagine sine impedimento illum cognoverunt. Sive, oculi dicuntur aperti, quia ablato discipulis impedimento, quo prius tenebantur, ne Chri-



Christum cognoscerent, jam viderunt & agnoA verunt eum.

Circa Responsionem ad 1. adverte quod ista Christi apparitio non fuerit mendax aut simulata; quia non fuit falsæ rei significatio, neque cum intentione fallendi seu indendi discipulis falsam existimationem: sed fuit intentio seipsum eis occultandi & prohibendi ne agnoscerentur. Et quia ex hujusmodi intentione Christus de industria specie compositi quibus non agnoscerentur; ideo B. Thomas admittit fuisse fictionem, quia *fingere* secundùm Greg. hom. 23. in Evangelia, *componere dicimus*; negat autem fuisse mendacium, quia verum aliquid significaverit.

Cum ex Augustino addit, *tunc esse mendacium* B *quando illud fingimus quod nihil significat* subaudiendum est, *nihil*, quod verum sit, sed tantum quod est falsũ: falsa enim significatio est ratio mendacij, *finxit*, autem Christus *se longiùs ire*; quia gressum suum ita composuit, quo modo componere solent qui longiùs ire intendunt, imò ad passus aliquot processit: Ubi etiam nulla fuit intentio fallendi.

### Articulus V.

*Varijs arg. declaravit suam resur.*

Art. 5. probat Christum convenienter declarasse suam resurrectionem varijs argumentis, id est, signis. Cùm dicit argumentum hîc non sumi pro ratione quæ rei dubiæ facit fidem, C rationem strictè sumit pro ratiocinatione ductâ ex principijs: Unde addit, quod *talis probatio argumentativa processisset ex principijs*: Et manifestè distinguit tam argumentum, quam rationem in illâ definitione, à signo & experimento. Si verò (quod definitio rectè patitur) argumentum generaliter intelligatur esse ratio ducta sive ex principijs, sive aliunde; ut sub eâ comprehendantur etiam signa sensibilia, quatenus ijs ratiocinando utimur ad alicujus rei probationem: sic Christus suam resurrectionem declaravit argumentis, etiam juxta dictam argumenti definitionem. Nam argumentum generaliter est quodvis medium, quod ad aliquid probandum assumitur. D

Probavit ergo Christus suam resurrectionem; & signis, & ratiocinatione ex illis ducta, sed non ratiocinatione demonstrativâ.

In Responsione ad 2. tradit eam tantum rationem tollere meritum fidei, quæ est demonstrativa. Quod tamen ea neque semper; neque in omnibus illud tollat, sed tunc & in eo solum qui rationem eam requirit ut assentiatur alioquin non assensuris; colligi potest ex hoc loco. & ex 2. 2. q. 2. a. 10. Meritum enim est ex eo quod quis assentiatur propter Deum, ejusque authoritatem.

### Articulus VI.

E

*Christus resurrectionem suam manifestavit sufficienter.*

Art. 6. docet argumenta à Christo adhibita sufficienter manifestasse veritatem suæ resurrectionis; non quod singula seorsim sumpta ad hoc sufficerent, sed simul sumpta; maximè propter scripturæ testimonium, & dicta Angelorum, ac ipsius Christi assertionem miraculis confirmatam, ut loquitur in Resp. ad 1. Quamvis enim usus fuerit duplici testimonio, quorum neutrum posset refelli, scilicet Angelorum & scripturarum; argumentorum tamen aliorum singula per se non sufficiebant, simul tamen cum alijs considerata erant sufficientia; imo & singula potuissent sufficere cum adjuncto Christi testimonio quod illa faceret in probationem talis veritatis.

Circa Responsionem ad 1. adverte Christum adhibuisse quædam signa veri corporis resumpti, quæ Angeli non poterant adhibere: nam illi non possunt qualitates tangibiles, soliditatem, & mollitiem, duritiem ossium, rigorem nervorum, teporem, caloremque vitalem sic inducere & temperare, quin si attentè explorentur sensu tactus, facilè deprehendantur non esse temperamentum humani corporis, ut observat Cajetanus 2. 2. q 95. art. 3.

Deinde, quæ per Angelos fieri possunt, Christus adhibuit non quomodocunque, sed affirmans se esse illum ipsum qui prius fuerat mortuus, & ad hoc persuadendum operans: Angeli autem non paruerunt in assumptis corporibus, vel hoc dicere, vel operari, in hunc finem ut persuaderent se esse Christum, & à morte surrexisse: quia boni nec fallere possunt, nec operari ad persuationem falsi; Mali verò, quia hoc non servijsset eorum instituto & intentioni; propterea potiùs egerunt, ut Christus diceretur furto sublatus.

## QUÆSTIO LVI.

### *De resurrectionis Christi causalitate.*

### Articulus I. & II.

*Resurrectio Christi est causa resurrectionis.*

Art. 1. & 2. docet resurrectionem Christi esse causam resurrectionis, tum corporum, tum animarum nostrarum, efficientem & exemplarem. Efficientem, in quantum humanitas (secundùm quam Christus resurrexit) est instrumentum divinitatis, & ad suscitandum corpora nostra, & ad justificandum nostras animas; secundum ea quæ diximus q. 13. a. 2. conformiter ijs quæ habet Auctor qu. 48. art. 6. p. 49. ar. 1. q. 50. art. 6. Exemplarem; quatenus in corpore & animo conformamur Christo resurgenti. *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus. simul & resurrectionis erimus.* ad Rom. 6. & ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ad Ephes. 4. *Induite novum hominem* Ad Coloss. 2. *In quo & resurrexistis per fidem operationis Dei.*

Ex his sequitur quod per Resurrectionẽ Christi B. Thomas non intelligat ipsum actum resurrectionis, qui statim tranijt, sed ejus terminum, scilicet perfectam humanitatem ex ijsdem corpore & anima constantem. Concludit verò B. Tho. a. 1. quòd exemplaritas resurrectionis Christi solum se extendat ad bonos. quæst. autem manet.

### *An etiam solis bonis meruerit Christus resurrectionem corporum.*

Pars negans videtur conformis Apostolo, 1. ad Corint. 15. *In Christo omnes vivificabuntur*; eamque amplectitur Toletus scribens in c. 11. Joannis, annot. 7. ubi allegat Tertullianum l. de resurr. carnis, & Cyrillum l. 4. Joan. c. 51. confirmatque ex illo ad Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ:* & ex illo 1. ad Corinth. 15. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Verumtamen pars affirmans tenenda est. Primò, quia merita Christi non se extendunt ad alios mortuos, quam ad eos qui hîc eorundem fuerunt participes: resurgent autem etiam illi impij, qui gratiæ Christi nunquam participaverunt.

Secundò, Id quod Christus promeruit hominibus, est eis beneficium: sed resurrectio non est damnatis beneficium; ergo Christus non promeruit damnatis resurrectionem.

Si dicas, Christum meruisse fidem, etiam illis qui damnantur; quibus non proderit habuisse fidem; sed potius eis hoc cedet ad cumulum damnationis juxta illud 2. Petri 2. *Melius erat illis non cognovisse viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum converti.*

Resp. non esse simile. Quamvis enim nunc non profit damnatis quod fidem habuerint; profuit tamen eis aliquando fidem habere, tunc scilicet quando pulsis ignorantiæ tenebris, fide divina illuminabantur. Resurrectio autem corporum nunquam profuit, nec proderit damnatis, ideòque nullum eis fuit, vel aliquando erit beneficium. In hanc sententiam loquitur B. Thom. lect. 5. in c. 5. Joannis, quatenus dicit ideo humanitatem Christi esse causam resurrectionis corporum, quia per mysteria quæ in carne Christi completa sunt, reparamur ad vitam incorruptibilem: *Vita autem eorum qui vadunt in condemnationem, non est dicenda vita, sed potius mors æterna*, ait ibidem. Ad eandem sententiam accedunt, qui verba Apostoli, *In Christo omnes vivificabuntur*, explicant de vivificatione ad gloriam, ut August. epist. 28. Leo epist. 23. & ser. 15. de passione. Quæ expositio confirmari potest ex ipso Apostoli contextu; ubi post Christum vivificandos dicit eos qui sunt Christi, & illos deinde comparat cum corporibus cœlestibus, propter claritatem, dicitque quod surget corpus *in incorruptione, in gloria, in virtute.* Si quis tamen locum Apostoli, de vita naturæ accipiat, ut significetur quod in Christo seu per Christum omnes tam mali quam boni vivificabuntur vitâ naturæ, ut B. Thomas lectio. 3. in istud cap. Respondebit Christum etsi non meruerit resurrectionem malorum, illius tamen esse causam effectivam secundùm quod est Deus. *Quod impij resurgent*, ait Dionysius Chartus. in illud c. 15. *Non erit merito Christi, sed divina ejus virtute.*

Quare ad Tertullian. Resp. eum istius l. cap. 48. & 49. solum probare quod sicut Christus in vera carne resurrexit, ita & nos in vera carne sumus resurrecturi, ad exemplum illius. Utrum autem Christus sit resurrectionis omnium, etiam damnatorum causa meritoria, nec affirmat, nec negat: Esse causam tradit Cyrillus, sed non ait meritoriam; satisque est intelligere efficientem.

Ad locum Apostoli ad Rom. 5. Resp. non esse ibi sermonem de resurrectione corporum communi omnibus hominibus, sed de justitia Christianis propria. Sensus enim est, Sicut per unius Adæ inobedientiam, peccatum propagatum est in omnes homines ex illo genitos, trahens illos ad condemnationem mortis; ita per unius Christi justitiam gratia pervenit in omnes homines qui sunt ex parte Christi, quia justificantur & vivunt vita beata.

Ad alterum locum Resp. ejus sensum esse, quod quia per unum quendam hominem mors invecta fuit in genus humanum, consentaneum est ut & mortuorum resurrectio per unum hominem introducatur: resurrectionem verò intelligit ad vitam beatam, teste Augustino in epistola 89. quæst. 3.

In responsione ad 1. art. 2. notandus est verborum Augustini sensus, quod animæ nostræ resurgunt per substantiam Dei, quia resurgunt per gratiam quæ est participatio divinæ naturæ, 2. Petri 1. Corpora autem nostra non resurgunt per substantiam Dei, sed per dispensationem humanam, quia fiunt consortia gloriæ corporis Christi, quod ipse dispensatoriè accepit. Videatur locus S. Aug. & conferatur B. Thom. in supplem. q. 90. art. 1. ad 5. & lect. 5. in c. 5. Ioan. & quæ dicimus 1. 2. q 110. art. 2. ad 2.

## QUÆSTIO LVII.

### *De Ascensione Christi.*

#### Articulus I.

*Christus in cælum convenienter ascendit.*

Art. 1. supponens id quod fidei est, Christum verè & propriè ascendisse in cœlum, ostendit id convenienter factum: quia locus debet esse proportionatus locato; cælum autem est locus incorruptionis, & Christus post resurrectionem habebat corpus incorruptibile.

In Responsione ad 2. tradit Christo, per hoc quod ascendit in cælum, nihil gloriæ essentialis accessisse, neque secundùm corpus, neque secundùm animam; accessisse tamen accidentalem, non quasi ex loco perfectio aliqua interna vel influxus ad conservationem faciens, ei accesserit; sed quia accessit ipsa loci decentia, & ex eâ quoddam gaudium.

Deinde, Christus consecutus est etiam ex sua ascensione manifestationem suæ gloriæ, majestatis, & potestatis; quodque summo cum triumpho victor susceptus, sit, comitantibus eum, non tantum eductis ab infernо patribus, sed etiam Angelis innumeris.

In Responsione ad 3. tribus rationibus docet convenientiam ascensionis Christi, respectu nostri; de quibus videndus est S. Leo in serm. de ascensione.

#### Articulus II.

*Christus in cælum ascendit secundùm humanam naturam.*

Art. 2. docet Christum ascendisse secundùm humanam naturam. Quamvis enim divinitas fuerit causa ascensionis, & eâ ratione dici possit Christus ascendisse secundùm divinam naturam, accipiendo illud (*secundùm*) ut causam denotet: quia tamen non solam causam denotat, sed conditionem ascendentis, id est, naturam illam quæ sit subjectum motûs ascensionis; Ideo dicendum est quod ascendit secundùm humanam naturam: & sic loquuntur veteres, Ambrosius l. 2. de fide c. 4. Aug. tract. 78. in Ioannem, Gregorius hom. 29. in Evangelia. Imo juxta hunc modum non ascendit secundùm naturam divinam, cum hæc natura non possit esse subjectum motus localis.

Cum addit Christum non ascendisse ex virtute humanæ naturæ, vel loquitur de virtute principali; vel de naturali, *quæ procedit ex principijs naturæ. Tali* enim *virtute manifestum est quod Christus in cælum non ascendit*, ait art. sequenti in corpore. Sed de virtute naturæ humanæ supernaturali. Vide art. seq.

In



In Respon. ad 2. observa istum locum Ioa 5. *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo:* propriè non intelligi de ascensu corporali Christi; (verbum enim *ascendit*, est præteriti temporis; cum tamen Christus eo tempore nondum corpus suum cælo intulisset) sed de spirituali, per Dei & divinorum contemplationem, quasi dicat, Meritò mihi cœlestia prædicanti debetis credere, etiamsi hactenus nemo similia tam apertè prædicaverit; quia nemo cœlestia contemplatus est, & quæcunque Dei sunt perfectè collustravit, nisi filius hominis qui in cælo existit. Vide Iansenium. Quia tamen ad Eph. 4. dicitur, *qui ascendit, ipse est & qui descendit*: Ideo advertendum est quod personæ sit ascendere vel descendere; quæ in proposito fuit una & eadem, sed secundùm diversas naturas. Neque necesse est utrumque, id est, & ascendere & descendere, intelligi æquè propriè, sed secundùm capacitatem ejus cui tribuuntur. Unde in eadem Responsione docet Christum, ut in symbolo continetur, descendisse de cælo secundùm divinitatem, descensu metaphorico, & secundùm effectum assumptionis formæ servi: Deum enim descendisse de cælo, est factum esse hominem in terrâ, ideoque novo modo in ea esse cœpisse.

#### Articulus III.

*Christus ascendit propria virtute.*

Art. 3. docet Christum ascendisse propria virtute: & divina, quia verus Deus est; & humanâ, virtute scilicet animæ glorificatæ, moventi corpus (quod dote agilitatis præditum est) prout volnerit.

Et quamvis disputetur an corpus moveri possit in instanti; nec improbabilis sit pars affirmans; præsertim si sermo sit de mutatione loci quæ fiat sine transitu per medium: probabilius tamen est Christum ascendisse usque in cælum, motu successivo & continuato; quia hoc est conveniens corpori, decetque majestatem ascendentis, & conforme est scripturæ quæ dicit quod Apostoli intuerentur in cælum Christum euntem, quod utique motum continuatum significat.

*Christus motu successivo ascendit in cælum.*

*Tacita ob.*

Dictis non obstat illud Act. 1. *Nubes suscepit eum* non enim significat quod nubes Dominum sustentârit & elevârit, sed quod eum susceperit, sive (ut quidam vertunt) subduxerit ab oculis discipulorum. Nec repugnat quòd aliquousque mota fuerit cum Domino; modò ne dicitur instar vehiculi fuisse, sed ad ornatum & majestatem ascendentis.

#### Articulus IV.

*Christus super omnes cælos ascendit.*

Art. 4. probat Christum ascendisse super omnes cælos, partim quia Apostolus id clarè affirmat ad Ephes. 4. partim quia summo debetur locus summus.

Difficultas autem est, An hoc ita sit intelligendum, ut Christus plantis pedum attingat convexam superficiem supremi cæli, & consequenter sit totus extra cælos.

Pars affirmans videtur scripturæ conformis, quæ asserit Christum ascendisse suprà omnes cælos, penetrasse cælos, esse excelsiorem cælis, ad Ephes. 4. ad Hebr. 4. & 7. eamque B. Thomas hîc amplectitur.

Verum pars negans probabilior est, eò quod nulla videatur ratio ponendi Christum Christive

*Sylv. in III. Part.*

*Christi humanitas est supra convexam superficiem cæli empyrei.*

humanitatem extra cælum, cùm scriptura dicat eam esse in cælo. Act. 1. & Marci ult. *assumptus est in cælum* Eph. 1. *suscitans illum à mortuis & constituens ad dexteram suam in cælestibus.* Act. 3. *Quem oportet cælum suscipere*, &c. Unde cælum sedes Dei vocatur; Psal. 10. & in oratione dominica, sive totam Trinitatè, sive peculiariter Christum Dominũ alloquamur, dicimus, *Pater noster qui es in cælis.*

Et B. Thomas in 3. d. 22. q. 3. art. 3. *Non dicitur* inquit; *Christus ascendisse super cælos, quia extra cælum empyreum sit, sed quia in altissimam partem cæli empyrei ascendit*: quod & Hieronymus in c. 4. ad Eph. indicat.

Idem sentiunt Sylvester in rosa aurea tract. 3. q. 42. Richardus, Paludanus, Major, Durandus in 3. dist. 22. cujus tamen ratio quod ibi nec videre posset, nec videri, non est alicujus momenti: posset enim extra cælum visio fieri supra vires naturæ.

Ad argumentum verò Resp. scripturis illis significari Christum usque ad intima cæli penetrasse, ipsosque cælos usque ad summum, ita ut supremum in rebus locum obtineat.

#### Articulus V.

*Christus ascendit super Angelos.*

Art. 5. Docet Christum ascendisse super omnem creaturam spiritualem; quia *Deus pater* ad Eph. 1. *constituit illum super omnem principatum & potestatem* &c. id est, super omnes Angelorum ordines, ita ut omnes dignitate excedat, quomodo Chrysostomus, B. Thomas, & alij verba ista explicant. Sed cum hîc quæratur de eminentia quoad locum; difficultas est; quæ tolli posse videtur, dicendo Christum exaltatum usque ad supremum locorum corporalium. Non quod necessarium sit dicere quod ibi fixè maneat; sed quia secundùm congruentiam locus ille supremus illi debetur, ubicunque sit, & ad eum exaltatus fuit in die Ascensionis, ut in cælo empyreo emineret super omnes, Ita ferè S. Th. in 3. d. 22. q. 3. art. 3.

*Supplem. q. 84. art. 2. ad 1.*

#### Articulus VI.

Art. 6. probat Ascensionem Christi esse causam nostræ salutis. Confer quæ dicta sunt q. 13. art. 2. & observa quod cum dicit esse causam efficientem, non intelligat ipsum motum Ascensionis, sed ejus subjectum seu Christum ascendentem.

In Respons. ad 3. quæri potest.

### *An Paulus viderit Christum oculis corporalibus.*

Videtur quod non 1. quia Christus locutus est dilecto suo Joanni per Angelum Apoc. 1. ergo similiter & Paulo, qui non fuit magis dilectus Joanne.

Secundò, Paulus Act. 9. tanto lumine fuit perfusus, ut privaretur actu videndi; ergo non vidit Christum.

Tertiò, cælum suscepit Christum usque ad tempora restitutionis omnium, Act. 3. sive usque ad resurrectionem generalem; ergo Paulus cùm esset in terrâ, non potuit eum videre.

*Paulus oculis corporalibus Christum vidit.*

Resp. haud dubiè cùm Authore tenendum, quod Christus semetipsum corporaliter atque oculis corporalibus videndum Paulo exhibuerit; ad

Universidad de Deusto
Biblioteca



quem modum & alijs omnibus visus est qui recitantur 1. ad Corint 15. ubi Paulus de se dicit *Novissimè omnium visus est & mihi.* Nam nisi hæc visio talis fuisset, quomodo se, perinde ut cæteros, testem adduceret oculatum ad probandam veritatem resurrectionis Christi? Neque enim visio corporis ab Angelo formati & assumpti, quod Christi hominis speciem repræsentaret, Paulo sufficeret ad ferendum oculare testimonium. Neque si tale corpus Apostolorum oculis oblatum fuisset; idcirco credidissent eum resurrexisse; quantò minus credidissent ex Apostolorum testimonio cæteri homines, si scirent istos non aliud vidisse? Et iterum, Quomodo Paulus 1 ad Corinth. 9. cum alijs Apostolis se conferens, auderet dicere, *Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi?*

AD 1. ERGO ARGUM. RESP. negando consequentiam; tum quia hujusmodi beneficia non semper exhibentur melioribus magisque dilectis; sed prout expedire novit ille qui tribuit, tum quia Joannes sæpius Christum vidit, non solum ante passionem, sed etiam post resurrectionem, Ioan. 20. v. 19. 25. 26. 27. Ioan. 21. v. 7. 12. 20. 21. Act. 1. &c.

AD 2. RESP. ex eo sequi visionem hanc non esse factâ in illo triduo quo cæcus mansit intentus orationi: facta est autem in via Damasci, ante cæcitatem. Saulus enim visâ tantâ luce quæ eum circumfulserat, statim in terram cadens oculos clausit, ut solent homines ad ingentia fulgura: sed simul atque vocem audivit dicentis, *Saule, Saule, quid me persequeris?* ad loquentè conversus oculos aperuit, & Dominum vidit in maximâ illa luminis claritate: quâ perstrictos & offensos oculos iterum clausit, & clausos tenuit usque dum finito sermone Domini surgens, *apertis oculis nihil vidit.*

Ex his patet B. Thomam rectè colligere Christum post ascensionem in cælum, aliquando corporaliter ad terram descendisse, cùm non sit verisimile Christi vocem qua Paulum allocutus est, cælo empyreo demissam fuisse usque ad terram; cumque contextus historiæ prorsus indicet rem è propinquo gestam esse; nec scriptura dicat, sicut de Stephano, Paulum vidisse cælos apertos, & IESUM stantem à dextris virtutis Dei, vel quid simile.

AD 5. RESP probabilius videri Christum simul in cælo fuisse & in terra; vel si dicatur tantisper in cælo esse desijsse, dicendum erit verbis allatis nihil aliud significari, quam locum regni & residentiæ Christi esse cælum, ex quo non sit publicè & solemniter descensurus, nisi in judicio. Vide qu. 75 art. 1. in Respons. ad argum. ex ratione.

## QUÆSTIO LVIII.

*De sessione Christi ad dexteram Patris.*

### ARTICULUS I.

*Christus sedet ad dexteram Patris.*

ART. 1. probat convenire Christo sedere ad dexteram Patris; tum quia scriptura hoc clarè affirmat, Marc. ult. sicut etiam ad Hebr. 1. tum quia *æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris quæ ejus dextera dicitur*; ac etiam Patri corregnat, & ab eo habet judiciariam potestatem, eamque quietè & pacificè possidet.

*Non est in Deo dextera.*

Circa RESP. 1. & 2. observa nec dexteram nec sessionem convenire Deo propriè, sed solum metaphoricè, prout sessio quietam possessionem significat; & dextera divinam beatitudinem, vel potestatem dominandi, regnandi, judicandi.

### ARTICULUS II.

*Christus ut Deus dici potest sedere ad dexteram Patris.*

ART. 2. docet aliquo sensu verum esse quod Christus secundùm quod Deus sedet ad dexteram Patris, ita tamen ut præpositio, *ad*, quæ tâsitiva est, sola hæc duo importet, personarum scil. distinctionem, & originis ordinem, non verò gradum naturæ vel dignitatis: quia per dexteram intelligi possunt tria, nimirum gloria divinitatis, Patris beatitudo, & potestas judiciaria; & per sessionem, quieta illorum habitio seu possessio, ita ut sedere ad dextram Patris nihil aliud sit, quam simul cum Patre habere gloriam divinitatis, beatitudinem Patris, & judiciariam potestatem, & hoc immutabiliter & regaliter. Hæc autem omnia conveniunt Christo secundùm quod est Deus.

*Quid sit sedere ad dexteram Patris.*

*Pater non sedet ad dexteram Filij.*

Ex his consequens est Patrem non sedere ad dexteram Filij, aut Spiritus Sancti; quia deest ordo originis, cùm Pater à nullo procedat; Sanctum verò Spiritum dici posse sedere ad dexteram Patris, & Filij, quia habet omnia quæ dicta sunt significari per dexteram, ut ab utroque procedit: Filium denique non sedere ad dexteram Spiritus Sancti, quia non procedit ab illo.

### ARTICULUS III.

*Christus secundùm quod homo sedet ad dexteram Patris.*

ART. 3. docet Christo ut homini convenire sedere ad dexteram Patris, si per dexteram non intelligatur gloria seu æqualitas divinitatis & beatitudinis, sed ejus participatio quædam singularis & eximia: & per sessionem, quieta illius possessio. Sic enim ad dexteram Patris sedere, est esse quietè ac pacificè in bonis paternis potioribus præ cæteris creaturis, id est in majori beatitudine, & habere regiam ac judiciariam potestatem: Christus autem secundùm quod homo quietus jam est in majori beatitudine quam sit ulla creaturâ, tranquillèque possidet summam illam dignitatè & potestatem Regis ac Judicis quam habet supra omnem creaturam, Deo proximus. Atque hunc esse communionem modum intelligendi, quod Christus sedet ad dexteram Patris, probari potest, partim ex eo quod Veteres non solent dicere Christum ab æterno sedere ad dexterâ Patris, sed ex quo surrexit à mortuis & ascendit in cælum, partim quia in symbolo omnia illa tribuuntur Christo secundùm humanam naturam, quòd sit conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Virgine, passus, crucifixus, mortuus, sepultus, quod descendit ad inferos, quod resurrexit, quod ascendit; ergo etiam istud *Sed & ad dexteram Patris.*

*Quid sit sedere.*

His consonat quod Patres passim non solùm Christo homini, sed etiâ humanæ illius naturæ tribuunt quod elevata sit ad consessum dexteræ Dei. Unde in festo Ascens. à Sacerdote in sacro Missæ canone dicitur Filius Dei *unitam sibi fragilitatis nostræ substantiâ in gloria Patris dextera collocasse.*

*Quæst.*

Petes, cum dexteram fuisse honoratiorem sinistrâ, doceri possit ex Gen. 48. Matt. 25. & aliunde: si Christus sedet ad dexteram Dei; quare non sequitur quòd eum honore antecedat.

*Resp.*

RESP. tum quia Deo non convenit sinistra sessio; tum etiam quia tali metaphora non significatur Christus respicere Deum ut sinistrum, sed ut medium, in excelso ac regio throno collocatum;



tum; cui is qui sit honore proximus, ad dexteram assideat: quomodo etiam intelligendum est illud Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis:* & quod 3. Reg. 2. legitur Salomon matrem suam sibi ad dexteram collocasse, primo nimirum & honoratissimo post Regem loco.

### ARTICULUS IV.

*Nulli creaturæ convenit sedere ad dexteram Patris.*

ART. 4. probat esse proprium Christo sedere ad dexteram Patris, sic ut nulli alij, nec Angelo, nec homini conveniat: quia nulla creatura est in æqualitate Patris, & nulla etiam est in excellenti possessione divinorum bonorum præ omnibus alijs creaturis. Hinc ad Hebr. 1. *Ad quem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis?*

*Ob.*

Si objicias Matth. 20. Christum dixisse, *Sedere autem ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo:* Bene Respondet S. Doctor eos non petijsse sedere ad dexteram Patris, sed ad dexteram vel sinistram Christi, hoc est, habere primum & secundùm ab eo dignitatis locum in ejus gloria. Et cum Matth. 19. Luc. 22. Apoc. 3. & alibi promittitur sedere in throno Dei; partim participatio quædam gloriæ Dei promittitur, partim etiam aliqua potestatis judiciariæ dignitas, sed longè infra Christum. Unde Sancti præsertim perfectiores erunt cum Christo judices, & suo modo sedebunt in cælo, seu quietè vel tranquillè ibi regnabunt divina fruitione gaudentes. At non sedebunt ad dexteram Patris, sicut Christus.

*Resp.*

## QUÆSTIO LIX.

*De judiciaria potestate Christi.*

### ARTICULUS I.

*Christus habet potestatem judiciariam.*

ART. 1. docet potestatem judiciariam supremam, specialiter, id est, secundùm appropriationem, attribui Filio Dei, quatenus talis est. Huc pertinere potest quod Io. 5. dicitur *Pater omne judicium dedisse filio: dedit generando*, inquit Ambrosius l. 2 de fide c. 4. *non largiendo*; indicans sermonem esse de filio secundùm divinitatem: quæ etiam expositio Augustini hîc ab auctore citati, Chrysostomi, & aliorum; secundùm quam, illud, *Pater nõ judicat quemquam*, intelligendum videtur hoc modo; Non solus, sive non sine Filio, judicat.

Est autem & alia non minus probabilis expositio quam tradunt Augustinus l. 3. de Trinit. c. 13. & B. Thom. in caput 5. Ioannis; de filio secundùm humanitatem. *Pater* extremo judicio *non judicat quemquam* sensibiliter; cùm non sit homo, qui & videri possit ab impijs; & sensibili sententia judicare, *sed omne*, sive omnium *judicium dedit Filio.* Nec obstat ratio subsequens, *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Nam ex q. 25. art. 2. constat Deum in humanitate subsistentem, adorari latriâ.

### ARTICULUS II.

*Christus ut homo habet potestatem judiciariam.*

ART. 2. docet potestatem judiciariam convenire Christo secundùm quod est homo: eam nimirum quæ dicitur excellentiæ, quæque communicata est humanitati, propter unionem ad Verbum, Huc pertinet illud Ioan. 5. *Potestatem dedit ei judicium facere quia Filius hominis est*, id est, dedit ei potestatem exercendi judicium sensibiliter, propterea quod ipse sit homo, qui ob id sensibiliter judicare potest. Ubi tamen sciendum est, in eo (*quia Filius hominis est*) nisi intelligatur supponi esse Deum, hoc sensu; quia præterquam quod sit Deus & Dei Filius, etiam est homo, non reddi adæquatam causam, unde oriatur potestas judicandi; Alioquin *omnes homines hujusmodi potestatem haberent*, ait B. Tho. sed designatur natura secundùm quam Christus est ad judicium sensibiliter exercendum idoneus; significatur & ratio congrua, propter quam Deus Pater voluit committere judicium filio, scilicet ut homines ab homine, cujus faciem videre & vocem audire possent, judicarentur. Eodem pertinent aliæ scripturæ, Act. 10. & 17. 2. Corinth. 5. 1. Thess. 4.

Quamvis ergo potestas judiciaria Christi ut hominis, non sit suprema, quemadmodum Auctor admonet; est tamen vera & propria, ideòque non eatenus solum judicabit Christus in humanitate, quia sententiam à Patre latam sit promulgaturus, vel executurus (hoc enim convenit etiam non habentibus potestatem judiciariam:) sed quia secundùm legem à Deo latam, judicandis decernet ac distribuet præmia & pœnas pro meritis, potens ex authoritate & jurisdictione compellere eos quos judicaverit, parere sententiæ. Vide Suppl. q. 60. art. 1.

### ARTICULUS III.

*Quatenus Christus habeat potestatem judiciariam ex merito.*

ART. 3. docet Christum habere potestatem judiciariam ex merito: scilicet quantum ad usum qui erit in fine sæculi: & quantum ad manifestationem, quæ cœpit ab ejus resurrectione. Alioquin, potestas hæc illi competebat ab Incarnatione, quantum ad jus & substantiam: propter personæ & capitis dignitatem, & propter plenitudinem gratiæ.

### ARTICULUS IV.

*Judiciaria potestas Christi extenditur se ad omnes res human.*

ART. 4. probat potestatem judiciariam Christi, etiam ut hominis: extendere se ad omnes res humanas: quia omnes res humanæ ordinantur in finem beatitudinis hominis: ad beatitudinem autem admittuntur vel ab eâ repelluntur homines ex judicio Christi.

In responsione ad 1. videtur concedere Christo potestatem regalem & judiciariam respectu rerum humanarum & solum negare usum: quia scilicet potestatem exercere noluerit super res temporales: cum tamen communior Theologorum sententia habeat, Christum nec in toto orbe, nec in aliqua ejus parte, habuisse regnum temporale, temporalemve regendi vel judicandi potestatem. Cui consentit ipse B. Tho. q. 31. art. 2. ad 3. & in catenâ aurea super c. 18. Io.

Dicendum est ergo. Christum, etsi non habuerit dominium terrenum: habuisse tamen potestatem excellentiæ spiritualem super omnes hominum res & actiones, per quam multa potuisset facere quæ non fecit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS V.

ART. 5. probat restare judicium generale, præter illud quod in præsenti agitur; tum ex Io. 12. *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*; tum quia licet per mortem & vita & meritum hominis finiatur; adhuc tamen multa pendent usque ad finem mundi, quæ sub judicium cadunt, ut videbitur quæst. 88. art. 1. Supplem.

Particulare autem judicium fieri in morte singulorum probatur: quia fidei est, animas plenè purgatas statim admitti ad visionem Dei; eas verò quæ in peccato mortali decedunt, statim in infernum detrudi: secundùm ea quæ de justis Apostolus dicit 2. ad Corinth. 5. & quæ de divite Epulone dicit Salvator Lucæ c. 16. Unde Ecclesiasticus c. 11. *Facile est coram Deo*, inquit, *in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.*

*De judicio particulari.*

Iudicium autem hoc fit statim à morte, nullâ temporis morâ interpositâ. In ipso enim egressu anima actualiter informatur cognitione sententiæ judicis, & sentit ejus efficaciam, sic ut in locum meritorum suorum statim recipiatur: sive in instanti, quod per divinam potentiam fieri potest: sive mora brevissima, cognoscens se ad illum judicari imperio & efficaciâ Dei, & hominis Christi.

Atque hoc est, animam ad tribunal duci, absque eo quod realiter ducatur vel transferatur ad præsentiam Christi. Unde consequens videtur judicium eo loco fieri, quo anima existit tempore separationis à corpore. Quod enim ad cœlum, infernum, vel purgatorium recipiatur: hoc ad executionem judicij pertinet, quod propterea debet intelligi præcessisse. Vide Dominicum in 4. d. 45. quæst. 1. art. 3.

ARTICULUS VI.

*Christus ut homo judicabit Angelos.*

ART. 6. docet Angelos etiam à Christo homine judicandos quoad præmium vel pœnam accidentalem: non autem quoad essentialem: quia jam olim retributionem illam acceperunt, nec meritum Christi ad Angelos salvandos aut justificandos se extendit, ut quæst. 8. art. 4. fuit ostensum. Vide Bonaventuram in 4. dist. 47. art. 4. q. 1. & Richardum q. 6. qui citari solent in contrarium; cum tamen dicant, *Considerabitur in ipsis gloria, saltem quantum ad accidentale præmium.* Vide ad Suppl. q. 89. art. 8.

## QUÆSTIO LX.

*De Sacramentis.*

*Variæ significationes Sacramenti.*

SACRAMENTI nomen à sacro dictum, variè usurpatur. PRIMÒ, pro pecuniâ vel pignore quod olim à litigantibus deponi solebat in loco sacro, & peribat illi qui causâ cadebat, ut testatur Varro.

SECUNDÒ, significat juramentum, ut in Concilio Ilerdensi can. 8. & vigesimâ secundâ, qu. 5. capitulo *Parvuli*, tum quia instar rei sacræ debet inviolabiliter servari; tum quia est contestatio per aliquid sacrum.

TERTIÒ, significat, in scripturis sacris præsertim, rem aliquam secretam & ab hominum cognitione remotam: aliquando quidem malam, ut Apoc. 17. *Dicam tibi sacramentum mulieris*: aliquando verò & frequentius bonam; ut Sapientiæ 2. *Nescierunt sacramenta Dei*: Tobiæ 12. *Sacramentum regis abscondere bonum est*; 1. ad Timoth. 3. *Magnum est pietatis Sacramentum.* Quibus locis est in Græco vox μυστήριον, quia quod Latini *Sacramentum*, id Græci mysterium dicunt; mysterium autem significat rem arcanam & abditam.

QUARTÒ, Sacramentum vocatur, non tantum ipsa res occulta & secreta, sed etiam id quod rem illam significat sive signum talis rei. Hoc modo usurpatur non solum à Patribus, sed etiam in scripturâ: nam ad Eph. 5. conjunctio viri & mulieris vocatur magnum sacramentum, quia sit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Danielis 2. somnium de statua Nabuchodonosoris mysterium seu Sacramentum dicitur; non ideo solum quia secretum erat, sed maximè ob significationem, ut observat Durandus in 4. dist. 1. q. 1. Vide quæ de verbis Apostoli quæ sunt ad Rom. 4. & 6. habet catechismus Romanus p. 1. q. 4. c. 1.

Ex his colligendum relinquitur, quam impetitè sectarij dogmatizent *Sacramentum* in scripturis nunquam significare signum rei sacræ, sed solum rem sacram absconditam. Atque hæc de significatione nominis. Ad rem quod attinet, de re quæ sacramentum est, v. g. de ablutione, vel unctione quæ fit cum certâ verborum formâ, in sequentibus agitur.

ARTICULUS I.

*Utrum Sacramentum sit in genere signi.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia character sacramentalis, & corpus Christi in Eucharistia, est sacramentum, & tamen non est signum; signum enim debet esse sensibile & manifestum, ut ex Augustino docet Author art. 4.

SECUNDÒ, Sacramenta novæ legis habent rationem causæ: ergo non signi; effectus enim magis est signum causæ quam contrà.

TERTIÒ, genus & species sunt in eodem genere: sed species sacramenti, ut baptismus est in genere actionis: ergo & sacramentum.

QUARTÒ, Sacramentum baptismi nihil significat parvulo, ergo non est illi signum.

*Sacramentum est in genere signi.*

Beatus Thomas RESP. Sacramentum esse in genere signi: est enim res aliqua sensibilis alterius rei significativa; atque ad sanctitatem habet ordinem, tanquam ad signatum, ut ampliùs patebit art. sequenti. Et quamvis ad eandem sortiatur habitudinem causæ; non ponitur tamen Sacramentum in genere causæ: quia esse causam sanctitatis in sacramento significatæ, non est commune omni sacramento, sed quibusdam solùm convenit: esse autem signum, commune est; adeò ut hæc prædicatio, Sacramentum est signum sit generis de specie. Nam *essentialiter loquendo, sacramentum est signum*, ait Bonav. in 4. d. 1. q. 2.

AD 1. verò argumentum RESP. Author in 4. d. 1. qu. 1. art. 1. quæstiun. 3. ad 3. characterem & corpus Christi verum, non dici sacramenta, nisi secundum quod conjunguntur signis sensibilibus. Confer qu. 63. seq. art. 1 in resp. ad 2.

AD 2. Negatur consequentia: instrumentum enim potest simul esse causa & signum, ut B. Thomas ostendit art. 1. q. 62. ad 1.

AD 3. Respon. baptismum in quantum ordinatur ad significandam gratiam, esse in genere signi; quamvis idem talis significatio convenit, id est, ablutio, sit in genere actionis.



AD 4. Negatur consequentia: quia comparatio signi ad eum cui significat, non est essentialis, nisi in habitu, id est, in quantum natum est significare illi; & ideò sufficit comparatio signi ad rem signatam, quod scilicet signum sit talis rei signum: & hæc semper adest, sive aliquis cognoscat, sive non: ut docet Bonaventura in 4. d. 1.

Circa responsionem ad 1. advertè non necessariò concedendum quod sacramentum dictum sit à sacrando activè, sicut medicamentum à medicando; quia medicamentum dicitur à medicinâ, quæ est efficax sanitatis; sacramentum verò dicitur à sanctitate, quę nec est, nec in eo significatur ut causa efficiens. Unde medicamentum dicit habitudinem, non ad medicinam à quâ sic vocatus, sed ad sanitatem quam efficit: sacramentum verò dicit ordinem ad sanctitatem à quâ nuncupatur. Ut tamen concedatur; dicendum est rationem nominis non debere converti, nam ut observat Auctor 1. p. q. 13. art. 2. ad 2. & 2. 2. q. 92. ar. 2. ad 2. in significatione nominum magis attenditur ad quid significandum sint imposita, quam ex quo.

ARTICULUS II.

ART. 2. docet omne signum rei sacræ esse sacramentum: loquitur autem de Sacramento propriè quidem, sed generaliter, prout est commune ad sacramenta veteris & novæ legis. Ad cujus majorem explicationem,

Quæritur PRIMÒ.

*Quæ necessaria sint ut res aliqua sit propriè Sacramentum.*

*Sacramentum debet esse signum sensibile.*

IN PRIMIS necessarium est quòd sit signum sensibile, ut docet Author. art. 4. Sacramenta enim, prout nunc de Sacramentis loquimur, sunt signa hominibus accommodata. Unde quòd quidam adferunt, posse à Deo rem aliquam spiritualem institui, ad cujus præsentiam daretur gratia; non est negandum; illa tamen, defectu istius conditionis, non haberet rationem Sacramenti.

*Debet esse sacra cæremonia.*

SECUNDÒ requiritur, ut illud signum sit sacrum ex parte rei significantis, id est, ut sit cæremonia sacra ad cultum Dei instituta, quemadmodum ex ejusdem art. 4. Responsione ad 2. liquet. Nam cùm, (ut Augustinus docet libr. 19. contra Faustum cap. 11. sacramenta ideo sint, ut homines per ea conveniant in unum nomen religionis; necessarium est ea esse signa religiosa, *quæ* nimirum *exhibeantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam deputentur quodammodo ad cultum Dei*, ut loquitur Auctor. 1. 2. q. 102. art. 5. Unde mysterijs seu sacramenta initiari, frequens apud Ambrosium; & visibilibus sacramentis hominem visibiliter sanctificari, apud Augustinum, qu. 84. in Levit.

*Tacita ob.*

Nec his repugnat Auctor art. sup. dicens sacramentum non semper importare causalitatem, efficiendi scilicet veram aliquam sanctitatem in suscipientibus; cum eo enim consistit quod omne sacramentum sit religionis causâ institutum; per quod proinde homines, denominatione saltem externâ, sanctificentur: quomodo sanctificari dicitur, quicquid cultui divino dicatur.

TERTIÒ, Requiritur ut signum illud sit sacrum ex parte significationis, id est, ut significet rem sacram: cùm enim sit cæremonia sacra, non debet esse signum rei profanæ. Hinc Augustinus epistolâ 5. *Signa cum ad res sacras pertinent, sacramenta dicuntur.* Et Bernardus ser. 1. de cœna Domini, *Sacramentum est signum sacrum*: eodemque sensu loquuntur, Dionysius cap. 1. & 5. eccl. hier. Clemens Alexandrinus lib. 7. strom. Ambrosius lib. 4. de sacramentis, & alij veteres.

*Debet etiam significare rem sacram.*

Portò, cum B. Thomas dicit *Sacramentum esse signũ rei sacræ, in quantum est sanctificans homines*? significat non sufficere quod res sacramento significata sit in se sacra, sed opottere quod significetur ut verè & propriè sacrans, seu sanctificans homines: Ad illud enim, *in quantum est significans*, subaudiri debet (illa res sacra) ut ex corpore, & ex Respons. ad 1. patet; ubi ad sacramentum requirit quod sit signum rei sacræ ad homines pertinentis, in quantum ipsi sanctificantur per illam: & ar. 3. ad 2. sacramentum dicit significare rem sanctificantem, Similiterq; Richard. in 4. dist. 1. *Cum dicitur*, inquit, *sacramentum est signum rei sacræ, accipitur res sacra pro re sub ratione qua sacrans est.*

*Hoc est gratiam.*

Quia ergo sola gratia gratum, faciens propriè sanctificat: ideo ad sacramenti rationem pertinet esse signum illius gratiæ. Et quidem de sacramentis novæ legis, non ambigitur inter Catholicos; sed de veteribus quæstio esse potest. Non videtur tamen dubitandum, quin & illa gratiam eandem significaverint. *Hoc enim commune est omnibus sacramentis quod consistant in rebus sensibilibus invisibilem gratiam significantibus*, ait Auctor. in 4. dist. 1. art. 3. quod & hîc art. 4. & quæst. 61. art. 3. repetit, veteribusque tribuit 1. 2. q. 102. art. 5. ad 4. conformiter Augustino in Psal. 77. li. 2. contra literas Petiliam c. 37. & lib. 13. contra Faustum cap. 16. docenti eandem rem diversis signis & sacramentis in veteri & novâ lege significatam. Idem affirmat Concilium Florentinum, de veteribus dicens quod non causabant gratiam, sed eam solum, per passionem Christi dandam figurabant.

*Debet significare ex instituto.*

QUARTÒ requiritur ut sacramentum sit signum ex instituto significans. Cum enim res sensibilis non habeat ex suâ naturâ significationem rei sacræ & supernaturalis; oportet quod eam sortiatur ex institutione ejus qui rem illam potest promittere & præstare; qui est solus Deus: & ideo debet esse institutio divina; ut ostendit Auctor. art. 5. conformiter Aug. lib. 3. de doctrinâ Christianâ cap. 9.

Nec obstat quod Sacramenta, ut indicat idem Augustinus epistola 23. similitudinem quandam habeant earum rerum quarum sunt Sacramenta: quamvis enim habeant analogiam seu proportionem quandam, sicut ablutio aquæ cum ablutione spirituali: quia tamen illa non sufficit, ut signa sacramentalia significent determinatè rem spiritualem, cùm hæc sit supra naturam, & signa illa naturaliter significent varios effectus: ideo determinata significatio tam rerum quam verborum in Sacramentis provenire debet ex particulari institutione.

Neque verò hinc sequitur sacramentum esse ens rationis; quamvis enim formale Sacramenti, ipsa scilicet significatio ad placitum, non sit ens reale, utpote relatio non sequens fundamentũ ex naturâ rei, sed ex actu instituentis, ut tradunt Scotus & Dominicus in 4. dist. 1. ipsum tamẽ fundamentum est reale: signum autem & Sacramentum supponit pro fundamento seu pro materiali, id est,

Universidad de Deusto
Biblioteca



pro eo cui convenit illa significatio. Unde cum dicitur sacramentum est signum, dicitur esse res aliqua significativa.

*Debet esse signũ publicum & stabile.*

QUINTÒ, ad sacramenti rationem necessarium est quod sit signum publicâ & stabili lege institutum. Nam, (teste Augustino lib. 19. contra Faustum c. 11.) sacramenta sunt signa quibus homines colligantur in unum nomen religionis; sicut ergo religio est stabilis; ita signa illa debent esse stabilia. Confirmatur, quia signa ad placitum quæ in communem hominum utilitatem instituuntur, publica & stabili lege debent institui.

*Vna conditio vesicitur.*

SEXTÒ loco, requirunt aliqui ut sacramentum conferat aliquam sanctitatem saltem imperfectam, id est, vel interiorem, vel externam & legalem. Verum quamvis sacramentis veteribus conveniret sanctitatem legalem conferre, & ab immunditijs legalibus mundare, ut ex cap. 9. ad Hebræos, & ex B. Thoma 1. 2. q. 102. ar. 5. potest haberi: Non videtur tamen esse de ratione sacramenti in genere quod sanctitatem aliquam conferat, cum ad generalem rationem sacramenti non pertineat causalitas, sed significatio, ut patet ex articuli superioris Responsione ad 1. & ex ijs Scholasticis qui l. 4. sentent. dist. 1. constituunt sacramentum in genere signi, non causæ.

*Sacramẽta vet. legis erant univocè sacramẽta cum nostris.*

Præterea, si esse causam sanctitatis alicujus sit de essentiâ sacramenti; sequeretur sacramenta veteris legis, non fuisse propriè loquendo sacramenta, nec convenisse cum nostris, in ratione sacramenti, nisi analogicè; quia sanctitas quam conferebant, non erat vera sanctitas, sed solum analogica: fuisse autem propriè dicta, docet Augustinus varijs capitibus lib. 19. contra Faustum, B. Thomas hîc & art. 3. quæst. seq. & Concilium Florentinum. Unde Dominicus Soto, Cabrera, & alij observant B. Thomam hîc tacitè retractare, quod in 4. dixerat, sacramenta vetera esse tantum analogicè sacramenta.

Confirmatur: In ejusdem rei sacræ significatione conveniebant: ergo erant univocè sacramenta cum nostris.

Ex his patet, sacramentum non esse ex genere suo signum practicum seu operativum rei illius quam significat; licet vocari possit practicum, eò quod dum prædicatur, significet rem sacram per modum quo nos sanctificat, sive interim significet illam esse præsentem, sive futuram: neque enim est de ratione sacramenti esse signum gratiæ præsentis.

*Definitio sacramenti.*

His præmissis intelligi potest definitio sacramenti in genere, quam B Thomas ex Augustino adfert; *Sacramentũ est sacræ rei signum.* In ea enim *signum* intelligitur sacrum divinitus institutum; *res autem sacra* intelligitur ut sacrans seu sanctificans homines. Sensus ergo est, Sacramentum

*Ejus sensus.*

est cæremonia sacra, sensibilis, veram animæ sanctitatem ex Dei institutione significans.

A quâ facilè excludi possunt hæc signa, Arca Noë, transitus maris rubri, manna, serpens æneus, fluxus aquæ de petra, missio columbæ, ignitarumque linguarum, matrimonium in statu legis naturæ; ut hinc & ex Suppl. quæst. 42. art. 2. & ex qu. seq. ar. 2. ad 3. patet: quia licet aliquid sacrum significarent, non erant tamen signa ad religionis cultum instituta, sicut nec illa verba Christi, Luc. 7. *Remittuntur tibi peccata tua.* Prima verò tonsura, absolutio ab excommunicatione, manus impositio super catechumenos, imagines, professio religiosorum, quamvis ad religionem pertineant, non sunt tamen à Deo instituta ad significationem gratiæ præsentis aut futuræ.

Consecratione templorum vel altarium; non sunt hominum, sed rerum illarum quædam sanctificationes id est, ad sacra deputationes; unde nec sunt institutæ ad significandam sanctitatem hominum, sed sunt tantum præparationes ad officium sacrum.

## QUÆRITUR II.

### *An & quo modo excludantur sacrificium, & & aqua benedicta.*

CUM Augustinus in argumento ad oppositum citatus, tribuat sacrificio etiam trucidati pecoris, esse sacramentum; observandum est eum nomen sacramenti latius sumere. Neque enim oportet quod in omni visibili sacrificio inveniatur essentialis ratio sacramenti; cùm (teste B. Thoma. 1. 2. qu. 101. art. 4.) varia fuerint in veteri lege sacrificia quæ non erant sacramenta.

*Sacrificium excludi potest à definitione Sacramenti.*

Quapropter sacrificium quod est tantùm sacrificium, excluditur à definitione sacramenti, quia non est signum rei sacræ, ut formaliter sacrantis; Dicitur enim in ordine ad Deum cui offertur, & mediatè ordinatur ad cultum ei tribuendum: sacramentum verò immediatè refertur ad ipsos cultores seu susci pientes, quorum sanctificationem significat. Hinc est quod sacrificium prosit etiam non participantibus, sacramentum solum suscipientibus. Possunt tamen rationes utriusque in eandem rem convenire; sicut in Eucharistiam, & (ut verisimilius est) in ejus perfectam figuram, agnum paschalem, ut hîc ad 2. docet B. Thomas, & qu. 73. ar. 4. Non enim dumtaxat offerebatur Deo, sed insuper significabat liberationem nostram è captivitate diaboli, gratiamque per Christum conferendam.

Cur aqua benedicta non sit sacramentum, rationem dat B. Thomas hîc ad 3. & q. 65. art. 1. ad 6. quia non perducit ad sanctitatem, sed solum est dispositio ad illam. Ne quis autem hinc inferat nec sacramenta vetera fuisse propriè sacramenta: sciendum est mentem B. Thomæ esse quòd aqua benedicta non sit instituta ad significandam perfectionem sanctitatis humanæ, id est, gratiam; sed solùm ut significet dispositionem ad illam.

Si dicas per eam remitti peccata venialia: RESP. id non esse nisi ex opere operantis, ut videbitur q. 87. art. 3. Neque inde sequitur quod sit signum alicujus gratiæ; cùm non sit à Deo instituta ad eam significandam; & peccata venialia remitti possint sine ipsius infusione.

## QUÆRITUR III.

### *Quæ sit definitio sacramenti veteris ac novæ legis.*

AD quod breviter sic RESP.

*Definitio Sacram. novæ legis.*

Sacramentum veteris legis est signum sacrum figurativum gratiæ per passionem Christi dandæ, ut indicat Concilium Florentinum.

Sacramentum verò novæ legis est invisibilis gratiæ forma visibilis, ex Dei institutione sanctificandi vim habens: ut colligitur ex Concilio Tridentino sess. 13. c. 3. conferendo illud cum can. 1. sess. 7.



sess. 7. Ubi forma, pro figurâ seu signo accipitur. Et *quia visus est nobilior inter alios sensus, & plures differentias rerum ostendit: ideo nomen visus ad omnes alios sensus extenditur; ac propterea (visibilu) ponitur hîc pro sensibili.* B. Thomas in quartum, d. 1. quæst. 1. articulo primo, quæstiuncula 3. ad 1. Vide Augustinum lib. 10. confess. c. 35. Scotum & Durandum in 4. d. 1.

Cum hac definitione coincidit illa quam habet Catechismus Romanus, Sacramentum est res sensibus subjecta quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.

*Ob. Resp.*

Dices Sacramentum non est ens unum, ergo non potest definiri. Resp. quamvis physicè non sit unum, utpotè constans ex rebus, verbis, & significatione; moraliter tamen & in genere signi est unum, ut ostendit B. Thomas art. 6. ad 2. & in 4. d. 1. qu. 1. art. 3. ad 1.

## ARTICULUS III.

*Sacramentum tria significat.*

ART. 3. docet Sacramentum tria significare; causam efficientem ac meritoriam nostræ sanctificationis, quæ est passio Christi; causam formalem, quæ consistit in gratiâ & virtutibus; causam finalem, quæ est vita æterna. Sicut enim de Eucharistia canitur quòd in eâ *recolitur memoria passionis Christi, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*; ita de alijs dici potest, utpotè quæ gratiam conferunt quam significant, eò quod ipsa detur ex merito passionis Christi, & sit semen gloriæ. Quamvis ergo non sit de essentiâ Sacramenti quod illa tria significet, sed ut in Resp. ad 3. dicitur, sufficiat quòd significet formam sive gratiam; intentio tamen B. Thomæ est hæc attribuere omnibus Sacramentis novæ legis; quibus etiam singulis tribuit Catechismus Romanus p. 2. c. 1. q. 6. Veteribus autem non tribuit B. Thomas quia sanctificationem non faciebant, sed erant solum signa prognostica; cùm nostra sint & prognostica, & demonstrativa, & rememorativa, ut in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 4. declarat.

Ubi cùm addit, quòd significatio gratiæ sit sacramentis nostris principalis; non est sensus quod gratia sit principalior aut excellentior gloria, sed quod significatio gratiæ principaliùs pertineat ad rationem Sacramenti: eò quòd gratia sit id quo formaliter proximè sanctificamur; eam verò sanctificationem principaliter significat Sacramentũ.

*Ob.*

Contra Responsionem ad 1. replicare quis posset, analoga attributionis non definere esse analoga, quamvis significent plura secundùm quod ordinantur ad unum. Sed Resp. analogum significare plura diversis rationibus, Sacramentum verò in eâdem ratione & significatione plura significat, secundùm quod ex illis ordine quodam unum constituitur.

*Resp.*

## ARTICULUS IV.

*Ad sacramentum requiritur res sensibilis.*

ART. 4. probat quod ad Sacramenta semper requiruntur res sensibiles: tum quia signum humanum debet esse sensibile: tum quia connaturale est homini per sensibilia duci ad intelligibilia. Quamvis autem verba sint de numero rerum sensibilium, quatenus sensibile dicitur quicquid sensui subjacet: B. tamen Th. distinguit eas à verbis, ut patet tum ex authoritate Augustini quam adfert, *Accedit verbum ad elementum*, tum ex art. 6. ubi docet verba rebus sensibilibus convenienter adjungi. Quo etiam modo loquuntur Patres Conc. Florentini, dum ajunt; *omnia Sacramenta novæ legis perfici rebus tanquam materia & verbis tanquam formâ.*

*Quid hic res sensibilis.*

Res ergo sensibilis hîc intelligitur res aliqua permanens & corporea quæ sensu percipitur, aut aliqui actus sensibiles à verbis formæ verborumque pronuntiatione diversi. Nam sub rebus comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, ait art. 6. ad 2. Sic autem acceptâ re sensibili, probatio B. Tho. naturali modo cognoscendi hominum dicta, non necessitatem convincit, sed congruitatem; quam Dionys. c. 1. tum cœlestis, tum Ecclesiasticæ hierarch. prius attulit. Aliæ congruentiæ videri possunt apud Chrysost. hom. 60 ad populum, apud Damasc. l. 4. c. 10. & 14. Nazianzenum orat 40. Augustinum l. 2. de doctr. christianâ, c. 9. l. 19. contra Faustum c. 11. & qu. 84. in Levit.

*Vt res de se insensibilis possit esse pars sacramenti.*

Porrò, quamvis in Sacramento semper requiratur aliquid sensibile, ratione cujus Sacramentum ipsum absolutè sit sensibile, res tamen quæ per se est insensibilis, potest esse pars Sacramenti, quatenus conjuncta est signo sensibili; sicut contritio, quæ per confessionem aliaque signa doloris externa fit sensibilis. Matrimonium quoque actibus contrahentium vel signis consensum interiorem exprimentibus, tanquam rebus, & verbis perficitur: contra quam opinatur Durand. d. 1. 4. sent. suo loco probabitur.

*Ob.*

Difficultas hîc manet, quomodo ad rationem signi humani pertineat esse sensibile, cùm B. Th. qu. 4. de verit. art. 1. ad 7. doceat verbum interius per prius habere rationem significationis quam verbum exterius. RESP. quamvis rationem significationis prius habeat, eò quòd sit causa cur verbum exterius proferatur ad significandum: si tamen per aliqua exteriora non manifestetur, non habet rationem signi; ut de effectibus intelligibilibus tradit Auctor hîc ad 1. Ad eam enim pertinet, ut proportionaliter ad eum cui datur, ex cognitione sui ducat in cognitionem alterius; ut patet ex definitione quæ ex Augustino refertur in responsione ad 1. & ex Auctore in 4. d. 1. art. 1 *Signum* (inquit) *quantum est in se, importat aliquid manifestum quoad nos, quo manducimur in cognitionem alicujus occulti.* Quò fit ut verbum interius potius significet per modum similitudinis, quam per modum signi.

*Resp.*

## ARTICULUS V.

*Requiruntur res determinatæ in sacramentis.*

ART. 5. docet in sacramentis requiri res determinatas. Quod cum duobus modis intelligi possit. Primò, ad hoc ut sacramenta subsistant, necessarias esse res illas determinatas in quibus sunt instituta. Secundò, sic debuisse institui, ut pro illis determinatæ res præscriberentur: juxta utrumque loquitur B. Thomas. Juxta priorem quidem, in corpore, cùm concludit; *In sacramentis novæ legis oportet uti rebus ex divina institutione determinatis*: Juxta posteriorem verò, in responsione ad argumentum 2. Loquitur autem hîc B. Thomas particulariter de Sacramentis novæ legis, non quasi ea quæ in Sacramentis veteribus adhibebantur, non essent etiam à Deo determinata, quod quæst. sequenti videbitur, sed cum ea fuerint minus perfecta, non putavit illorum in sua responsione

Universidad de Deusto
Biblioteca



sione habendam rationem. Probatio tamen quam A adfert, ad illa potest extendi : Sicut enim solius Dei est determinare res sensibiles per quas præstet gratiam, ita ejusdem solius est gratiam promittere per eas res quas voluerit.

In responsione ad 1. observandum est singula sacramenta habere virtutes & significationes diversæ rationis, quod attinet ad proprios eorum effectus. Ideo enim in diversis rebus instituuntur sacramenta diversa, quia ordinantur ad significandos diversos effectus, cum quibus proportionem aliquam habent.

Qualis autem esse debeat rerum determinatio, quæri potest. In nullis sacramentis res est determinata secundum individuum, aut secundum ac- B cidentia, quæ contineantur intra latitudinem ejusdem speciei ; nihil enim interest utrum in baptismo adhibeatur hæc aut illa ; hujus aut istius qualitatis aqua ; modò adhibeatur vera & naturalis. In quibusdam, determinata est secundum speciem ultimam, ut in baptismo, aqua : in aliquibus secundum speciem subalternam, ut in Eucharistia, panis triticeus & vinum, si utrumque, ut à quibusdam putatur, sit species subalterna.

### Articulus VI.

*Requiruntur verba in sacramentis novæ legis.*

Art. 6. probans in Sacramentis verba convenienter adjungi rebus, adducit illud c. 5. ad C Ephes. quo significatur Christus mundare Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ. Verbum enim illud, juxta Chrysostomi, Anselmi, & aliorum communem expositionem, est id quod Matt. ult. expressum, adhibetur à ministro, tanquam forma Sacramenti. Ac proinde commentarius Hieronymi intelligentis verbum doctrinæ, non est literalis, sed tropologicus, ut ipsemet dicit.

*Non requiritur verbum concionatorium seu concio.*

Neque enim verbum concionatorium, quo minister populum exhortatur, ad sacramenti essentiam pertinet, quamvis id contendant sectarij, sed pauca quædam quæ per traditionem accepta proferuntur : ut de singulis suo loco dicetur. Unde aliud esse munus concionatoris, aliud baptizantis, probat illud 1. ad Corinth. 1. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* D

Accedit quod Eunuchus Act. 8. & familia Cornelij Act. 10. baptizati sunt, non verbo concionatorio, sed postquam, ille à Philippo, isti à Petro erant edocti.

In secunda ratione verba Augustini, *Faciente verbo, non quia dicitur sed quia creditur* ; hunc habent sensum : Aqua baptismi habet vim sanctificandi prout conjungitur verbo Christi, seu formæ, non propter materialem sonum vocis, sed quia creditur, id est propter fidei mysterium quod significat & continet. Quem sensum indicat B. Thomas art. sequenti ad 1.

Tertiæ rationis hæc est summa, Verba cum E diversimodè formari possint ad significanda diversa, possimusque per ea magis distinctè exprimere nostros conceptus ; juvant ut significatio sit certior & expressior ; talem autem significationem decet esse in sacramentis legis gratiæ, cum perfecta sint, & signa passionis præteritæ : ergo conveniens est ea verbis perfici.

*Omnia sacram. novæ legis tribus perficiuntur.*

Quapropter universaliter hoc est tenendum, quod omnia sacramenta *novæ legis tribus perficiuntur, rebus tanquam materiâ, verbo tanquâ formâ, & persona ministri* ut loquitur Concilium Florentinum. Sub rebus tamen non solum intelligitur aliqua res permanens, sed etiam actiones illæ sensibiles quæ vicem materiæ obtinent. Et notandum quod Concil. non dicit constant, sed perficiuntur Sacramentum enim Eucharistiæ verbis quidem perficitur, sed non constat ex illis.

Porrò compositio Sacramentorum ex rebus & verbis, tum à Concilio Florentino, tum ab auctore hîc ad 2. & ab alijs in 4. comparatur compositioni materiæ & formæ. Primum, quia res & verba in Sacramentis habent se, quo modo in rebus naturâ vel arte compositis, materia & forma ; id est, ut partes essentiales, quarũ una si desit, Sacramentum non subsistat. Secundo, quia sicut in rebus cõpositis, materia ex se imperfecta & indifferens restringitur ad aliquid certum per formam : ita in sacramentis, cum res sensibilis imperfecta sit & indifferens ad significandum, determinatur per verba ministri, ut hîc declarat Auctor in fine corporis.

*Ob.* Nec obstat quod significatio Sacramenti videatur esse forma, propterea quod sacramentum est signum ; formale autem signi est significatio, sicut *Resp.* materiale est res significans : quamvis enim tota significatio rei compositæ ex verbis & rebus possit dici forma totius, quomodo humanitas est forma hominis, quia nimirum totum sacramentum ab ea immediatè denominatur signum : si tamen res cum suâ significatione, & similiter verbum cum suâ, comparentur inter se ; illa habet rationem materiæ, hoc formæ ; propterea quod omne determinabile & imperfectum est instar materiæ ; determinans autem & completivum, instar formæ.

Ex his colligitur quod Sacramentum neque est materia sola, neque forma sola ; sed id quod ex illis ut partibus essentialibus perficitur, ad similitudinẽ totius physici vel artificialis. Unde quamvis singulæ partes, si spectentur in ordine ad totum, aliquid significent effectumque producant, ut ex Authore hîc & q. 86. ar. 6. colligitur ; dicente, *quod omne Sacramentum producat suum effectum non solum virtute formæ sed etiam virtute materiæ* : tota tamen ratio & significatio Sacramenti est in eo quod oritur ex conjunctione utriusque simul sumpti ; quod licet ex pluribus constituatur, est tamen unum in genere signi & instrumenti gratiæ : *Materia enim & forma simul sunt unum sacramentum*, qu. 27. verit. art. 4. ad 10.

*Ob.* Dices, si materia & forma sunt partes sacramenti ; ergo debent esse simul & uniri. *Resp.* sicut sunt *Resp.* partes secundùm accommodationem & proportionem ; ita debent aliquo modo conjungi, juxta illud August. ; *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Quia tamen sacramenta more humano applicantur, probabile est ad eorum essentiam non requiri conjunctionem physicam, quâ materia & forma simul existant eorum puncto temporis, sed sufficere moralem ; quæ, juxta verborum formæ significationem, & qualitatem actionis qua fit Sacramentum, satis sit ad veritatem formæ, & ad hoc ut ipsa moraliter loquendo censeatur cadere super hanc materiam, & cum ea conjungi ad constitutionem unius signi : ita nimirum ut juxta communem rationẽ concipiendi judicetur unũ alteri applicari, & alterum ab altero determinari. Unde fit ut pro diversitate Sacramentorum diversa requiratur propinquitas.

Quapropter, quamvis minister attentus esse debeat, ut simul applicando materiam proferat verba : si tamen non fiant omnino simul, ut si baptizans



tizans verba proferat continuò ante applicationem A materiæ, vel fiat paulò ante illam continuò subsequentem, multis verisimile est fore Sacramentum. Sicut enim qui scyphum ori admovens dicit, Bibo, verum dicit si continuò post prolationem, bibat ; ita qui dicit, *Baptizo*, si statim post, aquam adhibet : eò quòd, juxta moralem usum, ea intelligantur esse simul.

Similiter in ordinatione, si Episcopus prius dicat, *Accipe potestatem* &c. & continuò post, ordinandus accipit seu tangit calicem, tenet ordinatio. Si verò tantùm temporis intercederet, ut more humano non censerentur esse simul ; sacramentum non perficeretur, Ita docent Dominicus in 4. dist. 3. art. 8. A Victoria quæst. ult. de baptismo, Suarez B & Pesantius in hac qu. Cabrera & Nugnus quæst. 66. sequenti art. 8. Emanuel Sa, verbo *Baptismus*, quamvis Scotus in dist. 6. Nider in præceptorio, Navarrus, & alij quidam aliter opinentur.

Circa Responsionem ad 3. observa in sacramentis veteribus nulla verba fuisse, quæ ad essentialem eorum rationem pertinerent ; quia eorum significatio non debebat esse tam expressa quàm nostrorum : ac proinde verba, quorum erat usus in aliquorum administratione, cæremonialia erant, non essentialia.

### Articulus VII.

*Requiruntur verba determinata.*

Art. 7. Docet in sacramentis requiri verba C determinata, idque multò magis quàm requirantur res determinatæ ; quia verba habent rationem formæ ; formæ autem est determinare. Huc pertinet quod de veritate aut falsitate sacramentorum judicare solent Patres ex servata vel non servata verborum forma. Unde in Concilio Niceno, baptismus Paulianistarum, judicatus est irritus ob defectum formæ.

*Ob.* Sed contra, Sacramentum est validum, quando mutatis verbis à Christo institutis non variatur sensus, non est autem validum, si mutentur res, & assumantur aliæ, alioquin aptæ ad significationem effectus Sacramenti : ergo verba non sunt deter- D minata.

*Resp.* Resp. verba esse determinata, non quoad sonum, sed quoad sensum, qui est idem apud omnes, licet non eodem sono verborum explicetur, sed pro diversitate nationum, diverso. Apud quas cùm non varientur res, sed apud omnes eædem sint, ut aqua, vinum, oleum : ideo res non possunt mutari, sicut verba.

Cùm in responsione ad 2. dicit eam vocem debere assumi in significatione Sacramenti quâ principalius & communius utuntur homines illius linguæ ad hoc significandum verbum (*debet*) non significat necessitatem simpliciter, ad subsistantiam sacramenti ; sed obligationis : quâ necessitate mi- E nistri sacramentorum obstringuntur uti verbis illis quibus sua Ecclesia uti solet. Illa enim sunt principaliora & communiora, in usu scilicet ecclesiastico, ad quem pertinet significatio sacramentalis. Porro, sicut ratio materiæ in Sacramentis non præcisè æstimanda est physicè, sed in ordine ad usum humanum & juxta ecclesiæ traditionem (neque enim massa farinæ subactæ idonea est materia Eucharistiæ, ante coctionem, sive differat specie à pane, ut creditur, sive non : neque nix aut glacies non soluta, materia baptismi : ) ita vox reputatur communis & principalis ad significationem sacramenti, si communi usu fuerit recepta, sive sit istius linguæ nativa, & ex primaria vocis institutione, sive non. Quomodo in Ecclesia Latina usurpantur hæ voces, *baptismus, baptizo, chrisma* ; & hæc locutio figurata, *Hic est calix sanguinis mei.* De resp. ad 3. dicetur art. seq.

### Articulus VIII.

Art. 8. docet non licere aliquid addere verbis in quibus consistit forma sacramenti. Ad cujus intelligentiam.

### Quæritur I.

## *Quæ mutatio tollat veritatem Sacramenti.*

*Substantialis tollit, non accidentalis.*

Resp. quod substantialis tollat, non accidentalis, ut ex Augustino lib. 6. contra Donatistas c. 25. ex Zacharia pontifice de consecratione d. 4. capitulo *Retulerunt*, ex Authore hîc ad 2. & ex communi sententia Ecclesiæ, constat. Vocatur autem substantialis, quæ sensum variat : Accidentalis, quæ ipsum non variat : eò quòd sensus est velut anima verborum, nec nisi propter eum verba proferuntur.

Loquimur autem de sensu formæ per se intento, quo videlicet proprius effectus ipsius formæ aut Sacramẽti significatur. Unde quamvis in forma Sacramenti Eucharistię omittatur vocula (*enim*) ideoque jam non sit enuntiatio causalis ; non est tamen mutatio substantialis, quia nihilominus manet sensus per se intentus : significatur enim conversio. Ad horum pleniorem intelligentiam, varij mutationis formę modi observantur à scholasticis.

Primus est, si assumantur verba alterius idiomatis : de quo B. Thomas art. 7. ad 1. pronuntiavit Sacramentum perfici cujuscunque linguæ verbis idem sensus formæ proferatur : Alioquin enim omnia Sacramenta deberent ministrari eo idiomate quo Christus usus est, quod constat esse falsum. Potest enim Ecclesia præcipere (uti & præcepit) certarum linguarum usum : cujus præcepti neglectu quamvis peccetur, non redditur tamen invalidum Sacramentum. Cum verò tale præceptum dirigatur ad eos qui ex officio sunt ministri, quive solemniter Sacramenta ministrant ; in necessitate potest infans sicut sine solemnitate, ita & à quocunque, & in qualibet lingua baptizari ; juxta Rituale Rom. Pauli quinti : Imò, tutius est laicum in necessitate baptizantem, & linguæ Latinæ ignarum, proferre formam sermone vulgari, juxta Sotum in 4. d. 1. art. 8. & Nugnum hîc. Si etiam contingat fieri mixtionem idiomatum, ut si quis, partim Gallicè, partim Latinè baptizaret ; eam non esse contra substantiam Sacramenti, post Cajetanum plures annotarunt.

Secundus modus est, quando intra idem idioma sumuntur alia verba, synonima illis quibus Ecclesia uti consuevit : Si enim hæc verba revera idem significent, non ex privata cujuspiam institutione, sed ex publico & communi usu ; neque solummodo secundùm rem, sed etiam explicitè & distinctè ; Sacramentum perficietur, quia erit mutatio tantum accidentalis. Ut si, *pro absolvo te à peccatis*, diceret quispiam, *remitto tibi peccata.* Si quis autem dicat : ego te baptizo in nomine Trinitatis :

Universidad de Deusto
Biblioteca



nitatis: non erit baptismus; quia vocabulum Tri- A
nitas, non significat distinctè idem quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Si verò sumantur verba æquivoca, quæ in una significatione referunt eundem omnino sensum quem habent verba sacramentalia; in alia verò diversum, sed ex animo & intentione proferentis determinentur ad significationem & sensum verborum formæ; ratum erit sacramentum; secus verò, si alieno à verbis formæ sensu proferantur.

*De transpositione verborū.*

Tertius mutationis modus est per transpositionem verborum: quæ inducit mutationem accidentalem, quando non mutat debitum sensum verborum: substantialem, quando mutat: ut in responsione ad 3. docet Author. Hoc autem ex B
communi sensu judicandum est. Si enim tanta sit, ut audientes prudenter judicent non facere eundē sensum; erit substantialis mutatio. Unde si quis dicat, In nomine patris & Filij & Spiritus Sancti te ego baptizo: Hoc corpus meum est; præficietur Sacramentum: non autem fortassis si diceret: Ego Patris te baptizo in nomine, Filij, & Spiritus Sancti, ut observat Cabrera. Qui tamen addens nō fore consecrationem dicendo, Meum est hoc corpus; minùs probabiliter loquitur: ut ex ijs quæ de illo pro nomine dicentur q. 78. patebit.

*De interruptione.*

Quartus modus est per interruptionem: quæ (ut est in resp. ad 3.) obstat veritati sacramenti, *quando tanta est ut intercipiatur intentio pronuntiantis*: id est, ut ex communi sensu judicetur non C
perfici unam orationem & unum sensum, ideoq; sensum pronuntiantis non esse unum; ut si quis postquam pronuntiavit. *Hoc est corpus*: notabili morâ conticeret, vel Psalmum aliquem recitaret, ac postea adderet, *meum*. Si verò non sit tanta ut discontinuet actum, sed judicetur esse una propositio: ut si sacerdos cùm dicit, *hoc est*, sternutaret vel tussiret: ac statim post, subjungeret, *corpus meum*, sacramentum esset perfectum: ac fortassis etiam, si postquam dixit, *Ego te baptizo*, dicere fabulantibus, tacere; ac tum subjungeret, *In nomine Patrū & Filij & Spiritus Sancti.*

Quintus modus, est per additionem.

Sextus, per substractionem. Quibus sacramenti veritas tollitur, si debitus verborum sensus D
non manet. Ut si vel addatur aliquid falsi, formam afficiens: vel subtrahatur aliquid essentiale. Veluti, si Arianus diceret, Ego te baptizo in nomine patris majoris &c. Aut si quis prorsus reticeret personam baptizati: qua de re videatur q. 66. art. 5. concluſ. 3. Dixi *formam efficiens*: Nam si formę integræ attexeretur aliquid impertinens, quod nec formam afficeret, nec ejus sensum variaret, esset mutatio solùm accidentalis, etiamsi veræ fidei repugnaret. Ut si consecrans postquam dixit, *Hoc est corpus meum*, diceret, quod de cœlo sumptum est: hoc adjiciens non ut partem formæ, sed simpliciter volens errorem suum indicare aut E
etiam introducere, valida esset consecratio: secus, si additionem illam faceret partem formæ, quia tunc forma ipsa redderetur falsa. Vide Aug. l. 6. contra Donatistas c. 25.

Septimus modus est per corruptionem. In qua considerandum est, an verba corrupta non habeant alium sensum legitimum, id est, verbis secundùm communem morem intelligendi respondentem. Quando enim non habent: communiter retinent illum eundem quem habebant incorrupta: & sic perficitur sacramentum. Quando autem per corruptionem novus sensus inducitur: vel est mutatio substantialis, vel certè forma redditur dubia. Et quamvis Auctor ar sup. ad 3. dicat corruptionem potissimùm esse substantialem, si sit in principio dictionis; accidentalem; si sit in fine, loquens (ut apparet) de vocabulis linguæ Latinæ: potest tamen (ut etiam ipse concedit) & aliter res se habere. Nam si pro (*baptizo*) diceret quis, *baptizor*, esset mutatio substantialis. Idemque monet magis attendendam esse quantitatem corruptionis, an scilicet idem sensus maneat, an verò tollatur.

## QUÆRITUR II.

*An ex intentione proferentis pendeat ut mutatio sit substantialis, vel accidentalis.*

Ita scilicet, ut si intendat novum ritum aut errorem introducere in Ecclesiam; irritum sit Sacramentum.

Resp. in mutatione quæ reddit sensum ambiguum, attendenda est intentio ministri: si enim sua mutatione sic intendat introducere errorem, ut non verum sensum formæ, sed falsum significare velit; mutatio erit substantialis: & ex defectu formæ, sacramentum non subsistet, ut si baptizans in nomine Patria & filia &c. intenderet significare quod in divinis sit filia: aut si formæ baptismi adderet, *& B. virginis*; intendens eo modo baptizare in nomine ipsius, quomodo baptizat in nomine Patris. Si autem in oratione ambigua intendit sensum Ecclesiæ: vel dictam additionem faciat solùm ad petendum suffragium B. Virginis, cujus intercessione baptizatus adjuvetur; mutatio erit accidentalis: ut B. Thomas hîc, Richardus, Durandus, & alij in 4. dist. 3. significant. Hujus ratio est, quia dum oratio patitur plures sensus: ex intentione proferentis determinatur ad unum illorum, & per eam tollitur ambiguitas. Verum, ne hæc contrariari videantur responsio Zachariæ Pontificis de consecrat. d. 4 capitulo, *Retulerunt*, per sequens conclusiones est respondendum.

### Prima;

Si minister bonâ fide agens corrumpat verba ex linguę impedimento, imperitiâ, vel æstimatione quod ita soleant proferri; valet Sacramentum, si alius sensus non inducitur. Hinc Pontifex, dicto capitulo respondit eos qui baptizati erant in nomine patria, & filia, & spiritu sancta non debere denuò baptizari, si baptizans non errorem introducens aut hæresim, sed ex ignorantia sic protulit.

Nec obstat quod illa verba per se & seorsim, ac in rigore non significent idem quod nomina Patris, & Filij: satis enim est quod ex modo quo hîc & nunc proferuntur ad talem actionem efficiendam, juxta communem concipiendi modum, ingenerent in animis audientium eundum orationis sensum; idque eò magis, quod verba sic corruptè pronuntiata, non habent alium legitimum sensum. Quam ob causam, idem quibusdam videtur esse judicium de eo qui ex imperitia abbreviaturæ baptizaret in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: de quo tamen vehementer dubito. Si quis autem ex subreptione vel inadvertentia diceret, ego te baptizo in nomine Patris, &



& Filij, & Spiritu Sancti; vel etiam sancto, bona A
fide agens, omnino dicendus esset baptismus esse validus.

### Secunda.

Si quis ex industriâ corrumpit vel mutat formam, non animo inducendi errorem, sed ex aliqua superstitione aut vanitate; mutatio erit accidentalis, modò non mutet sensum verborum, & intendat significare id quod Ecclesia significat. Patebit ex sequentibus.

### Tertia.

Non pendet ex sola intentione ministri vo- B
lentis introducere errorem aut ritum novum ab Ecclesia non toleratum, ut mutatio sit substantialis. Nam, ut qu. 64. art. 9 docetur, cum errore privato potest consistere generalis intentio faciendi quod Ecclesia facit.

Quapropter si errorem illum non exprimit in formâ; vel exprimit quidem, sed sic ut per expressionem non vitietur legitimus sensus formæ; erit mutatio accidentalis: Si autem sic forma exprimat, ut inde sequatur ejus falsitas, & verus sensus ab Ecclesia intentus destruatur; erit substantialis, quia deest legitima forma.

Prior pars probatur, quia non obstante prava ministri intentione, adsunt materia, forma, & C
minister cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quæ sola ad substantiam Sacramenti requirunt Patres Concilij Florentini.

Confirmatur, Donatistæ conferebant verum baptisma: similiter & Ariani, quando utebantur forma ordinaria: ut constat, de Donatistis quidem ex Augustini libris contra eos scriptis; de Arianis verò, can. 17 Concilij Arelatensis; cùm tamen Donatistæ affirmarent de necessitate baptismi esse, ut minister esset justus aut fidelis, eumque errorem vellent in Ecclesiam inducere: Ariani autem crederent Filium esse creaturam.

Et quamvis Græci intendant illam formam baptismi *Baptizetur servus Christi* N esse essentialem (*baptizatos enim à Latinis rebaptizare præsumpserunt*, ait Innocentius 3. in Concilio Lateranensi, & habetur in decretalibus, tit. de baptismo, capitulo, *Licet*) verè tamen baptizant, ut ex Concilio Florentino constat: sicut & verè consecrant, etiamsi velint non panem azymum, sed fermentatum esse materiam à Christo institutam. Vide Durandum & Paludanum in 4. d. 3.

*Explicantur verba Zachariæ Pont.*

Cùm ergo Pontifex in supra memorata exemplo insinuat non fore validum baptisma, si baptizans errorem aut hæresim introducere volens, verba corruperit; intelligendus est de errore qui & in forma exprimatur, & sit contra substantiam illius, seu evertat legitimum ejus sensum: ut si per E
filiam & Spiritu sanctam, intelligere voluisset feminas.

Nec obstat B. Tho. ar. 7. ad 3. & hîc in corpore dicens: *Eum qui ex industria corruptè verba profert, vel per additionē aut diminutionem intendit inducere novum ritum ab Ecclesia non receptum, non videri perficere Sacramentum*: Neque enim negat Sacramentum perfici, sed solùm affirmat quod *non videtur perfici*: quia talis minister *non videtur intendere facere quod facit Ecclesia*, estque merito suspectus quod talem intentionem non habuerit; eò quòd malitiosè agat. Quamvis autem hoc signum probabile sit, non est tamen certum; potuit enim minister sic agens habere intentionem generalem faciendi quod vera Christi Ecclesia facit; & sic perficere Sacramentum.

Posterior pars ex dictis quæsito 1. nota relinquitur.

Ex his patet nihil ad veritatem Sacramenti referre quod minister quædam addat vel subtrahat quæ putat essentialia, si revera non sint, modò non prætermittat aliquid eorum quæ verè sunt essentialia.

Posset hîc ulterius quæri, quid agendum sit, quando sive ob formæ mutationem, sive ob aliam rationem, dubium est an Sacramentum subsistat.

Sed cùm non videatur dubitandum quin Sacramentum quodcunque iterandum sit sub conditione, quando est verum seu rationabile dubium: veniamus ad aliud.

## QUÆRITUR III.

*An, & quale peccatum sit mutare formam aut materiam Sacramentorum.*

### Conclusio I.

Certum est unumquemque ministrum tēneri sic administrare Sacramenta, quomodo præscribitur in Pastorali Ecclesiæ, in qua ministrat.

### Secunda.

Certum est etiam, eos mortaliter peccare, qui quacunque materiæ seu formæ mutatione intendunt inducere ritus aut errores ab ecclesia non toleratos: Item, qui ex industria, vel crassa negligentia sic immutant materiam aut formam, ut Sacramentum reddatur irritum. Neque potest hîc ministros excusare juris ignorantia: quia scire debent quæ sunt sui officij. Sæcularis autem, in necessitate baptizans, & ex ignorantia formam corrumpens, etiam substantialiter; excusari potest saltem à mortali, si tamen non est obstetrix: hæc enim non debet admitti ad illud officium nisi bene instituta: ut est in secunda Synodo Provinc. Camerac. tit. 6. &, si admissa fuerit, obligata est scire formam baptismi, ipsiusque parochus tenetur curare ut ipsa non solum formam, sed etiam rectum baptizandi ritum probè teneat, & servet, Rituale Rom. tit. de ministro baptismi. Si tamen aut minister aut obstetrix mutationem substantialem vel accidentalem, etiam notabilem faciat ex parva negligentia, ex inadvertentia, oblivione, animi perturbatione, similive causa, ut contingit in repentinis casibus, peccatum est solum veniale.

### Tertia.

Qui ex industria corruptè profert aut mutat verba formæ, peccat mortaliter, si corruptio vel mutatio sit notabilis; etiamsi solùm accidentalis: venialiter, si parva, vel non scienter facta, modò tamen absit contemptus, etiam interpretativus. Parvitas enim materiæ communiter excusat à mortali.

Prior pars probatur, quia hoc cederet in irri-

Universidad de Deusto
Biblioteca



sionem Sacramenti, effetque transgressio præcepti in gravi materia. Qui ergo scienter baptizaret in nomine patria &c. qui in consecratione calicis sponte omitteret, *novi & æterni testamenti*, &c. vel consecraret sine cæremonijs missæ; peccaret mortaliter. Qui verò in consecratione corporis omitteret (*enim*) vel adderet, *quod pro vobis tradetur*: aut in Sacramento pœnitentiæ solum diceret: *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis*; omittens preces annexas, non videtur peccare plus quam venialiter. Illa enim parva sunt; & preces istæ non pari gradu præcipiuntur ab Ecclesia, sicut verba sequentia consecrationem calicis; quæ tanquam una oratio, ex verbis scripturæ & Domini traditione habita, cohærent cum verbis essentialibus, eaque quodammodo determinant; ut propterea quibusdam visa sint etiam esse essentialia, licet contrarium verius sit, ut ostendemus q. 78.

Ex his quidam concludunt quod qui pro uno verbo poneret aliud sine dubio æquivalens: ut qui pro *baptizo*, diceret *abluo*: pro *absolvo*: &c. *remitto* tibi peccata tua, solùm venialiter peccaret, seclusis scandalo & contemptu; quæ tamen vix possunt excludi, saltem in verbo abluendi, data opera sumpto, pro verbo, *baptizo*, quia non est certum quod æquivalet.

QUARTA.

VTi materiâ aut formâ dubiâ, cùm possis habere certam & indubitatam; peccatum est mortale: si autem non possis habere aliam, & necessitas aut salus proximi postulet ministrari Sacramentum; licet ea uti.

PRIUS probatur, quia hoc est absque ratione exponere se periculo non conficiendi Sacramentum, & proinde peccato sacrilegij & irrisionis rerum divinarum. Unde Augustinus l. 1. contra Donatistas c. 3. graviter peccari affirmat in rebus ad salutem animæ pertinentibus; vel eo solo quod certis incerta præponuntur.

Nec obstat licere sequi opinionem probabilem; quamvis enim probabile sit de quibusdam materijs & formis quòd sint sufficientes; non est tamen probabile quod licet ijs uti, quando possunt haberi certæ & indubitatæ.

POSTERIUS probatur, quia in dubijs eligi potest pars minus periculosa; neque est ullum periculum irrisionis rerum divinarum, quandoquidem necessitas id postulet. De his videri possunt Dominicus in 4. d. 3. Cabrera, & Nugnus hîc.

QUINTA.

NOn servare modum materiæ aut formæ generaliter observatum & notabilem; mortale peccatum est: ut si quis ex industria non misceat aquam vino; si Latinus absque necessitate consecret in fermentato: si solemniter baptizet forma Græcorum, si verba consecrationis proferat vulgari idiomate. Si verò per oblivionem aut inadvertentiam non valde crassam, omitteret mixtionē aquæ; aut necessitate urgente fermentatum consecraret: vel privatim, & sine scandalo & contemptu forma Græcorum uteretur: non videretur esse mortale. Idemque putant nonnulli de baptizante, absolvente, vel Sacramenta ab Eucharistiâ diversa ministrante lingua vulgari: difficile tamen esset excusare solemniter ministrantes, qui sine necessitate & ex industria sic proferrent.

## *Art. II.*

## QUÆSTIO LXII.

## *De necessitate Sacramentorum.*

### ARTICULUS I.

*Necesse fuit aliqua Sacramenta instituì.*

ART. 1. Docet Sacramenta esse necessaria; id est necessarium fuisse ad humanam salutem, ut Deus institueret aliqua Sacramenta. Loquitur autem non de necessitate inevitabilitatis, cum Deus potestatem suam non alligaverit Sacramentis; sed congruentiæ, ut scilicet juxta modum nobis congruentem salus nostra procuraretur, quemadmodum ex prima & secunda ratione patet, atque etiam ex 4. sent. d. 1. a. 2. Spectant autem tres ipsius rationes, ad tres causas institutionis Sacramentorum ab Hugone lib. 1. de Sacramentis, allatas; prima ad eruditionem; secunda ad humiliationem: tertia ad exercitationem.

Quod in solutione 1. dicit, *Exercitatio per usum Sacramentorum non est purè corporalis, sed quodammodo est spiritualis, scilicet per significationem:* generale est, & ad omnia Sacramenta pertinens: quod addit, *& per causalitatem*; peculiare est Sacramentis novæ legis,

### ARTICULUS II.

*An in statu innocentiæ necessaria fuerint Sacramenta.*

ART. 2. docet Sacramenta non fuisse necessaria in statu innocentiæ, seu in eo statu in quo fuerunt primi parentes ante peccatum. Quòd cùm variè possit intelligi, B. Th. cum Scoto in 4. d. 1. docet nulla in eo statu fuisse Sacramenta: & si status perduraſſet, nulla fuisse futura similia illis quæ fuerunt post peccatum: quia medicina non est necessaria sanis; nostra autem Sacramenta sunt quædam medicinæ.

Loquitur autem de Sacramentis propriè dictis, quæ sunt sacræ cæremoniæ, habentes significationem gratiæ sanctificantis: Nam generali ratione, secundùm quam omne illud dicitur Sacramentum, quod est mysterium & rei alicujus sacræ signum; matrimonium fuit Sacramentum, utpotè significans rem aliquam sacram, ut asserit B. Th. 2. 2. qu. 2. art. 7. & hoc ar. ad 3. indicat; non fuit tamen propriè Sacramentum, quia non erat institutum ut cæremonia sacra, neque ut significans gratiam contrahentibus aliquando conferendam.

Lignum etiam vitæ *Sacramentum erat* ait Augustinus lib. 13. de civit. Dei c. 20. non quod haberet rationem propriè dicti Sacramenti; non enim erat signum rei sacræ ut sacrantis; aut hoc non erat ex speciali Dei institutione, ait Richardus d. 1. sed Sacramentum fuisse dicitur, quia mysticum aliquid significabat: nempè, *ut sic fuisse accipiatur lignum vitæ in paradiso corporali, sicut in spirituali, hoc est, intelligibili paradiso, sapientia Dei, de qua scriptum est* (Proverb. 3.) *Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam.*

Utrum verò statu illo perdurante, instituta fuissent aliqua Sacramenta; res est prorsus incerta pendens nimirum ex voluntate Dei. Quia tamen, uti Sacramentis, non videtur magna subjectio, utpotè minor eâ quâ primi parentes quodammodo subjiciebantur ligno scientiæ, ut scilicet non comederent ex eo: quia etiam posteri illorum acquisituri erant scientiam per ministerium sensuum, & instructionem parentum: accepturi etiam gratiæ augmentum per bona opera, tam externa quam interna: Ideo non inconvenienter potuissent aliqua Sacramenta institui; partim ad cultum Dei servientia; partim ad effectum devotiùs excitandum; partim ad gratiæ augmentum: præsertim cùm, ut ar. 1 dicitur, *humana natura proprium sit, ut per corporalia & sensibilia deducatur in spiritualia & intelligibilia:* nec in unum religionis nomen coadunentur homines, sine aliquo Sacramentorum visibilium consortio, ut loquitur Augustinus eodem art. citatus.

*Resp.*

Dicimus ergo non futura quidem tunc temporis Sacramenta talia, qualia fuerunt post peccatum; ut concludunt B. Tho. Scotus, Durandus, & alij in 4. d. 1. quia omnia illa præsupponunt peccatum, & significant medicum salutis Christum, ejusque gratiam, tanquam medicinam; adeò ut B. Th. Suppl. q. 42. ar. 2. dicat, *de ratione Sacramenti esse quod sit signum & remedium*; Christus autem non erat in carne venturus, si peccatum non præcessisset, ut q. 1. est probatum: potuissent tamen alia quædam non inconvenienter institui.

*Fuissent sacrificia durante statu innocentiæ.*

Omnia autem futura fuisse sacrificia, non dubitamus: docet enim B. Th. 2. 2. q. 85. ar. 1. oblationem sacrificij pertinere ad jus naturæ. Neque de ratione illius est, quod pars cedat utilitati ministri ut patet de holocaustis, aut quod sic fiat de proprio, ut non de communi, quod opinatur Soto: cùm & commune possit offerri in recognitionem supremi Domini omnium rerum.

### ARTICULUS III.

*Oportuit esse Sacramenta ante Christi adventum.*

ART. 3. Probat, eo tempore quod fuit à lapsu Adæ usque ad Christum debuisse institui quædam Sacramenta: quia nullus sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum: ergo instituì debuerunt signa quædam sensibilia, quibus protestarentur fidem suam de Christo venturo. Talia autem, cùm sint signa rerum invisibilium, id est, fidei & gratiæ; Sacramenta vocantur. In quâ ratione simul inducatur quomodo vetera Sacramenta valuerint hominibus ad sanctificationem, scil. tanquam protestationes fidei, ut latius explicat Author 1. 2. q. 103. art. 2.

Circa Resp. ad 2.

QUÆRITUR,

*Vtrùm ante Circumcisionem fuerit aliquod remedium pro parvulis, contra peccatum originale?*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia Augustinus l. 15. de Civ. Dei. cap. 16. videtur loqui dubitanter.

SECUNDÒ, Sacramentum debet esse à Deo institutum; tempore autem illo nullum signum fuit homini determinatè præfixum, ut hîc loquitur B. Tho. Si dicas solam parentum fidem sufficisse: contrà est, quod fides non erat tunc majoris virtutis quàm postea fuerit: postea verò, sola non sufficit.

Contra tamen, solam fidem suffecisse probatur ex verbis Gregorij lib. 4. Moralium, c. 2. *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificij.* Et Bernardus, parvulis etiam solam profuisse, imò & suffecisse parentum fidem disertè affirmat, epist 77. eosque sequitur B. Thomas in 4. dist. 1. qu. 2. art. 6.

*Tres status hominum.*

Ut distinctè respondeatur, ut distinguenda sunt tria tempora seu status: scilicet legis naturæ, legis scriptæ, legis gratiæ.

Primum non ideo sic vocatur, quod excludat gratiam vel præcepta supernaturalia; sed quia tunc homines habebant legem naturalem naturaleque dictamen rationis, etiam dono fidei supernaturalis, instructæ; absque lege scripta communiter & publicè posita; qua is cum per Moysen data fuerit, ab eo usque ad Christum fuit status legis scriptæ in tabulis, quoad populum Judæorum: apud alias autem nationes, tempus legis naturæ duravit usque ad Christum. A Christo autem, est tempus gratiæ; de quo cum art. sequenti agatur, cumque de Sacramentis veteris legis constet ex libris Moysi, ex Concilio Florentino, quod pluta fuerint quàm unum: respondendum nunc est pro tempore legis naturæ, in quo fuisse Sacrificia, de quibus Gen. 4. 8. 12. 14. &c. non potest esse dubium. De Sacramentis autem controvertitur.

SIT PRIMA CONCLUSIO.

*Fuit parvulis remedium ante circumcisionis institutionem.*

ADMODUM probabile est quod ante circumcisionem aliquod fuerit remedium pro parvulis contra peccatum originale. *Non est credendum*, ait Augustinus l. 5. contra Julianum c. 9. aliàs 11. *& ante datam circumcisionem famulos Dei (quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi) nullo Sacramento ejus fuisse opitulatos parvulo suis.* Augustino consentiunt Gregorius, & Bernardus locis memoratis, Beda in caput 2. Lucæ, Scotus, Bonaventura, Durandus, Richardus, Major, & communiter Scholastici in 4. d. 1. B. Thomas q. 70. sequenti ar. 4. ad 2. qui etiam addunt, parvulis quod ante octavum circumcisioni destinatum diem mori contingebat; & puellis Judaicis tam ante quam post latam circumcisionem idem remedium fuisse applicatum. Quamvis enim certum hac de re documentum non habeamus in scriptura: providentiæ tamen & bonitati divinæ consonum videtur, ut non putemus omnes parvulos fidelium incircumcisos, omnesque post circumcisionem usque ad Christum parvulas feminei sexûs ex Judæis natas, perijsse.

*Fuit parvulis aliquod remedium ante octavum diem morientibus.*

SIT CONCLUSIO II.

*Non sufficiebat sola fides.*

QUAMVIS nonnulli opinentur per internum actum fidei parentum, justificatos tunc fuisse parvulos, nullo signo exteriori adhibito; cõtrarium tamen multò verius est: scilicet opus fuisse aliqua actione, vel signo exteriori, per quod parentes, aut parvuli curatores fidem Christi venturi, pro illo protestarentur: quod proinde esset Sacramentum, prout illud vocant Augustinus ubi supra, Scotus, Major quæst. 5. B. Thomas hîc. Confirmatur 1. quia justificatio non erat nisi ex fide Christi: ergo convenienter dicitur fuisse tunc aliquod signum fidei illius protestativum.

SECUNDÒ, parvuli dum justificabantur, adunabantur Ecclesiæ fidelium, non minùs quàm adulti: atqui *in nullum religionis nomen adunantur homines sine Sacramentorũ visibilium consortio*, ut ex

Universidad de Deusto
Biblioteca



Augustino refert B. Thomas art. 1. ergo debebat A esse aliquod Sacramentum.

TERTIÒ, Ecclesia semper fuit visibilis: ergo & illud quod quis fiebat membrum Ecclesiæ.

QUARTÒ, naturale est homini uti signis visibilibus: unde & erant sacrificia visibilia.

AD 1. ARG. RESP. Augustinum non aliud ibi dicere quam quod sacra historia taceat, utrum & quodnam fuerit signum regenerationis ante diluvium; fuisse tamen aliquod affirmat ipse l. 5. contra Iulianum, loco allegato.

AD 2. ut respondeatur, est observandum quod Sacramentum cum sit sacra legis cæremonia, debet habere institutionem secundùm naturam legis, in quâ est: Ac proinde, sicut in statu legis naturæ, lex ipsa interius & per modum naturæ fuit instituta & promulgata, non per scripturam, vel legislationem aliquam externam publicè omnibus propositam: Ita & istius legis Sacramentum institui debuit. B

*Explicatur B. Thomas.*

Non fuisse ergo homini determinatè præfixũ quibus Sacramentis uteretur, verum est hoc sensu, quod nullum signum quo eodem uterentur omnes fideles, fuerit determinatum; vel in particulari; vel per legislationem aliquam externam communiter omnibus factam.

Unde 1.2.q.103.art.1. B. Thomas asserit ante legem fuisse quasdam cæremonias, sod non per aliquam legislationem institutas: quæ causa est C cur scriptura non meminerit earum, perinde ac circumcisionis: præterquam quòd circumcisio ideo etiam memoretur, quia fuit primum signum, quo fideles seorsum ab infidelibus cœperunt adunari, datum illi qui *primus se à societate infidelium segregavit*; ut Annotavit Author q.70.art.2.&4.

*Fuit in lege naturæ externa cæremonia.*

Fuisse ergo cæremoniam aliquam externam à Deo per inspirationem, institutam & determinatam; ita tamen ut inspiratio illa non singulis fieret, sed præcipuis aliquibus per quos innotesceret alijs, sicut innotuit facultas polygamiæ, verisimilius arbitramur. *Ex interiori instinctu*, ait Author q.60.art.5.ad 3. *determinabatur eis quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur* & 1. 2. q. D 103.art. *Quia etiam ante legem fuerunt quidam viri præcipui, prophetico spiritu pollentes; credendum est quod ex instinctu divino, quasi ex quadã privata lege, inducerentur ad aliquem certum modũ colendi Deum.* Quod autem iste modus esset apud diversas nationes diversus: probabile fit ex eo quod dictum est non fuisse unum pro omnibus determinatum.

Neque est quod respondeat quis, omnia hæc solos adultos concernere: nam cum adulti essent fideles, peccatique originalis notitiam haberent: quî credi potest, quod parvulorum suorum curam non haberent, ut pro illis periclitantibus facerent quod charitas & pietas suadebant?

Ad authoritatem Gregorij Respondetur quòd E sub nomine fidei comprehendat externam illius professionem: Ac proinde cùm dicit, *sola fides*, excludit Sacrificium ejusque necessitatem, non autem externam fidei professionem. Distinguit enim inter parvulos & adultos, quod illis sufficeret fides, id est, *fidei professio*; in his autem insuper requirebantur sacrificia, eò quod præter peccatum originale, etiam actualibus erant obnoxij.

Eodem modo intelligendi sunt Bernardus, Beda, & alij Gregorium secuti, nisi quod Beatus Thomas dicto loco 4. sentent. videri possit sentire solum fidei morum internum, sine omni extetiori signo, sufficisse. Quod tamen exponendum putamus de signo per legislationem aliqua instituto & determinato: Nam articulo secundo, *Explicatur B. Thomas.* quæstiuncula tertia ad secundùm ita scribit, *Ante legem scriptam erant quædam Sacramenta necessitatis, sicut illud fidei Sacramentum quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati*, quo modo etiam exponendum est, quod quæstione 70. sequenti articulo quarto ad secundùm dicit, non fuisse tunc requisitum aliquod signum protestativum fidei; & sufficisse fidem, ut scilicet excludat necessitatem signi aliqua legislatione publica instituti & determinati; dicat autem sufficere fidem, id est, fidei professionem. Junctim enim loquitur de parvulis & adultis, quòd sola fides eos justificabat; cum tamen determinatum fuisse adultis aliquod signum ex interiori instinctu, non semel affirmet. Unde q.4.de malo art.8.ad 12. *fides* (inquit) *antiquorum cum aliqua protestatione fidei, valebat parvulo ad salutem*, & quod illo ar.q.70. dixit, *sola fides Christi justificabat tam parvulos quam adultos*; q.68.ar.1.ad 1. sic dicit, *Antequam circumcisio institueretur, sola fide*, (ut Greg. dicit) *cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui patres profitebantur, homines Christo incorporabantur.*

Ex his cum responsione ad 3. collatis, colligendum relinquitur, fuisse in statu legis naturæ etiam alia Sacramenta ab eo quod contra peccatum originale ordinatur. Hinc dist. 1. 4. sentent. art. 2. B. Thomas agnoscit pœnitentiam seu signum aliquod pœnitentium, quo uterentur contra peccata actualia, & qu. 65. sequenti art. 1. ad 7. dicit quod *oblationes & decimæ tam in lege naturæ quam in lege Moysi, ordinatæ fuerunt in figuram: & ideo erant Sacramenta.*

Porro quod diximus de Sacramentis legis naturæ; intelligendum etiam est de illis qui tempore legis Mosaicæ cultores Dei erant extra populum Judaicum.

De Sacramentis autem veteris legis qualia erant circumcisio, agnus paschalis, consecrationes Sacerdotũ, panes propositionis, expiationes & purificationes variæ: videndus est Auctor 1.2.q.102.a.5.

### ARTICULUS IV.

ART. 4. docet (id quod fidei est) post Chri- *Debent esse Sacram. post Christum diversa à veteribus.* stum debere esse Sacramenta: eaque à veteribus diversa.

PRIUS probatur, quia debent esse signa quibus homines profiteantur fidem de ijs quæ fuerunt, sunt, & erunt; atque adeò huc etiam pertinent rationes articuli 1.

POSTERIUS probatur. PRIMÒ, quia oportet alijs signis significari præterita, alijs præsentia, & futura.

SECUNDÒ, quia cùm Sacramenta vetera essent prænuntiativa Christi venturi, in adventu ejus sunt impleta; & *quia impleta, ablata* sunt, ut loquitur Augustinus.

TERTIÒ, quia vetera erant ad infantium in fide pædagogiam, infirma & egena elementa, ad Galat. 3. & 4. quæ proinde congruebant populo duro & carni dedito.

Nunc ergo secundùm meliorem conditionem hominum, in libertatem & filiorum Dei hæreditatem vocatorum, meliora instituti congruebat.

QUARTÒ, vetera ideo mutanda fuerunt ne vel ipsi Deo grata secundùm se viderentur, vel homo ipse ijsdem semper utens potius in ipsis signis spem poneret



poneret quam in rebus per ea significatis. Vide A Aug epist. 5. l. 19. contra Faustum c. 13. & 16. & in Ps. 73.

De novorum Sacramentorum à veteribus discrimine vide q. seq. ar. 6.

## QUÆSTIO LXII.

*De principali effectu Sacramentorum.*

DE Sacramentis novæ legis sermo est. De quibus supponendum est, contra sectarios, ea non esse testimonia divinarum promissionum, nuda signa fidem excitantia, vel sigilla gratiæ prius acceptæ: B sed multò aliter valere ad gratiam & remissionem peccatorum, quàm verbum Dei seu Evangelium.

*Sacramenta multò aliter valent quam verbum Dei.*

PRIMÒ, quia scriptura post auditum & creditum verbum Evangelij, remittit homines ad Sacramentorum usum tanquam ad instrumentum gratiæ; Actor. 2. Petrus ijs quos prædicatione sua converterat, *Baptizetur* (ait) *unusquisque vestrum*, Actor. 8. Eunuchus postquam à Philippo edoctus fuit & credidit baptizari voluit, & baptizatus est: sicut & alij Act. 19. postquam crediderant.

SECUNDÒ, quod adhibetur ad aliud confirmandum, debet esse notius: Sacramenta autem non sunt notiora promissionibus Dei: signa enim C cujusmodi sunt Sacramenta comparatione verborum Dei minus distinctè significant quam verba. Nec obstat quod adhibeantur miracula ad confirmationem fidei; quia non adhibentur ad confirmationem authoritatis divinæ, sed ad confirmandum auditoribus vera esse quæ illis annuntiantur.

TERTIÒ, promissiones gratiæ sunt conditionatæ: conditionum autem earum non est unicuique certitudo: ergo Sacramenta non possunt esse certa promissionum testimonia. Imò bona opera sunt illis certiora; cum Sacramenta possint malè suscipi, eorumque effectus multipliciter impediri, ex quo etiam consequens est, non posse certò D obsignare justitiam. Adde, quod Sacramenta quædam instituta sunt ad gratiam vel primò habendam, vel amissam recuperandam, ut baptismus & pœnitentia: ergo non sunt signa obsignantia gratiam prius acceptam. Hinc synodus Tridentina sess. 7. canon. 6. anathemate ferit eum qui *dixerit sacramenta esse tantum signa externa acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notas quasdam Christianæ professionis.*

QUARTÒ, Si Sacramenta sunt testimonia promissionum, vel fidem excitant: ergo frustra baptizantur parvuli, quod ne admitteret Lutherus, asserit in infantibus usum rationis, non solum contra Augustinum epist. 57. sed etiam con- E tra experientiam. His addi possunt quæ dicentur in sequentibus.

### ARTICULUS I.

*Virum Sacramenta sint causa gratiæ.*

NEGANT sectarij. PRIMÒ, quia *justus ex fide vivit*, ad Rom. 1. non dicitur autem quòd ex Sacramentis.

Confirmatur, Marci ult. cum dictum esset, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*; solum re-

petitur. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*; nullâ facta mentione baptismi: si ergo ille qui non credit, damnatur, etiamsi baptizetur; non baptismus, sed fides est causa salutis.

SECUNDÒ, 1. Petri 3. dicitur, *Quod & vos similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio*; id est, pactum: quasi dicat, non quatenus lavat corpus, sed quatenus obsignat pactum quod habet anima cum Deo, dum fide accipit ejus promissiones. Unde Augustinus tract. 80. in Joannem docet baptismum habere à verbo Dei quod justificet; non quia dicitur, sed quia creditur.

TERTIÒ, circumcisio vocatur *signum fœderis* Dei cum Abraham, Genesis 17. & *signaculum* seu sigillum *justitiæ fidei*, ad Rom. 4. ergo etiam Sacramenta novæ legis.

DENIQUE, fides suscipientis requiritur in omni Sacramento: sed illa est similior gratiæ quam Sacramenta, quæ sunt signa materialia; ergo dicenda est esse fides quæ gratiam confert, non Sacramenta.

RESPONSIO ad fidem pertinens, est, Sacramenta novæ legis verè & propriè causare & conferre gratiam.

PROBATUR 1. ex scripturis per inductionem. *Fidei est Sacramenta conferre gratiam.*

De baptismo Actorum 2. *baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: & 22. *Baptizare & abluere peccata tua.*

Joannis 3. *Nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Ad Eph. 5 *Mundans eam*, scilicet Ecclesiam, *lavacro aquæ in verbo vitæ*: & ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Quibus locis manifestè significatur baptismus esse causa remissionis & ablutionis peccatorum, regenerationis, & munditiæ spiritualis.

De Confirmatione, Act. 8 & 19. ubi per impositionem manuum Apostolicarum datus est Spiritus Sanctus.

De Eucharistia, Joannis sexto, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Idemque post evidenter probat: ex Matthæi 26. 1. ad Corinth. 10. & 11. per hoc quod ex illis locis certum est Christum esse, realiter in isto Sacramento præsentem.

De Pœnitentia Joannis 20. *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*

De Extrema Unctione, Jacobi quinto, *Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

De Ordinatione, 1. ad Timotheum 4. & 2. ad Timoth. 1. ubi dicitur collatum fuisse Timotheo gratiam, quando fuit per impositionem manuum ordinatus.

De Matrimonio, Joannis 2. ubi testibus Cyrillo & Maximo in sermone de Epiphania per Christum sanctificatæ sunt nuptiæ.

PROBATUR SECUNDÒ, ex Concilijs, Constantinopolitano, Viennensi, & alijs, quæ confitentur baptismum in remissionem peccatorum. Quibus accessit Florentinum, dicens quod *hæc sacramenta & gratiam continent, & dignè suscipientibus conferunt*: & Tridentinum, quod cum supra nominatos hæreticorum errores varijs canonibus damnet:

Universidad de Deusto
Biblioteca



damnet: sub anathemate definit *Sacramenta gratiam continere, eamque non ponentibus obicem conferre*, sess. 7. can. 6. 7. & 8. quod non aliud est quam causare gratiam. Unde sess. 6. c. 7. asserit baptismum esse causam instrumentalem nostræ justificationis.

PROBATIO TERTIA est ex Patribus, Dionysius eccles. hierarch. c. ult. sub finem, *in mysteriis*, id est, Sacramentis, præter mysticam eorum intelligentiam, id est, significationem, agnoscit *vim quæ in eis Deo authore efficacitatē habet*. 1. efficaciter operatur.

Augustinus in Psal. 73. dicit quod *Sacramenta novi testamenti dant salutem*. Vide eundem libr. 19. contra Faustum c. 11. 13. 16. & tractatu 80. in Joannem. Leonem sermone 4. & 5. de nativitate, Chrysost. hom. ad baptizandos, to. 5. Hier. in c. 1. Isaiæ, Ambrosium in libris de Sacramentis, Basilium in oratione de baptismo: estque hæc perpetua Ecclesiæ traditio.

Confirmatur, Vetera Sacramenta, præter significationem, operabantur justificationem carnis, ad Hebr. 9. ergo nova operantur justificationem animæ: quia sic se habent nova ad animam sicut vetera ad corpus.

AD 1. ARG. RESP. id quod aliquando fidei tribuitur, aliàs alijs rebus tribui: ut *timori*, Ecclesiastici 1. *dilectioni & charitati*, Proverb. 10. Lucæ 7. 1. Petri 4. *pœnitentiæ*, Act. 3. *eleëmosynæ* Tob. 4. & Ecclesiastici 3. *invocationi Dei*, ad Rom. 10. *Sacramentis*, Act. 2. Ioan. 3. & 20. ad Titum 3.

Sicut ergo dum nominatur fides, non excluditur dilectio, timor, pœnitentia: ita nec Sacramenta; sed hæc requiruntur ut instrumenta; fides, ut radix & fundamentum: pœnitentia, timor & dilectio, ut dispositiones.

*Ad Rom. 1.* Sensus ergo scripturæ est, justum habere vitam justitiæ ex fide, ut qui non possit eam vitam adipisci, retinere, in ea permanere & proficere, nisi per fidem, eam nimirum quæ firmam animi adhæsionem ad ea quæ divinitus revelata sunt dicit, cum bona voluntate implendi ea quæ fides præcipit.

Ad confirmationem, negatur consequentia; quia solum sequitur quod baptismus non sufficiat ad salutem illi qui non vult credere: cum tamen sine baptismo re suscepto nonnunquam fides sufficiat.

AD 2. RESPONDETUR Apostolum 1. Petri 3. significare quod baptismus nos salvet, non quatenus est depositio sordium carnalium, sed quatenus adjunctam habet interrogationem, & ad interrogata seriam responsionem. Loquitur enim de interrogatione quæ fit in cæremonis baptismi, an quis velit baptizari, an renuntiet sathanæ, an credat in Christum. Quibus interrogationibus quando bonâ cum conscientiâ, id est, sincerè & ex animo respondetur: Volo, Renuncio, Credo; fit professio fidei; quæ est legitima ad Sacramentum & sacramenti effectum dispositio. Hanc *interrogationem* Petrus in Græco vocat *stipulationem*, quâ inter duos, uno interrogante & altero respondente, solet fieri contractus. Additur, *in* seu *ad Deum*: vel quia solus Deus testis est conscientiæ respondentis, an bona sit vel syncera; vel quia res agitur coram Deo. Non vult autem Apostolus removere salutem ab externa cæremonia, sed cum in baptismo reperiantur duo, scilicet externa ablutio, & jam dicta interrogatio; docet interrogationem, cui bona cum conscientia respondetur, esse præcipuum: externa enim ablutio per se non salvat, sed requirit dispositionem ejus qui potest illam habere. Est autem phrasis scripturæ usitata, quâ unum negatur, dum alterum ei præponitur: *Misericordiam volo, & non sacrificium*, Oseæ 6. Vide Hesselium in priorem Epistolam Petri. De verbis Augustini dictum est art. 6. qu. 60.

AD 3. RESP. quod Abraham jam antè justificatus per fidem, accepit postea signum circumcisionis, id est, ipsam circumcisionem quæ pro signo illi & ejus posteritati data est, accepit inquam circumcisionem, quæ esset signaculum, id est, sigillum ejus justitiæ quam acceperat ex fide, tunc quando adhuc erat in præputio, id est, nondum circumcisus. Hæc autem obsignatio fiebat, ut præcedens ejus justitia comprobaretur, certaque redderetur. Sed quemadmodum peculiare est Abrahæ, quod sit pater omnium credentium, etiam præputiatorum, per fidem quam habuit ante circumcisionem: ita privilegium ejus fuit, quod circumcisio esset illi sigillum justitiæ fidei: cùm posteris illius solùm esset signum, de quo dicetur qu. 70. unde nec invenitur vocata sigillum, nisi respectu Abrahæ. Ut interim taceam id quod circumcisioni convenit, non competere omnibus Sacramentis.

AD ult. neg. consequentia, solùm enim sequitur quod actus fidei possit assumi à Deo, ut instrumentum gratiæ conferendæ. Horum occasione ab aliquibus hîc.

## QUÆRITUR I.

### *An omnia Sacramenta per se conferant primam gratiam.*

ET videtur quod sic. PRIMÒ, quia alioquin non dicerentur absolutè conferre gratiam: sicut bona opera justorum non dicuntur simpliciter mereri gratiam, quia non merentur primam, sed ejus augmentum.

SECUNDÒ, B. Thomas quæst. 79. art. 3. dicit Eucharistiam secundùm se habere virtutem ad remittendum quæcunque peccata.

*Resp. neg.* RESPONDETUR non omnia Sacramenta per se, id est, ex suâ institutione conferre primam gratiam; etiamsi per accidens aliquando eam conferant: quia non omnia sunt instituta ad justitiam primò habendam, vel amissam recuperandam: sed quædam ad eam augendam, nutriendam, roborandam; ut de confirmatione tradit B. Thomas q. 72. a. 7. in responsione ad argumenta: de Eucharistia, q. 79. ar 3. & qu. 80. ar. 4. De extrema unctione, supplementi q. 30. ar. 1. De ordine, q. 36. ar. 1. In eandem doctrinam consentiunt Scotus, Durandus, Bonaventura, Paludanus in 4. dist. 9.

Et confirmatur, quia Concilium Tridentinum initio sess. 7. dicit quod per Sacramenta *omnis vera justitia vel incipit, vel capta augetur, vel amissa reparatur*.

Ex canone etiam 6. liquet quod Sacramenta per se conferant gratiam quam significant; non omnia autem significant primam, ergo per se non conferunt illam.

Neque satisfaciunt respondentes id per se competere omnibus Sacramentis secundùm rationem genericam, etsi non secundùm specificam.

PRIMÒ, quia Christus non instituit Sacramentum secundùm suum genus, ad primam gratiam conferendam; sed instituit unumquodque in certa aliqua specie, baptismi scilicet Confirmationis, &c. ad conferendam gratiam illi speciei propriam; nimirum regenerationem, roboris & augmenti, &c.



SECUNDÒ, quia sequeretur omnia Sacramenta per se, ex suo genere, valere ad remissionem peccatorum mortalium; ideoque simpliciter per se: quod enim convenit ratione generis, simpliciter convenit.

TERTIÒ, sic ratio generis repugnaret differentiæ: nam Eucharistia ut Sacramentum, conferret per se primam gratiam: ut autem Sacramentum Eucharistiæ non per se conferret illam.

AD 1. ARG. RESP. neg. antecedens omnia enim Sacramenta novæ legis per se & ex suâ institutione valent ad conferendam veram & propriè dictam gratiam. Ad confirmationem RESP. quod nulla opera justorum mereantur primam gratiam: cùm tamen Sacramenta aliqua illam conferant. Ac nihilominus, si loquamur de merito quod nobis est non à nobis, sed à gratia inhabitante & movente; verum est justos bonis operibus mereri gratiam, quia mereantur ejus augmentum.

AD 2. sensus verborum B. Thomæ non est quod Sacramentum Eucharistiæ per se, seu ex suâ institutione, habeat virtutē ad remittendum quæcunque peccata: sed quod illam habeat, si virtus ejus, quæ est passio Christi, consideretur secundum se.

*Quæ Sacramenta vivorum.* Ex his intelligi potest Scholasticos rectè distinguere Sacramenta, novæ legis, quod alia sint Sacramenta vivorum, alia mortuorum. Vivorum enim Sacramenta dicuntur, quæ secundùm suam institutionem conferuntur ijs qui vita spirituali vivunt, hoc est justis, ut detur illis gratiæ augmentum & hujus generis sunt, Confirmatio, Eucharistia, Ordo, Extrema Unctio, & Matrimonium. *Quæ mortuorum.* Mortuorum autem Sacramenta vocantur, quæ juxta suam institutionem valent ijs qui spiritualiter mortui sunt, hoc est, nondum per gratiam justificati, conferre vitam spiritualem sive gratiam quâ ex peccatoribus justi fiant cujusmodi sunt Baptismus & pœnitentia.

Quæri etiam solet de dispositione ad sacramentorum susceptionem necessaria: sed cùm pro diversitate illorum, sit diversa: commodius explicabitur in singulorum tractatu: Nunc ergo,

## QUÆRITUR II.

### *An Sacramenta gratiam conferant ex opere operato.*

VERITAS fidei per Concilium Tridentinum scil. 7. can. 8. definitæ, affirmat. Sensus autem est, Sacramenta gratiam conferre vi & ratione operis illius quod ex institutione Dei exercetur, quando Sacramentum alicui applicatur sive rationis actionis Sacramentalis quæ tunc fit. *Quid opus operatum.* *Opus operatum* hîc vocatur ipsa actio Sacramentalis externa, quæ consistit in applicatione formæ ad materiam, & utriusque ad suscipientem Sacramentum vocatur autem, *opus operatum*, passivè; quomodo verbum *operatur*, ad Galatas quinto, versu sexto, secundùm doctissimorum expositionem; & 2. ad Thess. 2. versu 7. sumitur. Et quamvis actio Sacramentalis fiat per ministrum; magis tamen intelligitur opus à Deo operatum per ministrum, quam ministri operantis: quia potius est ejus qui illud instituit, vim & efficaciam ei tribuendo; quique ut principale agens operatur & ipsum & ejus effectum, quam instrumenti. Unde B. Th. q. 69. ar. 10. ad 1. *Sacramentum*, inquit, *baptismi est opus Dei & non hominis*.

Quapropter valor ex opere operato hîc dicitur, ad distinctionem valoris qui sit ex opere operantis quatenus tale est, sive ministri, sive suscipientis: & ad ostendendum quod efficacia Sacramentorum non sit ex qualitate vel ministri vel recipientium. Quamvis enim in ministrante, ut absque peccato ministret, requiratur ea dispositio de quâ B. Th. q. 64. ar. 6. in suscipiente verò, si usum rationis habeat, præparatio per fidem, pœnitentiam & devotionem: efficacia tamen Sacramentorum neque pendet ex dispositione suscipientis tanquam causa meritoria vel effectiva gratiæ Sacramentalis, neque ex dignitate ministrantis, sed ex vi actionis Sacramentalis à Christo institutæ; ideoque dispositiones non se tenent ex parte causæ efficientis, sed materialis. *Dispositio recipientium non dat illis efficaciam.*

Simile aliquid invenitur in ijs quos Christus mitaculosè sanabat: à quibus licet requireretur ut crederent, sanitas tamen non efficiebatur à fide illorum, sed à virtute aut verbo Dei.

Confirmatur, Sacramenta habent efficaciam, etiamsi minister sit malus, ut q. 64. ar. 5. probabitur, habent etiam effectum, ubi nulla est dispositio, ut in parvulis & amentibus. Item ubi dispositio quidem est, sed insufficiens ad gratiam sine Sacramento consequendam. Unde ex duobus parvulis æqualiter reis, & ex duobus adultis æqualiter ad baptismum vel pœnitentiam præparatis; justificatur is qui baptizatur vel absolvitur, non alter.

Et quamvis hæc phrasis (*opus operatum*) non fuerit ab antiquis Patribus usitata, rem tamen ipsam expressit Aug. l. 4 contra Cresconium, c. 16. dicens, *non eorum meritis à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare baptismum, sed propriâ sanctitate atque veritate, propter eum à quo institutus est*. Vide eundem l. 1. de pec. mer. c. 19. & 3. & contra Donatist. l. 4. c. 4. & 11.

Ipsa etiam vocabula antè annos quadragintos fuisse usurpata patet ex Innocentio 3. l. 3. de officio Missæ, B. Alberto Magno in c. 6. Ioan. & B. Thoma in 4 d. 1. q. 1. ar. 5. & d. 45. quæst. 2. ar. 1. q. 3. ar. 3. q. 2. ad 4. sive Suppl. q. 71. ar. 3. & ar. 6. ad 4.

Cæterùm, ex supra dictis observandum est, Sacramenta non sic valere ex opere operato, quasi ex natura & conditione operis gratiam conferant, seclusâ Christi institutione: aut quasi nullam requirant in adultis suscipientibus dispositionem, quod hæretici Catholicis imponunt, à Concilio Trid. refutati sess. 7. can. 6. & sessione 14. cap. 4.

Excluduntur autem hâc phrasi errores. *Qui errores excludantur per dictā phrasim.*

PRIMÒ, Donatistarum, qui effectum Sacramentorum pendere dicebant à qualitate ministri.

SECUNDÒ, nostrorum Sectariorum; qui gratiam sacramentalem ascribentes suæ fidei volunt Sacramenta esse nuda signa, contra quos est can. 6. sess. 7. Conc. Trid.

TERTIÒ, eorum qui dicerent effectum Sacramentorum pendere à dignitate suscipientis.

QUARTÒ, dicentium non dari gratiam per Sacramenta semper & omnibus ritè suscipientibus, sed aliquando & aliquibus, contra quos est canon. 7. ejusdem sess. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆRITUR III.

### *Quomodo Sacramenta gratiam conferant.*

VIDETUR quòd non ut instrumenta physica. PRIMÒ, quia Sacramenta eo modo causant gratiam, quo passio Christi (habent enim ab ea suam virtutem : ) sed hæc non est causa physica gratiæ : quandoquidem præterierit : ergo nec Sacramenta.

SECUNDÒ, Nulla creatura potest esse instrumentum creationis, eò quod creatio sit ex nihilo ; non possit autem instrumentum applicari ad nihil. Si verò Sacramenta essent instrumenta physica gratiæ, essent instrumenta creationis : ergo.

TERTIÒ, Omne instrumentum debet habere aliquam actionem sibi connaturalem circa effectum, & circa id in quo producitur effectus, ut ex 1.p.qu.45. art.5. colligitur, & ex l. 2. contra Gentes ca.21.& hoc ar.ad 2. Aliàs enim aut frustra assumeretur, aut veri instrumenti rationem non haberet. Atqui licet aliqua Sacramenta operentur circa corpus animæ unitum, non omnia tamen : nam nec in pœnitentia, nec in matrimonio necessarium est, ut verba sacerdotis contingant realiter eum cui administratur : sicuti nec in Eucharistia necessaria est verba consecratoria contingere panem & vinum.

QUARTÒ, Nullum corporale potest agere in rem spiritualem, aut etiam eam producere : cùm inter agens & patiens debeat esse proportio : Sacramenta autem sunt res corporeæ, & gratia est spiritualis; ergo *S*acramenta non possunt causare gratiam.

QUINTÒ, Non potest dici conferri Sacramentis aliquam virtutem qua producerent gratiam : Non corporalem, quia talis virtus non posset producere spirituale : non spiritualem, quia non posset esse in subjecto materiali. Deinde, hæc virtus, vel esset in verbis *S*acramentalibus, vel in materia, vel in utroque simul. Non primum, quia sic *S*acramentum Eucharistiæ, quod sumitur post consecrationem, non justificaret; cum verba non sint amplius, & quandoque contingere potest verba *S*acramentum aliorum finiti priusquam applicetur materia. Non secundùm ; quia materia est res corporalis. Non tertium ; quia eâdem virtus non potest esse in duobus subjectis. Denique, virtus illa constitueret *S*acramenta in genere causæ secundæ principalis, potiùs quam in genere instrumenti ; quia faceret illa esse proportionata effectus per principium formale sibi inhærens : nihil autem potest esse causa principalis gratiæ, nisi Deus.

SEXTÒ, Nulla potentia potest elevari, etiam de potentia Dei absoluta, ut faciat actionem extra suum objectum : sed objectum cujuscunque potentiæ activæ corporeæ est corpus : ergo etiam divina virtute non possunt elevari Sacramenta ad agendum aliquid spirituale. Major probatur, quia potentia visiva ideo non potest elevari ut videat sonos aut res spirituales.

SEPTIMÒ, Si Sacramenta possunt assumi à Deo ut instrumenta gratiæ producendæ ; consequens est quamlibet rem posse ab illo assumi ad quemlibet effectum producendum.

OCTAVÒ, Sacramenta, exceptâ Eucharistiâ, sunt entia successiva; ergo non possunt operari in instanti; gratia autem fit in instanti: ergo non possunt operari gratiam. Confirmatur, Natura successivorum est ut nulla pars eorum sit, sed consistant in successione & motu; ergo nunquam erit verum dicere, Sacramenta operantur. Non quando ministrantur; quia tunc nondum sunt : neque dum sunt perfecta; quia tunc desinunt; entia verò successiva, quando desinunt, non sunt : desinunt enim per primum instans sui non esse, ut ex 6. Physicorum constat.

NONO, Sacramenta quandoque conferunt gratiam diu postquam desierunt esse, ut quando baptismus fictè susceptus confert suum effectum recedente fictione; atqui non videntur tunc posse esse instrumenta physica.

Si dicas; ea tunc operari moraliter: sequi videtur quod aliàs : præsertim cùm scripturæ & Patrum sententiæ non minùs tunc verificentur, quàm dum præsentialiter agunt. Nam & tunc verè dicitur baptismus emundare animam, conferre gratiam, peccata remittere.

DECIMÒ, Solius Dei est animam illuminare & gratiam conferre ; ut docent Patres : Cyprianus serm. de baptismo, Augustinus epistola 23. & alij. Confirmatur, Quia gratiam datam Deus solus, & sine Sacramento, conservat: ergo sic dedit : eadem est enim actio, quâ producitur aliquid ; & quâ conservatur.

UNDECIMÒ, Sanctus Thomas moralem solùm virtutem tribuit *S*acramentis. Nam art. 4. comparat eam virtuti quam habent voces ad excitandum intellectum : quæ sine dubio solùm est moralis.

DENIQUE, Plerique veterum, ita sentiunt, Bernardus hîc ab Authore citatus, Scotus, Bonaventura, Durandus, Richardus, Major in 4. dist. 1. Henricus quodl. 4.

RESP. Inter varias hujus problematis opiniones, duas esse probabiliores : unam, quod *S*acramenta sint causæ morales, quia sunt res & conditiones quædam quibus ex institutione Dei applicatis, ipse quasi movetur & excitatur ad conferendam gratiam. Ac proinde sicut chirographum quod movet hominem ad solvendas pecunias vel aliud aliquid faciendum; est instrumentum morale ; ita *S*acramenta, quæ sunt velut chirographa continentia sanguinem Christi, qui fuit pretium nostræ redemptionis, sunt instrumenta moralia quibus Deus, ob suam promissionem & institutionem, movetur ad gratiam dandam suscipientibus.

*Sacramenta non attingunt productionem gratiæ, sed mediatè.*

Altera est, *S*acramenta, etsi non sint instrumenta physica, id est, naturalia, esse tamen instrumenta similia physicis. Quod licet nonnulli sic intelligant, ut non immediatè attingant productionem gratiæ, sed mediatè tantùm, quia producant eas dispositiones ad quarum præsentiam statim adest gratia : id tamen minus probandum videtur.

PRIMÒ, quia cum illæ dispositiones essent supernaturales : maneret eadem difficultas quo modo ipsæ causari possint à Sacramentis.

SECUNDÒ, quia sic *S*acramenta non essent causa gratiæ : sicut ille non est causa animæ rationalis qui producit dispositiones ad illam.

TERTIÒ, non potest assignari quæ sit illa dispositio : non enim character; quia nec in omnibus Sacramentis imprimitur ; nec necessariam habet connexionem cum gratiâ. Unde licet B. Thomas ita



ita senserit in 4.d.1. qu.1. art.4. quæstiuncula 1. hîc tamen, & 1.2.q.112.ar.1.ad 2. quodlib.12.ar. 15.qu.27. de verit. art.4. absolutè resolvit Sacramenta esse causas instrumentales gratiæ, in quantum agunt per motum quo moventur à principali agente, Deo.

Quapropter, illi conformiter loquendo, verius arbitrabamur Sacramenta esse instrumenta physica, seu physicis similia, verè gratiam causantia in animabus recipientium : ita nimirum, ut Deus actione Sacramentali quæ fit per ministros, gratiam conferat, ipsaque actio gratiæ productiva, sit tum Sacramenti ut instrumenti, tum Dei ut agentis principalis, qui ad talem effectum vult uti talibus rebus. Ac proinde quamvis Sacramenta secundùm se non realiter contingant animam, contingunt tamen virtute, in quantum virtus actionis sacramentalis, id est, virtus Dei Sacramento utentis, & gratiam producentis actione Sacramentali, eam contingit, secundùm ea quæ S. Doctor tradit q.56. ar.1. ad 3.

Simile aliquid fuit, quando Christus oculos cæci luto illitos illuminavit, leprosos tactu mundavit, mortuos sermone suscitavit. Quâ etiam ratione posset instrumentum aliquod assumere, & per illud in distans operari : ubi non instrumentum, sed virtus agentis per illud, passum contingeret.

Quod si appetitus sensitivus & vis imaginativa possunt efficienter movere pedem aut manum : quamvis ibi non sint nisi secundùm virtutem animæ utentis illis potentijs ad istos effectus : cur non possit Deus gratiam efficere per Sacramenta ; quæ licet non sint realiter in anima, sunt tamen secundùm virtutem Dei *S*acramenti utentis.

Istam causalitatem physicam seu physicæ similem in Sacramentis nostris agnoscunt Bellarm. li. 4. de Sacram. c. 11. Valentia to 4. disp. 3. q. 3. puncto 1. Tannerus tom. 4. disp. 3. q. 3. dub. 2. addens sententiam quæ dicit Sacramenta esse instrumenta gratiæ producendæ non tantum moralia, sed etiâ physica, esse *hoc tempore in scholis communem*; & Merarius tom. 3. disp. 4. *Hanc ego* (inquit ipse) *sententiam quæ communior est inter Theologos (contraria asserente producere solum moraliter) quæque à Thomistis ferme omnibus, à plerisque alijs scholasticis defenditur, tueor propter solam D. Thomæ Patrumque authoritatem.* Eandem causalitatem docent Suarez hîc disp. 9. Cabrera disp. 3. §. 10. concl. 5. Henriquez li. 1. de Sacram. c. 16. Pesantius & Puteanus hîc, Sayrus li. 5. de Sacram. art. 6. Vegal. 7. de justific. c. 16. ut nihil dicamus de Cajetano & alijs Dominic. familiæ Doctoribus.

Probatur autem hæc sententia: 1. *quia alioquin non esset aliqua prærogativa Sacramentorum novæ legis præ veteribus ; nam etiam in illis virtus coassistens fidei credentium in Christum venturum, justificabat*, ait Auctor quodlib. 12. art. 15. unde nec facilè servaretur discrimen à Concilijs Florentino & Tridentino assignatum.

SECUNDÒ, id ad cujus præsentiam excitatur quis ad aliquid faciendum, propter præcedens pactum; non propriè dicitur efficere illud quod alius facit. Chirographum v. g. non proprie dicitur solvere debitum : redimere captivos, dare beneficium quando propter præcedentem promissionem aliquis eo movetur ad solutionem, redemptionem, beneficij collationem : Sacramenta verò propriè dicuntur gratiam conferre & causare.

TERTIÒ, signum illud quod vocaretur causa moralis, potius est instrumentum moventis alium ad aliquid faciendũ, quàm ejus qui movetur, ut si quis offerat pretium redemptionis, vel chartam excitantem alium ad ejus numerationem : illud pretiũ est instrumentum offerentis; & charta excitantis; non autem ejus qui per hoc movetur ad relaxandum captivum, vel pretium numerandum. *S*acramenta verò sunt propriè instrumenta Dei gratiã per ea conferentis : ergo non sunt solùm causæ morales.

QUARTÒ, *S*cripturæ quæ tribuunt *S*acramentis vim abluendi, mundandi, regenerandi, sanctificandi ; cùm sensu proprijssimo possint intelligi de virtute effectivâ ; non est quod deflectantur restringantur ad sensum minus proprium.

QUINTÒ, Dignitas *S*acramentorum postulare videtur ut excellentius aliquid eis tribuatur quàm alijs signis, quibus in memoriam revocatur pactum vel promissio de aliquo faciendo ad præsentiam illorum. Quo in genere sunt etiam signa quibus utitur dæmon, & ad quorum præsentiam ea operatur quæ maleficis promisit.

SEXTÒ, Christus per suam humanitatem tanquam per instrumentum physicum gratiam contulit & miracula fecit, ut ostensum est q. 13. ar. 2. ergo etiam per *S*acramenta sic operatur : quia Patres loquuntur similiter. Accedit, quòd verba consecratoria sunt Christi, & proferuntur in ejus personâ : ergo eandem vim habent quàm in ultimâ cœnâ habuerunt : *ubi venitur*, ait Ambr. l. 4. de *S*acram. c. 4. *ut conficiatur venerabile Sacramentum; jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi, ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum*, &c. *Si tanta vis in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant : quantò magis operatorius est ut sint quæ erant & in aliud commutentur.* De quibus verbis videnda sunt quæ dicimus q. 75. ar. 2. ad 10.

SEPTIMÒ, *S*acramenta ab Eucharistiâ diversa *tunc primum vim sanctificandi habent, cum quis illis utitur*, ait Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. *Omnia omnino Sacramenta novæ legis gratiam continent, & non ponentibus obicem conferunt*, sess. 7. can. 6 Primum illorum, scilicet baptismus est causa instrumentalis justificationis, sess. 6. c. 7. ergo propria & realis efficientia illis tribuenda est : siquidem ejusmodi verba plus significant quàm moralem causalitatem; præsertim cùm cap. illo 7. distinctè exprimantur causæ propriæ justificationis. Si dicas causam moralem esse etiam propriam. RESP. propriè quidem illi imputari effectum, ipsa tamen non propriè effectum operatur, vel facit. Nauclerus enim non propriè dicitur submersisse navem, etiamsi propter absentiam illi imputetur, cùm deberet adfuisse. Nec oblatio chirographi propriè solvit debitum, ut supra dictum est, etiamsi sit conditio requisita ad numerationem pretij.

OCTAVÒ, solum corpus Christi est sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini, *ex vi verborum*, dicto cap. 3. sess. 13. ergo verba operantur illam conversionem aliqua efficientia majori, quàm sit moralis : Alioquin, etiam sanguis sub specie panis ; & corpus sub specie vini, & divinitas sub utraque esset vi verborum : quia si solum operarentur moraliter, non aliter efficerent corpus Christi esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini quàm quia Deus ad eorum verborum super debitam materiam prolationem, certò & infallibiliter faceret illa esse præsentia : Ad verborum autem hujus formæ prolationem, certò & infalli-

Universidad de Deusto
Biblioteca



infalibiliter faceret illa esse præsentia ; Ad verborum autem hujus formæ prolationem, tam infallibiliter facit ut sub specie vini sit corpus & divinitas, quam sanguis; ergo sub specie vini esset ex vi verborum non solùm sanguis, sed etiam corpus & divinitas.

Nonò, quibusdam Sacramentis tribuunt Concilia Florent. & Trid. quod imprimant characterem: quæ locutio signum est realis efficientiæ; sicut & illæ locutiones quarum usus est tum in Concilio Senonensi anni 1528. tit. de baptismo, & Extremâ-Unctione; ubi illis tribuitur quod *suâ virtute gratiam conferant, & remissionem peccatorum efficaciter operentur* ; tum in Moguntino an. 1549. c. 11. ubi Sacramenta dicuntur *non esse simplices ritus, sed sacrosancta signacula, & efficacia signa, quæ ritè ea suscipientes gratiam conferendo sanctificent.* His accedunt Patrum sententiæ, dicentium quod aqua confert sanctificationem, purgat peccata, producit animas rationales & spirituales, habet vim regenerativam; ut Aug. ser. 36. de tempore, Chrysost. hom. 25. in Joan. Ambr. l. 3. de Sacramentis, c. 1. Leo serm. 4. & 5. de Nativ. & Sylv. apud Nicephorum l. 7. c. 33. *hæc aqua* (inquit) *divinâ virtute per invocationem vivifica Trinitatis concepta, sicuti extra corpus hominis abluit; ita etiam animam intra à sorde & inquinatione omni mundificans splendidiorem radijs solaribus efficit.* Ne quis autem ideò putet sententiam hanc improbabilem, quia non est facilè & plenè intelligibilis; audiat Catechismum Romanum p. 2. c. 1. q. 18. *Quo pacto tanta res & tam admirabilu per Sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est. Aqua corpus tangat, & cor abluat* (sic enim legitur apud Aug. tract. 80. in Joan.) *id quidem humanâ ratione atque intelligentiâ comprehendi non potest. Constitutum enim esse debet nullam rem sensibilem suapte naturâ eâ vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus omnipotentis Dei virtutem in Sacramentis inesse, quâ id efficiant quod suâ vi, res ipsæ naturales præstare non possunt.* Ubi non solùm indicatur efficientia quam asserimus, sed etiam ex difficultate intelligendi hanc causalitatem, novum argumentum suggeritur.

Denique, cùm Aug. agnoscat ignem Inferni materialem affligere spiritus incorporeos, non moraliter tantùm, sed quamvis *miris, veris tamen modis*; l. 21. de Civ. c. 10. cur dubitemus, ex ejus sententiâ, miram, sed tamen veram efficientiam, ad modum instrumenti physici, in Sacramentis agnoscere? Videnda sunt quæ dicentur ar. 4.

Ad 1. verò Arg. Resp. Passionem Christi operari physicè, non quidem consideratam quatenus est motus, sic enim præterijt; sed ratione subjecti in quo fuit: Nam Christus, ut qui fuit aliquando passioni subjectus, gratiam physicè causat, juxta illa quæ diximus q. 13. ar. 2. & q. 48. art. 6. Quod autem dicitur, Sacramenta habere suam virtutem à Passione Christi, non sic est intelligendũ, quasi Passio vim aliquam influat in materias aut formas Sacramentorum, sed quia Christus per suam Passionem meruit ac merendo impetravit ut Sacramenta haberent vim conferendi gratiam. Unde ad Majorem arg. propositionem Responderi potest, non esse necessarium quod Sacramenta operentur illo modo, quo jam operatur Christi Passio, sed sufficere illa operari eo modo quo Christus per suam Passionem meruit, ut operentur.

*Sacramenta quomodo vim habent à passione Christi.*

Ad 2. Negatur Minor. Gratiæ enim, cùm non sit ens subsistens, non convenit creari, ut docet B. Thomas q. 3. de pot. ar. 8. ad 3. & quæst. 37. de verit. art. 3. ad 9. Neque tamen educitur è subjecto, sicut accidentia naturalia; quia non habet in subjecto causam efficientem, nec talem materiam in quâ sit hoc modo in potentiâ ut per agens naturale possit reduci in actum: sed educitur de potentiâ obedientiali animæ, in quantum fit in animâ, dependenter ab illâ. Neque enim potest (nisi per miraculum) fieri, esse, aut conservari nisi in ánima; & sic, non fit ex nihilo, ut requirit definitio creationis; sed in aliquo tanquàm materia in qua vel subjecto à quo dependet. Unde B. Thomas dicto ar. de verit. loquens de accidentibus supernaturalibus: *Quamvis* inquit, *non habeant materiam ex quâ, quæ sit pars eorum; habent tamen materiam in qua, à quâ dependent, & per cujus mutationem esse educuntur; ut sic, eorum fieri, sit propriè subjecta eorum transmutari.* Nec obstat aliquando dici gratiam creari; *Cor mundum crea in me Deus.* Ps. 50. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis*, Eph. 2. Cùm enim non educatur è materia vel subjecto instar rerum naturalium aut artificialium; ejus productio subinde vocatur creatio, propter similitudinem quam cum illa habet.

*Gratia non creatur.*

*Vide qu. 13. art. 2. qu. 2.*

Sed præterea, *gratia dicitur creari, ex eo quod homines secundùm ipsam creantur, id est in novo esse constituuntur, ex nihilo, id est, nõ ex meritis*, ait Auctor primâ secundæ qu. centesima decima art. 2. ad 3.

Ad 3. Negatur esse de ratione instrumenti quod naturali virtute actionem sibi propriam & connaturalem habeat, dispositivam ad effectum causæ principalis. Quamvis enim instrumenta naturalia & artificialia, quæ assumuntur ad agendum per virtutes sibi insitas producant effectum mediâ aliquâ actione sibi connaturali & accommodata ad illum; (quæ causa est cur ad diversos effectus diversa requirantur, quia scilicet talis conditio instrumenti est accommodata ad unum effectum, & non ad alium:) In divinis tamen instrumentis non est requirenda propria ipsorum & naturalis actio, quæ sit dispositiva ad effectum supernaturalem. Cùm enim agant ultra terminos naturalis perfectionis, secundùm potentiam non naturalem, sed obedientiam; non est ibi attendenda naturalis eorum connexio ad effectum, sed virtus Dei illa assumentis. Unde Secunda secundæ, qu. centesima sepuagesima octava, art. 1. ad 1. B. Thomas docet Deum ad miracula facienda instrumentaliter uti *vel interiori motu hominis, vel ejus locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali corporis, etiam mortui.*

*Vide qu. 13. art. 2. qu. 2.*

Ad instrumenti ergo rationem videtur sufficere, quod vel habeat veram aliquam actionem, vel fiat actio quæ aut secundùm se, aut secundùm virtutem quâ agit, attingat effectum ab agente principali intentum: sive, quod à principali agente producatur effectus, per illam rem seu actionem quæ dicitur instrumentum, & dependenter ab illa. Quo modo in omnibus Sacramentis gratia confertur; in tribus character imprimitur, in Eucharistia fit transsubstantiatio, per actionem sacramentalem ac dependenter ab ea: Illa enim ipsa actione qua Deus utitur Sacramentis, istos effectus facit, dependenter ab ipsis.

*Quid requiratur ad rationem instrumenti.*

Cæterum, quia principale agens illam actionem assumit, quâ interveniente sua virtus applicetur ad effectum: ideo B. Thomas quæstione quadra-



quadragesima quinta primæ partis dixit, eam se habere dispositivè ad effectum principalis agentis, cum tamen (ut secundùm rem loquamur) unica sit actio Dei utentis instrumento, & instrumenti à Deo assumpti.

Si dicas B. Thomam hîc ad 2. & alibi distinguere duas actiones instrumenti; unam propriam, alteram participatam à principali agente.

Respondeo esse formaliter duas, sed unam secundùm rem quæ à principali agente procedit per instrumentum. Quam enim actio propria securis sit scindere, & caloris calefacere, aliudque sit formaliter loquendo, scindere quàm lecticam parare; itemque aliud calefacere quàm carnem adgenerare; unica tamen est actio quâ securis ab artifice assumpta scindit, & lecticam parat; unica item, quâ calor ab animâ assumptus carnem generat, & calefacit.

Similiter, etsi Sacramenta habeant duplicem actionem, si ea considereretur formaliter seu secundùm suam speciem: Unam quasi naturalem, ut abluere, ungere exteriora consecrationis vel absolutionis verba proferre: Aliam, supernaturalem, scilicet causare gratiam: secundùm rem tamen unica est actio qua Deus per suos ministros exterius abluentes, ungentes, absolventes, causat interius gratiam; unica item actio ipsius Sacramenti, quod dum exterius ministratur, operatur interius.

Quòd autem B. Thomas non existimet ad rationem cujuscunque instrumenti physici seu physico similis pertinere, ut habeat actionem sibi connaturalem verè ac propriè dispositivam ad effectum ab agente principali intentum præter superius dicta, suadet etiam id quod quæst. 27. de verit. ar. 4. scribit. Cum enim argum. 17. sibi objecisset in omni instrumento requiri suam naturalem actionem quæ aliquid conferat ad effectum intentum à principali agente pro resp. dicit quòd in Sacramentis, actio naturalis instrumenti materialis adjuvat ad effectum Sacramenti, in quantum per eam Sacramentum suscipienti applicatur, & in quantum Sacramenti significatio per actionem prædictam completur. Qua responsione satis indicat ad rationem instrumenti sufficere actionem qua instrumentum applicetur, juxta scilicet naturam vel conditionem rerum: hoc est, vel realiter, si est ablutio, immersio, unctio, sumptio; vel significativè, si sunt verba consecrationis, absolutionis.

Huc etiam facit quod tam in quæst. præsenti, quam in dicto ar. de verit. tradit non esse de ratione instrumenti quòd agat, per virtutem completam (quod videtur esse necessarium; si actione sua connaturali deberet propriè disponere ad effectum ab agente principali intentum) sed sufficere quod agat in quantum movetur, agat inquam, non dispositionem ad effectum principalis agentis sed ipsum effectum *Aqua* enim *baptismi, abluendo corpus secundùm propriam virtutem, abluit animam in quantum est instrumentum virtutis divinæ*: hîc ad 2.

Ad 4. Resp. quod corporale non potest secundùm propriam virtutem agere in spirituale; potest tamen ut instrumentum Dei.

Ad 5. negatur assumptum, ut patebit ar. 4.

Ad 6. Negatur Major, licèt enim potentia secundùm rationem potentiæ, non possit ferri extra suum objectum, quia specificatur ab illo; (unde fit quod visus corporalis non possit videre sonum, aut spiritum, quia visio est actus potentiæ visivæ ut talis, ideoque non potest esse nisi rei visibilis;) potest tamen ut instrumentum Dei; quia tunc non agit in ratione potentiæ, sed in ratione instrumenti assumpti; cujus propterea objecti latitudo non exceditur. Sic ignis torquet dæmones; & sic etiam assumi posset visus corporalis, ad sanctificandum: vel puniendum spiritus incorporeos.

Ad 7. rectè conceditur Deum uti posse quolibet re ad quemlibet effectum, ex quo non sequatur ulla contradictio.

Ad 8. Negatur consequentia: quod enim S. Thomas q. 75. ar. 7. dicit, Conversionem quæ in Sacramento Eucharistiæ reperitur, fieri *in ultimo instanti prolationis verborum*; conformiter extendi potest ad effectum omnium eorum Sacramentorum quæ in usu consistunt; dicendo, eorum effectum fieri eo instanti quo perficiuntur, modò non ponatur obex. Sed hoc intelligendum est de gratiâ justificante & donis permanentibus, eam consequentibus: Nam auxilium actuale, quod ad peculiares aliquos actus rectè exercendos tribuitur, non datur nisi eo tempore quo illi actus fiunt; neque ad illius dationem Sacramenta operantur modo physico, quia præterierunt.

*Vide ar. 2.*

Sed cùm Sacramenta fiant successivè; ideoque, sicut juxta naturam successivorum incipiunt per ultimum instans sui non esse, ita desinant per primum instans sui non esse; addendum est Sacramenta conferre gratiam in ultimo instanti sui esse; non intrinseco, sed extrinseco, in quo verum est dicere, Sacramentum nunc non est, & immediatè antè fuit. Et quia primum instans non esse Sacramenti, est primum esse gratiæ: ideo in eodem illo instanti verum est dicere; Nunc gratia causatur & est, cùm immediatè ante non esset.

Confirmatur, Sacramentum non confert gratiam usque ad ultimum instans sui: sed non habet ultimum instans intrinsecum; ergo confert in extrinseco. Major probatur, quia usque ad illud instans non est perfectum, sed semper restat aliquid perficiendum; quod si non efficeretur, gratia non conferretur. Minor patet ex eo quod Sacramenta fiant successivè.

Nec obstat quod Sacramentum in illo instanti non sit: quoniam etsi non sit ad modum rerum permanentium, est tamen sufficienter ad causandum gratiam, quia quodammodo coëxistit gratiæ, in quantum toto tempore præcedente fuit; hoc instans quod est terminus extrinsecus desitionis Sacramenti, est terminus intrinsecus inceptionis gratiæ.

*Quomodo Sacramenta quæ in successione consistunt sint.*

Si quæras, quo modo Sactamentum possit dici fuisse toto tempore præcedenti. Resp. posse id dici; quia Sacramentum quod non consistit in re permanenti, sed in successione, eo modo existit quo res successivæ, dicuntur existere; unaquæque enim res dicenda est existere juxta conditionem & exigentiam suæ naturæ. Res permanentes existunt, quando eorum partes secundùm se existunt, quia de natura hujusmodi rerum est, ut omnes earum partes possint simul existere: At res successivæ non censentur existere quando ipsarum partes secundùm se existunt, cum istarum rerum conditio & natura continuam successionem postulet, & non admittat fixam seu positivâ permanentiâ partium; sed dicuntur tunc existere, quando earum partes, aliquo instanti copulantur. Ac proinde hujusmodi Sacramentum tunc censendũ est esse, quando est secundùm suas partes; sive quando est aliquod

*Res successivæ quomodo sint.*

instans

Universidad de Deusto
Biblioteca



instans quod ejus partes ad invicem copulat; quod A
est, quando Sacramentum administratur. Et quia
omnes illæ partes sunt in tempore, Sacramentum
secundùm omnes suas partes coëxistit tempori seu
existit in tempore, non quidem sic quod omnes
illas partes simul habeat, sed ita ut alia alteri suc-
cedat, ei videlicet per instans aliquod copulata.

Quapropter sicut causa & effectus non debent
esse continua secundùm præsentiam localem, sed
contigua vel secundum se, vel secundum virtutem;
ita sufficit quod Sacramenta & gratia quam cau-
sant, sint continua vel contigua secundùm præsen-
tiam temporis; sive quod coëxistant per realem
temporis in quo Sacramenta fiunt, & instantis in
quo gratia produciter, continuitatem, Aliquid B
simile est in naturalibus ubi ultima dispositio ad
formam v.g. calor ut octo, producit formam ignis,
juxta sententiam quæ dicit illa accidentia quæ to-
to tempore præcedunt productionem formæ sub-
stantialis, non manere simul cum illa forma. Si-
mile etiam est quando elementa corrumpendo se
generant mixtum. Primum enim instans non esse
ipsorum, est primum ipsius esse corporis mixti.
Ita post Dominicum Soto in 4.d.9.quæst.2.ar.7.
communiter docent Cabrera, Nugnus, & alij
hic. Simile etiam esset si Christus convertendo
aquam in vinum dixisset. *Hoc est vinum*; eoque
suo sermone voluit conversionem facere.

AD 9. RESP. Sacramentum quod recedente fi- C
ctione consequitur effectum, non operari illum ni-
si moraliter, in quantū ratione illius, antea exhibi-
ti, Deus gratiam confert: & eatenus verificantur
scripturæ, & Patrum sententiæ, etiamsi tunc non
tam propriè dicatur baptismus causare gratiam, re-
generare, mundare, quàm dum præsentialiter agit.

*Quæst.* QUÆRI autem potest, An Sacramentum ope-
*Resp.* retur aliquando priùs quàm existat, ut dum quis
justificatur per votum baptismi. Breviter dicimus
videri quod non; quia alioquin sequeretur Sacra-
mentū his conferre suum effectum; semel antequā
actu recipiatur; & iterū, quando actu reciperetur.
Datur quidem aliquando habenti votū Sacramen-
ti remissio peccatorum & gratiā; sed ea non con- D
fertur à Sacramento. Quæ tamen quia similis est
effectui Sacramenti, vocatur subinde effectus ip-
sius; non quia fiat à Sacramento, sed quia nata est
per illud conferri, & nunc datur ad ejus votum, &
in ordine ad illud: & sic possunt explicari quæ ha-
bet B. Thomas quodlib.6. art.10.4. contra Gen-
tes ca.72.infra qu.72.art.6. & alibi. *Regula uni-
versalis est* (ait Dominicus in 4.d.11.qu.2.ar.1.)
*quod gradus gratiæ qui correspondet Sacramento,
nunquam confertur, nisi eo re suscepto. Gratia enim
sacramentalis est promissa utenti Sacramento.*

AD 10. Id quod est solius Dei per authorita-
tem, potest instrumentaliter convenire Sacra-
mentis. Ad confirmationem, quamvis possit esse E
eadem actio conservativa quæ fuit productiva,
non tamen id est semper necessarium: non rarò
enim producuntur res ab eo, à quo non conser-
vantur: ut domus ab ædificatore, filius à patre.

AD 11. patet ex dictis falsitas assumpti. Ad
probationem RESP. cùm Hieronymus dicat vi-
vam vocem habere nescio quid latentis ener-
giæ, non est putandum virtutem vocis esse tan-
tùm moralem, producit enim vox speciem sen-
sibilem in auditu, & sic ulterius pertingit ad in-
tellectum.

AD 12. Non aliud vult Bernardus, quàm quod
sicut diversis signis diversæ dantur investituræ
& dignitates, sic per diversa Sacramenta dentur
diversæ gratiæ. Non dicit autem quod Sacra-
menta nihil habeant, ultra rationem signi cer-
tum est enim quod præter illam, habeant causa-
litatem; quæcunque tandem illa sit.

Bonaventura & Richardus utramque senten-
tiam judicant probabilem. *Nescio*; ait Bonaventura
*quæ sit verior.* Et Richardus, sententiam alteram
dicit quidem sibi videri intelligibiliorem, istam
verò, *cùm sit possibilis, & ad honorem Sacramenti, &
ad confirmandum illud quod tenetur de actione ignis
æterni & purgatorij; videri rationabilem & tenen-
dam.*

Aliorum plerique qui B. Thomæ sententiam B
impugnant, nimis diminutè loquuntur.

Sotus dist.1.quæst.5. dicit modum quo Sacra-
menta sunt causa gratiæ, esse, quod *susceptio est dis-
positio necessitans ad effectum signatum per Sacra-
mentum:* & adjungit, instrumenta artis, ut ser-
ram, non esse propriè activa.

Durandus dist.1.qu.4. *Sacramenta*, inquit, *sunt
causa sine qua non confertur gratia:* Et iterum, *Re-
cipiens Sacramentum recipit gratiam non à Sacra-
mento sed à Deo:* Ac rursum, *Nullus sanctus posuit in
definitione Sacramenti quod esset causa gratiæ.*

Henricus quodl.4.q.37. docet *Sacramenta no-
væ legis dici esse causas gratiæ, non quod aliquid
agant in producendo gratiam, plus quam Sacramenta
veteris legis; sed quia Deus, ut existens in ipsis, con-
fert gratiam.*

Major quæstione tertia, *Habeo*, inquit, *certitudi-
nem sufficientem quod calor suaptè natura calefacit,
& Sacramentum non causat gratiam*, &, *Nec per cau-
salitatem Sacramenta novæ legis à Sacramentis ve-
teris legis distinguuntur, sed per majorem gratiam &
apertionem januæ.* Ex his patet causalitatem Sa-
cramentorum sufficienter ab illis assertam, qui
pro morali efficaciâ solent allegari.

## ARTICULUS II.

ART. 2. probat gratiam Sacramentalem, id est, *Gratia*
quæ est Sacramentorum effectus addere ali- *sacramen-*
quid super gratiam virtutum & donorum, id est, *talis addit*
super gratiam justificantem, virtutes, & dona: quia *supra*
Sacramenta ordinantur ad diversos specieales effe- *aliam.*
ctus, ideoque debet per ea aliquid tribui quod ad
eos perficiendos sit accommodatum. Hinc Ber-
nardus ser. de cœna Domini, *divisiones gratiarum
diversis sunt tradita Sacramentis.*

Neque satis est dicere: quod addat incremen-
tum, quia illud continetur nomine gratiæ, virtu-
tum, & donorum. Neque tamen dicendum est
quod addat alium aliquem habitum gratiæ, di-
stinctum: quia præter gratiam quam B. Thomas
ponit in essentia animæ, docetque esse fontem vir-
tutum ac donorum, non est aliquis alius habitus
qui in donis & virtutibus non comprehendatur;
omninoque sufficienter tum anima tum ejus po-
tentiæ sunt habitualiter instructæ per gratiam, &
habitus virtutum Theologicarum, ac moralium,
& donorum, ad quoscunque actus salutares, qui
omnes ad aliquam earum virtutum ac donorum *Quid*
pertinent. *gratia sa-*
*cramen-*
Quod ergo gratia sacramentalis addit, *est* (ait *talis ad-*
auctor) *quoddam divinum auxilium ad consequen- dat supra*
*dum Sacramenti finem*; per quod scilicet operemur *gratiam*
actus finibus Sacramentorum accommodatos. *communi-*
*ter dic-*
Præter quod quamvis nihil addat re distinctum *tam.*
à gratia



à gratia, virtutibus, & donis vel eorum augmento, A
probabile tamen est cum gratia habitualis quæ per
Sacramenta confertur, ex speciali directione Dei
ordinetur ad actus convenientes finibus Sacra-
mentorum, & suscipientem disponat ad illos.
Quomodo gratia quæ per meritā bonorum ope-
rum aucta est, magis disponit ad opera similia ijs
per quæ fuit acquisita, quam ad alia.

*Effectus sacra-* Igitur, effectus proprius baptismi non solùm
*mentorū* est gratia gratum faciens, sed ipsa quatenus est re-
*proprij.* generativa, & ut tribuit primum esse spirituale,
deletque omnem culpam & pœnam; ac insuper,
auxilia quædam specialia adeptæ regenerationi
respondentia, ut homo jam in Christo regenera-
tus, ei se conformet in vita spirituali, & alia Sacra- B
menta bene suscipiat.

Confirmationis autem effectus est gratia seu
ejus augmentum, inclinans ad fidem constanter
tenendam & profitendam; simulque auxilium
speciale ad illos actus.

Eucharistię gratia etiam habitualis ad actus de-
votionis, pietatis, & charitatis, ordinata; & adju-
torium ad eosdem.

Pœnitentiæ, gratia sanans, ac è morte peccati
suscitans eum qui à baptismo fuit relapsus, ipsique
remittens non plenissimè omnem pœnā tempo-
ralem, ut in regeneratione, sed juxta dispositionem
suscipientis; ac insuper gratia specialis auxilij ad
fortius & perseverantius detestandum quæcun- C
que peccata, & satisfaciendum pro præteritis.

*Conc.* Extremæ unctionis, gratia Spiritus sancti *cujus*
*Trid.sess.* unctio *delicta si quæ sint adhuc expianda, ac peccati*
*14.* *reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat &*
*confirmat, magnam in eo misericordiæ fiduciam ex-*
*citando; qua infirmus sublevatus, & morbi incommo-*
*da ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis*
*calcaneo insidiantis, facilius resistit.*

Ordinis, gratia disponens ad sacras functiones
sanctè & religiosè obeundas & ad easdem adju-
torium actuale.

Matrimonij, gratia specialis auxilij ad moderan-
das carnis concupiscentias, ad proles christianè in-
stituendas, ad fidem conjugalem servandam; & D
gratia habitualis ad eadem inclinans; quæ nimi-
rum, ut ex Conc. Trid. sess.24. in princ. habetur,
naturalem amorem perficiat; & indissolubilem
unitatem confirmet, conjugesque sanctificet.

Porrò divinum illud auxilium nō efficitur phy-
sicè à Sacramentis, cum vel sit Deus ut auxilians,
vel ejus in homine effectus, qui nō semel sed sæ-
pius datur, etiam post Sacramentum semel dum-
taxat susceptum: vocatur tamen gratia Sacramen-
talis, quia respondet gratiæ habituali per Sacram-
tum collatę, & tribuitur à Deo ad singulares actus,
ad quos Sacramentum ordinatur, exercendos. Unde
patet quam sollicitè oporteat unumquemq; se cu-
stodire, ne Sacramentalibus effectibus reddatur in- E
dignus; vel Sacramenta indignè suscipiens, vel
post eorū receptionem, à peccatis non abstinens.

*Ob.* Si quæras, an gratia Sacramentalis non aliter
detur quam per Sacramenta: consideranda est an
& qualiter Sacramentum sit ad suos effectus ne-
*Resp.* cessariū. Character non potest haberi sine Sacra-
mento re suscepto: Gratia remittens peccatum
originale (secluso casu martyrij in parvulis) non
sine baptismo in re vel in voto: Remissio peccati
mortalis à baptismo commissi, non sine pœniten-
tia similiter in re vel in voto. Auxilia actualia ad
sacramentorum fines ordinata possunt aliquando



haberi sine Sacramento: ut robur fidei, quando
necesse est fidem profiteri coram tyranno, neque
tamen est obligatio ad Sacramentum confirma-
tionis tunc recipiendum. His tamen omnibus ca-
sibus, non datur illa gratia seu gratiæ gradus qui
per Sacramentum daretur, si ipsum actu recipe-
retur, sed qui voto Sacramenti respondet: ut art.
superiore ad 9. diximus.

Quod in Responsione ad 2. tribuitur virtuti-
bus & donis, intelligendum est suppositis & com-
prehensis auxilijs gratiæ specialis, quæ datur ad
singulos actus salutares.

Quod in Responsione ad 3. dicitur gratia Sa-
cramentalis habere se ad gratiam communiter
dictam seu justificantem, sicut species ad genus;
Verum est, non quia una sit propriè species & B
altera genus; sed quia gratia Sacramentalis inclu-
dit alteram, & insuper id quod super dictum est;
atque ita est aliquid minus commune.

## ARTICULUS III.

ART. 3. tradit Sacramenta novæ legis con- *Sacra-*
tinere gratiam, quemadmodum causa dici- *menta*
tur continere effectum. Hæc ergo doctrina fidei *continent*
per Concilia, Florentinum & Tridentinum, defi- *gratiam.*
nitæ, non est sic intelligenda, quasi gratia sit in
Sacramentis, vel ut accidens in subjecto, vel ut li-
quor in vase, vel ut res in loco; sed quia continetur
in illis partim ut in signo, partim ut in causa, non
quidem principali, sed instrumentali. Unde Sacra- *Sacra-*
menta dicuntur *vasa*, id est, instrumenta gratiæ, *menta*
juxta phrasim scripturæ quæ *vas* pro instrumento *sunt vasa*
frequenter sumit, *vas electionis*, seu electum, id est *gratiæ.*
instrumentū eximium, Act 9 *Vasa Cantici*, id est,
instrumenta musica, Amos 6. *vas interfectionis*, id
est gladius, Ezech.9. Non malè etiam Sacramenta
intelligentur vocari vasa gratiæ; quia licet gratia
non sit in Sacramentis sicut in receptaculo, ipsa
tamen gratiam præbent quoties ad ea recurritur,
sicut vas aliquod præbet homini depromenti li-
quorem quem continet. *Gratiam*, ait catechismus
Romanus, *per Sacramenta, quasi per alveum quem-
dam in nos ipsos derivare oportet.* Huc pertinet illud
Zachariæ 13. *In illa die erit fons patens domui Da-
vid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccato-
ris & menstruatæ:* quod Hieronym. & alij vete-
res, de baptismo intelligunt. Omnibus etiam Sa-
cramentis accommodatur illud Isaiæ 12. *Hauriet
is aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris.*

## ARTICULUS IV.

ART 4. docet eos qui ponunt Sacramenta es- *Est in sa-*
se causas gratiæ instrumentales, ex conse- *cram ent.*
quenti debere fateri quod in ipsis sit virtus instru- *virtus ad*
mentalis ad talem effectum. Quæ virtus non so- *gratiam.*
lùm ab Augustino & Beda asseritur citatis in ar-
gumento ad appositum: Verùm etiam à Concilio
Tridentino sess.7.can.2. de confirmatione, dum
anathemate ferit illum, *qui dixerit injurios esse Spi-* *Quid sit*
*ritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati* *virtus sa-*
*virtutem aliquam tribuunt.* Quidnam porro si hæc *cramen-*
virtus instrumentalis, ambigitur. Nō credimus esse *torum.*
qualitatem aliquam permanentem Sacramentis
superadditam: sed existimamus hanc rem alterutro
istorum modorum esse explicandam.

PRIOR est eorum qui dicunt quod hæc virtus
est ipse motus passivus & usus Sacramentorum,
quo Deus per ministros illis utitur: Nā & in alijs
instrumentis, si spectentur non secundùm propriā

Universidad de Deusto
Biblioteca



naturam, sed secundùm virtutem quam habent ab agente principali, non videtur esse præter motum, alia virtus quà instrumentaliter operentur ad effectum principalis agentis. Sic penicillus habet virtutem ad depingendum imaginem, fides citharæ ad sonum musicum; & tamen non videtur in eis aliud esse præter motum quo moventur vel à pictore vel à citharædo. Sicut autem considerandus est motus illorum non simpliciter, sed prout est ab artifice; (qui motus propterea vocatur artificiosus:) ita motus Sacramentorum intelligitur is, quo moventur à Deo ad talem effectum. Hanc doctrinam tradit B. Thom. hîc & art. 1. item q. 27. de ver. a. 4. in 4. d. 1. q. 1. art. 4. q. 2. eumque sequuntur Cajetanus, Dominicus, Cabrera, & alij. Eandem etsi non sequatur Sayrus; lib. tamen 5. de sacram. c. 3. art. 8. dicit esse valdè conformem modo loquendi S. Thomæ.

Neque his obstant verba Authoris in Resp. ad 3. dicentis quod *virtus instrumentalis acquiritur instrumento ex hoc quod movetur à principali agente*: quamvis enim virtus jam dicta non sit alia res à motu, distinguitur tamen formaliter ab eo; nam ut est motus, solùm respicit terminos, & subjectum; ut autem est virtus, etiam respicit effectum: est enim id quo effectus producitur, quod cũ Sacramentum habeat, in quantum movetur; ideo acquirit illam virtutem ex hoc quod movetur.

His conformiter est dicendum quòd virtus Sacramentorum sit quid incompletum in genere entis, formaliter corporale, utpotè motio rei corporeæ: quæ tamen aliquando vocatur spiritualis, sed sermone causali; quia prout est instrumentum Dei, causat rem spiritualem, & prout talis, ordinatur secundùm se ad spirituale. Unde quod in Resp. ad 1. dicitur virtus spiritualis non posse esse in re corporea per modum virtutis permanentis & completæ; intelligendũ videtur de virtute quæ est formaliter spiritualis; cùm alioquin nihil vetet virtutem formaliter corporalem & causaliter spiritualem, si esset completa & permanens, inhærere subjecto corporeo permanenter.

Est autem virtus Sacramentalis ut in subjecto in rebus quæ moventur; inchoativè quidem & partialiter modò in materiâ, modò in formâ; completivè autem & totaliter, in materiâ & formâ simul: sicut enim ex illis duobus unũ est Sacramentum, ita ex partialibus eorum moribus constituitur una virtus totalis. *Vis Sacramentalis*, ait B. Th. hic ad 4. *invenitur in verbis & rebus prout ex verbis & rebus perficitur unum Sacramentũ*. Et dicto ar. 4. de verit. ad 10. *In omnibus verum est quod virtus Sacramenti non consistit in materia tantum, sed in materia & forma simul*. Cæterum quia ista virtus habet esse incompletum ad instar motus: (illam enim non habent Sacramenta nisi in quantum moventur;) non potest constituere Sacramentum in genere causæ principalis, ad quam pertineat agere per aliquam formam sibi inhærentem, ad modum naturæ completæ; ut hujus quæst. art. 1. & 4. & dicto a. de ver. docet Auctor. Incipit autem hæc virtus, quando motus inchoatur; desinit quando motus cessat, dicta resp. ad 10. cum non sit alia res ab eo. Ex his patet Responsio ad 5. ar. 1. Confer q. 78. a. 4. & q. 86. a. 6.

Posterior explicandi modus est aliorum, qui dicunt virtutem hanc Sacramentalem esse vim quandam à Sacramentorum motu ac usu diversam, entitativè spiritualem, à Deo Sacramentis impressam, eisque inhærentem per modum transeuntis per quam Sacramenta constituuntur agentia & causantia gratiam. Et quoniam ista virtus est incompleta, ad nullum genus directè volunt eam pertinere, indirectè tamen seu reductivè ad genus qualitatis: spiritualis: adduntque nihil vetare quominus virtus spiritualis sit in re materiali per modum transeuntis & incompleti, & per modum quo colores sunt in aëre. Videri potest Choquetius de causa effectiva gratiæ c. 1. disp. 6.

Ex his sequitur id quod a. 3. ad 3. dixit B. Thomas, *Gratia est in Sacramento secundum esse fluens & incompletum*; non sit intelligendum quasi tale esse sit ipsa gratia, cum potius sit via ad gratiam; quæ dicitur esse in Sacramento, sicut in causa, secundùm esse fluens, quia est secundùm virtutem instrumentalem, quæ habet esse imperfectum. Nec obstat quod incompletum non videatur posse esse causa completi: quamvis enim *non possit esse causa ejus ut per se agens: potest tamen ordinari aliqualiter ad completum, per modum causæ instrumentalis, sicut diximus motum instrumenti esse causam formæ inductæ à principali agente*, ait B. Thom. dicto art. de verit. ad 6. Nec sequitur, Sacramenta esse instrumentà imperfecta: quia *de perfectione instrumenti non est quod agat per virtutem completam: sed quod agat, in quantum movetur, & ita per virtutem incompletam*. Ibidem, ad 7.

### Articulus V.

*Sacramenta habent valorem ex passione Christi.*

Art. 5. probat Sacramenta novæ legis specialiter habere virtutem ex passione Christi; non solùm quia cum humanitas sit instrumentum divinitatis conjunctum, & Sacramenta separatum, eorum effectus à Deo tribuitur per humanitatem quæ passioni subjacuit: sed etiam quia Christus passione, tanquam omnium operum consummativa, meruit ut Sacramenta vim haberent efficiendi gratiam, juxta ea quæ dicebantur hujus quæst. a. 1. quæst. 19. ar. 2. & quæst. 48. articulo primo.

Cùm dicit, in fluxu sanguinis & aquæ de latere Christi mortui significatum, quod Sacramenta vim haberent ex morte Christi, quorum hæc ad baptismum, ille ad Eucharistiam pertinet: sub duobus Sacramentis comprehendit cætera, eò quòd baptismus sit janua Sacramentorum, Eucharistia verò finis & præstantissimum omnium. Adverte tamen non malè quosdam post Ambrosium li. 10. in Lucam, & Augustinum tra. 120. in Joannem, per *sanguinem*, intelligere pretium nostræ redemptionis: & per aquam, baptismum (sub quo cætera Sacramenta intellige) accipientem à sanguine Christi suam efficaciam. Unde non dixit Evangelista, *exivit aqua & sanguis*, id quod ordo videri potest postulare, si de baptismo & Eucharistia sermo est: sed, *exivit sanguis & aqua*, id est, pretium, & ejus applicatio. Nisi dicas primò nominatum sanguinem, & propter ordinem dignitatis, & quia est pretium ipsum quod in Eucharistiâ continetur. Quod vera elementaris aqua, ut & verus sanguis fluxerit, vide quæst. 66. a. 4. ad 3. & quæst. 74. art. 7. ad 3.

De Responsione ad 1. diximus quæst. 8. art. 4. ad 3.

Locus Augustini argumento secundo citatus, explicatus fuit q. 60. art. 6.

Quod in illius argumenti Responsione dicit. *Virtus Sacramentorũ quæ ordinatur ad tollenda peccata præ-*



*cipuè est ex fide passionis Christi*: non sic est intelligendum, quasi sacramenta virtutem suam habeant ex fide suscipientium: sic enim valerent ex opere operantis, non ex operato: sed quia gratia, quæ est virtus seu effectus sacramentorum, non confertur adultis sacramenta recipientibus, nisi fidem passionis Christi habeant, Actus enim fidei est adultis necessaria dispositio ad debitam sacramentorum receptionem, qui tamen, ut & aliæ dispositiones, ad causam materialem pertinent, non ad efficientem, quemadmodum art. 1. diximus quæsito 2.

De Responsione ad 3. vide quæ diximus ar. 1. quæst. 53.

### Articulus VI.

*Sacramenta vetera non conferebant gratiam.*

*Vtrum sacramenta veteris legis causarent gratiam.*

De sacramentis quidem legis Mosaicæ quæstio proponitur: sed, tum ex corpore, tum ex Responsionibus ad argumenta, liquet doctrinam articuli esse communem omnibus sacramentis veteribus, sive ante legẽ, sive in lege fuerint instituta.

Respondet autem, sacramenta vetera neque per seipsa, neque ex passione Christi, habuisse vim conferendi gratiam justificantem

Ad prius quod attinet, *per seipsa*, id est, *propria virtute*, sic accipit, ut significet idem quod absque participata virtute passionis Christi, & secluso Christo: Nam pro ratione addit, quod *sic non fuisset necessaria passio Christi, secundum illud*, Galat. 2. *Si ex lege esset justitia* (aliter proinde quam per fidem passionis Christi) *Christus gratis mortuus est*. Confer quæst. 70. a. 4. ad 1. Hoc modo etiam dici potest de sacramentis novæ legis, quod non conferant gratiam, *per se*, id est, suâ propriâ virtute, non acceptâ à Christo: tametsi eam conferant *per se*, seu vi suâ, hoc est, vi quam habent à Christo seu vi operis à Christo instituti.

Ad posterius, si ratiocinatur, Quod nondum est in rerum naturâ, non potest movere secundùm usum rerum exteriorem: ad quem pertinent sacramenta: sed passio Christi necdum erat: ergo non poterat movere sacramenta, vel ijs virtutem dare ad causandam gratiam.

Quæ ratiocinatio improbatur à nonnullis propterea quod Deus olim potuerit per sacramenta, tanquam per instrumenta quædam, conferre gratiam intuitu passionis Christi aliquando futuræ. Sed observandum est: quod B. Thomas istâ ratione non concludit sacramenta vetera nullo modo potuisse valere ad conferendam gratiam, ne quidẽ eo quem alij vocant moralem: dicit enim quod *nihil prohibet id quod est posterius tempore, antequam fit movere secundũ quod præcedit in actu animæ*: sed solum concludit quod non potuerint esse causæ efficientes gratiæ; eo modo, quo de sacramentis novæ legis antea docuit, sic nimirum ut essent instrumenta physica, seu physicis similia, participantia virtutem à Christi passione.

Cæterum, quia movere quem posset, quod baptismus Christi fuerit administratus ante passionem ejus, nec dubium quin efficaciter: quodque sacramenta nunc conferant gratiam quando passio præterijt, cùm tamen, sicut quod nondum exitit movere non potest in genere causæ efficientis, ita neque quod jam esse desijt: Sciendum est ratiocinationem Auctoris non procedere de ipso actu passionis præcisè, sed de Christi humanitate, vitâ & passione. Unde pro eo quod hic dicit non fuisse derivatam virtutẽ justificativam à passione Christi ad sacramenta veteris legis, sed solùm ad sacramenta novæ legis: 1. 2. q. 103. a. 2. dixit: *Quia mysterium Incarnationis & passionis Christi nondum erat realiter peractum, veteris legis caremoniæ non poterant in se continere realiter virtutem profluentem à Christo incarnato & passo, sicut continent sacramenta novæ legis* & q. 84. hujus partis a. 7. explicans vim sacramenti pœnitentiæ dicit, quod *ex virtute nominis Iesu Christi patientis & resurgentis, efficaciã habeat in remissionem peccatorum*. Quæstione etiam 49. a. 1. docens passionem valere per modum efficientis, addit, *in quantum caro secundùm quam Christus passionem sustinuit, est instrumentum divinitatis*, &c.

Vult ergo B. Thomas hic dicere quod Sacramenta vetera non conjungebantur verbo incarnato, ut ipsius instrumenta ad gratiã efficienter operandam, sicut enim causa efficiens non operatur antequam sit, ita etiam non utitur tunc aliquo reali instrumento ad efficiendum. Sacramenta autem novæ legis ita conjunguntur Christi passioni, id est Christo passo, ipsiusque humanitati: quæ illis, ut suis instrumentis, utitur ad collationem gratiæ. Neque propterea necesse est quòd ab humanitate vel passione Christi derivetur influxus realis alicujus virtutis in sacramenta, sed satis est quod conferatur gratia per actionem, quæ sit Dei ut principalis agentis; humanitatis, ut instrumenti conjuncti; sacramenti, ut instrumenti separati.

Quia verò hæc sacramentorum causalitas, etsi probabilis, non est tamen certa: Ideo aliter est probandum, (prout etiam probat Auctor tum hîc, tum in prima sec.) sacramenta veteris legis non contulisse gratiam ex opere operato.

Probatur ergo primùm ex scripturâ, quæ ad Galat. 4. vocat illa *infirma & egena elementa*; *Infirma*, inquit Auctor dicto a. 2. qu. 103. in 1. 2. *quia nõ possunt à peccato mundare, egena, eo quod nõ contineant in se gratiam*. Quo loco utitur ad hanc rem Catechismus Romanus, significans eodem pertinere loca illa ubi dicuntur *inquinatos sanctificasse ad emundationem carnis*; *& non potuisse juxta conscientiam perfectum facere servientem*, ad Hebr. 9.

Quibus accedunt & alia, ut c. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* & c. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum &c. nunquam potest accedentes perfectos facere*.

Confirmatur, Lex vetus non justificabat: at sacramenta sunt bona pars legis veteris, ergo nec ea justificant.

His consentiunt Basilius l. de Spiritu Sancto cap. 14. Chrysostomus homil. 14. in epistolam ad Hebræos, Ambrosius lib. 1. de Sacramentis c. 4. & 6. Augustin. tra. 41. in Ioannem, *In illis*, inquit; *sacrificijs non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum*. & in Ps. 73. *Alia sunt sacramenta dantia salutem; alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem; sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem. Mutata tunc sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora feliciora*. Conformiter loquitur ep 19. quæst. 2. in Numeros l. 1. ad Bonifacium c. 8. & l. 3. c. 4.

*Occurritur objectioni.*

Quod ergo Lev. 4. 5. 6. 16. dicitur, & de sacrificijs pro peccatis, & de peccatorum remissione; accipiendum est de remissione legali, quâ fiebat ut peccatum homini non imputaretur ad pœnam lege comminatam: ideòque illi qui præscriptam

Universidad de Deusto
Biblioteca



sacrificij cæremoniam obſervabant,non puniren- A
tur temporaliter, ſecundùm maledictiones Deut. 28.comminatas;hic enim erat effectus ſacrificiorum & Sacramentorum iſtius legis. Quæ inſuper mundabant ab immunditia quadam corporali,tollendo indoneitatem ad cultum divinum ; quæ non aliud erat quàm irregularitas quædam: *Ab immunditia verò mentis quæ eſt immunditia culpæ, non habebant virtutem expiandi*,ait B.Tho.1.2.q.103. ar.2 *Non poterant* enim *juxta conſcientiam*,id eſt coram Deo,qui conſcientiam intuetur *perfectum facere ſervientem*,ſive miniſtrantem,ad Heb.9.id eſt Non poterant veram conferre juſtitiam.Vera namque juſtitia eſt quæ Deo judice probatur.

Similiter accipiendum eſt quod eòdem capite B
ſignificat Apoſtolus *in lege factam fuiſſe peccati remiſſionem*,legalem ſcilicet,*non ſine ſanguine,Sanctificatio verò ſacerdotis & filiorum ejus*, Exod.29. *& veſtium ipſorum, vel quorumcumque aliorum per aſperſionem ſanguinis;nihil aliud erat quam deputatio ad cultum divinum; & remotio impedimentorum,ad emundationem carnis*; ut hic in Reſponſione ad 2. indicat Auctor, & latius dicto a.q.103.ad 1.

*Diſcrimẽ ſacramentorum vet. legis à ſacramentis nova legis*

Ex his patet manifeſtum diſcrimen quo Concilium Florentinum diſtinguit Sacramenta veteris legis à ſacramentis novæ,ſcilicet quod *illa non cauſabant gratiã ſed eam ſolũ per paſſionem Chriſti dandam figurabant: hæc autem & continent gratiam & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Præter quod C
alia quædam diſcrimina,poſſunt aſſignari.

Sit ergo SECUNDUM, quòd ſint eorum diverſi ritus.

TERTIUM , quod pauciora nunc ſint,quàm tunc erant.

QUARTUM,quod noſtra ſint faciliora.

QUINTUM , quod à Chriſto ſint immediatè inſtituta.

SEXTUM,quod illa fuerint ſigna noſtrorum.

SEPTIMUM , quod ad tempus impoſita ; cùm noſtra duratura ſint uſque ad finem mundi.

OCTAVUM , quod in illis adminiſtrandis nulla determinata forma ſervaretur. Quæ omnia colliguntur ex Auguſtino in Pſ.73.ep.118.l.19.con- D
tra Fauſtum c.13.B.Thoma 1.2 q.101.a.4.102. a.5.ad 4.103.a.2. & ex Catechiſmo Romano in tractatu de ſacramentis.

*Quæſt.* Petes , ſi ad veram juſtitiam nihil conferebant vetera ſacramenta quomodo igitur homines illius temporis juſtificabantur.

*Reſp.* RESP. eos qui juſtificabantur coram Deo(qui quidem in illo carnali populo pauci erant reſpectu totius multitudinis ) juſtificatos fuiſſe per fidem Chriſti Salvatoris venturi; ſimul tamen adhibitis ſacrificijs & ſacramentis illius temporis tanquam ſignis à Deo inſtitutis ad fidem illam profitendam. Hinc B.Thomas locis ſupra citatis docet antiquos fuiſſe juſtificatos ex fide Chriſti , E
quam profitebantur ſacramentis illis utentes,peccatorumque remiſſionem conſecutos , non vi ſacrificiorum ſed ex fide & devotione offerentium.

Sed quæritur,

*An ſacramenta vetera ne quidem juſtificarent ex opere operantis.*

VIDETUR enim quibuſdam quod non. exiſtimantibus ea in onus tantum impoſita ; ut proinde quantumvis boni & juſti ea ſuſciperent, nihil fructus vel augmenti gratiæ haberent.Pro- A
batur PRIMÒ, quia non erat juſtificatio ex operibus legis,ad Rom.3.

SECUNDÒ, Sacramenta illa erant infirma & egena elementa,ad Galat.4.

TERTIÒ,Mandatum vetus abrogatum eſt propter infirmitatem ejus & inutilitatem, ad Hebr.7.

QUARTÒ, Sacramenta illa non vacabant culpâ, ad Hebr. 8. unde & ad tempus correctionis erant impoſita, ad Hebr.9.

QUINTÒ , Teſtamentum in mortuis confirmatum eſt: ibidem ; ſive ita demum ratum habetur,ſi mortuus fuerit teſtator;ſed Chriſtus teſtator nondum erat mortuus , ergo teſtamentum ejus nondum erat ratum;ideòq; nullus juſtificari pote- B
rat;gratia enim ad novum teſtamentum pertinet.

SEXTÒ,Meritum non eſt ſine promiſſione mercedis:atqui uſui Sacramentorum illorum non erat promiſſio gratiæ facta , ſed ſolùm boni temporalis , ergo.

DENIQUE , Concilium Florentinum indicat ea ſolum figuraſſe gratiam dandam per paſſionem Chriſti.

RESP.homines juſtos utentes illis Sacramentis *Sacramenta vet.ex opere operantis juſtificabant.* meruiſſe coram Deo augmentum gratiæ ; atque adeò illa juſtificaſſe ex opere operantis ; ut communiter docent Theologi.Si enim juſti illius temporis merebantur gratiam & gloriam per quælibet alia bona opera ; cur non etiam per uſum eorum Sacramentorum,quæ & bona erant,& à Deo præcepta;Verumtamem,quoniam juſtificatio hæc erat communis omnibus bonis operibus ex gratiâ factis,non propriè dici poteſt Sacramentalis;quia non erat ex vi Sacramenti , ut tale eſt , ſed juxta meritum & diſpoſitionem operantis.

AD 1.verò RESP.opera legis Apoſtolo eſſe illa quæ fiunt per ſolas naturæ vires, ſolâ legis cognitione adjutas,ſine fide.

AD 2. infirma & egena vocantur , quia non valebant præſtare juſtitiam , ut paulò ante dicebamus: quamvis utentium fides & devotio ad eam valerent.

AD 3. ſimiliter explicanda eſt infirmitas ſcilicet pro impotentia ad juſtificandum hominem, D
juxta quod dicitur ad Ro.8. *Quod impoßibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filiũ ſuum miſit ut juſtificatio legis impleretur in nobis.* Eadem mandata vocantur inutilia, non ſimpliciter & per omnia(multæ enim fuerunt legis utilitates,ut quod *per legem cognitio peccati*, ad Ro.3. *Quod lex pedagogus fuit ad Chriſtum.* ad Gal.3.quod prophetica fuerit & Chriſti præfigurativa ad Hebr.10.quod per eam aliquatenus in Dei cultu continerentur (ſed quoad ipſum juſtificationis effectum : quem nec per præcepta, nec per Sacramenta, vel ſacrificia,præſtare potuit lex: *quæ nihil ad perfectum*,ſive ad perfectionem *adduxit.*

AD 4.vetus teſtamentum negatur culpâ vacaſſe ſive irreprehenſibile fuiſſe, id eſt,talem in quo nihil reprehendi poſſet,non quod mali aliquid in ſe haberet: *Lex enim ſancta, & mandatum ſanctum & juſtum & bonum*,ad Ro.7.& *lex Domini immaculata.*Pſ.18. ſed quoniam erat imperfectum:utpotè quod ſubditos ſuos ſanctificare non poſſet.

Itaque non ſic irreprehenſibile , ut nihil ei deeſſet , aut ut nihil in eo deſideraretur : quemadmodum Judæi exiſtimabant , quærentes ex lege juſtitiam. Idem ergo hic dicitur quod verbis ad 3.explicatis dicebatur.

Altero autem loco indicatur inſtitutionis ſacrificiorum



ficiorum & cæremoniarum legis utilitas fuiſſe,ut A
ijs ſibi impoſitis exercerentur , & in Dei cultu continerentur aliquatenus tam ſacerdotes quàm populus ; donec veniret Chriſtus Auctor perfectionis : quod clarius etiam eſt ſignificatum ad Galat.3.& 4.cap.

Huc facit vocabulum, *impoſitis* quo Apoſtolus utitur,velut inſinuans cæremonias,de quibus agit, fuiſſe grave onus quo ſerviliter premebantur,qui tabernaculo miniſtrabant,quod & Petrus Act 15. ſatis indicat. Porrò *tempus correctionis* Apoſtolo eſt tempus adventus Chriſti ; qui vetera correcturus erat;non ut mala,ſed ut imperfecta, novis ac melioribus inſtitutis. Poteſt etiam correctio ad perſonas referri,hoc ſenſu, uſque ad tempus novi teſtamenti,quo homines corrigantur ſeu perfician- B
tur, id eſt, juſtificentur.

AD 5.Negatur conſequentia.Novum enim teſtamentum valebat propter præſcientiam & acceptationem Patris, quâ mortem Filij ſui futuram aſpiciens,eam acceptavit,non quidem quoad omnes teſtamenti promiſſiones illo tempore præſtandas;ſed quoad eas quæ dari ſolent in hac vita; ut ſunt omnes partes noſtræ juſtificationis.

AD 6. Quia cæremonijs illis ut ad vetus teſtamentum pertinentibus non erat adjuncta promiſſio gratiæ ; ideo ut tales non valebant eam dare : quia tamen per fidem & ſpiritum Dei bene operantibus promiſſa erat vita æterna;Geneſis 15.Iſa. 56.Sap.2.5.6.Eccleſiaſtici 18 ideo poterant eam, C
conſequenter etiam augmentum gratiæ , promereri illi qui Sacramentales actiones , ut alia bona opera,faciebant ex fide mediatoris.

AD ULTIMUM Reſp. Concilium Florentinum non aliud velle quam quod Sacramenta veteris legis,quatenus talia , ad hoc ſolum eſſent inſtituta , ut gloriam per Chriſti paſſionem dandam ſignificarent , non autem ut eam ipſa conferrent.Ex quo non ſequitur quod tanquam opera bona non valuerint ad gratiam vel gratiæ augmentum illis qui per ea ſanctè profitebantur fidem ſuam.

De circumciſione , an ad remiſſionem peccati valuerit, quod in Reſponſione ad 3.tangitur,proprius locus eſt quæſt.70. D

## QUÆSTIO LXIII.

*De effectu Sacramentorum qui eſt character.*

CHARACTERIS nomen Græcum eſt.Latinis idem quod *forma ſeu figura*:quomodo illud reddidit Latinus interpres ad Hebr.1.v.3.Quod licet ſignificare ſoleat notam aliquam ſenſibilem & corpoream : A
Theologis tamen jam olim tranſlatum eſt ad ſignificandum ſignum ſpirituale & indelebile.

*Definitio.* Unde Character Sacramentalis definiri poteſt E
eſſe ſignum ſpirituale animæ indelebiliter impreſſum,quo homines ad divina deputantur , & alij ab alijs diſtinguuntur.

### ARTICULUS I.

*Per aliqua ſacram. imprimitur character.* ART. 1. docet per aliqua Sacramenta novæ legis imprimi in anima characterem ſpiritualem. Quæ doctrina in compendio per Concilium Florentinum Armenis dato prius tradita , in Concilio deinde Tridentino ſeſſ.7.c.9.de Sacramentis in genere,definita eſt.

Confirmatur,Cyrillus Ieroſolymitanus in præfatione ad catecheſes, baptiſma vocat ſignaculum ſanctum & indelebile , quia nimirum *Spiritus S. obſignat animas in baptiſmo* , ut loquitur catecheſi 4.& 16.Baſ.ho.13.*Niſi characterem in te agnoſcat Angelus;quonam modo pro te pugnabit,aut ab inimicis vindicabit ? Quomodo inquam dices,Dei ſum.ſigna non oſtendens ?* Aug. epiſt. 23 *Conſecratio reum facit hæreticum,extra Domini gregem habentem dominicum characterem.* Et ſub finem Epiſtolæ 50. introducens dicentem ſibi malum Chriſtianum , Quare me non baptizas,ut abluas me à peccatis? reſpondet , *Quia non facio injuriam characteri imperatoris,cum errorem corrigo deſertoris.* Et tract.5. in epiſtolam Ioannis, de malo baptizato loquens, *Characterem quidem impoſitum habet , ſed diſcertor vagatur.* Videri poteſt idem l.1.contra Creſcon.c. 30.l.6.de baptiſmo c.1.l.2.contra epiſtolam Parmeniani c.13.l.2. contra literas Petiliani c.ultimo & Nazianz. orat. 40. Epiphanius hæreſi 9.& 8. Eodemque pertinent omnia quibus contra Donatiſtas diſputans Auguſtinus docet baptiſmum communem eſſe bonis & malis ; nec iterari vel amitti poſſe. Cùm enim fictè accedens non accipiat gratiam ſanctificantem,& actus ipſe tranſeat; ſequitur aliquid ab ijs diverſum eſſe, quod etiam à malis recipitur , quodque in deſertoribus maneat indelebiliter : hoc autem non aliud eſt quam character. Idem poſtea docuit Innocentius 3. c. Majores,tit.de baptiſmo.

Accedit & ratio Qui enim ad aliquid deputantur,conſueverunt ad illud conſignari:per quædam autem ſacramenta deputantur homines ad aliquid ſacrum recipiendum vel agendum,ergo decet eos ſigno ſpirituali ad hoc conſignari.

*Circumciſio non impreſſit in anima characterem.* In Reſponſ. ad 3. Nota , neque circumciſionem , neque ulla vetera ſacramenta impreſſiſſe characterem in anima; partim quia non habebant virtutem ſpiritualem , & ſic interius nihil efficiebant,ut dicit Auctor q.72. a.5.ad 3. partim quia ille populus in paſcuis corporalibus paſcebatur, ut idem aſſerit lect.5. in c.1. ad Eph.& ideo Dominus corporali ſigno circumciſionis eum ſeparavit D
& diſtinxit ab alijs.

### ARTICULUS II.

*Vtrum character ſit ſpiritualis poteſtas.*

*Character non eſt ens rationis.* DE natura characteris hîc quæritur.Qui non poteſt dici eſſe ens rationis, ſeu denominationem aliquam externam,vel ens reale,ſed relativum dumtaxat : vel abſolutum , ſed ab animâ non diſtinctum.

PRIMÒ , quia in Concilijs Florentino & Tridentino traditur characterem eſſe ſignum ſpirituale animæ impreſſum : non imprimitur autem animæ ens rationis , neque id quod ab eâ non diſtinguitur,neque relatio ſine ſuo fundamento.

SECUNDÒ , quia Synodus Tridentina anathemate ferit eos qui negant veritatem characteris , cujuſmodi ſunt noſtri ſectarij : qui tamen non negant baptizatum à non baptizato diſtingui, vel per ens rationis , vel per denominationem externam ſeu reſpectum ad actionem Sacramentalem præcedentem.

TERTIÒ , quia ad relationem non eſt per ſe motus, 5. phyſ.ad characterem autem terminatur ille motus quo ipſe imprimitur. Denique, relatio

nec est principium agendi nec patiendi, quale A tamen est character.

*Character est qualitas.*

Quapropter B. Thomæ sententia tenenda est, characterem esse qualitatem absolutam, ab anima ejusque potentijs re distinctam, cum relatione signi quia scilicet est res ad significandum imposita, præstans (ut loquuntur Patres catechismi Romani) tum ut apti ad aliquid sactum suscipiendum vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero internoscatur. An autem relatio quam importat, sit realis, ambigitur: Suarez & Nugnus non improbabiliter negant.

Magna verò controversia est, ad quam speciem qualitatis pertineat.

In Responsione ad 2. & 3. probat non pertine- B re ad tertiam vel quartam: In argumen. ad oppositum, quod non ad primam. Sed hoc argumentum multis videtur infirmum, eò quòd habitibus artis & scientiæ possit quis bene & malè uti, propriumq; sit virtuti, quod eâ nullus malè uti possit. Verum, etsi respondere quis posset argumentum ad oppositum frequenter solum ostendere quæstionem esse disputabilem, non autem solidè confirmare partem pro qua adfertur; Non desunt tamen, qui illud de quo agitur, firmum esse existimant. Nam cùm B. Thom. dicit: *Nullus est habitus qui se ponit ad bene & malè habere:* non præcisè loquitur de bonitate & malitia morali, quo modo virtute nemo potest malè uti; sed de bonitate & C malitiâ pertinente ad ipsum habitum. Nec dicit eum qui habitum habet, non posse bene & malè agere; sed ipsum habitum non esse principium boni & mali actus: v. g. licet is qui habet artem, possit malè agere etiam in operibus suæ artis, ipsa tamen ars non est principium operationis nisi bonæ seu convenientis artificio. Et similiter, licet is qui scientiam habet, possit errare & sua scientia malè uti, etiam moraliter; ipsa tamen scientia non est principium cognitionis nisi certæ; cognitio autem certa est actus bonus bonitate ad habitum illum pertinente, etiamsi non semper sit bonus moraliter. Atqui character etsi secundùm se bonus *Character non est habitus.* sit, potest tamen ex malitia operantis esse princi- D pium mali actus sicut & boni, bonitate & malitia pertinente ad ipsum characterem; quia character per se ordinat ad cultum divinum; In rebus autem ad eum cultum pertinentibus potest quis uti characte re, & convenienter ad illum, & disconvenienter; & religiosè & irreligiosè; & cum fide & sine fide: ergo character non est habitus.

Confirmatur. Primò, habitus tam acquisitus quam infusus potest intendi remitti, & perdi; non character.

Secundò, habitus non tribuit simpliciter posse, sed hoc supponens dat posse certo & determinato modo; character autem non dat solum posse certo modo, sed simpliciter posse. Nam character baptis- E mi sic dat posse recipere alia Sacramenta, ut sine eo nullum possit suscipi: character sacerdotalis sic dat posse consecrare & absolvere, ut consecratio & absolutio sine eo attentatæ sint irritæ: Similiter Episcopalis dat posse ordinare sacerdotes. Confirmationis, posse tanquam militem Christi ad hoc deputatum ex officio publicè fidè profiteri: quam quidem & alij profiteri possunt, & aliquando debent; sed confirmatorum est esse ad hoc, tanquam milites Christi deputatos; ut ostendit Auctor q. 73. art. 5.

Si dicas virtutes Theologicas esse habitus etiamsi dentur ad simpliciter posse operati, Resp. eas non dari ad simpliciter operandum, sed ad operandum certo modo, per principium formale, proportionatum actibus supernaturalibus. Nam sine illis potest quis credere, sperare, diligere quasdam res naturales naturæ suæ convenientes, sed non res divinas modo saluti spirituali proportionato; exceptis tamen illis qui prius quam isti habitus eis infundantur, credunt, sperant, diligunt sicut oportet ad salutem, per auxilium gratiæ specialis.

Ex his concludendum restat characterem perti- *Character est potentia.* nere ad secundam speciem qualitatis, non quia sit naturalis potentia, sed quia est potentia: quod probat B. Thomas, quia per characterem deputantur homines cultui divino; divinus autem cultus consistit in recipiendo vel tradendo divina; & ad utrumque illorum requiritur aliqua potentia, subaudi, neque est vel præsupponitur alia quam character: ergo ipse character est potentia. Hoc ideo subaudiendum est, ne alioquin concludatur habitus ad cultum Dei pertinentes esse potentias.

Nec obstat quòd Concilia supra citata, characterem vocent signum, nulla facta mentione potentiæ: expresserunt enim certum; id quod probabile est reticendo.

An verò character sit potentia physica, id est, realiter influens in effectum instar causæ physicæ an solum moralis, id est, quæ non attingat effectū, sed hactenus tantum censeatur principium, quia est res ex divina ordinatione ad hoc destinata, ut illa insignitus, aptus & potens sit ad recipiendum vel tradendum divina; controvertitur: posterius videtur sufficere, idque ab Authore est indicatum a. 4. ad 1. dicente quod *character directè & propinquè disponit animam ad ea quæ sunt divini cultus exequenda*, id est, reddit eam potentem & idoneam.

Nec obstat quod hanc potentiam comparet virtuti quæ est in Sacramentis; quia non vult eas per omnia similes esse, sed solum in ratione instrumenti; quæ convenit utrique imperfectè. Unde etiam patet quomodo sit exemplum appositum; licet character sit qualitas permanens, & virtus sacramentalis, motio transiens.

Dices, cùm qualitates ponantur directè in prædicamentis, etiamsi sint instrumenta substantiæ; quomodo Beatus Thomas dicit characterem ideo reductivè tantum poni, quia est virtus instrumentalis.

Respondeo virtutem instrumentalem esse duplicem unam, quæ effectum sibi similat, vel subjectatur in principali agente, ut virtus caloris naturalis. Alteram, quæ nec sibi assimilat effectum nec in agente principali subjectatur, sed in puro instrumento. De priori procedit argumentum; character autem pertinet ad posteriorem, ut qui solis ministris conveniat, non aliud quam instrumenta Dei existentibus: & similitudinem aliquam habet cum potentijs quæ sunt in penicillo ad depingendum, in calamo ad scribendum vel lineas ducendum, quæ solum reductivè ponuntur prædicamentis.

### Articulus III.

*Character sacramentalis est character Christi.*

Art. 3. docet characterem Sacramentalem specialiter esse characterem Christi, id est, à Christo impressum, ut ipsi tanquam principi fideles configurentur & consignentur: quomodo character ab Imperatore militibus impressus, vocatur character imperatoris. Hinc tria possunt colligi officia characteris.

Primum,



*Officia characteris.*

Primum, esse signum distinctivum unius ab A altero; in Responsione ad 3.

Secundum, reddere potentem & idoneum ad recipiendum vel tradendum divina; hic in corpore.

Tertium, configurare nos Christo & similes ei reddere; per hoc quod character sit potestas derivata à potestate Christi, & quædam ejus participatio: in corpore & ad 2.

### Articulus IV.

Art. 4. probat characterem esse in potentia animæ tanquam in subjecto; quia ordinatur ad actus; Actuum autem proximum principium est potentia. Ex quo sequitur quod etiam sit in anima, ut continent definitiones Conciliorum, B scilicet tanquam in subjecto remoto.

*Character est in intellectu.*

Quænam verò sit potentia quæ recipit characterem non convenit. Cum Authore hic ad 3. & art. sequenti in corpore, dicimus esse intellectum; partim, quia actus ad quos ordinatur, scilicet recipere vel tradere ea quæ sunt divini cultus, sunt quædam fidei protestationes, fides autem est in intellectu; partim, quia character per se non inclinat voluntatē, cùm sit bonis & malis communis.

Nec obstat quod cultus divinus, ad quem ordinatur character, pertineat ad virtutem religionis, quæ subjectatur in voluntate; character enim magis convenit cum fide quàm cum religione, ac tam fides, quàm character est principium religio- C nè anterius; superadditur enim characteri religio, ut officia divini cultus ad quæ character ordinat, non determinando an bene an malè, bene & religiosè fiant.

Non obstat etiam quòd character non sit principium intellectionis; satis enim est quòd reddat intellectum potentem ad sic dirigendum voluntatem & alias potentias, ut actus ab intellectu per • characterem informato directus, sit sufficiens ad eas actiones divini cultus, ad quas alioquin non sufficeret, quomodo Philosophus salubritatem recenset inter potentias naturales. Sic verba consecrationis, ut directa ab intellectu habente characterem sacerdotalem, sunt instrumenta Dei, ad D quod alioquin eadem verba non subserviunt,

In responsione ad 1. observandum est quòd character directè & proximè non disponit ad gratiam, sed ad actus divini cultus. Cùm addit, quòd *ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam:* non vult significare characterem esse effectum Sacramenti principalem, gratiam verò secundarium. Nam initio quæstionis 62. disertis verbis affirmat gratiam esse principalē effectum Sacramenti, characterem verò secundarium; sed docere intendit quòd character immediatè ordinetur ad actus divini cultus ad gratiam verò illam quæ datur ad eos actus bene exercendos; solùm ex consequenti. Quamvis ergo Sacra- E mentum primariò conferat gratiam justificantem vel ejus augmentum; secundariò autem characterem: illo tamen charactere posterius est quod divina bonitas largiatur auxilia gratiæ ad actus characteri proprios exercendos.

### Articulus V.

*Character est indelebilis.*

Art. 5. docet characterem ineſſe animæ indelebiliter. Quæ doctrina est fidei & ex art. 1. clara; non quod per Dei potentiam nequeat deleri, sed quia nunquam deletur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Cujus ratio partim petitur ex eo quod character sit participatio sacerdotij Christi, quod est æternum; partim ex naturâ consecrationis. Per illam enim participationem sacerdotij Christi, consecratur quis ad aliquid sacrum: res autem semel Deo consecrata, semper manet talis, quamdiu existit. *Quicquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Levit. 27. Hinc. Augustl. 2. contra epist. Parmeniani c. 23. de baptismo & ordinatione loquens, *Utrumq;* (ait) *Sacramentum est, & quadam consecratione utrumq; homini datur; illud, cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoq; in Catholica utrumque non licet iterari.* Et Gregorius l. 2. Epist. 32. *Sicut baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari.* Ex his patet, rationem cur Sacramenta quædam iterari non possint, esse, quia imprimunt characterem indelebilem; ut significat Conc. Trid. sess. 7. c. 9. de Sacramentis in genere.

At dices character recipitur in anima seu in ali- *Ob.* qua potentiarum ejus: quicquid autem recipitur, ad modum recipientis recipitur. Cum ergo modus animæ recipientis characterem sit, recipere amissibiliter; consequens est characterem esse amissibilem. Et confirmari potest, quia gratia est perfectior quam character: Sed gratia potest amitti: ergo & character.

Resp. Neg. Conseq. Ut enim S. Doctor hìc in- *Resp.* dicat, illa demum forma recipitur ad modum seu juxta conditionem subjecti recipientis, quæ est perfecta & completa. Quæ autem est incompleta & se habet per modum transeuntis, vel est solum causa instrumentalis, non debet recipi secundùm conditionem subjecti recipientis sed juxta conditionem causæ principalis. Sicut autem virtus spiritualis; quæ (ut q. 62. ar. 4. vidimus) secundùm quosdam ponitur in Sacramentis ad causandam gratiam, non est nisi incompleta & per modum transeuntis, ideòque non est illis ad modum subjecti: ita character sacramentalis tantum est virtus instrumentalis; & ideo non est in anima mutabiliter, secundùm conditionem animæ: sed immutabiliter, secundùm conditionem Dei, qui est causa principalis.

Quoniam verò gratia est forma perfecta & completa, ideo ipsa inest juxta conditionem animę in qua recipitur, hoc est, mutabiliter: quia conditio animæ in hac vita est, esse mutabilem de bono in malo, & contra.

Accedit quod gratia habet contrarium, per quod proinde potest expelli: character autem non habet contrarium.

Deinde gratia quantum ad sui conservationem pendet à libero arbitrio; character à solo Deo ipsum conservante. Unde hic non est attendenda dignitas formæ quæ recipitur; Sed ejus conditio sitne forma habens esse completū vel incompletum, & instrumentalis; itemque an habeat contrariū. Addi præterea potest illud axioma. *Quod recipitur, ad modū recipientis recipitur,* non habere nunc sensum, quasi omnis forma quæ in aliquo subjecto recipitur debeat habere omnem illius subjecti modum vel conditionem: nā nec anima rationalis est corporea & materialis, quamvis materia eam recipiens talis sit: nec lumen gloriæ est amissibile, licet anima quæ illud recipit sit secundùm se mutabilis: sed sensus ejus est, quod forma quæ in aliquo recipitur, recipitur juxta capacitatem &

Universidad de Deusto
Biblioteca



dispositionem subjecti recipientis; ut proinde aliqua proportio & dispositio esse debeat inter recipientem & id quod recipitur.

### Articulus VI.

*Tria tantum sacramenta characterem imprimunt.*

Art. 6. docet non per omnia novæ legis sacramenta characterem imprimi; sed solum per tria, Baptismum, Confirmationem, Ordinem: quia per horum susceptionem homo specialiter consecratur Deo ad actiones cultus divini.

In baptismo civitati seu familiæ Christi ascribitur, & idoneus efficitur ad cætera Sacramenta suscipienda.

In Confirmatione deputatur ad militiam Christi. B

In ordinatione, ad sacra ministeria obeunda. De baptismo & ordine audivimus articulo quinto Augustinum & Gregorium. De confirmatione dicit Augustin. l. 2. contra literas Petiliani c. 104. *Sacramentum chrismatis sacrosanctum esse sicut ipse baptismus, ac posse esse in hominibus pessimis.* Ratione utique characteris manentis; ne alioquin concludatur extremam unctionem semel susceptam manere, etiam in pessimis. De ijsdem tribus Sacramentis habet Auctor sermonis de ablutione pedum apud Cyprianum, & Concilium tam Florentinum, quàm Tridentinum, ut proinde nullus sit dubitationi locus.

## QUÆSTIO LXIV. C

*De causâ Sacramentorum.*

### Articulus I.

*Solus Deus est causa principalis effectus sacramenti.*

Art. 1. docet solum Deum operari interiorem effectum sacramenti tanquam causam principalem; quia solus ipse potest illabi in animam, in quâ effectus ille recipitur; nihil autem potest immediatè per modum causæ principalis operari ubi non est. Si dicas multas causas principales operari mediante suâ virtute, ideòque ad rationem causæ principalis non requiri, quòd immediatè operetur, vel existat D ubi operatur: Resp. causam principalem debere agere immediatè, si non immediatione suppositi, saltem immediatione virtutis; ac proinde non posse per modum causæ principalis operari, ubi neque est secundùm suam substantiam, neque secundùm suam virtutem: Solus autem Deus sic illabitur animæ: creatura verò neutro modo, ergo solus Deus potest in animâ causare gratiam per modum causæ principalis; ut latiùs tradit Author 1.2.q. 112. art. 2.

Instrumentaliter autem homines operari ad interiorem effectum sacramenti. hîc in proposito E affirmat.

Unde quæritur.

*An sacramentorum ministri possint dici instrumentaliter conferre gratiam.*

Videtur quod non, Primò, quia B. Thom. 1.p.q.44. docet hominem non dare Spiritum Sanctum, quia nec effectum gratiæ potest causare.

Secundò, quia hîc solum dicit quod ministri instrumentaliter operentur ad effectum sacramenti, non dicit autem quod effectum illum causent: Imo in Resp. ad 1. id negare videtur, affirmans quòd purgatio secundùm quod tribuitur ministris Ecclesiæ non est à peccatis; & quod sacerdotes illuminare dicuntur, non gratiam infundendo, sed sacramenta gratiæ tradendo.

*Ministri sacramentorum conferunt gratiam instrumentaliter.*

Resp. simpliciter esse dicendum quòd ministri sacramentorum conferant gratiam per sacramenta instrumentaliter.

Primò, quia conferunt Sacramenta quæ verè, & propriè gratiam causant.

Secundò, quia sacerdotibus tribuitur solvere & peccata remittere, Matth. 16. & Joannis 20. Juxta sensum Conc. Trid. ss. 14. c. 4. & ss. 23. cap. 1. Hæc autem si mortalia sint remitti non possunt nisi conferatur gratia. Unde articulus qui dicebat peccatorem non vivificari ministerio sacerdotis absolventis, damnatus est à Pio 5. ut q. 84. a. 2. videbitur. Huc etiam pertinet quod sess. ult. Conc. Constantien. suspectus interrogari jubetur, utrum credat quod sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum & contritum à peccatis absolvere. Item, utrum credat quod malus sacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, verè conficiat, verè absolvat.

Tertiò, Ita docet B. Th. tum hoc art. dicens, quòd *actio Ministri fortitur effectum interiorem* tum jam dicta qu. 84. articulo 3. ubi in Responsione ad 3. dicit sacerdotes à peccato absolvere, & peccatum remittere, *in quantum verba sacerdotis instrumentaliter operantur in virtute divina.* In Resp. etiam ad 5. asserit quòd *sicut sacerdos baptizando aliquem ostendit eum esse interiùs ablutum, non solum significativè, sed etiam effectivè: Ita cum dicit, Te absolvo, ostendit hominem esse absolutum non solum significativè, sed etiam effectivè.*

Huc pertinet quod q. 17. de ver. a. 4. ad 18. concedit ministrum justificare per modum ministerij.

Sed evidentissimum est quod lect. 4. in c. 20. Ioannis scribit: *Aliqui dicunt* (inquit) *quòd solus Deus remittit culpam, sed sacerdos absolvit tantùm à reatu pœnæ, & denunciat eum absolutum à macula culpæ. Sed hoc non est verum. Nam sacramentũ pœnitentiæ, cum sit sacramentum novæ legis, confert gratiam sicut & in baptismo: Sed in baptismo sacerdos baptizat instrumentaliter, & tamen confert gratiã: ergo similiter in sacramento pœnitentiæ sacramentaliter & ministerialiter absolvit à pœna & culpa, in quantum dat Sacramentum in quo peccata dimittuntur. Quod autem dicitur quod solus Deus peccata dimittit, verum est authoritativè.* Et postea *Remissio peccatorum est proprium opus Dei qui propria virtute & authoritate peccata dimittit: sacerdotis autem non est nisi sicut instrumenti.*

Similiter in op. de forma absolutionis c. 1. *Patet*, ait, *per authoritatem Dionisij quòd licet Deus ut principalis author purget & illuminet; Minister tamen dicitur purgare & illuminare.* Et c. 2. affirmat, quod minister *in persona Christi peccata condonat.* Conferatur etiam hujus ar. 5. ad 1.

Ad 1. Arg. Resp. B. Thomam illic agere de datione quam quis faciat velut causa principalis, propria virtute. Quo modo etiam intelligendus est lôqui q. 27. de verit. a. 4. ad ult. De instrumentali enim collatione gratiæ, & consequenter de datione Spiritus S. sive ministeriali sive instrumentali, cum loquitur, eam & Christi humanitati & Sacramentis novæ legis concedit, eodem a. 4. A c. 2. ad 18. & locis supra citatis.



Ad 2. Resp. B. Thomam ibi satis significare quòd ministri operantes ad interiorem effectum Sacramenti, illum causent; quia dicit quod *actio quæ exterius adhibetur à ministris, fortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis.*

In responsione ad 1. ministros intelligit Diaconos, quorum officium nõ est conferre Sacramenta, sed ministrare majoribus, & *purgare, vel repellendo immundos, vel disponendo eos ad Sacramenti susceptionem*, ut ex q. 67. ar. 1. patet *Sacerdotes autem, dicuntur illuminare, non gratiam fundendo, sed sacramenta gratia tradendo*; quia non illuminant tanquam causæ principales illabendo in animam, B sed solùm ministerialiter, exercendo actionem sacramentalem. Et hinc est quod eorum, potestas efficiendi effectum Sacramenti, allegata sit Sacramentis.

Ex his patet nihil referre ad hoc modo conferendum effectum Sacramenti, an minister sit consecratus, an non, modo verum Sacramentum efficiat: Ac proinde laicus baptizans non minus operatur ad collationem gratiæ quam sacerdos: uterque enim operatur per modum instrumenti physici, ut ex q. 62. de Sacramentis intelligendum relinquitur. De Responsione ad 2. dicemus articulo quinto.

### Articulus II.

*Solus Deus instituit sacramenta.*

Art. 2. probat solum Deum esse institutorem Sacramentorum; quia ejusdem est instituere Sacramentum (sc. ex authoritate & per potestatem supremam, ac independentem) cujus est principaliter efficere virtutem Sacramenti.

Confirmatur, Ille dicitur aliquam rem instituere, qui vim, & robur ei tribuit; sicut legem condit, qui dat ei vim obligandi: Cùm igitur solus Deus vim sanctificandi, seu gratiam conferendi possit tribuere Sacramentis: solus quoque dicendus est eorum auctor & institutor, & quidem sic ut nec ab alio quopiam seu homine seu Angelo instituti potuerint, nisi ministerialiter, cum potestas ea D principalis superet facultatem & capacitatem creaturæ.

Quamvis autem B. Thom. hic loquatur de sacramentis novæ legis, sentiendum tamen esse quod & vetera Sacramenta sint & solâ Dei institutione; patet ex ijs quæ dicta sunt quæstione 60. artic. 5. & q. 61. art. 3.

*Omnia sacramenta sunt à Christo immediatè instituta.*

An verò Sacramenta sic sint institutionis divinæ, ut omnia & singula sint à Christo immediatè instituta; difficultas est, quæ de singulis quidem Sacramentis particulariter suis locis explicabitur; hic autem universè est affirmandum, juxta definitionem Concil. Trid. ss. 7 c. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo* E *Domino nostro instituta, anathema sit.*

Nec obstat quod non exprimatur, *immediatè*: ita enim nihilominus esse intelligendũ; probatur Primò, quia nemo unquam dubitavit quin saltem mediatè, omnia sint à Christo instituta.

Secundò, Quæ Christus non immediatè præcepit, non dicuntur esse præcepta à Christo, etiam si præcipiantur ab Ecclesiâ; ergo idem judicium est de institutione.

Tertiò, idem Concilium dictæ sess. can. 13. & sess. 21. ca. 2. sentit in Ecclesia potestatem esse instituendi & mutandi Sacramentalia; de sacramentis autem dicit Ecclesiam non habere potestatem mutandi eorum substantiam; ergo nec instituendi.

Quartò, idem Conc. sess. 14. cap. 1. de extrema unctione (de qua maximè videri posset esse dubitatio) definit eam à Christo esse institutam, & per Iacobum Apostolum promulgatam; ergo loquitur de institutione per Christum immediata, alioquin S. Iacobus non solum promulgasset, sed etiam instituisset.

Accedit quod quorundam Sacramentorum institutio per Christum expresè contineatur in scripturis; de quibus autem tacetur, idem est judicium quia hac in re par est omnium ratio, cùm sint fundamenta fidei & religionis Christianæ; ideoque non possint esse ab alio, quam ab eo à quo est ipsa fides.

Hinc Apostoli, ad quos præcipuè Sacramentorum institutio pertinuisset, non se institutores vocant, sed ministros, & dispensatores, 1. ad Corint. 3. & 4. Eodem pertinet quod act. 1. dicitur Christus *per dies 40. apparens locutus fuisse ea quæ sunt de regno Dei*; ut Græcè significantiùs exprimitur. 1. De Ecclesia Dei ædificanda & administranda. Hinc. Amb. lib. 4. de Sacramentis c. 4. *Author Sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus?* Et Aug. epistolâ 118. c. 1. dicit Christum Dominum Sacramentis numero pauciss imis societatem novi C populi colligasse.

*Ob.* Nec obstat quod ibidem recensens Baptismum, & Eucharistiam, addit, *Et si quid aliud in scripturis commendatur*, quasi ea tantum Sacramenta agnoscat, quorum institutio est in scripturis: solùm enim *Resp.* significat (quod & nos art. 1. quæst. 62. indicavimus) omnia Sacramenta commendari in scripturis; sive interim illæ referant eorum institutionem, sive non.

*Alia ob.* Quod autem libro 3. de doct. Christ. cap. 9. de Sacramentis dicit, *Ipse Deus, & Apostolica tradidit doctrina*; non sic accipiendum est, quasi Deus quædam, & Apostoli alia Sacramenta instituerint; sed *Resp.* sic, ut quæ Dominus tradidit tanquam institutor eadem Apostoli tradiderint tanquam promulgatores.

*Alia Ob.* Quod etiam Auctor sermonis de ablutione pedum apud Cyprianum, dicens; *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, & author*, addit, *In cæteru, homines Spiritum sanctum habuere Doctorem:* non eò pertinet ut homines divinitus inspirati, ali- *Resp.* qua Sacramenta instituerint, nam cum dicit, *in cæteru*, non est subaudiendum (Sacramentis) sed vel *ritibus vel cæremonijs:* Aut si subaudiatur (*sacramentis*;) tunc sensus est; *Ipse summus sacerdos* Christus, *sui Sacramenti* Eucharistiæ sc. *est institutor & Author*; quia ipsum non solum instituit, se etiam primus celebravit & exhibuit: *In cæteris autem*, Sacramentis quæ ipse non exhibuit, ut confirmatione, pœnitentia, extrema unctione, matrimonio, Apostoli *Spiritum Sanctum habuere Doctorem*, non ut eo dictante, illa instituerent, sed ut prius à Christo instituta traderent & exhiberent.

Ex his sequitur non posse nunc sustineri quorundam Scholasticorum opinionem, ne quidem ut probabilem qui dicebant quod aliqua Sacramenta, ut Confirmatio, & Extrema Unctio sint immediatè ab Ecclesia, vel Apostolis instituta.

Quod autem de Sacramentorum institutione dictum est, necessariò debet etiam intelligi de partibus eorum essentialibus, materiâ, formâ, ac de mini-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quæst. Resp.*

ministro, horum enim Ecclesia, nihil potest instituere, vel mutare. Vide B. Thom. in Responsione ad 2. & confer Concil. Trident. sess. 21. c. 2. A

Si quæras, quare singulorum Sacramentorum materiam, & formam non habeamus expressam in scripturis: Respondeo rationem esse, ne sanctum canibus & margaretæ porcis objicerentur, id est, ne sectetiora religionis nostræ mysteria, litteris mandata venirent in manus, & notitiam infidelium, à quibus haberentur contemptui. Hinc. Dionys. cap. 1. Ecclesiasticæ hierarchiæ Timotheum seriò admonens: *Vide*, inquit, *ne sancta sanctorum enuncies sed revereberis ea potius &c. ita tamen ut ea & minus perfectis non tradas, & cum ijs solu communices qui sancti erunt*, Et capite 7. patte 3. *Precationes quæ in mysteriis adhibentur, nefas est scripto interpretari.* Similiter Innocentius 1. epist. primâ ad Decennium, de Confirmatione loquens. *Verba*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quã ad consultationem respondere.* Et cap 8. *Reliqua quæ scribi fas non erat, quum adfueris interrogati poterimus edicere.* Similiter Augustinus tum in Ps. 21. tum alibi. *Norunt*, ait, *fideles.* Et epistolâ 57. *Non in quo sacrificio dicatur, gratias agamus Domino Deo nostro* Atque hæc una est ratio, quare secreta quædam mysteria sine scripto, per traditionem ad nos venire debuerunt, ut ostendimus quæst. 1. de traditionibus art. 4. B C

### Articulus III.

*Christus operatur interiorem effectum Sacramentorum.*

Art. 3. docet Christum operari interiorem effectum Sacramentorum; secundùm quidem quod Deus est, per authoritatem, id est, tanquam agens principale, & propriâ virtute: secundum autem quod est homo, instrumentaliter. Quia tamen ejus humanitas respectu eorum quæ ad salutem nostram pertinent, est instrumentum divinitati conjunctum; ideo in genere causæ instrumentalis, obtinet quandam principalitatem, quæ vocatur *potestas excellentia*: & ad eam pertinent quatuor quæ hîc ab Auctore recensentur. In eorum secundo, cum Sacramenta dicuntur sanctificari in nomine Christi, sensus est quod celebrentur per invocationem nominis ejus, & ipsius vice ac authoritate. Hanc excellentiæ potestatem indicat scriptura, quando Christo præ cæteris quamdam prærogativam tribuit circa ministerium Sacramentorum: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, Ioannis 1. *Quid est Apollo? quid verò Paulus? ministri ejus cui credidistis*; primæ ad Corinth. 3. D

### Articulus IV.

*Potestas excellentiæ potuit aliquo modo communicari creaturis.*

Art. 4. tria asserit. Primum potestatem authoritatis quam Christus ut Deus habuit in Sacramentis; non potuisse communicari creaturæ. E

Secundum, potestatem excellentiæ, quam habuit ut homo, potuisse communicari.

Tertium, istam potestatem excellentiæ non fuisse ulli communicatam.

Primum patet; quia authoritas divina, ut talis, non est ulli creaturæ communicabilis.

De secundo

## Art. III.

### QUÆRITUR I.

*Utrum potestas excellentiæ quam Christus ut homo habuit, potuerit communicari creaturæ.*

Videtur quod non. Primò, quia licet impositio signi possit committi creaturæ, non tamen potest ab eâ pendere, ut signum illud habeat certam efficacitatem gratiæ; cùm gratia pendeat à solâ Dei voluntate, ut ratiocinatur Scotus in quartum distinctione prima, quæst. 3.

Secundò, impossibile est puram creaturam mereri alteri gratiam de condigno; ut colligitur ex Authore primâ secundæ quæstione 114. ergo similiter impossibile est quod meritum, & vis satisfactionis illius operetur in Sacramentis; quæ est prima conditio requisita ad potestatem excellentiæ.

Tertiò, potestas excellentiæ convenit Christo propter unionem ad Verbum; Talis autem unionis expers est pura creatura.

Nihilominus Authoris doctrina, cui consentiunt Bonavẽt. & Richardus in 4. dist. 5. Dominicus dist. 1. Cajet. & alij hîc, ut communior est, ita & verior: quia nulla est contradictionis implicantia. Unde Aug. tra. 5. in Joannem. *Potuit dominus si vellet potestatem dare alicui servo suo, ut daret Baptismum vice suâ; & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo, & tantam vim dare baptismo translato in servum quantam vim haberet baptismus à domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent, Noluit ergo servum ponere spem in servo* Et iterum, *Potuit hanc potestatem servis dare, & noluit.*

Ad 1. ergo Respondeo certitudinem efficaciæ posse pendere à creaturâ tanquam instrumento Dei, sic ordinantis; licet non tanquam à causa principali.

Ad 2. dupliciter intelligi potest quod unus mereatur alteri de condigno, vel secundùm absolutum justitiæ rigorem, ita ut valor meriti non sit ex gratia, sed ex dignitate merentis: vel ex suppositione gratiæ, à quâ meritũ habeat valorem. Priori modo solus Deus homo potuit mereri alijs de condigno juxta ea quæ diximus quæstione prima, articulo secundo, quæsito tertio, & quarto; Posterius autem communicari potest puræ creaturæ, quia potest ei tanta gratiæ plenitudo conferri, ut opus ejus acceptetur à Deo ad meritum pro alijs: fundamentum enim hujus valoris esset in gratia, non in dignitate merentis.

Ad 3. licet ea quæ ad potestatem excellentiæ pertinent, soli Christo communicari possunt, in eâ perfectione quam ipse habuit merendi, & satisfaciendi ex perfecto rigore justitiæ: ea tamen omnia communicari potuerunt creaturæ secundùm substantiam, & modo inferiori. Neq; mens B. Thomæ est quod potestas excellentiæ quam Christus ut homo habebat, communicari potuerit creaturæ in ea perfectione quæ in ipso erat; Dicit enim in resp. ad 3. quod in casu communicationis Christus esset caput principaliter, alij solum secundariò: Sed solum vult, quod ea quæ potestas excellentiæ includit, potuerint secundùm substantiam, modo tamen inferiore communicari.

QUÆ-



### QUÆRITUR II.

*An ea potestas fuerit communicata.*

Videtur quod sic,

Primò, ex Joannis capite 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, ubi Christus cum eadem authoritate mittit Apostolos, cum qua ipse missus est à Patre.

Secundò, satisfactiones Sanctorum applicantur alijs per Indulgentias, ergo & per Sacramenta.

Tertiò, effectus Confirmationis datus est à Petro, Act. 10. sine Sacramento, ut intellexisse videtur B. Tho. q. 72. ar. 2. 4. 6. B

*Potestas excellentiæ nulli est communicata, sed soli Christo convenit.*

Doctrina tamen Authoris retinenda est, Christum nulli communicasse potestatem excellentiæ, quia nullus invenitur eâ fuisse usus. Atque hæc est expressa B. Aug. sententia dicto tra. 5. in Joan. pro ratione adferentis id quod Author tetigit hic ad 1. ne quis in homine spem poneret, si hominis meritum in Sacramento operaretur, & ne schismata orirentur, dum *tot essent baptismi, quot essent servi: &, quomodo dictum est baptisma Ioannis, sic diceretur baptisma Petri, sic baptisma Pauli, sic baptisma Iacobi, sic baptisma Thomæ* &c.

Ad 1. Respondeo vocem, *sicut*, significare similitudinem, non æqualitatem, quemadmodum C & Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.*

Ad 2. negatur Consequen. nam in Indulgentijs solùm applicatur satisfactio Sanctorum pro remissione pœnæ temporalis; in Sacramentis autem meritum Authoris illorum applicatur pro remissione culpæ, & pœnæ æternæ.

Ad 3. Negatur Assumptum. Ibi enim non Petrus suo imperio, sed Deus loquente Petro contulit effectum Sacramenti.

Circa Resp. ad 2. cùm B. Thomas admittit quod justificare tanquam causa principalis & per authoritatem, majus sit, quàm creare, similiter tanquam causa principalis; quia nimirum justi- D ficationis effectus est divinus, & supernaturalis, ac majoris misericordiæ: colligendum relinquit quòd justificare instrumentaliter non sit majus quàm creare instrumentaliter. Nec obstat, quod eadem videtur esse proportio instrumenti ad instrumentum, quæ causæ principalis ad principalem: Id enim verum est cæteris paribus, quæ hic non sunt, nam creare instrumentaliter specialem habet difficultatem, propterea quod est facere ex nihilo: justificare autem instrumentaliter non est opus misericordiæ ex parte instrumenti, sed solùm ex causâ principali.

### Articulus V. E

*Vtrum per malos Ministros Sacramenta conferri possint.*

Non dubium est quin ad Sacramentorum perfectionem necessarius sit minister. Hoc enim definitum est in Conc. Florent. dicente: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materiâ, verbo tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Et confirmatur, quia neque verba possunt proferri, neque res inanimatæ A applicari nisi aliquis sit qui illa proferat, istas applicet.

*Non quilibet est omnium sacramentorum minister.*

Neque etiam dubium est, non quemlibet esse ministrum cujusl bet sacramenti.

Primò, quia ex c. duodecimo ad Rom. ex duodecimo Prioris ad Corinth. & ex c. 4. ad Ephes. constat diversa esse membra in Ecclesia, quæ *non omnia eundem actum habent.*

Secundò, quia necessum est, ut quis *vocetur à Deo tanquam Aaron*, Ad Hebr. 5.

Tertiò, quia non omnibus, dictum est, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* &c. Mar. ult. vel *Quorũ remiseritis peccata*, &c. Jo. 20. Unde Conc. Trid. sess. 7. can. 10. *Si quis dixerit omnes Christianos in verbo & omnibus sacramentis administrandi habere potestatem, anathema sit.*

Quis autem proprius, & ordinarius sit cujusl- bet sacramenti minister, in singulorum tractatu videbitur. Sed hic duo in quæstionem veruntur.

*Quæst. 1.* Prius, An malus minister conferat verum sacramentum?

*Quæst. 2. Donatistarum hæresis.* Posterius, An conferat effectum sacramenti? quæ non distinguentes Donatistæ dogmatizabãt à malis ministris sacramenta pollui, eorumque effectum impediri; ita ut quidquid ab illis, præsertim hæreticis, attentaretur; tanquam nihil actum esset, dicerent esse iterandum.

Quibus suffragari videtur Primò, illud Ecclesiast. 34. qui baptizatur à mortuo, quid proficit ei levatio ejus? Et Malachiæ 2. *Maledicam benedictionibus vestris.*

Secundò Augustl. 3. de baptismo c. 18. de malis ministris loquens dicit, quod *remissam peccatorum non dabant.*

Tertiò, sacerdos sacrificat suo, & totius Ecclesiæ nomine; dicit enim, *Offerimus.* In alijs etiam sacramentis, Ecclesiæ persona fungitur. Ergo non possunt per eum conferri, si sit hæreticus aut schismaticus: quia cum non sit in Ecclesia, non potest ejus personam gerere.

Quartò, Hieronymus super cap. 3. Sophoniæ scribit esse impium putare Eucharistiam, solum fieri verbis, & non meritis sacerdotum. Et in c. 4. ad Eph. negat hæreticos habere vera baptismata. Plura vide ad a. 9. & apud S. Thomam 3. p. q. 82 a. 5. 6. 7. & Sup. q. 38. a. 2.

*Resp. ad q. 1.* Veritas nihilominus fidei est, per malos ministros, sive occultos, sive notos, vera sacramenta perfici & conferri, modo cætera adsint: Quæ definita est sess. 7. Con. Trident. can. 12. conformiter *Mali ministri valide conferre possunt sacramenta.* Constantiensi, in cujus sess. 4. damnatus est hic a. 4. Jo. Wicl. Si Episcopus vel sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat, quam condemnationem ratam habuit Martinus 5. sess. 45.

Idem varijs contra Donatistas locis docuit Aug. cujus tr. 5. in Ioannem verba sunt, *quid tibi facit malus minister, ubi bonus est dominus?* Et Bernardus ser. 66. in Cant. hæreticos reputat eos qui dicebant, Peccatores sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri; ac per hoc nec dandis, nec recipiendis idonei Sacramentis.

Huc pertinent scripturæ. *Hic est qui baptizat.* Io. 1. *Deus est qui justificat*, Rom. 8. *quid est Apollo? quid verò Paulus?* &c. 1. Corinth. 3. Inde enim sequitur Sacramentum à quocumque administretur, valere in nomine, id est, virtute Christi.

Confirmatur, Minister Sacramenti, operatur non propriâ, sed principalis agentis virtute; ergo non

est

Universidad de Deusto
Biblioteca



est necesse eum habere formam, cui assimiletur A effectus, sed satis est effectum assimilari agenti principali. Imò, qualitas ministri, excepto eo quod ad instrumenti rationē pertinet, impertinens est effectus; sicut impertinens est curationi ægroti, utrum medicus sit æger, an sanus; & culturæ agri, utrum agricola sit bonus, an improbus; modò non prætermittantur, quæ ad effectus producendos ex parte causæ instrumentalis sunt necessaria. Alias rationes videre est apud Authorem l.4. contra Gent. c.77. Ita tamen ut primaria ratio sit voluntas Christi, sic ordinantis Sacramenta, ut malitia ministri nihil eis possit obesse. (Quod & ex baptismo per Iudam dato rectè colligit Aug.) cùm haud dubiè potuerit Deus aliter instituere Sacra- B menta.

*Ad 2. qu. Resp.*

*Effectus sacramentorū conferri potest per malos ministros.*

Et quanquam hæc præsertim intelligenda sint de Sacramentis quoad substantiam; certum nihilominus est quod etiam per malos ministros possit non solum verum Sacramentum, sed etiam Sacramenti effectus conferri, & quidem tantus, quantus esset, si per justum, & sanctum ministraretur. Unde Aug. non solum affirmat nullo modo malū esse baptismum qui per malum datur, sed etiam quod non est melior baptismus, qui per meliorem datur, l.3. contra Cresco. c.6.

Confirmatur. Si daretur major gratia in Sacramento per justum ministrato: posset quis spem ponere in homine, & dicere, ego sum Pauli, ego C verò Cephæ: neque verum esset, quod *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat.*

Adde, quod Sacramentum valet ex opere operato, non ex dignitate ministri; ut indicat Aug. l.4. contra Cresc. c.16. & ostendimus articul. 1. qu. 62.

Potest quidem minister ex suâ devotione aliquid impetrare suscipienti. v. g. bonum motum aliquem, seu præparationem, & ut amoveantur insidiæ dæmonis; sicut astantes, & quilibet alij justi possunt orationibus suis prodesse alijs: Ipse tamen Sacramenti effectus non impetratur oratione ministri, vel Ecclesiæ; nec minister quantumcunque bonus, impetrat majorem effectum Sacramenti; nisi quatenus de congruo meretur D suscipienti aliquem motum, quo propriâ voluntate disponatur ad illud, & secundùm hæc intelligendus est B. Tho. art. 1. ad 2. Et cum eo dicendum quòd effectus Sacramenti non datur melior per meliorem ministrum.

Ad 1. Argumentum Respondet Aug. eos qui baptizantur ab impijs non baptizari à mortuo, sed à Christo qui per impios baptizat. Monet autem l.2. contra Cresc. c.27. inspiciendos diligenter Codices antiquos, & maximè Græcos; ne fortè verba aliter conscripta, ex precedenti & consequenti contextu sermonis, alium sensum intiment; id cum fit, alius sensus deprehenditur; non enim, ut Donatistæ citabant, habetur, *Qui baptizatur à mortuo quid proficit Lavatio ejus?* sed in medio additur, *& iterum tangit mortuum.* Et sensus est, Si quis juxta legem laveturab immunditia contracta ex contractu cadaveris humani vel cujuscunque alterius, & mox iterum tangit mortuum: nihil ei prodest sua lotio, ut ex consequenti significetur quod indicat Greg. l.9. epistolâ 39. nihil prodesse si quis abluitur à peccato, & iterùm illi repetit. Pro loco Malachiæ vide q.82. ar.5. ad 3.

Ad 2. Aug. ibi, sicut & l.4. c.4. l.5. c.20. 21. & 22. & l.6. c.1. & 3. & ser.16. de verbis Domini, non loquitur de remissione peccatorum quæ fit per Sacramenta: sed de illâ quæ impetratur per orationes, gemitus, & lachrymas Matris Ecclesiæ. Addit enim, *Quæ per orationes Sanctorum, id est, columbæ gemitus datur, quicunque baptizet: si ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur.* Et initio c. *Pax Ecclesiæ dimittit peccata.*

Ad 3. quamvis minister ut bene gerat personam Ecclesiæ, debeat esse illius membrum: id tamen non est necessarium ad hoc ut sic eam personam gerat, quòd Sacramentū validè conferat: quia in ministro sufficit generalis intentio faciēdi quod facit Ecclesia. Vide quæ dicimus ar.9. ad 15.

Ad 4. Resp. Hieronymum reprehendere illos Sacerdotes qui existimabant sufficere solemnia consecrationis verba ad rectè, hoc est, dignè consecrandum, & non requiri vitiam probam. Vide q. 82. ar. 5. ubi B. Tho. verba Hieronymi recitat arg. 1. ae deinde explicat.

In Comment. ad Eph. dicit Hieron. hæreticos non habere baptismata, sc. vera veritate fructus: quia illorum baptismus non mundat adultos, propter perversam eorum cum hæreticis communionem. Unde addit, in una Christi Ecclesia esse fontem vitalem seu vivificantem, quia extra Ecclesiam baptismum recipientes obicem ponunt effectivi Sacramenti, & sic non vivificantur.

De Resp. ad 3. dicetur art. seq. quæsito 1.

## Articulus VI.

*Mali peccant ministrando sacramenta.*

Art. 6. docet malos sacramenta administrantes, peccare; quia ministri debent conformari & Domino cui famulantur, & Sacramentis, quæ perficiunt *Sancti estote, quia ego sanctus sum*, ait Dominus Levit. 19. & 20. *Mundamini qui fertis vasa Domini*, Is. 82. *Iniquus qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidit.* Is. 66. juxta lectionem 70. quæ etiam est apud Cyrillum Alexandrinum. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Exod. 19. Quod si in ministris sacramentorum legalium, quæ imperfecta erant, requirebatur munditia legalis; quanto magis in ministris sacramentorum novæ legis, quæ perfecta sunt, vera munditia necessaria est; cum ad eam conferendam instituta sint? *Hoc*, inquit Auctor in 4. distinct. 24. quæstione prima, articulo tertio, quæstiuncula 5. ad 2 *est de jure naturali, ut homo sancta sanctè pertractet.* Unde Aug. concione 1. in Psal. 103. *Videant qualem rationem habituri sint cum Deo qui sanctis non sanctè utuntur.* Tractatu 5. in Joannem, *Et ego dico, & omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti judicis ministros.* Et l.2. contra epistolam Parmeniani capite decimo, *omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.*

Porrò, cùm administratio Sacramenti in mortali peccato, pertineat ad irreverentiam Dei, & E contaminationem Sacramentorum; sequitur tale peccatum ex suo genere esse mortale. Non sunt tamen duo; unum commissionis irreverentiæ; alterum omissionis pœnitentiæ, sed unicum sacrilegij peccatum; quia est indigna & sacrilega sacramentorum tractatio. Pœnitentia enim non cadit tunc per se sub præceptum; sed solùm ratione præcepti religionis, de non indignè tractandis Sacramentis; & ideo omissio illius non habet specialem malitiam. Vide articulum quintum qu. 80. & in Sup q.4. ar.2. quæsito 3. Quæ cùm ita sint.

QUÆ-



A lam omissionem, seu quia baptizat modò notabiliter indebito: non fore tamen aliud peccatum indignæ administrationis, quia non baptizat ut minister ex officio sed ut paganus, & ut quilibet alius laicus. Ita etiam Suarez dis. 16. sect. 4. super hanc quæstionem.

## Quæstio I.

### *An omnis qui in peccato mortali ministrat Sacramenta, peccet mortaliter.*

Videtur quòd sic, quia quantum est in se semper polluit Sacramentum.

Contra tamen est quòd ministri Sacramentorum debeant esse boni, non est ex necessitate, sed ex decentiâ, ut indicat Auctor ar. præcedenti ad B 3. omittere autem quòd solùm est ex decentia, non est mortale.

Ut Respondeatur, præmittendum est eum censeri *in peccato mortali ministrare*, qui alicujus talis est sibi conscius, neque tamen sincerè pœnitet, veram animi detestationem, & dolorem concipiens. Quo præmisso pro Responsione sit

### Conclusio I.

Quicunque solemniter administrat aliquod Sacramentum in peccato mortali, peccat mortaliter, Quia cùm publicum Christi mini- C strum se exhibeat, operetuŕque ut minister ex officio consecratus; notabilem irreverentiam committit, non conando se conformare Christo, & rebus sacris ad quas est consecratus. Ita B. Tho. hîc, & in 4. dist. 5. quæst. 2. ar. 2. quæstiuncula 4. & dist. 24. quæstione prima, articulo tertio, quæstiuncula 5. seu supplem. q.36. art. quinto, Scotus, Durand. Richar. distinctione quinta, Sylvester verbo Baptismus 3. q. 4. Navarrus c.22. num.3. Tolet. l.1. c. 33. & alij communiter.

### Conclusio II.

In articulo necessitatis baptizans privatim eo D modo quo laicus, non peccat, aut certè non nisi venialiter, quamvis sit in peccato mortali. B. Tho. hîc ad 3. & in 4. d.24. Rich. & Sylv. dictis locis, Suarez & Nignus hîc: quia obligatio se ad gratiam disponendi, saltem sub mortali peccato, non oritur ex solâ sanctitate vel Sacramenti vel Christi; sed etiam ex eo quòd quis se gerat ut personam ad Sacramenti ministrationem consecratam. Cùm enim ita se gerit; debet conari, ut se conformet tum Christo cui subservit, tum Sacramento ad cujus ministerium est consecratus. Alias autem id non ita requiritur; quia non agit ut minister ex officio, sed ut necessitatem patienti subveniens; neque exercet ullum actum aut or- E dinis aut spiritualis alicujus sacræ potestatis, sed eum qui omnibus omninò hominibus divinâ institutione est permissus. Simile aliquid est in humanis: ubi nullus aut certè parvus ornatus requiritur in eo qui Regi subservit in casu necessitatis urgentis, quamvis magnus in eo requiri soleat qui ad ministerium specialiter est commissus.

Petes, quid si sacerdos in peccato mortali baptizans extrà casum necessitatis omittit solemnitates, ne videatur se exhibere ministrum; Respondet Cabrera peccaturum mortaliter, propter il-



### Conclusio III.

Qui aliud Sacramentum ministrat in peccato mortali scienter: non excusatur ob necessitatem; quia sempet ut publicus Ecclesiæ minister agit actum sacrum, ac notabilem, ad quem est peculiariter consecratus. Navarrus, & Toletus ubi suprà.

### Conclusio IV.

Etsi probabiliter putent nonnulli eum qui Eucharistiam antè consecratam ministrat in peccato mortali, solum venialiter peccare, ut Nugnus & alij quos citat ac sequitur Antonius Diana in tract. de circumst. aggravant. quem post secundam hujus operis impressionem, vidimus: probabilius tamen videtur, peccare mortaliter; quia est notabilis irreverentia, ut Cabrera hîc indicat, & Suarez ad qu.82. disp.71. sect.4. Eademque est sententia Bonacinæ, de Sacramentis in genere disp.1. q.3. & aliorum quos allegat; addens etiam Diaconum mortaliter peccare si Eucharistiam in mortali ministret, cum hoc faciat ex officio, quatenus ratione suæ consecrationis immediatè inservit sacerdoti & participat officium sacerdotum. Ad hujus insuper sententiæ confirmationem pertinet quod in 4.di. 13. communiter docent Paludanus, Rich. & alij post sanctum Tho. sacerdotis officium esse non solùm consecrare, sed etiam distribuere: quæ distributio cùm sit rei dignissimæ; non minorem requirit dispositionem, quàm unctio quam facit sacerdos ungens infirmum sacro oleo.

Si quis ergo post communionem suam in pec- D cato mortali factam, alteri præbet Sacramentum Eucharistiæ similiter in mortali existenti, novum peccatum mortale committit; cum illa administratio sit actus à celebratione suaque propria communione diversus. Si tamen administraret Eucharistiam centum, aut mille personis, modò hoc faciat continuando administrationem: rectè dici potest quod non committeret nisi unum peccatum mortale indignæ administrationis quoniam & si tot sunt actus numero distincti quoad entitatem, quod sunt personæ communicantes; moraliter tamen loquendo non reputantur ut distinctæ administrationes, sed una totalis & integra, unumque sacrum ministerium ex pluribus quasi partialibus actibus constans. Ita docent Rodriquez in summa part.1. cap. 248. num.26. Henriquez libro 2.de pœnitent capite 5. numero 9. Tannerus 1.2. disp. 4. quæstione 2. dub. 4. & post illos Diana Resolut. 41. tametsi non desint qui aliter sentiant.

His conformiter probabile quoque est non esse tot peccata mortalia, quot confessarius in mortali existens audit personas continuato ministerio sedens in confessionali, aut breviter se ex eo levans; & Sacramentum ministrare pergens: Moraliter enim una est istius Sacramenti administratio ad plures facta.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ob.* Si dicas, quando quispiam est in ostio domus paratus occidere omnes transeuntes, tot homicidij peccata committit quot homines occiderit; debetque in confessione exprimere se tot homines occidisse: ergo similiter in proposito. *Resp.* RESP. neg. Conf. quia moraliter non potest illic censeri unum homicidium sicut in præsenti materia est unum ministerium, cum ibi sint injustitiæ distinctæ quantum ad malitiam moralem, quæ fiunt contra diversas personas.

*Quæst.* At quæres, quid si confessarius in peccato mortali incipiat audire confessionem, sed seriam pœnitentiam concipiat, priusquam dat absolutionem: *Resp.* An censeri debeat peccasse mortaliter. RESP. non debere, si cœperit audire cum proposito pœnitendi B antequam absolvat; quia neque administravit neque administrare voluit Sacramentum in malo statu. Si autem cæpisset audire sine illo proposito peccasset mortaliter propter malam voluntatem.

### CONCLUSIO V.

PAROCHUS vel alius sacerdos de Parochi consensu, assistens matrimonio, illudq; celebrans in peccato mortali; juxta multorum opinionem non peccat mortaliter. Censent enim eum non administrare Sacramentum matrimonij; cum non agnoscant eum pro ejus ministro. Loquendo autem conformiter alteri opinioni, de qua C Suppl. qu. 42. art. 2. probabile est quod mortaliter peccet; quoniam juxta eam administrat Sacramentum in malo statu.

### CONCLUSIO VI.

SI diaconus, aut subdiaconus in mortali exercent solemniter actum sui ordinis quidam probabiliter eos excusant saltem à mortali; probabilius tamen est quod mortaliter peccent: quia illi actus sunt Sacramento peculiares & maximè, ad Eucharistiam accedentes, & ad eos sunt consecrati. Nec alioquin Apostolus 1. ad Tim. 3. tot conditiones requireret in diaconis; addens tandem, *ut ministrent nullum crimen habentes.* Ita S. Th. in 4 D di. 24. Sylvester verbo, *Clericus*, 2. qu. 8. Angelus eodem verbo 8. n. 1. Cabreta hîc, Navarr. c. 25. nu. 73. Toletus l. 1. c. 33. Victoria de baptismo q. 29. Molanus tract. 4. de Sacramentis c. 1. & 11. Et suffragatur Gregorius nonus c. *Quæsitum*, ti. de temp. ordin. ubi de sacerdotibus, & alijs clericis dicit; *Si non pœnituerint, monendi sunt & sub interminatione divini judicij obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis ordinibus non ministrent.*

Nec obstat, in Confirmatione hominem consecrari, ut ex officio fidem profiteatur, qui tamen non peccat mortaliter si hoc in mortali faciat; Talis enim professio non est propriè actus sacramentalis; neque consecratio quæ ad illum fit, pertinet E ad sanctitatem alicujus ministerij, sed ad roborandum animum militis Christiani, eumque consignandum.

Neque tamen hinc sequitur eum qui solus celebrans, diaconi, & subdiaconi officio fungitur, tot specialia peccata committere: quia omnes illi actus pertinent ad unum principalem ab eodem exercitum; & ideo satis est confiteri quod celebraverit in mortali.

Ex his consequenter videtur dicendum cum Joanne Medina; codice *de pœnitentia* tract. 1. qu. 6. Cabrera & Nugno hîc, quòd consecrare chrisma Confirmationis, aut oleum infirmorum in peccato mortali, sit mortale; quia consecrationes illæ per se pertinent ad potestatem ordinis episcopalis, celebranturque in Ecclesia cum magna reverentia. Atque hoc est conforme B. Thoma dict. d. 24. dicendi quod *quidquid homo quod sibi competit ex ordine, facit indignè; quod justum est injustè exequitur, ac per hoc mortaliter peccat.* *Actum ordinis majoris faciens in mortali peccat mortaliter.*

Aliorum tamen oppositam sententiam, dicentium quod ista in mortali facere, non sit mortale; fatemur esse etiam probabilem.

De consecrante autem ecclesias in mortali similiter ambigitur. Affirmat Medina esse mortale: sed negant alij, quia talis consecratio non pertinet ad sacros ordines, nisi secundariò, & ex institutione Ecclesiæ.

### CONCLUSIO VII.

EXERCERE functiones minorum ordinum in mortali, non est mortale; tum quia non constat utrum sint Sacramenta; tum quia etiamsi sint non ita sunt propinqui Sacramento altaris, unde & illorum officia sunt imperfecta in genere sacri ministerij. Sic Toletus, Nugnus, Suarez, & alij.

### CONCLUSIO VIII.

SACRAMENTALIA quæ non sunt actus ordinis, facere in mortali; ut tonsurare, jurisdictionem fori exterioris exercere, virgines, & vestes consecrare; non est mortale, Ita Suarez, Cabrera, & alij.

### CONCLUSIO IX.

PRÆDICARE in mortali non est mortale, quia non est propriè actus alicujus ordinis, cùm non sit jure divino appropriatus sacro ordini, sed positivo tantum. Ita Medina de pœnitentiâ, Dominicus in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 6. Valentia, Suarez, Nugnus. Atque in hanc sententiam descendit Cajet. in summullâ verb. *Prædicatorum peccata*, etiamsi alibi aliter senserit, secutus B. Tho. in 4. dist. 19. qu. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ad 3. Quam suam sententiam licet non inveniatur B. Tho. expressè retractasse; retractasse tamen & nostram conclusionem approbasse; doceri potest, partim ex eo quod 2. 2. qu. 33. art. 5. & qu. 60. ar. 2. ad 3. asserit, corripientem vel ex officio judicantem in mortali, non peccare; cujus tamen contrarium dixerat dicta quæstiunc. in 2. in corp. partim quia lectio. 1 in c. 6. posterioris ad Cor. de solo peccatore publico dicit quod prædicando peccet. His non obstat quòd prædicare exponendo Evangelium pertineat propriè ad Episcopum, quæst. 67. art. 1. ad 1. & ad eos qui assumuntur ad animarum curam: quia etsi pertineat ad officium episcopi prædicare, ipse tamen actus, stando in jure divino posset licitè fieri per alium, etiam non in sacris constitutum. *Prædicare in mortali non est mortale.*

Si quæratur an tangere res sacras, sive osculando, sive aliter, ut levando Eucharistiam de terrâ, sit mortale, si fiat in mortali? Dicendum est quod non; quia nullus est ibi actus sacramentalis. *Neque res sacras tangere.*

AD 1. verò ARG. RESP. neg. assumptũ, quia talis non agit ut institutus ad ministerium Sacramenti; neque se ingerit ad illud, sed necessitati subvenit.

AD 2. quòd ministri sacramentorum debeant esse



esse sancti; non est ex necessitate Sacramenti, A quasi alioquin Sacramentum non subsisteret; subsistit enim etiamsi ministri sint improbi: sed est ex decentiâ operis, quod exercent, eò quod sit decens ut opus illud fiat à sanctis. Si autem respiciamus ad operantem; sic ipsi de necessitate præcepti naturalis, incumbit ut sit sanctus, aut ad sanctitatem dispositus: quod ob eam causam addo, quia.

### QUÆRITUR II.

### *An minister debeat esse confessus de mortali cujus habet conscientiam?*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia peccator non est communiter in statu gratiæ ante Sacramentalem absolutionem, ut probabitur in tractatu de contritione.

SECUNDÒ, ita traditur in catech. Rom. parte 2. c. 5. q. 39. In synodo 2 pro. Cameracensi tit. 5. c. 7. si conferatur cum monitionibus ad manuale. In Synodo Attrebatensi tit. de pœnitent. & remiss. In Iprensi tit. 11.

*Resp. Neg.* RESP. quamvis hæc sententia magnam habeat probabilitatem, & sit securior; sufficere tamen videtur, si minister sibi de peccato mortali C conscius, veram pœnitentiam habeat, priusquam aliquod Sacramentum ministret: quia non requiritur major dispositio in administrante Sacramentum quam in suscipiente; cum Sacramenta ex opere operato conferant gratiam suscipienti, non autem administranti: Atqui suscipiens Sacramenta alia quàm Eucharistiæ, non tenetur confiteri, sed solum contteri; ergo. Minor probari potest, tum ex Conc. Trid. sess. 13. c. 7. quod dum ad Eucharistiæ receptionem specialiter meminit probationis, quam Ecclesia semper intellexit esse per confessionem; videtur significare non eandem probationem requiri ad alia Sacramenta suscipienda: Tum quia, sententia hæc communiter docetur, à D Richardo, & Dominico in 4. dist. 17. à Sylvestro verbo, *Confessio*, primo q. 2. Medinâ de pœnitentiâ tract. 1. quæst. 6. Cano in relectionibus de pœnitentiâ, Petro Soto lect. 5. de confessione, Victoriâ de Confess. q. 135. & 136. Toleto l. 3. c. 5. Suarez, Nugno, Cabrerâ hîc, Molano, Binsfeldio, Navarro, & alijs.

AD 1. ARG. RESP. ad evitationem peccati, saltem mortalis, sufficere quod minister (idemque judicium videtur de recipiente Sacramentum aliud quàm Eucharistiæ) ita peccati effectum deposuerit, ut per veram pœnitentiam se ad justitiam, & sanctitatem disponat.

AD 2. RESP. ea posse accipi per modum utilis admonitionis; cùm alioquin nullum extet generale præceptum astringens sive ministrantes sive recipientes, ut semper præmittant confessionem. Hinc in Rituali Romano jussu Pauli 5. edito sic habemus. *Sacerdos si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam confessarij, & temporis loci, ratio ferat, convenit confiteri.*

### QUÆRITUR III.

### *An liceat Sacramenta recipere à malis ministris.*

ISTI sunt duplicis generis; tolerati ab Ecclesia, vel non tolerati, quod scilicet à Sacramentorum administratione removit. Tempore S. Thomæ omnes excommunicati erant posterioris generis: sed postea Martinus 5. in Conc. Constant. edidit extravagantem quæ incipit (*Ad evitanda*) & refertur à B. Antonino 3. parte tit. 26. Sylvest. *Excommunicatio* quinto, paragrapho 4. Cajet. in fine titulo de excomm. qua declarat quòd nemo B abstinere teneatur à communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut alijs quibuscunque, in divinis, vel extrà prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit contra personam, Collegium, vel universitatem, Ecclesiam vel locum certum à judice publicata, vel denuntiata specialiter, & expressè; vel nisi sit notoria clerici percussio, quæ non possit aliquá tergiversatione cælari, nec aliquo suffragio excusari. Unde censendum est eos omnes esse ab Ecclesiâ tolleratos, qui non sunt de alterutro isto genere, id est, qui nec sunt notorij percussores clerici, nec publicè, specialiter & expressè denuntiati. Et quamvis Navarr. paulò aliter extravagantem referat c. 27. num. 35. probabile tamen putat eam esse usu receptam, prout jam summatim retulimus, atque ita sentiunt Toletus, Victoria, & communiter Casuistæ. *Qui ministri censendi sint tolerari ab Ecclesia.*

Difficultas quidem est, an publici fornicarij, vel concubinarij sint de numero toleratorum ab Ecclesia; propterea quod jure antiquo, d. 32. c. *nullus*; Et in decret. tit. de cohabitatione Clericorum, & mulierum, c. *vestra*, &c. *Quæsitum*. vetitum sit eorum missas audire: videaturque Synodus Trid. sess. 25. cap. 14. de reformat. pœnas olim à sacris canonibus contrà concubinarios constitutas renovare.

Verùm juxta jam dictam Extravagantem probabilius videtur quod sint de toleratis, quamdiu specialiter & expressè non condemnantur; quia Conc. Trid. non sic renovat pœnas antiquas, ut velit eas ipso facto incurri; sed solùm vult eas à judice infligi. *Pœnis* (inquit) *à sacris canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur*, & infrà de ijsdem clericis concubinarijs, qui à superioribus moniti non emendantur, decernit, ut beneficiarij à beneficiorum administratione suspendantur, alij verò ab ordine. Unde sequitur quod non sint ipso facto suspensi. Et consentiunt Antoninus parte 2. tit. 9. c. 10. §. 1. Sylvest. verbo, Missa 2. q. 3. Adrianus de Eucharistia qu. penult. §. Oritur quæstio, Dominicus in 4. d. 1. q. 5. ar. 6. Victoria de Eucharistia quæst. 93. Suarez quæst. 95. ar. 4. disp. 18. & tom 5. disp. 31. Nugnus, & Cabrera ad hunc articulum. *De concubinarijs publicis.*

Cæterum etsi fornicarij & concubinarij notorij non sint ipso facto suspensi, stando in jure communi; jure tamen particulari sunt quibusdam in locis ipso facto suspensi à divinis, ut in diœcesi Cameracensi per tit. 8 statutorum antiquit. In Atrebatensi, per tit. de vitâ, & honestate Clericorum, in statutis prædecessorum. In diœcesi autem Audomarensi cap. 2. tit. de vitâ clericorum: In Namurcensi *Quibusdam in locis fornicarij publicè sunt suspensi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



censi tit.8. cap. 6. In ultimâ provinciali Mechlinensi tit. 18. c.8. tantum dicuntur suspendendi. Stando ergo in jure communi existimandum est semper censeri toleratos, modò per sententiam Ordinarij non condemnentur. Quod anteà significavit Nicolaus Pontifex 15. q.8. c. *Sciscitantibus*: Idemque videtur de illis qui irregularitatem incurrerunt. Quamvis enim hæc non sit censura, est tamen sententia: Martinus autem in dictâ extravagante loquitur de utraque, & est eadem ratio. scilicet ad evitanda scandala, & tranquillandas conscientias. His præmissis sit.

### Conclusio I.

*Licet recipere Sacramenta à malo ministro.*

A Ministro quantumvis malo licet communiter recipere, & petere Sacramenta; imo & ipsum inducere ad ea ministranda, quandiu toleratur ab Ecclesiâ, si ipse sit talis (utpote Pastor) cui incumbat ex officio illa ministrare; petens autem sit parochianus. Tunc enim qui petit, utitur jure suo, & petit rem bonam, quam alter potest & debet benefacere, Dixi *communiter*, quia si æquè commodè possit haberi Sacramentum ab eo qui sine peccato ministrabit; ex charitate prætermittendus tunc est is qui noscitur à peccato non recedere. Nec obstat quod sit Parochus, à quo habet jus petendi: quia charitas dictat non esse utendum jure suo, quando inde sequitur gravis proximi læsio, & tua parum interest, an ab eo petas, an ab alio.

### Conclusio II.

A Ministro malo tolerato, cui non incumbit ministrare Sacramenta, licet ea petere, & recipere, quando est rationabilis causa petendi, & ipse paratus est ministrare: quia tunc est sufficiens causa negligendi peccatum ejus. Quâ ratione excusatur qui mutuum petit ab usurario, de quo 2.2.q.78. art.4. Si vero non sit paratus, nec ulla necessitas urgeat; non licet communiter ipsum inducere, ut annotavit Dominicus dicto art. 6. qu. 5. quia cum is ex officio non teneatur, nec tu habeas jus petendi ab illo: non debes ei offerre occasionem peccandi. Si paratus quidem sit, sed causa rationabilis desit; neque tunc licet ab eo petere, quia hoc esset dare illi ansam peccandi: quamvis enim sit paratus; non tamen hîc & nunc peccaret nisi iste hîc, & nunc peteret.

### Conclusio III.

In periculo mortis licet petere Sacramentum baptismi, & pœnitentiæ à ministro etiam non tolerato, qualis est hæreticus, excommunicatus, degradatus &c. si non possit alius haberi.

De baptismo tradit Aug. lib.1. de baptismo cap.2. De pœnitentiâ, Conc. Trid. sess. 14. c.7. quatenus asserit omnes sacerdotes posse tunc absolvere quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris: de utroque Sylvester verbo confessor 1. quæst.20.

Ratio est, quia valde periculosum est sine istis Sacramentis ex hac vitâ decedere; & hinc est quòd Ecclesia meritò statuit nullam tunc esse reservationem casuum, aut censurarum. Absolvens autem in tali casu non incurrit irregularitatem, imò ne quidem peccat, si sit contritus.

Quæritur autem, An in art. necessitatis peti debeat Sacramentum ab ejusmodi. *Quæst.*

Probabile est quod sic, si fieri potest absque scandalo, & periculo: alioquin syncera contritio sufficit adultis. Si verò baptizandus esset parvulus, & nemo adesset qui formam noverit præter hæreticum: tunc non est curandum scandalum, quod si oriatur, magis acceptum erit, quàm datum. *Resp.*

### Conclusio IV.

A Tali ministro non licet in necessitate alia Sacramenta petere, quia non sunt tantæ necessitatis sicut jam dicta.

### Articulus VII.

*Sacramenta non nisi per homines administrari possint.*

Art. 7. docet Sacramenta non posse ministrari nisi per homines, de potentiâ Dei ordinariâ; de absolutâ verò, posse etiam per Angelos.

Prioris causa primaria est voluntas Christi sic instituentis, secundaria verò, tum ut minister assimileretur & Sacramentorum institutori, & susci-pientibus; tum ut sicut Sacramenta illa sunt signa sensibilia ita ministri essent sensibiles.

Veritas autem hæc non solùm patet ex scripturâ; ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus. Hoc facite in meam commemorationem* &c. Luc. 22. sed etiam ex Conc. Trid. & Florent. Unde similiter est dicendum quod nec anima separata etiamsi characterem habeat, possit Sacramentum aliquod ministrare. Posset tamen beatus qui resurgeret; ut B. Th. indicat in resp. ad 2.

Posterius probatur, quia Deus potentiam suam non alligavit ministris. Unde Nicephorus lib. 11. c.20. refert S. Amphilochium ab Angelis Dei Episcopalem consecrationem suscepisse, idque à cæteris Episcopis ratum judicatum. *Quo modo* etiam *quædam templa dicuntur Angelico ministerio consecrata*, ait B. Thom. respiciens verisimiliter ad consecrationem Basilicæ S. Michaelis, quam ab ipso Michaele dedicatam fuisse & consecratam refert Petrus de Natalib. li. 8. c.130. & Molanus ad 29. Sept.

### Articulus VIII.

*Vtrum intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti?*

Videtur quod non, Primò, quia Sacramenta sunt medicamenta spiritualia: atqui medicamentum vim suam exerit, etiamsi medicus nec sanitatem nec aliud intendat.

Secundò, Sacramenta valent ex opere operato ergo sufficit ipsum opus fieri.

Tertiò, minister est solum causa instrumentalis: intentio autem instrumenti est impertinens ad effectum. Si dicas ministrum esse instrumentum animatum rationale, cujus est agere ex intentione.

Contra, quando herus eleëmosynam mittit, vel contractum aliquem facit per servum, dominium transfertur, etiamsi servus hoc non intendat, & si quis confiteatur per interpretem, confessio est bona, quidquid intendat vel non intendat interpres.

Quartò, si necessaria sit intentio nemo certus erit



erit se esse baptizatum, quia latentem alterius cogitationem cognoscere non possumus.

Quintò, sacerdos nesciens quibus verbis fiat consecratio, verè consecrat; huic tamen deest intentio, quia oportet eam esse circa formam Sacramenti.

Sextò, Isaac præter intentionem benedixit Jacob, cum vellet benedicere Esau, Gen. 27. quæ tamen benedictio rata fuit.

Septimò, hoc ipso quo aliquid imponitur ad significandum; si exterius proferatur, aut exhibeatur, est verum signum; non habitâ ratione intentionis ejus, qui exhibet. ergo etiam actio Sacramentalis verum erit signum, seu Sacramentum quâcunque intentione fiat à ministro. Unde quamvis minister velit non conferre effectum, si tamen intendat facere Sacramentum, suscipiens bene dispositus illum consequitur.

Octavò, Sunt interdum in ministro intentiones repugnantes, ut si hæreticus baptizans intendat facere quod facit Ecclesia Christi, sed non quòd Ecclesia Romana, quæ tamen sola est Christi Ecclesia; ergo vel tunc nihil agetur; vel intentio non est necessaria.

Nonò, Innocentius 4. super cap. Si quis puerum ex l.3. decret. tit.42. scribit ad valorem baptismi non requiri quod baptizans gerat in mente facere quod facit Ecclesia.

Decimò, Aug. tract.5. in Joan. & refertur 1.q. 1.c. Dedit, asserit baptismum ab ebrio datum esse validum.

Undecimò, amens aut dormiens potest validè & utiliter baptizari; ergo & baptizare, & per consequens non est necessaria intentio.

Duodecimò, Chrysost. hom.85. in Joan. non est (ait) justum propter alterius malitiam ad salutis nostræ Sacramenta cum fide accedentes, offendi. Si dicas eum loqui de probitate ministri, quæ est impertinens ad Sacramentum. Contra, similiter sequi videtur quod & intentio sit impertinens; alioquin enim malitia ministri posset obesse suscipientibus.

Decimo tertiò, Aug. l. 7. de baptis. c. 53. dubitat an baptismus valeret ubi totum ludicrè, & joculariter ageretur.

Imò baptismus, quem Athanasius puer per jocum contulerat, judicatus fuit ratus; ut & baptismus à Genesio inimicè acceptus, prout referunt Nicephorus lib.8. cap.44 Sozomen. lib. 2.c.16. Petrus de Natal. libr.7.c.110. post Adonem, & alios.

Decimoquartò, Ut compositum aliquod perficiatur, satis est quod forma applicetur ad materiam: atqui sine intentione potest quis applicare verba formæ ad materiam, ut dicendo, ego te baptizo &c. fundens aquam super puerum: ergo erit Sacramentum; cum Sacramentum sit compositum quoddam ex materia & forma; Major patet, quamcunq; enim intentionem habeat sutor, verè erit calceus, si corio det formam calcei.

Denique B. Thom. hîc ad 2. docet sufficere intentionem Ecclesiæ expressam in verbis, modò minister non exprimat contrarium exterius. Et in 4.d. 6.qu. 1.art. 2.quæstiunc. 1.ad 2. non requiritur, (ait) mentalis intentio, cui conformiter hîc ad 3. dicit sufficere habitualem.

Pro Responsione sit

### Conclusio I.

*Ad fidem pertinens.*

Intentio ministri necessaria est ut Sacramentum subsistat, Ita Conc. Florent. in compendio fidei: post quod, ita definit Trid. sess.7. can. 11. *Si quis dixerit, in ministris dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Idemque significavit Martinus 5. in fine Concil. Constantiensis, quando suspectos rogari voluit, *an credant quod malus sacerdos cum debitâ materiâ & formâ, & intentione faciendi quod facit Ecclesia, verè conficiat, verè absolvat, verè baptizet, & verè conferat alia Sacramenta.* Ita etiam B. Thom. hîc, & communiter Scholastici in 4. Confirmatur. *Resp. affir.*

Primò, quia operatio Sacramentalis est actus humanus, id est, ex deliberatione factus, qualis esse non potest si desit intentio,

Secundò, eadem illa operatio si spectetur, secundùm se & in genere naturæ est actus ad multa indifferens: sicut ablutio ex se est indifferens ad sacram, & prophanam, seriam & jocosam; ergo per intentionem agentis determinari debet. Quandocunque enim aliquid est ad multa indifferens, pendet ex voluntate agentis, ut sit unum ex illis.

Si dicas materiam determinari per verba formæ, ut quæstione 60. articulo sexto & septimo docetur. Respondet Dominicus quod verba non determinarent materiam ad significandam rem sacram, si deesset intentio: hæc enim est, quæ proximè formam determinat, & mediante formâ, materiam.

Tertiò, Christus instituens Sacramenta dedit ministris à se institutis potestatem ea conferendi; ergo signum est quod voluit ut illa conferant ex judicio, & intentione.

Huc pertinent verba Auctoris sermonis de cænâ apud Cypr. *Ex quo*, inquit, *dictum est, Hæc est caro mea &c. quotiescunque hu verbu & hac fide (id est intentione) actum est: &c. simul medicamentum; & holocaustum existit.* Unde patet veteres, etsi non ita apertè locuti sint de intentione necessariâ, propterea quòd fortasse de illâ non moveretur difficultas; omnino tamen non tacuisse. Cæterum, qualis ea debeat esse, in quæstionem venit, sit ergo.

### Conclusio II.

*Etiam ad fidem pertinens.*

Non sufficit intentio operis quod agitur, ut est quædam actio naturalis; sive, non satis est habere intentionem faciendi actionem tantum externam, & naturalem; sed requiritur *intentio faciendi quod facit Ecclesia*, actionem scilicet Sacram à Christo institutam. *Non sufficit intentio operis externi.*

Patet ex Concilijs in primâ conclusione citatis; ac insuper ex sessione 14. Trid. c.6. & can.9. ubi docetur sacerdotem joco absolventem, non verè absolvere, in quo tamen non est dubium, esse intentionem operis externi.

Confirmatur, quia voluntas faciendi actionem humano & morali modo, potest consistere in eo qui non vult facere quod Ecclesia facit; Concilia tamen requirunt hanc posteriorem; ergo censent non sufficere priorem; præsertim cum damnent errorem sectariorum intentionis necessitatem negantium.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Deinde, suscipiendi non sufficit intentio solius A operis exterioris, quatenus est naturale, vel morale; sed (quando est capax) debere habere intentionem suscipiendi rem illam sacram, quæ à Christo est instituta, & quæ fit ab Ecclesiâ: ergo multò minùs illa solius operis exterioris intentio sufficere potest ex ministro.

Et quamquam de mente B. Thomæ quidam dubitent, idem tamen eum sensisse, probatur.

Primò, quia in corpore affirmat ea quæ in Sacramentis aguntur, debere determinari ad unum per intentionem ministri.

Secundò, quia in Resp. ad 1. docet intentionem ministri debere esse talem, *quâ se subjiciat principali agenti*. Quod autem velit hanc intentionem esse aliam ab intentione faciendi nudũ opus B externum, patet ex eo quod subjungit, *ut scilicet intendat facere quod facit Christus, & Ecclesia*, idemque significat art. seq. ad 1. Unde art. 10. disertis verbis docet, quòd cùm minister non intendit Sacramentum conferre, tollitur veritas Sacramenti: Addens autem (*præcipue quando suam intentionem exterius manifestat*) indicare voluit defectum illum esse contra veritatem Sacramenti, etiam tunc cum non manifestatur exterius; si verò manifestatur non solum Sacramentum in se esse nullum, sed etiam coram Ecclesia, ejusque judicio.

*Explicatur B. Thom.*

Tertiò, in quartum dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 3. ad 1 ita loquitur; *In Sacramentis est duplex intentio, una quæ ordinatur ad perfectionem Sacramenti, & hæc est essentialis Sacramento.* C

Denique apertissimam ejus mentem habemus in opusc. 5. quod est de Ecclesiæ sacram. ubi sic scribit. *Requiritur etiam in quolibet Sacramento persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione cõferendi & faciendi quod facit Ecclesia.* Et mox, *si non sit debita forma verborum, & si non sit debita materia, & si minister Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum.* Et iterum, *In articulo necessitatis non solum diaconus, sed etiam laicus, & mulier imo paganus, etiam hæreticus potest baptizare, dummodo servet formam Ecclesiæ, & intendat facere quod facit Ecclesia.*

Ex his patet objectum intentionis ministri esse D actionem Sacramentalem, qua scilicet minister intendat ac velit facere id ipsum quod Christus fieri instituit, quod Ecclesia intendit, quod Catholici faciunt. Unde sit,

### Conclusio III.

*Intentio effectus non est necessaria.*

Non est in ministro necessaria intentio conferendi effectum.

Probari potest, tum ex eo quòd baptismus ab hæretico, vel infideli datus est validus, & effectum suum consequitur, si recipiens non ponat obicem; tum ex eo quòd si minister intendit Sacramentum conferre, illud perficitur, etiamsi alioquin ejus intentio sit prava, ut art. 9. & 10. docet Au- E ctor, & in 4. distinctione 6. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula secunda.

*Solvitur ob. & explicatur textus.*

Nec obstant verba hujus art. in corp. *Oportet quod determinetur ad unum, id est, ad Sacramentalem effectum, per intentionem abluentis.* Illa enim Sacramentalis effectus non necessariò intelligitur gratia vel character quæ causantur per Sacramentum; sed intelligi potest esse ipsa Sacramenti constitutio, seu *esse Sacramentale*, quod per actionem ministri applicantis formam ad materiam perficitur. Tale enim esse, procul dubio est quidam effectus, qui à ministro volente facere quod facit Ecclesia intenditur, neque est aliquid quod vetet ipsum vocari effectum Sacramentalem; cum & à ministro Sacramenti, & per actionem Sacramentalem, hoc est per formæ Sacramentalis pronuntiationem legitimam efficiatur. Cum ergo id quod in Sacramentis agitur, velut ablutio, unctio & hujusmodi, secundum se spectatum sit indifferens ad multa; rectè dici potest oportere quod determinetur ad unum, id est, ad effectum Sacramentalem, sive ad esse Sacramentale per intentionem ministri; cui cum per ablutionem (etiam his verbis, *ego te baptizo*, conjunctam) posset varia intendere; intendendo facere quod Christus instituit vel quod Ecclesia facit illam actionem determinat ad hoc ut Sacramentum baptismi constituatur. Ita præsentem B. Thomæ locum interpretati sumus in prima & secunda hujus operis editione, & ante illam Suarez & Becanus, postea verò præpositus.

Si dicas B. Thomam per effectum Sacramentalem, solere intelligere effectum Sacramenti; non verò ipsam actionem Sacramentalem, sive non ipsum esse Sacramentale. *Ob.*

In primis Resp. quod oporteret allegare varia loca in quibus B. Th. hos terminos, *effectum Sacramentalem*, usurpat pro effectu Sacramenti, cum exclusione constitutionis Sacramenti seu esse Sacramentalis ad hoc ut dicatur solere sic intelligere. Quamquam nec sequitur, per effectum Sacramentalem aliàs intelligit effectum Sacramenti: ergo etiam hoc loco. Potest enim subesse ratio, cur hîc aliter usurpet. *Resp.*

Resp. 2. nos non dicere per effectum Sacramentalem intelligi actionem Sacramentalem, materialiter acceptam; sed, ipsum esse Sacramenti, quod actione Sacramentali constituitur, estque propterea ejus effectus, v.g. in baptismo effectus Sacramentalis non est ablutio exterior, sed id quod per ablutionem exteriorem à ministro constituitur, scil. esse Sacramenti baptismi. *Resp. 2.*

Resp. Tertiò, eo ipso quo *S.* Doctor tam in hâc quæstione quam alibi ait ministrum conferre & perficere Sacramentum, non obscurè significat quod ipsum Sacramentum seu esse Sacramenti ejusque constitutio sit quidam effectus qui fit a ministro, & qui propterea etiam ab illo debet intendi. *Resp. 3.*

Confirmatur, in 4. d. 6. q. 1. ar. 3. docet duplicem esse finem in ijs qui baptizantur: unum primum seu immediatum, qui est perceptio Sacramenti: alium secundum, qui est perceptio rei Sacramenti seu gratiæ, finem autem illic usurpat pro effectu quem in se recipere intendit is qui baptizatur; Qui verò baptizat, utrumque illum finem seu effectum intendere debet, si officio suo bene fungi velit: ergo nequaquam est à mente B. Tho. alienum, per effectum Sacramentalem (primum sc. ac proximum) intelligere Sacramenti constitutionem seu esse Sacramentale.

Si præterea dicas B. Tho. hîc in Corp. expresè loqui de effectibus ablutionis aquæ, ut munditiæ; aut sanitatis corporalis: ergo concludens oportere quod inter eos effectus determinetur ad effectum Sacramentalem per intentionem ministri, loquitur de effectu spirituali quem Sacramentum in anima causat. Resp. potest Neg. Conf. quia non de solis illis effectibus ablutionis loquitur sed generaliter de omnibus ad quos ex se *Ob.* *Resp.*





se est indifferens, & ad quorum aliquem determi- A nari potest per intentionem abluentis, ut patet ex verbis quibus ablutionem ad ludum exprimit, & addit, *ad alia multa hujusmodi*: quasi diceret, Ablutio aquæ quæ fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum seu recreationem, & ad alia multa utpotè ad hoc ut sit refrigerativa, ut sacra, ut Sacramentum &c. & ideo oportet quod per intentionem ministri determinetur ad aliquid eorum ad quæ alioquin indifferens, id est, ad sacramentalem effectum, sive ad constitutionem Sacramenti, aut ad esse Sacramentale.

Cæterum, si qui per effectum Sacramentalem in verbis B. Thomæ velint intelligere ipsum ef- B fectum Sacramenti, gratiam scilicet quam in animaconfert, non est magnopere reluctandum: qui enim formaliter intendit vel conferre Sacramentum, vel (quod in idem redit) facere quod Ecclesia facit, virtualiter sive in sua causa intendit conferre effectum Sacramenti, etiamsi de illo neque cogitet, neque aliquid sciat, imo quamvis explicitè nolit eum facere. Unde Suarez, intendere Sacramentalem effectum nihil aliud est, quàm intendere constitutionem Sacramenti actione ipsius ministri perficiendam: vel certè, si per Sacramentalem effectum gratiam intelligamus, dicendum est intentionem ejus esse necessarium, non in se, sed in sua causa, id est, intentionem Sacramenti C quod ex se sufficiens est ad effectum Sacramentalem (hoc est, ad gratiam) conferendam.

Quia tamen B. Thomas in præsenti articulo quærit de ea intentione ministri quæ requisita est ad Sacramenti perfectionem, ut patet tum ex argumento primo, tum ex initio corp. quæ proinde perfectio est effectus immediatè à ministro intentus; ideo prior expositio non est rejicienda tanquam ab ejus mente aliena. Similiter intelligi possunt quidam Scholastici requirentes in ministro intentionem finis, scilicet interni, qui est perfectio operis Sacramentalis, non autem externi, qui est fructus, & utilitas Sacramenti.

### Conclusio IV.

Non sufficit ad esse Sacramenti intentio conditionata; nisi talis sit quæ statim transeat in absolutam, cujusmodi est intentio cum conditione de præterito, vel præsenti, qua conditio de præsenti jam subsistat; *Si* autem non subsistit, omnino destruitur intentio.

Petes, An ergo erit verum Sacramentum, si quis ita baptizet: ego te baptizo, si es prædestinatus, posito quod sit prædestinatus. Resp. negativa est verisimilior, quia talis conditio non est humano modo cognoscibilis: Conditiones autem quæ humanis contractibus vel actionibus apponuntur, debent esse humano modo cognoscibiles; alio- E quin semper essemus incerti de eorum valore Idem existimat Scotus si quis sic baptizet; ego te baptizo si es catholicus; non autem si es hæreticus. Becanus tamen cum alijs respondet futurum verum baptisma si catholicus sit, seu si fidei catholicæ consentit; quia nihil deest ad Sacramenti substantiam requisitum.

Quod si conditio sit de futuro; quia suspendit præsentem intentionem, & facit ut minister hîc & nunc absolutè non intendat Sacramentum; illud non perficitur; sed nec postea perficietur conditione impletâ, quia materia & forma tunc non applicantur. Quid verò sit de contractu matrimonij, videbitur supplement. quæstione 43. art. 1.

### Conclusio V.

*In eo qui non voluntariè distrahitur est intentio.*

Intentio interpretativa non sufficit ad Sacramentum, quam habet is qui voluntariè se inebriat, sciens se in ebrietate solere facere actus Sacramentales: qualis etiam esset in dormiente, vel ebrio, qui anteà distinctè intendisset consecrare in ebrietate, vel in somno. Quamvis enim ibi inveniatur voluntarium in causâ seu indirectum, ut propterea tales actus meritò imputentur ad culpam: non est tamen sufficiens intentio conferendi Sacramenti: quia hæc eo tempore quo Sacramentum confertur, debet esse humana, movens hominem ad sacram actionem. Nec obstat hanc non videri esse in eo qui Sacramentum ministrans distrahitur: Cùm enim iste sit sui compos, & utatur ratione, ejus actio quâ Sacramentalia verba eloquitur, & materiæ applicat, est simpliciter humana & libera, & procedit à priori intentione. Actio autem ebrij, vel dormientis, licèt quodammodo voluntaria sit, procedatque à priori voluntate: magis tamen procedit, ut effectus physicus, necessariò, quàm ut actio humana, liberè quia non ex vi illius prioris intentionis homo liberè se applicat ad agendum, sed necessariò, ex vi imaginativæ.

### Conclusio VI.

*Intentio virtualis est necessaria.*

Ut ratum sit Sacramentum, non sufficit intentio habitualis: nec necessaria est actualis, etiamsi ad eam sit conandum, sed requiritur, & sufficit virtualis.

Habitualis dicitur vel promptitudo quædam operandi ex habitu, sive infuso, sive acquisito: vel intentio quam præcessit voluntas operis faciendi, sed postea nullo modo influit in operationem; quia nec est in memoriâ, vel cogitatione; nec per se, nec per aliud est causa talis actionis.

*Quæ intentio actualis.*

Actualis est præsens animi applicatio, & atten- D tio ad opus quod agitur. Ad quod non est necessarium quod quis ore, vel corde formaliter dicat hæc verba, intendo hoc facere; sed oportet ut animo sit præsens, attendendo ad verba, verborumque sensum, contrectando materiam reverenter, cogitando ad futuram Dei gratiam, advertendo quid agat. Ista namque est actualis intentio in actu exercito.

*Quæ virtualis.*

Virtualis est, quæ ex præcedenti non interrupta per actum contrarium, ordinat, & dirigit actionem.

Probatur Conclusio, Collatio Sacramenti debet esse actus humanus, ex judicio rationis procedens; ab intentione autem solùm habituali non procedit actio deliberata; est enim indifferens ad hanc vel illam actionem, potestque esse in ebrijs aut dormientibus; ergo illa non sufficit. Actualis autem, cùm non sit in potestate hominis habere semper animum actu intentum; non est necessaria. Requiritur ergo virtualis & sufficit *quâ quis* ut loquitur Author ad 3. *ex virtute primæ intentionis perficit Sacramentum.*

*Intentio virtualis necessaria est, & sufficit.*

Hæc autem prima intentio in hoc consistit quod homo scienter, & cum humanâ advertentiâ se applicat ad actionẽ sacramentalem exercendam. Eam manere virtute est, cùm initio noverit membra ad operationem, ea vi illius manere applicata, &

Universidad de Deusto
Biblioteca



motus suos continuare ; manet autem (licet contingat mentem divagari) quamdiu ex vi prioris applicationis,durat motio membrorum;quæ similiter durat,donec vel finiatur, vel res intenta obtineatur, vel donec per contrariam intentionem, aut impedimentum superveniens interrumpatur, v. g. cùm Pastor ad baptizandum puerum vocatus, propterea venit ad Ecclesiam, incipitque Sacramentales actiones : quamvis dum in illis peragendis progreditur, contingat eum distrahi : faciens tamen ea quæ necessaria sunt, verè baptizat vi prioris intentionis, sicut verè consecrat minores hostias, quas initio missæ posuit in altari ad consecrandum, etiamsi in consecratione non meminerit illarum.

A

Ad argumenta verò & ad 1. quidem Resp. rationem diversitatis unam esse, quia cum Sacramenta sint actus humani, ne subsistere quidem possunt sine agentis intentione,ideoque nec operari : Medicamenta verò corporalia ut existere,ita operari possunt absque medici intentione. Altera est,quia medicamenta operantur merè naturaliter ; Sacramenta ex divina institutione.

Ad 2. In opere operato includitur intentio ministri:nam sine ea ipsum opus non subsistit,& sic non est mirum, si non operetur.

*Per ministrum aliquid fieri potest dupliciter.*

Ad 3. dupliciter fieri potest aliquid per ministrum.

Uno modo,sic ut minister solum referat voluntatem domini, aut rem ejus transferat.

C

Altero,sic ut potestate à Domino,acceptâ,ejus vice agat, ex suo tamen judicio & arbitrio.

Priori modo,non requiritur intentio ministri ; quia non agit ex potestate vel judicio, sed instar instrumenti inanimati.

Posteriori,requiritur : quia tunc agit secundùm propriam rationem instrumenti liberi. Ministri autem Sacramentorum sunt posterioris generis quia Christus voluit eos ex potestate, & liberâ intentione Sacramenta ministrare. Unde (ut loquitur. Conc. Trid.) *absolutio* Sacramentalis *non est nudum ministerium.sed ad instar actus judicialis* : & omnes omnino actiones Sacramentales, sunt actus potestatis. Interpres verò & servus, de quibus objicitur,sunt prioris generis.

D

Ad 4. Respond. quod ad pacandos hominum animos sufficiat certitudo moralis. Cùm enim Ecclesia non agnoscat occulta cordis;de veritate Sacramentorum judicat ex materiæ,& formæ veritate, supponens semper intentionem ministri, quamdiu contrarium exterius non exprimitur.

Ad 5. sacerdos potest habere generalem intentionem faciendi quod facit Ecclesia, etiamsi nesciat quibus verbis fiat consecratio, vel putet consecrationem non fieri. Neque necesse est intentionem versari circa formam, sed circa actum totum in genere.

Ad 6. sicut in Isaac fuit intentio benedicendi, E ita & in ministro debet esse intentio faciendi quod habet Ecclesiæ usus. Cæterum, sicut rata fuit benedictio Iacob pro Esau:ita ratus esse baptismus,si quis masculum pro fœminâ, per errorem baptizaret.

Ad 7. antecedens admitti potest in signo merè speculativo : verba autem Sacramentorum sunt practica, quæ non sunt efficacia, nisi proferantur ab habente potestatem & voluntatem faciendi,id ad quod significandum sunt divinitus instituta. Et similiter tota actio sacramentalis, est instituta ut signum practicum ; & ut actio humana,ex potestate ministri procedens.

Ad confirmationem Resp. Sacramentum sic à Christo esse institutum,ut quando fuerit applicatum agat instar causæ naturalis, ubi non invenit impedimentum.

Ad 8.tales intentiones non sunt formaliter repugnantes;non magis quàm assensus duarũ contrariarum vel contradictoriarum, unius in universali, alterius in particulari, quâ de re Philosophus in 2. Priorum analyt. ubi de quodam defectu quem vocat *errorem opinionis*. Et cum in unâ illarum intentionum minister expresè intendat facere quod facit Ecclesia Christi, in alterâ tantum

B

implicitè,& ex consequenti contrarium velit, eò quod falsò Ecclesiam Romanam existimet errare vel non esse Christi Ecclesiam:generalis intentio faciendi quod facit Ecclesia, prævalet particulari. Hîc ergo considerandũ est, an particularis intentio destruat generalem faciendi quod Christus instituit, & quod Ecclesia Christi ( quæcunque illa sit ) facit : quia non est necessaria particularis intentio faciendi quod Ecclesia Romana facit, sed sufficit generalis. Unde licet Donatistæ malè sentirent de Ecclesia, verò tamen baptizabant : & Calvinista errans circa Eucharistiam, verè consecrat, si intendat quod Christus fecit aut fieri instituit,vel quod Ecclesia facit.

*Sufficit generalis intentio faciendi quod Ecclesia Christi facit.*

Petes, quid si velit facere quod facit Ecclesia Genevensis,& non quod Ecclesia Romana.

*Quæst.*

C

Resp.si talis intentio procedat ex eo quod putet Ecclesiam Genevensem esse veram Christi Ecclesiam,Romanam verò nõ esse Ecclesiam Christi, Sacramentum perfici videtur ; si autem nollet facere quod Ecclesia Romana facit, etiamsi esset vera Christi Ecclesia,& sequeretur Christi institutionem;Sacramentum non subsistit,quia revera nõ habet intentionẽ faciendi quod Christus instituit.

*Resp.*

Ad 9. Resp. Innocentium dumtaxat significare quod non sit necessarium ut minister intendat idem quod Ecclesia, quantũ ad effectum Sacramenti:nam quod requirat ut minister in mente gerat seu intendat facere quod Ecclesia facit quantum ad actionem Sacramentalem ; patet ex tenore verborũ ipsius.Sic enim ait: *Non est necesse quod baptizans sciat quid sit Ecclesia &c.nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia; imo si contrarium generet in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia sed tamen facit,quia formam servat ; nihilominus baptizatus est,dummodo baptizare intendat.* Ubi clarum est Innocentium requirere quod minister servet formam ac insuper quod velit baptizare sive interim velit gratiam isto baptismo conferre sicut vult Ecclesia,sive non velit.

D

Ad 10. Resp. Neg.Assumpt.vera enim lectio non habet ebrius,sed *ebriosus*, id est,qui solet inebriari : quamvis autem actu ebrius intentionem habere non possit, ebriosus tamen potest non esse actu ebrius & intentionem baptizandi habens baptizare,ait B.Thomas in 4.distinctione 6. articulo 2. ad 3..

Ad 11. Resp. Neg. Conseq.quia suscipiens non est agens,sed solum est subjectum, ideoque non est illi necessaria intentio, quæ sit principium actus humani, modò prius habuerit affectum Sacramenti recipiendi, nec sit interruptus ; ut patet per Innocentium c. *Majores* tit.de baptismo in 3. decret. Minister autem est agens, & ideò debet habere intentionem quæ sit principium actûs humani



mam. Plura enim requiruntur ad agendum quam A ad patiendum.

Ad 12. Resp. Neg. similiter sequi de intentione : quia si Sacramenta penderent à probitate ministri : unius malitia sæpissimè noceret alteri, cùm plurimi sint mali : nec ea Sacramenta valere possent,quæ ob necessitatem susciperentur ab hæreticis, alijsve peccatoribus. Si verò ex malitia ministri interdum contingat illi deesse intentionem,id est per accidens,& valde rarum ; cùm ordinariè non sit ratio suspicandi eam defuisse.

Deinde;non est justum ut Sacramentorum veritas pendeat ab eâ qualitate quæ ad rationem instrumenti non requiritur, cujusmodi est probitas ministri : æquum autem est,ut pendeat à qua- B litate ad instrumenti liberi rationem pertinente ; hujusmodi autem est intentio ; nam sine eâ minister non est instrumentum liberè, & humano modo agens.

Ad 13. Resp.Augustinum ideo dubitare,quia nondum erat in Ecclesia clarè expressum, quæ intentio ministri sit necessaria. Quod postea in Concilijs Florent.& Trident.est definitum.

*De Sacramento per jocum dato.*

Cæterum dupliciter potest quis Sacramentum conferre per jocum.

Uno modo, si non intendat illud conferre,sed jocari, irridere, simulare,decipere, vel repræsentare id quod aliquando factum est, sicut fit in Comædijs : & à tali,Sacramentum non perficitur. C

Alio modo, si velit revera dare Sacramentum, sed hoc sub specie ludi, atque adeò totum quod agit,referat ad recreationem animi, tanquam ad finem extrinsecum.

Athanasius hoc posteriori modo baptizabat,intendens pro sui oblectatione id agere quod viderat Episcopum Alexandrinum facientem;prout historici referunt,Inter quos Ruffinus lib.10.capite 14. dicit ab eo baptizatos Catechumenos, Sozom. lib.secundo capite 16.mysterijs nondum initiatos.

Neque refert quod historici narrantes hanc historiam, Athanasium pueris annumerent. Quamvis enim nondum esset vir ; certum est tamen quòd esset grandiusculus,& ætatis plus quam D annorum duodecim : partim quia referentibus Nicephoro, & Sozomeno, non diu post hæc Athanasius fuit scriba Alexandri, & diaconus : partim quia cum eodem Alexandro interfuit Magno Concilio Niceno, partim denique, quia successit Alexandro in episcopatu ; cum tamen iste qui vocatur ludus contigerit circa ann. Domin. 311. Alexander autem sit mortuus ann. 326.vide Baron.ad an.311.fin.326.in princip.

Genesius autem eum esset minus;Christianorumque sacris spectante Diocletiano illuderet, repentè inspiratus à Deo, & conversus ; baptismum non fictè sed syncerè petijt,ut narrat Antoninus prima parte summ. hist. titulo octavo.ca.1. E paragrapho 19.Et Baronius ad 25.Augusti.Unde non multò post, conversionis suæ veritatem glorioso martyrio confirmavit. Minister verò etsi per jocum, volebat tamen imitari &.facere quod solent illi quos irridebat : si tamen theatricus aliquis cum in theatro baptizaverit, & non potius à fideli quopiam sit postea baptizatus, quod non omnino existimamus. Subitaneam dexteræ excelsi mutationem, & conversionem similem refert Baronius de S.Ardelione 14. Aprilis.

Ad 14. Resp. formam Sacramentalem non posse applicari materiæ, absque intentione ministri. Quando enim deest intentio, verba non habent rationem formæ quandoquidem illa verba nõ sint forma Sacramenti,sumpta vel materialiter, vel in significatione aliqua naturali aut profana ; sed tunc demum quando sumuntur, ut sacra, sive ut significativa rei sacræ. Hanc autem significationem non habent, si desit intentio ministri ut ex dictis per conclusionem primam patere potest.

Ad Postr. Resp. Cum B. Thomas dicit, *In verbu quæ profert minister, exprimitur intentio Ecclesiæ quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti*,&c. non vult quod ad perfectionem Sacramenti simpliciter & in re ipsa sufficiat sola intentio Ecclesiæ, expressa in verbis ministri,seclusâ ejus intentione, sive quamvis minister interius non intenderet cõferre illud Sacramentum, quod significant verba quæ ipse profert: Interiorem enim ministri intentionem dilectis verbis requirit,tum hîc in corp. & in resp.ad 1.tum ar.10.& in opusc.5.ut supra vidimus : Sed, aut vult eam Ecclesiæ intentionem sufficere ad hoc ut habeamus moralem certitudinem de perfectione Sacramenti, seu de Sacramento quod sit nobis legitimè & validè ministratum: aut cum intentione Ecclesiæ supponit quoque ipsius ministri intentionem, qui dum verba profert, *se subjicit principali agenti ut intendat facere quod facit Christus & Ecclesia*, quemadmodum significat in Responsione ad 1. Unde in corp. dicit quod abluentis intentio ( ejus scilicet, qui baptizando ablutionem determinat ad Sacramentalem effectum) *exprimitur per hæc verba,Ego te baptizo in nomine Patris* &c.

*Difficultas circa textum B.Thomæ expenditur.*

Dicimus ergo ista verba B. Thomæ, *in verbis quæ profert minister, exprimitur intentio Ecclesiæ quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri vel recipientis Sacramentum*, dupliciter posse intelligi.

Uno modo ut exceptio illa (*nisi contrariũ exterius exprimatus*)afficiat istud immediatè precedens (*quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti*)hoc sensu. In verbis quæ profert minister,exprimitur intentio ecclesiæ, quæ quidem intentio sufficit ut Sacramentum morali certitudine existimetur esse perfectum,nisi contrarium exterius exprimatur.

*Prior verborum B.Tho. expositio.*

Alio modo ut exceptio afficiat illud remotius (*exprimitur intentio ecclesiæ*)perinde ac si diceretur *In verbis quæ profert minister,exprimitur intentio ecclesiæ quæ sufficit*(seu sufficiens)*ad perfectionem Sacramenti* ( veram scilicet & absolutam, modò eadem sit ministri quæ ecclesiæ intentio)exprimitur inquam Ecclesiæ intentio, nisi contrarium exterius exprimatur.Si enim exterius exprimatur contrarium, tunc in verbis quæ minister profert,non exprimitur intentio Ecclesiæ. Et hæc quidem expositio probabilior videtur, si S. Doctor solum diceret, *nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri* ; Cum enim minister verba formæ pronunciet,in illis verbis exprimit intentionem ecclesiæ nisi ipse exterius significet oppositum : Sed plus dicit,*Nisi contrariũ exterius exprimatur ex parte ministri,vel recipientis Sacramentum*.Quamvis autem recipiens Sacramentum exterius exprimat contrarium ; si tamen minister materiam & formam adhibeat nihilque ipse contrarium exprimat, adhuc manet verum quod in verbis quæ profert exprimitur intentio ecclesiæ præsertim si non advertat recipientem aliquid contrarium exprimere:quorsum ergo adest S.Doctor (*vel recipientis Sacramentum* ) si exceptivam referre voluit

*Posterior.*

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad illud, *Exprimitur intentio Ecclesiæ* ; & non ad A istud, *quæ sufficit.*

Si dicas, non esse intentionem Ecclesiæ, dare Sacramentum illi qui exterius contrarium exprimit.

Resp. pariter dici posse quod non sit ejus intentio dare illi qui interius non vult suscipere. Deinde, minister qui nihil advertit de exteriore contrario quod exprimit recipiens, tam vult ei Sacramentum conferre; & tam in verbis quæ profert, exprimit Ecclesiæ & suâ intentionem, quam dum recipiens nihil exterius exprimit, & tamen in animo vult non recipere Sactamentum, sed tantùm simulare.

Ex his ergo colligendum relinquitur, priorem expositionem non esse rejiciendam velut à men- B te B. Thomæ alienam, præsertim cum præclari Doctores eam probent post Cajetanum, ut Sotus in 4. d. 1. q. 5. ar. 8. Valentia to. 4. disp. 3. q. 5. p. 3. Suarez super hunc ar. Cabrera, Præpositus, Mæratius. Becan. Mercerus meus olim in Logicis Lovanij Præceptor. Et confirmari potest quoniam juxta hanc expositionem solutio S. Doctoris, omninò Respondet argumento quod concludebat, si requiratur intentio ministri ad perfectionem Sacramenti (cum ea intentio homini ad Sacramentum accedenti nota esse non possit) hominem non posse habere certitudinem salutis, seu veritatis de Sacramento ad salutem necessario. Ex dicta enim expositione habetur hæc responsio, hominem posse habere certitudinem moralem, eamque tantam quanta in rebus ad salutem necessarijs hu- C manitùs haberi potest, & quæ propterea sufficere debet ad hominum animos pacandos ; In verbis enim quæ Minister profert, exprimitur intentio Ecclesiæ quæ (modò nihil contrarium exprimatur) sufficit ut certò existimemus Sacramentum ritè esse collatum.

*De intentionis ministri suppletione.*

In eadem Resp. ad 2. observandum 1. quoddam ante & post B. Thomam existimasse, si ministro baptismi desit intentio conferendi Sacramentum, piè credi quod in pueris defectum illum suppleat summus Sacerdos Christus, & salutem eis conferat: in adultis verò fides & devotio. In ijs fuerunt Alex. Alensis p. 4. q. 13. ar. 1. in resp. ad 4. Bonavent in 4. dist. 6. art. 1. q. 1. Durandus D eadem dist. qu. 2. Gabriel ibidem ar. 3. dub. 2. Sed hanc opinionem velut temerariam meritò alij rejiciunt ut Major in 4. dist 2. qu. 1. Sotus in 4. dist. 1. qu. 5. ar. 8. Suarez, Cabrera, Tannerus hìc, & alij communiter.

Primò, quia hæc lex est generalis, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire regnum Dei* : neque ex ulla alia vel scriptura, vel traditione, vel authoritate colligi potest exceptio, præterquam in casu baptismi flaminis aut sanguinis: ergo sine fundamento diceretur Deum supplere defectum intentionis ministri.

Secundò, si desit aqua ad puerum baptizandum, aut si desit qui formam calleat vel possit pronuntiare, non est fundamentum dicendi quod Deus defectum illum suppleat : Atqui nullum majus fundamentum est existimandi quod suppleat defectum intentionis ministri: ergo non est dicendum, quod eum suppleat.

Tertiò, si sacerdos sine jurisdictione absolvat, aut si laicus se fingat Episcopum vel sacerdotem, & vel ministros ordinet vel panem consecret Deus non supplet illos defectus : ergo nec defectum intentionis ministri.

Quartò, fidei dogma est, justificationem à peccato originali haberi non posse sine lavacro regenerationis aut ejus voto, sess. 6. Conc. Trid. ca. 4. quamvis autem desit intentio ministri, non ideo parvuli habent baptismum aut ejus votum : ergo non justificantur.

Observandum secundò, B. Thomam non approbare opinionem eorum qui dicebant defectum intentionis à Christo suppleri. Illa enim rejecta aliorum ac suam adjungit dicens, *& ideo alij melius dicunt.* Deinde ex locis q. 68. art. 2. ad 4. adductis liquet quod ejus (quemadmodum & Ecclesiæ) mens est parvulos sine baptismo resuscepto, & sine martyrio morientes, non posse salvari. Adulti autem salvari quidem possunt, per baptismum flaminis ; non sic tamen quasi Deus intentionis ministri defectum suppleat, dando ipsis eam gratiam seu cum gratiæ gradum, quem acciperent, si Sacramentum illis administraretur ; sed quia propter votum baptismi quod cum bona dispositione habent, largitur eis gratiam & remissionem peccatorum, secundum ea quæ dicebantur q. 62. art. 1. quæsito 3. ad 9. & ar. 2. §. *Si quaras.*

Neque his obstat, quod postquam S. Doctor retulit opinionem dicentium quod hunc intentionis ministri defectum in pueris qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum, supplet Christus qui interius baptizat ; in adultis autem qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides & devotio, ita subjungit ; *Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectū qui est justificatio à peccatis* : non enim sensus est, hoc tam quod & de pueris, & de adultis opinantur posse dici quantum ad eum effectum qui est justificatio à peccatis ; quia pronomen (*hoc*) solum refert id quod immediatè præcessit, sive id quod ipsi de adultis volunt. Cum enim illorum opinionem recitans duo retulisset, unum de pueris, & alterum de adultis ; nihil postea resumit de pueris, sed tantum de adultis, ostendere volens quod licet per eorum fidem ac devotionem (voto nimirum baptismi conjunctam) possit defectus suppleri quantum ad hoc ut gratiam accipiant, non tamen quantum ad hoc ut imprimatur eis character; per hoc insinuans, quod in pueris qui nec fidem nec devotionem habent, suppleri non possit, neque quantum ad characteris impressionem, neque quantum ad gratiæ infusionem, ut Dominicus Soto observat in 4. dicto art. 8. Cui consentit Suarez addens B. Thomam probare istud de adultis, non quia censeat in eo casu dari aliquem effectum gratiæ adultis, præter eum qui præcisè respondet devotioni eorum, sed solum ut doceat posse interdum obtineri effectum gratiæ, sine reali susceptione Sacramenti.

Cum in 4. sent. dicit non requiri mentalem intentionē, sed sufficere expressionē intentionis per verba formæ; vult significare quod non sit necessaria intentio qua quis in mente dicat. Volo baptizare, volo cōfirmare &c. Quæ vocari potest intentio actualis in actu signato: insuper autem non requiri actualem in actu exercito, patet ex dictis.

Dicens verò sufficere expressionem intentionis per verba ; supponit ac intelligit cum ea expressione ministrum habere virtualem intentionem verbis conformem ; Nō ibidem in resp. ad 4. sic ait, *Etiamsi tunc nō adsit actualis intentio quando verba profert, dummodo prius intenderit & contraria intentio non intervenerit. Sacramentū non impeditur;*



*ditur; quia operatur tunc in vi principalis intentionis; non enim oportet quod in opere semper intentio conjungatur in actu, sed sufficit quod opus ab intentione procedat.* A

Hìc ad 3. si habitualem scripsit (de quo vehementer dubito, tum propter subsequentia, *ex virtute primæ intentionis* &c. tum quia in quibusdam codicibus habetur in margine, *alias virtualem*, ut testatur Nugnus ; atque ita habet codex Cajetani anno 1540. impressus :) si inquam scripsit habitualem, intellexit virtualem ; subjungit enim, *ex virtute primæ intentionis, perficitur Sacramentum*, modò scilicet prius fuerit intentio conferendi, & contraria non intervenerit. Nam tunc virtualis intentio operatur in vi principalis intentionis, ut loquitur dicto articulo in 4. sent. in respons. ad B quartum.

Sanctum autem Thomam non latuisse quod habere aliquid habitu, & habere virtute, multum differunt ; ex alijs ejus locis manifestum est. Nam quæstione 87. sequenti articulo primo, clarè distinguit habitualem peccatorum displicentiam à virtuali. In quæst. disput. de charitate articulo undecimo, ad tertium, Aliud esse dicit habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter. In 4. distinctione 16. quæstione secunda, articulo secundo, quæstiunculâ secundâ distinguit contritionem actu, habitu, vel medio modo. Nihilominus tamen intentionem virtualem vocare potuit habitualē, sive ob usum illius temporis, quo intentionem non C actualem, subinde vocabant habitualem, ut patet ex S. Bonaventur. in 2. d. 41. ar. 1. qu. 3. in fine, & ex Richardo in eandem d. art. 1. q. 2. sive quia intentio virtualis per modum habitus perseverat.

Quæri etiam hìc potest, Utrum in recipiente Sacramentum necessaria sit intentio recipiendi illud. Sed ex jam dictis affirmativa resolutio sequitur : Nam Christus sua Sacramenta sic instituit ut humanis actibus perficerentur; idque tam ex parte recipientum, eorum scilicet qui ratione utuntur, (qui soli actus humanos possunt exercere) quàm ex parte conferentium. Sicut ergo ministri debent habere voluntatem agendi rem sacram, ita D cæteri voluntatem recipiendi illam. Nam *receptio Sacramenti non est passio coacta, sed voluntaria.* Vide plura quæstione 68. articulo septimo.

### Articulus IX.

*Vtrum fides ministri sit de necessitate Sacramenti.*

Videtur quod sic. Primò, quia B. Cyprian. ut tum ex ejus, tum ex Aug. scriptis liquet, ita docuit.

Secundò, *fides intentionem dirigit*, ait Augustinus præf. in Psalm. 31. Intentio verò est necessaria ergo & fides. E

Tertiò, Athanasius serm. 3. contra Arianos : Cui quæso, inquit, non planè vanum, ac inutile fuerit baptisma quod ab illis datur, cùm id non nisi species sit, & inane simulachrum ? non rectè sentientes, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam. Et Nazianzen. oratione 40. admittens malum pariter, ut bonum ad ministerium baptismi, modò, inquit, non apertè condemnatus sit ut ab Ecclesia alienus, & eadem fide sit informatus.

Quartò, Anastasius 2. qui ad Anastasium Imperatorem scripserat nullum de his quos baptizavit Acacius vel quos sacerdotes sive Levitas secundum Canones ordinavit, ulla ex nomine Acacij portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur; dist. 19. c. *secundum* dicitur esse propterea percussus à Deo.

Quintò, S. Leo epistola 75. & refertur 1. p. 1. c. *Manifestum est*, dicit per impietatem Dioscori omne Sacramentorum lumen esse extinctum in Ecclesiâ Alexandrinâ.

Sextò, Gregorius ibidem relatus c. *Superveniente* : Eucharistiam ab Ariano Episcopo confectam, vocat sacrilegam consecrationem.

Septimò, De Maximo Cynico statutum est, propter totius indisciplinationis ejus doctrinam, ut qui ab eo sunt ordinati, nullum gradum clericatûs obtineant, c. *Propter* d. 19.

Octavò, Urbanus 2. in c. *Daibertum*, & Damasus c. *Per illicitam*, 1. q. 7. ex integro ordinaverunt, & reiteraverunt ordinationem factam ab hæreticis.

Nono, Ambros. li. de ijs qui initiantur mysterijs cap. 4. non sanat baptismus perfidorum ; non mundat, sed polluit.

Decimò, Gelasius prima quæst. 1. cap. *Sacrosancta*, Quomodo ad divini misterij consecrationem cælestis spiritus advocatus adveniet, si sacerdos, & qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus probatur ? Et ibidem Innoc. c. *Qui perfectionem*, & cap. *Ventum est*, affirmat eos qui perfectionem spiritus quem acceperant, perdiderunt, non ejus dare plenitudinem posse.

Undecimò, 24. q. 1. c. *Schisma*, non est Christi corpus quod schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur.

12. Cap. *Audivimus*, Quicunque ab unitate ecclesiæ fuerit alienus, execrare potest, consecrare non potest, excommunicationis, vel reconciliationis potestatem non habet.

13. Non est salus extra Ecclesiam : Cum ergo hæretici sint extra Ecclesiam, non possunt salutariter baptizare.

14. Unum est baptisma sicut una est Ecclesia : ergo quemadmodum apud hæreticos non est Ecclesia, ita nec est baptismus.

15. Hæreticus non est membrum Ecclesiæ : ergo nec potest esse minister Ecclesiæ.

16. Hæreticus non habet spiritum sanctum : ergo nec potest eum dare sive in baptismo sive aliter ; quia nemo dat quod non habet.

17. Sacramenta soli Ecclesiæ data sunt : ergo non sunt apud hæreticos.

Denique, canon 46. Apostolorum, Episcoporum, aut presbyterorum hæreticorum suscipientem baptisma, damnari præcipit. Inveniturque interdum in decretis, ordinationes ab hæreticis factas esse irritas.

*Non est necessaria fides ministri.*

Resp. B. Thom. ad fidem pertinens est, fidem ministri non requiri ad perfectionem Sacramenti, sed infidelem posse verum Sacramentum præbere, modò cætera adsint : quia minister non agit in sua, sed in Christi virtute.

Atque hæc fuit ante tempora Cypriani. Universalis Ecclesiæ regula, & sensus omnium sacerdotum. Ut enim scribit Vincentius Lirin. cap. 9. sui libelli, Agrippinus, Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, con-

tra

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Agrippinus author erroris de rebaptizandis iis qui fuissent ab hæreticis baptizati.*

tardensum omnium consacerdotum, contra morem ac instituta majorum, rebaptizandũ esse censuit eum qui baptizatus esset ab hæreticis. Quod tamen ejus decretum, non fuisse in continuo usu ab Agrippino usq; ad Cyprianum, pulchrè argumentatur hoc modo S. Aug. l. 3. de baptismo c. 12. Si permanebat ab Agrippino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta sunt à Cypriano hac de re concilia? Ut quid Iubaiano dicit, non se rem novam facere aut repentinam, sed ab Agrippino institutam? Cur enim Iubaianus de novitate turbaretur, si ab Agrippino, usque ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus collegæ in concilio dixerunt; rationem & veritatem consuetudine preponendam, ac non potius dixerunt, eos qui aliud facere vellent, & contra veritatem, & contra consuetudinem facere? Antea certè ante Agrippinum, usitatã fuisse de non rebaptizandis hæreticis consuetudinem, etiam in Africa, *satis ostenditur* (ait Aug. l. 2. de Baptismo c. 9. *ex ipsius B. Cypriani verbis in eadem ad Iubaianum epistola. Ait enim; Sed dicet aliquis: Quid ergo fiet de ijs qui in præteritum ab hæresi venientes, sine baptismo admissi sunt? Vbi certè quid fieri soleret, etsi fieri non vellet, satis ostendit.*

*Qui error non fuit semper in usu usque ad S. Cyprian.*

Cæterum, cum ille error de baptizandis illis qui ab hæreticis fuissent baptizati vehementibus animis tunc disputaretur, *quando* (ut idem Aug. dicit eodem l. 2. c. 7.) *nondum erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata; tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia; ex Apostolica* traditione, inquit ibidem Aug. *venientem, in ipsis quoque schismaticis & hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est.* Qua tamen de re nondum universale aliquod concilium factum fuerat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum; Si verò aliquod fuisset, haud dubiè Cyprianus ei acquievisset. Quum enim in epistolis 71. & 73. se dicat secutum sententiam concilij sub Agrippino habiti; hac attestatione satis ostendit, multò magis secuturum se fuisse concilium universale.

Tandem verò cum ista quæstio inter multos ex utraque parte tractaretur, opinio volentium baptizandos esse illos qui ab hæreticis veniebant, fuit damnata, & veritas contraria plenario totius orbis Concilio confirmata, teste Aug. li. 1. de baptismo c. 7. & l. 2. c. 9. & alibi. Ubi quamvis non exprimat quodnam fuerit illud concilium; verius tamen est fuisse Nicenum: Citato enim c. 9. dicit illud celebratum post Cypriani quidem passionem, sed antequam ipse Augustinus nasceretur: Constat autem inter generalia concilia solum Nicenum ante Augustini nativitatem fuisse celebratum; nisi quis excipiendum putet Sardicense, quod Baronius ex Socrate celebratum ponit ann. 47. cum Augustinus anno demum 355. natus sit. Verum neq; cõcilium illud Augustino innotuit, ut ostendit idem Baronius sub finem anni 347. neque de hac re tractavit. Nicenum autem, teste Hieronymo in fine dialogi contra Luciferianos suscepit omnes hæreticos in suo gradu, id est, baptizatos ut baptizatos, ordinatos ut ordinatos, exceptis Paulianistis, qui necessarium in baptizando ritum non servabant, quemadmodum patet ex can. 19. ejusdem Conc. Niceni, & ex Innoc. primo, 1. q. c. 52. & 53.

*Error ille tandem fuit damnatus.*

*Paulianistarum baptismus erat invalidus.*

Quia verò Novatiani ritum necessarium servabant; tam in baptizando quam in ordinando: Ideo can. 8. dicti Niceni Concil. baptismus & ordinatio ab ipsis collata probantur, & can. 32. inter eos qui ex Arabico in Latinum versi sunt, de his qui fuerunt ex secta Caguadanorum aut Cabatiorum, aut Taimainorum, definitur quod non est necesse eos iterum baptizari.

*Novatianorum validus.*

Si dicas eos non fuisse hæreticos, cum Epiphanius de Audianis qui de prædicta secta erant, scribat hæresi 70. quòd nihil habebant in fide diversum, sed rectissimè credebant: Resp. satis constare ex Epiphanio quod secessionem ab Ecclesia facientes, fuerint schismatici; schismatici verò, ut & hæretici, sunt extra Ecclesiam.

Denique satis probabile est aliũ aliquem in Nicena synodo editum canonem de valido hæreticorum baptismo qui temporum vel hæreticorum injuria perierit. Certum est enim longè plures editos ibi fuisse canones quam viginti illos qui circumferuntur; cum in his nihil de Arij dogmatibus, nihil de quæstione paschatis, ob quas præcipuè causas coactum fuit illud Concilium, habeamus; cumque in Concil. Chalcedon probetur primatus Romani pontificis ex verbis can. 6. Niceni quæ modò non habemus.

Præter hæc omnia, quod baptismus datus à Judæis, Paganis, hæreticis, schismaticis, validus sit, extat decretum Concilij Florentini in Compendio fidei; & Tridentini, sessione 7. can. 4. de baptismo. Extant & canones antiquiores. De consecratione, dist. 4. De paganis & Judæis can. 23. & 24. De hæreticis & schismaticis, can. 30. 44. 45. 51.

Quod autem dicitur de baptismo; de alijs etiam Sacramentis conformiter est intelligendum, modò aliunde non sit defectus essentialis, ut ex ordine, jurisdictione, intentione, &c.

Ad 1. verò Arg. Resp. B. Cyprian. errasse, quando res nondum erat per Concilium aliquod universale definita, ut ex jam dictis patet: Ac nihilominus semper mansisse in commune unitatis Ecclesiasticæ, ex ejus epist. 73. & ex l. Aug. contra Donatistas est manifestum: sed quia modum excessit, vel ante mortem correxit, ut indicat Aug. l. 2. de baptismo, c. 4. & epist. 48. idque tum ex Dionys. Alexand. tum ex Beda, probat Pamelius in vita Cypriani; vel certè per charitatem, & passionem, quod restabat purgavit.

Ad 2. Aug. ibi loquitur de operibus salutaribus quæ non possunt esse sine fide, cum ad eam pertineat dirigere intentionem respectu finis supernaturalis. Sed quia non pertinet ad fidem dirigere intentionem respectu cujuscunque finis: ideo absente fide potest alius finis intendi. Confer 2. 2. q. 10. ar. 4. ad 2. Fides ergo dirigit intentionem ut sit recta, non autem simpliciter ut sit.

Ad 3. Quòd baptismus ab Arianis in Patre, & Filio, & Spiritu S. datus, sit validus, dictis verbis declaratum fuit in primo Conc. Arel. c. 8. Idemque significatur in can. 31. Nicen. inter eos qui sunt ex Arabico in latinum versi, & ad quem respicere videtur B. Greg. l. 9. ep 61. æquè approbans baptismum ab Arianis alijsq; hæreticis collatum in nomine Patris, & Filij & Spiritus S. Neque putandum est quod diversum sentiat S. Athan. addit enim Arianos in periculum venire ne amittant integritatem baptismatis non quod eorũ baptismus non esset validus; sed quòd periculum esset ne invalidè baptizarent; quia cum errarent in fide Trinitatis, facilè poterant committere defectum essentialem: ut v. g. baptizando in nomine Patris majoris, &c. Citatis autem verbis solum loquitur de effectu baptismi qui est sanctificatio, hanc autem non

*Ariani validè baptizabant quãdo servabant formam ordinariã.*



non consequebantur ab Arianis baptizati, eò quod communicantes cum illis peccabant, atque ita ponebant obicem. Nazianzenus limitationes illas ponit: non quia Sacramentum à talibus datum sit nullum; sed quia regulariter & extra necessitatem non licet ab hæreticis Sacramenta recipere; imo nec ab alijs indignis; juxta dicta, ar. 6.

Ad 4. Respondeo Gratianum hoc quidem dicere, sed deceptum ex capitulo sequenti. *Anastasius*; Quod licet habeatur in tomo secundo Conciliorum, in vita Anastasij; certum tamen est esse confictum. Dicitur enim in eo quòd voluit occultè revocare Acacium, cùm tamen Acacius objisset tempore Felicis 3. cui successit Gelasius, & Gelasio Anastasius. Vide notat. Gregor. ad dictum cap. *Anastasius.*

Ad 5. Respondeo Leonis verba intelligenda esse, quantum est ex parte hæreticorum.

Ad 6. Gregorius non negat corpus Domini esse in Eucharistiã per Episcopum Arianum consecrata: sed quia non sine gravi peccato consecrare potuerit Arianus, ejus consecrationem vocat sacrilegam.

Ad 7. Notatio Gregoriana bene docet illum Maximum non fuisse Episcopum: tametsi alij aliud sentiant, respondentes ideò ad argumentum, ordinationes ab eo attentatas, fuisse declaratas irritas quoad debitam executionem ordinum ab eo susceptorum.

Ad 8. Respondeo eos hæreticos, quia non legitimè, sive non ritu Ecclesiæ fuerant ordinati; nullum habuisse ordinem, ideoque nec potuisse ullum conferre. Ejusmodi fuisse Paulianistas, ex jam dictis liquet.

Ad 9. Baptisma perfidorum dicitur non mundare quia contingit accipientem ab illis mortaliter peccare. Nisi malis baptisma perfidorum dici, non qui datur à ministris perfidis, sed qui suscipitur ab indignis. Præcedit enim, *est in aliquibus aqua mendax*; quia nimirum non sortitur effectum.

Ad 10. Negat Gelasius Spiritum sanctum descendere, quia licet perficiatur Sacramentum, non descendit tamen ad sanctificandum talem ministrum.

Innocentius autem duo significat. *Vnum*, quòd hæretici non possint dare plenitudinem Spiritus ijs, quos ordinant; quia qui sic ordinantur, participando cum hæreticis, peccant, atque ita ponunt obicem gratiæ. *Alterum*, quod non possint dare honorem ordinationis; non quia ordinatio, per eos facta non teneat, sed quia cum sit eis prohibitum ordinare; per eos ordinati non habent usum ordinationis, sed sunt ab executione ordinum suspensi.

Ad 11. verborum Pelagij cujus est istud capitulum, sensus est, non esse Corpus Christi verum cum mystico; quia schismaticus nec consecrat, nec offert, nec sumit in unitate Corporis mystici, unde sequitur, *Nec enim divisum esse Christũ, poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere, unam quæ Christi corpus est, constat esse Ecclesiam, quæ in duo vel plura membra dividi non potest.* Huc pertinet quod B. Tho. quæst. 82. ar. 7. dicit extra Ecclesiam non esse verum sacrificium veritate fructus, licèt sit verum veritate Sacramenti. Solemus enim id verum appellare, quod operationem habet suæ naturæ vel institutioni congruam, quo modo qui bene pascit, verus pastor dicitur. Sic Hier. in cap. 4. ad Ephes. negat hæreticos habere vera baptismata, quia baptisma quod conferunt adultis, eos non abluit, propter communionem hæreticam.

Ad 12. Resp. quod talis non habet jus consecrandi, excommunicandi, vel reconciliandi; quia est suspensus: si tamen exerceat aliquos actus à jurisdictione non pendentes, possunt esse validi: quia potestas in actum deducta sufficit, etiamsi actus sit illicitus. Quo modo is qui voto simplici castitatis est obstrictus, non habet jus contrahendi matrimonium: si tamen contrahat, matrimonium erit validum. *Multa* inquit Augustinus lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 15. *contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla non data dicuntur.*

Solet etiam opponi cap. *Quod quidam*, 11. qu. 1. ubi habetur quòd degradatus Episcopus potestatem elargiendi sacros ordines non habet, facultatem tamen baptizandi non amisit. Sed hoc licet verificari possit, quia in articulo necessitatis Episcopus licitè potest baptizare, non autem consecrare, ut dicto art. ad 2. tradit Auctor: addendum tamen est verba illa solum esse Gratiani, qui cùm loquatur de August. quasi dubia sit ipsius hac de re sententia, ipse autem clarissimè rem explicuerit, non magnam fidem meretur.

Ad 13. Resp. bene sequi, hæreticos non posse baptizare salutariter sibi; non sequitur tamen quod non possint baptizare salutariter ei qui per illos baptizatur. Quamvis enim baptizando quempiam sibi ipsis nihil profint, conferunt tamen illi sacramentum, quod (si obicem non ponat) salutem ei adfert.

Ad 14. Resp. Neg. Conseq. quia sicut notæ militares possunt esse apud milites perfidos & transfugos qui non sunt de corpore militiæ; ita Sacramenta possunt esse apud hæreticos, qui non sunt de corpore Ecclesiæ.

Ad 15. Resp. etiam Neg. Conseq. quoniam ad Ecclesiæ utilitatem Deus utitur instrumentis non tantum conjunctis, sed etiam separatis. *Potest* (ait B. Thom ar. 5. ad 2.) *aliquis operari per instrumentum carens vita, & à se separatum quantum ad corporis unionem, dummodo sit conjunctum per quandam motionem: Aliter enim operatur artifex per manũ, & aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis, & per bonos tanquam per membra viventia, & per malos tanquam per instrumenta carentia vitâ.* Quæ verba licet S. Doctor dicat de membris per charitatem unitis, vel per ejus carentiam separatis, eadem tamen ratione applicari possunt ad membra per fidem unita, vel per fidei privationem separata, quemadmodum hîc in corp. significat. Nam sicut Christus potest uti membro mortuo sibique per charitatem non unito, tanquam instrumento; ita uti potest instrumenta quod est omnino separatum, sibique nullatenus secundùm aliquod esse supernaturale actu unitum, si velit talem hominem movere, & ejus actione uti ad sacramentum sacramentique effectum præstandum.

Ad 16. Neg. quoque Conseq. quia minister baptismi non dat Spiritum sanctum virtute propriâ, sed virtute tum Sacramenti quod ministrat, tum Christi cujus ipse est instrumentum.

Ad prob. Resp. neminem dare quod non habet si neque actu neque virtute vel causalitate illud habeat; potest tamen dare id quod non habet actu, modò habeat causalitate: sicut sol dat calorem hisce inferioribus, quem non actu sed virtute solum habet.

*Nemo dat quod non habet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ad 17. Resp. neque ejus consequentiam valere : nam & ea Sacramenta quæ sunt apud hæreticos, soli Ecclesiæ data sunt, ut illis rectè utatur neque dici possunt esse Sacramenta hæreticorum, si fuerint rectè seu validè collata. Quomodo nec scriptura sacra est scriptura hæreticorum, tametsi apud eos inveniatur. A

Ad ultimum, sermo non est ibi de Baptismo Christi per hæreticos dato, sed de alio ab hæreticis invento. Si quis tamen de priori intelligit dicendum est illos damnari qui admittunt hæreticos ad baptismi aliorumve sacramentorum ministerium. Dicuntur autem ordinationes ab hæreticis factæ esse irritæ ; quia sic ordinati nec habent usum nec honorem suorum ordinum. B

Ex Responsione ad 1. nota illum hæreticum qui errat circa sacramentum quod exhibet, posse nihilominus verum sacramentum conferre ; quia potest habere voluntatem faciendi quod Ecclesia facit, etiamsi ipse existimet hoc nihil esse.

Quòd in Respons. ad 2. dicit hæreticos conferre Sacramentum, sed non rem Sacramenti ; non est ex defectu potestatis ministri, sed propter obicem, quem scienter recipiens Sacramentum ab hæretico, ponit. Unde, si per ignorantiam vel necessitatem excusaretur, reciperet etiam effectum sacramenti, secundùm ea quæ diximus articulo 5. & 6. hujus quæst. Quod B. Tomas ita indicavit in res. ad 3. *Non percipit rem Sacramenti, nisi fortè per ignorantiam excusetur.* Idem verò est de necessitate judicium. C

Articulus X.

## *Vtrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.*

Intentio ministri potest esse recta dupliciter. Uno modo, respectu sacramenti, quando scilicet intendit conferre Sacramentum. Alio modo, etiam respectu usus qui sacramentum consequitur. Quibus præmissis. D

*Quædam recta intentio est necessaria.*

Resp. Ad sacramenti perfectionem, sive ad hoc ut Sacramentum sit substantialiter perfectum necessarium esse quod intentio ministri sit recta respectu sacramenti ; quia si non intenderet sacramentum conferre, sed joco vel derisoriè aliquid agere, tolleretur veritas sacramenti, quemadmodum articulo 8. fuit ostensum. Non est tamen necessarium quod sit recta respectu usus, quia prius non pendet à posteriori : Et propterea, quamvis minister intenderet sacramento postquam erit collatum, abuti ; aut pravam aliam haberet intentionem, modò velit sacramentum conferre, E aut facere quod Christus instituit vel quod Ecclesia facit, verum ac perfectum erit sacramentum : & si recipiens non ponat obicem ejus effectum consequeretur. Confer quæst. 60. art. 8. & hujus etiam q. ar. 8.



## QUÆSTIO LXV.

## *De numero Sacramentorum.*

Articulus I.

*Vtrum debeant esse septem Sacramenta.*

*Sive, utrum sint septem Sacramenta.*

Ista enim hujus Artic. titulum exprimit in proëmio qu.

Videtur quod non. Primò, quia nec in scriptura, nec in Patribus invenitur iste numerus verbis expressis definitus. Imo quidam solùm meminerunt duorum, alij trium, aut quatuor. B

Secundò, Sacramenta dicuntur fluxisse de latere Christi, ab Augustino tract. 120. in Joannem : fluxerunt autem solùm aqua, & sanguis ; ergo tantùm sunt duo.

Tertiò, aqua benedicta, & lotio pedum sunt signa rei sacræ : ergo sunt *Sacramenta*.

*Septem esse Sacramenta novæ legis.*

Responsio B. Thom. ad fidem pertinens est, esse septem novæ legis Sacramenta, Baptismum Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium.

Definitio extat in Concilio Florentino : sic autem intelligenda est ut non tantùm minor, sed etiam major numerus excludatur : sicut cùm scriptura tradit esse tres personas divinas, hoc ita intelligitur, ut nec plures, nec pauciores sint. Unde Concilium Tridentinũ sessione 7. canone 1. anathemate ferit eum qui dixerit esse plura vel pauciora Sacramenta, quàm septem. De singulis scripturas protulimus art. 1. quæst. 62. Insuper autem perpetua Ecclesiæ traditio, & authoritas, istud dogma certò probare potest, quæ septenarium numerum semper agnovit, ac recepit, ut ex ijs quæ de singulis suo loco dicentur, infrà patebit. Unde Tertullianus capite 40. de præscriptionibus meminit *tinctionis*, 1. Baptismi : *expiationis delictorum*. 1. Pœnitentiæ : *Signationis in frontibus*. 1. Confirmationis *Oblationis panis*. 1. Eucharistiæ : *Summi Pontificatus*, seu sacerdotij, sub quo reliquos ordines comprehendit : *Nuptiarum*. 1. Matrimonij. Et ca. 41. addit *Curationem agrotorum*, seu extremam unctionem.

Augustinus epist. 118. nominat *Baptismum, & Eucharistiam* : libro secundo contra litteras Petiliani, c. 104. *sacrum chrismatis*, quod est materia Confirmationis : libro secundo contra epistolam Parmeniani, c. 13. *Ordinationem*. In Ps. 146. *Pœnitentiam* : Epistola 119. cap. 7. *oleum*, quod est materia extremæ unctionis. Libro 1. de nuptijs, & concupiscentia c. 10. *Sacramentum matrimonij*.

Rationes congruentiæ hujus numeri videantur apud Authorem ; & tum in Concilio Florentino ; tum in Catechismo Romano.

Potest autem hîc septenarius Sacramentorum numerus intelligi esse significatus per septem agnas Gen. 21. quæ dantur in testimonium quod Christus fodit seu acquisivit sibi Ecclesiam : per septem spicas plenas. Genes. 41. per septem dies quibus singuli, id est, septem agni offerebantur ad expiandum. Exod. 29. per lucernas septem, Exod. 37. per aspersionem sanguinis vaccæ rufę septem vicibus, Num. 19. per circuitum septem dierum cum septem buccinis, ad muros Jericho, Josue 6. per



per septem lotiones Naaman in Jordane, 4. Reg. 5. per columnas septem, Proverb. 9. per septem lucernas, Zach. 4. per septem stellas, Apoc. 2. per septem sigilla, Apoc. 5. per septem tubas, Apoc. 8. A

Ad 1. Argumentum Resp. sufficere quòd in scriptura, & Patribus inveniatur res, ex qua facilè septenarius Sacramentorum numerus colligitur. Adde, quòd nullus veterum Patrum asseruerit esse tantùm duo vel tria Sacramenta : sed prout conveniebat suo proposito, nunc duorum nunc plurium meminerunt.

Dionysius, quia in libro de Eccles. hierarc. non ex professo agit de sacramentis Ecclesiæ, sed de actibus hierarchicis, seu sacris officijs, quæ ab Episcopis, & sacerdotibus in Ecclesia solemniter, & quadam cum consecratione ministrantur ; solùm agit de Baptismo, Confirmatione, Eucharistiâ, Ordine, ac obiter meminit Pœnitentiæ : Cujus alia ex causa rursus mentionem facit in Epistola ad Demophilum. B

Ambrosius in libris de sacramentis, non de omnibus agere proposuit, sed de illis de quibus instruendi erant recens baptizati, confirmati, & ad Eucharistiam admissi. Eo enim ordine solebant conferri ista tria Sacramenta, ut ex libro ejus 3. capite 2. patet : ideoque solùm de illis tractat ; exprimens interim aliquoties sacerdotium. Pœnitentiam verò & Confessionem Sacerdoti faciendam agnoscit, & probat l. 1. de pœnitentiâ, cap. sexto & septimo, & rursum in exhortatione ad pœnitentiam. C

Similiter Cyrill. Jerosolymit. in Catechesibus tantùm agere proposuit de illis, quæ ad fideles novellos pertinent.

Justinus Martyr, cùm ad Gentes sermonem haberet ; ea tantùm *Sacramenta* recenset, quorum notitia magis ad eas pervenerat. Conc. Constantiense, ipseque Martinus V. in Bullâ condemnationis errorum Joan. Wicleff. & Joannis Hus, meminit omnium, jubens eos qui suspecti sunt interrogari de Baptismo, Eucharistia, Confirmatione, Extrema-Unctione, solemnizatione Matrimonij, absolutione à peccatis, & authoritate Episcoporum ac Sacerdotum. D

Ad 2. Cur non valeat Consequentia, diximus art. 5. q. 62.

Ad 3. de aquâ benedictâ dictum est articulo 2. q. 60.

*Ablutio pedum non fuit Sacramentum.*

De ablutione autem pedum (etsi quidam *Sacramenti*, vel mysterij nomine illam nuncupent, latè nomen illud usurpantes, scilicet pro quolibet signo sacro) certum est quod propriam *Sacramenti* rationem non habeat ; quia nec est instituta in signum gratiæ sanctificantis, nec efficaciam habet illam conferendi. Facta est autem à Christo in signum purgationis faciendæ ante sumptionem Eucharistiæ : simulque fuit signum humilitatis Christi. E

Illa igitur verba, *Non habebis partem mecum* ; non significant lotione pedum conferri gratiam, sed minantur Petro pœnam inobedientiæ : Si enim perrexisset istam lotionem recusare ; per inobedientiam peccasset mortaliter, & ab hæreditate cœlesti excidisset ; quia ex verbis Christi, jam sciebat aut scire debebat, ipsum sub interminatione amittendæ hæreditatis æternæ præcipere, ut sineret se levari.

Similiter ista verba, *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes laver*, non significant eam lotionem valuisse ad remissionem peccatorum venialium (quam-



quam ad eam non requiratur gratiæ infusio) sed indicant mundato à majoribus solùm restare ut lavetur à minoribus.

Illa denique verba, *Exemplum dedi vobis, &c. Et vos debetis &c.* non continent absolutum præceptum frequentandi hanc lotionem materialem ; sed præcipiunt actus humilitatis & charitatis, ita nimirum ut animo parati simus nec lotionem pedum nec vilissimum quodlibet officium recusare pro salute fratrum.

Sed, etsi daretur dicta lotio esse instituta ad significandam munditiam spiritualem, requisitam ad sumptionem Eucharistiæ, non tamen inde sequitur quod eam effecerit.

Si objicias, Bernard. qui ser. 1. de cœna Domini dicit, ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem. *Ob.*

Resp. Bernard. illam lotionem vocare Sacramentum, extenso nomine Sacramenti ad quodcunque signum sactum, non quòd contulerit munditiam spiritualem, vel peccatorum venialium remissionem ; sed quia significabat quòd Apostolis, quantumvis mundi essent, restabant nonnullæ maculæ, quæ deberent purgari. *Resp.*

Similiter Ambros. lib. 3. de sacram. cap. 1. eandem lotionem vocat mysterium & subsidium sanctificationis quæ fit post baptismum ; non quòd putaret eam esse proprij nominis *Sacramentum* ; (Ecclesiam enim Romanam non reprehendit quod illam lotionem non frequentet : ) *Sed* quia in ejus Ecclesia servabatur ut cæremonia sacra, & habuit ab initio illam significationem, de qua jam ad verba Bernard. dictum est.

De purgatione cujus in resp. ad 3. mentio est, & quæ dicitur non conferre gratiam, diximus quæst. 64. art. 1.

De Resp. ad 4. vide quæ dicentur q. 72. art. 1. & in *Supplem.* q. 29. art. 1.

De Resp. ad 5. confer *Suppl.* 42. art. 2. & 3.

De Resp. ad 6. hujus p. q. 60. art. 2.

De Resp. ad 7. in 2. 2. q. 87. art. 1.

De Resp. ad. 8. *Suppl.* q. 30. art. 1.

Articulus II.

Art. 2. probat *Sacramenta* convenienter numerari ordine quem art. 1. recensuimus : qui est ordo generationis per se. *Ordo sacramentorum est conveniens.*

Primò enim ponuntur ea quæ ad unius personæ perfectionem ordinantur deinde, quæ ad multitudinis.

Inter illa, prima sunt ex natura rei, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, quia per se ordinantur ad vitam spiritualem : Pœnitentia autem, & Extrema Unctio per accidens, scilicet in remedium peccati supervenientis. Hinc in veteri Ecclesia cum baptizabatur adultus præsente Episcopo, statim cõfirmabatur, & confirmatus communicabatur ut patet ex Dion. ec. hier. c. 2. p. 2. Neq ; enim pœnitentiam præmittere non debet non relapsus. Confirmatio autem prænumeratur Eucharistiæ, tum propter usum ; tum quia per eam homo roboratur & quasi in statu virili & perfecto constituitur ; ut sic ad Eucharistiam, quæ est cibus perfectorũ, paratior sit : tum denique quia perfectio per augmentum, (cui comparatur Confirmatio, est potissimum per intrinsecam virtutem, ideoque prior ea perfectione quæ est per nutritionem ; cum hæc perfectio sit ex adjunctione alicujus extrinseci : Isti autem

Universidad de Deusto
Biblioteca



perfectioni similis est ea quæ habetur per Eucha- A
ristiam. Confer q. 73. art. 1. ad 1. Matrimonium
verò ponitur post ordinem, quia minùs excellit.
Neque inter hæc duo spectari debuit ordo
generationis vel temporis; cùm non conveniant in eun-
dem, nisi per accidens. Inter pœnitentiam verò &
extremam unctionem, ille est ordo, ut pœniten-
tia præcedat, quia sanationem inchoat; extrema
unctio sequatur, quæ sanationem perficit.

ARTICULUS III.

*Eucharistia est omnium sacram. dignissimum.*

ART. 3. triplici ratione probat Eucharistiam
esse omnium Sacramentorum dignissimum
quia in ea continetur substantialiter Christus; quia
reliqua omnia ordinantur ad illam: & quia in illa B
consummantur, cum & baptizati, & confirmati,
& sic de alijs Eucharistiam accipiant.

Eadem est doctrina Conc. Trident. sess. 13. c.
3. Cùm antea sess. 7. c. 3. *anathemate* percussisset
eum qui dixerit *septem Sacramenta ita esse inter
se paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius.*

Circa id quod in corpore dicit, per Extremam
Unctionem parari hominem ad Eucharistiam; dif-
ficultas est, cò quod infirmi priùs communicent,
quàm ungantur. Resp. cùm per Sacramentum pœ-
nitentiæ peccata remittantur, eorumque reliquiæ
tollantur per Extremam Unctionem; consequens
est animam infirmi esse melius ad Eucharistiam,
ejusq, effectum dispositam, per istorum Sacramen- C
torum susceptionem præviam. Et antiquitus non
rarò infirmus ungebatur ante communionem,
nam. 26. q. 7. cap. *Ab infirmis*, dicitur, *sacra olei un-
ctione inuncti secundùm statuta sanctorum Patrum,
communione viatici reficiantur.* Unde patet licitum
esse infirmos communicare post inunctionem;
etiam si laudabiliter priùs communicent qui pos-
sunt. Tantum ergo significat B. Thomas quòd
per susceptionem extremæ unctionis, homo magis
præpararetur ad Eucharistiam recipiendam, si fortè
adhuc sit tempus & occasio illam recipiendi; si-
mul etiam indicans quod inuncti valdè utiliter
communicare possint. Quòd autem non velit in-
firmos prius esse ungendos, ut postea communi- D
cent; tum ex reipsa patet; tum ex eo quod a. 2. dicit
Eucharistiam (ut quæ per se ordinatur ad perfe-
ctionem vitæ spiritualis) esse priorem extrema
unctione, quæ per accidens ad illam ordinatur.

In fin. corp. declarat quomodo reliqua Sacra-
menta inter se comparantur, quod sc. baptismus
excellat quantum ad necessitatem, Ordo & Con-
firmatio, quantum ad viam perfectionis, nam per
Ordinem aliquis constituitur in sublimi gradu, &
per Confirmationem in Christi militia. Adde
quod ista duo excellunt quoad ministrum ordi-
narium, qui est solus Episcopus. Pœnitentia & ex-
trema unctio ordinantur ad vitam Christianam
non per se, sed per accidens, scilicet in remedium: E
inter quæ pœnitentia est majoris necessitatis, &
extrema unctio majoris perfectionis. Matrimo-
nium habet excellentiam ratione significationis
(in resp. ad 4.) significat enim conjunctionem
Christi cum Ecclesia secundùm hypostasim &
secundùm charitatem, Supplem. quæst. 61. art. 2.
ad 1.

Circa Resp. ad 1. adverte matrimonium habere
aliquid spiritualitatis secundùm quod est Sacra-
mentum, ut art. superiori ad 1. dixit Auctor, atque
ita ordinari ad effectum spiritualem. Quia tamen
ordinatur ad bonum commune speciei, per viam
generationis; ideo B. Tho. dicit quod ordinetur
ad commune bonum corporaliter.

ARTICULUS IV.

ART. 4. docet id quod postea definivit Conc.
Trid. ss. 7. c. 4. Sacramenta novæ legis esse
necessaria ad salutem, etsi non omnia singulis. Bap-
tismus est ad salutem absolutè necessarius, Pœni-
tentia relapsis, Ordo toti Ecclesiæ: Cætera, ut
utilia, & sine quibus finis commodè haberi non
potest. Atque hæc de Sacramentis in genere.

## QUÆSTIO LXVI.

## *De Baptismo.*

BAPTISMUS vox Græca, etsi generaliter
ablutionem vel immersionem significet:
Ecclesiasticorum tamen scriptorum usu
significat unum ex Sacramentis novæ le-
gis, de qua art. 1. quæritur quid sit.

ARTICULUS I.

*Baptismus non est ipsa aqua.*

ART. 1. docet baptismum non esse aquam,
sed ablutionem: quia Sacramentum quod
non consistit in re permanente, ibi perficitur, ubi
perficitur sanctificatio: In aqua autem non perfi-
citur sanctificatio, sed in applicatione aquæ ad
hominem, quæ est ablutio: ergo aqua non est Sa-
cramentum baptismi, sed ablutio: Quemadmodũ,
nec Sacramentum Confirmationis est chrisma:
neque Extremæ Unctionis, oleum; sed usus & ap-
plicatio tum chrismatis, tum olei secundùm insti-
tutionem Christi facta.

*Ob.* Dices, baptismus significat totum Sacramentum;
ablutio autem tantum est pars ejus materialis; quo-
modo ergo una pars affirmatur de toto? *Resp.* Respon.
Auctorem non simpliciter dicere quod Baptis- *Definitio.*
mus est ablutio, sed quod *est ablutio corporis exte-
rior, facta sub forma præscripta verborum*; ad signifi-
candum quod baptismus sit quiddam compositum
ex ablutione externa, tanquam materiâ proximâ,
& ex verborum pronunciatione tanquam formâ.
Ablutio autem non sumitur præcisè ut est actio:
sed vel ut est motus, simul includens actionem, &
passionem; vel (juxta sententiam Domin. & Nug.)
ut est passio, prout scilicet recipitur in homine
baptismi capace. Unde B. Th. hîc dicit ibi Sacra-
mentũ perfici ubi perficitur sanctificatio. 1. in sus-
cipiente ipsum, & in applicatione aquæ ad homi-
nem. Et hinc est quòd multiplicentur baptisma-
ta, quando multi simul baptizantur ab eodem.

Ad has & similes subtilitates evitandas, baptis- *Definitio.*
mus optimè describi potest, esse *Sacramentum re-
generationis per aquam in verbo:* Sic enim describi-
tur in Catech. Rom.

Ex doctrina porro Artic. Primo observandum
est in baptismo tria reperiri. Unum quod est sa-
cramentum tantum, & hoc est ablutio exterior sub
legitima forma verborum: Secundum est, res tan-
tum, sc. gratia sanctificans. Tertium est, res & Sa-
cramentum simul, nimirum character. Harum ap-
pellationum ratio est, quia primum significat ali-
quid, & non significatur: secundum significatur, &
non significat: Tertium significatur & significat.

*Baptismus est sacram.* Observandum secundò quod Baptismus sit ve-
rum novæ legis Sacramentum; quia ablutio cum
forma



forma verborum sub quibus ministratur, est sig- A
num sensibile & efficax gratiæ sanctificantis ac
remissionis peccatorum, juxta illud ad Tit. 3. *Salvos
nos fecit per lavacrum regenerationis*, & alia q. 62.
ar. 1. adducta. Unde Dion. c. 2. & 3. Eccl. hier.
aliíque tam veteres quam recentiores orthodoxi
omnes baptismum habent pro Sacramento, imò
pro Sacramentorum primo seu janua.

*Varia nomina baptismi.* In Resp. ad 1. observandæ sunt variæ appella-
tiones baptismi. Vocatur enim subinde sigillum;
quia per baptismum imprimitur character, quo
homo primò signatur, & in familiam Christi ad-
scribitur.

SECUNDÒ, vocatur custodia, seu præsidium: B
quia quantum est de se, custodit hominem in bo-
no. ratione auxilij divini quod baptizatis tribuitur.

TERTIÒ, vocatur ex c. 6. ad Heb. Illuminatio:
unde apud Cyrill. Jerosolym. Catecheses illumi-
natorum. 1. Baptizatorum, quia est Sacramentum
fidei intellectum illuminantis.

QUARTÒ, vocatur lavacrum regenerationis, &
renovationis, ad Tit. 3. Licet enim omnis justifi-
catio impij possit dici spiritualis quædam regene-
ratio, quia per illam acquiritur novum esse spiri-
tuale: Baptismo tamen specialiter convenit sic
vocari; tum quia per illum acquiritur non tan- C
tum novum, sed etiam primum esse spirituale;
tum quia baptizatus ex membro Adæ fit mem-
brum Christi, & filius Dei, ut dicit Conc. Trid.
sess. 6. c. 4. Tum denique, quia nova prorsus effi-
citur creatura, plenam & integram peccatorum
omnium remissionem accipiens: ut dicitur sess.
14. c. 2. ejusdem Concilij.

ARTICULUS II.

*Vtrùm Baptismus fuerit institutus post
Christi passionem.*

VIDETUR quòd sic: PRIMÒ, quia virtutem
suam habet ex Passione: sed quia passio Chri-
sti non præcessit Sacramenta vetera, ideò B. Th.
dixit q. 62. ar. 6. ea non contulisse gratiam: ergo D
similiter baptismus, vel non præcessit Passionem
Christi, vel tunc non contulit gratiam.

SECUNDÒ, *Nondum erat Spiritus datus, quia Je-
sus nondum erat glorificatus*, Ioa. 7. ergo illud Matt.
2. *Baptizabit vos Spiritu Sancto*, implendum erat
post Christi glorificationem. Unde Chrysost. ho.
28. in Ioa. ideò dictum putat ab Evangelista quod
Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus, quia bap-
tizabant baptismo Ioannis, nec per eum confere-
bant gratiam.

TERTIÒ, non videtur quod Apostoli ante Pas-
sionem baptizaverint forma baptismo Christi pro-
priâ.

Primò, quia demùm illam acceperunt post re- E
surrectionem, Matt. ult. Quando Christus & for-
mam & potestatem tradidit baptizandi, inquit S.
Leo Ep. 4. c. 3. addens. de quo utique eos etiam
ante Passionem potuisse instruere, nisi &c.

Secundò, quia, ut ex Matt. 16. colligitur, neque
mysterium Trinitatis, neque quod Christus esset
Filius Dei, oportebat ante Passionem publicare:
ex frequentatione autem formæ utrumque fuisset
publicatum.

RESPONSIO B. THOM. ex tripartita, Christi
baptismum esse institutum ante Passionem, sci-
licet quando Christus fuit baptizatus; necessita-
tem tamen eo utendi non fuisse indictam ante re-
surrectionem.

*Baptismus fuit ante passionem institutus.* PRIMUM probatur, quia *Christus baptizabat*, Ioa. 3. & 4. quod non potest intelligi de baptismo
Ioan. sic enim non fuisset locus æmulationi, & in-
sidiæ, quæ ibidem inter discipulos Ioannis narra-
tur fuisse, & orta erat ex eo quod Christus bapti-
zaret; sed gaudij potiùs, eò quod vidissent baptis-
mum à Magistro suo ministratum, à Christo (cui
testimonium Joannes perhibuerat) approbari.

Deinde, non rectè Iesus dictus fuisset baptiza-
re, sed potiùs Ioannes, si non fuisset alius, quàm
Ioannis baptismus; quia Christus non per se bap-
tizabat, manibus scilicet suis abluendo, sed per
discipulos suos, ut habetur Ioannis 4. & explicat
August epist. 108. Restat ergo, ut ibi dicatur bap-
tizare, quia baptismi Author virtutem baptismo
tribuebat.

Nec dici potest fuisse cæremoniam à Christi &
à Ioannis baptismate diversam, quâ veluti via pa-
raretur ad verum baptismum postea instituendum:
partim, quia nullum est hujus sententiæ apud ve-
teres fundamentum; partim, quia cùm Ioannes
diceret, *Illum oportet crescere, me autem minui*, non
conveniebat ut Christus instituteret baptismum
baptismo Ioannis inferiorem, aut parem, præser-
tim cùm Ioannes diceret, *Ille baptizabit vos Spiri-
tu Sancto*, Marc. 1. & Deus Pater dixisset Ioanni,
*Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Ioan. 1.

SECUNDÒ illud Ioan. 13. *Qui lotus est, non indi-
get nisi, ut pedes lavet*, sic intelligitur ab Aug. Ep.
108. ut eo significetur Petrus jam ante baptismo
Christi fuisse baptizatus. Neque verisimile est (ut
Ep. 163. docet) Christum voluisse divinum illud
Eucharistiæ Sacramentum non baptizatis distri-
buere. Addi etiam potest, non esse probabile quod
Sacerdotes illos ordinaverit ante Sacramenti bap-
tismi susceptionem, cùm nulla occurrat ratio dis-
pensationis: imò voluerit baptismum esse januam
Sacramentorum.

TERTIÒ, legimus Actor. 19. eos baptismum
Christi suscepisse, qui prius baptizati fuerant bap- D
tismo Ioannis: atqui nec Scriptura nec PP. refe-
runt eos denuò baptizatos qui à Christo erant bap-
tizati per Discipulos. Imò Aug. tract. 5. in Ioan.
generaliter asserit quos baptizavit Iudas, non esse
iterum baptizatos: ergo Iudas contulerat baptis-
mum Christi. Huc pertinent quæ dicta sunt art. 6.
q. 38 de Ioanne Baptista per Christum baptiza-
to, juxta Nazian. Quod etiam indicat Hieron. su-
per c. 3. Matth.

*Baptismus Christi est institutus quando à Ioanne fuit baptizatus.* QUARTÒ, eadem sententia est illorum qui tra-
dunt Christi baptismum tunc ab eo esse institu-
tum, quando baptisma Ioannis suscepit: non quod
discipulos (quos nondum habebat) tunc mate- E
riam, & formam docuerit, sed quia tunc statuit, ac
decrevit ut ex eo tempore, aqua esset sui baptismi
materia; Trinitatis autem cum expressione actûs
ministri, nominatio, forma.

Confirmatur, Tunc Sacramentum aliquod insti-
tuitur, quando accipit virtutem producendi suum
actum: baptismus autem tunc accepit virtutem
producendi suum effectum, quia Christus voluit
baptizationem tali ritu factam ex tunc habere vim
sanctificandi; sive interim hanc suam voluntatem
& institutionem Ioan. Baptistæ declaraverit, eum
ab illo baptizatus statim baptizando, de quâ re non
constat: sive postea demum, Discipulis. Atq; hanc
ob causam mysterium Trinitatis ibi demonstra-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tum est: ubi aderat persona Filij, vox Patris, & Spiritus sanctus in specie columbæ. Ita tradunt Basilius hom. 1. in Psal. 28. Ambros. l. 2. in Lucam c. ult Hieron. in dialogo contra Lucifer. cap. 3. & in c. Matth. Hilarius ca. 2. in Matthæum, Nazian. oratione 35. & 39. August. serm. 36. de tempore, Damascenus l. 4. ca. 10. Beda in serm. de octava Epiphaniæ, Catechismus Romanus.

Porrò, quia Christus fortassis in Iordane non manifestavit exteriùs suam de baptismo voluntatem, aut certè stabilem de eo legem nondum tulit: hinc est quod B. Tho. q. 73. art. 5. ad 4. dicit baptismum tunc fuisse *aliqualiter* institutum: ut proinde non improbabiliter dici possit baptismum aliquo quidem modo fuisse institutum quando Christus fuit baptizatus, perfectius tamen postea quando ante passionem edocuit discipulos modum baptizandi, fecitque ut aliquos baptizarent, Ioan. 3. v. 22. & cap. 4. v. 1. Tempus autem quo hoc docuerit, non potest præcisè designari.

Circa tertiam responsionis partem cùm difficultas sit:

*Baptismus Christi non erat in præcepto, sed tamen post colloquiũ ejus cum Nicodemo.*

Primò dicendum est, quòd baptismus non obligarit ex eo tempore quo Christus sermonem habuit ad Nicodemum, Ioannis 3. ut putavit is contrà quem disputat Bernard. epistola 77. nam Christus illa verba non protulit legem aliquam pro tunc condens, aut promulgans, sed in futurum respiciens, ut hic ad 3. dicit B. Thom. Nec est verisimile quod Sacramentorum januam voluerit in privato colloquio instituere, vel ut legem latam promulgare.

Deinde, legales cæremoniæ durabant usque ad mortem Christi ut docetur 1. 2. q. 103. ergo licèt tunc baptismus esset utilis, non erat tamen necessarius. Accedit quod alioquin sequeretur omnes, aut plerosque saltem, parvulos fuisse in Christi præsentiâ sine remedio, quibus ante provisum fuerat de circumcisione: cùm enim baptismus nondum esset publicè prædicatus, non poterat sciri.

*Ioan. 3.*

Illud ergo Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. dictum est, non de illo tempore quo proferebatur, sed de illo pro quo Christus dicebat: scilicet quando baptismi necessitas esset publicè promulgata. Quomodo explicari debent verba Fulgentij lib. de fide ad Petrum c. 3. Simile aliquid est in istis verbis Ioannis 6. *Nisi manducaveritis &c.* Illa enim non indicant necessitatem quâ tenerentur homines, eo tempore quo proferebantur, cum nondum esset institutum Sacramentum Eucharistiæ, sed eam quæ paulò post futura erat.

Secundò dicendum est, cum Authore quod necessitas baptismi cœperit post passionem, & resurrectionem Christi non quasi in instanti resurrectionis lex baptismi omnes obligaverit, sed quia tunc desinente ratione cæremoniarum veterum, post aliquantum tempus cœpit nova lex publicari, simulque baptismi necessitas: promulgatione autem factâ cœpit baptismus ita esse necessarius, ut sine eo, aut ejus voto non esset salus: ut colligitur ex Concil. Trid. sess. 6. c. 4. Quod cum necessitatem hanc afferat post Evangelium promulgatum; non fuerit autem ante Pentecosten facta novæ legis promulgatio; non videtur ante illam indicta baptismi necessitas. Tunc autem indicta est; licet à transgressione præcepti excusarentur per ignorantiam illi ad quos promulgatio nondum poterat pervenire.

*Baptismus post Evangelium promulgatum est necessarius.*

An verò similiter in Pentecoste baptismus cœperit esse necessarius necessitate medij, etiam pro parvulis, ijs præsertim, quorum parentes nihil de baptismo audierant; ideoque circumcisionem adhibebant, non constat. S. Bern. dictâ Epistolâ vult parvulis & necdum ratione utentibus tam diu antiqua valuisse Sacramenta, quamdiu palam interdicta fuisse non constiterit. vide Medinam & alios 1. 2. q. 103.

Si dicas legalia fuisse tunc mortua. Resp. Dominus Estius in 4. d. 3. quod mortua quidem erant, non tamen omnibus, sed ijs quibus novæ legis instituta manifestata prodesse jam poterant.

Ad 1. Argumentum Negatur Conseq. poterat enim baptismus habere virtutem, & intuitu passionis futuræ, & à Christo jam tum non pauca patiente, nobisque ab initio conceptionis merente. Vide quæ diximus ad qu. 62. art. 6.

Ad 2. cùm tam Sanctis Patribus ante Christi adventum, quàm Apostolis, Magdalenæ, & alijs, eo præsente constet esse remissa peccata; idq; non sine dono Spiritus sancti: dicendum est Evangelistam eo loco significasse Spiritum sanctum nondum fuisse datum sensibiliter, & in ea largitate donorum & gratiæ, quæ esset in hominibus instar fluminis copiosè scaturientis, & in varias operationes prodeuntis: quomodo datus fuit in Pentecoste. Chrysostomi expositioni præferendam putamus Augustini, Bedæ, & aliorum Patrum sententiam.

Ad 3. Negatur assumptio cum prima ejus probatione. Quod autem Matth. ult. dicitur, *continet* mandatum non solis Iudæis prædicandi (ut antea factum fuerat, sed etiam gentibus, easque baptizandi, quo modo etiam Leonis verba possunt accipi, ut nimirum Christus dicatur tunc dedisse Apostolis, & potestatem baptizandi omnes gentes, & formam quâ uti deberent; etiam gentes baptizando: quod ante passionem non fecerat; ut significaret gratiam regenerationis cœpisse palam, & communiter, post suam resurrectionem, quanquam & (*forma*) possit apud Leonem accipi pro modo, ritu, & ordine, secundum ea quæ habet Hieron. in ult. c. Matth.

Ad secundam confirmationem, non prohibetur Matth. 16. annunciari Trinitas (quamvis communis, & aperta ejus annunciatio non sequebatur ex aliquorum baptizatione) sed palam, & publicè prædicari tunc, quod Christus esset Filius Dei: partim, quia nondum erat tempus à Patre definitum, quo divinitas Filij esset apertè in publicum promulganda, ne redemptioni nostræ impedimentum objiceretur; partim, quia ipsi Apostoli instabiles adhuc, & infirmi, ac in passione scandalum passuri, parum apti adhuc erant illi mysterio palam prædicando, non est autem dicendum quòd ante passionem Apostoli baptizaverint quidem baptismo Christi, sed vel sine formâ, vel sine expressione Trinitatis: nam non esset idem baptismus, qui non haberet eandem formam. Nec reticeri debebat, dareturne ab Apostolis diversus baptismus ab eo quem dabat Joannes; & in cujus nomine seu virtute ministraretur.

Arti-



Articulus III.

*Vtrum aqua sit propria materia Baptismi.*

Videtur quod non. Primò, quia Matth. 3. fit oppositio inter baptismum Ioannis & baptismum Christi: quod ille esset in aquâ, iste in Spiritu, & igne.

Secundò, aqua in verbis Christi c. 3. Joan. *nisi quis renatus fuerit ex aquâ &c.* sumitur metaphoricè vel pro Spiritu sancto, ut vult Calvinus, vel pro gratia Spiritus sancti, quemadmodum Ioannis 4. *Qui biberit ex aqua &c.*

Tertiò, Nicephorus l. 3. cap. 37. refert quendam Judæum in necessitate baptizatum arenâ loco aquæ, cujus baptismi confirmationem secuta est miraculosa baptizati sanitas.

*Baptismi materia est aqua naturalis.*

Responsio Auctoris, ad fidem pertinens, est, proprium baptismi materiam esse aquam veram, & naturalem. Sic definitum est in Conc. Lateran. cap. *firmiter* de summâ Trinitate, in Conc. Florent. & Trident. quorum istud sessione septima can. 2. de baptismo, anathema dicit *illi qui prædicta Domini verba, Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. ad metaphoram aliquam detorserit.* Communiter enim veteres proprietatem verborum retinent, ac de naturali aqua intelligunt. Quo modo etiam Eunuchus à Philippo instructus Act. 8. intellexit baptismum esse ministrandum in vera aqua. *Ecce aqua* (inquiebat:) *quid prohibet me baptizari? Et descenderunt uterque in aquam &c.* Et Act. 10. Petrus, *nunquid aquam quis prohibere potest ut non baptizentur hi?*

His accedunt figuræ baptismi: In aquis diluvij, 1. Petri 3. In mari rubro, 1. ad Corinth. 10 & aliæ à Tertull. l. de baptismo allatæ. Itemque prædictiones, Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam.* Zach. 13. *In illa die erit fons patens domui David &c.* Quodque Innocentius 3. c. *In quadam* l. 3. decret. tit. 41. definit veram aquam de latere Christi fluxisse: *cum alioquin non verum in hoc, regenerationis Sacramentum fuisset ostensum.*

Ad 1. Argumentum Resp. hanc esse oppositionem, quòd baptismus Ioannis erat in aqua, & non in Spiritu: Baptismus autem Christi, est in aqua & in Spiritu: unde sequitur baptismũ Christi dici in Spiritu, & igni: non materia sed ab efficacia. Cur verò Joannes addiderit, *& igni*, non una est omnium sententia. Duæ sunt probabiliores. Prior, quòd Joannes significaverit duo Christi baptismata: unum in Spiritu, quod idem sit & in aqua, de quo Christus Ioannis 3. Alterum in igne simul, & Spiritu; quod fuit in Pentecoste, quando Spiritu S. in linguis igneis descendente. Apostoli sunt copiosè Spiritus S. gratia perfusi. Posterior, ut per ignem intelligatur sive pœnitentia, sive tribulatio, sive quodlibet purgativum animæ; hoc sensu, *baptizabit vos Spiritu sancto*, & si opus sit, etiam postea purgabit. Illum indicant Hieron. in c. 3. Matth. & Damasc. l. 4. c. 10. Istum Hieron. ibidem, Chrysost. Beda. Utrumque B. Th. hic ad 1.

Ad 2. patet ex dictis falsitas sumptionis illius Calvinianæ. Neque si *aqua* sumitur uno loco metaphoricè, debet propterea in alijs similiter sumi, præsertim ubi nihil obstat proprietati, quam & veteres sunt amplexi, & aliæ scripturæ confirmant.

Ad 3. Nicephorus ibidem refert Dionysium Alexandrię Episcopum, jussisse ut iste Judæus baptizaretur aquâ secundùm Ecclesiæ traditionem. Miraculum verò non accidit in probationem quod illa aspersio arenæ fuerit verum baptisma, sed vel ad preces astantium, vel ad probandam veram Iudæi istius conversionem.

Articulus IV.

*Aqua elementaria est necessaria & sufficiens.*

Art. 4. docet ad baptismum requiri aquam simplicem, i. quæ habeat naturam, seu speciem aquæ elementaris. Ac proinde qualiscumque sit alteratio, vel mixtio, si retineat naturam aquæ, potest assumi ad baptismum. Saliva autem, sudor, lachrymæ, succus de herbis, aut floribus expressus, non possunt assumi: quia non habent naturam aquæ elementaris. Unde B. Thomas docet validum fore baptismum in aqua maris, in lixivio, in aquis balneorum sulphureorum, in aqua decoctionis carnium; nisi fortè sit facta tanta resolutio corporum in aqua lixatorum, ut liquor plus habeat de aliena substantia quam de aqua. Quæ exceptio bene est notanda; ne quis in casu necessitatis promiscuè assumat talem aquam, quando potest habere aliam. Baptismus verò collatus in aqua rosacea, in vino, vel cerevisia, etiam tenui, non valeret. Cæterùm, conferaturne baptismus in aqua benedicta, an profana; in pluviali, an putealj; in frigida, an calida: nihil refert ad valorem.

*Quæst.*

An verò in glacie, nive, grandine possit fieri baptismus, posito juxta Philosophorum non paucorum sententiam, ea non differre essentialiter ab aqua: Respondendum est negativè: aqua enim est materia baptismi ratione ablutionis quæ per eam fieri potest, ideoque non est nisi materia remota, cùm ablutio sit propinqua. Si ergo non sit fluida, seu in statu idoneo ad abluendum, non potest assumi ad baptismum, donec liquefiat.

*Resp.*

Articulus V.

*Forma baptismi.*

Art. 5. probat hanc esse convenientem formam baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*: Partim, quia Christus Matth. 28. misit Apostolos baptizare in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti: partim, quia in illis verbis exprimitur causa baptismi, tum principalis, tum instrumentalis.

*Ob.*

Si dicas; ad convenientiam formæ Sacramentorum non requiri, ut causæ illorum exprimantur; quemadmodum patet ex forma Sacramenti pœnitentiæ, ordinis, & matrimonij: Res. quod licèt ista expressio non fit in omnium Sacramentorum formis necessaria: illa tamen forma rectè ostenditur esse conveniens, in qua fit ejusmodi expressio. Deinde, in hoc sacramento oportet fieri expressionem causæ saltem principalis: ut in sequentibus ostendetur.

*Resp.*

Cæterum, etsi jam dicta forma sit necessaria quoad significationem, & sensum verborum: non tamen quoad verba materialia; ut patet tum ex qu. 60. art. 8. tum ex eo quod in Conc. Florent. declaratum est hanc Græcorum formam esse legitimam, *baptizetur servus Christi N. in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* Cùm autem hæc forma Græcorum sit substantialis; consequens est baptismum cum ea collatum in Ecclesia Latina, fore validum; contra quam senserunt nonnulli: natura enim sacramenti est una per totam Ecclesiam, nec consuetudine, vel præcepto Ecclesiastico potest immutari.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ad majorem horum notitiam obſervandæ ſunt A aliquot concluſiones.

### Conclusio I.

*Perſona baptizans non eſt neceſſariò exprimenda.*

DE eſſentia baptiſmi non eſt ut exprimatur expreſsè, vel implicitè perſona baptizans: ſed ſatis eſt quòd non negetur & quòd actus per eam exercitus exprimatur cum invocatione Trinitatis. Ita ſignificat B.Tho. hîc ad 1. & ex eo Conc. Florent.in compendio fidei: Et ut certum aſſerunt Suarez, Cabreta.& Nugnus.

Confirmatur, Primò, forma Græcorum quæ ſine dubio eſt ſufficiens ad perfectionem Sacramenti, non ſic (quemadmodum refert Dominic. d.3.) ab eis intelligitur, ut ſenſus ſit, baptizetur à me ſervus Chriſti: Nam *Ideo non attribuunt miniſtris actum baptiſmi*, ait hîc S. Doctor, *ut evitent errorem antiquorum, qui virtutem baptiſmi attribuebant baptizantibus, dicentes, ego ſum Pauli, & ego Cephæ.* Senſus ergo formæ illorum eſt, baptizetur à Deo ſervus Chriſti hoc actu, ſeu miniſterio meo; ſive, Sacramentum baptiſmi exhibeo, ſuſcipiat illud à Chriſto, per meum miniſterium, ſervus Chriſti N. B

Confirmatur Secundò: Miniſter eſt ſolùm cauſa inſtrumentalis: ergo non eſt omnino neceſſarium ejus perſonam exprimere: quia cùm baptiſmus non ab eo virtutem ſuam habeat, ejus expreſſio nihil facit ad ſignificandum effectum Sacramenti. Non debet tamen excludi miniſter: nam ſi quis diceret, baptizetur ſervus Chriſti, intelligendo, à ſolo Chriſto, & non per ſuum miniſterium, nihil faceret, ait Cabrera; ageret enim contra inſtitutionem Chriſti, qui baptiſmum conferre voluit per miniſterium hominum. C

*Ob.* Dictis non obſtat Alex.3.dicere in 3.decr.c.1. de baptiſ. *Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. & non dixerit, ego baptizo te, non eſt puer baptizatus:* quaſi ad eſſentiam baptiſmi requiratur illud, ego te baptizo. *Reſp.* Non Pontifex ibi non aliud voluit quàm actum baptizandi eſſe in forma neceſſariò exprimendum. Hoc autem docendo, uſus eſt forma Latinorum: partim, quia loquebatur Latinis: partim, quia hæc forma eſt & melior, & clarior: utpotè melius reſpondens verbis Chriſti, *baptizantes eos*, & clariùs exprimens cauſas baptiſmi, cujuſque actum. Neque propterea datur occaſio ſchiſmatis, quod timent Græci: quia non tribuitur miniſtro virtus, aut efficacia Sacramenti, ſed ſolùm miniſterium. D

### Conclusio II.

*Debet exprimi actus baptizandi.*

AD eſſentiam baptiſmi neceſſarium eſt exprimere actum baptizandi. Cùm enim ablutio fieri poſſit propter multa, oportet quod per formam verborum determinetur ad quid fiat; Quod ſufficienter non exprimitur, nec declaratur omiſſio actu baptizantis. E

Hanc doctrinam ſatis expreſſit Auctor. in reſp. ad 1.& 2. itemque Concil. Florent.& Alexander 3. ſuprà relati.

Porrò etſi non ſit certum eſſe de eſſentia Sacramenti, uti iſto verbo, *baptizo*, cùm ſufficere poſſint æquivalentia, ut lavo, abluo, intingo, ſi quidem ſint æquivalentia, ut non pauci exiſtimant, alijs meritò vel dubitantibus, vel etiam negantibus, ob ea quæ ad art.6. notavimus: Melius eſt tamen retinere iſtud verbum, etiam quando lingua vulgari baptizatur, quia eſt magis certum, & omnino indubitatum. De quibusdam autem alijs vocabulis poteſt eſſe majus adhuc dubium; ut ſunt balneo, mergo &c. præſertim ubi baptiſmus confertur per effuſionem aquæ.

Cæterùm etiamſi actus baptizantis ſit exprimendus; non tamen eſt neceſſe illum exprimi ut egredientem à miniſtro, ſed ſufficit ſi exprimatur ut actu exercitus, vel per indicativum, baptizo, baptizaris, baptizatur ſervus Chriſti, baptizat te Chriſtus: vel per imperativum baptizetur baptizetis ſerve Chriſti, baptizet te Chriſtus, unde Conſtantinus in ſuo edicto quod præfigitur Concilio Niceno, dicit ſe à Sylveſtro confirmatum ſub hac forma, *Signet te* &c. Seriò tamen cavendum eſt, ne immutetur forma ordinaria.

### Conclusio III.

*Perſona quæ baptizatur, debet aliquo modo exprimi.*

DE neceſſitate baptiſmi eſt, ut in ejus forma exprimatur perſona quæ baptizatur. Ita omnes colligunt ex verbis Matth.ult. *baptizantes eos.*

Confirmatur, Quia Sacramentum baptiſmi conſiſtit in applicatione materiæ ad ſubjectum; ipſaque ablutio eſt quidam motus: ergo niſi exprimatur ſubjectum in quo recipitur, non ſatis exprimetur actus. Deinde ſignificanda eſt diſtinctio baptizantis, & baptizati, qualis eſt generantis & geniti: baptiſmus enim eſt quædam regeneratio. Hinc eſt quod nemo poſſit ſeipſum baptizare, ut declaravit Innoc.c. *debitum* in 3.decret.tit.de baptiſmo. Exprimenda eſt autem perſona baptizati, non in communi dumtaxat, ſed determinatè, exprimendo vel nomen ejus proprium, vel pronomen demonſtrativum ſecundæ aut tertiæ perſonæ. Unde Conc. Florent. in forma Græcorum non ſimpliciter dixit. *baptizetur ſervus Chriſti*, ſed, *ſervus Chriſti* (*talis*) indicare volens eſſe exprimendam perſonam. *Si* quis tamen ita baptizaret, *baptizo ſervum Chriſti:* vel *baptizetur ſervus Chriſti* &c. non addita particulariori expreſſione, non conſtat irritum fore baptiſma. *Perſonæ baptizati quo modo exprimenda.*

Si quis autem honoris cauſâ, ſic exprimeret, *baptizo vos:* vel aſſuetus pluraliter loqui, *Nos te baptizamus*; non variaret ſubſtantiam formæ, ut cenſet Cajet. in ſimili, verbo, *Abſolutio.* Ejuſmodi tamen vanitates omnino fugiendæ ſunt.

Quod ſi dum exprimitur perſona baptizata, contingat eſſe alterius nominis aut ſexûs, ut dum dicitur, *Petre, ego te baptizo*, contingat non eſſe Petrum, ſed Joannem, verùm nihilominus erit Sacramentum, quia primò, & directè intendit baptizare hunc hominem præſentem, quem ex errore putat eſſe Petrum. Unde verus verborum ſenſus eſt, *Ego baptizo te*, quem puto vocari Petrum.

Secus autem eſt in matrimonio, cujus vinculum cum ex mutuo contrahentium conſenſu oriatur, & ſic figatur intentio contrahentis in unam perſonam, ut omnino excludat aliam: error perſonæ dirimit matrimonium: quamvis ſi in ſolo nomine perſonæ erraretur, matrimonium valeret.

### Conclusio IV.

*Debet dici in nomine.*

DE neceſſitate formæ eſt ut dicatur *In nomine* non in nominibus. *Non baptizamur*, (ait Hier. in c.4. ad Eph.) *in nominibus Patrũ, & Filij, & Spiritus S. ſed in uno nomine quod intelligitur Deus.* Ratio eſt, quia in hoc Sacramento cùm ſit Chriſtianæ fidei profeſſio, profitenda eſt naturæ unitas,



unitas; *in nomine* autem hîc idem eſt quòd in virtute, poteſtate, majeſtate. Baptiſmus tamen qui daretur non *in nomine*, ſed *in virtute*; non careret dubio: quia plus videtur innuere illud (*in nomine*) quam ſingula dictorum ſeorſim ſumpta. Neque hinc ſequitur irritum fore baptiſmum datum *in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus ſancti*: quia idem nomen eſſentiale rectè poteſt repeti abſque pluralitate: ſicut dicitur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus: non tamen tres dij. Præpoſitio autem *in*, non eſt de eſſentia: eò quòd illa prætermiſsâ ſenſus ſubſiſtit, Ob quam cauſam nec conjunctio, *&*, eſt eſſentialis: Cujus proinde omiſſio non invalidaret Sacramentum: niſi fieret ad inſinuandum illa tria nomina eſſe unam perſonam tribus facultatibus inſtructam, ut Sabellius dicebat: vel Filium, & Spiritum ſanctum eſſe tantùm unam perſonam, ut alij quidam hæretici. Tunc enim eſſet corruptio formæ eſſentialis, de qua q. 60. art. 8. dictum eſt. *Cabrera ad q. 60. art. 8.* A B

### Conclusio V.

*Debent exprimi tres perſonæ.*

DE neceſſitate baptiſmi eſt expreſsa diſtinctio, & diſtincta nominatio trium divinarum perſonarum.

Primò, quia licet verba Chriſti, Matt. 28. *baptizantes eos in nomine Patris* &c. videri poſsent habere hunc ſenſum, baptizantes eos in virtute, & authoritate Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: ſecundùm tamen veterem Eccleſiæ traditionem, & SS. Patrum expoſitionem, hunc habent ſenſum, baptizantes eos, invocato ſuper eos nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; quia Chriſtus ibi tradebat ritum in adminiſtrando baptiſmo ſervandum; ideòque non ſolum docebat quâ virtute, tradendus ſit, ſed etiam quibus verbis. Ita docent Cyprian. epiſt. 73. Baſil. l. de Spiritu Sancto, c. 12. Aug. l. 3. de baptiſmo, c. 12. & 13. l. 6. c. 25. l. 7. c. 53. Pelagius Pontifex de conſ. d. 4. c. *Multi*, quod ad art. ſequentem referetur, & antea Can. 49. Apoſtolorum. C

Secùndo cùm baptiſmus ſit Sacramentum, & profeſſio fidei, ſicut naturæ divinæ unitas in eo profitenda eſt, ita & Perſonarum divinarum Trinitas: quia utrumque eſt potiſſimum eorum quæ credimus. D

Ex his patet eum qui applicando aquam, vel diceret, Ego te baptizo in nomine Trinitatis, vel omitteret unam ex tribus Perſonis; non validè baptizaturum.

*Quæſt.* Difficultas autem eſt, an valeret baptiſmus datus in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque. Cajetanus & alij quidam affirmant, eò quòd eſſentialis forma Sacramentorum non pendeat ex verbis materialibus, ſed ex ſignificatione, quam habent non tantùm ex primævâ inſtitutione, ſed etiam ex accommodatione uſus; voces autem iam dictæ ſecundùm uſum æquivalent nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. E

*Reſp.* Sed negativè reſpondendum eſſe docet B. Th. 1.p.q.40.art.2.& in 4.d.3.art.2.fi.2.ad 5.& hîc ad 7. Bonaven. Scot. Durand. Richar. Genitos enim, Genitus, & procedens, non ſunt (etiam ex uſu) ſynonima nominibus Patris. & Filij, & Spiritus Sancti; cum hæc ſignificent hypoſtaſim, ideoque perſonam ſubſiſtentem: illa verò ſolum ſignificent proprietatem, ac perſonam per modum actus notionalis. Deinde, ſicut ex parte materiæ ſumitur ad baptiſmum aqua, eò quòd uſus ejus eſt communiſſimus, ita conveniens eſt ex parte formæ ſumi illa nomina, quibus tres perſonæ communiùs exprimuntur. Unde illis Dominus uſus eſt, quando Apoſtolos miſit ad baptizandum.

Similiter, ſi loco *Filij* diceretur *Imaginis*, aut *Splendoris:* & pro *Spiritu Sancto, doni flaminis*, &c. non eſſet baptiſmus. *Si* verò diceretur *Ieſu Chriſti* Soto putat ſufficere, ut & Cabr. ſi ſubſtitueretur *Chriſti*, vel *Verbi*, eò quòd hæc ſint nomina ſecundæ perſonæ in divinis. Idemque opinantur alij, ſi pro, *Spiritus Sancti*, dicatur *Spiritus Paracleti*, aut etiam *Paracleti*; de quo tamẽ poſteriori majus eſſet dubium. Cæterum, cùm hæ variationes incertitudinem habeant, in negotio ſalutis ſeriò cavendæ ſunt.

Dices, Aug. l.6. de baptiſmo, c.25. aſſerit non eſſe baptiſmum ſi verba Evangelica, quibus Symbolum conſtat, illic defuerint, ergo totum Symbolum eſt de neceſſitate baptiſmi. *Ob.*

Reſp. neg. Conſ. quia ſymbolum conſtat tribus principalibus partibus, ſcil. de Patre, Filio, & Spiritu Sancto: & hæc ſunt verba illa ſymboli, quæ ſi defuerint, Aug. docet irritum fore baptiſmum. Unde l.3. contra Donatiſt c.15. ita ſcribit, *Si* Evangelicis verbis *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Marcion baptiſmum conferebat, integrum erat Sacramentum. Ubi clarè ſignificat quid per Evangelica verba intelligat, dum ea requirit ad baptiſmum. *Reſp.*

De reſp. ad 4. vide quæ dicuntur q.67. art.6.

### Articulus VI.

*Vtrum in nomine Chriſti poſsit dari baptiſmus?*

VIDETUR quod ſic. Primò. quia Apoſtoli Act. 2.8.10. & alibi, baptizaſſe leguntur in nomine Domini Jeſu Chriſti, eoque ſolo: ut indicant Hilarius in fine l. de Synodis, dicens, quod Apoſtoli in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizare juſſi, tantùm in Jeſu nomine baptizaverunt.

Nicolaus autem Papa hîc ab Authore citatus, addit etiam ſuo tempore baptiſmum ſic collatum, eſſe validum.

Confirmatur, Qui habens intentionem baptizandi, feſtinus diceret: Ego te baptizo in nomine Chriſti, diceret verum: ergo baptiſmus ita collatus valeret.

Secundò, Ambr. l.1. de Spiritu S. c.3. aſſerens quemadmodum legimus in Chriſti nomine plenum eſſe baptiſmatis Sacramentum, ita etiam Sancto tantùm Spiritu nuncupato, rationem ſubdit, quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit. Hunc ſequitur Beda in c.10. Act.

Denique, Bernard. epiſt. 340. putat verum eſſe illum baptiſmum qui erat datus in nomine Dei, & ſanctæ ac veræ Crucis.

Verum ſententia communis, & procul dubio vera eſt quam concl.5. ſuperioris art. poſuimus, ſecluſâ diſpenſatione divinâ non ſufficere implicitam Trinitatis invocationem, ſed requiri explicitam, atque adeò baptiſmum qui aliter confertur, nullum eſſe. Ita B.Tho. hîc, & alij, tum in 4. ſent. tum in c.28. Mart. ſic & Pontifices Pelag. & Zachar. de conſ.d.4.c.30.82.83. *Multi ſunt* (ait Pelagius) *qui in nomine ſolùm Ieſu Chriſti, una etiam merſione ſe aſſerunt baptizare: Evangelicum verò præceptum, Deo, & Domino Salvatore noſtro Ieſu* *Reſp. non poſſe dari,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam immersione sanctum baptisma uniciuique tribuere.* A

Et Zacharias, *Si lotus in fonte baptismatis quia fuerit sine invocatione Trinitatis: perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. fuerit baptizatus. Hoc quoque observari in prædictâ Synodo, Angelorum sacerdotes voluerunt, ut qui vel unam de Trinitate personam non nominaverit: illud baptisma esse verum non possit. Quod profectò verum est.* Athan. etiam l. seu serm. 3. contra Arian. ad integram baptismatis initiationem requirit trium personarum expressionem. Similiter Damasc. l. 4. c. 10. & Aug. l. 6. contra Donatist. c. 25. *Deus*, inquit, *adest verbo Evangelico, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest.* B

Ad 1. Argumentum Respondet Auctor Apostolos ex speciali Christi revelatione sic baptizasse, ut nomen Christi honorabile redderetur. Quæ responsio procedit ex suppositione quod Apostoli aliquando in solius Christi nomine baptizarūt: tunc enim necessarium est agnoscere revelationem.

Utrum autem hæc suppositio sit admittenda, quæritur.

*Apostoli nunquam baptizaverunt expresso solius Christi nomine.*

Verius loquuntur qui negant, affirmantes Apostolos nunquam baptizasse expresso solo nomine Christi. Primum, quia Apostoli habebant recens mandatum de Trinitate distinctè nominanda; neque ullum est in scriptura, vel traditione argumentum dispensationis in contrarium. C

Secundò, quia illi qui in Actibus Apostolorum referuntur baptizati in nomine Christi, à Patribus dicuntur esse baptizati cum expressione trium personarum. *Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque filius adjungeretur*, ait Cyprianus epis. 73. Et Augustinus l. 5. contra Maximinum c. 17. *Qui non nominatis*, inquit, *Patre, & Spiritu S. justi sunt baptizari intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Tertiò, nulla est ratio dispensationis agnoscendæ: nam Christi nomen per Apostolicam prædicationem, eamque miraculis confirmatam; per D præviam etiam ad baptismum catecheticam instructionem reddebatur honorabile. Et; si in baptismo meminisse Christi conveniebat, hæc forma potuit usurpari, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij ejus Jesu Christi, & Spiritus sancti.

Quartò, Actorum 19. Paulus miratur in quo baptizati essent, qui an Spiritus sanctus esset, non audierant: quia nimirum si accepissent baptismum Christi, audivissent Spiritum sanctum, in forma nominari solitum. Si dicas, quod audituri fuissent eum, non in forma, sed in catechetica instructione: Resp. eandem esse rationem ut in utraque nominaretur; juxtà præceptum Domini Matth. ult.

Ad 1. Argumentum Resp. quod si Apostoli E dicantur baptizasse in nomine Christi, non est sensus quod in forma; solius Christi nomen exprimerent, sed quod baptizarent baptismo Christi, sive, à Christo instituto, ejusque virtute, & authoritate: Breviter, quòd baptismum à Christo, institutum traderent. Aut quòd super professionem de Jesu quod ipse sit Christus, baptizarent. Quanquam in locis objectis non dicitur quod Apostoli baptizaverunt in nomine Christi. Nam Act. 2. B. Petrus non loquitur illis qui alios baptizaturi essent, sed baptizandis; quorum erat credere, pœnitentiam agere, fidem Jesu Christi profiteri, & intelligere cui acceptam ferre deberent efficaciam baptismi, scilicet Christo Domino. Quæ efficacia rectè intelligi potest denotari in eo quod dicitur (in nomine Christi.) Similiter Act. 8. non dicitur qua forma baptizati fuerant Samaritani; sed significatur quòd tantummodo baptizati erant, idque super professione fidei de Christo seu baptismo Christi, id est à Christo instituto; nondum verò acceperant Spiritum sanctum ad robur, ac fortitudinem animi, quo modo Sacramento Confirmationis datur. Et c. 10. non scribitur qua forma jusserit Petrus uti eos qui Cornelium ejusque familiam baptizarent; sed tantum, quod jussit credentes baptizari in nomine seu professione Christi, & baptismo qui per Christum erat institutus, ab eoque efficaciam sortiebatur.

Ad Hilarium Resp. eum non aliud velle quam ostendere multa in scripturis reperiri, ex quibus imperiti capiunt occasionem errandi: eò quod etiamsi non sint, videantur tamen contraria; quale est quòd Apostoli jussi sunt baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; qui tamen videri possunt in Actis, tantùm in nomine Jesu baptizasse: sed eorum quæ in Actis leguntur, sensus est, quod Apostoli baptizaverint in solius Christi merito, vel eo tantum baptismo quem ipse instituerat.

Ad Nicolai decretum Responsio verisimilior est Melchioris Cani lib. 6. de locis c. 8. ad 7. pontificem ut privatum doctorem falsæ opinioni adhæsisse, nihil tamen ea de re definisse. Neque enim omne illud definiunt Pontifices, quod in aliqua ad quæstionem sibi propositam responsione inserunt. Nicolaus consulebatur an baptizatus à Judæo, verò esset baptizatus: ad quod definitivè respondet quod sic. Quod autem respondendo addit de baptismo in nomine Christi tantùm; non ut definiens dicit (de eo enim non erat consultus, neque ullam habebat causam definitionis edendæ) sed juxta privatam suam opinionem erroneam. Esto enim quòd Apostoli sic baptizassent; non propter nunc idem, vel liceret, vel validum essent.

Dices, Zacharias & Pelagius contraria huic opi- *Ob.*
nioni decreta ediderant, ut supra memoravimus, D
quomodo ergo Nicolaus potuit, etiam ut privatus Doctor, ita errare? Resp. non liquere ex decretis *Resp.*
quæ extant, an à Pontificibus illis emanarint tanquam decreta fidei. Aut certè Nicolaus ea decreta ignoravit, vel eorum non fuit recordatus.

Ad confirm. Resp. neg. Ant. quamvis enim talis non habeat intentionem dicendi falsum, dicit tamen; quia non verè facit id quod ait se facere, hoc est, non confert Sacramentum baptismi, quod asserit se conferre: cùm enim verbum, *baptizo*, sit vocabulum conjugatum respondens baptismo baptismique Sacramento; quando dicitur, ego te baptizo, non est sensus, ego te abluo; sed tibi Sacramentum baptismi confero. Patet hoc evidenter ex formâ baptismi conditionatâ, ubi dicit minister; *Si tu es baptizatus, ego te non baptizo*, & tamen pergit abluere, & formam enuntiare. Vult ergo dicere, *si* tu es baptizatus, non impertior tibi Sacramentum baptismi; sed, *si non es baptizatus, ego te baptizo*, id est, Sacramentum baptismi confero in nomine Patris &c.

Ad 2. quidam consentiunt Ambrosium sensisse quòd baptismus unà tantùm personâ nominatâ valeat: sed hanc esse opinionem ejus singularem, quam sequi non oporteat contra cæterorum Patrum sententiam.

Verius



Verius tamen videtur, nec Ambrosium loqui A præcisè de forma baptismi, nec dicere quòd in ea satis sit exprimere unam personam: sed velle ostendere quòd, quando in scripturis aliqua operatio tribuitur uni personæ, non propterea excludantur aliæ, sed includuntur. Ita enim habet: *Sed fortasse aliquis dicit, Qua ratione cùm dixerit ex Patre omnia, & per Filium omnia: de Spiritu S. tacuerit, & hinc cupiat præjudicium comparare. Quod si pergit malitiosè interpretari, quam multis invenietur locis prædicatam Spiritus sancti potestatem, in quibus vel de Patre, vel de Filio nihil scriptura expresserit sed intelligendum reliquerit nunquid ergo cum gratia Spiritus prædicatur, Dei Patris, aut unigeniti Filij, denegatur? non ita: quia sicut Pater in Filio, & Filius in* B *Patre: ita etiam diffusa est charitas Dei per Spiritum S. qui datus est nobis. Et sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; quia unum nomen est potestas una: Ita etiam ubi operatio aliqua divina, aut Patris aut Filij, aut Spiritus S. designatur, non solum ad Spiritum S. sed etiam ad Patrem refertur, & Filium, nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur, & Spiritum.* Cùm ergo addit, *Quemadmodum in nomine Christi plenum esse legimus baptismatis Sacramentum: ita etiam Spiritu S. tantum nuncupato nihil deest ad mysterij plenitudinem:* Sensus est, quod ubi legitur baptismus in nomine Christi datus, intel- C ligendus est esse datus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Et similiter cùm dicitur datus in Spiritu S. Cùm enim qui unum dixerit, Trinitatem (saltem implicitè) signarit; scriptura referens baptismum collatum, & ad hoc unam personam exprimens, intelligendum relinquit expressas etiam fuisse alias personas. Huc pertinet tum quòd Amb. frequenter refert, ac sequitur verba Basilij: Basil. autem l. de Spiritu S. c. 12. negat valere baptismum si una tantum persona nominetur: tum quod Ambr. l. de ijs qui mysterijs initiantur c. 4. dicit *nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. remissionem non potest accipere peccatorum.* Vide eundem l. 2. de Sacram. c. 3 4. 5. 7.

*Explicatur S. Ambr.*

Beda non aliud ibi quàm verba Ambr. refert; sed D libro variarum quæstionum qu. 14. *Si quis*, ait, *baptizans dicit ego baptizo te in Christo Iesu, & non dicat: In nomine Patris, & Filij & Spiritus S. sicut Dominus instituit non est verus baptismus.* Epistola quæ ex Bernardo objicitur, non est ejus, ut docti existimant: & alioquin nullo modo verum est, baptismum modo quo ibi dicitur collatum, esse validum.

Opponi etiam posset Stephanus Papa, de quo ita Baro. ad an. Christi 34. §. 248 *Cæterū ex Ecclesiæ antiqua traditione ratum fuisse baptismum in nomine tantum Christi collatum, scripsisse Stephanum Rom. Pontificem, idem Cyprianus in epi. ad Iubaianū, licet ab eo dissenserit, aperte testatur.* Verum Cypr. neque in ea ep. quæ numero est 73. neq; ullo alio E loco id pronuntiat de Stephan. sed nec Stephanus id aliquando sensit. Quod de Stephano apertè refert Cypr. est; ex antiqua traditione valere Christi baptismum etiamsi ab hæretico sit collatus. Et quia Cypr. in illa ep. 7. multis deducit non esse verum baptisma, quod in solo Christi nomine confertur: hinc accidisse videtur quod Baron. existimaverit Cyprianum in illa deductione, Stephani sententiam referre, & ab ea dissentire. Verum Cypr. tacitæ tantum objectioni quæ ab aliquo fieri posset, occurrit, non etiam dicit Stephanum ita sensisse. Cypr. verba sunt, *Non est autem quod aliquis ad convenientiam Christianam veritatem, Christi nomen opponat, ut dicat; In nomine Iesu Christi ubicumque quomodocumque baptizati, gratiam baptismi sunt consecuti &c.*

### Articulus VII.

*Baptismus non necessariò per immersionem datur.*

Art. 7. tradit baptismum: non necessariò tradi per immersionem: Cùm enim ejus proxima materia sit ablutio; hæc autem fieri possit etiam per effusionem, vel aspersionem; illi modi sufficiunt ad baptismum. Fuit quidem olim communiùs frequentata immersio, etiam tempore sancti Thomæ, ut ex hoc art. colligitur: quod tamen & tunc baptizatum fuerit per aspersionem, & effusionem, liquet ex Cyprian. epistola 76. ubi irritum illum confirmat ex scripturis, Numerorum 8. 19. Ezech. 36. *Aspergam* (sive ut nos habemus) *effundam super vos aquam mundam.* Sed & cùm Apostoli Act. 2. & 4. baptizaverunt uno die tria, altero quinque millia, quod aspersione, vel effusione baptizaverunt, probabilius est, aspersione, inquam, non qualis fieri solet in Ecclesijs dum populus aspergitur aquâ benedictâ, hæc enim multos non contingit, nisi in vestibus, aut capillis; sed quæ singulis adhiberetur, uni per unum, alteri per alium, sive discipulum, sive Apostulum. Quæ cum ita sint, unusquisque; servet ritum suæ Ecclesiæ. In manualibus, Cameracensi, Mechlinensi, Atrebatensi, Iprensi præscribitur effusio.

Ex his sequitur primò, tantum aquæ, & eo modo adhibendum esse, quantum, & quo modo sufficit, ut quis moraliter censeatur ablutus, aquâ perfusus, aut tinctus. Et propterea; si unâ tantùm, vel alterâ solùm aquæ guttâ corpus aspergatur; etsi probabile sit fore baptismum, quidam tamen meritò dubitant.

*Aqua debet contingere corpus.*

Sequitur secundo necessarium esse ut aqua tangat immediatè corpus, quia alioquin non censetur homo ablui. Hinc, si vestes, aut capilli tantum aspergantur; non erit baptismus. Et si solum caput pueri prodiret ex utero matris, velatum pelliculâ, quam vocant galeam nativitatis, deberet pellicula illa dividi, ut aqua posset pertingere ad caput; alioquin non daretur verus baptismus. Nec obstat quod is salutariter accipiat aquam benedictam, cujus solæ vestes asperguntur: Id enim esse potest ex eo quod aqua benedicta valet ex intentione, & precibus Ecclesiæ, atque ex pio motu suscipientium: baptismus autem est Sacramentum, quod non perficitur nisi fiat ablutio, vel tinctio.

Circa responsionem ad 3. nota quòd communiter caput sit abluendum, in quo fundantur omnes sensus. Si tamen propter alicujus gravis nocumenti periculum, ablutio fieret in scapulis, vel pectore; videtur sufficere. Quid autem sit de baptizando puero nondum ex utero egresso, qu. 68. art. 11. dicetur.

*Quæst.*

Quæritur hic à quibusdam, an ubi adhibetur immersio, necessaria sit emersio? Sententia probabilior negat: quia possunt adesse materia & forma *Resp.* per ministrum adhibita: etiamsi contingat puerum qui baptizatur, elabi è manibus immergentis, & post formæ prolationem suffocari. Quo casu ejusmodi puer verè erit baptizatus: sicut esset, etiamsi per infusionem aquæ submergeretur, & quando baptismus datur per immersionem, si contingat ministrum finire formam, ac nihilominus adhuc retinere

Universidad de Deusto
Biblioteca



nere infantem in aqua; Sacramentum tenet, antequam ipsum levet: ergo emersio non est de essentia. Quò pertinet quod forma nihil de emersione significet. A

Cæterùm, si quis spontè projiceret puerum in flumen, aut puteum: & volens eum baptizare, proferret formam; incertum est an esset baptismus: partim ob diversitatem sententiarum apud Gabrielem, & Richardum in quartum, distinctione quarta, Scotum distinctione quinta, Paludanum distinctione sexta, Sylvestrum verbo *baptismus* 4. quæstione decima; partim quia talis ex modo agendi non videtur propriè infantem velle abluere, vel intingere, imo nec immergere: & ideo talis si superviveret, esset ut minimum baptizandus sub conditione. Si autem non supervivat, sacra sepultura donandus est; quia probabiliter dici potest esse baptizatus, quandoquidem projiciens ponatur voluisse eum baptizare. Addunt autem Gabriel, Paludanus, Richardus fore baptismum, si puer mittatur in aquam per calathum vel quid simile: quia non est necesse ut baptizans tangat aquam, modò illa per ipsum adhibita tangat baptizatum. B

Si quæras, An puerum jamiam sine baptismo moriturum liceret in flumen vel puteum projicere, ut sic baptizetur & salvetur, si non suppetat alia via eum baptizandi. Resp. Neg. certa est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; Innocentem autem occidere malum est. Utrum verò sit omittendus baptismus pueri qui timetur celerius propter ablutionem morituru: Dicendum est non esse: sive quia ille casus vix est ponibilis, cum modica aspersio aquæ tepidæ quæ potest adhiberi, moraliter loquendo non possit esse tam noxia; sive quia minima mortis acceleratio non est curanda, sed pro nihilo reputanda. Si tamen ablutio esset omnino vel mortem allatura, vel notabiliter acceleratura, esset abstinendum. Vide Sotum in 4. dist. 3. art. 8. C

## Articulus VIII.

*Non est necessaria trina immersio vel ablutio.*

Art. 8. docet ad baptismi essentiam non requiri trinam immersionem, quia sufficit una sive immersio sive ablutio, quæ est proxima materia. D

Circa Resp. ad 2. adverte Pelagium Papam capit. *Multi.* de consecratione, distinctione quarta verbis ar. 6. citatis, per se & directè solùm voluisse docere, quod ad baptismi substantiam requiratur expressa invocatio Trinitatis; ut patet ex collatione ipsius capituli cum c. *Solent reverà.* Sed quia illo tempore consuetum erat tres personas tribus immersionibus invocari: ideo Pontifex trinam immersionem, trium personarum invocationi conjunxit. tametsi non sit utriusque par necessitas, unde quod dicit, Evangelicum præceptum, referri debet solùm ad illud proximum, *In nomine Trinitatis*, non ad remotius, & secundarium, *trina etiam immersione.* E

*Cur variata immersio una vel trina.*

Nec obstat quòd trina immersio sit Apostolicæ traditionis, ut constat ex can. 40. Apostolorum, & ex Basil. c. 27. de Spiritu sancto: Est enim traditio ut cæremoniæ sacræ pro tempore, & loco ubi viget, observandæ, atque adeò variabilis, nam ut ex Gregorio l. 1. epistola 41. colligitur, in primitiva Ecclesia contra eos qui de Trinitate malè sentientes, Christum dicebant esse purum hominem, atque ita unâ immersione baptizabant in commemorationem mortis ejus; statutum fuit ab Apostolis; ut in nomine Trinitatis fieret trina mersio. Posteà vero decretum fuit in Concilio Toletano 4. can. 5. ut servaretur unica mersio; partim in detestationem erroris eorum qui rebaptizabant, ut ait hîc B. Thom. partim ne Catholici viderentur approbare assertionem hæreticorum, qui divinitatem dividebant in tres naturas; ut ex Gregorio colligitur; & ex Alphonso l. 3. contra hæres. hæresi 2. verùm quia ejusmodi causa jam cessat; graviter peccaret qui Ecclesiæ suæ ritum non servaret, qui in istis provincijs est per trinam infusionem, præscriptam in quatuor manualibus ar. 7. memoratis; vel alibi, per trinam mersionem.

Circa Resp. ad 3. observa eum qui juxta Ecclesiæ intentionem ter immergendo baptizat, tunc absolvere essentiam baptismi quando forma finitur; Et ideo si contingat puerum mori post pronunciatam integrè formam, necdum tamen ablutionibus duabus, aut tribus completis; est verè baptizatus, & Ecclesiasticâ sepulturâ donandus.

Quod autem B. Thom. in quartum, distinctione tertia, arti. quarto q. 3. ad 3. dicit non perfici Sacramentum nisi in tertia immersione, & quidem cum ordine ad præcedentes; intelligendum est in eo casu, in quo vel forma non est integrè pronuntiata ante tertiam immersionem: vel fortassis quando baptizans intendit sic ter immergere, ut nolit Sacramentum perficere nisi completâ tertiâ immersione.

## Articulus IX.

*Baptismus non potest rebaptizari.*

Art. 9. probat baptismum non posse repeti: ità scilicet ut & illicitum sit baptismum repetere; & si attentetur: sit irritum.

Primò, quia unius tantum est una generatio: baptismus autem est spiritualis generatio.

Secundò, quia Christus tantum est semel mortuus: baptismus autem gerit similitudinem mortis Christi; non absolutè sicut sacrificium Eucharistiæ, quod frequenter iteratur: sed quatenus Christus semel mortuus, ad vitam beatam resurrexit non amplius moriturus: & quatenus is qui baptizatur, in se habet similitudinem mortis, & resurrectionis Christi, dum moritur peccato, & surgit in novitatem vitæ. *Rom. 6.*

Tertiò, quia baptismus imprimit characterem indelebilem, daturque cum quadam consecratione. Res autem semel consecrata, quamdiu manet, ulterius consecrari non potest.

Quartò, quia baptismus ordinatur contra peccatum originale, quod non est nisi unum in singulis.

Quintò, quia traditio ab Apostolis accepta sic habet, ut constat tum ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, tum ex Sancto Leone epistola 79. cap. 7. Cyrillo Jerosolymitano in catechesibus illuminatorum, Augustin. in libris contra Donatistas, Anselm. in cap. 4. ad Ephes. Item Ex cap. *Non licet*, & cap. *Rebaptizare*, de cons. dist. 4. Et ex Concilijs tum Florentino, tum Tridentino.

Eodemque pertinet illud ad Hebræos sexto, *Impossibile est* &c. *rursus renovari*, juxta interpretationem Ambrosij l. 2. de pœnitentia c. 2. Chrys. & aliorum in eam epistolam. De quâ interpretatione quæst. 84. ar. 1.

Adfertur



Adfertur & locus Apostoli ad Ephesios 4. *ubi dicitur, unum baptisma*: Verum ex his verbis non potest efficaciter concludi baptismum ita esse unum, ut non possit repeti. Sicut enim Apostolus dicit unum baptisma, ita dicit unam fidem; quæ tamen & amitti potest, & amissa recuperari. Quare juxta S. Hieronymum & Beatum Thomam, in commentario, iste locus videtur literaliter explicandus de unitate specifica, & essentiali, ut sicut est una fides, quia omnes fideles idem credunt: ita sit & unius communis fidei unum Sacramentum, quo fidem suam profitentur: quia omnes eundem baptismum recipiunt, quicunque sit qui baptizet; & omnes baptizantur eodem modo scilicet, cum invocatione unius sanctæ Trinitatis. Vide hujus qu. ar. 11. B

*Scienter rebaptizare est grave peccatū.*

Ex his facilè colligitur esse peccatum iterare baptismum, & quidem gravissimum, tam ex parte baptizantis, quàm ex parte baptizati: tum quia repugnatur institutioni baptismi, dum adhiberi tentatur subjecto incapaci: tum quia agitur contra reverentiam Sacramenti tanquam semel datum esset insufficiens: tum denique, quia repugnatur significationi baptismi, per quem Christo commorimur: qui semel tantum pro nobis est mortuus.

## QUÆRITUR HIC I. C

### *Quæ sit pœna iterationis baptismi.*

Non quæritur de civili, quæ est pœna capitis; sed de Ecclesiastica. Quæ non videtur esse irregularitas: quia hæc non incurritur, nisi in casibus à jure expressis: nullum autem jus decernit irregularitatem iteranti baptismum.

*Irregularitas est pœna iterantium baptismū.*

Resp. scienter rebaptizantem esse irregularem. In cujus confirmationem adferri solet c. 1. *De apostatis* lib. 5. decret. ubi Alexander 3 irregularem decernit acolytum, eò quod astiterit, & respondendo ministerium exhibuerit presbytero baptizanti cum qui prius fuerat baptizatus. Quamvis enim baptizanti nulla ibi pœna decernatur expressè, à fortiori tamen colligitur. Quæ collectio etsi formaliter non valeat ob rationem in contrariam partem allatam; valet tamen ob usum, & consuetudinem, quæ est optima legum interpres, unde non solùm Sylvester, Navarrius c. 27. num. 246. & alij Casuistæ, sed communiter Juris interpretes cum Theologis, asserunt ejusmodi esse irregularem. D

*Quæst.*

Utrum verò, hæc irregularitas impediat usum ordinis suscepti, an verò solùm ascensum ad ordines superiores controvertitur. Suarez disput. 31.

*Resp.*

sect. 6. & Cabrera scribens ad hunc articulum, posterius amplectuntur, idque rationabiliter, quia prædictum ca. de Apostatis solum decernit quod *ad superiores ordines promoveri non valebit*, & quia subjungitur, *Si crimen sit occultum; poterit promoveri*; probabile est quod ex vi illius textus non contrahatur irregularitas, nisi crimen sit publicum: ob receptam tamen in Ecclesia consuetudinem, verius videtur ipso facto incurri, etiam dum crimen est occultum. Vide Scotum in 4. distinct. 6. quæst. 8. E

Cæterum, hæc omnia de illo sunt accipienda qui scienter, & absolutè rebaptizat, quantum quidem in ipso est. Qui enim post adhibitam moralem diligentiam, eum de quo dubitatur an legitimè sit baptizatus, bona fide baptizat sub conditione, nullam culpam committit; atque adeò nec irregularitatem incurrit, quæ propter culpam hac in re decreta est. Imò obsequitur decreto Alexandri 3. de baptismo c. 2. *De quibus dubium est an baptizati fuerint; baptizentur, his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed nondum es baptizatus, ego te baptizo &c.* Quæ conditionalis seu per debet exprimi, quando dubium est notum, & baptismus administratur solemniter: quando autem est secretum, & ministratio fit privatim; satis quidem esset quòd mente conciperetur: meliùs tamen est exprimere, omninoque exprimendam censemus, quando illi qui baptismo assistunt, sciunt, vel scire possunt esse dubium.

*Qui sub conditione baptizat cum de quo dubitatur an sit baptizatus non peccat.*

Qui verò sub conditione baptizat eum de quo non est dubium quin ritè sit baptizatus; graviter quidem peccat: veriùs tamen est quòd non incurrat irregularitatem; ut Nugnus, & Cabrera docent ex Navarro dicto num. 246.

Primò, quia talis irregularitas nec est in jure, nec in consuetudine.

Secundò, quia sic baptizans non habet intentionem rebaptizandi, imò nec baptizandi, nisi supposito quòd baptismus non fuerit antea valide collatus.

Tertiò, quia pœnæ sunt restringendæ.

Quartò, à simili, nam is non incurreret excommunicationem latam adversus contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, qui sub hac conditione contraheret: Si es mihi consanguinea, non contraho tecum matrimonium: si verò non es, contraho: ergo nec in præsenti casu fieret irregularis sub ejusmodi conditione baptizans: præsertim cum talis conditio tollat intentionem rebaptizandi, & suspendat actum.

Non ignoramus quosdam aliter sensisse, dicentes eum qui conditionali baptismo utitur, cum non est dubium an puer sit ritè baptizatus, sacrilegium committere; & irregularitatem incurrere. Sed cum illi non alio nitantur fundamento, quam c. 2. l. 3, decret. tit. de Baptismo, & ejus effectu: illic autem Pontifex non decernat irregularitatem, imò nec eam comminetur, ut patet ex verbis jam ante ex Alex. 3. recitatis; clarum est non valido illos niti fundamento.

*Per ignorantiam rebaptizans non peccat.*

De illis verò qui per ignorantiam rebaptizant, dicendum est eos à culpâ, & pœna excusari, quando inculpabiliter ignorant, sive sit ignorantia juris, sive facti.

Nec obstat ca. *Qui bis*, de consecr. d. 4. ubi ex ignorantia rebaptizati non jubentur pœnitere, vetantur tamen ad ordines promoveri. Sermo enim est de ignorantia culpabili: pœnitentia autem quæ dicitur non esse illis injungenda, intelligitur canonica septem annorum, vel publica, & solemnis. Adde, cap. illud non esse alicujus summi Pontificis, sed Theodori Episcopi Cantuarienfis.

De illis qui scienter se rebaptizari faciunt, vel permittunt; certò dicendum est quòd sint irregulares, etiam sic ut susceptis ordinibus fungi non possint. In c. *Confirmandum* dist. 50. c. *Qui in qualibet*, prima q. 7. cap. *Eos*, de consecratione distinctione quatta.

Quid sit autem de ijs qui per metum coacti, vel rebaptizant, vel rebaptizantur; sic potest explicari. Si cum intentione baptismum dandi, vel recipiendi id agant, vel patiantur irregularitatem incurrunt: quia sunt voluntarij. Si verò solum ritum externum exhibeant, vel recipiant sine

Universidad de Deusto
Biblioteca



tali intentione: non sunt irregulares, quia non intendunt iterationem baptismi. Sicut nec ille est excommunicatus, quamvis graviter peccet qui fidem corde retentam, ore abnegat, nec obstat Ecclesiam punire actus externos: eos enim punit ut procedentes ab interiori.

## QUÆRITUR II.

### *Sitne irregularis qui baptizatum domi ab obstetrice, postea sub conditione baptizat.*

AFFIRMANT non pauci, eosque sequuntur quarundam diœceseon Manualia, propter cap. *De quibus*, tit. de baptismo.

*Resp. non esse.* RESPONSIO tamen negativa verior est, partim ob rationes superiori quæsito allatas: partim quia cap. illud solum statuit quâ formâ conditionatâ sit utendum, quando dubium est de baptismo; nullam autem facit mentionem irregularitatis, ut jam quæsito superiore diximus.

*Quæst.* Cæterum, etsi qui baptizatum domi ab obstetrice, postea sub conditione baptizat, non sit irregularis: quæritur tamen an peccet.

*Resp.* Verius arbitramur non peccare; quia semper licet eâ formâ conditionatâ uti, quando est dubium de baptismo ritè collato: Quando autem obstetrices domi baptizarunt, semper est ejusmodi dubium, ne vel subito necessitatis casu turbatæ aliter quàm referant, dixerint, vel fecerint: Aut ne semel & iterum deprehensæ quod benè baptizarint, deinceps malitiosè errent, ac nihilominus asserant se more solito baptizasse. Experientia enim notum est, multas in materia, vel forma errare: interdum per ignorantiam, vel turbationem: interdum verò per malitiam, dæmoni scilicet subservientes, sive quia sunt sortilegæ, sive ob aliud.

Ut igitur parvulorum saluti consulatur, securius est eos, tametsi ab obstetricibus domi baptizatos, posteà baptizare sub conditione: *nec potest in iterationis crimen venire, quod factum esse omninò nescitur*, ait S. Leo epistola 37.

Hinc Molanus suæ practicæ tractatu quarto, c. 3. sic loquitur: *etsi obstetrix asserat se baptizasse infantem: potest tamen cum in templum defertur, sub usitata conditione baptizari.*

Pastorale autem Mechlinienſe sic habet: *Si re diligenter perquisitâ dubium fuerit utrum puer sit baptizatus, vel si sit baptizatus ab obstetrice: sub conditione baptizetur.* Et iterum, *Conditionalis baptizatio facienda est circa infantes qui ab obstetricibus baptizati referuntur.* Consentit & synodus Iprensis sub Martino Rythovio, tit. 12. c. 5.

*Quæst.* Horum occasione quæritur: An ergo is qui post viginti, triginta, vel quadraginta annos intelligit se domi baptizatum fuisse, cum esset puer, debeat nunc curare se sub cõditione baptizari. *Resp.* RESP. non debere, sed omnem anxietatem, si qua idcirco surrepat, debere deponere, & in Domino, confidere remque totam illi committere. Quamvis enim fuerit domi baptizatus, non scit tamen quòd illic malè baptizatus fuerit, neque etiam pro comperto habet quod non fuerit baptizatus à sacerdote sive parocho sive alio, in Ecclesia vel in domo. Incipere autem nunc dubitare, quando nullus respondere potest, nullo modo est consultum: Quin potius ita debet deinceps in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & nominis Christi professione perseverare ac Sacramenta reliqua suscipere, sicut hactenus fecit & sicut decet Christianum. Memor sit ejus quod Innoc. 3. ca. *Veniens*, de presbyteto non baptizato respondit: De illo qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimus forsitan argumentis contrarium probetur.

## QUÆRITUR III.

### *An baptizatum ab hæreticis liceat baptizare sub conditione.*

RESP. licere. Quamvis enim verissimum, idque ab ecclesia definitum sit, baptismum nõ ideò esse invalidum, quia est collatus ab hæreticis, ut quæstione 94. articulo nono, probavimus: justissima tamẽ est ratio dubitandi de veritate baptismi ab hæreticis nostri temporis administrati: quia cũ incredibili odio ferantur in ecclesiam; & Sacramentorum formas pervertunt, & materiam contemnunt; & ab Ecclesiæ intentione mentem alienam habent. Imò & invenitur alicubi, alius quidem formam verborum proferre, alius autem abluere. *Sæpè deprehensum est*, ait Molanus, *necessariam eis in baptizando defuisse intentionem.*

Hinc Synodus 2. Provincialis Mechlinienſis, per Paulum quintum approbata in brevi dato an. Dom. 1608. itemque Pastoralia ejusdem diœceseos præscribunt, ab hæreticis baptizatos sub conditione baptizari. *Theol. tract. 4. c. 3. n. 30.*

Est autem in his & in omnibus adultis qui conditionaliter baptizantur observandum, ut cum sic baptizati fuerint, confiteantur peccata post primum baptismum commissa: ne, si fortè primus ille fuisset validus, secundus nihil efficeret, ideoque nec peccata remitteret.

De infantibus autem expositis sive appensum collo scriptum habeant, quo dicantur fuisse baptizati, sive non habeant: secunda est declaratio synodi 2. Provincialis Cameracensis, ut sub usitata conditione baptizentur, nisi aliter constare possit esse baptizatos. Id enim conforme est ca. *Pueros c. placuit*, c. *Si nulla*, de consecratione, distinctione quarta; ne manifestè pereant, in quibus *quod non ostenditur gestum, ratio non fuit, ut videatur iteratum* ait S. Leo.

### ARTICULUS X.

ART. 10. declarat ritus quos Ecclesia observat in solemni baptismatis administratione, convenienter adhiberi. Hujus rei definitio extat in Concilio Tridentino sess. 7. canone 13. de Sacramentis in genere. Legendus est B. Thom. tum hoc ar. tum qu. 71. seq. & conferendus Catechismus Romanus, à quæst. 45. de baptismo ad 60. Et Cardinalis Bellarminus lib. 1. de baptismo ca. 24. & seq.

### ARTICULUS XI.

ART. 11. probat convenienter describi tria baptismata, fluminis, flaminis, sanguinis: Quia cum baptismus aquæ habeat efficaciam, & à passione Christi, & Spiritu Sancto: potest quis *Tria sunt baptismata.*



quis per confirmationem ad Passionem Christi, & per Spiritus Sancti virtutem interius operantem, consequi gratiam, & remissionem peccati originalis. De baptismo fluminis supra egimus, & in sequentibus agemus.

Baptismus flaminis est vera cordis contritio includens votum baptismi, eaque ratione delens originale peccatum.

Baptismus sanguinis est Martyrium pro Christo toleratum, antecedens baptismum aquæ, & vicem ejus supplens.

Appellatio prioris à Scholasticis sumpta videtur ex Matth. 3. *Ille baptizabit vos Spiritu Sancto.*

Posterioris autem ex Marc. 10. *Potestis bibere calicem quem ego bibo: aut baptismo quo ego baptizor baptizari.* Et Luc. 12 *Baptismo habeo baptizari* &c. Porrò cùm solus baptismus aquæ simpliciter sit baptismus, veramque habeat Sacramenti rationem; reliqua duo dicuntur baptismata per analogiam, eò quod suppleant vicem Sacramenti baptismi, quantum ad principalem effectum qui est gratia, & remissio peccati; etiamsi non quoad secundarium: qui est character. Qui tamen primarius non sic datur per ea baptismata, sicut per Sacramentum. Ipsum enim Sacramentum illum confert ex opere operato; votum autem baptismi non valet nisi ex opere operantis, tanquam desiderium operis operati. Quo modo autem valeat martyrium, postea videbitur.

Pro Resp. ad 1. neg. est Conſ. Non enim sic dicitur *unum baptisma*, quasi non possint esse plura quæ vocentur baptismata, analogicè, sed quia sicut eadem credunt omnes fideles, ita ijsdem utuntur Sacramentis velut externis fidei symbolis & Ecclesiæ insignibus: ac nominatim uno baptismate, quod peculiariter vocatur Sacramentum fidei, quodque Ecclesia unicum agnoscit omnibus fidelibus commune, habent veram Sacramenti rationem. Ad pleniorem jam dictorum explicationem.

## QUÆRITUR I.

### *An Baptismus Flaminis suppleat vicem Baptismi Aquæ.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia Aug. citatus de consec. d. 4. c. 37. sic habet. *Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum vitam æternam habere non credimus, excepto martyrio.*

SECUNDÒ, idem tract. 13. in Joan. *Quantumcunque Catechumenus proficiat adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad baptismum.*

TERTIÒ, idem Aug. Ep. 180. loquens de tempore persecutionis, *Vbi*, inquit, *si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati.*

QUARTÒ, idem Aug. l. de pec. mer. c. 26. *Sanctificatio*, inquit, *Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum, aut ad peccatorum remissionem.*

QUINTÒ, Ambrosius l. de ijs qui initiantur Mysterijs capite quarto sic loquitur. Credit etiam Catechumenus: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris &c. remissionem non potest accipere peccatorum.

SEXTÒ, Nazianzenus orat. 40. docet eos qui voluerunt suscipere baptismum, & tamen propter inopinatum aut violentum casum non susceperunt, non esse gloriâ cœlesti donandos: ergo baptismus fluminis non supplet vicem baptismi aquæ.

RESP. ad fidem pertinens est, baptismum flaminis supplere vicem baptismi aquæ, ita ut cum is haberi non potest, votum, ac sincerum desiderium recipiendi illum, sufficiat ad salutem. *Baptismus flaminis supplet vicem Sacra baptismi.*

PROBATUR PRIMÒ, quia Scripturæ Ezech. 18. Psal. 50. Isai. 28. Act. 2. ad Rom. 10. promittunt salutem pœnitentibus, credentibus, Deum invocantibus, ejusmodi autem sunt, qui à Sacramento per necessitatem excluſi, ex animo ipsum desiderant.

Si dicas legem, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. esse posteriorem, ideoque derogare prioribus; cùm utraque sint positivæ. RESP. posteriorem esse merè positivam; priores autem sic sunt positivę, ut æquitatem habeant ex lege naturæ, quæ dictat esse congruum, ut & venia detur pœnitenti, & salus eam ex animo petenti: Ac proinde posterior non derogat prioribus; præsertim cùm etiam post latam legem de baptismo scriptum sit, ad Rom. 10. *Omnis qui credit in illum non confundetur: & Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

SECUNDÒ, Cornelius & alij Act. 10. Spiritum Sanctum acceperunt, antequam baptizarentur: ergo per votum baptismi potest Spiritus Sanctus haberi.

TERTIÒ, Conc. Trid. sess. 6. c. 4. cùm declarat neminem justificari posse sine baptismo, aut ejus voto; satis significat justificationem posse alicui contingere non solùm per baptismum re susceptum, sed etiam per ejus votum.

QUARTÒ, Innoc. 3. c. *debitum*, tit de baptis. pronuntiat. de Judæo non verè baptizato quòd *si continuò decessisset, ad patriam protinus evolasset, propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum*, & c. *Apostolicam*, tit. de Presbytero non baptizato, affirmat eum, *quia in Sanctæ Matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveraverit; ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum.*

QUINTÒ, idem affirmat Ambr. scribens de obitu Valentiniani, & Aug. l. 4. contra Donatist. c. 22. *Invenio non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat, posse supplere: sed etiam fidem conversionemq; cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest*, &c. idem ex instituto docet Bern. Ep. 77. citans Ambr. & Aug. & inter cætera ponderans illud Christi, *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*; ubi Christus non addit, *Qui baptizatus non fuerit*, ad significandum quod etiam absque baptismo re suscepto possit quis justificari per fidem vivam, atque adeò evadere damnationem. Addit & rationem: quia quod volumus, pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas.

AD. 1. ARG. RESP. Capitulum illud non esse alicujus authoritatis, cum sit ex c. 74. lib. de Ecclesiasticis dogmatibus. Qui liber (etiam judicio B. Thomæ quodl. 12. ar. 11. & in Catena super c. 1. Matth.) non est Augustini; sed Gennadij Massilienſis: Hic autem Gennadius Cassiani & Fausti. Semipelagianorum sectator, authoritatem non habet.

AD 2. sunt qui respondeant Augustinum loqui de Catechumeno propriâ voluntate baptismum differente, cùm esset opportunitas, cò quod olim,

Universidad de Deusto
Biblioteca



non pauci illum differrent ; vel metuentes post A
baptismum adhuc peccatis inquinari, vel retinentes peccati alicujus affectum. Alij putant eum loqui de onere, id est, reatu pœnæ, quem adhuc gerat catechumenus: & consequenter negare remissionem quoad omnem pœnam. Verùm similitudo subsequens apud Aug. de populo Ægyptiorum submerso in mari rubro, potiùs suadet sermonem esse de peccatis quoad culpam & pœnam. Cumque is qui peccat differendo baptismum, non proficiat in bono; Aug. autem loquatur de proficiente, neque prior solutio videtur satisfacere.

Dicendum est ergo, sermonem ibi esse, non de eo quod in necessitate baptismum excludente accidit; sed de eo quod regulariter & ordinariè fit. B

Ad 3. Resp. hoc esse intelligendum quantum est ex parte ministrorum Ecclesiæ: qui suam præsentiam in necessitate fidelibus subtrahentes, eos quantum in se est, exponunt periculo damnationis. Et quamvis Deus misericorditer subveniat illis qui ad eum sincerè conversi Sacramentum desiderant; non tamen excusantur ministri se subducentes. Adde, quod subinde contingat parocho destituros non sic ad Deum confugere, nec ita Sacramentum desiderare, quo modo facerent ab eo moniti & instructi.

Ad 4. Resp. Augustinum loqui de illo qui potest baptismum suscipere non tamen suscipit.

Ad 5. Ambrosius aut similiter loquitur de il- C
lo, qui, cum sit opportunitas, negligit suscipere baptismum; aut de eo quod ordinariè, vel ut plurimum accidit extra casus necessitatis.

Ad 6. Resp. neg. Conf. sive quia Nazianzenus singularem ibi tradat sententiam, non sufficere scilicet votum baptismi nisi ipse actu recipiatur, cujus oppositа omnino certa est : sive potius, quia ut 1.2.q. 85.ar.6.quæsito 2.ad 8. judicavimus, S. Ille Doctor tantum vult docere, quod non sufficiat qualiscunque voluntas baptismi, ad hoc ut aliquis per baptismum salvetur ; non verò, quod non sufficiat ejus voluntas conjuncta cum vera pœnitentia & sincero Dei amore.

Cæterum, quia nonnulli Patres, ut sequenti D
quæsito patebit, salutem contingere negant nisi vel per baptismum, vel per martyrium : sciendum est quod sub baptismo, baptismi votum comprehendant.

*Quæst.* Si quæras, An hoc quod votum baptismi ad justificationem sufficere possit, solum habeat veritatem in necessitate, quemadmodum verba B. Aug. ex l.4.de baptis. c.22. citata videntur significare :

*Resp.* Resp. neg. tenenda est : potest enim talis esse Dei amor & talis contritio, ut habens votum baptismi, etiam extra necessitatem justificetur. Unde Aug. isto cap.22. significat Cornelium cum suis Actor. 10. justificatum, antequam baptizarentur, scilicet post sermonem Petri Apostoli, E
quamvis nulla tunc esset necessitas. Et cap.24. *Sicut in Abraham præcessit fidei justitia, & accessit circumcisio signaculum justitiæ fidei; ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus Sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lavacro baptismi.*

Ad alia verò B. Aug. verba Resp. ipsum per ea significare, quid communius & certius accidat.

## Art. IX.

### QUÆRITUR II.

*An Martyrium suppleat vicem baptismi.*

Videtur quòd non. In infantibus quidem : quia juxta illud Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit* &c. baptismus adeò est ad salutem necessarius ut Concilium Tridentinum sess.6. ca.4. dicat justificationem primam fieri non posse sine lavacro regenerationis, aut ejus voto. In adultis verò, quia cum sint rationis capaces, ejusque usum habeant, possunt salvari per contritionem sub baptismum flaminis.

Resp. cum B.Th.2.2.q.124.ar.1. & hujus q. ar.11.& 1.p.q.87.art.1.ad 2. In 4.dist.4.art.ult. quæstiuncula 3. & 4. effusione sanguinis propter Christum, gerere vicem baptismi ; & in parvulis, & in adultis. Cùm enim baptismus fiat in similitudinem mortis Christi, ad Rom.6. martyres qui mortem illam nō in figurâ solum referunt, sed reipsâ imitantur; non convenit esse alienos à fructu passionis Christi, præsertim cum scriptum sit, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* Matt.10.& postea, *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Quæ eadem repetuntur, Matth.16. Mar.8 Luce 9.& 17. Huc etiam spectat illud Ps. 9. *Non dereliquisti quærentes te Domine.* Et Eccles. 2 *Nullus speravit in Domino, & confusus est.* *Martyrium supplet vicem baptismi.*

Confirmatur, Nam Ecclesia tum infantes ab Herode occisos, tum alios pro Christo interemptos, celebrat ut martyres, ut patet ex Rom. Martyrologio ad 16. Iunij: quamvis enim infantes Christum non confiteantur verbis, re tamen & opere Christum confiteri possunt, eique in sua passione conformari. Unde Ecclesia canit de supradictis infantibus, quod Dei *præconium non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Ob quam causam, etiam illi essent martyres, quorum matres propter fidem occumberent, in utero illos gestantes, ut Richardus in 4 d.4. post alios affirmat.

Denique huc faciunt PP. sententiæ Aug. l.13. de Civ.c.7. *Quicunque*, ait *etiam non præceptò regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. *alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit : Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cælis.* Et alio loco : *Qui perdiderit animam propter me, inveniet eam,* & l.1.de orig.animæ c.9. *Nemo sit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo.*

Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 3. *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres qui vel sine aqua regno cælesti potiuntur.*

Fulgentius l.de fide ad Petrum, cap.3. *Absque Sacramento baptismatis, præter eos qui in Ecclesia catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam.* Similia sunt apud Prosperum l.sent. ex August. sent. 149. Tertullianum l. de baptismo c. 16. Cyrillum Alexandrinum, sed potiùs Originem l.2.in Levit. Cyprianum epistola 73. & præfatione libri de exhortatione ad martyrium in fine, Bernardum epist.77.

Suffragatur & ratio : Absurdum est aliquem pro Christo



Christo mori, & tamen ab eo in æternum alienari; cùm faciat opus maximæ dilectionis juxta illud Joannis 15 *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis:* ergo qui sic moritur, salvatur. A

Ex his patet Responsio ad argumenta, Concilium enim Trident. cum agat de medijs ad primam justificationem institutis, loquitur extra casum martyrij, & ideo admittit illam exceptionem à generali sententia, quam ipsemet Christus, juxta communem patrum expositionem fecit. Et quamvis adulti justificari possint per contritionem quæ includat votum baptismi ; possunt tamen etiam salvari, mortem sustinendo pro Christo, etiamsi non incidat illis cogitatio de baptismo, & consequenter nec desiderium. B

### QUÆRITUR III.

*Quæ dispositio requiratur ad martyrium.*

Videtur prærequiri status gratiæ: ex 1.Corinth.13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero : nihil mihi prodest.* Hinc B.Thomas ar.sequenti ad 2. *Effusio*, inquit, *sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate,* & 2.2.q.124.ar.2. docet martyrium esse actum charitatis, ut imperantis.

Contra verò, non aliam dispositionem requiri quam ut voluntas actualiter non inhæreat peccato, innuere videtur Author qu. 87. hujus partis ar.1.ad 2. C

*Requiritur contritio & aliquando etiam baptismus.*

Resp. eum qui sibi conscius est peccati mortalis, teneri instante martyrio, per veram contritionem se præparare : &, si est commoditas, præmittere baptismum, si sit catechumenus ; confessionem, si relapsus. Animus enim à Deo aversus debet ei reconciliari per motum aliquem contrarium. Unde Concilium Tridentinum sess.14.ca. 4. affirmat contritionis motum fuisse quovis tempore necessarium ad impetrandam veniam peccatorum. Neque verò martyrij occasio tollit obligationem vel implendi præcepta, vel adhibendi media ad salutem necessaria, cùm ipsum non sit medium per se institutum ad tollendum peccatum, sed magis supponat illud remissum, hominemque esse Deo amicum. Hinc parentes graviter peccarent, si parvulos suos non curarent baptizari cùm possent, etiamsi scirent instare martyrium. Hinc & illud S.Romani ad B.Laurentium : *festina me baptizare:* item etsi non ignoraret se, sicut illum, statim pro Christo occidendum. D

*Virtualis pœnitentia interdum sufficit.*

Porrò quamvis per se necessaria sit formalis pœnitentia, probabile tamen est interdum sufficere virtualem, qualis includitur in eo actu dilectionis, quo quis vult pro Christo martyrium pati: si, dum subitò rapitur, partim ex fervore dilectionis Dei, partim ex oblivione & ignorantia, nō recordatur suorum peccatorum. Nudus autem actus volendi mortem subire pro Christo, si ponatur sejunctus à virtuali pœnitentia, quæ excludit voluntatem peccandi, cum spe veniæ & sincerâ Dei dilectione ; non sufficeret. Si enim baptismus in adulto requirit veram pœnitentiam, multò magis martyrium : cùm ille sit per se institutus contra peccatum, non istud. Neque dici potest illum actum semper habere conjunctam pœnitentiam. Sunt enim multi qui mallent mori quàm fidē vel Chri- E



stum abnegare : cùm nihilominùs alijs mortalibus peccatis sint affecti.

*Qui dormientes occisi, Martyres.*

Ex his sequitur, quod qui dormiens occideretur propter Christum, esset martyr, etiamsi nihil fuisset de Martyrio præmeditatus, si vel esset justificatus, vel ex animo pœnitens, retulisset omnia sua in Deum sicut in finem; non esset autem, sive habuisset voluntatem moriendi pro Christo, sive non, si non erat verè pœnitens: quia in adultis requiritur actus propriæ voluntatis, ratione cujus censeri possit mors pro Christo esse aliquo modo suscepta voluntariè, & ex ejus amore.

Ad arg. verò Resp. charitatem apud Apostolum non accipi pro habitu amicitiæ hominis cum Deo, per quem Filius Dei & hæres regni constituitur; qui est in solis justificatis: sed pro affectu sinceri erga Deum amoris; qualis solet esse in catechumenis & pœnitentibus. Unde qui extra statum gratiæ accedit ad martyrium : si sit verè pœnitens, vel si Deum ex animo diligat ; ejusque honorem quærat; non sine charitate tradit corpus suum. Sed hoc facit is, qui gloriam humanam captans, aut fraterno laborans odio, vel extra Ecclesiam schismatico alicui adhærens, mortem pro Christo patitur.

Sic etiam intelligenda sunt quæ primo loco objiciebantur ex S.Thoma.

Quæ secundo, significant martyrium esse opus maximè aptum quod à charitate inhabitante imperetur : etiamsi aliquando procedat ex solo sinceræ dilectionis affectu.

Quæ tertio, requirunt ut voluntas non inhæreat actualiter peccato, id est, non afficiatur peccato, sed affectum ejus deposuerit per pœnitentiam. Unde in 4. dist. 4. ar. ult. quæstiuncula 4. docet quòd etiam adultis potest in ipso actu passionis gratia dari, sicut & in baptismo aquæ, si se ad eam disposuerint, & obicem aliquem non posuerint : & hujus quæstion.artic. 12.in respons.ad 2. affirmat, quod *effusio sanguinis non habet rationem baptismi si sit sine charitate.* Est autem sine charitate, quando voluntas etsi non inhæreat actualiter peccato, nondum tamen de illo sincerè dolet neq; ullum dilectionis actum exercet : ergo talis voluntas non sufficit ad passionem quæ verè sit martyrium, & vicem baptismi suppleat.

*Quæst.* Utrùm autem necesse sit, quod is qui martyrium patitur, & per hoc excluditur à Sacramento baptismi; habeat votum illius explicitum; ambigitur. Probabile est quod non, quia qui per necessi- *Resp.* tatem excluditur ab impletione legis positivæ, veluti jejunij: non tenetur habere illius votum. Vide D.Estium in 4.d.4.§.21. Dico *explicitum*; nam in dilectione Christi pro quo vult mortem subire, contineri implicitam voluntatem parendi ejus mandatis, & consequenter suscipiendi baptismi, quando erit facultas, non videtur dubium.

### QUÆRITUR IV.

*An Martyrium conferat gratiam ex opere operato.*

Conferre probatur, quia B. Tho. in 4.d.4. ar. 3. quæstiunculâ 3. dicit baptismum sanguinis liberare ab omni culpa & pœna. In Responsione autem ad 1. subdit quod *non habet hoc tantum ex opere operante, sed ex imitatione passionis Christi.* Quibus similia habet d.16. qu.2. art.ult.

Universidad de Deusto
Biblioteca



quæstiuncula 2. ad 3. & hujus partis qu. 87. ar. 1. A ad 2.

*Martyrium valet ex opere operato ad gratiam, eam tamen non confert, sustentat.*

RESP. veriùs videri quòd in martyrio conferatur gratia ex opere operato, quodque martyrium vi sua seu vi operis quod in eo agitur, seu sustinetur, valet ad gratiam percipiendam; ipsum tamen martyrium non tic eam conferat. Posito enim tali opere; Deus gratiam confert absque merito vel ultra meritum patientis; ipsum tamen opus martyrij gratiam illam non efficit, neque ad illam efficiendam operatur instrumentaliter.

CONFIRMATUR PRIMÒ, quia in martyrio confertur parvulis gratia; non ex merito vel ipsorum, vel parentum, vel patrinorum; vel baptizantium; neque etiam ex merito tyranni: ergo ex opere B operato.

SECUNDÒ, Adultis remittitur omnis pœna; non ex merito vel dispositione ipsorum; quia possunt multi confessores habere intensiorem charitatem, manere tamen obnoxij pœnæ temporali: non etiam ex acerbitate pœnæ; quia subinde non admodum est gravis, respectu peccatorum admissorum: ergo ratione operis operati.

TERTIÒ, Martyrium non est institutum tanquam instrumentum conferens gratiam: ergo illam non confert, etiamsi in eo conferatur. Ant. probatur, partim quia talis institutio neque ex scriptura, neque ex Patribus vel traditione habetur: partim quia martyrium non aliter nunc valet quàm vel Machabæis (2. Machab. 7.) vel alijs C propter fidem aut legem divinam, mortem sustinentibus, olim valuerit: quibus tamen non valebat ut causa gratiam conferens, sed bene ut actus heroicus: partim, quia Sacramentis novæ legis proprium est, quod gratiam conferant, sintque instrumenta divinitus ad hoc instituta.

AD ARG. RESP. B. Thomam non dicere quòd baptismus sanguinis causet, vel operetur gratiam remissionemve peccatorum, sed quòd liberet à culpa & pœna; quatenus nimirum in illo confertur gratia, ad quam valet ex opere operato, passivè, ut loquuntur, sed non activè,

*Martyriũ cur non sit Sacramentum.*

Ex his patet martyrium non esse Sacramentum: PRIMÒ, quia non est causa efficiens gratiæ. D

SECUNDÒ, quia non est signum à Deo institutum ad significandam gratiam sanctificantem.

TERTIÒ, quia non est signum seu cæremonia sacra. Qui enim opus illud agit, non operatur ut Dei minister, sed ut vel tyranni, vel pravæ suæ voluntatis executor, etiamsi is qui patitur, laudabiliter sustineat.

QUARTÒ, quia nullam habet formam verborum à Christo præscriptam, cùm tamen commune sit omnibus Sacramentis novæ legis, habere materiam & formam, formam inquam verborum.

Porrò, quia posset quæri, an martyrium habeat supradictum privilegium solùm ex eo tempore quo Christus dixit, *Qui me confessus fuerit*, &c. ob- E servandum est quòd non: quia illud martyrio tributum est per modum excellentissimi actûs, & propter maximam conformitatem ad Christum, quæ semper inventa sunt in martyrio. Unde Machabæi celebrantur martyres 1. die Aug. sicut & infantes ab Herode occisi.

## QUÆRITUR V.

## *Quo tempore martyrij conferatur gratia.*

NON in instanti mortis, quod sit primum instans non esse hominis: quia tunc anima non est amplius unita corpori, ideoque nec mutationis in statum merendi, capax. Neque in instanti mortis, quod sit ultimum esse hominis: quia, ut ex philosophia constat, res permanentes desinunt per primum non esse.

*Paulò ante instans mortis datur gratia martyri.*

Restat ergo dicendum cum Beato Thoma 2. 2. quæstione 124. articulo quarto ad quartum, gratiam dari in aliquo instanti mortem antecedente, inter quod & mortem ipsam aliquod breve tempus intercedat. Meritum enim martyrij est involuntaria mortis tolerantia, in quantum aliquis voluntariè patitur mortis inflictionem.

*Ob.*

Nec obstat quod tunc martyrium nondum sit consummatum, quodque homo, utpotè viator, adhuc possit peccare, & sic damnari: unde sequi videtur quod non constet an martyres sint salvi, contra illud vulgatum, *Injuria est orare pro Martyre* apud Augustinum sermone 17. de verbis Apostoli, & apud Innocent. tertium c. *Cum Martha*, de celebrat. Miss. Satis enim est quod ita patiatur, ut mors jam sit illa naturaliter inevitabilis. Nam tunc martyrium est apud Deum acceptum, & aliquo modo consummatum: Ipse etiam homo tunc vel ita est viribus & sensibus destitutus, ut peccare non possit, vel sic à Deo regitur, ut infallibiliter non peccet.

*Resp.*

### ARTICULUS XII.

*Baptismus sanguinis est potissimus.*

ART. 12. docet baptismum sanguinis esse inter alia baptismata potissimum ratione effectus quem in eo passio Christi operatur: quia & gratia magis augetur habenti; & amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit: & remissio peccatorum, quamvis non sit plenior (quia uterque, scilicet aquæ & sanguinis, omnem culpam & pœnam tollit) tamen est in baptismo sanguinis efficacior; quia *secundùs maculis non inquinatur*, ut Damasc. dicit. Ita B. Thomas in d. 4. art. ultim. quæstiuncula 4. Hinc Cyprianus epist. 73. *Nunquid potest vis baptismi esse major aut potior quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur & sanguine suo baptizetur?* & præfation. l. de exhortatione ad martyrium vocat hoc baptisma majus in gratia, in potestate sublimius, in honore præstantius. Confer Augustinum lib. 13. de civit. cap. 7. Unde patet, quamvis diversa spectando possit aliquid in uno reperiri quo excellat alterum, & contra; simpliciter tamen esse loquendum prout Beatus Thomas docet.

QUÆ-



## QUÆSTIO LXVII.

### *De ministris Baptismi.*

### ARTICULUS I.

*Non pertinet ad diaconi officium baptizare*

ART. 1. docet non pertinere ad diaconum tanquam ex officio baptizare: quia ejus officium est ministrare sacerdoti in Sacramentorum dispensatione. Hinc l. 3. Constitutionum Apostolicarum apud Clementem c. 11. nullis baptizare permittitur nisi tantùm Episcopis & presbyteris, ministrantibus diaconis: & l. 8. c. 32. expressè dicitur quod *fas non* B *est diacono baptizare*. Idemque ex Isidoro refertur de consec. d. 4. c. *Constat*.

*Ob. Resp.*

Si dicas, in ejus ordinatione haberi: *diaconum oportet baptizare & prædicare*. RESP. id non sic intelligendum, quasi per ordinationem efficiatur ordinarius minister; sed partim quia officium ejus est per modum Catechismi Evangelium explicare & articulos fidei, aliaque capita Religionis Christianæ tradere, ut ad primum dicitur; partim quia per ordinem Diaconatus, fit talis cui possit committi, ut necessitate postulante solemniter baptizet & prædicet, extra quam nihil ei licere certum est. Imò, si baptizarit solemniter absque commissione Episcopi vel Presbyteri, fieret irregula- C ris, per c. 1. *De clerico non ordinato ministrante*, secundum Palud. in 4. d. 5. qu. 2. Sylvest. verbo *Irregularitas*, q. 12. Navarrum c. 21. nu. 7. & c. 27. nu. 242. quia uteretur ordine quem non habet, exercens actum ordinis sacerdotalis. Neque excipitur casus necessitatis: quia nulla est necessitas, cogens ad baptismum solemniter ministrandum. Si verò extra necessitatem baptizaret sine solemnitate; graviter quidem peccaret, irregularitatem tamen non incurreret; quia tunc non ageret ut Sacerdos, ideoque non faceret actũ ordinis. Vide Navarrum.

*Subdiacono committi non potest solemniter baptizare*

An verò committi possit subdiacono solemne ministerium baptismi, quæritur. Posse committi à Summo Pontifice, quidam affirmant, Nugnus D tamen non improbabiliter negat, quia id nunquã legitur factum; & ejusmodi actus videtur pertinere ad ordinem sacerdotalem, vel in casu ad diaconalem. De alijs Pontifice inferioribus, satis certum est eos nihil hac in re posse.

*Quæst.*

Rursum quæri potest, An soli clerici non sacerdotes si solemniter baptizent, fiant irregulares. Videtur enim quod sic, ex titulo supra dicto de clerico non ordinato ministrante.

*Resp.*

Verisimilius tamen negat Paludanus. Nam capitulo *si quis*, in dicto titulo; de non ordinato qui baptizat aut aliquod divinum officium exercet, dicitur ut nunquam ordinetur: & favet notatio Gregoriana quæ dicit in septem Mss. haberi ti- E tulum, *de non ordinato ministrante*. Adde laicos si sic agerent, functuros ordine quem non habent, non minùs quàm clericos.

### ARTICULUS II.

*Baptizare est officij presbyterorum.*

ART. 2. probat quod baptizare pertineat ad officium Presbyterorum; quia habent potestatem consecrandi Eucharistiam: ergo etiam disponendi de illis per quæ quis habeat jus accedendi ad illam: quantum scilicet est ex vi consecrationis, & respectu Sacramentorum quæ com-

A munia sunt populo Christiano, quod additur, propter Sacramentum Confirmationis speciali ex causa reservatum Episcopo. Definita est hæc doctrina in Conc. Florent. dicente, *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos; cui ex officio competit baptizare*. Ac proinde Sacerdotes jure suo hanc functionem exercent: ita ut præsente etiam Episcopo possint ministrare baptismum, ut ex doctrina Patrum & usu Ecclesiæ constat: diacono autem committere, extra necessitatem non possunt.

*Ob.*

Si dicas, ex Tertull. l. de baptis. Hieronymo in dialog. contra Lucifer. c. 4. & alijs Patribus haberi Sacerdotem non posse solemniter baptizare, nisi ex Episcopi concessione.

*Resp.*

Respondet Catechismus Romanus, id de eo baptismo intelligendum qui certis anni diebus solemni cæremoniâ consueverat ministrari. Insuper addi potest, eos loqui de Sacerdote considerato solùm secundùm suam ordinationem, ex quâ liceat habeat quod sit proprius minister baptismi; ita scilicet ut ad hoc, alium ordinem non requirat; potestatem tamen ordine suo utendi; seu jurisdictionem ad licitè baptizandum necessariam, non habet nisi detur ei per Episcopum, vel eum cui ipse commiserit: qualis est Parochus. Hinc est quod non liceat alienum parochianum baptizare, sine speciali facultate.

*Ob.*

Dices, si necessaria est jurisdictio: ergo baptismus sine ea collatus est irritus, sicut absolutio, Respondetur Negando Cons.

*Resp.*

PRIMÒ, Quia jurisdictio solùm hìc requiritur ad bene & licitè, non autem ad esse Sacramenti.

SECUNDÒ, Quia baptizare non est actus jurisdictionis in subditum, sicut absolutio (baptizatus enim is qui est extra Ecclesiam) sed est actus habentis jurisdictionem ad licitè agendum quod agit.

### ARTICULUS III. IV. V.

*Laicus, & mulier possunt baptizare*

ART. 3. 4. 5. probat laicum, mulierem, non baptizatum posse in necessitate baptizare: D quia voluit Christus ut Sacramentum tantæ necessitatis, sicut habet communissimam materiam, ita haberet communissimum ministrum. Hinc Conc. Florent. *In casu necessitatis*, inquit, *non solùm Sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus & mulier, imò etiam paganus, & hæreticus, baptizare potest*.

De laico; extat responsio Joannis Papæ octavi capite *Ad limina* 30. qu. 1. Et de consecr. dist. 4. c. *Constat*, sumptum ex Isidoro, &c. *In necessitate*, ex Augustino.

De muliere, extat responsio Urbani Papæ, 30. qu. 3. c. *Super quòd*.

De pagano, Isidori capitulum, *Romanus*, & Nicolai Papæ c. *A quodam Iudæo*, de consecratione dist. 4.

De hæretico, Pelagij, c. *Solent revera*, eadem dist. 4.

His accedit quod Apostoli baptizarunt priusquam essent sacerdotes; similiterque Judas Apostolus, & puer Athanasius.

Dicendum est ergo, omnem hominem ratione utentem posse baptizare: in necessitate quidem, sine peccato; extra illam verò semper erit validus baptismus, sed peccatum erit, si ministretur ab alio quàm à proprio parocho, vel sine ejus consensu; & quidem ex genere suo mortale.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Sine licentia baptizans non subditum extra necessitatem peccat mortaliter.*

PRIMÒ, quia est usurpatio alieni juris, ait Augustinus libr. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13. A

SECUNDÒ, quia est contra præceptum Ecclesiæ in re gravi.

TERTIÒ, quia fit irreverentia Sacramento, quod ministratur ab eo cui non licet.

QUARTÒ, quia si sacerdos extra necessitatem sine solemnitate baptizans etiam subditum, mortaliter peccat; ut colligitur ex Clementina unica de baptismo: de qua re quæst. 71. art. 4. dicetur: multò magis peccare videtur mortaliter, qui & sine necessitate, & sine licentia baptizat non subditum.

Portò, cùm inter ministros necessitatis, ordo quidam sit, de quo B. Thomas ar. 4. Quæri potest B quàm grave peccatum sit eum invertere.

*Quod peccatum sit non servare ordinem inter eos qui baptizare possunt.*

Satis convenit esse mortale, si absque legitimâ causâ prætermittatur sacerdos præsens, vel qui facilè potest haberi: si autem diaconus, vel unus ex inferioribus, prætermittatur; probabile est esse solùm veniale, modò absit contemptus: aut nullum, si mulier peritior sit laico prætermisso. Cum enim nulli eorum incumbat ex officio baptizare, nec ullus eorum sit proprius baptismi minister; non violatur jus alicujus, neque fit Sacramento notabilis irreverentia. Si tamen (etiam in necessitate) admitteretur paganus, hæreticus, excommunicatus, prætermisso fideli non præciso, non facilè id à mortali excusaretur; tum ob communionem Sa- C cramenti cum alieno; tum ob scandalum, & ob periculum cui exponitur baptizatus, cùm de talium intentione facilè possit dubitari.

*Ob.* Dictis non obstat. PRIMÒ, quod August. l. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13. relinquit indeterminatum, an à paganis datus baptismus sit validus.

SECUNDÒ, quod nemo dat quod non habet.

TERTIÒ, quòd Concilium Elibertinum can. 38. dicit eum laicum posse baptizare in casu necessitatis, qui est baptizatus, non bigamus: Unde Hieronymus c. 4. contra Luciferianos, ideo probat id licere laico, quia ut accipit quis, ità & dare potest.

QUARTÒ, quòd Isidorus 1. qu. 1. c. *Si quis per* D *ignorantiam*, dicit baptizatos à non baptizato debere iterum baptizari.

QUINTÒ, quòd Clemens lib. 3. constitutionum Apost. capit. nono, dicit impium & periculosum esse quòd fœminæ baptizent. Unde Concilium 4. Carthaginense c. 100. *mulier*, inquit, *baptizare non præsumat.*

SEXTÒ, quòd Sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum est ad salutem necessarium, ut non regeneratis ipse baptismus, prout loquitur Concilium Trid. sess. 14. capite 2. cujus tamen minister non est quilibet homo, quantumcunque sit necessitas.

DENIQUE, quòd cùm propter necessitatem E concedatur cuilibet baptizare; videatur sequi quòd extra eam invalidum sit, si attentet; quia deficit causa. Hæc inquam non obstant. Nam,

*Resp.* AD 1. responderi potest: quamvis Augustinus ibi dicat nihil temerè definiendum sine authoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit, eò quod nihil tunc temporis definitum esset; ipse tamen veritati superiùs probatæ subscripsit, dicens libr. 7. contra Donatistas c. 53. se si in Concilio rogaretur, responsurum eos habere baptisma qui ubicunque & à quibuscunque illud accepissent.

AD 2. etsi paganus non habeat baptismum actu habet tamen eo modo quo causa instrumentali dicitur continere suum effectum, quatenus scilicet potest ad illum causandum operari per modum instrumenti. Confer qu. 64. art. 9. ad 16.

AD 3. cum illud Concilium similiter loquatur de non baptizato & de bigamo; nunquam autem fuerit dubitatum quin bigamus validè baptizet; similiter est de altero sentiendum. Sermone tamen illo usi fuerunt Patres ad significandum quòd si inveniatur fidelis non bigamus, præferri debeat infideli vel bigamo.

Idem ad verba Hieronymi respondetur à quibusdam: quæ tamen & aliter possunt explicari, sicut & verba Tertulliani c. 17. lib. de baptismo, ex quo videtur Hieronymus sua desumpsisse; scilicet quemadmodum quilibet indiscriminatim baptizari potest, eò quod baptismus pariter sit omnibus necessarius; ita potest quilibet eum dare:

AD 4. Præterquam quod non sint propria Isidori verba; notatio Gregoriana respondet, illis verbis vel proponi quæstionem, vel falsam alicujus opinionem recitari, cui deinde opponuntur verba sequentia: *Sed Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi; licet paganus sit qui baptizat.*

AD 5. ibi loquitur reprobatur quòd mulieres extra periculum, ac velut ex officio baptizent.

AD 6. etsi Sacramentum pœnitentiæ re vel voto susceptum sit relapsis tam necessarium, quàm non regeneratis baptismus: quoad realem tamen susceptionem, B. Thomas ar. 3. ad 3. respondet baptismum esse majoris necessitatis quàm Sacramentum pœnitentiæ; quia effectus absolutionis potest suppleri per contritionem, effectus autem baptismi non sic potest suppleri in parvulis.

AD 7. causa adæquata cur baptismus à quolibet ministrari possit, est voluntas & institutio Christi, necessitas autem solùm est congruentia.

## ARTICULUS VI.

*Vtrum plures possint simul unum baptizare.*

CERTUM est quod non possint licitè, tum quia est contra consuetudinem Ecclesiæ; tum quia repugnat institutioni Christi, qui sicut est unus, ita voluit unum esse in unoquoque baptizando, ministrum: Sed difficultas est, An si attentent, Sacramentum perficiatur.

RESP. autem est, quandoque perfici; quandoque non. Si enim plures ita baptizent ut omnes aquam fundant & dicant, *nos te baptizamus:* vel accipiunt illud, *nos baptizamus*, conjunctim, ut significent quòd omnes simul baptizant cum dependentia unius ab altero; sicut si dicerent, Nos trahimus navem, quorum nullus posset eam solus trahere; & tunc non perficitur baptismus; quoniam in forma exprimitur intentio repugnans intentioni Christi, qui (ut ex Ecclesiæ usu habetur) voluit ut is qui profert formam, sit integer & totalis minister Sacramenti, actuque perfecto faciat id quod significant verba formæ, quibus dicitur, *Ego te baptizo*, &c. *Resp. cum distinctione.*

Vel accipiunt divisim, ut singuli significare intendant se baptizare totaliter & sine dependentiâ unius ab altero, & tunc est verus baptismus, quia applicatur materia & forma, nec deest intentio necessaria. Nam quod implicitè continetur aliquid non necessarium, scilicet quod alius simul bapti-



baptizet, non vitiat formam, quia talis additio non A est contra substantiam Sacramenti.

Si verò plures sic eundem baptizent, ut singuli utantur hac formâ. *Ego te baptizo*, & singuli per se abluant cum debita intentione, independenter ab alio: is qui prior finiet, baptizabit, & posterior nihil faciet; quia subjectum est incapax: Quod si eodem momento finiant; uterque verè baptizabit, & effectus baptismi erit integrè à singulis: quia uterque sufficienter adhibet necessaria: neque est ratio cur unus baptizet & non alius, aut cur unus impediat alium.

*Quæst.* Quæritur autem an eo casu futurus sit unus baptismus, an plures? Beatus Thomas hîc affirmat *Resp.* fore unum, eique consentit Scotus in 4. dist. 6. B quæst. 2. sive quia fit unica ablutio passiva, procedens à duobus agentibus: sive quia Christus ministerio duorum, unicum perfecit Sacramentum: sive quia subjectum non est capax nisi unius baptismi.

*Ob. Resp.* Nec obstat quòd unus effectus non possit procedere à duobus agentibus totalibus: Aut quod sint duæ ablutiones cum duabus prolationibus formæ: Non enim est absurdum unum effectum procedere ab una causa ptincipali per duo instrumenta non subordinata, sed totalia; præsertim cùm effectus de quo hîc loquimur, non sit naturalis, sed divinus & supernaturalis, sicut si duo judices ad eandem causam à rege constituti in solidum, singuli ferrent simul sententiam, unum tantùm esset judicium pendens totaliter à pluribus. Dein- C de, quamvis ablutiones & prolationes formæ multiplicentur quoad esse rei & Materialiter; non tamen formaliter seu in ratione materiæ & formæ Sacramenti, quia ut sic, ab uno principaliter operante diriguntur ad unum, significant unum, & recipiuntur in uno; & quidem tali, qui non est capax nisi unius baptismi. Denique, dicendo, (ut quibusdam placet,) esse duo Sacramenta; redit eadem difficultas, quomodo per ea unus tantùm character imprimatur; & alia, quomodo sit unum baptisma in uno homine.

Ex his colligi potest sensus quorundam verborum B. Thom. quæst. 66. ar. 5. ad 4. *Actus multiplicantur secundum multitudinem agentium, si perfectè ab unoquoque agantur:* ut scilicet veritatem D habeant in agentibus propriâ virtute; ideoque jam diximus multiplicari ablutiones in genere naturæ, etiam non in genere signi ad unum ordinati per agentem superiorem.

In Resp. ad 3. probat id quod jam dictâ Responsione ad 4. dixerat, non fore baptismum, si uno verba proferente, alter abluat, quia nulla potest adhiberi forma conveniens. Non hæc, *Ego te baptizo*, quia qui proferret, falsum diceret, quandoquidem non ipse, sed alius ablueret, Neque ista *Nos te baptizamus*, quia nec unus eorum baptizat (cùm ad E baptizandum necesse sit, ut qui baptizat, id faciat invocando Trinitatē super suam actionem, quemadmodum Ecclesia semper intellexit verba Christi, *baptizantes eos in nomine* &c. atque adeò exerceat actum in formâ significatum) nec ambo conjunctim, ob eandem rationem, & quia requiritur unus minister repræsentans unum Christum.

Ex his patet non posse etiam verificari formam Græcorum, *baptizatur servus Christi*: tum quia sensus est, baptizetur à Christo per hoc meum ministerium, seu per meum actum quem facio, proferens autem verba nullum actum tunc facere, tum quia non facit eum actum qui in forma significatur.

Si dicas verificari hanc; *ego te baptizo*, quia sensus sit, *Sacramentum ablutionis tibi impendo*: Resp. non verificari, quia minister sic Sacramentum ablutionis impendit cùm baptizat, ut ipsemet abluat seu baptizet. Unde verba significant ministrum etiam corporaliter abluere, ad spiritualem ablutionem conferendam.

## ARTICULUS VII.

*Vtrùm in baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte.*

QUONIAM qui suscipiunt aliquem de sacro fonte, instar ministri se habent; ideò B. Tho. hanc quæstionem tractat inter eas quæ pertinent ad ministros: cùm alioquin pertineat ad quæstionem de cæremonijs baptismi.

RESP. autem affirmativè: quia decet eos qui *Resp. affir.* noviter Christo generantur instrui, doceri, & quodammodo nutriri, ut in vita spirituali proficiant. Ad hoc autem assumuntur patrini, & quidem diversi à parentibus: tum ut baptizato melius provideatur, dum præter eos alij curam illorum suscipiunt, tum ut amicitia propagetur. Non assumuntur autem multi: partim quia quæ multis committuntur, minus rectè tractantur, partim ne crescant impedimenta matrimonij.

A postolicum autem esse institutum, susceptores vel patrinos abhibendi; in baptismo quidem adultorum, patet ex Dionys. Eccles. hierarch. c. 2. p. 2. In baptismo autem parvulorum, ex ejusdem libri c. ult. Et quia est Apostolicum; illi non requiruntur ad esse baptismi, sed ex præcepto & congruentia.

Quid porrò necessarium sit, ut quis sit patrinus, *Quæst.* an scil. requiratur quod alterum corporaliter tangat, teneándo, offerendo, levando, aut simili aliquo modo, quæritur.

Verisimilior Responsio est sufficere, quod is *Quid requiratur ad esse patrinum.* qui à Parocho ad suscipiendum est admissus, declarat verbo & assistentiâ se illum offerre ad baptismum, seque officium susceptoris erga eum acceptare: & de confirmatione similiter. Nam huic *Resp.* responsioni suffragatur Ecclesiarum diversa consuetudo. In pastorali Cameracensi, Mechliniensi, Iprensi, jubetur, patrinis ut apponant manus puero, tunc quando baptizatur: in Atrebatensi verò non jubetur nisi post baptismum, quando vestis candida puero imponitur, & cereus ardens traditur.

Hinc apud Dion. Eccl. hier. c. 2. p. 2. postquam susceptor adduxerit catechumenum ad Episcopum à sacerdotibus exuitur, tenentur; & in aquam deducitur, ac demum postquam fuerit baptizatus, ab ijsdem consignatur seu traditur susceptori. Et huic consonat Ordo Romanus in Sabbatho Sancto asserens quod patrini suscipiunt infantes, levantes eos in manibus suis postquam illi fuerint baptizati, & à fonte surrexerint. Similiterque Alcuinus tradit eos ab ipsis à quibus sunt suscipiendi, demùm post baptismum & orationem statim à baptismo dictam, suscipi.

Rituale autem Romanum etsi baptismum ubi datur per effusionem, ministrati velit, patrino vel matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente: Ubi tamen est consuetudo baptizandi per immersionem, demum post collatum bap-

Universidad de Deusto
Biblioteca



baptismum jubet ut Patrinus vel matrina, vel uterque simul infantem de sacro fonte levent : ergo etsi contactus servandus sit juxta consuetudinem Ecclesiæ, non est tamen essentialis.

*Ob.* Nec obstat Conc. Trid. dicens : *Si alij ultra designatos baptizatum tetigerint, spiritualem cognationem nullo pacto contrahant.* Ex illis enim verbis habetur quidem non sufficere contactum , nisi is qui tangit, fuerit ad hoc designatus: sed non dicitur quod ille contractus sit necessarius.

*Resp.* Porro quæ sit illa cognatio spiritualis , & quò extendatur, dicendum erit in Suppl. q. 56.

Hic autem observandum est olim fuisse statutum, ut in baptismo & confirmatione unus tantùm, sive vir sive mulier baptizatum aut confirmatum susciperet , ut habetur de consecr. dist. 4. c. *In Catechismo*, &c. *Non plures* : postea tamen consuetudine introductum , ut plures admitterentur , tit. De cognatione spirituali in 6. c. *Quamvis*.

Sed novissimè sess. 14. c. 2. in Conc. Trid decretum est, *ut unus tantum sive vir sive mulier, vel ad summum unus & una baptizatum suscipiant.*

Quapropter parochus sciscitari debet , qui sint ad susciendum electi, eosque solos admittere, & eorum nomina scribere : & quicunque admittit duos, non potest admittere nisi sint diversi sexûs , *unus & unâ.* Quod si plures uno & unâ se offerant , nec possit parochus cognoscere qui ad id muneris sint electi; liberum est ei è pluribus unum & unam eligere , eosque patrinos declarare , ut habet Pastorale Mechlinienſe.

Si verò contingat à parocho designari plures , qui propterea baptizatum simul suscipiant : dubium est qui sint patrini quoad effectum cognationis spiritualis. Quibusdam videtur quod nulli , quia Concilium vult nunquam plures duobus eam cognationem contrahere. Verùm , cùm Concilium nihil dicat de simili casu , sed loquatur solùm de illo ubi ex pluribus duo tantùm ( ut fieri vult ) designantur; Navarrus c. 22. num. 39. censet omnes contrahere ; idemque asserit de alio casu , ubi nulli essent à parocho designati, & plures susciperent. Huic consentit Molanus, Vivaldus, Cabrera, Henriquez l. 12. c. 11 num. 3. Congregatio Cardinalium, & favet Concilium, dicens, *Si parochi culpâ* vel *negligentiâ secus factum fuerit , arbitrio Ordinarij puniatur :* cùm alioquin dicendum fuisset *nulli contrahant.* Esset ergo , saltem pro securitate , petenda dispensatio : nec deberet parochus ante illam , conjungere eos de quibus esset hæc difficultas.

### Articulus VIII.

*Qui non possint admitti ad officiū patrini.*

Art. 8. probat susceptores teneri ad instructionem eorum quos de sacro fonte suscipiunt: quia per eam susceptionem assumunt officium pædagogi circa illos quos suscipiunt. Confer Catechismum Romanum , quæst. 22. c. 2. de baptismo. Unde colligi potest non quemlibet promiscuè admittendos esse ad hoc officium. Illi quidem qui non sunt baptizati , nec possunt admitti, nec si admittantur , cognationem contrahunt , c. *In Baptismate* , de consecratione d. 4. & B. Thomas tum hîc ad primum, tum Supplementi q. 56. art. 3. ad 3. Sicut enim baptismus est janua Sacramentorum : ita est principium vitæ & cognationis spiritualis. Adde, quòd satis conveniens est , ut sicut non carnaliter natus non potest habere cognatos carnem , ita non spiritualiter natus non possit habere cognatos spirituales.

Inter baptizatos verò, non licet parentibus proprios filios ad baptismum tenere , 30. quæst. 1. c. *Nosse* cap. *Dictum est*. cap. *Ad limina*. Nisi necessitas contrarium exigat, ait B. Thom. hic ad 2. Nam & illi spiritualem cognationem contrahunt ; præsertim cùm nullos patrinos ab hac cognatione excipiat Conc. Trid. Ita Sylvester verbo *Baptismus*, 5. q. 5. Navarrus c. 16. num. 34. Cabrera hîc. Unde si ambo fierent patrini suæ prolis , neuter posset ab alio debitum petere : utroque tamen casu , deberet reddere is qui rogaretur. Hoc autem intelligendum est, seclusis errore, necessitate, ignorantiâ : Qui enim ex aliqua rationabili causâ vel baptizaret , vel susciperet suam prolem ; non impediretur à redditione vel petitione debiti , c. *Si vir vel mulier*, lib. 4. decret. tit. de cognatione spirituali, & supradicto capitulo. *Ad limina* Quamquam, ut in pastorali Mechlinienſi movetur, quia dum timetur mortis periculum, non est opus patrino ; *ne tunc quidem deberent parentes proprios filios ad baptismum tenere:* secus autē est de ipsa baptismi collatione, quæ est parvulis omnino necessaria. De ea proinde sic legimus in decretis antiquis Camera. ti. 2. *Doceant quoque presbyteri quod si pater &* (pro aut) *mater pueri infantem suum in necessitate baptizarent , non propter hoc dimittant, quin se habeant ut conjuges sicut ante:* quia (ut est in Ritual. Ro. jussu Pauli V. edito ) nullam tunc contrahunt cognationem quæ matrimonij usum impediat.

Insuper ad officium patrini non sunt admittendi, Monachus aut Abbas , c. *Non licet* , de consecratione dist. 4. quod sumptum est ex Concilio Antisiodorensi: & c. *Placuit* 16. qu. 1. quia vacare debent orationi & in silentio vivere. Idem affirmant Sylvest. Vivaldus, Molanus; & alij: ac novissimè Rituale Romanum jussu Pauli 5. Pontificis maximi editum, ita habet; *Præterea, ad hoc etiam admitti non debent Monachi vel sanctimoniales , neque alij cujusmodi ordinis regulares à sæculo segregati.*

His addendi sunt pueri qui nondum habent usum rationis, hæretici, de hæresi suspecti, excommunicati , non confessi aut non communicati in Paschate, peccatores publici; nescientes orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi & Ecclesiæ. Videatur præfatum Rituale, & Synodus secunda Provincialis Cameracensis, & diœcesana anni 1604. Item Atrebatensis, Audomarensis, Iprensis. Hi tamen omnes, si de facto ad susciendum admittantur; cognationem contrahunt, quia sunt participes spiritualis vitæ . & nullum jus hîc irritat factum , quod prohibet faciendum. Præterea deceret Sacramento Confirmationis consignatos esse illos qui ad prolē susciendam admittuntur; id tamen ad cognationem inde contrahendam nō est necessarium.

Cæterùm , etsi susceptores seu patrini simpliciter & secundùm se loquendo , obligentur ut eos quos de sacro fonte susceperunt, instruant seu instrui faciant in ijs quæ ab unoquoque credi oportet; ac etiam in his quæ ad mores Christianos pertinent: ut tum ex B. Th præsenti doctrinâ, tum ex Pontif. Romano liquet, sibi Episcopus statim atq; aliquos confirmavit. Patrinis & Matrinis annuntiare jubetur *quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala & faciant bona & doceant eos , Credo in Deum , & Pater noster , & Ave Maria : quoniam ad hoc sunt obligati.* Quia tamen parentes nunc passim sunt Christiani , & eorum pueri inter Christianos nutriuntur , facilè excusantur patrini à prædictâ curâ ; quamvis si etiam nunc parentes essent infideles , vel si puer inter infideles conversaretur , necessariò deberet patrinus diligenter intendere ejus instructioni , Idemque judicium, si parentes essent corruptis moribus, aut suspecti de hæresi. Quod bene observandum est pro patrinis qui prolem aliquam suscipiunt in Catholicis illis civitatibus , quæ non paucos habent permixtos hæresi infectos.



## QUÆSTIO LXVIII.

*De susciepientibus baptismum.*

### Articulus I.

*Vtrùm omnes teneantur ad susceptionem baptismi.*

*Quæst. 66. ar. 11*

Videtur , quod non. Primò , quia sicut dicitur , *Nisi quis renatus fuerit* &c. Joan. 3. ita dicitur : *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis* , Joan. 6. atqui non omnes tenentur ad sacramentaliter manducandam carnem Filij hominis; ergo neque ad baptismum susciendum.

Secundò, Genesis 17. promittit Deus Abrahæ quòd erit Deus ejus & seminis ipsius : sed omnes fideles sunt semen Abrahæ , non secundùm carnem, sed secundùm spiritum: ergo omnes fidelium filij tanquam qui pertineant ad semen Abrahæ, sunt amici Dei, consequenter justi & sine peccato.

Tertiò , filij parentis fidelis sancti sunt , ut patet ex Apostolo, 1. Corinth. 7. *Alioqui filij vestri immundi essent ; nunc autem sancti sunt:* ergo non egent baptismo.

*Resp. affir.* Responsio ad fidem pertinens, est affirmativa: Baptismus enim est ad salutem necessarius, necessitate quidem præcepti , omnibus qui præcepti capaces sunt; necessitate autem medij, omnibus omnino ( excepto scilicet casu martyrij , de quo diximus q 66. ar. 11.) Hinc Synodus Tridentina sess. 7. can. 5. *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.*

In cujus rei confirmationem sess. 5. can. 4 sess. 6. c. 4. & sess. 7. can. 2. adfert illa Domini verba , *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest intrare in regnum Dei* ; anathemate feriens eum qui ad metaphoram illa detorserit.

Secundò , adferri potest illud Matth. ultimo *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* quia tale datur ibi præceptum Apostolis, quod obligare videatur Gentes ad recipiendum id quod Apostoli jubentur ministrare.

Tertiò , Omne medium quod est per se necessarium ad salutem, cadit sub præceptum, quando potest haberi: tale est baptismus, ut articulo sequenti videbitur : ergo. Hinc Cornelius Actuum 10. tametsi descendisset in eum Spiritus Sanctus , est tamen baptizatus.

Quartò, fides Christi est in præcepto Jo. 3. 8. 15. & alibi; ergo & baptismus, quia est fidei professio, initiatio, & quodammodo janua.

Ex his sequitur quod etsi parvuli non obligentur præcepto baptismi , eò quod non sint capaces ut eis præcipiatur : parentes tamen aut curatores eorum obligentur ad eum illis procurandum, quia est illis necessarius necessitate medij.

Ad 1. Arg. Negatur consequentia : quia verba illa Joan. 6. *Nisi manducaveritis*, possunt intelligi de manducatione spirituali : cujus participes sunt qui baptizantur, eò quod quamvis non recipiant Sacramentum Euchatistiæ , virtutem tamen ejus accipiunt , dum societati fidelium adunantur fiuntque membra corporis Christi. Ita ferè B. Th. q. 73. ar. 3. post Augustinum.

Verùm , quia non putamus sermonem ibi esse de sola spirituali manducatione , ut qu 75. art. 1. etiam ex Augustino probabimus : secunda ratio est, quia per baptismum inchoatur vita spiritualis; omnes autem debent habere initium vitæ spiritualis : sed Eucharistia est necessaria tanquam cibus ; cibus autem illis solis est necessarius, in quibus aliquid deperditur : In illis autem qui non utuntur ratione nihil deperditur, cum non possint peccare actualiter : ergo Eucharistia intelligenda est præcipi & necessaria esse illis solis qui possunt actualiter peccare. Hinc est, quòd cùm Christus universè dixerit, *Nisi quis renatus fuerit* Joa. 3. quicunque scilicet ille sit , sive parvus sive magnus ; non tam universè dicat Joan. 6. *Nisi manducaveritis*: sed, *Nisi manducaveritis*, sermonem suum dirigens ad adultos. Quamquam etsi universaliùs dixisset , intelligendus tamen esset respectu eorum qui manducationis sacramentalis sunt capaces ; quales non sunt omnes: partim quia hæc manducatio requirit probationem, 1. ad Cor. 11. non omnes autem possunt se probare ; partim , quia sicut nemo nutritur corporaliter , nisi sit natus secundùm carnem , ita nec spiritualiter nutriri potest , qui non est natus secundùm spiritum. Hæc autem regeneratio fit per baptismum. Atque hæc est tertia ratio diversitatis , ob quam sermo de Euchatistiâ non potest intelligi tam universaliter , quam sermo de baptismo.

Ad 2. Negatur consequentia. In promissione siquidem Abrahamo facta , vel intelligitur hæc conditio, si eandem fidem profiteatur semen tuum, vel semen accipiendum est secundùm spiritum , ut Filij Abrahæ intelligantur esse , qui fidem ejus imitantur & profitentur. Qui verò ex fidelibus parentibus nascuntur , non sunt Filij Abrahæ secundùm spiritum , nisi baptizentur ; cum enim baptismus sit Sacramentum fidei , in eo demum profitentur fidem Abrahæ.

Ad 3. non significat Apostolus ; quod filij eo ipso justi ac sancti sint , quo nascuntur ex altero potente fideli ; sed quod sint quasi canditati fidei quodque diligentiâ, instructione, & exemplo parentis fidelis quodam modo deputentur ac disponantur ad veram sanctitatem ; cujus non relinquitur spes dum fidelis ab infideli recedit , filijs parentem infidelem sequentibus, vel quia ipse domi maneat , vel quia jubeantur adhærere infideli per potestatem laicam , quæ tunc odio ferebatur in fideles. Simili modo conjunx infidelis per conjugem fidelem sanctificari dicitur, quia per bonam ejus conversationem invitatur ad ejusdem fidei professionem ; secundùm ea quæ habentur, 2. Petri 3. & quæ frequenter accidebant in primitivâ Ecclesiâ. Ita Hieronymus ex Tertulliano ep. 153. Augustinus l. 3. de peccatorum meritis c. 12. & B. Tho. in commentario.

*Ob.* Dices, Apostolus opponit sanctificationem immunditiæ : cum illa verò sanctificatione quæ dicta est, consistit immunditia: ergo non loquitur de tali sanctificatione.

*Resp.* Neg. Conſ. Quamvis enim jam explicata

Universidad de Deusto
Biblioteca



cata sanctificatio non excludat immunditiam A peccati, excludit tamen immunditiam quâ Gentiles eorumque filij peccatis contra naturam polluebantur, torumque conjugalem deturpabant. Ab his ergo immunditijs sanctificantur infidelis matitus, & ejus liberi, quando uxoris & mattis fidelis exemplo discunt abstinere ab ejusmodi, & assuescunt illis rebus quæ modo quodam invitant ac præparant ad Christum.

Notandum verò esse & alteram, eamque valdè probabilem expositionem, quæ verba Apostoli intelligit de vera sanctitate, hoc sensu: Vir infidelis aliquando est per uxorem fidelem sanctificatus, quia per eam ad fidem adductus veram in baptismo sanctitatem accepit. Et similiter filij B talium parentum sancti sunt, quia convertuntur ad fidem ac Religionem Christianam; cùm alioquin, si fidelis infidelem pacificè commanere cupientem desereret, filij essent immundi, quia maneret in sua infidelitate, cum parente infideli. Ad hæc verba sic loquitur Aug. l. 1. de ser. Dom. in monte, c. 16. *Credo jam pervenerat, ut nonnulla fœminæ per viros fideles, & viri per uxores fideles in fidem venirent: & quamvis non dicens nomina, exemplis tamen exhortatus est, ad confirmandum consilium suum.* Tum addit, *Iam erant parvuli Christiani, qui sive authore uno ex parentibus, sive utroque consentiente sanctificati erant.* Et l. 1. de adult. conjug. c. 13. *Sic*, inquit, *ad lucrandos conjuges & filios Christo, etiam exemplis quæ jam provenerant, videtur hortatus.* Eandem expositionem adfert B. C Thom. in Comment.

De Resp. ad 1. vide q. 60. ar. 5. ad 3. & quæ diximus q. 61 1. art. 3.

Circa Responsionem ad 3. advertè quod si modò aliqui sanctificarentur in utero, deberent nihilominus baptizari; tum ut implerent divinum Christi præceptum; tum ut characterem acciperent; tum ut visibili Sacramento incorporarentur Ecclesiæ; tum denique, ut aliorum Sacramentorum essent capaces. Quas ob causas, etiam illi ad baptismum recipiendum obligantur, quibus per votum baptismi contigit sanctificatio; ac insuper, ut plenam remissionem peccatorum accipiant quoad culpam & pœnam, utque securiores sint de D peccatorum remissione. Vide qu. 69. articulo 4. ad secundùm.

## Articulus II.

*Vtrùm sine baptismo aliquis possit salvari.*

Videtur quod sic. Primò, non est nunc angustior via salutis quàm olim: sed ante datam Circumcisionem parvulis sufficiebat fides parentum, ut dicit Gregorius lib. 4. Moral. c. 2. post eam verò credibile est fuisse aliquod remedium pro illis, quibus non poterat adhiberi Circumcisio, quales erant parvuli ante octavum E diem: ergo etiam credibile est esse aliquod remedium pro illis quibus non potest adhiberi baptismus.

Confirmatur, quia sequitur alioquin omnes parvulos in utero materno morientes relictos esse sine remedio: quod alienum videtur ab eo, qui *neminem vult perire.*

Secundò, si parvulis communicari potest culpa originalis, licet adhuc in utero existentibus: quare non esset aliquod remedium quo applicaretur eis meritum Christi, cum id efficacius sit quam demeritum Adami, Rom. 5.

Tertiò, lex baptismi suscipiendi æquè universaliter proponitur adultis & parvulis: sed in illis patitur exceptionem, dum salvatur per votum baptismi; ergo & in his pati potest, ut salventur per votum parentum. Unde Augustinus dicit eos credere per alienam fidem. Confirmatur, Lex baptismi patitur exceptionem in parvulis pro Christo occisis: ergo potest esse & alia exceptio.

Quartò, Pie creditur quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum summus sacerdos Christus suppleret defectum, si per errorem aliquis non baptizatus ordinaretur sacerdos vel episcopus; ipseque alios ordinaret, vel absolveret, ut asserit auctor in 4. d. 24. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. Imò, quibusdam probabile est, quod si ob defectum intentionis in ministro, Sacramentum non perficiatur, Christus hunc defectum suppleat in parvulis, ut patet q. 64. ar. 8. ad 2.

Denique, Bernardus epistola 77. non audet definire utrum antiqua sacramenta valeant parvulis, postquam illa interdicta esse palam constat.

Responsio auctoris ad fidem pertinens est neminem salvari posse sine baptismo re vel voto suscepto. Unde consequens est, parvulis, etiam in extrema necessitate existentibus, nullum superesse remedium, præter baptismum actu susceptum; scilicet *extra casum martirij*. Huc pertinet illud Ioan. 3 *Nisi quis renatus fuerit* &c. Ad quæ verba sic loquitur Ambrosius lib. 2. de Abraham c. ultim. *Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.* Neque satis est dicere sententiam illam intelligendam esse conditionaliter, scilicet si sit possibile; vel, parvulos baptizatos habituros quidem vitam æternam, sed non regnum cælorum: Conditionis enim illius nullum est fundamentum; nec scripturæ vitam æternam agnoscunt, extra regnum cœlorum. Unde Matth. 25. justi, quibus dictum erat, *possidete paratum vobis regnum* postea dicuntur *ire in vitam æternam.*

*Resp. neg.*

*Etiam parvuli non possunt salvari sine baptismo extra casum martyrij.*

Confirmatur, nam Concilium Tridentinum sess. 6. c. 4. definivit quod prima justificatio impij, *post evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.* Damnatum quoque Pelagij dogma fuisse docentis parvulos sine baptismo habere vitam æternam; liquet ex epistolis 89. 90. 91. 92. apud Augustinum; & ex libro primo, de peccatorum meritis cap. 20. quem, ut & secundum, specialiter contra istum Pelagianorum errorem scripsit, ut testatur Hieronymus in fine dialogorum contra Pelagianos.

Hinc idem Augustinus l. 3. de anima c. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus.* Et l. 1. de peccatorum meritis c. 27. *Quoniam de ovibus ejus esse non incipiunt parvuli, nisi per baptismum, profectò si hoc non accipiunt, peribunt.*

Idem affirmantes videri possunt Isidorus l. 2. de ecclesiasticis officijs, cap. 24. Leo epistola 80. Gregorius libr. 7. epistolâ 53. Siricius Papa epi. 1. c. 2.

Quibus accedit perpetua ecclesiæ traditio, fideliumque sollicitudo ad procurandum baptismum parvulis.

Et quamvis non sit negandum, quin Christus possit aliquem parvulum alio modo salvare quàm per



per baptismum re susceptum aut per martyrium A quia tamen ex scripturis & traditione habemus id non fieri; temerarius esset qui parvuli alicujus neq; baptizati, neque martyris, salutem absque revelatione affirmaret. Neq; perendum est à Christo, ut quempiam salvet sine baptismo: sed ut de remedio necessario tempestivè illi provideat; quomodo *S.* Augustinus serm. 33. de diversis, refert orasse mulierem quandam pro parvulo ante baptismum defuncto, non ut salvaretur sine baptismo, sed ut vel ad momentum reviviscceret quo baptizari posset: quod & factum est.

Ad 1. Argumentum Resp. Negando Minorem. Ad verba Gregorij responsum est quæstione 61. articulo 3. Quamquam etsi daretur, fidem B parentum aliquando sufficisse parvulis sine signo exteriori; non propterea salutis via esset nunc angustata, vel fidei virtus diminuta: quia non est inconveniens quod ad maius beneficium aliquid plus requiratur. Pueri autem per baptismum ultra remissionem peccati, statim introducuntur in regnum cœlorum, quod ante baptismi institutionem non consequebatur, unde per Christum non restricta sed ampliata est via salutis, ait Auctor quodlib. 6. art. 4. & aperta janua regni cælestis.

Et quamvis non improbabile sit fuisse aliquod remedium pro parvulis ante octavum diem morientibus, tempore circumcisionis; non sequitur tamen etiam nunc esse aliquod pro morientibus C sine baptismo: quia baptismus quovis tempore potest ministrari, habetq; materiam maximè obviam, & ministrum communissimum, circumcisio verò non poterat fieri ante octavum diem; neque tunc nisi cum difficultate & dolore. Unde jam habemus remedium facilius & efficacius.

Ad confirmationem Resp. parvulos tales, esse sine remedio quod possit eis exhiberi; quantumvis remedium ex se sit sufficiens etiam pro illis, si adhiberetur. Cur autem Deus non provideat illis adhiberi; *quis consiliarius ejus fuit?* Non sine culpâ pereunt; etsi ignoremus cur illi potiùs quàm alij.

Vide Augustinum epistola 59. 105. 106. 107. D l. de dono persever. c. 8. & 12. l. 2. ad Bonifacium c. 7. Greg. l. 27. Moral. c. 2. Fulgentium l. 1. de veritate prædestinationis.

Ad 2. quamvis meritum Christi sit efficacius peccato Adæ, quia confert amplam gratiam, deletque ipsum & alia innumera peccata; non eodem tamen modo applicatur. Peccatum enim transfunditur per generationem carnalem, & ideo contrahitur in utero, ubi fit ista generatio: meritum verò Christi applicatur per generationem spiritualem; & ideò non applicatur in utero, quia generatio spiritualis fit per humanam actionem, quæ solum est extra uterum.

Ad 3. Negatur consequentia: quia talis exceptio fundatur in scripturâ, & Ecclesiæ patrum E doctrinâ, quæ sententiam Christi sic interpretatur, *Nisi quis renatus fuerit*, re sc. vel voto. Dicuntur autem parvuli per alienam fidem credere, sicut frequenter loquitur Augustinus; quia per eam offeruntur ad baptismum, eumq; recipiunt & simul cum eo fidem, atq; ita fiunt fideles per habitum fidei sibi inhærentem. Nam ista aliorum fides non sufficit eis ad salutem sine baptismo re susceptо, uti nec votum parentum: si quidem ibi demum salutare est votum Sacramenti, ubi conjunctum est conversioni mentis. Dispositio enim ad gratiam quæ est in uno, solum juvat ac disponit ipsum, non alium: parvuli verò non habent conversionem mentis in Deum per hoc quod alij pro ipsis baptismum desiderent.

Nec obstat quod dici solet voluntatem parentum reputari voluntatem puerorum. Id enim non est universaliter verum (alioquin prava voluntas patris noceret filio: & baptismus patre nolente datus, esset irritus) sed in ijs tantùm quæ jure gubernationis facit pater pro filio, sic ut filius non possit ea retractare.

Ad confirmationem Negatur consequentia; quia exceptio de parvulis pro Christo occisis habetur ex scriptura & patribus, ut ostensum est q. 66. art. 11. non similiter alia; non possumus autem à generali scripturæ sententia facere exceptionem aliam quàm faciat scriptura vel scripturæ interpretes, patres, & Ecclesia.

Ad 4. Negatur utraque sumptio. Qui enim (etsi per errorem) ordinaretur à non Episcopo, vel absolveretur à non presbytero, nihil fructus inde perciperet; quamvis posset *per contritionem suppleri defectus sacerdotalis absolutionis*, ut q. 67. ar. 3. ad 3. dicit Auctor. Cujus verba in 4. vel sic sunt explicanda; vel dicendum quod ab eâ sententiâ recesserit: Nam id quod ex ar. 8. q. 64. objiciebatur, non probat Auctor, sed rejicit.

Ipsum autem sentire tantâ esse necessitatem bap- *Necessitas baptismi pro parvulis ex sententia B. Thomæ.*
tismi, ut sine illo re suscepto parvuli nequeant salvari, neque per signum crucis, neq; per invocationem Trinitatis, neque per votum parentum, neque per quodcumq; aliud medium, *excepto martyrio*; clarum est ex q. 67. ar. 3. in corpore, & ad 3. ex q. 68. art. 2. ad 3. & art. 3. in corpore, ex quæstione 63. ar. 3. 1. 2. q. 113. a. 2. ad 1. quodl. 6. a. 4. ubi etiã affirmat esse *manifestũ quòd in pueris nondũ habentibus usum rationis non potest esse motus fidei & dilectionis; aut propositum suscipiendi baptismũ: & ideo non possunt salvari nisi per baptismum aquæ, vel per baptismum sanguinis. si propter Christum occidantur, ex quo non solum Christiani, sed etiã martyres fiunt.*

Porro cum ijsdem locis doceat id quod ar. 11. quæst. 56. ostendimus, adultos posse justificari & salvari per votum baptismi; observandum est id quod quæstione sequenti ar. 4. ad 2. asserit, scilicet aliquando sufficere votum implicitum; quale est vel in contrito, vel in eo qui de quibusdam articulis fidei instructus credit etiam illos quos nondum audivit, vultque vitam suam conformare ad eorum præscriptum. Talis enim servare vult omnia mandata; & consequenter, etiam baptizari. Nec putamus solidam esse distinctionem illorum qui dicunt votum implicitum sufficere ad justificationem, sed non ad accipiendam vitam æternam: Primò, quia gratia est sufficiens dispositio ad gloriam; quam proinde voto implicito justificatus, si ita moriatur, accipiet, vel statim, vel post purgationem eorum quæ purganda illi restant, Vt B. Thom. hîc ad 2. significat. Secundò, quia ut quis ingrediatur ad vitam, sufficit quod servet mandata, Matt. 19. talis autem servat illa; alioquin non esset gratus Deo.

Ad Postremum Resp. S. Bernardi verba sic habere: *Parvulis & necdum ratione utentibus, quia sola nocere creditur contagio, non etiam mandati prævaricatio, tamdiu credendum est antiqua valuisse sacramenta, quamdiu palã interdicta non fuisse constiterit. An verò ultrà, penes Deum est, non meum definire,* Quibus verbis non vult Sanctus Pater parvu-

Universidad de Deusto
Biblioteca



los posse salvari sine baptismo, imò nec de eo dubitat, pro tempore quo legalium cessatio & baptismi necessitas est palam sic promulgata, ut passim sciri potest quod illorum observatio sit illicita, quo modo à multis annorum centurijs, posita humana diligentia, sciri potest; sed pro tempore illo judicium suum ferre non vult, quo sub initium promulgationis Evangelij, ubi illud prædicatur, constabat legalia esse illicita; at non similiter idem constabat nec constare poterat, ubi Evangelium necdum potuerat promulgari nec innotescere. Sicut enim solemnis promulgatio Evangelij cœpta in Pentecoste, non ubique simul facta est, sed successu temporis: ita baptismus novæ legis non ubique statim fuit omnibus medium necessarium, sed paulatim & successivè. Confer quæ diximus 1.2.q.103.ar.4.Concl.3.

De verbis in Arg. 2. citatis quædam diximus q.66.ar.11. ad 1.

### Articulus III.

*Vtrùm baptismus sit differendus.*

Videtur quod sic. Primò, quia distulerunt eum Sancti, Martinus, Ambrosius, Augustinus; & usque ad mortem, Constantinus, teste Eusebio libro quarto, de ejus vita c.61. & seq.

Secundò, Confessio non obligat ad statim: ergo nec baptismus.

Tertiò, Non baptizati sunt extra jurisdictionem Ecclesiæ: ergo non obligantur suscipere baptismum temporibus ab Ecclesia constitutis.

Quartò, Nazianzenus orat. 40. judicat expectandum esse triennium, antequam pueri baptizentur.

Quintò, Circumcisio non dabatur ante octavum diem; ergo nec baptismus antea dandus est, ut figuratum respondeat figuræ. Conferantur quæ de parvulis dicuntur ar. 9.

*Resp. neg. pro parvulis.* Respondet Author pueros statim baptizandos, adultis verò certum tempus expectandum: quia hi debent in fide instrui, neque periculum est in aliquanta mora, cùm possint salvari per votum baptismi: Pueris autem aliter subveniri non potest, neque adhuc sunt capaces instructionis. Et quamvis non sint etiam capaces præcepti: eorum tamen parentes & curatores tenentur tum ex charitate, tum ex officio, Sacramentum illud ipsis procurare: non quidem statim, si solum jus divinum spectetur, quod nullum tempus implendi istius præcepti determinavit, statim tamen, si simul cum jure divino considerentur pericula, quæ & frequentia & subitanea sunt, in teneriori præsertim ætate. Unde Author in Responsione ad 1. dicit in pueris semper esse timendum periculum mortis.

Jure autem Ecclesiastico in Synodis diœcesanis frequenter repetito, debent infantes recens nati statim ad baptismum præsentari; ita ut longa dilatio absque magnâ causâ, non careat gravi peccato; quod prudentum judicio, ex rerum circumstantijs & causæ gravitate, perpendendum est. Aliquot verò dierum, ut trium vel quatuor expectatio, modò nullum subsit morale periculum mortis: non est peccatum mortale: sed nihilominus Parochi debent suos parochianos monere, ne differant proles suas ad baptismum offerre, ne quidem propter susceptorum moram: ut saltem intra tertium à partu diem baptizentur. Conferantur Synodi Diœcesanæ, Cameracensis sub Maximiliano à Bergis, Iprensis, sub Martino Rithovio, Audomarensis sub Joanne Six.

Ex quibus illud etiam observandum est, quod Parochis non liceat differre baptismum ex eo quod proles sit illegitima, vel quod ejus parentes ignorentur, aut quod non habeat fidejussorem pro alimentis; prout etiam decernitur in Synodo 2. Provinciali Cameracensi. Inquirere tamen de veris parentibus non est illicitum, imò id faciendum vult Synodus Atrebatensis sub Francisco Richardoto, ut scil. possint eorum nomina scribi, & impedimenta matrimonij cognosci.

*De adultis baptizandis.* Quod attinet ad adultos, fuerunt olim præscripta duo tempora, Paschæ & Pentecostes, in quibus, & non alijs (nisi ob periculum mortis) ministrandum eis erat baptisma: ut ex epist. 1. Siricij Papæ c.2. & epist 4. Sancti Leonis constat, & ex ijs quos adfert Pamelius ad cap. 19. libri Tertulliani de baptismo; atque ex capitulis 11.12.13. 14.15.16.17.18. de consecr. d.4. postquam verò determinata illa tempora in usu esse desierunt; nisi catechumeni sint admoniti expectare unam illarum solemnitatum (quod meritò fieri decet, in Ecclesijs præsertim Metropolitanis & Cathedralibus) ipsi tenentur baptismum petere, statim ut fuerint in fide sufficienter instructi; statim, inquam, id est, quàm primùm commodè possunt. Articulus enim temporis non est hîc indivisibiliter considerandus.

Probatur Primò, quia tempus obligationis præcepti affirmativi colligendum est ex conditione operis: sed baptismus naturâ suâ est religionis exordium: ergo naturâ suâ postulat ut suscipiatur ab initio quàm primùm licuerit; quia homo non potest manere sine religione religionisque professione.

Secundò, Homo tenetur statim credere, & suscipere fidem sibi sufficienter propositam, eò quod ipsa sit fundamentum vitæ spiritualis: ergo tenetur etiam statim suscipere baptismum, qui est Sacramentum fidei, & janua per quam intratur in Ecclesiam, in qua sola est salus.

Confirmatur, quia Christus voluit suos fideles convenire non solum in unâ fide, sed etiam in ejusdem externâ professione & eorundem Sacramentorum communione. Eodem pertinent quæ dicentur in Resp. ad 2.

Ex his patet prauam fuisse consuetudinem eorum qui olim differebant baptismum donec mors instaret; ut interea licentius viverent, & tandem simul & semel ab omnibus culpis expederentur. Contra quos agunt Nazianzenus oratione 40. Chrysostomus homil. 1. in Acta, Concilium Neocæsariense can. 12. ubi tales, si supervixerint, ordinari vetantur. In quâ tamen irregularitate posse Episcopum dispensare ex causis, tradit Sylvester, verbo *Irregularitas* q. 21.

Ad 1. Argumentum Resp. viros sanctos vel non sine gravi causâ distulisse baptismum, vel differendo peccasse, minùs tamen graviter, ob ignorantiam tantæ obligationis. Augustinus lib. 1. confessionum c.11. non probat quod in se factum fuit.

Quod de Constantino narrat Eusebius, confictum fuisse ab Arianis, testatur Nicephorus l. 7. c. 35. Eum enim à Sylvestro baptizatum esse, & non ab Eusebio Nicomedienfi Ariano, probat idem Nicephorus, & manifestum esse potest ex Actis



ex Actis Concilij Niceni, ex Concilio Romano sub Sylvestro. ex epistola Adriani Papæ lecta in 7. Synodo Act. 2. & ex epistola Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem.

Ad 2. Negatur consequentia, quia baptismus non solum datur ad remissionem peccati: sed etiam ut quis charactere Christi insigniatur, ut Ecclesiæ incorporetur, fiatque capax aliorum Sacramentorum.

Ad 3. Negatur consequentia. Licèt enim Ecclesia non possit proprio & speciali præcepto directè obligare catechumenos, quia *in neminem judicium exercet qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus*, ut habetur sess. 14. Concilij Tridentini ca. 2. conformiter Apostolo 1. ad Corin. 5. *Quid mihi de ijs qui foris sunt, judicare?* potest tamen indirectè, quatenus potest interpretari jus divinum, & declarare quod obliget illis temporibus quæ ab ea designantur. Cùm enim jure divino teneantur baptizari, quam primùm commodè possunt: Ecclesia declarare potest quod tunc commodè possint; &, si negligant, peccent contra jus divinum, quamvis prælati Ecclesiæ possint concedere dilationem, interpretando subesse justam rationem differendi. Hæc autem de filijs infidelium dicuntur: nam in filios baptizatorum Ecclesia jus acquisivit, ratione parentum.

Ad 4. Illud Nazianzeni arbitrium alijs displicuit. In ea tamen oratione sectarijs adversatur Nazianzenus: probat enim pueros statim natos, baptizandos esse, si periculum sit.

*Circumcisio cur die octavo.* Ad 5. Consequentiam negant Cyprianus epistola 59. & Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis ca. 5. & lib. 6. contra Julianum c. 3. li. 2. contra literas Petiliani cap. 37. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 11. quia circumcisio fiebat octavo die, propterea quòd esset umbra futuri, significans nos spiritualiter circumcidendos in resurrectione Christi, qui tertio quidem post passionem die, in diebus tamen hebdomadarum quibus tempora volvuntur, octavo resurrexit, significans etiam nos perfectè circumcidendos ab omnibus malis in generali resurrectione. Vide q. 70. ar. 3. ad 3.

Unde non necesse est baptismum suæ figuræ respondere quoad determinationem temporis, sed satis est quod respondeat quoad hoc quod est, esse Sacramentum fidei.

### Articulus IV.

*Qui peccatores baptizandi.* Art. 4. docet baptizandos esse illos peccatores qui peccatorum agunt pœnitentiam; non eos qui retinent voluntatem peccandi. Unde Concilium Tridentinum sessione sexta, capite sexto pœnitentiam ante baptismum agendam esse asserit, modumque illius declarat. Augustinus verò librum scripsit de fide & operibus contra illos qui volebant promiscuè omnes ad baptismum esse admittendos, eò quod populus Israël prius transivit mare rubrum & postea legem accepit, ubi disceret quemadmodum viveret. Quibus respondens capite 11. dicit *ipsam ab Ægyptijs separationem*, quæ transitum præcessit, *significare discessionem à peccatis, quam baptizati profitentur.* Horum occasione quæri potest.

*Quæ dispositio requiratur ad baptismum bene suscipiendum.*

Sufficere solam fidem traditur apud Gratianum de consecrat. d.4. c. *Sine pœnitentia.* Et confirmatur, quia Eunuchus Act. 8. nihil plus dixit quàm, *Credo Filium Dei esse Iesum Christum*, & in hac professione baptizatus est.

Responsio certa est, fidem requiri, sed non sufficere. Prius notum est ex Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

*Non sufficit sola fides.* Posterius probatur, Primò, quia fides, quando est sola, consistit cum voluntate peccandi: *Nullus autem habens voluntatem peccandi, potest simul à peccato mundari; ad quod ordinatur baptismus*, ait hîc B. Th.

Secundò, *Qui non diligit, manet in morte*; talis autem est qui solam fidem habet: ergo etiamsi baptizetur, manet in morte.

Tertiò, Petrus Act. 2. rogantibus quid faciemus: respondit: *Agite pœnitentiam & baptizetur unusquisque vestrùm* &c. Ne dicat autem hæreticus, solius infidelitatis pœnitentiam Petrum intellexisse; meminisse debet quod *alijs etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos dicens, Salvamini à generatione istâ pravâ. In quibus verbis erat mortuorum operum condemnatio*, ait Aug. de fide & operib. c. 8. *& commendatio vitæ bonæ.*

Quartò, *Cùm eorum qui baptizantur, commemorarentur initia* (ad Hebræos 6.) *posita est illi pœnitentia ab operibus mortuis*, inquit idem Aug. c. 11. Vide Tertullianum de pœnitentia cap. 6. & de baptismo cap. 20.

*Adultis necessaria est pœnitentia ante baptismum.* Ut ergo adultus rectè baptismum suscipiat; præter fidem necessaria est illi peccatorum præteritorum detestatio, & dolor; atque adeò vera pœnitentia. *Nullus* enim (ait Augustinus hîc à B. Thoma citatus) *suæ voluntatis arbiter constitutus, potest novam vitam inchoare, nisi eum veteris vitæ pœniteat.* Hinc Synodus Tridentina sess. 6. c. 6. inter adultorum dispositiones ad justitiam, recenset quod Deum *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet.* Nec dissimiliter loquitur B. Tho. q 90. ar. 4.

Ex quibus sequitur quod pœnitentia ante baptismum requisita, debeat esse vera contritio, saltem imperfecta. Id quod confirmari potest ex ejusdem Synodi Trid. sess. 14. c. 4. ubi allatâ definitione contritionis dicit, *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Et quamvis non videatur necesse, ut singulæ peccatorum species, ipsaque peccata singula revocentur sigillatim in memoriam: necesse tamen est, *ut homo sua peccata recogitans de eis doleat*, ait Author art. 6. sequenti.

Ad Argumentum autem Respondetur capitulum illud nullius esse authoritatis; sumptum enim est ex commentario in epistolas Pauli Apostoli, qui Ambrosio ascribitur; est autem viri non bene sani in fide, scilicet Hilarij Luciferiani.

Ad confirmationem respondet Augustinus dict. l. de fide & operibus c. 9. *Quemadmodum scriptura in eo quod ait: Baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda*

Universidad de Deusto
Biblioteca



plenda (cujusmodi sunt interrogationes ad quas A respondere debet baptizandus) *pari modo in eo quod scriptum est evangelizasse Philippum spadoni Dominum: nullo modo dubitandum est & ista in catechismo dicta esse, quæ ad vitam moresque pertinent ejus qui credit in Dominum Iesum.*

Quod in Resp. ad 3. dicit fidem informem non esse fundamentum; intelligendum videtur de fundamento actuali & perfecto, ut sensus sit, fidem informem non esse fundamentum, actu exercens functiones fundamenti; quæ sunt, non solùm esse primum, sed etiam, sustinere structuram & connectere reliquas ædificij partes. Alioquin fides informis potest aliqua ratione dici fundamentum, quatenus sc. est illud primum cui potest spirituale ædificium superstrui, & quod omnino est ad hoc necessarium. Qua de re aliquid dicimus 2. 2. qu. 4. ar. 7. B

## Articulus V.

*Satisfactionis opera non sunt in baptismo injungenda.*

Art. 5. docet non esse injungenda opera satisfactoria peccatoribus baptizatis; quia per baptismum commoriuntur Christo, non solum quia virtus passionis & mortis ejus ibi operetur; (nam & operatur in alijs sacramentis, ubi tamen suscipientes non propriè commoriuntur Christo:) sed quia perfectè configurantur Christo morienti dum regenerantur in novam vitam, & abjecto vetere homine, accipiunt novum esse spirituale; sic- C que illis applicatur passio Christi ad remedium, ac si ipsi passi essent ac mortui; quemadmodum loquitur Auctor ar. 2. q. 69.

Hinc enim est quod non solum omnis culpa, sed etiam tota pœna remittatur; ut possint perfectè mortui esse peccato, & fieri nova creatura.

Quod dicit, *Si satisfactio injungeretur baptizatis, hoc esse injuriam facere passioni & morti Christi* propterea verum est; quia cum in baptismo perfectè applicetur mortis Christi meritum, videretur ipsa non esse sufficiens, si præter eam alia requirerentur.

Quod in Responsione ad 2. dicit nuper baptizatos non esse exercitandos per opera pœnalia: D intelligendum est de operibus difficilioribus, & de eo quod ordinatiè fieri debet. Nam ex causis ut ad corrigendos pravos mores & affectus, ad excitandam devotionem & contritionem, ad impetrandum ne effectus baptismi impediatur ante vel post ejus receptionem possunt quædam injungi: & omnino ad bonam præparationem, moneri possunt ut se exerceant per orationes, jejunia &c. sicut in Gregorio l. 7. epistolarum c. 24. legimus, de consecrat. d. 4. *Ne quod*, impositam quadraginta dierum abstinentiam Judæis qui baptizari cupiebant ante solemnitatem paschalem. Confer Tertullianum de baptismo c. 20. E

## Articulus VI.

*Baptizandi non debent confiteri.*

Art. 6. probat peccatores ad baptismum accedentes non teneri ad confessionem peccatorum sacerdoti faciendam: quia talis confessio ordinatur ad absolutionem; qui autem baptizantur, non indigent absolutione, cùm omnia peccata illis remittantur per baptismum. Cæterum, quia ex Tertulliano ca. 20. de baptismo, Nazianzeno oratione 40. & alijs habetur, apud aliquos fuisse olim observatum, ut baptizandi præmitterent confessionem: sciendum est quod ea non erat sacramentalis; nec ad absolutionem obtinendam ordinabatur, neque sic erat exacta quomodo requiritur ad sacramentum pœnitentiæ: erat autem actus quidam humilitatis, ad instructionem & directionem in vita spirituali. Quæ consuetudo, sicut non erat universalis, ita dudum desijt.

De Responsione ad 1. diximus ar. 3. quæstione 38.

## Articulus VII.

Art. 7. docet in eo qui habens usum liberi arbitrij baptizatur, requiri intentionem quâ velit suscipere sacramentum: quia nemo veteri vitæ moritur, nisi eum pœniteat veteris; in baptismo autem moritur baptizatus veteri vitæ peccati, & incipit novam vitam justitiæ. Potest autem generaliùs quæri.

### *Vtrùm in suscipiente aliquod sacramentum requiratur intentio.*

Et videtur quod non. Primò, quia Aug. li. 7. contra Donatistas c. 53. non dubitat illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesiâ tamen accipiunt.

Secundò, Idem tractatu 26. in Joannem sic loquitur, *Accipere quisquam potest sacramentum nolens; credere non potest nisi volens.*

Tertiò, Innocentius cap. *Majores*, dicit quod, *tunc characterem sacramentalis imprimit operatio eum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*: ergo non requiritur voluntas consentiens, sed satis est quòd non sit contraria.

Quartò, In parvulis non requiritur ejusmodi voluntas; ergo nec in adultis.

Quintò, Adulti mente capti, non habentes intentionem validè baptizantur, ut de sodali suo refert Aug. l. 4. confessionum c. 4.

Sextò, baptizari est quoddam pati; quod autem patitur non necessariò exercet aliquem actum patiatur.

Septimò, Peccatum originale contrahitur sine consensu: ergo similiter potest remitti.

Octavò, Concilium Florentinum dicit, unumquodque sacramentum tribus perfici; materia, forma, & ministro habente debitam intentionem, si etiam suscipientis intentio foret necessaria, debuisset eam exprimere.

Denique, B. Thomas in 4. dist. 6. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 3. dicit in baptizato requiri intentionem solum removentem prohibens, scilicet contrariam voluntatem.

Responsio certa est, quod in recipiente *Resp. affir.* aliquod sacramentum in usu consistens, necessaria sit intentio seu voluntas recipiendi illud; alioquin sacramentum non subsistit: Receptio enim sacramenti est humana; sacramentum autem quod non consistit in re permanente, sed in usu seu applicatione ad recipientem, non potest modo humano recipi, nisi consentiat is qui recipit. Hinc B. Thom. non solùm quod *ex parte baptizati requiritur voluntas sive intentio suscipiendi sacramentum*, hic in corpore, & ad 1. sed in Responsione ad 2. addit, *quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum esset rebaptizandus*, & ar. 12. de amentibus qui habuerunt aliquando usum rationis, pronunciat quod *judicandi sunt secundùm voluntatem quam habuerunt dum sana mentis existerent; &, si tunc*



*tunc nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, non sunt baptizandi* In 4. d. 4. q. 3. ar 2. dicit quod characteris impressionem *voluntatis indispositio non impedit, dummodo aliqualis sit voluntas recipiendi sacramentum.* Cum eo sentiunt Scotus & Bonaventura in 4. d. 4. Richardus d. 6. & alij. A

*Quæ intentio recipientis sit necessaria.*

Confirmatur, Primò, quia cùm Augustinus l. 4. contra Donatistas c. 24. dixisset valere parvulis cùm alij pro eis in baptismo respondent, quia ipsi respondere non possunt; subjunxit: *At si pro eo qui respondere potest alius respondeat; non itidem valet.* Intellexit ergo Aug. adulto consensum esse necessarium, ut valeat ejus baptismus.

Secundò, sequeretur alioquin eum cogendum esse ad religionem Christianam servandam, B qui nunquam præstitisset consensum; quod Innocentius 3. c. *Majores*, de baptismo, Ecclesiasticæ regulæ contrarium esse meritò judicat.

Quæ autem intentio sit eis necessaria, ambigitur, Ex jam dictis certum est non sufficere quod quis neque sit volens, neque nolens: quia talis non habet intentionem recipiendi Sacramentum.

Certum etiam est non requiri consensum actualem, sed sufficere quod is aliquando præcesserit, & moraliter adhuc duret, utpotè non retractatus: Baptizandi enim sunt furiosi, amentes, & dormientes, si periculum vrgeat; modò ante furiam, amentiam, vel somnum, habuerint propositum baptismi: ut patet ex Concilio 3. Carthaginensi can. 34. C & ex dicto capitulo *Majores*, & ex B. Tho. a. 12. hujus quæstionis, & 1. 2. q. 113. ar. 3. ad 1. Hinc Richardus dicta d. 6. *In adultis*, inquit, *habentibus usum rationis requiritur consensus actu vel habitu.* Similiter loquitur Scotus d. 4. q. 4.

Non requiritur ergo tanta intentio in recipiente, quantam ar. 8. q. 64. diximus requiri in conferente: & hoc ideo, quia minister cum sit agens, debet habere intentionem quæ sit principium actûs humani; suscipiens autem est patiens, & ideò sufficit quod aliquando illam habuerit, & non sit revocata.

Sed observandum hæc non procedere in Sacramentis pœnitentiæ & matrimonij. Cũ enim actus D pœnitentium & contrahentium sint materia istorum Sacramentorum; non est satis quod præcesserit voluntas ea recipiendi, & non sit revocata; sed oportet quòd pœnitens sit confessus eo modo quo potest, quodque contrahentes suos consensus verbis aut alijs exterioribus signis exprimant.

Ad 1. Argumentum Respondetur, Augustinum *fallaciam* intelligere non respectu baptismi, sed respectu præparationis; ut ille dicatur fallaciter recipere, qui fictus seu indevotus recipit.

*De ijs qui coguntur ad baptismum.*

Ad 2. duplex est responsio. Una, Augustinum non loqui de illo qui merè per vim coactus baptizaretur omnino invitus & repugnans, sed de illo qui plagis, minis & terroribus inductus baptismum E recipit: ejusmodi autem, etsi secundùm quid sit nolens; hîc & nunc tamen, absolutè vult Sacramentum recipere, quia ejus voluntas talibus modis est ad consentiendum inducta; & propterea recipit characterem: & de talibus Innocentius tertius, dicto capitulo, *Majores*, intelligit decretum Concilij Toletani, in quo qui ad fidem coacti venerant, eam retinere coguntur. Confer B. Tho. in 4. d. 6. q. 1. ar. 2. qu. 3.

Dices, Matrimonium justo metu contractum est invalidum; &, Nemo acquirit jus per injuriam: ergo qui coactus baptizatur, non tenetur parere Ecclesiæ, atque adeò nec ejus baptismus est validus. Resp. negando consequentiam; quia matrimonium, præterquam quod sit Sacramentũ, est etiam contractus; & eâ ratione dispositioni juris subjectus; quod proinde potuit matrimonium sic contractum irritare: baptismus verò solum est Sacramentum, nullo modo pendens à constitutione juris humani. Prælatus autem qui aliquem cogeret ad baptismum, non acquireret jus in baptizatum, per injuriam ipsi factam, sed per voluntariam baptismi susceptionem. Si quis tamen ita cogeretur ad baptismum, ut merè per vim illum reciperet manens invitus, non esset verè baptizatus, ob defectum intentionis.

Altera Responsio est, Augustinum loqui de Sacramento Eucharistiæ, ad quod potest aliquis, sicut & ad Ecclesiam, & ad altare, coactus accedere. Quæ responsio confirmari potest ex ipso contextu, ubi sic legimus: *intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest Sacramentum nolens: credere non potest nisi volens.*

Ad 3. Negatur consequentia, quia in verbis Pontificis ex negatione intelligenda & supplenda est affirmatio opposita; *Cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem sed voluntatem in consensu perseverantem*: loquitur enim de dormientibus & amentibus illis, in quibus moraliter loquendo, necesse est inveniri voluntatem, vel in contradictione persistentem, vel in baptismi propositio permanentem; qui scilicet vel ante somnum & amentiam in contradictione persistebant, vel catechumeni erant, & propositum baptismi habuerant.

Ad 4. Negatur consequentia; quia licet unus sit baptismus parvulorum, & adultorum, singulis tamen est ministrandus, juxta ipsorum capacitatem; & similiter amentibus; de quibus a. 12. Dormientes autem nec licitè nec validè baptizari possunt, nisi ante somnum habuerint voluntatem baptismi, ut ex Concilio 3. Carthaginensi can. 34. & ex Arausicano primo, can. 12. & ex B. Thoma ar. 12. sequenti patet. Unde Innocentius dicto c. *Majores*, dicit quod Ecclesia consuevit in necessitatis articulo baptizare tales dormientes & amentes, qui prius erant catechumeni, & propositum baptismi habuerant.

Amicus ergo Augustini, quamvis, ut ex eo colligitur, nullum expressæ voluntatis baptismi signũ dederat; ex animo tamen priusquam in morbum incideret, baptismum concupiverat; nec eam voluntatem revocaverat, ut ex verbis Augustini colligitur paulò post initium c. ubi illi veram fidem tribuit; & postea, ubi longè aliter animam ejus fuisse affectam dicit, quam ipse Augustinus existimaverat. Confer B. Thomam 1. 2. q. 113. ar. 3. ad 1. & ar. 12. seq. ad 3. & sic patet Responsio ad 5.

Ad 6. Resp. In patiente voluntarie requiri quod habeat vel habuerit aliquam actionem, quâ se disponat ad recipiendam passionem, ut in justificatione adulti.

Ad 7. Resp. Peccatum originale remitti sine consensu propriæ voluntatis in ijs qui non sunt capaces ejusmodi consensûs, modò adhibeatur illis baptismus: In adultis autem qui sunt capaces talis consensus, is debet esse præsens, vel ita præcessisse ut non sit revocatus; tum quia baptizantur etiam in remissionem peccatorum actualium quæ consensu committuntur; tum quia per baptismum fit translatio in novum statum, qui debet voluntariè suscipi.

Ad 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ad 8. Negatur minor; quia Concilium enumerat ea quæ sunt communia omnibus Sacramentis: Intentio autem suscipientis non est necessaria in omnibus: nam ad hoc ut sit Sacramentum Eucharistiæ non requiritur, neque ut sit baptismus in parvulis. A

*Dist. 6. q. 1. art. 2. quæstione 3.*

Ad Ultimum de mente B. Tho. satis constat ex illis quæ superius allegavimus. In loco etiam objecto expresè dicit, quod *in adultis & in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu vel habitu, requiritur & contritio sive devotio ad percipiendam rem Sacramenti, & intentio vel voluntas ad recipiendum Sacramentum.*

Cùm ergo dicit quod requiritur intentio in baptizato *solum sicut removens prohibens contrariam* B *se voluntatem*; aut intelligit non requiri aliquid in baptizato quod causet gratiam, vel characterem (præmisit enim) *Non requiritur aliquid causans ex parte recipientis, sed solum impedimentum removens*: Et in Resp. ad 1. dicit quod *intentio vel voluntas in baptizato non requiritur quasi causans deletionem culpæ originalis*. Et in Resp. ad 3. quod non requiritur *quasi causa vel dispositio characteris*: aut contrariam voluntatem intelligit omnem eam quæ non est voluntas ad recipiendum Sacramentum, etiamsi non sit positivè contraria, sed solum habitu; qualis est voluntas indifferens.

## Articulus VIII. C

*An requiratur fides in baptizando.*

Art. 8. probat requiri fidem ex parte baptizati, ut per baptismum recipiat gratiam, quia justitia nemini contingit nisi per fidem Iesu Christi, ad Rom. 3. Unde ar. 4. inter dispositiones ad baptismum, fidem recensuimus.

Ad hoc tamen ut baptismus ratus sit, & characterem imprimat, fidem non esse necessariam; quia Sacramentum perficitur per virtutem Dei, & non per fidem aut justitiam recipientis. *Non interest, cùm de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest*, ait Aug. relatus de consecr. d. 4. c. *Sicut in* D *Sacramentis*, quod conformia sunt ibidem c. *Si qui* &c. *Quamvis*.

In Resp. ad 3. observa, si quis patiatur defectum fidei circa Sacramentum quod recipit, si tamen habeat generalem intentionem recipiendi id quod Christus instituit, vel quod Ecclesia tradit; satis esse ad hoc ut Sacramentum perficiatur. Quomodo q. 64. ar. 9. ad 1. dixit ministro sufficere intentionem faciendi id quod facit Ecclesia; etiamsi is circa illud ipsum Sacramentum erret, ac putet id nihil esse.

## Articulus IX.

*Pueri sunt baptizandi.*

Art. 9. docet pueros esse baptizandos. Quæ E doctrina est fidei. Confirmatur.

Primò, Infantes erant capaces circumcisionis; ergo etiam sunt capaces baptismi; qui & succedit circumcisioni, & est majoris efficaciæ. Hoc argumento utitur Innoc. 3. c. *Majores*.

Secundò, Nisi baptizentur, non possunt salvari, juxta illud, *Nisi quis renatus fuerit*, Ioan. 3. ergo sunt baptizandi.

Tertiò, Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18. Christus affirmat regnum cœlorum esse puerorum, & eorũ qui sunt eis similes. *Sinite*, ait, *pueros venire ad me* &c. signum ergo est quod pueri sint capaces salutis. Nec dici potest sermonem esse de solis illis pueris qui poterant credere, habentes ætatem adultam. Luc. enim dicit fuisse pueros *allatos*, & vox Græca significat pueros seu infantes. Et quamvis nonnulli per parvulos intelligant humiles, ille tamen sensus non est literalis, sed moralis.

Quartò, legimus Act. 16. & 1. ad Cor. 1. integras familias fuisse baptizatas: omninò autem verisimile est in hujusmodi domibus non defuisse parvulos qui baptizarentur.

Quintò, continuâ Ecclesiæ traditione esse observatum ut etiam parvuli baptizentur, patet ex Dion. per Authorem hìc allato, ex Clemente Rom. l. 6. constit. c. 15. Origine hom. 8. in Levit. Cypriano epist 59. Aug. l. 4. de baptismo c. 24. Hieronymo in fine lib. 3. contra Pelagianos; ex Concilio Milevitano can. 2. Gerundensi. can. 4. Viennensi sub Clemente 5. Trid. sess. 7. can. 13. de baptismo, & ex Innoc. 3. c. *Majores*, Tit. de baptismo.

Denique suffragatur ratio, Prima, quia parvuli nascuntur in peccato.

Secunda, quia Christus est Salvator non minùs parvulorum, quam adultorum.

Tertiò, quia Sacramenta vim habent ex opere operato, & non ex actu suscipientis.

Nec obstat, quod pueri non credant actu proprio; nam *ad aliena verba salvantur, quia ad factum alienum vulnerantur*; ait Aug. serm. 14. de verbis Apostoli c. 11. Sicut ergo peccatum in suâ origine traxerunt, necdum voluntatis propriæ usum habentes; sic in sua regeneratione justitiam accipiunt fidem profitentes per verba gestantium vel eorum quibus placet ut baptizentur. Post baptismum verò non solùm credunt per alios, sed etiam habent habitum fidei. *Hoc* enim *eis acquiritur per virtutem Sacramenti & offerentium responsionem*, ait Aug. l. 1. de pecc. merit. c. 33. *ut inter fideles computentur*; & dicantur credere, *non per usum, sed per habitum fidei*, ait Innocentius dicto c. *Majores*, de baptismo.

Quod autem à baptizandis requiritur, ut *pœ-* *Tacitæ objiciuntur.*
*nitentiam agant*, Act. 2. *ut doceantur*, Matt. 28. *ut credant*, Marc. ult. de adultis est intelligendum, qui soli & pœnitentiæ, & doctrinæ, & actuum fidei sunt capaces.

De illis autem illic agi manifestum est: Nam Petrus Act. 2. loquitur illis qui ad ipsum & ad reliquos Apostolos dicebant, *Quid faciemus, viri fratres?*

Matth. & Marc. ult. Christus mittebat Apostolos prædicare illis qui erant ignari doctrinæ Evangelicæ, capaces tamen ut eam auditent ac reciperent.

Neque verò cum Lutheranis dicendum est accelerari parvulis usum rationis ut habere possint proprios fidei actus: Id enim experientiæ repugnat, neque ullum in antiquitate habet fundamentum. Vide Aug. l. 1. de pecc. merit. cap. 19. 35. & 36.

Cæterùm, parvulos ante usum rationis baptizare, non solùm licet, sed etiam expedit. *Primò*, propter repentina mortis pericula. *Secundò*, ut minùs à dæmone infestentur. *Tertiò*, ut firmiùs inhæreant fidei & doctrinæ Christianæ. Confer quæ ar. 2. & 3. dicta sunt.

Huc etiam pertinet canon. 13. Synodi Tridentinæ de baptismo, ubi anathemate ferit eos qui dixerint præstare omitti baptismum parvulorum,



rum, quam eos non actu proprio credentes bap- A tizari.

*Quæst.* Quæri autem potest, utrum hujusmodi parvuli cùm adoleverint, interrogandi sint an ratum habeant quod patrini eorum nomine dum baptizarentur, polliciti sunt: &, ubi se nolle responderint, suo sint arbitrio relinquendi.

*Resp.* Verùm quod hoc interrogandi non sint, sed omnino urgendi ut christianè vivant; extat canon 14. Concilij Tridentini de baptismo; & manifestum est ex Innocentio 3. ca. *Majores*: & ex Concilio Toletano 4. can. 55. ubi qui ad christianitatem coacti sunt, cogendi dicuntur ut fidem quam vi vel necessitate susceperunt, teneant, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, contemptibilis habeatur: Hæc enim ratio B habet locum in parvulis baptizatis.

Neque verò fit parvulis ulla injuria: subditi enim sunt Ecclesiæ, tum ratione parentum, tum postea ratione baptismi quem susceperunt. Ac insuper hoc cedit in maximam eorum utilitatem spiritualem.

Confirmatur hæc doctrina Ecclesiæ. Qui enim olim circumcidebatur, obligabatur ad legem Moysi; neque tamen pueri, cùm adoleverant, interrogabantur, an vellent ratam habere circumcisionem eis adhibitam.

*Quæst.* Quæritur etiam, an cogi possint ad baptismum, fidelium filij jam adulti. Videtur enim quòd non; quia qui habent usum rationis, quantum ad ea C quæ sunt juris divini vel naturalis, suæ libertati sunt relinquendi; ut B. Thomas art. sequenti indicat.

*Resp.* Resp. probabilius videri quod cogi possint exilio, mulctis, aut similibus pœnis. Cùm enim nati sint ex parentibus fidelibus, eo ipso sunt Ecclesiæ subjecti, præsertim si inter fideles sint enutriti, vel jam enutriantur. An etiam pœna mortis cogi possint; dubitatur. Affirmat tamen Dominicus in 4. d. 5. art. 9.

## Articulus X.

*Vtrum pueri Iudæorum vel aliorum infidelium sint invitis parentibus, baptizandi.* D

Videtur quod sic, Primò, quia Deus præcipit ut omnes baptizentur etiam parvuli: sed *obedire oportet Deo magis quàm hominibus*: ergo. Confirmatur, præceptum superioris servandum est, etiam contradicente inferiore; ut Regis, contradicente Prætore.

Secundò, In lege naturæ poterat quicumque fidelis offerre Deo alienum infantem, applicando ipsi remedium contra peccatum originale; ergo & nunc. Confirmatur ex 1. Machabæorum 2. ubi Mathatias circumcidit pueros alienigenarum incircumcisos.

Tertiò, potestas defendendi innocentes jure E naturæ competit omnibus: sed pueri sunt innocentes, & patiuntur maximam injuriam & damnum si non sinuntur baptizari, ergo licet eos defendere; & si opus fuerit, de potestate parentum eripere baptizandos.

Quartò, parentes nolentes baptizari suos filios, abutuntur sua potestate contra honorem Dei & salutem filiorum: ergo privantur jure quod in illos habent, vel saltem cogi possunt ut eo rectè utantur.

Quintò, si parens vellet interfitere filium, posset vi eripi: ergo multò magis si nolit eum baptizari; quia salus spiritualis magis curanda est quàm corporalis.

Sextò, Si parens filium doceret blasphemare, furari, & similia, posset vi cogi ad abstinendum, & filius posset similiter eripi; ergo & hoc casu.

Septimò, Parentes non habent jus naturale ut prohibeant baptismum suorum filiorum: ergo si baptizentur, non privantur aliquo jure naturæ in filios,

Octavò, Judæi sunt mancipia principum Christianorum; ergo filij ipsorum possunt baptizari ijs invitis: quia Dominus habet jus in mancipium; sicut in rem suam. Antecedens videtur esse Authoris in opusculo de regimine Judæorum; ubi admittit eos merito culpæ addictos perpetuæ servituti, quorum propterea res, terrarum Domini possint accipere tanquam suas. Ad faciliorem hujus rei cognitionem, fit

### Conclusio I.

Filii infidelium qui aliquando fidem susceperunt, sed ab eâ defecerunt, baptizati possunt parentibus contradicentibus. Nam ipsos parentes potest Ecclesia cogere ad fidem servandam; & si pertinaces sunt, morte punire: ergo potest etiam eos privare potestate quam habent in filios. Deinde, eo ipso quo filij nascuntur ex parentibus Christianis, ideoque subjectis Ecclesiæ, ipsi quoque sunt Ecclesiæ subjecti.

### Conclusio II.

Si filijs quorumcumque infidelium conferatur baptismus, erit validus, etiamsi parentes sint inviti, quia subjectum est capax, & minister cum debitâ intentione adhibet ei materiam & formam. Nihil autem aliud requiritur, ut baptismus parvulorum teneat. Nam intentio parentum est impertinens.

Confirmatur, quia si parentibus invitis occidantur pro Christo, sunt martyres: ergo si baptizantur, salvantur; cum martyrium suppleat vicem baptismi,

### Conclusio III.

Pueros infidelium non baptizatorum baptizare invitis parentibus, ordinariè non licet neque privatâ, neque publicâ authoritate, etiamsi parentes sint principe Christiano subditi, ut cives. Si enim baptizarentur, vel eripiendi essent à potestate parentum, vel ijs relinquendi.

Prius continet manifestam injuriam, est enim spoliare parentes jure quod habent in filios, qui sunt aliquid ipsorum, & in quos jure naturæ potestatem habent, ut eos instituant, in rebus omnibus dirigant ac gubernent, præsertim quamdiu non possunt regi propria voluntate.

Posterius includit apertum fidei periculum; nam ut constat tum ex rei evidentia, tum ex canone 58. Concilij Toletani 4. plerumque fit ut filij à parentibus infidelibus educati parentum erroribus involvantur.

Deinde, hoc ipsum esset etiam contra justitiam, Ecclesiæ enim jus acquirit per baptismum, ut possit baptizatum à patria potestate eripere, si hoc necessarium sit vel ad honorem Sacramenti suscepti, vel ad baptizatum in fide instruendum. Si ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca



non possit Ecclesia infidelibus eripere suos infantes; nec potest facere id ex quo necessariò hoc sequitur. A

Accedit, quod Ecclesiæ consuetudo maximam habet authoritatem: hoc autem Ecclesiæ usus nũquam habuit, quod infidelium filij invitis parentibus baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, & alij plures, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi; ut Sylvester Constantino, & Ambrosius Theodosio; qui nullo modo prætermisissent hoc ab eis impetrare, si esset consonum rationi. Vide B. Tho. quodl. 2. ar. 7 & 2. 2. q. 10. ar. 12.

Præterea, quamvis infideles aliqui subditi sint Principibus Christianis subjectione civili: non possunt tamen ad eorum voluntatem privari jure patriæ potestatis, sicut enim retinent dominium aliarum rerum, ita & jus naturale quod habent in filios. Neque satisfacies, dicendo quod privari possint non ex sola voluntate Principis, sed vel in pœnam, vel in majus commodum, eò quod Princeps habeat potestatem regendi subditos in his quæ ad morum honestatem pertinent: habet enim potestatem politicam in his quæ pertinent ad naturalem justitiam & honestatem: non autem illam quæ extendat se ad supernaturalia, quapropter sicut non potest eos cogere, ut baptizentur; ita nec cogere potest, ut baptizentur eorum filij. Adde C quod non habeat jurisdictionem ad punienda, vel coërcenda omnia peccata; sed ea solum quæ manifestè repugnant juri naturæ, vel sunt contra communem pacem, & tranquillitatem Reipublicæ. B

Dices potestas parentum, sicut potestas regia, est naturalis: ergo nec potestas parentum se extendit ad supernaturalia filijs prohibenda. Resp. potest concedendo quod infertur: quia parentibus non licet prohibere ne filij sui baptizentur. Est tamen aliqua diversitas, nam jus regium est quidem radicaliter à Deo, sed ita ut etiam sit ab hominibus: & ideò non est necesse illud elevari ad supernaturalia: jus autem paternum, ita est naturale, ut sit à solo authore naturæ, per quem cùm ele- D vetur natura, consequens est ut etiam ipsum jus elevetur ad supernaturalia filijs administranda.

Porrò quod dicimus de pueris sub curâ parentum existentibus; similiter est accipiendum de illis qui utroque parente orbati, tutoribus subsunt, quia hi succedunt paternæ potestati, eamque participant.

### Conclusio IV.

Parvulum in extremâ necessitate constitutum, de cujus vita, moraliter loquendo, desperatur: baptizari posse invitis parentibus, modò id sine contumelia fiat probabile est: tum ob salutem ejus, tum quia separatio ejus à parentibus E potius fit per mortem mortisve periculum, quàm per baptizantem.

### Conclusio V.

Quando pueri sunt à parentibus infidelibus sive jure, sive injuria separati, & ita longè distant ut parentes non possint eos recipere, nec ijs providere, baptizari possunt fine illorum consensu. Quia parentes tunc amiserunt actualem usum potestatis paternæ, nec (moraliter loquendo) possunt illa uti: unde filij ab eis quibus subsunt gubernari debent. Si tamen essent injustè separati, & vel parentes possent consuli, vel pueri illis remitti: alterutrum esset faciendum: quia cùm separatio fuerit injuriosa, nullum jus ablatum est à parentibus.

### Conclusio VI.

Si alteruter parentum consentiat, puer baptizari potest altero parente invito: quia talis consensus est in favorem religionis & in utilitatem pueri, daturque ab eo, qui jus habet in puerum. Unde Greg nonus ca. *ex litterù*, tit. de conversione infidelium, prolem ex infidelibus natam vult assignandam esse illi parenti qui ad fidem convertitur: consentitque Conc. Tolet. 3 can. 14. Et Conc. 4. can. 62. Imò Greg. 13. dicitur statuisse, ut parvulus quem avus paternus baptizari volebat, baptizetur invita matre Judæa, quæ defuncto patri superstes erat: quia scilicet avus, tanquam pater, curam nepotum habet.

### Conclusio VII.

Parvuli eorum infidelium, qui sunt mancipia Christianorum, possunt authoritate Dominorum à parentibus separari & baptizari, imò & eâ intentione vendi. Hæc de re nihil expressum invenimus ab Auctore: quia tamen, tam hîc quam in 2. 2. dicit filios Judæorum non esse baptizandos invitis parentibus, eò quòd Judæi sint servi Principum Christianorum servitute civili, tacitè innuit futurum ut baptizari possint, si essent servi servitute pœnali, sicut mancipia.

Confirmatur, Quia cum utrique sint servi tam parentes, quam filij, servitus autem jure gentium sit introducta: ut domino liberum est servum donare, vendere, vel quò voluerit mittere, sequitur quod dominus possit eos separare. Cum autem sunt separati, jam non sub parentum sed sub domini cura existunt, unde possunt de ipsius voluntate baptizari, patre inconsulto.

Nec obstat quod jus patris in filium, sit naturale, ideoque videatur non posse illo privari: non enim est naturale quasi jus naturale obliget, ut nemo possit illud usurpare, vel parentem, eo privare, sed quia originem habet ex naturâ; non oportet autem omne illud esse immutabile; nam auferri potest vel in pœnam, vel voluntariè, ut cum quis se vendit in servum. *Tacita ob.*

Porrò ejusmodi filios baptizare invitis parentibus ante separationem, plerumque non licet: tum ob sacramenti reverentiam; & religionis sanctitatem; tum ob periculum apostasiæ, & ne contingat parentes exercere superstitiones circa puerum baptizatum. Non videtur tamen contra justitiam, quandoquidem domino sit jus separandi.

Quæritur autem. An Dominus Christianus teneatur parvulos bello captos baptizare, an verò possit parentibus aut alijs infidelibus pretio eos vendere. Resp. posse vendere. quia jus gentium ex- *Quæst.* *Resp.*
poscit ut bello capti redimi possint: quod jus expedit servari, propter communem pacem, Christianæ religionis libertatem, & fidei nostræ honorem: alioquin, magnum periculum crearetur infantibus Christianorum, quos infideles non paterentur redimi, si suorum redemptionem à Christianis interdictam viderent.

Nec obstat quod parvulis illis utpote necessi- *Tacita ob.*
tatem patientibus succurrendum sit, cum jacturâ boni temporalis: quia non est succurrendum isto A medio, eò quod sic periclitaretur non solùm bonum temporale vendentis, sed tum corporale, tum spirituale Christianorum. Ubi verò solùm periclitaretur temporale commodum unius & alterius, illud esset postponendum saluti parvuli, atque adeò non deberet vendi.

### Conclusio Ultima.

Pueri infidelium habentes usum rationis possunt baptizari, si velint, parentibus invitis. Quia in ijs quæ sunt juris naturalis, aut divini, jam incipiunt esse suæ potestatis.

Ad 1. verò Argumentum Resp. Neg. Cons. quia, Deus vult omnes baptizari, servato B ordine juris naturalis; quod unicuique competit in rem suam. Posset quidem, ratione dominij quod habet in omnes creaturas, statuere ut baptizarentur infantes, contradicentibus parentibus; sed hoc non statuisse, probat perpetuus Ecclesiæ usus: juncto eo quod gratia naturam præsupponat, eamque perficiat.

Ad confirmationem Resp. præceptum superioris esse observandum contradicente inferiore, quando superiori sic placet: Si autem superior velit illud servari sine violatione juris inferioris; ita faciendum est. Hoc autem est in proposito, ubi Deus utriusque juris & præcepti est author.

Ad 2. Negatur antecedens. Violatum enim C fuisset jus paternum, quod erat idem, ac modò est. Deinde, in remissione peccati originalis infundebatur fides & gratia: ergo fuisset contra reverentiam talis Sacramenti, applicare illud puero in infidelitate educando.

Ad confirmationem Resp. illos pueros, si quidem erant ex gentibus, jure belli redactos in servitutem Judæorum, & parentibus subtractos potuisse circumcidi, juxta Conclusionem 7.

Cæterum verius videtur fuisse pueros Judæorum, qui metu mortis non fuerant ausi illos circumcidere. Refert enim scriptura quod *circumciderunt pueros in circumcisos quotquot invenerunt in finibus Israel*: & quod *obtinuerunt legem de manibus* D *gentium*, id est, quod excusso dominatu gentilium, recuperaverunt observantiam legis. De pueris Judæorum interpretantur Lyranus, Dionysius Carthusianus, & Vasquez.

Ad 3. Negatur consequentia, quia Major tantum habet veritatem, quando vel innocenti vis infertur in ijs rebus, quæ jure naturæ sunt ei debitæ; vel quando committitur manifesta injuria justitiæ naturali repugnans: Damnum verò spirituale innocentis, non est injuria contra justitiam naturalem, neque contra finem politicum; Et ideò vindicari non potest ab eo qui solum habet potestatem politicam.

Ad 4. Negatur consequentia, quia non abu- E tuntur jure suo contra debitum justitiæ naturalis, aut politicæ, sed contra legem fidei, & religionis, in quâ nulli homini adhuc subsunt, per quem corrigi possint.

Ad 5. Negatur cons. tum quia homicidium est manifesta vis, & injuria contra naturalem justitiam; tum quia puer tunc esset in extremâ necessitate. Servaretur ergo jus naturæ illum defendendo, non autem ut baptizando, præsertim cum ex solâ baptismi dilatione puer non sit in extremâ necessitate salutis. Probatio verò intelligenda est salvo jure naturæ.



Ad 6. etiam negatur cons. quia infideles possunt à suo principe cogi ad servandum jus naturæ, non item ad supernaturale.

Ad 7. Negatur cons. privantur enim jure paterno, quod habent gubernandi, & instruendi pueros nondum ratione utentes.

Ad 8 Negatur antecedens; quia licet non liberè possideant certa quædam bonorum genera, habent tamen plenam libertatem acquirendi & possidendi alia, & eundi quo voluerint, nec præter tributa, servitium aliud exhibent Principibus Christianis.

Ad probationem Resp. B. Thomam id non sentire: nam hîc ad 2. quodl. 2. ar. 7. ad 3. & dicto ar. 12. in 2. 2. ad 3. cum sibi opposuisset: filij servorum sunt servi, Judæi autem sunt servi Regum, & Principum: Respondet, quod *Iudæi sint servi Principum servitute civili*, prout ad septimam Conclusionem indicavimus. In isto autem opusculo non asserit Judæos esse servos, sed sub desjunctione dicit, *Licet Iudæi merito culpæ sint vel essent perpetuæ servituti addicti*, quia scilicet ob culpam in Christum commissam digni sunt jugo servitutis. Quomodo etiam intelligendus est Innocentius 3. c. *Etsi Iudæos* tit. de Iudæis.

### Articulus XI.

Art. 11. docet pueros in maternis uteris posi- *Pueri in utero matris existentes.*
tos non posse baptizari; tum quia non sunt nati in mundum, unde nec per homines possunt renasci; tum quia non possunt ablui. *An possint baptizari.*

Si dicas, puerum quando primum animatur, nasci juxta illud Matth. 1. *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est*, ergo potest renasci. Resp. posse *Ob.* *Resp.*
renasci per operationem Dei, sed non per ministerium hominum; quia nondum est natus in mundum, ut subjiciatur actioni hominum in mundo versantium.

Cæterum, ut eorum actioni subjiciatur, utque puer baptizari possit, non est necessaria perfecta nativitas ex utero; sed satis est, quod possit aqua tangi, saltem in aliquâ parte. Quamvis enim expectanda sit totalis egressio, ut in res. ad 4. monetur, quando mors non imminet: Si tamen mors immineat, & caput appareat, debet in illo baptizari, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si caput non apparuerit, sed alia pars vitalem motum indicans; debet in ea baptizari, ad majorem cautelam; & postea, si natus vixerit, sub conditione baptizari. Ita B. Tho. hîc, & in 4. d. 6. qu. 1. ar. 1. quæstiunc. 1. ad 3. Statuta Cameracensia antiqua tit. 2. & Atrebatensia tit. de baptismo, ac novissime Rituale Romanum; secundùm quod si proles quæ in utero baptizata fuerat, sive in capite, sive in alia parte prodeat mortua, in loco sacro sepelienda est. Nunquam verò licitum est matrem, etiam in partu periclitantem occidere, vel in mortis periculum, (eam aperiendo) adducere, ut puer possit extrahi & baptizari, nisi fortè esset justè ad mortem condemnata, & hoc fieret authoritate judicis: quamquam potius differenda foret executio usque ad partum.

Quæri autem potest de monstris. An, & quo *De monstris baptizandis.*
modo baptizari debeant? Si non præ se ferant humanam speciem, baptizari non debent. Si sit dubium; judicium præsertim summendum est ex capite quod rationis, ac sensuum est sedes: ac proinde si caput est humanum; vel humano propius, baptizabuntur. Si discussione facta maneat dubium; semper oportet baptizare sub hac conditione, *Si tu es homo*,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*homo ego te baptizo*, &c ne per nostram dubitationem pereant animæ, quæ fortè sunt humanæ. A

Quando dubium est, unáne an plures sint personæ; non baptizetur donec id (si fieri potest, & in mora nullum est periculum) discernatur: Discerni autem potest ex membris præcipuis.

Si enim sint duo capita, vel duo pectora; argumentum est quod sint duo homines distincti, & propterea vel seorsum baptizandi sunt unicuique dicendo, ego te baptizo &c. vel simul, (si periculum mortis imminet, neque tempus suppetit ut singuli seorsim baptizentur) ita ut minister utrique capiti aquam infundens dicat, Ego vos baptizo, &c. Vide Dominicum d. 3. art. 10. & Rituale Romanum, in quo disertis verbis expressum est, B quòd hanc formam, Ego vos baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; in ijs solum de quibus nunc diximus, & in alijs similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur ut singuli separatim baptizentur, aliàs nunquam licet adhibere. Quando autem & caput & pectus unum est, unus homo censetur, & ut unus baptizari debet; etiamsi alia membra, manus, pedes, brachia haberet duplicia.

### Articulus XII.

*De amentibus baptizandis.*

ART. 12. declarat amentes, & furiosos perpetuos baptizari posse, sicut infantes: alios autem juxtà voluntatem quam habent in lucidis C intervallis, si necessitas urget, aut quam habuerunt ante amentiam. Confer in 1. 2. q. 113. ar. 3. ad 1. Conc. 3. Carthag. can. 34. Arausic. 1. can. 12. Ac proinde si nullum tunc indicium voluntatis baptismi dederint, baptizandi non sunt; &, si baptizarentur, baptismus non teneret.

Si autem apparuit in eis voluntas baptismi baptizari debent, nisi constaret quod cum voluntate baptismi retinebant voluntatem perseverandi in concubinatu, vel alio peccato mortali: sic enim essent indigni baptismo; quem susciperent quidem validè, si illis ministraretur, sed inutiliter; quia judicandi sunt secundùm voluntatem, quam habuerunt cùm essent extra futiam vel amentiam. D

## QUÆSTIO LXIX.

*De effectibus Baptismi.*

### Articulus I.

*Peccata omnia verè delentur in baptismo.*

ART. 1. docet per baptismum tolli omnia peccata. Quæ doctrina est fidei, sic accipienda ut baptismus per se, & ex suâ institutione vim habeat remittendi non solùm originalem, sed etiam omnem actualem culpam, idque non (ut Sectarij nostri dogmatizant) quasi peccata remitti sit ea radi, tegi, seu E non imputari, cùm revera maneant: Sed, sic ut revera deleantur, & penitus tollatur omne id quod habet rationem peccati sive magni sive parvi.

PROBATUR PRIMÒ, ex illo Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, secundùm quod intellexerunt Cypr. Epist. 76. Hieron. & Theod. super Ezech. Eodemque pertinet illud Isaiæ 1. *Lavamini, mundi estote*, secundùm interpretationem B. Hieron. ex persona Christi sic ibi loquentis; Mihi placet religio, ut baptizemini in sanguine meo per lavacrum regenerationis, quod solum potest peccata dimittere.

SECUNDÒ, c. 6. ad Rom. Apostolus dicit nos in morte, seu similitudine mortis Christi baptizatos: quia sicut Christus verè fuit mortuus vitæ corporali, sic in baptismo morimur vetustati peccati: ergo sic peccatum deletur ut omninò desinat esse in nobis, nos autem prorsus novi resurgamus, *Quemadmodum in Christo vera mora facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum. Et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio*; ait Aug. c. 52. Ench.

TERTIÒ, idem Apost. ad Rom. 8. dicit, *Nihil ergo damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu.* Et ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, ad Eph. 5. *mundans eam lavacro aquæ.* Si autem peccatum maneret in animâ, quantumvis diceretur occultari, & non imputari; anima tamen non esset mundata, neque haberet salutem; cùm peccatū sive originale, sive actuale mortale, sit mors animæ.

DEINDE, fieri non potest quod peccatum sit, & non imputetur à Deo, ipse enim non fallitur, ut eum reputet amicum qui sit inimicus; sed omnem peccatorem reputat talem, ac sibi inimicum, Sap. 14.

QUARTÒ, Act. 2. *baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: ergo baptismus valet per se remittere peccata omnia; præsertim cùm non remittatur unum mortale sine alio. Et si habet vim remittendi mortalia, multò magis remittendi venialia.

Ad hunc effectum pertinet illud Micheæ 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Quod in baptismo fieri intellexerunt Rupert. & Theod. super Micheam, Hieronym. epist 83. & Aug. concio. 1. in Psal. 113. affirmans sicut Ægyptios in mari obrutos, ita in baptismo demersa, & extincta esse peccata nostra. *Qui ergo dicit*, ait Greg. l. 9. epist. 39. *Peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.*

DENIQUE probatur hæc veritas ex Concilijs, Cap. 1. Conc. 4. Carthag. Episcopus ante consecrationem profiteri jubetur, *in baptismo omnia peccata.i. tam originale, quam quæ voluntariè admissa sunt dimitti.* In Flor. sic legimus, *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ, originalis & actualis.* In Trid. ss. 5. can. 5. anathema dicitur illi *qui asserit in baptismo non tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari.* Ubi quamvis expresè solùm meminerit peccati originalis, quia ad ejus deletionem primariò institutus est baptismus intelligit tamen similiter remitti omnia, si qua sint alia in eo qui baptizatur peccata: nam subdit, *In renatis enim nihil odit Deus &c. ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* Per quæ significat, omne cujuscunque generis peccatum in baptismo tolli, cùm nihil coinquinatum intret in regnum cœlorum. Et ss. 6. c. 7. docet in justificatione remitti omnia peccata, baptismum verò esse justificationis illius causam instrumentalem. Et ss. 14. c. 1. affirmat non futurum fuisse opus institui Sacramentum aliquod à baptismo diversum, ad peccatorum remissionem consequendam, si homines justitiam in baptismo acceptam retinerent, supponens baptismum sufficere ad remissionem omnium peccatorum, quæ ipsum præcedunt, quod c. 2. disertis verbis affirmat.

De al-



De altero circa effectum baptismi errore, scili- A cet quod peccata post illum commissa remittuntur solâ fide, & recordatione baptismi; agit Concil. Trident. sessione 7. canone 10. de baptismo: & agendum erit quæst. 84. articulo sexto.

### Articulus II.

*Per Baptismum tollitur omnis reatus pœnæ temporalis.*

ART. 2. probat per baptismum tolli omnem reatum, seu obligationem pœnæ apud Deum luendæ: quia isto Sacramento perfectè communicatur passio Christi ad remedium.

Cùm enim consentaneum esset, ut efficacia passionis Christi plenè communicaretur aliquo Sacramento; id baptismo fieri decentissimum fuit; partim quia est primum Sacramentum; partim B quia est regeneratio, & mortis ac resurrectionis Christi imitatio.

Hanc fidei doctrinam, & perpetuus Ecclesiæ usus nullam baptizatis injungens pœnitentiam; ut ostensum est ar. 5. q. 68. & Conciliorum definitio confirmat. Florentinum dicit quod, *hujus Sacramenti effectus sit omnis pœna quæ pro culpâ debetur, remissio, ut propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda sit satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum, & Dei visionem perveniant.* Quod ipsum antea dixit Aug. l. secundo de pecc. mer. c. 28. & postea Concilium Tridentinum ss. 5. asserens quod baptizatos nihil prorsus remo- C retur ab ingressu cæli; atque adeò nec reatus pœnæ. Eodem pertinet quod ss. 6. c. 14. dicit in Sacramento Pœnitentiæ non semper totam pœnam, ut in baptismo fit, dimitti.

Porro ut in baptismo tota pœna remittatur, non alia requiritur dispositio, quàm quæ necessaria est ad remissionem culpæ: quod in cæteris Sacramentis non contingit. Unde existente contritione, quæ cum Sacramenti absolutione sufficiat ad remissionem culpæ; ordinariè non remittitur tota pœna temporalis in Sacramento Pœnitentiæ.

Quamvis autem baptismo tollatur omnis reatus pœnæ, quæ aliquando luenda esset in altero D sæculo; non tollitur tamen reatus pœnæ, quam sæcularis judex potest hîc inferre; licèt piè possit indulgere; ut dicitur in Resp. ad 3.

### Articulus III.

*Pœnalitates non statim tolluntur in baptismo.*

ART. 3 docet pœnalitates vitæ præsentis non statim tolli per baptismum; licèt ejus virtute auferendæ sint in resurrectione, Ubi donatâ gloriâ, cujus semen est gratia effectus baptismi, *mortale hoc inducit immortalitatem.* Vocantur autem pœnalitates, defectus quidam qui secundum se ex principijs natura oriuntur, ut significat Auctor in *Quid pœnalitas.* Resp. ad 3. atque adeò essent in homine si crearetur in puris naturalibus: cujusmodi sunt passibilitas, mortalitas, ægritudo, & similia, contra quæ per justitiam originalem subveniebatur primo homini: Sed eo peccante, totoque humano genere illam amittente; tales defectus non sunt meræ naturales, sed pœnales. Vide primam secundæ, quæstione 85. articulo quinto & sexto.

*Concupiscentia manens in renatis non est peccatum.* Est autem hîc observandum, fide definitâ in Conc. Trid. ss. 5. certum esse, quod concupiscentia quæ ad agonem relicta manet in renatis, non sit verè & propriè peccatum, quamdiu non consentitur illi; tametsi Apostolus ad Rom. 6. & 7. vocet eam peccatum, eò quod sit ex peccato & ad peccatum inclinet. Idem antea docuit Augustinus libro primo, de peccat. mer. capite ultimo, libro 2. cap. 4. & 28. lib. 1. de nuptijs, & concup. cap. 23. 25. & alijs.

Ubi cùm addat concupiscentiam quotidie minui in proficientibus; sciendum est sensualitatem quantum ad substantiam nec minui nec debilitari, nec extingui per baptismum, ut observat Domin. in quartum distinctione 6. quæstione 1. artic. 2. cùm sit potentia quædam naturalis, quæ non tollitur per gratiam; sed ita loquitur Augustinus, quia in his qui suscepto baptismo proficiunt in charitate, paulatim minuitur vitium quo hæc naturalis facultas est infecta; hoc autem vitium concupiscentia prava nominatur.

### Articulus IV.

*Baptismo conferuntur gratia & virtutes.*

ART. 4. docet per baptismum conferri gratiam & virtutes: quia baptismus ad hoc valet, ut qui baptizantur, Christo incorporentur tanquam ejus membra: A capite autem Christo diffunduntur in ejus membra, gratia & virtutes. Deinde Apostolus ad Tit. 3. testatur nos per lavacrum regenerationis, id est, per baptismum salvos fieri; nemo autem fit salvus sine gratia & virtutibus. Hæc doctrina est fidei. Quoniam verò quidam olim eam admittebant in adultis, sed non in parvulis, eò quod non viderentur esse capaces virtutum, cùm nec possint earum actus exercere, nec infusioni consentire, ideò B. Thom. specialem de illis articulum 6. proponit; ubi hæc veritas latiùs ostendetur.

In Resp. ad 2. nota illos quibus justificatio contingit ante baptismum, per ejus susceptionem consequi augmentum gratiæ & remissionem peccatorum eorum quæ fortassis interea commiserunt, ac insuper remissionem totius pœnæ, & characterem. vide ad quæst. 68. articulo primo, ad tertium.

### Articulus V.

*Tres baptismi actus.*

ART. 5. declarat tres actiones quibus significari solent effectus baptismi.

Prima est *incorporatio* per visibile Sacramentum ejusque characterem, & gratiam.

Secunda est *illuminatio*, quæ fit per fidem, cujus baptismus est Sacramentum, & professio.

Tertia est *fœcundatio* ad bona opera exercenda, quæ fit tum gratiam in corde diffusam, tum per hoc quod Deus præparat & specialiter juvat corda baptizatorum ad recipiendam doctrinam fidei, & ad acceptam justitiam retinendam, ac insuper operandum juxta illam.

### Articulus VI.

*Virum pueri in baptismo consequantur gratiam, & virtutes.*

VIDETUR quod non, PRIMÒ quia *si baptismus statim justum faceret, & omni plenum justitiâ; nequaquam Apostolus neophytum refutaret: sed baptismus vetera peccata conscindit, novas virtutes non tribuit*, ait Hieronym. libro primo adversus Pelagianos cap. 8. 1. Tim. 3.

SECUNDÒ, August. hic ad 1. citatus parvulos

dicit

Universidad de Deusto
Biblioteca



dicit esse fideles, non propter habitum, sed propter Sacramentum fidei. A

*Resp. neg.*

Tertiò, Parvuli nec consentire possunt infusioni virtutum, nec in earum actus exire: ergo signum est quod non habeant habitus.

Responsio ad fidem pertinens est, pueros in baptismo recipere gratiam, & virtutes, ratione quarum verè sunt Deo grati, justi, & habitualiter credentes, sperantes, ac diligentes, etiamsi nondum possint illarum virtutum actus exercere.

Probatur Primò, ex Conc. Viennensi, ubi Clemens 5. sic loquitur, *Opinionem secundam quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismate informantem gratiam: & virtutes; tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum Theologia magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendum.* Quod licèt quidem ita intelligant, ut non decernatur tanquam certum fidei dogma, sed tanquam verior opinio; verius tamen arbitramur Pontificem statuere opinionem illam, quæ suo tempore habebatur probabilior, esse ut certam, ac definitam eligendam. B

Secundò, Conc. Trid. ff. 5. c. 5. asserit *in baptismate conferri gratiam*, quâ exuatur vetus homo, & induatur novus; & per quam baptizati jam effecti sint *innocentes, immaculati, puri, innoxij, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Hæc autem convenire nequeunt non habentibus in animâ gratiam; cum sine illâ nemo sit hæres regni. C

Tertiò, Idem Conc. ff. 6. c. 7. docet adultos justificari *per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, eosque* in baptismo *renovari spiritu mentis; & non modo reputari, sed verè justos nominari, & esse, justitiam in se recipientis, & hoc omnia simul infusa accipere fidem, spem & charitatem.* Ubi cùm addat justificationem esse sanctificationem, & renovationem, eamque non fieri sine justitia in justificato receptâ, constet autem baptismum esse instrumentum justificationis tam parvulis, quam adultis: consequens est, Synodum sentire quod parvulis infundatur gratia justificans. unde c. 11. generaliter definit justificationem fieri per gratiam, & charitatem in cordibus diffusam. Quæ omnia non possunt intelligi nisi de donis habitualibus, cùm actus non permaneant in nobis. Eodem pertinet quod ab eodem, & à Florent. Conc. definitum est, *omnia Sacramenta novæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem*; quodque sess. 7. ca. 13. de baptis. definitur, parvulos etsi actus credendi non habeant, *esse tamen inter fideles computandos*; quia nimirum habent fidem in baptismo infusam: est autem eadem ratio fidei, spei, & charitatis, & aliorum donorum; præsertim cùm non infundatur illis fides mortua, sed viva, charitati conjuncta. D

Ad 1. Argumentum Resp. quod baptismus non statim facit hominem eo modo justum, quo Pelagiani (contra quos disputat Hieronym.) contendebant; scilicet ita ut repentè omni virtutum genere instructus, promptè possit cunctarum illarum actus operari, & absque peccato semper vivere. Hoc etiam modo dicit baptismum non tribuere novas virtutes; quia etsi tribuat illarum habitus, non tamen sic tribuit, ut omnes possint promptè in actus exire, ne quidem in adultis. E

Ad 2. Resp. etsi Aug. habitum fidei non nominet, propterea quod nomen *habitus* Philosophorum usu, plus includat quam qualitatem permanentem: non tamen eum negat. Nam l. 3. de pec. mer. c. 2. asserit per baptismum *trajici in parvulos fidem, quam voluntate propriâ nondum habere potuerunt*: asserit etiam quod *sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generat peccatores.* Quæ verba significant eos veram ac internam fidem accipere renascendo, sicut propriè dictum peccatum contraxerant nascendo.

Ad 3. Neg. Cons. Ex negatione enim actus non rectè infertur absentia habitus, præsertim cum impotentia operandi proveniat ex impedimento corporali, sicut in dormientibus. Adde, quod dona gratiæ & virtutum non sunt acquirenda per proprios actus, sed per infusionem; quodque necessarius est consensus in illis qui utuntur ratione, non in alijs, ut quæst. præc. ostensum est.

## Articulus VII.

*Apertio cœli est effectus baptismi.*

Art. 7. docet quod apertio januæ regni cœlestis, sit effectus baptismi: quia aperire cœlum est tollere impedimentum obstans ne homines in illud ingredi possint; per baptismum autem illud tollitur, quia omnis culpa & pœna remittitur, ut ar. 1. & 2 diximus.

*Ob.* Si dicas, etiam remissam fuisse totam culpam, & pœnam in Circumcisione, quæ tamen non aperuit januam cœli: *Resp.* Ratio diversitatis attendenda est, quod in ea tolleretur impedimentum personæ, sed manebat impedimentum ex parte totius naturæ; quod cùm sit ablatum per Christum, nullum deinde manet aliud impedimentum ingressus cœli, quàm ex parte personæ; hoc autem tollitur per baptismum.

Circa Resp. ad 1. adverte quòd merito passionis Christi apertum fuerit regnum cœlorum, ut q. 49. ar. 6 probatur: Primò quidem sufficienter omnibus; huic autem & illi in particulari, tunc demum, quando quis incorporatur passioni per baptismum, in quo virtus ejus applicatur, & usque ad quem peccato manente, manet impedimentum ingressus.

*Ob.* Circa Resp. ad 2. objicitur, Patres in limbo ex certâ spe exspectabant introitum regni cœlestis, & tamen nec Circumcisio, nec ullum aliud Sacramentum dicebatur aperire illis regnum cœlorum: ergo baptismus ante Passionem Christi ministratus, non bene ostenditur aperuisse regnum cœlorum.

*Resp.* Resp. neg Cons. quia illi non expectabant introitum illum ex vi Circumcisionis, aut alterius Sacramenti: unde nec patefaciendus erat, nisi Sacramentis illis cessantibus, aut finem accipientibus. Qui verò ante Christum moriebantur baptizati, ex vi baptismi, tanquam instrumenti Passionis Christi, expectabant illum introitum: illuc ingressuri baptismo habente plenam suam significationem, quæ est mortis, sepulturæ, & resurrectionis Christi præteritæ.

## Articulus VIII.

*Proprius baptismi effectus est æqualis.*

Art. 8. docet effectum per se baptismi, id est, ad quem ex vi suæ institutionis ordinatur, æqualem esse in omnibus æqualiter dispositis: effectum verò per accidens, id est, qui subinde conceditur à Deo, tametsi de illo nulla sit lex, aut promissio (ut est sanitas corporalis) non æqualiter dari, etiamsi cum æquali devotione accedatur.

Unde



Unde sequitur omnes parvulos æqualem in baptismo gratiam recipere, cum omnes æqualiter se habeant ad eam, in hoc nimirum quod obicem non ponant, nec ullam positivam dispositionem habeant: Adultos verò inæqualiter dispositos inæqualem gratiam accipere; quod commune est omnibus Sacramentis quæ operantur instar causæ naturalis, ut q. 64. art. 8. ad 7. diximus; ideòque juxta dispositionem subjecti. A

Confirmatur, Concil. Trid. definit justitiam in baptismo recipi secundùm propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. Pro quo Damasc. l. 4. c. 10. antea dixerat, peccatorum remissionem omnibus æquè per baptismum dari, Spiritus tamen gratiam pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo ac ratione, comparari. B

Cum B. Thomâ sentiunt Bonavent. Richardus in 4. dist. 4. Dominicus dist. 6.

Quod verò nonnulli opinantur quibusdam parvulis in baptismo dari majorem gratiam, vel ratione prædestinationis, vel ex devotione ministrorum; nullo fundamento niti videtur.

Primò, quia Deus eum quem prædestinavit ad majorem gloriam, etiam (regulariter loquendo) prædestinavit ad majorem gratiam, per ordinaria media consequendam: baptismus autem non est medium ordinarium ad majorem gratiam, illi qui non est magis dispositus.

Secundò, ratione prædestinationis non salvatur parvulus sine Sacramento; ergo non accipiet majorem salutem cum Sacramento, quam alius: quia, scilicet prædestinationem suam implet Deus illis medijs quæ ordinavit; ac proinde sicut parvulo prædestinato providet de baptismo vel martyrio, ita prædestinato ad majorem gloriam providet de medio ad illam ordinario. C

Tertiò, ratione prædestinationis non datur extra Sacramentum major gratia, æqualiter merentibus vel affectis, ergo nec in Sacramento æqualiter dispositis unde inter adultos non magis meretur qui ad majora prædestinatus est, modò opera sint æqualia.

Quartò, nullus potest alteri mereri gratiam, nisi per hoc quod de congruo mereatur illi bonum animi motum; hujus autem incapaces sunt parvuli. D

Quintò, effectus baptismi est vi operis operati; ergo ubi est idem opus, neque ulla est varietas dispositionum subjecti, est idem effectus.

Huc pertinet quod effectus Sacramenti per bonum ministrati, non est major, quàm si ministraretur per malum, ut qu. 64. art. 1. ad 2. tradit Author; quâ de re ad art. 5. ejusdem q. 64. pauca diximus.

Porrò, cùm duplex sit quantitas; extensiva, & intensiva; quarum illa spectatur ex multitudine beneficiorum, ut remissionis peccatorum, collationis gratiæ, & virtutum; Hæc verò ex gradibus, ratione quorum una dicitur intensior, altera remissior: inæqualitas quæ circa effectum baptismi versatur, propriè spectanda est secundùm intensionem; ita ut major, seu intensior gratia detur melius dispositio, minor verò, minùs disposito. Ad extensivam verò quantitatem quod attinet, omnibus ritè dispositis datur omnis culpæ (saltem mentalis) & totius pœnæ remissio, datur gratia, & conferuntur ea dona quæ secundùm legem Dei ordinariam consequuntur gratiam justificantem; atque adeò in numero beneficiorum quæ sunt effectus per se baptismi, non est inæqualitas E

*Sylv. in III. Part.*

Dixi (*culpa mortalis*) quia etsi baptismus habeat vim remittendi etiam omnia venialia; per accidens tamen contingere potest quod non omnia remittantur, propter actualem complacentiam ad illa.

## Articulus IX.

Art. 9. docet fictionem impedire effectum baptismi.

*Quid fictio.* *Fictio* est simulatio quâ quis exterius profitetur se velle, quod revera non vult: sive quia non habeat voluntatem suscipiendi baptismi, sive quia non habeat dispositionem quæ ad gratiam baptismalem est necessaria. Tales sunt qui non credunt, qui ad Sacramentum malè affecti sunt: qui indevotè, vel cum alicujus peccati mortalis affectu accedunt. *Est duplex.*

De priori fictione, quæ veritatem Sacramenti excludit, actum est art. 7. præced. qu.

Posteriorem excludere baptismi effectum qui est gratia, probat hoc articulo, quia Deus neminem cogit ad justitiam, ideoque ut aliquis per baptismum justificetur, requiritur voluntas recipiendi non solùm Sacramentum, sed etiam Sacramenti effectum: ad quod debita dispositio est necessaria: cùm Sacramenta non operentur nisi in subjecto disposito, si dispositionis est capax, nec conferant gratiam ponentibus obicem, quem ponit is qui modo jam dicto fictus accedit. Vide Aug. l. 1. de baptis. c. 10. & seq. l. 6. c. 1. l. de utilitate Pœnitentiæ, qui est hom. ult. inter quinquaginta, c. 2. & l. de fide & operibus.

Quod autem objici posset ex c. 12. dicti l. 1. expendendum erit q. 88. art. 1.

*Dispositio ad baptismum.* Quæ dispositio ad effectum baptismi necessaria sit; qu. 68. art. 6. explicuimus: Et ex Conc. Trid. sess. 6. c. 6. & 14. & sess. 14. c. 1. & 4. colligi potest, requiri veram contritionem, saltem imperfectam: siquidem præparationi, de quâ illo c. 6. Conc. loquitur, definitionem contritionis, c. 4. sess. 14. allatam convenire non difficulter probari potest, attentis præsertim ijs quæ dicturi sumus q. 1. Suppl.

Affectum verò peccati venialis non esse fictionem, quæ gratiam baptismi excludat, tradit Author hîc ad 3. q. 79. art. 8. quia sc. peccatum veniale nec repugnat infusioni gratiæ, nec ejus augmento.

Nec obstat, quod repugnare videatur effectui baptismi, qui est remissio omnis culpæ, & pœnæ: quia non repugnat effectui primario qui est gratia, & regeneratio, sed solùm secundario. Unde quædam irreverentia committitur, sed levis.

*Quæst. 2. 2. q. 6. art. 2.* Plus difficultatis habet, An is qui ponit obicem gratiæ sanctificanti, nihil recipere possit per baptismum præter characterem.

Neque enim videtur posse recipere fidem.

Primò, quia cùm illa sit magnum Dei donum, inconveniens est quod detur impio.

Secundò, quem Deus sanat, perfectè sanat, juxta illud Joan. 7. *Totum hominem sanum feci in sabbatho.* Unde Deuter. 32. *Dei perfecta sunt opera.*

Tertiò, fides sine charitate comparatur fidei dæmonum: sed hæc non est habitus infusus: ergo.

Quartò, fides nunquam infunditur extra baptismum sine charitate: ergo nec in baptismo. Antecedens probatur, quia Catechumenus

Universidad de Deusto
Biblioteca



neque est Christianus, neque fidelis, ut probatum est quæst. 1. de Ecclesia art. 3. ergo non habet fidem.

Quintò, Deus non remittit unum peccatum sine alio; ergo nec dat unam virtutem sine aliâ.

Sextò, Conc. Trid. sess. 6. capite 7. *Hæc omnia*, inquit, *simul infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatem.* Et B. Thomas prima secundæ q. 62. articulo quarto, *fides præcedit spem, & spes charitatem secundùm actus, non habitus simul infunduntur.*

Resp. eum qui in baptismo ponit obicem gratiæ sanctificanti, posse recipere fidem & spem sine charitate.

*Resp.* Primò, quia sicut in sui conservatione non pendent à charitate, ita nec in infusione: unde B. Th. 2. 2. qu. 6. art. 2. ad 3. ponit aliquem recipere à Deo fidem sine charitate. Eodemque videntur spectare quæ habet Conc. Arausicanum can. 5. & 25. de fide quæ in Cornelio, Zachæo, alijsque pijs Catechumenis præcedit baptismum; & quæ Conc. Trid. sess. 6. cap. 8. de fide justificationem præcedente. Possunt enim commodè accipi non de solis actibus fidei, sed etiam de habitu præsertim cùm Scripturæ ibi allegatæ loquantur de illo.

Secundò, ejusmodi accedens ad baptismum potest non ponere obicem fidei & spei, sed habere dispositionem sufficientem ad illas, credendo, & sperando.

Tertiò, Aug. toto ferè libro de fide & operibus, refellens eos qui dicebant solam fidem exigendam esse à baptizatis; sæpe indicat fidem dari posse impijs. C

Quartò, juxta communem Patrum expositionem, Augustini, Gregorij & aliorum, fine veste nuptiali (quæ est charitas) intravit quis ad nuptias, Matth. 22. id est, in Ecclesiam, utique non sine fide, cùm Ecclesia sit societas fidelium, supra q. 8. art. 4. ad 2.

Ad 1. verò Arg. Resp. illud non magis inconveniens, quam quod habitus fidei, & spei conserventur in peccatoribus, etiam gravissimis; cùm & eorum conservatio magnum sit Dei donum. D

Ad 2. Quidam respondent Deum perfectè sanare, quando præter communem naturæ cursum sanat, non autem aliàs. Verùm quod ne quidem in miraculosâ sanatione Deus semper sanet perfectè, eodem temporis momento, probat sanatio cæci, Marc. 8. & ex ea B. Th. q. 86. ar. 5. ad 1.

An verò Christus nunquam aliquem miraculosè sanaverit in corpore, quem non simul intus sanaverit in animâ; alterius difficultatis est. Affirmare videtur Author q. 44. ut 3. ad 3. utrum tamen curatio animæ semper fuerit illo eodem tempore, quo sanabatur corpus, expressè non dicit: neque videtur verum.

Nam languidus Joan. 5. curatus, nesciebat, quis esset Jesus; donec ab eo inventus audivit, *ecce sanus factus es, jam noli peccare.* E

*Non omnes à Christo sanati, fuere statim justificati.*

Novem leprosi Luc. 17. mundati, redarguuntur quod non redierunt dare gloriam Deo.

Malchus in auriculâ sanatus, Luc. 22. nullo argumento probari potest fuisse tunc etiam spiritualiter sanatus: conversionem enim ejus non tacuissent Evangelistæ, cùm id maximè clarificasset virtutem Christi patientis.

Sed nec illos in animâ sanatos fuisse, qui ad verba Christi retrocadentes, ejus virtute surrexerunt Jo. 18. notissimum est.

Dei nihilominus opera sunt perfecta, quia nihil vitij, aut reprehensionis habent.

Ad 3. Negatur consequentia, comparatio enim est in eo quod sicut nihil prodest dæmonibus quod credant, seu firmiter assentiantur; ita nec peccatoribus, qui sine charitate charitativè operibus credunt.

Ad 4. Negatur antecedens. Ad ejus confirmationem negatur consequentia: ordinariè enim non fit aliquis Christianus & de numero membrorum Ecclesiæ, per solam fidem, nisi fidei Sacramentum accipiat, ut art. 3. & 5. hujus quæst. docet Author.

Ad 5. Negatur Consequentia: quia propter contrarietatem, quam habet quodlibet peccatum mortale ad gratiam; necesse est, si unum deleatur per infusionem gratiæ, aliud quodcunque etiam deleri; quia infunditur habitus contrarius: Infusio autem fidei, aut spei non postulat charitatem simul infundi, ut suprà declaravimus.

Ad 6. variæ sunt responsiones. Prima, quod fides, spes, & charitas simul infundantur in justificatione, quando nulla ipsarum præfuit.

Secunda quod Concil. eo loco non aliud velit, quam ista tria esse inseparabilia à verâ justitiâ, & propterea in justificatione impij non esse solam fidem, sed cum eâ dari spem & charitatem.

Tertia, quod Concil. loquatur de fide viva: sequitur enim quod Catechumeni hanc fidem petant ab Ecclesiâ, cum petunt fidem vitam æternam præstantem.

Denique ad B. Tho. Resp. tres illos habitus simul infundi quantum attinet ad statum perfectæ virtutis: Addit enim quod *tam fides quam spes formatur per charitatem, & perfectionem virtutis acquirit.*

## Articulus X.

*Baptismus suum habet effectum recedente fictione.*

Art. 10. probat baptismum consequi suum effectum recedente fictione. Quæ doctrina post Aug. lib. 1. de baptismo c. 12. & lib. 3. c. 13. communis est Scholasticorum in 4. dist. 4. non est autem intelligenda juxta glossam cap. *Tunc valere* de consecr. d. 4. existimantem virtute solius pœnitentiæ remitti peccatum originale, sublatâ fictione: si enim non remitteretur virtute baptismi priùs susceptì, falsum diceret Aug. *tunc valere incipit baptismus.*

Confirmatur 1. quia regenerare hominem in Christo, delere peccatum originale, remittere omnem culpam & pœnam, ita est proprium baptismo, ut nullo alio Sacramento haberi possit. Unde Concil. Trid. sess. 6. cap. 3. docet translationem à statu in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, fieri non posse sine lavacro regenerationis, aut ejus voto: Atqui in eo qui verè, licet fictè baptizatus est, non potest repeti baptismus, nec locum habet votum baptismi suscipiendi; ergo peccatum originale remittitur virtute baptismi ante susceptì.

Secundò, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum:* sed fictè baptizatus nondum est regeneratus; restat ergo ut regeneretur, modo suprà dicto.

Tertiò, peccata Baptismum præcedentia non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, ideòque non possunt tolli per illud, ergo tolluntur per baptis-



baptismum: quia omne peccatum mortale tollitur per baptismi, vel pœnitentiæ Sacramentum, aut ejus votum. Antecedens patet, quia Sacramentum illud est relapsorum, & pro tollendis peccatis à baptismo commissis, ut docet Trident. sess. 6. capite decimoquarto, & sess. 14. capite primo, & seq. A

Vera ergo hujus doctrinæ intelligentia est; quod remotâ fictione, omnis ille effectus datur, ratione baptismi præcedentis, qui datus fuisset in ejus susceptione, si per fictionem non fuisset impedimentum. Datur autem secundùm quantitatem dispositionis, quâ tollitur fictio, tanta gratia, quanta fuisset data si eandem dispositionem habuisset in baptismo. Actus enim fictionem tollens, etsi non sit dispositio ad baptismum; est tamen dispositio ad ejus effectum. B

Si dicas Deum acceptare baptismum secundùm illam dispositionem quam habebat quando ministrabatur. Resp. Id quidem fieri in eo qui ad baptismum accedit ritè dispositus; non autem quando conditio subjecti Baptismum recipientis, pugnat cum effectu Sacramenti. Et ideò verius videtur quod tunc acceptet illum secundùm eam dispositionem quam habebit subjectum, quando removebitur fictio. An verò totus ille baptismi effectus, simul donetur, pendet ex eo, an simul tollatur omne obstaculum. Si enim affectus peccatorum venialium quæ præcesserunt baptismum, tollatur simul cum affectu mortalium; remissio simul erit; secus, si successivè. C

*Ob.* Circa resp. ad 1. objicitur, Quando opus mortificatum vivificatur, non datur quantitas gratiæ respondens illi operi, sed solum quantitati contritionis præsentis; ut patet ex qu. 89. art. 2. & 5. ergo similiter quando tollitur fictio. Resp. neg. Cons. quia gratia quæ hìc confertur, est verè effectus baptismi, & in ejus efficacia fundatur: Quæ verò datur ei cujus opus vivificatur, non est effectus alicujus Sacramenti præcedentis quod valeat ex opere operato.

*Resp.*

*Fictio non tollitur per baptismum.*

Circa Resp. ad 2. observandum est fictionem, seu indevotam, ac indebitam Sacramenti susceptionem, non posse tolli per baptismum; quia illa directè & per se primò repugnat dispositioni, quam Sacramentum ex suâ institutione requirit. D

*Sed per pœnitentiam.*

Tollitur ergo per pœnitentiam. Et quidem, si illa indispositio non fuerit peccatum mortale, ut quia accedens bonâ fide, putet se esse sufficienter dispositum, vel quia invincibiliter ignoret esse necessariam pœnitentiam talem, qualis à Conc. Tridentin. describitur, tolletur per synceram conversionem ad Deum, sive per contritionem absque Sacramento: si verò mortale peccatum fuerit; tolli debet per Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto. Quo casu fictio, & peccata post baptismum commissa tolluntur per Sacramentum Pœnitentiæ: gratia autem regenerationis, & remissio peccati originalis, ac aliorum quæ præcesserunt Baptismum, datur virtute Sacramenti Baptismi. E

Difficultas autem manet de peccatis in baptismi susceptione commissis: Et ideo

### QUÆRITUR I.

*Per quid ea peccata tollantur.*

Beatus Tho. quem Cajet. Cabrera, Nugnus, Vasquez, & alij sequuntur, docet ea tolli *Sylv. in III. Part.* per baptismum remotâ fictione. Tum enim *baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, & etiam simul existentium cum baptismo*, ait Author, allegans ad hoc S. Augustinum. Ac proinde sicut peccata ante baptismum commissa, non sunt confitenda; ita nec ea quæ simul sunt, si nullatenus ipsum subsequantur: & propterea confiteri sufficiet quod susceperit baptismum in peccato mortali, seu ejus affectu (quod est confiteri fictionem formaliter) etiamsi non dicat, an illud peccatum fuerit voluntas furandi, fornicandi &c.

Si autem peccatum aliquod in baptismo commissum continuaretur in affectu, usque post Sacramentum ministratum (quod plerumque accidit in eis qui in peccato aliquo manent dum baptizantur) esset necessarium illud in confessione aperire; quia generale est quod omnia peccata post baptismum commissa sint confitenda. Ac proinde, sicut ipsa fictio; & peccata post baptismum commissa sunt confitenda; ita etiam ordinariè illa in quorum affectu recipitur baptismus: quia vix est quod affectus ille non perseveret aliquo saltem momento post baptismum. Alia difficultas est, ideòque

### QUÆRITUR II.

*An habere effectum recedente fictione, proprium sit baptismo?*

Videtur esse commune omnibus Sacramentis: Illis quidem quæ imprimunt characterem, quia videtur esse eadem ratio illorum, quæ baptismi: Eucharistiæ, propter suam dignitatem: Pœnitentiæ, quia recedente fictione incipit quis recipere fructum absolutionis; ut ait Author in 4. d. 17. qu. 3. ar. 4. quæstiuncula 1. Extremæ unctioni, quia in eadem ægritudine iterari non potest, & maximè ordinatur ad præparandum hominem ad exitum hujus vitæ. Matrimonio, quia, per se loquendo, iterari non potest vivente conjuge, & constituit hominem in eo statu in quo maximè indiget gratia Sacramenti istius.

Verum, id de omnibus Sacramentis asserere, neque ex scripturis, neque ex Patribus, aut traditione fundamentum habet; Quin potiùs de solo baptismo constat; quia ejus effectus est primum esse spirituale seu regeneratio, quæ aliter haberi non potest, secluso martyrio.

Quia tamen ex Scholasticis, non pauci tribuunt idem Sacramentis omnibus characterem imprimentibus, ut Major in 4. dist. 4. quæst. 4. Palud. quæst. 5. Gabriel dist. 17. quæst. 1. art. 3. Sylvester verbo *baptismus* 4. quæst. 17. à quibus non videntur dissentire Bonaventura, & Richardus, dum di. 4. ad finem 1. partis negat, ille Eucharistiam, iste verò Pœnitentiam consequi effectum recedente fictione, ex eo quod non imprimunt aliquam indelebilem dispositionem ad gratiam, & consequenter sunt itera[illegible]lia.

*Resp.* Ideo, non improbabiliter dici potest esse commune Baptismo, Confirmationi, & Ordini; quia cum secundùm se initerabilia sint, illorum effectus alioquin non posset unquam haberi ab illis qui ficti erant, cum ea susciperent. Suffragari videtur Author dum in 4. distinct. 4. quæst. 3. art. 2. fin. dicit, *In Eucharistiâ non imprimitur character,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*cujus virtute posit aliquù virtutem Sacramenti recipere, fictione recedente.* Accedit quod ratioquâ hîc utitur, est communis tribus illis Sacramentis: In illis enim imprimitur character, quasi forma quædam: omnis autem forma consequitur effectum impedimento remoto. A

*Ob.* Nec obstat quod character non sit forma, seu dispositio necessitans ad gratiam, ut quæstione 63. art. 4. indicavimus, & patet ex eo quod nec omnibus, nec solis illis datur qui characterem habent. Nam ut observat Cajet. processus Authoris intelligendus est per accommodationem similitudinariam, ut sicut in naturalibus simul cum forma dantur effectus formam consequentes, nisi adsit impedimentum; quod si adfuerit, effectus illi sequen- B

*Resp.* tur eo amoto, propter formæ præsentiam, quæ nata est eos causare: Ita in baptismo imprimitur character quasi forma, & cum eo nata est ex ordinatione Dei sequi gratia, nisi ponatur obex. Qui si fuerit; eo ablato gratiam infundi conveniens est ordinationi divinæ; sive interim Deus utatur charactere tanquam instrumento ad illam causandam, sive, (quod suprà diximus) gratia conferatur ratione Sacramenti prius suscepti.

Ex his patet RESPONSIO ad objecta. Neque enim sic habere suum effectum, tribuitur alicui Sacramento propter dignitatem, aut efficaciam; sed quia ratione characteris initerabile est.

Absolutionem non recipere effectum recedente fictione quæ sit ob defectum contritionis; dicemus quæst. 9. Suppl. art. 1. In extremâ unctione, & matrimonio nihil imprimitur in animâ, ratione cujus gratia quæ fuisset infusa non ponentibus obicem, dicatur posteà infundi: nihilominus, secundùm ea quæ attulimus qu. 62. art. 2. dici potest; auxilia actualia ad sacramentorum fines ordinata conferri illis, qui fictionem tollentes postea sanctè vivunt. C

## QUÆSTIO LXX.

### *De Circumcisione.*

D

CIRCUMCISIONEM reprehenderunt olim Manichæi, quasi esset à malo Deo, eò quod præciperetur fieri in membro genitali.

Sed contra illos disputat Augustinus libr. 6. contra Faustum capit. 3. Et ex scripturâ, præsertim Geneseos 17. constat eam à bono Deo institutam.

*Circumcisio fuit à Deo institua.* Si dicas à Patribus institutam, quia Christus dicit Joan. 7. *Propterea dedit vobis Moyses circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus.* RESP. illis verbis non significari institutam esse à Patribus, sed institutionem ejusque usum non incepisse à tempore Moysis, sed ab ætate Patrũ, Abrahæ scilicet & sequentium. Cur autem fuerit in membro genitali, ar. 3. ad 1. explicat B. Thom. E

### ARTICULUS I.

*Circumcisio erat figurativa baptismi.* ART. 1. probat circumcisionem fuisse præparatoriam, & præfigurativam baptismi; quia in baptismo fit professio fidei, & per illum aggregantur homines cœtui fidelium; In circumcisione autem, etiam fiebat professio fidei, & aggregabantur homines congregationi fidelium. Et quemadmodum circumcisione auferebatur pellicula carnalis; ita baptismo, spoliamur carnali conversatione peccatisque omnibus, & consepelimur Christo; ut dicamur circumcisi (ad Coloss. 2.) *circumcisione non manufacta, sed circumcisione Christi. Secundùm carnem circumcisio circumcisionem præfigurabat spiritualem*, ait Iren. l. 4. cap. 30. *Ea* porro *baptismi figura erat*, inquit Damasc. l. 4 c. 30. Et Aug. lib. 6. contra Julian. c. 3. *Sacramentum circumcisionis in figura præcessisse baptismatis quis vel mediocriter sacrù litterù eruditus ignoret?* vide eundem l. 2. contra literas Petiliani c. 37. l. 2. contra Cresc. c. 31.

Inter causas ergo institutæ carnalis circumcisionis, una fuit, ut esset figura baptismi, & spiritualis circumcisionis. *Causæ circumcisionis.*

SECUNDA, quam B. Thom. ar. 2. ad 4. adducit, & quam 1. 2 qu. 102. art. 5. ad 1. æstimat esse principalem, est, ut esset protestatio, & signum fidei, quam Abraham habebat; juxta illud ad Rom. 4. *Et signum accepit circumcisionis*, id est, accepit circumcisionem, quæ data est ei in signum, ut qu. 62. art. 1. diximus. Intelligitur autem signum, non solum repræsentativum excellentis fidei, quæ fuit in Abraham, sed etiam protestativum fidei in Christum ex Abraham nasciturum. Ideo enim Author noster circumcisionem vocat protestationem ac professionem fidei.

TERTIA ratio est, ut esset signum rememorativum fœderis Dei cum Abraham. *Circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit signum fœderis inter me, & vos.* Gen. 17. Hoc autem fœdus tria continebat, scilicet promissionem seminis multiplicandi, *Ponamque fœdus inter me, & te & multiplicabo te vehementer*, ibidem: Possessionis terræ Chanaam, *Daboque tibi; & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaam*, ibidem: Et Messiæ de ipsius semine nascituri, *In te benedicentur universæ cognationes terræ*, Gen. 12. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Gen. 22. *Fœdus Dei cum Abraham continebat tria.*

QUARTA, ut populus Dei consignaretur ejusque cultui deputaretur, *ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Gen. 17.

QUINTA, ut esset signum distinguens Judæos à Gentibus, eosque quasi frænum quoddam cohibens ne eum eis commiscerentur, sed suâ gente contenti essent, vide Chrysost. hom. 39. in Gen. & Theodor. quæst. 67. Justin. in dialog. cum Tryphone.

Addi etiam potest, circumcisionem fuisse indicium aliquod peccati originalis: resecans enim aliquid de illâ parte corporis quæ generationi deservit, non obscurè significavit vitium aliquod generatione transmitti, quod curatione indigeret. An verò, & qualiter esset in istius peccati remedium, ar. 4. videbitur.

### ARTICULUS II.

*Circumcisio fuit convenienter instituta in Abraham.* ART. 2. docet circumcisionem convenienter instituta esse in Abraham, quia non instituebatur nisi pro populo qui erat & legem Dei susceptorus, & divino cultui specialiter deputandus, & ex quo Christus secundùm carnem esset nasciturus: Abraham autem primus fuit qui à Deo specialiter vocatus, ut esset Pater istius populi, segregavit se ab infidelium societate, & Christi de semine suo nascituri promissionem accepit, Gen. 12. 18. 22. 26.

*Ob.* Contra Resp. ad 2. objicitur, ex eâ sequi quod & baptismus institui debuerit multò tempore ante



ante legem novam; ut scilicet populus cui lex illa promulgari posset, congregaretur. A

*Resp.* Sed RESP. negando sequelam; partim quia lex gratiæ supponebat illum populum fidelem (scilicet Judaicum, cui primò erat promulganda) jam esse congregatum; juxta illud Isai. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem:* Unde & Christus ad domum Israel se missum dicit Matth. 15. & ad eam Apostolos mittit Matth. 10. Gentilibus adhuc seclusis: partim quia lex nova danda erat universo mundo, non, ut vetus, uni tantum populo. Ac nihilominus ut aliqua similitudo servaretur, baptismus aliquo tempore antecessit promulgationem legis novæ, ipsaque membra præcipua seu fundamenta ecclesiæ prius consignata fue- B runt per baptismum.

Circa Responsa ad 3.

## QUÆRITUR,

### *Quos comprehenderit lex circumcisionis.*

VIDETUR quod omnes posteros Abrahæ, quia Ismael, & Esau fuerunt circumcisi, ergo ad idem obligabantur eorum filij.

Deinde, Abraham Gen. 17. jussus est circumcidere omnes suos sive filios sive servos, eosque sive vernaculos sive emptitios.

RESP. legem circumcisionis communiter non C obligasse nisi Abraham, & ejus posteros per Isaac & Jacob oriundos: quia erat pactum seu signum pacti, quod Deus pepigit cum Abraham, & ejus semine. *Statuam*, inquit Gen. 17. *pactum meum inter me, & te; & inter semen tuum; daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ*, &c. *Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te.* Atqui semen Abrahæ, & semen Isaac, non vocantur in scripturâ quicunque ex illis descendunt secundùm carnem; sed Abrahæ quidem, Isaac; Isaac autem, Jacob. *In Isaac vocabitur tibi semen*, Gen. 21. & ad Ro. 9. *Et qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* unde illud, *Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ*, non continet promissionem terræ Chanaam pro Ismaelitis, & Idumæis, sed pro solis Israelitis. Ita ferè difficultatem hanc explicant B. Tho. in 4. d. 1. qu. 2. art. 2. Rupertus l. 5. in Gen. cap. 32. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. part. 12. capite secundo, Major, & Durand. in 4. distinctione prima, quæstione quinta & sexta, Suarez, & Cabrera ad hanc quæst. D

AD 1. ergo ARG. Negatur consequentia quia ex præcepto Dei, Ismael separatus est à familiâ Abrahæ Gen. 21. ideòque lex circumcisionis deinceps, neque ad eum, neque ad ejus posteros pertinuit, tametsi Abraham circumcidisset ipsum; sive ut filium de sua adhuc familia existentem, sive etiam sponte consentientem, quo modo circumcidit famulos & mancipia domus suæ, quos si contradixisset, probabile est quod nõ potuisset ad circumcisionem cogere, nisi ut volentes esse de colonia & religione Abrahæ. Cum enim circumcisio esset solemnis protestatio fidei, debebat esse voluntaria, nullusque erat ad eam cogendus. *De servis circumcisis ab Abraham.* E

Confirmatur, Deus nõ ex eo voluit servos compellendos esse vel ad legem, vel ad circumcisionem, quod essent servi Judæorum: nam Exodi 12. supponitur advena, & mercenarius potuisse manere incircumcisus, quando prohibetur manducare pascha: Et de servo emptitio idem supponi videtur; cum dicatur, *Circumcidetur & comedet.* j. si comedere vult, circumcidatur. Pro quo alij vertunt. *Post quam circumcideris eum, comedet ex eo.*

Nec obstat quod Gen. 17. postquam Abraham circumciderat carnem præputij domesticorum suorum, dicitur feciisse sicut præceperat ei Dominus: quia licet ipsi non simpliciter & absolutè obligarentur, tenebantur tamen eam accipere, si volebant esse de colonia & religione Abrahæ; ipseque Abraham obligabatur eos circumcidere, seu circumcisionem eis permittere, si vellent. De Esau similiter est dicendum, quod licet Isaac eum tanquam filium parvulum sibi subjectum circumcidere debuerit, ipse tamen non fuerit obligatus circumcidere suos, quandoquidem judicio Dei, Malach. 1. & Rom. 9. fuerit separatus à familia Isaac.

AD 2. RESP. illud, *tam vernaculus quam emptitius circumcidetur*, non habere vim obligandi servos, sed Abrahamum, ut non excluderet eos à circumcisione, si quidem vellent eam acceptare. Cõfirmari potest ex eo quod sequitur; *& quicunque non fuerit de stirpe vestra:* certum enim est eos qui non erant de stirpe Abrahæ non fuisse obligatos præcepto circumcisionis; ergo nec obligantur servi, nisi sub conditione quam expressit scriptura, Exod. 12. ad manducationem paschæ, si vellent in Abrahæ coloniam & religionem transire. Ex quibus patet cur omnes Israelitæ à Iacob descendentes, qui postea Judæi sunt dicti, debuerint circumcidi, quantumvis non ex singulis nasceretur Christus, esseturque divisio decem tribuum à duabus; quia scilicet omnes simul faciebant unum populum à Deo electum, descendentem ab Abraham per Isaac, & Jacob.

### ARTICULUS III.

*De ritu circumcisionis.* ART. 3. probat ritum circumcisionis fuisse convenientem.

PRIMUS ritus erat, (de quo in respons. ad 1.) quod ipsa fieret in membro generationis; idque partim quia erat signum fidei de Christo ex Abraham nasciturõ; partim quia populo adhuc carnali serviebat ad remissionem peccati originalis; partim, ut significaretur concupiscentia (quæ in illo membro maximè exoritur) esse amputanda & refrænanda; partim, ut sic fugillarentur sacra Veneris, & Priapi, in quibus ea pars honorabatur, ut dicit B. Tho. 1. 2. qu. 102. ar. 5. ad 1.

De secundo ritu agit in RESP. ad 2. affirmans (id quod etiam à Justino in Dialogo cum Tryphone, ab Hugone Victor. l. 1. p. 12. c. 2. Palud. Rich. & alijs in 4. d. 1. traditur) cultrum lapideũ non fuisse de necessitate circumcisionis. *ô nos*, inquit, *Iustinus, beatos, qui per cultros, lapideos secundà sumus circumcisione circumcisi vestra namque prima per ferrum facta est, & etiamnum sit*, &c. Confirmari potest; tũ ex eo quod ubi ritus circumcisionis præcipitur & instituitur, nullum instrumentum determinatur; tũ quia non fuisset causa præcipiendi Josue ut ad circumcisionẽ faceret cultros lapideos, si nunquam soliti fuissent uti alijs: Tum denique, quia verisimilius est instrumentum aliquod vulgare solitum adhiberi, potiùs quam in solitum, & rarum. *Cultri lapideum non erat de necessitate.*

Nec obstat quod duobus locis, Exodi 4. & Josue 5. ubi fit mentio instrumenti, exprimatur lapideum; quia ut respondet Hugo, in altero ob festina-

Universidad de Deusto
Biblioteca



festinationem, & trepidationem; in altero verò, A ob typum & figurationem veri, non inconvenienter factum æstimatur.

*Circumcisio secunda.*

Vocatur autem circumcisio quam fecit Josue; secunda: non quod idem homo circumcideretur bis, sed quia erat secunda respectu primæ, fuit enim circumcisio bis à populo, quamvis non ab ijsdem istius populi hominibus, assumpta: semel per Abraham, quando universus Dei populus circumcisus est, & circumcisionem continuavit sine interruptione usque ad desertum. Secundò, postquam multis annis fuisset intermissa, reassumitur per Josue, quando rursum totus populus circumciditur, & circumcisionem deinceps continuant.

*Cur die 8. cum hac resp. ad 3. confer q. 68. art. 3. ad 5.*

Tertium ritum explicat in Respons. ad 3. ac docet octavum diem nullâ necessitate potuisse B præveniri: quia præceptum illius diei determinativum sic intelligebatur; ut constat, tum ex usu, tum ex eo quod nulla poterat esse causa præveniendi, nisi periculum mortis; hæc autem non poterat esse legitima, quia puerulo periclitanti mors accelerata fuisset ex dolore circumcisionis. Non remansisse tamen ejusmodi infantes sine remedio, tradit B. Tho. ar. 4 ad 2. Et patet ex ijs quæ ar. 3. q. 61. diximus.

Differre verò circumcisionem ultra diem octavum, interdum licuit; ut ex periculo mortis, quam non licebat in infirmis accelerare. Et confirmatur, tum ex eo quòd pascha licet cum determinatione diei esset præceptum, differri tamen poterat C ex causis, Num. 9. tum ex eo quod Israelitæ per desertum incircumcisi manserunt, & quidem sine crimine: Nam si peccassent; non est verisimile Moysen hoc taciturum fuisse; quandoquidem colligentem ligna in sabbatho graviter punierit, & inobedientiam eorum qui egressi erant ut colligerent manna die sabbathi non tacuerit; Num. 15. & Exodi 16.

*Vide art. 4. ad 3.*

Causa autem intermissæ circumcisionis in deserto potissima erat, quod nullum dabatur eis spatium certum quiescendi, cùm nescirent quando castra essent movenda. Nec obstat Sephoram circumcidisse filium suum in itinere: quia is debuerat antea esse circumcisus; & potuit Sephora diebus aliquot morari, ubi moram exposcere videbatur infirmitas filij; quæ (ut Gen. 34. patet) circumcisionem sequitur. D

Ex his patet diem octavum fuisse de necessitate præcepti, non autem Sacramenti, quamvis enim aliqui putent parvulos ante illam diem fuisse circumcisionis incapaces, quatenus illa erat Sacramentum; contrarium tamen, quod hîc insinuat Author, & expressit Paludanus in 4. d. 1. qu. 5. ar. 3. verisimilius est. Deinde, illi qui post octavum diem circumcidebantur, verè fuerunt circumcisi, Exod. 4. & 1. Machab. 2.

Locus prov. 4. citatus eadem Respons. non significat Salomonem fuisse unicum Davidis filium ex Bethsabee, nam 2. Reg. 5. & 1. Paral. 3. numerantur & alij: sed significat eum unicè dilectum E à matre, instar unigeniti, unde 70. verterunt, *Dilectus in facie matris.*

Porrò de circumcisionis loco, & ministro, nihil dicit Author, quia nihil scriptura determinavit. Probabile est, ubique, & à quibusvis fieri potuisse, aut saltem ab ijs qui ad hoc erant deputati in singulis civitatibus & villis, juxta illa quæ dicuntur Luc. 1. *venerunt circumcidere puerũ.* vide q. 37. ar. 1.

## Art. IV.

### Articulus IV.

*Vtrum Circumcisio conferebat gratiam justificantem.*

Videtur quod sic. Primò, quia sicut de baptismo dicitur, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. ita dicitur de circumcisione, *Masculus cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Sicut ergo priori sententiâ significatur excludi à regno cœlorum, qui per baptismum renatus non fuerit; admitti autem qui fuerit: ita & posteriori significatur perpetuus interitus imminere omni masculo Hebræorum, si non fuerit circumcisus; liberatio verò, si fuerit, quemadmodum ratiocinatur Aug. lib. 16. de civit. Dei c. 27. Libro etiã 4. de baptismo c. 24. dicens ex circumcisione carnis conjicere nos posse, quid valeat in parvulis baptismi Sacramentum, addit; *Ipsum per seipsum Sacramentum multum valebat.*

Consentiunt & alij Patres. *Originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium*, ait Innoc. 3. cap. *Majores*, de baptismo. *In baptismate sola hanc originalẽ maculam lavat gratia; & sola eam rasit olim petra circumcisionis*, ait Bern. serm. 2. de assumptione. Qui etiam serm. 2. paschæ vocat circumcisionem peccati remedium, ægritudinis medicinam.

Gregor. l. 4. moral. c. 2. *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificij, vel pro his qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis.* Beda in hom. die circumcitionis, de Christo circumciso dicit, *Remedium quo ære peccati consuevérat mundari, non respuit.* Et postea, *Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio, in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere, revelatæ gratiæ tempore, consuevit.* Quibus addi potest illud Leonis serm. 2. de Pentecoste cap. 3. *Sine hac gratia nulla unquam instituta Sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria, ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum.*

Secundò, Idem confirmari potest ratione. Per circumcisionem vel conferebatur gratia ex opere operato, vel ex opere operantis; nullum enim videtur dari posse medium: Sed parvulis non conferebatur ex opere operantis; cùm nec ministrantis malitia eis obesse posset, nec ipsi capaces essent propriæ operationis: ergo ex opere operato.

*Resp. neg.*

Verum, quod circumcisio non habuerit vim conferendi gratiam, ideòque nec peccatorum remissionem contulerit, tradit B. Thom. in cap. 4. ad Rom. & supra, quæst. 62. ar. 6. ad 2. & latiùs hoc articulo, ipsumque sequuntur Domin. in 4. dist. 2. & alij.

Primò, quia justitia non contingit Abrahæ per circumcisionem; ergo nec alijs. Si enim ille cui primò data est, nihil ex eâ consecutus est justitiæ; sequi videtur quod nec alij; præsertim cùm scriptura nusquam inveniatur tale aliquid circumcisioni tribuere, nec unquam dicat aliquem circumcisione salvum factum, aut mundatum; sicut dicit de baptismo. Antecedens traditur ab Apostolo ad Rom. 4. ubi docens Abraham ex fide, non ex circumcisione justificatum, quippe qui acceperit illam ut signum fidei, & justitiæ prius habitæ, non autem ut causam: non de prima tantum justificatione loquitur, sed de tota hominis justitia. Alioquin, Judæus qui de circumcisione gloriabatur, potuisset Apostolo respondere, Etsi prima justificatio



stificatio non contigerit Abrahæ per circumcisionem, quia antè eam justus erat; secundam tamen contigisse: quemadmodum Cornelio ante baptismum justificato, per baptismum accessit augmentum justitiæ. A

Secundò, Cùm ad Rom. 3. quæreret Apostolus, *Quæ utilitas circumcisionis?* non dicit valuisse ad justitiam (quod tamen cum sit maxima utilitas, dicendum erat, si justitiæ causandæ vim habebat) sed *quia* inquit, *credita sunt illis eloquia Dei*, id est, data lex, & prophetæ.

Tertiò, Lex vetus non justificabat; ergo nec circumcisio præcipuum istius legis Sacramentum. Huc pertinent quæ ar. 6. qu. 62. diximus, ostendentes sacramenta veteris legis non contulisse gra- B tiam ex opere operato. Quamvis enim circumcisio legem Mosaicam antecesserit; fuit tamẽ etiam in ista lege Sacramentum à Moyse præceptum Levit 12. unde Christus Joan. 7. *Propterea*, inquit, *Moyses dedit vobis circumcisionem.* Hinc Patres, sicut & scriptura, loquentes de Sacramentis veteris legis, circumcisionẽ semper includũt; quę erat professio legis istius, & janua aliorum sacramentorũ.

Quartò, Probatur ex Conc. Flor. ubi distinguens sacramenta veteris, & novæ legis; *Illa*, inquit, *non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant.*

Omninò autem verisimile est quod Concilium universaliter locutum sit de sacramentis antiquæ C legis, etiam comprehensa circumcisione, alioquin discrimen eorum à sactamentis novæ legis non esset plenum.

Quintò, Synodus Trid. sess. 7. can. 2. anathemate ferit eum *qui dixerit novæ legis sacramenta à sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi.* Si autem circumcisio, quæ est unum ex illis antiquis, conferebat gratiam ex opere operato; non differt à baptismo nisi in ritu, & cæremoniâ; præsertim in sententia illorum qui baptismum non faciunt causam gratiæ, nisi moralem.

Sextò, Patres potiùs negant circumcisionem justificasse, quam id asserant. D

Justinus, in dial. cum Triph. *Circumcisionem in signum, non ad justitiam accepit.*

Irenæus l. 4. contra hæres. c. 30. *Circumcisionem, non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus.* Similiterque Tertullianus l. adversus Judæos c. 2. *Si circumcisio purgat hominem; Deus Adam incircumcisum cùm faceret, cur eum non circumcidit vel postea quam deliquit, si purgat circumcisio.* & cap. 3. de Abraham dicit quòd *Acceperat circumcisionem sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogativam.*

Chrysostomus homil. 27. in Genesim, *voluit cumcisionem pro lege statui, non quod ad animæ salutem proficere hæc posset aliquid, sed vi hoc gratitudinis indicium, quasi signum & sigillum, circumferrent Judæorum pueri.* E

Ambros. epistolâ 72. *Signum igitur, circumcisio corporalis; veritas autem, circumcisio spiritualis. Illa membrum amputat, ista peccatum.*

Et Gregor. Nyssen. tract. de Trinitate adversus Judæos; *neminem circumcisio justificat*, videri possunt Cyprian l. 1. contra Judæos c. 8. Theodor. q. 67. in Gen. Hieron. in c. 3. ad Gal. Cyrillus Alex. sub finem l. 10. contra Julian. Eusebius Emissenus, seu potius S. Eucherius Lugdun. vel quisquis est author, homilia de circumcisione.

Denique, eodem pertinet illud Aug. in Psal. 73. *Sacramenta novi testamenti dant salutem; sacramenta veteris testamenti promiserunt salvatorem*, nam quod circumcisionem non excipiat, patet ex l. 2. de nuptijs, & concup. c. 11. ubi sic habet, *ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculũ justitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat magnũ, & parvulis, originalis, veterisque peccati: sicut baptismus ex illo valere cæpit ad innovationem hominis, ex quo institutus est.* ubi aliter de baptismo, aliter de circumcisione loquitur; dicens hanc valere ad significationem purgationis, illum ad innovationem, ut proinde, licet æquatur aliquis idem effectus, non tamen eodem modo.

Quapropter ut ad argumenta respondeamus, concedimus, in circumcisione datam fuisse gratiã justificantem, & remissionẽ peccati sive originalis, sive mortalis, quod cum eo erat conjunctum; Et ad hoc necessariam fuisse circumcisionem tanquam signum externum; sed negamus datam per circumcisionem, tanquam per causam instrumentalem; negamus etiam quod ipsa vi talis operis valeret activè ad ipsam conferendam. Videri potest Pamelius ad cap. 3. dicti libri Tertulliani.

Ad 1. ergo Arg. quidam respondent sententiam illam, *Masculus* &c. pertinere ad solos adultos; qui si negligerent, vel se vel suos circumcidere; ob omissum de circumcisione præceptum, mu.ctandi erant morte corporali; quo modo phrasis illa, *perire de populo*, accipitur Exodi 31.

Quia tamen Aug. l. 2. de nupt. c. 11. l. 16. de civit. cap. 27. lib. de pecc. origin. c. 30. Fulgent. lib. de Incarnat. c. 15. Et Rupertus l. 5. in Gen. cap. 33. existimant prædictam sententiam etiam ad parvulos pertinere, qui illud, *delebitur*, intelligunt de pœna spirituali, quod scilicet talis non connumerabitur populo Sanctorum, sed ab eo per mortem æternam separabitur; quia pactum cum primo homine initum, irritum fecit *quando in Adam cum omnibus ipse peccavit*; Ideo concedimus, circumcisionem postquam erat præcepta, fuisse ex pacto Dei medium, quo interveniente parvulus salutem habere posset, & sine quo non posset. Verùm liberatio quam accipiebat circumcisus, non erat ex vi circumcisionis, sicut ea quam accipit baptizatus, est ex vi baptismi.

Quapropter in eâ dabatur remissio illius peccati, quod in baptismo deletur, sed nõ vi talis operis. Erat etiam remedium peccati, non tamen effectivè, sed significativè. In eâ, & per eam remittebatur peccatum, tanquam per nudum signum, non tanquam per causam: & ideò non propriè *per eam*, sed *in eâ*, ad ejus præsentiam.

Ad verba sancti Leonis, Resp. ijs significati quod mysteria antiqua non fuerint celebrata sine gratia, quia ex fide, & devotione accedentibus, illa conferebatur, etsi non ex opere operato.

Ad 2. Negari posset antecedens; quia illa non sunt immediatè opposita, sed potest dari medium, scilicet ex singulari providẽtia vel pacto Dei, succurrentis necessitati parvulorum, tam ante institutam circumcisionem quam postea. Nihilominus tamen quod datur ex fide Ecclesiæ, rectè censetur dari ex opere operantis, non ministri, sed ecclesiæ per ministrum. Alij non improbabiliter addunt datam fuisse gratiam ex opere operato, non activè vi illius operis ad hoc valentis efficienter, sed passivè, quia Deus eam dabat non per tale opus ut per instrumentum, sed ad præsentiam illius.

De respons. ad 2. & 3. videnda sunt dicta ar. 3. A q. 61. & hujus qu. art. 3.

## QUÆSTIO LXXI.

*De præparatorijs quæ simul concurrunt cum baptismo.*

*Quid cæremonia.*

HAc quæstione B. Thom. agit de cæremonijs baptismi. Cæremonia in genere est opus externum ad cultum Dei pertinens. Ita vocatur vel à Cære oppido, ubi Româ à Gallis captâ, cultus divinus Romanorum est exercitus, ut ex Valerio tradit Author 1. 2. qu. 99. ar. 3. Vel à carendo, quia observantes carent ijs quibus abstinent, ut ait Aug. l. 2. retr. c. 37. Et Gellius l. 4 c. 9. Specialius autè Cæremoniæ sacramentales ( quæ aliàs sacramentalia solent vocari) sunt ritus quidam religiosi qui exercentur circa sacramentorum administrationem, præter eos qui sunt de essentia. Ac propterea si contingat eos (sive licitè, sive illicitè) omitti; Sacramentum nihilominus perficitur, adhibitis ijs quæ necessaria sunt. Quamvis autem non omnes à Christo instituti sint, sed vel ab Apostolis, vel ab eorum successoribus; servandi tamen sunt; ut monemur sess. 7. Concil. Trid. can. 13. de Sacramentis in genere. Habet enim ecclesia relictâ sibi à Christo potestatem eos instituendi: ut sess. 21. c. 2. ejusdem Concil. dicitur, & tradit Aug. epist. 118. c. 6. patetque ex clavibus ecclesiæ datis.

*Quid cæremoniæ sacramentales.*

*Rationes cæremoniarum.*

Cæremoniarum rationes variæ sunt. PRIMA ut sancta sanctè tractentur, ac in majori honore habeantur.

SECUNDA, ut per eas mens in Deum erigatur, intelligentia exerceatur, devotio excitetur, memoria renovetur.

TERTIA, ut ab infidelibus fideles distinguantur. Duas primas indicat Conc. Trident. sess. 22. cap. 4. & 5. Catech. Rom. part. 2. cap. 1. quæst. 10. Augustin. epist. 119. cap. 7. Tertiam Conc. Tolet. 4. cap. 2.

Quod verò ad baptismi cæremonias attinet, adhibentur quædam solùm ad significandum, Quædam etiam ad efficiendum; ut tradit Author ar. 3. ad 4. Et rursum, Aliæ præcedunt baptismum, aliæ sequuntur, aliæ simul sunt conjunctæ; prout eas dividit Catech. Rom. dictâ p. 2 cap. 2. ubi de varijs cæremoniarum explicationibus diligenter est legendus. B. Thom. omnes antecedentes revocat ad catechismum, & exorcismum.

### ARTICULUS I.

*In quo consistat catechismus.*

ART. 1. probat baptismo priorem debere esse Catechismum; qui substantialiter consistit in sufficienti doctrina rerum fidei, & morum. De quo habemus Matth. ult. Act. 2. & 8. Quoad cæremoniam verò, consistit in ritu per ecclesiam instituto.

*Catechumeni Auditores.*

Catechumenorum porrò quidam vocabantur olim *Auditores*, qui nimirum habentes voluntatem credendi, exhortationes, & fidei instructiones audiebant, baptismo nondum petito; De quibus Isid. l. 2. de off. c. 20. Tertull. l. de præscript. c. 41. li. de pœnit. cap. 6. Cypria. epist. 13. & 24. Et Pamelius ibidem.

*Competentes.*

Alij erant *Competentes*, qui & nomina sua dabant, & baptismum cum alijs petebant. Unde Aug. de quodam loquens libide cura pro mortuis c. 12. *Pascha* (inquit) *jam appropinquabat, dedit nomen inter alios competentes.* De ijsdem videri possunt Clemens Rom. epistolâ 3. Isid. l. 2. c. 21. Rabanus Maurus l. 1. de institut. Cleric. cap. 26. Concil. 4. Cartagin. cap. 85. Aug. l. 9. confess. ca. 6. epi. 155. & serm. 116. de tempore, quem habuit ad Competentes. Istos verò Competentes, aliter vocatos fuisse *Electos*; constat ex Leonis epist. 4. c. 5. & 6. ex Ordine Rom. & ex sacram. B. Greg. in sabbatho sancto. Ex quibus sicut etiam ex Alcuino, Amalario, & alijs patet varia adhiberi solita fuisse *scrutinia* ad explorandum, an vera esset Catechumenorum conversio. Qui deinde signabantur signo crucis, abrenuntiabant Sathanæ, fidem profitebantur, ut tum ex ijsdem, tum ex Dionys. c. 2. eccles. hierar. Clem. Rom. lib. 7. constit. cap. 41. Cyrillo Jerosol. catechesi 1. mystagogica, Cypr. epist. 70. Basilio l. de Spiritu sancto c. 27. Ambr. l. 1. de sacram. & lib. de ijs qui initiantur, Aug. lib. de symbolo ad catechumenos, de fide & operibus, de catechizandis rudibus, & alijs, manifestum est.

### ARTICULUS II.

*Quid exorcismus.*

ART. 2. probat *exorcismum* qui est adjuratio dæmonum, certis præcibus facta, ad eos fugandos; debere præmitti baptismo; ut arceantur, ne baptizandum impediant à perceptione baptismi. Hujus meminerunt Cyrillus dictâ catechesi 1. Ambr. l. 1. de Sacram. c. 5. Leo epist. 4. c. 6. Cypr. epist. 2. & 76. cum Patribus ibi citatis à Pamelio. Cæremonias quibus jam olim exorcismus catechumenorum consuevit peragi, videre est hîc ab Authore explicatas; & in catech. Rom. cap. 2. de baptismo.

Exsufflationis meminit Ambros. cap. 1. libr. de ijs qui initiantur, Aug. l. de pecc. orig. c. 40. & l. 6. contra Julian. c. 5.

Impositionis manuum, Dion. eccles. hier. ca. 2. Clemens Rom. l. 2. constit. cap. 39 Concil. 4. Carthag. c. 85. & Concil. 2. Hispal. can. 7.

Usus salis, Isid. li. 2. off. c. 20. Aug. l. 1. confess. c. 11. Concil. 3. Carthag. can. 5.

Linitionis aurium & narium, Ambr. l. 1. de Sacram. c. 1 Ordo Rom. supra.

Inunctionis olei, Dion. dicto c. 2. Ambr. l. 1. de Sacram. c. 2. & lib. 3. cap. 1. Cyrill. catech. 2. Cur autem fiat in pectore, & ad scapulas, vide qu. 66. ar. 10. ad 2.

Benedictionis fontis, Dion. ibidem & Ambros. lib. 1. de Sacram. c. 5. & qui de divinis officijs tractant.

### ARTICULUS III.

*De effectu exorcismi, ante baptismum.*

ART. 3. docet ea quæ aguntur in exorcismo aliquid efficere, scilicet per modum impetrationis. Nam quod quidam existimant ea ex opere operato & physicè agere, sive ad auxilium aliquod actuale, sive ad alios effectus sacramentales; satis improbabile est: sunt enim per ecclesiam instituta; hæc autem non potest instituere signum aliquod in quo infallibiliter detur gratia sanctificans. Cæterum hæc impetratio non fundatur in privatâ ministri sanctitate; sed in oratione totius ecclesiæ quæ peculiarem adversus dæmones potestatem accepit.

Effectus ergo exorcismorum, quidam infalliblier sequuntur, si non sit obex in suscipiente; scilicet



scilicet quod non impediatur Sacramentum & A effectus Sacramenti, benè ministrati: quidam verò non semper, expulsio scilicet dæmonum è corporibus obsessis.

IN RESP. ad 4. meminit duarum cæremoniarum quæ fiunt post baptismum. Una est inunctio chrismatica in vertice, cujus meminerunt Innoc. primus, ep. 1. c. 3. Conc. Arausic. 1. can. 1. Tertull. c. 7. lib. de baptismo, alijque complures à Pamelio ibidem citati. *Alia est*, quâ recens baptizatus veste eo dignâ, ut loquitur Dionys. c. 2. eccl. hier. induitur, candidâ scilicet, ut ex Ambr. l. 1. de ijs qui initiantur c. 7. Cyrillo Hierosol. catechesi mystagogicâ 2. Rabano l. 1. de institut. Cleric. c. 29. & alijs, constat. Hanc jubebantur baptizati ferre à sabbatho B sancto usque ad Dominicam quæ dicitur *in albis*, vel *post albas*, quomodo vocatur tam in sacramentario S. Greg. quàm in ordine Rom. eò quod sabbatho ipso exuebantur albis vestibus.

Præter has, quædam sunt aliæ veteres, sed exoletæ. Una tamen, de cereo, qui accensus traditur baptizato, ad significandam fidem vivam quæ usque ad mortem servari debet, & cujus meminit Nazianz. orat. 40. Nicephorus l. 3. c. ult. Alcuinus, & alij de divinis off. etiamnum servatur.

### ARTICULUS IV.

ART. 4. docet officium catechizandi, & exor- C cizandi baptizandum incumbere sacerdotibus, tanquam primarijs agentibus; ita scilicet ut illi quibus animarum cura commissa est, ad id teneantur, cæteri autem non, nisi eis committatur.

Sacerdotibus autem assistere debent, Diaconi quidem in collatione sacramentorum, inferiores autem ministri, in his quæ sunt præparatoria: sicut lectores in catechismo, & exorcistę in exorcismo.

*Ut ministrandus Baptismus.*

Duo sunt alia circa baptismum, de quibus hæc sunt observanda. Prius, peccatum esse mortale baptizare aliquem sive cum cæremonijs & solemnitatibus, sive sine illis, extra ecclesiam, ad hoc fontes specialiter deputatos habentem, nisi Regum, aut Principium filios, aut in eâ necessitate, D propter quam non possit ad ecclesias accessus haberi. Patet id ex Clementinâ unicâ de baptismo. In diœcesi autem Cameracensi tit. 2. statut. antiq. lata est excommunicatio in contrafacientes, reservata. Casu autem quo petatur ut Regum, aut Principum filij baptizentur extra ecclesiam fontes habentem, baptizandi sunt in eorum oratorijs seu capeliis in aquâ baptismali, de more benedicta. Quod si contingat ejusmodi aquam in ecclesiâ deesse, potest ( etiam extra sabbatum Paschæ, & Pentecostes ) sine cantu benedici, eo ritu qui præscribitur in Rituali Romano.

Ex his bene advertant parochi, nequaquam sibi licere ad instantiam eorum nobilium qui neque E sunt Reges neque Principes, ipsorum pueros vel in domo, vel in capella domestica, aut in alia quacumque si non sit ecclesia habens fontem baptismalem, baptizare, vel solemniter vel non solemniter. Sed nec eis licet illos pueros in ecclesia fontes habente ad assecurationem ut vocant interea dum patrinus expectatur, baptizare sine cæremonijs, partim quia obstat allegata Clementina; partim quia recepta est Navarri cap. 22. num. 7 Ledesmæ cap. 6. de baptismo, & aliorum sententia, peccatum esse mortale sacerdoti cuique, baptizare sine solemnitate extra casum necessitatis; sive quia fit contra ordinationem & morem ecclesiæ in re notabili; sive quia magna fit injuria vel irreverentia Sacramento: non est autem casus necessitatis quando puer tutò potest ad ecclesiam ferri, ibique more consueto baptizari.

POSTERIUS, sicut consuetudine fuit introductum apud Abrahæ posteros ( quemadmodum ex Lucæ 1. & 2. patet ) ut in circumcisione imponeretur nomen; sive quia tunc nomen Abrahæ fuerat immutatum; sive quia tunc demum aggregabatur aliquis cœtui fidelium, quorum nomina sunt in libro vitæ: Ita convenienter in baptismo, qui circumcisioni successit, imponi nomina.

*Quæ nomina non imponenda.*

Quod autem non imponantur nomina gentilium, Canone 30. Conc. Niceni, inter eos qui ex Arabico versi sunt, est decretum; & repetitum in Synodo Provinc. 2 Cameracen. tit. 6. c. 6.

In Synodis, Iprensi sub Martino Rythovio, & Audom. sub Joanne Six, prudenter adjicitur, ut nec imponantur nomina peregrina, ridicula, inaudita, incognita; sed illorum tantum qui in ecclesiâ celebrantur, aut alioqui commendationem habent; ut per ea baptizati admoneantur, & excitentur ad eorum imitationem.

Advertendum tamen id quod ad dictum canonem 30. notat Turrianus, non imponi fidelibus nomina gentilium, si quando in baptismo imponitur nomen Pompeij, Octavij, & similium: non enim ut nomen Gentilis, sed ut nostrum imponitur. Sic enim Gentilium nominibus tanquam nostris uti possumus; ut Gentiles nostris tanquam suis utebantur, cùm Antonios, Marcos, & Marcellos vocabant.

## QUÆSTIO LXXII.

*De Sacramento Confirmationis.*

### ARTICULUS I.

*Utrum Confirmatio sit Sacramentum.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia non est instituta à Christo, cùm nec scriptura Confirmationis meminerit, nec B. Thom. in resp. ad 1. aliter institutam putet, quàm quia Christus eam promiserit.

SECUNDÒ, Apostoli dederunt effectum Confirmationis sine Confirmatione: atqui dare effectum Sacramenti sine Sacramento, non est communicatum Apostolis; ergo Confirmatio non est Sacramentum. Major, est B. Tho. art. 2. & 4. ad 1. Minor est ejusdem q. 64. ar. 4.

TERTIÒ, illud quod est Sacramenti effectus non impetratur oratione ecclesiæ vel ministri: atqui plenitudo Spiritus, quæ dabatur per manus impositionem, Apostolorum oratione impetrabatur: ergo non est effectus Sacramenti. Major est B. Tho. q. 64. ar. 1. ad 1.

Minor probatur ex Actor. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum.* Confirmatur, Apostoli in Actis non dederunt Sacramentum Confirmationis per manuum impositionem, ergo non potest inde peti argumentum pro Confirmatione. Antecedens probatur ex Conc. Florent. dicente, *Loco illius manûs impositionis datur in ecclesia Confirmatio.*

QUAR-

Universidad de Deusto
Biblioteca



QUARTÒ, Augustinus libro tertio de baptismo cap. decimo sexto, sic de Confirmatione loquitur, *Manus impositio non sicut baptismus repeti non potest? quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?*

QUINTÒ, Baptismus sufficit ad spiritualem vitam præstandam, Eucharistia ad nutriendam, conservandam, & augendam; ergo non est necessitas instituendi Confirmationis Sacramentum.

RESPONSIO ad fidem pertinens est, Confirmationem esse propriè dictum novæ legis Sacramentum.

*Confirmatio est novæ legis Sacramentum.*

Probatur PRIMÒ, ex scriptura. Nam promissiones Christi de mittendo Spiritu sancto, Lucæ ult. Joan. 14. 15. 16. non pertinent ad solos Apostolos, sed extendendæ sunt ad universam ecclesiam, omnesque fideles: ergo & signum, per quod ejusmodi promissionum effectus, id est, gratia Spiritus sancti detur, quod erat manûs impositio cum oratione. Antecedens Confirmatur ex verbis Christi, qui non perpetuò victuris dicebat. Matth. ult. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* unde Petrus Act. 3. de istarum promissionum effectu adfert verba Dei apud Joelem: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.*

Accedit & ratio, quia omnes fideles egent corroborari Spiritu sancto, ut possint resistere adversarijs fidei, tam internis quàm externis: hæc autem corroboratio est proprius effectus Confirmationis. Neque refert quòd hoc tempore non dentur illi visibiles effectus, qui olim dabantur, quia non sunt modò necessarij; tunc autem necessarij erant ad plantandam fidem. Vide Augustinum lib. 3. de baptismo c. 16.

Præterea, illud est Sacramentum per quod ordinariè datur Spiritus sanctus: Atqui per impositionem manuum ordinariè dabatur Spiritus sanctus, Actuum octavo & decimonono: ergo illa erat Sacramentum.

*Tacitæ objectiones solvuntur.*

Nec dici potest, quod vult Calvinus, illam manuum impositionem esse institutam, vel solùm ad breve tempus; vel ut per eam dona quædam visibilia, veluti linguarum, miraculorum, & similia darentur; vel fuisse dumtaxat oblationem quâ baptizati offerrentur Deo.

PRIMÒ, quia Christus non providit ecclesiæ suę de Spiritu sancto ad breve tempus, sed in perpetuum.

SECUNDÒ, quia Spiritus sanctus non datur nisi detur gratia justificans, ut ostensum est primâ parte quæstione quadragesimatertia articulo tertio: Dona autem illa quæ sunt gratiæ gratis datæ, communicantur etiam peccatoribus, ut patet Matth. 7.

TERTIÒ, dona sensibilia non erant communia omnibus, ut patet primæ ad Corinthios duodecimo: Atqui omnibus, quibus Apostoli manus imponebant, dabatur Spiritus sanctus: ergo quod dabatur, erat aliud ab illis donis.

QUARTÒ, ut fideles per impositionem manûs solùm consequerentur ea dona, non erat opus Petrum, & Joannem mitti ad Samaritas; quia Philippus multa signa ibi faciebat; nec necessarij erant qui plura facerent.

QUINTÒ, soli Apostoli manus imponebant, non soli autem illi poterant baptizatos offerre Deo, cùm hoc non sit aliquid majus, quàm baptizare.

SECUNDA PROBATIO est ex testimonijs summorum Pontificum. Clemens Roman. l. 3. constitutionum cap. 10. manûs impositionem sacrificio, & baptismo annumerat. Urbanus 1. epist. suæ c. 7. Fabianus epistola 2. Cornelius apud Eusebium li. 6. c. 35. Eusebius epist. 3. Melchiades epistola ad omnes Hispaniæ Episcopos, & alij, unanimiter adscribunt manûs impositionem solis Episcopis: Et eorum alij expresè dicunt quòd sit Sacramentum, alij ea adferunt, ex quibus id certò colligitur.

TERTIA PROBATIO est ex Concilijs, Elibertino canone 38. & 77. Arelatensi 1. canone 8. Laodiceno canone 7. & 48. quibus accesserunt duo generalia, Florent. & Trid.

DENIQUE, huc facit continua ecclesiasticorum Patrum traditio. Dionysius ecclesiasticæ hierarch. c. 4. *Est*, ait, *ei*, scilicet, synaxi, *finitimum alterum Sacramentum, quod præceptores nostri unguenti mysterium nominant.*

Ejusdem meminerunt Ambrosius libr. 3. de Sacramentis c. 2. Cyrillus Jerosolymitanus catech. 3. mystag. Isidorus lib. secundo de Officijs cap. 25. Augustinus libr. secundo contra litteras Petiliani cap. 104. Cyprianus epistolis 70. & 72. cum alijs à Pamelio tum ibi, tum ad Tertullianum libr. de præscript. cap. 40. & de baptismo c. 8. citatis, atque etiam à Bellarm. li. 2. de Sacramentis.

*Variæ nominationes.*

Ex quibus observandum est hoc Sacramentum ab effectu vocari *Confirmationis*, quia per illud confirmamur, & roboramur: à materia, *Sacramentum chrismatis, unguenti*, vel *olei*: à ritu, *manûs impositio*: à consignatione, *signaculum*, vel *Sacramentum consignationis.*

*Definitio.*

Definiri autem potest quod sit *Signum sensibile, quo baptizatus à legitimo ministro chrismate sub certa verborum forma in fronte ungitur.* vide B. Thomam in 4. distinctione 7. quæstione 1. ar. 2. quæstiuncula 3. ad 2.

AD 1. verò argumentum RESP. Confirmationem esse institutam à Christo immediatè: ut ex Concilio Tridentino diximus quæst. 64. ar. 3. Solus enim ille potest efficaciter gratiam promittere, & signum quo illa donetur, constituere. Dicit tamen B. Thomas Christum illam instituisse non exhibendo, sed promittendo; quia ipse corporaliter hîc conversans nō ministravit hoc Sacramentum, sed effectum ejus promisit. Unde verborum ejus sensus est; *Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo*, sive, non administrando illud alicui (quo modo instituit Eucharistiam & Ordinem;) *sed promittendo*, illius effectum.

*Confirmatio fuit instituta in ult. cœna.*

Videtur autem institutio esse facta in ultima cœna: siquidem Fabianus Pontifex in epistola ad Episcopos orientales, *In illa*, inquit, *die Dominus Iesus postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobis quoque reliquerunt, chrisma conficere docuit.* Ubi quamvis materiam solam nominet, vix dubium esse potest, quin reliqua ad hujus Sacramenti substantiam pertinentia, simul instituerit; quandoquidem nulla sit necessitas ea separandi. Existimamus tamen non fuisse tunc Apostolis datam potestatem illud Sacramentum ministrandi; cùm necdum essent Episcopi, imò nec eam potestatem ad sacerdotium pertinentem accepissent, quæ est potestas sacramentaliter ligandi, & solvendi, sed eam demum illis dederit post resurrectionem, Joannis 20. ubi & Episcopi sunt facti.

AD 2. Negatur Major: quamvis enim Deus aliquando dederit effectum Confirmationis ad ministerium Apostolorum, sine Sacramento; non dicit



dicit tamen B. Thomas, quod Apostoli eum effectum sic contulerint; multò minùs quod suo imperio. Ad potestatem autem excellentiæ, non communicatam Apostolis, pertinet, sine ritu Sacramentorum, effectum eorum conferre solo imperio; ut ostendit Author quæstione 64. art. 4.

AD 3. Negatur Minor. Oratio enim Apostolorum ad hoc serviebat, ut isti benè afficerentur, & disponerentur ad Sacramentum dignè suscipiendum. Quomodo etiam nunc Episcopus antequam aliquos confirmet, orationem pro illis facit, ut Deus emittat in eos septiformem Spiritum suum; ut Virtus Altissimi custodiat eos à peccatis, ut adimpleantur dono timoris, sapientiæ, scientiæ &c. Qui ritus orationem aliquam præmittendi extat etiam apud Clem. Rom. l. 7. constit. c. 44. Aliàs 15. Item in Ordine Rom. & in Sacramentario B. Greg. & in Amalario.

Ad confirm. Neg. Assumpt. quia Conc. non aliud vult quàm quod loco illius impositionis manuum, ad quam dabatur tempore Apostolorum Spiritus sanctus in signis visibilibus, & simul etiam donum linguarum, prophetiæ, aut similium, nunc detur Confirmatio absque tali impositione, & sine ejusmodi signis, & gratijs.

AD 4. RESP. Aug. illis verbis non loqui de Sacramento Confirmationis, sed de cæremonia quæ adhiberi solebat ad reconciliationem hæreticorum. Unde l. 5. c. vigesimotertio, *Propter charitatis*, inquit, *copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quæcumque alia sancta in homine fuerint; manus hæretici correctis imponitur.* Nec obstat quod in eodem cap. 16. loquatur de Confirmatione: Ab ea enim descendit ad hæreticos, qui licet accipiant aliquod Sacramentum, & recipere etiam possint operationem miraculorum: non accipiunt tamen charitatem; & ideò cætera non possunt eis prodesse. Ut ergo prosint, manus eis imponitur, oratioque adhibetur.

AD 5. Potest eo concludi quod Confirmatio non sit necessaria necessitate medij: quia tamen peculiaris quædam est difficultas in profitendo fidem coram Tyranno; & corporalis vita perficitur aliter per augmentum, aliter per nutrimentum; ideò convenienter institutum est aliud Sacramentum pro augmento, aliud pro nutrimento spirituali.

In Responsione ad 2. dicens non potuisse aliquid in veteri Testamento respondere Confirmationi; intelligendus est velle quod ei respondere non potuerit aliquod Sacramentum ac signum ejusdem generis; ut patet ex 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 3. & ex Suppl. q. 29. art. 1. ad 2. Confer quæ ibi dicentur.

De Resp. ad 3. dicetur art. 8.

## ARTICULUS II.

*Chrisma est materia Confirmationis.*

ART. 2. docet materiam Confirmationis esse chrisma. Quæ doctrina est fidei definitæ in Concilio Florent. & Trid. paretque tum ex verbis Fabiani Papæ art. 1. allatis, tum ex alijs Patribus. Sermo autem est de materia remota; proxima enim materia est ipsa unctio chrismatica in fronte facta.

Sed cùm *chrisma* significet unguentum in genere, usu autem Ecclesiastico, sit accommodatum ad significandum aliquid ex oleo, & balsamo, sive balsami liquore seu succo (quem opobalsamum vocant) compositum.

## DISPUTATUR:

*An balsamum requiratur in chrismate Confirmationis, de necessitate Sacramenti.*

VIDETUR quòd non: PRIMÒ. quia Ecclesiastici 24. Sapientia dicit, *Quasi balsamum non mixtum odor meus.*

SECUNDÒ, Cùm Innoc. 3. cap. *Pastoralis*, De Sacramentis non iterandis, rogatus esset, si Confirmationis Sacramentum in eo deberet iterari, qui per errorem fuerat non chrismate, sed oleo delinitus; Respondit *non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*, ubi supponit illud quod omissum fuerat non esse essentiale, alioquin Sacramentum fuisset nullum ideoque denuò conferendum.

Confirmatur, quia ijsdem verbis respondet ad alteram quæstionem. An permitti deberet ministrare, qui sine impositione manuum fuerat ad ordinem subdiaconatus assumptus: Sed in subdiaconatu defectus ille solùm erat accidentalis: ergo & alter in Confirmatione.

TERTIÒ, Patres interdum Confirmationem vocant oleum. Cyprianus ep. 70. Cyrillus catech. 3. mystag. & alij: idque ut apparet, quia nudum oleum sit ejus materia sufficiens.

QUARTÒ, balsamum magni æstimatur: ergo Episcopi primitivæ ecclesiæ præsertim Apostoli, qui erant valde pauperes, non fuerunt eo usi.

QUINTÒ, materia Sacramenti debet esse talis quæ & facilè possit inveniri, & ab adulterina distingui: balsamum autem nec facilè repertiri potest, nec certò cognosci an sit verum, præsertim cùm juxta Plinium in duobus tantùm hortis Judææ soleat nasci.

SEXTÒ, Paulus tertius ab aliquo rogatus de liquore quem non constabat esse balsami, quamvis ita vocaretur, dicitur ex gratia concessisse ut eo uteretur, quæ gratia non fuisset necessaria, si erat verum balsamum: ergo Pontifex sentiebat non esse necessarium ad substantiam Sacramenti ut oleo misceatur verum balsamum. Negantem hanc partem tuentur Cajetanus, Dominicus, Covarruvias.

*Balsamum est de necessitate Sacramenti Confirm.*

RESPONSIO verisimilior est, balsamum seu balsami liquorem requiri in chrismate Confirmationis, de necessitate Sacramenti, ita ut Sacramentum Confirmationis non subsistat, si quis Episcopus attentet illud conferre in oleo, cui non sit admixtum balsamum.

PROBATUR 1. quia B. Thomas in 4 dist. 7. quæstione prima, articulo secundo, quæstiuncul. 2. dicit quod *materia Confirmationis est oleum balsamatum*: Hoc autem articulo, & similiter opus. 5. & libro 4. contra Gentes, c. 60. semper loquitur de chrismate quod confici debeat ex oleo & balsamo. Et nisi ita sentiret, ad argumentum sibi oppositum quod materia Sacramenti debeat assumi illa, quæ ubique de facili invenitur: balsamum autem non ubique invenitur: respondisset balsamum non esse materiam necessariam. Quâ tamen responsione tacitâ, tam in quartum, quàm hoc articulo aliud respondet, ut in solutione quinti videbitur.

Similiter

Universidad de Deusto
Biblioteca



Similiter ut B. Th. loquuntur Scotus, Durand. A Richardus in 4. dist. 7. Altisiod. libro 4. tract. 4. Paludanus autem, Gabriel, Suarez & Nugnus simpliciter asserunt mixtionem balsami esse necessariam.

Patres etiam, Dionysius Areopagita Eccles. Hierarchiæ capite quarto, & Clem. Romanus lib. 7. constitutionum, cap. 44. asserunt chrisma componi ex re odoriferâ; haud-dubiè balsamum intelligentes.

Author sermonis de unctione chrismatis apud Cypr. *Sacrum*, inquit, *chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum, regia & sacerdotalis gloria exprimit unitatem.*

SECUNDÒ, Fabian. Papa dicit Christum do- B cuisse modum istum conficiendi chrismatis.

*Ob. Resp.* Nec obstat, cum etiam docuisse quod in calice aqua sit vino miscenda: quia instituit materiam hujus Sacramenti esse chrisma, simulque docuit illud chrisma debere confici ex oleo, & balsamo: Non similiter autem instituit materiam calicis esse vinum mixtum, ut doceret mixtionem illam debere fieri per aquam: sed simpliciter voluit vinum esse materiam: vino autem (quod est materia) modicam aquam esse miscendam exemplo suo docuit, & Apostolis deinde ut hoc authoritate Apostolicâ præciperent, inspiravit.

Neque etiam obstat Christum docuisse quod satisfactio sit pars materialis Sacramenti Pœniten- C tiæ, quod tamen subsistere potest sine illâ realiter adimpleta: quia non voluit satisfactionem esse partem materialem quæ supponeretur formæ, sed quæ posset vel antecedere, vel subsequi.

TERTIÒ, Conc. Florent. affirmat hujus Sacramenti materiam esse chrisma confectum ex oleo & balsamo; ergo si alterutrum desit, deerit materia. Nec obstat, quod materia calicis etiam sit vinum aquâ mixtum; quia Concil. non ita loquitur, sed dicit materiam esse vinum, cui aqua modicissima debet adhiberi: unde patet manifesta differentia.

Quod porrò dicitur balsamum seu balsami liquorem esse oleo miscendum; non sic est accipiendum, quasi oporteat singulas partes substan- D *Alia ob. solvitur.* tiæ balsami misceri substantialiter singulis partibus olei: sed sufficit quod qualitates balsami singulas olei partes pervadant easque afficiant, quòd (cùm balsamum sit maximè odoriferum) facilè contingit, etiamsi longè sit minor balsami, quam olei quantitas.

AD 1. ARG. RESP. eo Scripturæ loco significari quòd sicut balsamum nihil habens admixtum odoris ingrati, de se spargit odorem valdè suavem: ita immensitas dulcedinis divinæ suaviter se diffundat. Quando autem pro materia Confirmationis additur oleum; significatur insuper multiplicitas divinæ operationis, quæ per Confirmationem habetur.

E

AD 2. RESP. Pontificem suâ responsione corrigere quæstionem sibi propositam. Rogabatur enim de Subdiaconatu, & an Sacramentùm Confirmationis deberet iterari in eo qui non chrismate, sed oleo fuerat delinitus: Respondet autem quod in ejusmodi Sacramentis, cùm characterem imprimant, nihil est iterandum, quia sunt initerabilia: sed cautè supplendum esse quod incautè fuerat prætermissum. Atqui in eo de cujus Confirmatione quærebatur, prætermissa fuerat unctio chrismatis ex oleo & balsamo confecti: ergo illa erat supplenda.

Confirmatur supplendum erat balsamum: sed ejus liquor non poterat adhiberi: vel sine oleo, vel sine verbis in Ecclesia usitatis: ergo adhibendum erat balsamum oleo mixtum cum verbis formæ, & consequenter Sacramentum perinde conferendum ac si nihil omninò fuisset actum. Dicendum est ergo Sacramentum eo casu fuisse nullum.

Ad Confirmationem, negatur consequentia, quia cùm Pontifex ad duas quæstiones, unam generalem det responsionem; vult eam singulis proportionaliter applicari hoc sensu. *In talibus*, id est, in Sacramentis Confirmationis & ordinis, *nihil est iterandum* hoc est, nec substantia, quia ista Sacramenta sunt initerabilia; nec cæremoniæ, quia sufficit eas esse semel adhibitas. *Cautè* ergo *supplendum est quod defuit*; in uno substantia, in altero quædam cæremoniæ.

AD 3. RESP. illam appellationem sumi ex altera parte materiæ.

AD 4. Respons. Apostolos, & alios primitivæ Ecclesiæ Episcopos, etsi pauperes in proprijs, in communi tamen sufficienter habuisse, unde res necessarias compararent, ut ex Actis Apostolicis constat.

AD 5. Resp. materia Sacramenti absolutè necessarij debet esse communis & obvia: aliorum autem satis est quod possit commodè haberi; ut in responsione ad quartum indicat B. Thom. & in 4. dist. 7.

Et quamvis aliquando cognitum fuerit in duobus tantùm hortis Judææ balsamum oriri; ut refert Plinius l. 12. cap. 25. Ejus tamen tempore non parva erat copia. *Serit*, inquit, *nunc eam fiscus, nec unquam fuit numerosior, aut procerior. Proceritas intra bina cubita subsistit: Arboris tria genera,* &c. Hinc Josephus libro octavo Antiquitatum, cap 2. & libro 15. cap. 5. dicit regionem suam esse feracem balsami; idque ex munificentiâ Reginæ Saba. *Balsamûm non ita rarum ut quibusdâ videtur.*

De agro Jerichuntino idem asserit Egesippus l. 1. de excidio Jerosolymitano c. 27. & l. 4. c. 17. Et de Palestina Hieronymus in c. 27. Ezech. In- D super magna balsami copia nunc defertur ex Indiâ; quod sive sit ejusdem speciei, sive non, est tamen verum, & non fictitium.

Ad postrem. Pontifex non dispensavit in materiâ Sacramenti; sed declaravit ejusmodi hominem posse uti isto balsamo: quia erat verum, etiamsi is qui rogabat, de veritate dubitaret.

Circa resp. ad 1. quibusdam videtur quod Apostoli semper usi fuerint chrismate, quandocunque leguntur impositione manus dedisse Spiritum S. Cùm enim à Christo fuerint edocti de chrismate, videtur quod & præceptum eo utendi habuerint, in quo dispensatum fuisse, non est dicendum sine magno fundamento.

E

Verumtamen quod B. Th. hìc, & art. 4. ad 1. dixit, *Apostolos communiter Confirmationis Sacramentum ministrasse*, & tunc sicut materiâ, & formâ usos fuisse ex præcepto Christi; quandoque tamen à chrismate abstinuisse; probabiliter dicitur, eique assentiunt Scotus, & Durandus in 4. Adrianus articulo secundo de Confirmatione. Secundùm quos fundamentum agnoscendæ dispensationis est, quod viderent signa sensibilia divinitùs immitti, atque ita Spiritum sanctum dari, priusquam adhiberent ea quæ ad Sacramentum requiruntur.

Quæ



Quæ doctrina non sic est intelligenda, quasi A nuda manus impositio fuerit Sacramentum sine unctione chrismaticâ; sed quòd eo casu vel ad prædicationem, vel fortassis etiam ad impositionem manus Apostolorum dabatur effectus Sacramenti sine Sacramento, sicut eum Apostoli acceperant in die Pentecostes.

*Apostoli semper usi chrismate quando Confir. Sacram. ministrabant.*

Quare quandocunque Apostoli hoc Confirmationis Sacramentum contulerunt, ijsdem materia & forma semper usi sunt quibus modò utitur Ecclesia; quæ (ut ex Dionysio, Clem. & alijs manifestum) ab ipsis Apostolis accepit quænam sit istius, ut & aliorum Sacramentorum, materia & forma.

Si quandoque verò, materiam aut formam præ- B termiserunt, tunc non contulerunt Sacramentum, sed effectum Sacramenti: sine Sacramento conferebat Christus, ut Act. 10. v. 44. & c. 11. v. 15.

Cæterùm, quod in Actis Apostolicis non fiat mentio chrismatis, sed solius impositionis manuum, movere quempiam non debet ad existimandum quòd Apostoli non uterentur chrismate: Cùm enim ea quæ ad ritus Sacramentorum pertinent, secretissima haberentur; facilè Resp. potest, sacrum Scriptorem voluisse uti vocabulo impositionis manuum, sub quo totum complecteretur Sacramentum, ut ita celaret tam elementum quam verbum hujus Sacramenti.

Deinde, sicut Veteres, modò chrismatis unctio- C nem, modò signaculum, consignationem, sigillum, nominant; ita ipsum integrum Sacramentum intelligentes: sic, nomine impositionis manuum, rectè intelligi potest totum Sacramentum à B. Luca comprehensum.

## ARTICULUS III.

*Verùm sit de necessitate Sacramenti quod chrisma fuerit priùs per Episcopum consecratum.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia Sacerdos quilibet potest consecrare Eucharistiam, quæ est omnium consecrationum maxima: ergo & chrisma, qui enim potest majus, potest & minus. D

SECUNDÒ, Canon. 20. Conc. Tolet. 1. sic habet, Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque Episcopo chrisma nemo conficiat; tamen, quia in aliquibus locis vel Provincijs Presbyteri dicuntur chrisma conficere: placuit ex hâc die nullum alium nisi Episcopum chrisma conficere. Ex quibus verbis sequi videtur quod non sit absolutè necessarium: partim quia non dicit *ubique*, sed *penè ubique custodiri*, nec tamen asserit illud chrisma quod à Presbyteris conficiebatur, esse irritum; partim quia hæc verba, *Placuit ex hâc die*, significant prohibitionem tantùm Ecclesiasticam.

TERTIÒ, dicitur in eodem Can. certum esse quod Episcopo licet omni tempore chrisma con- E ficere; Sine conscientia autem Episcopi nihil penitus Presbyteri agere præsumant: ergo conscio & consentiente Episcopo poterunt chrisma conficere.

QUARTÒ, Sum. Pontifex potest concedere simplici Sacerdoti, ut confirmet: ergo etiam ut chrisma benedicat; quia majus est Sacramentum conferre, quàm materiam præparare.

QUINTÒ, Forma consecrationis, quâ utitur Ecclesia, non est necessaria, neque assignari potest quæ alia requiratur: ergo potest omitti.

RESP. certum esse quod chrisma debeat esse consecratum, seu benedictum ab Episcopo: Probabile verò quod illa benedictio sit de necessitate Sacramenti, nec possit (etiam per Sum. Pontificem) committi simplici Sacerdoti, Ita sentire videtur B. Th. hìc & alij in 4. dist. 7. Et confirmari potest ex perpetuo Ecclesiæ usu. Dionys. Eccl. hierarch. c. 4. Fabianus Papa epist. 2. Innoc. primus epist. 1. c. 3. affirmant chrisma benedici per Pontificem sive Episcopum, Sylvester in Concil. Romano, Can. 5. constituit, ut nemo Presbyterorum chrisma conficeret. Conc. Carthag. 2. can. 3. Hispal. 2. canone 7. Tolet. 1. can. 20. & octavum can 7. Bracar. 1. canon. 37. idem solis Episcopis licere significant. Quod autem hæc ita sint accipienda, ut chrismatis benedictio per Episcopum, sit necessaria, necessitate Sacramenti, nec possit alteri (etiam per dispensationem) committi, probatur, quia nunquam legitur id esse factum. Imò cùm Concilium Florentinum dicit legi aliquando esse dispensatum, ut simplex Sacerdos confirmaret addit, cum hoc debuisse facere chrismate per Episcopum benedicto. Et Conc. 3. Carthag. can. 36. cum diceret ut Presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret: adjungit, *Chrisma nunquam conficiat*: quia ut habet canon. 2. Conc. Wormatiensis, *Soli Episcopo hæc dignitas concessa est.*

Accedit & ratio. Priusquam res de se indifferens applicetur ad usum sacrum, & ad homines sanctificandos, conveniens est eam fieri aliquo modo sacram & religiosam: ergo omnis materia Sacramentorum quæ non est consecrata ipso usu per Christum, meritò consecrari debet per Episcopum, qui vice Christi est ordinarius Pastor, & sponsus Ecclesiæ: Atqui Christus non est usus materiâ Confirmationis: ergo debet benedici per Episcopum.

Si dicas, eum etiam non fuisse usum baptismo *Ob.* novæ legis. Respon. id non constare, cùm verisimile sit eum baptizasse aliquem suorum Apostolorum, qui deinde alios baptizaret. Sed præterea, sanctificavit aquas suo contactu, quando fuit à Joanne baptizatus. *Resp.*

Neque tamen similiter sanctificavit chrisma, *Tacita ob.* quando fuit unctus à Magdalena & Nicodemo: Primò, quia non constat illud unguentum fuisse ex oleo & balsamo: Secundò, quia illæ unctiones *Resp.* erant honorariæ & civiles, non sacræ.

Nec obstat quod etiam non fuerit usus Pœni- *Tacita ob.* tentia, & Matrimonio: quia B. Thom. hìc in c. lo- *Resp.* quitur de sacramentis habentibus materiam corpoream & permanentem, eò quod illa quæ constitit in verbis aut actione, non sit idonea ad benedictionem. Et insuper contentus fuit adferre rationem congruitatis, etiamsi non faciat necessitatem. Eandem attulerunt Bonaven. Scotus, & Richard. in 4. distinct. 7. Adrian. ar. secundo, de Confirmatione.

AD PRIMUM ARGUMENTUM. Negatur consequentia: quia dictum axioma debet intelligi de majore, & minore subordinatis, & ejusdem generis, ac de causis naturalibus. Sed præterea, non est necesse, ut cui conceditur aliquod majus beneficium, eidem concedatur omne minus.

AD 4. Negatur sequela; quia solum ibi significatur quòd ex imperitia quibusdam locis aliter fieret; sic autem factum non approbatur, sed prohibitio anterior renovatur. Deinde sermo ibi esse videtur de chrismate baptismali, id est quo in vertice unguntur baptizati: neque enim in isto cano-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ne agitur vel de Confirmatione vel de Confirmationis materia, sed de eo chrismate quod per Diœcesim ad singulas Ecclesias destinatur, utique ad unctionem ad presbyteris fieri solitam in baptismo. Neque refert non esse diversum chrisma, quo baptizatus ungitur in vertice per presbyterum, & quo in fronte per Episcopum: quamvis enim ita sit secundùm rectam consuetudinis Ecclesiæ regulam; verisimile tamen est, sive ex negligentia sive ex ignorantia hoc fuisse alicubi introductum vel permissum ut chrisma ad ungendum baptizatos in vertice, non peteretur ab Episcopis, sed ab ipsis presbyteris confiteretur ac benediceretur: id quod canon Toletanus corrigit, statuens ut à solis Episcopis chrisma conficiatur, & ad Ecclesias suarum Diœceseon destinetur. A B

Ad 3. Negatur conseq. quia solum significatur ijs verbis presbyterum pendere ab Episcopo; etiam in illis quæ sibi concessa sunt.

Ad 4. Negatur conseq. Primò, quia potest occurrere major necessitas, ubi possit chrisma deferri, non possit tamen Episcopus proficisci personaliter; & ideo causa est concedendi unum, & non alterum. Secundò, quia majus est concedere simplici sacerdoti utrumque, quàm solummodò alterum: unde legitur Gregor. 13. concessisse potestatem confirmandi simplici sacerdoti in Indiâ, ea tamen lege, ut uteretur chrismate per Episcopum benedicto. C

Ad postremum, probabilius videtur quod aliquem determinatum modum benedicendi Christus non præscripserit; atque adeò nec illum quo utitur Ecclesia Romana, necessarium esse necessitate sacramenti, sed sufficere verba quibus invocetur Spiritus Sanctus, ut in usum consignationis benedicat hoc unguentum; qualiacunque illa sint. Necessitate tamen præcepti servandus est Ecclesiæ ritus.

Ex his patet, Summum Pontificem non magis posse privare Episcopos potestate conficiendi chrisma, quàm confirmandi; quia utrumque ijs competit ex vi ordinis: etiamsi ex justa causa possit aliquibus utrumque inhibere.

Quod autem chrisma debeat singulis annis in cœna Domini consecrari; & Episcopi eo solo per annum uti, vetere in Ecclesia cremato; est de necessitate præcepti, ut patet ex epist. Fabian. non de necessitate sacramenti. D

## Articulus IV.

*Utrum hæc sit conveniens forma hujus sacramenti.* Consigno te signo crucis &c.

Videtur quod non. Primò, quia Constantinus Magnus in suo Edicto affirmat se consignatione beati chrismatis confirmatum, dicente præsule, qui erat S. Sylv. *Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, in consignatione fidei.* E

Secundò, In Synodo prima Constantinop. c. 7. ita legitur; *Eos signantes dicimus, Signaculum doni Spiritus Sancti.*

Tertiò, Ordo Romanus ita habet, *Pontifex tincto pollice in chrismate faciat crucem in frontibus singulorum ita dicendo; Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Alcuinus in officio sabbathi sancti, sic *Hac finita*, oratione scilicet, *facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo, In nomine Patru, & Filij & Spiritus S. Pax tibi.* Quæ eadem repetit Amalar. l. 1. c. 27. & Guiliel. Durandus l. 6. c. 84.

Quartò, Ambr. l. 2. de sacram. c. 7. hanc formam tradit, *Deus Pater omnipotens qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, conceßitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.*

Responsio certa est, Hæc verba, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, esse legitimam formam sacramenti Confirmationis; ita ut sit essentialis: & nulla alia sufficere possit, quæ ab ista, sensu discrepet. Eandem tradit Conc. Flor.

Et quamvis scriptura vel Patres antiqui non habeant illam integram; quia (ut art. 3. quæst. 64. monuimus) caverunt ne secretiora mysteria evulgarentur infidelibus; propter quam causam Innocen. 1. ep 1. loquens de hoc sacramento, *Verba*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere:* Potest tamen ex varijs eorum locis colligi ac insuper ex perpetuo Ecclesiæ usu.

*Chrismatis* meminerunt Dionysius, Fabia, & alij supra citati.

*Confirmandi & signandi* verbum habemus in Apostolo 2. Corint. 1. Quem locum de Confirmatione accipiunt Primas. Theodor. Ansel. ut & Ambr. lib. 1 de Spiritu Sancto cap. 6 Libro autem de ijs qui initiantur ca 7. sic ad confirmatum loquens, *Repete quia accepisti signaculum spirituale* &c. & postea. *Signavit te Deus Pater. Confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis* præcipuas quasdam formæ partes exprimit.

*Signi crucis in fronte* meminit Tertul. c. 40. l. de præscript. Aug in Psal. 141. & tract. 118. in Joan.

*Expreßionis trium Personarum*, idem Aug. serm. 99. de diversis, c. 2. Ordo Rom. Alcuinus, Amalarius in officio Sabbathi sancti.

Ut autem intelligatur quæ verba sint essentialia; existimandum est sicut in baptismo, ita & in Confirmatione expressam Sanctæ Trinitatis invocationem esse essentialem: quemadmodum indicat Conc. Florent. quia Confirmatio ordinatur ad perficiendam fidem in baptismo acceptam, eamque fortiter profitendam: Cætera verò Sacramenta, cùm ex se non ordinentur ad fidem profitendam, non requirunt necessariò istam trium Personarum invocationem. *Quæ verba essentialia.*

Actio ministri necessariò exprimenda est: & quidem sic, ut utrumque verbum non improbabiliter putetur esse essentiale, *Signo, & confirmo*; quia non sunt æquipollentia: non enim omnes qui signant, continò confirmant; neque qui confirmant; hoc facere intelliguntur per signationem, nisi addatur verbum (*Signo.*)

Et quamvis apud Christianos *signatio* intelligatur de signatione crucis: quia tamen generalior est illius verbi significatio, ideò probabilius est necessariam esse illam particulam, *signo crucis.*

Et similiter, quia in verbo, *confirmo*, non satis exprimitur materia, & effectus; sicut in baptismo significatur per verbum, *baptizo*, ut in resp. ad 3. declarat B. Th. ideò probabiliter dicitur necessarium esse addere, *chrismate salutis*, seu *sanctificationis.*

Et rursum, quia debet exprimi subjectum, ideò pronomen, *te*, non potest omitti.

Formatio etiam signi crucis est essentialis: quia alioquin falsificarentur verba formæ. Quod signum quia non exprimitur in formis aliorum Sacramentorum; ideò non est illis essentiale.

Hoc



Hoc autem signum crucis necessariò debet fieri *de chrismate*, cum pollice Episcopi, *in fronte*; & quidem sic, ut alioquin nihil fiat; nisi forte unctionem faciat Episcopus manu, vel alio digito: quod videretur esse satis ad valorem Sacramenti. Neque requiritur alia manus impositio, quam ea per quam peragitur unctio. De his, præter Authorem videantur Scotus, Rich. Bonav. Gabriel & alij in 4. d. 7. Suar. & Nugnus hîc, & omninò servari debet forma verborum priùs recitata. A

Ad primum verò Arg. Resp. Constantinum non referre omnia verba quibus fuit confirmatus, uti nec retulit omnia quibus fuit baptizatus, sed eorum summam.

Ad 2. Arg. Non esse ullo modo verisimile quòd Syn. Constantinop. propalaverit formam hujus Sacramenti, cùm Veteres sedulò ac sollicitè curaverint, ne hujusmodi mysteria vulgarentur, ut patet ex Dionys. hîc ab Authore citato, & ex verbis Innoc. jam ante allegatis. Quare non formæ verba expressisse putanda est, sed paucis insinuasse quid fieret, quidque diceretur. B

Ad 3. Etsi quidam putent illa verba quæ sunt in Ordine Rom. sufficere; potius tamen videtur dicendum quod non recitet omnia essentialia; uti nec omnia quæ sunt in perpetuo usu Ecclesiæ. Esto enim dubitetur, an singula verba de quibus modò egimus, sint essentialia; non dubitatur tamen quin Ecclesia jam olim à temporibus Apostolorum solita sit illis omnibus uti, juxta regulam B. Aug. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectißimè creditur.* Cum igitur Ordo Rom. non omnia recitet, quibus ad Sacramentum Confirmationis uti solet Ecclesia, satis apparet quòd non exactè totum ritum illius Sacramenti exprimat. C

Alcuinus & Amalarius non formam Sacramenti exprimunt, sed aliqua eorum quæ dicuntur jam confirmatis; post quæ dicit Episcopus, Pax tecum: Quæ (inquiunt illi Authores) sunt verba salutationis ad novum hominem. Idemque judicium est de Durando. Unde idem Durandus in pontificali quod edidit, ubi integram Confirmationis formam voluit exprimere, sic habet, *Summitate pollicis dextræ manus chrismate intincta, Pontifex facit crucem in fronte illius dicens, Ioannes, vel Maria, vel quovis alio nomine Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filij, & Spiritus S. ut repleatu eodem Spiritu S. & habeas vitam æternam. Amen.* Tum addit, *Et dicendo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S producit signum crucis ante faciem illius: & deinde dat sibi* (pro illi) *leviter alapam super genam dicens, Pax tecum.* Ex quibus patet illa verba quæ ex Amalar. Alcuin. & Duran. objiciebantur non esse formam, imò neque partem formæ. sed ritum qui post formę pronuntiationem olim adhibebatur, nunc autem ex parte omittitur, quatenus scilicet non repetitur, In nomine Patris &c. neque formatur signum crucis ante faciem confirmati; quantumvis adhuc detur leviter alapa, & dicatur, Pax tecum. Istud autem Pontificale, manuscriptum nobis communicavit M. N. Georg. Colvenerius Collega noster in Profess. Theol. Et quod sit ipsius Durandi probari potest ex eo quod pa. 32. dicit Author, requiri inter nostras benedictiones, fol. 298. In fine autem illarū benedictionum pag. 343. legitur, Expliciunt benedictiones solemnes Episcopales à Venerabili Patre Domino *Sylv. in III. Part.* Guilielmo Episcopo Mimarensis ordinatæ. Guilielmus autem Durandus, seu ut alij volunt Durantus, fuit omnium consensū, Episcopus Mimarensis. Accedit, quod ipsemet Durandus ita scribit l. 2. de divinis officijs, c. 1. n. 38. *prout apparet in libro Pontificali per nos editi:* Et hujus Pontificalis pag. 174. In quibus casibus Ecclesia reconcilianda sit, in rationali divinorum offic. diximus, in parte 1. sub tit. de Ecclesiæ dedicatione. Id sic se habere videri potest lector l. 1. ration. div. offic. cap. 6. D

Ambr. neque agit de forma Confirmationis, neque de unctione ad illam pertinente, sed de cæremoniali illa unctione quæ à Presbytero fit in baptismo. Nam de Confirmatione demum agere incipit l. 3. c. 2, dicens. *Sequitur spiritale signaculum quod audisti hodie legi, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis* (id est, Episcopi) *Spiritus Sanctus infunditur*, &c.

## Articulus V.

Art. 5. probat Confirmationis Sacramentum imprimere characterem: ob quem ita est iterabile. ut si attentetur iteratio, nihil fiat: quia per Confirmationem, homo consignatur ad aliquid spirituale, ad pugnam sc. spiritualem, & ad fidem publicè, & velut ex officio profitendum. *Confirmatio imprimit characterem.*

Unde confirmatus constituitur in gradu bellatorum.

Quæ doctrina ex Conc. Tarracon: potest confirmari, prout extat apud Gratian. de consecr. d. 5. c. *Dictum est*; apud Burcardum l. 4. c. 50. apud Ivonem p. 3. c. 44. Invenitur autem in Conc. Cabilon. 2. c. 27. Florentinum de baptismo, Confirmatione, Ordine dicit quòd *in eadem persona non reiterantur*, id est, reiterationem non admittunt, ut patet ex seq. *Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* Trident. sess. 7. can. 9. definit quod characterem indelebilem imprimat, unde iterari non possit. Idem confirmari potest ex Conc. Tolet. 8. can. 7. & ex serm. de ablutione pedum apud Cypr. ac etiam ex Aug. l. 2. contra litteras Petil. c. 104.

Objici posset Aug. l. 3. de baptismo c. 16. sed responsionem dedimus ar. 1. ad 4. Hunc autem characterem non dubium est, esse à charactere baptismi diversum, sicut diversa sunt Sacramenta, & ad diversos fines ordinata, ut ostendit Author in 4. d. 7. q. 2. ar. 1.

Sed difficultas est, an iteratò Confirmationem dans, aut recipiens, sit irregularis, sicut de iterantibus baptismum, diximus q. 66. a. 9. Canonistæ affirmant: Sed cùm pœnæ sint restringendæ, nec irregularitas incurratur nisi in casibus jure expressis; negantium opinio verior est, & secura quam præter Recentiores Theologos tradit Scotus, Petrus de Aliaco, Palud. Dominicus. *Quæst.*

Pro resp. ad 1. neg. est Min. Per Sacramentum enim Confirmationis distinguitur fidelis à non fideli, sicut ad militiam spiritualem consignatus à non consignato. Ac proinde sicut in militia corporali omnes debent pugnare quando boni communis necessitas hoc requirit; aliqui tamen sunt peculiariter ad id obligati, qui nimirum dederunt nomen suum militiæ & ad eam sunt conscripti: sic omnes fideles debent spiritualiter pugnare; peculiariter tamen ad hoc quasi ex officio deputantur, qui sunt confirmati. *Resp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



### Articulus VI.

*Character Confirmat. præsupponit characterem baptismi de necessitate.*

ART.6. probat characterem Confirmationis ita præsupponere characterem baptismi, ut si non baptizatus confirmaretur, nihil fieret. Quia nemo potest perduci ad ætatem perfectam; nisi fuerit natus; Confirmatio autem comparatur ad baptismum, sicut augmentum ad generationem. Adde, quòd baptismus est initium vitæ spiritualis, & est janua omnium Sacramentorum.

Hinc Presbyter ordinatus, si deprehendatur non fuisse baptizatus, baptizandus est & ordinandus, c. *Si quis*, & c. *Veniens*, de Presbytero non baptizato.

Nec obstat, quòd non baptizatus possit verè, & sacramentaliter Eucharistiam recipere, præsertim si fidem habeat, aut baptizatum se existimet; ut ex q.80.ar.3.parte: 1. quia Sacramentum istud non consistit in usu materiæ; sed in re permanente. 2. quia talis non videtur recepturus ex opere operato majorem effectum, quàm si non communicaret.

Si dicas, Ananiam Act.9. imposuisse manus Saulo, antequam eum baptizaret: Art. 11. docebitur illam manuum impositionem non fuisse ad confirmandum, sed ad curandum.

De Resp. ad 1. Vide quæ dicimus art. 8.

*Quæst.* Circa Resp. ad 2. QUÆRITUR, An effectus Confirmationis præsupponat effectum baptismi. Videtur enim quod non: quia invenitur in quibusdam robur & constantia fidei, quam intrepidè profitentur usque ad mortem, qui tamen nec justificati, nec originalis peccati remissionem consecuti sunt, nisi in actu martyrij, quando sc. ipsum martyrium in eis supplet vicem baptismi.

*Resp.* B.Th. RESPONDET effectum Confirmationis, illum sc. qui est robur spirituale, seu gratia inhærens, quatenus animum corroborat, & in pietate confirmat, præsupponere effectum baptismi qui est prima justificatio: Tale enim robur est augmentum gratiæ justificantis, ideoque justificationem prærequirit.

AD argumentum verò RESP. quendam effectum Confirmationis, ut fidem, synceram ad Deum conversionem, imperfectam dilectionem, constantiam ad fidem profitendam, posse præcedere effectum baptismi: quia ejusmodi possunt separari à charitate diffusa in cordibus, & consequenter à remissione peccatorum. Et ejusmodi effectus reperitur in illis martyribus qui in ipso demum martyrio, peccati originalis, aliorumque ipsi superadditorum remissionem consequuntur.

### Articulus VII.

*Confirmat. Sacrament. confert gratiam.*

ART.7. docet per hoc sacramentum conferri gratiam gratum facientem. Quę doctrina est fidei: manifesta quidem ex ijs quæ de sacramentis in genere dicunt Concilia Florent. & Trid. & quæ nos attulimus q.62.a.1. Insuper tamen confirmari potest ex eo quod hoc sacramento datur ipse Spiritus Sanctus ad robur: & quod chrismati virtus aliqua tribuenda est, ut definit Conc. Trid. sess.7. can.2. de Confirmatione.

Quapropter contra sectarios tenendum est proprium impositionis manuum seu Confirmationis effectum non esse donum linguarum, prophetiæ miraculorum, vel quid simile exterius se prodens; tametsi ille effectus fuerit aliquando conjunctus; sed robur Spiritus Sancti seu gratiam quomodo roboratus fidem fortiter profiteatur in eaque persistat, non obstantibus impugnationibus sive visibilibus sive invisibilibus.

PROBATUR PRIMÒ, quia hunc effectum promisit Christus Lucæ ult. dicens Apostolis quòd induerentur virtute ex alto: & Act.1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos; & eritis mihi testes in Ierusalem* &c. Hujus autem effectûs promissionem non ad solos Apostolos pertinere, sed ad omnes fideles probat Petrus Act.2. ex prophetia Joëlis, manifestumque est ex verbis ejus, quibus ad credentes loquens dicit, *Baptizetur unusquisq; vestrum* &c. *& accipietis donum Spiritus Sancti: Vobis enim est repromissio & filijs vestris* &c.

SECUNDÒ, omnes baptizati per manus impositionem accipiebant Spiritum Sanctum, non tamen omnes loquebantur linguis, neque omnes prophetabant, 1. ad Corinth. 12.

TERTIÒ, Apostoli parum solliciti erant ut fideles acciperent donum linguarum 1. ad Corint. 12.13.14. erant tamen valdè solliciti ut per impositionem manuum acciperent Spiritum Sanctum, Act. 8. 19. Ergo sciebant alium esse effectum impositionis manuum quam donum linguarum vel quid simile.

QUARTÒ, Philippus diaconus faciebat virtutes maximas apud Samaritanos: cur ergo non potuisset eis impetrare effectum Confirmationis, per manus impositionem, si non alius sit illius impositionis manuum effectus, quam donum linguarum, prophetiæ, vel miraculorum?

DENIQUE, dona illa non perpetuò dantur ad impositionem manuum, sed fuerunt temporaria: Spiritus autem sanctus in perpetuum datur & dabitur per illam.

Porrò, cùm hoc sacramentum per se ordinetur ad confirmandum quod priùs inerat, & ad augmentum, firmitatemque justitiæ præcedentis, ut in resp. ad 1. & 2. docet B.Tho. dicendum est, quod non sit per se institutum ad conferendam primam gratiam ut jam dicta quæst.62.monuimus; ac proinde qui ad illud accedunt, debent esse ab omni peccato mortali immunes: quale aliquod si commiserint, meritò sunt monendi ut confessionem præmittant, Quemadmodum statuitur in Synodo Provinc. 2. Camerac. In diœcesanâ Atrebat. sub Francisco Richardoto, In Audomarensi sub Joanne Six, In Iptensi sub Martino Rythovio, Et jam olim in Concil. Aurelian. cap. *ut jejuni* de consecrat. d. 5. Quia tamen non est aliquod generale hujus rei præceptum; quin potiùs de sola Eucharistiâ dixit Apostolus, *Probet seipsum homo*: ideò reum mortalis culpæ non existimo illum qui non confessus de mortali, confirmatur; modò per veram pœnitentiam convertatur ad Deum, & de peccatis doleat cum proposito non amplius peccandi. Qui dolor, cum naturam contritionis à Conc. Trident. descriptæ habeat; dicimus quod ad hujus sacramenti susceptionem vera contritio sit necessaria.

*Quæ dispositio requiritur ante confirmationem.*

His omnino favet regula initio Pontificalis Romani tit. de confirmandis præfixa, quæ sic habet; *Adulti deberent prius peccata confiteri, & postea confirmari; vel saltem peccata quæ admiserunt, doleant.*

Si quis autem accedat fictus, i. in affectu peccati mortalis, accipiet characterem, non gratiam: quam tamen quod recepturus sit recedente fictione, probabile esse diximus q. 69. a. ult.

Requirebatur etiam olim ut tum Episcopus confirmans, tum fideles confirmandi, essent jejuni dicto c. *Vt jejuni*, cum sequente, *ut Episcopi*: decerque constitutionem illam observari, quando commodè fieri potest; non obligat tamen sub gravi peccato: imo contingit utrosque varijs ex causis excusari, ut propter multitudinem confirmandorum, propter longitudinem itineris, &c.

In resp. ad 3. docet gratiam illam quæ est hujus sacramenti effectus, quantum ad id quod omnibus sacramentis commune est, non distingui specie à gratia baptismali, sed esse ejus augmentum: distingui verò quantum ad id quod est speciale: est enim robur ad fidem constanter, & publicè profitendam includens specialem ad hoc protectionem Spiritus Sancti, & auxilium, quando tempus & locus professionem illam exigit.

Porrò cùm B.Tho.art.1.ad 4.ar.2.ad 1 art.11. ad 3. dicat Confirmationem esse Sacramentum plenitudinis, ejusque effectum esse potiorem, quam baptismi cui consonant PP. Urbanus 1. de cons. d.5.c. *Omnes*, Cypr.Ep.72. Cyril. catech.3. Mystag. dicentes hoc Sacramento fieri plenos Christianos, & dari plenitudinem Spiritûs: consequens est majorem, ac perfectiorem gratiam conferri hoc Sacramento, per quam sc. animus roboratus, & confirmatus persistat in pietate, adversa fortiter toleret, impugnationibus resistat, intrepidè fidem coram Tyrannis profiteatur.

### Articulus VIII.

*Omnes debent confirmari.*

ART.8. docet hoc Sacramentum esse omnibus exhibendum, quia omnes debent promoveri ad perfectionem spiritualem. Et quamvis parvuli non sint capaces pugnæ, sunt tamen apti, tum ut armentur ad illam, tum ut per characterem consignentur in milites Christi, ac perfectionem gratię habitualis accipiant; ratione cujus habituri sunt, tempore ad professionem fidei oportuno, auxilium actuale. Hinc Author in res. ad 2. dicit etiam pueros esse confirmandos, ubi quidem non loquitur de infantibus, cùm dicat multos eorum fortiter certasse pro Christo: sed in 4.d.7.q.3.ar.2.quæstiun.2. eandem doctrinam ad illos extendit: *Quia*, inquit, *infantilis ætas non patitur fictionem, quâ effectus Sacramenti impediatur.* Idemque senserunt alij Scholastici, & practicatum fuit olim in Ecclesia, non irrationabiliter: præsertim quando erat minor fidelium multitudo, quæ facilè poterat Episcopum habere præsentem. Quæ consuetudo licet aliquamdiu duraverit. etiam post illa tempora; rationabilior tamen est ea quæ nunc viget, ut ordinariè non confirmentur, nisi qui sunt in ea ætate, ut intelligere possint quid circa illos agatur.

*Rationabilius est non confirmare infantes regulariter.*

PRIMÒ, ad evitandum periculum iterationis hujus Sacramenti.

SECUNDÒ, quia cùm hoc Sacramentum sit quasi ultima consummatio Sacramenti baptismi, ut loquitur Author art. 11. & velut secunda fidei professio: conveniens est ut qui primam fecerunt per alios, secundam per se faciant.

TERTIÒ, quia, cùm necessitas non urget, quærenda est major reverentia Sacramenti: ejusmodi autem servatur, quando propriâ devotione, & fide suscipitur. Hinc Catech. Rom. minùs expedire dicens quod pueri confirmentur ante rationis usum, asserit maximè convenire, *ut expectetur annus septimus.* Similiter in antiquis decretis Diœceson Camera. & Atreb. In Syn. 2. Provin. Camera. In Diœcesanis Audomarensi, & Iprensi Episcopi monent non minores septem annorum sibi præsentari pro hoc Sacramento.

Si tamen Episcopus ex aliquâ justâ ratione, ut ob defuturam commoditatem, ob longam sui absentiam, ob mortem imminentem, puerum confirmaret, necdum ratione utentem; nullo modo peccaret. Imò nec debet scrupulosè causam investigare, quandoquidem in Rom. Pontificali relinquitur ejus voluntati, confirmare non solùm pueros, sed etiam infantes, his verbis: *Pontifex infantes pueros vel adultos sacri baptismatis undâ perfusos, confirmare volens, paratus* &c. *accedit.* Et iterùm. *Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachijs dextris.*

*De Amentibus.*

Perpetuò amentes, cùm in eis non expectetur usus rationis sicut in pueris, nec tempus quo futuri sint melius dispositi; statim ut est commoditas, confirmari debent; capaces enim sunt gratiæ, & majoris gloriæ, quam alioquin non essent habituri.

Ob quam causam etiam moriturus dandum esse hoc Sacramentum vult B.Th. idemq; statuit Conc. Parisiense anno 829. celebratum can. 33. ubi cùm decernit sicut baptismum, ita Confirmationem in Pascha, & Pentecoste conferendam, excipit infirmos & morte periclitantes, *quibus sicut baptismatis gratiâ succurrendum, ita incunctanter donum Spiritûs S. est tradendum.* Quod autem id non sit in usu, non est quia non expediat, sed quia non potest commodè, & cum debitâ solemnitate fieri: nam Episcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non possunt, ait Innoc. 1, Ep. 1. c. 8.

Quod in argumento 3. ex Melchiade refertur, *Qui post baptismum cum acquisitâ innocentiâ immaculatus pervenerit ad mortem, confirmatur morte*; non est ita accipiendum quasi in morte vel Sacramentum, vel Sacramenti effectum recipiat: sed quemadmodum ipse Melchiades exponit, *quia non potest peccare post mortem.* i. transit ad eum statum in quo non potest peccare. Quo sensu dicimus omnes beatos esse in bono confirmatos. Horum occasione.

## QUÆRITUR

*An Sacramentum Confirmationis sit omnibus baptizatis ad salutem necessarium.*

VIDETUR quòd sic. PRIMÒ, quia sicut nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto; ita nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius, ait Author art.6. ad 1.

SECUNDÒ, Apostoli habuerunt præceptum expectandi Spiritum S. cujus plenitudo est effectus Confirmationis, Act.1. *Præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris* &c. hæc autem promissio pertinet ad omnes, ut Act.2. patet ex Joëlis testimonio.

TERTIÒ, Urbanus Papa artic. 11. citatus, dicit quod omnes debent accipere hoc Sacramentum. Et Melchiades de consec. d.5. c. *De his*, affirmat baptismi, & Confirmationis Sacramenta nullatenus posse ab invicem segregari: & unum sine altero ritè perfici non posse.

QUARTÒ, Cypr. epist.72. *Tunc demum*, inquit, *plenè*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*plenè sanctificari, & esse filij Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur.*

*Confirmatio non est simpliciter necessaria ad salutem.*

Resp. satis constare, hoc Sacramentum non esse ad salutem necessarium necessitate medij: cum multi salventur sine illo, maximè parvuli.

Sed neque videtur esse aliquod generale, & absolutum præceptum, sive divinum sive Ecclesiasticum, obligans fideles sub peccato mortali: quia tale præceptum non est asserendum sine magno fundamento: In Scriptura autem, & traditione nullum invenitur ejusmodi fundamentum. Nam Patres, ejus quidem efficaciam, & utilitatem explicant, ideoque monent ut suscipiatur, strictæ tamen necessitatis non meminerunt.

B Adde, quod Ecclesia neque solet absolutum de Sacramentis præceptum ferre, nisi determinando tempus quando sint suscipienda; neque curat sive adultis, sive parvulis in mortis necessitate constitutis hoc Sacramentum adhiberi: quod sollicita, & pia mater factura videretur, si omnes sub mortali peccato censeret obligatos ad ejus sumptionem.

Hinc B. Th. q. 65. ar. 4. dicit Confirmationem solùm esse necessariam ad melius esse, & hujus qu. art. 1. ad 3. affirmat posse esse salutem sine Confirmatione, *dummodo tamen non pratermittatur ex contemptu Sacramenti*: Similiterq; hìc ad 4. docet non damnandum eum qui sine illa moreretur, si absit contemptus. B. Thomæ consentiunt Scotus &
C Richar. d. 7. Adrian. art. 1. de Confirmatione Catech. Rom. Synod. Iprensis, & alij communiter.

Quia tamen hoc Sacramentum institutum est in salutem fidelium; nec robur fidei tam facilè (cum tanta saltem abundantiâ, & efficaciâ) potest haberi sine illo: ideò ejus omissio, cùm sit negligentia rerum salutarium, est peccatum; regulariter quidem veniale, si absit contemptus, neque sit tempus & locus persecutionis: Si autem sciens & volens quis confirmari negligeret, tempore & loco persecutionis, ubi periculum sit ne fidem abneget, vel eam ubi opus fuerit, confiteri erubescat; non excusabitur à mortali: tum quia tacitus videtur esse contemptus; tum quia tali homini est magna de se
D præsumptio, & rei salutaris ad ipsius opem institutæ, negligentia. Et profectò, si sollicitiores fuissent fideles ad hujus Sacramenti susceptionem, non tot sortilegas sæculum nostrum experiretur. Qui enim hujus Sacramenti effectum non perceperunt diabolo faciliùs consentiunt: cùm ordinetur primariò quidem contra hostes visibiles, secundariò tamen etiam contra invisibiles.

Ad 1. Argumentum Resp. non similiter requiri votum Confirmationis, sicut baptismi, ad obtinendum ejus effectum; quandoquidem Confirmatio non sit prorsus necessaria possitque robur & gratia ad fidei professionem necessaria, obtineri oratione, jejunijs, alijsque bonis operibus.

E Quapropter *votum* in verbis Authoris debet intelligi accommodatè ad ea quibus tribuitur, hoc sensu; Effectus Confirmationis, non habetur sine voto ipsius, id est sine voluntate, saltem implicita, non negligendi, neque contemnendi ipsam, quale votum habet is qui sincerè convertitur, volens ea quæ Deus jubet implere, & quæ salutis suæ sunt quærere.

Ad 2. Apostoli non erant solùm in fide, & gratia firmandi, quod est effectus Cõfirmationis omnibus promissus; sed etiam à Spiritu Sancto peculiariter instruendi de ijs quæ prædicaturi erant: ac insuper donis linguarum & miraculorum donandi. Et hæc omia jubentur expectare in Ierusalem.

Ad 3. illis verbis significatur magna utilitas, non necessitas: quia plenitudo ad innocentiam quæ habetur per baptismum, sufficit ad salutem; etiamsi major, & superabundans, quæ in confirmatione datur ad fortitudinem, non accedat. Melchiades respicit ritum, & consuetudinem veteris Ecclesiæ, quæ solebat confirmationem dare statim post baptismum. Nam quod baptismus possit, quoad essentiam, separati à Confirmatione, & sic ad salutem sufficere: probant ejus verba de consecr. d. 5. c. *Spiritus Sanctus. Continuò transiturus sufficiunt regenerationis beneficia*, & iterùm, *Regeneratio per se salvat mox in pace beati saculi recipiendos.*

Ad 4. Resp. Cypr. non dicere, quod tunc demum sanctificati, & filij Dei esse possunt, si utroq; Sacramento nascuntur, sed *tunc demùm plenè sanctificari*: quia ordinariè sine hoc Sacramento non sunt plenè Christiani; ut etiam indicat Urban. Papa de consec. d. 5. c. *Omnes: ideoq; nec plenè sanctificati*. i non obtinent virilem perfectionem, & robur hominis Christiani.

*Ob.* Si dicas, Cypr. Ep. 70. absolutè pronuntiare, ungi quoque necesse est eum qui baptizatur; sic ut accepto chrismate. i. unctione, esse unctus, & habere in se gratiam Dei possit.

*Resp.* Resp. eum loqui de gratia quæ unctioni exteriori respondet, copiosa scil. & quæ hominem constituat unctum Dei.

Observandum hìc est, maximè convenire, ut Confirmatio, cùm sit secundùm Sacramentum, suscipiatur (quando fieri potest) ante omnia alia: præterquam ante baptismum, & ante Sacramentum absolutionis, quando Sacramentalis confessio potest pro meliori dispositione præmitti. Unde Con. Trid. sess. 23. c. 4. tonsurandos vult esse prius confirmatos. Aliter tamen facientes non peccare mortaliter, docet Navar. c. 22. n. 9.

## Articulus IX.

*Confirmatio est in fronte danda.*

Art. 9. docet hoc sacramentum esse conferendum homini in fronte. Patet ex Concil. Florent. Innoc. 1. August. & alijs art. 4. citatis: ut proinde materia proxima hujus sacramenti, sit *unctio chrismatica frontis facta in modum crucis. Ideo in fronte* (ait Conc. Florent.) *ubi verecundia sedes est, confirmandus inungitur ne Christi nomen confiteri erubescat.* Quam rationem pulchrè B. Tho. ante explicavit hìc in corp.

## Articulus X.

*Requiritur susceptor in confirm.*

Art. 10. docet eum qui confirmatur, debere habere susceptorem, à quo in spirituali militia instruatur, sicut is qui baptizatur, habet patrinum à quo instruatur in ijs quæ pertinent ad familiam Christi. Servatam esse jam olim hanc cæremoniam patet ex Higino Papa de consecr. d. 4. cap. *In catechismo.* & ex c. sequenti, *Non plures*, quod est Leonis Papæ.

Oritur hinc obligatio instruendi confirmatum quamvis ab ea frequenter fit excusatio, quia vel confirmatus sufficienter sit instructus, vel instruatur ab alijs.

Cognatio etiam contrahitur, sicut in baptismo, inter Confirmantem & Confirmatum, illiusque patrem & matrem; itemque inter tenentem seu suscipientem & susceptum, ejusq; patrem & matrem.



A trem. Vide Con, Trid. sess. 24. c. 2. & quæ dicuntur q. 56. in Suppl. & Ferdinandez p. 3. c. 3. § 6.

*Non confirmatus tenens in confirmatione contrahit cognationem.*

Si non confirmatus alium teneat in Confirmatione, graviter peccat; adeò ut Nugnus & alij quidam existiment esse mortale, scilicet ex suo genere quia est in materia gravi contra receptum Ecclesiæ usum: cognationem tamen contrahit; quia etiamsi non sit confirmatus, est tamen capax spiritualis cognationis, propter baptismum. Ita Sylvester verbo; *Matrimonium*, octavo, quæst. 7. num. 12. Dominic. d. 41. q. 1. art. 3.

*Ob. Resp.* Nec obstat c. *In baptismate*, de cons. d. 4. quia licèt requirat patrinum in Confirmatione esse confirmatum: non tamen irritat cognationem spiritualem, si aliter fiat.

B Quamvis autem non sit consuetum, ut qui tenuit in baptismo, teneat eundem in Confirmatione: fieri tamen potest, si necessitas urgeat, dicto c. *In catechismo.*

Debere esse unum tantum confirmandi patrinum supponit Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. nominans *tenentem*, in singulari numero, cùm de suscipientibus in baptismo locutum esset pluraliter, atque ita habet usus Ecclesiæ. Servari etiam convenit ut neque masculi feminis patrini, neque feminæ masculis matrinæ sint, ut in Rom. pontificali dicitur.

## Articulus XI.

### *Vtrum solùs Episcopus hoc sacramentum conferre possit.*

C Videtur quod sic, Primò, quia est actus ordinis: quæ autem sunt ordinis non possunt fieri à non habente ordinem, ne quidem ex dispensatione Pontificis: unde fieri non potest quod non sacerdos consecret.

Secundò, Pontifex nihil immutare potest circa illa quæ sunt de necessitate cujuslibet sacramenti, inter quæ unum est persona ministri. Cùm ergo Episcopus sit ex institutione Christi, minister hujus sacramenti, non potest facere quòd non Episcopus illud validè conferat.

D Tertiò, Quod est Romanus Pontifex in tota Ecclesiâ, hoc est unusquisque Episcopus in sua; si ergo potest Pontifex dispensare, sequetur & Episcopus hoc posse in sua diœcesi.

Quartò, Si potest hoc committi simplici sacerdoti: cur non & Diacono, cùm neuter habeat ipsum ordinem Episcopalem.

Quintò, Eusebius Papa clarè dicit non posse ab alijs perfici. quam à summis sacerdotibus.

Sextò, Sequeretur Papam posse id committere, quamvis ipse nondum esset consecratus in Episcopum: hoc autem dici non potest; cùm per se non possit nunc confirmare.

E Septimò, Joannes tertius Papa qui ante B. Gregorij tempora vixit, expresè affirmat quod nullus ex septuaginta discipulis, quorum speciem gerunt presbyteri, legatur donum Spiritus Sancti per manuum impositionem tradidisse. Et paucis interjectis Apostoli autem præcipiente Domino, illisque denuntiante, ut illi & successores eorum tantummodo per manus impositionem traderent Spiritum Sanctum, nulli unquam ex septuaginta tradere Spiritum Sanctum per manus impositionem permiserunt, eis scientes illicitum fore, dantes successoribus exemplum, ne unquam talia præsumerent.

Contra tamen facit quod Ananias Act. 9 imposuit manus Saulo, ut acciperet Spiritum Sanctũ.

Et quod presbyteris concedit Inno. 1. ep. 1. c. 6. ut energumenis baptizatis manus imponant; atque ut hæreticis, Conc. Arausic. c. 2.

Item quòd Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, *ad honorem potius sacerdotij quam ad legis necessitatem* pertinere velit, quod Episcop. hoc Sacramentum administret.

*Solus Episcopus est minister ordinarius.*

Responsio ad fidem pertinens est, solum Episcopum esse ordinarium hujus sacramenti ministrum. Id enim post Synod. Florent. definit Tridentina sess. 7. can. 3. de confirmatione. Et est sic intelligendum, ut quidquid alius etiamsi presbyter tentet sine Summi Pontificis dispensatione; nihil faciat: nam sess. 23. ejusdem Concil. Trid. c. 4. inter functiones Episcopis proprias, quarum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent, recensetur collatio sacramenti Confirmationis, & can. 3. Anathema dicitur ijs qui potestatem confirmandi communem faciunt Episcopis, & presbyteris, unde in primitiva Ecclesia per solos Apostolos dabatur plenitudo Spiritus Sancti. Nam Act. 8. Petrus & Joannes mittuntur ad confirmandos eos qui erant baptizati à Philippo; cum tamen ipse Petrus Cornelium ejusque familiam non per se baptizaverit, sed aliorum manu, Act. 10. Similiter Paulus Act. 19. cum hujus sacramenti sicut baptismi ministerium potuisset alijs mandare, si judicasset ab alijs quam Episcopis posse fieri, ipsemet baptizatis manum imposuit at acciperent Spiritum Sanctum.

Huc pertinent verba Eusebij Papæ, quæ B. Tho. refert ex ejus epistola 3. cui consentit Melchiades in Epistola ad Episcopos Hispaniæ dicens, *à majoribus fit, & à minoribus perfici non potest.* Similiterque loquuntur Innoc. 1. epi. 1. ca. 3. Urban. 1. de consecrat. d. 5. c. *Omnes*, Clemens Rom. epist. 4. l. 3. const. c. 16. Cypr. ep. 73. Hier. contra Luciferianos c. 4. Leo ep. 88. Innocentius 3. tit. de consuetudine, c. Quanto.

*Pontifex potest presbytero committere ut confirmet.*

Suffragatur & ratio: Cùm enim Confirmatio sit Sacramentum perfectionis: oportuit illud ab ijs conferri qui & statum perfectionis, & summam in Ecclesia habent potestatem, quales sunt Episcopi: præsertim cùm Sacerdotes ex vi suæ ordinationis sufficientem ad confirmandum potestatem non habeant: essent enim alioquin ministri ordinarij. Unde Adrianus & nonnulli alij, ne quidem ex commissione summi Pontificis putant presbyterum posse Sacramentum istud ministrare.

Ejus tamen Oppositum probabilius est, ut B. Th. Rich. Palud. Domin. Cajet. docent.

Primò, quia Concil. Flor. & Trid. dicunt solum Episcopum esse ministrum Confirmationis ordinarium: significant ergo, vel saltem in dubio relinquunt, aliquem alium posse esse extraordinarium.

Secundò, in Conc. Prov. Sen. c. 38. Cũ abbates nonnulli munus Confirmationis attentarent ex consuetudine præscripta: hujusmodi consuetudo reprobatur; ac tum sequitur, *Quod si qui sint qui contendant sibi competere hanc facultatem ex privilegio: volumus quod cùm primũ fuerint requisiti à Suffraganeis nostris de privilegio fidẽ facere teneantur. Et idem statuimus observandum quantum ad illos qui calicum consecrationem attentant.* Ubi manifestum est supponi quod hujusmodi privilegium dari potuerit. Unde in resp. Card. ad sess. 7. Conc. Trid. affir-

Universidad de Deusto
Biblioteca



matur, quod abbates ex privilegio sedis Apostolicæ possint confirmare. A

Tertiò; Sanctus Greg. id concessit presbyteris Sardiniæ c. *Pervenit* d. 95. quod sumptum est ex ejus li. 3. epistolarum c. 26. ubi cùm littera sit corrupta, legendum est, sicut B. Tho. in 1. arg. refert, *Qui baptizati sunt* &c. *In frontibus baptizatos* &c. Solos enim baptizatos, non autem baptizandos consuevit Ecclesia chrismare in fronte: unde textus Gratiani tam vetus, quam novus jussu Greg. 13. emendatus, Scotus, & alij legunt sicut B. Thom. atque ita esse legendum patet ex c. 9.

*Tacita ob. solvitur.* Neq; responderi potest Greg. loqui de unctione solùm cæremoniali: quia non simpliciter eam concedit, sed ubi desunt Episcopi: cæremonialis B verò facilè conceditur, etiam ubi sunt Episcopi: juxta illud Inno. 1. epi. 1. *Presbyteris, seu extra Episcopũ, seu præsente Episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos tangere licet? sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis dũ tradunt paracletum.*

*Ob.* Si dicas Greg. loqui de unctione cæremoniali quam faciebant presbyteri, in eo potestatem suam excedentes, quod non in ea corporis parte, qua debebant, signarent baptizatos: & hoc ad vitandum scandalum concessisse Greg. Contra est, non solùm quod unctio chrismatica in fronte poni solet à Patribus pro Confirmatione: sed etiam

*Resp.* quòd Greg. concedit unctionem illam quam pro- C hibuerat ejusdem libri c. 9. scribens ad eundem Januarium: Ibi autem vetans presbyteros ungere baptizatorum frontem, dixerat, *Presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte:* quod sine dubio de Confirmatione dicitur.

Deinde, Micrologus c. 21. Et patres Conc. Flor. intellexerunt concessionem Gregorij de confirmatione. *Legitur*, ait Concilium, *aliquando per sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum.*

Ad 1. Argumentum Resp. aliquem actum D ordinis posse interdum committi sine ordine; ità tamen ut per ejusmodi concessionem, is cui committitur, non fiat minister ordinarius, sed solùm extraordinarius. Cujus simile aliquod exemplum est, quando committitur Abbatibus, conferre minores ordines; imò & subdiaconatum, ut colligi potest ex Gelasio infra, Suppl. q. 38. relato ad a. 1.

Ad 2. Negatur Conseq quia Pontifex nihil institutionis divinæ mutat: secundùm enim illam institutionem, Episcopus est ordinarius minister Confirmationis, & non simplex sacerdos, non facit autem Pontifex ut simplex sacerdos sit minister ordinarius, sed solùm ut sit extraordinarius; Et id quidem conformiter divinæ institutioni: E quæ quomodo sit intelligenda, declarat Pontifex potiùs quàm immutet, vel in ea dispenset. Neque debet hæc res extendi ad alia sacramenta: quia non est idem ritus, nec eadem institutio omnium Sacramentorum.

Ad 3. Quod assumitur, veritatem solum habet in ijs quæ potest Pontifex ratione ordinis, seu consecrationis Episcopalis: committere autem officium Confirmandi; non ordinis, sed jurisdictionis est, quam habet Pontifex in Ecclesia suprema. Alioquin, si illud assumptum esset universaliter verum; sequeretur Episcopos posse decreta fidei, & morum, infallibiliter condere pro sua diœcesi quod constat esse falsum.

Ad 4. Ratio diversitatis est institutio Christi, nobis manifestata per usum & traditionem Ecclesiæ. Quod autem illa sit conveniens, probat Author in 4. di. 7. quia operatio sacramentalis in corpus Christi mysticum procedere debet ab habente potestatem supèr corpus Christi verum; diaconus verò non habet illam; cùm non possit consecrare.

Adde, quòd sacerdos etsi non habeat ordinem Episcopalem, habet tamen aptitudinem ut ei committatur aliquis ejus actus; eò quod proximè accedit ad potestatem Episcopalem: & habet unam ex illis potestatibus quæ constituunt essentiam Episcopatus: hic enim essentialiter constat ex potestate sacerdotis, ac insuper ex potestate confirmandi, & ordinandi: quam etsi non habeat presbyter, potest tamen prior quam habet, quodam modo extendi & applicari ad talem actum.

Ad 5. hoc, ut & alia quædam, intelligitur secluſa concessione Pontificiâ.

Ad 6. cùm hæc commissio pertineat ad jurisdictionem; Papa legitimè electus antequam sit ordinatus Episcopus, potest actum Confirmationis committere, ac fortassis ipsemet eundem obire, modò sit sacerdos, & causa rationabilis interveniat: Si verò sit diaconus, non potest per se obire.

Nec est absurdum, aliquem posse committere alicui alteri munus quod per se non potest exercere: nam & Episcopus electus potest committere jus absolvendi sacramentaliter, etiamsi ipse nondum sit sacerdos, ideoque nec possit absolvere.

Porrò potestas Confirmandi à Pontifice concessa presbytero, neque ejus morte expirat, neque cessante causa quæ Pontificem moverat ad eam concedendam: nisi concessio sic sit limitata, quia gratia Principis non expirat morte concedentis, neque in sui conservatione pendet à causa motiva. Vide Sylvest. & Angel. verbo gratia.

Ad 7. Resp. illa verba esse desumpta ex epistola quæ sub nomine Joannis tertij ad universos Episcopos Germaniæ & Galliæ extat in tomo secundo Conciliorum. Verum Baronius tomo annal. 7. ad an. Dom. 572. probat illam esse spuriam.

*Primò*, quia reperitur data decimo quarto Kalendas Augusti, ipse autem Joannes mortuus erat tertio Idus Julias ejusdem anni, scil. sub consulatu Justini sexto.

*Secundò*, quia nomen Corepiscoporum; de quorum munere integra est scripta illa epistola in Gallijs sive in Germania penitus erat abolitum.

*Tertiò*, quia id continetur in ea epistola quod est ab omni antiquitate & veritate historiæ alienum scilicet Linum & Cletum non fuisse revera pontifices Romanos, sed corepiscopos tantum.

Ad postremum, illa manus impositio non fuit ad impertiendum Spiritum Sanctum, sed ad visum Saulo reddendum: qui, ut loquitur scriptura, *vidit Ananiam introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum reciperet.*

Quod autem sequitur: *Et implearis Spiritu Sancto* non est referendum ad impositionem manus, sed ad baptismum statim subsecutum. Explicat enim Ananias causam suæ missionis: quæ fuit ut Saulus visum reciperet; Deinde ut recepto visu baptizaretur, & sic justificaretur, ac Sancto Spiritu impleretur. Hanc autem justificationem secuta est plenitudo Spiritûs, quæ est effectus Confirmationis: fortasse sicut in alijs Apostolis, modo extraordinario.

Innoc.



Innoc. loquitur de impositione manûs cære- A moniali, ad expellendos dæmones.

Concilium Arausi. de ea quæ fiebat in solemni reconciliatione hæreticorum. Confer can. 3. & Concilij Hispal. 2. can. 17.

Ad Hieronymum Resp. ipsum non hoc dicere, sed asserere communem doctrinam, scilicet Confirmationem per solos Episcopos posse dari: *Si* (inquit) *hoc loco quæris quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum S. quem nos asserimus in vero baptismate tribui: disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus S. ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotij quam ad legis necessitatem.* Quę po- B strema verba non indicant munus dandi Spiritum S. per Confirmationem competere Sacerdotibus, ab Ecclesia tamen deferri Episcopis, propter honorem Sacerdotij ipsorum; sed significant illam Spiritûs S. dationem quæ fit per impositionem manuum non tam esse necessitatis, quam honoris, ut sc. Hieron. neget necessitatem Sacramenti, non autem ministri. Vult enim docere quod etiam in baptismo detur Spiritus S. sc. ad remissionem peccatorum, & renovationem mentis, & non solùm per impositionem manuum Episcopalium, id est, non solùm per Confirmationem; ut proinde salus esse possit etiam illis qui non sunt confirmati. Unde subdit, *Alioquin, si ad Episcopi tantum* C *imprecationem Spiritus S. defluit; lugendi sunt qui in vinculis &c. dormierunt.*

Articulus XII.

*Ritus Confirmationis sunt convenientes.* Art. 12. probat ritus hujus Sacramenti esse convenientes. De illis videatur Catechism. Rom. & qui de divinis offic. scripserunt.

In Resp. ad 3. videri posset significatum quod nullum fuerit tempus præscriptum ad confectionem chrismatis, propter c. 124. de consecr. d. 4. sumptum ex canonibus per Martinum Episcopum Bracarensem collectis, eique simile habetur can. 20. Conc. Tolet. 1.

*Chrisma benedicendum feria e. cœnæ Domini.* Verum, tum ex epist. Fabiani Papæ, tum ex D Ordine Rom. & alijs constat non solere chrisma benedici nisi semel in anno, feria 5. cœnæ Domini. Atque ita factum fuisse tempore D. Th. satis hîc indicat.

Quapropter ad dictum c. Respondet Dominic. quantum ad essentiam attinet, omni tempore posse Episcopos chrisma conficere. Alij dicunt sermonem esse de omni tempore ad hoc præscripto, quasi diceretur semper licitum fuisse Episcopis, ut chrisma conficiant omni tempore ad ejus confectionem deputato: quia est proprium munus Episcoporum. Confirmatur hæc responsio, quia c. sic habet, *Omni tempore Episcopo liceat chrisma conficere, & per suas diœceses destinare, ita ut ad accipiendum chrisma, diaconus, aut subdiaconus ante diem Paschæ de singulis Ecclesijs ad Episcopum destinetur.* E Hinc enim patet non esse sermonem nisi de omni tempore Annuali; alioquin non fuisset ratio dicendi, ut diaconus vel subdiaconus mitteretur stato illo tempore, ante diem Paschæ.

*Levis* in maxillam *percussio* significat confirmatum, in militiam nunc ascriptum, paratum esse debere ad fortiter ferendas contumelias, verbera, & quæcumque adversa, pro nomine Christi. Juvat etiam, ut confirmatus meminerit Sacramenti susceptí.

## QUÆSTIO LXXIII.

### *De Sacramento Eucharistiæ secundùm se.*

Dionysius Areopag. in l. de Ecclesiast. hier. prius de Eucharistia, quam Confirmatione disseruit: partim, quia agenti de Sacramentis non secundùm se, sed quatenus pertinent ad ordinem hierarchicum, priùs occurrerunt Sacramenta quæ à Presbyteris perficiuntur, & postea quæ à solis Episcopis: partim, quia cibus potest augmentum sicut subsequi; ita & præcedere. Simpliciter tamen, & secundùm se, tertio demum loco de Eucharistiâ est agendum, ut diximus q. 65. ar. 2.

Articulus I.

*Vtrùm Eucharistia sit Sacramentum.*

Videtur quod non, Primò, quia omne Sacramentum constat materiâ, & formâ, ut partibus essentialibus: nihil autem est in Eucharistiâ quod talibus partibus constet: cùm forma transeat, & quod *Sacramentum* esse dicitur, permaneat.

Secundò, deberet esse dignius alijs Sacramentis, propter Christum in eo contentum: hoc tamen dici non potest, quia non habet effectum excellentiorem, quam Confirmatio; sicut nutritio non est plus quàm augmentum.

Responsio ad Fidem pertinens in Conc. Flor. & Trid. definita, est Eucharistiam esse verum & proprium novæ legis Sacramentum. Quia invenitur in ea signum visibile, & efficax gratiæ sanctificantis. Signi clarè meminerunt, Matthæus, Marcus, & Lucas: effectus, Joan. c. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Eodem facit perpetua Ecclesiæ & Patrum, qui postea citabuntur traditio.

Ad 1. Argumentum Resp. Conc. Flor. non dixisse omnia Sacramenta *constare*, sed *perfici* ex materiâ & formâ: hoc autem Sacramentum habet materiam transeuntem, & formam, non quidem informantem, aut formaliter componentem, sed efficientem, quâ perficiatur.

Ad 2. ex Conc. Trid. & alijs, liquet hoc Sacramentum esse alijs dignius; ob rem contentam. Confert etiam effectum excellentiorem Confirmatione; quia non solum dat augmentum gratiæ; sed, quantum est de se, conservat vitam spiritualem, quasi nutriendo animam in vita & devotione spirituali, eamque continuando usque ad consecutionem gloriæ: cùm sit cibus spiritualis.

*Definitio.* Definiri autem potest, *esse Sacramentum Corporis & sanguinis Domini, ad spiritualem fidelium nutritionem à Christo institutum.* Sed controversia est

### *Quid propriè vocetur Sacramentum Eucharistiæ.*

Videtur quod Consecratio vel sumptio Primò, quia cætera Sacramenta consistunt in actione: Imò baptismus est applicatio aquæ ad hominem; ergo similiter Eucharistia est applicatio specierum, sive sumptio.

Secun-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Secundò, B. Thom. qu. 79. art. 5. dicit quod A rationem sacramenti habet, in quantum sumitur; & art. 7. ad 3. quod sumptio pertinet ad rationem sacramenti.

Tertiò, hîc ad 3. affirmat quòd sacramentum istud perficitur in consecratione: & q 80. art. 12. ad 2. quod perfectio ejus non est in usu fidelium, sed in consecratione materiæ, ergo consecratio est ipsum sacramentum,

Quartò, non potest dici quod species externæ sint hoc sacramentum, quia illæ non adorantur latria, sed Christus qui est sub illis.

Quintò, Neque etiam potest dici quod Christus aut corpus Christi sit sacramentum: partim, quia est res significata, & contenta, ut loquitur B B. Th. q 80. art. 4. unde solet dici quòd Christus est in hoc sacramento: partim, quia neque est res sensibilis, neque institutum ad significandum corpus ejus mysticum: cùm sit eo nobilius. Pro responsione sit

## Conclusio I.

Tametsi consecratio, & sumptio sint actiones quædam mysticæ: natura tamen earum est propriè sacramentum Eucharistiæ: quia neutra est invisibilis gratiæ signum visibile & efficax. Neque enim consecratio, vel sumptio, gratiam confert: sed res contenta. Deinde hoc sa- C cramentum habet esse permanens, & conservatur, & adoratur: quæ omnia nec de consecratione, nec de sumptione dici possunt. Adde, quòd consecratio est actio per quam perficitur sacramentum, & veluti via ad id quod gratiam & continet, & confert: sumptio autem est applicatio virtutis sacramentalis ad sumentem. Ac proinde, sicut in naturalibus applicatio ignis non est propriè id quod calefacit, sed ipse ignis applicatus: ita sumptio non est sacramentum conferens gratiam, sed id quod sumitur. In alijs quidem sacramentis, actio quâ perficiunt, seu usus materiæ est propriè sacramentum: ut ablutio cum certâ verborum formâ; Absolutio super peccata confessa, &c. quia D consistunt in usu materiæ, seu in actione aliquâ externâ: Hoc autem Sacramentum non consistit in usu, vel actione aliqua, sed in re permanente, & est ante usum.

## Conclusio II.

Cum in hoc sacramento reperiantur hæc tria, sacrameutum tantum, scil. species panis, & vini, quæ ita sunt signa Corporis Christi, sive veri, sive mystici; ut ipsæ non sint significatæ per aliud; res tantum, scil. gratia, & unio corporis mystici, quæ ita significatur, & confertur ut non significet aliquid aliud; Res & Sacramentum si- E mul, scilicet Corpus & sanguis Christi, quæ sunt res in hoc sacramento significatæ & contentæ, ac insuper significant Corpus Christi mysticum, sive gratiam quâ membra Corporis mystici uniuntur.

*Resp.* *Probabilius* videtur, id quod hîc est propriè dictum Sacramentum, non esse ipsas species post consecrationem remanentes, sed verum Christi Corpus, & sanguinem; non quidem absolutè considerata, sed quatenus sub visibilibus panis & vini speciebus existunt.

Prius probatur. Primò, quia hoc Sacramentum adoratur latriâ: Id autem quod adoratur à fidelibus, non sunt ipsæ species, sed id quod sub illis continetur.

Secundò, Sacramentum gratiam confert, & continet: id autem quod in proposito gratiam confert & continet non sunt species, sed corpus Christi: *hoc* enim *sacramentum ex seipso habet virtutem gratiam conferendi* ait B. Th. q. 79. ar. 1. ad 1. quod de speciebus dici non potest. Unde in 4. d. 8. qu. 1. ar. 1. q. 1. ad 2. affirmat quod illæ *non sunt causa Corporis Christi, neque alicujus effectus spiritualis in animâ, nisi mediante Corpore Christi vero, secundùm quod ex speciebus, & Corpore Christi fit unum Sacramentum.*

Tertiò, Hoc Sacramentum est cibus animæ: species autem non sunt cibus, nisi fortè corporis, & hoc per accidens.

Quartò, Eædem numero species erant ante consecrationem; Sacramentum autem non est; nisi post consecrationem.

Quintò, Materia hujus Sacramenti est panis & vinum; panis autem & vinum non sunt materia specierum; cum species neque fiant ex pane & vino, neque panis & vinum convertantur in ipsas.

Sextò, *hoc sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patriâ* ar. 4. hujus q. species autem hoc præfigurant.

Posterius probatur. Primò, quia corpori Christi simul cum speciebus sub quibus existit considerato, convenit tota definitio sacramenti; est enim invisibilis gratiæ signum visibile, & efficax. Quod sit signum efficax ex superioribus patet. Quod sit visibile, declaratur: sicut enim sub alienâ specie manducatur, ita & videtur; eo modo quo S. Ambros. l. 1. in c. 2. Luc. dicit, *Cùm caro Domini videtur; Verbum videtur quod est Filius.* Hinc B. Th. q 75. a. 6. *Accidentia panis in hoc sacramento remanent, ut sub eis videatur Corpus Christi,* Et in 4. d. 8. q. 1. ar. 1. qu. 1. ad 2. *vel dicendum,* inquit, *quod* Corpus Christi verum *est visibile non in se, sed in speciebus quæ ipsum tegunt: sicut & substantia aliorum corporum videtur mediante colore.*

Secundò, hoc *sacramentum duobus constat, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine;* ut ex l. sent. Prosp. citat. Grati. de cons. d. 2. c. *hoc est,* Sive ut loquitur Irenæus l. 4. contra hær. c. 34. *Eucharistia ex duabus rebus constat; terrena, & cælesti;* per terrenam intelligens speciem panis, & vini: per cælestem Corpus, & sanguinem Christi.

Tertiò, quando dicitur sacramentum Eucharistiæ adorari, fideles intelligunt ipsum Christi corpus & sanguinem velata sub specie panis, & vini: unde festum venerabilis sacramenti, non intelligitur festum specierum panis, & vini; sed festum Corporis Christi, quod sub illis continetur.

Quartò, Verbis Christi consecratorijs perficitur sacramentum Eucharistiæ: illis autem verbis fit Corpus Christi sub speciebus: ergo hoc est quod Sacramenti Eucharistiæ rationem habet.

Quintò, In forma juramenti professionis fidei ex præscripto Pij quarti sic dicitur. *Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumq; sacramentum sumi.* Si sub una specie & Christus & sacramentum sumitur: ergo ipse Christus sacramentum est, quatenus ibi continetur.

Sextò, Hoc Sacramentum gratiam continet, & confert; est spiritualis animæ cibus, & viaticum; est præfigurativum visionis Dei: Atqui hæc nulli



nulli conveniunt in proposito, nisi corpori & san- A guini Christi sub sensibilibus speciebus existenti: ergo ipsum est corpus & sanguis Christi quod hîc est Sacramentum. Atque ita sentire B. Tho. etsi nonnulli secus existiment, probatur.

Primò, quia tam art. 6. hujus quæst. quàm opusc. 5. & in 4. d. 7. q. 2. tradit Corpus Christi verum, esse rem & sacramentum. Si dicas hinc sequi quòd non propriè sit sacramentum, eò quod in cæteris, id quod est res & sacramentum, non nisi impropriè Sacramentum est: Resp. Neg. Seq. & ratio diversitatis est, quia quod in alijs est res & Sacramentum, vel non est causa gratiæ, vel non præcipua: sicut in baptismo, confirmatione, *Qu. 84. art. 1. Suppl. q. 30. art. 3.* ordine character: In pœnitentiâ, interior contritio: In extremâ-unctione, spiritualis devotio. In B matrimonio, obligatio conjugum mutua. Suppl. q. 42. ar. 1. In proposito autem id quod est res & Sacramentum est verè & propriè causa gratiæ, & quidem præcipua.

Secundò, q. 76. ar. 2. agnoscit Sacramentum celebrari sub speciebus panis & vini: & q. 79 ar. 1. dicit hoc Sacramentum ex seipso habere virtutem ad conferendam gratiam: & quod ex speciebus, in quibus traditur hoc Sacramentum, considerari potest ejus effectus.

Tertiò, jam ante vidimus eum in 4. sent. affirmantem quod ex speciebus, & corpore Christi fiat unum Sacramentum.

Ad 1. Argumentum Neg. C. In hoc enim C differt Sacramentum Eucharistiæ ab alijs, quod alia consistant in usu seu actione aliquâ, istud autem in permanente. Unde fit quod cætera perficiantur in ipso usu, & non istud. Cujus ratio quædam accipi potest ex eo quod Eucharistia continet aliquid simpliciter & absolutè sacrum, sc. Christum Dominum: alia verò solum continent aliquid sacrum in ordine ad aliud, sc. virtutem ad sanctificandum: quam virtutem tunc actu habent, quando sunt in usu, seu quando applicantur ad susципientem. Vide Conc. Trid. ss. 13. c. 3. & B. Th. hîc ad 3.

Pro Resp. ad 2. videndæ sunt explicationes verborum objectorum suis locis.

Ad 3. Neg. C. Hoc enim Sacramentum perfi- D ci in consecratione, est ipsum tali actione fieri, ut postquam illa facta est, Sacramentum subsistat, ac permaneat, etiam extra usum.

Ad 4. Resp. concedendo quod sumitur, ut ex secundâ concl. patet.

Ad 5. Corpus Christi sic est res significata & contenta in hoc Sacramento, ut simul etiam sit sacramentum, quemadmodum ar. 6. tradit B. Tho. Dicitur autem Christus esse in hoc Sacramento: vel quia est sub speciebus quæ sunt id quod dicitur Sacramentum tantùm: vel, sicut 2. ad Cor. 5. dicitur *quod Deus erat in Christo*; quia sicut in Christo homine Deus factus est visibilis, idemque Christus Deus est: ita in Sacramento hoc Christus E tedditur nobis visibilis, idemq; Sacramentum Christus est. Magis tamen propriè *Sacramentum* in eo sermone videtur accipi pro toto aggregato ex speciebus externis, & corpore ac sanguine Christi: ut in eo dicatur esse Corpus Christi, ipseque Christus, sicut pars in toto, anima in homine. Concilium enim Trid. dicit in hoc Sacramento Corpus esse sub specie panis, quod maximè verificatur, sumendo *Sacramentum* pro toto, in quo est, corpus sub specie panis, sanguis sub specie vini. Quomodo etiam sumitur *Sacramentum*, quando dicitur

*Quâ ratione Christus dicitur esse in hoc Sacram.*

quod species sive accidentia panis manent in hoc Sacramento, q 75. art. 2. ad 3. & art. 6. q. 77. ar. 1. 2. 3. 4. Quomodo autem Corpus Christi sit in isto Sacramento visibile, supra declaratũ est. Et quamvis corpus Christi non sit secundum se institutum ad significandum; quatenus tamen continetur sub speciebus sensibilibus, ex institutione significat: & *hoc nihil derogat sibi*: ait Bonav. in 4. d. 8.

His non obstat quod hoc *Sacramentum* vocetur *Sacramentum* corporis Christi: quia est semo transitivus pro intransitivo; quo modo dicimus Sacramentum baptismi, quod est baptismus.

Porrò cùm hoc Sacramentum integretur ex duobus, scil. ex specie, & corpore Christi; observandum est comparationem aliquam inter illa considerari posse, materiæ sc. & formæ. Cùm enim Corpus Christi sit nobilius speciebus & sit velut earum virtus, eas nimirum aliquo modo sanctificans, potest comparari ad illas, ut forma quædam ad materiam.

De Resp. ad 1. diximus q 65. ar. 2. Confer etiam q. 79 ar. 1. ad 1.

In Resp. ad 3. tria ponuntur hujus Sacramenti ab alijs discrimina.

*Primum*, quod perficiatur in consecratione ma- *Differentiæ hujus Sacram. ab alijs.* teriæ, atque adeò sit extra usum, sicut res permanens: cùm alia perficiantur ipso usu.

*Secundum*, quod contineat aliquod sacrum absolutè, ut in resp. ad 1. jam diximus; alia verò, solùm continent aliquid sacrum in ordine ad aliud, sc. virtutem sanctificandi.

*Tertium*, quod res & Sacramentum hîc est extra susципientem, sub speciebus, sc. corpus & sanguis Christi: In alijs est in susципiente.

## Articulus II.

Art. 2. docet hoc Sacramentum etsi mate- *Hoc Sacram. est unum.* rialiter plura, simpliciter tamen, & absolutè esse unum unitate integritatis, & perfectionis, quâ id unum dicitur in quod conveniunt omnia quæ requiruntur ad consequendum finem ad quem tes ordinatur; quo modo dicitur unum totum integrale, una domus.

Confirmatur, licèt reperiantur diversæ materiæ, diversæ formæ diversæ significationes: ex his tamen resultat unum perfectum signum, ordinatum ex institutione Christi, ad unam perfectam spiritualem refectionem. Ac proinde, sicut potus & cibus materialiter diversa, requiruntur ad unam refectionem corporalem, & non faciunt nisi unum convivium: ita species panis & vini, quæ ratione rei contentæ sunt initar cibi, & potus spiritualis, licet materialiter differant; requiruntur tamen ad integritatem unius convivij spiritualis; & faciunt unum tantum convivium spirituale. Ita præter Authorem docent Bonaventura, Durand. & alij in 4. d. 8. Unde sancti Patres de Eucharistia communiter loquuntur sicut de uno sacramento. Consequenter autem dicendum est inter duas materias & duas formas, unionem aliquam reperiri, moralem scilicet, & proportionis; quatenus conveniunt ad constituendam unam integram significationem perfectæ refectionis, & Ecclesiasticæ unitatis. Fideles nihilominus qui sub unâ tantum specie communicant, recipiunt totum sacramentum; quia recipiunt totum Christum, qui est in proposito, res & sacramentum, quamquam formaliter & in ratione signi, non recipiunt totũ id quod est sacramentum tantum. Unde Bonav. d. 11.

Reci-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Recipiunt, inquit, *perfectum sacramentum quoad effi-* A *cientiam, non quantum ad signantiam*, seu significationem. Et per consequens etiam recipiunt perfectam refectionem; quia ratione concomitantiæ, sub specie panis est etiam sanguis qui est potus spiritualis. Porro cum omnes fideles non recipiant idem numero sacramentum, nisi secundùm rem contentam: ideo dicendum est diversas formas, seu species illis distributas, esse diversa numero sacramenta formaliter, seu ratione signi; etsi quadam etiam ratione possint dici unum numero.

## Articulus III.

*An Eucharistia sit de necessitate salutis.*

ART. 3. docet in Eucharistiâ duo posse consi- B derari, rem, & sacramentum. Quoad prius, Eucharistiam esse de necessitate salutis; quia res hujus sacramenti est unitas corporis mystici, sive unio fidelium cum Christo & inter se per charitatem; sine quâ unione salus haberi non potest. Unde Aug. l. 1. contra duas ep. Pelag. c. 22. Pelagianos arguens, *Nec illud*, ait, *cogitatis eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes Corporis, & sanguinis Christi.*

Quoad posterius, concludit Eucharistiam non esse ita necessariam, sicut est baptismus; quia pueri ante receptionem Eucharistiæ, possunt habere rem illius, per votum quod in baptismo includitur: ante baptismum verò, non possunt habere C rem baptismi, quia nullùm aliud Sacramentum præcedit, quo possint dici habere votum baptismi.

*Explicatur B. Thom.*

Porrò quod dicit in baptismo includi votum Eucharistiæ, de voto impropriè, & per accommodationem dicto est accipiendum, quatenus, cum Eucharistia sit finis omnium sacramentorum; omnis autem res inclinatione quadam, seu desiderio propendeat in suum finem; is qui baptizatur, quasi ipso pondere, & inclinatione gratiæ baptismalis, propendet in perfectam unionem cum Christo, quæ habetur per Eucharistiam. Imo gratia baptismalis disponit quodam modo baptizatum, ut suo tempore velit eam suscipere; hæc autem dispositio votum quoddam, seu desiderium est illius suscipiendæ: sicut acceptatio medij est quoddam desiderium finis; & inchoatio rei alicujus est tacitus quidam appetitus consummationis. D

Ex his patet quo sensu sit accipiendum, quod hîc indicatur, sacramentum Eucharistiæ esse necessarium in re, vel in voto: quia nimirum salus nemini potest obtingere nisi fiat membrum Corporis Christi, adunaturque societati fidelium, quod est votum quoddam recipiendi Eucharistiam, ubi fit perfectior adunatio. Sive, hoc Sacramentum est necessarium in re vel in voto: quia necessaria est saltem habitualis quædam inclinatio vel dispositio ad illud: hæc enim habitualis dispositio E quam habent baptizati per gratiam baptismalem, est quoddam, licet improprium, votum Eucharistiæ: quia ad Eucharistiam ordinatur.

*Sacramentum Eucharistia non est necessitate medij.*

Quod autem simpliciter, & propriè loquendo, Sacramentum Eucharistiæ non sit necessarium necessitate medij, de quâ hic agitur, ita ut & prima gratia, & salus haberi possit sine illo suscepto in re vel in voto: probari potest ex parvulis & amentibus, qui cùm nullius voti vel desiderij propriè dicti sint capaces, salvantur per baptismum absque alio Sacramento re vel voto suscepto. Unde Conc. Trid. sess. 21. c. 4. & can. 4. definit Eucharistiam non esse necessariam parvulis. B. etiam Th. q. 65. ar. 4. conformiter ijs quæ dixerat in 4. d. 9. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 2. asserit tria tantùm Sacramenta simpliciter esse necessaria: duo singulis, baptismum, & ex suppositione peccati mortalis post baptismum commissi, pœnitentiam: Ordinem verò, Ecclesiæ. Neque responderi potest eum loqui de reali perceptione Sacramenti: sic enim neque baptismus neque pœnitentia est simpliciter necessaria, cùm per utriusque votum possit haberi salus. Accedit, quod de reliquis Sacramentis dicat ea esse necessaria ad finem convenienter habendum, non autem ad simpliciter habendum. Et in 4. d. 9. q. 1. ar. 1. qu. 2. concludit hujus Sacramenti susceptionem *quantum est de se, non est de necessitate salutis.* Cui consentit Durandus eadem dist. quæst. 2. Neque verò ex illis verbis Ioa. 6. *Nisi manducaveritis* &c. colligi potest necessitas medij: quia ut q. 68. ar. 1. diximus, sermo dirigitur ad solos adultos, quibus dici possit illud Paulinum, *Probet seipsum homo.* Nec tamen adultus qui nondum instructus de isto mysterio, moreretur baptizatus: Item, qui propter periculum vomitus, vel aliam aliquam legitimam causam abstineret, excluderetur à salute: quod autem necessarium est necessitate medij, tale est ut sine illo finis haberi nequeat, quantum cunque ignorantia excuset, vel impotentia, ut fides, gratia, baptismus vel ejus votum. Ut prætereamus sententiam illam intelligi disjunctè de spirituali vel sacramentali manducatione, ut significetur non habiturum vitam qui nec hoc nec illo modo, Corpus Domini manducaverit.

*Solvitur objectio.*

*Ob. tacita solvitur.*

In resp. ad 2. neg. est C. sicut enim plura sunt ciborum corporalium genera, ita & spiritualium: & ideò quamvis cibus sit necessarius, non tamen hic & ille determinatè: potest enim Christus qui est cibus animæ, præstare illi virtutem conservativam per aliud medium, quam per hujus Sacramenti susceptionem.

De Resp. ad 3. confer quæ diximus q 66. a. 9. & quæ habet Author ibid. ad 5.

## Articulus IV.

ART. 4. declarat hoc Sacramentum convenienter appellari diversis nominibus propter diversam ejus significationem.

*Varia hujus sacramenti nomina.*

In quantum significat rem præteritam, & est commemoratio Passionis Dominicæ, vocatur una ratione *Sacrificium*, de quo q. 83. *Hostia* verò quatenus continet Christum qui in cruce fuit hostia salutaris.

In quantum significat rem præsentem, vocatur *Synaxis*, id est collectio, apud Dionysium c. 3. Eccles. hier. partim quia illo potissimum Sacramento, fideles in unum colliguntur & congregantur: atque ideò est Sacramentum unionis & pacis: partim quia à Christianis in unum congregatis celebrari solet.

Dicitur & *Communio*, quia per illud communicamus Christo, illique & ad invicem adunamur.

In quantum significat rem futuram, vocatur *Viaticum*, quia nobis præbet viam perveniendi ad beatitudinem.

Dicitur & vulgarissimè *Eucharistia*, i. bona gratia, quia vitam æternâ de quâ Apost. ad Ro. 6. *gratia Dei, vita æterna*, præsignificat: vel quia Christum omnis gratiæ fontem continet: vel quia magnum



gnum gratiæ cumulum confert; ipsumque est A ineffabilis gratia.

Putant non pauci post Iren. l. 4. c. 34. dici Eucharistiam, tanquam gratiarum actionem; quia hoc Sacramentum consecratur, & offertur Deo in gratiarum actionem. Unde sacerdos ante sumptionem calicis, *Quid retribuam Domino*, inquit, *pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.*

Inveniuntur & alia nomina, tum à materia tum ab effectu, tum à re contentâ, passim apud Patres: Isto tamen (*cœna dominica*) non est passim utendum, propter sectarios qui eo abutuntur, tum ut communicent non jejuni, tum ut negent posse asservari, vel in sacrificium offerri. In erroris au- B tem sui patrocinium, assumunt verba Apostoli 1. ad Cor. 11. de quibus dicendum erit quæst. 80. art. 8. ad 2.

## Articulus V.

*Hoc Sacramentum est in ultima cœna institutum.*

ART. 5. docet institutionem hujus Sacramenti convenienter factam esse in ultimâ cœnâ, *pridie quam Christus pateretur*; ut dicitur in canone missæ; seu *in nocte quâ tradebatur*, ut dicit Apostolus 1. ad Cor. 11. quibus subscribunt Concil. Vienn. Clementina unica, De reliquijs & veneratione sanctorum; & Trid. sess. 13. c. 2. Factam autem esse hanc institutionem luna decima quarta ad vesperam, patet ex ijs quæ ar. 9. q. 46. diximus. C

*Quæst.*

An tamen hæc vespera intelligenda sit posterior quæ erat finis decimæ quartæ lunæ, & initiû decimæ quintæ, nonnulli vertunt in dubium, existimantes quod Israëlitæ Exodi 12. pascha celebraverint initio lunæ decimæ quartæ, atque adeò priore vespera. Nocte enim quâ comederunt agnum, nõ sunt egressi de Ægypto; cùm dicatur ibidem, *nullus vestrum egrediatur ostium domûs suæ usq; manè*; & tamen egressi sunt initio noctis lunâ decimâ quintâ: ergo comederunt agnum ineunte lunâ decimâ quartâ, & totâ illâ nocte domi manserunt. Quod nocte exierunt probat illud Exod. 12. *Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti*: Et Deut. 16. *Eduxit te Dominus* D *Deus tuus de Ægypto, nocte.* Quod initio noctis; quia sequitur ibid. *Immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Quod lunâ decimâ quintâ, patet ex Num. 33.

*Resp.*

RESP. Israëlitas olim suum pascha celebrasse lunâ decimâ quartâ finiente, atque adeò vespera posteriore; quod & Christus fecit. Immolabant enim agnum ea vespera, quam sequebatur solemnitas paschalis; hæc autem celebrabatur lunâ decimâ quintâ, Levit. 23. Deinde, ista particula, *Ad vesperam*, significat finem diei præcedentis; Exod. 12. Levit. 23. Josue 7. Confitmatur; Azyma non incipiebant nisi sub initium lunæ decimæ quintæ: Atqui incipiebant lunâ decimâ quartâ, ad vesperam: ergo intelligitur vespera posterior, hæc enim sola erat finis lunæ decimæ quartæ, & initium decimæ quintæ. Huc pertinent Scripturæ Exod. 12. & Levit. 23. quæ docent solemnitatem azymorum fuisse decimâ quintâ die mensis primi. E

AD ARG. ego RESP. Israëlitas non esse egressos initio, aut medio noctis, sed ea vergente ad finem, seu mane. Nam *in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Exo. 12. Unde Sap. 18. *Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus* (seu divina tua jussio) *à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosilivit.* Hoc dum sentirent Ægyptij, surrexerunt, & compulerunt Hebræos exire de suis finibus, quanta potuerunt festinatione, quò fit ut omninò manè exierint. Quod si integram noctem expectassent, ac initio sequentis exijssent, panem fermentatum, & alia parare licuisset; neque verum esset quod Ægyptij nocte surgentes nullam facere moram sinerent. Quod tamen Exod. 12. affirmatur contigisse. Vide Riberam lib. 5. de festis c. 3. Quia verò immolatio agni erat quædam præparatio ad exitum: hinc est quod interdum dicuntur initio vesperæ posterioris exijsse, quando agnum immolabant; quia talis immolatio erat quasi initium exitus. Quamquam quod Deut. 16. dicitur, *quando egressus es de Ægypto*, non necessariò significat determinatam horam exitûs, sed noctem illam in cujus aliqua parte exierunt, unde in Hebræo, & Græco habetur, *In tempore exitus tui de Ægypto.*

*Quæst.*

Porrò, cùm dicatur Sacramentum hoc in ultima cœna institutum: quæri potest, quomodo in canone missæ dicatur, *Postquam cœnatum est*; Et Luc. 22. *Postquã cœnavit*: Quomodo item legatur Ioan. 13. pedes lavisse discipulorum, *cœna facta*?

*Resp.*

Ad quorum intelligentiam, sciendum est Christum post esum agni typici, lavisse discipulorum pedes; post lotionem verò iterum recubuisse, & tunc instituisse hoc Sacramentum, præsentibusque Apostolis distribuisse; post quam distributionem, sacramque communionem, sermonem deinde habuisse de sui proditione, ac dedisse panem intinctum Judæ; qui cum illum accepisset, *exivit continuò*, Ioan. 13. Huc pertinet quòd sancti Patres lotionem pedum propterea dicunt præmissam institutioni, & sumptioni hujus Sacramenti; ut per hoc significaretur animam esse mundandam à sordibus, ante sumptionem Eucharistiæ. Et sic verificatur quod lotio pedum, & hujus Sacramenti institutio facta fuerit *post cœnam*, agni scilicet paschalis, seu legalem, *edentibus tamen & cœnantibus Apostolis*, Matth. 26. & Marci 14. quia post lotionem pedum rursus accubuerunt, & cœnaverunt, cœna scilicet usuali, cui continuò successit Sacramenti institutio. D

Pro RESP. ad 4. Neganda est Min. ut patet ex ijs quæ diximus q 99. ar. 2. Unde B. Thomas tam hîc, quam in cap. 4. Ioan. agnoscit aliquos fuisse baptizatos baptismo Christi Ioan. 3. hoc est, ante passionem & ante Sacramenti Euchar. institutionem: docetque ex professo illa q. 66. ar. 2. baptismum Christi verè institutum fuisse quantum ad ipsum Sacramentum, ante ejus passionem. Quod ergo hîc in priori parte resp. ait Eucharistiam debuisse institui ante baptismum, non de nuda baptismi secundùm quod Sacramentum est institutione accipi debet; sed de ea qua baptismi præceptum impositum est Judæis & Gentilibus, quemadmodum intelligi potest, si præsens resp. ad 4. conferatur cum dicta q. 66. ar. 2. in corp. & ad 2.

## Articulus VI.

*Agnus paschalis erat præcipua figura hujus Sacram.*

ART. 6. declarat agnum paschalem fuisse præcipuam figuram hujus Sacramenti. Cum enim mysterium hoc fuerit in omni statu præfiguratum, adeò ut Paschas. c. 7. l. de corpore & sanguine Domini, scripserit, *In statu innocentiæ figuram ejus fuisse lignum vitæ*: non tamen omnes figuræ significarunt illud æqualiter.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quædam enim potissimum repræsentarunt A illud quod est Sacramentum tantum, ut sacrificium Melchisedech. Gen.14. & panes propositionis Levit.24. de quibus Ecclesia in officio venerabilis Sacramenti.

Aliæ repræsentarunt id quod est res tantum, sive effectus Sacramenti, ut manna Ioan. 6. & Sap.16.Huc etiam pertinet hydria farinæ.3. Reg. 17. quæ non defecit; nam de Christo in Eucharistia,dicitur,*Nec sumptus consumitur.*

Aliæ repræsentarunt id quod est res & Sacramentum, ut sacrificia veteris legis, & specialiter Agnus paschalis, per quem tria jam dicta repræsentantur. Quatenus enim comedebatur cum panibus azymis, repræsentabat id quod est Sacra- B mentum tantum : Quatenus erat agnus qui immolabatur,figurabat Christum,Christique Passionem : Christus autem sic in Eucharistia continetur,ut quatenus illic existens etiam sit Sacramentum;Corpus enim Christi verum est res & Sacramentum,ut hîc dicit Author; quatenus autem per sanguinem Agni Paschalis filij Israel fuerunt à devastante Angelo protecti, & de Ægyptiacâ servitute educti,significabatur effectus hujus Sacramenti.

## QUÆSTIO LXXIV.

### *De materiâ Eucharistiæ, quantum ad speciem.*

### Articulus I.

*Materia Sacram. Euchar. est panis & vinũ.*

Art. 1. docet hujus Sacramenti materiam esse panem & vinum. Quæ doctrina *est fidei* definitæ in c.*firmiter*, de Sum. Trinit.& in Conc.Flor. & Trid. propter Christi factum,& institutionem.

*De pane* habemus Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

*De vino*, ubi Matthæus & Marcus post consecrationem calicis scribunt Dominum dixisse, *non bibam amodò de hoc genimine vitis.* D

Nec obstat quod Luc.videatur meminisse duorum calicum,communis & sacri;verba autem jam dicta referat Dominum dixisse ante consecrationem.

*Lib. 3. de consensu Evang. c.1.*

Primò quidem, quia probabilior est sententia Aug.qui (alijs licet dissentientibus) agnoscit unicum calicem à Luca bis memoratum;semel,præoccupando; & iterum, ordine suo post consecrationem panis : sibi significat id, quod de calice prius loqui cœperat,jam demum contigisse.

Secundò, quia liquet ex Scripturâ Dominum consecrasse calicem; quod autem in eo fuerit vinum ante consecrationem, Ecclesia,Ecclesiasticique Patres,de quibus ar.6. semper intellexerunt, E conformiter figuræ quæ præcessit in sacrificio Melchisedech.

Materia autem hæc non ea intelligitur quæ in ipso Sacramento permaneat; sed ex qua tanquam materia transeunte fiat Sacramentum Corporis & sanguinis Domini. Unde panis & vinum sunt materia hujus Sacramenti in fieri, non autem in facto esse. Vide q.75.ar.2.

In corpore diligenter legendæ sunt rationes, ob quas in istis elementis institutum sit hoc Sacramentum,potius quàm in alijs.

Quod in tertia ex Ambrosiastro dicit corpus sub specie panis esse pro salute corporis,& sanguinem sub speciei vini pro salute animæ;per accommodationem, vel appropriationem est accipiendum. Quamvis enim corpus Christi etiam valeat ad salutem animæ, & sanguis etiam ad salutem corporis:corpori tamen appropriatur salus corporis, propter similitudinem; sanguinis verò, salus animæ propter proportionem,& affinitatem:Nam & anima est principium vitæ, & modo quodam sanguis, ut qui ad vitam,vitæque conservationem maximè sit necessarius. *Anima carnis*,seu vita animalis,*in sanguine est*,Lev.17.vide q.79.ar.1.ad 3.

Responsioni ad 1. addi potest quod non videretur lex abolita, si adhuc isto tempore carnes animalium in sacrificium mactarentur. Rursus, quod conveniens erat, ut sicut tempore veteris legis offerebatur caro, & sanguinis animalium sine carne,& sanguine Christi : ita nunc offerretur caro & sanguis Christi, sine carne & sanguine animalium. Sic enim *umbram fugat veritas,& noctem lux eliminat.*

In Resp. ad 2. quæri potest.

### *Vtrùm una Sacramenti materia nunquam consecrari possit sine alia ?*

Videtur quod sic. Primò, quia Christus in Castello Emaus consecravit panem, ut C sentire videtur Aug.l.3.de consensu Evang.c.25. ubi tamen non potest dici consecrasse vinum, quia statim ut in fractione panis agnitus est, evanuit ex oculis discipulorum.

Secundò, potest occurrere necessitas communicandi, imò & sacrificandi, ubi vel nulla reperiatur hostia,vel vinum non possit haberi : unde Volaterranus refert Innoc. 8. concessisse Norvegijs, ut sine vino consecrarent, eò quod ob nimiam aëris frigiditatem, vinum ibi non posset conservari.

Tertiò, licet sumere unam speciem sine aliâ, ergo & consecrare.

Quartò, potest Ecclesia in Sacramentorum dispensatione statuere aliquid, vel mutare, salvâ eorum substantiâ;ut dicit Conc.Trid.sess.21. c. 2. Sed substantia Sacramenti est in una specie, etiamsi altera non consecraretur : ergo &c.

Responsio tamen negativa est tenenda. Pro cujus declaratione sit.

### Conclusio I.

Si consecretur una species sine altera, consecratio tenet. Prolatis enim super panem his verbis, *Hoc est corpus meum*, statim adest corpus Christi:alioquin locutio non esset vera.Ita docent Bernardus epist.66.Thom.q.78.art.6. & in 4.d. 8.qu.2.art.4.ibidemque Durandus & Richardus: & confirmari potest ex Concilio Trid. sess. 13. c. 3. ubi dicitur *statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumq, ejus sanguinem sub panis & vini specie,unà cum ipsius animâ & divinitate existere.* Hoc enim respectivè intelligendum esse, ut post consecrationem panis, statim ibi sit corpus Christi,& post consecrationem vini, sanguis : patet ex ibidem sequentibus, *sed Corpus quidem sub specie panis,& sanguinem sub vini specie,ex vi verborum.* Et hoc modo semper intellexit Ecclesia,quæ ante consecrationem calicis, adorat Corpus Christi, adorandumque proponit.

Nec



Nec obstat,quod in Sacramento Extremæ-un- A ctionis effectus demum sequatur ad ultimam unctionem;ut significat Author Suppl.q. 29 a.2.& q.30.ar.1.ad 3. quamvis enim hoc admitti possit de ultimo effectu, qui est gratia,juxta sententiam eorum qui dicunt quinque unctiones esse essentiales; eò quòd secundùm illos Sacramentum non sit essentialiter perfectum ante ultimam unctionem: primus tamen & proximus effectus qui est partis inunctæ benedictio & quasi consecratio, tenet ante ultimam unctionem:Ideò enim Sacerdote qui primam inunctionem fecit moriente, subsequens debet ad alia progredi, & non denuò ungere partem inunctam Suppl. q.29. ar.2. Cæterùm sintnè quinque unctiones essentiales, qu. B 32.ar. 6. disputabitur.

### Conclusio II.

Ex Christi institutione ac præcepto esse videtur,quod Sacramentum hoc non conficiatur in unâ specie, sine aliâ.

Probatur 1.dum enim Conc. Trid. ff. 21.c.1. asserit,*laicos & clericos non conficientes,nullo divino præcepto obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum:* satis relinquit intelligendum clericos conficientes aliquo divino præcepto ad id obligari, præsertim cum c.1. seq. sess. dicat Christum *Apostolos eorumq, in sacerdotio successoribus, præcepisse ut sub earundem rerum symbolis*, panis scil.& vini speciebus, *offerrent.* C

Secundò, per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem;* Christus ijsdem præcepit ut offerrent Eucharistiam in sacrificium; prout Catholica Ecclesia semper intellexit ac docuit;ut ibidem dicitur ergo voluit ut quotiescunque consecratur, offeratur: Atqui non offertur sacrificium integrũ absque utriusque speciei consecratione : ergo voluit utramque speciem consecrari.Min.Prob. quia hoc sacrificium est expressa quædam repræsentatio sacrificij cruenti:hæc autem non fit in unâ tantùm specie; cùm in sacrificio cruento non fuerit solùm corpus,aut solus sanguis, sed utrumque separatum ab altero; unde repræsentatio quæ fit per unicam speciem,est solùm implicita. D

Confirmatur, sacrificium cruentum non fuit perfectum sine effusione sanguinis : ergo neque hoc erit perfectum, nisi sacramentaliter effundatur sanguis,id est, nisi seorsim consecretur, & sic (quantum est ex vi consecrationis) sistatur separatus à corpore & contrà, sanguis in eo sacrificio non fuit effusus nisi à corpore;debet ergo in isto etiam corpus consecrari, & (quantum est ex vi consecrationis) seorsim à sanguine poni.

Adde, quod ad actionem sacrificalem per se pertineat tam sanguis quam corpus : ergo ex institutione ac præcepto Christi utrumque debet per se,seu ex vi consecrationis,præsens fieri; quod E non est nisi consecretur utraque species.

Eodem pertinet quod summo studio curari solet ut sacrificium absolvatur; adeò ut si contingat celebrantem morte aut morbo impediri,ne secundam speciem consecrare possit; debeat consecratio perfici per alium, etiam non jejunium, si necesse sit : ut habet Missale Rom. Navar. c.25. nu.86. Tolet.l.2.c.9.conformiter Concilijs Toletano 7. & 11.& B.Tho.qu.83. ar.6.ad 1.Ex his jam patet.

### Conclusio III.

Probabilius est nunquam licere, sive ex dispensatione, sive ex interpretatione Pontificis,consecrare unam speciem sine aliâ.

Primò, quia Pontifex non potest immutare institutionem Christi.

Secundò, quia non potest dispensare in jure divino,ut significarunt Urbanus & Zozymus,25. q.1. capitulis 6.& 7.& B.Th. 1.2.q.97. ar.4.ad 3.eò quod inferior non habeat potestatem in legem sui superioris.

Tertiò, quia vix potest occurrere justa necessitas id faciendi, cùm hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitatis, & experientia doceat vinum asservari in regionibus etiam frigidissimis.Hanc doctrinam innuit B.Thomas hîc ad 2. & q. 80. ar.12. Confer quæ dicimus quæst.83. ar.1. quæsito 3.

Ex his colligitur vanam esse distinctionem illorum qui admittunt non posse sacrificando unam speciem consecrari sine alterâ, posse tamen extra sacrificium,ad alium usum, Supponunt enim aliquid falsi, dari scil, alium modum consecrandi quam sacrificando.

Quapropter Ad 1. Arg. Resp. Christum quidem pro plenitudine suæ potestatis potuisse unam speciem consecrare sine alterâ, non videri tamen fecisse:cùm enim non aliud Luc.24.legatur quam Matth.14.& 15.ubi consensu omnium constat quod non consecraverit : non putamus Christum ullam speciem consecrasse in historiâ quæ refertur eo c.24.S. Luc.præsertim cùm duo illi Discipuli nimis tardi ad credendum, non satis videantur fuisse dispositi & instructi ad tantum Sacramentum;eis antea prorsus incognitum: neque fit verisimile quod Christus voluerit aliquid facere contra id quod paulò ante ipsemet instituerat.

Aug.sive isto lib.sive Ep.59.q.8.non affirmat fuisse Sacramentum Eucharistiæ, sed panem benedictum;qui tamen significaret, quam virtutem habeat Eucharistia. Quod enim agnitus fuerit Christus in fractione panis, seu quando panem frangebat, divinitùs factum est, ut intelligeretur quid spiritualiter faciat Eucharistia. Vide Jansenium c.145. suæ concordiæ.

Ad 2. Excusari quis potest à necessitate communicandi, ob defectum Sacramenti : sed *propter defectum alterius, non est unum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum* ait hîc B. Tho.

Quod de Innocentio 8. refertur,incertum est Verba Volaterrani l.7.Geographiæ sunt: *Norwegiæ Innocentij 8. Pontificis concessione permissum,sine vino calicem sacrificare, quod ob immensa frigora vinum in eâ regione importatum acescat.* At quomodo posset calix sacrificari sine vino, nisi fortè ficut Aquarij,jam olim tempore Cypriani reprobati?quo modo vinum statim ibi acescebat; cùm ibi aqua, oleum, ac etiamnum vinum, sint in usu?

Refert Fumus verb. *Eucharistia*, n.10.Alexandrum ultimum voluisse dispensare, ut sine vino conficeretur in locis,ubi vinum non potest haberi; & fuisse declaratum quod non poterat. Si tamen constaret Innocentium concessisse ut sine vino consecraretur; dicendum foret eum id egisse

Universidad de Deusto
Biblioteca



ex sententiâ Gabrielis lect.84.in canonem, Majoris in 4. dist. 13. qu. 3. quorundam aliorum, qui putant non esse præcepti divini consecrare, sub utraque specie. A

Ad 3.Neg. Conf. Cùm enim hoc Sacramentum non consistat in usu; *perfectio ejus non est in usu fidelium, sed in consecratione materiæ*; sicut & sacrificium; *& ideò nihil derogat perfectioni hujus Sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine*, id est,*sine specie sanguinis,dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque*,ait B.Th.quæst.80. articulo 12. ad 2.

Ad 4. licet in unâ specie sit tota substantia rei per Sacramentum significatæ: non est tamen totum id cui convenit esset sacrum signum;quia id ambabus speciebus propter rem sub ipsis contentam, convenit. Non fieret etiam Sacramentum perfectum, quia *repræsentatio Dominicæ Passionis agitur in ipsa consecratione hujus Sacramenti:* in passione verò fuit sanguis à corpore separatus. Vide B.Th.q. 80.ar.12. ad 3.ubi subjungit, quòd *non debet corpus sine sanguine consecrari.* B

His non repugnat quin accidere possit ut quis sine peccato non consecret alteram speciem: ut si post consecrationem panis, advertat non esse vinum,nec possit haberi,aut non sine vero ac magno pusillorum scandalo, vel evidenti mortis periculo.Rursum, si vinum quidem habetur, sed ob præsentiam hostis nequeat consecrari sine periculo, vel profanationis alterius speciei consecratæ, vel mortis: probabile enim est præceptum divinum non obligare,sub tanto periculo:quod tamen si prævideretur,potius esset à consecratione abstinendum,quam velle unicam speciem consecrare. Vide B.Thom.in 4.d.11.q.2.ar.1.quæstiunc.ad 4. C

## Articulus II.

*Non requiritur determinata quantitas materiæ.*

Art.2. probat non requiri determinatam quantitatem panis & vini ad materiam hujus Sacramenti,id est, nullam esse tam magnam, quæ (quantû est ex parte formæ ac potestatis ministri) consecrari non possit: modò non sit aliunde impedimentum, veluti si non esset præsens. Quamvis enim B.Tho.nullam hîc mentionem faciat præsentiæ, supponit tamen eam requiri, quia ut loquitur d.11.q.2.ar.1.quæstiun. 3. *Ipsa forma pronomine demonstrativo utens, ostendit quod materia consecranda debet esse coram Sacerdote:* eademque est Durand. & aliorum sententia. Unde Sacerdos existens in domo suâ non posset consecrare panem qui est in altari. Sed quantacunque sit quantitas panis & vini, quæ coram Sacerdote ponitur,potest ab eo consecrari:quia ponuntur omnia requisita ad Sacramentum:quamvis si excedat consuetudinem Ecclesiæ, sit peccaturus. Quanta verò præsentia requiratur, non potest exactè determinari: quò fit, ut consecratio possit ex parte præsentiæ, interdum esse dubia:cùm videl. certò judicari non potest utrum materia sit præsens consecranti. Habenda tamen est ratio consuetudinis humanæ,& judicandum id esse præsens,quod more & usu hominum seu judicio prudentis viri taliter est positum, ut pronominis demonstrativi prolatione possit designari. Unde consecratio materiæ à tergo positæ vel ejus quæ est post parietem: non esset valida: quia talis materia, secundum commune & morale judicium, non censetur esse præsens ministro. Valida autem esset consecratio vini in calice cooperto:& panis,in pixide clausa: quia talia censentur esse præsentia: designantes enim plenû vino dolium,dicimus,hoc est vinum. Et quamvis non sit necesse ut materia sensu aliquo percipiatur,vel ad eam sonus vocis pertingat: debet tamen esse sensu perceptibilis:tum quia pronomen demonstrat aliquid sensibile & sensibiliter præsens: tum quia cùm Sacramentum sit signum sensibile, debet habere præsentiam sensibilem. D

*Quamvis materia consecratur præsens.*

*Quæst.* An autem materia hujus Sacramenti habeat certum terminum parvitatis: sive, an detur tam parva quæ consecrari non possit, quæri potest. Author in argumento ad oppos. supponit responsionem negativam.

*Resp.* Quapropter omnis quantumcunque parva materia: si modò retineat substantiam panis aut vini & sensibus objici possit, apta est (quod ad valorem attinet) consecrationi. Si verò daretur aliqua tam parva, quæ separatim existens non esset sensibilis;in quâ tamen substantia panis aut vini conservaretur, controversia est. Dominic. putat esse consecrabilem. Major in 4.d.10.q.1.negat:eumque sequuntur non pauci,quia materia Sacramenti debet esse sensibilis. Ac proinde cum B.Th.dicit non esse tam parvam quantitatem quæ non possit consecrari:supponit eam esse sensibilem,& loquitur quantum est ex parte ministri, si aliunde non sit obstaculum. E

*Ob.* His non obstat, quod si ab hostiâ consecratâ

*Resp.* separaretur talis particula, non desineret ibi esse Corpus Christi: ut patet ex can.3. sess.13. Conc. Tridentini,quia pars à toto separata potest retinere consecrationem, etiamsi dum separata est, consecrari non possit: sicut paret in animâ humanâ, quæ non potest baptizari vel ordinari, extra corpus, & tamen retinet consecrationem in corpore acceptam.

*Quæst.* Ex his jam & aliud quæri potest. An materia hujus Sacramenti debeat esse particularis & determinata. Ad quod Durand. & alij communiter, respondent affirmativè: quia actiones versantur circa aliquid singulare & determinatum, non circa aliquid confusum; specialiter autem id in proposito postulat pronomen demonstrativum. Hinc fit quod si Sacerdos aliquis phantasticus velit consecrare solam dimidiam partem hostiæ, nec ullo modo eam designet;nihil consecrabit;& similiter si habeat coram se decem hostias,& intendat consecrare solùm novem, non determinans quas novem intendat: quia non est ratio cur una sit consecrata potius quam altera; & tamen est necesse excludi aliquam;secus,si signaret quam velit consecrare, & quam non; Si verò existimans esse decem,cùm sint undecim, velit tamen omnes præsentes consecrare:valida est omnium consecratio: sicuti &, si manu teneat duas hostias sibi invicem adhærentes, & putet solùm esse unam, utraque erit consecrata, si fuerit ejus intentio consecrare quod in manibus habet consecrabile: qualis ordinariè est intentio Sacerdotis celebrantis. Et existimo quod posset utramque simul sumere.

## Articulus III.

*Panis triticeus est propria materia.*

Art.3.docet panem triticeum esse propriam materiam hujus Sacramenti, ita ut ex omni & solo tritico possit fieri panis qui sit idonea materia Sacramenti Corporis Christi: quod & antea docuc-



derat libr. 4. contra Gentes c.69. & in 4.d. 11.consentientibus Scoto,Durando,& alijs communiter; quia Christus hoc pane usus creditur; cum non sit verisimile panem azymum, qui ad solemnissimum paschale festum, & ad esum agni conficiebatur,ex aliâ fuisse materia quàm triticea; præsertim cùm panes propositionis (qui figurabant hoc Sacramentum)confici deberent ex simili,Lev.24.id est,ex flore albissimæ farinæ tritici. A

Confirmatur,Christus enim Joa. 12. comparat se grano *frumenti*: quod nomen licet generaliter complectatur omne genus grani quod falce metitur,sive quod habet culmos & spicas;per excellentiam tamen, pro tritico, seu meliori specie frumenti, ponitur.Unde interpres Latinus 1. ad Corinth.14.versu 37. eandem vocem Græcam vertit triticum, quam Joan. 12.verterat frumentum. Et Hieronymus in caput 9. Zachariæ *frumentum electorum*,inquit,*nos intelligimus Dominum Salvatorem,qui loquitur in evangelio,nisi granum tritici cadens in terram &c.*tum addit,*De hoc tritico efficitur ille panis qui de cœlo descendit.* Huc pertinet Concilium Florentinum, asserens materiam hujus Sacramenti esse panem triticeum. B

*Ob.* Si dicas Concilium assignare materiam principalem magisque certam; atque adeò significare quod necessaria sit necessitate præcepti, non autem necessitate Sacramenti:contra facit. *Primò*,

*Resp.* quod eodem modo dicat de hoc Sacramento, *cujus materia est panis triticeus*, quo modo dixit de Baptismo,*Materia hujus sacramenti est aqua vera*; & de Confirmatione, quod *ejus materia sit chrisma*: Ibi autem assignavit materiam quæ est de necessitate Sacramenti. *Secundò*, Concilium non dicit aquam esse materiam hujus Sacramenti,quæ tamen de necessitate præcepti est adhibenda & cum vino miscenda: ergo non loquitur de ejusmodi necessitate. C

His accedit, tum perpetua ecclesiæ traditio. tum ratio. Materia enim Sacramentorum est id cui primò convenit ratio nominis & rei:ut in baptismo,aqua;in extremâ unctione, oleum olivæ, quibus primò convenit ratio aquæ & olei: sed pani triticeo,primò convenit nomen *panis*, cùm alij solum sint in supplementum defectus istius; ergo,Hinc Missale Romanum, *Si panis non sit triticeus, non conficitur Sacramentum.* D

*Ob.* Si dicas omnem panem esse ejusdem speciei; sicut omnis sanguis est ejusdem speciei ex quibuscunque cibis generetur, Negandum est id quod sumitur: quia non omnis materia proxima panis

*Resp.* est ejusdem speciei, quamvis autem sanguis oriatur ex diversis cibis, ut materia remota: illud tamen ex quo proximè gignitur est unum & idem.

Ex his patet, massam crudam farinæ quæ non sit cocta,non esse consecrabilem;quia non est panis usitatus, sive intetim specie differat, de quo vide qu.75.ar.6.ad 1.five non differat. Christus enim noluit in Sacramentis subtilem istam de differentiâ specificâ disputationem nobis imponere, sed voluit quod haberemus verum panem triticeum, pro materia consecrationis,ut bene advertit Scotus d.11.q.6.Hinc fit quod panis confectus ex hordeo,avena,milio, panico,pisis, fabis, castaneis, cæterisque hujusmodi leguminibus aut seminibus, non sit consecrabilis; quia cum constet talia non esse triticum, panes ejusmodi non sunt triticei. E

Difficultas autem est de siligine, farre, spelta, & quibusdam alijs;de quibus non constat cujusmodi granum propriè significetur istis nominibus.

*De sigiline* quidem secundùm eam significationem quam habet apud Plinium l.18.c.8.Isid. l.17.etymol.c.3.Senecam & alios Latinos, non potest esse dubium: significat enim illis candidissimum tritici genus, dictum ab eligendo, quod proinde nonnulli vocant delitias tritici.Prout autem vulgo accipitur,& ut est tritico inferior quam alij secale vocant, non est idonea ex quâ conficiatur panis qui sit legitima hujus Sacramenti materia. Et ideò S. Th. non est intelligendus de siligine hujus generis;sed de priore.Ratio nihilominus quâ utitur, probabilis tantùm est,non necessaria; subinde enim accedit, ut ex frumento in malis terris seminato oriatur avena;& possit effectus unius speciei oriri ex causa alterius speciei, ob defectum virtutis, materiæ, dispositionis, aut similium.

*De spelta & farre*, B.Thom.negat posse confici panem qui sit idonea materia hujus Sacramenti; quia non habent naturam tritici. Cum eo sentiunt Richar. & Angel. Paludanus verò & alij quidam affirmant: Durandus & Major dubitant: unde sequitur quod ejusmodi panis sit materia dubia; quam qui in necessitate consecraret, fortè excusari posset ob probabilitatem opinionum, potius tamen videtur abstinendum.

*De amydo*, idem ex Responsione ad 4. est dicendum.

Porrò circa modum conficiendi hunc panem controversia est. Quidam sufficere putant, quod fiat de aquâ rosaceâ, lacte, vel aliquo simili, ut Astensis & Cajetanus. S.autem Thom. art.7.ad 3. Scotus,Richardus, Sylvester, Angelus, Toletus, & alij communiter dicunt debere confici ex aquâ elementari, quia aqua opponitur farinæ tanquam de essentiâ panis,ut materia ejus transiens,& alioquin non est panis usualis. Missale Romanum dicit esse dubium an conficiatur, quando panis factus est de aquâ rosaceâ vel alterius distillationis.

## Articulus IV.

*Utrum hoc Sacramentum debeat confici ex pane azymo.*

Videtur quod non. 1. quia Christus consecravit in fermentato; instituit enim hoc Sacramentum lunâ decimâ tertiâ primi mensis; usus autem azymorum incipiebat Luna decima quarta ad vesperam.

Secundò, Azymus panis non est verè panis, quia vox Græca unde nomen *azymus* derivatur, significat elevare seu attollere: massa autem non attollitur,nisi vi fermenti.

*Azymus panis non est de essentia,eo tamen uti debent Latini.*

Resp. ad veritatem Sacramenti nihil referre an panis sit azymus,an fermentatus modò sit triticeus,quia uterque est verè & propriè panis;unusquisque tamen servare debet ritum suæ Ecclesiæ, ut declaratum est in Concilio Florentino. Ac proinde peccaret latinus in Ecclesia latina celebrans in fermentato: peccaret etiam Græcus in Ecclesia Græcanica celebrans in azymo.

*De consuetudine Græcorum.*

Nec obstat quòd consuetudo Græcorum sit schismaticorum, quibus propterea licitum videatur sequi ritum Ecclesiæ Latinæ: nam illa consuetudo non est illius Ecclesiæ quatenus est schismatica, sed ex causa rationabili cœpit ante schisma. Cùm enim Apostoli universaque post Apo-

Universidad de Deusto
Biblioteca



stolos Ecclesia uteretur azymis, surrexit hæresis Ebionitarum dicentium simul eum Evangelio legalia esse observanda : in quorum detestationem Sancti Patres instinctu Spiritûs Sancti voluerunt ad tempus ex fermentato confici Sacramentum : cessante autem illâ hæresi, Ecclesia Romana ad pristinum morem redijt. Græcis interim receptam ex occasione consuetudinem retinentibus,& Latinorum morem postea condemnantibus, ut referunt B.Tho. Scotus, Durand.Richar. in 4.d. 11. Quis autem fuerit Leo Pontifex cujus tempore dicunt præfatam mutationem accidisse, non liquet.Ex historijs notum est quod tempore Leonis 9.Græci graviter infectati sunt consuetudinem Latinorum, quos propterea vocabant Azymitas, ut refertur in epistola dicti Leonis ad Michaelem Constantinopolitanum c. 20. Atque in hoc sunt schismatici,nõ in eo quod conficiunt in fermentato.

Potrò,an Sacerdos Latinus possit in Græcia sequi morem Græcorum;& Græcus morem Latinorum existens apud Latinos ; sic videtur posse explicari. In Monasterijs vel Ecclesijs quæ sunt Græcis in Ecclesia Latina destinatæ, ubi servantur ritus Græcorum, servare debent Græci usum fermentari,ut judicat Leo dictæ Epist.c.29. & similiter Latini usum Azymi in Ecclesijs quas sibi suisque ritibus proprias habent in Græcia : quia perinde est ac si singuli versarentur in sua Ecclesia. Latinus etiam iter agens per Græciam, aut Græcus per occidentem, potest, (ubi nullum est scandali periculum) retinere suum ritum : quamvis si conformaret se Ecclesiæ in quâ versatur, non esset accusandus ; juxta regulam Ambrosij apud Aug.Ep.118. *Ad quam forte Ecclesiam veneris,ejus moram serva : si cuiquam non vis esse scandalo,nec quemquam tibi.*

Ad 1. ergo Arg. Resp. negando assumptum cum suâ ratione, ut patet ex ijs quæ attulimus art.9.qu.46. ubi & argumenta Græcorum dissolvimus,conformiter B.Thomæ,Scoto,Durando, & alijs scribentibus in 4. d. 11. Imò licet daretur Christus uno die anticipasse suum Pascha ; non foret tamen consequens eum tunc fermentato usum fuisse. Sicut enim ipsius agni immolationem,ita & ejus ritum in lege præscriptum servasset,qui erat ut comederetur cum azymis.

Si dicas post comestionem agni cum azymis, Christum redijsse ad fermentatum: Neque id probari potest,neque est consentaneum mori Judæorum, qui post immolationem agni, abstinebant septem dies à fermentato.

Sed etsi constaret Christum consecrasse in fermentato ; malè tamen Græci inferrent consecrationem in azymo non subsistere : sicut si dicatur usus vino rubro, non idcircò irrita est consecratio in vino alterius coloris.

Ad 2.Neg.similiter assumpt. Neque enim necesse est rationem etymologicam converti. Unde apud Græcos nomen ἄρτος æquè dicitur de pane azymo, atque de fermentato,ut Luc.24. *cognoverunt Dominum in fractione panis*, qui sine dubio erat azymus : Nam durante Paschali tempore, per septem dies non poterat reperiri fermentatum in domibus Judæorum. Exod.12.& 13.

Quæ cùm ita sint ; meritò tamen B. Thom.affirmat consuetudinem Latinorum esse rationabiliorem.

Primò,propter Christi factum & institutionem.

Secundò, quia in fermentato est significatio peccati & corruptionis.1.ad Corinth.5.Christus autem ejusque corpus expers est peccati & corruptionis. *Latinorũ consuetudo utendi azymo est convenientior.*

Tertiò, quia ibidem jubemur epulari *non in fermento malitiæ,*sed *in azymis sinceritatis.*

Cur autem ecclesia potiùs attendat in pane differentiam azymi & fermentati,quàm in aquâ differentiam calidi & frigidi ; vel in vino,albi & rubri ; cùm talia solùm varient accidentaliter : ratio est ; quia azymum & fermentatum faciunt differentiam in significatione sacramenti, non ista. *Quæst.*

An autem licet Latinis in fermentato celebrare ob necessitatem, v.g. ne aliquis moriatur sine viatico;quæri potest:sed non videtur esse dubium de responsione negativa ; cum neque ob similem causam licitum sit celebrare sine vestibus sacris, juxta Cajetanum 1.2.q.96.ar 4. & Navarrum c. 25. numero 83. quæ tamen solo etiam Ecclesiæ præcepto necessariæ sunt. Vide infra q.83.art.6. Nec obstat præceptum, & quidem (ut probabile est) divinum de communicando ante mortem : Illud enim solùm obligat moriturum, pro eo tempore quo commodè fieri potest:non autem sacerdotem ut agat contra universalem Ecclesiæ Latinæ consuetudinem. Idemque videtur de Græco sacerdote dicendum, quamdiu Ecclesia vult Græcorum in Græcia morem servari : quod scilicet non possit celebrare in azymo. *Resp.*

## Articulus V.

Art. 5. solum vinum vitis seu de vite expressum esse propriam materiam hujus Sacramenti : probat,tum ex institutione Christi,juxta id quod art. 1. diximus ad illa verba, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*; tum quia id solum est quod communiter & propriè vinum dicitur : ipsumque convenit ad effectum Sacramenti significandum. *Vinum est materia Sacra. Euchar. necessaria.*

Quæ doctrina perpetuo Ecclesiæ usu ac traditione constat : estque definita in Concilio Florentino;præsupponitur autem in Tridentino sess.13. & 21.Sed & ante illa,Concilium Aurelianense 4. c.4. decrevit ut *nullus in oblatione sacri calicis nisi quod ex fructu vineæ separatur, aquamixtum offerre præsumat ; quia sacrilegium judicatur,aliud offerri quam quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Videri possunt Concilia, Antisiodorense 2. c.8. Carthaginense 3. c.24. Triburiense c.19.& canon.3.Apostolorum,& patres art.seq.citati ; & omnes Scholastici in 4. Neque hic est operosè quærendum an omnia vina sint ejusdem speciei, an aliqua diversæ : quia institutio Christi non requirit nisi quod sit verum & proprium vinum de vite;sive sit album,sive rubrum;sive Hispanicum, sive Gallicum, &c.

Ex his sequitur, vinum ex pomis, malogranatis, & similibus factum, non esse materiam idoneam quæ consecretur : imò nec acetum in quod vinum degenerat, quia vinum non fit acetum, nisi per corruptionem substantialem. Quia tamen vinum potest acescere, manens in specie vini : ideò consecratio valet quæ fit in vino acido sive acescere incipiente, quamvis celebrans, ob irreverentiam peccet. Et de hoc potest exponi Innoc. l. 4. de officio Missæ, c. 4. dum ex vino acido,quod acetum appellatur,dicit posse confici hoc Sacramentum.

In Responsione ad 3.dicit agrestam, id est, liquorem ex uvis immaturis expressum, quem alij vocant omphacium, non esse materiam sufficientem consecrationi. *De agresta.*



*De musto.* Mustum verò quod ex uvis maturis est recens expressum, cùm naturam vini habeat consecrationi aptum est,juxta B.Th.& alios Scholasticos. Unde Julius Papa de consecr. d.2.cap. *Cùm omne crimen,* Si necesse sit,botrus in calice comprimatur : dicit autem, si necesse sit,quia extra necessitatem mustum recenter ex uva expressum non decet consecrari, propter ejus impuritatem. Succus autem qui in uvis continetur, non est consecrabilis; quia vel non est vinum,vel cettè non est ibi per modum potabilis, cùm tamen Christus de calice dixerit, *Bibite ex hoc omnes.*

*De vino mixto.* Quæri præterea potest de vino mixto, & de congelato.Prius consecrari non potest,si aqua vel alius liquor admisceatur in tanta quantitate, ut vini species pereat: secus,si maneat;cujus rei conjectura sumetur ex accidentibus.

*De vino congelato.* Posterius,si recens est congelatio,utpote facta in calice paulò ante consecrationem ; cùm vini virtutem ac speciem retineat;consecrationi aptum judicant Sylvester,Angel.Dominic.quibus tamen Molan.& alij contradicunt.Si verò diu sit congelatum,ita ut vi frigoris virtus simul & species vini perierit,certum est non esse aptum consecrationi.

*Ob.* Dices, non potest validus fieri baptismus in aqua congelata : ergo nec consecratio in vino congelato, quia sicut illa non est in forma ad abluendum idonea, ita nec istud est in specie rei potabilis. *Resp.* Resp. potest Neg. C. *Primò*, quia non perinde salvaretur utriusque Sacramenti forma. *Secundò*, quia Eucharistia non consistit in fieri sicut baptismus, & ideò satis est quod ejus materia sit vinum,& potari possit quando applicabitur ad usum. Verumtamen, expeditiùs est dicere quod vinum congelatum sit materia dubia,à cujus consecratione propterea est abstinendum, & opera danda ut gelu solvatur antequam consecretur.

## Articulus VI.

*Aqua est vino miscenda.* Art.6. probat aquam esse vino miscendam tum quia Christus in vino aquâ permixto creditur consecrasse tum quia talis mixtio convenit repræsentationi Passionis Dominicæ,& significationi effectuum Sacramenti.

*Ob.* Contra primam Authoris rationem objicitur. Primò, admistionem aquæ, in tam modico potu qui non ad corporis refectionem sumebatur, sed ad mysterium, parum aut nihil pertinere ad vinum temperatè sumendum, juxta morem Palæstinorum.

Secundò, si ob temperantiam factum est ; quare modicissima miscetur, & non justa aliqua quantitas ?

Tertiò, Chrys.hom.83. in Matth.sentire videtur Christum consecrasse vinum sine aquâ ; solentque in eandem rem adferri Hieronym.in c. 14. Marci, Augustinus l. de Ecclesiast. dogmatibus, c.75.& Innoc.& 3.c. *In quadam*,tit.de celebratione Miss. ubi dicit non posse vero argumento ostendi aquam esse vino miscendam, nisi de latere Christi fluxisset aqua & sanguis. Id quod verum non esset, si Christus vinum aqua temperatum consecrasset.

Quartò, vini cum aquâ permixtio habet malam significationem, juxta illud Isaiæ 1, *Vinum tuum mistum est aquâ.*

Quintò, ex facto Christi sequitur quod panis triticeus sit materia necessaria:ergo, si miscuit aquam vino, sequetur eam mixtionem esse necessariam necessitate Sacramenti.

Verùm, quod Christus vinum aquâ mixtum consecraverit, constans est antiquorum sententia. *Christus miscuit aquam.*

S. Iacobus in suâ liturgiâ, *Similiter*, inquit, *postquam cœnavit ; accipiens calicem, & permisceus ex vino & aquâ.*

Basilius item in suâ : *Similiter & calicem de genimine vitis accipiens,miscens* &c.

Et Clemens l.8.constit.c.17. *Miscens*,ait, *ex vino & aquâ Facta vini & aqua mixtione*,ait S. Marcus in suâ liturgiâ.

Quibus consentiunt Alexander Papa cap. *In sacramentorum*, de consecr. dist.2. Julius primus, ibidem,cap. *Cùm omne*, Irenæus li.4.c.57.Cyprianus epist 63. Damasc.lib.4.c.14.Augustinus l.4. de doctrina Christiana ca.21. Concilium 3. Carthaginense can. 24. & communiter Scholastici in 4.d.11.

Hinc Concilium Florentinum ; *Aqua* inquit, *ideò admisceatur,quoniam juxta testimonium sanctorum patrum creditur ipsum Dominum in vino aqua permisto hoc instituisse Sacramentum.*

Idem reperitur sess.22.Trid.c.7.

Ad objectiones ergo ; & Ad Primam quidem & Secundam Resp. Authorem non urgere rationem temperantiæ, sed simpliciter morem Judæorum;ex quo verisimile sit Christum se Judæis accommodasse, & vino uti voluisse secundùm quod illi consueverant uti. Quia tamen absoluta ratio permixtionis fuit ob significationem & mysterium,ideò modicè miscuit. *Resp. ad Ob.*

Ad 3. Chrysostomus contra Aquarios disputans,qui solam aquam offerebant,contendit Christum non obtulisse aquam, tanquam scilicet materiam sacrificij, sed vinum : an verò illud fuerit aquâ mixtum,non negat.

Commentarius ille in Marcum non est Hieronymi:qui tamen sententiæ catholicæ non repugnat, sed potiùs illam exprimit. Ita enim habet de Christo, *formans sanguinem suum in calicem vino & aqua mixtum.*

Liber de Ecclesiasticis dogmatibus non est Augustini, sed Gennadij non per omnia satis catholici.

Innocentius loquitur de argumento expresè in scripturis commemorato : quo modo & Paschasius libro de corpore & sanguine Domini capit.11. dixit non legi in scriptura Christum fuisse usum aquâ.

Ad 4.una & eadem res nunc habet bonam significationem, nunc malam : ut fermentum habet bonam Matth.13.malam 1.ad Corinth.5.leo bonam,Genesis 49.& Apoc.5.malam,Psal.90.& 1. Petr. 5. *Sic* mistio vini cum aqua malam habet significationem;quando similitudo ducitur à cauponibus, qui adulterantes vinum, vendunt illud impurum pro puro : quando autem ducitur à bibentibus,habet bonam,quia significat sobrietatem & temperantiam. Unde Prov. 9. *Bibite vinum quod miscui vobis*;quamquam eâ phrasi potiùs significatum sit quod vobis infudi & paravi, ut 18. *miscete illi duplum.*

Ad 5. negatur consequentia ; partim,quia ex traditione habemus unum Christi factum intelligi aliter quam aliud : partim quia non sequitur à princi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



principali ad secundarium : consecratio autem in pane tritico, est quid principale: mixtio verò aquæ, secundarium : sicuti & quod panis triticeus sit azymus.

*Rationes miscendi aquam vino.*

Ex his patet, PRIMAM rationem miscendi aquam vino, assignari factum Christi.

SECUNDAM adferunt Concilia, Florentinum & Tridentinum ; quia hoc convenit dominicæ passionis repræsentationi, in qua sanguis & aqua de latere Christi profluxerunt.

Tertiæ & quartæ quas adfert Auctor potest addi.

QUINTA ex Nicephoro libro 18. cap. 53. ut duarum naturarum unio declaretur : quam ecclesia spectat : dum per sacerdotem in missa dicitur, *Da nobis per hujus aquæ & vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps.* B

Eandem hanc mixtionem tradunt Ambrosius lib. 4. de Sacramentis ca. 5. & lib. 5 ca. 1. Bernardus epistola 69. Innocentius lib. 4. de missa. & ca. *Cum Marthæ*, tit. de celebratione missarum, Alexander 1. Julius 1. de consecr. dist. 2. alijque supra citati. Et quamvis nonnulli opinentur Græcos diversum facere ; id tamen solorum Armenorum errorem esse, non communem Græcorum, perspici potest ex Nicephoro dicto c. 52. Damasceno l. 4. Theophylacto in cap. 16. Ioannis, & ex Basilio supra citato. Unde Cabasilas in expositione liturgiæ cap. 8. dicit Græcos infundere vinum C & aquam in calicem, priusquam consecrent, etiamsi post consecrationem immittant aquam calidam, ad significandum Spiritus sancti descensum in ecclesiam.

## ARTICULUS VII.

*Virum permixtio aquæ sit de necessitate Sacramenti.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia Cyprianus epistola 63. dicit. Sic calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque misceatur ; quo modo nec corpus Domini potest esse farina sola aut aqua sola.

SECUNDÒ, hæc mixtio significat aquam quæ fluxit de latere Christi ; quod videtur pertinere ad primariam significationem hujus Sacramenti. Unde Cyprianus dicta epistola, si vinum tantum quis offerat, significari dicit Christum esse sine nobis ; hæc autem significatio falsa est.

*Mixtio aquæ non est de Sacramenti necessitate.*

RESPONSIO negativa communis est, & certa apud Scholasticos in 4. dist. 11. apud Catechismum & missale Romanum. Ex traditione siquidem habemus Christum nō instituisse illam mixtionem ut essentialem. Confirmatur, quia non significat ipsum corpus & sanguinem Christi, quæ sunt huic sacramento essentialia ; sed effectum qui sit in suscipiente per participationem Euchatistiæ. Sicut ergo usus & participatio est quid accidentarium Sacramento, ita & mixtio. E

AD 1. ARG. RESP. B. Thomas, Durand. & alij, verbis Cypriani significari necessitatem præcepti, propter quam calix qui consecratur, nec debet esse solum vinum, nec sola aqua. Neque est omninò simile de farinâ : quia farina non est materia proxima Sacramenti corporis, sed unum tertium quod ex aquâ & farinâ commixtis conficitur, sc. panis. Vinum verò est materia proxima Sacramenti Sanguinis ; nec debet pati mutationem substantialem ut convertatur in aquam vel in aliquod, sed manere debet in suâ substantiâ antequam consecretur.

AD 2. illa significatio non est essentialis, cum aqua illa non esset de necessitate passionis, neque nunc efficiatur vi verborum, sicut Sanguis : cujus effusio directè pertinebat ad passionem. Cyprian. non dicit significatum iri quòd Christus sit sine nobis ; sed, *Si vinum*, inquit, *tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis*, id est, sine significatione nostræ sanctificationis, quasi dicat, Erit quidem Sanguis, sed non significabit unionem nostri ad Christum.

Porrò, quia Cypr. & alij quidam Veteres dicunt hanc mixtionem esse Christi institutionem ac præceptum, putant nonnulli quod Sacerdotes præcepto divino obligentur ad mixtionem vini. Verius tamen dicunt Scot. Durand. & alij, esse præceptum dumtaxat Ecclesiasticum, quibus concordat Syn. Trid. sess. 22. c. 7. affirmans ab Ecclesia præceptum esse Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant. Sed & antea Julius Papa primus c. *Cum omne*, de consecr. d. 2. *Calix* (ait) *Dominicus juxta canonum præcepta, vino & aqua permixtus debet offerri.* Et alioquin, si præceptum esset divinum, vix ostendi posset non esse de Sacramenti necessitate. Quapropter ad argumentum. RESP. dici divinam institutionem, quia Ecclesia illam habet ab Apostolis ac exemplum ejus quod Christus fecit. *Mixtio aquæ est præcepti Ecclesiastici.*

## ARTICULUS VIII.

ART. 8. docet aquam debere misceri in parva quantitate. Quæ doctrina communis est Scoti, Bonav. & aliorum in 4. d. 11. Quamvis enim non semper fuerit magna apud Antiquiores cura, ut permodicum aquæ apponeretur vino, quemadmodum ex Conc. Triburiensi can. 19. patet, ubi dicitur ut duæ partes sint vini, tertia verò aquæ : semper tamen est in Ecclesia observatum, ut plus de vino quam de aqua poneretur. Unde Honorius 3. c. *Pernicioſus*, de celebr. Miss. asserit hanc esse rationabilem consuetudinem Ecclesiæ D generalis. Post illas verò, quæ temporibus illis fuerunt de aqua in calicem missa, quæstiones invaluit consuetudo, ne plus aquæ apponatur quam facilè possit ante consecrationem in vinum converti, atque (prout loquitur Conc. Flor.) ut *aqua modicissima misceatur.* Quæ cùm ita sint, superest difficultas.

*Virùm aqua vino mixta convertatur in sanguinem Domini, sive antea sit in vinum conversa, sive non.*

VIDETUR quòd sic. Primò, quia Patres absolutè dicunt vinum & aquam offerri, consecrari, & in sanguinem Christi converti. Ambrosius l. 4. de Sacramentis. c. 4. vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione Verbi cœlestis, &c. 5. Ante verba Christi Calix est vini & aquæ plenus : ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur. Paschasius ca. 11. de corpore & sanguine Domini. Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem. Algerus l. 1. de Sacramentis c. 19. licet priùs mysticè vinum & aqua misceatur ; post consecrationem tamen non nisi sanguis bibitur. Christus enim, loquitur Theodoretus, dialogo primo, sanguinem, id quod in calice infusum & commixtum



mixtum est, appellavit, fitque vinum & aqua sanguis Christi, ait Damasc. l. 4. c. 14. A

SECUNDÒ, Innocentius III. cap. *Cum Marthæ*, de celebratione missarum, eam opinionem judicat esse probabiliorem, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti. Atqui, si aqua mixta vino non posset immediatè converti in sanguinem, non expressè eluceret Sacramenti proprietas ; quia non aperte significaretur populus Christianus incorporari Christo. Deinde, Innocentius ibi non videtur probare opinionem eorum qui dicunt aquam vino admixtam mutari in vinum ; partim quia simpliciter asserit verti in sanguinem, partim quia dicit physicos contrarium asserere, dùm affirmant B aquam à vino per artificium posse separari.

TERTIÒ, Non videtur tam exiguo tempore, quod est à mixtione ad consecrationem, aquam naturaliter converti posse in vinum : præsertim si vinum sit debile, vel pluisculum aquæ mittatur. Sanctus autem Thomas conformiter Innocentio reprobat opinionem dicentium, quòd aqua per se maneat, vino in sanguinem converso.

QUARTÒ, Non videtur aqua posse converti in vinum, si sola sit : Ipsa enim est corpus simplex, quod per se solum non potest verti in corpus mixtum : sicuti nullum corpus mixtum potest ali per corpus simplex, aut ex eo gigni. Accedit quòd aqua sit naturæ pertinacissimæ : cujus sig- C num est, quod etiamsi in vapores resolvatur, naturam tamen suam non amittit.

QUINTÒ, si aqua dum contingit eam non esse conversam in vinum, remaneat in calice, non poterit adorari totum quod ibi est : nec sacerdos erit jejunus post sumptionem istius calicis : atque adeò non poterit secundam missam facere, etiam in casibus permissis, non magis, quam si sumpsisset ablutionem.

SEXTÒ, Aqua vino mixta repræsentat unionem fidelis populi cum capite Christo. Sed est naturalis unio populi cum Christo, ita ut unum corpus constituant : ergo ad hanc unionem significandam, oporteret aquam simul cum vino in Christi D sanguinem transmutari. Nam alioqui, populus (qui per aquam significatur) remanebit à Christo divisus ac sejunctus.

SEPTIMÒ, forma consecrationis calicis erit alioquin falsa : nam pronomen, *hic*, designat totum potum, seu liquorem qui continetur in calice : si ergo non totus ille liquor est sanguis, falsum significabitur.

OCTAVÒ, postquam facta est mixtio aquæ, quamvis non sit substantialiter mutata in vinum, totum illud censetur vinum per modum unius potus prout est in usu : ergo totum est aptum consecrationi.

NONÒ, Aqua per Christum apposita sacro ca- E lici non videtur potuisse converti in vinum ; partim quia multum aquæ posuit, juxta morem Palestinorum ; partim quia nimis exigua temporis mora intercessit : ergo non ad hoc ponitur ut convertatur in vinum.

DENIQUE, Conc. Triburi. can. 19. permittit quod tertia pars sit aquæ, non est autem verisimile tantam aquam subitò in vinum converti.

Ut hujus quæstionis respons. neg. pateat, supponendum est nullam esse dubitationē. quin aqua in vinum conversa, per consecrationem convertatur in sanguinem. Dicit enim Concil. Trid. *fieri conversionem* totius substantiæ vini in sanguinem.

Sed nec dubium est, quin si ex aqua & vino commixtis fiat unum tertium ; consecratio nulla erit, quia deest materia.

Difficultas ergo tota est de aquâ, quando contingit eam non esse in vinum conversam ante cōsecrationem. Quamvis autē nonnulli existiment omnes veteres Ecclesiæ Patres & doctores unanimi consensu docuisse, quod aqua non conversa in vinum, convertatur immediatè in sanguinem ; cōtrarium tamen non dubitamus esse verum. Ideo.

RESP. antiquorum sententiam communem & veram esse, quod aqua non conversa prius in vinum, nunquam convertatur in sanguinem.

Probatur 1. quia non aqua, sed unum est calicis consecrandi materia : atqui solum id quod est materia Sacramenti Eucharistiæ, convertitur in corpus, aut sanguinem Christi ; ergo non aqua, sed vinum ita convertitur. Major ex a. 5. nota est, tum propter illud Christi, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis* : Tum propter perpetuam Ecclesiæ traditionem, quæ panem, & vinum assignat pro materiâ hujus Sacramenti, non aquam. *Aqua nō est materia Sacram. Eucharist.*

Unde Conc. Florent. *Tertium est*, inquit, *Eucharistiæ Sacramentum : cujus materia est panis triticeus & vinum de vite.* Dum subjungit, *Cui ante consecrationem aqua modicissima misceri debet* ; non dicit aquam esse materiam, sed docet aquam, vino quod est materia, esse adhibendam. C

Trid. vero sess. 13. & 22. semper nominat panis & vini benedictionem, consecrationem, conversionem, transubstantiationem : Aquæ verò consecrationem, aut conversionem ne semel quidem.

Sess. 21. c. 1. docet Christū instituisse hoc Sacramentum *in panis & vini speciebus* : non dicit quod in specie aquæ : dicturū tamen, si sensisset aquā esse unam istius Sacramenti materiā. Imò, cùm ss. 22. c. 7. dicat ab Ecclesia præceptū esse sacerdotibus ut aquam misceant vino, unde sequitur eam mixtionem non esse præcepti divini, sed Ecclesiastici : consequenter vult intelligi, aquam non esse materiam ; quia apud Catholicos certum est Ecclesiam non posse instituere materiā alicujus Sacramenti D *sed* solùm *habere potestatem ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ eorum substantiâ ea statuat, vel mutet* quæ expedire judicabit, sess. 21. c. 2.

Si dicas aquam etsi non simpliciter, ut tamen est *Ob.* permixta vino, esse hujus Sacramenti materiā, modò misceatur in quantitate notabiliter minore, ut ita possit à vino absorberi, & immutari, naturamq; vini, secundùm externam apparentiam subire.

RESP. hoc voluntariè dici, quandoquidem nulla *Resp.* traditio habeat aquam esse materiam hujus Sacramenti, sive illa seorsim à vino existat, sive sub specie vel colore vini lateat, retinens suam naturam.

Confirmatur, Omnis materia cujuslibet Sacramenti est à Christo instituta : Sed aqua remanens aqua, etiamsi apparentiam vini habeat, eò quod sit illi modicè permixta, non est à Christo instituta tanquam materia Sacramenti Eucharistiæ : ergo non est ejus Materia. Major patet, partim quia unumquodque Sacramentum novæ legis à solo Deo est institutum, quoad suam materiam, formam, & ministrum ; partim, quia nulla creatura potest, vel gratiæ conferendæ esse instrumentum, vel converti in sanguinem Christi, nisi ex divina institutione. Minor ex his quæ jam superius ex Concilijs Florentin. & Tridentin. sunt producta, probari potest, quemadmodum etiam probant

Universidad de Deusto
Biblioteca



bant Conimbricenses, l. 2. de generatione cap. 11. A
Adde Concil. Florent. non dixisse materiam calicis esse; aut aquam vino admixtam, aut aliquid ex vino & aqua constans; sicut de Confirmatione dixit, ejus materiam esse chrisma ex oleo, & balsamo confectum

6ª. Dices, B. Tho. in 4. d. 11. q. 2. ar. 4. dicit, de aqua ideo non fieri mentionem in Evangelio, quia non est principalis materia in hoc Sacramento: ergo sentit illam esse materiam minus principalem seu secundariam, sicut qui de aliquo professore Philosophiæ dicit, non est principalis professor, intelligitur significare quod sit professor minus principalis.

Resp. Resp. neg. Cons. quia S. Doctor non vocat illic materiam principalem, ad distinctionem materiæ secundariæ vel minus principalis, sed principalem intelligit eam, quæ juxta Christi institutionem est vera materia. Ibidem enim quæstiuncula 3. dicit aquam in Baptismo esse principalem materiam, cum tamen nulla sit Baptismi materia minus principalis seu secundaria: & quæstiunc. 1. ad 2. dicens *quod de aqua appositа est duplex opinio, Quidam enim dicunt quod & aqua manet in sua natura* (semper nimirum & quantum est ex natura rei) *& solum vinum transubstantiatur. Unde aqua non apponitur nisi ad significationem. Alij verò dicunt quod aqua appositа in vinum convertitur, & sic totum in sanguinem Christi transubstantiatur.* Addit *quæcunque autem harum opinionum sit vera, aqua non erit materia hujus Sacramenti &c. Secunda tamen verior apparet.*

Ad Prob. Resp. sicut qui de professore Philosophiæ diceret, non est professor principalis, intelligitur significare quod sit minus principalis; ita qui de materia Sacramenti diceret, non est materia principalis, significaret esse materiam minus principalem. At si de quopiam qui vel non profitetur aliquam scientiam, vel saltem non profitetur Philosophiam, diceret, non est professor principalis Philosophiæ, per hoc non significaret ipsum esse minus principalem Philosophiæ professorem, eò quod detur medium, scilicet nec esse D
principalem nec minus principalem professorem Philosophiæ. Pari modo cũ de aqua dicitur quod non est principalis materia sacri calicis, non significatur quod sit materia minus principalis; quia est aliquod medium, nimirum quod aqua neque sit principalis neque minus principalis materia, cum omnino non sit sacri calicis materia.

Secunda Probatio est ex Patribus; qui licet requirant mixtionem, nunquam tamen dicunt aquam immediatè converti in sanguinem, vel esse materiam Eucharistiæ, sed potiùs significant contrarium.

Julius 1. de consecr. d. 2. c. *Cùm omne. Manifestum & evidens*, inquit, *evangelicæ veritatis exem-* E
*plum illuxit, quod præter panem, & vinum, aliud offerri non licet.*

Et Conc. 3. Carthag can. 24. statuit ut *in Sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aquâ mixtum.* An ne putaretur etiam sentire aquam esse materiam, quia dicit, vinum aquâ mixtum: subjungit: *Nec amplius in sacrificijs offeratur, quàm de uvis & frumentis.* Cui concordat cano. 8. Concilij Antiiod. 2.

Innocen. III. l. 4. mysteriorum Missæ c. 4. quæstionem istã agitans, *Quibusdam*, inquit, *non absurdum videtur, quod aqua cum vino transit in sanguinẽ ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionẽ transit in vinum, & vinum per conversionem transit in sanguinem.* Et ne putetur ex alienâ tantum sententiâ loqui, quando dicit; *Quibusdam videtur*, perpendum est quod subjungit. *Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cum multò vino modicum infunditur aquæ?* Unde patet Innocentij sententiam esse quod aqua cum vino convertatur in sanguinem, si tamen ipsa priùs fuerit in vinum conversa. Et cap. *Cùm Martha* de celebratione Missarum, cùm adduxisset tres opiniones.

Primam, quod vinũ, & aqua, transeat in sanguinem & aquam quæ fluxerunt ex latere Christi.

Secundam, *quod aqua cum vino transubstantietur in sanguinẽ, cum in vinum transierit mixta vino.*

Tertiam, *quod aqua non transit in sanguinem sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa:* eligit secundam dicens: *verum inter opiniones prædictas, illa probabilior judicatur quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Aquam autem intelligi, quæ priùs est in vinum conversa, secundùm quod antea dixerat, opinionem illam proponens, *Cum in vinum transeat mixta vino.* *Quam opinionẽ eligat Innocentius de aqua vino mixta.*

Porrò sic eligit. Innoc. secundam opinionem, ut tertiam non omninò rejiciat: cùm enim illam proponeret, dicebat, *Potest dici:* quia scilicet illæ opiniones non pugnant, nisi altera intelligatur cum exclusione alterius: ut verisimile est quosdam intellexisse, negantes aquam in vinum converti posse, propterea quod aqua vino mixta possit per artificium ab illo separari: Hoc autem etsi possit aliquando fieri, non tamen semper: ac proinde si aqua convertatur in vinum ante consecrationem (quod certum est fieri posse) convertetur mediatè in sanguinem, quod vult secunda opinio: Si autem non fuerit conversa in vinum (quod potest contingere) non convertetur in sanguinem sed manebit aqua: quod vult tertia opinio.

Neque est existimandum Innoc. velle quod aqua vino mixta semper convertatur in vinum, propterea, quòd non dicit, *Si in vinum transeat:* sed, *Cum in vinum transeat:* tali enim sermone vo- *Ob.*
luit asserere transitum aquæ in vinum ut possibilem, & contingentem: non autem ut necessarium aut universalem. Unde dicto libro quarto, dixit, *Resp.*
*non ambigendum quin aqua transeat in vinum, cum multo vino modicum infunditur aquæ.* Quod si plus aquæ apponatur, quàm vini, significat non irritum fore Sacramentum, modò vinum aquâ mixtum saporem, id est, vim & naturam vini quod ex sapore judicatur, non amittat.

Et quamvis Innoc. opinionem secundam non definiat, sed probabiliorem judicet, adeò tamen firmis nixa est rationibus, & testimonijs Sanctorum ut ab eâ non videatur recedendum, accedente præsertim Conciliorum priùs citatorum, & Scholasticorum ferè omnium consensu. Unde Gabriel lect. 35. in canon. §. P. Dicit quod hanc opinionem communiter sequuntur Doctores Theologiæ, S. Thom. Scotus, & cæteri, tanquam indubitatam.

Sancti Thomæ verba hîc in corpore sunt, *Aliorum opinio probabilior est qui dicunt aquã converti in vinum, & vinum in sanguinem.* Similiterque loquitur in 4. d. 11. q. 2. ar. 4. *Aqua appositа vino in vinũ convertitur, & sic totum convertitur in sanguinem.* Et in opus. de ecclesiæ Sacram. *Eucharistiæ materia est panis triticeus & vinum de vite modica aquæ permixtum, ita quod aqua transeat in vinum.*

Scoti



Scoti sunt hæc qu. 7. *Etiam quando appositа est*, A
*non convertitur in sanguinem, nisi prius sit conversa in vinum.*

*Aqua non transubstantiatur*, ait Major in 4. d 12. qu. 4. *Aquæ aut ante consecrationem est conversa in vinum, & sic totum convertitur in sanguinem: aut adhuc non est in vinum conversa, & sic non convertitur in sanguinem*, ait Richard. q. 3. a. 3. *quia ipsa manens aqua non est materia sacramenti, sed effecta vinum*, ait Palud. qu. 1. ar. 6. Eodem pertinet quod Major, & alij conformiter Concilio Florent. inculcant non nisi modicum aquæ miscendum esse, ut possit activitate vini in ipsum vinum transmutari. Neque enim esset agendum ut converteretur in vinum: si posset immediatè converti in sangui- B
nem; &, si in eo eluceat major proprietas Sacramenti. Imo studiosè conandum esset, ut vino tanta apponeretur, cui vinum prævalere non posset, ut consecraretur quod à Christo consecrandum fuisset institutum.

*Ob.* Si dicas, aquam esse materiam non necessariam sed sufficientem, & secundariam: inde sequitur quod
*Resp.* possit seorsim consecrari, ut faciebant Aquarij, maximè ubi vini premeret inopia; quia licet uti materiâ sufficiente, quando non potest haberi alia.

*Ob.* Neque satis est respondere, ideo non posse aquam seorsim consecrari, quia ut sit materia de-
*Resp.* beat esse à vino saltem accidentaliter alterata, ipsique incorporata, ut aqua & vinum aliquo modo sit unum potabile. C

*Primò*, quia impertinens est quod sit alterata, si non sit in vinum conversa, quandoquidem solum vinum sit à Christo pro materiâ calicis consecrandi institutum.

*Secundò*, quia etiamsi granum hordei sit incorporatum pani, non propterea illud granum consecratione transibit in corpus Christi.

*Tertiò*, quia si requiritur, & sufficit aquam sic esse à vino alteratam, ipsique incorporatam, ut censeatur unum potabile: ergo si apponatur major, aut æqualis pars aquæ vinum absorbentis; vel si vino retinenti suam speciem misceatur acetum, aut aqua rosacea, sic ut censeatur unum potabile vinumque lymphatum; sequitur totum converti D
in sanguinem Christi; quod ut falsum, hactenus inauditum est.

Præterea, si aqua non conversa in vinum transit in sanguinem; ergo potest esse sanguis Christi sub specie aquæ, ubi nulla sit vini species; ut si per physicum artificium species aquæ separaretur à specie vini; aut si specie vini acescente, & in acetum degenerante, species aquæ maneret salva; aut si species aquæ vi actionis naturalis converteret in se speciem vini. Quis autem populo adorandam proponere auderet nudam aquæ speciẽ, etiamsi à speciebus vini consecrati extactam.

Denique, commentarij Conimbricenses l. 2. de generatione c. 10. q. 1. ar. 2. quamvis esse dicant E
in opinione positum. An aqua non conversa in vinum convertatur in sanguinem: negativam tamen partem magis amplectuntur; ex eo probantes aquam posse converti in vinum, *quia alioqui in mysterio Eucharistiæ, aqua quæ in vinum calice contentum ante consecrationem infunditur, maneret etiam post consecrationem sub propriâ formâ, quandoquidem in sanguinem Christi convertatur, nisi vinum, cùm materia hujus Sacramenti non sit alia quam panis & vinum, ut docet Concilium Florentinum & Tridentinum.*

Eandem hanc sententiam, quod aqua si non sit conversa in vinum, non convertatur in sanguinem, tenent ac docent Suarez tom. 3. in 3. part. disput. 45. sectio 4. Valentia disput. 26. quæst. 2. part. 1. Azorius tom. 1. cap. 30. quæst. 3. Henriquez l. 8. c. 12. Vasquez disp. 178. c. 2. Facundez ad tertium præcept. l. 2. c. 4. numer. 8. Tannerus, Mæratius, & alij antiquiores quos allegant. Quibus consentit Bartholom. Gavantus in Thesauro sacrorum rituum part. 3. tit. 4. Gamacius, Puteanus, Hurtadus.

Ad 1. Argum. Resp. quod Patres supponunt vinum agere quod solet, id est, alterare aquam, & alterando, illam convertere in suam substantiam. Quod si aliquando non fiat, vel propter majorem aquæ quantitatem, vel ob vini debilitatem, id est præter intentionem, & curam scriptorum. Cum igitur dicunt vinum & aquam consecrari, & in sanguinem converti, intelligunt vinum aquâ mixtum, quod in se transmutavit aquam. Nam & illud vinum aqua mixtum solemus appellare. Cùm autẽ nominant solam aquam, loquuntur de conversione mediata: aqua enim nunquam sola adhibita est ad consecrandum, nisi ab Aquarijs jam olim damnatis; sed vino infusa: & quia sic infusa convertitur in vinum, ipsa dicitur consecrari, & in sanguinem Domini converti, quatenus vinum in quod est conversa, consecratur & convertitur. Quâ ratione, aqua potest dici materia hujus Sacramenti mediata: quo modo dicimus panem & vinum transire in substantiam aliti, etiam non immediatè transeant. Sic & Cypr. ep. 63. intelligendus est, dicens; *Calix Domini non est aqua sola, nec vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur: quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola aut aqua sola: nisi utrumque misceatur*, ut scilicet intelligatur mediata conversio aquæ in sanguinem, sicuti est mediata conversio aquæ, & farinæ in corpus Domini, quæ prius debent converti in panem.

Ad id porro quod quidam ajunt Ambrosij & aliorum Patrum verba non nisi contortè prout dictum est, explicari; sufficienter respondit Tannerus, quod cum Patres dicunt aquam offerri, benedici, consecrari, in sanguinem Christi converti, rectissimè intelliguntur de mediata conversione aquæ in sanguinem Christi, eò quod prius conversa in vinum, postea in sanguinem convertatur. Neque est (ait) hæc ullo modo quæsita & contorta, sed plena, facilis, obvia, & quotidiano usu loquendi recepta explicatio: quotidie enim dicimus tam docti quam indocti, & ipsi etiam philosophorum coriphæi loquuntur: cibum quem sumimus, hoc est, panem, carnem, pisces, quibus vescimur, in substantiam adeoque in carnem & corpus nostrum converti: cùm tamen constet non nisi mediatè varijsque & quidem ex parte etiam substantialibus mutationibus intervenientibus, eam conversionem fieri.

Ad 2. jam ante ostendimus Innocentium loqui de aquâ in vinum conversa. Et observandum quod Pontifex non meminit opinionis eorum qui dicunt aquam non conversam in vinum immediatè converti in sanguinem: tantum abest quod eam probet.

Quod autem subsumitur, falsum est: Cum enim in aqua populus, in vino Christus significetur: mixtio aquæ cum vino apertè significat unionem populi cum Christo. *Sed cum aqua in vinũ convertitur,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*tur, significatur quod populus incorporatur Christo*, ait A Beatus Tho. ad 2. unde mixtio sic facienda est. ut non impediatur conversio aquæ in vinum, alioquin non repræsentaretur ista incorporatio.

Ad Confirmationem Respondeo patet ex dictis: Aqua enim vertitur in Sanguinem, si priùs fuerit in vinum conversa: potest autem à vino artificiosè separari, quando non est conversa in illud, id quod aliquando contingit, at non semper.

Ad 3. Quando vinum est bonum, eique aqua modicissima miscetur, citò potest in vinum mutari, tum vini activitate, tum aquæ in minimas particulas per motum divisione: posse tamen contingere, sive propter vini debilitatem, sive propter immodicam aquæ quantitatem quod B non convertatur in vinum, non est negandum. Reprobat tamen B. Tho. opinionem dicentium quod aqua maneat per se, vino in sanguinem converso: quia illi hoc dicebant partim existimantes aquam non posse in vinum converti; partim dicentes semper ac secundùm institutionem Sacramenti eam ibi manere.

Ad 4. Negatur illa sumptio, cum sui probatione. Si enim, teste Philosopho l. 1. de generat. c. 10. textu 88. gutta vini in magnam aquæ amphoram missa convertitur in aquam: cur non & gutta aquæ vertatur in vinum, si multo vino injiciatur, cum vinum sit majoris activitatis.

Quod affertur de corpore simplici, facilè solvitur dicendo aquam, cæteraq; apud nos elementa, non esse quoad qualitatum affectiones pura, C & syncera; sed per adjunctionem partium, aut qualitatum alterius corporis, mixta & impura, ut asserit ipse Philosop. 2. de Gen. c. 3. Unde possibilem esse aquæ conversionem in vinum communiter admittunt Scholastici, & admittit etiam Innoc. 3. verbis supra citatis. B. autem Th. in 4. d. 11. q. 2. ar. 4. non solùm admittit esse possibilem, sed ita scribit; *Aqua apposita vino in vinum convertitur, & sic totum convertitur in sanguinem. Unde non tantum de aqua debet apponi quod vinum in aquam convertatur, vel aliquod mediè per mixtionem: & ideo semper tutius est apponere parum.* Neque perpetuum est, quod aqua immissa possit extrahi sed tunc solùm quando nondum est sub- D stantialiter mutata, quod autem aliàs extrahitur, non est aqua immissa, sed liquor vini non sufficienter decoctus, habens similitudinem aquæ, vide B. Tho. in fine dist. 11. ad expositionem litteræ, & Conimbricenses commentarios lib. 1. de generat. cap. 10. quæst. 1. art. 2.

Ad 5. fideles non adorant quicquid est in calice (possunt enim interdū esse paleæ, festucæ, &c.) sed; cùm adoratio respondeat fidei, hoc adorant in quod credunt fieri conversionem, id est, sanguinem Domini, & quæ per concomitantiam adesse noverunt ex bona pastorum instructione. Sicut, si forte pani diversum quid erat admixtum, & in- E corporatum, ut aliquid farinæ hordeaceæ, particula paleæ, pulvisculus, acicula; etiamsi ista maneant post consecrationem, & sub specie panis lateant: non tamen plebs bene instituta intendit ea adorare, sed id solùm quod per consecrationem, sive per se vi illius, sive vi naturalis connexionis & concomitantiæ, ibi esse fuit edocta.

Neque refert quod cum contingit talia esse in calice, hoc sit per accidens: aqua verò non sit in eo per accidens, sed per se: quia non est per se tanquam materia immediatè consecrabilis: unde nec ullus veterum adferri potest, qui dixerit aquam (etsi vino mixtam) jam mediatè vel æquè immediatè esse consecrabilem atque vinum: sed est per se, per modum cæremoniæ ad significationem.

Dices, nullus potest de industria apponere materiam non consecrabilem consecrabili: ergo si Ecclesia sentiret aquam non esse materiam consecrabilem, non statueret ut vino apponatur aqua in ea temporis circumstantia qua est moraliter certum quod non convertatur in vinum, veluti quando ante consecrationem calicis sacerdos advertit non fuisse appositam aquam.

Resp. Antecedens esse verum de privato ex authoritate privata agente, non verò de Ecclesia, neque de illo qui operatur ex præcepto Ecclesiæ: quæ quoniam habet exemplum Christi, qui vino miscuit aquam in institutione hujus Sacramenti; & quia insuper habet eam causam, quæ est ad significandum mysterium: Ideo potest statuere ut aqua modica misceatur vino, etiamsi fortè sciatur quod non fit convertenda in vinum, ac per consequens neque in sanguinem: nam, & bene jubet ut materiæ baptismi adhibeatur id quod non est, nec esse potest materia, scilicet oleum sacrum & chrisma, ut significetur conjunctio Christi (quia ab oleo & chrismate nomen habet) cum populis Ecclesiæ, per baptismum.

Accedit quod aqua licet non sit immediatè consecrabilis, est tamen consecrabilis mediatè, per accidens autem est quod hîc & nunc non convertatur nec fortè converti possit in vinum, atque ita consecrari.

Quod aliqui opponunt, privatus ideo graviter peccaret materiam non consecrabilem miscens materiæ consecrabili, quia forma designat id totum quod est in calice, converti in Christi sanguinem; atque adeò grave sacrilegium est aliquid de industria apponere quod in sanguinem verti nequeat: Hæc autem ratio vim habet etiam respectu Ecclesiæ. Dilui potest negando Assumptum; non enim ea est ratio cur privatus id faciendo peccaret, sed longè alia, hæc nimirum, tum quod privato non licet mutare ritum ab Ecclesia præscriptum; tum quod ipse non habet authoritatem statuendi cæremonias & sacras significationes, sicut Ecclesia.

Porrò, quamvis tota aqua, vel pars ejus non sit in vinum conversa, adeoque nec in sanguinem; sacerdos tamen propter sumptionem calicis non judicatur solvere jejunium, sicut solvit sumendo ablutionem; & potest (si aliunde non sit ei prohibitum) iterum celebrare; vel quia talis aqua sumitur per viam Sacramenti, & est planè conjuncta Sacramento sanguinis; nec sumitur ante ipsum Sacramentum: vel quia jejunium ad communionem necessarium tantum requiritur ex ordinatione Ecclesiæ; Ecclesia autem quæ jubet misceri aquam vino, non prohibet eam sumi cum sacris speciebus, si fortè cum illis salvam manere contingat. Ablutio autem calicis sumitur seorsim à sanctis speciebus, & est tempore anterior sequenti celebratione vel communione; & neque ecclesia permittit ut post illam sumptam aliquis celebret.

Ad 6. ad significandam unionem populi cum Christo, nō oportet quod aqua immediatè transeat in sanguinem, sed satis est quod in vinum; sicut populus in Christum. Neque enim commixtio aquæ immediatè in sanguinem convertendæ, insti-



instituta est ad significandam memoratam unio- A nem; sed mixtio aquæ convertendæ in vinum: quia per aquam populus, per vinum significatur Christus: Cùm igitur vino aqua miscetur, significatur populus conjungi Christo; juxta illud Julij Pont. de consecr. d. 2. c. Cum omne: *Videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergo cum calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit, copulatur.*

Ad 7. Negatur Assumptum: quid enim si in calice mixtum esset mel, acetum, aqua rosacea? num idcirco vel designarentur pronomine (*hic*) & converterentur in sanguinem, vel falsificaretur forma? B

*Quid pronomen (hic) designet.*

Ad prob. Resp. Relativum (*hic*) non designare totùm potum seu liquorem in calice contentum, sed id solùm quod illic est principale, quodque sub speciebus vini continetur pro illo tempore vel momento, quo oportet propositionem esse veram, hoc est, sanguinem Domini. In vulgari quoque sermone familiare est, quod pronomen (*hic*) vel (*hoc*) demonstrat tantum id quod principale est, non verò quod ibi est vel secundariò vel per accidens, veluti si quis de vino modica aqua vel etiam modico melle diluto dicat, hoc est vinum, vel hic liquor est vinum.

Ad 8. Resp. Neg. Conseq. quia ex supra dictis liquet non sufficere quod totum censeatur vi- C num, aut unum potabile, nisi revera sit unum secundùm substantiam; cum Christus pro materia calicis instituerit verum ac propriè dictum vinum de vite, & non id quod censetur vinum, & tamen non est revera vinum.

Ad 9. Neg. Anteced. cum suis probationibus. In eo quidem secutus fuit Christus morem Palestinorum, quod vino aquam miscuerit. Quoniam verò non hoc spectabat in mixtione quod ipsi, sed aliud, (scilicet mysterium sacramve significationem,) Ideo non miscuit in magna quantitate sicut ipsi consueverant, sed in ea quæ mysterio per eum intento sufficiebat. Et quia ibi vina sunt fortia, fa- D cilè potuit modica aqua vino mixta in illud converti, præsertim cum mora temporis quæ intercessit, non fuerit tam exigua, quam supponit argumentum: Postquam enim Christus accepit calicem in sanctas ac venerabiles manus (in quo nimirum erat vinum aqua mixtum;) Patri gratias egit, ac calici benedixit seu bene precatus est, quemadmodum ex canone Missæ & ex Evangelistis habetur. Quamvis autem illa verba, *gratias agens benedixit*, brevissima mora dicantur, non potest tamen esse dubium, quin aut verbis pluribus, aut prolixiore mentali dictione usus fuerit.

Ad Postremum Resp. Concilium istud fuisse provinciale & neque à Sede Apostolica approbatum, neque quantum ad permissionem illam E usu receptum. Quæri autem posset, si aqua sic disponatur ad transmutationem, ut apta sit converti quando cœpta est forma consecrationis; aut eo ipso instanti quo finitur; aut postquam finita est, in quid convertatur?

*Quæst. tres.*

Ad 1. Resp. quod convertetur in vinum, & (ut post Nugnum nobis videtur) vinum in sanguinem; quia Sacerdotis intentio est consecrare totum vinum in calice sibi præsens ante finem prolationis verborum.

*Resp. ad 1.*

Nec obstat, quod si quis inciperet proferre formam panis antequam panis adesset, nihil faceret, etiamsi ante finem prolationis apponeretur: quia tunc judicaretur consecrare materiam simpliciter absentem: in proposito verò totum vinum censetur moraliter præsens quando profertur forma, tum ob dispositiones, tum ob terminum ad quem.

Ad 2. Aqua transibit in vinum, & ea vini par- *ad 2. qu.* ticula manebit in suâ specie: quia non potest eodē *Resp.* instanti fieri duplex conversio, aquæ in vinum, & istius vini in sanguinem. Cùm autem aqua non convertatur immediatè in sanguinem, sequitur quod tali casu convertatur in vinum: Sed postea non amplius profertur forma: ergo vinum illud non transubstantiatur in sanguinem.

Si dicas, Concil. Trid. sess. 13. can. 2. damnare illos qui negant fieri conversionem totius substantiæ vini in sanguinem, unde sequi videtur quod nihil vini maneat in suâ specie; Resp. certissimum esse quod fiat transubstantiatio totius vini illius quod præsens est in calice ante consecrationem.

Ac præterea Concilium loquitur de eo quod est, non de casu quo potest contingere aquam transmutari eodem illo instanti quo vinum transmutatur.

De tertiâ quæstione idem judicium est atque *Ad 3. qu.* de mixtione quæ fieret post consecrationem ta- *Resp.* liter ut liquor aliquis vino consecratō misceretur tam perfectè ut particulæ minimæ istius liquoris uniantur illis parvis ad quas determinata est substantia vini. Tunc autem definit esse sanguis sub illis partibus, sicut desineret esse sub totâ vini specie, si mixtio tanta fieret, ut liquor diffunderetur per illam totam.

Dices, Conc. Trid. dictâ sess. 13. definit totam *Ob.* substantiam vini converti in sanguinem: vinum autem accipit pro toto contento in calice; sive qua permista sit, sive non: quia totum solemus vocare vinum: ergo non videtur sine errore posse asseri aquam remanere post consecrationem.

Resp. Neg. Min. Conc. enim accipit vinum, *Resp.* sicut panem, id est, pro eo quod verè ac propriè est vinum, ut panem pro eo quod proprie est panis. Quemadmodum ergo tota substantia panis convertitur in corpus Christi: & tamen si intra panem esset quippiam aliud, velut granum tritici, hordei vel avenæ, illud non converteretur in Corpus Christi: ita totum vinum convertitur in sanguinem, quia tota vini substantia in illum convertitur; quamvis, si aliquid sit à vino diversum, latens quidem sub specie vini, sed vini naturam non habens, illud non convertetur in sanguinem. Neque refert quod solemus totum vocare vinum: Nam & sic vocamus quod vel acetum, vel aquam rosaceam, vel quid aliud modicè admixtum habet. An propterea dicendum, quod & acetum, & aqua rosacea naturam suam retinens convertatur in Christi sanguinē, si sit in calice mixta vino. Etiam totum hoc, vocamus panem, quod propriè cùm sit, habet tamen ea admixta quæ naturam panis non assequuntur. Igitur quomodocumque vocemus dicendum est ac tenendum, illud totum verti in sanguinem Christi quod ante consecrationem, habebat naturam vini: illud etiam totum verti in ejus corpus, quod antea erat panis. Neque aliud spectant verba Concilij.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆSTIO LXXV.

## *De conversione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.*

ETSI, teste Aug. in Ps. 54. primi hæretici negantes veritatem corporis Christi in Eucharistiâ, fuerint illi qui Joan. 6. *Abierunt retrò*, dicentes, *durus est hic sermo*; quos deinde secuti sunt qui ex Græcis Eucharistias, & oblationes non admittebant, eo quod non confiterentur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, ut loquitur B. Ignatius apud Theodor. dial. 3. ac deinde qui negabant Verbum Dei assumptisse verum corpus; quique circa annum 700. dicebant panem & vinum esse dumtaxat figuram Corporis Christi, ut ex Damascen. colligitur l. 4. c. 14. Tamen circa ann. Domini 1000. Berengarius Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus majori studio, quam antea quispiam, cœpit errorem istum tueri, & propagare. Quæ causa est cur B. Th. eum dicat esse primum illius erroris Authorem. Hunc porrò secuti sunt Albigenses, Waldenses, Wicleff, Zuinglius, Calvinus, alijque nostræ tempestatis hæretici. Ad quorum refutationem quæritur.

### ARTICULUS I.

*Vtrum in hoc Sacramento sit Corpus Christi secundùm veritatem.*

VIDETUR quòd non. Nam præter ea quibus hæretici nituntur ostendere substantiam panis manere post consecrationem, de quibus art. seqq. multa ex scripturis, Patribus, & ratione objiciuntur.

AC PRIMUM, Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Matth. 15. sed impium est dicere corpus Christi emitti in secessum: ergo non intrat in os.

SECUNDÒ, Si quis vobis dixerit. Ecce hîc est Christus, aut illic; nolite credere, Matt. 24. ergo non est credendum dicentibus, Ecce Christus est in altari.

TERTIÒ, Semper pauperes habetis vobiscum, ait Christus Matt. 26. me autem non semper habebitis: haberemus autem, si esset in Eucharistiâ. Et, ne respondendo objiciatur quod c. ult. Matth. dixit, Ecce ego vobiscum sum usque &c. notat Aug. tract. 50. in Joannem, Christum semper esse nobiscum præsentiâ majestatis, non autem præsentiâ corporis sui.

QUARTÒ; Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, Luc. 24. Natura igitur carnis probatur ex eo quod palpari possit, & videri: sed in Eucharistia caro Christi non palpatur, nec videtur; ergo non est.

QUINTÒ, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam: Joa. 6. Ac rursum, Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, id est spiritualiter intelligenda sunt, ait Aug. tra. 28. in Joannem.

SEXTÒ, Christus ascendens ad Patrem reliquit mundum, Joann. 19. Et ne dicatur reliquisse mundum visibiliter, manere tamen in mundo invisibiliter: occurrit hæreticus, Dominum Joa. 14. promittere alium paracletum, qui suppleat absentiæ suæ defectum. Quod quid opus, si Christus, etiam ut homo, adesset invisibiliter; quo solùm modo adest paracletus?

SEPTIMÒ, Deus non in manufactis templis habitat, Act. 17. ergo Christus non est in templis Christianorum.

OCTAVÒ, Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundé potum spiritualem biberunt. 1. Cor. 10. sed non manducaverunt carnem Christi, nec biberunt ejus sanguinem, nisi fide: ergo neq; nos. Confirmatur, ex Aug. tra. 26. in Joan. ubi dicit, Spiritualem eandem, non corporalem alteram: quia illa manna, nos aliud: spiritualem verò, quam nos.

NONÒ, Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, non quæ super terram, Col. 3. ergo non est quærendus Christus in Eucharistia, cum illa non sit sursum, sed super terram, unde fideles in missâ monentur habere sursum corda.

*Argumenta ex Patribus.*

PRIMUM sit ex Tertull. libr. 1. contra Marcionem, c. 14. ubi dicit Christum in pane repræsentare suum corpus: Et l. 3. c. 19. corporis sui figuram pani dedisse: Et l. 4 c. 40. Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei.

SECUNDÒ, Origenes hom. 7. in Levit. Si, inquit, secundùm literam sequaris hoc ipsum quod dictum est, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum: occidit hæc litera. Et in c. 15. Matt. de pane per verbum Dei & per obsecrationem sanctificato, dicit quod nõ suapte natura sanctificat utentem; quodque non ex hoc quia non edimus de isto pane, fraudamur aliquo bono; nec ex edendo, abundamus aliquo bono. Postea subdit Eucharistiam esse corpus typicum symbolicumque; veram autem Christi carnem non posse à peccatoribus sumi.

TERTIÒ, Amb. l. 4. de Sacram. c. 4. similitudinem, ait, pretiosi sanguinis bibis &c. c. 5. oblationem altaris vocat figuram corporis & sanguinem Domini. Libro de ijs qui initiantur, c. 9. Ante benedictionem alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Et l. 1. de off. c. 48. cùm dixisset, Evangelij tempore Christum offerri addit. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem quasi advocatus, pro nobis intervenit.

QUARTÒ, Basilius in sua liturgia Eucharistiam vocat antitypon, seu figuram corporis Christi.

QUINTÒ, Aug. c. 12. contra Adimantum, non dubitavit Dominus dicere. Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui: epi. 23. Secundum quemdam modum, sacramentum corporis Christi, corpus Christi est. Epist. 57. Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt. In Psal. 3. dicit Christum in ultima cœna, corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendasse. In Ps. 98. non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis. Tract. 25. in Jo. ut quid paras dentes, & ventrem? crede, & manducasti. Et tra. 30. corpus Domini in quo resurrexit, uno loco esse potest: veritas ejus ubique diffusa est. Hom. 26. inter 50. Si verum, inquit, vultis respondere; hoc utique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam corpus Christi, quæ vera non essent, si verum & non symbolicum esset corpus Christi in altari.

*Argu-*



*Argumenta ex ratione.*

PRIMUM est, Ne divina quidem virtute fieri posse ut idem corpus sit in pluribus, ac distinctis locis; ut colligitur ex illo Matth. 28. Non est hîc: surrexit enim: nam consequentia quæ illis verbis continetur, esset alioquin infirma.

SECUNDUM, si idem corpus posset esse in pluribus locis: eadem ratione posset esse in omnibus ac infinitis: quod est Deo proprium.

TERTIUM, idem corpus esset à seipso divisum: neque enim quod poneretur hîc, posset esse continuum ei quod est in cælo.

QUARTUM, esset extra proprios terminos: cum locus sit proprius terminus, & mensura corporis.

QUINTUM, sequeretur idem simul moveri posse motibus contrarijs, ut sursum & deorsum: & affici contrarijs qualitatibus, calore & frigore, sanitate & ægritudine, vitâ, & morte.

SEXTUM, sequeretur idem corpus esse æquale corpori majori, & minori: quia corpus existens in loco circumscriptivè, adequatur illi.

SEPTIMUM, nulla virtute fieri potest, ut idem simul sit in diversis temporibus: ergo nec ut in diversis locis.

OCTAVUM, si corpus Christi foret in Eucharistiâ: vel esset quantum, & sic minor quantitas specierum comprehenderet majorem: vel esset non quantum, & sic non esset idem: cùm quantitas ad rationem corporis pertineat. Adde quod partes corporis debent à se distare, nec possunt esse simul, ut tradit Aug. ep. 57.

NONUM, Tantum fructus habemus ex præsentiâ Christi in signo, quantũ ex præsentiâ reali: fructus enim Eucharistiæ est nuttire animam: quod non minus facit Christus existens in signo, quam realiter sub speciebus panis & vini.

DECIMUM, Præsentia corporalis Christi impedit præsentiam ejus spiritualem, & acceptionem Spiritus sancti, juxta illud Jo. 16. Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.

*Doctrina Catholica de veritate Corporis Christi in Eucharistiâ.*

RESPONSIO AD FIDEM pertinens est, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem Christi.

EJUS PRIMA PROBATIO petitur ex scripturis illis quæ figuras continent hujus sacramenti, figuræ enim debent esse infetiores, minusque præstantes, quam id quod repræsentabant. Si vero sacramentum Eucharistiæ tantùm est figura & imago seu signum corporis Domini: nullo modo præferendum est suis figuris. v. g. mannæ (cui tamen præferendum esse docet Christus Ioan. 6. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum*) sed potiùs, si nudum, & simplicem panem continet, multò est inferius quam manna, quod erat Angelorum esca, panis cælestis, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suavitatem, deserviens uniuscujusque voluntati, Sap. 16. quorum nihil convenit nudo, & simplici pani, etiamsi gerat figuram corporis Christi. Similiter, conferendo panem & agnum paschalem, five quoad res, sive quoad rationem signi sacramentalis, Eucharistia erit inferior agno si non aliud quàm nudum panem continet.

SECUNDA PROBATIO est ex promissione quã Christus fecit Io. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. Nisi manducaveritis carnem Filij hominis*, &c. Promissio siquidem Christi neque falsa esse, neque effectu suo carere potest. Verum quidem est, Catholicorum nonnullos verba Christi quæ illo c. 6. pronuntiavit, explicare non de sacramentali, sed de spirituali tantum manducatione, quâ per fidem cognoscitur, & percipitur Christus; tum ob alia, tum quod Aug. tract. 26. in Ioan. ep. 106. l. 2. ad Bonif. c. 4. l. 1. de pecc. mer. c. 20. & alibi ita videtur sentire.

Aliorum tamen, tum veterum, tum recentiorum verior sententia, de Sacramentali, quæ spiritualem non excludat, intelligit.

*Primo*, quia Christus capite illo loquitur de re nondum factâ, sed futurâ, spiritualis autem manducatio sejuncta à sacramentali, fuit etiam sub vetere testamento. *Ioan. 6. agitur de sacramẽtali manducatione corporis Christi.*

*Secundo*, quia comparat manducationem suæ carnis, sensibili manducationi mannæ.

*Tertio*, quia alioquin Ioannes Evangelista nihil haberet de sacramento Eucharistiæ: quod non est cur dicamus, quin potiùs Aug. lib. 3. de consensu Evangelistarum c. 1. dicit Ioannem nihil de corpore & sanguine Domini scripsisse eo loco ubi cæteri; quia planè alibi multò uberiùs hinc Dominum locutum esse testatur; scil. Ioan. 6.

*Quarto*, Aug. varijs in locis verba Domini quæ Ioan. 6. referuntur, disertè exponit de ipso Eucharistiæ sacramento, sacramentalique illa sumptione quæ est cõjuncta spirituali. Nã tract. 26 in Ioan. cùm dixisset. *Nam & nos hodie accipimus visibilẽ cibum; sed aliud est sacramentũ, aliud virtus sacramẽti* subdit, *Videte ergo fratres, panem cælestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate.*

Et ser. 46. de verbis Domini, ad hæc verba Ioa. c. 6. *Qui manducat meã carnem* &c. *Qui* (inquit) *baptizati & fideles estis, quid dixerit, nostis; Qui autem inter vos adhuc catechumeni; vel audientes vocantur; potuerunt esse, cum legeretur audientes, nunquid & intelligentes? Quid causæ est o audientes, ut mensam videatis, & ad epulas non accedatis!* &c. *Quantã nobis cura esse debet in ædificandu fidelibus, ut prosit eis quod accedunt, ne sibi tales epulas in judicium manducent & bibant?*

Ac rursum ser. 2. de verb. Ap. *Locutus est nobis de corpore & sanguine suo: corpus dixit escam: sanguinẽ, potum. Sacramentũ fidelium, agnoscunt fideles. Cũ ergo commendans talem escam & talem potum diceret, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis, scandalizati sunt*, &c. *Certè qui integer ascendere potuit consumi nõ potuit. Ergo & de corpore & sanguine suo dedit nobis salubrem refectionẽ.* Et iterũ. *Tunc autem hoc erit, i. vita unicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur.* Et q. 57. in Lev. post hæc verba, *nisi mãducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinẽ*, &c. addit, *à cujus sacrificij sanguine in alimentũ sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.*

Ex quibus patet Augustinum ea quæ Io. 6. dixit Christus, non de sola spirituali manducatione intellexisse, sed etiam de sacramentali, quæ tamen non sit à spirituali sejuncta: ut proinde prior ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca



positio de solâ spirituali manducatione, magis accommodatitia sit quàm literalis.

Eadem est sententia Amb. l.de ijs qui initiantur c.8.l.6.de sacram. c.1.l.4. de fide c.5 Hilarij l.8. de Trin. Cyrilli Jerosolymitani catech. myst. 4. Damas.l.4 c.14.Cyd.in expositorat.Dominicæ, & aliorum partim apud Bellarminum l.1. de Eucharist. c.5. partim apud Tolet. annot. 25. in c.9. Ioan. Quibus accedit ep. Concilij Alexandrini ad Nestorium lecta, & recepta in Conc. Ephesino; Synodus 7. Act.6. tomo 3. Et Trid. sess.13.c.2. ac B.Tho.lect.6.& 7.in 6.Ioan.

TERTIA PROBATIO est ex scripturis quæ continent hujus sacramenti institutionem, & referunt Christum de eo quod manibus tenebat, & discipulis dabat, dixisse. *Hoc est corpus meũ. Hic est sanguis meus, vel calix sanguinis mei.* Quod enim ista verba non in figurato aliquo, sed in proprio sensu accipi debeant,ut illis significetur Apostolos verè & realiter corpus & sanguinem Domini sub speciebus panis & vini accepisse & non nudum aliquem panem qui figura solum esset,vel signum corporis Domini; præter consensum antiquitatis, ipsæ circumstantiæ apertè docent.

*Primò*, quia cùm jam Christus esset transiturus de hoc mundo ad Patrem, voluit externam aliquam cæremoniam, seu sacramentum instituere, cujus usus esset perpetuus in Ecclesia,unde dicebat,*hoc facite in meam commemorationem:* Docuit autẽ,ut hoc facerent verbis maximè perspicuis,ne dubitandi locus relinqueretur, nã & ob eam causam videmus totam illam doctrinam veteris legis quæ est de colendo Deo, cæremonijsque in ejus cultu observandis, planam & apertam esse.

*Secundò,cùm dilexisset suos,in finẽ dilexit eos.*Io. 13. In signum autem istius dilectionis,præmissâ lotione pedum,acceptum panem benedixit, ac ijs quos ita diligebat,dixit, *Hoc est corpus meum:* non esset autem singularis in discipulos dilectionis argumentum verbis talibus aliud dare quam illa significent, & affirmare quod det suum Corpus, si ejus tantùm figuram daret.

*Tertiò*, morti proximus sacramentum istud Ecclesiæ reliquit, velut testamentum: verba autem testamenti debent esse clarissima.

*Quartò*,non simpliciter dixit,*Hoc est corpus meũ*, sed addidit,*quod pro vobis tradetur*, quasi diceret illud ipsum quod pro vobis in mortem dabitur.

*Quintò*, soli Apostoli erant præsentes, ad quos solitus est Christus apertè loqui; aut si quid erat obscurius dictum,explicare: Matt.13.15.& alibi, quia illis *datum erat nosse mysteria regni Dei*: hîc autem neque petierunt, neque ab eo acceperunt ullius tropi explicationem.

*Sextò*, Apostolus 1.ad Cor.11.factum illud Christi referens,significat Christum verè suum corpus & sanguinem dedisse Apostolis. Quorsum enim alioquin tam exactã prærequireret dispositionem? quorsum tam immane scelus assereret in eo qui indignè manducans non dijudicat corpus Domini si verè non Corpus, sed Corporis figura sumitur? Si respondeat Calvinus,Quia panis & vinum sunt symbola Christi, qui irreverenter tractari non debent: opponitur illi quod agnus,manna,& hujusmodi fuerint etiam symbola Christi;de quorum tamen indigno sumptore nõ habemus quod esset reus Corporis & sanguinis Domini,aut quod non dijudicaret Corpus Domini. Unde idem Apostolus c. 10. tanquam de re confessâ & certissimâ, *Calix*, ait,*benedictionis,cui benedicimus,nonne communicatio sanguinis Christi est: & panis quem frangimus nonne participatio Corporis Domini est:* Quasi diceret. Ita institutum est is in Ecclesia,ut nemo vestrum de hac re dubitet.

Ex his patet, falsum esse quod nonnulli dixerunt verba illa,*hoc est corpus meum*,seclusâ Ecclesiæ authoritate non sufficere ad probandam veritatem Corporis Christi in Eucharistiâ.

### *Ejusdem doctrinæ probatio ex Patribus.*

HUc in primis pertinent illi qui magnum in hoc sacramento miraculum, magnumque divinæ omnipotentiæ opus esse docent,ut Chrys. l.3.de sacerdotio, *ô miraculum? ô Dei benignitatem Qui cum patre sursũ sedet,in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* vide Amb. l. 4. de sacr.c.4.Si enim non esset realis præsentia corporis Christi,sed ejus tantummodo signum,& figura; nullum esset miraculum,nullum opus quod stupendum,horrendum,verendum jure vocaretur.

SECUNDÒ, qui ex hoc tanquam certo dogmate probant aliorum dogmatum veritatem, quomodo Iren. lib.4. c. 34. docet veritatem resurrectionis.

TERTIÒ,qui fidelibus inculcant non esse in hoc mysterio credendum sensibus, sed verbis Christi. *Quamvis*, ait Cyrill. Jerol.catech.4 mystag. *sensus hoc*(scilicet panem nudum)*tibi suggerat: tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem judices &c.*

QUARTÒ, qui rationẽ cur Christus dederit Corpus,& sanguinem suum sub speciebus panis,& vini,& non in propria & naturali; adferunt,ut fides exerceretur:ut sine horrore manducaretur,quemadmodũ S.Ambros.dicto cap.4.de sacrament.l.4.

QUINTÒ, qui tam cautè & rectè loquuti sunt de hoc mysterio; ne infidelibus innotesceret, ac sic ijs esset occasio irridendi. *Norunt fideles.*dicebat Aug. *nosti in quo sacrificio dicatur,gratias agamus Domino Deo nostro*, ser.46. de verb.Dom. ser.21. de diversis Ep.57. unde Tertull.l.2.ad uxor.c.5. volens ei suadere, ne post ejus mortem nubat Ethnico: *Non sciet*,inquit,*maritus quid secretò ante omnem cibum gustes: Et,si sciverit panem,non illum credet esse qui dicitur.*

SEXTÒ, qui summam jubent adhiberi diligentiam ne aliquid de sanguine stillet in terram: graviter punientes eum per cujus negligentiã id acciderit: & volentes locum radi,& cineres intra altare recondi:ut Pius 1.in suis decretis,to.1.Conc. & de conse.d.2.c.*Si per negligentiam*,apud Ivonem p.2.c.56.& Burcadum l.5.c.47.Si enim Eucharistia non esset sanguis Domini, nisi repræsentativè, atque adeò nudum vinum; non esset adhibenda major diligentia ne in terram caderet quam ne imago aliqua sacra, ne sacra Biblia.

DENIQUE, huc pertinent omnium ætatum Patres qui hanc veritatem disertè asserunt, apud Ioannem Garetium, apud Democharem, apud Ivonem tota ferè p. 2. apud Bellarm. l.2. de Eucharistiâ: apud Gratianum de consecratione d.2. ut nihil dicamus de Paschasio, Lanfranco,Guitmundo,Algero,quorũ opera contra Berengarium extant tom 6.Bibliothecæ Patrum:& melius Lovanij impressa, videri possunt inter alios,Ignatius epistolâ ad Rom. Dionysius cap.3. Ecclesiasticæ hierarchiæ, Clemens l.2. constitut.c.91. Irenæus lib. 4. contra hæreses cap.34. Tertullianus lib. de





oratione c.6. De resurrectione carnis cap.8. l.2. ad uxorem c. 5. Origenes homil. 5. in diversos; hom.7. in Numeros, hom.13.in Exodum: Cyprianus in epistolis 9.54. 56.93. & serm.de lapsis: Ambrosius lib.de Sacram. & de ijs qui initiantur,Hieronymus in caput 36.Ezechielis, in epistola ad Hedibiam q 2.in caput 26.Matthæi:Aug. ser.46.de verbis Domini,alijsque locis innumeris.

His adjungi possent miracula in hujus dogmatis confirmationem divinitus facta,apud Paschasium l.de corpore Domini c.14. Guitmundum l.3. de Sacramento,Petrum Damiani l.2.ep. 15.& apud Garetium per singulas ætates seu sæcula, Sed alijs ea relinquentes,ad Concilia veniamus.

### *Eadem veritas probatur ex Conciliis.*

QUAMVIS ante Berengarium nulla inveniantur pro hoc Catholico dogmate congregata Concilia: Nicænum tamen can. 14. disertè illud asserit: ut & Ephesinum, à Lanfranco citatum. Postquam verò Berengarius hæresim suam manifestare cœpit.

*Primò*, contra illum convenit Synodus Rom. sub Leone 9.*Deinde*, Vercellen sub eodem.

*Tertiò*, Turonensis sub Victore 2. in quâ Berengarius præsens erroris sui palinodiam cecinit.

*Quartò*,Romana sub Nico.2.ubi Berengarius qui ad vomitum redierat, rursum abjuravit suam hæresim, librosq de eâ re scriptos combussit.Confessio tunc per eum facta repertitur apud Lanfrancum, Juonem, Gratianum de consec. d.2.c. *Ego Berengarius.* Sed cùm jam tertiò lapsus esset in istam hæresim; Synodus Rom.sub Greg.7.convenit; ubi rursus Berengarius illam abjuravit, putaturque tandem Catholicè mortuus;licet Baron. ad ann.1088.sub dubio relinquat. Ictius Romani Conc. pars apud eumdem Baron, extat ad ann. 1079. Post hæc, eadem doctrina tradita & confirmata est in Concilijs, Lateranensi sub Innocentio 3. Viennensi sub Clemente 5. Florentino & Tridentino. Restat ut argumentis hæreticorum Respondeamus.

### *Responsio ad argumenta ex Scripturis petita.*

AD 1.à Berengario olim objectum, dicit Algerus initio libri 2. contra eum scripti, dignius esse ad quod obturentur aures, quam ut respondeatur. Ne tamen videatur Ecclesia destitui responsis, & ipse respondet, & nos per ipsum:

*Primò*,signum distributivum,*omne*,sumi pro generibus singulorum,& solùm pertinere ad priorem partem sententiæ,non necessariò ad posteriorem: ut significetur,omne genus cibi quod in os intrat non attingere animam, sed ire in ventrem; & secundùm partem sui impuriorem,in secessum emitti: cùm pars ejus purior transmutetur in substantiam aliti.Unde Marcus dixit,*purgans omnes escas*, id est, putas relinquens, ait Euthym. Quibus verbis Marcus indicat non omninò totum quod sumitur, in secessum abire,sed purgamenta escarum quæ nutritioni sunt inidonea;remanere autem id quod purgatum est,& ad nutritionem aptum.

*Deinde*,Christus ea verba non dixit de spirituali cibo,sed de communi,*& quidem* eo qui in alendum corpus sumitur:qualis non est Eucharistia,quales nec erant illi communes cibi, quos post resurrectionem sumpsit; nec in secessum emisit.Sed etsi sententia Christi intelligeretur de omni cibo ejusque partibus; nihil periculi esset Corpori Dominico, quod corruptis speciebus in stomacho, statim sub illis esse desinit.

AD 2. Neg. C. quia movemur eo loco non credere illis, qui post Christum venientes de se vel de alio quopiam dicent quod ipse sit Messias & Christus. Unde sequitur, *Surgent enim Pseudo-Christi & Pseudoprophetæ* &c.

AD 3. Christus negat se cum Discipulis futurum visibiliter præsentem in propriâ suâ specie, in quâ possit humanis obsequijs indigens adjuvari. Si enim verè dixit Luc.24. *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscũ*,quia tunc non erat præsens eo modo quo antea,videl. mortalis: quantò magis post ascensionem dicere potuit, *me autem non semper habebitis*: quando ne præsens quidem nobis est visibiliter, nedum mortalis. Similiter Aug. negat Christum semper esse nobiscum præsentia corporis visibili, ut patet ex sequentibus. Unde addit. modò eum Ecclesia fide tenet, oculis non videt.

AD 4. Neg. C.est enim argumentum ab oppositio antecedentis ad oppositum consequentis. Quamvis ergo rectè sequatur; palpatur & videtur,ergo est corpus: non tamen est necesse.ut si non palpatur nec videtur, corpus non sit. Unde, si Christus Luc.4. & Joan.8. se invisibilem fecit corpus humanum habere non desijt.

AD 5. Christus non vult significare quod sua caro nihil prosit: nam *si caro non prodesset.Verbum caro non fieret*, ait Aug.tract.27. in Joan.Unde ipse dixit,*qui manducat meam carnẽ habet vitam æternam.* Sed nihil prodest sine Spiritu, divino sc.seu non conjuncta divinitati, quo modo 1. ad Cor.8. dicitur *scientia inflat*, sola scilicet, sine charitate.

Præterea, & fortasse magis ad litteram,*Caro*,id est, carnalis & animalis intelligentia, *nihil prodest. Non prodest quicquam*, ait Aug. *quo modo illi* (sc. Capharnaitæ) *intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavera dilaniatur, aut in macello venditur, existimantes* Christum daturum suam carnem ad manducandum more communi, visibilem, crudam, coquendam, in partes discerpendam & dilaniandam, quibus proinde dicit, *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, id est,continent rem divinam ac spiritualem, quæ adferat vitam æternam: & ideò spiritualiter intelligenda sunt, non carnaliter. Non ergo significat Christus sua verba spiritualiter, id est, figuratè & impropriè intelligenda; sed esse intelligenda fide & intelligentiâ à Spiritu Dei inspirata, quia mysterium continent. Neque excludit corporalem, seu sacramentalem manducationem, sed carnalem illam crassam & animalem. Vide Chrysostomum, Theophil. B. Thom.in 6.caput Joannis.

AD 6. Christus reliquit mundum quoad præsentiam visibilem, conversationemque illam,quâ homo inter homines, aliorum hominum more conversabatur; & hanc supplet Paracletus: non autem illam de quâ ipse Dominus dixit Matt.28, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

AD 7.Neg.Consequentia; loquitur enim Apostolus de divinitate, quæ etsi peculiari quadam ratione sit in templis ipsi sactatis non sic tamen in illis habitat ut eis vel circumscribatur vel indigeat Unde additur, *nec manibus humanis colitur indi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



gens aliquo. Confer quæ dicimus q. 83. ar. 3. ad 4.

Ad 8. Negatur consequentia: quia literalis Paulinæ sententiæ sensus non est, quod omnes isti eandem nobiscum escam spiritualem manducaverint; sed quod eandem inter se: ut significetur, beneficia ibi recensita, protectionem nubis, manna, aquam de petra, fuisse omnibus patribus, tam malis quàm bonis, communia.

Ad confirmationem Resp. Augustinum non ex professo, neque ad literam tractare verba Apostoli: Ac nihilominus verum esse quod ait, Hebræos eandem escam nobiscum manducasse: quia intelligit eandem in mysterio & significatione. *Aliud illi, aliud nos* (inquit tract. 26.) *sed specie visibili: quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali.* Et manifestius in Ps. 77. *Idem*, ait *in mysterio cibus & potus illorum qui nostèr: sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* Idem ergo significabat cibus illorum, quod nostèr continet.

Ad 9. Negatur consequentia: quia licet Apostolus jubeat nos quærere quæ sursum sunt, id est, superna; & non terrenis affici, sed cælestibus; non vetat tamen nos quærere aliqua eorum quæ sunt in terra quoad situm, modò ejusmodi sint quæ ad Deum mentem elevent. Unde non reprehendisset Pastores, Magos, Matrem Domini, Magdalenam quærentes Dominum in præsepi, templo, vel sepulchro. Et dum in missa dicitur, *Sursum corda*, non significatur elevatio cordis ad locum sursum sed *ad Dominum*: ut responsio continet.

*Responsio ad argumenta ex Patribus.*

Ad 1. REPRÆSENTARE Tertulliano idem est quod præsens exhibere: quomodo lib. 4. contra Marcionem cap. 22. dixit Patrem repræsentantem, id est, præsentem exhibentem, Filium, dixisse, Hic est Filius meus.

*Secundi* loci sensus esse videtur: Christum dedisse pani figuram sui corporis, id est, fecisse ut panis olim esset figura sui corporis, ipsumque corpus figurarè panis vocaretur ab Hieremia referente verba Judæorum *Mittamus lignum in panem ejus.* utique *in corpus*, ait Tertullianus. Alij putant eum significasse quod figuram sui corporis pani, id est in pane, panisque vocabulo latentem, dederit, id est, explicuerit. Constat enim (etiam ipsis Magdeburgensibus affirmantibus) nihil hic contra veritatem corporis Christi in Eucharistiâ, dicere Tertullianum; quam varijs locis, à Pamelio citati ad c. 40. l. 4. contra Marcionem, asseruit.

*Tertio loco* sic loquitur, *acceptum panem distributum discipulis, corpus suum illum fecit. Hoc est corpus meum, dicendo, id est figura corporis mei*, ubi verba illa, *figura corporis mei*, non sunt construenda cum proximè præcedentibus, *corpus meum*, quasi illorum explicatio sed cum pronomine, *hoc*, quasi dicat, *Hoc*, id est, panis qui olim erat figura corporis mei, nunc est corpus meum. Quibus verbis pronomen *hoc* demonstrat panem, non qui manet, sed qui mutatur.

Ad 2. Origenem idem videtur esse istud, *secundùm literam*, quod, *omnino prout verba sonant sine ulla adjunctione mysterij*; quomodo supra diximus Capharnaitas intellexisse: præcedit enim, *Si quasi carnales ista* (quæ sc. in scripturis dicuntur) *suscipitis, ladunt vos, & non alunt. est enim & in novo testamento littera quæ occidat eum qui non spiritualiter quæ dicunt advertit.*

*Alio loco*, spectat Origenes Eucharistiam seorsim à bonâ dispositione suscipientis, cùm enim dixisset, *non suaptè natura sanctificat utentem*: addit, *nam id si esset* (id est, si suâ naturâ sanctificaret non habitâ ratione dispositionis bonæ vel malæ) *sanctificaret etiam illum qui comedit indigne Domino.* Et postea *Prodest non indignè Domino comedenti illum.* Vocat autem *typicum & symbolicum corpus*, quia est figura corporis in propriâ specie existentis. Dicens: *nullum malum posse edere*, loquitur de manducatione spirituali, quæ includitur in illis verbis, ab eo allatis. *Quisquis ederit panem hunc, vivet in æternum*, Joan. 6.

Ad 3. Ambrosius significat nos non bibere externam speciem sanguinis, ne sit horrori: sumere verò similitudinem, partim quia vinum habet affinitatem cum sanguine; partim quia sanguis Christi quatenus est sub specie vini, signum & figura est sanguinis ejusdem pro nobis in passione fusi, Quod & de corpore dici posse, ex infra dicendis patebit, quamquam quod ex c. 5. adfertur. de pane ante consecrationem dicitur.

*Tertio loco*, *significatur*, idem valet quod *nominatur*, unde addit, *post consecrationem sanguis nuncupatur. Quarto*, dicit nos *hic* habere Christum *in imagine*, quia habemus velatum speciebus: *in cælo in veritate*, quia sine signo videbimus eum facie ad faciem, *Imaginem* ergo non opponit substantiæ, sed claræ notitiæ.

Ad 4. etiamsi antitypum apud Basilium idem esset quod similitudo prototypi (nam nō uno modo dicitur antitypon, ut fusè demonstrat Turrianus ad Clementem l. 5. c. 13.) sicut tamen Eucharistia vocatur figura corporis Christi ab Augustino in Psal. 3. ita intelligenda esset vocati antitypum, quia scilicet est signum corporis Christi in cruce immolati; corpus enim & sanguis Christi ut sunt sub speciebus sensibilibus, signa sunt eorumdem ut in cruce fuerunt. Hinc Chrysostomus ho. 17. in epistolam ad Hebræos sacrificium Eucharistiæ vocat exemplar sacrificij crucis.

Ad 5. Augustinus *primo loco* vocat Eucharistiam signum corporis Christi, eo modo quo sanguis est signum animæ, scilicet præsentis, ut ex contextu patet.

*Secundo*, ipsas species sacramentales dicit esse quodam modo corpus & sanguinem Christi; quia non simpliciter sunt illud, sed solum repræsentativè sicut Baptismus dicitur quodammodo fides, quia est fidei signum & Sacramentum.

*Tertio*, loquitur de corporibus naturalem existendi modum habentibus.

*De quarto*, jam diximus in responsione ad 4.

*In quinto*, pronomen demonstrativum sumit ad demonstrandam qualitatem; quasi dicat, non ea specie manducaturi estis corpus meum, qualem oculis cernitis: non tale quale nunc videtis, quomodo 1. Cor. 15. dictum. *Et non corpus quod futurum est seminas*, id est, non quale: non ejusdem conditionis & qualitatis. Excludit ergo manducationem carnalem, non sacramentalem.

*Sexto*, hortatur ad manducationem spiritualem eamque præfert sacramentali; quæ sola nunquam sufficit; cum spiritualis interdum sufficiat, etiamsi sit sola.

*Septimo*, non negat corpus Christi posse esse in pluribus locis: sed affirmat posse esse in uno, cum tamen veritas Domini, sive divinitas ubique sit.

*De octa-*



*De octavo*, etiamsi dubitent nonnulli an homilia illa sit Augustini, Lovanienses tamen, eosque secutus Bellarminus l. de Scriptoribus Ecclesiast. non dubitant. Sed nihil fidei adversum continet, cùm non dicat Verbum Dei esse plus quàm corpus Christi, sed solùm neget esse minus. Accepit autem *Verbum*, non secundùm voces aut sonos, sed secundùm res significatas, quæ sunt divinæ, & idcircò venerandæ.

*Responsio ad argumenta ex ratione.*

*Idem corpus potest esse localiter in pluribus locis.*

PRÆMITTENDUM hic est, problematicè disputari à Scholasticis, An idem corpus possit esse localiter in diversis locis, B. Th. quodl. 3. ar. 2. & in 4. d. 44. q. 2. a. 2. quæstiunc. 3. ad 4. existimat implicare contradictionem: quod verum est, accipiendo *esse localiter in aliquo loco*, pro eo quod est, corpus ita loco circumscribi & comprehendi ut nihil ejus sit extra illum; quomodo S. Doctorè accepisse, liquet ex quodl. 3. ubi sic loquitur. *Corpus esse localiter in aliquo loco nihil est aliud quam corpus circumscribi & comprehendi à loco secundùm commensurationem propriarum dimensionum: quod autem comprehenditur à loco aliquo, ita est in ipso loco quod nihil ejus est extra locum illum.*

Si verò generalius loquamur, & *esse localiter* accipiamus pro eo quod est replere locum, estque sic commensurati, ut partes locati respondeant partibus loci, quo modo magis obvium est intelligere: Scoto assentimur, & Dominico in 4. d. 10. alijsque non paucis, asserentibus divinitus fieri posse; ut idem corpus simul existat localiter in pluribus locis. *Primò*, quia nulla sequitur contradictio. *Secundò*, quia cùm apud Philosophos naturales non minus impossibilis sit penetratio dimensionum corporearum, quàm idem corpus simul occupare diversa loca, prius factum esse liquet ex egressu Christi è clauso matris utero, & è clauso sepulchro atque ingressu ad discipulos januis clausis. *Tertiò*, non apparet quare Christus in Eucharistia existens non possit ibi exhibere se visibilem. *Quartò*, dum Paulus Act. 9. 1. Cor. 9. & 15. vidit Christum oculis corporeis; admodum probabile est non propterea deseruisse cœlum, sive ob Scripturam Act. 3. quâ significatur divinitus decretum esset ut Christus in cœlum susceptus, illic maneat usque ad tempus quo fiet omnium restitutio, id est, usque ad extremum judicium: sive, quia aliquin subinde falsum esset dicere Christum esse in cœlo, cùm tamen ab ejus Ascensione non dubitent fideles invocare Christum in cœlis existentem, eumque ibi esse confiteri.

Quæ cùm ita disputentur: id tamen (quod ad præsentem cum sectarijs disputationem sufficit, apud omnes Catholicos indubitatum est, idem sc. corpus posse esse in pluribus locis sacramentaliter, vel in uno localiter, & in alio vel in alijs sacramentaliter.

Quapropter, non pugnant hæc. Christum semper ad dexteram Patris in cœlo existere, juxta modum existendi naturalem; & nihilominùs esse in multis alijs locis, sacramentaliter. Quâ phrasi quâvis Sacramentum sit in genere signi, non tamen significatur Christum esse in Eucharistiâ tantùm ut in signo: *Est enim in eâ ut in Sacramento, non solùm significante sed etiam continente ipsum*, ait B. Th. in 4. d. 10. a. 1. ad 5. sed significatur esse in eâ secundùm modum huic Sacramento proprium.

*Conditiones corporis localiter existentis in loco.*

Qui modus per negationem magis explicandus est, quam per affirmationem: Nam quinque conditiones alijs corporibus convenientes, esse in loco circumscriptivè, sensibiliter, passibiliter; per se moveri secundùm locum, & per se desinere posse, removentur à corpore Christi prout est in hoc Sacramento. Non enim circumscribitur quantitas Christi vel speciebus vel loco specierum, nec illi commensuratur secundùm extensionem: quò fit ut nec sensibiliter ibi sit, nec passibiliter; quia neque operatio sensus externi, neque passio terminari potest nisi ad aliquid loco extensum. Unde etiam sequitur quod nec per se moveri possit secundùm locum, nec per se desinere, quia motus localis per se est subjecti extensi: desitio autem per se, supponit subjectum esse per se passibile.

Quamvis ergo Christus discipulis suis dederit suum corpus passibile & mortale, non tamen tunc in Sacramento pati poterat aut mori, nisi per accidens, quatenus passio aut mors potèrat ei inferri secundùm propriam speciem; neque nunc per se desinit in Sacramento, per aliquam scil. sui mutationem corruptivam; sed per accidens, sc. ad corruptionem & desitionem specierum.

His præmissis Ad 1. Resp. Negatione Assumpti.

Ad probationem dicendum est consequentiam quam facit Angelus, esse legitimam, juxta intentionem mulierum quibus loquebatur: existimabant enim illæ Christum in sepulchro jacere mortuum; quibus optimè respondet, *non est hic*, id est, non hìc jacet mortuus, ut putatis: surrexit enim. Nam qui resurgit, & quidem è sepulchro, non manet in eo mortuus.

Ad 2. concedimus esse Deo possibile, ut idem corpus sit in omnibus locis, non tamen in infinitis actu, quoniam nec infinita actu esse possunt, ut 1. p. q. 7. dictum est. Divinitati autem proprium est esse ubique primò & per se seu propriâ potestate, ut ejusdem p. quæst. 8. art. 4. docet Author.

Ad 3. illud corpus neque esset sibi in altero loco existenti continuum, neque à se divisum, quia continuatio est eorum quæ sunt diversa, & divisio fit indiversa: sed haberet præsentias inter se divisas distinctas. Ac proinde posset dici distans à seipso secundùm diversa ubi, diversosque modos existendi, etiamsi quoad entitatem maneret in se indivisum, & à se indistans.

Ad 4. fieri potest ut corpus variè locatum habeat varios terminos, atque ita sit extra propriam terminum quem hic aut ibi habet. Quâ ratione non erit extra se, sed erit in diversis terminis extrinsecis.

Ad 5. Responsio patet ex ijs quibus diximus corpus Christi non esse in Eucharistiâ localiter, passibiliter, mobiliter. Loquendo autem de corpore localiter posito in diversis locis, tria dici possunt.

Primum. Proprietates & accidentia absoluta quæ conveniunt corpori sine ordine ad locū; eadem erunt in corpore diversis locis posito; nisi accedat aliud miraculum; quia non pendent in suo esse à loco: quæ autem dicunt ordinem ad illum, erunt diversa, sicut sunt diversa loca. Sic potest moveri uno loco sursum, alio deorsum; &, si Duaci comederet, nutriretur Romæ, quamvis ibi non sumeret cibum: si hic astaret igni, calesceret alibi, nisi fortè adesset refrigerantibus: quo casu ut quibusdam videtur, reciperet utrobiq; qualitatem aliquam mediam, eò quod causæ activæ impe-

Universidad de Deusto
Biblioteca



dicentur producere suas qualitates, non quasi in se A mutuo agendo, sed agendo in idem subjectum. Si hic infirmaretur, esset alibi ægrotum; & si hic moreretur, non viveret alibi.

SECUNDUM, Novo miraculo fieri potest ut accidentia corporis ejusdem in diversis locis positi, tam absoluta quàm respectiva quæ dicunt ordinem ad locum, sint in diversis diversa: neque aliquid prohibet ut corpus (intelligo partem materialem compositi) quod hic habet vitam, alibi sit separatum ab anima.

TERTIUM, Non propterea verè affirmabuntur contradicentia de eodem; tum quia non secundùm idem eademve ratione: tum quia unum eorum falsò affirmabitur. Nam de tali corpore hic B vivente & calido, etiamsi poneretur alibi mortuum & frigidum: falsò diceretur esse non vivens & non calidum, quia cum negatio universalitatem habeat omnia negat, & facit hunc sensum; Nullibi vivit aut calidum est.

Quod adferti posset de actionibus animæ immanentibus, ab objecto vel agente externo non pendentibus, ut sunt amare, odisse &c. æquè moveri potest de anima habente corpus in pluribus locis sacramentaliter, atque de habente localiter, cùm anima non desinat operari, etiamsi corpus habeat non localiter replens locum. Dicimus ergo non posse eandem animam simul idem objectum amare & odisse, quamvis ponatur in diversis locis, C quia tales actus destruunt se ex parte objecti & principij. Unde sequitur eundem hominem in diversis locis positum non posse peccare uno loco, & mereri in alio.

AD 6 Nihil absurdi est idem corpus esse æquale majori & minori secundùm majorem & minorem extensionem, quia sic æquale & inæquale non dicetur secundùm idem.

AD 7. Negatur consequentia; quia non sicut loca, ita temporâ plura simul esse possunt, cùm temporis natura in successione consistat.

AD 8. Corpus Christi in Eucharistia quantum esse, liquebit ex a. 4. q. sequentis: sed ejus quantitas ibi est per modum substantiæ, non per modum D quantitatis, quomodo non est inconveniens majorem quantitatem contineri sub minori.

Quod ex Augustino adfertur, de naturali modo existendi corporum, intelligendum est. Quamquâ partes Christi quæ in Eucharistia non distant quoad situm, distent quoad ordinem quem habent in toto; quatenus pedes v.g. uniuntur capiti medante reliqua parte corporis.

AD 9. Negatur assumptum. *Primò*, quia longè aliter afficimur ad rem præsenté quam ad absenté. *Secundò*, quia Christus præsens beneficia illa confert quæ non esset collaturus absens, etiamsi hoc posset, quemadmodum omnes quotquot tangebant illum, curabat, non curaturus si non E tetigissent. *Tertiò*, quia Sacramentum continens Christum realiter præsentem, valet ex opere operato ad collationem gratiæ, non similiter quodvis aliud signum.

*Quæ Christi præsentia impediebat receptionem Spiritus Sancti.*

AD 10. Non quæcunque præsentia Christi impedit acceptionem Spiritus sancti; sed ea tantùm qua præsens erat secundùm modum humanæ conversationis: hæc enim velut impedimento erat, ne plenitudo spiritus effunderetur in Apostolos, non secundùm se, sed partim, quia decretum erat divinitus eam plenitudinem non esse dandam, nisi post Christi passionem, resurrectionem, & ascensionem; ut sc. Christus devicta morte triumphans illam daret: partim quia tunc Apostoli non satis dignam de suo Domino existimationem habebant, humano adhuc more ipsum diligentes. Vide Cyrillum, Theophylactum, Augustinum in c. 16 Ioannis.

Greg. l. 2. dial. c. 38. *Quia*, inquit, *Discipuli in carne Dominum cernentes corporeis hunc oculis semper videre fitiebant, rectè eis dicitur: Nisi ego abiero, paracletus non veniet, ac si aperte diceretur. Si corpus non subtraho, quis sit amor spiritus non ostendo, & nisi me defleritis carnaliter cernere, nunquam me discetis spiritualiter amare.* Et similiter S. Leo serm. 2. de ascensione scribit Apostolos post Christi Ascensionem, totam contemplationem animi, in divinitatem ad Patris dexteram confidentis erexisse; nec tam corporeæ visionis tardatos objectu, quo minus in id aciem mentis intenderent, quod nec à parte descendendo abfuerat, nec à discipulis ascendendo discesserat.

### ARTICULUS II.

*Vtrum in hoc Sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, Nam in scripturis Eucharistia vocatur panis, 1. Corinth. 10. *Panis quem frangimus*, & c. 11. *De pane illo edat.* Ipse etiam calix post consecrationem, vinum appellatur, Matth. 26. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.*

SECUNDÒ, Christus id Apostolis dedit dicens, Accipite & manducate, quod manibus acceperat: sed panem acceperat, ergo. Confirmatur ex Evangelistis referentibus Christum accepisse panem, benedixisse, fregisse, & Apostolis dedisse.

TERTIÒ, Christus de eo quod in manibus accepit, dixit, Hoc est corpus meum; ergo panem dixit esse corpus suum. Confirmatur, quia pronomen (*hoc*) demonstrat aliquam rem existentem, eam videlicet quam Christus tenebat manibus; ea autem non alia erat quàm panis: ergo.

QUARTÒ, Gelasius pontifex libro de duabus in Christo naturis, contra Eutychem & Nestorium Sacramenta, inquit, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, divina res est: propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ: & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini.

QUINTÒ, Theodoretus dial. 1. Symbola quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honoravit; non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjiciens: manet ergo natura panis.

SEXTÒ, Iren. l. 4. c. 34. Eucharistia ex duabus rebus constat, terrena & cælesti: ergo pane & corpore Christi. Unde sacerdos in secretâ missæ secundæ Nativitatis Domini orat ut terrena substantia conferat quod divinum est.

SEPTIMÒ, Justinus in 2. apologia ad Antoninum imperatorem, Edocti sumus, ait, Eucharistiâ factum cibum ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur.

OCTAVÒ, Cyprianus sermone de cœna Domini, Panis iste substantialis ad totius hominis vitam salutemque proficit. Et postea: Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: ideoque ex con-



suetorum rerum effectu, fidei nostræ adjuta in- A firmitas, sensibili argumento edocta est, visibilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum.

NONÒ, Cyrillus Jerosolymitanus catechesi mystagogicâ 3. Quemadmodum panis Eucharistiæ, post Spiritus Sancti invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum neque commune postquam jam consecratum est, sed est chrisma Christi, quod adventu Spiritus Sancti per ipsius divinitatem energiam habet: ergo sicut oleum tametsi benedictum non amittit naturam olei; sic & panis in Eucharistiâ.

DECIMÒ, Ambrosius l. 4. de Sacramentis, c. 4. B Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant: quantò magis operatorius est ut sint quæ erant, & in aliud commutentur. Manet ergo panis, ut verum sit dicere, quæ erant, esse.

UNDECIMÒ, Isychius l. 2. in Levit, c. 8. Illud mysterium simul panis & caro est.

DUODECIMÒ, de consecr. d. 2. c. *Ego Berengarius*, dicitur panem & vinum post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus Christi esse, ergo manet panis cum corpore.

POSTREMÒ, ex effectu cognoscitur causa. &, quorum una est operatio, eorum est una substantia: atqui in Eucharistia inveniuntur effectus, & C operationes panis materialis; sapit enim, nutrit, confortat, ac omnia operatur quæ solet panis operari: ergo est ibi vera substantia panis.

Sententiam hanc tenuerunt olim Berengariani: Cùm enim viderent se non posse amplius tueri quod Eucharistia sit sola figura corporis Christi, dixerunt ibi esse verum Christi corpus simul cum pane; atque ita corpus ejus impanari seu pane tegi: & hanc ipsius Berengarij subtiliorem esse sententiam refert Guitmundus l. 1. de verit. Eucharistiæ Et suffragatur posterior confessio Berengarij sub Greg. 7. quæ referuntur to. 11. annal. Baron. in quâ cogitur confiteri panem & vinum per consecrationem non solùm esse corpus & sanguinem D Domini, sed etiam substantialiter converti in carnem & sanguinem ejus.

Post Berengarianos fuerunt teste Waldensi t. 2. c. 65. Waleranus. cui D. Anselmus scripsit de differentiâ Sacramentorum; & Joannes Paris, cujus liber inventus est Parisijs apud Jacobitas, sub titulo Joannis pungentis asinum, ait Dominicus: quorum prior non valens intelligere quomodo accidentia manerent sine subjecto, dixit panem & corpus Christi post consecrationem manere, suppositio distincta; posterior verò asseruit non manere quidem suppositum panis, manere tamen ejus naturam quæ à Christo in unitatem suppositi assumatur: ac proinde panem esse corpus Chri- E sti, non illud carneum quod de Virgine sumptum est, sed panaceum recens assumptum, quæ duo Christi corpora possint dici unum supposito.

*Post consecrationē non manet substantia panis.*

VERUM DOCTRINA FIDEI, quod in Eucharistiâ post consecrationem non maneat substantia panis aut vini, probatur.

PRIMÒ, quia alioquin Christus & in ejus personâ Sacerdotes non verè dicerent, *Hoc est corpus meum*, cùm substantia panis nunquam sit corpus Christi: unde potiùs dicendum fuisset. Hîc est corpus meum.

*Ob.* Si dicas, quod eâ positione factâ, verificabitur propositio, per pronomen, *hoc*, demonstrando non panem, sed id quod continetur sub pane; sicut cum demonstrato vini dolio dicimus, hoc est vinum.

Resp. Neg. Assumpt. quamvis enim pronomen, *hoc*, demonstrare possit tam rem contentam quam continentem, si ea sit vel ex naturâ suâ vel ex usu hominum instituta ad continendum, sicut in exemplo allato; non tamen quando res continens non sic est idonea ad continendum: unde si sub pane conderetur aurum vel argentum, non rectè diceret quis, hoc est aurum &c. Deinde, pronomen illud ex naturâ suâ designat totam substantiam præsentem: si autem ibi sit panis, non demonstrabit totam: ergo propriâ locutione non erit verum, hoc est corpus meum. *Resp.*

Neque verò tunc solùm falsa erit ista propositio, si ponatur panis & corpus Christi distingui supposito; sed etiam si ponatur panis esse unitus Christo hypostaticè: quia in unione hypostaticâ, non potest natura vel pars quæ unitur, affirmari de alterâ; sicut non dicimus, humanitas est divinitas, aut, anima est Deus.

Corpus autem in verbis formæ non sumitur pro toto composito, sed pro alterâ parte, quatenus distinguitur ab animâ & sanguine, ut q. 78. declarabitur. Unde patet non esse eandem rationem dicendi, Hoc (id est panis) est Corpus Christi; & Hic homo est Deus.

*Primò*, quia in posteriore subjectum & prædicatum supponunt pro eodem supposito seu personâ subsistente, cui convenit utrumque, scil. esse hominem & esse Deum; in priori autem supponunt pro diversis, & affirmatur disparatum de disparato.

*Secundò*, quia licet poneretur unicum suppositum sustinens naturam panis & corporis: non tamen affirmaretur suppositum, sed pars de parte. Nam corpus, cum sit quid creatum, non potest naturam panis assumere in unitatem suppositi, sed solus Deus: juxta ea quæ diximus q. 3. & 4. articulis primis.

Et est advertendum quod hæc propositio: Panis factus est corpus Christi, non est eadem ista; *Verbum caro factum est.* Cùm enim Verbum non sit capax mutationis: nō potest intelligi desijsse, sed assumpsisse ad se carnem; ac proinde est similis huic, Petrus factus est Sacerdos, Petrus factus est doctus. Cùm autem panis sit mutationis capax, & non possit ad se assumere corpus humanum in unitatē suppositi: prior propositio debet verificari per conversionem & desitionem panis: ac proinde est similis huic, Laicus factus est Sacerdos: Indoctus factus est doctus.

Ex his sequitur non esse Scoto assentiendum quin in 4. d. 11. q. 3. sustinet formam Eucharistiæ veram futuram, etiamsi panis materia maneat. Neque B. Thomæ doctrina unius est Doctoris, ut ipse putat; cùm eamdem tradant Bonav. Richar. imò & tota Ecclesia, ipsumque Conc. Trid sess. 13. c. 4. dicens, *quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebatur, verè esse dixit: ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis* &c. Ex his enim verbis manifestum est, Ecclesiam collegisse desitionem panis, ex veritate verborum Christi.

SECUNDA igitur doctrinæ Catholicæ PRO-

BATIO

Universidad de Deusto
Biblioteca



BATIO EST ex Concilio Trident. cui & priora Concilia debent addi, Romanum sub Gregor. septimo, Lateranense sub Innocentio. 3. & habetur capite *Firmiter*, titulo de Sanctâ Trinitate: ubi definitur panem & vinum transubstantiari in corpus & sanguinem Christi: Constantiense sess. 8. ubi damnatur articulus Wicleff dicentis substantiam panis & vini manere in Sacramento altaris: & Florentinum, ubi declaratur quod ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur.

TERTIA PROBATIO EST ex Patribus. *Pro certissimo habemus*, ait Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 4. mystagogicâ, *panem hunc qui videtur à nobis non esse panem etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi; & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum videatur; non tamen vinum. sed sanguinem esse Christi. Dominico sc. verbo ea quæ apparent, in aliud aliquid majus & intelligibile transferente:* ut loquitur Isychius l. 2. in Lev. c. 9. *ipse enim Christus est qui hæc sanctificat & transmutat*, ait Chrysostom. homiliâ 83. in Matth.

Ambr. l. de ijs qui initiantur, c. 9. probandum suscipit, *non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremq; vim esse benedictionis quam naturæ: quia benedictione etiam natura ipsa mutatur*, & l. 4. de Sacramentis c. 4. *Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Confer quæ habet c. 5. Ex his enim collecta videntur quæ in argumento ad oppositum citat B. Th. & ad verbũ sunt in Gratiano, de consec. d. 2. c. *Omnia*, & l. 5. c. 4. *Dixi vobis quod ante verba Christi, quod offertur panis dicatur: ubi Christi verba deprompta fuerint jam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Immutatur enim in corpus Christi*, ait Damascen. l. 4. c. 14.

Ex his patet Græcos Patres non magis abhorruisse ab hac mutatione seu conversione panis in corpus Christi, quàm Latinos, secus quam fabulentur hæretici.

Patet etiam *transsubstantiationem* non esse inventum S. Th. opinionemque Thomistarum, ut Lutherus affirmat: quandoquidem Conc. Latera. an. 1205. celebratum, istius vocabuli meminerit, & antea Petr. Blesensis epi. 140. *Pane*, inquiens, *& vino transsubstantiatis virtute verborum cælestiũ in corpus & sanguinem Christi, accidentia, quæ ibi prius fuerunt, sine subjecto remanent & apparent.* Sed & alij, licet verbum non exprimant, rem tamen ipsam omnibus illis locis asserunt, quibus, conversionis, mutationis, transitionis meminerunt. Videatur Democh. & Bellarm. de Eucharistiâ, & Gratian. de consec. d. 2.

His & rationes addi possunt, PRIMA, si substantia panis maneret, esset subjectum accidentium, ac proinde primarius ordo ad illa esset substantiæ panis: ergo ipsa primò & per se designaretur per accidentia, corpus autem Christi solùm secundariò: & consequenter non tam manducaremus corpus Christi quàm panem usitatum; neque illud esset res in isto Sacramento primariò significata.

SECUNDA, Ridiculum est dicere quod Verbum toties assumat naturam panis, quoties fit consecratio; & toties dimittat, quoties desinit corpus Christi Sacramentaliter esse, ad corruptionem specierum; cùm Sancti Patres nullam agnoscant unionem hypostaticam præterquam in mysterio incarnationis, dicantque *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.*

TERTIA, Quamvis possibile sit Deum assumere naturam insensibilem; non est tamen, secundùm potentiam Dei ordinariam possibile, neque congruum ut assumat naturam propria subsistentiâ terminatam, ut q. 4. ar. 2. indicavimus.

QUARTA, ET QUINTA, possunt esse quas Author tertiam & quartam posuit: observando tamẽ eas procedere, supposito ritu & præcepto Ecclesiæ, quæ substantiam per se & regulariter in sacramento existentem, proponit cultu latriæ adorandam; & à solis jejunis vult Sacramentum recipi.

Difficultas autem est in primâ ratione quam adfert: quia neque creationem recenset, neque modos qui cogitari possunt divinæ omnipotentiæ possibiles. Quapropter explicari posse videtur de potentia ordinaria: quâ Deus consuevit supernaturalia facere proportionaliter ijs quæ sunt in natura: neque creare solet id quod existit, neque pluribus miraculis operari quod potest paucioribus. Alioquin si de absoluta ejus potentia loquamur, Scoto in 4. d. 10 q. 1. & d. 11. q. 3. Durando d. 11. q. 1. Dominico. d. 9 q. 2. a. 2. Cajetan. hîc, & non paucis alijs assentimur: qui existimant absolutè possibilem fuisse Deo alium modum constituendi corpus Christi in hoc sacramento, quam per conversionem panis: sive per actionem creationi similem, sive per mutationem quasi localem, qua solum acquireretur præsentia illa realis, per quam Christus hîc dicitur præsens: sive aliquo alio modo. Neque propterea sequeretur quod priorem locum desereret: cùm possit Deus idem corpus in diversis constituere. *Explicatur B. Thom.*

Neque deberet transire per media: cùm & Angelus transire possit de extremo ad extremum sine medio, prima parte, quæstione 53. articulo secundo. Si dicas Beatum Thomam in 4. d. 11. quæstione 1. articulo primo, quæstiuncula prima, sic loqui quasi modus alius omninò sit impossibilis. Resp. quod hîc mitius loquatur: ideoque quod illic dixit explicetur de impossibili, secundùm potentiam ordinariam.

AD 1. ARGUMENTUM RESPOND. Eucharistiam vocari panem. *Cur Eucharistia vocetur panis.*

*Primò*, quia corpus Christi habet veras proprietates panis: juxta illud Ioan. 6. *Pater meus dat vobis panem de cælo verum:* non quod sit panis materialis & corporalis, sed quia verè animam nutrit, eaque omnia illi præstat quæ præstare potest panis usualis corpori; unde frequenter cum addito dicitur, panis iste, panis cælestis, panis qui de cælo descendit.

*Secundò*, quia more scripturæ res quæ per conversionem fit, vocatur nomine rei conversæ, quomodo Exodi 7. serpens vocatur virga quia scilicet in serpentem virga fuerat conversa.

*Tertiò*, quia visibilẽ panis speciem retinet, quomodo Angeli dicuntur homines Gen. 18. 19. Tob 9. propter externam speciem.

Ad confirmationem, tametsi quidam existiment duos calices à S. Luca memoratos, communem & consecratum; verbaque objecta de communi explicent; quia tamen Matthæus & Marcus unici meminerunt referuntque nihilominus Christum ea verba, *Non bibam amodò* &c. dixisse post consecrationem; ideo B. Augustini, & aliorum sententiam; ut probabiliorem amplectimur, quia agnoscunt unum calicẽ à Luca bis memoratum; semel præ- *L. 3. de consensu Evangelist. c. 1.*



præoccupando, & iterùm suo ordine, post benedictionem panis: Dixit autem ea verba Dominus non præcisè demonstrare volens id quod fuerat in suo calice post consecrationem; sed vinum in genere, quod in mensa fuerat, & ex quo infusum erat in calicem. Ac insuper more Scripturæ, nomine vini comprehendit etiam id quod ex vino factum est.

AD 2. Neg. Major. Cùm enim Christus panem acceperit, acceptum consecraverit, consecratum (id est, in corpus suum transmutatum) dederit discipulis, manifestum est quod non dederit illud idẽ secundùm substantiam quod in manus acceperat quandoquidem inter acceptionem & dationem fuerit substantialiter mutatum. Simile aliquid esset, si aquas in vinum mutaturus, accepisset, eas in manus, & benedixisset seu convertisset, ac deinde accumbentibus distribuisset.

AD 3. Non de illo quod in manus accepit, dixit, *Hoc est corpus meum*: sed de eo quod manibus tenebat eo momento quo oportebat propositionem esse veram, scil. in fine prolationis. Pronomen enim (*hoc*) demonstrat rem, non quæ existat eo momento quo ipsum profertur, & quo incipit propositio: sed eo instanti quo illa debet verificari: quia est subjectum enuntiationis operatoriæ, sive efficacis ejus quod significat.

AD 4. Responderi forsitan posset, Gelasium substantiam vocare illa accidentia, quæ & substantiæ vim ac proprietatem retinent, & instar substantiæ sine subjecto existunt.

Sed responsio perfectior est, opus illud non esse Gelasij Pontificis Romani.

*Primò*, quia in eo citatur Eusebius Cæsariensis tanquam unus orthodoxorum Patrum; cum tamẽ Gelasius Romanus nõ ignoraverit istum Eusebiũ ut Arianorum Antesignanum notari ab Hieronymo, & alijs, Ideò enim libros ejus apocryphos declaravit c. *Sancta Romana*, distinctione 15.

*Secundò*, qui verisimile esse potest, Pontificem Romanum, inter ea Patrum testimonia quæ allegat contra Eutychem, non usurum fuisse testimonio Concilij generalis Chalcedonensis, contra Eutychem congregati; B. Leonis contra eundem scribentis, & aliorum Patrum Latinorum. Imò cum solos ferè Græcos adducat; omnino probabile est Authorem fuisse Græcum.

Nec obstat, certò constare Gelasium Rom. scripsisse contra Eutychem & Nestorium. Scripsit enim, non parvum istud opusculum, sed grande volumen, teste Gennadio, in quinque libros digestum, ait Anastasius Bibliothecarius, apud Baron. ad ann. 496. Confer Melchiorem Canum l. 6. de locis, c. ult. ad novum, & Bellarminum l. de Scriptoribus Ecclesiast. in Gelasio.

AD 5. Neg. C. quia Theodoretus non negat mutationem substantiæ panis; cùm ibidem asserat Christum velle nos propter nominum permutationem, mutationi quæ fit ex gratiâ, credere, sed affirmat ipsorum symbolorum seu accidentium sensibilium essentiam remanere.

AD 6. Negatur Conseq. Eucharistia enim constat re terrenâ & cœlesti; quia speciebus, & corpore Christi. Oratio autem Ecclesiæ, de pane & vino quæ adhuc sunt substantia terrena, loquitur pro eo tempore quo erunt transmutata; quando & terrenum aliquid retinent. scilicet species externas.

AD 7. Verborum Justini sensus est, cibum ex quo sanguis & carnes nostræ aluntur, factum Eucharistiam, seu Eucharistizatum; esse carnem & sanguinem Christi. Sic enim habet. *Per preces Verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, illius Incarnati Iesu & carnem & sanguinem esse docti sumus.* Aliam translationem Justini Authore Gelenio videre est in Scholijs ad c. 34. li. 4. contra hæreses apud Ire. qui Irenæus simili ferè modo dixit eum panem in quo gratiæ actæ sunt, id est, panem sanctificatum, Corpus esse Domini.

AD 8. cum in eo sermone clarissimè asseratur doctrina Catholica; partim cùm dicitur aliud fuisse, quod prius est appositum & consumptum, aliud quod à Magistro datum est & distributum; partim cùm additur, *Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed naturâ mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro*; facilis responsio est, prioribus quidem argumenti verbis significari quod virtute ex Sacramento corporis & sanguinis Domini acceptâ totus homo sit aliquando vivificandus, corporibus nimirum ad immortalitatem & gloriam resurgentibus: quo modo etiam corpora nostra ex Eucharistiâ nutriri & augeri dixit Irenæus, quatenus per eam varijs donis aucta resurgent. Posterioribus autem non loquitur de Eucharistiâ quando nominat panem; sed ostendit quod sicut panis communis dum vi caloris naturalis mutatur in carnem & sanguinem, nutrit nos & auget: ita corpus Christi spiritualiter nos vivificat.

AD 9. Neg. C. partim quia Cyrilli comparatio est generalis: partim non quia similiter dicit de unguento post benedictionem quod sit vel Spiritus Sanctus, vel corpus Christi, sicut dicit de Eucharistiâ, Deinde, mens ejus charissima est in verbis ad 3. probationem allatis.

AD 10. etiam Neg. Conse. *Primò*, quia dici potest id quod erat, manere secundùm accidentia, quamvis in aliud transeat secundùm rationem propriæ substantiæ.

*Secundò*, quia hæc verba, *ut sint quæ erant*, sic debent intelligi, ut istud (*sint*) teneat se ex parte prædicati, hoc sensu, ut quæ erant, sint & in aliud commutentur, id est, ut quæ erant, sint in aliud commutata: Quod autem est in aliud commutatum, non remanet in suâ specie.

*Postremò*, licet Ambrosij codex habeat prout citavimus; probabile tamen est eum non ita scripsisse, quia teste Lanfranco, in quibusdam codicibus alijs verbis olim inveniebatur; sic nimirum: *quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur?* unde l. de ijs qui initiantur, c. 9. conformiter ita loquitur, *Sermo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant?*

AD 11. RESP. apud Isychium sequi, *sicut corpus Christi panis vivi qui de cælo descendit*; ut proinde non aliud significet, quàm mysterium hoc, simul esse carnem & panem vitæ de cælo descendentẽ.

AD 12. Neg. C. quia verbis illis solùm significatur quod panis vi consecrationis substantialiter mutatus, sit corpus Christi; non autem quod panis manens panis. Unde in alterâ confessione quam fecit sub Gregorio 7. clariùs loquens, credere se dicit *panem & vinum substantialiter converti in veram & propriam & vivificam carnem & sanguinem Iesu Christi.*

AD POSTREMUM RESP. ex effectibus, causa, & ex proprietatibus rectè colligitur substantia, nisi

Universidad de Deusto
Biblioteca



nisi miraculosè tam proprietates quàm operationes & effectus aliter subsistant & conserventur: hoc autem fit in isto sacramento.

### Articulus III.

*Vtrum substantia panis vel vini post consecrationem hujus sacramenti annihiletur.*

VIDETUR quod sic, Primò, quia omnino esse desinit, ita ut nihil substantiæ panis aut vini maneat.

Secundò, post consecrationem, panis non est aliquid: ergo est nihil: quia de qualibet re duorum contradictoriorum unum debet verè affirmari: sed antea non erat nihil: ergo factus est nihil, quod est annihilari.

Tertiò, omnis productio rei non præsupposito subjecto, est creatio: ergo, à contrario, omnis desitio usque ad ultimum subjectum inclusivè, est annihilatio.

Pro Responsione Beatus Thomas duo dicit Prius, substantiam panis & vini non resolvi in præjacentem materiam: *Primò*, quia resolutio mixtorum fit in elementa; hîc autem elementa non adsunt, cum nec ulla alia substantia præsens sit quam substantia corporis Christi: nec dici possit elementa recedere; recederent enim per motum localem, qui sensu perciperetur, *Secundò*, resolutio mixtorum fit successivè; conversio autem panis non est successiva; est enim in corpus Christi, quod ibi ponitur in instanti.

*Resp. neg.* Posterius, substantia panis & vini non annihilatur.

Probatur Primò, quia verba formæ tantum efficiunt quod significant: sed non significant annihilationem, uti nec resolutionem; ergo non efficiunt illam.

Secundò, mysterium hoc perficitur panis & vini benedictione, ut ex Evangelistis atque ex Ambrosio, lib. de ijs qui initiantur. c. ult. & ex Odone Cameracensi d. 3. in canonem patet; atqui, cùm benedicere Dei sit benefacere, panis non benediceretur à Christo si annihilaretur, quia nullum beneficium acciperet, nam non esse, nihil est.

Tertiò, Deus non est causa deficiendi seu tendendi in non esse, ut ex Augustino citat hîc B. Thomas.

Cum B. Thomâ sentiunt Bonaventura, Richardus, & plerique in 4. d. 11. imo & huc faciunt tum Patres, tum Concilia, quæ panis conversionem aut transsubstantiationem affirmant. Si enim panis annihilaretur, non propriè converteretur, nec transsubstantiaretur in aliud, cum annihilationis terminus sit nihil, conversionis autem aliquid positivum.

Quapropter ad Argumenta. Primum et secundum Resp. non quotiescumque aliquid desinit esse, toties annihilari: nam in corruptione compositi naturalis, forma desinit esse, nec tamen annihilatur, sed alia ipsi succedit in eadem materiâ.

Si dicas ne materiam quidem hic manere. Resp. attendendum esse, & quis sit modus desitionis & an nulla substantia succedat desinenti. Si enim res quæ corrumpitur, ex modo desinendi non tendat in nihil, sed ad aliquid positivum quod ei succedit; non verè annihilatur. Cum ergo modus desinendi substantiæ panis, non sit, ut ex vi actionis quâ desinit, tendat in nihil, sed ut transeat in corpus Christi, non potest dici annihilari.

Nec obstat, quòd substantia panis post consecrationem, non sit aliquid, sed nihil; & quòd cum antea esset aliquid, facta est nihil, nam hoc sensu facta est nihil, quia factum est ut nihil substantiæ illius maneat: non est tamen sic facta nihil, quasi abierit in nihilum; & ideo neque est annihilata, neque de aliquo facta nihil: quia tali sermone significatur mutatio quâ terminus positivus per se ordinetur & transeat in nihil: quod in hoc mysterio falsum est, cum panis transeat in corpus Christi per consecrationem, cujus illud est terminus. *Ob.* *Resp.*

Est ergo notandum quod annihilatio sit mutatio quæ per se primò terminatur ad nihil, ut sic intelligatur quare consecratio non fit annihilatio. Præterea, quemadmodum B. Thom. 2. p. quæst. 104. a. 3. docet, annihilatio non est actio aliqua positiva, neque ad actionem positivam consequitur, cũ actionis positivæ sit aliquis terminus positivus; sed per hoc diceretur aliqua res annihilari quod Deus ab agendo cessaret, sive quod desineret influere illi esse. Panis autem hic desinit vi actionis conversivæ quæ est transsubstantiatio. *Quid annihilatio.*

Ex his patet negandam esse consequentiam tertii; quia in ratione annihilationis considerandum est an desitio terminetur in nihil simpliciter; sicut creatio, ex nihil terminatur ad aliquid simpliciter.

### Articulus IV.

*Vtrum panis possit converti in corpus Christi.*

VIDETUR quod non. Primò, quia inter conversionis terminos debet esse formalis repugnantia, ita ut positio unius sit exclusio alterius: ut patet in conversionibus formalibus, ubi si termini possent simul stare, nulla fieret conversio sed diversorum terminorum conservatio. Atqui non est formalis repugnantia inter substantiam panis & corporis Christi, cùm sub eodem simul esse possint; ergo.

Secundò, Corpus Christi ante consecrationem præexistit, ergo panis non convertitur in illud, ut accipiat esse. Si dicas accipere novam præsentiam, ut ibi sit ubi ante non erat: ergo est mutatio tantum accidentalis; hæc enim præsentia non aliud esse videtur, quam relatio.

Neque respondeti potest mutationem ideò esse substantialem; quia una substantia succedit alteri: nam quando operâ dæmonum, ut substantia substituitur loco alterius: non est mutatio substantialis neque conversio.

Respondet Author panem non solùm posse converti in corpus Christi sed insuper hanc conversionẽ necessariò esse agnoscendam, propter ea quæ a. 2. allata sunt. Hæc autem conversio, neque sic est intelligenda ut materia panis remanens, fiat materia corporis Christi, facta mutatione solius formæ in formam; quomodo contingit in cõversionibus naturalibus, quæ ob hoc dicuntur formales. Neque sic, ut materia in materiam, & forma in formam transeat; sed est substantialis, quâ primò & per se tota substantia panis convertitur in totam substantiam Corporis Christi. Ut autem intelligatur esse vera conversio, notandum est in ratione conversionis hæc includi. *Primum*, ut sit transitio unius rei in aliam. *Secundum*, ut desinente termino à quo, incipiat esse terminus ad quem. *Tertium*, ut illi termini habeant inter se ordinem. *Quartum*, ut sit aliquid commune utrique termino, sub quo sibi succedant vi actionis unum inducentis & alterum expellentis. Hæc omnia reperiuntur in isto mysterio. Manent enim species, sub quibus tanquam re aliquâ communi, substantia panis transit in substantiam corporis Christi, vi actionis qua hoc inducitur, & illa desinit. *Panis convertitur in Corpus Christi.* *Quæ requiruntur ad conversionem.*

*Quæst.* Quærunt autem nonnulli, an substantia panis, una actione desinat, & corpus Christi alia actione incipiat esse.

*Resp.* *Verius est*, eadem numero actione quæ est transsubstantiatio, totum id fieri; sicut in generatione naturali unica est actio inductiva unius formæ, & expulsiva alterius.

Confirmatur, quia terminus ad quem debet substitui termino à quo vi conversionis; ergo eadem actio conversiva inducit unum & expellit alterum. Si dicas esse duos terminos, unum positivum, alterum negativum: Resp. unius mutationis, unum esse terminum primarium, etsi possit pro secundario alium aliquem habere.

*Corpus Christi non est in Sacr. per adductionem.* Hæc actio non est adductiva: *Primò*, quia actio adductiva est motus localis, habens pro suo termino novum ubi, corpus autem Christi non incipit esse in Eucharistia per motum localem.

*Secundò*, per actionem adductivam non salvatur ratiõ conversionis & transsubstantiationis; hæc enim est conversio substantiæ in substantiam, adductio verò non mutat substantias, sed loca.

Neque tamẽ concedendum est quòd hæc actio sit veri nominis creatio non solùm quia corpus Christi ante præexistit; sed etiam quia in creatione, unum extremum non transit in alterum, sicut panis transit in corpus Christi. Adde creationem esse ex non ente: hîc autem ex pane fit corpus Christi.

Quapropter eorum sententiæ accedimus, qui actionem hanc dicunt esse veluti productivam corporis Christi: quia nulla est conversio unius rei in aliã, sine actione quasi productivâ ejus in quod fit conversio: ut quando uxor Loth versa est in statuam salis: virga Aaron in serpentem: aqua in vinum: non solùm desierunt uxor, virga, & aqua: sed etiam hæc effecta sunt sal, serpens, vinum: ergo etiam in proposito, non solùm desinit panis, sed ita convertitur, ut corpus Christi quodam modo producatur, id est, accipiat esse substantiale sub speciebus sacramentalibus, quamvis non omninò propriè dicatur produci, eo quod verbum producendi connotet rem producendam antea non extare. *Gen. 19. Exod. 7. Ioan. 2.*

Huc pertinet quod Sancti Patres utantur verbis productionem significantibus. *Panũ*, ait Cypr. in ser. de Cœnâ Dom. *omnipotentiâ Verbi factus est caro. Benedictione natura ipsa mutatur, ubi verba Salvatoris operantur, ut quæ erant in aliud commutentur*, ait, Ambr. c. 9. libri de ijs qui initiantur, & cap. 4. libri quarti de Sacram. unde B. Thom. art. 8. hanc propositionem docet esse propriam *ex pane fit corpus Christi*. Sed & Tertullianus libro quarto, contra Marcionem, c. 40. Catholicè dixit, quod Christus acceptum panem fecerit corpus suum.

*Quis terminus conversionis hujus.* Hujus actionis terminum ponit B. Thomas art. 7. hujus qu. & articulo quarto, quæstionis sequentis, substantiam corporis Christi: ut proinde fatendum sit illam esse substantialem, tum ratione termini qui per eam ponitur ac si alibi non esset, tum ratione modi quem sortitur. Sic enim





pani succedit corpus Christi, ut substantiale ejus officium, exceptâ accidentium inhærentiâ suscipiat, intimè existendo sub speciebus, illisque se uniendo modo quodam ineffabili; ita ut ipsis localiter motis, moveatur: easque ita conservet, ac si forent sibi naturales; nec ibi esse desinat, nisi illæ corrumpantur.

Ad 1. Arg. Resp. Major. esse veram in conversionibus naturalibus, quia in illis accidentia debent informare substantiam quæ succedit, & non possunt simul informare diversas; secus autem est in supernaturalibus, in quibus totum vertitur in totum sub accidentibus, quæ non inhærent substantiæ succedenti. Ac proinde satis est quod termini repugnent, quatenus subsunt intentioni & actioni agentis, qui sic intendit unum ponere, ut simul pellatur alterum.

Ad 2. Neg. C. quamvis enim corpus Christi præexistat, accipit tamen novo modo esse sub speciebus per conversionem panis in ipsum, quæ conversio non terminatur ad ubi, sed ad substantiam corporis Christi, quæ vi illius ponitur hic præsens, perinde ac si alibi non esset.

Neque tamen sequitur quod verba consecrationis ponerent corpus Christi in Eucharistiâ, etiamsi ipsum non esset in rerum natura, ipsa enim actio conversiva, si solùm consideretur in sua essentia, virtutem illam habet, ut post Dominic. in 4. d. 11. q. 2. art. 4. tradunt alij: sed verba Domini, & actio, quatenus ordinatum est ut ipsa non fiat sine talibus verbis, non habent illam vim; partim quia non habent vim operandi nisi sint vera: non essent autem vera, Christo nullum corpus habente, partim quia non operantur nisi per humanitatem Christi, quæ idcircò præsupponitur: unde patet quod existentia Corporis Christi in Eucharistia, pendeat ab ejusdem existentia in forma naturali.

Si dicas, sequi ex dictis idem posse producere seipsum, quod Philosophi reputant impossibile. Resp. idem non posse producere seipsum propriè dicta productione, quæ dicit primam existendi rationem, primamque à causa dependentiam: si tamen rẽ ponatur ante producta, potest esse instrumentum Dei, ad hoc ut alibi aliter producatur. *Ob.* *Resp.*

In resp. ad 1. B. Tho. significat actionem conversivam non propriè esse mutationem: unde 4. contra Gent c. 63. *hujusmodi conversionẽ potest propriè dici motus*, quia mutatio propriè dicta requirit subjectum quod priùs sit in potentia, & postea in actu: hujus autem conversionis nullum est subjectum, inquit hîc ad 2. & art. seqq. ad 4. quod sc. permaneat idem sub termino à quo, & ad quem. *Convenit* enim hæc *conversio cum creatione: quia in neutrâ earum est aliquod commune subjectum utrique extremorum*, ait idem art. 8. ut autem liquet ex 1. p. q. 45. art. 3. propterea creatio non est mutatio, quia non præsupponit subjectum. Si dicas, panem hîc præsupponi: Resp. illum præsupponi ut terminum à quo, non ut subjectum.

*Quænam sit hic mutatio.* Fatendum nihilominus est hanc actionem esse mutationem generaliter dictam: notum enim est quod per eam corpus Christi se habet aliter, quam priùs, cùm in suo esse substantiali (quod novo modo acquirit per conversionem panis in ipsum) habeat novam dependentiam, novam præsentiam, novum existendi modum. Ac proinde quamvis corpus glorioſum non sit capax mutationis quâ perdat vel acquirat aliquid substantiale, vel aliquin

Universidad de Deusto
Biblioteca



quin ad perfectionem necessarium: si tamen loquamur de illâ, quâ aliquid quocumque modo incipit habere id quod ante non habebat, aut quod habebat, perdit; ejus est capax. Hujus ergo actionis & qualiscunque mutationis subjectum rectè agnoscitur esse Corpus Christi, non quatenus in cœlo, sed quatenus habet esse sub speciebus: quia ipsum est quod ibi esse incipit. *Quod mutationis subjectum.* A

Cùm autem in eadem Resp. ad 1. B. Th. dicit hanc conversionem *esse sicut in subjecto, in utráque substantiâ*; consideratur conversionem non in ratione actionis, vel mutationis; sed in ratione ordinis, seu relationis, *importat*, inquit, *quendam ordinem substantiarum*, quo sc. una succedit alteri: & hujus ordinis seu relationis subjectum est utraque substantia, & illa quæ definit, & illa quæ incipit ibi esse. Verum tamen est quod etiam substantia panis mutatur, sed mutatione (quoad ipsam) privativâ, terminatur enim ad non esse panis. B

Qualis autem sit præsentia quam in hoc Sacramento habet Corpus Christi, videbitur qu. seq. art. 5.

Dices, B. Tho. hîc ad 2. & art. seq. ad 4. affirmat hanc conversionem non habere aliquod subjectum: ergo quæ jam diximus non possunt subsistere. Resp. Neg. C. Negat enim hujus conversionis esse aliquod subjectum proprié dictum, in quo scil. eadem subjectentur formæ seu naturæ quarum una convertitur, alia verò est id in quod fit conversio. Quo modo in conversionibus naturalibus invenitur subjectum; quia diversæ formæ sibi invicem succedunt in eodem subjecto: non negat autem istam conversionem secundùm quod importat quendam ordinem substantiarum, esse in utraq. substantiâ; sicut ordo & numerus, quod hîc ad 1. asserit. Quod autem neget illud commune subjectum in quo eodem diversæ formæ & naturæ sibi succedant: tum ex corp. hujus art. tum ex l. 4. contra Gent. c. 63. manifestè potest colligi. C

Circa Resp. ad 3. Quæritur, An quodlibet converti possit in quodlibet?

Videtur enim quod sic, quia B. Th. hîc dicit transsubstantiationem totius entis in aliud, esse possibilem, propter infinitam virtutem agentis, & propter communem rationem entis. D

Contra tamen est, quod art. 6. supponere videatur materiam non posse converti in animam, dum ait, *Si sola materia converteretur in corpus Christi, non converteretur in totum, sed in ejus materiam.* Et l. 4. contra Gent. c. 31. Quæ non communicant in materiâ & genere uno, non possunt in invicem converti.

Resp. nec creaturam in Creatorem, nec Creatorem in creaturam, converti posse: quodlibet tamen ens creatum posse converti in aliud etiam creatum.

Prius Prob. ex omnimodâ Dei immutabilitate. Posterius ex ejusdem in omnes creaturas omnipotentiâ. E

Ad 1. ergo Argumentum Resp. B. Tho. ibi agere in communi ratione entis, supra quam Deus habet actionem, & superioritatem; eam verò non habet supra seipsum.

Ad 2. loquitur ibi de potentiâ ordinariâ, & de eo quod regulariter fit, quo modo potest etiam Aug. intelligi dicens, l. de immort. anim. c. 15. animam non posse converti in corpus. Vide quæ art. 6. dicentur.

## Articulus V.

Art. 5. accidentia panis & vini remanere post consecrationem; probat tribus rationibus: de quibus etiam videndus est 4. contra gent. c. 63. Res hæc indubitata est, & ex Concilijs, Florentin. & Trid. patet; conformiter Cypriano serm. de cœnâ Domini, Cyrill. Jerosolym. & alijs.

Difficultas tamen est, an omnia maneant. Certum est quod ea omnia maneant quæ sensibus subjacent; ferè autem certum est, quod & illa omnia, quæ realiter differunt à substantiâ panis, sive sint propriæ passiones, sive non. Concilia enim loquuntur indefinitè, nec ullam exceptionem faciunt. Experientia etiam docet species panis, & vini habere omnes eos effectus, quos habet eorum substantia. *Quæ accidentia panis maneant.*

Contra Resp. ad 2. objici potest non solùm Odo Cameracensis in canonem Missæ, d. 3. dicens, exterius est falsum vinum vera specie: Sensus decipitur qualitate &c. sed & rithmus B. Th. ascriptus in quo habetur, *Visus, gustus, tactus in te fallitur.*

Nihilominus tamen asserendum est nullam hîc fieri deceptionem. Non sensuum, quia secundùm rei veritatem hîc sunt accidentia; quæ sola sensibus dijudicantur. Neque intellectus, cujus proprium objectum est substantia; quia per fidem à deceptione præservatur. Si quis autem invincibiliter ignoret hostiam esse consecratam; fallitur quidem, sed à seipso per proprium mentis judicium, quamvis citra suam culpam. *In Eucharistia nulla est deceptio.*

Authoritates autem objectæ procedunt de judicio intellectûs rem æstimantis ex sensu, sine adminiculo fidei: Si enim solum sensum consulimus, judicabimus panem & vinum esse quod sumimus Ubi quamvis non propriè sensus nos fallat; quia tamen ex accidentibus sensu perceptis, intellectus judicando fallitur; sensus quodam modo fallere dicitur, quia est initium, & occasio judicij falsi. *Non est*, ait Author in 4. d. 12. q. 1. ar. 1. quæst. 2. ad 2. *inconveniens quod intellectus absque fide erret in hoc Sacramento, sicut & in alijs, quæ sunt fidei.*

De Respons. ad 4. vide quæ ad art. 4. diximus.

## Articulus VI.

Art. 6. probat in hoc Sacramento formam substantialem panis non manere. *Forma substantia panis non manet.*

Primò, quia sic nihil de pane converteretur in corpus Christi, nisi materia; atque adeo non converteretur in corpus Christi totum, sed in solam ejus materiam: loquendo sc. seclusa miraculorum non necessariorum multiplicatione. Alioquin etiam forma panis manente, posset sola ejus materia converti in totum corpus Christi: sed agnoscenda essent miracula plura, quorum tamen nulla videtur esse necessitas. In primis miraculum foret ipsa conversio; insuper autem miraculo alio esset opus, ut vel forma panis maneret sine materia: vel duæ formæ substantiales, (panis scilicet & corporis Christi) unam materiam simul informarent. Cujusmodi miraculum ideò B. Th. supponit excluſum, quia *non rationabiliter videtur dici quod miraculosè aliquid accidat in hoc Sacramento, nisi*



*nisi ex ipsa consecratione*, ait quæst. 77. art. 5. ex qua non habetur, quod forma panis miraculosè subsistat. A

Secundò, quia vel forma panis maneret in materiâ, & sic esset panis: vel maneret separata, & sic esset forma intelligibilis, sicut Angelus, aut anima rationalis. Supponit enim B. Thom. quod non maneret separata ex speciali miraculo; cum hîc miracula non sint asserenda nisi habeant fundamentum, vel in forma Sacramenti, vel in patrum authoritate, vel in ratione quæ deserviat huic mysterio: istud verò hîc non reperitur. Supereſt ergo quod formam intelligat separatam fore ex sua natura: & hoc modò rectè infert fututam intelligibilem.

Tertiò, inutile foret huic mysterio, formam remanere. Accidentia enim remanent, quia sensibilia sunt, quia sub eis occultatur corpus Christi, quia sub eis videtur: forma verò substantialis panis, cum sit omnino insensibilis, ad ista servire non potest. Neque dici potest manere ad sustentanda accidentia: cum enim ex natura sua indigeat materia cui insit; non magis potest sine illa subire rationem subjecti, quam quantitas. Adde quod sic incideretur in articulum 2. Wicleff damnatum in Concil. Constantiensi, qui dicebat accidentia panis non manere sine subjecto. B

*Non manet etiam materia panis.*

Qua ratione pariter est dicendum, nec materiam panis hîc manere, tametsi Durandus aliter sit opinatus. Confirmatur. Concil. enim Trid. sess. 13. cap. 4. affirmat persuasum semper in Ecclesia Dei fuisse quòd fiat conversio totius substantiæ panis Et can. 2. sic damnat asserentes remanere substantiam panis, ut simul etiam anathema dicat *illi qui negaverit conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus*, id est, accidentibus. Et Durando prior Innocentius tertius in Concil. Lateranensi docuit panem transsubstantiari. C

Ad fidem ergo pertinet, nec materiam nec formam panis substantialem remanere in hoc mysterio.

Sed & ratio contrà Durandum militat. Materia enim illa, vel maneret sine forma, quod inopinabile est; quia inusitatum esset miraculum, nec in forma hujus Sacramenti, nec in ratione fundatum; vel haberet formam; eamque vel panis, quo modo tota substantia panis maneret; vel aliquam aliam, & hæc vel esset ab anima Christi diversa, & sic forma Sacramenti non significaret id quod efficeret, neque demonstraret singularem illam substantiam quæ per consecrationem poneretur præsens: Vel esset ipsa anima Christi: & sic non fieret transsubstantiatio, sed mutatio formalis, ac vera panis corruptio, & corporis Christi generatio, sicut generatur ignis, quando ejus forma novam incipit materiam informare. Sequeretur deinde ex corpore ejusdem glorioso subinde generari vermes, & similia absurda. D

Nec obstat quòd Patres subinde conferant hanc conversionem cum formalibus, aquæ in vinum, virgæ in serpentem &c. non enim ad hoc adferunt istas similitudines, ut doceant materiam manere sola formæ mutatione factâ: sed ut ostendant verè hîc adesse corpus Christi, sicut ibi erat verum vinum, verus serpens: & ut declarent hoc mysterium non esse impossibile. E

*Ob.*

*Resp.*

Ex his colligitur neque subsistentiam, neque existentiam, nec omninò aliquem modum, seu gradum substantialem panis remanere: quia ut ex Concil. Trident. habetur, manent sola accidentia.

Ex Resp. ad 1. intelligi potest panem specie differre à massa subactæ farinæ cruda, quam dicunt pastam: alioquin enim non haberet suprà formam pastæ nisi accidentia, & sic forma panis esset accidentalis; sola autem substantia panis convertitur & manent ejus accidentia; sequeretur ergo formam panis non converti.

In Resp. ad 2. non est mens B. Thomæ quod hîc reperiantur duæ conversiones per quarum unam materia convertatur in materiam per alteram verò forma in formam: sed, cùm unica conversione tota substantia transeat in totam substantiam, ea sic fit ut materia materiæ, forma formæ respondeat. *In Sacramento altaris non est quærendum seorsum de formâ aut materia, in quid convertatur, sed totus panis convertitur in totum corpus Christi*, inquit idem quodl. 5. art. 11.

## Articulus VII.

Art. 7. docet istam conversionem fieri in instanti; quia panis in instanti definit, & corpus Christi incipit ibi esse similiter in instanti; conversio autem hæc constat inceptione corporis Christi ad desitionem panis. *Conversio hæc fit in instanti.*

Non est ergo dicendum quod panis definat per ultimum instans sui esse, tum quia desinit mediante verborum formâ, quæ motu successivo profertur; ideoq; desinit, quando desinit prolatio per primum instans sui non esse, sicut motus: tum quia sic panis, & corpus Christi simul essent in aliquo instanti, vel darentur duo instantia sibi immediata. Sed agnoscendum est unicum instans, quod sit primum non esse panis, & primum esse corporis Christi, in quo dum ille desinit, istud incipit. Hoc instans dum B. Thomas hîc ad 1. vocat *ultimum instans prolationis verborum*, intelligit extrinsecum, quo prolatio jam non est, cùm esset immediatè ante.

Si dicas, ista conversio fit per verba quæ proferuntur successivè; ergo fit successivè. Resp. Neg. Cons. quia non commensuratur verbis, sed fit in fine prolationis verborum, ita ut (quemadmodum jam fuit indicatum) primum non esse verborum sit primum esse corporis Christi.

Si præterea dicas; Verba formæ tunc non sunt: ergo non sunt causa existentiæ corporis Christi in Sacramento; Resp. negando conseq. quia satis est quod fuerint toto tempore præcedente terminato ad illud instans, ut indicavimus qu. 62. art. 1. ad 8. quæsito 3.

## Articulus VIII.

Art. 8. docet quibus locutionibus utendum sit in hac materia. Pro quorum intellectu clariori, sit

### Regula Prior.

Propositiones, terminorum successionem vel tranſitum unius in alium, significantes, veræ sunt, & propriæ: Quia talis successio hîc reperitur. Ejusmodi sunt, Panis tranſit, transmutatur, transelementatur in corpus Christi. Ex pane fit, conficitur, consecratur corpus Christi. Quamvis enim vocula, *ex*, aliquando significet habitudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



nem principij interni, vel causæ materialis; quan- A doque tamen, etiam propriè sumptâ, solum significat successionem, vel habitudinem termini à quo. Unde loquens de creatione, dicimus ex nihilo fieri aliquid.

POSTERIOR.

LOCUTIONES denotantes subjectum substantiale, vel causam materialem utriquè termino communem, impropriæ sunt: Quia nulla hîc est causa materialis, vel subjectum commune. Unde si apud sanctos reperiantur, piè sunt exponendæ. Igitur, *De pane fit corpus Christi*, dicitur impropriè; quia præpositio, *de*, significat consubstan- B tialitatem, quæ in naturalibus mutationibus spectatur secundùm convenientiam in subjecto: Atque adeò significat ista propositio aliquam materiam vel substantiam panis communicari corpori Christi, & in eo manere. Cùm ergo reperitur apud Ambr. l. 4. de sacram. c. 4. exponendum est, ut, *de* positum sit, pro, *ex*. Non rarò enim significat solam ordinis circumstantiam; licèt ex vi suâ magis significet causam materialem, quàm vocula, *ex*, quæ latiorem habet significationem. *Vide q. 32. ar. 2.*

Ex his sequitur, quando (*panis*) & (*Corpus Christi*) sunt totalia extrema; propositiones sive de in esse, sive de possibili, juxta sermonis rigorem, esse falsas: Ac proinde non esse dicendum, Panis erit, est, esse potest, corpus Christi, ut præter B. Thom. C asserunt Scotus in 4. distin. 11. quæst. 4 Et Gab. lect. 49. in canon. Denotatur enim ibi identitas subjecti.

Confirmatur, quia omnis propositio affirmativa de inesse importat unionem extremorum talem, ut pro tempore per copulam denotato, subjectum & prædicatum supponant pro eodem. Si autem fuerit de possibili, significatur unio illa esse possibilis pro aliquo tempore. Hinc est quòd propositio de inesse, sive de præterito, sive de futuro, nunquam sit vera; nisi qua de præsenti fuerit, vel futura sit aliquando vera. Et propositio de possibili, solùm illa sit vera, cujus de inesse est possibilis. Cùm ergo hæc propriè sumpta, Panis D est corpus Christi, nunquam futura sit vera; falsum est dicere quòd panis erit, vel esse possit, fiat, vel factus sit corpus Christi. Concedit tamen B. Thom. istiusmodi propositiones secundùm aliquam similitudinem veras esse: ita ut nomine panis non intelligatur substantia panis in individuo, sed confusè res contenta sub speciebus.

Addi potest ex Bonavent. quod verbum, *fieri*, dicit aliquando solùm transitum; Et eâ ratione concedi potest, Panis fit corpus Christi, id est, transit in corpus Christi.

Quod autem in primâ confessione Berengarij dicitur, Panis & vinum sunt corpus & sanguis Christi, sic potest exponi, Panis & vinum con- E secrata, & vi consecrationis substantialiter transmutata &c. vel, quod sub specie panis, & quod sub specie vini continetur, sunt corpus, & sanguis Christi.

## QUÆSTIO LXXVI.

*De modo quo Christus est in hoc Sacramento.*

ARTICULUS I.

ART. 1. docet totum Christum contineri in hoc Sacramento. Quæ doctrina *est fidei.* *Totus Christus est in hoc sacramento.*

Probatur PRIMÒ, ex Scripturâ Joan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me*, Illud enim, *me*, totum Christum significat.

SECUNDÒ, Ex Conciliis. In Constantiensi sess. 13 firmitissimè credendum, & nullatenus dubitandum asseritur, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri. *Totus Christus*, ait Synod. Florentina, *continetur sub specie panis, & totus sub specie vini.*

Idem definivit Trid. sess. 13. c. 3. & can. 3. & ss. 21. c. 3. conformiter Sanctis Patribus; Dionysio c. 3. Eccl. hier. dicenti Christum per species significari, & percipi, & coram sanctissimis signis lavationem observari, quasi coram Christo spectante omnes occultissimas nostras cogitationes; & Ambrosio c. 9. de ijs qui initiantur, *In illo Sacramento Christus est*; ac alijs communiter. Unde non solùm ex B. Th. canit; *manet Christus tamen totus sub utraq; specie*; sed ex antiquissimâ consuetudine præmittens communioni, *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*, integrum Christum ibi esse testatur, ut observat Origen. hom. 5. in diversos.

Neque responderi potest ista synecdochicos intelligi, quemadmodum dicitur Christus in sepulchro jacuisse, licet neque sanguis, neque anima ibi fuerit: locutiones enim accipi debent juxta loquentium intentionem: Quod autem Patres de integro Christo loqui voluerint, tum ex circumstantijs probari potest: tum ex ijs quæ dicentur de communione sub alterâ tantùm specie. *Tacita ob.*

Accedit & ratio: Non decuit Corpus Christi quod gloriosũ est, alicubi existere ex sangue mortuum, aut sine unione hypostaticâ ergo ubicunq; est corpus Christi, ibi est cum animâ & sanguine, & cum Verbo divino; ac per consequens, cùm in hoc Sacramento sit Christi corpus, ipse ibi est totus; cum animâ quidem, quia *Christus jam non moritur, mors illi ultrà non dominatur*, ad Ro. 6. cũ divinitate, quia *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.* Cum omnibus membris, & alijs ad integritatem, aut perfectionem corporis pertinentibus: quia Christus non est imperfectus aut mutilus.

Verùm ut in corpore observat S. Th. dupliciter aliquid est in hoc Sacramento: Uno modo *ex vi Sacramenti*, sive (ut loquuntur Patres Concilij Trid.) *ex vi verborum*, quibus sc. consecratio perficitur: Quod B. Th. l. 2. contra Gent. c. 64. vocat *ex vi conversionis*. Alio modo *ex naturali concomitantiâ*.

Priori modo adest illud in quo substantia panis & vini directè convertitur, seu quod per verba formæ significatur, & cujus præsentia ad veritatem verborum, est necessaria: Posteriori adest illud, cujus præsentia quidem non est necessaria ad verborum veritatem, realiter tamen est conjunctum ei in quod conversio directè terminatur. *Si enim aliqua*



*aliqua duo sunt realiter conjuncta ubicumq; est unum* A *realiter, oportet & aliud esse*, ait B. Th. Quorum occasione

QUÆRI POTEST I.

*An ergo humanitas Christi sit ubique?*

AFFIRMANT hæretici, qui ob hoc dicti sunt Ubiquetarij. Et probatur. PRIMÒ, quia divinitas, cui humanitas realiter conjungitur, est ubique: ergo similiter humanitas, juxta regulam ex B. Th. jam recitatam.

SECUNDÒ, Incarnatio facta est ex duabus naturis inseparabiliter & indivisè unitis, ut loquun- B tur Patres Concilij 6. generalis Act. 17. & S. Leo. epist. 83. ergo ubicumque est una, est & altera.

TERTIÒ, per Incarnationem facta est communicatio idiomatum; ergo sicut Christus est ubique Deus, ita est ubique homo. Confirmatur; Si Christus non est ubique homo; ergo est alicubi non homo: quia ubicumque sit, vel est homo, vel non homo.

QUARTÒ, Christus semper ubique est totus; ait Author q 52. ar. 3 ad 3. sed non totaliter, quia nullo loco circumscribitur.

QUINTÒ, Christus ut homo ascendit in cœlum ut adimpleret omnia, ad Ephes. 4. ergo saltem ex tunc cœpit esse in omnibus. C

*Humanitas Christi non est ubique.* RESPONSIO AD FIDEM pertinens est, humanitatem Christi non esse ubique.

Probatur PRIMÒ, ex Ioan. 6. *Cùm vidisset turba, quia Iesus non esset ibi.* Et 11. *Non eram ibi* c. 16. *Relinquo mundum & vado ad Patrem.* Marc. 16. *Surrexit, non est hic.* Act. 2. *Non derelinquens animam meam in inferno.*

*Tacita ob. solvitur.* Neq; satisfaciunt hæretici dicentes sermonem ibi esse de visibili, vel locali præsentia Christi, nam neque Christus in Eucharistia, neque Deus in hoc mundo est visibiliter, & localiter: & tamen salva fide dici non potest, quod vel Christus non est in Eucharistiâ, vel Deus non est in mundo. Deinde, sermonis contextus, & Patrum traditio expositio- D nem illam non patitur. Accedit ruiturum alioquin tedemptionis nostræ mysterium. Si enim Christi humanitas ubiq; est, ergo Christus secundùm eam non est motus localiter, ac proinde neque natus est ex utero Virginis: neque in templum, neque in Jerusalem ivit: neque ad Pilatum, neque ad Caipham, neque in montem ductus est, nec ad inferos descendit, neque in cœlum ascendit; neque per verba consecrationis incipit esse in Eucharistiâ.

*Ob.* Si dicat Ubiquetarius, humanitatem esse ubiq; sed non ubiq; capi posse: hoc autem fieri per con-

*Resp.* secrationem: Resp. si verè sit ubique, non potest ab ulla re separari; Impossibile enim est ut quis E habeat panem in manu, vel in stoma ho, quin habeat ibi corpus Christi, si ipsum est in omnibus locis, & rebus: neque verum simile adferunt, dicentes, solis radios ubique esse, licet non possint cista includi: non sunt enim ubique, nec possunt penetrare corpora non transparentia.

SECUNDÒ, Prob. ex Patribus. Neque enim Deus de loco *ad locum transit, qui ubique semper est*, ait Ambr. l. 2. de fide c. 4. *Vt homo est qui vadit, ipse est qui venit.*

Et Aug. tra. 78. in Ioan. *A quibus homo abscedebat, Deus non recedebat; & idem ipse Christus homo & Deus &c Ibat per id quod uno loco erat: manebat, per id quod ubique erat.* Videri potest ejusdem epistola 57 Cyrill. Jerosol. catechesi 14. Alexandrinus l. 11. in Joannem c. 21. Leo ser. 3. de ascensione Greg. hom. 29. in Evangelia.

TERTIÒ, probatur ex Conciliis. Nam Lateranense sub Martino primo, consultatione 5 can. 4. condemnat eum qui non confitetur Christum Dominum, *eundem passibilẽ carne, & impassibilẽ deitate, circumscriptum corpore in circumscriptum deitate.*

Synod. 6. generalis act. 7. *Scimus*, ait, *circumscriptum eundem, & incircumscriptum.*

Synod. 7. act. 6. in condemnatione definitionis novæ conciliabuli Constantinopolitani. *Secundum naturam quam assumpsit visibilis est, & circumscriptibilis &c.*

DENIQUE, veritatem hanc in terminis asserunt B. Th. 4. contra gent. c. 49. & in 3. d. 22. q. 1. art. 2. & Bonavent. qu. 2. ejusdem d.

AD 1. verò ARGUMENTUM RESP. divinitatem, quia est illimitata, & independens posse esse ubi non est humanitas Christi: humanitatem verò cùm limitata sit, & à divinitate pendeat, à qua habet subsistentiam, non posse esse sine divinitate.

*Regula* autem B. Tho. ut sit universalis, intelligenda est de absolutis; & quidem ijs quæ uniuntur adæquatè, id est, sic ut unum non excedat alterum, ut ait S. Bonavent. sed habeant mutuam ab invicem dependentiam: alioquin, si unitorum dependentia non sit mutua, solùm est necesse ut ubi est minus, ibi sit majus. Ad propositum ergo sic accipienda est, *Si duo*, quorum unum substantialiter pendet ab altero *sint realiter conjuncta, ubicumque est illud quod ab alio pendet, oportet & aliud esse, à quo ipsum pendet*, sicut ubicumque est caput hominis viventis, ibi est anima: ubi est humanitas Christi, ibi divinitas, sed non contra.

Quo addit, *sola operatione animæ discernuntur quæ realiter sunt conjuncta*, non significat ea solum ratione distingui; sed, *discernuntur*, dixit, pro *separantur* dum scilicet cogitatur unum esse alicubi, ac si alterum ibi non esset.

AD 2. Negatur Consequentia: quia unio ista indivisibilis solum requirit unita esse alicui simul.

AD 3. etiam Negatur Conseq. Communicatio enim idiomatum consistit in hoc, quod proprietates humanæ naturæ concretim expressæ dicantur de Filio Dei; & proprietates divinæ, similiter expressæ, de Filio hominis, ipsoque homine Christo, ut ostensum fuit q. 16. ar. 4. & 5. Hinc est quod, non solùm dicamus, Deus est ubique, sed etiam, Christus est ubique, Iste homo est ubique: attributum enim illud convenit hypostasi, pro quâ supponit subjectum.

Ad confirmationem Neg. C. ut enim docet B. Th. dict. loc. 3. sent ad 4. *Quando* homini *additur negatio per compositionem: ea non fertur extra illum terminum: & ideo removet humanitatem absolutè, & non respectu ejus quòd dicitur ubique, vel alicubi. Et propter hoc, hæc est falsa. Christus alicubi est non homo, sed hæc est vera, non est ubique homo.* Ista autem, *Christus alicubi non est homo*: si significet Christum alicubi deseruisse humanitatem, falsa est, ut etiam Bellar. affirmat, l. 3. de Incar. c. 17.

Ad probationem dicendum est quòd Christus ubique, & ubicumq; est homo, si adverbium loci teneat se ex parte subjecti, quia sensus est, Christus ubicumq; sit, vel Christus existens ubique, est



*Sylv. in III. Part.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



homo. Si autem ponatur in prædicato, & dicatur, Christus est ubique homo; falsum est, quia significatur Christus habere humanitatem ubique existentem, ad veritatem enim propositionis requiritur ut prædicatum secundùm se totum conveniat subjecto. Simile est quando dicimus, Iste homo Christus est ab æterno: quamvis Christus non sit ab æterno homo. A

Obj. Dices, Christus est hîc, & hîc non est homo: ergo hîc est non homo. Resp. Neg. Min. Christus enim etiam hîc existens est homo: quia Verbum ubicumq; sit, humanitatem suam sustentat, quamvis quia non sustentat eam ubique existentem, non verè dicatur esse ubique homo.

Neque sequitur, Christus est hîc, & non est hîc homo (jungendo adverbium prædicato, hoc sensu, Christus non habet suam humanitatem hîc existentem) ergo est hîc non homo: quomodo de re quâpiam sequitur, est, & non est homo; ergo est non homo; quia non est simile. Pluribus enim causis potest illa esse vera, iste non est hîc homo, quàm hæc, iste est hîc non homo; vel quia non est hîc, vel quia non est homo, vel quia licet sit homo & etiam sit hîc, non habet tamen humanitatem isto loco existentem: Posterior autem veritatem habet ex eo solo quod alicui hoc loco existenti convenit, esse non hominem. Unde argumentum illud quod videtur inniti regulæ contradicentium terminorum, ex eo vitiosum est quod non totum prædicatum vertatur in infinitum ex finito. B C

Ad 4. B. Th. seipsum exponit ut intelligatur Christus esse *totus ubique*; quia nihil deest sibi de suâ personalitate. *Totus* enim cùm sit masculinum, ad personam refertur; alioquin si totus intelligatur Christus secundùm omnem naturam, quam habet, sic manifestum est quod non totus Christus sit ubique.

Ad 5. Neg. C. Scripturæ enim sensus est; vel *ut impleret omnia loca* seu locorum genera successivè, dum qui prius in infimam terræ partem descendit, postea in supremum cœli ascendit: vel *ut impleret omnia*, de ipso prædicta, & prophetata, omnemque dispensationem sibi commissam, ut exponunt Hieronymus, & Tho. in Comment. conformiter Bernardo ser. 2. Ascens. Vel ut rerum omnium testimonio se Dominum universorum comprobaret, quemadmodum Bernar. ibidem explicat: Vel denique (quod Apostolico sensui valdè congruit) ut omnia Ecclesiæ membra, omne genus hominum, donis gratiæ, varijsque charismatibus impleret. Unde posuit in Ecclesia varios gradus varijs gratijs plenos, qui postea recensentur. Ita Ambr. ep. 16. quem sequitur Author in Comment. D

## QUÆRITUR II.

### *Quando Corpus Christi sit in Sacramento.* E

HÆRETICI non pauci asserunt quod tunc solùm, quando sumitur. Et probatur. Primò, quia Christus solùm est præsens quando est Sacramentum; sed non est Sacramentum nisi in usu cùm sit institutum propter usum; & Sacramenta cætera sint actiones, extra quas elementa non aliud sunt quam elementa.

Secundò, species consecratæ non possunt servari in sequentem diem: ergo apparet sub eis non manere Christum. Antecedens, traditum à Clemente Rom. extat de consecr. d. 2. c. *Tribus gradibus*. *Tanta* inquit, *in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur sed cum timore & tremore clericorum diligentia consumantur.* Unde Isychius l. 2. in Levit. c. 8 Nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, igniq́ue tradi, quæcumq́ue remanere contigerit inconsumpta. Sed & veterem fuisse morem, ut reliquiæ remanentes à parvulis consumerentur, liquet ex Niceph. l. 17. c. 25. & aliundè.

Ne verò Sectarij premantur contrariâ Patrum consuetudine, quâ certum est solitam asservari Eucharistiam: Kemnitius dicit eam consuetudinem fuisse abrogatam in Conc. Tolet. 1. can. 14. & Cæsaraugustano can. 3.

Ex altera verò parte, Christum contineri sub speciebus ante sumptionem, quoad usque sumantur; statim verò ac fuerint sumptæ, desinere esse sub illis, antequam corrumpantur: tradit Glossa in dict. c. *Tribus gradibus*, & insinuat Hugo Victor. l. 2. de Sacram. p. 8. c. 13.

Responsio ad Fidem pertinens est, statim post consecrationem, Christum præsentem esse sub panis & vini specie, ibique manere non tantùm in usu dum sumitur, sed etiam ante & post: ac in hostijs ac particulis consecratis quæ post communionem reservantur, aut supersunt. Ita Conc. Trid. sess. 13. c. 3. 5 6. & canonibus 4. 6. 7. Cui Nicænum can. 14. consonat, reprehendens eos Diaconos, qui Presbyteris porrigebant corpus Domini. *Statim post consecrationem Corpus Christi est in Sacram.*

Confirmatur. Primò, quia ista verba à Christo dicta, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, fuerunt vera statim atque prolata sunt: atqui Christus ea protulit, priusquam esset manducatio, vel bibitio, ergo. Min. asserit Conc. Trid. c. 3. jam dictæ sess. eamq́ue probat ipsa rerum circumstantia: ex quâ manifestum est quod illa verba contineant rationem cor cibus ille comedi, & potus bibi debuerit. *Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus*, Matth. 26. illa autem ratio prius debuit Apostolis explicari, ut scirent, quid acciperent.

Deinde, Apostoli non simul acceperunt id quod à Christo illis porrigebatur, sed unus post alium: Neque tamen Christus repetebat verba, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*: ergo erat ex vi verborum semel prolatorum, corpus & sanguis Christi, priusquam sumeretur à singulis. Adde, quod Christus ipse Eucharistiam sumpserit, ut dicetur q. 81. art. 1. ergo prius verba consecratoria protulit quam sumeret, ac per consequens ante sumptionem ibi erat corpus & sanguis ejus.

Præterea, jam dicta consecrationis verba veritatem obtinent, quandocumque à Sacerdote debitam intentionem habente pronuntiata sunt super legitimam materiam: ergo ex tunc est verum Christi corpus, verusque ejus sanguis, sive statim sumatur sive non.

Confirmatur. Si tantum est Christi corpus in usu fidelium, sequetur non esse sub speciebus ex vi verborum; aut certè veritatem verborum Christi pendere ex mutabili voluntate ejus cui porrigitur: Cùm enim porrigitur, verba non amplius pronunciantur; &, si fidelis nolit jam sumere quod prius volebat, non erit illic corpus Christi, atque adeò verba non erunt vera. Hæc autem omnia sunt per absurda.

Secundò, Juxta Evangelistarum narrationem,



nem, necessariò fatendum est quòd in calice Dominico sanguis contineretur: priùs autem est in calicè, quàm in ore, ergo. A

Tertio, *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* 1. ad Cor. 10. ubi Apostolus clarè significat panem qui prius consecratus est, ac postea frangitur & distribuitur, esse corpus Domini quando frangitur: ergo antequam manducetur.

Quartò, probatur ex Ambr. libro de ijs qui initiantur c. 9. l. 4. de Sacra. c. 4. dicente, *ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi*: ex Aug. concione 2. in Psal 33. *ipse se portabat quodam modo cum diceret, hoc est corpus meum*; & ex alijs ar. 1. & 2. qu. 75 citatis.

Peculiariter huc pertinet quod Cypr. tract. de lapsis refert de fœminâ, quæ arcam suam, in qua Domini sanctum erat, cum manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente territa est. Quodque Tertull. l. 2. ad uxorem cap. 5. & alij testantur consuevisse Christianos deferre Eucharistiam in suas domos, manuque propriâ illam sumere, nisi quod mulieribus inhiberetur can. 36. Concil. Antisiodor nudâ manu sumere, juberenturque habere suam Dominicalem can. 39. vide Baronium ad 15. Aug. B

Jam verò si considerentur quæ ex Concilijs Wormatiensi & Arelatensi referuntur de cons. dist. 1. cap. *Presbyter.* & cap. *Qui benè*, de custodiâ Eucharistiæ, manifestum erit eam solere jam olim in Ecclesia asservari. Quod etiam tempore sancti Clementis viguisse statim probabitur. Hinc est quòd Synod. Nicena 1. can. 12. nemini vult denegandum in morte viaticum, idque secundum antiquam regulam. Et canon. 20. apud Ruffinum li 10. c. 6. permittit Diaconis ut in absentiâ Presbyterorum Eucharistiam dividere possint. Eandem rem probat usus Ecclesiæ quæ Eucharistiam adorare solet priusquam distribuatur, ut etiam ex liturgijs Græcorum, atque ex Dionysio eccles. hier. c. 3. patet. *Jam olim servabatur Eucharist.* C

*Confer canonem 14.*

Ex his consequenter est dicendum quòd Christus in Sacramento maneat quamdiu species manent. *Tamdiu est Christus in Sacram. quamdiu durant species.* D

Primò, quia species sunt & permanent consecratæ.

Secundò, quia ex vi verborum formæ sunt determinatæ ad significandum corpus Christi præsens.

Tertiò, quia non potest aliter signari tempus quo Christus ibi esse desinat. Hinc Cyrill. apud Turrianum l. 4. pro epistolis Pontificum, c. ult. *Insaniunt qui ajunt mysticam benedictionem non valere ad consecrationem. ut remaneant reliquiæ ejus benedictionis in alterum diem, non enim alteratur Christus, neque sanctum ejus Corpus mutatur: quin potius virtus benedictionis & vivifica gratia perpetua est in eo.*

Videri possunt Scotus Durandus, Rich. Gabriel in 4. d 12. B Th. l. 9. ac insuper art. 6 hujus & q. 77. art. 4. q. 80 art. 3. E

Ad 1. verò Arg. Resp. negando Minorem: quamvis enim hoc Sacramentum sit institutum propter usum, non est tamen ipse usus, sed est id quo uti oportet, & ideo præsupponitur usui. Adde quòd nec ob solum usum sumendi fuerit institutum, sed etiam ut offeratur in sacrificium: & ideo priusquam sumatur, adest Christus, quando per consecrationem immolatur. Atque id huic Sacramento peculiare est quòd non consistat in usu, quemadmodum ar. 1. quæst. 73. fuit ostensum.

Ad 2. falsitas antecedentis manifesta est ex dictis.

*Ad primam* probationem Resp. B. Clementem supponere sufficientes partes pro communione infirmorum fuisse servatas; quo supposito non debent plures consecrati; quam quæ populo sufficiant, ne per longam multarum asservationem, putredo contingat.

Quod autem Clemens velit aliquas reservari, non solùm patet ex eo quod alioquin non provideretur infirmis: sed etiam ex his ejus verbis epi. 2 *Tribus gradibus*, inquit, *commissa sunt Sacramenta divinorum secretorum*, id est, *presbytero, diacono, & ministro qui cum timore & tremore clericorum reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent ne qua putredo in sacrario inveniatur.* Et l. 8. const. c. 20. *Post quã* ait *omnes sumpserunt, accipiant Diaconi reliquias, & portent in pastophorio*, id est tabernaculo: Pastophorium enim est thalamus seu tabernaculum in quo habitat Præpositus templi, ut interpretatur Hier. in c. 22. Isai. In isto autem tabernaculo Christus verus templi Præpositus reconditur.

*Ad secundam* probationem Resp. cùm Isych. dicit. *sensibiliter igni tradi quæ remanserunt inconsumpta*, subjungit, *non omninò eo qua unâ die vel duabus, aut multis servata sunt*: ut intelligatur locutus de illis reliquijs quæ sive ob diuturnitatem, sive ob aliam causam manducari non possunt. Quod enim jam olim id servaretur ut quoties aliqua talis indignitas Sacramento contigerit, quæ horrorem sumendi incutiat; species ignibus tradantur, affirmat Algerus l. 2. c. 1. Et ex Conc. Aurelian. Burchardus l. 5 c. 50. sive ex Arelatensi, ut citat Ivo c. 59. p. 2. C

*Ad tertiam*, concedimus cum Conc. Trid. sess. 21. c. 4. quarundam Ecclesiarum fuisse olim consuetudinem, tum in oriente, ut ex Cyp. tract. de lapsis; tum in occidente, ut ex Aug. epi. 107. coll gitur, communicare parvulos sive ut fortiores evaderent in adolescentia contra persecutiones tunc frequentes; sive ut ab idolorum sacrificijs, in quibus idolothytorum pars distribuebatur infantibus, homines magis abhorrerent; sive ut fragmenta post communionem populi restantia, consumerent illi qui animam habent innocentem; sive ob aliam aliquam causam. *De consuetudine communicandi parvulos.*

Verumtamen nec ea consuetudo fuit universalis, nec diu post Aug. duravit. Reliquiarum porrò consumptio non fiebat quotidie, sed quando renovandæ erant hostiæ priùs conservatæ, quarta scilicet, vel sexta feria, ut indicat canone 6. Conc. Matiscon.

Circa quam renovationem observandum, quod dum Sacerdos celebrando renovat sacram hostiam, non possit reservare eam quam tunc consecrat, & illam solam sumere, quæ prius consecrata fuerat ac reservata: sed debet consecrare duas, quarum unam reservet, aliam sumat: quia celebrans semper tenetur sumere utramq́ue speciem tunc consecratam, eò quod sumptio maximè ad integritatem sacrificij pertineat, quemadmodum dicimus q. 83. art. 1. q 2. Conc. 3.

Ad 4. Negatur Assumptio. Illi enim canones jubent fideles in ecclesia communicare, & non secum asportare Sacramentum, sicut aliquando moris fuerat; in Ecclesijs autem asservati non vetant.

Universidad de Deusto
Biblioteca



AD ARG. in oppositum RESP. Glossam errare. Hugonis autem verba possunt intelligi quod præsentia corporalis Christi non sit in Sacramento quando sensus corporalis deficit, id est, quando species desinunt esse sensu perceptibiles; sed non sic desinunt ex eo ipso quo sumuntur, nisi dum usque ad corruptionem alterantur.

## QUÆRITUR III.

### *Quæ adsint sub speciebus vi verborum?*

VIDETUR quod anima & sanguis sub specie panis. B

PRIMÒ, quia Christus dicens, *Hoc est corpus meum*, designavit suum corpus prout tunc erat; ergo sicut tunc erat vivum, ita nunc significatur & conficitur ex vi illorum verborum. Confirmatur, quia alioquin significatio verborum esset æquivoca.

SECUNDÒ, sanguis est pars corporis humani, ut ex B.Th. diximus ar.2. qu.5. sed ex vi Sacramenti adsunt hîc ea omnia quæ ad integritatem corporis pertinent, ut ossa, nervi, & similia: ergo & sanguis.

TERTIÒ, sub utraque specie continetur corpus Christi subsistens ut subsistens: subsistit autem per subsistentiam divinam: ergo illa hîc est C ex vi verborum.

QUARTÒ, verba significant subsistentiam divinam, & unionem hypostaticam: pronomen enim *meum*, significat mihi unitum atque adeò subsistens per meam subsistentiam: ergo utrumque est ex vi verborum.

RESPONSIO Concilij Trid.sess.13.c.3. est *corpus Christi esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamq; sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur. Divinitatem porrò propter admirabilem illam* D *ejus cum corpore & animâ hypostaticam unionem.*

*Corpus est sub specie panis vi verborum, & similiter sanguis sub specie vini.*

*Divinitas non est in Sacram. vi verborum.*

Ubi cùm affirmetur divinitas esse in Sacramento solùm ob unionem cum corpore, & animâ; sequitur quod non adsit ex vi verborum, sed ob connexionem, quam habet cum eo quod est ibi ex vi verborum, sive concomitanter.

Omnia enim illa adsunt hîc per concomitantiam, quæ non separantur à corpore, vel sanguine Christi.

*Ob.* Dices, Concilium distinguit modum quo adest divinitas, ab eo, quo adest anima: hæc autem adest per concomitantiam: ergo divinitas non adest illo modo.

*Resp.* RESP. Negando Consequentiam; quia licet E divinitas non adsit per concomitantiam naturalem, quâ partes inter se copulantur, ut ex q.2. art. 4. ad 2. patet, quomodo anima est sub utraque specie, adest tamen per eam concomitantiam quæ est ex unione hypostaticâ. Unde B. Th. hîc ad primum, Durandus in 4.dist.10. qu.2. Dominic. qu.1. ar.1. alijque Recentiores, diserte asserunt divinitatem Christi esse in hoc Sacramento, ex reali concomitantiâ.

Quamvis autem Concilium non Verbum, sed divinitatem expresserit, quorum illud personæ, istud naturæ nomen est: non dubium tamen, quin sub divinitate Verbum intellexerit, *Primò*, quia Verbum non est diversum ab eâ. *Secundò*, quia Verbum est quod humanitatem sibi univit, eamque primò & proprijssimè terminavit. *Tertiò*, quia Concilium numerat omnia substantialia quæ sunt in Christo, indeque concludit totum Christum esse in Sacramento.

Observandum, hîc conformiter ad ea quæ q. 3. ar.4. diximus, personam Verbi aliter esse in Euchatistia, quam in Christi humanitate. Nam in eâ humanitate persona Verbi est directè & primariò, ratione unionis hypostaticæ cum illâ: in Euchatistiâ verò solùm est secundariò & indirectè seu per concomitantiam, in quantum concomitatur corpus & sanguinem Christi, quorum illud est directè sub specie panis ex vi verborum, & iste sub specie vini similiter directè ex vi verborum quæ proferuntur super vinum.

Ex his colligitur Patrem, & Spiritum S. esse in Euchatistia per concomitantiam mediatam, non quia terminaverit unionem, sed sicut ratione unionis factum est ut speciali aliquo modo sint in Christi humanitate, in quâ specialiter operantur, & quam Verbo unitam tota Trinitas conservat, & ad operandum dirigit: ita ratione ejusdem unionis peculiariter ibi sunt Pater & Spiritus Sanctus, ubi est Verbum, Verbique divinitas, cùm sint inseparabiles.

AD 1. verò Argumentum Negatur Cons. licet enim Christus vivens designaret corpus suum vivum: ejus tamen verba ex vi suæ significationis non aliud indicant, quàm corpus Christi: nec determinant ad vivum, vel mortuum, sed præscindunt ab utraque illa conditione. Neque tamen eorum significatio est æquivoca: quia partim corpus Christi vivum, & mortuum est idem numero, juxta explicationem q.50.ar.5. datam: partim etiam, quia verba non referuntur ad vivum aut mortuum, sed sistunt in significatione & indicatione corporis, quod est altera pars humanæ naturæ Christi.

AD 2. Negatur Consequentia, quia sanguis non est pars cujuscumque corporis humani, sed vivi.

AD 3. si reduplicatio sumitur formaliter, negatur Major.

AD 4. Neg. Antec. Licet enim corpus Christi sit subsistens, verba tamen non significant formaliter subsistentiam ejus, præsertim divinam; neque illa subsistentia fit ex vi verborum, sed solùm comitatur veritatem, & efficaciam eorum. Sed nec pronomen (*meum*) formaliter significat idem quod mihi unitum, neque verba significant formaliter unionem ad Verbum; sed verba quidem significant corpus humanum Christi; pronomen verò denotat identitatem illius corporis, cum eo quod est in specie naturali unitum Verbo; quodque ratione illius unionis est corpus Verbi: etsi non significet quod corpus illud talem unionem habeat.

## QUÆRITUR IV.

### *Quid ea vox, corpus, complectatur quatenus est hîc ex vi verborum.*

SUPPOSITO, *corpus*, hîc accipi pro alterâ parte compositi humani; dicendum est eo nomine comprehendi ossa, nervos, carnes, & quæcumque



que substantiam corporis humani componunt, ita A ut illa omnia sint in Sacramento ex vi verborum.

Nec obstat, quod aliquæ sint partes, quarum licet una vel altera separetur, manebit tamen verum corpus humanum; ut digitus, brachium, &c. quia corpus Christi verba proferentis erat perfectè integrum; & ideò tale significatur per formã.

Si dicas, omnes partes iam dictas solùm requiri ad constituendum corpus humanum vivum; Negandum est quod assumitur: Nam corpus sive vivum, sive mortuum, ut sit humanum, requirit suam organizationem, suarumque partium integritatem.

An verò, *corpus*, hîc includat solam materiam absque omni formâ substantiali, controvertitur. B Non pauci negant, quia sola materia non est corpus humanum. Neque tamen includit animam determinatè.

*Primò*, qui particula, *meum*, non determinat significationem ad corpus vivum, sed solùm ad corpus proprium loquentis.

*Secundò*, quia ex Conc. Trid. constat animam esse in Sacramento, nòn ex vi verborum, quomodo adest corpus sub specie panis, & quidquid ad ejus rationem pertinet; sed ex reali concomitantia.

*Tertiò*, quia sic etiam sanguis esset sub specie panis vi verborum, cùm etiam ipse includatur in corpore vivo.

Dicunt ergo corpus quod vi Sacramenti exi- C stit, includere aliquam formam substantialem, per quam constituatur in esse corporis organici humani. *Convertitur*, inquit Author q.75.ar.6. ad 2. *forma panis in formam corporis Christi secundùm quod dat esse corporeum, non autem secundùm quod dat esse animatum tali anima.* Ubi, esse corporeum, non putant accipi communissimè pro esse corporeo in genere, sed pro esse corporeo humano, quod proinde sit informatum formâ non solùm dante esse corporis in genere, sed esse corporis humani, hoc est, habentis organizationem quæ ad humani corporis constitutionem pertinet; ita tamen ut illa forma præscindat ab animâ, & formâ cadaveris humani. D

*In nomine corporis non includitur aliqua forma.*

Aliorum tamen sententia qui nomine corporis quod in formâ hujus Sacramenti exprimitur, nullam includi putant formam substantialem, magis videtur probanda.

PRIMÒ, quia corpus intelligitur illud quod est altera pars compositi naturalis; Si autem includit formam substantialem; jam non erit pars compositi, sed totum compositum, materia enim & forma constituunt compositum.

SECUNDÒ, si corpus includit aliquam formam substantialem: ergo illa simul cum corpore est sub specie panis, vi verborum; Atqui nulla forma videtur posse assignare quæ ibi sit vi verborum nisi illa quæ actu unitur corpori, hæc autem est E anima Christi; Animam, verò Christi non esse in hoc Sacramento vi verborum, sed ex reali connexione vel concomitantia; constat ex Synod. Trid.sess.13. Et ex B.Th.q.76.ar.1.ad 1 & ar.2. in corp.q.81.ar.4.ad 3. & l.4.contra Gent.c.64. ergo nulla est forma in hoc Sacramento vi verborum.

*Ob.* Si dicas, corpus includere formam præscindendo ab anima & forma cadaveris humani; atque ita, vi verborum poni formam, non hanc, vel illam determinatè, sed in confuso aliquã; esse autem ex reali connexione & concomitantia, quod hîc & nunc ponatur anima potius quàm forma cadaveris. Contrà facit quod secundùm rem nulla for- *Resp.* ma est in corpere Christi sic præscindens, quæcumque autem est præcisio, vel abstractio, ea solùm fit per intellectum; ergo si ex vi verborum est aliqua forma substantialis: illa est anima, quia si ponitur aliqua forma, poni debet illa quæ est à parte rei.

Neque videtur sufficere responsio eorum qui dicunt ex vi verborum poni quidem hîc animam, non tamen ut est anima, sed solùm ut dat esse corporeum humanum. Synodus enim Tridentina simpliciter negat animam esse in Sacramento ex vi verborum; si autem ex vi verborum esset ut dans esse corporeum, omninò dicendum foret quod ibi esset vi verborum, quia non potest esse dans tale esse, nisi ibi sit.

AD ARG. autem initio allatum RESP. quod neque sola materia est corpus humanum, neque corpus hîc accipitur pro sola materia, sed pro parte materiali habente dispositiones omnes, & organizationes ad animam rationalem recipiendam, vel retinendam requisitas: Atque ita ex vi Sacramenti adsunt caro, ossa, nervi, & universa quæ ad integritatem corporis humani pertinent.

*Ob.* Si dicas, nullum corpus esse hujusmodi absque forma substantiali. RESP. non propterea necesse esse quod illam includat in sui ratione. Quomodo nullum etiam corpus est tale absque quanti- *Resp.* tate, & tamen quantitas non est de ratione corporis substantiæ: sicut ergo quantitas quæ naturaliter semper adest corpori substantiali, non est in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, sed per concomitantiam, ut in resp.ad 3. & l.4. contra Gent. c.64. dicit B.Th. ita etiam forma substantialis illa, quam habet corpus à parte rei, adest hîc per concomitantiam.

Ad verba B.Thomæ RESP. si ex locis iam allegatis non constaret eum sentire quod anima Christi est in hoc Sacramento ex reali concomitantia, & non ex vi Sacramenti, videri posset ex loco isto aliud sentire. Sed cùm de illius mente constet, cumq; l.4. contra Gentes c.64. ita loquatur, *Manifestum est quod conversio panis non terminatur ad divinitatem Christi neq; in ejus animam:* forte verbis allegatis significare voluit conversionem panis, etsi nec directè nec propriè, indirectè tamen, & quasi concomitanter terminari in formam corporis Christi secundùm quod dat esse corporeum. Nec obstat quod adjungit. *Non autem secundùm quod dat esse animatum tali anima:* quia magis propinquè sub specie panis est forma, ut dans esse corporeum, quam ut dans esse animatũ, unde si in triduo mortis Apostoli consecrassent, sub specie panis fuisset directè quidem solum corpus, indirectè autem, & concomitanter forma illa quæ corpori Christi tunc inerat; dans ille esse corporeum, non autem dans esse animatum.

Ex his consequenter est dicendum, quod sub specie vini sit directè & ex vi verborum sanguis; indirectè verò & per realem concomitantiam, anima; ut Synod. Trid. eodem c.3. sess.13. & B. Th. art.2. affirmant. Et cum sanguis Christi nullã aliam formam habeat à parte rei sibi unitam, quã illam: nulla forma substantialis ibi ponitur vi verborum.

Porrò cum non videantur tot actiones necessariæ, quot sunt vel accidentia, vel partes substantiales in Sacramento per concomitantiam præ-

sentes

Universidad de Deusto
Biblioteca



sentes: Ideo probabile est quod à quibusdam asseritur, eadem actione Sacramentali fieri illas præsentes, qua fiunt eæ quæ adsunt vi Sacramenti, unde B. Tho. docet illud hîc adesse *ex vi Sacramenti in quod conversio directè terminatur*, per hoc indicans conversionem indirectè, & quasi consequenter, terminari in id quod solum adest per concomitantiam. *Vide l. 4. contra gent. cap 64.*

Neque tamen sequitur esse dicendum, quod substantia panis convertatur in sanguinem vel animam; aut quod ea sint terminus istius conversionis, ibique sistantur vi verborum: quia id solum ponitur hîc virtute verborum quòd verba præcisè significant ac directè efficiunt; quod autem indirectè, & velut per accidens eorum actione ponitur, non fit ob efficaciam verborum, quæ nunc sit major quàm aliàs; sed ob dispositionem rei, & concomitanter ad id quod vi consecrationis ponitur, vide q. 81. articulum quartum, ad tertium.

### Articulus II.

*Sub utraque specie est totus Christus.*

Art. 2. docet totum Christum contineri sub utraque specie hujus Sacramenti, utraque, (inquam) distributivè, quia totus est sub una, & totus sub altera, ut ex Concilijs, Constantiensi, Florent. & Trid. patet.

Ex quibus sequitur hanc doctrinam *esse fidei*, conformen scripturæ Ioan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me:* manducatur enim Christus quando sub specie panis sumitur.

Addit B. Tho. tum hîc, tum ar. 1. & qu. 81. art. 4. lib. 4. contra Gent. c. 64. si consecratum fuisset in triduo mortis; futurum tunc sub specie panis, corpus sine sanguine, & sine animâ: sub specie autem vini, sanguinem sine corpore, & etiam sine anima; sicut erat in rei veritate, ubi partes non erant realiter connexæ. Si verò species panis conservata fuisset usque ad resurrectionem; dicendum est animam, & sanguinem futura tunc fuisse sub illâ specie, ratione connexionis, quam in specie naturali habuissent cum corpore: Tale enim substantialiter est corpus Christi in Sacramento, quale est in rerum naturâ, ut art. 1. diximus.

### Articulus III.

*Christus est totus sub qualibet parte speciei-rum.*

Art. 3. docet totum Christum esse sub qualibet parte specierum panis, aut vini, sive sint divisæ, sive continuæ: quia substantia corporis Christi est in hoc Sacramento ex vi verborum quantitas verò solum ex vi realis concomitantiæ, ergo totum corpus Christi est hîc, simili illi modo quo substantia est sub dimensionibus quantitatis; & non illo quo dimensiones locati sunt sub dimensionibus loci: Atqui natura substantiæ tota est sub tota quantitate, & tota sub qualibet ejus parte, ergo similiter Christi corpus totum est sub tota quantitate specierum, & totum sub singulis ejus partibus.

Quæ ratio, etsi variè impugnetur, convenientissima tamen est, non fortassis ad demonstrativè concludendum (neque enim demonstrationes quærendæ sunt in mysterijs à sola Dei voluntate pendentibus) sed ad ostendendam rei convenientiam. Prima igitur consequentia nititur huic convenientiæ, quod cum substantia corporis Christi succedat substantiæ & non quantitati: convenientissimum fuit ut sortiretur modum existendi substantiæ non quantitatis. Atqui modus existendi substantiæ est ut tota ejus natura sit sub qualibet dimensionum parte: ergo similiter totum Christi corpus est sub qualibet parte specierum. Neque verò hunc modum existendi corporis Christi impedit ejus quantitas: cum enim ea solum adsit concomitanter, non debet substantiam, quæ vi verborum consecrationis hîc ponitur, privare modo suo substantiali, sed ipsa potius redigenda est ad modum substantialem.

Porrò, cum B. Tho. hîc duo dicat: Prius scilicet totum, & integrum Christum esse sub singulis partibus post fractionem, aut divisionem earum, fide certum est: *Si quis negaverit sub singulis cujusq; speciei partibus, separatione factâ totum Christum contineri, anathema sit*, ait Conc. Trid. sess. 13. can. 3. post Florentinum in compendio fidei.

Confirmatur, *Primò*, quia partes post separationem non desinunt esse consecratæ; ergo sub illis aliquid corporis Christi est: *ubi autem est pars corporis, ibi est totum*, ait Hilarius, à Gratiano citatus de consecr. d. 2. c. 78. patetque ex dictis art. 1.

*Secundò*, Admodum probabile est Christum prius consecrasse panem, & post eà frigisse, ac unicuique distribuisse: quomodo calicem unum consecravit, eumque bibendum singulis porrexit; ex quo tamen non partem dumtaxat, sed totum Christum sumpserunt. Hinc & usus habet hostiam à celebrante frangi, & partes tanquam Christum continentes sumi. *Confer q. 78. ar. 1.*

Posterius, Christum esse totum sub conjunctis adhuc speciebus antequam dividantur; etsi non sit fidei, quia non est expresè definitum, ita nihilominus certum est, ut contrarium sit erroneum. Unde Conc. Trid. dictâ sess. 13. c. 3. asserit totum Christum esse sub quavis speciei parte, non factâ mentione separationis, etiamsi in canone illam exprimat. Eodem pertinet supra dictum c. *ubi pars*, & quæ in confirmationem prioris jam dicta sunt: Si enim totus Christus est sub singulis partibus post separationem, sequitur quod & ante illam; eò quod non separatio, sed consecratio facit præsentiam corporis Christi.

*Ob.* Neque est simile quod à quibusdam adfertur de partibus speculi fracti, sub quarum singulis imago intuentis incipit esse; cùm ante solùm esset una in toto speculo: Nam ad fractionem speculi, etiam multiplicatur refractio radiorum, ita ut ad diversas partes speculi diversæ sint illorum reflexiones; unde pro unâ magnâ imagine, apparent multæ parvæ: Christus autem non dividitur, neque major est sub majori parte: sed nec multiplicatur consecratio, consecrationisque materia. *Resp.*

B. Tho. in 4. d. 10. a. 3. q. 3. sic respondet, Imago speculi non est ibi ut forma absolutè quiescens, sed aggeneratur ex reverberatione: & ideò quàmdiu est una superficies speculi fit una reverberatio, & per consequens una imago resultat, fracto autem speculo sunt multæ superficies, & per consequens multæ reflexiones, multæq; imagines inde resultantes. Corpus autem Christi continetur absolutè sub speciebus: & hoc non convenit sibi mediante quantitate, sed ratione substantiæ, in quantum substantia panis est conversa in ipsum: & ideo, etiam ante fractionem est totum in toto: & totum in singulis partibus, quia ubicumque erat tota natura panis, jam est tota natura corporis Christi, & per consequens totum corpus.

*Deinde*, non potest dici pars corporis Christi sic esse sub unâ parte hostiæ ut superior sit sub superiore, minor sub minore: ergo totus est, ubicunque



que est. Antecedens probatur, quia alioquin versa hostia sequeretur indecens situs, & motus corporis Christi; ea autem divisa sequeretur divisio partium ejusdem.

*Denique*, corpus Christi est in Sacramento per modum substantiæ homogeneæ, cujus natura tota est in toto, & tota in singulis partibus: quomodo natura panis, cui succedit, anteà præexistebat.

Ex his consequenter est dicendum totum Christum esse sub singulis partibus specierum quantumcunque minimis, sub quibus subsistebat antea natura ipsius panis.

Circa Responsionem ad primum, advertè nullum esse inconveniens dicere cum B. Thom. in 4. dist. 10. q. 1. ar. 3. quæstiun. 3. ad 1. Christum esse sub speciebus infinities in potentia, quia illæ, cum sint continuæ, possunt in infinitum dividi: quamvis naturaliter non possint dividi in infinitas particulas sub quibus sit integer Christus; quia tandem devenitetur ad partes tam exiles, ut sub eis non salvaretur natura panis, ac proinde sub ijsdem nec esset Christus; quamvis dum sunt in toto, sufficiant ut in eis sit tota essentia panis, ac post consecrationem totus Christus.

Porrò, quia numerus sequitur divisionem: ideò sicut forma quæ tota est in toto, & tota in qualibet parte, non dicitur ante divisionem continui esse ibi pluries actu, sed solùm potentia: ita corpus Christi ante divisionem hostiæ, quamvis sit actu totum præsens singulis partibus; non dicitur tamen esse pluries actu, nisi partes dividantur.

*Ob.* Contra, quando partes dividuntur, nulla fit corporis Christi productio vel reproductio: sed corpus Christi non est in hoc Sacramento, nisi per ejus productionem seu reproductionem; ergo sicut ante divisionem est tantum semel propter unam reproductionem; ita etiam post divisionem non est plusquam semel.

*Resp.* Resp. neg. Cons. quia reproductio illa quæ fit vi verborum consecrationis, & per quam ibi ponitur corpus Christi, licet sit tantum una formaliter, est tamen multiplex ratione termini, quatenus ejus virtute sic semel ponitur ille terminus scilicet corpus Christi, ut possit esse pluries, si id sub quo tanquam sub uno continuo exiitit, in plures dividatur.

Quod ergo post divisionem sit plures, non est quia divisio sit reproductio, vel quia plures jam ponantur actuales reproductiones: sed quia una reproductio semel facta habet eam vim ut quod est reproductum atque ut tale existit totum sub uno continuo, toties sit sub partibus discontinuis quot sunt partes illæ. Simili aliquo modo, quo anima humana existens tantum semel in toto hominis corpore, pluries existeret sub pluribus partibus si illæ ab invicem separarentur, & anima sub illis conservaretur: non quia separatio esset animæ reproductio, neq; quia anima pluries tunc produceretur, sed quia sic semel est producta, ut ratione illius productionis absque alia productione possit conservari sub partibus corporis, si illæ dividantur seu separentur ab invicem.

De Resp. ad 2. & 3. videri possunt quæ dicentur art. seq.

### Articulus IV.

*Tota corporis Christi quantitas est in hoc Sacram.*

Art. 4. probat totam quantitatem dimensivam corporis Christi esse in hoc Sacramento; non ex vi Sacramenti, quia conversio directè terminatur ad solam substantiam corporis Christi; sed ex vi realis concomitantiæ, quia realiter non separatur ab ejusdem corpore.

Quæ ut contra Durandum & alios quosdam intelligatur, supponendum est ex art. 1. corpus in Sacramento tale esse, quale est in rerum naturâ, ideoque habere quantitatem, & alia accidentia interna & absoluta, quæ habet in cælo.

Supponendum insuper, quantitatem non esse nudum modum, realiter identificatum substantiæ sed rem ab eâ differentem: unde conversa substantia panis, manet tamen ejus quantitas.

Quid porrò ad essentialem quantitatis rationem pertineat, ut sciatur: observandus est triplex ordo partium, seu triplex extensio.

*Extensio triplex Prima.*

*Prima est* entitativa, quâ per intrinsecam suam entitatem, unaquæque substantia corporea habet partes à se invicem distinctas. Hæc non est de ratione quantitatis; neque enim ad quantitatem pertinet facere ut una pars substantiæ non sit alia formaliter & entitativè: ut caput v. g. non sit manus: manus non sit pes &c. sed hoc supponitur quantitati, tanquam ejus subjectum: unde sicut quantitas conservatur sine substantia, sic si è contraria servaretur substantia sine quantitate, nihilominus partes substantiæ essent quoad entitatem diversæ, & sibi invicem nexu substantiali unitæ, caput collo, collum pectori, pectus capiti mediante collo.

*Secunda.*

*Secunda* extensio est corporis ac partium ejus secundùm se seu in toto, cujus ratione, ipsum aptum est occupare locum, sic ut una pars localiter distet ab alia, eamque expellat ab eodem spatio. Hæc, per aptitudinem intellecta, pertinet ad essentialem quantitatis rationem: quantitas enim est forma aliqua positiva apta extendi per spatium, & nata unam partem excludere à loco alterius.

*Tertia.*

*Tertia* extensio est actualis in ordine ad locum: & hæc effectus quidam est quantitatis, ab ea tamen separabilis; nam corpus Christi habens in Eucharistia suam quantitatem, non est actu extensum in ordine ad locum, etiamsi aptitudinalem illâm extensionem habeat.

Ex his conformiter est dicendum, figuram corporis Christi organicam quæ provenit ex intrinsecâ compositione quantitatis, esse in Sacramento; quamvis situalis aut localis ibi non sit, sicut neque est distantia organorum quoad locum. *Nec tamen sequitur*, ait Author in 4. d. 10. in fin. ar. 2. *quod dicamus corpus Christi confusum: quia ordinem habent partes inter se, licet secundùm ordinem illum non comparentur ad dimensiones exteriores:* & consequenter habent distantiam in toto, qua pedes, v. g. magis à capite distent quàm collum quod unitur immediatè capiti; cùm pedes uniantur ei, mediante reliqua parte corporis; non habent tamen distantiam localem. *Non est*, inquit dicta d. 10. ar. 3. q. 3. ad 2. *accipere ordinem partium corporis Christi secundùm comparationem ad partes hostiæ, est tamen accipere ordinem ipsarum partium ad invicem in corpore Christi, secundùm propriam quantitatem.*

Circa Responsionem ad 1. adverte quod cùm quantitas corporis Christi sit in Eucharistia non vi consecrationis & per se, sed ratione substantiæ quam concomitatur & afficit: B. Thomas rectè con-

Universidad de Deusto
Biblioteca



concludit opottere ut accommodetur corpori A Christi,ac proinde habere modum existendi qualem habet ipsum corpus. Quare cùm corpus ibi sit per modum substantiæ indivisibiliter, totum in toto & totum in singulis partibus; oportere, ut etiam quantitas similiter existat.

### Articulus V.

*Vtrùm Corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco?*

AD hujus intelligentiam præmittendum est præsentiam corporis Christi in hoc Sacramento,esse modum aliquem realem intrinsecè asB ficientem ejus substantiam, ab eaque distinctum ex naturâ rei, sicut distingui solent modi rerum à rebus.

Probatur Primò, quia Synod.Trid.sess.13. can. 1. *definit in Sanctissimo Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem unà cum animâ & divinitate Domini nostri Iesu Christi*: ergo est ibi per realem præsentiam.

Secundò, Christum esse realiter præsentem speciebus, est admirabilis effectus divinæ potentiæ:ergo præsentia est aliquid reale; ipsa enim est id quo Christus formaliter est præsens.

Tertiò, ratione hujus præsentiæ Christus realiter à nobis sumitur, intra nos est, propinC quior est quàm ante: igitur ipsa est realis.

Quartò, Christum hîc esse, est aliquid quod ante non erat; nec est denominatio extrinseca: ergo est aliquid intrinsecum.Unde & per novam actionem realem acquiritur corpori Christi, potestque amitti manente integrâ substantiâ: ergo est aliquid ab eâ distinctum.

Etsi verò præsentia sit quædam relatio; quia tamen oportet esse aliquod fundamentum relationis:ideò relatio præsentiæ corporis Christi supponit fundamentum,quod est ipse modus quod substantia corporis Christi existit ubi ante non erat. Porrò quia non est ibi per quantitatem molis aut virtutis, sed immediatè per suam substantiam: D ideò modum hunc revocant nonnulli ad substantiam,ut Nugnus, alijs licet contradicentibus. Præter hanc præsentiam, corpus Christi secundùm esse sacramentale, importat certam habitudinem ad species: ratione cujus dum sub eis mutat locum, vel circumfertur, manet eodem modo præsens speciebus, retinetque idem esse Sacramentale: quamvis non maneat alijs rebus similiter præsens, sed mutet relationes propinquitatis & distantiæ. Hujus habitudinis meminit Author articulo seq. in corpore, & ad 3.ubi videndum erit in quo consistat: nunc autem examinandum restat.

E

*Quæst.* An ratione hujus præsentiæ possit dici Corpus Christi esse in hoc Sacramento, sicut in loco?

*Resp. Corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco strictè loquendo.* B. Thom. alijque communiter respondent negativè, strictè nimirum sumentes, esse in loco, prout dicit commensurationem secundùm quantitatem, inter locans & locatum: nam corpus Christi est sub speciebus,non secundùm modum quantitatis,sed per modum substantiæ, id est, eo modo quo substantia continetur sub suis accidentibus: substantia autem aliqua non continetur sub suis accidentibus sicut in loco, sed localiter est in loco suarum dimensionum, ipsis mediantibus. Neque tamen dici potest quod corpus Christi similiter sit in loco dimensionum ipsarum specierum: quia non est earum subjectum: & ideò non extenditur per illas sicut substantia panis extendebatur per dimensiones quarum ipsa erat subjectum proprium.

Porrò,si (esse in loco) sumatur generaliùs, pro *Sed bene* esse realiter præsentem alicui loco: sic omnino *generaliter.* fatendum est corpus Christi in Eucharistia, esse in loco: quia realiter est præsens illi spatio in quo sunt species, ut indicat Concilium Tridentinum sess.13. cap.1. affirmans hæc non pugnare, Christum juxta modum existendi naturalem esse in cælis; & nihilominus multis alijs in locis Sacramentaliter esse præsentem secundùm suam substantiam. Neque B.Thom. existimandus est diversum sentire. Cum enim qu.75. a.1. ad 4. dicat corpus Christi esse in diversis altaribus, non solum sicut in signo,sed sic,ut verè ibi sit;cumque hîc in corpore admittat substantiam corporis Christi comparari ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis,ut & lib.4.contra Gent. c.64 & in 4. dist.10. ar.1.ad 5. satis ostendit corpus Christi in Eucharistia existens, esse quadam ratione in loco. Unde in resp.ad 2.*Locus*,inquit, *ille in quo est corpus Christi, non est vacuus*.Confer quæ in resp.ad 1. dicimus,& observa quòd B.Tho. nunquam dicat Corpus Christi in Eucharistia nullatenus esse in loco,sed solum quod non est in Sacramento,*localiter*,quod *non situaliter*,quod *non sicut in loco*. Corpus enim quod est alicubi sicut in loco,comparatur ad illum locum mediantibus dimensionibus proprijs: Atqui corpus Christi in Eucharistiâ non comparatur ad locum, v. g. ad altare in quo est, mediantibus suis proprijs dimensionibus, sed mediantibus duntaxat dimensionibus panis remanentibus, quibus locus adæquatur: ergo corpus Christi non est ibi sicut in loco. Majorem probat, quia *Omne corpus locatum*, hoc est, localiter existens alicubi,*est in loco secundùm modum quantitatis* (suæ scilicet) *dimensivæ,in quantum commensuratur loco secundùm suam quantitatem dimensivam*.Minor patet, quia tantum abest ut substantia corporis Christi comparetur ad locum mediantibus suis dimensionibus: quin potius dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia;quia videlicet ipsa corporis Christi substantia *per se & immediatè ordinatur ad hoc quòd sit sub sacramento: dimensiones* autem *ejus propriæ ex consequenti & per accidens*,ut in 4.dist.10. art.2. quæstiuncula 3. ad 2. loquitur, in quantum scilicet illæ dimensiones naturaliter comitantur substantiam. Est autem contra naturam corporis alicubi existentis sicut in loco, quod comparetur ad locum illum mediante substantia.

In Resp.ad 1. observandum est quod Christus *Christus non est in Eucharistia, sicut in loco definitivè.* in Eucharistiâ nec circumscriptivè sit in loco, nec definitivè. Non circumscriptivè, quia partes non coextenduntur spatio. Nec definitivè, quia ex vi modi hîc existendi potest sine novo miraculo esse in alijs locis, ut quando dividitur hostia, & aliò circumfertur. Illud autem dicitur esse in loco definitivè quod sic est in uno loco suæ quantitati vel virtuti commensurato, ut ex vi illius præsentiæ nequeat simul esse in alijs sine novo miraculo,quia per suam quantitatem aut virtutem quodam modo finitur, & terminatur isto loco. Christus igitur in Eucharistia, est in loco, modo quodam altioris ordinis, incognito Philosophis solum naturalia considerantibus. *Comparatio Christi ad species sub quibus est*,ait B.Tho.dicta dist.10.ar 3.

quæ-



quæstione 1. ad 1. *Non est similis alicui comparationi naturali; & ideo non potest reduci propriè loquendo ad aliquem modorum à Philosopho assignatorum;tamen habet aliquam similitudinem cum illo modo quo aliquid dicitur esse in loco,&c. Et secundùm hoc Innocentius dicit corpus Christi esse in pluribus locis quod continetur sub pluribus speciebus.* A

Ratione enim specierum est verè ac realiter præsens in omnibus illis locis ubi sunt ipsæ species. Hinc B.Thomas in opusc.10.aliàs 11.*Trigesimus*, inquit, *tertius articulus est: An corpus Christi in sacramento sit in loco.Dicitur quod est in loco altaris vel in Ecclesia: sed hoc verum est quòd corpus Christi non est in sacramento ut in loco; non enim comparatur ad sacramentum ut locatum ad locum, quia non* B *commensuratur ei secundùm proprias dimensiones.*

### Articulus VI.

*Vtrum corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento.*

VIDETUR quod sic. Primò, quia dum aut processionaliter, aut ad ægrotos circumfertur, mutat locum.

Secundò, est hîc passibiliter, ergo mobiliter. Antecedens videtur esse Chrysostomi hom. 24. in priorem ad Corinthios,dicentis:Quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet. Hom.83. in Matth. Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis, & hom.45. in Ioannem, Non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed & tangi,& manducari,& dentes carni suæ infigi. Huic consonat confessio Berengarij sub Nicolao secundo de consˉ. d. 2. c. *Ego Berengarius*, ubi profitetur verum corpus & sanguinem Christi sensualiter, non solùm in sacramento sed in veritate, manibus sacerdotium tractari,frangi,& fidelium dentibus alteri. C

*Christus non est in sacramento mobiliter.* Responsio B. Thomæ & communis est, Christum per se loquendo, esse immobiliter in hoc sacramento.

Motu *locali* quidem; quia quod per se non est in loco,non potest per se loco moveri; cùm moveri loco,includat esse in loco.Unde ad hoc quod aliquid per se moveatur in loco, oportet quod per se sit in loco, & quòd per se moveatur, non D ad motum alterius.

Motu *desitionis* quia corpus Christi de se est indeficiens & incorruptibile: ergo non potest per se deficere, sic nimirum ut desitio incipiat ab ipso & non à speciebus.

Motu etiam *alterationis*, quia terminus illius naturaliter est extensus ac in subjecto extensio: sicut enim corpus naturaliter postulat modum existendi in loco extenso; ita etiam qualitates & passiones ejus.

*Christus ut in sacramento non potest pati.* Ex his sequitur quod Christus, prout in sacramento existens,non possit nutriri,augeri,minui: E imò(si secludatur novum miraculum) nec pati ea quæ dicunt ordinem ad locum.Velle autem,& fine conversione ad phantasmata intelligere,imo & in exteriora agere, potest. Quia tamen corpus Christi tale est in sacramento,quale existit in rerũ naturâ: ideò termini operationum dependentes à loco,sive accidentia interna & absoluta,quæ sunt in corpore Christi secundùm speciem naturalem existente, sunt etiam in illo sacramentaliter existente;quamvis non possint poni per actionem in illud, secundùm quod est in sacramento, cum ibi sit modo impassibili, ut quæst.75.art.1.diximus, & ab Authore traditur quæst.81 art.3.

Loquendo verò de motu per accidens, dicit B. Thomas corpus Christi in hoc sacramento moveri ad motum specierum. Sicut enim anima movetur per accidens motu corporis, & motis nobis, moventur omnia quæ in nobis sunt: ita corpus Christus sub speciebus contentum,ad earum motum localem loco movetur. *Et modo quo convenit corpori Christi esse in loco ratione dimensionum sacramentalium,convenit sibi moveri in loco*,ait in opusc. 10.aliàs 11.art.34. Unde Conc.Trid.sess.13.c.5. & can.6. dicit Christum in processionibus circumgestandum:quæ circumgestatio,ut & ad infirmos delatio,fieri non potest sine motu locali. *Christus in sacramento movetur motu speciebus.*

Et quamvis nonnulli dixerint corpus Christi *Movetur à movente speciebus.* in Eucharistia moveri solùm vel à Deo, vel ab ejus anima: omnino tamen est asserendum quod moveatur ab eo qui movet species.

*Primò*,quia alioquin nec sacerdos verè deferret corpus Christi, nec ullus ipsum manducaret: utrumque enim istorum includit motum localem; qui ut sit manducatio, fieri debet à principio vitali,sive per potentias manducanti internas.

*Secundò*, quia sicut substantia panis erat antea firmiter connexa speciebus, per naturalem unionem,quam nulla vis creata posset dissolvere,extremis manentibus salvis: ita corpus Christi firmissimè connectitur speciebus, succedit enim pani, substantiale ejus officium (exceptâ inhærentiâ) suscipiendo, intimè sub speciebus existendo, seque illis uniendo, unde B.Thomas in 4.d.11.q.1. art.1. quæstiuncula 1. ad 1.exponens verba Damasceni, asserentis Christum conjugasse divinitatem suam pani & vino; dicit hoc intelligendum, quantum ad species quibus corpus Christi divinitati unitum, modo ineffabili conjungitur. Quæ conjunctio non dicit unionem formalem propriè dictam;sed effectivam,& quandam formali similem, quia corpus Christi species antea materialiter sustentatas à substantia panis, effectivè sustinet, sine subjecto sustentat,in eodem esse conservat, & sub eis vicissim continetur, ut ex Concilijs Florentino & Trid. patet atque ex cap. *firmiter*, de Sancta Trinitate: quanquam ipsum non pendeat ab illis,sed illæ ab ipso,ut dicitur hîc ad 3.

Ex his colligitur habitudo corporis Christi ad *Quæ habitudo corporis Christi ad species.* species,nõ solum esse signati ad signum;sed etiam contenti ad continens, & uniti ad coũnitum. Hujus ergo unionis ratione, is qui movet species movet etiam corpus Christi.

Imò per hanc admirabilem conjunctionem,accidentia panis & vini,etsi nõ omnia,saltem aliqua, tribuuntur corpori & sanguini quæ continentur sub illis;quædam propriè,quædam impropriè.Motus localis propriè illi tribuitur,quamvis per accidens;ut cum dicitur,corpus Domini elevari,deferri,recondi,manducari.Neq; enim illis accedimus; qui denominatione solùm extrinsecâ putant corpus Christi in Eucharistiâ localiter moveri, cum non sola species, sed etiam ipsum fiat præsens illi loco ubi ante non erat, mutetque propinquitatem & distantiam: sed existimamus mutationem illam loci recipi in corpore Christi secundùm esse quod habet in sacramento; quamvis secundùm esse vel modum essendi quem habet in cælo,maneat immobilis.Alioquin, eadem ratione posset dici calefieri,frigefieri,putrescere;quod tamen nec B.Thomas admittit,nec alij; quia termini illarum mutationum non pertingunt ad corpus Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quædam alia, ut tangi, videri, gustati, frangi, dividi, misceri, minus propriè tribuuntur corpori vel sanguini Christi, & non nisi quia species ipsæ tanguntur, videntur &c.

Ratio autem istarum attributionum, est ad magis explicandam realem corporis & sanguinis Christi præsentiam: dicuntur enim ea videri & tangi, quæ solùm per accidens in aliquo signo realiter ipsa continente percipiuntur visu vel tactu, quod patet in Angelis dum apparent in corporibus assumptis. Ex his patet Responsio ad argumenta.

AD 1. DICENDUM EST corpus Christi in Eucharistia mutare locum per accidens: sicut per accidens est in loco.

B

AD 2. Christum hîc esse impassibiliter: cujus corpus dicitur à Chrysostomo pati, non passione quæ dolorem inferat, sed quæ genus sit ad illam etiam divisionem & fractionem, quæ illi tribuitur ratione solarum specierum.

Berengarius autem confessus est corpus Christi non solum in sacramento, id est, in signo quod à re significata sit sejunctum, sed in veritate, sensualiter tractari, frangi, & atteri: quia verè est sub speciebus quæ sensualiter tractantur, franguntur, & atterentur.

Cur autem in altera ejusdem confessione sub Gregorio 7. nulla fiat mentio fractionis & attritionis, inde accidit, quod ibi aliam hæresim (quæ C nunc est Lutheranorum) abjuraret. Prior verò confessio fractionem expresserat isto modo: ut ejus dolo obviaretur, qui cùm admitteret fractionem circa corpus Domini, addebat tamen eam fieri in signo, id est, in vero pane qui esset signum corporis Christi. Cùm autem propriè loquimur, canimus cum B. Thoma.

*Nulla rei fit scissura. A sumente non concisus,*
*Non confractus, non divisus, integer accipitur:*

qui proinde quæst. 77. art. 7. docet corpus Christi hîc non propriè frangi, sicut propriè manducatur.

In responsione ad 3. docet corpus Christi desinere esse in sacramento ad desitionem specierum: quia tunc tollitur habitudo quam ad illas habebat. D

*Quo modo Christi corpus desinit esse in Sacramento.*

Hæc autem desitio non est intelligenda per motum localem, quo Christus relictis speciebus in cælum ascendat; cum in solâ Eucharistiâ sit modo indivisibili & substantiali, non autem in aëre, vel in cælo. Neque per solam mutationem specierum, sicut Deus desinit esse in creatura quæ corrumpitur, Deus enim quamvis definat esse in tali creatura, manet tamen præsens eidem illi spatio: corpus autem Christi definit esse præsens non solùm speciebus, sed etiam spatio illarum. Quare est accipienda per amissionem præsentiæ sacramentalis, ita ut substantia corporis Christi desinat esse hîc & sub illo modo, sub quo ante erat. Quæ desitio, provenit ex defectu specierum, quia Deus tunc desinit conservare corpus Christi sub ipsis præsens, quando ipsæ desinunt. E

### ARTICULUS VII.

*Oculus corporeus non potest videre corpus Christi prout est in Eucharistia.*

ART. 7. docet nullum oculum corporeum posse videre corpus Christi prout est in Eucharistiâ.

PRIMÒ, quia ut corpus aliquod videatur, debet immutare medium per sua accidentia, diffundendo species, & propterea illa accidentia debent existere modo naturali, & quantitativo: Accidentia autem corporis Christi prout in sacramento existit, non possunt immutare medium quia sunt hîc indivisibiliter, nec habent immediatam habitudinem ad species vel ad corpus circumstans.

SECUNDÒ, quia corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, id est, secundum modum qui per se convenit substantiæ, ut præscindit ab accidentibus: substantia autem sic considerata non est visibilis oculo corporali.

## QUÆRITUR tamen, I.

### *An per absolutam Dei potentiam oculus corporeus nequeat videre Christum in Eucharistia.*

VIDETUR quòd non, PRIMÒ, quia ut ex rationibus B. Thomæ patet, corpus Christi sic existens non est objectum potentiæ visivæ.

SECUNDÒ, quia talis modus existendi est omnino invisibilis: non potest autem videri Christus hîc existens, nisi etiam videatur modus quo existit, quia visio fertur in rem suo modo existentem.

TERTIÒ, Christus non videretur extensus, quia hoc modo non est in sacramento; neque videretur inextensus, quia visio fertur in objectum extensum, ergo.

CONTRA tamen est quod B. Thomas hîc ad 2. tradit oculum corporalem Christi videre se in hoc sacramento.

Neque responderi potest eum loqui de visione per accidens, quâ videat signa corporalia quæ sunt testimonia præsentiæ Christi. *Primò*, quia nihil ibi videt quod sit signum præsentiæ sacramentalis. *Secundò*, quia sequeretur illos videre Christum in Eucharistia, qui vident signa externa quibus probari possit Christum ibi esse.

SED NEC aliorum Responsio vera est, dicentium illud (*in sacramento*) jungendum esse subjecto non objecto, ut sensus sit, Oculus Christi in Eucharistia existens videt se, scilicet in cælo existentem. *Primò*, quia textus refragatur qui dicit, *videt seipsum sub sacramento existentem*. *Secundò*, quia argumentum cui respondet, procedit de corpore prout est in sacramento.

*Absoluta Dei potentia potest oculus corporeus videre Christum in Eucharistia.*

SENTENTIA ERGO AUTHORIS hîc, & in 4. distinct. 10. art. 4. quæstiuncula 1. ad 1. cui consentit Scotus dist. 10. qu. 9. est, fieri posse quod oculus corporeus videat Christum in Eucharistia existentem, sive substantiam ejus intra species contentam; quamvis non possit videre modum essendi in sacramento, nec Christum formaliter cum tali modo existentem. Unde videre Christum prout est in sacramento, bifariam potest intelligi. *Primò*, ut dictio (*prout*) reduplicet rationem formalem & significetur videre Christum cum eo modo istâque formali ratione quâ continetur sub speciebus. *Secundò*, ut solùm reduplicet conditionem, significeturque videre Christum in sacramento existentem; taliter quod ex vi istius visionis, non videatur alibi, sed intra species, perinde ac si solùm ibi haberet esse; ac nihilominus non videantur modus essendi sub illis.

Proti



Priori modò non potest oculus corporeus videre Christum in Eucharistiâ: posteriori potest, quia cum in sacramento habeat quantitatem, qualitatem, omniaq; accidentia sua absoluta, habet etiam colorem, ideòque potest esse objectum visus. Quia tamen ea sunt ibi non modo naturali, quantitativo, & extenso, sed per modum substantiæ, qui secundùm se est invisibilis, nec continetur intra latitudinem objecti sensûs; ideo videri nequeunt eo modo quo sunt, neque Christus ut sic est objectum visus, unde patet Responsio AD 1. A

AD 2. Negatur Minor, quia dum substantia est naturalis, modus autem existendi ejus supernaturalis, potest illa videri non viso isto: secus in naturalibus, ubi etiam modus secundùm se visibilis est, quamvis per accidens. B

AD 3. Christus videretur extensus, eâ tamen magnitudine & figurâ quam Deo placeret exhibere. Visio autem hæc fieret, vel Deo producente species corporis Christi in oculo videntis, vel ipso corpore illas emittente per operationem naturali superiorem.

Neque verò hinc sequitur distinctionem oculi Christi ab alio glorioso (de quâ B. Thomas in Resp. ad 2.) non subsistere. Cùm enim Christi oculus sit intra species. S. Doctor vult eum ex natura gloriæ, videre seipsum ibi existentem, licet non sub eo modo quo ibi continetur: alium autem oculum glorioſum, quia non continetur C sub speciebus, non videre, nisi forte per miraculum sine quo consistit ejus glorificatio.

Cùm B. Thomas dicit substantiam in quantum hujusmodi non esse visibilem, ne quidem imaginationi, loquitur de substantia ut habente modum substantiæ, sive ut abstrahit à quantitate, & conditionibus quantitatem consequentibus: Alioquin quod substantia singularis habens modum quantitatis percipiatur ab imaginativâ, non est dubium ex 1. p. q. 78. art. 4. Atque hæc de visu: de intellectu verò.

## QUÆRITUR II. D

### *Vtrùm intellectus creatus videat Christum in Eucharistia existentem.*

VIDETUR quòd sic, PRIMÒ, quia Anima Christi naturaliter novit se esse, ubicunque est.

SECUNDÒ, Angelus naturaliter videt abesse panem, & accidentia non inhærere subjecto: ergo potest colligere ibi esse corpus Christi, præsertim cùm illud, sicuti & modus ejus existendi, sit objectum intellectus. E

TERTIÒ, existentia in sacramento non est excellentior ipso Christi corpore, sed hoc videt Angelus, ergo & illam. Neque dici potest visionem impediri per modum existendi supernaturalem, quia ille solum est accidentarius.

*Intellectus creatus non potest naturaliter videre Christum in Eucharist.*

RESPONSIO S. THOMÆ & communior est, nullum intellectum creatum posse naturaliter videre, vel Christum in Eucharistia existentem, vel modum quo ibi existit: quia modus existendi quo Christus est in hoc sacramento, est penitus supernaturalis, cognitio autem intellectiva naturalis, fit per speciès, aut à rebus acceptas, aut congenitas quidem, sed quæ sint rerum pertinentium ad naturalem ordinem universi.

*Sylv. in III. Part.*

AD 1. ERGO ARGUMENTUM, Negatur assumptum, & quamvis naturale sit animæ humanæ esse totam in toto, & totam in qualibet parte: supernaturale tamen est, esse taliter sub accidentibus alienis, cujusmodi sunt species sacramentales, ideoque etiam ad cognitionem supernaturalem pertinet, quod sciat se ita esse sub illis.

AD 2. Negatur consequentia. Aliud enim est cognoscere quid ibi sit, aliud, quid non sit, quanquam nec absentia panis tam evidenter cognoscatur naturali virtute, quin (si ea sola spectetur) locus esse possit dubitationi, an intellectus à talis substantiæ cognitione divinitus impediatur: Deinde, licèt ens supernaturale possit esse objectum intellectus, non est tamen objectum naturaliter ipsi proportionatum.

AD 3. Negatur consequentia, eò quod modus & corpus sub eo modo existens, est cognoscibile altioris ordinis, ideoque extra totum ordinem rerum ad naturalem cognitionem pertinentium & sic, modus accidentalis, non quia excellentior sed quia superioris ordinis, impedire potest naturalem cognitionem substantiæ.

*Angeli beati vident corpus Christi sub sacramento.*

Potrò, quamvis Angeli beati per naturalem cognitionem non videant corpus Christi sub sacramento; vident tamen per visionem divinæ essentiæ. *Dæmones* verò, *non possunt videre nisi per fidem* ait hîc B. Thomas. Quod non est ita intelligendum, quasi in dæmonibus sit fides seu donum fidei infusum; Tale enim donum ab eis excludit 2. 2. q. 5. art. 2. sed quia per evidentiam signorum convincuntur, & quodammodo coguntur ad assentiendum veritati quam non vident, vide B. Thomam dictæ dist. 10. art. 4. quæstiuncula 4.

### ARTICULUS VIII.

*Vtrùm quando in hoc sacramento miraculosè apparet caro vel puer, sit ibi verè corpus Christi.*

NON quærit de speciebus vel in lapidem, vel in cineres, vel in aliud simile conversis, ad significandum communicantis duritiem, impuritatē, & Christi ab eo elongationem: cujus unum exemplum refert B. Cyprianus tractat. de lapsis. Cùm enim ejusmodi permanenter appareant, neque species sacramentales persistant, sed res omnino diversæ, atque à naturâ carnis & omnis cibi alienæ; satis intelligitur ibi non manere corpus Christi: Sed quæstionem movet de illo quod cum cibo, vel Christo ipso affinitatem habet; scilicet, an ea caro vel iste puer apparens, sit ipsum Christi corpus: vel, an apparente carne aut puero sub hostia, ibi maneat corpus Domini.

*Respondet cum distinctione.*

PRO RESPONSIONE dicit ejusmodi apparitiones interdum fieri solùm ex parte videntis per immutationem solius potentiæ, organi, vel medij, in quo formantur à Deo species rerum quæ videntur, nulla immutatione factâ ex parte sacramenti. Quomodo verisimile est accidere, quando uni vel alteri apparet talis immutatio, alijs eodem tempore videntibus solam speciem panis, sicut priùs: Item quando apparet eidem, modò sub specie carnis aut pueri, modò sub specie panis. Cujus rei exemplum adfert Joannes Diaconus l. 2. vitæ B. Gregorij c. 41. de hostia quæ ad preces ipsius B. Greg. caro facta apparuit, & postmodum denuò sub pristina specie panis visa est.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Aliud refert Cantipratanus lib. 2. de apibus c. 40. de eo quod in sua præsentia Duaci contigit anno 1254. in nostra S. Amati Ecclesia. Et quia in hoc genere apparitionum, nulla fit in speciebus mutatio, manet sub eis Christus Dominus, sicut antea. Imò nec vera caro est quæ apparet, cùm ponatur mutatio fieri non in objecto, sed in sensu. Quibus casibus quare non sit deceptio, B. Thomas hîc explicat, quia scil. talis species à Deo formatur in oculo ad manifestandum quod corpus Christi verè est in isto sacramento: sicut etiam sine deceptione apparuit discipulis euntibus in emaus Luc. 24. A

Interdum verò ejusmodi apparitiones fiunt per veram specierum sacramentalium mutationem in colore, figura, & similibus accidentibus communibus: & quod tunc apparet, neque est ipse Christus, neque caro Christi, ait B. Thomas hîc, Richardus, Durandus, & alij in 4. dist. 10. B

Primò, quia quod apparet, aliquando diu perseverat, nigrescit, & corrumpitur: corpus autem Christi est incorruptibile.

Secundò, ubicunque est pars corporis Christi ibi propter connexionem realem est integer Christus, cum animâ & sanguine.

Tertiò, quia etsi non sit prorsus impossibile quod idem corpus videatur in duobus locis, ut q. 1. 75. art. 1. diximus; non videtur tamen conveniens id in proposito fieri, ubi nulla necessitas id postulat. Sed nec probabile est, quando videtur sanguis ex hostia fluere, illum esse sanguinem Christi cùm is à corpore corporisque venis nunquam separetur. Imò addunt alij, id quod apparet, non esse veram carnem aut verum sanguinem; sed vel colorem carnis aut sanguinis, inhærentem speciebus sacramentalibus, vel (si quod apparet, multò majus est quantitate specierum) aliquid ex corpore circumstante factum, figuram carnis referens. Quamdiu verò facta coloris, similiumque accidentium mutatione, manet ea quantitas quæ priùs fuerat panis; manet etiam corpus Christi. Quantitatem intellige, cum eadem densitate, odore, sapore, temperamento, quod ad conservationem substantiæ panis, si illic esset, sufficeret. C

Verisimile autem esse, quod in miraculosis apparitionibus communiter illa maneant argumento est, tum quod mutationes præcipuè fiant circa illa accidentia panis quæ sunt communia; tum quod Ecclesia soleat hostias consecratas in colorem carneum vel sanguineum mutatas, venerari, ut verum Eucharistiæ sacramentum. D

Et quamvis ob temporis diuturnitatem, interdum apparere possint sufficientia indicia corruptionis; adhuc tamen possunt asservari, & honorari, non eo honore qui debetur corpori Christi, sed qui ejus signo vel vesti.

Præterea, non improbabile est species istarum apparitionum sacramentales, divinâ virtute servari subinde incorruptas diutius quam alioquin permanerent: sicut servantur quorundam sanctorum reliquiæ. E

Quid eo casu agendum sit sacerdoti quando post consecrationem apparet miraculosè caro vel sanguis, quæst. 82. art. 4. ad 3. videatur.

## QUÆSTIO LXXVII.

*De accidentibus remanentibus in hoc sacramento.*

### Articulus I.

*Accidentia manent sine subjecto.*

Art. 1. docet accidentia in hoc sacramento manere sine subjecto.

Quod maneant, est sensu notum, ut dicebatur art. 5. qu. 75.

Quod non inhæreant substantiæ panis & vini, est fidei, docentis transubstantiationem.

Quod non sint in ullo alio subjecto, certum est: an autem fide, non liquet. Dominus in 4. d. 10. qu. 2. art. 1. affirmat, conformiter Concilio Constantiensi sess. 8. damnanti hunc articulum 2. Accidentia non manent sine subjecto in eodem sacramento.

Quamvis enim non omnes illi articuli condemnentur ut hæretici videri tamen potest quod iste sic damnetur, tum quia repugnat patribus & Concilijs, Florentino & Tridentino asserentibus sola accidentia panis & vini remanere, tum quia non potest eis subjectum aliquod assignari absque novo & extraordinario miraculo, cujus nec ex forma consecrationis, nec aliunde fundamentum habetur.

*Cur accidentia maneant sine subjecto.*

Cur autem conveniat accidentia sic manere; Una ratio est, quia expressiùs & immediatiùs ducunt in corpus Christi, quod sub eis continetur; sic enim haberent subjectum, ducerent immediatè in illud.

Altera, quia sacramentum hoc est cibus spiritualis, & ideo convenit ut nullum sit sub accidentibus subjectum, quod possit esse cibus corporalis. Vide B. Thomam in 4. dist. 12. qu. 1. art. 1. quæstiuncula 2.

*Ob.*

Dices, articulo sequenti docetur quantitas esse subjectum aliorum accidentium: ergo non est verum, accidentia manere sine subjecto. Respondetur negando consequentiam. *Primò*, quia tota congeries accidentium, in qua etiam continetur quantitas, non habet aliquod subjectum. *Secundo*, quia unum quodque eorum caret subjecto substantiali seu ultimo.

*Resp.*

*Quid sit de essentia accidentis.*

Circa Responsionem ad 1. advertendum est eam servire priori tantum parti argumenti: ad posteriorem verò respondit quæst. 75. articulo quinto ad 2. & in 4. dicta quæstiuncula 2. ad 2.

Responsio ad 2. in hoc consistit, quod de essentia accidentis sit aptum esse subjecto inhærere; non autem, actu subjecto inesse, sicut de natura substantiæ est quod apta sit naturaliter existere sine subjecto.

In Responsione ad 3. adverte accidentia panis & vini retinere idem esse individuale, eandemque numero existentiam quam priùs habebant, atque adeò manere individua, propter habitudinem ad idem subjectum. In doctrina enim Authoris accidentia individuantur ex subjecto, id est, ex ordine seu habitudine ad subjectum, quod eis naturaliter existentibus convenit. Quod autem horum accidentium existentia, priùs idem esset quod inhærentia, non similiter postea, nihil obstat: eadem enim est existentia, quæ tunc, propter subjectum sustentans dicebatur inhærentia; & quæ nunc eo absente, non sic vocatur.

Unde,



*Quæst. Resp.*

Unde, quærenti quomodo faciat Deus accidentia separatim esse sine subjecto: Respondendum videtur, quòd nihil reale de novo tribuendo accidentibus, sed partim tollendo illam imperfectionem, quæ est actu inhærere; partim, efficienter sustinendo entitatem & existentiam illorum, extra subjectum. A

Confirmatur, Si accidentibus aliquid novum tribueretur; vel esset substantia, vel accidens, vel modus accidentarius repugnans actuali inhærentiæ. Non substantia, partim quia nulla est ibi substantia, præter corpus Christi; partim, quia sic accidentia non essent sine subjecto. Non etiam accidens, aut modus accidentalis. Primò, quia illud egeret etiam subjecto vel aliquo alio modo ad existendum. Secundò, quia talis modus est maximè imbecillis, totus pendens ab essentiâ accidentis: & sic non juvaret illud ad existendum per se. B

*Ob.*

Necobstat B. Thomas in Responsione ad 4. dicens quod illa accidentia cùm in subjecto essent, non habeant esse; cùm autem separata sunt, conponuntur ex esse & quod est: quamvis enim accidens sive sit in subjecto sive non, semper habeat suam essentiam & suam existentiam, quando tamen est in subjecto, ipsum non est simpliciter id quod existit, sed potiùs id quo subjectum accidentaliter est: quando autem separatim existit, consideratur ut id quod habet esse sive existentiam: quia illud sibi habet, & non applicat alteri.

*Resp.*

### Articulus II.

*Quantitas est subjectū aliorum accidentium.*

Art. 2. probat quantitatem remanentem esse subjectum aliorum accidentium. Ac proinde miraculum est, quod quantitas separetur à substantia; non est tamen aliud miraculum, quod alia accidentia maneant; sed sicut priùs sustinebantur à quantitate, & ea mediante à substantia; ita post separationem à substantia, manent à quantitate sustentata.

*Quæst.*

Si tamen quæratur, an divinitùs fieri possit quod non solùm quantitas, sed etiam alia accidentia sine omni subjecto existant. Respondendum est, posse; cùm nullam hoc implicet contradictionem, magisque pendeant à substantia, à qua tamen de facto separantur, quàm à quantitate. Unde licet Author videatur esse contrarius quod l. 7. art. 10. illa tamen quæ tum hîc, tum art. 1. dicit, satis ostendunt eum similiter sentire. D

*Resp.*

Quod hîc dicitur, materiam esse principium individuationis quantum ad unum, & quantitatem dimensivam quantum ad alterum: non sic est accipiendum quasi significetur totum individuationis principium esse vel materiam, vel quantitatem, vel utrumque simul. Nam 1. p. q. 29. art. 2. ad 3. & q. 75. art. 4. ad rationem hujus hominis individui docetur requiri, non solum has carnes, & hæc ossa, sive hanc materiam singularem, sed etiam hanc animam, id est, formam singularem. Quod igitur B. Th. hîc docet, est hoc. E

Cùm de ratione individui sit quod non possit esse in pluribus: istud autem, non posse esse in pluribus, accidat vel quia quippiam non est natum esse in aliquo, vel quia etsi natum sit in aliquo esse non potest tamen esse in pluribus: declarat quidnam sit principium individuationis quantum ad unum, & quid quantum ad alterum.

Quantum ad prius, materiam dicit esse individuationis principium formis inhærentibus; quia cùm ipsa sit omnium corporearum rerum primum subjectum, non est nata esse in aliquo & sic formis quæ in ipsa sunt, causa est ut nō possint esse in pluribus: quamvis enim illæ formæ quantum est de se, natæ sint esse in aliquo; ex quo tamen aliqua earum recipitur in materia quæ non est in alio, ipsa forma sic existēs, in alio esse potest.

Quantum ad posterius, quantitas dimensiva est individuationis principium formis accidentarijs, quia inter formas accidentarias prima est, quæ quidem nata est esse in aliquo sed non potest esse in pluribus. Ac proinde est prima radix cur illæ formæ non possint esse in pluribus dum eæ recipiuntur in quantitate, quæ ipsa in pluribus esse non potest.

In Resp. ad 3. observandum est ex Authore dicta dist. 124. Sententiarum, quod materia quæ ponitur in definitione taritatis, & densitatis, non est de essentia illorum: non enim densitas est materia multa existens in parvis dimensionibus, sed est proprietas quædam, naturaliter consequens ex eo quod materia sic se habeat. Hanc autem proprietatem potest Deus facere, etiamsi materia non esset. B

### Articulus III.

*Species sacramentales possunt agere.*

Art. 3. probat species sacramentales omne illud agere posse, quod poterant præsente substantia panis aut vini: quia retinent idem esse, ex art. 8. subintellige, *cum eodem modo naturali proportionato ad agendum*: ne quis objiciat de corpore Christi, quod licet in Eucharistia habeat idem esse quod alibi habet, non potest tamen naturaliter ibi agere & pati omnia quæ potest extra, ut art. 6. & 7. q. superioris dictum est. C

Confirmatur, Quantitas non est principium agendi; qualitates autem quæ actionum principia sunt, eodem modo sunt in quantitate, quo prius erant: Sed, etsi modum existendi variarent, nihil obstaret; quia modus existendi per se non impedit actionem, præsertim cum quantitas modificet qualitates sensibiles eodem modo quo antè.

Hinc sequitur species agere posse in exteriora, alterando, & per consequens, etiam corrumpendo substantialiter, & generando, D

Quæri autem posset, quomodo species attingere possint productionem substantiæ? B. Thomæ tum hîc ad 3. tum 1. p. q. 45. art. 8. ad 1. q. 77. art. 1. ad 3. & 4. q. 115. art. 1. ad 5. conformiter, dicimus qualitates sacramentales agere tanquam virtutes substantiæ. Sicut enim accidens vocatur ens alterius, ita vis agendi ipsius (quæ non est entitas ab eo diversa) est virtus alterius, scilicet substantiæ; & ut talis, hîc conservatur.

Ex his intelligi potest, quomodo per hostiam sacram veneno infectam possit quis interfici.

### Articulus IV.

*Species sacramentales possunt corrumpi.*

Art. 4. docet species sacramentales posse corrumpi: per se quidem, per alterationem qualitatum, ut dum color & sapor immutantur; per accidens verò ad corruptionem subjecti; quia cum retineant idem esse quod prius habebant, id quod eas corrumpere poterat in substantia panis & vini existentes, idem nunc potest: ita scilicet ut desinant, quando substantia, si adesset, desineret. E

De quantitate verò peculiaris est difficultas. In sequendo sententiam B. Thomæ existimantis

Universidad de Deusto
Biblioteca



quantitatem ineſſe toti compoſito, atque adeò A aliam eſſe quantitatem, quando eſt aliud compoſitum dicendum eſt eam per accidens corrumpi, quando ex natura rei deſineret ſi ejus ſubjectum adeſſet, & cum re genita novam produci.

Juxta aliorum autem probabilem ſententiam exiſtimantium quod ſemper maneat eadem quantitas in eadem materia, conſequenter eſt dicendum quantitatem, corruptis ſpeciebus, remanere in materiâ quæ accedit. Nam ſi ſubſtantia panis adeſſet, quantitas non corrumperetur ad corruptionem panis: Non fiunt autem hîc ullæ aliæ generationes aut corruptiones quam quæ fierent, ſi ſubſtantia præcedens maneret, & ipſa alteraretur uſque ad corruptionem. B

Juxta hæc interpretari poſſumus quorundam Veterum ſententiam dicentium redire ſubſtantiam panis & vini, per ſynecdochen ſcil. quia redit pars ſubſtantiæ, nimirum materia. Redit autem vel per converſionem quantitatis in ipſam, ut hîc ad 3. & art. ſeq. ad 2. indicare videtur Author, vel (quod alijs videtur probabilius) de novo creatur: quod miraculum conſequenter ſe habet ad conſecrationem, quâ ſic panis tranſſubſtantiatur ut fieri nihilominùs poſſint illæ actiones, quæ priùs poterant. Hinc in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæſtiun. 4. *Si materia panis redire dicatur non quia eadem numero redeat, ſed alia ejuſdem rationis; tunc oportebit dicere quod illa alia materia de novo creetur, &c. Unde ſatis probabiliter per hunc modum opinio ſuſtineri poteſt.*

### Articulus V.

*Ex ſpeciebus aliquid generari poteſt.*

Art. 5. docet ex ſpeciebus Sacramentalibus aliquid generari poſſe.

Difficultas autem eſt in modo. Quod in refutatione ſecundi dicit; *Non poteſt ſubſtantia panis aut vini redire, niſi corpore aut ſanguine Chriſti iterum converſo in ſubſtantiam panis vel vini:* intelligendum videtur, aut ſervata conformitate ad actiones naturales, aut potius ſecluſis miraculis quæ non habent cohærentiam vel connexionem aliquam cum ſacramento: Alioqui, materiam poſſe creari de novo certum eſt.

Cum addit, *quod in nihilum decidit, non redit* C *idem numero*; ſimiliter intelligendum eſt, ſecluſo miraculo quod cum conſecratione non habet neceſſariam connexionem, nam ut poſtea ſubdit; *non rationabiliter videtur dici quod miraculosè aliquid accidat in hoc ſacramento, niſi ex ipſa conſecratione.* Alioquin ſicut idem numero corruptum reproducitur in reſurrectione; ita certum eſt, id quod eſt annihilatum poſſe idem numero reproduci, ut probat ipſemet Author quod l. 4. art. 5.

Modum igitur ponit ipſe quantitatem ſupplentem locum materiæ. Qui modus non ſic eſt accipiendus, ut ſola quantitate ſine ſubjecto generationis exiſtente, res genita conſtet forma ſubſtantiali & quantitate loco materiæ.

*Primo*, quia articulo ſexto, ad 2. dicit quod *ſpecies ſacramentales non ſunt ea ex quibus corpus hominis conſtat.*

*Secundò*, quia Deus ordinavit ſpecies remanentes exiſtere ſine ſubjecto tantùm in Euchariſtiâ, & non alibi: ac proinde deſinente Euchariſtiâ deſinit quantitas eſſe ſine ſubjecto.

*Tertiò*, quia inter quantitatem & formam ſubſtantialem non poteſt eſſe unio ſubſtantialis conſtituens ſubſtantiam.

*Quartò*, quia inde ſequeretur paſſem illius corporis humani quod diu aleretur hoſtijs conſecratis, non eſſe ejuſdem rationis cum alijs; & vermes qui ex illis ſpeciebus orirentur, eſſe formas E ſine materiâ.

*Quo modo quantitas ſupplet locũ materiæ.*

Sed eſt dicendum, quod per conſecrationem miraculosè datur quantitati, eſſe primum ſubjectum conſequentium formarum, & ſupplere vices materiæ quantum ad omnia quæ antecedunt inſtans generationis; recipiendo omnes formas accidentales & omnes diſpoſitiones prævias uſque ad illud: In ipſo autem inſtanti generationis, ſolus Deus materiam quæ priùs fuerat panis aut vini, reproducit; in quam naturali ſequela recipitur ultima diſpoſitio ad formam, quæ ab agente naturali educitur ex illius potentiâ.

### Articulus VI.

*Species ſacramentales nutrire poſſunt.*

Art. 6. probat ſpecies ſacramentales poſſe nutrire. Ad quod non eſt neceſſarium ut convertantur immediatè in ſubſtantiam corporis vivi; ſed ſatis eſt quod more alterius alimenti in varias formas mutentur, ac tandem convertantur in ſubſtantiam quæ ſit humani corporis pars: unde, quod quidam inveniuntur dicere eas non propriè nutrire, intelligi poteſt, quia non ipſæ, ſed ſubſtantia quædam alia quæ per generationem ex illis priùs oritur, convertitur in ſubſtantiam aliti.

### Articulus VII.

*Species ſacramentales frangi poſſunt.*

Art. 7. docet ſpecies ſacramentales frangi, ſic nimirum ut fractio ſit in quantitate ſicut in ſubjecto. Neque propterea concedendum eſt corpus Domini propriè frangi: quia fractio ſeparationem & diviſionem importat, corpus autem Chriſti nec diviſionem patitur nec ſeparationem. Nam ut in Officio venerabilis Sacramenti cecinit B Th. Chriſtus *A ſumente non conciſus, non confractus, non diviſus, integer accipitur.* Et poſtea, *Nulla rei* (contentæ ſc.) *fit ſciſſura, ſigni tantùm fit fractura, quæ nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.* D

Adde quod fractio, cùm ſit diviſio quantitativa, non poteſt convenire corpori, niſi mediante propriâ dimenſione: Cùm ergo corpus Chriſti non ſit in Sacramento mediante ſua dimenſione, ideoque nec frangatur ipſa Chriſti quantitas, ſed ſpecies panis, non poteſt dici quod frangatur corpus Chriſti.

Si dicas, Corpus Chriſti propriè manducatur; *Ob.* manducatio autem includit fractionem aut maſticationem: *Reſp.* neque fractionem neque maſticationem eſſe de ratione eſſentiali manducationis, ſed ſufficere trajectionem in ventrem, factâ viâ naturali, & actione vitali, quemadmodum indicat B. Th. in 4. d. 12. ar. 3. quæſtiun. 1. ad 1. Hæc autem trajectio non ſolùm convenit ſpeciebus continentibus ſed etiam corpori contento.

Cum Reſp. ad 3. confer quæ diximus q. 76. art. 6.

### Articulus VIII.

*Poteſt liquor aliquis miſceri ſpeciebus.*

Art. 8. probat liquorem aliquem poſſe miſceri vino conſecrato, quia ſpecies retinent eundem modũ agendi, & patiendi quem habebant præſente ſubſtantia panis aut vini: Non poteſt tamen miſceri ſanguini, quia ſanguis ibi exiſtens nõ poteſt



poteſt ſecundùm proprias dimenſiones ab alio A liquore externo tangi vel dividi.

Dupliciter autem intelligi poteſt unus liquor miſceri alteri. Primò, imperfectè, per diviſionem in minimas partes, earumque localem interpoſitionem cum nonnulla alteratione, ſed quæ ad ſubſtantialem corruptionem non pertingat. Secundò, perfectè, cum mutatione ſubſtantiali quâ vel unus liquor convertatur in alterum prædominantem, & tunc potiùs eſt corruptio unius & augmentatio alterius, quàm proprij nominis mixtio; vel uterque tranſeat in unum tertium, & hæc eſt propriè dicta mixtio, quâ ſcilicet ſingulæ partes per mutuam actionem & paſſionem corrumpuntur, & omnes ſimul unam novam for- B mam recipiunt.

Si ergo ſpecies vini conſecrati miſceantur imperfectè cum liquore ſeu ejuſdem ſpeciei ſeu diverſæ, non deſinit ſub ijs eſſe ſanguis Chriſti; quia is tam diu manet quàm diu maneret ſubſtantia vini, ſi adeſſet. Si verò liquori diverſæ ſpecies miſceantur perfectè, & in tantâ quantitate, ut totum ſit permixtum, deſinet ibi eſſe ſanguis Chriſti ſicut totum vinum deſineret, ſi adeſſet: ſi autem in parvâ quantitate, ut non totum fiat permixtum, ſed ſolùm aliqua pars, tunc ſanguis deſinet eſſe ſub eâ parte quæ ſic miſcetur: unde ſi aqua poſt conſecrationem calicis perfectè miſceatur, ſanguis deſinet eſſe ſub eâ parte quæ C aquam convertit in ſubſtantiam vini.

Sed difficultas eſt, ſi miſceantur liquores ejuſdem ſpeciei: ut ſi vino conſecrato infundatur vinum non conſecratum cujuſcumque ſit coloris.

Ex Durando, Richardo, & alijs in 4. d. 12. atque ex Philoſopho l. 1. de Generatione, cap. 10. verius videtur non futuram tunc perfectam mixtionem: quæ enim ſunt ejuſdem ſpeciei, tantum accidentaliter ſe tranſmutant, niſi aliundè magnam habeant qualitatum contrarietatem: Ac proinde maneret ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus: quia unum magis per juxta poſitionem illis miſceretur, quam per alterationem quæ pertingat ad perfectam mixtionem. D

Confirmatur, quia ſi duo calices vini conſecrati miſceantur, ut veriſimile eſt contigiſſe quando fideles communicabant ſub utraque ſpecie, non deſinet ibi eſſe ſanguis Chriſti, extra caſum exceptionis jam poſitæ: quemadmodum nec ſi vinum conſecratum unius calicis vehementer agitetur. Unde ſicut modica aqua in magnam aquæ amphoram injecta non perfectè miſcetur nec corrumpitur: ita nec modicum vinum injectum in magnam vini quantitatem ejuſdem ſpeciei. Ac proinde, ſi modicum vini conſecrati misceatur in vas non conſecratum, illud modicum videtur retinere conſecrationem: & cùm ſeparari nequeat à non conſecrato, vas illud ſacris uſibus E eſt dedicandum.

Quod autem B. Thomas dicit non manere ſanguinem quando ſpeciebus miſcetur liquor ejuſdem ſpeciei, quia ex illis oritur unum tertium, non ſpecie ſed numero diverſum; veritatem habet quando per multum tempus & per motum magnum fieret perfecta mixtio, ut dicit A Victoria, q. 73. de Euchariſtia; & quando eſſet magna qualitatum varietas, ut poſſent in invicem agere.

*Ob. Reſp.* At dices. Si aqua non benedicta addatur aquæ benedictæ illiſque miſceatur, tota aqua fit benedicta: ergo ſi vinum non conſecratum miſcea- tur conſecrato, totum etiam erit conſecratum.

B. Tho. in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 6. ad 2. & hîc ad 3. Reſp. Neg. Conſeq. quia benedictio aquæ nullam facit mutationem ſubſtantialem circa aquam, ſicut conſecratio vini mutat ipſum vinum ſubſtantialiter, tranſſubſtantiando illud in ſanguinem Chriſti.

Confirmatur, Vinum nunquam convertitur in ſanguinem Chriſti, niſi conſecretur per Sacerdotem verba formæ ſacramentalis proferentem. Atqui dum vinum non conſecratum admiſcetur conſecrato, ſacerdos illa verba formæ non profert ſuper vinum quod additur: ergo illud non convertitur in ſanguinem Chriſti, ſive non conſecratur.

Aquæ autem benedictio fit, nulla ipſius aquæ mutatione ſubſtantiali: & quoniam eſt ex inſtitutione Eccleſiæ, Eccleſia potuit velle ac etiam voluit ut ea benedictio extenderetur ad aquam poſtea admiſcendam, & ut aqua admiſcenda fieret ſacra ſeu benedicta per contactum vel conjunctionem ad illam quæ priùs fuit benedicta.

*Aqua profana fit benedicta, dum miſcetur benedictæ.*

Ad Anteced. quod attinet, Communis ſententia habet, quod quando aqua profana admiſcetur benedictæ, tota fiat benedicta, conformiter ei quod de oleo dixit Alexander 3. c. *Quod in dubijs* tit de conſecratione Eccleſiæ, *Nec negamus quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo miſceri.* Ad quæ verba dicit Gloſſa; *Et ita ſacrum tanquam dignius trahit ad ſe non ſacrum.* Et hanc ſententiam approbare omnino cenſendus eſt B Th. dum hîc & in 4 aſſumit quod *Aqua quæ admiſcetur benedictæ, efficitur benedicta* neque Aſſumptionem illam negat, ſed Conſequentia ex ea deductum.

Idem tradunt Bonavent. & Richard. in 4. d. 14. Fumius verbo *Aqua*, Emanuel Sà verbo *benedictio*.

*Quæſt.* Difficultas autem eſt, An ut tota aqua cenſeri ac dici poſſit eſſe benedicta, oporteat eam quæ benedictæ admiſcetur, eſſe in minori quantitate, quam ſit illa benedicta, cui additur.

Sa & alij apud Bartholomæum Fumum, dicunt non oportere, volens totam aquam fieri benedictam ſive ea quæ additur ſit major, ſive minor. Idemque cenſent de oleo.

*Reſp.* Sylveſtri tamen opinio eſt probabilior, qui in verbo *Aqua benedicta*, ſcribit quod minor aqua adjuncta majori ſanctæ, fit ſancta. Et ſi iterum addatur alia minor, fit etiam ſancta; ſed ſi ſanctæ adderetur major vel æqualis, neutra eſſet ſancta. Quod & S. Bonaventura ſignificavit, requirens d. 12. art. 2. q. 2 ut aqua non benedicta apponatur *proportionaliter benedictæ*, Eandem tenet Azorius p. 2. l. 9. c. 15. traditurque in Ritual. Ro. Pauli 5. ubi de oleo infirm. ſic dicitur: *Si fortè infra annum aliquo modo ita deficiat ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate ſuper infuſo reparari poteſt.* Ex his conformiter Manual. ſeu Paſtoral. Camer. ita habet, *Poterit oleo benedicto aliquid olei non benedicti in minori quantitate miſceri, ſi benedictum deficiat nec aliud benedictum haberi queat, & urgeat neceſſitas.* Eique conſentit Manual. Atreba. Monens ut oleum quod eſt apponendum, *ſit de olivis & in minori quantitate.*

Confirmatur, quoniam ut ratiocinatur Laiman l. 5. tract. 9. c. 13. num. 13. ſequeretur alioquin ſi guttam aquæ benedictæ fonti aut puteo injicias, totam aquam fore benedictam; quod & fidelium perſuationi, & Prælatorum Eccleſiæ voluntati repugnare videtur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Illud autem Gloſſæ, Sacrum tanquam dignius A trahit ad ſe, non ſacrum, intelligendum videtur de ſacro quod eſt majus ſeu copioſius non ſacro.

## QUÆSTIO LXXVIII.

*De forma Sacramenti Euchariſtiæ.*

### Articulus I.

ART. 1. diſtinguit Sacramentum Euchariſtiæ ab alijs : Primò, quod perficiatur in conſecratione, alia in uſu. Secundò, quod perficiatur à miniſtro, ut immediatè repræſentat perſonam Chriſti ; cùm alia perficiantur ab eo, ut perſona diſtincta quæ poteſtatem habeat à Chriſto. Declarat deinde, hanc duplicem eſſe iſtius Sacramenti formam, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei.* B

Circa Reſp. ad 1.

### QUÆRITUR I.

*An Chriſtus illis verbis conſecraverit?*

VIDETUR quod non, PRIMÒ, quia Innocentius 3. l. 3. de Miſsâ, c. 18. dicit *quod Chriſtus virtute divinâ confecit, & poſtea formam expreſſit.* C

SECUNDÒ, Auguſtinus in Pſalmum 10. dicit Euchariſtiam manibus, id eſt, poteſtate & imperio Chriſti confectam, ejus autem ore commendatam.

TERTIÒ, Chriſtus conſecravit antequam diceret, *Hoc eſt corpus meum*, Benedixit enim panem & poſtea dixit, Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum, Matth. 26. & ex Marci 14. apparet quod dixerit, Hic eſt ſanguis meus, poſtquam Apoſtoli jam biberant.

*Chriſtus conſecravit proferendo verba formæ.*

RESP. Quamvis dubium non ſit, quin Chriſtus per poteſtatem excellentiæ, potuerit ſolo imperio panem & vinum convertere in corpus & ſanguinem ſuum : ut certum tamen aſſerendum D eſt, quod ad hoc uſus fuerit verbis ; & quidem ijſdem illis quibus nunc utimur.

PRIMÒ, quia Scriptura refert eum iſta verba protuliſſe in inſtitutione hujus myſterij, & addiciſſe, *Hoc facite in meam commemorationem.* Atque nos præceptum ejus ſequendo, ipſumque imitando conficimus per illa verba, ut ſtatim oſtendetur : ergo & ipſe, per eadem confecit.

Secundò, Antiquitas ſic intellexit. *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit. Hoc eſt corpus meum dicendo*, ait Tertull. l. 4. contra Marcio c. 40.

Et Chryſoſt. hom. 3. in 2. ad Timoth. *Quemadmodum verba quæ locutus eſt Chriſtus, eadem* E *ſunt qua Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem eſt.*

Ambroſ. l. 4. de Sacrament. c. 4. *cùm venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti.* Eadem eſt ſententia Hychij l. 6. in Levit. Damaſc. l. 4. de fide cap. 14. Authoris ſermonis de cœna Domini, apud Cyprianum ; & ſermonis 28. de verbis Domini apud Auguſt. & communis aliorum : quam etiam indicat Conc. Trident. ſeſſ. 13. cap. 1.

AD 1. AUTEM ARGUMENTUM Reſp. B. Thomas, id ab Innocentio magis opinativè dictum, quàm aſſertivè, unde capitulo. *Cùm Martha*, tit. de celebrat. Miſſ. idem Innocentius dicit Chriſtum expreſſiſſe formam verborum hujus Sacramenti, cùm transſubſtantiavit panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum.

AD 2. Aug. non vult Euchariſtiam ſine verbis à Chriſto confectam, ſed ſignificare intendit, quod panem quem manibus tenebat, ſuum corpus effecerit, quomodo Chryſoſt. l. 3. de Sacerdotio, dicit non aliter quàm per manus Sacerdotum Sacroſancta hæc myſteria perfici.

AD 3. Neg. Aſſumptum. In cujus explicationem.

### QUÆRITUR II.

*An benedictio Chriſti fuerit conſecratio.*

QUIDAM AFFIRMANT poſt B. Thomam hîc ad 1. Eodemque pertinet illud Ambroſij lib. de ijs qui initiantur, cap. ultimo, Hic eſt panis quem benedictio conſecravit : & Cyrillus, cùm epiſtola decima dicit, *Ad myſticas accedimus benedictiones*, Euchariſtiam vocat benedictionem. Accedit quòd benedicere Dei, fit benefacere.

ALII TAMEN ut Bonaventura in 4. d. 8. Dominic. d. 11. non minus probabiliter docent quod benedictio per Evangeliſtas expreſſa, non fuerit conſecratio ; quia præceſſit prolationem verborum, quibus fit conſecratio. Ad quod probandum, etſi à quibuſdam putetur Græcum Textum multum facere, qui participio aoriſto utitur εὐλογήσας quod habet ſignificationem præteriti, & reddi ſolet per præteritum pluſquam perfectũ, *cùm benedixiſſet* : quia tamen non pauca loca reperiuntur, ubi ſimiles aoriſti ſunt reddendi per præteritum imperfectum, ut Act. 3. v. 4. Matth. 26. v. 25. *Intuens, reſpondens.* 1. cùm intueretur, cùm reſponderet, plus momenti habet quod in Syn. Trid. 13. c. 1 dicitur, *Poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere ac ſuum ſanguinem, diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt.* Si enim poſt benedictionem panis & vini, Chriſtus teſtatus eſt ſe ſuis diſcipulis præbere corpus ſuum & ſanguinem : teſtatus (inquam) ijs verbis quæ ab Evangeliſtis referuntur, & quibus fit conſecratio : conſequens eſt, conſecrationem fuiſſe poſteriorem benedictione ; præſertim cùm non ſit exiſtimandum quod Chriſtus ea verba bis protulerit.

*Benedictio alia fuit quàm conſecratio.*

CONFIRMATUR, ex Canone Latino ubi præmittitur cæremonialis aliqua benedictio conſecrationi.

DEINDE, ſolebat Chriſtus magnum aliquid facturus benedictionem præponere : Matth. 14. Luc. 9.

*Quæ fuerit Chriſti benedictio.*

Hæc autem benedictio fuit bona ſupra panem precatio, & divinæ beneficentiæ ſuper illum invocatio ; quâ Chriſtus *elevatis oculis in cælum* (ut in canone Miſſæ dicitur) patebat ejus ſanctificationẽ & tranſmutationẽ mox futuram : unde quamvis Evangeliſtæ nunc benedictionem, nunc gratiarũ actionem nominent, quia Chriſtus eas conjunxit : diverſæ tamen ſunt, & inter ſe, & à conſecratione. Benedictio enim ad ſymbola refertur, ut patet in verbis Conc. Tridentini, & 1. ad Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus*, quod & de panis



pane ſimiliter dici poterat : gratiarum autem actio, A ad Deum. Hinc canon Miſſæ, *Tibi gratias agens benedixit.*

*Ordo actionum Chriſti.*

Iſte ergo videtur fuiſſe ordo rei per Chriſtum geſtæ, Accepit panem in manus, gratias egit Patri, pani benedixit, ſive benè precatus eſt, actum conſecravit, dicens, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Deinde fregit, & fragmenta diſtribuit.

*Conſecratio præceſſit fractionem.*

Quamvis enim non conſtet utra fuerit prior, conſecratio, an fractio ; probabilius tamen videtur quòd conſecratio.

Primò, quia Apoſtolus 1. ad Cor. 10. dicens, *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* ſatis ſignificat ſub ſpecie panis quæ frangebatur, fuiſſe corpus Domini, antequam frangeretur. B

Secundò, quia cùm fideles Act. 2. *erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorũ & communicatione fractionis panis*; ſignificantur juxta probabilem opinionẽ ſacras Euchariſtiæ ſpecies fregiſſe & accepiſſe.

Tertiò, quia in Miſſa priùs conſecramus quàm frangimus. Ita B. Th. hîc, Beda in c. 14. Mar. Durand. in 4. d. 8. Cardinalis Beſſarion, tractatu de Euchariſtia.

Ex quibus conſequenter eſt dicendum, Evangeliſtas retuliſſe quidem actiones à Chriſto factas, ſed non ordinem illarũ : id quod ex Mar. 14. manifeſtum eſt referente hæc verba, *Biberunt ex illis omnes* : ante iſta, *Hic eſt ſanguis meus* : cùm tamen certum ſit Chriſtum priùs conſecraſſe quàm Apoſtoli biberent ejus ſanguinem. C

Verba igitur ſic ad ſeriem rei geſtæ poſſent ordinari : Cùm accepiſſet Jeſus panem & benedixiſſet dixit : *Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum* : ac tum *fregit, deditq; diſcipulis.* Verbum ergo, *benedixit*, apud Evangeliſtas non eſt idem quod benefecit : uti nec benedicere Chriſti ſemper eſt benefacere, niſi ſenſu conſecutivo, quatenus omnis ejus precatio eſt efficax ſeu efficaciter impetratoria non quidem ſemper ſtatim ſed quando voluerit, velut in re præſenti, ad illa verba, *Hoc eſt corpus meum* : & in multiplicatione panum, quando fiebat illorum in turbas diſtributio.

*Forma cur aliquando vocatur benedictio*

Nec obſtat quod apud nonnullos *benedictio* pro D conſecratione ſumatur : Illi enim non dicunt *benedicere* in Evangelijs idem eſſe quod *conſecrare*, ſed conſecrationem, ipſamque Euchariſtiam vocant benedictionem ; partim quia conſecrationi jungitur bona precatio, partim quia ipſa hujus, ut & aliorum ſacramentorum verba, quatenus proferuntur à miniſtro cum intentione faciendi quod ſignificant, continent implicitam invocationem divinæ virtutis, quæ eſt effectûs ſacramentalis cauſa primaria. Et hinc eſt quòd Patres aliquando dicant Euchariſtiam fieri precibus, & invocatione divina ; tum quia fit in eo officio in quo ſunt multæ preces ; tum etiam quia verba formæ includunt tacitam precationem.

Ad B. Thom. reſpondetur quòd illis verbis, E *Quidam dixerunt quod benedictio illa facta eſt alijs verbis nobis ignotis*, &c. non negat Chriſtum fuiſſe pani bene precatum, ſive elevatis in cælum oculis per orationem mentalem, ſive etiam per vocalem ; ſed oſtendit non poſſe convenienter dici quòd benedictio conſecratoria fuerit facta alijs verbis quàm iſtis, *Hoc eſt corpus meum : Hic eſt ſanguis meus* : quia ſcil. benedictio quæ ſit conſecratio, nunc perficitur verbis ijſdem quibus tunc uſus eſt Chriſtus.

Circa Reſponſionem ad 1. & 4.

### QUÆRITUR III.

*An ſacramentum perficiatur his ſolis verbis, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.*

VIDETUR quòd non perficiatur illis, PRIMÒ, quia Græci, de quibus dubium non eſt, quin verum habeant ſacramentum, poſt iſta verba dicunt, *Fac panem quidem hunc honorabile corpus Chriſti tui : quod autem in calice iſto eſt, honorabilem ſanguinem Chriſti tui.* Si dicas recentium Græcorum hanc eſſe conſuetudinem : contra facit quod in liturgijs Sanctorum Jacobi, Baſilij, Chryſoſtomi, & in theoria rerum Eccleſiaſticarum S. Germani Conſtantinopolitani, eædem illæ preces inveniuntur, poſt jam dicta verba.

SECUNDÒ, in canone Latino poſt verba conſecrationis dicimus, *Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum* : ut ſcilicet quæ inferius exiſtunt, nondum ſanctificata ; velut in ſublimi poſita, ſanctificentur.

TERTIÒ, Damaſcenus lib. 4. cap. 14. dicit Baſilium vocaſſe Euchariſtiam antitypum ſeu figuram corporis & ſanguinis Domini, non poſt conſecrationem, ſed ante. Baſilius autem in ſua liturgia habet hoc, poſt quidem illa verba de quibus nunc quæritur, ſed ante verba quibus Græci utuntur ergo per illa demum fit conſecratio.

QUARTÒ, Verba iſta *Hoc eſt corpus meum*, dicuntur ſolùm recitativè & more hiſtorico, ut patet ex præcedentibus, ubi ſacerdos commemorat quid Chriſtus fecerit.

CONTRA TAMEN, ſacramentum illis verbis perfici, at non ſolis, probatur, PRIMÒ, ex Ambroſio lib. 4. de ſacramentis cap. 5. ubi recenſens verba Chriſti quibus hoc ſacramentum perficitur, incipit ab illis, Accipite &c.

SECUNDÒ, verba formæ non dicuntur ex perſona Chriſti, niſi addantur antecedentia, inquit Scot. in 4. d 8. q. 2. alioquin pronomen, *meum*, referret perſonam loquentis. Nec ſatis eſt, quod ad demonſtrandum corpus Chriſti determinetur ex intentione, ſed requiritur inſuper quod verba hoc ſignificent : ſignificatio autem verborum non variatur ob intentionem.

TERTIÒ, In liturgijs Græcorum verba ſic exprimuntur, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur, vel frangitur*, ad exemplar Chriſti Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. ergo illa ſunt neceſſaria.

QUARTÒ, Vocula *enim* videtur ad eſſentiam pertinere ; tum quòd in canone referatur Chriſtus eam dixiſſe ; tum quòd eâ oblatâ mutatur ſenſus propoſitionis, quæ de cauſali fiet ſimplex.

*Reſp. eſt affirm.*

RESPONDETUR, ſacramentum hoc perfici verbis allegatis, & quidem ſolis.

Prior pars *eſt fidei*, ex Evangeliſtis definita in Concilio Florentino, cui conſentit Tridentinum.

Utraque probari poteſt ex Ambroſio lib. 4. de ſacramentis c. 4. & 5. Chryſoſtomo hom. 1. in 2. ad Timotheum, Damaſceno l. 4. c. 14. Paſchaſio de conſecratione diſt. 2. cap. *Verum*, & ex uſu Eccleſiæ, tam Latinæ, quàm Græcæ, in qua ſolent à Græcis ſacerdotibus altè pronuntiari, ut ad ea reſpondeatur à populo *Amen*, & ſtatim per diaconum oſtenduntur populo ſpecies conſecratæ.

Confirmatur, Illa verba ſunt Chriſti, & ſufficienter ſignificant converſionem : ergo illam efficiunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ciunt. Imò, si ad illorum prolationem non est sub A
specie panis, corpus Christi, sed differtur ad se-
quentem precationem ; verba erunt falsa, neque
dicendum foret, *Hoc est*, sed hoc erit, *corpus meum*.

Denique, huc pertinet responsio Græcorum, qui in Concilio Florentino rogati cur dictam orationem recitent, post verba Christi, responderunt se firmiter credere, verbis dominicis sacramentum fieri, atque adeò nihil aliud se petere per sequentem orationem, quàm ut fiat *nobis* corpus Domini id est, ut panis consecratus qui revera est corpus Christi, fiat nobis per effectum nutritionis spiritualis, corpus Christi, sive ut salutaris sit illis pro quibus offertur. Unde patet responsio

Ad 1. & potest confirmari ex Clemente libro B
8. constitutionum c. 17. & ex liturgia Basilij, qui pro illis verbis, *fac panem istum*, ponunt alia, quibus petitur ut Deus *ostendat* hunc panem esse corpus Christi.

Ad 2. longè alius est illorum verborum sensus: scilicet ut *hæc* oblata perferantur non secundùm loci mutationem, sed secundùm acceptationem, *in sublime altare* id est, in cælum, *per manus* Christi Domini, qui est magni concilij *Angelus* : sive ut Deo Patri grata sint per Christum, nobisque salutaria. Explicationes aliæ videri possunt apud Gabrielem lect. 55. in canonem, Odonem Cameracensem, & Titelmannum.

Ad 3. quomodo Eucharistia post consecratio- C
nem sit antitypon sive similitudo corporis Christi in cruce immolati, dictum est q. 75. art. 1. Damascenus autem videtur alterius ex Basilio loci meminisse, aut certè mutatus est ordo in liturgia Basilij : Ibidem enim affirmat Damascenus consecrationem fieri verbis Christi.

Ad 4. ea verba dicuntur & recitativè & formaliter seu significativè, ut loquitur Author art. 5. Sacerdos enim & commemorat quæ verba Christus in ultima cœna dixerit ; & intendens ea applicare materiæ præsenti, ac facere quod significant, simul exercet actum suæ potestatis. Atque hinc est quod propriissimè dicatur conficere persona Christi : quia non tantùm utitur potestate à D
Christo accepta, sed eam exercet, ejus personam repræsentans, & loquens ejus verbis, quasi esset ipsemet Christus.

Ad 1. IN OPPOSITUM Resp. quamvis inde sequatur Christum dixisse, *Accipite & manducate* ; non propterea tamen sequitur quòd necessaria sint ad confectionem sacramenti. Illa enim necessaria esse voluit, quæ significant id quod in sacramento efficitur, non alia.

Ad 2. Negatur assumptum. Si enim ista verba, *Hoc est corpus meum*, sola proferrentur à sacerdote cum intentione faciendi quod Christus instituit ; propter intentionem talem intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, & ideo pronomen, E
*meum*, non loquentis, sed Christi corpus referret. Sensus ergo propositionis non ex serie verborum præcedentium spectandus est, sed ex Christi institutione & ministri intentione, ut præter B. Thomam hîc docent Durandus, Richardus, & alij in 4. distinct. 8.

Ad 3. Negatur consequentia : quia canon Latinus ea non habet, cùm tamen constet veram esse in Ecclesia Romana doctrinam de veritate hujus sacramenti, etiam Græcis confitentibus.

Ad 4. Vocula, *enim*, additur ex traditione Apostolica ; tum ob continuationem verborum ad præ-
cedentia ; tum ad invitandum ad sumptionem : quæ si omitteretur, maneret nihilominus sensus per se intentus ; ideoque non est de substantia ut q. 60. art. 8. dictum est.

### Articulus II.

*Quæ forma consecrationis panis.*

Art. 2. probat hanc esse convenientem formam consecrationis panis ; *Hoc est corpus meum* ; quia significat conversionem panis in corpus Christi, idque in facto esse : forma autem significare debet id quod in sacramento efficitur.

Idem probat perpetuus Ecclesiæ usus, ac communis doctorum consensus, ex Matth. 26. Marci. 14. Lucæ 22. 1. ad Cor. 11. Ad cujus sensum investigandum.

## Quæritur I.

### *Quid demonstret pronomen* (Hoc)

Non demonstrare corpus Christi, probatur Primò, quia sic propositio esse identica, æquivalens isti corpus meum est corpus meum.

Secundò, Non esset practica, sed speculativa ; cum à quocunque dicatur, semper verum sit ; Hoc (scilicet corpus Christi) est corpus Christi.

Tertiò, Quando dicitur verbum (*est*) corpus Christi nondum est præsens, & tamen verbum præsentis temporis non connotat nisi tempus præsens.

Confirmatur, hîc fit demonstratio quoad sensum ; sensui autem nihil demonstrari potest nisi quod est præsens. Hinc est quòd B. Thom. art. 5. demonstrationem hanc rejicit.

Sententia nihilominus Majoris in 4. dist. 8. Gabrielis lect. 48. in canonem, & multorum aliorum valde probabilis est, pronomine, Hoc, demonstrari corpus Christi velatum specie panis ; sive id quod per verba fit ex pane, quodq ; completa verborum significatione (scilicet in termino prolationis) ibi futurum est : ut sit sensus, Id quod ex hoc pane facere intendo ac facio, est corpus meum. *Istud, hoc, demonstrat corpus Christi.*

Confirmatur Primò, quia in propositionibus practicis, id est, per quas aliquid fit, si subjectum sit pronomen demonstrativum demonstrat rem prædicato significatam, sicut si quis pingens circulum, diceret, Hic est circulus, aut transferens dominium libri sui in alium ; Hic est liber tuus. Unde, si Christus vertendo aquam in vinum, dixisset, Hoc est vinum, pronomine isto non aliud demonstrasset, quàm rem illam singularem quæ in termino prolationis fuisset, scilicet vinum. Et similiter Exodi 16. quando dicitur, *Iste est panis : Hic est sermo* : vel ad Hebr. 9. *Hic est sanguis* : pronomen, non demonstrat aliud quam per prædicatum significetur.

Secundò, Affirmationis simplicis de præsenti, si vera est, & non modificata, subjectum & prædicatum accipiuntur pro eodem.

Tertiò, in illa propositione est demonstratio rei singularis : sed nullum est singulare, quod ibi demonstretur, & de quo attributum verè affirmetur nisi corpus Christi : ergo.

Cum hac expositione conciliari fortasse potest, Author, qui non aliud voluisse videtur quam non sic demonstrari corpus Christi determinatè, ut vel præsupponatur, vel possit in subjecto exprimi, dicendo, Hoc (scilicet corpus meum) est corpus meum ; sed videri potest intellexisse demonstrari substantiam singularem absque determinatione *Explicatur textus.*

quæ



quæ possit à parte subjecti exprimi ; ut sit sensus ; A
*Hoc*, id est, hæc res singularis quam facio, quamque pro tempore completæ orationis demonstro, *est corpus meum*. Sic enim demonstratio est rei singularis : & verificatio fit pro eâ cui competit prædicatum, pronuntiatione completa.

*Quæ propositio identica.*

Ad 1. ergo Negatur assumptum ; quia tunc demum propositio est identica, quando idem de eodem enunciatur proprio conceptu, & eadem ratione : quamvis autem id quod subjecto demonstratur, sit corpus Christi ; non tamen proprio conceptu significatur. Sicut cùm dicimus, Hoc est aurum ; Hic est Ioannes, non est sensus, Aurum est aurum, Ioannes est Ioannes ; etiamsi extrema verificentur pro eadem re : sed est sensus, Hæc B
res est aurum, Hic homo est Ioannes : Ita in proposito non est sensus, Corpus meum est corpus meum, sed, *Hoc*, id est, hæc res singularis quam facio & demonstro *est corpus meum*.

Unde patet Resp. ad 2. Non enim fit ut corpus Christi, sit corpus Christi, sed ut hæc res quæ videtur panis, sit corpus Christi.

Ad 3. Verbum præsentis temporis nec significat illud momentum temporis quo profertur, sed tempus præsens cujus partes corpulantur momento quod nunc est. In illo autem tempore præsenti, verè est ibi corpus Christi : & satis est quòd sit in fine prolationis, quia propositio tunc demũ habet suum significatum, etiamsi durante prolatione par- C
tes singulæ formèt in animo suas significationes.

Ex quibus sequitur, etiam fieri demonstrationem ad sensum : quia demonstratur res quas sensibiliter est præsens eo momento, quo opottet propositionem esse veram.

Quid si quis loco pronominis (*hoc*) diceret (*istud*) forma valeret, non verò si diceret (*illud*) quia (*istud*) demonstrat rem præsentem, non autem (*illud*.) Si diceret (*hic*) adverbialiter, nihil fieret quia non significaretur mutatio substantialis : si autem diceret, (*hic*) ut est pronomen, & bonâ fide procederet, probabile est formam valituram ; quia etiamsi esset incongrua locutio, juxta communem tamen motem loquendi, eundem sensum faceret ; D
quemadmodum & si diceret, hoc est corpus meus secundùm ea quæ diximus q. 60. art. 8. quæsito 2. Si pronomini (*hoc*) adderetur aliquid non evertens sensum, valida foret consecratio, ut si diceretur, Hic cibus est corpus meum ; Hæc res est corpus meum ; Hoc contentum sub his speciebus est corpus meum.

At, quid opinandum de eo qui diceret, Ecce corpus meum. Resp. probabilius videri quod nõ consecraret, quia non significaret mutationem substantialem. Aut certè dubia foret consecratio.

## Quæritur II.

### *Quam vim habeat verbum* est.

Idem valere quod significat, contendunt sectarij ex eo quod ita sumatur, Matth. 13. *Semen est verbũ Dei* : & 1. ad Cor. 10. *Petra erat Christus*. E

Resp. verbum illud sumi in propria significatione, quâ secundùm philosophos habet vim connexionis extremorum. Cùm enim sit verbum simplicissimum, in quod omnia alia resolvuntur, & ipsum in nullum aliud, nunquam sumi potest impropriè. Unde si quis sit in propositione tropus, vel si qua inter prædicatum & subjectum repugnantia, improprietas in altero eorum est agnoscenda. Ac proinde cum dicitur, *Semen esse verbum Dei*, non est sensus, Semen significat verbum Dei ; sed, id quod in parabolâ est semen, hoc in re significatâ est Verbum Dei : & similiter *Petra erat Christus*, id est, Quod per petram significabatur, seu significatum petræ, erat Christus aut Christus erat res mysticè significata per petram, quemadmodum cùm dicitur, Act. 4. *Hic est lapis*, &c. *Verbum, est, sumitur propriè.*

Cùm autem inter extrema hujus propositionis, *Hoc est corpus meum*, nulla sit repugnantia eò quod sit operatoria, nequaquam ad similem expositionem confugiendum est.

Quamvis autem Christus potuerit uti verbo impetrativo, Hoc fit, aut fiat corpus meum ; convenientius tamen usus est præsenti ; quia cum hæc conversio sit instantanea, significari debuit ut in factum esse, ne quis dubitaret simul cum verbo prolato adesse id quod affirmatur.

Ubi tamen observandum est expressionè verbi (*est*) non esse essentialem modò subintelligatur : familiare enim est non solum Latinis, sed etiam Hebræis & Syris illud enuntiatione subjicere. Unde nec liquet Christum, Hebraicè aut Syriacè loquentem addidisse, præsertim cum nec in Græco sit expressum Lucæ 22. in consecratione calicis.

## Quæritur III.

### *Quid significet* Corpus.

Non figuratè accipi, prout sectarij contendunt, diximus art. 1. q. 75. Non sumi pro toto composito, patet ex dictis q. 76. art. 1. quæstiunculis 3. & 4. atque ex eo quod à sanguine distinguatur, quodque per hoc sacramentum repræsentetur passio Christi, in qua fuit sanguis à corpore separatus. Sumitur ergo pro altera parte compositi materiali & solida. Si quis loco corporis diceret *caro*, verisimile est quod non conficeret, quia caro & corpus non æquivalent, cum corpus plus importet, quam caro.

Ideo autem sacerdos non demonstrat suum proprium corpus, sed Christi, quia dum vult consecrare, atque ita facere quod Christus instituit, non loquitur in persona propria, sed in persona Christi, perinde, ac si Christus ipse loqueretur.

Quid si ita diceret, *Hoc est corpus Christi* ? Resp. quod non consecraret, tum quia falsum est Christum ita dixisse, tum quia modus loquendi est valdè diversus. Nam ut dicat, *Hoc est corpus Christi*, non debet personam Christi induere, neque ex ejus persona loqui, sicut ad hoc ut verè dicat, *Hoc est corpus meum*.

### Articulus III.

Art. 3. docet hanc esse convenientem formam consecrationis vini, *Hic est calix sanguinis mei novi & æterni* &c. sed difficultas est.

### *Quæ verba sint essentialia.*

Videtur enim quòd omnia, Primò, propter ecclesiæ Latinæ consuetudinem, quæ simili ritu omnia recitari jubet, nec prius calicem populo adorandum proponit quàm omnia sint dicta.

Secundò, quia hæc verba, *novi & æterni testamenti* &c. sunt quædam determinationes prædicati, id est, *sanguinis*, atque adeò donec illa finiantur, propositio non est absoluta, nec *sensus perfectus*.

Resp. hæc sola, *Hic est calix sanguinus mei* : vel eis equivalentia, *Hic est sanguis meus* ; esse essentialia,

Universidad de Deusto
Biblioteca



lia ; atque adeò consecrationem illis solis perfici, A
ut communiter tradunt Scholastici in 4. d. 8.

PRIMÒ, quia ad panis consecrationem sufficiunt ista, *Hoc est corpus meum*, etiamsi Lucas addat, *quod pro vobis datur*, & Paulus in Græco, quod pro vobis *frangitur* : idque propterea quod contineat totam significationem ejus quod efficitur : Sed hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei*, etiam continent totam significationem ejus quod efficitur : ergo similiter sufficiunt.

SECUNDÒ, Verba jam dicta inveniuntur in omnibus liturgijs ; quæ autem sequuntur, non omnia inveniuntur in Sanctorum Iacobi, Basilij, Chrysostomi, vel aliorum liturgijs, de quibus tamẽ certum est quod formam essentialem continent, B
quandoquidem illi qui liturgijs talibus utuntur, valide cõsecrent. ut de Græcis in Conc. Florent. patet.

TERTIÒ, Quæ sequuntur non significant conversionem, sed effectum & usum hujus sacramenti : ergo non sunt de essentiâ formæ, cum hoc sacramentum non consistat in usu.

Et quamvis B. Thomas tam in 4. & in epistolas quàm hoc loco videatur esse alterius sententiæ, nobis tamen videtur quod non dissentiat ; quia concludens sic loquitur, *Dicendum est ergo quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ. Sed per prima verba cùm dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis.* C
Atqui verba formæ efficiunt quod significant ; ergo illa verba cùm sola significent conversionẽ, sola illam efficiunt, præsertim cùm in forma consecrationis panis, cui hanc assimilat, non plura requirantur ad efficiendam conversionem panis. Dicit autem omnia quæ sequuntur usque ad illud, *Hæc quotiescunque feceritis*, esse *de substantia*, quia videntur esse de integritate ejusdem locutionis, atque ita, *substantiam* accipit, non pro essentiali ratione, sed pro integritate. Sicut enim quandoque dicuntur esse de forma, non solum illa pertinent ad usum, eò quòd, quamvis sacramenti usus non sit de essentia sacramenti, est tamen ad completum esse ipsius, in quantum pertingit ad hoc ad quod D
est institutum, in 4. d. 8. q. 2. art. 1. qu. 2. ad 1. sic ea quæ non sunt de essentia formæ, intelligi possunt esse de substantia ejus, si pertineant ad integritatem ejusdem locutionis. Et hæc causa est, cur in libris Missalibus omnia illa, de quibus jam quæritur, eodem charactere cum his verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, imprimantur, & cur post illorum dumtaxat prolationem sacerdos genuflectat sacramentum adorans ; quia nimirum omnia sunt unius integræ locutionis verba.

Eodem faciunt Author sermonis de cæna Domini apud Cyprianum, Ambrosius l. 4. de sacramentis c. 4. Damascenus li. 4. de fide c. 14. Innocentius tertius l. 4. de missa c. 6. cum dicunt consecrationem his verbis confici. *Hic est sanguis meus.* E

AD 1. ERGO ARGUMENTUM RESP. non propterea ecclesiam sentire quod omnia sint essentialia, sed sic agit quia omnia sunt de integritate locutionis.

AD 2. Additio vel determinatio ex parte prædicati nõ semper suspendit sensum aut veritatem propositionis : ut si nõ sit necessaria ad ejus significationẽ, vel si virtute componat unam enuntiationẽ hypotheticam : Hîc autem, priora etsi sola sint, sufficienter exprimunt id quod in sacramento significatur & agitur, ac proinde faciũt sensum perfectũ.

SENSUS autem horum verborum formæ, *Hic est calix sanguinis mei*, sic reddi potest : Hic est sanguis meus calice contentus ; sive per metonymiã ponatur continens pro cõtento, sive potius sit sermonis hypallage, ut *calix sanguinis*, pro *sanguine calicis*, positus intelligatur : quo modo vas aquæ dicitur effundi, quando aqua vasis effunditur.

Idem *sanguis* dicitur esse *novi & æterni testamenti*, tum quia per eum sancitur ac confirmatur novum testamentum ; sicut vetus confirmatum fuit effusione sanguinis vitulorum, Exodi 24. tum quia sanguis iste pertinet ad novum testamentum, tanquam ejus pars.

*Novum testamentum* est promissio Dei de spiri- *Quid novum testamentum.*
tualibus bonis, fide, spe, charitate, venia peccatorum, vita æterna : sicut vetus, est pactum illud quod inijt Deus cum Israelitis de abundantiâ bonorum temporalium eis danda, si legem servarent.

Illud vocatur *novum*, & ratione exhibitionis, ut ait Author ad 4. quia scilicet novissimis temporibus mundo propalatum & exhibitum est ; & quia hominem interiùs renovat.

Quod ipsum tamen etiam dicitur *æternum*, *Explicatur verba formæ calicis.*
quia de æterna hæreditate, quia nunquam antiquandum, quia ab æterno præordinatum.

Alterum verò vocatur vetus, quia priori tempore manifestum fuit ; nec peccati vetustatem abhomine abstulit. Hinc Aug. lib. 3. contra duas epist. Pelag. c. 4. *Ecce, quæ causa illud dicitur vetus testamentum, quia priore ; hoc autem novum, quia posteriore tempore revelatum est. Deinde quia testamentum vetus pertinet ad hominem veterem, à quo necesse est hominem incipere : novum autem ad hominem novum, quo debet homo ex vetustate transire.* Et paulo ante Aug. dixerat antiquos justos ad novum testamentum pertinuisse.

Dicitur etiam hic calix, *mysterium fidei*, quia quod hîc in veritate contineatur sanguis Christi, & quod is pro nobis fuerit effusus, quodque per eum justificemur, est res arcana & per solam fidem cognoscibilis, hîc ad 5. & 6.

*Qui pro vobis, sumẽtibus* scilicet, *& pro multis*, alijs
Illi *multi* vel intelligũtur omnes electi, vel omnes D
omnino : nam pro omnibus sufficienter effusus est sanguis Christi ; pro electis verò, etiam efficaciter, ut B. Tho. ad hoc propositum tradit in 4. dist. 8. q. 2 ar. 2. quæstiuncula 3. ad 7. Relativum (*qui*) potest in canone referre *sanguinem* ; sicut apud Matthæum & Marcum debet intelligi : potest etiam referre *calicem* ; quomodo necesse est apud Lucam intelligere, ubi, *qui*, non habet genus respondens *sanguini*, sed *poculo, Hoc poculum, quod* &c. Sensus tamen eodem recidit : nam poculum non dicitur effundi, nisi quia liquor in eo contentus funditur. Quia verò poculum seu calix dicebatur à Christo Domino *fundi*, consequens est intelligi effusionem quæ fiebat in cœna, partim dum sanguis sub specie vini fundebatur è calice in ora discipulorum : partim & præcipuè dum fundebatur, id est, Deo libabatur, & in sacrificium offerebatur. Huc pertinet quod Evangelistæ utantur verbo præsentis temporis *effunditur*, quomodo etiam legit Ambrosius l. 4. de sacramentis c. 6. *Si quotiescumq; effunditur sanguis Christi, in remissionẽ peccatorũ funditur, debeo illũ sẽper accipere*, ubi effusionẽ intelligit eã quæ ratione oblationis fit in sacrificio missæ. Nõ est tamen in verbis Evangelistarum excludenda relatio ad effusionem in cruce factam, sed includenda potius, cũ quæ in cæna fiebat, esset illius repræsentativa : & ad hanc etiam respiciunt A
verba canonis illa, *qui effundetur*, dicuntur enim recitativè, ut sint commemoratio eorum quæ Christus in cœnâ dixit.

Similiter, quod ad verba alterius speciei addit Lucas, *quod pro vobis datur*, Paulus verò, *tradetur*, sive ut in Græco est *frangitur*, partim refertur ad traditionem quâ Christus seipsum tradidit in mortem, partim ad fractionem quâ species panis in cœnâ frangebatur, & res contenta sacrificabatur. Additur,

*In remissionem peccatorum*, Ubi advertè Christũ non dicere sanguinem suum bibi vel bibendum esse in remissionem peccatorum, quia sumptio prærequirit in sumente illam esse factam : sed dicit effundi vel effundendam, quia oblatio sacrificij fit ad remissionem obtinendam illis pro quibus offertur. Sed hac de re plenius dicendum erit art. 3. q. seq. & in tract. de sacrificio. B

## ARTICULUS IV.

*Inest quædam vis verbis formæ.*

ART. 4. docet verbis formæ inesse virtutem quandam instrumentalem ad conversionem faciendam. Quæ virtus quod intelligi debeat non esse per modum habitus, sed per modum usus & ministerij, dictum est artic. 1. & 4. quæstionis 62.

C

## ARTICULUS V.

*Verba formæ sunt vera.*

ART. 5. docet prædictas locutiones esse veras. Patet id ex dictis art. 2. & 3.

In Resp. ad 3. dicit, verba formæ priùs naturæ significare quàm efficiant, quia scil. operantur ut signa : signum autem prius natura signum est, quam efficiat id quod significat. Unde Concilium Tridentinum dicit corpus Christi esse sub specie panis *vi verborum*, id est, ex vi significationis illorum.

Si ergo quæras, utrùm verba formæ operentur in quantum sunt vera.

Responsio probabilis est, quod operentur, neD
que ut vera neque ut falsa, sed in quantum significativa.

*Quæst. Resp.*

Nec refert, quod omnis propositio aut verum aut falsum significet : quamvis enim ita sit, ipsa tamen significatio est quædam ratio communior : & secundùm hanc rationem considerata verba formæ sunt causa conversionis quam efficiunt.

An autem istorum verborum veritas sit naturâ prior effectu, ambigitur.

Videri potest quòd non, quia propositionum veritas pendet à rebus significatis, juxta illud Philosophi. Ex eo quod res est aut non est, oratio dicitur vera vel falsa.

VERUM, cùm Philosophus id protulerit de proE
positionibus speculativis : formæ autem sint practicæ & ejus quod significant operativæ : dicendum videtur quod priùs naturâ vera sint, quàm effectus ponatur.

*Primò*, quia non supponunt suum significatum, sicut aliæ propositiones, sed ipsum verè significando efficiunt.

*Secundò* ; quia cùm priùs naturam significent ; quando significant, verè significant, & ut tales efficiunt quod significant. Videri potest Cajetanus & Nugnus hic.





## ARTICULUS VI.

*Forma una habet suum effectum antequam altera pronuntietur.*

ART. 6. docet formam consecrationis panis sortiri suum effectum antequam proferatur forma consecrationis vini : quia non salvaretur alioquin veritas verborum, quæ significant corpus Christi esse præsens eodem illo instanti quo completur propositio : scilicet in primo instanti non esse prolationis, juxta ea quæ diximus q. 62. art. 1. & q. 75. art. 7.

# QUÆSTIO LXXIX.

## *De effectu sacramenti Eucharistiæ.*



CUM Sacramentum istud omnium gratiarum fontem Christum contineat : consequens est multiplices esse ejus effectus, de quibus latè B. Tho. in opul. de Sacramento altaris. Hac autem quæstione sex generales examinat, ad quos alij possunt revocari.

## ARTICULUS I.

*Vtrùm per hoc Sacramentum conferatur gratia.*

RESPONSIO affirmativa fide certa est : tum ex ijs quæ de Sacramentis in genere dicta sunt q. 62. tum ex Concilijs Flor. & Trid. Eam probat 5. Doctor. *Per sacram. Eucharistiæ confertur gratia.*

PRIMUM ex Joan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* ; &, *Qui manducat me, vivet propter me.*

DEINDE, quia in hoc Sacramento continetur Christus, & repræsentatur ejus Passio ; traditurque per modum cibi & potus, & quidem in talibus speciebus, quæ designant charitatem quæ ex multis facit unum.

Neque hinc sequitur quod per se & directè *Sacram. hoc non per se confert primam gratiam.*
conferat primam gratiam, sicut Christus in hunc D
mundum veniens, ejusque passio : quia istæ rationes ostendunt quidem quod ratione rei tam contentæ quam repræsentatæ ; sufficiens fundamentum sit, ut huic Sacramento dari potuerit efficacia conferendi primam gratiam : Verùm, quia Christus Sacramentaliter ad nos veniens, non venit ad nos redimendos, sicut in propriam specie venit, sed ad nos spiritualiter reficiendos & nutriendos : Ideò non oportet quòd hoc Sacramentum conferat gratiam eo modo quo Christus in propriâ specie vel ejus passio, scil. gratiam primam : sed satis est quod gratiam conferat, eamque per modum spiritualis nutrimenti.

Circa Resp. ad 1. observandum est quòd hoc Sacramentum ex seipso seu ratione rei contentæ, cui convenit esse Sacramentum, virtutem habeat conferendi gratiam. Cùm addit, *nec aliquis habet gratiam ante susceptionem hujus Sacramenti, nisi ex aliquo voto ipsius* &c. rectè intelligitur loqui de voto rei in hoc Sacramento contentæ, cui convenit esse rem & Sacramentum, quale votum habent omnes qui in Christum credentes, baptismum petunt. Vel alioquin intelligendus esset de voto ; per accommodationem, & impropriè dicto, secundùm ea quæ diximus q. 73. ar. 3. ut scilicet hoc ipsum quod est aliquos per baptismum ordinari *Explicatur textus de voto hujus Sacramenti.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad Eucharistiam aliquando sumendam, votum A ejus esse intelligatur.

Ex eadem Resp. notandum est hoc Sacramentum aliter valere ad augmentum gratiæ, quam Confirmationem. Nam Confirmatio dat augmentum quo homo sic perficitur ut fortiter persistat contra hostes Dei: Hoc autem Sacramentum dat augmentum quo homo in seipso perficiatur per conjunctionem sui ad Deum.

In responsione ad 2. docet hoc Sacramento non solùm augeri habitus gratiæ, & virtutum, sed etiam conferri gratiam actualem, per quam *anima spiritualiter delectatur & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ.* Hic enim habetur *omne delectamentum*, & *omnis saporis suavitas*, *ipsaq; dulcedo Domini degustatur*, ait Pontifex in Clementina unica de reliquijs & veneratione Sanctorum. Hic *adsunt nobis suavitatis gaudium & lachryma. Hic est cibus qui plenè reficit, verè nutrit, simulq; impinguat, non corpus, sed cor: non carnem, sed animam: non ventrem, sed mentem.* B

Huc pertinet quod manna præcipua figura hujus Sacramenti omne delectamentum in se habebat, & omnem saporis suavitatem, Sap. 16.

Quo autem instanti conferantur hi effectus, nemo novit nisi qui efficit. Satis convenit eos non conferri ante sumptionem, quia sumentibus sunt promissi: probabile verò est conferri, quando manducatur seu deglutitur. C

*Quando Euchar. conferat. gratiam.* Non est tamen concedendum, quamdiu manducatio fit, vel quamdiu Christus sub speciebus præsens est in corpore communicantis, semper tamdiu gratiam conferri, nisi fortassis intereà se magis, ac magis disponat, & ratione majoris devotionis aliquid novæ gratiæ recipiat.

*Primò*, quia nullum est hujus rei fundamentum nam ex eo quod Christus promiserit gratiam manducantibus; non sequitur promisisse quod daret eam toto tempore manducationis.

*Secundò*, quando causa est efficax, & subjectum dispositum, effectus ponitur in instanti.

*Tertiò*, quia sequeretur communicantem sub majori hostia, majorem cæteris paribus consequi D gratiam, quam unum alium, quod tamen non est dicendum.

*Ob.* Si dicas, Eucharistia sumitur per modum cibi, cibus autem prodest quamdiu est in stomacho.

*Resp.* Resp. diversitatem esse, quòd cibus corporalis non nutrit quando sumitur, sed solum quando digeritur, & ad hoc mora præcedente indiget: sacramentum autem eo ipso nutrit, quo sumitur, quia spiritualem habet effectum cumque instantaneum.

De priori parte Resp. ad 2. diximus art. primo q. 74.

*Quis hujus Sacramenti effectus in corpore.* Ratione posterioris partis, observandum est: Sacramentum hoc habere effectum aliquem in corpore; partim moderando fomitem, ut *exhibeantur* E *membra nostra arma justitiæ Deo*; partim alias bonas inclinationes excitando in appetitu sensitivo. Hinc Cyril. Jerosc. catech. 4. mystag. *Animam* (inquit) *& corpus sanctificat.* Et Cyrill. Alexandrinus lib. 4. in Joannem c. 17. *Sedat, quum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorũ legem; pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit,* & Damasc. l. 4. c. 14. *cedit in animi, corporisq; præsidium.* vide Cypr. de cœnâ Domini, Ambr. ser. 15 in Ps. 118. Chrysost. hom. 4. & 51. in Matth.

Confirmatur. Hoc Sacramentum singulariter auget ac nutrit charitatem; nutrimentum autem charitatis est imminutio cupiditatis, ait Augustinus qu. 36. inter octoginta tres, ergo hoc sacramentum singulariter diminuit cupiditatem. Confer. art. 6. resp. ad 3.

## Articulus II.

*Adeptio gloriæ est effectus Euchar.*

Art. 2. docet alium hujus Sacramenti effectum esse adeptionem gloriæ, non solùm quia dat gratiam in quâ velut in semine gloria continetur, quod omnibus Sacramentis commune est; sed etiam quia tribuit auxilium ad abstinendum à malis, & ad perseverandum in bonis; & quia Christus vitâ æternâ suos donaturus, continetur hîc tanquam cibus animas nutriens, & confortans. Unde Pontifex dictâ Clementinâ dicit, quod hîc *à malo retrahimur, & in bono confortamur; & ad virtutem, & gratiarum proficimus incrementa.*

*Ob.* Non obstat ergo quod apertio januæ cælestis ponatur effectus baptismi, q. 69. art. 7. id enim est, quia per baptismum tollitur omne impedimentum ab ea retardans, acceptaque prima vita gratiæ, fit homo Filius Dei, & hæres regni: per Eucharistiam verò, spiritualis vita prius accepta conservatur, & augetur, ut continuari possit usque ad tempus illud quo gloria recipiatur. *Resp.*

## Articulus III.

*Vtrum effectus hujus Sacramenti sit remissio peccati mortalis.*

C

Videtur quod sic, Primò, quia hoc Sacramentum est medicina: medicina autem *non est opus benè habentibus, sed malè habentibus*, Matth. 9. unde Christus *non venit vocare justos, sed peccatores.*

Secundò, Novum testamentum est promissio remissionis peccatorum: sed calix & sanguis Christi est novum testamentum, ut habetur Lucæ 22. & 1. Cor. 11. ergo est promissio remissionis peccatorum; qui proinde quando suscipitur, eam præstat.

D Tertiò, Sacramentum hoc secundùm se habet virtutem remittendi quæcunque peccata, ut initio corp. dicitur; ergo & mortalia.

Quartò, sacerdos in missæ officio orat, *Hæc nos communio Domine, purget à crimine. Hoc tuum Sacramentum sit ablutio scelerum.*

Quintò, forma Calicis clarè significat esse in remissionem peccatorum.

Sextò, Conc. Trid. sess. 13. can. 5. damnat eos qui dixerint præcipuum hujus Sacramenti effectum esse remissionem peccatorum; ergo supponit esse hunc effectum, quamvis non præcipuum.

*Resp. cum distinctione.* Resp. quòd remissio peccati mortalis non est hujus Sacramenti effectus per se: sive, hoc Sacra- E mentum non est per se institutum ad remissionem peccati mortalis, eam tamen potest aliquando conferre.

Prius prob. quia cibus non ordinatur ad suscitandum mortuos, sed ad nutriendum viventes; hoc autem Sacramentum est cibus. nam *Christus*, ut habet Syn. Trid. sess. 13. c. 2. *Sumi voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius qui dixit; Qui manducat me & ipse vivet propter me: & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur*, ubi cum distinctè asserat *præservare à mortalibus, liberare à quotidianis*, seu venialibus, satis ostendit quod per A se non liberet à mortalibus.

Confirmatur, Sacramentum non supponit suum proprium effectum: Eucharistia supponit mortalia peccata esse remissa illi qui accedit sicut oportet, ut tum ex perpetuo usu, tum ex ijs quæ de dispositione ad illam necessaria, dicentur art. 4. qu. seq. ergo remissio peccatorum mortalium non est proprius effectus Eucharistiæ.

Posterius non solum est Authoris, sed etiam Scoti, Durandi, & aliorum in 4. dist. 9. Cùm enim Christus, qui potest quodlibet peccatum remittere, hîc contineatur; consequens est, eum peccati remissionem tribuere illi qui bona fide accedit, nec obicem ponit, qualis est qui communicat B existens in statu peccati mortalis, cujus citra gravem culpam non est sibi conscius, aut conscius quidem est, sed justa necessitate ad communionem urgetur.

*Ob.* Dices, cibus corporalis non prodest mortuo, sive sciatur esse mortuus, sive non: ergo nec Eucharistia.

*Resp.* Resp. negando consequen. quia hæc, cùm Authorem vitæ contineat, qui promisit, *Panis qui de cælo descendit, dat vitam mundo*, habet aliquid singulare. Neque tamen sequitur esse accedendum cum conscientia peccati mortalis; quia ex sua institutione non ordinatur ad vitam primò dandam sed ad ejus conservationem, & spiritua- C lem nutritionem.

Ad 1. Arg. Resp. duplicem esse medicinam: unam, quæ ordinatur ad remotionem morbi: aliam quæ confortat, & ad perfectam sanitatem ducit: hac opus habent sani, non illâ.

Ad confirmationem Resp. Christum vel non venisse, ut prima sua vocatione, quæ est per fidem & pœnitentiam, justos vocaret; si enim justi sunt, antea vocati fuerunt, & pœnitentiam egerunt: Vel non tam venisse pro justis vocandis, quàm pro peccatoribus; quia *venit in hunc mundum peccatores salvos facere*: Vel denique, non venisse ad eos in sui comitatum & discipulatum asciscendos, qui in suis ipsorum oculis justi erant; sed eos qui D se peccatores agnoscebant. Ad convivium autem spirituale, in quo sumitur panis filiorum; non nisi à gravioribus mundatos vult accedere.

Ad 2. Quamvis sanguis Domini ad novum testamentum pertineat, propriè tamen non est ipsum testamentum, sed est id quo ipsum sancitur & confirmatur; ut propterea sensus horum verborum, *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo*, sit, Hic calix novum testamentum confirmat idque per sanguinem meum, qui in eo continetur: sive, Quod est in isto calice, est sanguis meus, in quo, seu per quem novum testamentum confirmatur.

Ad 3. Negatur antecedens, docet enim B. Th. E nos de hoc Sacramento posse dupliciter loqui. Primò, ut ejus virtus, quæ est Christus Dominus pro nobis passus, consideretur secundùm se; & sic attribuuntur huic Sacramento ea quæ Christo secundùm se conveniunt, habere virtutem remittendi quæcunque peccata, & conferendi primam gratiam, qua ratione non loquitur de isto Sacramento formaliter & propriè secundùm ejus institutionem & usum, sed solum materialiter.

Secundo autem modo loquimur de illo secundùm propriam ejus rationem & usum: qui est ut Christus sub specie cibi realiter contentus sumatur tanquam cibus spiritualis: Et sic, hoc Sacramentum per se habet nutrire animam, & conferre augmentum gratiæ, qua homo perfectior in se ipso existat, magisque unitus Christo: per accidens autem habet, etiam peccatum mortale remittere.

*In missa quo modo petitur remissio peccatorum.* Ad 4. ejusmodi orationibus partim petitur remissio peccatorum graviorum, quæ fortasse nos latent, ac etiam aliorum leviorum; partim remissio pœnæ restantis; partim præservatio à futuris. Ut autem intelligatur peti remissio peccatorum quorumcunque mortalium; ea non petitur præcisè pro illis qui Sacramentum sumpserunt, sed generaliter pro omnibus ad Ecclesiam pertinentibus; vel specialiter pro ijs, pro quibus oblatum est sacrificium. Ac propterea licet nominetur *sacramentum*; petitur tamen ejusmodi remissio, quatenus est effectus sacrificij. Neque id mirum videbitur consideranti quod sacrificium Eucharistiæ, etiam quatenus tale, apud veteres nominatur Sacramentum. August. l. de sancta virginitate c. 45. *Notum est*, inquit, *quo loco martyres & quo defuncti sanctimoniales ad altaris sacramenta recitentur.* Cõcilium tertium Carthagin. can. 29. *Vt sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur*, &c. In vita S. Martini. *Cum sacramenta offerret B. Martinus, globus igneus apparuit supra caput ejus.* Unde & libri qui ritus & ordinem peragendi sacrificij continebant, dicebantur libri Sacramentarij. Manet id nomen Sacramentario B. Gregorij usque in hodiernum diem. Et ipse S. Thomas hujus partis q. 83. art. 2. & deinceps frequenter celebrationem sacramenti dicit pro sacrificio.

Ad 5. id quod in forma ponitur, significat sanguinem tanquam sacrificium Deo offerri in remissionem peccatorum. Vide art. 3. q. præcedentis.

Ad 6. cum Conc. Trident. non loquatur præcisè de peccatis mortalibus, concedimus aliquem Eucharistiæ effectum, esse remissionem peccatorum. Lege art. seq.

## Articulus IV.

*Euchar. sacram. remittit pec. venialia.* Art. 4. probat hoc Sacramento remitti peccata venialia: *Primò*, quidem ex opere operato, & immediatè, eo ipso quo communicans est in gratia, nec ponit obicem habendo complacentiam ejus peccati quod remittendum est. *Secundò* verò mediatè, quatenus per hoc Sacramentum excitatur in homine fervor charitatis, qui, quia repugnat peccato veniali, ipsum tollit.

Uterque modus hîc significatur. *Prior*, dum ait posse considerari ipsum Sacramentum quod sumitur, per modum alimenti, cui proprium est quotidianas ruinas restaurare. *Posterior*, cùm dicit rem hujus Sacramenti esse charitatem & quoad habitum, & quoad actum.

Confirmari potest hæc doctrina ex Patribus, Chrysostomo hom. 45. in Joannem, Bernard. ser. de cœna Domini, Cyrillo Alexandrino lib. 4. in Joannem c. 17. & Authore sermonis de cœna Domini apud Cyprianum: novissimè verò ex sess. 13. Conc. Trid. c. 2.

Cùm autem in Resp. ad 2. concedit hoc Sacramentum remittere omnia peccata venialia: sensus est, quòd virtutem habeat omnia delendi, etiamsi de facto non semper omnia deleat, ob indispositionem suscipientis, ut tradidit in 4. d. 12. qu. 2. art. 2. qu. 1. ad 1. Confer qu. 87. ar. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Euchar. non totam pœnam remittit.*

### Articulus V.

Art. 5. docet per Sacramentum Eucharistiæ non remitti totam pœnam peccatis debitam: quoniam si consideretur ut est Sacramentum, directè, & ex vi Sacramenti non remittit pœnam, cùm enim non sit instituta ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nuttiendum, & uniendum hominem cum Deo; non auferet per modum Sacramenti, nisi ea quæ in habente vitam, huic unioni oppofita invenit; pœna autem, quæ peccato mortali quod jam deletum est, restat debita, non est hujusmodi. Indirectè tamen, & ex consequenti, quatenus excitat fervorem charitatis, valet ad remissionem, non tantum culpæ, sed etiam pœnæ; at non sic ut per se totam pœnam remittat, sed plus vel minus prout fervor ille fuerit major vel minor.

Si verò Sacramentum hoc consideretur quatenus est sacrificium; per se, & directè, habet vim satisfactivam; & secundùm quantitatem devotionis, multum vel parum pœnæ remittit; non tamen ordinariè totam pœnam; quia in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Quare hæc quidem oblatio ex sui quantitate sufficit ad tollendam omnem pœnam, sed fit satisfactoria secundùm quantitatem devotionis eorum pro quibus offertur. Vide qu. 83. art. 1. quæsito 13.

Quod initio corp. dicit Eucharistiam *habere rationem Sacramenti in quantum sumitur*: idem est, ac eam habere effectum sibi tanquam sacramento respondentem; seu cuipiam valere in ratione Sacramenti, tunc quando sumitur, ne quis hic ratiocinetur sactamentum Euchatistiæ consistere in sumptione, quod art. 1. q. 73. falsum esse ostendimus. Confer art. 7. ad 3.

### Articulus VI.

Art. 6. docet hujus Sacramenti effectum esse præservationem à peccatis futuris. In quantum enim auget habitum charitatis, per quam crescit unio hominis ad Deum, homo fit robustior, & ad divina propensior; In quantum verò Christus ipse præsens est, ac *agitur memoria passionu ejus* dæmones qui per eam victi fuerunt, expavescunt nec audent tantum impugnare, quantum alioquin vellent. Adde quod ejusdem mysterij intuitu Deus eos compescit, hominem armat, inspirationes & auxilia actualia suo tempore donat, ut proinde Conc. Trid. dicto cap. 2. sess. 13. Sacramentum hoc meritò vocet *antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.*

*Sacram. Euchar. præservat à peccatis futuris.*

De Resp. ad 3. Vide quæ diximus art. 1. ad 3.

### Articulus VII.

Art. 7. docet Eucharistiam sumentibus prodesse per modum Sacramenti, & per modum sacrificij; non sumentibus autem, solum per modum sacrificij. Offertur enim pro omnibus tam sumentibus, quàm alijs. In quantum verò sumitur, & est Sacramentum; solius sumentis sanctificationem, ejusque cum Christo unionem significat. Unde & per modum cibi sumitur; qui prodest soli manducanti.

*Hoc sacram. prodest alijs quàm sumentibus.*

Nec obstat consuetudo fidelium qui pro alijs sive vivis, sive mortuis communicare solent: quamvis enim sumptio hujus Sacramenti soli sumenti prosit ex opere operato, qui est modus quo peculiariter valent Sacramenta; ex opere tamen operantis, tum ad satisfaciendum, tum ad impetrandum prodest alijs tanquam singulare bonum opus.

De resp. ad 2. dicetur q. 83. art. 1. in tractatu de sacrificio, quæsito 8.

In Resp. ad 3. cum dicitur, *sumptio pertinet ad rationem Sacramenti:* non est sensus quod sumptio sit de essentiali ratione sacramenti: Multis enim locis repetit quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ: & non in usu, quemadmodum alia sacramenta, q. 73. ar. 1. ad 3. q. 74 ar. 2 ad 3. q. 80. art. 1. ad 1 ubi etiam addit quod *usus est quid consequens hoc sacramentū*: sed sensus est; quod sumptio est omnino necessaria ad hoc ut Eucharistia prosit alicui tanquam sactamentum. Quo modo approximatio quæ solum est necessaria ad calefactionem tanquam conditio, posset dici esse de ratione calefactionis ignis; quia ignis neminem calefacit nisi ipsa interveniat.

### Articulus VIII.

Art. 8. docet peccata venialia præterita, seu in habitu tantum manentia secundùm maculam, & reatum (nam quod S. Th. maculam venialis peccati agnoverit, ex qu. 87. ar. 2. ad 3. est evidens) per se nullum hujus sacramenti effectum impedire; quia art. 4. dictum est, ipsum Sacramentum habet virtutem ea remittendi. Actu verò exercitâ, id est, quæ jam actu placent vel actu committuntur, impedire effectum actualis devotionis, id est, fervorem charitatis, suavitatem, & dulcedinem, quæ ab hoc sacramento hauritur; non autem effectum augmenti gratiæ.

*Quem effectum Sacramenti impediant peccata venialia.*

Verùm quoad istud posterius, à quibusdam contradicitur existimantibus ad hoc ut gratia quoad habitum augeatur, necessariam esse in hujus sacramenti sumptione actualem devotionem: adeò ut si quis tunc mente distrahatur, augmentum illud non recipiat.

Et confirmatur. Primò, quia Sacramentum istud reficit, sicut cibus: sed cibus corporalis nihil efficit nisi per actionem ipsius viventis: ergo nec hoc Sacramentum aliquid efficit, quando sumens non cooperatur per actualem devotionem.

Secundò, experientia docet multos sacerdotes crebro celebrantes non consequi tale charitatis augmentum: hoc autem non est nisi ex defectu actualis devotionis, ergo.

Tertiò, PP. requirunt maximam devotionem: ergo nisi adsit, effectus non sequetur. Confir. ex Basil. in fi. l. seu ser. 1. de bap. *Non terribile tantum judicium habet qui in carnis ac spiritus inquinamento ad sancta accedit indignè (accedens verò reus sit corporis ac sanguinis Domini) sed & otiosè & inutiliter edens ac bibens, in eo quod non per memoriam ejus qui pro nobis est mortuus*, &c. Et infra, *Non solū*, inquit, *opertet purum esse à quovis inquinamento carnis ac spiritus ne ad judicium edat, & bibat, sed & evidenter ostendere, & exprimere memoriam ejus qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit.*

Opponitur etiam B. Tho. ex opusc. 64. de modo confitendi & puritate conscientiæ ca. de communione post nocturnam pollutionem. Sed vetisimile est istud opusc. non esse B. Tho. unde & minori



minori charactere est impressum, ad distinctionem à germanis ejus opusculis. Plus momenti habere videri potest quod in 4. d. 12. q. 2. a. 1. qq. 3. scribit *Absq; peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur.* Quibus non absimilia dicit art. 2. quæst. 1. ad 2. Sed ista omnia hîc retractantur, dum verbis apertis oppositum resolvit in Op. & ad 1.

Quapropter B. Thom. doctrina, eâque verisimiliòr est, actualem distractionem non impedire augmentum gratiæ, nec actualem devotionem ad aliud esse necessariam.

Primò, quia peccatum veniale non contrariatur habitui charitatis, sed ejus fervori: ergo solum hunc impedit, non illius augmentum.

Secundò, qui cum affectu peccati venialis communicat, non accedit indignè: peccaret enim mortaliter, ergo aliquo modo accedit dignè, & proinde consequetur effectum.

Confirmatur, nam ex sess. 13. cap. 7. Concil. Trident. habetur eum sufficienter se probasse ad dignè, & utiliter communicandum, qui sibi nullius peccati mortalis conscius est. Ex capite etiam 8. constat illum communicare & sacramentaliter & spiritualiter, quandoquidem vestem nuptialem indutus ad divinam mensam accedat: ergo dicendum est quod recipiat augmentum gratiæ sive charitatis.

Ad 1. ergo Argumentū Resp negando conseq. quia nutritio corporalis fit per actionem viventis, circa alimentum; spiritualis verò, per actionem alimenti in anima; juxta illud Christi ad Augustinum, *non tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Unde B. Tho. in opusc. de Sacramento altaris c. 20. de illis qui sacramentaliter & spiritualiter communicant, dicit quod manducant & manducantur, *quia dum corpus Domini dignè à fidelibus manducatur, non ipsum ut alius cibus in manducantem convertitur; sed è converso illud verè manducans in illud spiritualiter mutatur. Nam manducantem se Dominus sui corporis membrum facit, & sibi incorporans per charitatem unit.*

Ad 2. Negatur Major: quia nec habitus infusi nec eorum augmentum potest experientiâ cognosci; præsertim cùm peccata venialia impediant illud quo possint se prodere extetius, scil. fervotem & motum charitatis.

Ad 3. Resp. illum qui post legitimam confessionem & absolutionem communicat & in communicando leviter distrahitur, sicque caret actuali devotione, non otiosè & inutiliter edere corpus Domini; tum quia proficit ex sumptione Sacramenti; tum quia in charitate vescitur pane filiorum. Basil. autem eum intelligit otiosè, & inutiliter edere, qui sine charitate edit, *quid de eo*, inquit, *dicendum est qui otiosè & inutiliter edere audet corpus & bibere sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & hâc ratione plus aliquantò contristat & infestat Spiritum S. dum sine sociâ charitate vescitur?* Sed nec sine memoria Christi mortui ac redivivi communicare dicendus est, cùm communioni præmittat confessionem per quam moritur peccato & vivit Deo, habeatque adhuc virtualem mortis & resurrectionis Christi memoriam.

Ad alia Basilij verba Resp. meritò requiri maximam devotionem non quod alioquin omni effectu privandus sit qui eam non habet: sed quia hoc decet hujus Sacramenti dignitatem. Nec satis est immunem esse à peccatis carnalibus, sed oportet omnibus peccatis mortalibus esse mortuum, & vivere Deo per gratiam: & hoc modo mors, ac resurrectio Christi exprimitur.

## QUÆSTIO LXXX.

*De usu, seu sumptione hujus Sacramenti.*

### Articulus I.

Art. 1. explicat duos modos manducandi corpus Christi, Sacramentaliter & spiritualiter.

Prior est, quando sumitur sacramentum sine ejus effectu.

Posterior, quando percipitur effectus quo homo conjungitur Christo per fidem & charitatem. Qui modus quia perfectior est; ideò dividitur contra alterum, sicut contra imperfectum.

Cæterùm, cùm spiritualis manducatio subdividi possit in eam, quâ simul Sacramentum sumitur, & ejus effectus, de quâ B. Th. in corp. & ad 2. Et in eam *quâ voto panem illum cælestem edentes fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem sentiunt*, cujus mentio est in Resp. ad 3. ideò, uno dictorum membrorum subdiviso; fiunt manducationes hujus sacramenti tres sacramentalis tantùm, spiritualis tantùm, sacramentalis & spiritualis simul: quas explicat Conc. Trid. sess. 13. c. 8. & longè ante B. Th. in supradicto opusc. de Sacram. Altaris, à c. 17. usque ad 20. In 17. ita scribit; *Ex his patet triplex modus manducandi. Primus sacramentalis tantùm, secundus spiritualis tantum, tertius sacramentalis & spiritualis simul. Primo manducant mali Christiani, secundo omnes salvandi, tertio soli boni Christiani.* Videri possunt Aug. tract. 26. in Ioan & de conf. d. 2. c. *Quid est*, Prosper in l. sent. Scholastici in 4. d. 9.

*Tres hujus Sacramenti manducationes.*

Ex quibus cum Authore in fine Corp. & cum Conc Trid. collatis, dicendum est non omne votum seu desiderium hujus Sacramenti, esse spiritualem manducationem; sed illud solùm quod fidei vivæ conjunctum est. Ac proinde peccatores in statu peccati mortalis existentes, non pertingunt ad spiritualem manducationem.

Circa Resp. ad 3. observandum est spiritualem manducationem ita subinde generaliter accipi, ut comprehendat quodlibet desiderium unionis cum Christo; & sic antiqua Patrum manducatio mannæ, de quâ diximus ar. 1. q. 75. ad 8. quia desiderabant & esuriebant Christum in mannâ præfiguratum, erat quædam manducatio hujus Sacramenti spiritualis, impropriè tamen: Nam propriè dicta solis illis convenit qui in ipsum Sacramentum feruntur per fidem vivam, voto explicito. Quod autem ejus effectus non sit illa ipsa gratia, quæ per Sacramentum actu susceptum daretur; sed alia quæ præsenti operi ac dispositioni respondet, ex ijs quæ diximus q. 62. a. 1. ad 9. potest haberi. Vocatur tamen in resp. ad 2. effectus Sacramenti, quia datur in ordine ad illud, & ex ejus voto.

### Articulus II.

Art. 2. docet Angelos spiritualiter manducare Christum, quatenus ei, ut in propriâ specie, uniuntur per charitatem, & manifestam visionem: non convenire tamen illis spiritualiter manducare hoc Sacramentum, sed solis hominibus, & quidem

*Angeli non manducant spiritualiter hoc Sacramentum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quidem ijs qui per fidem ambulant, nondum videntes per speciem: quia illi soli feruntur desiderio aliquando percipiendi Sacramentum; non Angeli etiam in corpore assumpto; partim quia sunt incorporei, nec eorum in corpore manducatio vera & propria esse potest, cum non sit operatio vitalis: partim quia non est, nec erit in eis (uti nec in beatis etiam cum corpore glorificato existentibus) desiderium percipiendi Christum sub alienâ specie, quem clarè vident in propriâ.

Circa Resp. ad 1. adverte hujus versiculi, *Panem Angelorum manducavit homo*, litteralem sensum esse de manna Judæorum, quod Angelorum opera formabatur. Idem etiam dicitur, *Panis tali*, quia de cælo, sive de aëre in terram descendebat. Spirituali verò sensu, intelligitur de corpore Christi.

### Articulus III.

*Non solus homo justus manducat Christum sacramentaliter.*

Art. 3. docet non solum hominem justum posse Christum manducare sacramentaliter, sed etiam peccatorem: quia sana doctrina habet corpus Christi manere sub speciebus, quamdiu illæ manent, & quamdiu maneret substantia panis si adesset, ut q. 76. art. 1. & q. 77. art. 4. dictum est.

Confirm. ex 1. ad Cor. 11. ubi Apostolus, ejusque commentatores apertè docent peccatores indignè sumere corpus Christi; magnumque propterea peccatum committere. Hinc August. l. 5. contra Donatistas ca. 8. *Corpus Domini & sanguis Domini, nihilominus erat etiam in illis quibus dicebat Apostolus, Qui manducat indigne &c.*

In Resp. ad 2. ostendit infidelem, si species consecratas sumit, manducare Christum Sacramentaliter, ex parte rei, non ex parte manducantis; quia revera sumit Corpus Christi contentum sub speciebus; non utitur tamen illo ut Sacramento, sive ut signo divino & cibo sacro, sed solùm ut prophano, & communi.

### Articulus IV.

*Communicans in conscientia pecc. mort. peccat. mort.*

Art. 4. probat eum qui hoc Sacramentum sumit in conscientia peccati mortalis, peccare mortaliter.

Primò, quia *qui manducat indignè*, 1. ad Cor. 11. *judicium* (id est condemnationem) *sibi manducat, non dijudicans corpus Domini*, id est, non discernens, ab alijs cibis, sed ita accedens ad ipsum sicut ad cibum communem, & prophanum: condemnatio autem non est nisi ob peccatum mortale, ergo. Hinc est quod talis ibidem dicatur *reus corporis, & sanguinis Domini*, scilicet indignè, & ignominiosè tractati.

Secundò, sumptione hujus Sacramenti significat quis se esse Christo per charitatem conjunctum: atqui quamdiu est in peccato mortali adhuc est habitualiter Deo inimicus, æternæ damnationis reus, & à Christo disjunctus: ergo falsitatem committit, & quidem in re maxima.

Tertiò, Eucharistia est cibus, & panis filiorum: ergo suscipiens illam debet esse vivus vita spirituali, & Filius Dei.

Porrò, cum conscientia peccati mortalis accedit qui sibi illius conscius est: sive, qui certò novit, vel opinatur peccatum illud nondum esse remissum, etiamsi fortè affectum illius deposuerit. Ac proinde, ut sine peccati conscientia accedat, non solùm requiritur quod affectum ejus deposuerit; sed etiam quod clavibus Ecclesiæ subjecerit, ut sic rationabiliter existimare possit illud sibi esse remissum. Ad majorem tamen intelligentiam.

### Quæritur I.

*Quæ dispositio requiritur ad dignè recipiendum hoc Sacramentum.*

Videtur sufficere contritio. Primò, quia ad susceptionem aliorum Sacramentorum sufficit.

Secundò, quia nullum extat præceptum, saltem divinum, de præmittenda confessione, imò illud Apostoli 1. ad Cor. 11. *Probet seipsum homo*, videtur significare quòd sufficiat probatio per sui discussionem, & contritionem, cùm non meminerit confessionis. Adde quod si jure divino prærequireretur confessio, semper esset præmittenda: cùm tamen certis casibus aliter fieri possit.

Tertiò, Chrysostomus hom. 28. in epistolam priorem ad Corinth. non jubet, inquit, ut alter alteri probetur, sed ut ipse sibi. Addi posset quod Nectarius præcessor Chrysostomi permiserit unumquemque pro sua conscientia communicare, apud Socratem libro quinto cap. 19. sed hujus rei proprius locus est in tractatu de confessione. Vide Suppl. q. 6. art. 1.

*Præmitti debet confessio peccati mortalis.*

Resp. ad digne suscipiendum Sacramentum, *illi, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunq; etiam se contritos existiment, habitâ copiâ confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Et qui aliter docere præsumpserit, eo ipso est excommunicatus*, per Concil. Tridentin. sess. 13. can. 11.

Ne quis autem existimet necessitatem hanc præviæ confessionis à Concilio isto primùm impositam; c. 7. ad hæc verba, *Probet seipsum homo*, dicit quòd Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem esse necessariam, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Unde patet Ecclesiam jam olim intellexisse confessionem esse necessariam peccatori communicare volenti. Et quamvis non omninò liqueat obligationē hanc, etiam suppositā utriusque Sacramenti institutione (communionis scilicet & pœnitentiæ) esse juris divini naturalis, eò quod jus naturæ non exigat summam puritatem, vel summam diligentiam, sed solùm ut sancta sanctè tractentur; quod fieri posse videtur per contritionem, dilectionem, devotionem; est tamen illi valde consentanea. Cùm enim in Eucharistia contineatur Sanctus Sanctorum: meritò qui ad eam accedere vult, curare debet ut sit sanctificatus. Atqui per contritionem etsi aliquando contingat hominem Deo reconciliari & peccatorum remissionem accipere priusquam sacramentum absolutionis actu suscipiatur: id tamen neque semper, neque ordinariè accidit, cum non omnis contritio semper sit charitate perfecta, ut in Suppl. q. 5. probabimus.

Confirmatur, hoc Sacramentum ex sua institutione est cibus spiritualis: ergo ex eadem institutione non convenit nisi vivis. Atqui ut relapsus vivificetur, & à peccato mortali justificetur, datum est Sacramentum pœnitentiæ: ergo eandem institutionem sequendo, debet alteri præmitti.

Quid-



*Est que id juris divini.*

Quidquid sit de jure naturali, satis convenit, obligationē hanc esse juris divini, saltem positivi.

Probatur 1. quia Concilium Trid. dicens, *Ecclesiastica consuetudo declarat*, &c. significare voluit hoc jus non esse introductum ab Ecclesia, sed perpetuò observatum, atque ita Ecclesiasticam consuetudinem declarasse, cujusmodi probatio per Apostolum expressa requiratur.

Secundò, Cypr. Epist. 10. 11. & 12. reprehendens Presbyteros quòd Eucharistiam darent lapsis qui nondum egissent pœnitentiam; nec exomologesin (i. confessionem) fecissent peccatorū, vult ut inferiores à superioribus instructi eam præmittant, omnia cum Dei timore, & cum data ab eo, & præscripta observatione, facientes; addit- B que in minoribus etiam peccatis constitutos non posse ad communionem venire, nisi prius fuerint absoluti. Et S. Leo Epistola 91. *Christus Jesus*, inquit, *præpositis Ecclesiæ hanc tradidit potestatem ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Ambros. super c. 9. Lucæ. *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus.* Hinc Aug. tract. 26. in Joann. *Innocentiam ad altare opportet.* Videri possunt Chrysostomus homil. 83. in Matthæum, Cypr. in tract. de lapsis, August. Epistola 118. cap. 3. Eusebius lib. 6. historiæ cap. 27. Concil. C Nicenum canone 11. & 12. Ancyranum canone 4. & sequentibus. His consentiunt plerique Scholastici, exceptò ferè Cajetano, cujus propterea in hunc art. Commentarius in editione Romana expunctus est.

Ad Primum ergo Argumentum Resp. magnam esse diversitatem hujus Sacramenti ab alijs, est enim omnium præstantissimum, ac fontem sanctitatis realiter continet, estque panis filiorum & cibus viventium.

Ad 2. Neg. Assumpt. Nam de confessione huic Sacramento præmittenda, est præceptum à Christo traditum Apostolis, & per Apostolos datum Ecclesiæ, quod continetur in illis verbis D Apostoli, *probet seipsum homo*: juxta id quod præcedit, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; & juxta mentem Ecclesiæ, quæ probationem generalibus verbis ibi præscriptam, ita semper intellexit.

Ad confirmationem, Resp. quòd cùm illud præceptum sit affirmativum, non obligat pro semper, & specialiter non eo casu quo adimpleri non potest; quemadmodum Ecclesia illud interpretatur. Ac proinde confessio non pari gradu necessaria est, quo contritio; sed solùm habitâ copiâ Confessoris.

Ad 3. Chrysostomus non excludit probationem quæ fit apud Sacerdotem, sed quæ fit more E forensi publicè & per testes; & per quam omnibus patere potest id quod hoc modo probatur. Qui verò sacramentaliter confitetur, non dicit peccata sua alteri tanquam testi, vel ei qui revelare possit, sed tanquam judici conscientiæ, qui nihil potest revelare.

*Q. 79. art. 8.*

Porrò Concil. Trid. locutum est de illo qui peccati mortalis conscius est, quia peccatum veniale præsens non facit ut quis indignè communicet. Imò sunt qui existimant ejusmodi ne venialiter quidem delinquere, quibus tamen haud facilè assentimur de illo qui scienter affectum peccati venialis haberet; committeret enim saltem nonnullam irreverentiam.

### Quæritur II.

*Quibus casibus liceat communicare non præmissa confessione.*

Ex Conc. Trid. sess. 13. c. 7. & can. 11. liquet licere id, quando urget necessitas, & deest copia Confessoris. Quæ duo simul requiruntur. Si enim urgeat necessitas celebrandi, & non desit copia Confessarij; aut si desit quidem illa, sed necessitas non urgeat: non licet absque præviâ confessione celebrare. Et quamvis Concilio meminit necessitatis urgentis, solùm loquatur de Sacerdote celebraturo: conformiter tamen extendi debet ad alios communicare volentes, cùm sit eadem ratio, quando illa duo concurrunt, & necessitas communicandi, & ablentia Confessarij.

An autem & quod sequitur, ut factâ communione quamprimùm confiteatur, etiam ad laicos extendi debeat, controvertitur. Si enim Conc. de ipsis interrogatum fuisset, idem respondisset, ait Navarr. c. 21. n. 10.

*Laicus in necessitate communicans non prævia confessione, non tenetur statim postea confiteri.*

Quia tamen nec Synodus id præcepit, nec certum est quid respondisset, si fuisset interrogata: Ideò probabiliter alij respondent præceptum confitendi statim post celebrationem, quæ propter necessitatem facta est sine confessione, non extendi ad communionem laicorum simili modo factam.

Primò, quia est præceptum juris Ecclesiastici solisq; Sacerdotibus positum. Unde B. Th. q. 83. ar. 6. ad 2. tali casu docet requiri propositum confitendi, & satisfaciendi, nihil addens de statim confitendo post communionem absque confessione factam.

Secundò, specialis causa potuit occurrere cur Sacerdotibus celebrantibus id præciperetur, & non alijs: ut, quod non solùm sumant Sacramentum, sed etiam conficiant, & offerant: ex hac enim, & simili causa major ab eis reverentia & præparatio potest exigi.

Tertiò, præcepta affirmativa, cujusmodi est de confessione præmittenda Communioni, non obligant pro semper, sed pro certis temporibus, quæ ubi præterierunt, cessat eorum obligatio, sive impleta fuerint, sive non: ut qui occurrente necessitate obligabatur eleëmosynam dare pauperi eam patienti, ea cessante non amplius obligatur.

Dices, qui non est uno anno confessus vel non communicavit in Paschate, adhuc obligatur postquam illud tempus præterijt: ergo similiter qui non est confessus ante communionem, remanet postea obligatus. *Ob.*

Resp. Neg. C. quia confessio huic præcepta erat solùm ut dispositio ad Eucharistiam: cessante autem actu ad quem ordinatur dispositio, cessat etiam ratio dispositionis: ac proinde cessat ratio obligationis, quando jam communicavit. In alijs autem casibus confessio & communio præcipitur tanquam principale, primò & per se intentum; temporis verò determinatio solùm secundariò, sublato autem secundariò non tollitur principale: & ideò remanet obligatio ad illud, sicut qui per fundationem alicujus Capellaniæ obligatus est facere Missam die Dominico, si eo die non fecit, tenetur sequenti. *Resp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ex his consequenter est dicendum, Sacerdotes A ob necessitatem communicantes instar laicorum, sine præviâ confessione, non obligari statim post communionem confiteri: quia Concil. disponit solùm de celebrantibus.

Idem judicium existimamus de illo qui nullius peccati habens memoriam, confessionem non præmisit, etiamsi post communionem ei occurrat peccatum aliquod mortale: quia non prætermisit eam ob necessitatem, de quâ loquitur Concil.

De illo autem qui ex malitia celebrat non confessus, tametsi quidam similiter judicent; putamus aliter censendum, per argumentum à minori, quòd scil. teneatur statim confiteri, sicut & is qui in ipso sacrificio mortaliter peccatet ante communionem. B Item qui assumeretur ad complendum sacrificium ab alio inchoatum: & qui in parasceve faceret officium sine confessione, ob necessitatem. Omnes enim hi sacrificium complent ritu solemni, & faciunt actionem Sacerdoti propriam, ut proinde nomine celebrationis, meritò intelligatur cõprehensa.

Cæterùm, cùm ex his non liqueat, aut quando sit urgens necessitas, aut quando desit copia Confessarij: ad particularia veniendum est.

*Casus primus.* Primò igitur, si Sacerdos, aut laicus sint in periculo mortis, nec adsit qui sacramentaliter eos absolvere valeat, possunt communicare sine confessione. Et, si non essent hostiæ consecratæ, posset Sacerdos celebrare, non solùm pro sui, sed etiam C pro alterius periclitantis necessitate, si ex officio ipsi incumbat istum periclitantem communicare, nec per alium fieri possit.

*Secundus.* Secundò, Quando Parochus meminit peccati mortalis, nec potest habere Confessorem, nisi procul eundo: Quò si eat, populus offendetur nimiâ expectatione, potest propter necessitatem sui officij celebrare. Addit Dominic. quod non tenetur quotidie ire ad quærendum Confessarium, etiamsi celebrare debeat, supposito nimirũ quòd non possit ire absq; notabili incommodo vitæ, famæ, honoris; valetudinis; supposito etiam quòd non persistat in concubinatu, ebrietate, vel aliquo alio peccato.

*Tertius.* Tertiò, quando quis, etsi non obligetur celeD brare, vel communicare; non potest tamen omittere sine scandalo, vel infamiæ notâ; non tenetur abstinere. Hinc quod aliqui dicunt, propter necessitatem præcepti Ecclesiastici, posse Sacerdotem non confessum die festo celebrare, quando alioquin ipse vel socij Missam audire non possent; ac similiter laicum posse Paschalibus diebus finientibus communicare; si desit eis confessor: intelligendum est, quando ex non celebrando, vel non communicando, verisimiliter secuturum videtur scandalum, aut infamia. Illis enim seclusis, non possunt: cùm præceptum divinum, quale est de confessione præmittenda, non sit infringendum propter Ecclesiasticum; à cujus observatione exE cusat impotentia vel necessitas.

Ob eandem scandali, vel infamiæ rationem, si cui redeat in memoriam peccatum mortale non confessum, quando jam publicè admotus est ad communicandum, vel quando Sacerdos pixidem pro eo communicando parare cœpit, aut hostiam consecravit; si absque notâ confiteri nequit, communicare potest, sicut & Sacerdos missam cœptam perficere: qui tamen si recordaretur peccati ante consecrationem, & absque nota vel incommodo posset alius Sacerdos ad eum venire, vocandus esset ut per illum absolveretur; non similiter, si post consecrationem; quia non expedit sacrificium substantialiter inchoatum sic interrumpere.

*Quartus.* Quartò, Si pœnitens habet peccatum aut circumstantiam necessariò confitendam, quam si confiteatur sacerdoti quem solum habet, quando communio vel celebratio prætermitti nequit; verisimiliter sequetur grave damnum animæ, vitæ, famæ, aut rerum aliarum sive pœnitenti, sive confessario, sive alteri; potest non confessus celebrare, & cõmunicare; si nullius alterius peccati mortalis conscius est, quamvis enim possit eo tacito confiteri venialia, non tenetur tamen; cùm ea non sint materia confessionis necessaria. Si verò aliorum peccatorum mortalium conscius est; non licet ei non confesso communicare, ut nec alieno confiteri sine licentiâ proprij; cum verè non desit confessor, isque proprius, sed confiteri debet omnia mortalia quæ occurrunt, eo excepto, cujus ratione, prædicta damna metuuntur, cum proposito illud ipsum confitendi quam primum poterit sine ejusmodi periculo, verbi gratia, occisus fuit in pago frater Pastoris, & ignoratur quis fecerit: Si Joannes qui aliquod aliud homicidium perpetravit, pastori confiteatur, ex varijs causis verisimile fit quod existimabit fratrem suum à Joanne occisũ, & quod rupto sigillo vindictam expetet. Tunc si communio prætermitti non potest sine scandalo, vel infamia, nec alius confessor haberi; debet omnia alia peccata mortalia, isto tacito, confiteri, & sic communicare; nam in concursu duarum legum, quæ simul observari nequeunt, inferior cedere debet: lex autem de confitendo integrè uni & eidem, inferior est lege vetante injustum nocumentum alteri, vel sibi inferre, aut occasionem inferendi dare; quia est divina positiva; cùm hæc sit divina naturalis. In hanc sententiam videri possunt Bonav. in 4. d. 21. Major d. 17. q. 5. Dominicus d. 18. q. 2. articulo quinto, Cajet. verbo Confessio, Navarr. c. 7. numero sexto, B. Th. in 4. dist. 17. quæstione 3. articulo tertio, quæstiunc. 4. ad 5. Ubi tamen, cum addit esse idem judicium, quod de illo qui non habet copiam sacerdotis; intelligendus est, quando pœnitens non habet alios casus, quam de quibus, ut suprà, metuitur. Neque verò tunc confitendum est laico (quod in nullo casu fieri potest) sed solum, si ad habendum consilium expediat, poterit peccatum causa consilij, ei manifestari.

Cùm verò ex confessione peccati, vel circumstantiæ mutantis speciem, non metuitur detrimentum; sed hoc solum, quod Confessarius cognoscet peccatum tertiæ personæ, ipseque talis est qui prodesse possit, obesse non velit; si pœnitens alium non habet cui confiteatur debet ei omnia, & singula priùs quam communicet, confiteri: quia nulla lex obstat; cùm ex causâ possit revelari crimen alterius, ei quem scit non obfuturum. Tali igitur casu, exprimendus esset incœstus cum sorore, quamvis ea Confessario nota esset. Neque per hoc infamabitur; non magis quàm seipsum infamare dicendus est pœnitens. Nam sacerdos eodem sigillo tenetur celare culpam utriusque. Ita Navarr. c. 7. nu. 7. Tolet. l. 3 c. 8.

*Quintus.* Quintò, qui habet casum reservatum superiori, quem adire non potest, nec obtinere facultatem ut per alium absolvatur, & periculum videt scandali, vel infamiæ nisi communicet; potest communicare non confessus, si nullius alterius peccati mortalis conscius est: alioquin, juxta quorundam opinio-



opinionem de quam Suppl. q. 20. quæsit. 3. dicetur, A præmittenda est omnium peccatorum, etiam istius reservati, confessio.

Et quamvis hæc intelligantur à nonnullis de casu reservato qui non habet censuram annexam; si tamen verè metuitur scandalum pusillorum aut infamia, occultè excommunicatus non habens copiam Confessarij potentis eum absolvere, potest etiam non confessus communicare, vel celebrare juxta Angelum à Sylvestro citatum, verb. *Eucharistia* 2. qu. 7. Navar. cap. 27. n. 239. Vivaldum, & alios.

Adduntur & alij quidam casus; ut quando per verecundiam non audet aliquis confiteri suũ peccatum: quando habens unum Confessorem, expeB ctat aliũ, cui devotius confiteatur; quando habens alienum cui potest ex privilegio confiteri, expectare vult proprium. Sed cum talibus non desit copia Confessoris; sicuti nec necessitas est illis qui vel consuetudine, vel particulari devotione ducũtur, non licet eis communicare non confessis.

*Quæst.* Petes, qui post confessionem recordatur alicujus peccati mortalis obliti, an possit communicare priusquam illud confiteatur? Videtur enim quod sic, quandoquidem sit per absolutionem præviam remissum, nec eo gravetur ejus conscientia.

*Resp.* Resp. si commode potest Confessor haberi, confitendum est illud oblitum ante communioC nem, ut ex Navarr. c. 21. n. 49. & alijs patet docentibus eum qui ad mensam communionis paratus, recordatur peccati mortalis, tunc solùm posse communicare absque illius confessione, quando decenter, aut sine notâ non potest recedere, & Confessorem adire. Neque enim solùm præcipitur confessio ante communionem, sed præcipitur, ut fiat integrè de omnibus quorum habetur memotia. Ac proinde hic gravatur adhuc conscientia peccati mortalis, quia scit se illud commisisse, & nondum subjecisse clavibus Ecclesiæ. Hac de re plura dixi p. 2. Resol. var. verbo *Confessio*, 3. allatis diversis Authoribus.

Petes præterea, si Sacerdos fuerit ante Missam legitimè confessus & absolutus; in celebrando auD tem recordetur peccati mortalis in confessione obliti: An teneatur de illo tunc concipere contritionem. Resp. probabilius videri quod non teneatur, sed sufficiat tunc de illo dolere, quando (sicut oportet) postea illud confitebitur: quia de illo virtualem habuit contritionem, conterendo de alijs, eaque legitimè confitendo; & præsumere potest sicut confessa, ita & hoc esse remissum per Sacramentum antea receptum. Consentit Diana Resol. 48. de celebr. Miss.

## QUÆRITUR III.

*Quæ dispositio necessaria sit, quando non poE test præmitti Confessio.*

Attritionem ut talem agnitam, quæ non pertingat ad naturam veræ licet imperfectæ contritionis, minimè sufficere certum est; quia sic non accederetur sanctè ad sancta, nec cum eâ quâ decet dilectione, ad fontem dilectionis & sanctitatis.

Requiritur ergo sincerus de peccatis ob Deum offensum dolor, cum ejus super omnia dilectione id est, vera contritio, saltem imperfecta. Confer Conc. Trid. ff. 13. c. 7.

Confitmatur, Ut adultus bene recipiat baptismum, debet Deum tanquam omnis justitiæ fontem incipere diligere, ac propterea moveri adversus peccata per odium aliquod & detestationem eorum, ut ex ejusdem Conc. sess. 6. c. 6. patet; hoc est, debet esse contritus contritione saltem imperfectâ; talis enim dispositio non potest excludi à definitione Contritionis, sess. 14. seq. c. 4. tradita: Sed communicans in necessitate absque præviâ confessione, non minorem habere debet dispositionem, quam adultus ad baptismum accedens: ergo debet habere contritionem.

## QUÆRITUR IV.

*Quæ dispositio necessaria sit ei qui solum opinatur, vel dubitat de peccato mortali; non confesso.*

Respondeo Confessionem esse necessariam.

Primò, quia talis conscius est peccati mortalis, etiamsi fortassis erret in suâ opinione.

Secundò, quia non habet justam rationem existimandi quod omnia sua peccata mortalia clavibus Ecclesiæ subjecerit.

Tertiò, quia ad dignam Eucharistiæ receptionem, ea probatio requiritur quâ post diligentem conscientiæ discussionem, inveniatur quis à peccato mortali per sacramentalem ejus Confessionem emundatus, Dei filius & amicus; per charitatem spiritualiter vivens; & tum capiti, tum membris per eam unitus.

*Qui conscientia dubia.* Est autem conscientia verè dubia, quando neque in affirmativam, neque in negativam partem se resolvit, ne quidem opinativè.

Opinatur, qui existimat quidem ita esse, sed cum formidine. Qui verò communicat, memor alicujus peccati mortalis, sed quod vel non putat se commisisse, vel existimat se esse confessum; non peccat: uti nec is qui cum vero scrupulo sumit Eucharistiam.

*Quid scrupulus.* Est autem verus scrupulus, cùm aliquid judicamus in alterutram partem, saltem opinativè, sed occurrit apparens argumentum in contrarium, propter quod tamen mens à priore judicio non recedit, sed nonnihil inquietatur, seu ad recedendum invitatur.

### Articulus V.

*Indignè communicare non est omnium pec. maximum.*

Art. 5. docet accedere ad Eucharistiam cum conscientiâ peccati mortalis, non esse omnium peccatorum gravissimum: quia secundùm se graviora sunt.

Primò, quæ committuntur immediatè in Deum: ut infidelitas, blasphemia, & quæcumque virtutibus Theologicis opponuntur.

*Secundò*, quæ fiunt contra humanitatem Christi, ut existit in propria specie. Et sic tertiò demũ loco sunt quæ committuntur contra eandem, ut in alienâ specie existentem; Ubi tamen contingit aliquid (sicut est conculcatio, vel projectio Sacramenti in lutum) esse gravius indignâ communione, propter contemptum & expressam injuriandi intentionem. Et similiter inter communicantes indignè, gravius delinquit is qui cum gravioribus culpis accedit, per se loquendo, quia est indignior

Addit

Universidad de Deusto
Biblioteca



Addit B. Tho. peccatum indignæ communionis multis alijs esse gravius, ut illis quæ fiunt contra virtutes morales; habet enim gravitatem sacrilegij, opponiturque virtuti religionis. Verum hæc, sicuti & quod dicit, *quantò id contra quod peccatur est majus, tantò peccatum est gravius*; intelligenda sunt de gravitate peccati secundùm speciem quæ sumitur ex objecto. Nam propter nocumentum, aliasve circumstantias; peccatum ex objecto minus, potest simpliciter esse majus indigna communione, ut homicidium, adulterium, incæstus &c.

*Indignè communicans unicum peccatum committit.*

Porro qui communicat indignè, non videtur duo distincta peccata committere; unum omissionis pœnitentiæ, alterum commissionis irreverentiæ; tametsi Canus ita opinetur p.4. de pœnit. conclusione 4. obligatio enim tunc pœnitendi, non oritur ex præcepto pœnitentiæ (nisi esset tempus confessionis & communionis annuæ) sed ex alio, de digna receptione Sacramenti: quando autem aliquod præceptum non obligat ratione sui, sed tantum ratione alterius; non censetur distincta obligatio, saltem formaliter. Unde, quodvis etiam aliud Sacramentum ministrans aut recipiens indignè, unicum admittit peccatum mortale. Vide quæ dicentur ad Sup. q.4. art.2.

### Articulus VI.

*Manifestis peccatoribus neganda est Eucharistia.*

Art. 6. declarat manifestis peccatoribus etiamsi petentibus, Eucharistiam esse denegandam. Quod non solum communi scholasticorum consensu receptum est, sed etiam traditur à Patribus, Chrysostomo hom. 83. in Matthæum. Augustino li. 90. homiliarum hom. 50. Cypriano epist. 60. Concilio Arelatensi 1. cap. 4. & 5. Cùm enim peccator sit manifestus; ideoque nullum, ne quidem in foro ecclesiæ externo habeat jus petendi hoc Sacramentum, sitq; indigna sumptio peccatum valde grave: sacerdos cùm sine ullo incommodo possit arcere hujusmodi peccatorem, ad hoc tenetur; & nisi faciat cooperabitur ejus peccato. Publicis ergo usurarijs, meretricibus, concubinarijs, non est danda communio.

Quod si sacerdos aut diaconus seipsum in peccato mortali notorio vel occulto, communicaret; duo peccata, unum malæ dispensationis; alterum, indignæ receptionis, committeret. Ac proinde vel confiteri deberet se in peccato mortali celebrasse, & quidem notorio, si ita est, aut si extra missam communicarit, sibi Sacramentum illud ministrasse, in tali statu. Ad majorem intelligentiam.

### QUÆRITUR I.

*Qui dicantur manifesti seu publici peccatores.*

Beatus Thomas hic in corp. dicit peccatores esse manifestos, vel per evidentiam facti, vel per judicium Ecclesiasticum aut sæculare: intelligit autem eos esse manifestos per judicium, qui vel in judicio sunt confessi, vel in eo sunt convicti Quæstione enim 82. art. 9. ad 3. tria recenset genera notoriorum sive manifestorum peccatorum, & inter eos annumerat peccatores de quorum peccato constat per propriam ipsorum confessionem in jure factam.

Dicendum est ergo manifestos peccatores censeri, quorum peccata noscuntur, aut per judicis sententiam, aut per propriam confessionem in judicio factam, aut per evidentiam facti quæ nulla possit tergiversatione celari, ut ex dicta hom. 50. Augustini, & ex cap. *Tua nos*, & cap. *Quæsitum est*, de cohabitatione clericorum, atque ex B. Thoma dictæ q.82. art.9 patet. Quando autem sit istud ultimum, non potest ex solo testium numero judicari, sed attenta qualitate delicti, loci, & personarum qui crimen noverunt; est æstimandum. Vide Navarrum c.21. num.55. & c.25. num.73.

Quod si publicus peccator pœnitentiam egerit, eamque publicam seu talem ut ejus conversio & dispositio publica sit ac manifesta: non debet ei denegari communio, etiam publica; hîc in corp. si verò nondum publicè constet de ipsius emendatione, deneganda est publicè petenti; potest autem occultè dari; modò illi coram quibus datur, noverint ejus conversionem; nec publicanda sit ejus communio priusquam nota fiat emendatio. Suspectis autem de aliquo crimine similiter neganda est si sit suspicio publica vehemens, seu violenta; sive, si laborant publicâ infamiâ: non item, si est suspicio solùm probabilis, vel præsumptuosa ut docet B. Th. in 4.d.9.art.5.qu.2.

*De suspectis.*

*Extremo supplicio afficiendis danda communio.*

Utrisque tamen, tam publicis peccatoribus quam publicè suspectis danda est in periculo mortis si confitentur, vel saltem pro temporis opportunitate pœnitentiam agunt: quia ob urgentem necessitatem non potest ab eis plus exigi. Imò propter crimina suspendendis, alijsque supplicio extremo afficiendis, oportet Eucharistiam concedere; tum quòd sit viaticum salutis, tum quod canones id præcipiant: Concilij Nicæni can. 12. Moguntini sub Ludovico Pio, 27. Wormatiensis ultimus; Tributiensis 3. cap. *Quæsitum* & cap. *Fures*. 13. qu. 2. unde contrarius qui apud Hispanos aliquando viguit usus, tandem exolevit.

Porro si peccator uno loco publicus, communionem publicè petat in loco ubi non est publicus, repelli non potest, præsertim si fama criminis non videtur facile eò perventura quemadmodum tradit Victoria qu. 80. de Eucharistia & postea Nugnus ad hunc articulum Diffic. 3. concl. 2.

### QUÆRITUR II.

*Vtrum peccatori occulto deneganda sit Eucharistia.*

Videtur quòd sic, Primò, quia in perplexitate, vel infamandi proximum, vel dandi Sacramentum indigno, eligendum videtur minus malum; quale est infamatio proximi præ indigna tractatione Sacramenti; præsertim cum ipse peccator magis se infamet quàm à Sacerdote infametur, sitque istius perplexitatis causa, qui proinde solus debet ex ea damnum reportare.

Secundò, peccator etiamsi occultus, non habet jus petendi Eucharistiam: ergo si denegetur, nullo suo jure fraudatur. Antecedens patet, quia indigna communio est intrinsecè mala, nullum autem est jus ad malefaciendum: Imò, si aliquod jus haberet, illud etiam conveniret publico peccatori; fundat enim B. Tho. hoc jus in charactere baptismali.

Tertiò, si peccator occultus peteret sibi reddi ensem ab alio custoditum, ut se vel alium interficeret, negandus esset.

Resp.



*Publicè petenti non est neganda.*

Resp. occulto peccatori publicè petenti non posse negari Eucharistiam sine gravi peccato, nisi fortè honesta aliqua excusatio possit prætexi, ex quâ nullum sit periculum notificandi ejus peccatum, ut, si quidem coram alijs, sed solus petat, & Sacerdos occupationes suas allegans dicat, ut expectare velit aliam commoditatem, sibi non esse nunc integrum.

Cæterùm, quando peccator occultus se ad mensam sacram ingerit simul cum alijs, vix est ut eum prætereat absque notâ, & ideò communicare eum debet; ut significatur 6.q.2.c. *Si tantum*. Atque ita declaravit Eugen. Papa de officio Judicis Ordinarij c. *Si sacerdos*, Cui etiam consonat c. *Non prohibeat*, De confec. d. 2.

Probatur 1. quia quilibet Christianus, ex hoc quod per baptismum aggregatus est numero Filiorum Dei, habet jus accedendi ad panem filiorum, quo nullus eum potest publicè privare, nisi palam appareat, quod propter peccatum dignus sit privatione.

Si dicas, quod nullus eum privet, sed quod ipse seipsum privaverit, peccando mortaliter. Resp. Coram Deo quidem se privavit illo jure, & propterea peccat petendo; in foro autem externo nondum est privatus, quandoquidem in eo non cognoscatur ejus peccatum: sed nec ullus potest illic ipsum privare isto suo jure, nisi privatione dignus ibidem appareat. *Cùm in facie Ecclesiæ non constet ipsum amisisse jus suum, non oportet ei in facie Ecclesiæ denegari*, ait B. Th. in 4.d.9.art.5.quæst.1.

Secundò, Etiamsi peccator occultus non habeat coram Deo jus petendi Eucharistiam, habet tamen jus ne publicè manifestetur quod jus illud amiserit, sive, ne publicè infametur. Unde quidam interpretantur quod hoc sensu habeat jus ad Eucharistiam, quia non potest ei palam negari absque injuria, quæ injuria in hoc consistit quod infameretur. Unde sic possumus ratiocinari, Non licet infamare proximum: sed qui occultum peccatorem publicè arceret à communione, ipsum infamaret: ergo non licet ipsum ita arcere.

*Ob.*

Dices, Nemo habet jus petendi ut aliquid faciam, aut ut celem ipsius peccatum, quando non possum id facere absque gravi injuria innocentis: Atqui peccator occultus quamdiu talis est, non potest communicare sine gravi injuria ipsius Sacramenti, atque adeò Christi: ergo non habet jus ut dem ei communionem, aut ne hanc negando ipsum infamem.

*Resp.*

Resp. Majorem esse veram, quando is à quo petitur quippiam, non potest illud facere absque eo quod ipsemet inferat injuriam innocenti: Si autem illa innocentis injuria non per ipsum inferatur, sed vel per petentem vel per alium, potest esse quod qui petit, jus petendi habeat. Ut si usurarius repetat pecuniam quam ei debes, etiamsi certò sciat quod ea sit abusurus ad innocentes gravandos usuris, jure petit & tu teneris ei tradere. Occultus autem peccator petens Eucharistiam publicè cum alijs, id petit quod sacerdos potest facere sine injuria quam ipse inferat Sacramento: quia etsi peccator injuriam faciat sacerdos tamen eam non facit, neque illi cooperatur.

Tertiò, ex duobus malis eligendum est incertius; incertior autem est indigna communio talis peccatoris, quâ ejus infamia; quia *Spiritus ubi vult spirat*; unde *subitò potest esse compunctus & divinitus à peccato purgatus*, ait B. Thomas in 4.d.9.art.5. qu. 1.

Quartò, esse scandalum si negatur. Ex illa enim negatione, per se nata est sequi non tantum peccatoris infamatio, sed etiam aliorum magna turbatio & offensio pravè judicantium aut de sacerdote quod injustè repellat eum qui passim benè audit, aut de communicaturo, quod certò jaceat in enormi aliquo scelere, aut etiam de ecclesia quod sic toleraret sacerdotes publicè diffamantes alium, etiam pro bono & sancto habitu. Deinde, ut B. Th. dicto art. 5. ait, sic daretur malis sacerdotibus facultas puniendi maxima pœna quos vellent.

Quintò, habemus exemplum Christi, qui Judam à communione non repulit ut B. Th. deducit qu.81. art.2. in corp. & ad 2.

*Neganda est peccatori occultè petenti.*

Si verò peccator occultus, occultè peteret Eucharistiam, sive à parocho, sive ab alio, neganda esset, ait B. Thom. eadem quæstiuncula 1. & monendus ne petat publicè. Et quamvis Dominic. aliter explicet textum hujus articuli; in eo tamen idem asseritur. Quorsum enim in resp. ad 1. dicitur occulta non posse publicè puniri, nisi ut aliquo modo significet posse puniri occultè, præsertim in casu proposito? Cùm enim nulla subsit scandali vel infamiæ causa, si negetur; sit autem quasi certum periculum irreverentiæ, si detur; habenda est ratio irreverentiæ, quando illa sine incommodo potest vitari. Adde quod in resp. ad 2. significat ideo non esse negandam peccatori occulto publicè petenti, ne infametur. Ubi ergo non est periculum infamiæ, ut quando petit occultè, potest negari.

Singularis tamen difficultas est, An quando sacerdos novit peccatum per solam confessionem Sacramentalem, occultè petenti possit negare Sacramentum. Posse tradunt B. Thom. in 4.d.9.q. 1.art.5.quæstiuncula 1. Durandus, & alij in eandem dist. 6. quod verum esse opinamur, si aliâ ex causâ, quam criminis auditi possit honestè se excusare. Alioquin, post Gabrielem d. 9. Navarum c.21.nu.55. & alios, existimamus non posse negari: quia sigillum obligat sacerdotem, etiam respectu pœnitentis, ut non possit extra confessionem citra ejus consensum loqui de peccato confesso. Et hanc sententiam confirmat quod Eugenius Papa. c. *sacerdos*, tit. De officio judicis ordinarij habet: Ubi loquens de judice dicit, *Si ille cui damnum illatum est, petierit justitiam, potest excommunicare authorem, licet etiam ei confessus sit; sed tamen non nominatim potest eum removere à communione, licet sciat eum esse reum: quia non ut Iudex scit, sed ut Deus.*

*Vide Sup. pl. q.11. art.4. & Suarez. 3.p.q.86. disp.97. sect.3.*

Ad 1. Arg. Resp. è malis culpæ nullum esse eligendum, sed utrumque fugiendum: si tamen alterutrum eligendum esset, peccator quidem deberet præeligere sui infamationem, præ indigna receptione Sacramenti; sacerdos autem non deberet præeligere infamare proximum, quia id grave peccatum est; tradere verò Sacramentum peccatori occulto, non est ipsi indigna tractatio Sacramenti: quia præbere illud indignè communicaturo, non est malum, nisi quatenus præbens cooperatur peccato indignæ sumptionis; qui autem præbet quia debet, nec habet justam rationem impediendi, non cooperatur ejus peccato. Sic ergo sacerdos præeliget permittere peccatum alterius, potius quam ipse mortaliter peccet.

Ad 2. ex jam dictis patet quod peccator non habet revera jus petendi Eucharistiam; eò quod illud amiserit per peccatum mortale, ut indicat Auctor dicta quæstiuncula 1. Quia tamen quamdiu oc-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cia occultum est ejus peccatum, non amisit suum A jus in facie Ecclesiæ; ideo habet jus in foro externo, ut si publicè petat, non repellatur. Publicus autem peccator, etiam in facie Ecclesiæ illud amisit quia peccatum ejus est publicum, & causa manifesta propter quam jure illo privatur.

Ad 3. ratio disparitatis *Prima* est, quia subtractione gladij vitatur homicidium: subtractione autem Sacramenti non vitatur peccatum volentis indignè illud sumere, sed solum actus exterior.

*Secunda*, negando Sacramentum, infamatur proximus, non similiter negando ensem.

*Tertia*, damnum corporis est irreparabile, damnum animæ resarciri potest à Deo voluntatem mutante, juxta consuetam ejus misericordiam. B

*Quarta*, sacerdos agit ut publicus bonorum communium dispensator: alter autem ut privatus; qui proinde suam actionem regulare debet scientiâ privatâ.

In resp. ad 1. B. Thomas per canes de quibus Matth. 7 intelligit peccatores manifestos. Et hoc ad arg. solutionem sufficit. Addi autem potest literaliter ibi per sanctum & margaritas intelligi doctrinam evangelicam; per canes autem & porcos, eos qui tantum sunt parati ad mordendum, lacerandum, & conculcandum.

*Non est peccatori danda hostia non consecrata.*

In Responsione ad 2. tenenda est B. Thomæ sententiâ, nullo modo dandam esse hostiam non consecratam, ut eviretur peccatum indignè sumen- C tis: quia semper esset fictio, quâ verbis, facto, vel gestu sacerdos affirmaret id esse Christum quod non est; ut omittamus præsentes existimaturos quòd verè corpus Christi detur alteri: ideoque reverentiam Deo debitam, illi exhibituros.

In Responsione ad 3. docet judicibus non licere probare suspectos de crimine per traditionem Eucharistiæ: quia hoc ad tentationem Dei pertinet, cùm sit petere ut extraordinario signo declaret veritatem. Hinc usus contrarius abrogatus est 2. q. 5. cap. *Consuluisti*. Et cap *Ex tuarum*, de purgatione canonica. Vide quæ diximus 2. 2. qu. 95. art. 8. Concl. 4. in resp. ad 3.

Sponte quoque sumere Eucharistiam ad innocentiæ suæ declarationem, quod de Gregorio VII. quidam scribunt, nisi fiat peculiari Spiritus Sancti instinctu, non videtur licere. Cur enim æstimabitur innocens, ex eo quod Deus nihil miraculosum facit erga eum; cum nec Deus id operari promiserit, nec necessarium sit. D

## Articulus VII.

Art. 7. docet pollutionem nocturnâ, quæ vel est peccatum mortale, vel processit ex causâ quæ erat peccatum mortale; de necessitate impedire communionem: aliam verò, non impedire; quia solùm peccatum mortale ita impedit sumptionem

*Pollutio ut impediat communionem.*

hujus Sacramenti, ut mortaliter peccetur accedendo. Et ideò, prior pars intelligenda est de pollutione cujus per Sacramentum pœnitentiæ nondum est obtenta venia. Sicut enim nullum aliud peccatum mortale, etiamsi paulò ante sit commissum, simpliciter impedit communionem, modò per pœnitentiam & confessionem sit deletum, ita nec peccata pollutionis: quamvis ratione scandali, contemptus, & aliarum causarum meritò possit justum intervallum aliquando requiri. Quo modo intelligendi videntur quidam existimantes eum mortaliter peccare, qui post fornicationem nocte commissam, contritus & confessus die sequenti celebrat. E

Quando tamen absque ullâ notâ posset quis à communione abstinere; talia abstinentia meritò consulenda esset illi, qui eadem nocte, pollutionis, vel fornicationis crimen admisisset, etiamsi sit confessus. Unde B. Tho. in 4. d. 9. ar. 4 quæst. 2. *Non est, ait, consulendum quod statim post peccatum mortale etiam contritus & confessus ad Eucharistiam accedat; sed deberet, nisi magna necessitas urgeat, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere.*

Nihilominus si quis post voluntariam pollutionem, eadem die confiteretur, & confessus communicaret, absque necessitate quidem, sed vel ex devotione, vel ne quædam suspicio alijs ingeratur, probabile est non peccaturum, nequidem venialiter. Vide Navarrum c. 21. n. 51.

Quod & de illo, cui præter voluntatem & citra peccatum pollutio contigit, certius est; quamvis etiam tunc congruum sit abstinere, si effectus aliqui manent, ut turpium cogitationum occursus, mentis distractio, &c. nec festi solemnitas, aut specialis aliqua devotio, vel infamiæ evitatio, communionem postulet.

De copula autem conjugali, hæc probabiliora videntur.

*De conjugali copula.*

Primum, sive illa fuerit per redditionem debiti, sive per petitionem, conveniens est eodem die abstinere à communione. De consecratione dist. 2. cap. *Omnus homo:* nisi justa aliqua causa oppositum suadeat, ut festi solemnitas; dies indulgentiarum, specialis devotio, nota quædam ex communionis omissione.

Secundum, Is qui debitum reddidit, potest absque ullâ culpâ communicare: & quandoque etiam is qui petit: ut si petit causa prolis. Qui verò venialiter deliquit in petendo, sæpe venialiter peccabit, eodem die communicando: nisi causæ aliquæ rationabiles indicentiam resarciant.

Tertium, conjunx quæ est communicatura, non propterea excusatur à redditione debiti, si alter instet: sicuti neque excusatur ex eo quod illo die communicaverit: quamvis, si honestè possit compari suadere dilationem, hoc facere debeat; ex decentiâ & Sacramenti reverentiâ. Vide *Suppl.* q. 64. art. 1. & 7.

## Articulus VIII.

Art. 8. probat cibum aut potum præassumptum impedire sumptionem hujus Sacramenti. Communicaturus enim debet juxta veterem legis Ecclesiasticæ consuetudinem, esse jejunus jejunio naturæ.

*Cibus & potus impedit communionem.*

*Quid jejunium naturæ.*

Jejunium autè naturæ est omnimoda abstinentia cibi, potus, & medicinæ: constansque est Doctorum communis sententia in 4. quorundam d. 8. aliorum dist. 9. peccatum esse mortale, si quis post aquæ vel alicujus alterius, etiam in minima quantitate, sumptionem, ea die communicet. Neque refert utrum id quod sumitur nutriat, vel non nutriat: sed videndum, an ab exteriori imponatur ori & vitali actione deglutiatur, seu in stomachum trajiciatur: hoc enim est quod per modum cibi, potûs, aut medicinæ sumitur, & solvit jejunium naturæ. Non refert etiam quod (ut dici solet,) Parum pro nihilo reputatur: quoniam hoc non habet veritatem ubi id quod parum est severè prohibetur; modicum autem ejus quod per modum cibi, potus vel medicinæ sumitur ante communionem, est severè prohibitum, ut constat ex praxi ecclesiæ & ex Conc. Tolet. 7. can. 1.

Dictis



Dictis non obstat, quod Christus Sacramentũ A hoc instituens, distribuerit illud non jejunis: id enim fecit ita exigentibus, loci, temporis, & rerum circumstantijs; partim quia quæ ultimò dantur ab amicis recedentibus, magis cõmendantur memoriæ, & profundiùs animo impressa magis habẽtur in veneratione, ut q. 73. ar. 5. tradit B. Th. partim ut Pascha typicum priùs compleretur, ac deinde ad verum Paschæ Sacramentum transiretur, ut loquitur Paschas. l. de Corpor. Domini, c. 20.

Quia tamen non quæcunque tunc fecit, ea nos eodem modo facere voluit; ideò servari debet præceptum Ecclesiæ, quod ex Apostolicâ traditione habemus, ut ostendit Aug. epist. 118. Hinc Cypr. epi. 63. Tertul. l. 2. ad uxorem, c. 5. Chrys. & alij B de hoc jejunio, tanquam antiquissimo, loquuntur.

Et quamvis aliquando exceptus fuerit dies anniversarius cœnæ Domini, in quo licebat non jejunis communicare, ut ex can. 29. Conc. 3. Carthag. patet; mos tamen iste non fuit universalis, ut indicat Aug. c. 7. dictæ epistolæ; ac insuper fuit revocatus, tum contrario usu, tum can. 16. Conc. 1. Bracar.

Ne quis autem existimet ab illo demum Carthag. Conc. hujus jejunij præceptum emanasse: considerandum est quod can. 48. dicitur, *De fide Niceni tractatus audivimus. Verum & de sacrificijs, ut à jejunis offerantur sicut dignum est, & tunc* (id est, in Conc. Niceno) *& nunc confirmatum est.* C

*De ablutione oris.*

Porrò, si inter abluendum os, parum aquæ vel vini deflueret in guttur, si sanguis aut alius humor à capite in os, vel ex ore manans, descenderet; nõ impediretur communio: quia nihil ibi sumitur aut trajicitur per modum cibi, vel potûs, aut medicinæ; sed per modum salivæ. Unde B. Th. in 4. d. 8. q. 1. ar. 4. *quæ interiùs ingeruntur sine exterioris cibi sumptione, non videntur solvere jejunium naturæ, nec impedire Eucharistiæ perceptionem.* Idem judicium est de vino, vel condimento quod ad percipiendũ saporẽ gustatur, & statim expuitur: quamvis enim contingat aliquid ejus permixtum salivæ, cum ea deglutiri, non solvit jejunium; solveret tamen si ex proposito sumeretur, etiamsi is qui sumpsisset, D mox evomeret; quia esset vera comestio vel bibitio, sciliçet trajectio cibi vel potûs in stomachum, propriâ & per se actione vitali. Si verò solum intrasset in asperam arteriam, & statim expueretur; hoc non esset deglutire, neque pertineret ad comestionem; cûm ex eo non nutritio, sed potius suffocatio sequi nata sit: & propterea non solveretur jejunium naturæ, secundùm Paludanum in 4. d. 8. q. 2. solveretur autem, si quis nocte misisset in os aliquid saccari, & ejus aliquid trajiceret post mediam noctem. Et quia tam saccarum quam alia similiter liquescentia, communiter deglutiuntur; Ideo qui tale quippiam ante somnum accepit, non potest die sequenti communicare, nisi moraliter E sit certus quod ante mediam noctem totum deglutiverit, vel quod residuum erat, abstulerit.

*De gustatione cibi.*

De reliquijs porro cibi quæ inter dentes vel aliter hærent in ore; B. Th. hîc ad 4. & communis aliorum resolutio est, quod si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti: quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Si verò voluntariè deglutiantur, probabilius est juxta Gavantum p. 3. tit. 9. de Rubricis, quod communionem impediant: quia tunc videntur trajici per modum cibi. Et quorsum alioquin S. Doctor dixisset, *si casualiter transglutiantur non impediunt*; quo modo etiam loquitur Victoria q. 83. de sacramentis, Tannerus disp. 5. de Euchar. q. 8. dub. 4. Laiman. l. 5. tract. 4. c. 6. n. 18. qui addit, fortasse autè si ex proposito id fiat, impedire debet à sacra communione, citans Palud, & Navarr. Nec refert quod non sumatur quicquam eodem die ab extrinseco: satis enim est quod antea sic sumptum fuerit; Nam est quodammodo pars præcedentis refectionis. Observandum tamẽ quod Tabiena verbo *Communicare* num. 49. simpliciter docet, deglutire cibi præcedentis reliquias in ore manentes etiam sponte, non impedit communionem. Id quod probabile esse ait Diana part. 3. tract. 4. Resol. 37. & p. 4. tract. 4. resol. 104. post alios; ideoque non esset damnandus qui hanc opinionẽ esset secutus, etsi opposita magis sit consulenda.

Si quis respitando, bestiolam hauriat & casu deglutiat, communionem quoque non impedit. Impedit verò tabaci sumptio, si os intret & deglutiatur; quia est medicina, licet multis noceat.

Et quamvis diversæ olim fuerint rationes inchoandi & computandi dies; ex Ecclesiæ tamen Romanæ usu hoc jejunium à mediâ nocte (à quâ sumitur initium diei naturalis in Ecclesiâ Romana) est æstimandum; ita scilicet, ut post eam nihil omnino sumptum fuerit.

*Somnus non est ante cõmunionẽ necessarius.*

Utrum verò aliquis post cibum sumptum dormierit, an non, est impertinens. Nec obstat capitulum, *Si constiterit*, tit. de accusatio, ubi graviter punitur, qui nulla dormitione præmissa celebraverat. Neque enim punitur, quia non dormierat, sed quia tota nocte pernoctaverat in taberna, non dormiens, sed verisimiliter potitans, & inde iverat ad missam publicè faciendam. Unde præsumptio juris erat, inquiunt Paludanus & Sylvester verbo *Eucharistia* 3. n. 7. quod non jejunus celebraverat. Adde quod non sine scandalo & manifesta sacramenti irreverentia, id egerat.

Porrò quia jejunium antecedens communionem requiritur ut prævia ad illam dispositio: hinc non pariter requiritur jejunium consequens. Convenit quidem non statim sumere profanam escam post sacram, ut magis conservetur spiritualis devotio, & erga sacramentum reverentia; non tamen est præscriptum aliquod intervallum: nam rigor antiquus de consecr. d. 2. c. *Tribus gradibus*, jam olim est abrogatus, ut hic B. Th. ad 6. monet. Confer eundem in 4. d. 8. q. 1. art. 4. q. 3.

*Cœna dominica apud Apost. non est Sacræ communionis.*

Circa Responsionem ad 2. observandum est cœnam dominicam 1. ad Corinth. 11. rectè à multis intelligi commune conviviũ, in quo omnes fideles; tam pauperes quàm divites reficiebantur, instítutum ac solemni more celebrari solitum, ad exemplum illius cœnæ: quàm Christus ultimum habuit cum discipulis suis ad vesperam. Loqui enim videtur Apostolus de illa cœna, in qua contigerant ea quæ reprehendit: quòd pauperes à divitibus non expectarentur, quod illis esurientibus, alij essent ebrij. Et quamvis Græci existiment eam fieri solitam post Eucharistiæ sumptionem: tamen B. Tho. Hervæi apud Anselmum, Brunonis, Haimonis, & aliorum commentarius valde probabilis est, quod eam instituerent ac sumerent ante communionem, sic à pseudoapostolis edocti, sub prætextu sequendi primævam Christi institutionem. Si enim convivium & quæ in eo peccata erant, accidissent post cõmunionem: non arguerentur indignæ communionis, (cum non ex sequentibus, sed ex antecedentibus peccatis certò judicetur quis

Universidad de Deusto
Biblioteca



indignè communicare) sed ingratitudinis & malæ post Eucharistiam vitæ. Adde quod si prius omnes convenissent communicaturi ; locum non habuisset *quod invicem non expectarent* in convivio communi,& quod *unusquisq; suam cœnam* (id est edulia in Ecclesiam allata) *præsumeret*, id est,alijs non expectatis comederet. Corrigit autem Apostolus hunc morem, volens ut *qui esurit, domi manducet*, nec postea sumat Eucharistiam ; ut hîc loquitur B. Thom.

*Quando non jejunus possit communicare.*

Cæterùm, observandi sunt nonnulli casus, in quibus communicare licet non jejunis. PRIMUS est in urgente mortis periculo, sive illud nascatur ex ægritudine naturali, sive ex alijs causis. Tunc enim,etiam post prandium communicare licet.Et quamvis infirmus una vel altera hora post mediâ B noctem, possit permanere jejunus ; si tamen amplius expectare non possit, poterit hora competente post cibum sumptum communicare ; quia nec necessarium est,nec consuetudo Ecclesiastica habet, ut hora intempestiva, prima vel secunda noctis,Eucharistia deferatur ad ægrotos. Si periculum mortis ad plures dies perseveret vel augeatur,nec infirmus possit permaneret jejunus, posse non jejunum in eadem infirmitate pluries communicare, probabiliter tradit Vivaldus post Summam Armillam Fumi, & Suar. ad hunc art. disp. 68.sect.5.Emanuel Sa verb.*Eucharistia*.Nugnus hîc,Henriq.l.8.c.50. ubi tamen observandum est nos dicere, *Si mortis periculum perseveret, vel augeatur*: Si enim morbus quidem perseveret,absit autem mortis periculum;non potest ejusmodi infirmus communicari non jejunus, nisi quando in mortis periculum inciderit. Cùm autem istud periculum durat,vel postquam cessavit, denùò redit, debet aliquot dierum ; seu septem vel octo scil. esse intervallum, ut plures communicari possit post solutionem jejunij. Vide Henriq. l.8.c.50. littet. D.& Tolet.l.6.c.15.

PETES, quid agendum Parocho si infirmus quē communicavit,statim expiret.RESP.si sacram hostiā deglutivit infirmus,nihil agat circa ipsum. Idemq; judicium,si nesciturr an deglutiverit & ea nō appareat in ore.Si autem appareat in ore mortui, modestè illam extrahat, & reponat in tabernaculo quoad usque species consumantur vel corrumpantur. Quæ dum fuerint corruptæ,projiciantur in Sacrarium,seu in piscinam,vel sub altari. D

Observandum porrò, quod si ægrotus post sumptum semel viaticum videatur brevi morituros,non est ei sæpius dandum non jejuno.

SECUNDUS casus est,quando id necessarium est ad perficiendum vel consummandum sacrificium ut si Sacerdos subitâ ægritudine correptus non potest inchoatam Missam perficere, nec reperitur alius jejunus, potest non jejunus illud absolvere & communicare, si vel una species erat per alterum consecrata,ut habetur in Missali Rom. E conformiter Conc.Toletano 7. c.*Nihil* 7.q.1.

*Missale Rom.*

Simile casus est, si Sacerdos post sumptionem hostiæ,advertat Calici non infusum fuisse vinum, sed aquam. Tunc enim etiamsi hoc advertat post sumptionem hujusmodi aquæ,si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aquâ ; & factâ oblatione,consecrare, ac statim sumere, & prosequi cætera,ut in eodem Rom.Missali dicitur & asserunt Scotus in 4.d.8. qu.3. Angelus verbo *Missa*, nu.17.Navar.c.25.n.91. addentes Sacerdotem debere incipere in illis verbis, *Simili modo postquam* &c.& prosequi usque ad,*Unde ad memores* ; & sic sanguinem cum reverentia percipere & deinde ad reliqua prosequi.

Si autem Sacerdos secretò celebraret, ubi nullum foret scandali periculum : apponenda esset alia hostia,& vinum cum aqua : quæ primum offerri, tum consecrari, ac deinde sumi deberent, secundùm quod B.Th. habet q.83.a.6.ad 4.&Domin.d.13.q.2.ar.6.& supra nominatum Missale. Incipiendum autem esset ab illo, *qui pridie quàm pateretur*. Si verò is cui hæc fortassis accidunt,inopinato casu perturbatus, non suscipit, nec consecrat vinum ; non peccat ob id mortaliter, ait Navar. dict. n. 91.

Alius etiam similis casus est, si sacerdos post consecrationem recordetur se non esse jejunum ; debet enim progredi & communicare.Imo, & id faciendum esse,si recordetur post inchoatam missam ante consecrationem, ubi scandalum & infamia timentur, satis insinuat B.Th.ad 2.d.art.6. dicens tutius esse Missam incœptam deserere,nisi grave scandalum timeretur.

TERTIUS casus est, ad evitandam irreverentiam Sacramenti,ut si ab infidelibus aut hæreticis conculcandum, vel aliter ignominiosè tractandum esset;vel incendio dehonestandum : tunc enim & laicus, etiam non jejunus posset sumere hostias de quibus esset ejusmodi periculum.

QUARTUS, quando reliquiæ Sacramenti post ablutionem reperiuntur in altari. Illæ enim sive parvæ,sive magnæ sint,sumi possunt à celebrante; quia ad idem sacrificium spectant,& tota Sacerdotis actio habetur tanquam una integra.Eadem ratione,si post finem missæ manet in altari,communicans fideles,quidam existimant quod illis communicatis, possit eas particulas ex isto sacrificio restantes sumere, quæ non possunt commodè reservari. Imò,si postquam ab altari recessit,adverteret aliquas sive ad labium calicis,sive ad corporale, quamvis tutius foret eas reservare ; si tamen sine irreverentia, vel periculo eas perdendi non possit servare, potest sumere : Si verò sit relicta integra hostia ; debet in tabernaculo reservari,aut in patenâ, vel corporali, Sacerdoti posteà celebraturo sumenda relinqui. Quod si non habeat quomodò honestè conservetur ; potest eam ipsemet sumere,quamvis ablutionem sumpserit.

*Suarez 3. p.q. 80.disp. 68. sectio 6.*

*Azorius p.1.l.10. instit. moral. c. 30. fin. Missale Rom.*

Ad eundem casum pertinet ; quòd si particula hostiæ sic ori communicantis adhæreat, ut non possit illam trajicere, potest sumere vinum vel aquam semel ac sæpius,donec trajiciatur. Idemque potest Sacerdos, quando post sumptionem sanguinis, advertit partem hostiæ adhærere Calici : Et hoc,inquit Sylv.verb.*Eucharistia* 3.q.8.tutiùs & honestiùs est quam digitum apponere: Missale tamen utrumque modum indifferenter permittit,Dicit enim,*Si sumendo sanguinem particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat & sumat ante Purificationem, vel infundat vinum,& sumat.*

### *An Sacerdos non jejunus celebrare possit ut communicetur infirmus, alioquin sine viatico moriturus.*

POSSE,sentire videtur Joan. Major in 4.d.9.q. 3.ad 5.Et confirmatur,quia infirmus ad communionem tenetur jure divino : jejunium autem in



in celebrante, requiritur solùm jure Ecclesiastico. A

RESPONSIO tamen negativa, tanquam verior tenenda est: quam tradunt Gabriel & Palud.in 4. d.8.Dominicus d.12.Navar.c. 21.n.53. Victor. q.83.de Eucharistia ; eò quod receptio hujus Sacramenti minoris sit necessitatis, & majoris reverentiæ ; propter quam Ecclesia non dispensat super jejunio,in hujusmodi casu.

AD ARG.verò RESP infirmum jure divino teneri ad communionem,si possit habere:In tali autem casu non potest habere;quia non est qui cum reverentiâ,& servato Ecclesiæ ritu possit ministrare.

Nec obstat,quod propter similem necessitatem, Sacerdos possit celebrare absque confessione,quæ tamen ex præcepto juris divini prærequiritur : quia confessio solùm obligat Sacerdotem quando B habet copiam Confessoris ; sicut & Eucharistia obligat infirmum quando potest recipere. Jejunium autem simpliciter obligat Sacerdotem, nisi Pontifex dispenset ; vel ratione grandis scandali (quod jure naturæ cavendum est) permittendum sit non jejuno celebrare.

### ARTICULUS IX.

*Non est neganda Eucharist. his qui debilem habent usum rationis.*

ART.9.docet eos à communione non repellendos qui debilē habent usum rationis:quia possunt se probare, & cum devotione accedere. Amentibus verò perpetuis, non est danda : quia seipsos probare non possunt, nec ulla necessitas postulat ut communicentur.

*De amentibus.*

De alijs autem amentibus, qui casu aliquo, vel C vi morbi in amentiam inciderunt,quique aliquando usi sunt ratione, sed eâ non utuntur quando sacramentum esset dandum,difficultas est.

B.Thomæ sententia probabilis est,si antequam in insaniam inciderint,expressè vel implicitè illud petierint,piam & religiosam animi voluntatem præ se ferendo ; licere illis in fine vitæ sacramentum hoc ministrare,modò vomitionis, vel alterius indignitatis & incommodi periculum nullum timeatur. Idem ex Conc. Carthaginensi habetur 26.q.6.cap *Is qui*, in Catechismo Romano tract. de Eucharistia,apud Sylvestrum verb.*Eucharistia*. 3.q.5. Dominicum d.12. Paludan.d.9.Victoria quæst. 84. eò quod præcedens illorum devotio D censetur manere. Porro, cùm ferè semper subsit periculum irreverentiæ, hinc Molanus tract. 4. c.8.Emanuel Sa, verbo *Eucharistia*, & alij existimant non esse talibus dandam Eucharistiam,etiam in periculo mortis. Considerandum tamen opinamur,verène subsit illud periculum.

*Theol. practica.*

Illud hîc observandum est ex responsis Cardinalium, & constitutione Pij V. quod non liceat Eucharistiam deferre ad ægrotos, qui non possunt eam sumere, sed venerationis gratiâ solent eam deosculari. Et si fortè alicubi sit illa consuetudo, Pontifex vult illam tolli.

*De energumenis.*

De energumenis seu possessis à dæmone,licet E fuerit aliquando dubitatum : communior tamen eaque usu recepta sententia est dandam illis esse Communionem;utpotè cùm nullum aliud sit efficacius remedium ad expellendos dæmones. Et quamvis ex can.37.Conc.Elibertini habeatur dandam ijs esse in periculo mortis; non additur tamen vocula exclusiva, sed relinquendum est arbitrio prudentis,quoties, & quando expediat. Loquimur autem de illis,qui licet corporaliter vexentur,manent tamen compotes sui : Nam de alijs, sicut de amentibus judicandum est. Quod verò idem Con-

*Sylv. in III. Part.*

cilium can. 29. vult energumenum ab erratico spiritu exagitatum, nec nominatim ad altare cum oblatione recitandum, nec permittendum ut suâ manu in Ecclesiâ ministret : intelligendum videtur de illo energumeno qui ita exagitatur, ut non maneat satis compos sui.

Circa Resp.ad 3.superest examinandum, quod.

### QUÆRITUR I.

*Vtrùm infantibus danda sit Eucharistia.*

DANDAM esse, probatur, quia hæc verba, *nisi manducaveritis*, Joan.6.similia sunt istis, *nisi quis renatus fuerit*, Joan. 3. sed hæc etiam parvulos complectuntur:ergo & illa. Hinc Aug.l.1.de peccator.meritis, c 26. An quisquam dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus & sanguinis, in se habere vitam ? Similia habet c. 24. & lib. 3. cap.4. epistolis item 106. 107.& alibi.

RESPONSIO ad fidem pertinens est ; parvulos usu rationis carentes nullâ necessitate obligari ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem. Ita Conc.Tridentinum sess.21. cap.4.& can.4. Institutа est enim pro illis qui possunt se probare,& mortem Domini annuntiare, id est, mortem & Passionem ejus in memoriam revocare, 1.ad Cor. 11. Huc pertinet quod Aug. l.1. de peccatorum meritis, cap. 19, 21. & alibi conformiter alijs Patribus, docet Baptismum infantibus sufficere ad salutem. Vide quæ diximus art. 3. qu 73. Ex quo sicut & ex art. 1. q. 68. non relinquitur ad argumentum.

RESPONSIO, sermonem scil.Joannis 6. ad solos adultos dirigi, Joannis 3. etiam ad parvulos pertinere.

Ad Confirm. RESP. Augustinum extendentem hæc verba,*nisi manducaveritis* ad infantes,non loqui de propriâ istius Sacramenti perceptione, sed de ipsius re & virtute : cujus participes fieri dicit infantes, quando per baptismum Christo incorporantur.Patet hoc ex l. 3. de peccat. meritis, c. 4. atque ex sermone per Bedam citato in caput. 10. prioris ad Cor. relato de conf. d. 2. can. *Quia passus est*, & d.4.c *Nulli*.Et similiter intelligi debent verba Innocentij I. epist.93.apud Augustinum.

*Aliquando data fuit parvulis Eucha.*

Fuit quidem olim quorundam Ecclesiarum consuetudo præbendi Eucharistiam parvulis;ut ex Cypriano tract. de lapsis ; Gennad. c. 52. de Ecclesiast. dogmat. ex Niceph.l. 17. hist. c. 25.habetur: sed eum morem solùm in quibusdam locis servavit Antiquitas, & eos ipsos qui servaverunt, nullâ salutis necessitate id fecisse, sine controversiâ credendum est,ait Synodus Trid.sess. 21.cap. 4. Meritò autem Ecclesia Romana ob tanti Sacramenti reverentiam,& ob periculum ne expuatur,ac etiam ob defectum probationis:ex consue- *Nunc non est danda* tudine, vim præcepti habente, prohibet communicare infantes. Unde Conc. Lateranense præcipit pueros communicare, cùm ad annos discretionis pervenerint. Ubi non potest certum ætatis tempus præscribi : quia pro corporis temperie, vel pro educationis varietate, alij citiùs, alij tardiùs ad rationis discretionem perveniunt, ideòque res tota pendet ex arbitrio prudentis, maximè Confessarij, qui illos ad hoc Sacramentum judicabit idoneos,

Universidad de Deusto
Biblioteca



si noverint quid eo Sacramento contineatur, & A quid à pane communi differat. Non omittant etiam parochi, juxta suarum diœceseon synodalia statuta, prærequirere ut noverint Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi & Ecclesiæ.

## QUÆRITUR II.

*An saltem liceat Eucharistiam dare parvulis.*

VIDETUR quod non: PRIMÒ, quia non habent devotionem: quæ debet esse actualis. SECUNDÒ, quia non sunt capaces effectûs hujus Sacramenti, cùm non possint exercere opus B spiritualis vitæ.

*Resp. non licere.* RESP. etsi nunc propter dictam Ecclesiæ consuetudinem, non liceat: licuisse tamen antiquitùs, quando ab Ecclesiâ permittebatur: partim, ut ab Idolorum sacrificijs homines abstraherentur, in quibus pars idolothytorum etiam infantibus solebat distribui: partim ut fortiores evaderent in adolescentia contra persecutiones tunc frequentes; partim ob alias causas.

AD Arg. RESP. conveniens quidem esse; ut communicans habeat actualem devotionem, non est tamen omninò necessarium. Quod si Sacramentum Confirmationis datum pueris, habet in illis effectum; non est cur negetur de Eucharistia: Si enim spiritualiter augeri possunt, cur non & nutriri?

### ARTICULUS X.

*Non expedit omnibus communicare quotidie.* ART. 10. docet quantum est ex parte Sacramenti, utile esse quotidie Eucharistiam sumere: quantum autem est ex parte sumentis, habendam esse rationem dispositionis; quæ si quotidie adsit, ipsi quoq; utilem esse quotidianam communionem. Quia tamen multis multa occurrunt impedimenta devotionis: non expedire omnibus, ut quotidie communicent. Unde qui prorsus à mundo segregati sunt, & toti spiritualibus intenti, quales debent esse Sacerdotes & Religiosi; sæpius communicare possunt, habitâ tamen ratione ædificationis proximorum. Non facilè autem ad tam D frequentem communionem admittendi sunt, qui vel quæ potiùs ex consuetudine & ad aliorum imitationem, quam ex devotione, frequenter aut quotidie communicare advertuntur, ut monet Synodus Diœcesana Camerac. an. 1604.

Circa Resp. ad 3. observa posse quem & laudabiliter sæpius communicare; ac etiam laudabiliter abstinere: simpliciter tamen laudabiliùs & utiliùs esse, accedere, si cum reverentiâ & devotione fiat: quia opus quod ex amore procedit, præstantius est eo quod procedit ex timore; frequens autem communio habet ortum ex amore, & abstinentia ex timore. Hinc PP. hortari solent populum ad frequentem Communionem, Cypr. super Oratio. Dominic. Cyril. l. 4. in Joan. ca. 17. Chrys. hom. 61. ad pop. Antioch. Ambr. l. 5. de Sacram. c. 4. Aug. Ep. 218. & *optaret* Syn. Trid. sess. 22. c. 6. *ut in singulis Missis fideles astantes communicarent.*

Sciendum autem non licere pluries in die communicare: ut de celebratione dicemus ar. 2. q. 83. Si tamen absit scandalum, & homo sit jejunus; potest omni horâ diei communicare, ita Sylv. verbo *Eucharistia* 3. q. 15. Angel. q. 14. & alios: quamvis hora antemeridiana sit congruentior, & juxta consuetudinem Ecclesiæ retinenda.



Similiter; nullum esse diem quo prohibeatur communio, ne quidem feriam sextam Parasceves, tradunt Duran. l. 6. div. offic. c. 75. Amalar. l. 1. c. 12. Emanuel Sa, verb. *Eucharistia* etiam post correctionem. Sander. l. 7. visibilis monarchiæ. Ordo Rom. sub fin. Off Parasceves, dicit: *Communicant omnes cum silentio.* Gavantus tamen scribit sacram Rituum Congregationem respondisse *servandam esse universalis Ecclesiæ præsentem consuetudinem; non ministrandi nisi infirmo, hac die Eucharistiam.* De Resp. ad 3. dicemus ar. seq.

### ARTICULUS XI.

*Vtrùm liceat omninò à Communione cessare.*

VIDETUR quod sic, præveniendo præceptum Ecclesiasticum: PRIMÒ, quia sententia Domini Joa. 6. *Nisi manducaveritis*, intelligitur à multis de sola spirituali sumptione. Et, si intelligatur de sacramentali, non aliud quam utilitatem magnam, & periculum ea utilitate carendi, significat. SECUNDÒ, illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. non præcipiunt sumptionem sed modum: ut, si sumatur corpus Domini, hoc fiat in ejus memoriam. Deinde, ad solos Apostolos eorumque in Sacerdotio successores, diriguntur: quibus, ut loquitur Syn. Trid. sess. 22. c. 1. ut offerrent præcipit per hæc verba.

*Non licet in totum cessare à communione.* RESP. quamvis B. Th in 4. d. 9. ar. 1 quæstiun. 2. & nonnulli alij voluerint solo Ecclesiæ statuto C fideles obligari ad Communionem: omninò tamen est affirmandum, (quod B. Tho. hîc asserit) etiam jure divino, illos obligari: partim ex verbis Christi Joa. 6. partim ex alijs Luc. 22. Nam Christus *in hujus Sacramenti sumptione voluere nos sui memoriam præcepit*, ut loquitur eadem Syn. sess. 13. c. 2. Non possumus autem colere memoriam Christi in sumptione hujus Sacramenti, nisi illud sumamus: ergo præcepit sumere. Unde addit Syn. *Sumi autem voluit hoc Sacramentum tanquam spirituales animarum cibum.* Ubi *voluit*, idem valet, quod *præcepit.* Si enim cibus corporalis ad vitam corporalem necessarius, ex præcepto sumendus est: quantò magis Eucharistia, quam tanquam cibum spiritualem Christus instituit, & ut sumeretur voluit; ex ejus præcepto sumi debet.

AD 1. ARG. RESP. sententiam illam etiam de sacramentali sumptione accipiendam, ut ostensum fuit ar. 1. q. 75. Sed præterea, cùm spiritualis manducatio includat votum & desiderium sumendi aliquando Sacramentum reipsâ; etiamsi de spirituali acciperetur, contineret nihilominùs præceptum suo tempore & loco sacramentaliter communicandi.

AD 2. Neg. Assumpt. *Primò*, quia dum determinatio continet propriam rationem præcepti, modumque ipsi intrinsecum; non intelligitur precipi solus modus, sed tam actus quàm modus: sicut cùm dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*; non jubetur solùm, ut, si diligatur Deus, hoc modo diligatur: sed præcipitur, & ut diligatur, & ut isto modo. Sic in proposito, quia illud, *in meam commemorationem*, est determinatio propria communioni secundùm ejus institutionem, non additur ad hoc, ut solus modus intelligatur esse præceptus, sed ut explicetur modus quo fieri debet sumptio, quæ præcipitur.

*Secundò*, si dicta expositio admitteretur; sequeretur in illis verbis non contineri etiam præceptú sacrificandi; A crificandi; quod tamen repugnat Concilio Tridentino sess. 22. c. 1.

AD confirmationem, Responsio quorundam est, hæc verba dirigi ad solos Apostolos eorumque successores, quibus præcipiantur actiones sacerdotales omnes quas viderant Christum exercuisse. Inter quas, cùm sit dispensatio, & dispensare non possint nisi sint quibus distribuant; consequenter etiam alijs præcipi, ut sumant. Sed quia responderi posset sacerdotes obligari ad dispensandum illis, qui voluerint recipere: sicut parochus tenetur distribuere etiam illis qui non ex obligatione, sed ex devotione communicant: perfectior.

RESPONSIO EST, non ad solos Apostolos ea verba pertinere, sed etiam ad alios fideles: ut B. B Thomas hîc indicat, conformiter Concilio Tridentino sess. 13. c. 2. Dicens enim quod Christus *in hujus Sacramenti sumptione colere nos sui memoriam præcepit:* refert se ad hæc ejus verba; *Hoc facite in meam commemorationem.* Existimandum ergò, quòd pro pronomine, *hoc*, designetur tota actio, omnesque ejus partes quæ in cœna peractæ fuerunt, quasi dicat: Hoc quod egimus, me consecrante, sumente, distribuente: vobis autem recipientibus; facite deinceps vos, vestrique successores, & vobis subditi: & cùm feceritis facite in meam commemorationem. Pertinet ergo & ad sacerdotes, & ad laicos, sed proportionaliter; ad sacerdotes, ut mysteria conficiant, offerant, sumant, distribuant: ad laicos, ut recipiant.

*Ob. Resp.* Neq; tamen continent absolutum præceptum, vel distribuendi calicem omnibus, vel de illo bibendi. Sicut enim non oportet omni tempore distribuere omnibus præsentibus; neque qui adsunt, tenentur ea semper sumere, sed statutis ad hoc ab Ecclesia temporibus: ita non oportet calicem omnibus distribui, sed secundùm Ecclesiæ dispositionem: de qua dicetur art. sequenti.

Ex his colligitur divinum de communione præceptum obligare omnes & solos adultos qui ad usum rationis pervenerunt: fideles quidem, simpliciter: alios autem ut convertantur, & sic communicent: quia verba ista, *nisi manducaveritis*, di- D cebantur à Domino ad omnes adultos, etiam non baptizatos. Sed

## QUÆRITUR I.

*Quando præceptum communionis obliget.*

### CONCLUSIO I.

*Obligat in mortis periculo.* JURE divino obligare in periculo mortis, probabilior est sententia Richardi in 4. d. 12. Durandi dist. 9. qu. 2. Gabrielis qu. 1. Adriani q. 3. de confessione ad 3. quia Sacramentum hoc institutum est in viaticum salutis: ergo tunc præsertim sumi debet, quando exeundum est de vita. Unde hanc esse antiquæ legis regulam, ut nullus de cor- E pore exiens necessario vitæ suæ viatico defraudetur; habemus can. 12. Concilij Niceni, can. 6 Ancyrani, c. 11. Agathensis, can. 12. Arelatensis 2. c. 3. Arausic. 1. Quam consuetudinem, sine dubio Apostolicam, ita hucusque servat Ecclesia, ut sine magno scandalo violari non possit. Et quamvis aliqui existiment eum in morte non obligari ad communionem, qui aliquot mensibus antè communicavit; contrarium tamen est tenendum, quia non communicavit tunc, quasi satisfacturus obligationi quæ est in mortis periculo; aut quasi ad exeundum de hac vita, se preparans; sed alijs ex causis.





Qui ergò per morbum aut aliter incidit in mortis periculum, tenetur, si potest, communionem petere, etiamsi hoc accidat paucis diebus post Pascha, quando communicavit.

### CONCLUSIO II.

PRÆCEPTUM divinum de communione non tantùm obligat in morte, sed etiam ante periculum illius; nec semel dumtaxat, sed sæpius: quia instituta est per modum alimenti spiritualis; quod (sicut & corporale) sæpius in vitâ sumendum est ad vires animæ reficiendas. Neque potest cum aliquâ verisimilitudine dici quod Christus talem cibum instituens, commendans, & præcipiens, semel tantùm sumere jusserit: Nam modus loquendi ipsius, frequentiorem sumptionem indicat. Quia tamen reliqua extra mortis periculum tem- *Etiam extra mortis periculū obligat.* pora, quibus scilicet per se, vi juris divini, obligetur quis ad communionem, non sunt determinata, nec possunt determinatè designari: existimandum est, eum juri divino satisfacere, qui non differt eam ultra annum; quandoquidem Ecclesia non plus exigat; qui verò ad plures annos differret, fortasse peccaret, etiam contra jus divinum. Quando autem per accidens obligetur quis communicare; ut ad vincendas tentationes: prudentis arbitrio relinquendum est.

Quod attinet ad obligationem quæ est ex præ- C cepto Ecclesiæ; primis quidem temporibus, fideles quotidie communicabant, *perdurantes unanimiter in templo & perseverantes in communicatione fractionis panis & orationibus*, Act. 2. Quæ consuetudo, licet pro aliquo tempore potuerit vim præcepti habere, secundùm ea quæ ex epi. 1. Anacleti citat B. Tho. ar. 10. ad 5. non constat tamen Ecclesiam lege aliqua præcepisse communionem tam frequentem, saltem universaliter. Nam & Anacletum dicentem, *peractâ consecratione omnes communicent*, de solis Ecclesiæ ministris loqui, ex Hinc mato Turrianus tradit libr. 1. pro can. Apostolorum c. 22. & probari potest ex contextu.

Duravit autem iste mos Romæ, usque ad ætatem S. Hieronymi, ut ex ejus epist. 50. patet; atque etiam in Hispania, ut ostendit epist. 28. D

Fervore paulatim diminuto; consueverunt fideles communicare singulis dominicis, usq; ad tempora B. Augustini, ut ex Gennadij l. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. potest haberi.

Antea verò decretum fuerat à Fabiano Pontifice, de consecr. d. 2. c. *Et si*, ut, si non frequentiùs, saltem in anno ter, laici homines communicarent, in Pascha, Pentecoste, & Natal. Domini; nisi fortè quis majoribus criminibus esset impeditus.

Tandem verò, cùm nec illud servaretur; in Cõcilio generali Lateranensi sub Innoc. 3. præceptum est sub *pœna* excommunicationis ferendæ ut *omnis utriusq; sexus fidelis qui ad annos discretionis* E *pervenit, ad minus in pascha reverenter suscipiat sacramentum Eucharistiæ.* Qua de re extat etiam c. 9. sess. 13. Conc. Trident. Tempus autem illud Paschæ, juxta declarationem Eugenij 4. à Navarro relatam c. 21. num. 45. comprehendit dominicam palmarum & sequentes dies usque ad dominicam in albis inclusivè. Et in istorum dierum, uno, debet unusquisque in sua parochia communicare; non satisfacturus alioquin præcepto ecclesiæ: ut insinuatur in dicto c. *Omnis utriusq; sexus*: Ac proinde, licèt quis apud privilegiatos communicaverit in hebdomadâ sanctâ, debet nihilominus

Universidad de Deusto
Biblioteca



currente adhuc dictorum dierum spatio, communicare semel in Ecclesiâ parochiali, ut respondit Congregatio Cardinalium.

An verò, qui intra illos dies præcepto Ecclesiæ satisfecit communicando in parochiâ, possit ipso resurrectionis die communicare de manu privilegiatorum; dubitatur: quia Leo 10. concedens ut privilegiati possint Eucharistiam ministrare quovis anni die, excepit diem Paschatis. Unde Navarrus c. 21. n. 52. negantem partem amplectitur: De qua sic Azorius p. 1. l. 7. c. 41. q. 7. *Ego probabiliorẽ & veriorem existimo Navarri sententiam videlicet generaliter excipi omnes, tum eos qui sponte sua pio voluntatis effectu, tum etiam eos qui ecclesiastici præcepti necessitate in die Resurrectionis dominicæ sacrosanctum Domini corpus sumere studeant; ita ut in eo die Corpus Domini sine cõsensu parochi accipere jure nequeant, ij etiam qui alioquin in sua parochia sacrã communionẽ acceperunt. Nam privilegia quando juri communi derogant, stringi non laxari debent.* Et in eandem sententiam allegat Compendium privilegiorum Societatis, quod apud ipsum videatur. Idẽ resolvit Congregatio Cardinal. an. 1586. die 23. Ianuarij. Quæ tamen sunt intelligenda, nisi novum aliquod privilegium, privilegijque declaratio, vel consensus parochi vel Ordinarij accesserit: Hoc enim posito, licet etiam die Paschæ communicare apud privilegiatos. Quod privilegio antiquiore idem liceat, sunt qui teneant apud Dianam p. 2. tract. de celebr. Miss. Resol. 73. Sed alij aliter sentiunt; cum quibus arbitror regulariter esse tenendum, & sequendum quod scribit Miranda p. 1. qu. 42. art. 2. ut Mendicantes neque communicent laicos paschali communione, neque talia privilegia publicent.

Observandum hîc sacerdotes extra suam Ecclesiam parochialem celebrantes, satisfacere præcepto Ecclesiæ de annua communione. Ita enim usus obtinuisse videtur.

## SED QUÆRITUR II.

*An qui communicant indignè satisfaciant præcepto Ecclesiæ.*

SATISFACERE opinantur nonnulli; tum quod Ecclesia solum præcipiat sacramentalem sumptionem externam; tum quod modus præcepti nõ cadit sub præceptum, 1.2.q.100.a.9. Et quamvis propter authoritatem ita sententium damnandi non sint qui partem hanc affirmativã sequuntur.

NEGATIVA tamẽ pars omninò videtur tenẽda.

*Resp. non satisfacere.* PRIMÒ, quia Ecclesia nõ solùm præcepit actus externos, sed etiam internos, saltem illos qui conjuncti sunt exterioribus. Unde præcepto ejus de audienda missa non satisfaceret is qui indevotè & ad alia voluntariè distractus illam audiret.

SECUNDÒ, quia cum præceptum Ecclesiæ sit quædam explicatio & determinatio præcepti divini; non dubium est quod intendat præcipere communionem talem, qualem Christus præcepit, id est, piam & religiosam.

TERTIÒ, Sacramentum hoc est cibus animæ; non satisfaceret autem præcepto, quod est de sustentanda vitâ corporali, is qui cibum corporis sumeret eo modo quo non potest prodesse, sed solùm obesse; ergo nec is qui sponte sumit Eucharistiam indignè, satisfacit præcepto, quod habet de illa sumenda.

QUARTÒ, Licet ex natura rei, modus externus non cadat sub præceptum; potest tamen præcipi. Ecclesia autem præcipit modum quo sumenda est Eucharistia; ergo fideles ad illum obligantur. Minor patet ex verbis præcepti in canone, *Omnis utriusq; sexus*, expressi: ubi dicitur, *suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentũ.*

Ex his patet responsio ad rationes contrarias.

## QUÆRITUR III.

*An qui prævidet impedimentum, ob quod non poterit in Paschate communicare, teneatur prævenire.*

NON pauci negant, quia nemo tenetur anticipare, vel tempus cui ipsum opus est necessario connexum, ut patet de festis & jejunijs: vel actum, per quem non satisfit obligationi præcepti: communio autem sic annexa est tempori paschali, ut per antecedentem non satisfiat præcepto Ecclesiæ. Unde qui anticipasset, teneretur nihilominus communicare in paschate, si posset.

RESP. Si ejusmodi prævideat quòd poterit communicare, non post longum tempus à paschali; probabile est non teneri ad præveniendum: quia potest ob rationabilẽ causam differre ad tempus, de consilio proprij sacerdotis, si is potest consuli.

Si verò prævideat quod non poterit communicare nisi multo tempore post Pascha; videtur obligari ad præveniendum. *Resp. cum distinctione.*

PRIMÒ, quia alioquin exponit se periculo violandi jus divinum de communione, per nimiam dilationem.

SECUNDÒ, quia Ecclesia sic jubet communionem in pascha, ut velit ad minus tunc fieri, & non ultra differri: si autem differretur ad plures menses post pascha, non fieret ad minimum semel in anno. Simile est, si cui esset injunctũ solvere centum florenos ad minus semel in anno; idque in paschate; is, si prævideret se futurum in paschate impotentem, si posset deberet prævenire.

Ad rationem in contrarium RESP. priorem partem assumpti veram esse dumtaxat, quando istud opus est onus annexum tempori, qualia sunt festa, jejunia, lectio horarum: Alioquin eadem ratione sequeretur eum qui omisit communionem in pascha, non teneri postea communicare: sicut is qui die festo non audivit missam, non obligatur audire die sequenti.

Ad posteriorem, interdum tenetur aliquis anticipare actum, per quem si impedimentum quod prævidet subsistit, præcepto satisfacit; aliàs non; quando scilicet præcipientis intentio est sic præfigere tempus, ut majorem dilationem prohibeat: Talem autem esse intentionem Ecclesiæ quando præcipit cõmunionem paschalem, ex verbis præcepti colligitur, quibus dicit, *ad minus in pascha.*

## QUÆRITUR IV.

*An qui prætermisit communicare in paschate, adhuc teneatur pro isto anno, ad communionem.*

NON teneri asserunt Sylvester. *Eucharistia* 3. q. 15. S. Antoninus, Dominicus, & alij, quos sequitur Toletus lib. 6. cap. 18. quia dum aliquid præcipitur cum determinatione temporis, eo lapso cessat obligatio, ut patet in missâ festi, jejunio vigiliæ; &c.

VERIUS



*Resp. teneri.* VERIUS tamẽ est teneri. PRIMÒ, quia non conceditur terminus annuus ut tunc cesset obligatio, sed ut adimpletio non possit ulterius differri, sicut in contractibus, quando statuitur tempus ultra quod non potest differri solutio; si tunc non fiat, obligatio non extinguitur, sed perseverat.

SECUNDÒ, quia principale quod Ecclesia intendit præcipere, est communio: temporis autem determinatio solùm est aliquid secundarium. Cum ergo possit adhuc impleri præceptum Ecclesiæ secundùm substantiam, & quantum ad id quod est principale: durat obligatio.

TERTIÒ, quia is qui toto anno non est confessus, manet obligatus ut primâ opportunitate confiteatur: quod etiam nonnulli alterius sententiæ asserunt: ergo & is qui non communicavit. Ita Joa. Major in 4. d. 17. q. 2. Palud. d. 12. q. 1. ar. 5. Navar. c. 21. n. 45.

Ad Arg. contrarium patet responsio: quia ejusmodi præcipiuntur tanquam onus diei; & ratio obligationis est talis dies; confessio autem & communio non præcipiuntur ut onera diei; nec ratio obligationis earum est tale tempus; sed jus divinum, ob quod Ecclesia principaliter intendit ipsas præcipere secundùm substantiam.

### ARTICULUS XII.

ART. 12. docet Sacerdotes celebrantes non debere unam speciem hujus Sacramenti sumere, sine aliâ; cæteros autem id posse.

PRIUS probatur, quia ad celebrantem pertinet perficere Sacramentum; perfectio autem hujus Sacramenti consistit in consecratione & sumptione utriusque speciei.

*Celebrantes debent sumere utramque speciem.* Confirmari potest, ex Resp. ad 1. ubi ait, quod *sicut Sacerdotes totum consecrant Sacramentum, ita toti sacramento communicare debent*; & q. 82. ar. 4. resolvit necesse esse quod Sacerdos quotiescunque consecrat, sumat integrè hoc Sacramentum; hanc autem necessitatem ex divino jure ipsis incumbere non dubitamus, cùm Christus Eucharistiam instituerit non solùm ut sit Sacramentum, sed etiam ut sit sacrificium, atque adeò existimandus sit voluisse ut qui illud consecrando offerunt, de eodem participent secundùm utramque speciem quam consecrant. Huc faciunt quæ diximus qu. 74. ar. 1.

*Alij non debent utramque sumere.* POSTERIUS etiam probatur, quia ex parte sumentium, quorum non est Sacramentum perficere, sed illo dumtaxat uti, requiritur summa reverentia & cautela ne aliquid accidat vergens in injuriam tanti Sacramenti; Hoc autem facilè accideret, si in tanta fidelium multitudine & varietate oporteret omnibus dare speciem vini. *Et ideò providè in quibusdam Ecclesijs observatur ut populo sanguis sumendus non detur.* Ita autem loquitur S. Doctor, quia suo tempore necdum erat universaliter prohibitum præbere calicem laicis.

In RESP. ad 2. ista verba bene sunt notanda; *Perfectio hujus Sacramenti non est in usu fidelium, sed in consecratione materiæ; & ideo nihil derogat perfectioni hujus Sacramenti si populus sumat corpus sine sanguine, si speciem corporis sine specie sanguinis, dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque.*

Cæterùm, quia paulo ante Concil. Constantiense, orta est apud Bohemos hæresis affirmantium salutem esse non posse illis qui ab usu calicis abstinent; quos deinde secuti sunt nostri Novatores.

### QUÆRITUR I.

*An communio sub utraque specie sit laicis necessaria.*

VIDETUR quod sic, PRIMÒ, Nam illud Joa. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; de sacramentali sumptione intelligitur.

SECUNDÒ. Christus Matth. 26. & instituit communionem sub utraq; specie, & eam præcepit dicens, *Bibite ex hoc omnes*; qui, juxta Paschasium c. 15. de Corp. Domini, tam ministri quàm reliqui credentes, intelligunter. Et quia futuros videbat qui dicturi essent panem omnibus dandum, sed non calicem; ideò potiùs de calice dixit, *Bibite ex hoc omnes*, quàm de pane, *Manducate ex hoc omnes*. Confirm. si Apostolis solis ea dixisse Christus intelligatur; ergo soli Episcopi communicare debent sub utraque specie; quia soli ipsi succedunt Apostolis. Præterea quod Apostolis dicebatur, omnibus dicebatur, juxta illud Marci. 13. Quod vobis dico, omnibus dico.

TERTIÒ, In istis verbis Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*, continetur præceptum ut laici faciant, quod Apostoli tunc cum Christo fecerunt; sed communicarunt sub utraque specie; ergo.

QUARTÒ, Testamentum Christi nemo spernit aut superordinat; Gal. 3. sed calix est ejus testamentum, Luc. 22. ergo dandus est omnibus ad quos testamentum Christi pertinet.

QUINTÒ, Apostolus 1. Cor. 11. loquens ex traditione divinâ, dicit, *De pane illo edat, & de calice bibat.*

SEXTÒ, B. Ignatius pariter dicit in epist. ad Philadelphienses: unus panis omnibus confractus; unum poculum omnibus distributum.

Et Chrysost. ho. 18. in posteriorem ad Cor. *Est* inquit, *ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ut quando est fruendum horrendis mysterijs. Similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in veteri lege, partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus: verùm omnibus unum corpus proponitur & poculum unum.* Et Author serm. de cœna Domini apud Cypr. Lex esum sanguinis prohibet; Evangelium præcipit ut bibatur.

Quomodo ait Cypr. Epist. 54. docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere; si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini, jure communionis admittimus?

Sed & Conc. Turonense, apud Burchardum l. 5. c. 9. vult Eucharistiam distribui intinctam in sanguine Christi, ut veraciter Presbyter dicere possit infirmo, Corpus & sanguis Domini proficiat tibi &c.

S. Leo serm. 4. de quadrag. reprehendit eos qui Corpus Christi accipientes, sanguinem haurire declinant. Unde Gelasius de cons. d. 2. c. *Comperimus*, jubet vel abstineri à Communione, vel utramque speciem sumi.

Addi potest & ratio, quia per unius speciei sumptionem non repræsentatur mors Christi; in quâ sanguis fuit separatus à corpore.

Universidad de Deusto
Biblioteca



RESPONSIO ad fidē pertinens est, communionem sub utraque specie, non esse lacis & Sacerdotibus non consecrantibus jure divino præceptam. Patet ex sess.13. Concilij Constant. ubi etiam sub pœnâ excommunicationis præcipitur ut nullus Presbyter communicet populum sub utraque specie. Extat & definitio Concilij Trid. 21. can. 1.

Confirmatur 1. ex verbis Christi, Ioan. 6. quibus vitam æternam promisit sumenti unam speciem ; *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.*

SECUNDÒ, quamvis Lucæ 24. Christus in Emaus non consecraverit unicam speciem, ut ar. 1. B quæstione 74. diximus : benedictione tamen panis demonstravit effectum Eucharistiæ in unâ specie, quando statim aperti sunt oculi eorum quibus distribuebat.

TERTIÒ, licet olim Christiani, maximè ex Gentibus conversi, qui consueti erant bibere de Idolorum libaminibus, de calice communicaverint, ut ex historia S. Laurentij, ex Concilio Trid. sess. 21 c. 2. ex B. Thom. hìc manifestum est; constat tamen eos, etiam sub solius panis specie communicasse. In cujus rei confirmationem quidam Authores non contemnendi adferunt quod Act. 2. Lucas, Magistrum suum Paulum sequens, nomine fractionis panis distributionem Dominici C Corporis intelligit, ubi Christianos asserit *perseverantes* fuisse *in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Ideò enim doctrinam & orationes existimant conjungi communicationi & fractioni. Similiter quod Act. 20. *una sabbathi* convenisse dicuntur *ad frangendum panem*, intelligunt sicut frangitur in Sacramento Corporis Christi, ut interpretantur August. epistola 26.

*Nunquā fuit universale præceptū communicandi sub utraque specie.*

Amplius autem confirmari potest ex eo quod in istis Ecclesiæ Christi initijs multi legalia servabant, & ex voto Nazarçorum à vino abstinebant, ut ex Act. c. 21. patet : quos non est verisimile D communicasse sub specie vini, vel penitus à communione abstinuisse. Hinc B. Ignatius. Ep. ad Ephes. etiam solius speciei panis meminit : *Si quis non fuerit intra altare, fraudabitur pane Dei.* Et post multa, *frangentes panem qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi* &c.

QUARTÒ, Moris antiquissimi est Eucharistiam servare pro infirmis, ut ex Conc. Niceni can. 12. Ancyrani can. 6. Arelat. 2. can. 12. ex epist. 2. B. Clementis, ex Optato l. 2. contra Parmenian. & aliunde constat; servabatur autem saltem aliquando, sub solâ specie panis: nam Euseb. l. 6. hist. c. 36. refert ex Dionysio Alex. puerum à Sacerdote exiguam quandam Eucharistiæ partem accepisse, ferendam Serapioni, cum mandato ut eam made- E factam in os senis infunderet. Dixi, saltem aliquando. Interdum enim speciem quoque vini fuisse asservatam doceri potest ex Chrysost. Ep. ad Innoc. Papam, quam refert Baronius ad an. 404. ubi de militum grassatione scribit, quod *ubi sancta condita servabantur, ingressi milites, ex quibus quidam nondum erant initiati, omnia spectabant intus recondita. Sanctissimusq; Christi Sanguis in tanto tumultu, in militum vestimenta fusus est.* Eodemque pertinet tum quod Nazianzenus orat. 11. de laudibus Gorgoniæ habet, *Si quid uspiam antityporum pretiosi Corporis aut Sanguinis manus recondiderat, id lachrymis admiscuisset :* tum quod Hieronym. Ep. 4. ad Rusticum, de S. Exuperio Tolosæ Episcopo ait, *nihil illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro :* tum quod in Prato spir. c. 48. legitur de muliere hæretica subitò conversa, quod *accersito diacono oravit sanctum calicem sibi afferri. Quo allato sumpsit sacrum Corpus & pretiosum sanguinem magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi.*

*Species vini fuit aliquando servata.*

QUINTÒ, Dabatur olim Eucharistia viris in manus : mulieribus autem in nitidis linteaminibus ut habetur ex Augustini lib. 2. contra literas Petiliani c. 23. & serm. 252. de tempore. Hinc Conc. Antisiodorensis can. 3. *Vnaquæque mulier quando communicat, Dominicalem suam habeat : Quod si non habuerit; usque in alium diem Dominicum non communicet.*

SEXTÒ, propter ingruentes olim persecutiones, concedebatur laicis Eucharistiam domum ferre, sumendam quando esset illis commodum; ut patet ex Epist. 28. Hieronymi, Tertulliani libro 2. ad uxorem capite 5. Cypr. l. de lapsis. Unde Ambrosius in oratione de obitu fratris, dicit eum in naufragio constitutum, divinum Sacramentum à præsentibus popposcisse ; quod ligari jussit in orario, &. orarium collo circumposuit. Hæc cùm à naturâ liquidorum abhorreant ; cumque sacratus Calix nunquam solitus fuerit dari in manus laicorum, sed per manus Diaconi ministraretur : manifestè arguunt unam tunc speciem in usu fuisse. Huc pertinet quod Thesaurus Corpus Domini sub vestibus ferens, cùm à paganis comprehensus requireretur quid ferret, potiùs quàm sanctum canibus daret, mortem subijt: Cumque illo mortuo curiosè investigarent, nihil Sacramentorum penitùs invenerunt : ut ex Beda refert Algerus, & ad 15. Augusti Martyrologium Romanum.

SEPTIMÒ, quod in die Parasçeves communicat Sacerdos sumptâ solùm specie panis pridie consecrati quodque olim fideles idem faciebant; ut cõmemorat Sanderus lib. 7. Monarchiæ, & constat & Durando l. 6. off. capite 75. & Amalario libro 1. c. 12. palam ostendunt licitam ac sufficientem esse communionem sub unâ specie. Neque enim audiendi sunt, qui per orationem Dominicam & immissionem Corpus Domini in Calicem, existimant vinum consecrari : cùm ut supra ostensum est, solis verbis Christi fiat consecratio.

OCTAVÒ, ex epist. 22. B. Hieron. constat illo tempore fuisse Romæ Catholicas Virgines ita abstemias, ut nec in mysterijs speciem vini sumerent ; quæ propterea ab alijs virginibus, sed lascivis, miseræ & Manicheæ vocabantur. Quas lascivas illic Hieron. graviter reprehendit.

POSTREMÒ, tempore S. Leonis fidelibus erat in more, nunc sumere calicem, nunc non sumere, sed solius panis specie contentos esse. Alioquin, quomodo Manichæi, vinum tanquam fel principis tenebrarum repudiantes, ideoque à calice abstinentes, potuissent infidelitatem suam tegere ? quo modo in Sacramentorum communione Catholicos se simulassent ? quod eos feciisse tradit S. Leo ser. 4. de quadragesima. At ubi jussum est ut qui Catholici erant, sacrum calicem sumerent ; statim deprehendebantur Manichæi, nolentes ad eum accedere. Atque hæc fuit S. Leoni causa præcipiendi usum calicis, ut ex dicto serm. patet. Cum ea causa convenit, Manichæos à calice etiam ideò abstinuisse quod Christo corpus phantasticum



cum & exangue tribuerent : contra quem nære- A sim loquitur etiam S. Leo.

*Christus est in sacramento extra usum.*

Ex his testimonijs manifestè patet contra nostri sæculi hæreticos, indubitatum fuisse olim, quod sactum Christi corpus ejusque sanguis, atque adeò totus Christus sit in hoc sacramento statim post factam consecrationem, ibique permaneat extra usum : qua de re plura diximus qu. 76. ar. 1. quæsito 2. Ex quo ulterius sequitur hoc

*Hoc Sacramentum est latriâ adorandum.*

sacramentum cultu latriæ esse adorandum ; cum iste cultus sit Deo debitus, certa autem fide constet in eo sacramento esse Deum.

Quæ doctrina & per Conc. Trid. sess. 13 c. 5. & can. 6. definita habetur & perpetuo usu Ecclesiæ, clara est apud sanctos, Dion. c. 3. eccl. hier. B p. 2. Clement. l. 2. constitut. c. 57. Cyril. Jerosol. Catech. 5. Mystag. & alios qui citantur ab ijs qui de controversijs scripserunt.

*Hereticorum. Ob.*

Nec ullius momenti est quod sectarij objiciunt Christum non esse in Eucharistia ut adoretur, sed ut sumatur. Quamvis enim Rex terrenus extra suam Regiã existens non ibi sit ut honoretur, sed alias ob causas ; honorati tamen debet ab illis qui

*Resp.*

vel ab eo aliquid petunt, vel juxta eum transeunt, vel aliter sunt ei præsentes ; idque ideo, quia est Rex & Dominus. Magi quoque Matth. 2. Nunquid adoraverunt Christum in præsepi positum, ubi tamen non ad hoc erat ut ibi adoraretur ?

*Alia Ob.*

AT CHRISTUS (ajunt) non debet adorari nisi C ubi vult: non vult autem adorari in Eucharistia.

*Resp.*

RESP. si in Assump. intelligant Christum non esse adorandum nisi ubi ipse jussit, aut ubi clarè manifestavit se velle adorari, falsissimum est: nam Magis nec præceperat nec apertè significaverat se velle adorari in præsepi. Idemque judicium est de cœco Ioan. 9. qui *procidens adoravit eum*, & de multis alijs. Quamvis autem non extet positivum aliquod Christi præceptum ut in Eucharistia adoretur ; ipsum tamen velle illic adorari certum est ; tum quia obligatio ipsum ibi adorandi ex natura rei & ex institutione sacramenti sequitur, quandoquidem Deus non nisi honorificè tractandus & summo honore sit colendus ; tum ex per- D petua Ecclesiæ praxi, & ex beneficijs quibus donati sunt qui Sacramentum hoc piè ac reverenter adoraverunt, ac etiam ex punitionibus quas ejus contemptores sustinere compulsi sunt. Vide Bredenbachium in collation.

AD ARG. verò & ad 1. quidem RESP. sicut ex eodem cap. 6. probat Concilium Tridentinum sessione 21. c. 1. vita æterna promittitur etiam illi qui licèt non bibat speciem vini, manducat tamen panem Eucharisticum. Ac proinde vis præcepti quod ineat illis verbis, *nisi manducaveritis, &c.* non ad sumendi modum, sed ad rem quæ sumenda est pertinet. Nominavit tamen *manducare* & *bibere*, partim quia carnis & sanguinis meminisse volebat, ut suæ sacramentum passionis ostenderet; partim ut significaret perfectam refectionem quæ in cibo & potu consistit : Nam ut loquitur Concilium Florentinum, *omnem effectum quem materialis cibus & potus agunt quoad vitam corporalem hoc sacramentum operatur, quoad spiritualem.*

Confirmatur hæc expositio : Christus enim ea verba protulit contra eos qui inter se litigabant, dicens, *quomodo potest hic carnem suam dare ad mãducandum :* illi autem non litigabant de modo sumendi species scortsim, sed de re ipsa, an posset caro ejus & sanguis sumi.

Præterea, in illius capitis sententijs negativis rectè intelligimus removeri omnem sumptionem sacramenti, id est, tam spiritualem quàm Sacramentalem ; ut sensus sit. Nisi vel Sacramentaliter vel spiritualiter manducaveritis &c.

Potest insuper copulativa intelligi posita loco disjunctivæ : quasi diceretur : Nisi manducaveritis vel biberitis, sicut 1. Corinth. 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*, i. qui manducat aut bibit. Neque enim ut quis judicium seu condemnationem sibi accersat per indignam hujus sacramenti sumptionem, necessarium est ut sub utraque specie illud indignè sumat : sed plusquam satis est, quod sub altera. Certè Iob. 31. *Si declinavit gressus meus de viâ, & si secutum est oculos meos cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula* &c. his in verbis (sicut & in sequentibus) *&*, pro *vel* positum est.

Cum hac expositione coincidunt qui negationem inclusam in isto (*nisi*) seu ut Græci codices habent (*si non*) referunt ad utramque partem sequentem, cum tali repetitione : *Si* neque manducaveritis carnem filij hominis, neq; biberitis ejus sanguinem : quomodo Psal. 128 copulativa debet exponi : *De quo nõ implevit manum suã qui metit, & sinum suum*, id est, neq; sinum suum *qui manipulos colligit.* Et Act. 3. *Argentum & aurum non est mihi*, id est, neque argentum est mihi neque aurum.

AD 2. Christus Eucharistiam instituens sub specie panis & vini, eò quod non solum sit sacramentum, sed etiam sacrificium, juxta ea quæ diximus ar. 1. quæstione 74. omnibus Apostolis distribuit sub utraq; specie ; quia isto ultimo & pretioso cibo ac poculo, omnibus valedicere, atque omnium tristitiam levare voluit ; secundùm quod ex officio B. Thomæ canit Ecclesia, *Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & tristibus sanguinis poculum.* Non præcepit autem omnibus fidelibus ita sumere : sed Apostolorum Successorumq; illorum dispositioni reliquit, ut vel utramque, vel alteram speciem quam judicarent expedire, distribuerent.

Exemplum ergo Christi, cùm ipse non præceperit omnia quæ tunc egit, non urget fideles ad D utriusque speciei sumptionẽ ; non magis quam ad sumendum post cœnam, ad distribuendum solis viris, ad dividendum unicuique partes ejusdem panis.

Illud verò, *Bibite ex hoc omnes*, ad solos Apostolos dictum fuisse, liquet ex Marc. 14. cùm dicitur, *& biberunt ex eo omnes :* ibi enim significatur præceptum Christi impletum fuisse eo tempore.

Paschasius verba quæ objiciuntur, non dicit exponens verba Christi, *Bibite ex eo omnes :* Nã Christus ea dixit de calice, ipse autem loquitur de pane, & respicit ad distributionem quæ fit per ministros ; cùm Christus per seipsum, & non per Apostolos in cœnâ distribuerit : sed Scripturam accommodat ad usum sui temporis Paschasius. Verba E ejus sunt : Hic solus est qui frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens, Accipite & bibite ex hoc omnes tam ministri quàm & reliqui credentes. Quæ, si incorrupta sunt, solum significant omnibus bibendum esse ex pane benedicto & fracto. Corrupta autem esse, & pro, *Bibite*, legendum, *edite*, assentimur Hesselio, l. 2. de Communione sub unica specie.

Si de pane Christus nõ dixisset, *manducate ex hoc omnes*, sicut de calice, ratione dare possumus, quod non porrigeret unum integrum panẽ distribuendum per singulos, sicut porrigebat unum calicem,

ex

Universidad de Deusto
Biblioteca



ex quo singuli jubebantur bibere ; sed dabat duodecim partes, singulas.

Christum verò etiã de pane dixisse, *manducate ex hoc omnes*, patet ex canone Missæ, ex Ambrosio libro quarto de Sacramentis c. 5. ex Paschasio l. de corpore Christi c. 15. & ex B. Thoma in 4. d. 8. q. 2. art. 1. quæstiunculis 2. & 5.

Ad confirmationem Resp. negando consequentiam; quia etiam simplices sacerdotes succedunt Apostolis in sacerdotio, & ad eos pertinet Eucharistiam consecrare.

Quid autem Apostolis dictum censeatur Marci 13. dici fidelibus omnibus, ibidem est expressum *Quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Ut autem eant in universum mundum prædicaturi : evangelium omni creaturæ, ut Ecclesias fundent, ubique sacramenta conficiant, ac ministrent &c. non omnibus dicitur fidelibus.

Ad Tertium negatur consequentia; quia non præcipitur ut Laici faciant omnia quæ Apostoli fecerunt, sed ut ea quæ ad ipsos pertinent ; qualia sunt, Sacramentum sumere, & per ministros offerre.

Observandum autem quòd cùm Paulus & Lucas, de corpore Christi loquentes, scribunt eum dixisse, *Hoc facite in meam commemorationem* ; absolutum referunt præceptum, & faciendi quod in cœna fiebat, & hoc ipsum faciendi in memoriam Christi : At cùm de calice loquitur Paulus, similia refert fuisse dicta, nõ absolutè, sed cum restrictione, *Hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem*, ubi non continetur præceptum hoc faciendi, id est, de calice bibendi ; sed præcipitur, ut quoties & quandocunque de calice biberent, in Domini memoriam id facerent. Qui enim dicit, Fac hoc quotiescunque facis, in mei memoriam ; non mandat facere, sed tantùm ut cùm faciet, ad sui recordationem faciat. Qui verò dicit, fac hoc in mei memoriam, simpliciter jubet fieri, & quidem in sui memoriam.

Ad Quartum, præter ea quæ diximus art. 3. q. 79. Resp. calicem secundũ id quod continet, pertinere ad testamentũ nobis à Christo relictum, re autem contenta nõ fraudantur qui sub unâ specie communicant ; quia sumunt totum Christum.

Ad Quintum, Apostolus ibi non jubet ut fideles edant panem vel bibant calicem absolutè : sed modum præscribit quo uti debent, si edere velint aut bibere. Sensus enim est : Cùm seipsum probaverit, tum demum, & non aliter de pane illo edat, vel de calice bibat.

Ad Sextum Resp. *Primò*, Ignatium loqui secundùm usum quo calix solebat laicis distribui. Resp. *Secundò*, non dicere quod ab omnibus sumi debeat, sed quod unus tantum sit, qui omnibus sumentibus datur. Resp. *Tertiò*, veram lectionem habere, *unus calix totius Ecclesiæ*, sine addito, *omnibus distributus*.

Discrimen à Chrysost, assignatum, in eo consistit quòd sacrificium vetus dividebatur per partes, quarum una uni, altera alteri cedebat : Novum autem datur singulis totum & integrum ; Neque plus habet Sacerdos qui etiam Symbolum sanguinis sumit, quam laicus. Facit ergo vim in re oblata, non in speciebus aut modo sumendi ; cùm si necessitas postulet, sacerdos partem speciei panis distribuere possit communicanti, ut q. 83. ar. 5. videbitur atque ita nec ipse, nec alius totam speciem sumet ; sed ambo simul. Agnoscendam autem esse differentiam aliquam inter sacerdotes & alios, dubitari non potest ; cum illi consecrent, ideoque teneantur sumere utramque speciem, non alij.

Consuetudinem, etiam ætate Chrysostomi fuisse communicare sub specie solius panis, quamvis permitteretur usus calicis ; liquet ex pane in lapidem verso, dum mulier Macedoniana volebat fingere, se sicut cæteros communicare divinis mysterijs : de qua Nicephorus libro decimo tertio, capite septimo, & Sozomenus libro octavo, capite quinto. Si enim omnes debuissent calicem sumere non potuisset latere ; cùm calix non daretur in manus, sed per diaconum adhiberetur ori communicantium.

Author sermonis de cœna, meritò dicit præcipi ut sanguis bibatur, quia sacrificantes debent bibere ; quamvis non alij : non constat tamen, quod vim faciat in modo sumendi.

Cyprianus præsidium spirituale tribuit ipsi Eucharistiæ. Jus autem communicationis, non intelligit jus sumendi speciem vini, sed jus quod fideles habent accedendi ad Eucharistiam, eamque petendi.

Canon Turonicus non agit de utriusq; speciei necessitate : sed instruit sacerdotem quomodo consueta porrectionis forma uti possit apud infirmum, & veraciter corporis & sanguinis (secundùm propriam sibique directè respondentem speciem Sacramenti) mentionem facere ; sed præterea, ejusmodi intinctio reprobatur à Conc. Bracarensi 3. Can. 1. qui sub nomine Julij Papæ refertur à Gratiano, de cons. d. 2. c. *Cùm omne*, ac etiam ab alijs.

Leonem voluisse propter Manichæos sui utrãque speciem jam ante probavimus. Quorum error cùm tempore Gelasij nondum esset extinctus ; ejus verba similiter exponi possunt. Unde rationem addens, *quoniam nescio*, inquit, *quâ superstitione docentur obstringi*. Si dicas Gelasium significare eos solos integra sacramenta sumere qui communicant sub utraq; specie. Resp. cum sub una specie totus Christus contineatur, ut articulo primo, secundo, & tertio, qu. 76. dictum est, sub eadem sacramentum quoad rem contentam est integrum, quamvis non quoad signantiam, seu res significantes, ut ostendimus q. 73. ar. 2. Sed præterea qui instar Manichæorum improbant sumptionem sub specie vini, meritò dicuntur Sacramentum mutilare & dividere, quia non admittunt utramque speciem esse Sacramentum, tantumque sub una contineri quantum sub altera.

Ad rationem, Negatur assumptum, eo enim ipso quo una species separata est ab alterâ, significatur corpus à sanguine separatum fuisse : &, sive hæc, sive illa sumatur, in Christi memoriam sumenda est, 1. ad Corinth. 11. Refectio quoque spiritualis, & fidelium unio, abundè significantur per unam speciem ; quoniam *unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus* 1. ad Corinthios 11. Nihilominus.

## QUÆRITUR II.

### *Vtrum non detur major gratia sumenti duas species quàm sumenti unam.*

Videtur quod sic. Primò, quia alius est effectus cibi, alius potus.

Secundò, Corpus Christi sub specie panis datur pro salute corporis ; sanguis verò sub specie vini, pro salute animæ : ut ex Ambrosiastro asserit Author q. 74. a. 1. Unde & in officio cantat Ecclesia ; *Quibus sub bina specie carnem dedit & sanguinem : Vt duplicis substantiæ, totum cibaret hominem.*

Tertiò, sumptioni utriusque speciei gratia est promissa. Nam de specie panis dicitur, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* De vini autem specie, *qui bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Quartò, non potest dici quod gratia detur ad solam sumptionem, vel speciei panis, vel speciei vini : ergo datur ad sumptionem utriusque. Anteced. prob. quia utraque est Sacramentum ; & sumptio una esset alioquin superflua ; vel, si Sacerdos moreretur ante sumptionem speciei vini, nullam accepisset gratiam.

Quintò, utraque species simul sumpta perfectiùs significat effectum quàm altera ; significat enim perfectam refectionem, quæ cibo & potu constat : ergo etiam perfectiùs illum confert, quia Sacramenta efficiunt quod significant.

Sextò, Conc. Trid. sess. 21. c. 3. docet communicantem sub alterâ tantùm specie nullâ gratiâ necessariâ ad salutem fraudari, ergo concedit eum carere aliquâ, sed quæ non sit necessaria.

Postremò, Clemens 6. dicitur anno 1341. concessisse Regi Galliæ, ut quoties vellet, communicaret sub utraque specie, ad gratiæ augmentum.

His alijsque similibus permoti quidam non ignobiles Authores, probabiliter docent plus gratiæ conferri ei qui utramque speciem sumit, quam sumenti solam alteram.

*Resp. non dari majorem.*

Verum tamen probabilior videtur negativa. Resp. nimirum in unâ eâdemque Communione sumenti duas species non dari (per se loquendo) majorem gratiam, quàm sumenti solùm unam. Ita B. Th. hîc ad 3. insinuat ; apertiùs autem in opusculo de Sacramento Altar. c. 29. dicens, *Sicut sumit Sacerdos Sanguinem Christi sacramentaliter de calice ; sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi : & est ei tam utilis & tam dulcis ut Sacerdotibus qui sumunt eum sub specie vini de calice* ; B. Th. consentiunt Bonav. in 4. d. 11. p. 2. ar. 1. q. 2. Richard. q. 6. Gabriel lect. 84. in canonem, Suar. disp. 63. Puteanus dub. 4. Henriq. l. 8. c. 44. Layman l. 5. tract. 4. c. 5. num. 12. & alij.

Confirmatur, quia vel daretur major gratia ex parte symboli, vel ex parte rei contentæ. Non prius nam seclusâ re contentâ, symbolum non causat gratiam. Non posterius, quia eadem res continetur sub singulis speciebus. Unde sicut Conc. Trid. affirmat eos qui unam speciem solam accipiunt, nulla gratia ad salutem necessaria defraudari, propterea quod sub illa totus & integer Christus, verumque Sacramentum sumatur : ita concludere possumus nulla omninò gratia eos fraudari ; quia sumunt totum Christum, qui est fons omnis gratiæ, verumque Sacramentum.

Si Dicas, eandem rem bis sumi. Resp. hoc esse impertineris, quando illa sumptio fit in eadem refectione : nam alioquin, qui eodem tempore sumeret plures, vel hostias, vel hostiarum partes ; & qui Calicem sumeret pluribus haustibus ; plus gratiæ acciperet quàm alij ; cùm tamen unica sit refectio, & moraliter una Communio.

Nec obstat, quod sint species diversarum rationum : quia licet sint diversæ, quoad res significantes, eadem tamen est res significata ; effectus autem & efficacia magis respondet rei significatæ, quam significanti. Huc pertinet quod manna omnis saporis suavitatem haberet ; Sap. 18. *nec qui plus collegerat habebat amplius*, Exod. 16. Quod exemplum adducit B. Th. d. opusc. c. 13. *Quantacunque parva sit species illa panis, ibi est totum corpus Christi per conversionem, sanguis per connexionem, anima per conjunctionem, & divinitas integra per unionem. Unde certum est quod habet plenam rationem cibandi spiritualiter & confortandi animam &c. Eadem enim est ratio in corpore Domini quæ in manna &c.*

Ad 1. Arg. Resp. in refectione spirituali non distingui cibum & potum ; sed eadem res, & nutrit, & refrigerat, quorum illud cibi, istud potûs officium est. Unde una eademque res & esuriri dicitur & sitiri : *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Matth. 5. *Qui edunt me adhuc esurient ; & qui bibunt adhuc sitient*, Ecclesiastici 24. una ergo res & esuriem & sitim extinguit. Quod & in corporalibus observare est : Infantibus enim, lac & pulticula : majoribus, panis vino intinctus, & cibi & potûs usum habent.

Ad 2. Ista per accommodationem sunt explicata q. 74. ar. 1.

Ad 3. eadem est gratia quæ & unius & ambarum specierum sumptioni est promissa ; & per consequens eadem ipsa confertur ratione utriusque speciei cõjunctim. Sicut enim Io. 6. dicit Christus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* : ita eod. c. ait, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et iterum, *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

Ad 4. Etiamsi non constet in utrius speciei sumptione detur gratia ; probabilius tamen est quod in sumptione prioris : cùm enim subjectum sit ritè dispositum, non est ratio cur differatur effectus. Et quamvis in sumptione posterioris non conferatur alia gratia, eò quòd non sit diversa communio vel refectio, nec sacramentum per se distinctum à priori, sed unum ex utroque compositum quod operatur per aliquid sui cùm primùm potest ; non otiosè tamen sumitur secunda species ; quia perfectio sacrificij requirit ut ea sumatur, & per accidens potest conferri plus gratiæ, si sumens sit dispositus.

Ad 5. concedimus quod utraque species perfectiùs repræsentet refectionem nostram quàm altera, si attendatur modus significandi, non autem si attendatur res significata, quam efficiunt : quia eadem est spiritualis unio & animæ refectio, quæ sive per utramque, sive per alteram significatur & efficitur.

Ad perfectionem verò effectus Sacramentalis, potissimũ attendenda est significatio ex parte rei significatæ : quia sacramenta efficiunt quod significant, non autem prout significant, sicut in baptismo expressior est significatio per trinam immersionem, quàm per unam, quamvis effectus non propterea detur perfectior. Et in extrema unctione perfectior significatio est per quinque unctiones quam per unicam quæ omnes quinque complectatur, non idcirco tamen major aut perfectior gratia confertur. Vide Sup. q. 32. art. 5. q. 2.

Ad 6. Negatur Consequentia. Concilium enim solicitum fuit contra hæreticos : de disputatione autem inter Catholicos, nihil definire voluit.

Ad 7. loquitur Pontifex de augmento quod haberi potest ex opere operantis,

QUÆ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆRITUR III.

*Vtrùm Ecclesia potuerit prohibere laicis usum Calicis.*

NON potuisse videtur, quia licet Christus eum usum non præceperit, calicem tamen instituit pro omnibus; eisque dedit jus illum petendi. Sicut ergo, licet Sacramentum Confirmationis non sit à Christo simpliciter & absolutè præceptum; Ecclesia tamen non potest ejus usum interdicere, eò quòd sit institutum pro fidelibus: ita nec usum Calicis videtur posse interdicere.

Confirmatur, Ecclesia non potest prohibere speciem panis, ergo nec speciem vini. Sed nec potest auferre partem baptismi vel Pœnitentiæ: ergo nec partem Eucharistiæ.

*Resp. est affirm.*

RESPONSIO AD FIDEM pertinens est affirmativa. Nam in definitione rerum ad mores totius Ecclesiæ pertinentium, Ecclesia non potest errare: definivit autem sess. 13 Conc. Constantiensis & sess. 21. Conc. Trid. usum Calicis negandum esse Laicis: ergo non est necessarius, & negari illis potest. Confirmatur, quæ pertinent ad modum dispensandi Sacramenta nec essentialem, nec jure divino præceptum; possunt pro diversitate temporum & rerum, requirere usus & modos diversos: ergo data est Ecclesiæ potestas disponendi de illis. Unde Conc. Trid. dictæ sess. c. 2. declarat hanc potestatem semper in Ecclesia fuisse: Modus autem communicandi sub duabus speciebus non est de essentia Sacramenti, neque est à Christo præceptus: ergo.

RATIONES porrò cur Ecclesia multorum consuetudinem communicandi sub altera specie, sic approbarit ut pro lege habendam dixerit; variæ sunt.

*Quæ Ecclesiam moverint ad negandum calicem laicis.*

PRIMA, ut sic aboleret opinionem necessitatis utriusque speciei, quam Jacobellus quidam Saxo, nitebatur stabilire, sacrilegij damnans eos qui unà contenti essent.

SECUNDA, ut omne periculum effusionis vitaret: quod in tantâ populi frequentia, ubi senes, & tremuli, juvenes, & incompositi, communicare debent, vix alioquin posset effugere.

TERTIA, ut vinum in parvâ quantitate possit consecrari, nec sit necesse illud asservari: quæ asservatio sine periculo corruptionis, difficulter fieri posset.

QUARTA, ad præcavendum erroris periculum, Si enim populus rudis acciperet sanguinem sub specie vini, vix crederet illum esse sub specie panis, ait B. Thomas opusculo de Sacramento altaris c. 29.

QUINTA, ut sit uniformitas in Sacramento unitatis: cùm alioquin si permitteretur calix, magna oriretur varietas, vel ob inopiam vini, in partibus præsertim Aquilonaribus: vel ob abstemios, qui sic à vino abhorrent ut non possint illud gustare sine nausea, aut periculo vomitus. Quandoque etiam unicus est Sacerdos in populo frequentissimo: ubi nō potest calix omnibus ministrari, nisi plures calices magnaque vini copia consecretur: quod fieri neque est consuetum neque expediens.

SEXTA, Ecclesia sic consulere voluit devotioni fidelium, frequentique ipsorum communioni: Si enim sumendus esset calix, multi qui magna cum utilitate frequenter communicant, retardarentur à communione propter calicem quem eumdem bibere deberent cum sordidis, fœtidis, & nauseabundis.

Porrò, cùm ante constitutionem Ecclesiæ plebs Christiana plerumque sub alterâ tantùm specie communicaret: cumque per universam Ecclesiam id nunc observetur: dubitari non debet quin ea convenienter facta fuerit. Nam, *quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ità faciendum sit disputare, insolentissima infamia est*, ait Aug. epist. 118.

AD ARG. VERÒ RESP. Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ pro omnibus fidelibus, eisque dedisse jus illud petendi: ergo privari nequeunt sine causa, utramque verò speciem non ita instituit pro omnibus, neque sic dedit omnibus jus eam petendi, quasi simpliciter voluerit eis utramque speciem dari, quoties peterent: sed dispositioni Ecclesiæ reliquit, eam speciem distribuere, quam ipsa judicaret expedire.

Neque id quod objicitur, est simile: nam per hoc quod fidelibus interdicitur una species, ipsi non privantur usu Sacramenti: quod est totum sub alterâ: privarentur autem usu & effectu Confirmationis, si ipsa illis interdiceretur.

Ad Confirm. RESP. Neg. C. PRIMÒ, quia sumere Sacramentum Eucharistiæ est jure divino præceptum, & ideò Ecclesia non potest utramque speciem prohibere fidelibus: Secundò, quia non possunt timeri talia irreverentiæ pericula in usu speciei panis, quæ in usu Calicis.

Deinde, Ecclesia quodammodo potest auferre partem baptismi, dum prohibere potest trinam ablutionem vel mersionem, secundùm ea quæ diximus q. 66. ar. 8.

Denique, nulla causa, nullum irreverentiæ periculum potest occurrere, propter quam expediat partem pœnitentiæ simpliciter auferre; etsi in aliquo casu possit non injungi satisfactio, ut diximus Suppl. q. 18. ar. 3.

## QUÆRITUR IV.

*Vtrùm Calix sit ex dispensatione concedendus hæreticis.*

VIDETUR quod sic, PRIMÒ, quia si concedatur eis, promittunt recipere omnia quæ Sancta Mater Ecclesia recipit.

SECUNDÒ, fuit in Conc. Basilienſi dispensatum cum Bohemis.

Tertiò, in primitivâ Ecclesiâ tolerabant Apostoli Judæos legalia servantes, eaque sibi ad salutem necessaria existimantes.

*Resp.* RESP. quamvis Ecclesia habeat potestatem dispensandi, possintque interdum justæ rationes occurrere quæ ipsam moveant ad dispensandum: vix est tamen, ut ejusmodi dispensatio expediat respectu hæreticorum nostri temporis.

PRIMÒ, quia non moventur ad petendum calicem justâ aliquâ ratione, sed solùm ex pertinaci illâ existimatione, quâ sentiunt eum esse à Christo præceptum: &, ut aliquid inveniant, in quo Romanam Ecclesiam traducant, tanquam adversatur institutioni Christi. Horum ergo petitioni acquiescere, est hæresim fovere, & eam quasi sanctam ad altare introducere.

SECUNDÒ, ex dispensatione illâ, facilè sequeretur



tur aliorum hæreticorum in suis erroribus confirmatio, & simpliciorum Catholicorum deceptio dum hæretici jactarent Ecclesiam tali concessione fateri suam errorem.

TERTIÒ, inducerentur etiam fideles ad cogitandum expedire ut etiam secum dispensetur; imò ad dubitandum, veranè sit institutio quam didicerunt.

QUARTÒ, sic aperiretur janua novitatibus & tolleretur uniformitas, quam expedit esse, præsertim in isto Sacramento.

AD 1. ergo ARG. RESP. experientiâ notum esse, quam fallaces sint hæretici, & in promissionibus inconstantes, imò perfidi.

AD 2. RESP. Calicem fuisse concessum Bohemis, eâ spe & conditione, ut ab errore opinandi necessitatem utriusque speciei recederent; nec ullum deinceps compellerent ad sic communicandum, quod tamen non successit.

AD 3. RESP. diversitatem esse quod veritas de cessatione legalium non sufficienter innotuerat, Evangelio necdum plenè promulgato: ac proinde infirmorum error quo putabant legem cæremonialem sibi necessariam, tolerabilis erat; quamvis non eis concederetur oppositum sentientes condemnare. Hæretici verò condemnant Communionem sub unâ specie; & non ex infirmitate, sed ex pertinacia. Calicem petunt, post manifestam Ecclesiæ declarationem.

Hæc autem declaratio, non eò pertinet, ut si Calix venturus esset in manus hostium, vel sanguis in terram cecidisset, quin laico, in Sacerdotis vel absentiâ, vel sumendi impotentiâ, liceret eum sumere: sed eò, ut non celebranti semper sit illicitum citra dispensationem Pontificiam Calicem sumere, propter usum Sacramenti vel spiritualem suam utilitatem: adeò ut si contingeret moribundum non posse hostiam deglutire: aut relinquendus esset absque viatico, potiùs quàm ei daretur species vini; aut (quod Suarez non improbat) danda illi foret aliqua hostiæ consecratæ particula, cum aqua vel vino deglutienda.

Cùm de Sacra Communione hactenus disputatum sit meritò quærat quispiam, quid sibi velint Antiqui Canones, dum Communionis laicæ meminerunt. Idcircò

## QUÆRITUR V.

*Quid olim fuerit Communio laica, & quomodo distingueretur à Sacerdotali seu clericali.*

FUIT olim usu servatum, ut Sacerdotibus in pœnam alicujus peccati gravioris negaretur communio clericalis, & solum concederetur laica. Ut autem intelligatur, quænam esset communio laica: sit

### CONCLUSIO I.

COMMUNIO laica non rectè intelligitur esse communio eorum Sacerdotum qui non permittebantur consecrare, sed solum Eucharistiam de manu alterius accipere: quia non solis Sacerdotibus, sed etiam Diaconis & inferioribus Clericis graviter peccantibus infligi solebat ea pœna, *Sylv. in III. Part.* ut sola communio laica eis permitteretur, quem admodum patet ex can. 15. Apostolorum, ex Siricij Papæ epistola 1. can. 11. ex Felicis 3. epistola 1. cap. 2. & ex Concil. Tolet. 1. can. 4. ex Agath. can. 33.

Ob eandem quoque causam non potest etiam communio laica esse illa, quæ fiebat extra sacrificium, id est, non ad complementum sacrificij per communicantes oblati: quamvis enim nulla pœna infligeretur diaconis, subdiaconis, & alijs clericis: ipsi tamen extra sacrificium communicabant, hoc est, ita communicabant, ut eorum communio non pertineret ad complementum sacrificij per eos tanquam per Sacerdotes oblati.

### CONCLUSIO II.

*Communio laica non erat ea quæ fiebat sub una specie*

NON videtur etiam communio laica fuisse illa, quâ sub unâ dumtaxat specie quispiam communicabat; quasi clericalis fuerit, quæ fiebat sub utrâque specie: quia dum condita fuerunt decreta de communione laica, tam clerici quam laici poterant communicare, ac etiam de facto communicabant sub utraque specie, si volebant: ergo non erat ratio, quare communio sub altera tantum specie vocaretur laica.

Confirmatur: clerici quibus in pœnam sola communio laica permittebatur, poterant communicare sicut laici. At laici poterant communicare sub utraque specie: ergo etiam ipsi clerici, ac per consequens communio laica, quæ sola eis permittebatur, non erat Communio sub unâ tantùm specie, Accedit quod ut ratiocinatur Suar. q. 73. disp. 40. sect. 2. non constat ex ullâ Historiâ aliquo tempore concessam fuisse Communionem sub utrâque specie omnibus clericis non consecrantibus, negatam verò fuisse laicis: ergo non videtur commodè illa distinctio explicari, ratione unius vel duplicis speciei.

### CONCLUSIO III.

*Sed quæ cum laicis.*

COMMUNIO laica rectè intelligi videtur ea, quæ fiebat inter laicos & in loco laicorum; clericalis autem ea quæ fiebat inter clericos & in loco clericorum. Constat enim sacerdotes, levitas alioſque clericos altaris ministros olim communicare solitos ante altare, seu intra locum illum, quem nos vulgò vocamus chorum; laicos verò in ijs ipsis locis, ubi sacrum audiebant, hoc est, extra chorum: Ac proinde qui clerici non permittebantur communicare in choro, sed tantùm extra cum laicis, dicebantur admitti ad solam communionem laicam. In Concil. namque Laodic. can. 19. sic legimus: *Solis ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibi communicare.* In Conc. Tolet. 4. can. 17. sic: *Sacerdotes & levitæ ante altare communicent: in choro* (aliquantulum scilicet remotius ab altari) *clericus: extra chorum, Populus.* Et in Bracar. 31. can. 1. *ingredi sacrarium* (ita vocabatur locus ubi sacra mysteria peragebantur, seu chorus) *ad communicandum non licet laicis, nisi tantum clericis.* Eodemque referri potest, quod can. 4. Concil. 1. Tolet. dicitur de subdiacono trigamo, ut *abstentus biennio, postea inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.*

Huic tamen Communionis laicæ expositioni plurimum adversari putant alij, quod can. 2 Conc. Sardic. de Episcopo ambitioso dicitur, *Nec laicam*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*in fine communionem accipiat:* Et de alijs Felix 3. epist. 1. *Communio laica tantum in morte illu est reddenda:* Communio autem in morte, cum non fiat in Ecclesia, neque cum alijs non potest ex sola locorum distinctione, vel ex solo laicorum consortio appellari laica.

*Resp.* Resp. posse vocari laicam, non ex loco in quo tunc actualiter fiat, sed ex loco in quo fieri deberet, si ad Ecclesiam ire posset morti proximus. Ejusmodi enim decreta rectè intelliguntur per comparationem, non autem simpliciter & absolutè, ita ut sensus Conc. Sardic. sit; Ejusmodi Episcopum etiamsi in fine vitæ posset Ecclesiam adire; ne tunc quidem admittendum, ut vel cum laicis, vel in laicorum loco communicaret. Alterius autem decreti sensus est, quod ipsis Episcopis, Presbyteris, Diaconis; quamvis in die obitus sui possent se in Ecclesia sistere, daretur quidem eis Communio, sed in loco tantum laicorum. Ita ferè Puteanus ad præsentem q. dub. 6.

### Conclusio IV.

Quibusdam non improbabile videtur communionem laicam fuisse illam, quæ sic fiebat more laicorum, ut communicans speciem quidem panis manu suâ posset accipere, sacrum tamen calicem tangere non permitteretur; clericalem verò eam quæ more clericorum fiebat, in quâ sc. poterant non minus sacrum calicem tangere & manu sumere, quam speciem panis. Quod enim laici speciem panis manu suâ, eâque dextrâ superpositâ ministræ acciperent, expressè tradit Cyrill. Jerosol. Cateches. 5 mystag. & vide quæ diximus quæst. 1. in prob. 5. & 6. At sacrum Calicem in manus accipere, non erat laicis concessum.

*Ob. Resp.* Si dicas olim neque Subdiaconis licuisse contingere sacra vasa. Resp potest non licuisse Subdiaconis ingredi Sanctuarium, ibique sacra Vasa Christi corpus continentia manu sua accipere & deferre; licuisse tamen illis ea tum vacua contingere, tum etiam continentia sacrum Christi Corpus & Sanguinem: sed hoc posteriori modo, solùm quando communicabant.

## QUÆRITUR VI.

*Quæ fuerit olim dicta Communio peregrina: & quæ Communio præsanctificatorum.*

*Communio peregrina idē quod laica.* Peregrinæ communionis mentio fit in can, *Contumaces*, d. 50. ex Conc. Agath. can. 1. ac rursum ejusdem Conc. can. 4.

Non videtur autem vocari communio peregrina, quasi esset peregrinorum; nam peregrini fierant Sacerdotes & literis commendatitijs sufficienter muniti veniebant, communicabant sicut Sacerdotes; si laici, sicut laici.

Sed peregrina Communio (etiamsi non desint qui aliter sentiant) eadem fuisse videtur, quæ Communio laica. Dicebatur verò peregrina, eò quòd peregrinum seu alienum esset à statu Sacerdotali, ac etiam ab alijs gradibus clericalis ordinis, per se loquendo, quod ipsi communicare deberent non ut clerici, sed ut laici.

*Communio præsanctificatorum.* Communionis præsanctificatorum mentio habetur in can. 52. inter eos qui sextæ Synodo attexuntur. Est autem communio præsanctificatorū seu antea sanctificatorum, communio Eucharistiæ sub specie panis non eo die, sed uno vel pluribus antea diebus consecrari: qualem Communionem facit Sacerdos die parasceves in Ecclesia Latina, & omnibus sanctæ Quadragesimæ diebus præterquam Sabbathis & Dominicis, & Festo Annuntiationis, in Ecclesia Græcanica, juxta prædictum can 52.

Ex his observare licet, ad probandum quod olim, quando in usu erat Communio sub utraque specie, etiam frequentaretur Communio sub specie unica; non validum sumi argumentum ex communione laica, quandoquidem non constet, imò nec appareat eam fuisse sub una tantùm specie: secus autem de Communione præsanctificatorum nam in ea sumitur unica species, ut patet in die parasceves.

## QUÆSTIO LXXXI.

## *De modo quo Christus usus est hoc Sacramento.*

### Articulus I.

*Christus sumpsit suum corpus.* Art. 1. docet Christum sumpsisse corpus & sanguinem suum: quia quod ab alijs fieri volebat, hoc ipse observare solitus erat.

Confirmatur 1 quia dicens Luc. 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, vel intellexit Pascha novum, quod in Sacramento Corporis sui erat instituturus, juxta expositionem Tertul. l. 4. contra Marcionem, c. 40. Chrysost. hom. 83. in Matth. & B. Thomæ hic ad 3 vel si intellexit vetus; ratio tamen desiderandi ipsum, ac proinde id quod potissimum desiderabat, erat mysterium veteri substituendum.

Secundò, Christus in ultima cœna sacrificium obtulit: ergo de illo participavit.

Tertiò Convivam qui alios invitat, decet simul manducare & bibere.

Quartò, periculum alioquin erat, ne sicut multi fuerant scandalizati ad ejus verba Ioan. 6. ita nunc accideret, ipso non solùm promittente, sed etiam tradente sanguinem adhibendum. *Ipse bibit ex eo*, ait Chrysost. *ne auditis verbis illis dicerent, Quid igitur? sanguinem bibimus, & carnem concedimus? ac ideò perturbarentur.* Similiter sentiunt Ilichius in c. 8. Lev. Bonav. in 4. d. 9. art. 1. qu. 4. Richard. d. 11. a 4. q. 1. Gabriel l. 37. in Can. & communiter alij.

Pro resp. ad 2. dicendum est Majorem esse veram, si intelligatur de potentia naturali; supernaturaliter enim posset idem esse in seipso, etiam si compararetur ad locum secundùm suas proprias dimensiones, Quod autem Christus converteret panem in suum corpus, ut illud jam in manibus teneret, ac in os sumeret; supernaturale fuit: Ac insuper corpus quod tenebat ac sumebat non comparatur ad locum secundùm proprias dimensiones, sed secundùm dimensiones specierum.

Ex ijs quæ hic dicit. *In quocumq; loco ubi sunt illæ species, est ipse Christus:* & opusc. de Sac. altaris c. 13. *Secundùm humanitatem sacramentaliter totus est in pluribus locis:* patere potest quod q. 76. art. 5 non voluerit negare corpus Christi in Sacramento existens,



existens, esse in spatio seu loco specierum. Vide qua ibi diximus.

*Christus Sacramentaliter sumpsit suum corpus. Ob. Resp.* In resp. ad 3. observandum est sumptionem Christi fuisse sacramentalem; quia sumebat corpus & sanguinem suum, non ut cibum communem, sed ut sacrum & sub Sacramento contentum. Nec obest quod apertè totum cognoscebat. Ad plenam enim rationem manducationis sacramentalis nō est necesse ignorari mysteria latentia *Nec oportet*, ait Bonav. *quod veniat signum tanquam velamē, sed sufficit quod veniat tanquam significans.* Et quāvis ea manducatio nec gratiam, nec gratiæ augmentū Christo contulerit, eò quòd ab initio conceptionis plenus, augmenti capax non esset; fuit tamen etiam spiritualis; utpote sanctè ac in spiritus devotione facta; & pro effectu, habuit actualem spiritualis dulcedinis delectationem.

### Articulus II.

*Vtrùm Christus Iuda dederit suum corpus,*

Videtur quod non, Primò, quia Sacramentum hoc non est dandum manifestis peccatoribus, peccatum autem Judæ jam innotuerat, partim quando ipsi interroganti. *Nunquid ego sum* Christus responderat, *Tu dixisti*; partim quando dixerat, Ioan. 13. *Cui intinctum panem porrexero*; & Matth. 26. *Qui intingit mecum manum in paropside hic me tradet.*

Secundò, quamvis peccator occultus non sit palam repellendus à communione; non debet tamen ei Sacramentum dari nisi petat; Judas autem non legitur petijsse.

Tertiò, Christus dixit, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei:* ergo illis tunc bibendum dedit, quibuscum postea bibit, sed non bibit postea cum Juda, ergo neque tunc illi dedit.

Quartò, Non solùm Hilarius ita sentit, sed etiā Dionys. p. 3. c. 3. Eccl. hierar. & Clem Rom. l. 5. Constit. cap. 16. Dionysij verba sunt, *Ipse Author symbolorum justissimè separat eum* (à Communione scilicet mysteriorum) *qui non sicut ipse, nec pari morum consuetudine, sacra* (id id, Agnum Paschalem) *concœnaverat.* Clementis ista, *Cùm verò antitypa mysteria pretiosi Corporis & Sanguinis sui nobis tradidisset, quibus non aderat unà vobiscum Iudas.*

Citari etiam solet Innoc. l. 4. de Missa, c. 13. sed ita propendet in unam partem, ut alteram non rejiciat.

Resp. veriorem & communiorem esse sententiam affirmativam.

*Christus dedit suū corpus Judæ.* Primò, quia Matthæus & Marcus significant Christum, cum duodecim discumbentem, illis cænantibus accepisse panem; benedixisse, fregisse, distribuisse.

Secundò, quia post consecrationem calicis Luc. 22. dixit, *Verumtamen, ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*, ut discamus nihil ab eo prætermissum quod ad emendationem pertineat; ergo Judas nondum exierat: Omnes autem qui aderant communicasse, notat Marc. dicens, *Et biberunt ex eo omnes.*

Tertiò, quia Ioan. 13. significatur Judas adhuc fuisse in mensa, post lotionem pedum.

Quartò, quia decebat Christum exemplo nos instruere, quod non debemus occultos peccatores palam arcere à Sacramentis.

Quintò, præter B Thomam aliosque Scholasticos, ita sentiunt plerique Veterum, Eugenius, vel ut alij volunt, Aug. c. *Si Sacerdos*, de officio Judicis ordin. *Nec Christus Iudā a communione removit.*

Hieron. l. 2. contra Iovinian. c. 14. *Nunquid quia & Iudas de eodem calice bibit, de quo & cæteri Apostoli; unius cum reliquis erit meriti?* Plura Aug. in Ps. 10. quæ referuntur 1. q. 1. c. *Christus*, epist. 163. tract. 26. 50. & 62. in Ioan. Chrysost. hom. 83. in Matt. Cyril. l. 9. in Ioan. c. 19. Leo ser. 3. & 7. de Passione, Author serm. de cœna Domini apud Cypr.

Ad 1. ergo Argumentum Resp. Neg. Assumptum: partim quia sermo de proditione secutus fuit institutionem & distributionem Eucharistiæ, secundùm ea quæ diximus a 5 q. 73. conformiter Augustino, qui tract. 62. in Ioan. docet Judam in buccellā intincta non accepisse Corpus Christi, quod jam antea fuerat distributum: partim, quia istud, *Qui intingit mecum manum*, fuit commune Apostolis, quemadmodum & illud, *Qui manducat mecum*: quasi diceret, Qui ad eam familiaritatem est admissus, ut mecum soleat eadem non tantum mensa, sed & paropside uti Nec dicitur pro signo agnoscendi proditoris: sed ad exaggerationem criminis. Unde Apostoli his auditis adhuc quærebant, *quis esset ex eis qui hoc facturus esset*, Luc. 22. *Quarundā Scripturarum explicatio.*

Illud verò, *Tu dixisti*, etsi aliquando sit affirmantis, ut patet Matt. 26. v. 64. & Marc. 16. v. 62. interdum tamen est, vel interrumpentis, vel suspendentis sermonem: quasi diceretur, Tu videris: Hoc ipse dicis, ego non dico. Nam cum Pilato quærenti, *Tu es Rex Iudæorum*, Christus Luc. 23. respondisset *Tu dicis*, non tamen judicatus est affirmasse, ut ex Ioan. 18. & aliunde potest haberi. Unde Aug. l. 3. de consensu Evangelistarum c. 1. *Etiam hic non est expressum* (ai) *utrum ipse esset; Potest enim adhuc intelligi tanquam dixerit, Tu dixisti, non ego dixi.* Potuit etiam hoc sic à Iuda dici, & à Domino responderi, ut non omnes adverterent. Quò factum est, ut adhuc aspicerent ad invicem Discipuli hæsitantes; & Petrus innueret Ioanni, ut peteret quis esset, Ioan. 13.

Postremò illud, *Cui panem intinctum porrexero*; & post Communionem, & soli Ioanni dictum fuit.

Quod autem Christus peccatum Judæ non manifestaverat, etiam B. Th. affirmat 2. 2. q. 33. art. 7. ad 2. & q. disp. de corrept frat. art. 2. ad 5. *Ipse* (ait) *non publicavit, sed obscuris verbis eum de peccato suo admonuit.*

Ad 2. Judas inter cæteros discumbens, censendus est tacitè petijsse id quod alijs omnibus præbebatur.

Ad 3. Christus ibi loquitur Collegio Apostolorum; atque ideo non fuit necessarium ut singuli postea novum illum potum biberent, sed satis est quod multi: & consequenter, non illis solis tunc dedit, quibuscum postea bibiturus.

Ad 4. verba Dionys. suffragantur sententiæ jam explicatæ: dicens enim quod Christus *separat Iudam*, non intelligit à communione mysteriorū, sed à consortio sui & Apostolorum. Per *sacra* verò non agnum irrationalem, sed divina mysteria intelligit. Patet id ex aliā versione Dionys. quam fecit Anib. Camaldulensis, consentientibus, translationibus Ioannis Scoti Benedictini, Ioannis Saraceni, & Perionij. Sic enim habet, *Author ipse signorum*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*norum eum qui secum non piè, neque concorditer sacra* (Perionius Sacramenta) *in cœna pereceperat, à conturbernalium sorte justissimè separat.*

Clementis verba, dubium an sint incorrupta; si sic, concedendus erit sentire cum Hilario, ex suâ tamen opinione, non ex Apostolorum traditione.

### Articulus III.

*Quòd Christus dedit suũ corpus in cœna.*

ART. 3. docet corpus Christi quod est in ultima cœna datum Apostolis fuisse passibile, quamvis ibi esset modo impassibili.

Erat passibile, quia idem corpus sumebatur ab Apostolis in specie sacramenti, quod ab ijsdem videbatur in propria specie. Corpus autem Christi B in propria specie existens erat passibile, imo passioni jam proximum.

Erat modo impassibili, quia ut aliquod corpus sit modo passibili, debet comparari ad ea quæ circumstant, mediantibus propriis dimensionibus; ut possit esse contractus corporis quod patitur, ad ea quæ agunt: Atqui corpus Christi quod in cœna dabatur Apostolis, quatenus erat sub specie sacramentali, non comparabatur ad ea quæ circumstabant, mediantibus propriis dimensionibus, quarum interventu corpora se tangunt: ergo non erat ibi modo passibili.

### Articulus IV.

*Si triduo mortis fuisset consecratum corpus Christi non fuisset in sacramento vivum.*

ART. 4. probat quod si Sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum vel cõsecratum, corpus Christi nõ fuisset in Sacramento vivum, sed mortuum, quamvis ut ibi existens non pateretur: quia accidentia absoluta, à loco independentia quæ conveniunt Christo in propria specie existenti; etiam conveniunt illi existenti in Sacramento; ejusmodi autem sunt vivere & mori, esse animatum vel inanimatum, gaudere, dolere.

*Quæst.* Dices, corpus Christi in Sacramento asservatum tempore mortis Christi non fuisset vulneratum nec emisisset, sanguinem: ergo nec animam.

*Resp.* Resp. Neg. Conc. si Anteced. intelligatur de D vulnere prout à corpore circumstante infligitur; quia vulnus sic intellectum, ac ipsa etiam sanguinis effusio vel emissio non conveniunt corpori nisi per comparationem ad corpora extrinseca: corpus autem Christi ut in Sacramento existens non dicit comparationem ad corpora extrinseca. Deinde, tam sanguinis emissio quam ejusmodi vulneratio sunt motus quidam secundùm locum, qui non conveniunt Christo & sanguini ejus prout sunt in Sacramento: mori verò, seu animam separari à corpore, est accidens quoddam, neque dependens à loco, neque dicens habitudinem ad corpora exteriora.

Cæterum, si vulnus accipiatur pro ipsa formali E divisione continuarum partium, sic vulnus uno loco infl ctum, comitaretur corpus alibi sacramentaliter existens; &, si sanguis uno loco flueret à corpore, alibi desineret esse in illo, non per effusionem quæ fieret in Sacramento, sed per hoc quod naturalis connexio desineret.

Confirmatur, sanguis est sub specie panis, & anima tum sub specie panis, tum sub specie vini vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur, ut ex Conc. Trid. sess. 13. c. 3. constat. Ecce Concil. pro causa concomitantiæ in Sacramento assignat vim naturalis connexionis & cõcomitantiæ partium inter se. Si ergo partes non connecterentur inter se (ut quando anima erat per mortem separata à corpore, & corpus à sanguine) neque anima, neque sanguis comitaretur corpus.

*Ob.* Si dicas, hæc quidem ita esse, si tunc fuisset facta consecratio, non autem si species prius consecrata fuisset asservata.

*Resp.* Resp. eandem videri esse rationem, præsertim cùm idem, ijsdemque partibus constans sit corpus Christi in specie propria & in Sacramento.

Huic doctrinæ consentit Scot. in 4. d. 10. q. 6. §. *ad rationes:* sed manifestius Bonav. d. 11. in fine Rich. d. 10. q. 5. a. 2. Altisiod. l. 4 t. 5. q. 6. qui unanimiter affirmant quod Corpus Christi ut in Sacramento existens non poterat pati, quia non poterat illic passio ei inferri: & tamen si passio in alio loco fuisset illi illata, ibi passionem sentiret ac moreretur, *Vnde si fuisset reservatum, corpus illud habuisset plagas sub Sacramento, sicut extra,* ait Bon. Similitudinem adfert Altisiod. Sicut anima hominis separatur ab ejus manu per violentiam non illatam manui, sed alteri parti ejusdem totius, v. g. cordi vel capiti: sic per violentiam illatam corpori Christi in cruce, separaretur anima ab eodem corpore Christi quod fuisset in pixide; tamen violentia non inferretur ei in pixide, sed alibi, Conferantur quæ diximus q. 75. ar. 1. in Resp. ad argumenta ex ratione, & q. 76. a. 1. 2. 6.

## QUÆSTIO LXXXII.

*De ministro hujus Sacramenti.*

### Articulus I.

*Vtrùm consecratio hujus Sacramenti sit propriè Sacerdotis?*

VIDETUR quod non PRIMÒ, quia Sanctus Laurentius apud Amb. l. 1. off. c. 41. dicit Sixto, *Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem.*

SECUNDO, Christus dedit potestatem consecrandi per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, illa verò dicta sunt omnibus fidelibus, ut articulo undecimo, qu. 80. diximus.

TERTIÒ, omnes fideles sunt sacerdotes, ergo non soli ordinati possunt consecrare, sed etiam alij. Antecedens probant sectarij ex 1. Petri 2. Apoc. 1. & 2. ubi fideles dicuntur facti regnum, & sacerdotes.

*Solut sacerdos potest consecrare eorpus Christi.* RESPONSIO AD FIDEM pertinens est, quod hoc Sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundùm claves Ecclesiæ, Ita Innocentius 3. c. *Firmiter*, De summâ Trinitate, conformiter Conc. Niceni canoni 14. & Concilij primi Arelat. can. 15. ubi negantur Diaconi habere potestatem offerendi sacrificij.

CONFIRMATUR, Per hæc verba. *Hoc facite in meã commemorationem.* Christus instituit Apostolos sacerdotes, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit, ait Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. & can. 2. Atqui non omnes succedunt Apostolis in sacerdotio, nec omnes habent præceptum consecrandi, sed soli illi qui per Ecclesiam ordinantur sacerdotes: ergo solis convenit consecrare, & consecrando offerre.

Accedit,



Accedit, quod idem Conc. sess. 23. c. 1. docet A ijsdem Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, utique solis; unde c. 4. definit non omnes Christianos promiscuè Sacerdotes esse. Huc facit quod non omnibus sed ijs tantùm qui Sacerdotes ordinantur, dicit Episcopus; *Accipite potestatem offerendi sacrificium* &c. Quodque B. Paulus Timotheum, ac Titum seriò instruat quales Ecclesiæ ministros debeant ordinare: dicens ad Titum primo, *ut constituas per civitates Presbyteros.*

Sed & cùm in veteri lege non omnes essent sacerdotes; quanto magis in nova, ubi sacrificium ineffabiliter augustius est, nec ipsi potestate spirituali à Christo acceptâ potest perfici: requiruntur ministri speciali potestate præditi? Hinc Dionys. c. 5. Eccl. hier. *Ne Sacerdos quidem ipse erit nisi Pontificiis officijs, ac perfectionibus ad id dilectus fuerit.* Et consentiunt Ignatius Epist. ad Trallianos, Tertul. c. 41. de præscript. & cum Sanctis Patribus tota Ecclesia.

AD 1. ergo ARGUMENTUM RESP. quod illic *consecratio sanguinis*, pro sanguine consecrato accipi potest: S. tamen Tho. videtur legisse, *Dominici sanguinis dispensationem*, ex articuli 3. argumento primo, sive contextus attendatur, sive consulantur manuscripti Codices, Cameracensis Tertia pars, & Sancti Gisleni, quattus Sententiarum. C

AD 2. Verba illa omnibus quidem fidelibus fuisse dicta, sed secundùm varia illis convenientia, ostensum fuit ar. 11. & 12. q. 80 ac proinde actiones principales ibi contentæ, consecratio & oblatio præcipiuntur eis qui principales sunt. 1. Apostolis eorumque in Sacerdotio Successoribus: ea autem quæ est communis, ut sumptio, omnibus communiter. Non esse autem dicendum quod illud, *Hoc facite in meam commemorationem*, referatur ad solam manducationem, manifestum est ex Luca: qui licet manducationem non exprimat, refert tamen Christum dixisse, *Hoc facite in meam commemorationem.*

*Quo sensu Christiani omnes possunt dici reges.* AD 3. sicut non omnes fideles sunt propriè reges, nisi generali quâdam ratione, quatenus nimirum seipsos regunt, suis passionibus dominantur, & peccatum vincunt; ita nec sunt propriè Sacerdotes: unde scriptura quæ jungit utrumque, desumpta est ex c. 19. Exod quando Sacerdotium erat in sola tribu Levitica. Dicuntur autem Sacerdotes quia seipsos, laudes, preces, aliaque bona opera Deo offerunt. Sicut enim omne opus bonum sacrificium quoddam est; ita qui illud facit, modo quodam Sacerdos.

### Articulus II.

*Plures Sacerdotes possunt consecrare eandem hostiam.*

ART. 2. ex quarundam Ecclesiarum consue- E tudine, in quibus Sacerdotes recens ordinati, simul cum Episcopo celebrant.

DOCET plures Sacerdotes posse unam, & eandem hostiam consecrare, validè quidem, si simul verba finiant; secundum ea quæ de Baptismo dicta sunt a. 6. q. 67. licitè verò, propter consuetudinem Ecclesiæ.

Quæ introducta fuisse videtur ad repræsentandum quod quando Christus hoc Sacramentum instituit, simul cum Apostolis concœnavit, eisque potestatem consecrandi dedit.

Neque refert quod Apostoli non consecrave- rint cum Christo, sed tantum de consecratis per eum participaverint: non enim decebat eos simul cum eo consecrare; ut sic manifestius constaret, quod ipse solus sit Sacramenti author & institutor. Recte tamen novi Sacerdotes cum Episcopo ordinante concelebrant & consecrant, in signum potestatis quam Christus concœnans suis Discipulis, eis dedit, & quam ipsi novi Sacerdotes eorum in Sacerdotio Successores, jam acceperunt.

*An plures simul unum baptizare possint.* Quod in arg. sumit, ac in Resp. concedit, Plures non possunt simul unum baptizare; verum est si intelligatur de potestate juris seu quæ jure competat, & quæ licitè possit exerceri; non enim licitè possum plures unum eundemque baptizare: Ex B quo tamen non sequitur, quod nec licitè possint plures unam hostiam cõsecrare; quia Ecclesia hoc posterius aliquando concedit, idque ex causa rationabili; ut autem plures unum baptizent nec concedit, nec habet causam concedendi, cùm Christus non legatur baptizasse simul cum Apostolis, sicut legitur concœnasse cum illis.

Ex quibus intelligi potest diversitatem quam adfert, cur à pluribus consecrari possit Eucharistia & non Baptismus; solùm esse rationem congruentiæ, ob quam una consuetudo licitè potuerit introduci, potius quam alia.

Si autem Antec. intelligatur de eo quod fieri potest validè, Neg. est: quoniam juxta ea quæ in fine corp. a. 6. q. 67 dixit B. Th. validus erit Baptismus à pluribus collatus, si omnes materiam & formam adhibeant, eamque simul finiant.

Sunt qui existimant consuetudinem secundùm quam novi Sacerdotes Episcopo ordinanti concelebrant, introductam fuisse partim instructionis, partim Cæremoniæ causa, non verò ut simul consecrarent, & hujus rei argumentum sumunt ex eo quod in veteri Pontificali monebantur Neomystæ, ut dicerent omnia quæ sunt in Missali sicut si celebrarent. Ubi videbatur insinuari quod non verè consecrarent. Unde & Rich. in 4. dist. 13. a. 2. q. 1. refert opinionem dicentium quod novi Sacerdotes non debent habere intentionem consecrandi, sed tantùm materialiter & recitativè verba D proferre, eosque sequuntur quidam alij.

Sed argumentũ istud nõ convincit. Rectè enim Neomystæ dici possunt omnia dicere sicut si celebrarent, licet revera celebrent, cum vocula, *sicut*, non semper neget veritatem, sed aliquando asserat. Quamquã etsi hæc admitterentur ut aliquo modo probabilia quoad usum veterẽ, ex ijs tamẽ quæ B. Th. in 4. d. 13. q. 1. a. 2. ac etiam in præsentiar. scribit omninò apparet quod novi Sacerdotes jam ante ipsius tempora solerent (saltem secundũ morem quarundam Ecclesiarum) habere intentionem simul consecrandi cum Episcopo ordinante: (dicit enim quod *habent intentionem unam consecrationẽ faciendi:*) Et ideò B. Thomæ Innocentium secuti sententia est, verba consecrationis formaliter & significativè dici, non solùm ab Episcopo, sed etiã à novis Sacerdotibus. Quæ sententia probari potest ex Rom. Pontificali, partim ubi monetur Episcopus *ut bene advertat quod secretas morosè dicat, & aliquantulum altè, ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, & præsertim verba consecrationis quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem*, Tali enim monitioni locus non esset, si Ecclesia sentiret verba formæ solum materialiter & recitativè dici per novos sacerdotes: partim ubi in eo dicitur, quod *Presbyte-*

*Novi sacerdotes celebrant cum Episcopo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*ti ante communionem dicunt confessionem, nec datur* A *ea absolutio quia concelebrant Pontifici.* Addit S Doctor ex Innocent. 3. l. 4. de sacrificio Missæ c. 25. quod *omniũ novorum sacerdotum Episcopi ordinant. concelebrantiũ intentio debet ferri ad idē instans cōsecrationis.* Quod non sic intelligimus, quasi debeant habere intentionem consecrandi eodem instanti quo Episcopus consecrat seu quo verba consecrationis absolvit, sive interim ipsi prius finiant verba formæ sive posterius. Cùm enim effectus formæ non suspendatur, quando cadit super legitimam materiam, sed statim adsit in instanti prolationis verborum; consequens est quod qui prius verba absolvit, si consecrare intendat, verè consecret, sive is sit Episcopus sive alius sacerdos B

*Explicantur verba S. Thomæ.*

Sed verborum B. Thomæ atq; adeò Innocentij, sensus hic reddi potest, quod omnes conari debent sua consecrationis verba finire cum Episcopo, ac intendere sic finiendo, simul cum eo consecrare & non aliter. Ac proinde, si qui prius vel posterius finiant, non consecrarent, eò quod non habeant intentionem, sic finiendo consecrandi, sed solum si cum Episcopo finiant.

*Quæ intentio Neomystarum cum Episcopo celebrantiũ.*

His non absimile est quod Tannerus scribit tom. 4. disp. 5. quæst. 9. dub. 3. num. 65. ita consecrationis verba esse proferenda, ut novi sacerdotes Episcopum in prolatione verborum non præveniant: Deinde, ut vel generatim solum habeant intentionem faciendi quod facere debent; vel si C nonnihil distinctius velint intentionem formare, habeant intentionem consecrandi hypotheticam, si videlicet in eodem instanti cum Episcopo possint consecrare (seu consecrationis verba finire) non autem habeant intentionem ullo modo consecrandi ante Episcopum, etiamsi quis fortè ante Episcopum formam finiat.

Porrò, quod non debeant habere intentionem simpliciter & absolutè consecrandi, etiamsi verba formæ finiant ante Episcopum.

Probatur primò, quia qui prius absolveret formam consecraret, atque ita contingeret Episcopum, qui est principaliter celebrans, non consecrare, si nimirum præveniretur ab alio; nam D tunc ipse non inveniret materiam aptam consecrationi.

Secundò, etsi advertatur aliquis formam finisse ante Episcopum, hostia non exhibetur tunc adoranda, nec datur Episcopo alius panis per eum consecrandus: quod omnino faciendum esset, si putaretur consecratio facta fuisse per ptiorem formæ prolationem.

Tertiò, sumptio utriusque speciei fit per solos celebrantes, & sacramenta conficientes: Episcopus autem sumit utramque speciem, & non ille qui adverteretur prius formam pronuntiasse: ergo secundùm intentionem Ecclesiæ, Episcopus est qui conficit, non alter. E

*Quæst.*

At quæres, Quandoquidem novi sacerdotes revera consecrant, si verba formæ simul cum Episcopo finiant; quî fit quod non sub utraque specie communicent; cum celebrantes ad sumptionem utriusque speciei teneantur, & quidem (ut ex di-

*Ob. contra responsionem veram.*

&is q. 80. a. 12. & q. 83. a. 1. quæsito 2. Concl. 3. & in resp. ad 7. apparet) jure divino. Nec sufficere videtur responsio dicentium quod novi illi sacerdotes solum sunt secundarij celebrantes; per se enim & tam independenter ab Episcopo consecrant quam Episcopus ab ipsis, quandoquidem si intenderent consecrare dependenter ab Episcopo, juxta B. Thomæ & aliorum communem doctrinam, non consecrarent; sicut nec plures eundem baptizantes, si dependenter ab invicem, seu unus principaliter, alter minus principaliter baptizate intenderet qnia juxta Christi institutionem unusquisque minister Sacramentorum est sub Christo totalis ac integer minister absque dependentia unius ab alio. Resp. cum Petro de Ledesma *Resp.* c. 9. de Eucharistia, rationem esse; quia præceptum ut Sacerdotes celebrantes, utramque speciem sumant; intelligitur de illis qui tanquam principales celebrant & consecrant. Ad hoc namque necessaria est utriusque speciei sumptio, ut sacrificium sit perfectum & integrum; convenientissimum autem est atque etiam sufficit, ut integretur & perficiatur per celebrantem principalem; quia sive solus celebret, sive alij cum eo, non est nisi unum sacrificium, cujus ipse (aliorum respectu) est præcipuus offerens.

Ad ea quæ objiciebantur Resp. nequaquam *Ad objecta.* reprehendendos esse illos, qui in ordinatione presbyterorum dicunt Episcopum esse principalem celebrantem. Ita enim loquitur Innoc. 3. dicto c. 25. & cap. *Quod sicut*, tit. de electione & *Resp.* electi potestate: similiterque Richardus, Capreolus, Paludan. in 4. d. 3. Tabiena verbo *Eucharistia* 2. Gabriel lect. 6. in canon. Valentia t. 4. disp. 6. q. 10. puncto 2. fi. Suarez disp. 61. sect. 4. Vasq. disp. 218. Henriquez lib. 1. c. 19. num. 4. & l. 8. c. 18. Ledesma dicto cap. 9. Præpositus & Mercerus hîc. *Episcopus est principalis celebrans respectu Neomystarum.*

Ex his intelligi potest sufficientem esse responsionem dicentium quod novi sacerdotes solum sint secundarij celebrantes, ideoque non teneantur sumere utramque speciem quandoquidem sufficit utramque sumi per eum qui est principalis celebrans.

Ad prob. Resp. Neomystas per se & independenter ab Episcopo consecrare, in quantum non consecrant ut causæ partiales, quasi vel unam partem unius formæ pronuntiet Episcopus, & ipsi aliam; vel ipsi unam partem panis consecrent, aliã Episcopus: Aut quasi ipsi dependeant ab intentione Episcopi volentis vel nolentis consecrare: ita ut consecrare velint, si Episcopus consecrare intendat: non velint, si non intendat: & si hoc modo dependenter ab Episcopo consecrare tentarent, verum est quod non consecrarent sicut nec in simili baptizarent: nisi quod si Episcopus partem formulæ panis determinaret à se consecrandam, & reliquam partem Neomystæ, quam ipsi intenderent consecrare: tunc consecrata maneret tota formula, etsi non sine gravi peccato.

Si autem solum intelligatur dependere ab Episcopo, in quantum intentio ipsorum est verba consecrationis cum Episcopo proferre, & cum illo ea finire, atque ita cum ipso consecrare & non aliter: hoc est non consecrare nisi sic simul finiant, quadam ratione consecrant dependenter ab Episcopo; & non Episcopus dependenter ab ipsis; ac nihilominus validè consecrant: sicut duo validè unum baptizarent, si ambo simul abluerent ac verba formæ simul finirent; quia tunc singuli sunt causæ totales & integræ.

His consentiens Illiucius tra. 4. c. 9. postquam dixit quod si plures partialiter concurrant ad eandem materiam consecrandam, nihil efficient; tria huc pertinentia subdit.

Primum si plures totaliter concurrant & integrè



tegrè, eodemque tempore absolvant formam, omnes conficiunt; quia non est major ratio de uno, quàm de alio; nec est causa quare nullus conficiat cùm omnes adhibeant omnia necessaria. A

Secundum, Si plures concurrunt, & unusquisque eorum habet intentionem conditionatam concurrendi scilicet partialiter si alius etiam concurrit, nihil fiet; quia id est contra Christi institutionem, qui voluit cujusque sacerdotis verba esse causam integram.

Tertium, Si quisque eorum habeat intentionem concurrendi integrè, si alij absolverint & non alius; tunc si non simul absolvant, solus ultimus conficiet, quia solus ille invenit conditionem impletam. Quibus ex Capreolo, Ledesma, Henriquez, & alijs compluribus addi potest id quod supra di- B ximus, si habeant intentionem consecrandi, sed non nisi, si simul cum Episcopo finiant, eos consecrare qui simul finiunt, & non reliquos.

*Ob.* Si contra dicas non posse unius effectus esse plures causas totales & integras, ergo unius Sacramenti non possunt esse plures ministri Resp. neg. *Resp.* cons. partim quia Anteced. non est verum de causis instrumentarijs; partim quia de causis primarijs non est etiam verum, nisi eo sensu, quem q. 3. ar. 6. explicavimus.

## Articulus III.

*Sacramentum Eucharist. dispensare est sacerdotij.*

Art. 3. probat hujus Sacramenti dispensationem pertinere ad solum sacerdotem, & quidem jure divino; si de potestate ordinaria intelligatur; hæc enim necessariò est annexa potestati consecrandi, ut quantum est ex vi potestatis ordinis, is possit dispensare hoc Sacramentum, qui potest consecrare: Et qui non potest consecrare, nec ordinariam habeat potestatem dispensandi. Hinc Apostoli, eorumque successores, vocantur 1. ad Cor. 4. *ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Et Syn. Tridentina sess. 13. c. 8. docet, *semper in ecclesiâ morem fuisse ex Apostolicâ traditione descendentem, ut laici à sacerdotibus communionem acciperent* quibus nimirum Christus tradidit potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi, ut sess. 23. c. 1. dicitur. D

*Ob de diacono. Resp.*

Nec obstat diaconos olim dispensasse speciem vini, & quidem ut asserit B. Thom. in 4. d. 1. ar. 3. quæstiuncula 2. ex officio: Nam ut testatur Sanctus Clemens lib. 8. constitutionum c. 34. *Diaconus non offert. sed offerente Episcopo, vel presbytero ipse dat populo; nō veluti sacerdos, sed veluti ministrans sacerdoti*, id est, non tanquam is qui ex vi suæ ordinationis & quasi jure ordinario hoc possit, sed ut *minister* sacerdotis, quando sacerdos illi demandat. Ejus enim officium est ei in mysterijs assistere, & ministrare presbytero. Unde sanctus Laurentius agnoscebat sanguinis Domini dispensationem ex commissione se habere.

In Responsione ad primum adfertur ratio, cur E Diacono potius committeretur olim dispensatio sanguinis, quam corporis; simul tamen innuitur quod ut ordini sacerdotali propinquus, & de ejus officio aliquid participans, possit etiam subinde dispensare speciem panis; ut in necessitate, jubente Episcopo, vel presbytero, juxta canonem 38. Concilij 4. Carthaginensis, *Diaconus præsente presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat jussu eroget.* Alter casus est, si alioquin infirmus esset sine viatico discessurus, sacerdote nolente, vel non valente ministrare: Talis enim præsentia Sacerdotis instar absentiæ censenda est; si notoriè constet eum abuti suâ potestate. Absente autem Sacerdote Diaconum posse Eucharistiam ministrare, constat ex canone 14. Conc. Niceni, & ex epist. 1. Gelasij c. 10. A

An verò alicui ordinum inferiorum committi possit hujus Sacramenti distributio, non convenit.

Quia tamen nunquam legitur factum; non facilè est affirmandum, quod vel subdiacono possit committi. Vide q. 67. art. 1.

Neque refert, quod Sacramentum fuerit Serapioni transmissum per puerum apud Eusebium l. 6. c. 36. Id enim licere tunc poterat, quando usus adhuc vigebat dandi sacram Eucharistiam viris in manus, & mulieribus in linteis mundis, vel in Ecclesia sumendam, vel etiam domum asportandam, & pro commoditate ibi sumendam, de quo diximus q. 80. art 12. quæsito 1. & videri potest Cyprianus l. de lapsis, ibidemque Pamelius in scholijs. Qui usus sic in Conc. Cæsar-Augustano fuit prohibitus, ut anathemate feriretur, si quis probaretur sacram Eucharistiam non consumpsisse in Ecclesia.

Postquam autem totus ille usus exolevit; constetque sufficienter Sacramenti istius dispensationem soli Sacerdoti ex officio, vel diacono ex commissione competere; nnn licet alijs eam committere, ne quidem prætextu necessitatis, tum quod ejus receptio non sit ad salutem necessaria, tum quod Conc. 4. Carth. can. 48. expressè meminerit necessitatis, nec alteri tamen quam Diacono committi velit dispensationem corporis Christi: tum denique, quod pridem jure humano severè vetitum est, ne sacra Eucharistia laicis tradatur deferenda infirmis. c. *Pervenit.* de conf. d. 2. ex Con. Rhemens. Et quamvis in eodem c. præcipiatur ut ipse Presbyter Sacramentum deferat ad ægrotos; non excluditur tamen, quin hoc Diacono committi possit in necessitate: quia id alia jura clarè concedunt. Neque dicendum est quod jus humanum possit per Epijkiam accipere interpretationem, ut eo non obstante liceat in necessitate laico dispensare hoc Sacramentum: non enim hic locus est Epijkiæ, cum nihil nóxium vel perniciosum sequatur si jus humanum observetur sicut sonat, quandoquidem Sacramentum non sit necessarium, & ab ejus receptione excusentur qui non possunt illud suscipere. Consentit his Vasq. ad q. 80. disp. 219. c. 1.

Ex his nemo colligere debet omnibus Sacerdotibus liberum esse hoc Sacramentum cuilibet administrare: seclusis enim privilegiatis, hoc munus proprium est Parochorum, & eorum quibus de illorum consensu permittitur. Distributio siquidem Eucharistiæ ad refectionem spiritualem pertinet: Pastorum autem est pascere suos subditos.

Requiritur ergo hic jurisdictio, non quidem *Communio non nisi ex consensu Parochi potest fieri extra Parochiam.* quæ ad substantiam actus necessaria sit, sicut in Confessione, sed ad debitum modum, & ordinem. Ac proinde unusquisque debet communionem accipere in suâ Parochiâ vel si communicat alibi debet adesse consensus saltem tacitus aut præsumptus Parochi seu ejus qui Parocho est superior, idque non solum in Paschate sed etiam alio tempore.

Cæterum an peste laborantem communicare debeat parochus, Vide Sup. q. 31. art. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Cõsecrans debet sumere utramque speciem.*

### Articulus IV.

ART. 4. probat sacerdotem consecrantem teneri sumere hoc Sacramentum integrè, id est, sub utraque specie, quam consecrat: quia offert sacrificium, ideoque debet facere id quod ad sacrificij perfectionem pertinet. Confer q.80.ar. 12. & quæ dicentur in tract. de sacrificio, Observandum per illud, *integrè*, B.Thomam non velle quod sacerdos debeat sumere totum quod consecrat, sed quod utramque speciem: Hoc enim vocat integrè sumi, quia tunc sumitur integra essentia sacrificij. Unde huic doctrinæ non adversatur quod Vasquez, Sa, & antea Paludan. in 4.d. 12. q. 1.ar.5. docent, sacerdotem si necesse sit, posse communicaturo dare partem suæ hostiæ.

Graviter autem peccaret sacerdos, qui hostiam seu formulam unicam in sua Missa consecratam servaret pro processione, & ejus loco sumeret veterem; quia sic agens non participaret de utraque specie tunc consecrata, ac per consequens non integrè compleret hoc sacrificium. Vide Layman l.5. tra.4. c.5.nu.11. & quæ diximus q.76.ar 1. qu. 2.

Pro resp.ad 2. Neg. est Cons. primò quidem, quia cætera Sacramenta perficiuntur in ipso usu materiæ, non autem Eucharistia. Secundò, quia nullum aliud Sacramentum est sacrificium, sicuti hoc.

Circa eandem resp. advertè nullum posse baptizare seipsum; quia in isto Sacramento non potest esse idem agens, & patiens, actione scilicet externa & proportionaliter ad actionem naturalem, cui respondet baptismus; repugnat enim naturæ quod aliquis seipsum generet, baptismus autem est regeneratio.

Non repugnat autem, sed maximè conforme est naturæ, ut quis cibum, & potum sibi præbeat; & ideo Christus instituit, ut nemo se baptizet, seipsum tamen sacerdos communicet. Et quamvis usitatum sit ut sacerdoti non celebranti Eucharistia detur ab alio; si tamen communicare vult justum habens impedimentum celebrandi, poterit seipsum, alio absente, communicare, secluso scandalo.

De cæteris Sacramentis, quæ etiam ut Baptismus in usu consistunt, & requirunt alium esse suscipientem, alium agentem; ex locis proprijs haberi potest quod nemo possit illa sibi conferre: ut nemo seipsum confirmare, absolvere, ordinare, ungere; imo nec matrimonium quatenus Sacramentum est, conferre.

### Articulus V.

*Malus sacerdos valide potest cõsecrare.*

ART. 5. probat malum sacerdotem posse Eucharistiam validè consecrare; quia non ex hoc ipso quod aliquis sit malus, definit esse minister Christi: ut latius probatum fuit q. 64.a.5.

De Resp. ad 2. diximus ejusdem quæstionis ar. 9.

In Responsione ad 3. notandum est literalem scripturæ Malac.2. ibi citatæ, sensum esse: Maledicam proventibus vestris temporalibus, præcedit enim. *Mittam in vos egestatem*; nec infrequens est in scripturis bona temporalia vocari *Benedictiones*, 1.Reg.25.v.27.& c.30.v.22.2.ad Cor.9.

### Articulus VI.

ART. 6. docet missam sacerdotis mali non minus valere, quàm sacerdotis boni, si consideretur vel ipsum Sacramentum, quod in utraq; est idem; vel orationes quatenus ea proferuntur in personâ totius Ecclesiæ, cujus ipse est minister, nec ministerium amittit, per hoc quod est malus. Cum ergo dicit orationem mali sacerdotis, quatenus ministri Ecclesiæ, esse fructuosam; minus dicit & plus intelligit, scilicet esse æqualis fructus: eò quod efficacia pendeat non à sacerdote, sed ex merito Ecclesiæ.

Si verò orationes quæ dicuntur in missa considerentur ut à persona privata procedentes; earum fructus pendet ex devotione sacerdotis, & eatenus missa boni fructuosior est, quam mali. Et quia res considerari debent secundùm omnes suas circumstantias; hinc absolutè dicendum est plus valere missam sacerdotis boni, quàm mali; ut exprimit Author in 4.d.13. q.1.ar. 1.q.5. *Missa boni sacerdotis est melior.*

Nec obstat quod sicut Sacramenti, ita nec sacrificij effectus pendeat ex qualitate ministri. Quamvis enim id verum sit de effectu qui datur ex opere operato; *aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum, per devotionem ministri*, ait B Th.q.64.a.1.ad 2. Et multò magis assistentibus sacrificio, vel ijs pro quibus offertur: quia sacrificium multas partes, multasque preces complectitur, quæ majori devotionis affectu fieri possunt ab uno, quàm ab alio, *Sacerdotes*, ait Alexander, 1. q. 1.c. *Ipsi, pro populo interpellant, & peccata populi comedunt quia sua precibus & oblationibus ea delent atque consumunt. Qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.* *Ob.* *Resp.*

### Articulus VII.

*Hæretici possunt valide consecrare.*

ART. 7. docet hæreticos, schismaticos & excommunicatos posse validè consecrare, quia consecratio est actus potestatis Ordinis, quam non amittunt, etiamsi ab Ecclesiæ unitate separentur.

In Responsione ad 2. observandum est quod Innocentius cap. *Arianos*, significet hæreticos ad Ecclesiam redeuntes recipi ut potiantur solis privilegijs baptizatorum, quoad scilicet communionem & Sacramentorum receptionem: non autem ut gaudeant honore, & dignitate sacerdotali. Quam tamen aliquibus etiam restituit Ecclesia, quando id expedire judicaverit, ut patet ex Nicenâ Synodo can. 8.

Quod B.Th. in ea resp. dicit, *solus Baptismus permittitur esse ratus hæreticis, & schismaticis: quia possunt licitè baptizare in articulo necessitatis. In nullo autem casu possunt licitè Eucharistiam consecrare*, vel *alia Sacramenta conferre:* difficultatem habere potest: nam in Sup.q.8.a.6. docet pœnitentem in articulo mortis posse à quolibet sacerdote absolvi.

Dicendum ergo videtur quod hæretici & schismatici possint in articulo necessitatis licitè baptizare, etiamsi tales maneant, & impœnitentes: nullum autem aliud Sacramentum possunt licitè conferre, nisi saltem in corde pœniteant: quia in aliorũ Sacramentorũ administratione, necessariũ est quod se exhibeant ut ministros Christi ad hoc specialiter deputatos, & consecratos: & ideo debent se illi conformare per veram cordis conversionem: ut ostensum est articulo 6 q. 64. in administratione verò Baptis-



Baptismi tempore necessitatis, possunt agere non ut personæ ad hoc deputatæ, sed ut subservientes necessitati.

In Responsione ad 3. docet ejusmodi peccatores (qui scil. non tolerantur ab Ecclesia) manere modo quodam conjunctos Christo, ratione scil. characteris Ordinis, & subordinationis instrumenti ad principale agens; non esse tamen conjunctos Ecclesiæ, cum sint ab ejus unitate præcisi: Et ideò, quòd in personâ Christi agunt, ejus vicem gerentes, esse validum: orationes verò quas fundunt etiam in Missâ, esse infructuosas; quia non orant in persona Ecclesiæ, quandoquidem non sint ab ea deputati, sed à ministerio per censuram separati.

Nec obstat, quod per characterem videantur uniti Ecclesiæ, ad quam pertinent tanquam matrem cui debeant obedire; character enim non unit eos membris Ecclesiæ, sed quadantenus Christo: tametsi obligationem importet redeundi ad Ecclesiam.

### Articulus VIII.

*Degradati. possunt validè consecrare.*

ART. 8. probat hoc Sacramentum validè confici posse per Sacerdotem degradatum, quia degradato non tollit ordinem, sed ejus dumtaxat executionem & honorem. Confer quæ hac de re, & de resp. ad primum diximus art. 9. prædictæ q. 64.

*Quid degradatio. Quid depositio. Quid suspensio.*

Differt nihilominus degradatio à depositione, & suspensione. Nam *Degradatio* est ablatio gradus id est, honoris dignitatis, & loci congruentis ordini. *Depositio* autem est ablatio executionis ministerij, absque ullâ spe restitutionis in illud. *Suspensio* verò est inhibitio executionis cum spe restitutionis.

Differentia quam in Resp.ad 3. assignat, intelligenda est regulariter, & secundùm propriam cujusque institutionem.

### Articulus IX.

*Non licet communionem recipere ab excõ. non tolerato.*

ART. 9. docet ab excommunicatis, hæreticis, aut peccatoribus non licere communionem accipere, vel missam audire: cum hoc tamen discrimine, quod à peccatoribus qui non sunt privati executione potestatis; liceat Sacramenta recipere vel eorum missam audire: Ab alijs autem non liceat, postquam Ecclesia non amplius eos tolerat. Nam quod ab omnibus regulariter liceat recipere, quamdiu Ecclesia ipsos tolerat: a.6.q. 64. probavimus. Et hinc facit Extravagans, *Ad evitanda*, prout ex S. Antonino illam refert Cajet. in summula; verbo *Excommunicatio*, c.86.

### Articulus X.

*Sacerdotes omnes debent aliquando consecrare*

ART. 10. probat Sacerdotes, etiamsi non habeant curam animarum, teneri ad consecrationem Eucharistiæ. Quod esse intelligendum, sub periculo peccati mortalis, argumento est quod sit res magna, & loquatur sicut ar. 11. q.80. locutus fuerat de communione.

CONFIRMATUR PRIMÒ, nam præceptum illud, *Hoc facite in meam commemorationem*, neque ad solam communionem, neque ad solos communicaturos pertinet. Sed etiam ad sacerdotes, respectu consecrationis. *Christus*, enim *eis ut consecrarent præcepit per hæc verba. Hoc facite &c. uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit*; ait Syn. Tridentina sess. 22. cap. 1. conformiter capiti 14. sess. 23.

SECUNDÒ, quamvis usus potestatis non sit ordini essentialis; ordo tamen ad usum est essentialis; unde solet dici quod Pœnitentia sit propter actum. Inordinatum ergo videtur quod quis suscipiat potestatẽ consecrandi, nec unquam illâ utatur.

TERTIÒ, Sacerdos ex vi sui muneris deputatur ut intercedat pro populo, dona ac sacrificia offerat pro peccatis: quemadmodum de Pontifice dicit Apostolus ad Hebr.5. non licet ergo ei semper abstinere à consecratione.

QUARTÒ, jure naturæ tenetur unusquisque sacrificium offerre. ut B.Th. probat ar.1. q.85. in 2.2. ergo sicut laici debent offerre per alios, ita Sacerdotes per seipsos.

QUINTÒ, quod ad Sacramenta ministranda solum tenentur qui animarum curam susceperunt, est ex eo quod Sacramenta ordinentur ad usum fidelium: sacrificium verò directè ordinatur in cultum Dei, ut ei offeratur: ergo illi tenentur ad sacrificandum, qui ordinem sacerdotalem susceperunt.

Quando autem, & quoties teneantur (illi nimirum qui non habent justum impedimentum) non potest facilè definiri. Author dicit eos teneri in præcipuis festis, præsertim quando fideles, communicare solent. In c. *Dolentes*, de celebr. miss. reprehenduntur qui vix celebrant quater in anno.

## QUÆSTIO LXXXIII.

*De ritu hujus Sacramenti.*

### Articulus I.

ART. 1. docet Christum immolari in hoc Sacramento, id est, in hujus Sacramenti celebratione; ita nimirum ut celebratio sit vera Christi immolatio; partim quia est repræsentativa Passionis Christi; partim quia per eam fructus Dominic. Passionis applicatur efficaciter, etiam extra receptionem Sacramenti: illis nimirum, pro quibus celebratur.

Ad horum plenioremintelligentiam, de Eucharistia quatenus sacrificium est, agendum hîc erit.

### QUÆRITUR ERGO I.

*Vtrùm Eucharistia sit veri nominis sacrificium.*

VIDETUR quod non; PRIMÒ, quia est Sacramentum, & testamentum, quorum rationes videntur pugnare cum sacrificio; hoc enim offertur Deo; Sacramentum autem nobis datur à Deo; testamentum verò est promissio hæreditatis à Deo habendæ.

SECUNDÒ, Christus neque ex verbis, neque ex factis colligitur sacrificasse in ultimâ cœnâ, imò si sacrificasset, per illud sacrificium quod fuisset valoris infiniti, consummasset nostram redemptionem, atque ita non fuisset opus sacrificio crucis.

TERTIÒ, Christus est Sacerdos in æternum, ergo nulli sacerdotes ei succedunt: & per consequens nullum est peculiare sacrificium.

QUAR-

Universidad de Deusto
Biblioteca



QUARTÒ, in veteri lege plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; Christus autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium Hebr. 7. Si nullus præter Christum est sacerdos; ergo nullus præter eum sacrificat.

QUINTÒ, quod Ps. 109. dicitur, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, non videtur referendum ad ritum oblationis sub speciebus panis & vini, sed ad solam personæ conditionem & dignitatem: partim quia Apostolus in epistola ad Hebr. conferens Christum cum Melchisedech, nihil dicit de ritu oblationis, sed solum de personâ; partim quia ex Gen. 14. Melchisedech non videtur obtulisse Deo sacrificium in pane & vino; sed protulisse ista Abrahæ in epulum.

SEXTÒ, Sacrificium crucis habet vim infinitam & semper manentem: ergo non est agnoscendum aliquod aliud quod offerarut in missâ.

SEPTIMÒ, Christus unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos: Hebr. 10. superflua ergo esset alia oblatio.

OCTAVÒ, Hostia quæ offertur; debet occidi; Christus autem in Eucharistia non occiditur. Nec responderi potest esse sacrificium incruentum. Rationi enim sacrificij, præsertim ejus quod continet novum testamentum, repugnat esse incruentum: Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, Hebr. 9.

NONÒ Veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate, Joan. 4. ubi *adorare* idem est quod sacrificare, quæstio enim erat inter Judæos & Samaritanos quo in loco deberet offerri sacrificium, & ita sumitur, adorare Gen. 22. *postquam adoraverimus* Et Act. 8. *Venerat adorare in Jerusalem.* Si ergo veri adoratores, tempore novæ legis, debent sacrificare in spiritu & veritate; consequens est non esse aliquod sacrificium visibile externum, sed solum spirituale: præsertim cum sit lex veritatis, cui non conveniat sacrificium quod sit figura & typus sacrificij invisibilis.

DENIQUE, nulla hic reperitur mutatio realis, quæ tamen ad rationem sacrificij propriè dicti requiritur. Unde apparet esse nudam repræsentationem sacrificij crucis, juxta illud 1. Corinth. 11. *Quotiescumque manducabitis* &c. *mortem Domini annunciabitis.*

PRIUSQUAM respondeatur, sciendum est, sacrificium (ex eo dictum quod homo faciat aliquid sacrum 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3) vel generatim & impropriè sumi: vel strictè, & propriè: Illo modo, omne opus quod agitur ut sancta societate inhæreamus Deo, sacrificium vocatur, apud Aug. lib. 10. de civit. c. 6. juxta illud, *Sacrificium laudis honorificabit me*, Ps. 49. &, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Ps. 50. isto modo. *sacrificium* describitur esse oblatio rei sensibilis, quæ Deo per legitimum ministrum consecratur & offertur, cum aliqua ipsius mutatione.

*Definitio.*

Quibus præmissis,

### CONCLUSIO I.

*Est in nova lege sacrificium.*

AD fidem pertinens est, esse in nova lege aliquod sacrificium externum, propriè dictum Probatur PRIMÒ, ex scripturis veteris testamenti, quibus novæ legis sacrificium prædicitur Malac. 1. *Non est mihi voluntas in vobis; & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quo loco utitur Synod. Trid. sess. 22. cap. 1. tanquam quo prædicatur rejectio sacrificiorum Judaicorum, & futura Ecclesiæ novi testamenti per omnes diffundendæ oblatio & sacrificium. Utitur enim propheta verbis præsentis temporis pro futuro, propter rei & eventus certitudinem. Eundem locum ad hoc propositum adferunt, Aug. l. 18. de civ. c. 35. & oratione contra Judæos cap. 9. lib. 1. contra adversarium legis, c. 20. Hier. & Theodor. in Malach. Iren. lib. 4. contra hæreses c. 32. & alij Patres.

Eandem oblationem non obscurè significavit Apostolus 1. ad Cor. 10. cùm dicit, non posse eos qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt mensæ Domini participes fieri, per *mensam*, altare utrobique intelligens. Ubi autem est altare, & sacrificium propriè dictum esse oportet: unde apud Græcos, & apud Hebræos altare nomen habet à sacrificio.

Isai. ult. & Hier. 33. ex filijs novi testamenti dicitur Deus *assumpturus sacerdotes & levitas.* 1. diaconos, qui ministrent sacerdotibus, neque enim ea loca possunt intelligi de interno sacrificio, cùm hoc sit commune omnibus fidelibus. Vide Hier. in c. ult. Isaiæ.

Dan. 11. & 12. prædicitur auferendum ad tempus, juge sacrificium. Hoc autem non aliud potest intelligi, quàm quod in Ecclesia frequentatur, quodque licet institutione & observatione perpetuum sit, Antichristi tamen tyrannide ad tempus est auferendum, ne palam & publicè possit offerri. Nam sacrificia legalia non ad tempus cessant, sed in perpetuum sunt abolita. Eodem pertinent quæ de sacerdotio secundùm ordinem Melchisedech mox dicentur.

SECUNDA PROBATIO est ex ijs quæ probant in Ecclesiâ ordinem sacerdotalem: neque enim sacerdotium consistit absque sacrificio.

TERTIA, Quia à primis Ecclesiæ temporibus fuerunt altaria, sacerdotes, & Episcopi. Altaria verò sacrificijs offerendis serviunt: *& omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum: ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*, ad Hebr. 5.

QUARTA, ex liturgijs antiquissimis, Jacobi, Marci, Basilij, Chrysostomi: quæ licet quoad precationes & cæremonias diversæ sint; omnes tamen in eo quod substantiale est, conveniunt: idemque sacrificium præscribunt.

QUINTA ex ratione. Hominum natura, utpote constantium animâ & corpore, exigit sacrificium visibile & externum. Unde nulla fuit unquam natio tam barbara, Deum aliquem agnoscens, quæ non simul crederet offerendum ei esse aliquod externum sacrificium; *oblatio enim sacrificij ad legem naturæ pertinet*; ait B. Th. 2. 2. q. 85. ar. 1.

Si dicas hunc esse instinctum naturæ corruptæ, eò quod alioquin similiter concluditur, etiam idololatriam esse recipiendam, ut quæ ab omnibus ferè gentibus olim fuit recepta. Resp. negando tam assumpt. quam sequelam. Idololatria enim solum est recepta ab infidelibus, malisque hominibus: usus autem sacrificij ab omnibus. *Neque hoc culpatur in ritibus paganorum, quod faciant sacrificia: sed quod hæc idolis exhibeant*, ait Aug. ep. 49. q. 3.

CON-



### CONCLUSIO II.

*In Euchar. offertur verum sacrificium.*

AD fidem similiter pertinens est, in Eucharistia offerri verum ac proprium novæ legis sacrificium.

PROBATUR PRIMÒ, Christus Dominus instituens Eucharistiam obtulit sacrificium: ergo ipsa, ipsiusve celebratio est verum sacrificium. Antec. probari potest; quia Christus tunc temporis, in ultima scilicet cœna, dedit suum corpus & effudit suum sanguinem pro Apostolis, quod magnum est immolationis sacrificij argumentum.

Deo suo enim corpore dixit Luc. 22. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, 1. ad Cor. 11. *quod pro vobis frangitur.*

De sanguine verò; *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur*, ut habent Græci codices. Et quamvis Christus respexerit ad traditionem qua mox seipsum traditurus erat in mortem suumque sanguinem abundantissimè futurus in passione, ut propterea etiam in futuro accepta vera sint, *qui pro multis effundetur*, certum est tam è ipsum etiam respexisse ad præsentem sui corporis dationem, & sanguinis effusionem, quia nimirum Patri offerebat suum corpus sub symbolo panis, & effundebat sanguinem sub specie vini: Hæc enim verba, *quod pro vobis frangitur*, ad eam fractionem quæ tunc fiebat, quando frangebatur species sub quibus continebatur corpus Christi, referenda sunt. Sicut eam ea quæ apud Luc. referuntur. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, seu ut Græc. est, *funditur*, manifestè referri debent ad effusionem in cœna factam: Nam ista, *Qui pro vobis funditur*, ad calicem pertinent, cum Græcè sit, *Hoc poculum* &c. *quod pro vobis funditur.* Verum quidem est quod continens ponitur pro contento; quia tamen effusio illic tribuitur calici, & non sanguini, nisi quatenus calice continetur: necesse est intelligere effusionem quæ tunc fiebat, quando sanguis calice contentus effundebatur, quod erat in cœna.

Confirmatur, Christus instituit Eucharistiam declarans se esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec, ac corpus & sanguinem suum offerēs sub speciebus panis & vini; ut habet Syn. Trid. sess. 22. c. 1. ergo tunc obtulit sacrificium corporis & sanguinis sui. Præcepit autē Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut sub earundem rerum symbolis, idem offerant ergo & ipsi sacrificium offerunt, quando istud mysteriū celebrant.

Accedit quod Christus verè ac propriè fecit se sacrum; admirabili ritu se tegendo sub externis symbolis: Cū ergo & esset sacerdos, & in eo munere fungeretur sacerdotio, seque Patri æterno offerret, consequens est quod nihil deerat ad rationem veri & externi sacrificij requisitum.

SECUNDÒ, Christus abrogavit omnia vetera sacrificia; non potest autem dici quod legem novam tulerit, totiusque decursum legis novæ reliquerit, nullum ei sacrificium instituens; cum hominum natura exigat aliquod sacrificium prout ante dicebamus, & prout etiam asserit Conc. Trid. sess. 22. c. 1. Christus autem venerit non solvere legem, sed implere: Atqui nullū aliud assignari potest sacrificium novæ legis, præter sacrificium Eucharistiæ quod & per Malachiā c. 1. prædictum & per agnū paschalem, cæteraque sacrificiorum, naturæ & legis tempore, similitudines fuit figuratum: ergo ipsa verum est ac unicum novæ legis sacrificium.

TERTIÒ, In nova lege est ordo sacerdotalis prę- dictus Isaiæ ult. & Hiere. 33. de quo etiam loquitur Apostolus in suis epistolis ad Timotheum: In hujus autem ordinis collatione datur potestas offerendi sacrificium Eucharistiæ, ut constat tum ex Pontificalibus non tantum novis, sed etiam veteribus, hæreticorumque nostrorum exortu longè antiquioribus, tum ex perpetua traditione: ergo Eucharistia est sacrificium.

QUARTÒ, David loquens Ps. 109. de Christo (ut patet ex Mat. 22. v. 43 44. Act. 2. v. 33. 35. 1. Cor. 15. v. 25. Ad Hebr. 1. v. 13. ad Hebr. 5 v. 6. & 10. ad Hebr. 7. v. 17. & 21.) dicit, *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*: sacerdotio igitur illo perpetuis temporibus fungitur, non quidem per se immediatè, sed per suos ministros. i. novi testamenti sacerdotes.

Nec sufficit dicere quod vis sacrificij cruenti sit æterna: ideoque Christum esse sacerdotem in æternum, etiamsi nullum esset visibile sacrificium: Nam ad Heb. 8 dicitur, *necesse esse & hunc habere aliquid quod offerat.* *Ob.* *Resp.*

Adde, quod juxta illam responsionem, & Christus nō conveniret in ritu offerendi cum Melchisedec; qui ritus consistit in eo quod sicut Melchisedec, cum esset sacerdos Dei altissimi, panem & vinum obtulit. Gen. 14. ita Christus in pane & vino sacrificavit, ea in corpus & sanguinem suum commutando, permanente nihilominus specie panis & vini. Hinc Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. docet Christum in hujus sacrificij institutione & oblatione, declarasse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec se in æternum constitutum. Et similiter quod Melchisedec obtulit, figuram fuisse sacrificij Eucharistiæ tradunt Cypr. epist. 63. Ambr. lib. 4. de sacramentis c. 3. Euseb. l. 5. demonst. c. 3. Aug. oratione adversus Judæos c. 9. l. 16. de civit. c. 22. l. 17. c. 17. l. 18. c. 35. & unanimiter alij qui de illo psalmo scripserunt.

QUINTÒ, In historia passionis S. Andreæ, ipse refertur dixisse; *Ego omnipotenti Deo quotidie immaculatum agnum sacrifico.*

Et Clem. Rom. l. 5. const. c. 20. *Offerte*, ait *sacrificium vestrum, de quo vobis præcepit per nos, dicens: Hoc facite in meā commemorationem.* Sic ilia habet S. Martial. in epist. ad Burdegal. c. 3 & Greg. Nyss. orat. 1. de Resurrect. *Pro ineffabili arcanoque, & qui ab hominibus cerni nequit sacrificij modo sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac sese oblationem ac victimam offert pro nobis sacerdos simul & agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, Quando hoc accidit? Quum suum corpus ad comedendum & sanguinem suum familiaribus ad bibendum præbuit.* Apostolos quoque, ac deinceps alios hoc sacrificium celebrasse, ex scriptura probatur Act. enim 6. cum dicunt, *Nos autem orationi & ministerio verbi instantes erimus*, nomine *orationis* cōprehendunt sacrificiū; alioquin nihil causæ erat cur orationem sibi reservarent, cum orare sit omnium. Act. 13. cū dicitur, *Ministrantibus autem illis Domino*, pro *ministrantibus* Græce est λειτουργούντων quæ vox idē valet quod *sacrificantibus*, quomodo vertit Erasm. est enim vox à qua *liturgia*. i. sacrificij nomen Græcis Patribus usitatissimum derivatur quâ eadem usus est Lucas c. 1. sui Evangelij cum de sacrificio Zach. dicit. *Ut impleti sunt dies officij ejus* quod verti poterat, *ministerij seu ministrationis in sacrificio.* Huc pertinet & illud c. 3. ad Hebr. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.*

Denique

Universidad de Deusto
Biblioteca



Deniq; in celebratione Eucharistiæ inveniuntur omnia ad sacrificium propriè dictum requisita. Adest enim minister publicus certo ritu consecratus,sc. sacerdos : est quod offertur , sc. corpus & sanguis Christi , quæ licet non videantur sub propria specie, videntur tamen sub speciebus panis & vini , ait B.Th.q.75.a.6. Res oblata offertur Deo in recognitionem supremi dominij , & cum mutatione sufficiente ; ut quæsiti 2.concl.4. ostendetur.

AD 1. ergo ARG. RESP. rationes formales sacramenti,sacrificij, & testamenti;etsi diversas,non esse tamen pugnantes : Idem enim potest esse & sacramentum , quatenus nobis relictum est,ut sit signum efficax nostræ sanctificationis & sacrificium,quatenus offertur Deo; & testamentum seu testamenti signaculum, quatenus est portio legati nobis testamento relicti,& pignus accipiendi residui. Neque repugnat idem à Deo accipi,& Deo offerri ; cùm nihil habeamus nisi quod ab illo accepimus : Unde David 1.Paral.39. *Quæ de manu tua accepimus,dedimus tibi.*

AD 2. Falsitas assumpti partim ex conclusione 2.patet;partim ex ijs quæ referunt Lucas & Paulus, *qui pro vobis funditur , qui pro vobis frangitur* ; ratione scilicet specierum , & oblationis quæ tum fiebat,ut etiam fuit explicatum q.78.a.3.

Et quamvis illa Christi oblatio , ut cæteræ ejus actiones, fuerit infiniti valoris ; noluit tamen per illam,uti nec per alias singulas , nostram redemptionem consummare,vel eas singulas ad redemptionis consummationem patri offerre,sed tantum eam quâ seipsum in cruce obtulit Deo Patri, *qui salutem humani generis in ligno crucis constituerat,* Vide quæ diximus q.19.ar.3. & q.48.ar.1.

*Christus non habet successores in sacerdotio.*

AD 3. Negatur secunda consequentia. Nam ex eo quod nulli sacerdotes Christo succedât(successor enim propriè dicitur , qui surrogatur in locum,officium , & potestatem defuncti ; Christus autem nunquam defungitur sacerdotio,sed manet sacerdos in æternum)solum potest concludi quod nulli sint sacerdotes paris cum eo potestatis : cum hoc autem bene consistit , esse aliquos ejus ministros dispensatores,& vicarios.

AD 4. Apostolus non significat nullos præter Christum esse sacerdotes; sed nullos esse summos. Sensus enim est,quod in lege plures facti sunt sacerdotes,etiam summi,unus post alium:quia mortales erant, & morte finiebatur cujusque sacerdotium : sed Christus eò quòd maneat sacerdos in æternum , ( supplendum est enim in verbis Apostoli illud , *sacerdos* quia manere in æternum non est argumentum sempiterni sacerdotij , nisi maneat sacerdos ) semper est unus idemque sacerdos cui nullus succedet.Nec obstat quòd etiam Christus mortuus fuerit ; quia non sic mortuus est, ut sacerdotium ejus ad alios transiret , sed ut paulò post ad vitam resuscitatus , maneret sacerdos in æternum , non ratione personæ dumtaxat , sed etiam ratione officij quod ab eo per ministros,ipsius personam gerentes,exercetur usque in finem sæculi,vide ar.5.q.22.

AD 5.Neg.Ass.quemadmodum ejusdem q.22. a.6. fuit ostensum.

AD 6.Neg.conseq.quia vis sacrificij crucis per certa quædam media debet nobis applicari , nisi velimus non tantùm sacrificium excludere à nova lege,sed etiam omnia Sacramenta,omniaque bona opera. Sed nec hostia sacrificalis quæ in missa offertur,est alia ab ea quam Christus in cruce obtulit.*Una eademq; est hostia*,ait Syn.Trid.*idem offerens Sacerdotum ministerio , qui seipsum in cruce obtulit ; solâ offerendi ratione diversa.*In cruce Christus offerebat seipsum cruentè , in propria formâ, & per seipsum immediatè ; nunc incruentè , in alienâ formâ,& ministerio Sacerdotum.

AD 7. Neg. C. nisi consequens intelligatur de oblatione simili qualem Christus fecit in cruce , per quam scil. tanquam per se efficacem & independentem , acquiratur pretium sanctificationis aut redemptionis nostræ. Talis enim esset superflua : Nam Christus unà oblatione quam fecit in cruce consummavit omnes quotquot Sancti vel sanctificandi erant,promerendo eis pœnitentiam, remissionem peccatorum,gratiam gloriam,& omnino pretium sufficientissimum redemptionis & sanctificationis exhibendo.Ut autem virtus istius sacrificij nobis applicetur , nihil vetat quæri sacrificium quod ab eo dependeat, vimque suam ex illo habeat.

AD 8.Quamvis rationi victimæ seu hostiæ specialiter dictæ repugnet,esse incruentum qualis victima est quæ fit ex re vivente per modũ viventis ; non repugnat tamen rationi sacrificij : ut patet Levit.2.5.7.23.Ubi de sacrificijs incruentis agitur;quale etiam fuit sacrificiũ Melchisedech Gen. 14. Levit. quoque 16. offerebatur hircus vivens qui postea emittebatur in desertum : ergo ad sacrificium non requiritur ut sit cruentum.

Deinde, Christus in Eucharistia , non offertur modo ac forma rei animatæ,sed sub specie cibi & potûs : & ideò licet hoc sacrificiũ non sit victima specialiter dicta,nisi per repræsentationem ; potest tamen esse vera immolatio, verumq; sacrificium. In quo non conditur aut confirmatur novum testamentum, quod in cruce confirmatum fuit : sed est ejus signaculum,& quædam portio : secundùm quod in resp. ad 1. diximus.

AD 9. Neg. conf. quia sacrificare *in spiritu & veritate*,est offerre sacrificium verum & non umbraticum,spirituali virtute effectum.

Lex autem nova non dicitur veritatis ex eo quod veritas,durante hoc statu clarè & secundùm essentiam videatur ; aut quod ab eâ sit exclusa omnis ratio signi : sed quia , licet habeat quædam figurativa gloriæ nondum revelatæ ; via tamen ad gloriam perveniendi clara & aperta est , secus quàm in statu veteris legis , in quo figurabatur non solum finis , sed etiam via & medium ad finem. Vide 1.2.q.101.art.2.

*Lex nova cur lex veritatis.*

AD POSTREMUM, Celebratio Eucharistiæ continet quidem memoriam dominicæ passionis,non est tamen nuda repræsentatio: cùm corpus & sanguis Domini verè adsint præsentia. Qualis autem reperiatur mutatio, patebit ex sequentibus.

## QUÆRITUR II.

### *In quo consistat ratio sacrificij novæ legis.*

NON apparet quod in consecratione. PRIMÒ quia feriâ sextâ parasceves non fit consecratio, offertur tamen sacrificium, ut patet ex verbis sacerdotis quibus dicit, *Orate fratres ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.*

Adde



Adde quod si illo die occurreret festum , fideles tenerentur audire missam: hæc autem non est sine sacrificio.

SECUNDÒ , Quod offertur debet præexistere sacrificationi : corpus autem Christi non est sub speciebus ante consecrationem.

TERTIÒ,res oblata debet mutari;per consecrationem verò, etsi mutetur panis, non mutatur tamen corpus Christi.

QUARTÒ , sacrificium si pro actione sumatur , est oblatio: consecratio autem non est oblatio,sed partim eam præcedit, partim sequitur. Imò posset aliquis habere voluntatem consecrandi , & tamen non sacrificandi.

QUINTÒ, De ratione sacrificij in genere est ut sacerdos sacrificans participet de victima oblata , ut docet B.Th.q. 82.art. 4.concludens propterea necesse esse quod sacerdos quotiescunque consecrat,sumat integrè sacramentum : ergo sumptio est de ratione essentiali hujus sacrificij.

SEXTÒ, hoc sacrificium repræsentat illud quod Christus in cruce obtulit, quodque totum in honorem Dei fuit consumptum instar holocausti : ergo ad ejus essentiam pertinet consumptio. Unde Ecclesia semper judicavit hanc actionem ita esse necessariam , ut si fortè sacerdos peracta consecratione moreretur , vel aliter à susceptione impediretur ; alius ei substitui deberet qui sacrificium consummaret , ut ex Missali Romano ; & ex hujus q.ar.6. ad 1.patet.

Adde , quod alioquin sequeretur sacerdotem non teneri jure divino ad sumptionem sacramenti cùm nullum aliud extet præceptum hac de re divinum,quàm quod contineatur in generali ratione & obligatione faciendi sacrificium perfectum:quę obligatio nulla est , si sumptio non pertineat ad essentiam hujus sacrificij.

SEPTIMÒ, sequitur alioquin per Ecclesiam statui posse , ut consecrans non teneatur utramque imò nec alteram speciem sumere : Potestatem enim habet in Sacramentorum dispensatione salvâ illorum substantiâ , ea statuendi & mutandi quæ magis expedire judicaverit , sess.21. Conc. Trid. cap. 2.

OCTAVÒ,fructus sacrificij solùm datur in sumptione : Orat enim post consecrationem Sacerdos *Ut quotquot ex hâc altaris participatione, Sacrosanctum Corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione & gratiâ repleamur.* Et ne dicatur peti fructus Eucharistiæ quatenus Sacramentum est ; statim fit commemoratio defunctorum ; quibus petit applicari fructum non Sacramenti,quod soli prodest sumenti,sed sacrificij : quamquam , si non datur fructus Sacramenti ante sumptionem , sequi videtur quod nec sacrificij

POSTREMÒ , B.Thomas 2 2.quæst.85.art.3. ad 3. inter actiones ad hoc sacrificium pertinentes,recenset fractionem, sumptionem, & benedictionem.

Pro Responsione sit

### CONCLUSIO I.

OBLATIO vocalis,sive consecrationem antecedens , sive subsequens , non pertinet ad essentiam sacrificij Eucharistiæ , neque est pars ejus principalis.

PROBATUR 1. quia non constat Christum in ultima cœna sanctificantem , vocaliter obtulisse ; statim enim post consecrationem , Apostolis distribuit,ut ex Evangelistis patet,neque videtur ullam vocalem oblationem interposuisse.Ante consecrationem verò gratias quidem egit Patri,& bona aliquâ precatione benedixit panem , sic adumbrans illam oblationem quæ à nobis præmittitur consecrationi ; sed non liquet quod verbis oblationem expresserit.

SECUNDÒ, Ad rationem essentialem sacrificij, necessaria quidem est oblatio ; sed quod illa verbis exprimatur non est necessarium. Sicut enim ad honorandum aliquem non est necesse dicere , *honoro*;ita ad offerendum sacrificium,non necesse est dicere,*offero*.Unde vel in oblatione agni,vel in cæteris veteribus sacrificijs,non legimus solita dici hujusmodi verba. Neque probari potest Christum in ara crucis Deo Patri se offerentem , oblationis verba expressisse; quia scilicet non requiritur oblatio in actu signato, si adsit in actu exercito;id est, si actio sacrificalis exerceatur cum intentione offerendi , Deumque ut supremum Dominum recognoscendi & colendi.

### CONCLUSIO II.

NEQUE fractio , neque mixtio, neque distributio pertinet ad essentiam sacrificij,nec est pars ejus principalis.

PRIMÒ , quia si hostia caderet in calicem ante fractionem , non propterea deesset sacrificium ; quia scilicet hostia non frangeretur nec ex intentione misceretur : signum est ergo quod illæ actiones fiant ut cæremoniæ,non ut partes essentiales, vide ar. 6. ad 6.

SECUNDÒ, Christus non jussit distributionem fieri quotiescunque sacrificatur : nam Concilium Trid.sess. 22.c.6. probat & commendat etiam illas missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat ; ergo distributio non pertinet ad rationem sacrificij.

### CONCLUSIO III.

SUMPTIO quæ fit à celebrante , est sacrificij pars integralis principalis. Ideo enim ecclesia semper curavit ut utraque species sumatur à celebrante; vel,casu quo id fieri non possit,ab alio sacerdote. etiam non jejuno, ut ar.8 q. 80.diximus ne sacrificium maneat imperfectum.Et cap. *Relatum*, de consecrat. d.2.uno anno suspenditur celebrans, qui à sumptione abstinuerit,excommunicandusque decernitur, 7.qu.1.c.*Nihil.*

Deinde, corpus Christi per consecrationem est sub specie cibi & potûs , ideoque ordinatur ad sumptionem quæ fiat à fidelibus,in primis autem à sacrificante : ergo sumptio ab illo facta pertinet ad perfectionem seu integritatem sacrificij.

Quod autem non pertineat ad essentiam ; probatur , quia non est de essentia sacrificij quod ipsum vel à sacerdote sumatur , vel simpliciter consumatur. Jam enim oblatum fuerat à Melchisedec sacrificium panis & vini , priùs quàm aliquis de illo comederet.

In veteri etiam lege, Levit.2.5.7.23.sacrificia quædam erant effusionis vini , sanguinis , aut aquæ ; quæ nec sumebantur , nec effusione substantiam amittebant.

Ad Hebræos 9.Pontifex semel in anno introens in sancta,offerebat sanguinem: Aliàs offerebantur hostiæ,quæ nec ipso die,nec in ipso loco tabernaculi sumebantur : quarum propterea sumptio non

Universidad de Deusto
Biblioteca



pertinebat ad essentialem rationem sacrificij, quod A in tabernaculo fuerat oblatum.

Adde, quod si miraculosè corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguinis sub specie sanguinis, non est sumendum, ait B. Tho. q. 82. art. 4. ad 3. Omninò autem dicendum videtur quod is qui ante talem apparitionem consecrasset panem & vinum, obtulisset sacrificium.

Denique, corpus & sanguis Christi, quæ hic sunt res oblata, non mutantur in ipsa sumptione vel manducatione, nisi localiter, quæ mutatio est huic Sacramento impertinens: ergo sumptio non est dicenda esse essentialis ad hoc ut inveniatur mutatio vel consumptio hostiæ, & nō est assignare ad quid aliud sit essentialis. Anteced. prob. quia B Corpus Christi tunc demum desinit esse sub speciebus, quando ipsæ corrumpuntur, non corrumpuntur autem in sumptione, sed demum postea.

### Conclusio IV.

Consecratio juncta mentali oblationi est id est in quo essentialis ratio sacrificij consistit.

Probatur 1. ex B. Thom. quæst. 82. ar. 4. ad 1. *Consecratio chrismatis vel cujuscunque alterius materiæ non est sacrificium sicut consecratio Eucharistiæ.*

Art 10 in Corp. *Consecratione hujus Sacramenti sacrificium offertur,* & ad 1. *Hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua sacrificium Deo offertur,* & hoc ar. 1. docet in celebratione hujus Sacramenti Christum immolari; celebratio autem consecratione perficitur. Unde ar. 4. ait Sacerdotem *petere, hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum,* cùm dicit, *Supra quæ propitio* &c.

Cum B. Th. sentit Judoc. Tiletan. p. 3. Apolog. contra Illyricum c. 15. de Missa, ubi quærenti quando Dominus obtulerit sacrificium, num ante ista verba, *Hoc est corpus meum,* an posteà; sic respondet: tunc obtulit quando panem in manus acceptum consecravit. Et postea, quemadmodum ipsa Christi Passio in Cruce oblationis rationem ha- D buit ex eo quod sicut Paulus dicit (ad Heb. 3.) Ipse obtulit semetipsum immaculatum Deo, & non ex solâ mortis perpessione (patiebantur enim & latrones, quorum passionis non fuerunt oblationes:) ita & consecratio panis in Corpus Christi ex intentione ipsius Sacerdotis secundùm ordinem Melchisedec Sacerdotio fungentis & Deo hostiam offerentis, perspicua & perfecta est oblatio & sacrificium. Ita Tiletan. & posteà Suarez disp. 75. super hanc q. Vasq. disp. 232. cum pluribus quos allegant.

Probatur Secundò, Christus per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit Sacerdotibus ut offerrent sacrificium, quem- E admodum docet Synod. Trid. sess. 22. cap. 1. ac semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit: Illis autem verbis potissimum præcepit eis consecrationem; hanc enim potissimum Evangelistæ commemorant, & per eam potissimum repræsentatur ejus Passio; in ea igitur consistit ratio sacrificij.

Prob. Tertiò, proprius & directus actus Sacerdotij est offerre sacrificium: sed illis jam dictis verbis, Apostoli facti sunt Sacerdotes; ergo acceperunt potestatem offerendi sacrificium. Acceperunt autem per se & directè potestatem consecrandi: ergo potestas consecrandi, est potestas sacrificandi.

Prob. Quartò, Sacerdos dum sacrificat, sic agit in persona Christi, ut ipse Christus sit principalis offerens; ergo potissimùm illa actio est de essentia sacrificij quæ maximè fit in persona Christi: hæc autem est sola consecratio, in qua sic loquitur Sacerdos, quasi esset ipse Christus ergo sola consecratio est de essentia sacrificij.

Prob. Quintò, hoc Sacrificium est repræsentativum Sacrificij Crucis, sed hæc repræsentatio potissimùm fit per consecrationem, quâ Sanguis & Corpus, quantum est ex vi verborum, seorsim ponuntur sub diversis speciebus, tanquam partes victimæ.

Prob. Sextò, Sequitur alioquin Evangelistas nullam actionem huic Sacrificio essentialem expressisse; & Sacerdotes posse offerre Sacrificium sine consecratione, ut hostiam prius consecratam offerendo & sumendo; quod est contra consuetudinem Ecclesiæ.

Prob. Septimò, In consecratione reperiuntur omnia quæ ad Sacrificij propriè dicti rationem sunt necessaria: Est enim repræsentatio Passionis Dominicæ; fit res excellentissimè Sacra, per eam Deus colitur, divina potentia & sapientia declarantur, & fit recognitio summæ ipsius potentiæ & majestatis. Reperitur & oblatio: eo enim ipso quo munus per consecrationem præsens exhibetur, ideoque sistitur ac præsentatur, actu exercito offertur.

Sed nec deest mutatio; non solùm quia res ex profana fit Sacra; ex pane scil. Corpus Christi: quod cùm sit sub specie cibi, ordinatur ad comestionem: sed præcipuè, quia Corpus & Sanguis Christi, incipiunt ibi, & eo modo sacramentaliter esse (non quidem per motum localem, sed virtute consecrationis) ubi & quo modo prius non erant, secundùm ea quæ diximus ar. 4. qu. 75. ac insuper: quia quantum est ex vi verborum consecrationis, Corpus & Sanguis sistuntur & exhibentur seorsum, unum ab altero, sicut in Cruce separatus fuit Sanguis à Corpore, atque ita Christus mysticè & incruentè immolatur.

Nec obstat, quod Corpus Christi secundùm se non mutetur, satis enim est quod, si consideremus vim verborum, Corpus sine sanguine & animâ; sanguis autem sine corpore & animâ præsens sistatur.

Non obstat etiam quod ad sacrificium sensibile requiritur mutatio sensibilis: Nam consecratio est sufficienter sensibilis; etsi enim non percipiatur sensu secundùm se, seu secundùm quod una substantia transit in aliam: (debet enim esse mysterium fidei) percipitur tamen secundùm quod per verba consecrationis sensibili modo significatur Ipsum quoque Christi Corpus est aliquo modo visibile, ut patuit q. 73. ar. 1.

Denique, huc faciunt Patrum testimonia.

Iræneus l. 4. c. 32. affirmat Christum docuisse novi Testamenti oblationem, quando dixit, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.*

Greg. l. 4. dial. c. 58 *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cælos aperiri; in illo Iesu Christi mysterio, Angelorum choros adesse?* Cùm autem præmisit, *In hoc mysterio Christus immolatur; ejus quippe ibi corpus sumitur*, indicare voluit sumptionem ideò subsequi quia præcessit oblatio.

Chry-



Chrysost. hom. de proditione Judæ: *Vox illa* A *Hoc est corpus meum: usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem.*

Author serm. de Cœnâ Domini apud Cypr. Ex quo prolata sunt verba formæ, dicit, *Panem & calicem sacratum simul medicamentum & holocaustum esse.*

Ad 1. Arg. Resp. in Paraseeve non fieri Sacrificium; idque partim, quia cùm tunc recolatur Passio Christi prout est realiter gesta, congruum est (quemadmodum B. Th. ar. 2. ad 2. indicat) quod eo die quo verum & cruentum Christi Sacrificium præsens fuit, illud quod ejusdem est memorativum, seu repræsentativum non fiat: partim, quia non convenit ut Christus tunc à nobis B immoletur, quando per mortem sublatus recolitur peculiari die ac ritu ad hoc instituto. Hinc Rup. l. 6. de offic. c. 3. *Hodie non sacrificamus, dum nobis hostia tollitur de manibus. Non sacrificent amici, dum trucidant inimici.* Illius propterea diei officio, neque ulla fit mentio oblationis, neque recitatur illa oratio quâ petere solet Sacerdos *ut Sacrificium quod divinæ majestati obtulit, ei sit acceptabile:* sed nec communicat Sacerdos nisi sub una specie.

Cùm autem in officio illius diei nominatur Sacrificium, vel sumitur Sacrificium pro re oblata; vel sermo est de Sacrificio, non quod tunc offertur sed quod pridie est secundùm substantiam oblatum, & jam secundùm accidens perficiendū, per sump- C tionem hostiæ; & Deus rogatur ut id quod ad sacrificalem actionem adhuc restat peragendum, acceptabile sit Deo, pro Sacerdote & alijs.

Si in illum diem incideret festum; posset illius officij Ecclesiastici auditio reputari pro auditione Missæ: Ecclesiæ autem usus habet, esse transferendum.

Quod interdum à Patribus dicitur Ecclesiam omnibus diebus offerre Sacrificium; salva singulari istius dici exceptione intelligendum est.

Ad 2. Neg. Assumpt. quia non solùm actione qua res destruitur, protestari possumus Dei principatum, nostramque subjectionem; sed etiam actione qua res novo modo constituitur, ideoque D præsens sistitur.

Ad 3. Satis est quod Corpus Christi mutetur modo sibi conveniente, juxta declarationem prius factam.

*Consecrationi Euc. inest oblatio.*

Ad 4. Consecrationi juncta est oblatio mentalis; quatenus Sacerdotis intentio est ac esse debet, hoc quod consecrando facit, Deo sistere, ac in Sacrificium præsentare. Si quis autem ita malignus esset, ut consecrare volens, omnem excluderet intentionem sacrificandi; putatur à quibusdam non consecraturus.

Alij probabilius putant quod consecrabit, sed non sacrificabit, ob defectum oblationis quæ est de ratione sacrificij, & sine qua non potest ullum E fieri sacrificium.

Probabilissimè verò Respondent qui hac distinctione utuntur. Is qui ponitur velle consecrare & nolle sacrificium offerre; aut habet intentionem generalem faciendi quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit; Aut talem intentionem non habet.

Si habet, & consecrabit & sacrificabit, quia particularis intentio qua vult non sacrificare non prævalet prædictæ generalis: sicut assensus ad hanc propositionem in particulari, Cygnus est corpus, non evertit assensum in universali de ista, nullum album est corpus, juxta ea quæ dici solent in l. 2. Priorum de fallacia secundùm opinionem, quod possibile sit assentiri uni oppositorum in particulari & alteri in universali.

Unde si quæras, quo modo in tali casu sacrificabit, cùm non velit offerre Sacrificium. Resp. quod hoc velit in generali, etsi nolit in particulari.

Pro quo notandum quod etsi consecratio & oblatio differant ratione; quicunque tamen vult consecrare sicut Christus instituit, eo ipso vult offerre; quia talis consecratio involvit oblationem eique inest, ita ut (quod ad hujus Sacrificij essentiam attinet) non alia sit requirenda oblatio, quàm quæ importatur in consecratione facta secundùm quod Christus instituit.

Si verò prænominatus Sacerdos generalem illam intentionem non habet, neque consecrabit neque sacrificabit propter defectum intentionis.

Dictis non obstat quod Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. distinctè numerat actiones consecrandi & offerendi. Hoc enim non ideò facit, quod oblatio sit quiddam re distinctum à consecratione, quodque ab eâ possit separari: sed quia Lutherani (quos deinde alij multi hæretici sunt secuti, ut videre est apud Bellarminum l. 1. de Missa, cap. 5.) etsi admitterent Sacerdotes habere potestatem consecrandi Eucharistiam eamque ministrandi, negabant tamen eos habere potestatem illam offerendi in sacrificium, volentes scilicet eam esse Sacramentum quidem, sed non Sacrificium.

Contra hunc igitur errorem meritò Concil. Trid. distinctè affirmat Christum dedisse Apostolis eorumque in Sacerdotio Successoribus potestatem consecrandi & offerendi. Quamquam & hoc spectare potuerunt dicti Conc. Patres quod consecrare & offerre secundùm se non ejusdem omninò sunt rationis, adeò ut quamvis oblatio propter Christi institutionem includatur in consecratione Eucharistiæ, potuisset tamen Christus eam separare si voluisset.

Ad 5. Quamvis sumptio sit de integritate quorundam Sacrificiorum, eorum scil. quæ offeruntur per modum cibi vel potûs: ob quam rationem B. Tho. rectè concludit, Sacerdotem offerentem teneri ad sumptionem utriusque speciei, non est tamen de ratione essentiali. Unde in Festo Epiphaniæ sumptio distinguitur ab immolatione, tanquam quid subsequens: dum dicitur, *quod ijsdem muneribus declaratur, immolatur & sumitur:* & Cyril. Jerosol. catechesi 5. mystag. post transmutationem panis & vini dicit confectum esse hoc Sacramentum, & cultum incruentum: Patres quoque Concilij Tolet. 12. cap. 5. agnoscunt eos offerre sacrificia, quos reprehendunt de omissa in illis sumptione.

Ad 6. Neg. Consq. quia tam quæ in antecedente quam quæ in confirmationibus adferuntur salvari possunt; dicendo sumptionem jure divino necessariam tanquam partem integralem, ad complementum Sacrificij pertinentem: & in generali obligatione faciendi Sacrificium perfectum, includi obligationem faciendi illud, non solum essentialiter, sed etiam integraliter & completivè perfectum. Unde

Ad 7. Resp. Negando Sequelam: partim quia non potest expedire ut celebrans abstineat à sumptione specierum quas consecravit: partim quia sumptio est jure divino præcepta, & pertinet

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad substantialem integritatem sacrificij quod Christus voluit per sacrificantem consummari, ut ex traditione ac sensu ecclesiæ habemus.

AD 8. Neg. Assumptum : Quamvis enim sacerdos oret post consecrationem, ut illi qui corpus Domini sumpserint, fructum percipiant : non orat tamen ut in ipsa dumtaxat sumptione illum percipiant : sed de tempore perceptionis nihil dicit.

*Quando percipiatur fructus sacrificij.*

Probabile quidem est celebrantem benè dispositum tunc sacrificij fructum, saltem aliquem percipere, quando percipit fructum sacramenti, hoc est, in communione, quando sacrificium jam perfectè completur: incertum nihilominus est quando illi pro quibus offert, percipiant : imo & incertum videtur, quando celebrans totum fructum ad B se pertinentem consequatur.

Ex orationibus enim quæ dicuntur post communionem satis patet, posse adhuc tunc sive celebrantem, sive alios consequi fructum sacrificij. Omnes siquidem Missas concludit sacerdos, dicens, *Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta ut sacrificium quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile.* In missa de SS. Doctor. Post communio habet ; *Vt nobis Domine tua sacrificia dent salutem, Beatus N. confessor tuus & Doctor egregius precator accedat.* Conferri possunt & aliæ post communiones, ac specialiter illæ in quibus sacerdos etsi solus communicet, orat tamen ; *Hæc nos* C *communio Domine purget a crimine:* per quam proinde non modò sacramenti, sed & sacrificij fructum petit.

AD ULT. dupliciter potest responderi. Uno modo, B. Thomam illic non loqui peculiariter de sacrificio Eucharistiæ, sed generatim de sacrificio proprie dicto; Alio modo ipsum non dicere, quod omnes illæ actiones æqualiter pertineant ad sacrificium ; sed unaquæque suo modo pertinere potest, prout fuerit genus sacrificij.

## QUÆRITUR III.

### *Utrum consecratio utriusque speciei* D *sit essentia hujus sacrificy.*

VIDETUR quod non, PRIMÒ, quia per consecrationem unius speciei fit aliquid sacrum ex profano, cum quadam immutatione & repræsentatione passionis Christi : ergo ibi reperitur tota ratio sacrificij.

SECUNDÒ, Ecclesia subinde pluraliter loquitur, & *sancta ac illabata sacrificia* nominat, propter pluralitatem specierum ; in quarum unaquaque verum sit sacrificium, sicut verum est sacramentum. Confer quæ diximus qu. 74. ar. 1. E

RESP. verisimiliorem esse partem affirmativam, adeò ut nisi utraque species consecretur, neque sit verum sacrificium, neque detur fructus sacrificij.

*Vtriusque speciei consecratio de hujus sacrificij essentia.*

PRIMÒ, quia hoc sacrificium debet esse expressa repræsentatio sacrificij cruenti ; non est autem expressa repræsentatio nisi consecretur utraque species.

SECUNDÒ, Christus *præcepit Apostolis Apostolorumq; in sacerdotio successoribus*, non solùm ut offerant sacrificium, sed *ut sub earundem rerum symbolis offerant*, sub quibus ipse obtulit: ergo præceptum divinum est, ut in sacrificio consecretur utraque species. Antecedens à Concilio Tridentino traditur sess. 22. cap. 1.

TERTIÒ Christus instituit seipsum ab ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, ut eodem loco dicit Concil. Trident. ergo voluit & sanguinem, & corpus pariter consecrari.

DENIQUE, Melchisedec panem & vinum obtulit : ergo sacrificium Eucharistiæ per illud figuratum, requirit etiam utrumque.

AD 1. ARGUMENTUM RESP. repræsentationem illam esse solùm implicitam : neque enim in cruce fuit solùm corpus, aut solus sanguis, sed utrumque, seorsim tamen unum ab altero : ac proinde in sacrificio Eucharistiæ debet etiam utrumque fieri præsens, & quidem ( quantum est ex vi verborum consecrationis) vinum ab altero separatum.

Quamvis autem per consecrationem unius speciei fiat aliquid sacrum, non tamen id totum eo modo fit sacrum quo faciendum est; ideòque sacrificium dici potest inchoatum ; sed non perfectum essentialiter, sicut quando hostia quæ occidi simul & comburi debebat, si fuisset post occisionem relicta, sacrificium mansisset essentialiter imperfectum. Et ( quod ad rem proprius facit ) quando Christus in cruce fundebat sanguinem, ejus cruentum sacrificium inchoabatur, si C tamen non fuisset mors subsecuta, non fuisset essentialiter perfectum ; quia præter illam effusionem etiam requirebatur mors, ad totam istius sacrificij essentiam.

SI DICAS, in unius speciei consecratione esse *Ob.* oblationem rei sensibilis per legitimum ministrum cum aliqua mutatione, quæ est definitio sacrificij.

RESP. esse oblationem unius partis rei ejus sen- *Resp.* sibilis quæ offerenda est secundum Christi institutionem, atque adeò sacrificium esse essentialiter inchoatum : sed non adest oblatio ( quantum est ex vi verborum consecrationis (totius rei sensibilis, neque ipsa tota consecratur ; & ideo non est totum sacrificium.

Deinde, ratio sacrificij novæ legis aliquid includit quod in definitione sacrificij communiter sumpti non includitur ; sicut ratio speciei includit aliquid quod non importatur in definitione generis : definitio autem quæ objicitur, est sacrificij tanquam generis, sub quo sacrificium novæ legis continetur sicut species : quod verò includitur in sacrificio novæ legis, tanquam ipsi proprium, est, esse oblationem corporis & sanguinis Domini sub panis & vini symbolis.

AD 2. licet ob duplicem materiam Ecclesia sic loquatur; agnoscit tamen unicum novi testamenti sacrificium, duabus partibus constans. Neque est eadem ratio sacrificij quæ sacramenti : cùm in sacrificio fieri debeat expressior repræsentatio passionis Christi, quam in Sacramento.

QUÆ-



## QUÆRITUR IV.

### *Quid sit res principaliter oblata in hoc sacrificio.*

ESSE panem & vinum probatur ex Offertorio quod in missa legit sacerdos, atq; ex orationibus quæ vocantur Secretæ, in communi plurimorum martyrum : *Oblatis quæsumus Domine placare muneribus*, & dominica infra Octavam Epiphaniæ *Oblatũ tibi sacrificium vivificet nos semper & muniat.* & ex Alexandr. 1. ep. 1. *Panis tantum & vinũ aqua mixtum, in sacrificio offerantur:* quæ propterea sancta & illibata sacrificia vocantur in canone. B

RESP. res principaliter oblata haud dubiè est Christus Dominus ; sive corpus & sanguis ejus; non ut in propria specie, sed ut sub speciebus panis & vini existentia.

*Corpus & sanguis Christi, est res principaliter oblata.*

PROB. 1. quia Christus seipsum obtulit tum in cœna, tum in cruce : Atqui Sacerdotes id offerunt in sacrificio quod Christus obtulit in cœna, ut probari potest tũ ex verbis Christi, *Hoc facite in meam commemorationem:* tum ex eo quod eadem est hostia sacrificij ineruenti quæ cruenti : ergo. Unde Conc. Trid. ff. 22. c. 2. *In hoc sacrificio idẽ ille Christus continetur & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.* Et c. 1 *Novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes, sub signis visibilibus immolandum.* Eodem pertinet illud B. Andreæ; *Ego quotidie immolo immaculatum* C *agnum in altari :* Et secreta festi Epiph. *Non jam aurum, thus & mirrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, & sumitur, Iesus Christus.* Vide Ambr. in Ps. 38. & l. 1. offic c. 48.

SECUNDÒ, Sacrificium novæ legis est visibile : ergo res oblata debet esse aliquo modo visibilis; corpus autem Christi non est nobis visibile, nisi sub speciebus : ergo non aliter potest esse res oblata, quam ut continetur sub illis. Quod autem corpus Christi prout est in hoc sacrificio & Sacramento rectè dicatur visibile, ostensum fuit q. 73. ar. 1. concl. 2.

TERTIÒ, Hoc sacrificium est Christi, ut Sacerdotis secundùm ordinem Melchisedech : ergo res D oblata debet habere similitudinem panis & vini, quæ Melchisedech obtulit.

QUARTÒ, Res in hoc sacrificio oblata cedit in usum fidelium tanquam cibus & admirabile Sacramentum : hoc autem est corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini existentia.

QUINTÒ, Circa Christum ut in propria specie existentem non versatur actio sacrificalis: ergo ut sic non est res oblata.

Porrò cùm ad rem in hoc sacrificio principaliter oblatam pertineant corpus & sanguis Christi, quatenus sub speciebus sensibilibus esse incipiunt, & Deo tanquam munus exhibentur ; ex conse- E quenti dicendum est offerri etiam Deo Patri Passionem Christi Domini, quæ per consecrationem repræsentatur, & ut præsens Patris conspectui offertur ; secundùm ea quæ habet idem Alexander dict. Epist. & B. Th. lect. 7. in c. 8. ad Rom.

AD ARG. verò RESP. Panem & vinum pertinere ad rem quæ sacrificatur, ac proinde ad sacrificium, non ut ea quæ principaliter Deo sactificantur ; sed ut materia transiens, ex qua corpus & sanguis Domini consecrantur. Neque propterea concedendum est duo esse sacrificia, unum panis



A & vini, alterum corporis & sanguinis Christi : cùm unicum sit novæ legis sacrificium, ut colligi potest ex dictis, & habetur apud S. Leon. in serm. 8. de Passio. c. 7. & in secreta Dom. 7. post Pentec. quia non offertur panis absolutè, sed transmutandus ; neque corpus Christi prout est in propriâ specie, sed quatenus continetur sub specie panis : ut proinde & panis & corpus Christi ad unum idemque sacrificium constituendum pertineant ; panis ut materia ex quâ, transiens ; permanente tamen ipsius specie : corpus autem, ut id quod propriè sacrificatur. Hinc post vocalem panis & vini oblationem *Benedic* ( ait Sacerdos ) *hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum:* & feriâ tertiâ post Dominicam Passionis, in secreta dicit, *Hostias tibi Domine deferimus, immolandas.* Ex his facilè responderi potest ad id quod.

## QUÆRITUR V.

### *Quæ sit differentia hujus sacrificij ab alijs.*

PRIMA enim differentia est, quòd in hoc Sacrificio, materia quæ assumitur non est res principaliter oblata, sed id demum quod actione sacrificali efficitur, estque terminus ad quem consecrationis : In alijs autem, materia quæ assumebatur, & circa quam exercebatur actio sacrificalis, erat id quod principaliter offerebatur.

SECUNDA, quod in sacrificijs legis tam Mosaicæ quàm naturæ Deus non erat principalis offerens, quomodo se habet in nostro sacrificio.

TERTIA, quod offerebantur animalia bruta, vel nudus panis, nudum vinum &c. hîc autem corpus & sanguis Filij Dei.

QUARTA, quod ritus offerendi sit omninò alius requirens ad consecrationem, verba determinata, eaque ex persona Filij Dei pronuntiata.

QUINTA, quod longè major est dignitas hujus sacrificij, majorque efficacia. Nam antiqua non valebant ex opere operato, sed ex devotione offerentium ; neque habebant ex se virtutem expiandi peccatum, sed significabant expiationem futuram per Christum ; ait B. Th. 1. 2. q. 102. ar. 5. ad 4. Quod autem hoc sacrificium valeat ex opere operato, infra quæsito 13. ostendetur.

Cæterùm, qualiter à sacrificio crucis differat, supereſt ut videamus. Certum est quod non differat quantũ ad hostiam, quæ offertur : nam, ut loquitur Syn. Trid. *Vna eademq; est hostia idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa:* Differt ergo in ratione offerendi. Qui enim offerebatur in cruce *Qualiter hoc sacrificium differat à sacrificio cruciſ.* passibilis & mortalis, nunc offertur impassibilis, immortalis. Qui tunc per seipsum offerebat, jam se offert ministerio Sacerdotum. Tunc se offerebat cum effusione sanguinis cruenta, jam offertur incruentè. Unde patet quod sacrificium quatenus dicitur de ipsa oblatione, aliud fuerit in cruce, & aliud sit in Missa : sunt enim diversæ actiones offerentium.

An autem ob hanc diversitatem concedendũ sit *Quæſt.* quod specie differant : sicut sacrificium juge quo immolabatur agnus, erat diversum à sacrificio agni Paschalis, ob diversos ritus, nõ convenit inter scriptores. Probabilius videtur quod non sic differant.

PRIMÒ, quia hostia est eadem, non solùm spe- *Resp.* cie sicut in sacrificio quod objicitur, sed etiam numero, idemque est principalis offerens.

Universidad de Deusto
Biblioteca



SECUNDÒ, quia unum sacrificium est commemorativum alterius, ipsique subordinatum, & quidem eo modo ut per sacrificium Eucharistiæ, virtus sacrificij crucis ad nos derivetur nobisque applicetur. Non offertur ergo sacrificium Missæ ut omnino diversum à sacrificio crucis: sed ut unum cum eo, ait Dominus Estius in cap. 10. ad Hebr. A

*Quæst.* SI QUÆRATUR quomodo sacrificium Missæ differat à sacrificio quod Christus obtulit in cœna: *Resp.* magnam esse convenientiam, & parvam diversitatem: nam ubique idem est offerens, eadem hostia, idem incruentæ immolationis modus; quamvis tunc per se offerret, nec per sacerdotes; tum mortalis, nunc immortalis. Et tunc B offerebatur in commemorationem mortis Christi futuræ; in Missa autem in commemorationem ejusdem præteritæ.

## QUÆRITUR VI.

### *Quinam sint offerentes.*

NON apparet quod Christus. PRIMÒ, quia Christus introivit in sancta, non ut sæpè offerat semetipsum, ad Hebr. 9.

SECUNDÒ, quia actio sacrificalis externa non fit à Christo, sed à solo sacerdote.

NON VIDETUR tamen quod quilibet sacerdos C possit esse offerens: quia sacrificium non potest validè offerri, nisi ab eo qui sit minister publicus, mediator inter Deum & homines; qualis non est ille sacerdos qui ab Ecclesia est præcisus.

Pro responsione sit

### CONCLUSIO I.

SOLUS sacerdos ritè ordinatus potest per se offerre sacrificium Eucharistiæ.

PROBATUR 1. quia sacerdotium & sacrificium perpetuò sunt conjuncta: ergo illi soli convenit sacrificare, cui convenit esse sacerdotem.

SECUNDÒ, sacrificium in consecratione consti- D tit; solus autem sacerdos potest consecrare, ut qu. 82. ar. 1. dum est: ergo solus etiam potest sacrificium per se offerre.

TERTIÒ, quia soli sacerdotes habent potestatem in corpus Christi verum.

QUARTÒ, solis illis, ut sacrificium offerant præcepit Christus per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem.*

### CONCLUSIO II.

CHRISTUS est principalis offerens in hoc sacrificio; non tantùm remotè, ut quidam volunt, quia scilicet ipsum instituit & in sui memo- E riam offerri præcepit, sed quia per sacerdotes modo quodam offert.

PROB 1. quia Christus *sempiternum habet sacerdotium*, ad Hebr. 7. & Psal. 109. dicitur sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec: & utique non habet sacerdotium otiosum.

SECUNDÒ, quia *necesse est eum habere aliquid quod offerat*, ad Hebr. 8.

TERTIÒ, quia in hoc mysterio *idem ipse sacerdos, est sacrificium*, cap. *Firmiter*, de summa Trinitate & hoc ar. 1. ad 3.

QUARTÒ, quia post Patres, Ambrosium lib. 1. offic. cap. 48. Augustinum lib. 10. de civit. c. 20. Chrysostomum hom. 83. in Matth. & alios: ita loquitur Conc. Trid. sess. 22. c. 2.

QUINTÒ, quia sacerdos non solum virtute Christi consecrat, sed etiam in ejus persona verba pronuntiat, ita loquens ac si ipse Christus loqueretur: ergo sacerdos solum offert tanquam minister, haud dubiè Christi, sicut offerentis principalis.

### CONCLUSIO III.

*Ut laici dicantur offerre sacrificium.*

LAICI fideles rectè etiam dicuntur offerentes, non quasi per se sacrificent: sed partim, quia offerunt per ministerium sacerdotum; partim, quia suam intentionem conjungunt cum intentione sacerdotis sacrificantis. Specialiter autem illi possunt dici offerentes, qui præter intentionum conjunctionem, externum quoddam officium exhibent, inserviendo, necessaria ad sacrificium suppeditando, vel honorarium tribuendo. Hinc in canone Missæ, illud, *vel qui tibi offerunt*, optimè ad laicos fideles referri intelligitur, conformiter S. Leoni, qui epist. 81. cap. 2. plures eodem die missas celebrari vult, juxta multitudinem fidelium: quia alioquin quædam pars populi sacrificium offerre non posset. Ubi supponit populum præsentem simul cum sacerdote offerre.

Fundamentum habet hic loquendi modus in scriptura, in qua populus & offerre, & sacrificare dicitur. *Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* Exod. 5. *Offeretis sacrificium*, Levit. 23. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis.* Num. 82. unde Job 42. Amici ejus moventur ut eant ad Job & offerant holocaustum, cùm tamen solus Job immolationem facturus esset, ut ex sequentibus patet. *Iob autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam.*

AD 1. ERGO ARG. RESP. sermonem ibi esse de sacrificio cruento, quo pretium redemptionis nostræ acquirendum erat.

AD 2. licèt solus sacerdos exhibeat externum ministerium, proferendo verba consecrationis, frangendo, sumendo: Christus tamen meritò censetur principalis offerens.

*Primò*, quia ad actionem transsubstantiationis operatur principaliùs, juxta ea quæ diximus qu. 13. art. 2. Unde Chrys. dictâ hom. 83. in Matth. *ipse nunc quoque operatur, ipse perficit: ministrorum nos ordinem tenemus; Qui verò hæc sanctificat, & transmutat, ipse est.*

*Secundò*, quia sacerdos, ut jam ante dicebamus, conficit in Christi persona, & ejus virtute, tanquam ejus legatus ipsum repræsentans, ejusque personam induens, & ipsius verbis utens. Confer B. Thom. hujus qu. ar. 1. ad 3. & qu. 78. ar. 1.

*Tertiò*, quia Christus totam illam actionem suam & sacerdotis, ordinat in cultum Dei Patris, eamque ipsi repræsentat in memoriam suæ passionis; secundùm ea quæ habet B. Tho. lect. 7. in c. 8. ad Rom. & lect. 4. in cap. 7. ad Hebr.

AD 3. Etsi minister præcisus non possit licitè offerre sacrificium, potest tamen validè, propter characterem ordinis sacerdotalis qui in ipso manet: & si attentet, publicum se ministrum exhibet ac mediatorem pro populo, atque ita gerit personam Christi, inutiliter quidem sibi, sed utiliter Ecclesiæ, cui sacrificium valet ex opere operato.

QUÆ-



## QUÆRITUR VII.

### *Pro quibus offeratur hoc sacrificium.*

VIDETUR quòd pro solo sacerdote sacrificante & sumente. PRIMÒ, quia unus non potest baptizari pro alio; ergo nec sumere Eucharistiam.

SECUNDÒ, quia tutius alioquin esset omisso usu pœnitentiæ sacramentalis, curare offerri pro se sacrificium.

TERTIÒ, August. lib. 4. de Trinitate cap. 14. negat sacrificium rectè offerri, nisi quod offertur, ab eis accipiatur pro quibus offertur.

*Hoc sacrificium valet ijs pro quibus offertur.*

RESP. certum esse quòd sacrificium hoc offer- B ri possit, & pro sacrificante, & pro alijs. PRIMÒ, quia hoc est intrinsecè annexum muneri sacerdotali, ut pro alijs intercedat: *Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum*, ad Heb. 5. id est, ut eorũ causam agat apud Deum, eorumque sit interpres & conciliator in ijs quæ sunt apud Deum agenda. Tum sequitur, *ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*, non tantùm suis, sed etiam aliorum. *Debet enim, ut sequitur, quemadmodum pro populo, ita pro semetipso offerre pro peccatis*, scilicet expiandis.

SECUNDÒ, Iob & sacerdotes Levitici offerebant sacrificia pro alijs; sacerdotes autem novæ legis nihil præ illis minus habent.

TERTIÒ, Hæc est differentia Eucharistiæ, quod C ut sacramentum prosit soli sumenti; ut sacrificium, etiam alijs, juxta illud Matth. 26. *qui pro vobis*, scilicet sumentibus; & *pro multis*, scilicet ait *effundetur*, juxta B. Thomam quæst. 79. art. 7. Unde patet.

RESPONSIO AD 1. ARGUMENTUM. Neganda est enim consequentia; quia baptismus non est sacrificium, sicut Eucharistia.

AD 2. Negatur assumptum, quia sacrificium non eo modo valet gratiam conferre, quo sacramenta, ut postea videbitur.

AD 3. Augustinus negat ritè offerri nisi sumatur ab aliquo eorum pro quibus offertur: hoc au- D tem semper fit, quia celebrans, hostiam pro se & pro populo oblatam semper sumit, ac omnino debet sumere.

## QUÆRITUR VIII.

### *Vtrum pro solis fidelibus offerendum sit sacrificium.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ. Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis qui membra sunt Christi? ait August. l. 1. de origine animæ c. 9. quod B. Thomas q. 79. ar. 7. ad 2. sic de membris vivis intelligit, ut dicat hoc sacrificium non E habere effectum, nisi in illis qui conjungantur huic sacramento per fidem & charitatem.

SECUNDÒ, Concilium Bracar. 1. can. 35. vetat pro catechumenis offerri sacrificium: eique consentit Chrysostomus hom. 3. in epistolam ad Philippenses.

TERTIÒ, In sacrificio Eucharistiæ offertur sacramentum unitatis; ergo pro illis solis offerendum est, qui sunt in unitate corporis Christi.

RESPONSIO tamen negativa tenenda est. Nam quod & pro catechumenis (quos à fidelibus discernere solent veteres, Tertullianus l. de præscript. c. 41. Chrysostomus hom. 24. in Ioannem, Augustin. tract. 44. in Ioannem, & l. 1. de peccatorum meritis c. 20.) & pro paganis, ac idololatris offerre liceat sacrificium, etsi non desint qui aliter sentiant, probat imprimis illud 1. ad Timoth. 2. *Obsecro primum omniũ fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, Ubi Apostolus non pro fidelibus dumtaxat orari vult, sed (nemine excluso) pro omnibus: Et quamquam reges tunc essent infideles, addi tamen *pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt.* Ipsum verò loqui de publicis Ecclesiæ precibus quæ tum ad altare per sacerdotes, tum in conventibus Ecclesiæ per ministros, simul cum eis orante populo; fiebant, tradunt Chrysostomus in eum locum, Augustinus epistola 59. Prosper lib. 1. de vocatione Gentium cap. 12. *Non pro solis fidelibus est sacrificandum.*

SECUNDÒ, Sacrificia legis Mosaicæ offerebantur pro Gentilibus, ut pro Dario, 1. Esdræ 6. pro Spartiatis, 1. Machab. 12. pro Heliodoro, 2. Machab. 3. ergo & sacrificium Eucharistiæ, cùm sit efficacius, potest offerri pro infidelibus.

*In mysteriis cõmunes pro non initiatis preces effundimus*, ait Chrysostomus hom. 77. in Ioannem.

Et Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 2. *Sacrificamus*, ait, *pro salute imperatoris*, qui tamen erat infidelis.

De catechumenis, paganis, idololatris, aperta sunt verba Aug. ep. 107. ubi Vitalem Carthag. qui ad Pelagianismum declinabat reprehendens, *Exerce*, ait, *contra orationes ecclesiæ disputationes tuas: & quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis ut eos Deus convertat ad fidem; & pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, &c. subsanna pias voces.* Et iterum, *Nunquid & orare prohibebitis ecclesiam pro infidelibus ut sint fideles: pro ijs qui nolunt credere, ut velint credere?* &c. *De Paganis & Catechumenis.*

Non minus aperta sunt Cælestini, & Prosperi verba, quæ in sequenti quæsito referentur.

Quamvis ergo in canone Missæ non oretur pro his qui sunt extra Ecclesiam, ut loquitur B. Thomas dicto ar. q. 79. olim tamen pro similibus offerebatur sacrificium, ad impetrandam scilicet eorum conversionem.

Ut autem nunc offeratur, Ecclesia non vetuit, quinimò oblationem calicis ad eos manifestè extendit, cùm per sacerdotem orat, *ut pro nostra & totius mundi salute cũ odore suavitatis ascendat.* Sed & sacrificando rogare Deum, ut parvulos non baptizatos perducere dignetur ad gratiam baptismi; Christianæ pietati consonum est.

His consentiens Laiman l. 5. tract. 5. c. 2. du. 6. ita scribit: Pro omnibus viventibus, tam parvulis quam adultis, fidelibus, & infidelibus sacrificium offerri potest à sacerdote, quatenus is Christi personam gerit &c. Et n. 8. Pro Catechumenis tum vivis tum defunctis sacrificium aliquo modo offerri posse constat. Ac rursum nu. 9. Communior est Doctorum sententia contra Sot. l. 9. q. 2. ar. 2. de justitia Vasquez l. 2. pro infidelibus Paganis & Judæis Missæ sacrificium offerri posse per modum deprecationis, ut ad Christianam fidem convertantur.

AD 1. ergo ARG. RESP. Augustinum loqui de parvulis sine baptismo mortuis, pro quibus cum hæreticus diceret offerenda jugiter sacrificia: contra, ipse argumentatur pro nullis defunctis ea esse offerenda, nisi qui decesserint, ut membra Christi,

Universidad de Deusto
Biblioteca



per charitatem ei conjuncta ; neque enim alioqui A per ullum sacrificiũ futuri sunt membra Christi.

Ad B. Thomam Resp. cum intelligere pro membris Christi offerri, quando offertur pro aliquibus ut sint membra Christi : quemadmodum loquitur in 4. qu. 2. art. 2, quæstiuncula 2. ad 4. In verbis autem objectis non loquitur de omni effectu, qui potest per sacrificium impetrari ; sed (prout apparet ex argumento) de adeptione gratiæ & gloriæ, & de remissione culpæ : quem effectum non habet hoc sacrificium nisi in illis qui ei conjunguntur per fidem & charitatem seu sincerã & Christianam dilectionem ; quia nõ confert immediatè gratiam remissionis peccatorum, sed impetrat pœnitentiam, conversionem &c. per quæ B habetur illa conjunctio, ac tandem sequitur adeptio gratiæ inhabitantis, & remissio peccatorum.

Ad 2. quidam respondent sermonem ibi esse de catechumenis suâ culpâ sine baptismo mortuis : quæ responsio probabilis est, ex canone præcedenti. Insuper tamen addi potest significari quod non ita sit pro defunctis catechumenis sacrificandum, quo modo sacrificatur pro fidelibus defunctis, ut scilicet publicum Ecclesiæ officium directè pro illis fiat, ipsique nominatim in eo recenseantur.

Ad 3. Resp. quia Eucharistia est sacramentum unitatis, ideò sumi non debet nisi ab illis qui sunt in unitate : Cum autem non offeratur ut C sacramentum, sed ut sacrificium, potest offerri pro omnibus.

Si dicas, etiam esse sacrificium unitatis : Resp. id posse admitti ; non quia offeratur pro solis Christo unitis, sed quia unionem illam causare aptum est, offeruntque pro illis qui in Christo unum sunt ut sic permaneant, & in ea unitate crescant ; pro alijs autem ut sint unum, corde ad Deum conversi.

## QUÆRITUR IX.

*Vtrum pro omnibus fidelibus sit offerendum sacrificium.* D

Videtur quod non. Primò, quia pro excommunicatis, cùm privati sint suffragijs Ecclesiæ, non licet offerre, imò nec alias preces publicas facere, ut docet B. Th. quodlib. 11. art. 9. conformiter capitulo *A nobis*, 2. & cap. *Sacris*, De sententia excommunicationis.

Secundò, pro energumenis vetitum est offerre sacrificium in Concilio Elibertino can. 29.

Tertiò, pro voluntariè peccantibus nulla relinquitur hostia, ad Hebr. 10. ergo nullum sacrificium.

Responsio probabilis est, sicut publicas orationes, ita & sacrificium licitè offerri posse pro omnibus fidelibus, etiam excommunicatis ; imò & E pro hæreticis, hoc est, pro hæreticorum & aliorum excommunicatorum salute & conversione : ita tamen, ut quando fuerint de numero eorum qui per capitulum, *Ad evitanda*, debent vitari, duo observentur.

Primus, ut nullius ipsorum nomen publicè exprimatur ; adeò ut si Rex vel Episcopus esset nominatim denuntiatus excommunicatus, nominandus non esset, neque in alijs Ecclesiæ publicis precibus : ut ipsi sic confundantur, & confusi corrigantur. *Quatenus liceat pro excommunicatis offerre.*

Posterius, ut quatenus sacerdos offert sacrificium velut minister ecclesiæ pro ecclesia seu ecclesiæ membris, non offerat illud pro hæreticis vel excommunicatis saltem illis qui vitari debent ; quia neque ipsi sunt membra ecclesiæ, neque licet eos facere participes illorum suffragiorum quæ fiunt pro ecclesia seu ejus membris, cum ab ea sint per excommunicationem præcisi, atque ut tales palam ac publicè cogniti.

Si quæras, quomodo igitur possit pro talibus offerri sacrificium : Responsio videatur in resp. ad 1. Scimus non deesse qui hujus q. resolutioni oppositum sentiant : Sed cum prædictis limitationibus nostra videtur esse probabilis. Itaque

Prob. potest 1. ex prioris ad Timoth. 2. ubi Apostolus loquens de publicis precibus, etiam illis quæ per sacerdotem fiunt ad altare, ut q. superiori diximus, vult eas fieri *pro omnibus*. Neque sensus est, *pro omni hominum genere* ; quia non tantum ad genera hominum respicit intentio Ecclesiæ orantis ex Apostolicâ monitione pro omnibus, sed etiam ad singulos ; cupit enim unumquemque salvum fieri, & non tantùm ex singulis generibus aliquos.

Secundò, Ecclesia non subtrahit ab excommunicatis correptionem, monitionem prædicationem, quarum effectum expectat & petit à Deo : ergo nec orationem.

Tertiò, excommunicatio est medicinalis : non potest autem esse excommunicatis pro medicina commodius quam per publicas orationes & sacrificia.

Quartò, Ecclesia in hebdomada majori orat pro hæreticis, ac insuper habet Missam peculiarem pro tollendo schismate : constat autem tam schismaticos quàm hæreticos esse excommunicatos.

Si dicas, in ea Missa ecclesiam non orare directè pro schismaticis, sed solùm à Deo petere ; ut in ecclesia gratiam unionis infundat, atque adeò tantum indirectè orare pro schismaticis. Resp. neg. Assump. Orat enim ecclesia ut schismatici, abjecto schismate, reuniantur capiti ; & sic petit gratiam unionis super populum Christianum infundi, ut populus à verò ecclesiæ capite per schisma divisus, divisione rejecta, vero pastori Ecclesiæ Christi se uniens, Deo dignè valeat famulari ut patet ex Collecta Missæ. *Offerri potest pro tollendo schismate.*

Accedit quod quotidie sacerdos in Missa petit à Deo susci pi immaculatam hostiam quam offert, pro se & pro omnibus circumstantibus, *sed & pro omnibus fidelibus Christianis* : excommunicati autem sunt de numero Christianorum. Et iterum, offerens calicem rogat. *Vt in conspectu divinæ Majestatis pro nostra & totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat.* Quid est pro totius mundi salute, nisi pro salute omnium qui in mundo sunt.

Quintò, Cæleſt. in epist. ad Epis. Gal. c. 11. dicit, *Sanctarum plebium præsules : quando mandata sibi legatione funguntur apud divinam clementiam, postulare ut infidelibus donetur fides : ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus ; ut Iudais ablato cordis velamine lux veritatis appareat : ut hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum rediviva charitatis accipiant.* Et Prosper c. 12. l. 1. de vocat. Gen. *Supplicat*, inquit, *ubique ecclesia Deo non solùm pro sanctis & in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis &c. pro hæreticis & schismaticis.* S. Leo serm. 4. de Epiph. *Ecclesiasticum sanè atque divinitus institutum,*



*tutum, non solum non inhibemus, (sed etiam indicamus effectum, ut etiam pro talibus* (de Manichæis loquitur) *nobiscum Domino supplicetu.* A

Denique, lex charitatis jubet inimicos diligi, & pro omnibus proximis orari : ergo Ecclesia, quæ non potest excommunicatos à numero proximorum secernere, debet orare pro illis.

Ad 1. Arg. Resp. conformiter supradictis, excommunicatos esse privatos communibus suffragijs Ecclesiæ, id est, suffragijs illis quæ sunt cõmunia toti Ecclesiæ, seu quæ fiunt pro membris Ecclesiæ. Unde B Th. in 4 d. 18 q. 2. a 1. sive Sup. q. 21. a. 1. ad 1. *Pro excommunicatis orari potest, quãvis non inter orationes quæ pro mẽbris Ecclesiæ fiunt.* Et ad 2. *Suffragia*, inquit, *Ecclesiæ quæ pro tota Ecclesia fiunt, eis non prosunt, nec ex persona Ecclesiæ* B *oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest.* ubi non absolutè negat pro eis orari posse ex persona Ecclesiæ ; sed solùm sic, ut orando annumerentur membris Ecclesiæ, quasi essent ex illis.

Hinc Sylv. verb. *Excommunicatio*, 1. docet orantem pro excommunicato non peccare, etiamsi tanquam Ecclesiæ minister, & ex ejus persona id faciat : modò non oret enumerando ipsum in mẽbris Ecclesiæ : quod fit quando sic orat pro eo in particulari, sicut facere consuevit pro alijs fidelibus, ipsum eis annumerando, & nomen ejus palam exprimendo, ac pro eo publicas Ecclesiæ preces instituendo ; perinde ac si esset de Ecclesia.

Pro excommunicatis enim non licet orare tanC quam, pro membris Ecclesiæ, neque ipsos publicè in precibus nominare, vel pro illis Missas votivas aut alia divina officia celebrare, sicut celebratur pro fidelibus non excommunicatis : Hac enim ratione privantur suffragijs Ecclesiæ, eo addito quod non sunt participes suffragiorum quæ pro Ecclesia fiunt.

Cum his autem benè consistit quod Sacerdos in Missa, alijsque divinis officijs, præter eos, quos ut Ecclesiæ filios Deo commendat, particulariter & secretè suam intentionem dirigat pro hoc vel illo excommunicato, ut Deus eum ad saniorem mentem, Sanctæque Matris Ecclesiæ gremium reducere dignetur.

D

*Pro excommunicatis quatenus orare possit in Missa.*

Quare dicimus esse licitum orare pro excommunicatis : primò quidem in *Memento* Missæ ; ubi Sacerdoti conceditur specificare quos voluerit, ut indicat Dominic. in 4. d. 22. q. 1. ar. 1. manifestiùs autem asserunt Sylvester loco allegato, Vivaldus initio tract. de excomm. Tolet. l. 1. c. 11. aliàs 9. Sayrus l. 2. Thesauri c. 4. n. 9. cum pluribus ibidem citatis.

Deinde, in Collectis, alijsque precibus quæ fiunt ad altare ; modò sic intentio Sacerdotis ad eos seu pro ijs eorumve correctione dirigatur, ut non publicè nominentur, neque pro ipsis sicut pro alijs qui de Ecclesiâ sunt, officia ista publica instituantur.

E

Ad cap. objecta potest conformiter Responderi quod ibi vetetur ne pro excommunicatis fiant preces publicæ, quemadmodum fieri solent pro fidelibus non excommunicatis.

Quamquam in illis non de omnibus excommunicatis sermo est, sed de illis qui erant in excommunicatione mortui ; diciturque illos, tametsi pœnitentiæ signa dederint, non esse habendos pro absolutis, & consequenter non esse pro illis (particulariter scilicet ac publicè) orandum, sicut oratur pro non excommunicatis, pro quibus fiunt exequiæ, absolutiones, oblationes, nisi prius absolutionis beneficium impendatur : quia orationes quæ pro defunctis fiunt ab Ecclesia, supponunt eos esse de Ecclesia ; & ideò priùs debent ei per absolutionem restitui, quàm ipsa pro illis oret. A

Pro excommunicatis autem vivis orandum est, ut ad Ecclesiam redeant. Hinc Estius in 4. d. 12. §. 15. Nec dubium est, inquit, etiam pro excommunicatis sacrificandum esse, ut depositâ animi contumaciâ convertantur, & redeant ad gremium Matris Ecclesiæ, licet tam eorum quàm aliorum Ecclesiæ hostium nomina à sacrificante, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam exprimi non debeant. Quibus conformiter postea scripsit in c. 2. Prioris ad Tim. Sic & P. Philip. Dangoumois Presbyter Capuc. in Novitiatu Hermogenis c. 23. inter salutaria documenta bene audiendi Missam : offer, inquit, illam pro omnibus hæreticis, schismaticis, atheis, & infidelibus, pro omnibus qui in tribulatione sunt.

Ad 2. etiam pro energumenis sacrificandum, ex Clem. l. 8. c. 8. potest colligi, atque ex eo, quod vexatio illorum non sit culpa, sed pœna. Unde can. 37. Conc Elibert. communio ipsis danda esse statuitur in periculo mortis.

Can. autem 29. non statuit pro illis nullo modo esse offerendum sacrificium sed eorum nomina non esse peculiariter ad altare recitanda ; fortassis propter scandalum, quod illo tempore sequebatur, ex eo quod palam & publicè nominarentur ad altare : præsertim cùm non agatur de toto genere energumenorum, sed de illis qui à malo spiritu exagitantur, sic ut non sint bene sui compotes. C

Ad 3. Resp. voluntariè peccantibus non superesse hostiam, quâ sicut in baptismo simul penitus liberentur ab omni culpa & pœna. Vide qu. 84. art. 1.

## QUÆRITUR V.

*Vtrùm pro defunctis offerendum sit sacrificium.*

Pro fidelibus in Purgatorio existentibus offerendum esse, patebit ex Suppl. q. 71. a. 2. & 6. Non esse autem offerendum pro damnatis, constat ex eo quod in inferno nulla sit redemptio, & nulla sive culpæ sive pœnæ remissio. Vide B. Th. Suppl. q. 71. art. 5. ubi & Augustinum dicentem, quòd *damnatio quibusdam fiat tolerabilior*, per sacrificia, sic explicat, ut per *damnationem* intellexerit affl ctionem & supplicium eorum qui sunt condemnati ad pœnas, non in inferno æternas, sed in Purgatorio temporales. *Non est offerendũ pro damnatis.*

Quod autem c. 112. Ench. dicit, *existiment pœnas damnatorum certis temporum intervallis aliquatenus mitigari* ; non affirmat hoc esse probabile, sed solùm non ita esse apertè hæreticum, sicut est illa sententia quæ asserit pœnas damnatorum posse finiri.

Ad Beatos quod attinet, tria sunt certa. *De beatis.*

Primum, non eis offerri sacrificium, sed Deo.

Secundum, non pro illis offerri tanquam propitiatorium, in remissionem alicujus culpæ, vel pœnæ.

Tertium, posse dici quod ut sacrificium laudis offeratur pro illis, id est, pro beneficijs in ipsos collatis. Cùm enim sacrificia, sive altaris, sive quarumcunque eleẽmosynarum, pro baptizatis defun-

Universidad de Deusto
Biblioteca



defunctis omnibus offeruntur : *pro valde bonis gratiarum actiones sunt*, ait Aug. Enchir. c. 110. A

Insuper autem offeruntur in memoriam eorum, quatenus in missa passiones & gesta sanctorum commemorantur, & eorum recordatione hoc agimus, *ut illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* Sed

## QUÆRITUR XI.

*An hoc sacrificium ut est impetratorium, sit pro beatis offerendum.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia beatitudo seu gloria accidentalis ipsorum potest augeri ; possunt enim habere novas revelationes, novum gaudium, novam gloriam externam : ergo possumus à Deo petere, ut eis ista conferat. B

SECUNDÒ, ecclesiæ oratio habet, *ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem,*

TERTIÒ, Cyprianus epist. 34. de martyrio coronatis loquens, Sacrificia, inquit, pro eis semper offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniversariâ commemoratione celebramus.

*Non est offerendū sacrificiū pro beatis.*

Verum pro beatis nos propriè nec orare, nec sacrificium, ut impetratorium est, offerre.

PROBATUR, Quia ad honorem & gloriam ipsorum pertinet, nos non pro ipsis, sed ipsos orare : C *Injuria est* enim *pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*, ait Aug. ser. 17. de verbis Apost. & tra. 84. in Ioan. *Ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus : sed magis ut orent ipsi pro nobis.* Idemque de sanctis alijs sentiendum esse, affirmat Innocentius tertius c. *Cùm Martha*, quia orationibus nostris non indigent : *pro eo quod sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt.* Hanc ob causam Secreta in festo beati Leonis 28. Iunij. quæ habebat *ut anima famuli tui Leonis hæc profit oblatio*, mutata est, dicturque *ut intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio.*

*Confer dictum c. Cum Martha.*

D

AD 1. ARG. RESP. gloriam sanctorum accidentalem vel esse illis intrinsecam, cujusmodi sunt revelationes & gaudia, vel extrinsecam, cujusmodi est quod ab hominibus honorificentur & glorificentur. Illam accipiunt independenter à nostris orationibus : ex ratione beatitudinis quam habent : ista verò redundat ex nostris precibus, per quas obtinemus, ut aliqui eos glorificent in terris. Non est ergo pro sanctis orandum, ut eis aliquid impetremus quod alioquin non essent in seipsis recepturi, sed petere possumus gloriam eorum externam, hoc est, ut magis ac magis honorentur ac glorificentur. Verùm tali oratione non tam propriè oramus pro illis, quàm pro nobis & alijs hîc E degentibus, ut illi nobiscum sanctos honorent, quemadmodum non oramus pro Deo, ut aliquid ei impetremus, quando dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, sed rogamus gratiam quâ tum nos, tum alij Deum honoremus & sanctum habeamus. Vide Beatum Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 9. ad 1.

*Ob.*

SI DICAS in Secreta Missæ S. Bonaventuræ Deum rogari, ut per hæc piæ placationis officia, *& illum beata retributio comitetur, & nobis gratia sua dona conciliet.*

*Resp.*

RESP. Illâ Secretâ peti, vel gloriam accidentalem quæ sanctis redundat ex eo quod multi ipsos honorant & magnificant ; vel perfectam retributionem, quæ erit in resurrectione, quæque non malè à nobis desideratur & oratur, etiamsi certò sint illam habituri. Confer Suppl. qu. 71. art. 8.

Ex his patet RESP. ad 2.

AD 3. pro martyribus offerre sacrificium, Cypriano idem est quod pro illorum commemoratione, sive ut per eos eorumque recordationem Deum deprecemur, atque ( ut loquitur Cyrillus Jerosolymitanus cateches. 5. mystagogica, ) *Ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.* Nam & ipse Cyprianus epist. 37. *Dies eorum*, inquit, *quibus excedunt, annotate ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* Ex his ergo patet pro quibus offerendum sit sacrificium. Confer Supplementi q. 71. art. 8. sed latiùs examinandum est quod

## QUÆRITUR XII.

*Vtrum hoc sacrificium sit propitiatorium.*

HÆRETICI enim contendunt esse dumtaxat Eucharisticum, id est, eo tantum agi gratias Deo pro beneficijs acceptis, nullo autem modo esse impetratorium, pro accipiendis, aut propitiatorium pro peccatis remittendis. Et confirmari posse

VIDETUR PRIMÒ, ex cap. 9. ad Hebr. *sine sanguinis effusione non fit remissio* : in Eucharistia non est effusio sanguinis, ergo nec remissio peccati.

SECUNDÒ, si sacrificia vetera fuissent propitiatoria, *cessassent offerri, eò quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati* : ad Heb. 10. ergo si Christi sacrificium sit propitiatorium, cessare debet offerre, ob eandem rationem : semper autem offertur, ergo non est propitiatorium.

TERTIÒ, Chtistus una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ad Hebr. 10. ergo non est locus propitiationi, quæ fieret per sacrificium Eucharistiæ.

QUARTÒ, Ibidem dicitur quod, *Vbi est peccatorum remissio, jam non est oblatio pro peccato* : sed per sacrificium crucis obtenta est remissio : ergo.

*Resp. esse.*

RESPONSIO AD FIDEM PERTINENS, definite in Concilij Trident. sess. 22. c. 2. & can. 3. est sacrificium istud verè propitiatorium esse, ac pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere.

PROB. PRIMÒ, ex cap. 5. ad Hebr. quia præcipuum munus cujuslibet sacerdotis est *offerre sacrificia pro peccatis.*

SECUNDÒ, Christus Luc. 22. dixit corpus suum *dari*, scilicet in sacrificium ; & calicem *fundi pro nobis*, hoc est, in remissionem peccatorum, ut est apud Matthæum.

TERTIÒ, Iob & Levitarum sacrificia offerebantur pro peccatis : ergo & pro illis offerendum est sacrificium Eucharistiæ ; quod prioribus omnibus longè est excellentius & efficacius : utpotè continens omnes differentias hostiarum ; ut loquitur S. Leo sermone octavo de passione cap. 7.

QUARTÒ, in liturgia S. Iacobi sacrificium incruentum dicitur offerri pro peccatis, pro pace, pro aëris temperie, pro frugibus.

QUINTÒ,



QUINTÒ, Cyrillus Jerosolymitanus dicta catechesi 5. vocat hostiam *propitiationis*. Hieronymus in c. 1. ad Titum dicit eam *offerri pro peccatis*, sicut & Augustinus q. 57. in Levit. A

AD 1. ergo ARG. RESP. sermonem ibi esse de sacrificijs veteris legis, quorum illa quæ pro peccatis offerebantur, non erant sine sanguine, sed cruenta. Remissio autem illa, similiter intelligitur legalis, & ab immunditijs exterioribus, vide 1. 2. q. 102. ar. 5. ad 4. & q. 103. ar. 2. in c. Neq, tamen remissio peccatorum quæ habetur per sacrificium Eucharistiæ, fit sine sanguine ; etiamsi fiat sine præsenti effusione sanguinis : In cruce enim fudit sanguinem suum Christus, & effusionis illius virtute, per sacrificij Eucharistiæ oblationem impe- B tratur peccatorum remissio.

AD 2. Negatur consequentia. Antecedens autem sic est intelligendum, ut sermone Apostolico significetur, legem non præcepturam fuisse repetitionem eorundem sacrificiorum singulis annis, si illa habuissent vim mundandi à peccato : quia homines semel mundati, ad eam mundationem non egebant iterato sacrificio.

Nec obstat quod poterant *iterum peccare, propter* quod indigerent iterata oblatione : quia ex præcepto legis iterandum erat Pontifici sacrificium, non habita ratione relapsûs in peccata, quod argumento erat, non fuisse præceptum iterari sacrificia propter remissionem peccatorum, sed C propter aliud, scilicet propter eorum commemorationem, de qua Levir. 16.

Deinde sacrificia illa, cùm non referrentur ad unam aliquâ oblationem à qua vim sanctificandi haberent, ne quidem ad sacrificium crucis (sic enim ad novum testamentum pertinuissent ; ) sed singula per se ac seorsim exhiberentur, prout institutio veteris testamenti habebat, simpliciter multa erant, ac ut diversa repetebantur : sacrificium autem Eucharistiæ repetitur quidem, non tamen offertur ut diversum à sacrificio crucis, sed ut unum cum eo. Quamvis enim plures sint oblationes ; omnes tamen incruentæ referuntur ad unam cruentam, à qua dependent, & à qua vim & effi- D caciam suam hauriunt. Repetuntur ergo sacrificia quæ sunt commemorativa unius principalis : ipsum autem principale non repetitur.

AD 3. Negatur Consequentia ; quia sensus scripturæ est, quod Christus una oblatione, quàm fecit in cruce, omnes quotquot ullo unquam tempore sanctificantur, consummet, id est, perfectos reddat, seu sanctificet, ita ut nullus sanctificetur, nisi per virtutem illius sacrificij crucis. Quæ virtus cùm nobis applicetur per sacrificium Eucharistiæ, nequaquam ut superfluum aut inane potest reputari, sed solùm potest concludi non habere vim propitiandi independentem : quod omnino fatendum est. Sacrificium enim Eucharistiæ non E solùm est dependens à sacrificio crucis ; sed etiam magna parte est idem cum illo.

*Sacrificium Eucharistiæ non habet vim independentē.*

AD 4. Negatur etiam Conseq. quia sensus Apostolicæ sententiæ est, postquam parta est universis hominibus remissio peccatorum quoad sufficientiam, datumque sufficiens pretium redemptionis, non esse ullam aliam oblationem propitiatoriam quâ tale pretium acquiratur. Cum hoc autem bene consistit ; quod, quia peccata non sunt actualiter universis remissa, sed cuique remittuntur quando fit particeps hujus sacrificij ; sicut est locus orationibus, bonis operibus, sacramentis ; ita etiam locus sit sacrificio Eucharistiæ, per quod virtus sacrificij crucis nobis applicatur, sed

## QUÆRITUR XIII.

*Quo modo valeat hoc sacrificium.*

QUOD non ex opere operato. PROB. PRIMÒ, quia omnis effectus proveniens ex opere operato, est ex Christi promissione ; cùm nulli operi conveniat ex sua natura, sic operari : Atqui de Eucharistia, ut est sacrificium nulla est promissio facta : ergo.

SECUNDÒ, Si sacrificium Eucharistiæ valet ex opere operato, sequitur ejus effectum esse infallibilem ; atque adeò cùm offertur pro alicujus peccatoribus conversione, sequetur eum infaliibiliter converti : cùm pro beneficijs corporalibus ; sequetur ea infallibiliter obtineri : cùm pro defunctis, eos à pœnis statim liberari, quæ omnia facilè possunt falsitatis redargui.

TERTIÒ, sacrificium hoc solùm valet ad satisfaciendum, pro quantitate devotionis offerentiù : ergo solùm ex opere operantis. Antecedens traditur ab Authore q. 79. ar. 5. his verbis, *In quantum est sacrificium habet vim satisfactivam sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis quam quantitas oblationis*, &c. Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis.

RESP. Cùm sacrificium sit actus religionis excellentissimus ; si offeratur ab homine justo, non dubium est quin & meritorium & satisfactorium sit : Nã hoc & alijs bonis operibus commune est.

*Sacrificiū Missæ valet ex opere operato.*

Sed præterea tenendum est, aliquem esse effectum qui virtute hujus sacrificij detur ultra omne meritum aut sanctitatem, sive sacerdotis offerentis, sive ejus pro quo offert ac proinde, hoc sacrificium valere ex opere operato.

PROB. PRIMÒ, quia ut loquitur synodus Tridentina sess. 22. cap. 1. *hæc illa munda oblatio est quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.* D

SECUNDÒ, *Hæc oblatio bona omnia per varias sacrificiorum differentias significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio, complectitur*, ait ibidem Concilium : illa autem Deo grata erant & valebant ex opere operantis ; ergo istud ex se Deo placet, valetque ex vi talis operis.

TERTIÒ, Hoc sacrificium est verè propitiatorium, *perq, ipsum fit ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus ; misericordiam consequamur*, &c. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit* ; ait Conc. c. 2. pro ratione addens, *una enim eademq, est hostia, & idem offerens qui fuit in cruce* : hæc autem ratio subsistit, qualiscunque sit minister.

QUARTÒ, Sacramenta novæ legis vim suam habent independenter à bonitate ministri : ergo & sacrificium, quia utrumque spectat ad dignitatem novæ legis.

QUINTÒ, sequitur alioquin, hoc sacrificium nec aliter valere oblatũ à sacerdote sacrificante quam valeat sumptio Eucharistiæ laici pro laico ; nam & hæc prodesse potest alteri ex devotione operantis.

DENI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



DENIQUE B. Thomas in 4. d. 45. q. 2. art. 1. A quæstiuncula 3. *In suffragijs*, inquit, *quæ fiunt per malos, duo possunt considerari: primò, ipsum opus operatum, sicut sacrificium altaris*, &c.

AD 1. ARGUM. negatur Minor. Quamvis enim in scripturis non exprimatur promissio sufficienter tamen continetur in verbis Christi instituentis hoc sacrificium : quamquam nec promissio de effectu sit necessaria, sed sufficit institutio ad talem effectum.

*Quomodo sacrificium valeat ex opere operato.*

AD 2. Negatur assumptum : quia sacrificium Eucharistiæ non valet ex opere operato, eo modo quo sacramenta, infallibiliter operando illum effectum cujus causa offertur: sed impetrando eum, tunc dandum, quando, & quo modo visum Deo B fuerit. Ac nihilominus aliter valet, quam orationes, aut alia bona opera : licet enim offerens sit malus ; valet tamen sive ad satisfaciendum, sive ad impetrandum, ex vi suâ id est, ratione operis quod agitur, & ratione dignitatis tum rei oblatæ, tum principalis offerentis. Quamquam non negemus quendam hujus sacrificij effectum *infallibiliter* sequi in subjectis bene dispositis, ut remissionem pœnæ in justis, consecutionem misericordiæ in illis qui contriti ac pœnitentes ad Deum accedunt, quemadmodum patere potest ex quæsiti 14. concl. 1. & 3.

*Explicatur B. Thom.*

Unde quod in 3. Arg. sumitur negandum est, B. autem Thomas solum vult per hoc sacrificium non semper tolli omnem pœnam, sed juxta dispositionem, tum ejus qui offert, tum ejus pro quo C offertur, plus vel minus remitti.

Ex quo non sequitur quod non valeat ex opere operato; cùm & sacramenta magis vel minus operentur secundum dispositionem suscipientium.

## QUÆRITUR XIV.

*Ad quid ex opere operato valeat hoc sacrificium.*

### CONCLUSIO I.

*Ad pœnæ remissionem.*

JUSTIS sive vivis sive mortuis, *ex opere operato* valet infallibiliter ad alicujus pœnæ remissionem, si ad hoc offeratur, & ibi purgatione indigeant. Eucharistia enim *in quantum est sacrificium, habet vim satisfactivam*, ait B. Thomas q. 79. ar. 5. atque adeò ad illum effectum applicata, vel in parte, vel in toto pœnam tollit, secundùm mensuram pœnæ peccato debitę, & devotionis quâ offertur, ut idem Author tradit in 4. d. 12. q. 2. art. 2. modò non sit ex parte subjecti repugnantia.

### CONCLUSIO II.

HOC sacrificium ex opere operato non confert immediatè (id est, nullo sacramento vel ejus voto mediante) aut peccati mortalis remissionem, aut primâ gratiam justificantem, qua quis ex injusto fiat justus: Alioquin, sequeretur quod eo ipso quo pro peccatoribus offerretur, peccata eis remitterentur, modò obex non obstaret : & per consequens; si pro parvulo recens nato Missa fieret, is peccati originalis remissionem consequeretur sine baptismo ; si pro relapsis in peccatum mortale, ipsi remissionem ejus haberent sine sacramento pœnitentiæ re vel voto susceptо : quæ catholicorum nullus admitteret.

*Ob.* Nec obstat, quod sacramenta valeant ad gratiam justificationis conferendam: Cùm enim per se primò sint ordinata ad sanctificationem suscipientis, elevata sunt ad eam conferendam : sacrificium *Resp.* verò ex se ordinatur, tum ad colendum Deum ; tum ad aliquid ab eo impetrandum, & ad satisfaciendum : & ideo non oportuit ipsum elevari ad effectum sacramentis proprium, qui est gratiam primam aut ejus augmentum per se conferre.

Hac ratione consequenter existimamus hoc sacrificium non conferre augmentum gratiæ ; nec culpas veniales, immediatè, id est, sine ullo actu, vel merentis, vel peccata venialia detestantis, remittere ; quia non est institutum, ut ipsum per se mutationem operetur interius ; collatio autem gratiæ, vel remissio peccati venialis, non fit sine mutatione animæ.

### CONCLUSIO III.

HOC sacrificium valet mediatè ad remissionem peccatorum mortalium : quia ut post Alexandrum primum ep. 1. c. 4. loquitur synodus Trident. sess. 22. c. 2. *hujus oblatione placatus Deus, gratiam & donum pœnitentiæ concedit*, quo nimirũ peccator velit accedere ad sacramentum illud, per quod accepturus est gratiam justificantem, suique peccati remissionem. Valet autem ad hoc, *ex opere operato* : quia licet non operetur gratiam in anima sicut sacramenta, vi tamen suâ, & ex dignitate rei quæ offertur, valet ad impetrandum peccatori, etiam prius aversо conversionem, pœnitentiam, & desiderium sacramenti suscipiendi.

Hinc author in 4. dicta d. 12. q. 2. ar. 2 quæstiuncula 2. ad 4. loquens de hoc sacrificio, *Peccata*, inquit, *mortalia delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis impetrat.*

Porrò, cum hic effectus interdum impetretur homini obstinatissimo in peccatis, non impetretur autem omnibus pro quorum conversione sacrificium offertur, non videtur semper esse infallibilis. *Si qui tamen cũ vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes, ad Deũ accedant ; per ipsum fiet ut misericordiam consequantur*, ait eadem Syn. dicto capite 2. quia scilicet per ipsum fiet, ut vel ad sacramentum, vel ad ejus votum perducantur, peccatorumque remissionem accipiant. Et hic effectus infallibiliter sequi videtur ex hoc sacrificio, in subjectis ita dispositis. Atque hoc est quod B. Th. dicto loco in 4. asserit; *si eos qui tantum habent vitam spiritualẽ in potentia, dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificij, à quo omnis gratia in eos defluxit.* Secundum hæc intelligendũ etiam est quod q. 79. ar. 7. ad 2. dixit *hoc sacrificium non habere effectũ nisi in illis qui conjunguntur huic sacramento per fidem & charitatem*: quamvis enim peccatori neque fidem, neque charitatem habenti, possit per hoc sacrificium impetrari pœnitentia & conversio ; non est tamen infallibile quod semper impetrabitur. Ipsa etiam peccati remissio, quæ est ille effectus hujus sacrificij, de quo ibi loquitur Author, non contingit nisi illis qui pœnitentiam agentes, fidem & charitatem seu dilectionem habent, saltem actualem.

Effectum ergo certum & infallibilem ex opere operato non habet hoc sacrificium in omnibus, præsertim illum qui est remissio peccatorum, adeptio gratiæ & gloriæ, de quo B. Thom. ibi loquitur ; sed in illis qui sufficienter dispositi sunt. Ipsa verò dispositio, gratia conversionis, donum pœni-



pœnitentiæ, quæ etiam sunt effectus hujus sacrificij, possuntque vi talis operis obtineri ; non requirunt præviam aliam dispositionem; verùm non semper certò & infallibiliter obtinentur, sed quando & quomodo Deo placuerit.

### CONCLUSIO IV.

HOC sacrificium valet ad augmentum gratiæ, & ad remissionem culparum venialium, quatenus vi hujus sacrificij potest obtineri bonus aliquis motus, & gratiæ meritorius, & peccati venialis remissivus.

Ad alios insuper varios effectus impetrandos singularem vim habet ; non tantum ex devotione offerentium, sed etiam ex dignitate oblationis, & rei oblatæ: & sic quadam ratione, ex opere operato, non tamen propriè, cum ad illos effectus non sit institutum; qui cum temporales sint, solum sunt petendi, quatenus conducunt ad spiritualia.

*Quæ dispositio requiratur in illis pro quibus offertur sacrificium.*

Ex his intelligi potest quæ dispositio requiratur in eo, pro quo offertur sacrificium. Nam ad auxilium gratiæ prævenientis, ad donum pœnitentiæ & conversionis impetrandum, nulla dispositio est necessaria : offertur enim etiam pro illis, qui toti sunt à Deo aversi ut convertantur.

Ad hoc autem ut virtute sacrificij perducantur ad remissionem peccatorum, sacramento ad hoc instituto quærendam & accipiendam ; recta fides C veraque pœnitentia requiritur, saltem antequam sequatur illa remissio.

Ad remissionem pœnæ; status gratiæ. Ad auxilium contra tentationes, & ad alios varij generis effectus, bona devotio.

## QUÆRITUR XV.

*Utrum valor hujus sacrificij sit infinitus intensivè.*

SI per *valorem*, intelligatur dignitas & æstimatio illa moralis, aut ea vis sive impetrandi, sive satisfaciendi quam ex re oblatâ, vel principali offerente habet, est infinitus ; quia tam principalis offerens, quam id quod offertur, infinitæ est dignitatis & virtutis. D

*Resp. esse finitum.*

Si autem per valorem intelligatur vis & efficacia, quam respectu sui effectus ex institutione Christi habet, quatenus per Ecclesiæ ministros offertur, sic valor est simpliciter finitus, quia oblatio quæ fit à sacerdote, finita est, ipseque sacerdos finitus. Neque hic valor est æstimandus ex infinitate rei oblatæ, sed ex Christi institutione, & operis quatenus à ministris procedit, natura.

PROBATUR PRIMÒ, quia ne quidem sacrificio crucis dedit valorem aut effectum infinitum, quoad efficaciam, sed solùm quoad sufficientiam. E

SECUNDÒ, sacrificium Eucharistiæ institutum est ut sit quoddam instrumentum per quod nobis applicetur virtus sacrificij cruenti, sess. 22. Concilij Tridentini c. 1. non assumitur autem instrumentum, nisi ad effectum finitum & determinatum; ergo non habet alium.

TERTIÒ, Christus instituit hoc sacrificium, ut frequentaretur ; ergo non voluit ut haberet effectum infinitum. Huc facit consuetudo Ecclesiæ quæ pro eadem persona, vel etiam pro eodem beneficio obtinendo varia solet offerre sacrificia.

Difficultas manet, an hujus sacrificij valor sit infinitus extensivè. Pro cujus enodatione

## QUÆRITUR XVI.

*An hoc sacrificium pro multis oblatum, æquè prosit singulis, ac si solum offerretur pro uno.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia res oblata est infinitæ dignitatis.

SECUNDÒ, sequitur alioquin, quod numerus audientium sacrum minueret ejus valorem ; & quò plures ad id ut, eò singuli minùs consequerentur. Imò posset esse tanta multitudo, ut fructus sacrificij, cùm sit finitus, ad aliquos se non extenderet : ut proinde curandum esset audire illud sacrum, cui paucióres interessent.

TERTIÒ, Sacramentum non propterea minus valet alicui ex opere operato, quia suscipitur à pluribus ; ergo nec sacrificium, quia pro pluribus offertur.

QUARTÒ, Hæc oblatio imitatur conditionem sacrificij crucis : at non quò plures sunt fideles ; eò minorem ejus effectum percipiunt, ergo.

QUINTO, Lux non minus illuminat multos quam paucos. Ignis non minorem calorem producit quò plures ei adsunt. Lectio non minùs auditur à multis quàm à paucis, modò scilicet omnes sint æquè propinqui.

SEXTÒ, Spiritus totus communicatur, & non per partes: bonum autem spirituale proportionatur spiritui.

SEPTIMÒ, Dum pro cunctis animabus Psalmus vel missa dicitur, nihil minus, quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur ; ait Hieronymus de consecr. d. 5. c. *Non mediocriter.*

Pro Responsione sit

### CONCLUSIO I.

SI consideremus effectum oblationi sacerdotis respondentem, quem ipse ut sacerdos potest peculiariter alijs applicare ; cùm ille sit finitus, sacrificium quod pro multis offert, non æquè prodest singulis, ac si offerret solum pro uno. Quod enim est finitum, quando dividitur in plures, non pertinet ad quemlibet ex eâ parte, quâ pertinuisset, si vel divideretur inter paucos, vel uni solum applicaretur.

ET CONFIRMATUR PRIMÒ, quia sequeretur alioquin, orationes specialiter uni applicatas non plus ei prodesse, quàm generales ; qui erat articulus 19. Joannis Wiclef, damnatus in Concilio Constantiensi, sess. 8.

SECUNDÒ, Tolleretur fidelium devotio, quâ rogare solent sacerdotem, ut sui memoriam habeat in sacrificio. Imò, sacerdotes imprudenter facerent, dum pro aliquibus in particulari sacrificarent ; quia semper esset offerendum pro omnibus, si non minus profuturum sit unicuique.

TERTIÒ, Si pretium idem solvatur pro multis, minùs valet singulis, quàm si pro uno solo solveretur, ergo & hoc sacrificium quod ex sua institutione habet vim satisfactivam, ut q. 79. ar. 5. tradit B. Tho.

QUARTÒ, licet ratione rei oblatæ, si ea secundùm se consideretur, habeat vim impetrandi infinitam : sic ut non minùs sufficiens sit ad impe-

Universidad de Deusto
Biblioteca



randum pro multis quam pro paucis : ex suâ tamen institutione, plus impetrare potest paucis applicatum; quàm multis ; partim, quia non applicatur infinitè, sed limitatè ; partim, quia non impetrat effi mediante oratione, oratio autem efficacior est ad impetrandum specialiter facta pro uno, quam si generatim fiat pro multis ; partim, quia actio impetrantis debet esse proportionata rei quæ petitur; non est autem æquè proportionata multis ac uni, quia hoc ipso res petita major est, & sic variatur proportio. Hanc sententiam docent B. Th. in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. Scotus quod. 20. Gabriel lect. 27. in Canonem, Adrianus quod. 8. Dominicus in 4. d. 13. qu. 2. art. 1. Covarruvias in c. Alma Mater, p. 1. §. 5. Navar. c. 25. Ench. nu. 111. Tolet. l. 2. c. 8.

A

B

C

D

E

### CONCLUSIO II.

QUANDO plures offerentes cooperantur affectu & devotione cum Sacerdote ad sacrificium offerendum, singuli (cæteris paribus) tantum accipiunt, quantum si unus solus cum eo offerret ; quia unusquisque illorum perinde offert, ac si esset solus ; ac proinde nullus alteri obstat, quò minus fructum integrum offerenti respondentem percipiat.

Solent, pro inde, varias effectus sacrificij partes distinguere ; ut UNA sit, quam ipse Sacerdos sacrificans recipit.

ALTERA, totius Ecclesiæ.

TERTIA, eorum qui per affectum & devotionem cum Sacerdote offerunt, sive præsentes sive absentes.

QUARTA, denique competens illis pro quibus celebrans intendit, vel est obligatus specialiter offerre. PRIMA, semper manet celebranti. SECUNDA, & TERTIA, crescunt extensivè pro numero eorum qui sunt de Ecclesia, vel qui celebranti cooperantur; non decrescunt autem intensivè propter multitudinem offerentium : quia cum eorum sint diversæ actiones seu oblationes, diversæ etiam sunt applicationes, & singuli non minùs offerunt quàm si essent soli. Hâc ratione effectus hujus sacrificij potest quodam modo dici infinitus extensivè, quia sine fine multiplicari potest, aucto numero offerentium.

QUARTA PARS non est infinita, nequidem extensivè, sed judicio Dei certa & determinata, ideoque minuitur in singulis, quando dividitur in plures.

AD 1. autem ARG. RESP. non propterea effectum debere esse infinitum, quia res oblata est infinita, ut ex dictis patet, nisi applicetur modo infinito.

AD 2. Non sequuntur illa inconvenientia ; cùm auditores Missæ sint offerentes ; hîc autem quæratur de effectu qui per celebrantem specialiter applicatur alicui, non præsenti, sed ut illi pro quo peculiariter sacrificat.

AD 3. Negatur Consequentia ; quia cùm Sacramentum suscipitur à pluribus, singuli percipiunt diversum numero Sacramentum, illudque integrum : Sacrificium autem quod pro multis offertur unum numero est, cujus fructus in plures dividitur.

AD 4. Similitudo est in eo quod pro numero eorum qui sacrificio præsentes, cum Sacerdote illud offerunt piâ animorum devotione, & intentionum conjunctione, non minuitur effectus sacrificij Eucharistiæ, sicut nec fructus sacrificij crucis, pro numero eorum qui sunt vel fiunt fideles.

AD 5. Sacrificium comparari non debet luminis, vocis, aut lectionis diffusioni, sed pecuniæ solutioni; quâ non æquè multis ut uni, satisfit. Illa enim naturaliter & non ex alicujus intentione participantur ; sacrificium autem valet partim, sicut oratio ex affectu orantis, partim ex Dei institutione & voluntate.

AD 6. Effectus spiritualis proportionatur quidem spiritui, ut sit expers divisionis corporeæ, dividi tamen potest, ut unus unum, alius alium, unus majorem, alius minorem habeat. *Bonum spirituale*, ait Scotus quod. 20. *communicatur sive divisione quantitativa ; secundum extensionem tamen communicatur cum distinctione, scilicet aliud alteri.*

AD 7. Authoritas illa non invenitur apud Hieronymum : unde nec in editione Gregoriana notatur unde Gratianus desumpserit. Respondeti nihilominus potest, vel quòd non minoris sit valoris, mille pro pluribus oblata quam quæ offertur pro uno ; licet ab illis non percipiatur æqualis effectus, sed in plures dispertiatur : Vel, referendum id esse ad orantem vel offerentem, qui pro multis orans aut sacrificans, non minoratem recipit fructum quàm si pro uno id faceret ; Vel denique, referri potest ad casum in eo capitulo expressum, quod scilicet non minus valet una missa pro cunctis dicta cum hilaritate, quàm si pro uno diceretur cum anxietate. Ex his intelligi potest quid sit dicendum ad id quod

### QUÆRITUR XVII.

*Virum qui pro pluribus celebrare debet, satisfaciat celebrando unam missam pro omnibus.*

DICENDUM EST enim quod non ; quia illi petunt sibi applicari fructum respondentem oblationi sacerdotis, ut pro aliquo particulariter offerentis ; hic autem quò in plures dividitur, eò est minor, ac proinde justâ suâ petitione fraudantur & decipiuntur ; ac ab eleëmosynarum largitionibus alienarentur, si id existimarent fieri. Ita sentiunt Scotus, Gabriel, Adrianus, Navarrus, Bonacina q. ult. de sacram, Euchar. ad hoc allegans congregationem Cardinalium. *Resp. non satisfacere.*

Nec obstat, plerumque id quod celebraturo datur, minus esse quàm ad vitæ sustentationem sufficiat : quamvis enim, qui à sacerdotibus missas petunt, jure debeant illis partem aliquam & adjumentum sustentationis ; non debent tamen eam totam ; cum ex officio sui gradus nõ ad solam Missam obligentur, sed etiã ad alia, quæ non præstant pro ijs tantum qui missam petunt, sed & pro cæteris fidelibus. Hinc Conc. Trid. sess. 21. c. 2. statuit nullum sæcularem ad ordines promovendum esse, nisi habeat beneficium Ecclesiasticum, vel patrimonium tale quod ad vitam sustentandam sibi satis sit. Intendit ergo quod in sacrificio non sit totale stipendium sustentationis, alioquin cut non ordinarentur sine beneficio & patrimonio, qui possent ratione missarum exigere plenam sustentationem ? Existimant quidem nonnulli sacerdotem qui ab uno pitantiam solito minorem accepit, posse etiam ab alio unam accipere. & utrique per eandem Missam satisfacere, ut Dominic. in 4. d. 13. qu. 2. art. 1. & Canus lib. 12. de locis, c. 13. ad 10. Verùm, si priori Missam petenti, illam annuerit ; & similiter posteriori uni unam, & alteri aliam Missam facere debere, verius est. Uterque enim perit fructum sacrificij pro se particulariter offerendi : Cui petitioni non debet annuere, qui non vult præstare. Vide Navar. c. 25. n. 92. Cordubam l. 1. q. Theolog. q. 4. dub. 2. Tolet. l. 2. c. 8. Bonacinam disp. 4. de Sacram. Euchar. qu. ult. punct. 7 §. 2. & Dianam resol. 7. de celeb. Miss. juxta decreta Urbani 8. qui pro hac sententia citat decretum Cardinalium, & extat in Bullâ 43. Urbani 8. *Is pro quo sacerdos celebrat, non debet ipsi totam dies sustentationem.*

Quamvis autem Parochus obligatus sit celebrare pro suo populo, Dominicis præsertim & Festis diebus ; non videtur tamen illicitum, si aliquando stipendium accipiat ab uno particulari ; qui pro se cupit celebrari. Ut si contingat aliquem peregrinum, vel aliquem parochianum ægrotum, vel aliquam confraternitatem probatam, die Festo petere Missam pro se fieri.

*Ob.* Nec obstat, quod à populo, sive ex decimis, sive aliunde alatur : Parocho enim debentur proventus

*Resp.* pastorales, non præcisè ut celebret ad intentionem populi, sed ratione totius officij pastoralis.

Tenetur quidem omnibus Festis & Dominicis ac pro locorum consuetudine, etiam quibusdam alijs diebus Missam in Ecclesia parochiali facere, sed aliud est teneri ad eam dicendam ut parochiani possint illam audire ; aliud verò ad offerendum particulariter pro ipsis. Si vel infirmitate, vel aliâ quâpiam justâ causa impediatur à celebrando, certum est quod tenetur providere, ut per alium celebretur, ita ut parochiani possint Missam audire : Si autem is qui vicem Parochi supplet, non peculiariter pro isto populo sacrificet, sed vel pro seipso, vel pro parentibus, vel pro alijs ; Parochus nihilominus satisfeciisse videtur officio. Signum ergo est quod Parochus non strictè obligetur singulis Festis & Dominicis per se vel per alium celebrare ad intentionem populi ; modò si celebret, ut parochiani possint Missam audire. Videri potest Suar. ad q. 83. disp. 86. sect. 1. & Bonac. dict. p. 7. prop. 2. qui plures citat, & cum ijs docet parochum non teneri omnibus Festis & Dominicis Missam facere ad intentionem sui populi. Pro regula tamẽ ordinaria servandum est, ut quibus diebus Sacerdotes tenentur Missas celebrare ratione sui beneficij, non possint eleëmosynas ab alijs accipiendo, una Missa utrique obligationi satisfacere. Ita enim ex voluntate Urban. 8. statuit Congreg. Cardin. post Bullam ejus 43. in magno Bullario.

Addendum autem hic videtur, cavendum esse ne Parochi frequenter, in Festis & Dominicis, stipendium ab aliquo particulari accipiant. Cùm enim non facilè possit determinari quoties obligentur ad celebrationem pro suo populo ; non debent periculo se exponere ; &, prout majores sunt redditus, sæpius obligantur.

*Quæst.* ALIA difficultas est, An Parochus aut alius aliquis Sacerdos qui recipit honoraria missarum, majora solito ; possit eas curare dici per alios, ipsisque solitũ duntaxat dare honorariũ : ut, si in his regionibus accipiat tres flor. pro sex aut septẽ missis ; an possit alteri dare dimidiũ, qui eas omnes celebret.

*Resp.* Emanuel Sa v. *Missa*, & alij quidam affirmant, Sed probabilior videtur sententia. Majoris in 4. distinct. 45. quæst. 3. Cordubæ libro 1. qu. 4. dub. 5. Navar. cap. 25. num. 91. qui negant : nisi lege, vel consuetudine, aut voluntate illorum qui ista majora honoraria tribuunt, aliquid esset ordinatum pro illo, cui incumbit onus quærendi Sacerdotes, per quos Missæ fieri possint. Atque in hanc tandem sententiam magis propendet Suarez dict. resp. sect. 3.

Confirmatur PRIMÒ, quia nullus est alioquin justus titulus retinendi sibi partem talium stipendiorum, quæ dantur celebraturo.

SECUNDÒ, Sic posset aliquis ditescere, conquirendo multa & frequentia hujusmodi stipendia, & curando missas dici per alios ; cùm interim ipse à celebratione abstineret, quod non immeritò videretur habere speciem turpis lucri. Et hanc sententiam Dian. de celeb. Miss. resol. 10. quam pro hac editione 3. vidi, tandem tenet, post dissertationem pro affirmativa sic scribens. *Sed modò Sacra Congr. in §. 5 contrarium determinat ; sic enim ait, Sacra Congregatio omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti qui missam suscepit celebrandam cum certa eleëmosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleëmosynæ sibi retentâ, celebrandam committat.* Et eandem sacræ Congreg. declarationem refert Præpos. q. 83. art. 1. dub. 22. Extat in meo Bullario in Bulla 43 Urbani 8. §. 4.

### QUÆRITUR XVIII.

*Cur hoc Sacrificium vocetur* MISSA ?

BARONIUS & alij quidam opinantur istud vocabulum esse Hebraicum, propterea quod Deut. 16. ubi habemus *oblationem spontaneam*, legitur Hebraicè, *missach*.

VERUM, neque nomen Hebræum significat oblationem quæ sit sacrificium, neq; verisimile est *Missam* ab eo dictam : cùm apud Græcos & Syros, qui in rebus sacris libenter utuntur vocabulis Hebraicis, nullus reperiatur hujus nominis usus.

PROBABILIUS ergo est vocabulum *Missæ* esse Latinum, ac idem significare quod *Missio* : secundùm quod in regulâ B. Benedicti habetur, ut post singulas horas diurnas, fiant missæ seu dimissiones congregationis. Et quia olim erat duplex dimissio ; hinc erat & duplex Missa : una, catechumenorum, altera fidelium. *Quid Missa significet.*

Illa consistebat in precibus & orationibus illis quæ fiunt usque ad Offertorium ; ad quod cùm perveniebatur, clamabat Diaconus : *Si quis est Catechumenorum, exeat foras.* Unde Aug. serm. 237. de temp. c 8. *Ecce post sermonem fit Missa catechumenis : manebunt fideles.* Vide Concilij Carthagin. can. 84. & Valentini can. 1. *Missa catechumenorum.*

Hæc verò, consistebat in ijs ; quæ fiunt ab Offertorio, usque ad finem, quando dicitur, *Ite Missa est*, seu dimissio est ; omnibus abire licet. Vide Rabanum l. 1. de instit. Cler. c. 32. Alcuin. tit. de celebr. Missæ, Isid. l. 6. originum, Hug. Victor. l. 2. de Sacram. p. 8. c. 14. *Missa finis delium.*

Ex his patet *Missam* usu Christianorũ, non nudè significare sacrificiũ, sed totã Sacerdotis celebrantis actionẽ, multis partibus constantẽ ; & sic, Missa est sacrificium, seu in illa sacrificium fit non quod singulæ actiones quæ fiunt in illo officio, sint sacrificia : sed quia in illo fiunt quædam actiones, quibus convenit esse sacrificium veri nominis.

Porrò tam ex his quàm ex Telesphori epistola, & Fabiani decretis, liquet usum hujus vocis esse antiquissimum. Et quamvis in Scripturis non inveniatur expressum, res tamen ipsa sufficienter

Universidad de Deusto
Biblioteca



in illis continetur: sive ubi refertur hujus sacrificij institutio; sive Act. 13. ubi de ordinatione Pauli & Barnabæ agitur; & pro *ministrantibus* Græcè est vox illa, quæ idem valet quod sacrificantibus, ut qu. 1. de sacrificio diximus. A

Superest nunc, ut ritus in hoc mysterio servari consuetos, cum Authore prosequamur.

### Articulus II.

*Vtrùm convenienter sit determinatum tempus celebrationis.*

Respondet esse, sive quoad singulos dies anni, sive quoad certam diei partem. Quamvis enim non una fuerit olim omnium consuetudo, dum alibi sabbatho tantùm & Dominico; alibi tantùm Dominico sacrificium offerebatur, teste Aug. epist. 118. c. 2. cæteris autem diebus fiebat sacrificium præsanctificatorum, id est, officium aliquod, cum oblatione & consumptione hostiæ priùs consecratæ, cujus meminit can. 52. inter eos qui synodo 6. ascribuntur: aliarum tamen Ecclesiarum mos fuit, & quidem ab Apostolis descendens, quotidie sacrificare, exceptis fortè uno & altero diebus. Unde in historiâ suæ passionis B. Andræas legitur dixisse, *Ego quotidie immolo agnũ immaculatum:* & Cypr. ep. 54 *Vt Sacerdotes qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostiæ Deo & victimæ præparemus.* Aug. quoque dictâ epist. *Alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur:* & epist. 83. *Omni die populu immolatur.* B C

*Mos quotidie sacrificandi.*

Porrò non solùm inolevit mos, ut quotidie celebretur in Ecclesia, sed etiam ut in singulis Ecclesijs Collegiatis, & Conventualibus; imò & in Parochialibus, præsertim ubi populus est numerosior, & Sacerdotes frequentiores, & stipendia sufficientia. Non esset tamen mortale, si interdum omitteretur, modò scandalum absit. Victoria nu. 95. de Eucharistia.

Singulis autem sacerdotibus, etsi nullum sit præceptum quotidie celebrandi, licitum tamen, imò & laudabile esse, partim ex allegatis testimonijs clarum est; partim quia quotidie celebrare est res per se bona & sancta; partim ex eo quod Cassio Narniensi Episcopo quotidianas Deo hostias offerenti, divinitus dictũ est; *Age quod agis, operare quod operaris*; ut refert B. Greg. hom. 37. in Evangelia. D

Huc faciunt quæ de quotidiana communione diximus, ar. 10. q. 80. præsertim cùm munus sacrificandi non sit privatum; sed publicum: nec soli sacrificanti profit sacrificium, sed toti Ecclesiæ.

*Sacerdos non legitimè impeditus*, ait Beda (citatus à Gabriel lect. 87. in canonem) *celebrare omittens, quantum in eo est, privat Sanctam Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitia: peccatores venia: justos subsidio & gratiâ; in purgatorio existentes refrigerio; Ecclesiam spirituali Christi beneficio; & seipsum medicina & remedio.* E

*De capellano ad quotidie celebrandum obligato.*

Observandum tamen quod per se loquendo, nullus sacerdos tenetur celebrare quotidie, nisi fortè ratione capellaniæ vel alterius beneficij. Quo etiam casu communior sententia habet, eum qui sic est obligatus, posse vel ex causa infirmitatis, vel ex alia rationabili, interdum abstinere; neq; propterea obligari vel ad aliquid restituendum, vel ad celebrandum per substitutum, si fundatio simpliciter contineat quod beneficiarius quotidie celebret seu missam faciat. Cum enim tale aliquid continet, intelligi debet quod teneatur assidue & quantò frequentius potest celebrare, salva reverentia Sacramento debita, & salva sacerdotis honestate ac devotione, quemadmodum declaravit Alex. 3. c. *Significatum*, tit. de præbendis. Et ita expressè docent Angelus verbo *Missa*, q. 45. Sylvester eodem verbo, q. 7. Tabiena eodẽ verbo *Missa*, q. 45. Navarrus l. 3. conciliorum, de præbendis, consil. 6. & Enchiridij c. 25. n. 135. Azor. p. 1. l. 10. c. 24. q. 7. Suarez disp. 86. sect. 1. Henriquez l. 9. c. 24. Sfortia l. 2. c. 5. n. 8. Tann. disp. 5. q. 9. dub. 3. Fagundez l. 3. de præceptis Ecclesiæ c. 16. & alij communiter, quia aliter obligare quempiã sacerdotẽ ut ipse quotidie celebret, esset onus intolerabile.

Quapropter si ejusmodi beneficiarius ægrotet per dies 14. aut 15. non tenetur alium substituere qui dierũ illorum missas celebret, nisi fortè ad hoc essent ordinatæ ut dominicis ac festis diebus populus haberet missam. Et si absque ægritudine tres vel quatuor missas in anno intermitteret ex honesta causa, etiam non peccat, nec obligatur ad resarciendum. Secus verò, si propter ludum, ebrietatem, aliámve similem pravam causam omitteret. B

Cæterum, si fundator ordinasset ut quotidie celebretur, tunc non posset beneficiarius intermittere, nisi per alium supplendo, quemadmodum habet communis sententia; quia nullum tunc impositum est onus intolerabile.

*Non licet Missam facere feria 6. parasceves.*

Quod porrò dictum est licitum atque laudabile esse, quotidie celebrare; intelligendum est cum exceptione feriæ sextæ Parasceves, in qua secundùm Ecclesiasticam regulam nulli permissum est celebrare, neque solemniter neque privatim; idque ob rationes tum hîc ad 2. tum q. 2. de sacrificio positas: Sed C

## Quæritur I.

*Vtrum ea sexta feria licitum sit communicare?*

*Licet tamen communicare.*

Resp. esse licitum; quia nullo jure prohibetur; patetque ex Sacramentario B. Gregorij tum Coloniæ, tum Antverpiæ impresso, & ex Amalario l. 1. de Ecclesiasticis officijs c. 12. & ex Ordine Romano, aliquos tunc communicari solitum fuisse, nec ulla postmodum secuta legitur inhibitio. Idẽ sentiunt Suarez disp. 80. sect. 2. Layman l. 5. tra. 5. c. 4. Vasq. disp. 233. & alij. Quia tamen non est modo consuetum communicare tunc alios quam infirmos, si qui alij venirent communicandi, ita prudenter esset agendum, ut evitaretur omne scandalum. Confer quæ notavimus ad ar. 10. q. 80. fi. & serva consuetudinem non communicandi tunc alios quam infirmos, ubi ea viget. D

## Quæritur II.

*Vtrum sabbatho sancto liceat sacerdotibus qui missam istius diei solemnem non faciunt, celebrare.*

Ratio dubitandi est, quod Innoc. 1. de consecratione dist. 3. cap. *Sabbatho*, loquens de feria sexta Parasceves, & de sequenti Sabbatho, dicit: *Traditio Ecclesiæ habet isto biduo sacramenta penitus non celebrari.* E

Quoniam verò istius cap. decretum multis in locis in usu esse desijt quoad sabbathum, inolevitque consuetudo contraria. Prælatis Ecclesiæ non contradicentibus, sed tolerantibus, quamdiu Ecclesia sic tolerat.

Abso-



*Licet sabbatho sancto celebrare.*

Absolute dicimus, Licitum esse sacerdotibus tunc celebrare. Ita Dominicus in 4. d. 13. q. 2. art. 2. Emmanuel Sa, verbo *Missa*, Ledesma p. 1. c. 19. Fagundez l. 3. de præceptis Ecclesiæ ca. 15. num. 17. Sfortia l. 2. c. 5. num. 9. fin. A

Confirmatur, Decretum Innocentij pariter significat nullam missam esse celebrandam sabbatho sancto, sicut in feria sexta Parasceves, nec solemnem, nec aliam: Cum ergo manifestum sit esse abrogatum quoad solemnem, & non adducatur alia Ecclesiæ constitutio quæ solemnem Missam permittens, inhibeat reliquas, non apparet quare sit dicendum reliquas esse prohibitas.

Accedit quòd ratio motiva propter quam olim non celebrabatur in isto sabbatho, jam cessat tam quoad missas quæ dicuntur privatæ, quam quoad solemnes: ergo non est vetitum eas facere. Anteced. patet. Ratio enim erat, quod ad majorem & expressiorem repræsentationem mortis ac sepulturæ Christi, Ecclesia totum sabbathum olim peragebat in mœrore, & sic quasi expectans Resurrectionem offerebat celebrationem missæ usque circiter mediam noctem sabbathi, ac initium Dominicæ. Jam verò à multis temporibus inchoat festiva Resurrectionis gaudia ipso sabbatho satis diu ante meridiem, ut liquet ex 1. oratione ad benedicendum novum ignem, ex benedictione quæ datur diacono priusquam benedicat cereum, & ex multis alijs, ideoque missam illam quæ post mediam noctem, initio scilicet Dominicæ olim recitari solebat, juxta Collectam quæ incipit, *Deus qui hanc sacratissimam noctem*, & juxta Præfationem quæ (sicut & Communicantes) noctem etiam exprimit, nunc mane seu tempore antemeridiano recitat. B C

Sed quia missa illius sabbathi proprio caret introitu, difficultas manet, quæ missa celebrari possit ab ijs qui privatim celebrant?

Resp. posse celebrari missam de Beata; vel de aliquo alio sancto. Quin & probabile est posse dici missam illius diei, post Psalmum *Iudica* cum reliquis incipiendo à Kyrie eleison. Addendum tamen missam (præsertim istius diei) in ea Ecclesia, in qua solemne fit officium, non esse celebrandam antequam sit inchoatum solemne sacrificium. D

## Quæritur III.

*Vtrum feria quinta Cœnæ Domini liceat singulis sacerdotibus celebrare?*

Responsio affirmativa est communis: quia nulla lex id prohibet; & qui eo die abstinent, non id faciunt quasi sit prohibitum, sed vel ex devotione, cupientes de manu Prælati communicare ad repræsentationem Cœnæ Dominicæ, in qua Apostoli de manu Christi communicarunt; vel ex aliquo impedimento aut occupatione, vel ut sacrificium solemne sit celebrius. Ita sentiunt Dominicus in 4. d. 13. q. 2. Ledesma c. 25. nu. 88. Suarez disp. 88. & communiter alij, paucis exceptis. E

## Quæritur IV.

*Vtrum Parochus qui solus est in duabus Ecclesijs, debeat isto die Cœnæ Domini in utraque Ecclesia consecrare duas hostias, quarum unam tunc sumat, & aliam die sequenti faciens officium in illis Ecclesijs.*

Resp. non debere; Sed si absque populi offensione fieri possit, in altera solum Ecclesia reservet hostiam, die Parasceves consumendam in officio quod ibi peraget, & ad quod convenire deceret alios ex alia Ecclesia. Si tamen consuetudo inolevit, ut in utraque Ecclesia officium peragatur feria sexta Parasceves, & contra illam non possit sine scandalo fieri; aut si Episcopi eam consuetudinem permittant; donec aliud fuerit à Sede Apostolica ordinatum, Parochus in utraque Ecclesia unam reservet hostiam consecratam, & officium Parasceves in utraque peragat; sed sic ut in priori neque vinum neque aquam mittat in calicem; nec aliud sumat quam sacrum Christi corpus, ut ita manens jejunus, possit in posteriori totum officium exequi, secundùm quod in missali præscribitur. Nam si vel minimum aquæ aut vini sumeret in priori, desineret esse jejunus, atque ita deberet abstinere ab officio in altera Ecclesia. Neque est quod fortè sibi persuadeat vinum quod in calicem mittit, consecrari per particulam hostiæ consecratæ quæ in eodem calice ponitur: Omnino enim certum est id non fieri, secundùm dicta q. 80. art. 12. quæsito 1. Qua de re tota lege orationem 4. quæ extat p. 1. nostrarum Variarum Resol.

*De hora celebrandi Missam.*

Quod ad partem diei attinet in qua licitum est missam facere; etiam temporibus S. Thomæ solemniter celebrabatur ab hora tertia, usque ad nonam, sive ab ea quę nobis est nona ante meridiem, usque ad tertiam pomeridianam. Interdum verò, noctu, ut in festo Nativitatis Domini; & sabbatho sancto; quemadmodum referunt Rabanus lib. 2. de instit. Clericorum ca. 38. & Walafridus c. 23. de rebus Ecclesiasticis; conformiter officio quod etiam nunc habemus. Postea tamen, tempus ad celebrandum statutum est ab aurora usque ad meridiem: partim quia Christus offertur, qui est *candor lucis æternæ*; partim quia est sacrificium legis gratiæ: per quam umbræ transierunt; partim, quia ante illud tempus, homines communiter non sunt dispositi ad hujusmodi opus religionis. Seriò autem id esse regulariter servandum, probari potest ex Concilij Tridentini sess. 22. ubi monentur Episcopi, ut *edicto & pœnis propositis caveant, ne sacerdotes alijs quam debitis horis celebrent.*

Per auroram autem non intelligitur strictè tempus illud quo sol apparere solet supra nostrum horizontem, sed primum diei crepusculum, seu prima solis irradiatio, ita ut celebrationem inchoare liceat una (imò per hiemem duabus horis) antequam sol appareat. Quod si necessitas communicandi infirmũ urgeat, adhuc amplius anticipare licebit; sicut & ex privilegio, quod Episcopum posse concedere, quando subest causa, non est cur dubitemus.

Post meridiem verò, horâ secundâ vel tertiâ celebrare, extra consuetudinem est, nec probandum videtur: quamvis qui ex causa itinerantium, aut simili, paulò post meridiem celebraret; non gravi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



graviter esset arguendus: imò ne arguendus quidem, si horæ spatium non excederet, ac omnis offensio abesset. vide Dominicum in 4.d.13.q.2. ar.2.ubi etiam tradit (quod Toleto lib.2. ca.1.& alijs admodum probabile est) celebrantem ante recitatum matutinum, non peccare mortaliter, imò ne peccare quidem, si causa aliqua probabili id agat. consuetudo enim officium illud præmittendi non habet vim legis perfectæ; neque est necessarius ordo inter ipsum & missam præsertim privatam. Quia tamen sententia hæc non est certa, sciendum est satis constare quod saltem ante lectam primam celebrare nullum sit peccatum.

*An licet celebrare ante lectum matutinum.*

In Resp.ad 2.rationem dat, cur in Natali Domini plures missæ possint ab eodem sacerdote celebrari. Hæc consuetudo, etsi putetur à Telesphoro instituta, capite secundo epistolæ ad omnes orthodoxos; magis tamen videtur ex traditione Apostolica manasse, quam ex Telesphori decreto. Ibi enim solum declarat esse licitum facere missam in nocte nativitatis Domini: cùm aliàs tertia diei hora expectanda sit; nullam ternarij numeri faciens mentionem.

Porro, quamvis primæva Ecclesiæ cæremoniam hanc instituentis intentio fuerit, ut prima missa dicatur post mediam noctem, secunda in aurora, tertia in plena luce: missæ tamen privatæ possunt omnes continuò, alia post aliam dici, etiam nocte: cum Telesphori decreto tempus noctis illius, declaratum sit esse legitimum ad celebrandum; non expressa qualitate missæ: ipsumque sic interpretatur consuetudo. Notandum autem quod licet eo tempore sacerdotes possint tres missas facere; nullo tamen præcepto ad id obligentur, uti nec obligantur laici vel clerici non consecrantes, ad audiendas tres missas, sed Ecclesiæ præcepto satisfaciant audiendo unam.

*An liceat uno die plures missas facere.*

Circa Responsionem ad 5. observandum est. sacerdotem non posse plures, quam unam in die, missas celebrare: excepto die Natalis Domini, vel nisi fuerit necessitas: ut Alexander secundus de consecrat. dist. 1. cap. *Sufficit*; Innocentius 3. de celebratione Missarum, c. *Consuluisti*, & Honorius tertius, ibidem cap. *Te referente*, declararunt.

Hinc factum est, ut varij casus recenserentur, quibus uni Sacerdoti liceret pluries eodem die celebrare, modò tamen ablutio non esset sumpta in priori sacrificio: alioquin nec in Natali Domini, nec in alijs casibus, secunda Missa potest fieri: ut cap. *Ex parte*, tit. de celebrat. Missarum, declaravit Innocentius, patetque ex dictis quæst. 80. art. 8.

Casus autem illi sic exoleverunt, ut vix inveniatur alius in quo citra specialem Episcopi concessionem id liceat, quam is, quando unus habet plures Ecclesias parochiales: quo casu potest celebrare bis, imò secundùm quosdam ter, si specialiter & expresè hoc indulgeatur.

Ad supplendum verò absentiam, aut infirmitatem Parochi vicini, licet alteri bis celebrare, petita tamen ubi moris est (ut in Diœcesi Namurcensi per c. 7. tit. 4. decret. synodalium) ab Ordinario vel ejus Vicario venia.

An autem, cùm peregrinus ex voto memoriam alicujus Sancti visitans, serò advenit; cùm nova nupta benedicenda est; cùm puerpera purificanda: cùm in mari, propter agitationem fluctuum consecrare periculosum, atque adeò illicitum est: secundam Missam facere possit, absque consecratione, is qui prius celebravit, ut examinetur.

## QUÆRENDUM EST.

### *An licitus sit usus Missarum siccarum.*

Siccæ dicuntur, quia fiebant sine Eucharistiâ, sine corpore & sanguine Christi: cum introitu tamen, collecta, epistola, Evangelio, & Canticis; ait Joan. Eckius art. 21. in annotationibus ad librum Cæsari oblatum: fiebant enim teste Guidone de Monte Rocherij, tract. 4. Manipuli curatorum, c. 7. à Sacerdote sic induto, quo modo si deberet Missam dicere; recitabanturque omnia, præter Canonem; & (ut vult Emmanuel Sa) præter ea quæ ad oblationem pertinent. Solebant autem tales Missæ non tantùm casibus jam dictis, sed etiam pro defunctis fieri: & quidem, ut videtur, laudabiliter.

Primò, quia fundamentum habent in Dionisio Eccl hierar. c. 7. p. 2. ubi dicit, catechumenis præsentibus pro defuncto fieri sacrum solemne, seu Missam.

Secundò, Feria 6. Parasceves sit ejusmodi Missa imperfecta.

Tertiò, continent pias orationes, variasque Dei laudes; ergo ut tales possunt retineri.

Quartò, eas probant prædictus Guido, Sacerdotale Romanum, & quarundam Ecclesiarum Manualia.

*Missæ siccæ sunt illicitæ.*

Resp. Missarum siccatum usum esse prorsus illicitum: quia continent falsitatem; in facto quidem, quia Sacerdos vestibus sacrificalibus indutus accedit ad altare, accenduntur luminaria, legit introitum, orationes, epistolam, Evangelium, & cætera quæ sacrificaturi solent, præter canonem; atque ut loquitur Eckius, simulat omnia quæ sunt celebrantis, nec tamen celebrat aut sacrificat.

In verbo autem est falsitas, quia leguntur ante canonem orationes quæ promittunt sacrificium: & aguntur postea gratiæ, quasi illud esset oblatum ac sumptum. Nec responderi potest gratias illas referri ad missam prius celebratam; aguntur enim pro re jam in isto officio facta; suntque actiones prorsus diversæ, nullam cum priori connexionem habentes. Hinc Joannes Eckius vocat eas irrisiones Dei, & illusiones Christi: quia scilicet simulatur & obtenditur illa actio qua Christus Deo Patri offertur, nec tamen exhibetur: quod in Dei & Christi injuriam non potest non cedere.

Ex his patet missas siccas meritò abrogatas per synodum Iprensem Martini Rythovij tit. 15. c. 10. per provincialem secundam Cameracensem, tit. 3. cap. 7.

Ad 1. Arg. Negatur Assumptum: quia Dionysius ibi non describit missam, aut quid simile, sed nudas preces quæ pro defunctis fiunt. Neque vox Græca significat missam, licèt nonnulli sic verterint, sed vota & orationes: quemadmodum reddiderunt Joannes Scotus, Ambrosius Camaldulensis & Joannes Saracenus.

Ad 2. Neg. Ass. Quod enim tunc fit officium, non potest vocari missa sicca, cum sacerdos communicet. Et quia corpus Domini sumit cum sanctis cæremonijs illi diei proprijs, cum divisione hostiæ super calicem, cum particula hostiæ in calicem missa, ideo rectè officium istud fit ad altare, tanquam



tanquam ad mensam Domini. In missis autem siccis nihil tale fit.

Ad 3. Negatur consequentia: quia nec præces, nec laudes possunt esse Deo gratæ, si cum hypocrisi & injuriâ Dei fiant.

Ad 4. Guidonis judicio præponenda est Episcoporum & doctorum sententia. Illud Sacerdotale Romanum quod objicitur, privati est hominis, ab Ecclesiâ non probatum. Nam Rituale Romanæ Ecclesiæ nihil tale habet. Manualia quæ dicuntur formas ejusmodi missarum præscribere, non tam ab Episcopis, quàm ipsis fortasse dormientibus, ab eorum vicarijs prodierunt.

## Articulus III.

### *Utrum oporteat hoc sacramentum celebrari in domo & vasis sacris.*

Videtur quod non, Primò, quia templorũ erectio non est grata Deo: destruxit enim semel & iterum templum Jerosolymitanum.

Secundò, Sanctus Joannes Apocal. 21. templum non vidit in civitate, per quam significabatur Ecclesia.

Tertiò, Venit hora, quando neque in monte, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem, Ioannis 4. ergo sacrificandum est Patri omni loco, juxta illud 1. ad Timoth. 2. Volo ergo viros orare in omni loco.

Quartò, Deus non habitat in templis manufactis, ne colitur manibus humanis, Act. 7. & 17. Unde per Isaiam capite 66. dicit, Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi?

Quintò, Cyprianus libr. de vanit. idol. sic loquitur: Quod templum habere possit Deus? Et Octavius in Minutio tom. 9 bibliothecæ Patrum, respondens Cæcilio objicienti quod Christiani templa non haberent: templum (ait) quod ei extruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit?

De Juliano Apostata dicit Hieronymus epistola 53. quod sanctorum basilicas, aut destruxerit, aut in templa converterit.

Pro Responsione sit

## Conclusio I.

*Ecclesiæ sunt Deo origendæ Ratio. 1.*

Ad fidem pertinens, Sanctum ac necessarium est Ecclesias, templa, seu domos sacras Deo construi. Atque, ut omittamus templum Salomonis Deo authore fuisse constructum, ut patet ex 2. Reg. 7. versu 13. & 3. Reg. 5. & Sap. 9. Christũ & Apostolos in templo docuisse. Matth. 26. Ioannis 18. Act. 5 clarum est primos Christianos Ecclesias

*Secunda. Tertia.*

à privatis ædibus distinctas habuisse, nõ solùm ad orandum, & ad verbum Dei audiendum; sed etiam ad sacramentum Eucharistiæ perficiendum, atque adeò ad sacrificium offerendum. Probarique potest ex 1. ad Cor. 11. *Convenientibus vobis in Ecclesiã* Ubi

*Quarta.*

Ecclesia non pro fidelium congregatione sumitur, sed pro loco ad eos pro sacris congregandos deputato, atque à privatis domibus distincto: sequitur enim, *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Itemq; ex c. 14. *Mulieres in Ecclesijs taceant: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Hinc Philo citatus per Eusebium l. 2. historiæ c. 16. vel secundùm aliam editionem, 17. *Est*, ait, *in singulis locũ consecrata oratioui domus &c. in qua honestæ & castæ vitæ mysteria celebrant.*

Notum est, quomodo precibus S. Greg. Neocæsariensis cognomento Thaumaturgi, rupes loco mota spatium ædificandi templi dedit; quomodo Sanctarum Pudentianæ & Praxedis domus est in Ecclesiam commutata, ut refertur in martyrologio ad 20. Junij; Quomodo speluncam in templi similitudinem conformatam, in monte Gargano repererint Sipontini, die octava Maij.

Præterea, populus Christianus debet aliquando convenire tum pro concione, tum pro sacramentis, tum pro sacrificio; nam hæc omnia non possunt ad unumquemque ferri in particulares ipsorum ædes: necesse est ergo locum aliquem deputari; ubi fiant ejusmodi conventus.

Confirmatur, loca certa deputantur ad judicia, vel ad alia publica munia; cur non & ad res sacras.

## Conclusio II.

*Ecclesiæ meritò consecrantur.*

Perpetua Ecclesiæ consuetudo, eaque laudabilis est, Ecclesias dedicari, consecrari, vel benedici. Quamvis enim ritus quo nunc Ecclesia Romana utitur, sit à Sylv. institutus, ut legitur in Breviar. 9. Novemb. antea tamen aliquibus cæremonijs etsi minus solemnibus, loca quædam deputabantur pro sacris officijs & sacrificijs peragendis. *Illud*, ait. Athan. in apolog. ad Constantiam Imp. *& à beatæ memoriæ Alexandro, aliisque Patribus factum est qui populi conventus habuere, & absoluto opere agendæ Deo gratijs dedicationem celebraverunt.* Et certè, *si* (ut ratiocinatur Fœlix 4. de consid. 1. c. *Tabernaculum*) *Iudæi qui umbræ legis deserviebant, loca habebant divinis supplicationibus consecrata ad offerendum sacrificium: quantò magis nos habere convenit quibus veritas patefacta est?* Neq; enim templorum consecratio vel dedicatio ad legem cæremonialem pertinebat, sed ad moralem: naturâ enim & ratione instigante id faciebant, ut de perfecto templo gratias agerent, ut usum ejus cum lætitia auspicarentur, ut propensum ad Dei venerationem animum ostenderent, gratiaque impetrarent ad eum religiosè colendum, quæ omnia etiam intendunt catholici, dum Ecclesia dedicatur.

Confirmatur, Locus debet esse proportionatus ministerio ad quod deputatur. Sed templa seu Ecclesiæ Christianorum deputantur ad ministerium valdè sacrum, scilicet ad missæ sacrificium & ad alia divina officia ibi peragenda: ergo omnino decet quod sint sacta.

## Conclusio III.

*Ecclesiarum consecratio est nobilis.*

Templorum consecratio non solùm est ad reverentiam sacramenti, sed etiam ad nostram utilitatem. Dicit enim B. Thom. in resp. ad 9. quod *ex virtutem quandam spiritualem adipiscuntur per consecrationem*, quod non sic est accipiendum, quasi spiritualem qualitatem recipiant; sed quia hoc ipso sortiuntur divinam præsentiam specialiter, ad excitandam fidelium devotionem, ad coërcendos dæmones, ad remittenda peccata venialia, ad faciliorem exauditionem, & gratiarum impetrationem. Vide Bern. ser. 1. de dedicatione. Greg. lib. 3. dialo. c. 30. Ambr. in fine exhortationis ad virgines; & Cajetan. super hunc art. Quare sicut 2. Machab. 3. Heliodorus dicebat quod in templo Judæorum esset verè Dei quædam virtus,

Universidad de Deusto
Biblioteca



eò quòd ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator & adjutor erat loci illius; multò magis dicendum est in Christianorum Ecclesijs consecratis esse quandam Dei virtutem, cum in eis peculiari modo se præsentem exhibeat, tum in Missa, tum extra illam.

*Soli Deo templa eriguntur.*

### Conclusio IV.

Templa soli Deo construuntur, teste Aug. lib. de vera relig. c. 55. epistola 49. q. 3. lib. 8. de civit Dei, cap. ult. lib. 1. contra Maximinum, arg. 11. quia templa ut talia non eriguntur nisi ad sacrificia; sacrificium autem non debetur nisi Deo.

Cùm ergo dicitur templum S. Petri, sic intelligi debet, templum Deo dedicatum in memoriam S. Petri. *Martyribus enim nostris non templa sicut Dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus*, ait Aug. l. 22. de civit. c. 10.

Ædes ergo sacræ, communiter vocantur templa, vel Ecclesiæ, alias memoriæ oratoria, basilicæ, titulus, dominicum, concilium sanctorum, martyrium, ut ostendit Baron. ad 5. Augusti, & tom. 1. Annalium ad ann. Domini 57. Phana autem & delubra vocare, gentilium est.

Ex his patet Responsio ad Artic. sacramentum & sacrificium Eucharistiæ convenienter celebrari & offerri in locis sacris. Imò juxta canones, per Synod. Trident. sess. 22. renovatos, non licet alibi quàm in locis consecratione vel benedictione Deo sacratis celebrare.

*Nullus presbyter missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis*, ait Sylv. de consect. d. 1. cap. *Nullus* primo, quibus *similia* habent Fœlix, cap. *Sicut*, Concilium Triburiense, cap. *Missarum*, & Clemens Rom. cap. *Hic ergo*.

Quamvis autem secundùm jura antiqua requiratur locus consecratus: quia tamen non semper est magna commoditas habendæ consecrationis quæ per Episcopum chrismaticâ unctione utentem fieri debet: hinc usus obtinuit sufficere quod Ecclesia sit per simplicem presbyterum de consensu Episcopi, benedictâ: conformiter Con. Trid. quod vult Ecclesias & oratoria per Ordinarios designari, nihil dicens de consecratione. Extra hujusmodi loca celebrare, est regulariter peccatum mortale. Sylvester enim comminatur pœnam depositionis: &, præceptum fertur de re gravi.

Dico *regulariter*, quia potest in quibusdam casibus celebrari extra locum sacrum. *Primus* est, ex licentia Episcopi. Capitulo enim, *Missarum*, cæ dicuntur celebrandæ in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit.

Si dicas, potestatem hanc Episcoporum esse revocatam per id quod Conc. Trid. statuit, *Ne* Episcopi *patiantur in privatis domibus atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinarijs designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi.*

Respondemus ademptam eis esse potestatem, pro suo arbitratu concedendi, ut absque justâ causâ, vel necessitate, celebretur in loco ad religiosum ministerium non deputato, sed in communes usus adhuc convertendo: Posse nihilominus, ex causâ rationabili, designare oratoria, seu loca, quæ licèt sint extra Ecclesiam ac in ædibus privatis, maneant tamen divino tantum cultui deputata; & concedere ut ibi celebretur. Imò, si gravis necessitas postularet; videntur posse (quantum quidem attinet ad statutum Concilij) concedere, ut celebretur in loco communi, communibus licet usibus adhuc postea servituro, modò sit honestus: Concilium enim nihil de casu necessitatis locutum est.

*Secundus* casus est ex speciali privilegio sedis Apostolicæ.

*Tertius* est casus necessitatis, expressus à Fœlice d. capit. *Sicut*, Hinc in castris licet celebrare sub dio, seu in tentorio. Et similiter quando Ecclesiæ sunt diutæ; & quando magna multitudo confluit ad eremitoriam seu parvum templum, quod eam capere non potest. Ita Paludanus & Dominicus in 4. dist. 13. q. 2. a. 3. Sylvester verbo *Missa* 1. q. 5. Navarr. cap. 25. n. 81. Emanuel Sa, Nugnus. Neque synod. Trid. contrarium aliquid statuit pro similibus casibus; quamvis, in postremo saltem casu, & Ordinarius consuli debere videatur, & venia ab eo peti.

Porrò, cùm de consecr. dist. 1. cap. *Concedimus*, ex Concilio Provinciali Triburiensi idem concedatur existentibus in itinere, idque approbent Paludan. Sylv. & alij: id accipiendum est pro casu necessitatis, & respectu illorum qui per longum tempus itinerantes, Ecclesiam aut capellam non inveniunt.

Ad 1. autem Argumentum Resp. templum Jerosolymitanum Deo authore, ut ex scripturâ constat, erectum, Deo gratum fuisse, quamdiu res intelligebatur, ut erat; scilicet quod Deus non caperetur isto loco, neque propter sui, sed propter hominum indigentiam voluisset eum habere, ut ad illum venirent peccaturi & sacrificium oblaturi; ne quisque pro suo arbitrio cultum, & locum cultus eligeret, atque ad idololatriam delaberetur. At postquam in varia scelera ceciderunt, & in externo templo confidentes, putabant Deum sibi propter illud fore propitium, nihil de sui correctione solliciti: Deus voluit ipsum dirui; cujus ultimâ destructione significatum est umbrarum & veteris testamenti statum desijsse.

Ad 2. S. Ioannes loquitur de Ecclesiâ triumphante; ut explicat Aug. lib. 20. de civit. c. 17. Primas. Rich. Arethas. dicitur enim quod in ea civitate nox non sit futura, quodque nihil coinquinatum intrabit in eam: cùm tamen in Ecclesia militante non rarò sit nox seu tribulatio & adversitas; ac in eam intrent qui non habent vestem nuptialem, & palea simul cum tritico. In patria autem non est opus templo materiali, ut in eo beati excitentur ad Deum amandum, orandum, adorandum, eique sacrificandum: quia facie ad faciem eum videntes, simulque agnum pro se olim immolatum; tota mente feruntur in ipsum.

*Ob.* His non obstant sequentia. Et *ambulabunt gentes in lumine ejus*, scilicet civitatis de qua sequitur; *& reges afferent gloriam suam & honorem in illam:* *Resp.* sensus enim est quod gentes, quæ antea Deum non noverant, lumine seu fide & doctrina Christi, promissis ejus, & cognitione futurorum bonorum excitatæ, in cælestem patriam iter facient. Reges quoque afferent divitias suas in eamdem civitatem, dum ejus amore ipsas contemnent easque libenter expendent, ut ad cælestem patriam perveniant.

*Ob.* Si dicas sanctum Ioannem respicere ad caput 60. Isaiæ, ubi de statu Ecclesiæ militantis prophetia est: *Resp.* vel ibi de triumphante sermonem esse



esse, vel quod literaliter de militante illic dictum est, citatur à Sancto Joanne per anagogen de triumphante sicut quod Exod. 12. dicitur de agno, *Os non comminuetis ex eo*; allegoricè de Christo intellexit Sanctus Joannes capite 19. sui Evangelij: & quod Osee 11. de populo Israelitico dictum est, *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Matth. 2. per allegoriam accipitur de Christo.

Ad 3. Christus illis verbis significat non futurum in nova lege unum tantum locum sacrificio offerendo deputatum; sicut in veteri apud Israelitas erat Jerosolyma; apud Samaritanos mons Garisim: sed multa (juxta illud Malachiæ, *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda:*) in quibus adoretur Deus, non cæremonijs Judæorum corporalibus & umbraticis; neque ritu falso & erroneo Samaritanorum, qui adorabant quod nesciebant: sed in fervore spiritus, cultu spirituali & puro ab omni errore.

Ad verba autem Apost. Resp. etsi oratio interna omnibus locis fieri possit, imo & externa privata: verius tamen videri Apostolum loco citato loqui de publicis orationibus. Nam de oratione publica egit versu primo: & in publica levandæ sunt puræ manus, cum hæc cæremonia ad publicas orationes pertineat, sicut & habitus mulierum ornatus; quid enim refert quo habitu mulier utatur, dum privatim orat.

Sensus igitur scripturæ est, Volo viros orare in quocumque loco ad publicè orandum idoneo, prout opportunum fuerit. Nam basilicas & templa Deo consecrata & ad publicas orationes propriè deputata nondum habebant Christiani: Unde vult ac præcepit ut ad orandum conveniant ubicumque visum fuerit tutum & commodum, sicut nunc faciunt Catholici in Hollandia & Anglia.

Ad 4. Deus non sic in templis habitat & ut eis concludatur vel circumscribatur, quod Judæorum non paucos existimasse tradit Hiero. in cap. 66. Isaiæ, & Oecum. in sept. cap. Act. *Neque manibus hominis colitur*, ut aliquo indigens: contra quàm nonnulli eorum senserunt, existimantes quod propter se templo gauderet, & propter templū peccata eorum licèt non pœnitentium, dissimularet.

Isaiæ 66. refellitur carnalium Judæorum error, opinantium quod omnia quæ de Sion prædicta erant, implenda hîc essent carnaliter. Ac propterea cum 64. cap. audissent destructionem templi, manentes in peccatis suis, solliciti erant de novo magnificè construendo. Ipsis autem cap. isto 66. respondet, *Quæ est domus quam ædificare optatis*, & de qua reædificanda estis solliciti? ego ipsâ non indigeo; humiles, contritos, & mandatorum observatores quæro.

Ad 5. Cyprian. loquitur contra idololatras, qui putabant suos Deos habere domicilium in templis, ibique circumscribi.

*Quo sensu christiani non habent templa.*

Octavius Cæcilio mysteriorum Christianæ religionis non capaci respondens, negat Christianos habere templa, more gentilium, quibus Deum circumscribant.

Hieronimus loquitur de templo more Romanorum, à quibus templum dicebatur locus inauguratus supernè apertus, in quo fiebant sacrificia.

Sciendum autem quod interdum templi nomen pro loco ad sacrificia cruenta deputato ac idolis consecrato usurpatur; quomodo accipit Optatus Milevit. l. 6. contra Parmen. cùm dicit, *Quis nostrùm intravit templa*, scilicet idolorum? unde sequitur, *quis vidit sacra sacrilegia? pollui possunt homines fumis, sacrilegijs, nidoribus, sacrificijs, sanguine. Sed in hac causa quis ingressus est templum? quis incendit idolis*, &c.

Circa Resp. ad 2.

## Quæritur I.

### *Quibus casibus Ecclesiam pollui seu violari contingat.*

Violatio seu pollutio Ecclesiæ est ejusdem per aliquod facinus contaminatio ob quod in eâ commissum, Ecclesia prohibet sacra ibidem officia peragi.

*Primus casus quo Ecclesia violatur.*

Contingit varijs casibus. Primus est per homicidium in Ecclesia perpetratum, si non sit ob necessariam sui defensionem, neq; per amentiam, aut casu, sed voluntariè, per c. *Proposuisti*, tit. de consec. Impertinens autem est, an sanguis effundatur necne: ac proinde, si reus in Ecclesia stranguletur, etiamsi per legitimum judicem; ipsa polluitur, ob injuriam non personæ, sed loco factam. Non polluitur autem, si intra eam feratur sententia mortis, modò non fiat ibidem executio.

Si verò per tyrannum occidatur martyr in Ecclesia, videri etiam posset quod non violetur; eò quod sanguis martyrum sit sacer: Verùm, cùm Ecclesiam polluat non sanguis effusus, sed injuriosa effusio: dicendum quod violetur. Ita Sylvest. verbo *Consecratio*, q. 5. Navarr. capite 27. n. 256.

*Secundus casus.*

Secundus est, quando sanguis humanus in Ecclesia voluntariè & injuriosè effunditur, per c. *Ecclesijs*, de consecrat. dist. 1. & ca. *Si Ecclesia*, tit. de consecrat. Ecclesiæ; secundùm quod à Sylvestro & alijs intelliguntur. Debet autem esse copiosa effusio, & ex gravi percussione: Nam, si pugno percussus, magnam sanguinis quantitatem mittat; non polluitur Ecclesia, inquit à Victoria q 99. Quod verum videtur: quando percussio, quæ magnam sanguinis copiam elicit, non est mortalis, ut in puerorum rixa interdum contingit. Si autem percussio est mortale peccatum, satis gravis & satis injuriosa est, ut Ecclesia polluatur ex copiosa sanguinis per eam effusione.

Porrò ad hanc Ecclesiæ pollutionem satis est quod vulnus infligatur in Ecclesia, etiamsi sanguis in eâ non fluat, sive quia recipiatur in aliquo vase, sive quia percussus egreditur antequam fluat, quia tunc intra Ecclesiam data est injuriosa, eaque proxima causa effusionis.

Si autem foris percussus, ad Ecclesiam confugiens, ibi vel moriatur, vel sanguinem fundat, non polluitur, quia nihil in eâ fit injuriosum: Sed neque polluitur si intra Ecclesiam fiat percussio ex quâ nec mors sequitur, nec sanguis fluit: uti nec si ex Ecclesia misso telo vel tormento, interficiatur is qui est extra: Polluitur autem si foris existens, jaculum aut glandem mittat, eumque qui in Ecclesia est occidat. Si supra rectum Ecclesiæ quis occidatur, Ecclesia non polluitur, uti nec si sub Ecclesia in cella vel in cubiculo aliquo subterraneo.

Polluta autem ex his casibus Ecclesia; cœmiterium quoque ipsi conjunctum est pollutum, non contra, cap. *Si Ecclesiam*, de consec. Ecclesiæ, in 6. Ubi etiam declaratur quod si illud cœmiterium habeat

Universidad de Deusto
Biblioteca



habeat aliquod aliud cæmiterium sibi junctum, A pariete divisum, altero eorum violato, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.

*Tertius casus.* TERTIUS casus est, quando voluntariè effunditur in Ecclesia semen humanum, per dictum capitulum *Ecclesijs*, de consecrat. dist. 1. sive sit effusio secundùm naturam, sive contra; sive per copulam aliàs licitam, sive per illicitam, juxta Navarr. cap. 16. num. 32. Victoriam num. 99 Tolet. libro 5. cap. 8. Piacecium Praxis Episc p. 1. c. 2. arti. 1. A Graffijs l. 2. c. 48. Fumum verbo *Consecratio Ecclesia*. Et quamvis non pauci existiment licitam esse in templo copulam conjugalem, quando conB juges ibi detinentur multo tempore; præsertim si alteri sit periculum incontinentiæ: Navarri tamen, Vivaldi, & aliorum sententiam secuti, existimamus neque tunc esse licitam, neque ab Ecclesiæ violatione excusantem quando est publicè nota. Si enim quando maritus vel infirmatur, vel pro suis aut aliorum negotijs diu abest, conjunx debet continere; cur non similiter in præsenti casu propter reverentiam loci sacri? Vide Supplem. quæstione 64. articulo septimo.

*Quartus casus quo violatur Ecclesia.* QUARTUS est, cùm excommunicatus sepelitur in Ecclesia cap. *Consuluisti*, tit. de consecrat. Ecclesiæ; talis scilicet excommunicatus qui vel sit notorius percussor clerici, vel nominatim denunciatus excommunicatus: Illi enim soli jam sunt vitandi, juxta extravag. *Ad evitanda*, sicut & superius monuimus. Et hujusmodi excommunicati corpus debet foras projici, si ab aliorum corporibus discerni potest, cap *Sacris*, tit. de sepul. Quod si discerni nequeat, ibi relinquendum est ac nihilominus Ecclesia est reconcilianda.

*Quintus.* QUINTUS est quando paganus seu infidelis in Ecclesia sepelitur, capit. *Ecclesiam*, de consecrat. dist. 1. Hoc casu, parietes radi debent; & cadaver foras jactari, & ita demum Ecclesia mundetur ac reconcilietur.

*Quæst. Resp.* Quæri autem potest, num violetur Ecclesia, per sepulturam parvuli non baptizati. Resp quod sic, si vel seorsim, id est, extra matris uterum sepeliatur; vel in Ecclesia occidatur, per hoc quod simul D cum matre sepelitur; partim, quia est infidelis; partim, quia fit homicidium: si autem in utero matris moriatur, & postmodum existens adhuc in matris utero simul cum ea sepeliatur, neque peccatur, neque Ecclesia polluitur; quia sepelitur non ut persona per se distincta, sed ut pars matris.

*Quæst.* Petes, quid si ex utero matris mortuæ talis infans auferatur, & postmodum in eadem reponatur ut cum ea possit sepeliri in loco sacro, An id

*Resp.* liceat: & an per ejusmodi sepulturam locus sacer violetur Resp. videri hoc non esse licitum: & si fiat, Ecclesiam pollui: Cùm enim semel fuerit ab utero materno separatus, jam non censetur vel ut E pars matris, vel ut unum corpus cum ea, non magis quam si mater eum ex utero emisisset, sive vivum, sive mortuum, & postea in eundem utetum reponeretur. Quo casu omnino puto Ecclesiam violandam, si cum matre defuncta sepeliatur in Ecclesia.

*Sextus.* SEXTUS, quando renovantur simul omnes parietes Ecclesiæ, vel major pars eorum: secus quando successivè, cap. *ligneis*, de consecrat. Ecclesiæ. Hic autem casus magis pertinet ad destructionem consecrationis, quam ad violationem; quia nova Ecclesia fit, eaque non reconciliatione indiget, sed consecratione: ipsum autè cæmiterium, nec indiget reconciliatione, nec consecratione.

*Septimus.* SEPTIMUM addunt, quando Ecclesia consecratur aut benedicitur per Episcopum excommunicatum, si nimirum ipse sit de numero illorum qui ab Ecclesia non tolerantur in officio. Ita Palud. in 4. d. 18. quæst. 8. Angelus, Sylvester, Tabiena verbo *Consecratio Ecclesiæ* post Hostiensem, Panormit. & alij communiter ante Suarez; adeò ut ipse disp. 18. sect. 4. fateatur se non invenire authores aliter sentientes.

Quoniam verò hic casus non invenitur jure expressus, & quod de irregularitate in jure cautum est, eam non incurri nisi in jure sit expressa, verum est de quacumque censura aut pœna ipso jure incurrenda, Suarez sentit in ejusmodi casu Ecclesiam non pollui, eumque sequuntur nonnulli.

ET CONFIRMATUR PRIMÒ, quia Violatio loci sacri supponit consecrationem aut benedictionem priorem, qualis in casu proposito nulla præcessit: imò nulla actio fit in præsenti casu ab excommunicato præter consecrationem; implicat autem contradictionem, quod Ecclesia violetur seu polluatur per sui ipsius consecrationem.

SECUNDÒ, Ecclesia non polluitur ex eo quod excommunicatus in ea celebret, ergo neque ex eo quod eam consecret; longè enim plus est missam celebrare quam Ecclesiam consecrare.

TERTIÒ, Sepultura excommunicati est permanenter in Ecclesia, Ecclesiæ autem consecratio fit transeunter: multò autem major est ratio quod imponatur censura propter actionem permanentem, quam propter transeuntem: ergo non potest colligi à simili, si polluatur Ecclesia propter sepulturam, quod etiam polluatur propter consecrationem factam ab excommunicato.

Quæ cum ita proponantur, nihil tamen eorum est quod nos cogat à communi veterum sententia recedere: Cum enim ante Suarez Theologi communiter eam asseruerint, nullo (ut ipse fatetur) contradicente; cumque istam Theologorum communem sententiam Ecclesia non ignoraverit, neq; contradixerit; illa tanquam si haberetur in jure sustineri potest secundùm quod Sanchez l. 4. in Decal. c. 3. de voto quòd irritum sit si emittatur ex metu cadente in virum constantem, scribit in hæc verba: *Quamvis ille textus* (c. 1. de his quæ vi) *non habeat formam statuti irritantis professionem, sed illū ex eo metu irritari supponat, nec loquatur de voto simplici, nec constet ubi utriusq; alteriusve irritatio scripta sit, habetur tamen traditione omnium Doctorum ferè: & forsan olim scripta fuit, ac scriptura periit.* Similiter ipse Suar. disp. 31. sect. 16. quod voluntariè quempiam rebaptizans sit irregularis, magis ex usu & consuetudine confirmat, quam ex aliquo textu juris qui nullus est qui de rebaptizante loquatur, & irregularem eum statuat. Deinde, sicut ratiocinatur Nugnus, fortè sententia decernens Ecclesiam pollui si ab excommunicato consecretur, aliquando fuit in jure, licet modo non extet. Cum veteribus ita etiam sentiunt recentiores, Nava. Ench. c. 17. n. 257 Fumus verbo *Consecratio Ecclesiæ*, Tolet. l. 5. c. 8 Emanuel Sa verb. *Ecclesia*, Zerola verb. *Pollutio Ecclesiæ*, Piacecius praxis Episc. p. 1. c. 2. art. 4. Sayrus l. 5. Thesau. c. 16. Marius Alter tom. 1. l. 1. c. 4. disp. 10. Barbosa de off. Episc. Alleg. 27 Miranda in Manual. Prælati tom. 2. q. 39. art. 5. Vivaldus de interdicto num. 23.

Ad



Ad fundamentum ergo oppositum in primis A RESP. vel in jure fuisse talem sententiam, vel sufficere quod Theologi sic unanimiter textum juris interpretati sunt, ut sicut sepultura excommunicati non tolerati polluit Ecclesiam; ita eandem polluat Ecclesiæ consecratio per ejusmodi excommunicatum facta.

*Ad ob. Resp.* RESP. SECUNDÒ, pollutionem Ecclesiæ non esse censuram nec propriè pœnam, ideoque potest procedere argumentum à simili, præsertim ubi est major ratio, sicut est in præsenti; quia nulla actio principalius & formalius pertinet ad locum sacrum, quam ejus consecratio, cum ipse per eam consecrationem efficiatur sacer; efficienter quidem, secundùm quòd est à ministro, formaliter B autem, secundum quod est in ipso loco; & propterea indecentissimum est quod ista consecratio fiat à ministro publicè excommunicato, ac per consequens si unquam polluitur sacer locus, maximè quando per talem ministrum consecratur.

AD 1. CONFIRM. RESP. violationem loci sacri supponere consecrationem, non tempore sed natura priorem; ita ut ad hoc quod violetur sacer locus, non sit necessarium eum tempore præcedente fuisse sacrum, sed violari possit is qui naturæ ordine prius constituitur sacer, quam polluatur: quo modo parvulum esse peccato obnoxium, supponit eum esse hominem, non tamen tempore, sed natura solum prius. Neque ulla est con- C tradictio quod Ecclesia polluatur per consecrationem, non in quantum est consecratio, sed in quantum est consecratio per talem cui Ecclesia prohibet consecrare.

Quapropter sicut is qui vel ab excommunicato vel ab hæretico denominato scienter ordinatur, eo ipso suspenditur ab executione ordinis, ut ei non liceat exercere ordinem quem recipit; ita locus qui ab excommunicato non tolerato consecratur, eo ipso polluitur: seu ita manet quodammodo suspensus ut non possit istius consecrationis esse aliquis usus divina officia in eo celebrando, nisi purificetur seu reconcilietur.

AD 2. CONFIRM. RESP. Neg. Consequoniam D etsi missæ celebratio sit excellentior consecratione loci, non ita tamen formaliter & essentialiter pertinet ad locum sacrum, ac per consequens non tantam importat indecentiam ad locum sacrum, quam ipsius loci consecratio.

AD 3. CONFIRM. RESP. Neg. Subs. licet enim actio consecrativa in quantum est actio quædam Physica transeat; nihilominus in quantum est consecratio manet secundùm suum effectum, cum locus remaneat consecratus.

Videri quidem potest quod si Episcopus vel hæreticus postquam est de numero illorum qui ab Ecclesiâ non tolerantur, attentet consecrare Ecclesiam, consecratio non teneat, propterea quod E in cap. *Ecclesijs* de consecr. d. 1. cum dicitur locus Deo dicatus nõ esse denuò consecrandus, additur, *si tamen fidem S. Trinitatis tenuerint qui eum consecraverint.* Et B. Th hîc ad 3. jungit rationem, quia *qui sunt extra Ecclesiam consecrare non possunt.*

*Quando excommunicatus consecrat Ecclesiam consecratio tenet.* At omnino dicendum est id quod communis habet sententia, consecrationem tenere: quia consecratio non est actus jurisdictionis, sed ordinis; potestas autem ordinis non tollitur ab excommunicato vel hæretico.

AD CAP. RESP. vel sensum illius non esse si ij qui locum consecraverunt, habebant veram fidem de Sancta Trinitate; sed, si in consecrando eam tenuerunt, sive usi fuerunt forma ordinaria, secundùm quam Ecclesiæ consecrari debent in nomine Sanctæ Trinitatis; vel isto cap. significatur quod locus Deo dicatus habendus sit pro consecrato: ita ut divina officia possint in illo fieri, nec ulla alia ad hoc consecratione aut mundatione vel reconciliatione indigeat, modo qui illum dicaverunt, veram fidem habuerint, & vera Ecclesiæ membra extiterint: unde colligendum relinquitur quod si consecratores extra Ecclesiam fuerint, loca per eos consecrata quamvis maneant consecrata; non tamen eis uti liceat tanquam consecratis, donec mundentur ac reconcilientur: quia *qui sunt extra Ecclesiam* (ait B. Thom.) *consecrare non possunt.* Quod non sic intelligendum venit, quasi non possint validè consecrare; sed quia non sic consecrare possunt, ut licitum faciant usum loci per eos consecrati; eò quod usus ille maneat prohibitus. Secundùm quem intellectum, B. Thomæ sententia est eadem cum illa quæ docet talem locum esse pollutum & egere reconciliatione prius quam divina in eo celebrentur.

*Per casus occultos Ecclesia non polluitur.* Observandum porro quod si casus jam antea allegati acciderent in Oratorijs nec consecratis nec benedictis, non censebuntur violata, quia non fuerunt sacra.

Observandum præterea quod tum demum Ecclesiæ censentur pollutæ, ita ut reconciliatione indigeant, quando causæ superiùs memoratæ sunt publicæ; vel per evidentiam rei, vel per confessionem, aut probationem juridicam; secundùm Sylvestrum, Navarrum, & alios; ita ut quamdiu sunt occultæ, nulla opus sit reconciliatione; si autem propalentur, tunc reconciliatio est necessaria, juxta ca. Significasti. De adulterijs, quod etsi tantum loquatur de casu adulterij, ad reliquos tamen casus solet extendi, tum quia eadem est ratio, tum quia prælati non debent occulta crimina revelare, purificando seu reconciliando Ecclesias.

## QUÆRITUR II.

### *An liceat in Ecclesia violata celebrare.*

RESP. non licere, adeò ut quamvis in jure non statuatur pœna irregularitatis, sed pensionis, aut excommunicationis contra eum qui in Ecclesia violata celebrat priusquam sit reconciliata, unde & communis sententia habet quod nullam ejusmodi pœnam incurrit: Si quis tamen absque consensu Episcopi non urgente necessitate, ibi celebraret, mortaliter peccaret.

PRIUS à Paludan. & Domin. in 4. distinctione decima tertia, quæstione secunda, à Suarez disp. 81. & ab alijs communiter traditur ex cap. *Is qui* de sententia excommunicationis in 6.

Nec obstat cap. *Episcoporum*, titul. de privileg. in 6. quia solùm loquitur de locis interdictis; quæ autem violata seu polluta sunt, non sunt interdicta ut manifestum est ex dicto cap. *Is qui.*

POSTERIUS Probatur, quia talis faceret contra justam Ecclesiæ prohibitionem in re gravi.

Quia tamen Episcopus concedere potest missam fieri in loco nunquam consecrato vel benedicto: ideo (quod Beatus Thomas hic ad 2. indicat)

vide-

Universidad de Deusto
Biblioteca



videtur etiam si necessitas urgeat, posse concedere, A ut celebretur in violato: cùm incongruitas celebrandi in locò violato, sit solùm ex Ecclesiæ prohibitione.

Si verò Ecclesia violetur sacerdote celebrante; dimittatur missa, si est ante canonem: perficiatur, si is est inceptus.

## QUÆRITUR III.

*Per quem Ecclesia violata debeat reconciliari.*

RESP. quod Ecclesiæ pollutæ seu violatæ reconciliatio fieri debet, vel per Episcopum, si Ecclesia erat consecrata: vel etiam per simplicem B presbyterum, si tantum benedicta; Sylvest. Navarr. Tolet.

Ex capitulo *Aqua*, tit. de consecr. Ecclesiæ quod est Greg. 9. apparet quod Ecclesia priùs consecrata sic debeat reconciliari per Episcopum, ut is vices suas nequeat simplici sacerdoti committere Et quamvis contrarium (quod tradunt Victoria, & Emanuel Sa) sit in praxi; satis tamen videtur certum, quod illis praxis non sit ex voluntate summi Pontificis vel introducta, vel recepta. Sic enim loquitur Greg. dicto c. AQUA, *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus; per sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes. Non obstante consuetudine provinciæ Bracar. quæ dicenda est potiùs corruptela:* & C in Rom. Rituali, jussa Pauli 5. edito sic legitur. *Simplex sacerdos tantum ex privilegio sedis Apostolicæ potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare.* Atque his consentit Navar. l. 3. consil. tit. de conseq. Ecclesiæ consil. 1. & in Enchiridio c. 27. nu. 256. Et hanc sententiam, quod quando Ecclesia quæ per Episcopum fuit consecrata, est violata, non possit per simplicem Presbyterum reconciliari, ne quidem de Episcopi licentia, sicut secuti fuimus in secunda hujus operis editione, ita etiam nunc in tertia sequimur, addentes alios qui ita sentiunt, Barbosam de off. Episc. Alleg. 28. nu. 55. Mirandam in Manuali Prælat. tom. 2. qu. 39. art. D 8. (qui ait, *Etiamsi in contrarium sit consuetudo*,) Marium Alter. l. 1. cap. 6. disp. 10. de excomm. Zerolam verbo, *Pollutio Ecclesiæ*.

*Ecclesia consecrata non nisi per Episc. reconciliari potest.*

Quod autem de reconciliatione Ecclesiæ consecratæ diximus; pariter de cæmiterij consecrati reconciliatione accipiendum esse rectè monent Piacesius dicto c. 2. art. 4. & Barbosa Alleg. 27. num. 34. Cæterum ex Summi Pontificis concessione posse Ecclesiam quæ per Episcopum fuit consecrata & postmodum violata, reconciliari per simplicem presbyterum, satis certum est, & traditur à Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. estque conforme Rituali Rom. suprà citato.

E

## QUÆRITUR IV.

*An ad missam celebrandam necessarium sit altare consecratum.*

ALTARE quasi alta res vel alta ara dicitur: Ara quidem, vel ab ardore quod incensæ victimæ ibi arderent; vel ab ariditate, quod ibi adoleretur ignis; vel à præcationibus, quas Græci ἀρὰς vocant; vel in Ecclesia Catholica à purissimo & incruento sacrificio: Alta verò quoniam locus sacrificij in altum erigi solet, tum propter reverentiam, tum propter significationem, tum propter sacrificandi commoditatem, Videri possunt Guilielmus Durandus in Rationali div. off. l. 1. c. 2. Stephanus Durandus p. 1. c. 15. Calepinus verbo *altare*, & verbo *ara*, Suarez disp. 81. sect. 5.

*Altarium antiquitas.*

Antiquitas altarium, patet ex Gen. 8. 12. 13. & alibi frequenter in veteri testamento. Sed & in novo, propter novum novæ legis sacrificium, celebrem habemus apud Apostolos memoriâ: Prioris ad Corint. 9. *Qui altari deserviunt, de altari participant*, quod altare Apostolus cap. seq. mensam vocat dicens, *non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*; quia idem illud quod est altare ad offerendum sacrificium, est mensa, in qua cibus animæ nostræ spiritualis proponitur. Ad Hebr. 13. *habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.*

S. Dionysius Areop. Eccles. hier. c. 3. p. 3. *Positis in divino altari veneratione dignis signis per quæ Christus & significatur & percipitur, sine mora præsto est Sanctorum Catalogus:* & cap. 4. *Animadverte* (inquit) *divini altaris consecrationem sanctissimorum mysteriorum more & instituto sanctissimis sacri unguenti infusionibus confici.* Vide eundem cap. 5. p. 2 & 3. & cap. 7. p. 2.

Iren. lib. 4. cap. 20. ideo affirmat omnes Apostolos, fuisse sacerdotes, quia serviebant altari, in eo scilicet sacrificantes.

Optatus Milevit. lib. 6. *Quid est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Hæc omnia furor,* vester Donatistas increpat) *aut rasit, aut fregit, aut removit.* Et postea *hoc modo Iudæos estis imitati. Illi injecerunt manus Christo in Cruce, à vobis percussus est in altari*; & alia plura quæ apprimè in nostros hæreticos altarium profanatores & everstores conveniunt; sicut & illud B. Hieronym. epist. 3. c. 9. *Capti Episcopi, interfecti presbyteri, & diversorum officia clericorum. Subversæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi.*

Ex his duæ conclusiones elici possunt pro præsentis quæsiti resolutione. Sit igitur

### CONCLUSIO PRIOR.

*Altare est necessarium.*

AD missam celebrandam necessarium est altare: quia ad offerendum sacrificium altare est necessarium, ut per se notum est, & patere etiam potest ex scripturis tam novi quam veteris testamenti: Sed in missa verum sacrificium offertur, quemadmodum initio hujus q. 83. fuit probatum: ergo ad missam celebrandam necessarium est altare.

Confirmatur, ex sententijs Apostolicis supra allatis, atque ex Sanctorum Patrum testimonijs liquet altaria semper in Ecclesia Christi fuisse: ergo & nunc ea esse oportet.

### CONCLUSIO POSTERIOR.

*Altare debet esse consecratum.*

OPORTET quod Altare in quo missa celebratur, sit consecratum; quia non solum requiritur quod locus sacrificij remotus sit sacer, ipsa nimirum Ecclesia; sed etiam, imò multò magis, quod locus proximus, id enim postulat reverentia tanto mysterio debita. Et hinc est quod ab ipsorum Apostolorum temporibus solerent altaria consecrari seu benedici, ut patet ex S. Dion. c. 4. de hier. Eccl. & ex varijs capitulis quæ extant de cons. d. 1. & in decret. tit. de cons. Ecclesiæ.

Et



*Debet esse lapideum.*

Et si verò altaria non fuerint ab initio lapidea A sed lignea, ut persecutionibus urgentibus facilius possent transferri; data tamen Ecclesiæ pace statutum est à Sylvestro, ut deinceps Altaria non fierent nisi ex lapide, quemadmodum habemus in Rom. Breviario 9. & 18. Novemb. & hoc ipsum in usu fuisse ac etiamnum esse, tum praxis confirmat, tum ea quæ leguntur in decretis de consec. d. 1. cap. *Altaria*, ex Conc. Epaun.

Duplex autem est altare. Unum fixum, aliud portatile; & utrumque debet esse lapideum, ita tamen quod non oporteat totam structuram esse lapideam, sed satis est quod ara seu tabula vel mensa superior sit lapidea, eaque tantæ magnitudinis ut ibi firmiter poni possit calix & hostia cum B patena. Portatili potest quilibet sine privilegio uti in Ecclesijs consecratis vel benedictis, non autem extra necessitatem in alijs locis; quia est privilegium Episcoporum, cap. *Quoniam* de privilegijs in sexto.

Debet insuper altare sive fixum sive portatile, esse consecratum ab Episcopo cap. *Nullus* de consecr. d. 1. & quidem sic ut peccatum sit mortale celebrare sine eo quod ita sit consecratum, nec potest Episcopus in hoc dispensare, neque illam consecrationem committere ei qui non sit Episcopus. Sed

## QUÆRITUR V.

*An ad altaris consecrationem necessariæ sint sanctorum reliquiæ.*

RESP. esse necessarias: quamvis enim simpliciter & absolutè loquendo seu Ecclesiæ constitutionem præveniendo, Reliquiæ non sint de essentia consecrationis altaris, quasi nullo modo consecrari possit absque illis, si summo Pontifici ita ex causis videretur; cùm non semper fuerit observatus idem ritus ea consecrandi, possetque idem Pontifex mutare illum ritum qui modò est: Nihilominus, rebus ut sunt stantibus, hoc est, stante illa ecclesiastica consuetudine & ordinatione, D ut Altaris consecratio, numquâ fiat sine Reliquijs Sanctorum; illicitum videtur aliter consecrare; imò nec pro consecratis habenda sunt, si qua sine Reliquijs consecrantur citra peculiarem summi Rom. Pontificis authoritatem. Ita indicat B. Th. hîc ad 2. Sylvest. verbo *Altare*, qu. 1. Azorius p. 1. l. 10. cap. 27.

*Altare non sine reliquijs est consecrandum.*

Et quamvis in cap. *Placuit*, de consecrat. dist. 1. videatur sermo esse de aris in quibus exercebantur superstitiones, significatur tamen jam tum solere Ecclesiam adhibere reliquias in consecratione altarium. Et Pontificale Rom. præscribit eas adhibendas esse tam in portatilium, quàm in fixorum consecratione. E

Confirmatur, Altaria non possunt consecrari, nisi ritu ab Ecclesia præscripto: Atqui Ecclesia præscribit reliquias adhiberi, & nullum alium ritum consecrationis habet: ergo si non adhibeantur, consecratio non tenet. Et alioquin si non sint reliquiæ in altari, qua ratione sacerdos ad illud accedens, ante introitum Missæ orat. *Per merita Sanctorũ quorum Reliquiæ hic sunt?* Verum quidem est in antiquis Missalibus dici, ut hæc pars omittatur isto casu: sed in modernis, Rubrica talis sublata satis innuit, eam Ecclesiæ Rom. non probari: Unde sequitur sanctorum reliquias quodammodo esse nunc de essentia consecrationis altaris.

Neque audiendi sunt qui loco reliquiarum corpus Christi ponendum existimaverunt; cum ipsum animarum sit cibus, ac ideò nutriendis spiritualiter hominibus dandum & servandum, non usque ad corruptionem specierum occultandum intra altare: nam hoc esset abuti sacramentis.

## QUÆRITUR VI.

*Quando altare censeatur violatum.*

*Casus in quibus altare pollutitur.*

RESP. quod Alexander 3. cap. *Ad hæc*, tit. De consecratione Ecclesiæ, ponit duos casus, si vel mensa frangatur enormiter, vel sic moveatur, ut separetur à reliqua structura altaris, & lapis superior separetur ab inferioribus: Nam sine illa conjunctione non consistit, secundùm Sylvestrum, verbo *Altare* 1. q 8. Itaque si tota structura altaris cum sua mensa transferatur in alium locum Ecclesiæ, nec mutetur compositio; non desinet esse consecratum.

TERTIUS casus est, si moveatur aut frangatur sigillum sepulchri. Sylvester ibidem, & Azorius p. 1. l. 10. cap. 27. Guilielmus Dur. l. 1. de divin. offic. c. 6. nu. 34. Quibus conformiter Gavantus p. 1. in Rubric. Missalis tit. 20 scribit Altaris consecrationem durare usque ad amotionem tabulæ, vel fractionem quomodocumque sigilli Reliquiarum, Videri enim potest Barbosa Alleg. 27. num. 26. idem sentiens.

QUARTUS, si alio quocunque modo altare amittat suam formam. Ex eo autem quod lapis in quo est sepulchrum moveatur à ligno, non perditur consecratio, modò sigillum maneat immotum: quia lignum quo lapis altaris circumdatur, magis ad ornamentum quàm ad consecrationem pertinet. Vide eundem Sylvest. verbo *Altare*, quæst. 8. & 9.

PETES, quando Ecclesia polluitur seu violatur; An etiam altare censeatur pollutum, & contra.

RESP. censeri, si sit altare fixum in Ecclesia: quia dum polluitur Ecclesia, polluitur ex toto; ejusmodi autem altare est pars Ecclesiæ. Et vice versa dum altare fixum polluitur, Ecclesia ipsa polluitur, quia violata parte violatur totum. Aliter autem est dicendum de altari portatili: illud enim solum polluitur, & non Ecclesia; ipsaque sola violatur, & non ejusmodi altare.

Loquimur autem de casibus quibus Ecclesia vel altare polluitur, sic ut reconciliatione indigeat: Nam de casu in quo perit consecratio, dirutis, vel exustis parietibus; altari manente integro; aliter est dicendum, quod scilicet altare tunc neque sit pollutum neque execratum ideoque; neque reconciliatione indigeat, neque consecratione: Et similiter, si destrueretur, aut frangeretur altare, parietibus illæsis, solum altare esse profanatum, non Ecclesia. Vide Sylvestrum verbo *Altare*, qu. 11. Azorium dicto c. 27. Mirandum tom. 1. qu. 39. art. 7. Barbosam alleg. 27. nu. 26.

Pro RESP. ad 1. arg. à B. Thoma propositum dicendum est non sequi, Christus non est passus in domo, sed extra portam: ergo hoc sacramentum, cum sit passionis ejus repræsentativum, non debet celebrari in domo, sed sub dio: quia non militat utrimque eadem ratio. Ideo namque sacramentum hoc regularitet est in domo celebratum, partim quia Christus in domo celebravit, in Cœnaculo videlicet grandi, strato Marc. 14. Lu. 22. partim

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quare Christus extra urbem passus.*

propter reverentiam tanto Sacramento debitam, A partim ad significandum quod extra Christi Ecclesiam (quæ per domum seu materialem Ecclesiã significatur) non est locus veri sacrificij: Christus autem ideò extra portam pati voluit & non in urbe vel domo aliqua populi Judæorum, ut per hoc significaret quod Ecclesia quæ est fructus Passionis ejus, non erat concludenda sub finibus gentis Judaicæ, sed in universo mundo fundanda & extendenda.

In Resp. ad 2. neg. est hæc Conf. Christus non celebravit in domo consecrata sed in profana; & similiter Apostoli statim à Christi Passione; ergo neque nos debemus celebrare in domibus consecratis. Est enim disparitas, quoniam humanitus loquendo neque Christus neque Apostoli statim in principio, poterant habere domos seu Ecclesias ad istud mysterium consecratas, non templum Jerosolymitanum; quia Sacerdotes legales non permisissent: non aliam aliquam domum quam consecrassent; quia non poterant illam à profanis usibus separare & soli divino cultui dedicare, partim ob suam paupertatem, partim ob Judæorum rabiem & sævitiam: qua ratione etiam nunc licitum est celebrare extra Ecclesias seu domos consecratas, si ejus rei faciendæ urgeret magna necessitas. B

*Quare Apostoli non habebant ab initio Ecclesias consecratas.*

At regulariter nulla nunc est ejusmodi necessitas, sed è contrario maxima est opportunitas habendi domos consecratas aut saltem benedictas. C

In eadem Resp. observandæ sunt rationes ob quas Ecclesiæ, mysterio Eucharistiæ deputatæ, consecrantur.

*Quare Ecclesia consecratur.*

Una est, ad repræsentandam sanctificationem quam Ecclesia consecuta est per Passionem Christi.

Alia est, ad significandam sanctitatem quæ requiritur in ijs qui mysterium hoc tractare vel recipere debent.

Tertiam attulimus hujus articul. conclusio. 2. ut locus sit proportionatus mysterio ad quod deputatur.

Quartam adfert S. Doctor in Resp. ad 3. ut *homines devotionem quandam exinde percipiant, & ut sint paratiores ad divina:* sive propter nostram D utilitatem, de qua superius conclusione 3. diximus.

Ex his intelligi facilè potest falsum esse quod in arg. 3. subsumitur, frustra adhiberi consecrationem Ecclesiæ vel altari & hujusmodi rebus inanimatis quæ non sunt gratiæ susceptivæ: id enim non potest dici fieri frustra, quod ob tam multas easque rationabiles causas fit. Neque refert quod illa non sint susceptiva gratiæ: quia non ad hoc consecrantur ut gratiam recipiant, sed ob jam dictas rationes.

Quod addit, Ecclesias virtutem quandam ex consecratione accipere, vide explicatum in citatâ concl. 3. E

Pro solutione 4. Resp. Author ad Minor. quod Ecclesiæ vel Altaris consecratio non est opus solius hominis, cùm habeat spiritualem virtutem.

*Cur Ecclesiarum consecratio recolitur.*

Ratio autem quare istorum consecratio solemniter recolitur potius quam rerum aliarum quæ consecrantur, est; quoniam domus illa quæ consecratur, significat Ecclesiam Christi, unde & vocatur Ecclesia; ejus autem consecratio significat sanctitatem totius Ecclesiæ: Altare verò significat Christum, & corpus Christi, ac per consequens altaris consecratio significat sanctitatem Christi. Et per hoc quod altare consecratur cum reliquijs Sanctorum, significatur quod vita eorum abscondita est cum Christo in Deo.

Pro solut. 5. dicendum quod veritas debet respondere figuræ in quantum ratio convenientiæ postulat: est autem alia ratio propter quam in veteri Testamento altare juberetur fieri non de sectis lapidibus, Exod. 20. scilicet ad vitandam idololatriam, ut hîc dicitur, & latiùs 1. 2. q. 102. ar. 4. ad 7. & insuper ob causas quas ad ca. illud annotavimus; alia autem est ratio, propter quam jubeantur modò fieri ex lapide, nimirum partim quia lapis est firmior & durabilior ut consecretur & consecrationem retineat diutiùs; partim quia altaria nostra repræsentant vel Christum de quo dicitur 1. ad Corinth. 10. *Petra autem erat Christus*; vel corpus Christi quod in sepulchro lapideo fuit sepultum.

Pro Resp. ad 6. dicendum non sequi quod calix ex petra etiam fieri debeat: quia non solùm spectanda est repræsentatio, sed insuper evitari debent pericula, quæ majora forent si calices essent lapidei, cùm lapidei & porosi sint & magis frangibiles, quam aurum, argentum vel stannum. Quoniam verò non est tantum periculum circa corpus quod in altari ponitur, quantum circa sanguinem qui in calice consecratur; ideò Ecclesia statuit & observat ut Corporalia (sic dicta à Christi corpore, quod recipiunt) sint linea.

Circa eandem Resp. Quæritur 1. ex qua materia debet esse calix.

*De materia calicis.*

Resp. de necessitate præcepti Ecclesiastici esse ut calix & patena sint aurea, vel argentea, vel ut minimum stannea: de ære autem vel aurichalco nequaquam licet fieret calicem; quia ob vini virtutem æruginem parit quæ vomitum provocat. Eadem aut simili ratione existimandum est non licere consecrare in calice ex ferro, plumbo, vel lapide.

In ligneo quoque aut vitreo calice nullatenus licet consecrare capit. *Vt Calix*, de consecrat. distinct. 1.

Neque refert, quod olim Sacerdotes in calicibus ligneis consecraverint, & Zepherinus Papa in vitreis: quia *in hoc, sicut & in reliquis cultibus magis & magis per incrementa temporum decus succrevit Ecclesiarum*, ut dicitur eadem dist. 1. c. *vasa*, & hinc est quod calices vitrei & lignei fuerint successu temporis ablegati.

Observandum tamen sufficere quod cuppa calicis sit aurea vel argentea (quia sola proximè deservit ad continendum sacras species) etiamsi pes esset æreus, cujusmodi est calix Augustini Hunnæi Doctor. Lovanienſis quem apud me habeo totaliter deauratum, eoque diebus ferialibus uti soleo. Debet præterea calix esse consecratus. Sed

Quæritur Secundò, quis possit calicem consecrare.

Resp. quod solus Episcopus, partim ex c. unico de sacra unctione §. ultim. partim ex perpetuo Ecclesiæ usu. Unde Abbates hîc nihil de jure possunt, vel de consuetudine, sed tantùm ex Sedis Apostolicæ privilegio: Sylv. verbo *Benedictio* q. 4. & verbo *Calix*, q. 1.

Quæritur 3. quando calix censetur profanatus, & indigere nova consecratione?

Resp. Certum esse quod amittat suam consecrationem



crationem, quando ita frangitur, ut sit inutilis ad A usum sacrificij, veluti ut si vel cuppa frangatur, vel à pede avellatur. Si tamen esset calix tornatilis, ita per artem factus ut pes à cyatho posset separari, dicendum est quod per separationem non perderet consecrationem. Ita Emanuel Sa verbo *Calix*, & post Armillam, Azorius c. 28. & Suarez disp. 81. sect. 7. itemque Barbosa Alleg. 27. n. 40. Bonacina de Sacram. Euchar. disp. 4. qu. ult. puncto 9. num. 20. quia per ejusmodi separationem non diceretur calix frangi vel scindi.

Si calix post consecrationem deauretur, indiget nova consecratione; & similiter, si cum esset deauratus, totum aurum simul & semel decidat, non autem si paulatim deteratur, quia non sic de- B teritur quin adhæreant aliquæ auri particulæ.

His non obstat quòd istis casibus manet idem calix; res autem semel consecrata quamdiu manet eadem, non amittit consecrationem: quia etsi sit idem calix secundùm rem, non est tamen idem secundùm usum sacrum. Cùm enim chrismatica unctio adhibeatur calici intrinsecus, ejus consecratio consistit in superficie interiori, nova autem deauratio interior facit novam superficiem, quæ speciem sanguinis debet immediatè continere.

Huic Responsioni conforme est quod Suarez & alij scribunt per calicis deaurationem fieri quoddam vasculum aureum subtilissimum intra illud argenteum: & hoc novum vasculum est quod im- C mediatè recipit species sanguinis. Idemq; judicium est de patena, si post consecrationem deauretur. Non desunt tamé qui opinantur calicem non perdere suam consecrationem per hoc quod deauratur: sed superius dicta resolutio ut communior, ita & verior est. Unde quod in Emanuele Sa, legi solebat, verbo Calix, Calici non perit consecratio &c. si de novo deauretur; in ejus correctione fuit deletum.

Quæritur 4. An calix amittat consecrationem ex percussione aurificum.

Resp. ita quidem eos existimare; sed falsò quia calix percussus neque frangitur (hoc enim casu procedit quæstio) neque superficiem mutat, & propterea non desinit esse consecratus. Ita post D secundam hujus operis editionem vidimus resolvere Barbosam Alleg. 27. num. 39. cum alijs per eum citatis, ac Bonacinam num. 19.

Quæritur 5. Utrum pixis seu ciborium in quo conservantur hostiæ seu formulæ pro infirmis, debeat consecrari vel benedici. Resp. non debere consecrari cum chrismate, quia in Pontificali ubi ejus benedictio præscribitur, nulla fit mentio chrismatis. Sunt etiam qui existiment omnino non debere benedici, ut Palud. in 4. d. 13. q. 1. ar. 4. Sylvester verbo Eucharistia 3. Nugnus hîc Azorius p. 1. l. 10. c. 27. q. 7. & alij non pauci.

*Pixis sacramenti debet consecrari.*

At aliorum sententia est, quod benedici de- E beat: quia *in reverentiam hujus Sacramenti a nulla re contingitur nisi sacra*, ait B. Tho. q. 82. art. 3. nimirum extra necessitatem.

Confirmatur, corporale quod recipit corpus Christi ad breve tempus, scilicet à consecratione usq; ad communionem, debet benedici: ergo pari vel majori ratione vasculum quod illud ipsum diu conservat. Unde Rubricæ Missalis dicunt quod *si sacerdos est consecraturus plures hostias pro communione facienda, qua ob quantitatem super patenã manere non possunt, locat eas super corporale ante calicem, aut in aliquo calice, vel vase mundo consecrato ponit eas*, in quibus verbis satis clarè videtur sup-

*Sylv. in III. Part.*

poni quod vasculum ad recipiendas formulas communicaturis distribuendas debeat esse consecratum. Idemque colligi potest ex c. *Sanè*, De celebr. Miss. ubi jubetur ut Eucharistia *in loco singulari mundo & signato honorificè collocata devotè & fideliter conservetur.* Ad honorificam enim ejus collocationem pertinet, ut non in profano sed in sacro seu benedicto vase collocetur.

Confirmatur præterea, quoniam *vestimenta ecclesiastica quibus Domino ministratur sacrata debent esse*, ut dicitur de consecration. distinct. 1. c. *vestimenta*: Ergo & vas in quo asservatur sacratissimum Christi Corpus.

Accedit quod & naturalis ratio dictat locum debere esse proportionatum locato, (ac proinde cum locatum, id est, Corpus Christi, sit sanctum, ejus locus etiam sanctus debet esse) & virtus religionis requirit sancta sanctè tractari, & in sanctis vasis reponi.

Neque refert in jure non inveniri expressum præceptum de hujus vasculi benedictione: sufficit enim quod ex jam allegatis possit colligi.

Quapropter etsi prior sententia propter eorum qui illam sustinent authoritatem, non sit velut improbabilis rejicienda, neque condemnemus eos qui illam sequuntur; nemini tamen authores esse velimus, ut eam sequatur; quin potius existimamus posteriorem, & probabiliorem esse, & in praxim deducendam, eo modo quo passim in Belgio solet practicari, ut nimirum sacræ hostiæ ponantur in pixide nuda, hoc est, absque velo seu linteo benedicto intra illam posito, si ea pixis sit benedicta. Ita sentiunt Stephanus Durandus l. 1. de ritib. c. 16. Petrus Ledesma de Eucharist. cap. 21. & Guillielm. Mercerus Doctor Lovanienſ. Barbosa Alleg. 27. num. 41.

Vasquez disput. 233. c. 4. docens non necessariò benedicendam esse prædictam pixidem, existimat ex consuetudine necessarium, ut intra pixidem in qua Sacramentum servatur, sit vas aliquod ex lino quod benedictione Corporalis benedictum sit, suíque dicti hanc adfert rationem. *Nam sicut quamdiu celebratio Missæ durat, corpus Christi semper esse debet supra pallam corporalem benedictam; quæ sindonem repræsentat qua Christi corpus mortuum in sepulchro involutum fuit: ita etiam finita missa quamdiu corpus Christi servatur.* Sicque revera habet usus fidelium, ut quando ciborium non est benedictum, intra illud ponatur sacrum, seu benedictum linteum ad sacram Eucharistiam recipiendam.

Et quoniam ejusmodi linteum haud infrequenter in pixide seu ciborio cernitur; hinc fortasse ortum habuit opinio existimantiũ esse in usu, quod illa pixis non benedicatur. Sed ut nullo ejusmodi linteo sit opus (quia experientia teste, amylum quo linum illud imbuitur, generare solet animalia quædam minuta in pixide, ut loquitur Gavantus part. 2. tit. 2. de Rubric. Missalis:) Ideo diximus pixidem seu ciborium debere consecrari seu benedici; & in hanc nostram sententiam competit ratio per Vasquez allata.

Ex qua verò materia esse debeat ejusmodi pixis, non est præscriptum; decet tamen esse argenteam & interius deauratam, quamvis si ob paupertatem fiat ex materia inferiori, peccatum non sit nisi loci ordinarius aliter præcepisset.

Si quæras, ad quem pertineat hujus pixidis seu ciborij benedictio.

Universidad de Deusto
Biblioteca



RESP. quod ad Episcopum, & ad eum qui potest benedicere corporale, juxta Gavantum dicta part. 2. & alios. Unde in Rituali Pauli V. jussu edito benedictio Vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda, posita est inter benedictiones, ab Episcopis vel alijs facultatem habentibus, faciendas.

Et quod de hujusmodi pixide dicimus, pari ratione intelligimus de lunula seu circulo qui sacram Eucharistiam immediatè contingit.

PRO RESP. ad 7. Neg. est C. quod enim Calix qui sepulchrum Christi designat, sicut patena denotat lapidem sepulchro oppositum, non fiat de petra, est propter periculum de quo diximus in Resp. ad 6. servat quippe Ecclesia id quod expressiùs Passionem Christi repræsentat quantum sine periculo fieri potest; At ubi foret periculum, hoc ordinat quod est decentius. Quia ergo non est periculum si Corporale sit lineum, idcircò Ecclesia vult omnia Corporalia esse linea, alba & munda, sicut Corpus Christi fuit sepultum in sindone linea, eaque munda. Et hoc etiam competit tum ad significandam munditiam earum ad quos pertinet consecrare, tum ad repræsentandam Passionem, quia linum multa debet pati priusquam ex eo tela confici possit. Debet præterea Corporale esse benedictum ab Episcopo c. *Consulto*, de cons. d. 1. subaudi vel ab alio Sacerdote facultatem habente: Nam in Ritual. Rom. jussu Pauli V. edito, benedictio Corporalium, sicut & aliorum linteaminum altaris, ponitur inter eas benedictiones, quæ ab Episcopis, vel alijs facultatem habentibus fieri debent.

*Corporale debet esse lineum & benedictum.*

Observandum porrò quod hujusmodi Corporalia postquam sunt benedicta & in ijs fuit celebratum, non possunt à laicis tangi, c. *In sancta* de cons. d. 1. imò nec à sanctimonialibus, ad 23 cap. *Sacratæ*, sed à solis ijs qui sunt in sacris Ordinibus: quamquam, seclusis scandalo & contemptu, non sit plusquam veniale peccatum, si qui alij tangant.

Idemque probabiliter dici potest si accidat istos alios tangere sacrum Calicem, vel non prorsus voluntariè, vel voluntariè quidem, sed quando non continet sanguinem Domini, & abest omnis contemptus omnisque scandali periculum, ut est apud Vasquez disp. 233. c. 4. Ledesmam c. 21. Eayman l. 5 tra. 5. c. 6. n. 19. & Bonacinam disp. 4. de Euchar. q. ult. part. 9. nu. 21. post alios ab eis citatos. Quando autem continet sanguinem Domini, non sine grandi peccato ipsi data opera possunt eum tangere.

Quantum porrò attinet ad Corporalium (idemque judicium est de Purificatorijs ad sacrum Calicem purificandum adhibitis etsi ea non soleant benedici) ablutionem, postquam prima ablutione (quæ in piscinam Ecclesiæ projicienda est) sunt per diaconum vel subdiaconum lota, possunt ulterius ablui etiam à feminis præsertim virginibus, sicut ab ijs refici possunt: & quoniam retinent suam benedictionem quamdiu manent integra & non sunt notabiliter fracta, ideò post lotionem non sunt iterum benedicenda.

Cætera ad Missam requisita petantur tum ex Missali, tum ex libris qui de divinis Officijs tractant; & ex parte, ex his quoque quæ hîc sequuntur.

## ARTICULUS IV.

ART. 4. declarat convenienter ordinari ea quæ dicuntur circa hoc Sacramentum: eaque occasione totam Missæ seriem breviter ac dilucidè explicat. Legatur textus. Quamvis autem S. Gregorius l. 7. epist. 63. dicat: orationem Dominicam idcircò mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem, oblationis hostiam consecrarent, id tamen non nisi pauco post Ascensionem tempore fuit observatum: Nam postea ab ipsis primum Apostolis, ac deinde à varijs Patribus plura fuerunt addita. Unde hæc Apostoli sententia, 1. ad Tim. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationem*, & ab Augustino epistola quinquagesima nona. & à S. Thoma secunda secundæ, quæstione octogesima tertia, articulo decimo septimo, & alijs, accipitur de publicis Ecclesiæ precibus, quas ad altare facit Sacerdos. Sanctus etiam Jacobus in suâ liturgia plures habet orationes. Et quamvis in particulari non de omnibus constet quid, per quem, & quando sit additum? singula tamen quæ in officio Missæ dicuntur, valde antiqua sunt præsertim quæ continentur in Canone: qui sic vocatur, quia Canonem seu præscriptam verborum formam continet, quâ tanquam regula sit in hoc mysterio conficiendo utendum.

*De Canone Missæ.*

De hoc Synod. Trid. sessione 22. capite 4. dicit quod Ecclesia Catholica *multis ante sæculis eum instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesq; offerentium in Deum erigat. Is enim constat cùm ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum pijs institutionibus*, Ubi notandum quod Canonis institutio quamvis non sit divina sed Ecclesiastica, sit tamen perantiqua; ut proinde Isidor. l. 1. de off. c. 15. non immeritò dicat ordinem Missæ primum à Sancto Petro esse institutum, quoad scil. aliquod ejus initium; cui postmodum diversi Pontifices aliqua adjecerunt; ut de Sanctis Leone & Gregorio legitur; quorum hic fuit ultimus eorum qui Canoni aliquid addiderunt.

Sed & inde potest antiquitas Canonis colligi, quod in eo nulla fiat mentio Confessorum, sed tantùm Martyrum: cujus rationem tradit Innoc. l. 3. de Missa, c. 10. quod Canon prius fuit conditus, quàm memoriam Sanctorum Confessorum Ecclesia celebraret. Quamvis enim festa Confessorum antiqua sint, ut ex can. 36. Conc. Moguntiaci an. 813 celebrari constat, antiquiora tamen sunt festa Martyrum. Sed

## QUÆRITUR I.

### *Vtrùm Canon rectè submissa voce recitetur.*

NEGANT hæretici volentes quod omnia recitentur altâ voce.

PRIMÒ, quia Christus quod in cœnâ fecit, jussit in sui memoriam fieri, non per silentium, sed, ut Paulus explicat, per annuntiationem.

SECUNDÒ, quia olim altè pronuntiabant preces, lectiones & verba consecrationis.

*Non omnia alta recitanda.*

VERUM Ecclesiæ Romanæ ritum quo submissa voce pars canonis & verba consecrationis proferuntur, non esse damnandum, probari potest PRIMÒ, ex Concilij Tridentini sess. 22. canon. 9.

SECUNDÒ, quia solebant antiquitus quædam secretò pronuntiari; ut patet ex Basilij & Chrys. liturgijs, Imò tempore Innocentij 1. verba consecrationis videntur fuisse dicta sub silentio: nam 1. epistolæ cap. 1. loquens de mysterijs Missæ, *post omnia* inquit, *quæ aperire non debeo, pax est necessariò indicenda.* Si enim solita fuissent omnia clarè dici, nihil fuisset secretum, nihil quod literis non potuisset committi.

TERTIÒ, Christus in cruce offerens seipsum, quædam otavit in silentio: septem enim dumtaxat sententiæ referuntur, quas toto quo pependit tempore, altâ voce pronuntiavit.

DENIQUE, ad mysteriorum reverentiam pertinet non omnia clarè dici. *Qui in primordijs Ecclesiæ certos ritus præscripserunt*, ait Basilius c. 27. de Spiritu sancto, *Apostoli & Patres, in occulto silentioque mysterijs suam servare dignitatem. Neque enim omnino mysterium est quod ad populares ac vulgares aures effertur.*

AD 1. autem in contrarium allatum. RESP. Christum verba consecrationis non solùm protulisse ut consecraret, sed etiam ut Apostolos doceret ritum consecrandi: & hanc ob causam clarè loquebatur, sicut etiam facit Episcopus quando novos sacerdotes ordinat. Juffit autem fieri quod fecit, non præcipiens ut omnia clarè dicantur, neque etiam id vetans; sed relinquens Ecclesiæ potestatem statuendi id quod magis expediret.

1. ad Cor. 11. Annuntiare mortem Domini, apud Apostolum est mortis ac totius passionis ejus pro nobis susceptæ, gratam memoriam recolere: quod fit sive in oblatione, sive in participatione sacrificij incruenti.

AD 2. tametsi consuetum id fuerit apud Græcos, non idcircò mos latinorum reprehensibilis est. Terribile exemplum refertur cap. 196. Prati spiritualis, de pueris, qui ex altâ verborum formæ pronuntiatione, ipsa didicerant, & abutebantur.

ALTERUM quod sectarij reprehendunt, est genus linguæ quo peragitur Missæ officium. Igitur

## QUÆRITUR II.

### *Vtrùm missa sit celebranda linguâ vulgari.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, ex 1. ad Cor. 14. *Si incertam vocem det tuba: quis parabit se ad bellum? Ita & vos, nisi manifestum sermonem dederitis: quomodo scietur id quod dicitur?* Et postea. *Si orem linguâ spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* Et iterum, *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ; quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit.*

SECUND, Missæ non intellectæ nulla est utilitas, potest enim dici illud Matth. 15. *Populus hic labijs me honorat.*

TERTIÒ, Innoc. 3. ca. *Quoniam*, De officio judicis ordinarij, præcipit Episcopis locorum ubi sunt homines diversarum linguarum, ut provideant viros idoneos qui secundùm diversitatem rituum & linguarum, divina illis officia celebrent.

*Sylv. in III. Part.*

QUARTÒ, Æneas Sylvius de origin. Bohem. c. 13. refert concessum fuisse Moravis, ut officium divinum facerent linguâ Sclavonicâ; idque post auditam cœlitus vocem, *Omnis spiritus laudet Deminum, & omnis lingua confiteatur ei.*

QUINTÒ, Christus in celebratione hujus mysterij usus est linguâ apud Judaicum populum vulgari

RESP. quamvis per se malum non sit, ut vel missa, vel alia divina officia celebrentur linguâ vulgari, id est, ea quam plebs intelligit & qua vulgariter, utitur (id enim & ad plebis ædificationem conferre potest, & à Christo non est prohibitum:) circumstantijs tamen omnibus benè perpensis, id non expedit.

*Missa non est lingua vulgari celebranda.*

PRIMÒ, quia ad unitatem in Ecclesia conservandam, convenientius est, ea fieri linguâ aliquâ non vulgari apud unum populum, sed communi multis. Nam ex varietate linguarum in divinis officijs admissa non leve periculum esset dissensionum & schismatum: Tolleretur enim communicatio Ecclesiarum: nec sacerdotes qui unam solùm aut alteram linguam noverunt, possent in alijs Ecclesijs celebrare.

SECUNDÒ, oporteret frequenter mutare verba sacrificij: cùm vocabula quæ uno tempore sunt vulgaria, alio talia esse desinant.

TERTIÒ, quorundam idiomatum absurditas risum & contemptum adferret sactis mysterijs.

QUARTÒ, Majestas rerum quæ aguntur, requirit linguam magis venerandam & gravem, quam sint illæ quibus vulgares passim utuntur.

QUINTÒ, Indocti & rudes tametsi verba utcunq; intelligerent, non tamen sensum orationis assequerentur. Multa enim petuntur ex psalmis, prophetis, canticis, & epistolis Apostolicis in *quibus multa sunt difficilia intellectu*: quæ cum intelligere non possent; carnali suo captu sensus alienos animo volverent, errorelsque confingerent, sicut ex promiscua Bibliorum lectione in vulgari lingua contigisse notum est experientia.

His & similibus causis mota Mater Ecclesia, Missam aliaque divina officia celebrare consuevit Latinè vel Græcè, admiscens tamen aliquid Hebraicæ linguæ: sive quia tres istæ linguæ titulo crucis Domini fuerunt honoratæ, sive quia lingua Latina est usitata apud eruditos in Occidente: in Oriente, Græca.

Hanc autem consuetudinem ab Apostolis descendere, probari potest illo Augustini lib. 4. contra Donat. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec concilijs institutum, sed semper retentum est: non nisi authoritate Apostolicâ traditum certissimè creditur.* Universa enim Ecclesia celebrat officia divina solùm Latinè & Græcè, nec potest hujus rei institutio in aliquod concilium referri. Adde *quod insolentissima insania est*, Augustino teste epist. 118 *disputare an rectè fiat id quod universa facit Ecclesia.*

SI DICAS, linguam Græcam esse in Oriente vulgarem; & Latinam in Occidente: RESP. certum esse, quod jam olim Latina desierit esse vulgaris, etiam in ipsa Italia. Unde S. Th in c. 14. ad Cor. lect. 3. & 5. dicit *quod in Ecclesia benedictiones & alia fiant non vulgari linguâ, sed Latinâ*: idemque patet ex Cypr. sermon. de orat. dominica. & Aug. epist. 57. serm. 21. de diversis, & cap. 13. lib. de dono persever. ubi asserunt solere in Missa dici, *Sursum corda: habemus ad Dominum. Gratias*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*agamus Domino Deo nostro. Dignum & justum est.* A Hinc enim patet, Missam Latinè dici consueviſſe in Africa; ubi tamen ipsa non erat vulgaris, ut ex Augu. expositione inchoatâ super epistolam ad Rom. & ex Hieronymo lib. 2. in epistolam ad Galatas doceri potest. De Hispania & Italia, si consulatur Isidorus, Ordo Roman. & can. 2. Concil. Tolet. 4. idem videbitur.

Ad Ecclesiam Orientalem quod attinet, lingua cujus solet esse usus in divinis officijs, non est popularis, sed erudita; & non omnibus, sed eruditioribus solis cognita. Nam inter Græcos ipsos tam varias esse dialectos, ut alterius dialecti & proprietatis homines, alterius dialecti Græcos non B intelligant, res est certissima.

Ad 1. Arg. Resp. Apostolum ibi non agere de divinis officijs, sed de canticis & precibus illis, quas Christiani, ex peculiari Spiritus sancti instinctu, recitabant in illis conventibus, ubi quisq; proferebat in medium, quæ esset divinitus inspiratus, & ad quæ unus pro cæteris respondebat. Corrigit autem abusum Corinthiorum, qui inaniter gloriantes de dono linguarum, preces aut cantica pronuntiabant linguâ tam sibi quàm astantibus peregrinâ & ignotâ. Cum ergo dicitur. *Si orem lingua*, sensus est, si linguâ peregrina mihi & alijs ignota orem: *spiritus*, id est, affectus meus, *orat*, elevatur enim in Deum; sed pars intellectiva est *sine* proprio *fructu*, qui est intelligere & intelligendo refici. Unde fit, ut nec meditari nec contemplari C possit de rebus per verba significatis, *Si benedixeris spiritu*, id est, si Deum laudes ipsiq́ue gratias agas ex bono quidem affectu, lingua tamen ignota: *is qui sustinet locum idiotæ* seu populi, *quomodo respondebit Amen*, approbando quod dicis?

Neque verò eâdem ratione sequitur Missam vulgari linguâ dicendam.

Primò, quia tunc ab ijs qui donum linguæ habebant, proferebantur orationes & laudes novæ, nec unquam antea auditæ; quo fiebat ut qui ad eas responderet, Amen, prorsus nesciret quid approbaret, quando nec verba intelligebantur, nec preces essent Ecclesiæ judicio receptæ. Qui autem nunc respondet *Amen*, etsi fortasse non intelligat D verba, novit tamen sanctum esse quod significatur; utpote jam olim ab Ecclesia probatum.

Secundò, ea ad quæ respondet minister, pauca admodum sunt, ut propter illa mutari non debeat idioma totius missæ; cum & facilè disci possint à laicis, & Syn. Trid. præceperit ea pro concione à pastoribus explicari.

Tertiò, primarius divinorum officiorum finis non est instructio populi, sed cultus & laus Dei: illorum autem canticorum præcipuus finis erat instructio populi, & consolatio astantium: dicente Apostolo, *Tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur.*

Ad 2. Negatur Ass. scriptura enim illa con- E tra eos dicitur qui ore profitentur pietatem, factis autem negant.

Ad 3. Pontifex non loquitur de quibuslibet linguis, sed de Latina solùm & Græca: cum enim Latini tunc occupassent Constantinopolim, in plerisq́ue partibus intra eandem civitatẽ permixti erant Latini cum Græcis: Præcipitur propterea Episcopis ut curent habere qui Græcis Græcè, Latinis Latinè juxta ritum cujusq́ue nationis divina officia celebrent; idq́ue ad fovendum & honorandum Græcos, ut ex cap. 4. & 9. Concilij Lateran. patet.

Ad 4. hoc ideo concessum est illi populo; quia totum regnum simul convertebatur ad fidem, nec inveniri pterant qui omnibus Latinè celebrarent; ea autem necessitate cessante, amplexi sunt morem Ecclesiæ Romanæ.

Vox illa audita solùm significat non esse per se malum, Deum colere, officia divina facere omni lingua. Possunt nihilominus circumstantiæ tales intervenire, propter quas id non sit eligendum.

Ad 5. quando Christus instituit hoc mysterium, non præcepit qua lingua sit utendum, sed hoc reliquit dispositioni Ecclesiæ; utens tamen ipse lingua Apostolis nota, ut quæ honorabilis erat, & quam solam tunc ipsi noverunt qui debebant institutionem intelligere.

## Articulus V.

Art. 5. declarat ea quæ in celebratione hujus sacramenti aguntur, esse convenientia.

Circa Resp. ad 8. observa solere olim tertiam hostiæ consecratæ partem, reservari usque ad finem missæ, ut etiam in 4. d. 12. q. 1. art. 3. quæst. 3. tradidit B. Thomas, conformiter illis quæ hîc scribit. Servabatur autem pro ministris vel infirmis communicandis, quemadmodum testantur Micrologos ca. 17. dicens, *Tertiam autem communicaris sive infirmis necessario dimittis*, & Durand. l. 4. divin. offic. cap. 51 n. 21. his verbis, *Pars reservata usq́ in finem missæ secundùm antiquum Ecclesiæ Romanæ morem, pro ministru vel infirmis, significat omnes mortuos.* Ad hæc respiciens Palud. in 4. d. 12. q. 1. ar. 5. dicit; *si infirmus communicandus tunc occurrat, hostiam consecratam sibi dividat? Nam & olim propter hoc servabatur usq́ in finem missæ pars tertia* Et Em. Sa. verbo Eucharistia; *Potest sacerdos communicaturo dare partem suæ hostiæ, si alia non est:* & (prout quidem nobis videtur intelligendum) si est justa necessitas, ut ille jam communicet.

Cæterum non esse rem novam quod modò nulla pars hostiæ, usque in finem missæ servetur; ex *De divi-* verbis B. Thomę patet, *Hic tamen ritus* (inquit) *non sione ho-* *servatur modò, ut scilicet una pars servetur usque ad stiæ in tres finem missæ propter periculum.* Et quia, divisionis *partes.* hostiæ in tres partes variæ significationes adferri solent, neq; est inconveniens per idem significari diversa, secundùm diversas proprietates: hæ videntur potissimum observandæ.

Ut prima pars in calice posita significet, aut verum Christi corpus, quod non fuit sine sanguine dum vivebat; aut corpus ejus mysticum jam glorificatum, in quantum potus calicis cum delectet, gaudium significat.

Secunda, quæ à sacerdote manducatur, fideles adhuc viventes, qui diversis pœnalitatibus atteruntur.

Tertia, quæ servatur, fideles mortuos, jam quiescentes & glorificationem præstolantes. Unde versus

*Hostia dividitur in partes: Prima beatos*
*Plenè: Sicca notat vivos: servata sepultos.*

secundùm morem nunc in Ecclesia usitatum;

Prima pars quæ ponitur super patenam significat Christum extra calicem passionis existentem.

Secunda, sanctos vita functos, qui etiam sunt extra omnem passionem, si beati sunt; aut certè extra passionem hujus vitæ quæ per calicem designatur, si sunt in Purgatorio. Harum una alteri jungitur, quia qui beati sunt cum Christo regnant; cæteros



teros autem optamus citò ad Christi consortium A admitti.

Tertia pars in calicem missa significat eos qui hujus vitæ passionibus premuntur. Vide B. Tho. dicta quæstiuncula 3. ad 4. Durand. Nu. 24. fin. Hinc versus

*Tres partes facta de Christi corpore* (seu specie corporis) *signant;*
*Prima suam carnem; sanctosq́ secunda sepultos:*
*Tertia viventes: hæc est in sanguine tincta.*

Potest etiam dici quod illæ tres partes designent tres hominũ status. Prima, beatos, Secũda, existentes in Purgatorio: Tertia, viventes in hoc sæculo.

Qui per primam designantur, extra Calicem sunt, quoniam neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor aut passio est illis qui beati sunt. B

Qui per secundam, sunt quidem in pœnis purgatorijs, sed tamen optamus & rogamus ut venia per istam oblationem donati, in eadem statim felicitate jungantur: Unde & partem secundam primæ conjungimus.

Qui per tertiam, adhuc debent bibere calicem passionis hujus vitę, adhuc peregrinantur & sunt in via ad merendum. Unde in calicem ipsa pars mittitur, nec alijs quæ sanctos extra peregrinationis viã existentes significãt, conjungitur, sed potius commiscetur sanguini in calice existenti, quoniam debemus socij esse passionum & communicare passionibus Christi, si volumus aliquando socij esse beatitudinis. Vide B. Th. hîc ad 8. & 9. & a. 6. ad 4. C

De Resp. ad 11. videantur quæ diximus q 76. art. 1. & qu. 80. art. 8.

Circa Resp. ad 12. observandum est, jure Ecclesiastico, partim scripto, partim consuetudine introducto, Sacerdoti celebranti debere adesse unum ministrum. Et quamvis olim, quando & pauciores erant Sacerdotes, & major devotio populi; statutum videatur, ut in Missis, etiam privatis, plures adessent ministri: ejusmodi tamen statuta, si fuerunt, per contrariam consuetudinem abrogata sunt. Unde B. Tho. Soterem Pontificem explicat de Missis solemnibus. Quæ autem additur ratio, convenientia tantum est; cùm & in Missis privatis, & in canonicis precibus suis, pluraliter D loquatur Sacerdos, etiamsi vel unum tantum habeat adjutorem, vel solus recitet in persona Ecclesiæ: orans simul & respondens.

*Minister in Missa non sit mulier.*

Porrò, minister qui ad altare accedat, vinum & aquam ministret, similiaq́; faciat: debet esse vir, nõ fœmina, c. *Inhibendum*, tit. de cohab. Cler. & mulier. ubi sic statuitur, *Prohibendum quoque est ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare sive sedere.*

Confirmatur, Soter Papa c. *Sacratas*, d. 23. non permittit sacratas feminas deferre incensum circa altaria: ergo nec permitteret eas ad ipsum altare accedere, ibiq́ue Sacerdoti celebranti ministrare.

Accedit quod in Rubricis Missalis, pro ministro E inidoneo ponitur mulier. Et qui hac de re scripserunt, ferè omnes inveniuntur excludere mulierem, & dicere quod non liceat ea ministrante celebrare, Palud. in 4. d. 13. q. 2. Dominic. eadem d. qu. 2. art. 5. Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 87. sect. 1. Azorius 1. p. l. 10. c. 29. Toletus l. 2. c. 2. Henriquez l. 9. c. 30. Roderiquez c. 248. Ex his Dominicus, eumque secuti Suar. Azorius, & Henriquez addunt, si fortè occurreret casus necessitatis in quo oporteat sacerdotem celebrare vel sine ministro, vel fœmina suum ministerium exhibente, quod potius debetet sibi ipsi respondere, quam cum fœminâ adjutrice celebrare; tum quia hoc secundùm se est indecentius, etsi peccati mortalis rationem non habeat; tum quia expressiùs est jure prohibitum.

Si autem fœmina procul ab altari respondeat, *Qualiter* neque ad illud, sive pro vino, sive pro aqua, sive *possit ad-* pro quacumque alia re accedat; omninò licitum *mitti mu-* est, modò absit omnis scandali vel offensionis pe- *lier ad re-* riculum. Sic moniales intra sui chori seu Oratorij *spondẽ-* septa remanentes respondere possunt Sacerdoti ad *dum.* altare in choro exteriori situm celebranti; ipse verò celebrans sibi ipsi vinum & aquam fundat. Ita post hæc scripta sentientes vidi Henriquez l. 9. c. 30. Layman l. 5. tract. 5. c. 6. n. 43. Bonac. disp. de Euchar. punct. 9. nu. 33. qui etiam alios allegant. Conferri possunt quæ hac de re habemus p. 2. Variar. Resp. verb. *Missa* 2.

Petes, Utrùm aliquando liceat celebrare sine ministro, ut quia deest, vel qui præsens est, neque respondendi, neque ministrandi modum tenet.

Resp. regulariter id non licere, absque expressa Rom. Pontificis licentia. Sic enim ex Conc. Nannetensi c. 3. legimus apud Burcard. l. 3. c. 68. & apud Juonem p. 3. c. 70. *Definivit sanctum Concilium ut nullus Presbyter solus præsumat Missam celebrare.* Et Alex 3. c. *Proposuit*, de filijs Presbyt. *Non enim solus*, inquit, *Presbyter Missarum solemnia, vel alia divina officia potest sine ministri suffragio celebrare.* In Missali etiam hoc in perpetua Ecclesiæ consuetudine est, ut minister aliquis subserviat Sacerdoti celebranti. In casu tamen gravis necessitatis, boni Authores existimant Sacerdotem non malè facturum, si solus celebret, sibique respondeat ac ministret: ut si alioquin aut ipse Sacerdos aut alius sit sine viatico moriturus. Addunt etiam nonnulli, si sit festum præsertim solemne, neque Sacerdos possit missam audire: sed mallem eo casu dicere ipsum ab auditione missæ excusari, quam consulere ut solus celebraret; quamquam nec celebrantem damnarem. Vide Azor. Suar. & Rodetiquez. Eremita verò qui omninò solus habitaret in deserto, non posset vel ferialibus vel festis diebus celebrare, quia non est ibi necessitas, sed voluntas, neque propter suam voluntatem potest agere contra communem Ecclesiæ consuetudinem & legem.

Quæri etiam posset, Utrùm Sacerdos possit ce- *Non licet* lebrare Missam tecto capite. Resp. id expresè ve- *celebrare* titum esse c. *Nullus*, de cons. d. 1. ubi Zacharias *tecto cap.* Pontif. ita statuit: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei assistere.* Azorius tamen ex Turrecrem. in c. *Nullus Episcopus.* & ex Navar. l. 3. consil. ad tit. de celebr. Miss. consil. 4. aliàs 7. docet Sacerdoti minus bene valenti licere celebrare capite aliquo panniculo vel pileolo ob debilitatem capitis, & frigoris incommodum velato, modò id faciat in loco secreto, absque offensione aliorum, & ante consecrationem caput denudet.

In prioribus hujus Commentarij editionibus dixi putare me Episcopi licentiam ad hæc esse requirendam: sed postea vidi Bart. Gavant. Missalis *Concedere* Romani Rubricas luculentè pariter ac doctè ex- *ut cele-* plicantem, qui p. 1. tit. 2. num. 2. post alia testa- *brans* tur Sedi Apostol. reservatam esse facultatem con- *utatur pi-* cedendi ut celebrans uti possit pileolo; & ita res- *leolo est* pondisse ait sacram Congregationem Cardinalium *solius* super negotia Episcoporum 2. Jan. 1590. & 17. *Sum.* *Pontif.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Junij 1596. ac etiam sacram Congregationem Rituum 5 1. Jun. & 24. April. 1626. Itemque 26. Februar. & 7. Aug. 1628. Quibus responsionibus omninò est acquiescendum.

Unde cùm quidam venerabilis senex mihi probè notus, his in commentario nostro visis ex Urbe petijsset, num ista decreta vigerent & obligarent: responsum accepit ea tum vigere, tum obligare. Et propterea cùm non solùm senex sed valetudinarius quoque esset, Urbano 8. Pont. Max. supplicari fecit pro gratia Missam tecto capite celebrandi; cui sic fuit responsum: *Vrbanus PP. 8. &c. Tibi ut de tui Ordinarij Arrebat, & quatenus ad illum tutus non pateat accessus, Ordinarij vicinioris licentia ejus arbitrio tibi concedenda, dum sacrosanctũ Missæ sacrificium hujusmodi celebras, caput biretino tectum, non tamen à profanatione usque ad peractam sacram communionem, habere liberè & licitè, ac absque alicujus pœna & censura Ecclesiasticæ incursu, posis & valeas, licentiam Apostolicam authoritate tenore præsentium concedimus & impertimur. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus Provincialibusq; Conciliys editu generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 16. Febr. 1641. &c.* Ubi Lector perpendat quantâ restrictione id Pontifex concedat; ideoque nullus absque Pontificiâ licentiâ audeat Missam celebrare tecto capite.

Si quis tamen non ordinariè, sed quandoque solum (extraordinaria videlicet infirmitate vel alia subita necessitate ita requirente) celebraret capite usque ad Canonem, vel pileolo vel amictu tecto, modò id faceret ubi nullum esset scandali periculum, non auderem ipsum condemnare: quoniam Sedes Apostolica non videtur tam strictè sibi reservasse prædictam facultatem, ut etiam pro casu extraordinario superveniente, vel pro infirmitate non diuturna velit ejusmodi velationis modum esse prorsus illicitum.

Neque refert, quod usus Ecclesiæ habet ut amictus ad collum obvolvatur; isque sit sine dubio retinendus: quia tam ille usus, quam Ecclesiæ ordinatio rectè intelligitur de eo quod ordinariè & seclusis particularibus casibus fieri debet. Videri possunt Navar. dicto consil. 7. Azor. p. 1. l. 10. c. 28. q. 16. Emanuel Sa verb. *Missa*, Layman l. 5. tract. 5. c. 6. n. 16. Suar. disp. 82. fi Henriquez l. 9. c. 26. Ledesma c. 20. Sfortia l. 3. c. 4.

Majoris, propter hæreticos nostros, difficultatis est:

### *Vtrùm Missæ quæ privatæ dicuntur, licitè celebrentur.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia Christus istis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, jubet ut faciamus quod ipse fecit; ipse autem quando consecravit, etiam distribuit: ergo quicunque Sacerdotes consecrant, debent distribuere.

SECUNDÒ, Apostolus 1. ad Cor. 10. asserit quod *Calix benedictionis sit communicatio sanguinis Christi, & panis* consecratus, *participatio ejusdem.*

TERTIÒ, Idem Apostolus c. 11. opponit dominicam cœnam privatæ, & quidem ita ut asserat ubi privata cœna agitur, non posse ibi dominicam celebrari. Privatam verò intelligit eam, ubi quis id quod cœnæ Dominicæ est, privatim manducat. *Hoc*, inquit, *non est dominicã cœnã manducare. Quod dominicum est*, ait Chrys. *privatum faciunt. Quoniam dominica cœna, hoc est, Domini, debet esse communis.*

QUARTÒ, In primitiva Ecclesia, quotiescumque celebrabatur, semper fiebat distributio sacramenti; ut patet non solum ex liturgijs quæ apud SS. Patres extant, sed etiam ex Missali Rom. cujus ista verba, *ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, &c. Hæc mixtio &c. fiat accipientibus nobis in vitam æternam:* non videntur locum habere, si præter celebrantem nullus communicet.

QUINTÒ, Agnus Paschalis debebat secundùm legem à multis comedi, postquam erat immolatus: ergo similiter Christus in Eucharistia debet à multis participari, quando mysticè immolatur, ut veritas respondeat figuræ.

SEXTÒ, Canon. 10. Apostolorum jubet excommunicari eos qui cùm sacrificio præsentes sint, sanctam communionem non percipiunt. Idemq; renovavit Anacletus Epist. 1. decretali.

SEPTIMÒ, Chrys. ho. 3. in Ep. ad Ephes. tanquam inutiles reputat illas Missas in quibus laici non communicant, *Frustra*, inquit, *habetur quotidiana oblatio, frustra astamus ad altare, nemo est qui simul participet.* Et iterùm, *Quisquis mysteriorum consors non est, impudens & improbus adstat*, ac tandem concludit eum qui non communicat, melius facere, si dum mysteria peraguntur non compareat.

OCTAVÒ, S. Franciscus in Epistola ad fratres, sui Ordinis, quę extat to. 5. Biblioth. Patrũ, eos monet ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantùm celebretur Missa in die; etiamsi plures fuerint Sacerdotes.

NONÒ, Ignatius in Epist. ad Smyrnenses dicit, quod firma Eucharistia reputetur quæ ab Episcopo concessa fuerit. *Vbi Episcopus præsens fuerit, illuc & plebs congregetur.*

DECIMÒ, Basil. in Ps. 115. circa finem ita loquitur, *Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicũ exhibebo tibi sacrificium, assumpto mecũ universo populo.*

UNDECIMÒ, Hier. in c. 3. Amos, unicum agnoscit in Ecclesia altare.

DENIQUE, Aug. l. 4. de Trin. c. 13. affirmat non posse ritè offerri, nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur.

*Vt nullæ sint Missæ privatæ.*

AD Hujus quæstionis decisionem, sciendum est quod licet nullæ Missæ sint omninò privatæ, ut significat Syn. Tri. ff. 22. c. 6. partim quod omnes à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantũ, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur; partim quod in omnibus communicare possint fideles, saltem spiritualiter; partim quod omnes fiant in gratiarum actionem pro morte Christi quæ est commune beneficium: usus tamen invaluit, ut quæ fiunt absque publico conventu, *privatæ*, sive peculiares *dicantur*, ut liquet ex c. *Et hoc attendendum*, de cons. d. 1. sicut è contrario illæ dicuntur publicæ quæ in publico Ecclesiæ conventu celebrantur.

*Quo modo aliquæ, eaque licitæ.*

Insuper autem per *Missas privatas* intelligi possunt illæ, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, tametsi, ut supradiximus, non omninò sint privatæ.

*Resp.*

UTRIUSQ; autè generis Missas, ut licitas probandas esse & commendandas, Catholica doctrina est.

PRIMÒ, quia Christus non arctavit hoc sacrificium ad unum locum, sicut sacrificia legis Mosaicæ; neque Apostoli prohibuerunt Missam fieri vel in oratorijs privatis, vel ubi nullus fidelium communicare desiderat: sed semper in Ecclesia Dei liberum



liberum fuit in oratorijs ab Episcopo designatis Missam facere; liberum quoque fidelibus quotidie communicare, vel abstinere. Alioquin, nec Fabianus de consect. dist 1. can. *Etsi non*; nec Conc. Elibert. de consect. dist. 2. can. *Omnis homo*, nec 1. Tolet. c. 13. probassent certis tantùm temporibus communicantes: cùm ex historia S. Andreæ, ex Hyppolito martyre in oratione de Antichristo, ex Hieron. in c. 1. ad Tit. constet sacrificium quotidie offerri solitum: quod cum olim faceret Cassius Narniensis, Dominus presbytero ejus apparens dixit: *Vade & dic Episcopo, Age quod agis, operare quod operaris*, ut refert Greg. hom. 37. in Evangelia.

SOTER in sua 2. epistola decrevit, *ut nullus presbyterorum Missarum solemnia celebraret nisi duobus præsentibus sibiq; respondentibus:* nihil addens de communione: uti nec Concil. Nannetense apud Juonem. p. 3. cap. 70. quod etiam statuit, ut nullus presbyter solus præsumat Missam celebrare. Cæterum quod de duobus olim celebranti præsentibus dicebatur, postea mutatum esse, ut unus sufficiat, supra diximus.

AUG. epistola 23. docet sacrificium quotidiè offerri; epistola tamen 118. dicit magis sibi placere, ut fidelis populus diebus tantum dominicis communicet, quam quotidie.

CHRYS. hom. 3. in epist. ad Ephes. & hom. 61. ad populum Antiochenum, testatur se à sacrificio non abstinuisse, quamvis fideles reprehendat, quod non communicarent.

SANCTUM Greg. Nazian. in parvo oratorio celebrasse refert Socrates li. 9. historiæ tripartitæ c. 8. nullum de aliorum communione verbũ faciens.

PRESBYTERUM suum in domo rusticâ sacrificium obtulisse, quæ per hoc à vexatione dæmonum fuit liberata; narrat Aug. libr. 22. de Civit. cap. 8. Eodem pertinet quod in Concilio Agathensi can. 14. permittit oratorium, ut in eo Missa fiat extra majores solemnitates. Et can. 31. nihil aliud à laicis exigit quàm ut Missas die dominico totas audiant.

SECUNDÒ, Certum est vetustissimam esse consuetudinem ordinandi presbyteros, etiam eos quibus nulla animarum cura incumbit; ergo hi poterant celebrare: neque tamen obligati erant populum fidelem communicare.

AD 1. Arg. neg. Conseq. quia, non quidquid Christus fecit in institutione Eucharistiæ, hoc præcepit fieri, ut articulis 11. & 12. qu. 80. fuit ostensum: Alioqui, non nisi sub noctem, post cœnam præsentibus duodecim, exclusis mulieribus, esset celebranda. Sed, sic instituit, ut sacerdos consecrans participet de isto mysterio: ac deinde, si qui fidelium præsentes sint & petant, exemplo Christi, illis distribuat.

AD 2. Apostolus hoc sacramentum vocat communicationem & participationem corporis & sanguinis Christi, non quia non liceat consecrare, nisi fideles participent: sed tum quia ipsis legitimè petentibus negari non debet: tum quia, quando accipiunt, omnes unum & idem Christi corpus, unum & eundem ejus sanguinem accipiunt.

AD 3. Opponit quidem Paulus cœnam Dominicam privatæ. Verum dominicam non intelligit celebrationem aut receptionem sacræ Eucharistiæ, sed convivium aliquod commune quod ad repræsentationem cœnæ Domini instituebatur, ut art. 10. dictæ quæstionis 80. diximus, & ex Chrysostom. Theophilacto, & alijs patet: Confirmatur, nam in Eucharistiæ sacramento accidere non potuerat, quod unus alium excluderet, dives pauperem: cùm à ministris Ecclesiæ distribui soleret omnibus indifferenter, sive divitibus sive pauperibus.

AD 4 Assumpti falsitas ex supra dictis nota est. Verba canonis propterea sic dicuntur: tum quia olim plures communicabant; tum quia etiam hodie plerumque plures communicant, saltem spiritualiter: tum quia sacerdos debet esse paratus legitimè petentibus distribuere: tum deniq; quia semper aliqui communicant etiam sacramentaliter, non tantùm illi qui fortè præsentes adsunt, sed etiam absentes. Hi enim cum ad unum Ecclesiæ corpus pertineant, rectè intelliguntur comprehensi. Simile aliquid est, quod oratio Dominica sic à Christo tradita est, ut recitans pluraliter loquatur, etiamsi sit solus.

AD 5. Negatur Conseq. cùm enim Christus à singulis totus sumatur, quomodo sumi non poterat agnus Paschalis; figuratum non debet hac in parte respondere figuræ. Quamquam, sicut ad esum agni non conveniebat totus populus, sed tota familia per singulas domos: ita mirum videri non debet, si non totus populus conveniat, quando sacrificium Eucharistiæ offertur.

AD 6. in primis RESP. quod isti canones nõ prohibent sacerdotibus Missam facere quando nullus est communicaturus: sed solùm jubent, ut qui Missæ præsentes sunt, communicent. Deinde, canon Apostolicus, prout in Conc. Antioch. can. 2. explicatur, non damnat absolutè illos qui non communicant, sed eos qui sanctam Eucharistiæ participationem aversantur, propter aliquam sive insolentiam sive indisciplinationem; ut eadem vox Græca vertitur can. 3. sive ob consueti ordinis insolentem perturbationem aut confusionem, quod vocabulum Græcum significat.

Anacletum verò de solis Ecclesiæ ministris loqui, quos in solemnitatibus communicare convenit, qu. 80. art 11. diximus.

Posset etiam objici quod l. 2. Dialog. Gregorij c. 23. legitur diaconus solitus intra Missarum solemnia clamare, *si quis non communicat, det locum*, id est, exeat. Sed *non communicantem* intelligit eum, cui non licet communicare, propter excommunicationem qua est innodatus.

AD 7. Neg. Ass. si enim Chrysostomus ejusmodi Missas reprobasset tanquã inutiles: ab ijs celebrandis destitisset, quod tamen non fecit. Cùm autem celebratio Missæ potissimum fiat ad sacrificium Deo offerendum, eumq; sic laudandum, honorandum, ac populo propitiandum; non autem necessariò, ad populum sacramento reficiendum, quando præter celebrantem nulli communicant, nõ fit simpliciter frustra, quia obtinetur finis potior, frustra tamen fit quoad posteriorem finem, si is erat in intentione celebrantis. Non reprehendit autè Chrys. sacerdotes qui celebrant, nullis qui communicarent præsentibus: sed socordiam & negligentiam eorũ qui se indignos communione dicebant, quos cum dicit etiã esse indignos, qui cæteris orantibus adsint, per amplificationem oratorio more loqui videtur.

AD 8. S. Franciscus in ea epistola non improbat vel Missas in quibus præter sacerdotem nullus communicat, vel eas quæ extra publicum populi conventum fiunt, uno vel paucis præsentibus, sed propter mirabilem quam in sacerdotibus ad celebrandum idoneis, considerabat puritatem

mentis

Universidad de Deusto
Biblioteca



mentis & corporis, existimabat sufficere si uno die una fieret Missa in uno Conventu. Si quis autem aliter existimet, propter magnum sacrificij fructum, qui tum toti Ecclesiæ, tum celebranti ipsi accedit: is neque à S. Francisco reprobaretur, neque à veritate alienum aliquid dixerit: ut ex Sancti Leonis epist. 81. c.2. & ex universali Ecclesiæ consuetudine patet.

AD 9. Ignatius contra eos tantùm agit, qui absque Episcopi authoritate & consensu conventus agunt, & mysteria vel celebrant vel participant: uti hæreticis & schismaticis est in more, *Non licet*, inquit Ignatius, *sine Episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare.*

AD 10. Basilius, ut ex contextu est manifestũ, publicum sacrificium opponit latebris hæreticorum, qui ab Ecclesia se segregant, & conventicula faciunt. Qui autem in oratorijs privatis celebrat, modò in unitate Ecclesiæ persistat, in latebris non sacrificat, sed pro tota Ecclesia, cujus ipse est membrum.

AD 11. Hieron. distinguit *unum* altare Ecclesiæ in quo idem agnus immolatur, ab altaribus hæreticorum; qui ut loquitur, *tot habent altaria, quot schismata.*

ADULT. Aug. vult sacrificium sumi ab ijs vel ab aliquo eorum pro quibus offertur. Hoc autem infallibiliter servat Ecclesia: Ipse enim Sacerdos celebrans, hostiam pro se & populo oblatam, semper sumit.

## ARTICULUS VI.

ART. 6. Ostendit sufficienter occurri posse defectibus circa celebrationem hujus Sacramenti contingentibus. Diligenter autem examinanda sunt quæ in RESP. ad argumenta adducit, & cum ijs quæ in Missali dicuntur, conferenda.

De Responsionibus ad 1.2. & 4. diximus art. 8. qu. 80.

*De casu Sacerdotis deficientis in Missa.*

Responsioni tamen, ad 1. addendum est, quod casu illo adveniente quo unus Sacerdos qui sacrificium incepit quoad id quod est essentiale, non D
potest perficere; per alium Sacerdotem (etiam non jejunum, si alius haberi nequit) debet perfici, ita ut prior utramque speciem consecravit, & unam tantùm sumpsit, alter sumere debeat aliam speciem, & ita usque ad finem prosequi: si neutram sumpsit, posterior utramque sumat.

Si prior solum panem consecravit, quidam putant quod subsequens debeat aliam hostiam consecrare, & deinceps ulterius progredi; secus verius est sufficere quod calicem consecret, ac deinde progrediendo sumat utramque speciem, juxta S. Th. in 4.d.8.q.2.art.8. Regula siquidem est generalis, ut posterior ibi incipiat, ubi prior post consecrationem desijt, si sciatur ubi defierit. Si non E
sciatur, dubitetur tamen utrum unam speciem consecraverit, incipiendum est à capite, hoc est, à canone; & vel eadẽ hostia sub conditione quæ mente concipiatur, consecrari debet, vel potiùs alia quæ assumatur; illam autem de cujus consecratione dubium est, sumat post sacrum calicem.

Si dubitetur ubi alter finierit, sciatur tamen quod non consecravit, non est necessarium supplere; uti nec si sciatur quod formam corporis incepit quidem, sed non absolvit; nam tunc non est facta consecratio: si verò absolvit formam corporis, A
& desierit semiprolata forma sanguinis, sequens incipiat à *simili modò*, & vel eundem Calicem consecret vel alium præparatum, & sic prosequatur, sumatque tum hostiam ab alio consecratam, tum Calicem à se consecratum & postea Calicem semi consecratum.

DICES, Conc. Tolet. hìc ab Authore citatum *Ob.* ita ait, *Sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri consecrationem exequi incepti officij*: ergo licet is qui deficit, consecrationem absolverit, non est necesse quod sacrificium per alium perficiatur.

RESP. Neg. C. quia istud; *sit liberum*, non sig- *Resp.* nificat facultatem ad utrumque, hoc est, ad perficiendum & ad non perficiendum; sed significat cuilibet Episcopo, ac etiam cuilibet Sacerdoti esse B
facultatem perficiendi. Quod si unus tantùm reperiretur, ille deberet perficere etiam non jejunus: &, si peccati mortalis conscius esset, contritus: quia sacrificium secundùm jus divinum debet quantum in Sacerdote est, perfici & non relinqui imperfectum.

Observandum porrò, quod perfici debet per *In absentia Sacerdotis Missa non est complenda per laicum.* sacerdotem, & non per alium, ac proinde si deesset sacerdos, non deberet sacer Calix alteri dari, sed reverenter servari ut alio die sumeretur à celebrante, postquam sumpserit eum quem ipse tunc consecravit. Si tamen contingeret quod species C
non possent servari, nisi in acetum mutandæ vel aliter corrumpendæ, videtur quod tunc non sacerdos, etiam laicus posset eas sumere, non ad perficiendum sacrificium, sed ad cavendum periculum. Confer q.80. art.12. in fine quæsiti 4.

In fine hujus RESP. ad 1. refertur præceptum quod extat 7.q.1.can. *Nihil, ut nullus absq; proventu patentis molestiæ minister vel Sacerdos cùm ceperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere: Si quis hoc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam præsumpserit.* Quibus conformiter in Rubr. Missal. 8. 10. de defectibus dicitur: *Si quis extra hujusmodi casus integra Sacramenta non sumpserit, gravissimè peccat.* Unde

## QUÆRITUR I.

*Vtrùm qui missam inceptam sine causâ relinquit imperfectam, idq; sive ante sive post consecrationem, excommunicationem ipso facto incurrat.*

QUIBUSDAM visum est quod sic: partim propter verba jam ex c. *Nihil*, adducta, partim propter alia de cons. d. 1.c. *Nullus*, ubi Zacharias Pontifex jubens ut qui Missam cepit ipse perficiat dicit: *Si quis præsumpserit præter quod posuimus agere, à sacro corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus.*

RESP. Neg. quam Navar. Miscel. 86. de oratione tuetur, est probabilior: quia nullum jus extat *Resp. neg.* quod ob talem causam decreverit excommunicationem sive minorem sive majorem, ipso facto incurri. Eum sequitur Azorius l.10. c.32. addens quod citata jura solùm denuntiant & statuunt hujusmodi Presbyterum excommunicatione fetiendum, vel ab officio amovendum ad tempus. Eadem est sententia Henriq. l.9. c.30. num.5. & Scottiæ l.2.c.18. qui & alios allegat.

QUÆ-



## QUÆRITUR II.

*Vtrùm aliquando liceat Missam inceptam non absolvere, sed imperfectam relinquere.*

RESP. ex dictis liquere quod non sit licitum absque causa gravissima, etiamsi necdum ventum esset ad canonem; possunt tamen aliquæ causæ urgentes supervenire, ob quas liceret.

*Quibusdam casibus est licitum.*

PRIMA EST impotentia facti ad eam prosequendam; quæ in qualibet parte Missæ sacerdoti superveniens excusat ab ea perficienda, sive provenlat ex podagra, spasmo, mentis alienatione, sive ex alia qualibet infirmitate, ait Navarr.

SECUNDA, est memoria impotentiæ juris Mis- B
sam dicenti superveniens, videlicet quia meminit se illo die aliquid comedisse, vel se esse suspensum, excommunicatum: irregularem, vel in peccato aliquo mortali: Si enim ante consecrationem, alicujus istorum meminerit, & nullum timeatur scandalum, desistere debet; si tamen non possit absq; scandalo desistere, seriò pœniteat, & cũ proposito absolutionem petendi & satisfaciendi perficiat, juxta D. Th. hìc ad 2 Rubricas Missalis §.8. de defectibus. Bonacinam disp.4.q.6.p.1.n.16. & alios: & Missam in istis casibus perficiendo, nullam incurret irregularitatem, inquit Navar.

TERTIA, Si sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante canonem; nam tunc dimittendam esse C
Missam dicunt Rubricæ; quamvis si post canonem violetur non sit dimittenda.

Idem judicium est, si pari modo superveniret interdictum aut cessatio à divinis, nec permitteretur januis clausis perficere. Itemque, si Ecclesiam ingrederetur excommunicatus, notorius clerici percussor, vel alius nominatim denuntiatus, nec vellet egredi, secundùm ea quæ diximus in Supp. q.23. ar 3. quibus consentit Fernandez p.3. c.5. §.15. & alij.

QUARTA est, si timeatur incursus hostilis, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur; tunc si est ante consecrationem, dimittenda est Missa; si au- D
tem post consecrationem, accelerare potest sumptionem Sacramenti, omnibus alijs prætermissis; & ita abire. Quod si non potest, poterit Sacramentum cum corporali plicato secum deferre. Si ne hoc quidem potest. Tolet. l.2.cap.9. probabiliter putat quòd non teneatur subire mortem sed possit discedere, quia si permaneat occidetur & sacrificium manebit imperfectum: melius ergo est quod solum sacrificium maneat imperfectum. Consentit Henriquez dicto c.30. addens sacerdotem illum posse se defendere, ac se servato moderamine defendendo, invasorem occidere, ac tum Missam perficere. Si tamen in fidei contemptum vellet quis eum occidere nisi à sacro desisteret, teneretur continuare & mortem subire. E

## QUÆRITUR III.

*Vtrùm liceat Missam ceptam interrumpere, postea perficiendum.*

RESP. per se, seu absque gravi causa non licere: quia Missa est una totalis & integra actio sacra: ergo sic debet successivè dici, & sine interruptione, seu discontinuatione celebrari, ut A
possit dici una. Et confirmari potest ex ca. *Nihil* 7.q.1. ubi sicut & cap. Nullus Episcopus, de consecr. d.1 decernitur quod Missa finiri debet sine interruptione. Et propterea; si fuerit notabilis interruptio, grave erit peccatum: veluti; si quis postquam inchoavit Missam, vel sacras vestes exuat & ita recedat, veniatque postea prosecuturus, vel sacris vestibus indutus ad horas ibi expecter quempiam venientem, & cum venerit, perficiat, quemadmodum tradunt Bonacinas disp. 4. quæst ult. p.10.nu.25. & antè illum Posse vinus c.2. de sacrificio n.13. addens cum Azorio talem peccare mortaliter, non tamen esse excommunicatum. Parva autem interruptio non est grave peccatum.

Ex causa verò legitima potest Missa interrumpi seu discontinuari, etiam notabiliter; veluti ad baptizandum infantem moribundum, vel ad excipiendam confessionem infirmi; quorum ille aliquin sine baptismo, iste sine sacramento pœnitentiæ esset moriturus. Idem judicium est, si foret extrema unctio administranda infirmo, qui aliud sacramentum non potest recipere, Henriquez l.9. c.30. Bonac. dicto p.10. Layman l.5. in fine tract. 5. Gavantus p.3. tit.10. Scortia l.2.c.18.

Ex causa etiam sufficiente, atq; adeò prorsus li- *Causæ ad interrumpendum Missam.* citè quodammodo interrumpitur Missa ab Episcopo ut ordines conferat, à Parocho propter concionem vel publicationem edictorum Ecclesiæ, ab excipiente vota religionis, quando vel eorum ceremoniæ fieri solent intra Missarum solemnia.

Navarr. c.16. de orat. num.69. ait se interrogatum respondisse ob exonerationem omnino necessariã, Missam non illicitè interrumpi, si nullatenus usque ad finem differri potest. Eademque est sententia Henriquez 2 c.30. & Scottiæ c.18.

Ad audiendam verò confessionem, etiam brevem alicujus communicaturi, nequaquam expedit Missam interrumpi, nequidem quando celebrans jam est alijs in Missa præbiturus communionem, ut notant Gavant. & Bonacin. post plures alios; tum quod experientia docet nonnullos casus aliquando evenire, à quibus Confessarius non potest se expedire, nisi cum difficultate; tum quod hoc præsentium animos perturbare solet.

Utrum verò sit sufficiens causa interrumpendi Missam, eamque ab introitu iterandi seu resumendi, si Episcopus vel eo major, aut princeps aliquis superveniat qui Missam die festo non poterunt audire, nisi is qui eam inchoavit, reincipiat, non liquet.

Rodriquez c.248.n.7. negat esse sufficientem. Affirmant tamen (si solum sit dicta epistola) Azorius l.10.c.32.q.3. & Gavantus, par.3.§.10. conformiter Navarro c.10. de orat. nu.55. imò, & si lectum sit Evangelium, sed non facta oblatio, Henriquez l.9.c.30.n.3. Layman l.5 tra.5.fin. Posse vinus c.2. de sacrificio n.10. Scortia dicto c.18. Et propter eorum authoritatem credo fieri posse (sicuti & factum esse ajunt Navarrus & Henriquez) ubi nullum inde scandalum videretur nasciturum: quia tamen hujusmodi usus non est in Ecclesia; dicam cum Ledesma c.24. de Eucharistia. *haud facilè in praxim redigendum ulli sacerdoti consuluerim*, præsertim cum illi excusari possint à transgressione præcepti, qui Missam audiunt ab initio Evangelij, imò & à fine, si per eos non stet, quo minus unam aliam audiant.

De admixtione aquæ, quæ in resp. ad 6. dicitur significare populũ, videantur quæ superius q.74. art. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca



art. 6. & 8. diſſeruimus. Legantur quoque Azorius p. 1. l. 10. c. 30. Henriquez l. 8. c. 12. n. 4. Mæratius tom. 3. diſp. 5. ſect. 5. & Gavantus part. 3. Rubrica Miſſalis tit. 4 docentes illud ipſum quod nos iſto a. 8. probavimus, Aquam vino mixtam, ſi propriam ſuam formam retineat quando conſecratur vinum non converti in ſanguinem, eò quod aqua non ſit Sacramenti Euchariſtiæ materia, neque commateria. Adjici hic poteſt præceptum miſcendi aquam vino, de quo illa q. 74. obligare ſub mortali; & de facto peccare mortaliter eum qui ſcienter aquam non miſcet, quia eſt cæremonia notabilis. Et regulariter non eſt celebrandum, quando deeſt aqua, etiamſi foret feſtum. Addit Ledeſma c. 24. Miſſam ceptam eſſe deſerendam, ſi ante conſecrationem advertatur defectus aquæ nec ea poſſit haberi. B

In Resp. ad 7. uti & in reſp. ad 3. loquitur de ſacrario, cujus etiam frequens mentio eſt in Rubricis Miſſalis; obſervandum autem illud eſſe idem, quod ſacra piſcina. Et quod ibi dicitur de calice cui venenum eſſet impoſitum, pariter intelligendum eſt de calice fulmine tacto: nam, quæ ſunt fulmine tacta, venenata eſſe cenſentur, ait Gavantus p. 3. tit. 10. addens caſum iſtum accidiſſe an. 1601. in calice fulmine tacto poſt conſecrationem; & ita fuiſſe à Doctoribus deciſum.

Pœnæ de quibus in eadem reſp. ad 7. agitur, non ſunt in uſu; ac proinde judicio abſolutionis relinquitur quantitas pœnitentiæ.

Circa iſtos articulos quædam ſuperſunt obſervanda. C

Primum, celebrantem teneri ad omnia quæ præſcribuntur in Miſſali, ita ut nihil poſſit addere vel omittere. *Ne ſacerdotes aliis quam debitis horis celebrent neve ritus alios aut alias cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant* ait Syn. Triff. 22. in decr. de obſer. in celeb. Miſſ. & Pius 5. in Miſſali ſtrictè præcepit ut Miſſam juxta ritum, modum, ac normam quæ in eo traditur, decantent ac legant. Non dubitamus tamen quin aliter facientes aliquando peccent ſolum venialiter: Cùm enim levitas materiæ ſoleat aliàs à mortali excuſare; non eſt ratio cur in præſenti non excuſet: quemadmodum & inadvertentia. Imò ſine omni peccato dici poſſunt (ſecretò tamen) quædam orationes jaculatoriæ, & breves, ut *Adoramus te Chriſte* &c. *O ſacrum convivium, Te ergo quæſumus famulis tuis ſubveni* &c. ut tradunt Tabien. verb. *Miſſa*. §. 19. Henriq. l. 10. c. 30. n. 4. Gavant. p. 1. Rubr. tit. 16. D

Secundum, ad Miſſam faciendam neceſſarius eſt liber qui Miſſale dicitur, tum ex communi Doctorum ſententia, tum ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine, ita ut regulariter ſeu per ſe loquendo peccatum ſit mortale, celebrare ſine ejuſmodi libro qui ſaltem contineat totum Canonem à Te igitur, tum quia aliter celebrans exponeret ſe gravi periculo erroris, & quidem talis cui non poſſet ſuccurri (humana enim memoria eſt labilis, facilèque poteſt aliquis memoriæ defectus accidere, etiam illis qui ſunt memoriæ tenaciſſimæ :) tum quia faceret contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem quæ vim legis habet: Ita ſentiunt S. Antoninus 3 p. tit. 13. c. 6. Angelus & Sylveſter verbo *Miſſa*. Suar. diſp. 81. ſect. 6. Bonacinas diſp. 4. q. ult. part. 9. n. 30. Ledeſma c. 20. concl. 8. & eſt communis aliorum omninoque recepta ſententia. *Non licet celebrare ſine Miſſali.* E

Sed ambigitur, Utrum in caſu neceſſitatis Sacerdos bene inſtructus & ſperans quod non erraret, poſſet celebrare ſine libro & ſine prædicto canone.

Propter periculum erroris, qui ſi accideret, corrigi non poſſet, negat Jo. Baptiſta Sfortia l. 3. de ſacrif. Miſſ. c. 6. eamque ſententiam valde probabilem exiſtimo. Si quis tamen faceret, non eum condemnarem, propter authoritatem Ledeſmæ c. 20. poſt. concl. 8. Vaſq. diſp. 233. c. 3. Layman l. 5. tra. 5. c. 6. Antonini, Dianæ reſol. 46. & quorundam aliorum qui affirmant eſſe tunc licitum.

Tertium, debet in altari eſſe lumen, ita ut qui ſine lumine ſacrificaret, mortaliter peccaret: graviter enim punitus legitur Sacerdos, qui ſine igne ſacrificaverat, c. ult. de celeb. Miſſ. Et quamvis non ſit in jure ſtatutum, cujuſmodi lumen eſſe oporteat; uſus tamen obtinuit ut ſit ex cerâ, tum quia optima ſunt Deo danda, tum quia acolyti quibus luminum cura demandanda eſt, Ceroferarij dicuntur: Unde qui citra neceſſitatem celebraret cum alio lumine, nõ effugeret peccatum mortale. Ubi tamen haberi non poſſet lumen ex cerâ, & ſcandalum abeſſet, probabile eſt quod ſufficeret lampas aut lucerna ex oleo; non ſimiliter candela ſebacea, niſi fortè magna eſſet celebrandi neceſſitas, nec haberi poſſet lumen ex cerâ vel oleo. Vide Nugnum ad art. 3. Ledeſm. dict. c. 20. Suar. diſp. 81. ſect. 6. Azor. l. 10. c. 28. *Ad Miſſam lumen eſſe neceſſarium.*

De numero cereorum nihil etiam eſt in jure ſtatutum, ideoque olim unus de rigore ſufficiebat juxta Rubricas tamen, ſaltem duos eſſe convenit.

Quartum, Miſſam celebraturo ſex veſtes ſunt neceſſariæ, *Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta*, ſeu Caſula. Quæ omnes debent eſſe benedictæ, c. *Veſtimenta*, de conſ. d. 1. & quidem ab Epiſcopo vel ab alio facultatem Pontificiam habente, ut colligitur ex c. *Aqua*, de conſecr. Eccleſiæ. *Sex veſtes ad Miſſam neceſſaria.*

Dico Pontificiam, quia Epiſcopus non poteſt concedere alicui non Epiſcopo facultatem benedicendi veſtes ad ſacrificium neceſſarias, ſed ſolus Summus Pontifex, ut patet ex Poſſevino c. 2. de ſacrificio, ubi aſſerit ita ſibi reſpondiſſe Congregationem Rituum an. 1600. & ex Piaceſio Praxis Epiſc. p. 1. c. 2. art. 4. nu. 13. ac etiam ex Barboſa Alleg. 27. nu. 42. *Epiſcopus non poteſt dare facultatem eas benedicendi.*

Harum veſtium iſta eſt ſignificatio allegorica.

Amictus ſignificat velamen quo Judæi velaverunt faciem Chriſti & dixerunt Prophetiza &c. Matth. 26. Marci 14. vel etiam coronam ſpineam: aut deſignat quod Chriſtus qui eſt caput Eccleſiæ, divinitatem in humanitate abſcondit. *Veſtium iſtarum ſignificatio allegorica.*

Alba, veſtem qua Chriſtus fuit ab Herode indutus & illuſus, Luc. 23.

Cingulum, funem quo in horto ligatus.

Manipulus, vincula quibus poſtmodum vinctus fuit.

Stola, ligaturum ad columnam, vel quâ ductus fuit ad Crucem.

Casula, veſtimentum purpureum.

Moraliter verò *Amictus* ſignificat galeam ſalutis, ſpem & fiduciam in Deum; aut, ut S. Th. in 4. d. 24. q. 3. ad 3. ait, fortitudinem ad divina officia exequenda: aut etiam, quatenus tegit collum, notat vocis quæ per guttur & collum emittitur, cuſtodiam; ut per humeros diffluit, docet nos onus Domini ferre; ut aſtringitur in modum crucis ante pectus, notat propoſitum non admittendi alias cogitationes quam de Deo. *Moralis earumdem ſignificatio.*

Alba ſuo colore, cordis ac vitæ puritatem; ſua longi-



longitudine perſeverantiam denotat, eſtque ſymbolum immortalitatis. A

Cingulum carnis continentiam ſignificat. De quo ait quidem Emanuel Sa, verbo *Miſſa*, non eſſe neceſſe ut ſit benedictum: At contrarium ut communiter aſſeritur ab alijs, ita omnino eſt tenendum; Nam in Pontificali habetur ſpecialis ejus ſicut reliquorum veſtimentorum ſacerdotalium benedictio, nec in jure magis excipitur cingulum quam reliqua, de conſecrat. diſt. 1. cap. *Veſtimenta*.

Manipulo in ſiniſtra ſignificatur exterſio minimarum macularum; quia manipulus eſt quaſi ſudarium ad extergendum vultum, ait B. Tho. Unde olim vocabatur mappula, vel ſudarium aut mantile, quemadmodum refert Gavantes ex Ord. Rom. & alijs. Significat & manipulus in ſiniſtra præſentis vitæ laborem, & repudium mundanæ converſationis cum ſpe cæleſtis retributionis. B

Stola indicat jugum Chriſtianæ obedientiæ, & ab humeris ad utrumque latus deſcendit, ut per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris muniamur; & cingulo colligatur, quia virtutes virtutibus juvantur & connectuntur.

Caſula charitatis eſt ſymbolum; dumque & ante pectus & poſt humeros pendet, Deum & proximum, amicum & inimicum diligendum eſſe innuit. Anteriori parte ſtrictior eſt, quia Deus tantum unus; poſteriori latior, quia ad proximos diverſos debet extendi.

Sunt autem ſex numero, partim ad repræſentandam mundi creationem quæ ſex diebus facta eſt, partim ad ſignificandam ejus reparationem ſexto die factam, *Cur ſex veſtes.* C

Quintum, Illæ veſtes tàm diu manent benedictæ, quamdiu non ita franguntur ut deſinant eſſe aptæ ad uſum ad quem ſunt deſtinatæ, neque amittunt priorem figuram. Unde alba vel caſula non indiget nova benedictione, ſi ad eas reficiendas addantur aliqua, quorum additione remanet prior figura, etiamſi quæ adduntur non ſint benedicta. E converſo autem alba deſinit eſſe benedicta, ſi ex ea præſcindatur manica, quamvis illa ipſa poſtmodum ei aſſuatur; & eget nova benedictione, quia per manicæ abſciſſionem deſijt eſſe ipſa uſui ad quem erat deſtinata, nec priorem figuram retinuit. *Quamdiu maneant benedictæ.* D

Quod ſi ſtola vel caſula eſſet duplicata una parte rubra altera parte alba, per ſeparationem unius ab altera non perderet ſuam benedictionem, quia retineret priſtinam figuram, & maneret idonea ad uſum ſtolæ; vel caſulæ. Si cingulum ita frangatur, ut neutra pars apta ſit ad cingendum, quidam putant poſſe partes colligari, & ita adhuc ſervire ad Miſſam, ut Sa verbo *Miſſa*, & alij quos ſequitur Diana reſol. 57. probabilius tamen ſentiunt Ledeſma ca. 21. Bonacinas diſp. 4. quæſt. ult. part. 9. num. 27. Scortia lib. 2. ca. 8. cum alijs, quod ſicut amiſit ſuam figuram & deſijt eſſe aptum ad cingendum, ita deſierit eſſe benedictum, quodque licet partes poſtea connectantur non ideo fiat benedictum, etſi in neceſſitate poſſit ſacerdos illa uti: ſi autem aliqua pars maneat idonea ad cingendum, remanet benedicta; quamvis ipſi addatur aut ea quæ cecidit aut alia. Quod ſi ante fractionem, partes filo vel nodo, vel aliter connectantur ad invicem etiam manet benedictum. *Non licet ſine ſacris veſtibus celebrare.* E

Sextum, Abſque ſacris hiſce veſtibus celebrare, grave admodum foret peccatum mortale; partim propter præcepti Eccleſiaſtici tranſgreſſionem in re notabili, partim propter magnam irreverentiam quæ contra tantum Sacramentum committeretur. Unde ne quidem ut populus die feſto Miſſam audiat, vel ut infirmus alioquin ſine viatico moriturus communicetur, liceret ſine illis veſtibus celebrare; quoniam, id fieri non poſſet ſine magna irreverentia & vix ſine gravi ſcandalo.

Præceptum autem divinum de ſumendo ſacro viatico, ſolum obligat infirmum, pro illo tempore quo ipſe poteſt ſine indecentia vel irreverentia illud habere; Eccleſiaſticum quoque de Miſſa audienda tunc dumtaxat fideles obligat, quando poſſunt eam audire celebrari ſecundùm Eccleſiæ conſtitutionem.

Utrum verò ad evadendum mortis periculum quod cæteroquin imminet, non liceret celebrare in veſtibus profanis ſeu uſualibus abſque ſacris, ambigitur: Sunt qui negent: Alij tamen de quibus 1. 2. quæſt. 96. art. 4. quæſito 6. probabiliter affirmant, modò id fieri poſſit ſine ſcandalo & ſine ullo contemptu rerum ſacrarum, & legis aut poteſtatis Eccleſiaſticæ: Quamquam moraliter loquendo vix accidere poteſt, ut quiſpiam ſacerdotem ad ita ſacrificandum intentato mortis metu cogat, quin aliquis ejuſmodi contemptus interveniat: ſi tamen accideret, tunc liceret; At ubi foret contemptus, moriendum potius, quam acquieſcendum. *Quæſt.* *Reſp.*

Prætermittere autem unam vel alteram ex minoribus, quando magna urget celebrandi neceſſitas; veluti quia frequens populus deberet alioquin dimitti ſine Miſſa, cum magno ſcandalo & murmure; licitum videtur, ideoque poſſet in ejuſmodi neceſſitate ſacerdos non habens ſtolam, vel manipulum, vel cingulum benedictum celebrare ſine illis cum amictu, alba, & caſula, adhibito, ſi neceſſe eſt, honeſto cingulo. Si tamen non foret tanta celebrandi neceſſitas, potius eſſet abſtinendum à Miſſa quam ita celebrandum, etiamſi ex ordinis regula vel ex præcepto Eccleſiæ Miſſa requireretur: quia obligatio ad Miſſam ceſſat, quando non poteſt decenter fieri. *Omiſſio alicujus veſtis ſacræ ex cauſa, non eſt pecc.*

Extra verò neceſſitatem, aliquam iſtarum veſtium etiam unicam ſcienter omittere, Doctores communiter cenſent eſſe peccatum mortale. At ſi inadvertenter omittatur, pro qualitate negligentiæ, peccatum erit mortale vel veniale. Vide Dominicum in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 4. Sylveſtrum verbo *Miſſa*. Navarr. cap. 25. num. 84. & lib. 3. conſil. ad tit. de celebr. Miſſ. conſ. 3. Suarez diſp. 82. ſect. 4. Vaſquez diſp. 233. cap. 4. Ledeſmam ca. 20. Rodriquez ca. 248. num. 23. Henriquez lib. 9. cap. 29. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. Bonacinam diſp. 4. qu. ult. puncto 9. nu. 28. cum multis alijs per eum citatis.

Addit autem S. Antoninus part. 3. tit. 13. c. 6. quod de longo manipulo liceat ſtolam facere; & è converſo, de brevi ſtola manipulum vel cingulum: id quod ſecuti ſunt Henriquez, Layman. Azorius, & alij; propterea quod iſta eandem benedictionem recipiant.

Septimum, ſacræ iſtæ veſtes, ſicuti & Corporalia, debent eſſe mundæ, adeò ut grave ſit peccatum ſi celebretur in ijs quæ eſſent multum ſordidæ, ut patet ex cap. 2. de cuſtodia Euchariſtiæ, & ex Caſuiſtis. *Sacræ veſtes ſint mundæ.*

Applicare autem eas ad uſum profanum, vel ad hoc illas commodare, non carere peccato mortali

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Non sunt ad profanos usus applicandæ.*

facilè intelligi potest ex B. Thom. ar. 3. ad 3. & ex ijs quæ referuntur Dist. 5. de vasis templi Judaici, itemque ex can. 72. Apostolorum; ex can. *Qui semel* 19. q. 3. & ex can. *Vestimenta* de consecr. d. 1. Quo cap. etiam dicitur quod sacra vestimenta non debent ab alijs contingi aut ferri, quàm à sacratis hominibus: sed si de simplici contactu sermo sit, hoc per contrariam consuetudinem est abrogatum; quæ permittit omnia altaris ornamenta & indumenta sacra seu benedicta (modò non sint sacro chrismate uncta seu consecrata; neque contineant corpus aut sanguinem Domini, nec immediatè illud attigerint, sicut tetigit corporale in quo fuit celebratum, ac etiam ut facilè præsumitur, purificatorium) à laicis, etiam mulieribus sine scrupulo tangi. Fortè autem per illa, *contingi aut ferri*, in isto can. intelligitur contactus ad profanum usum ordinatus.

Ex his haud difficulter intelligi potest, eum mortaliter peccaturum, qui sacro calice uteretur ad bibendum in mensa communi & usuali; & qui Corporale ad mensam similem adhiberet loco mantilis; vel qui eo uteretur tanquam strophiolo ad nares emungendas, aut qui ipsum vetustate detritum redigeret in pulverem, pigmentis vel fucis domicellarum serviturum. Aè rursus, qui vestibus sacris ad ludum vel profanam repræsentationem uteretur, quique ad sic utendum commodaret. Vide Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. ad 3. Ledesmam cap. 21. de Eucharist. Scortiam lib. 3. cap. 5. & quæ referuntur in Tripartita historia lib. 5. cap. 37. de Thimelico cum sacris vestibus saltante & mortem oppetente.

Si quæras, quid igitur fiet de sacris vestibus vetustate consumptis, vel ita disruptis ut divinis usibus nequeant amplius deservire. Resp. ubi usus sic obtinuit quod sacerdotes defuncti sepeliantur induti sacris vestibus, ad hoc deservire possunt vestes detritæ: Alioquin tam illæ quæ sunt ita derritæ, quam quæ disruptæ vel laceræ, comburantur earumque cineres inferantur in piscinam vel in parietem aut fossas pavimenti sic ut introeuntium pedibus non conculcentur. cap. *Altaris* de consecrat. dist. 1.

Ligna quoque Ecclesiæ dedicata non posse ad opus profanum adhiberi, sed vel applicanda esse ad alium usum sacrum, vel igni comburenda, ex cap. *Ligna* de consecr. dist. 1. tradit S. Doctor art. 3. ad 3.

*Quæst.* Sed an vice versa non liceat vestes profanas virorum aut mulierum illustrium, applicare ad sacrum usum, veluti faciendo ex ijs casulas aut alia indumenta: meritò quæri potest. Quidam enim secuti Gloss. cap. *Ad nuptiarum* de consecrat. dist. 1. omnino negant, propterea quod textus ille habeat, *Ad nuptiarum ornatum divina non præstentur ministeria, nedum improborum contactu pompaq; seculari luxuriæ polluantur, aut officia sacri mysterij videantur indigna.*

*Resp.* Resp. nihilominus affirm. vera est ac tenenda, tum quia est communis sententia Angeli verbo *Vestis*, Sylvestri eodem verbo & verbo *Corporalia*, Azorij lib. 10. ca. 28. Graffij ca. 41. Henriquez lib. 9. cap. 29. & aliorum qui de hac materia scribunt, tum quia consuetudo quæ est optima legum interpres, sic invaluit: tum denique, quia vetus tabernaculum cum suis utensibilibus factum est ex armillis, inauribus, annulis, dextrariolis, alijsque hujusmodi quæ viri cum mulieribus præbuerunt Exod. 15. Templa quoque Idolorum sæpius in sanctas Ecclesias conversa fuisse liquet ex historijs: & similiter multas domos profanas.

*Ex profanis vestibus rectè possunt fieri sacræ.*

Ad Argum. Glossæ Resp. hanc consequentiam non valere; sacræ vestes non sunt ad nuptiarum ornatum præstandæ ne polluantur; ergo nec vestes profanæ sunt in sacrum usum convertendæ ut ex illis fiant casulæ aut alia Ecclesiæ ornamenta.

Dum enim sacra ad profanos usus applicantur, polluuntur; At profana quæ in sacrum usum convertuntur, sanctificantur per benedictionem Episcopalem seu ejus qui facultatem habet ea benedicendi; atque ita quidquid pollutionis aut profanationis contraxisse potuerat ex usu profano, per sacram benedictionem tollitur. Alioquin si consequentia foret legitima, pari modo concluderetur idolorum templa non posse in Dei Ecclesias converti.

Octavum, Dum sacris vestibus induitur sacerdos, orationes in Missali præscriptas tenetur recitare, adeò ut Navar. dicto consilio 3. eum qui vel unam ex contemptu, vel omnes advertenter & sine causa omittit, mortaliter delinquere existimet; eò quod ille sit voluntarius defectus ac notabilis, in vestitione sacrarum vestium: & hanc Navarri sententiam probabilem judicat Azorius p. 1. lib. 10. cap. 29. quæst. 5. Quæ tamen alijs Doctoribus videtur esse nimis dura; propterea quod non extet ullum præceptum seu lex præcipiens illas preces sub onere peccati mortalis, & Rubricæ non videantur eas præscribere tanquam sub præcepto tam rigido.

*De orationibus recitandis sacerdos sacris vestibus induitur.*

Probabile ergo est, non futurum mortale, si sine contemptu omnes omittantur. Ita Fernandez p. 3. cap. 5. §. 13. Henriquez lib. 9. cap. 24. fin. Bonacinas disp. 4. quæst. ult. part. 9. num. 32. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. 12. Scortia lib. 2. cap. 8. fin. Rodriquez c. 248. nu. 12. per oblivionem verò, incogitantiam, aliamve causam quæ videatur probabilis, eas orationes omittere; satis convenit vel nullum, vel veniale dumtaxat peccatum esse. Serió tamen cavendum est ne omittantur.

Nonum, Celebrans debet habere pedes calceis vel crepidis indutos, non quidem ex vero propriéque dicto præcepto, sed propter honestatem & decentiam, ut ex Suarez notat Gavantus p. 2. tit. 1. & cum pluribus alijs Bonacin. disp. 4. de Euchar. qu. ult. p. 9. nec opus est illos esse benedictos, sed mundos.

Decimum, ex cap. *Nullus* de consecr. dist. 1. constat non esse licitum sacerdoti Missam celebraturo, ire ad altare cum baculo, etiamsi sit debilis: sed si potest stare ad altare, & se juxta cæremonias, vertere sine baculo; ibi ad latus Evangelij se induat, neque enim refert quomodo, quando non est sacris vestibus indutus, ad altare accedat. Vide Possevinum cap. 2. num. 31. Atque hæc de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

QUÆ-



## QUÆSTIO LXXXIV.

### *De Sacramento Pœnitentiæ.*

Poenitentia, si derivatio spectetur; originem habet à pœna: *pœnitere* enim; inquit Author libri de verâ & falsâ Pœnitent. c. 19. apud Aug. *Est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod fecit peccando:* seu potiùs, est teneri pœnâ ejus quod admissum est. Usurpatur autem, & pro dolore qui propter commissa peccata concipitur, & pro mulcta quæ pro peccatis imponitur. Illa vocatur cordis contritio; ista satisfactio.

### Articulus I.

### *Vtrùm Pœnitentia sit Sacramentum?*

Negant Sectarij. Qui primi negaverunt videntur fuisse Phryges seu Montanistæ, quibus errorem istum tribuunt Hieron. Epistolâ ad Marcellam de erroribus Montani, & Pacianus Barcinon. epist. 3.

*Novatus non est idem qui Novatianus.*

Eos secuti sunt qui vulgò Novatiani, aliàs Novatianenses aut καθαροί. Et quamvis nonnulli confundant Novatum & Novatianum; sciendum est tamen, tum ex Paciano, tum ex Cypr. Ep. 49. tum ex Eusebij Chronico, fuisse diversos. Novatus enim primùm Presbyter, & postea Episcopus (cum Diaconum teste Cypr. ordinaverit) Romam ex Africa studio propagandi sui schismatis veniens, inter alios corrupit Novatianum Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, ut refert Euseb. ad ann. 255. illum scil. quia aliquantò post creatus est Antipapa contra S. Cornelium; ut discere licet ex epist. 41. Cypr. adjunctis scholijs Pamelij.

*Quæ illorum hæresis.*

Horum hæresis fuit (ut authores sunt Cypr. ep. 5. Pacianus ep. 3. Ambr. l. 1. de Pœnit. c. 2. Aug. l. de hæresibus hæresi 38.) nullam esse in Ecclesiâ potestatem reconciliandi eos qui à Baptismo lapsi essent in peccatum mortale: ac proinde nihil in hoc genere posse, vel Sacerdotes, vel Episcopos: Hortabantur tamen lapsos ad opera Pœnitentiæ, faciebantque illis spem veniæ, sed à Deo circa ministerium Sacerdotis obtinendæ.

Secundùm hæc intelligenda sunt verba Conc. Trid. ss. 14. c. 1. quibus dicit Ecclesiam condemnasse Novatianos tanquam hæreticos pertinaciter negantes potestatem remittendi peccata, ut scilicet negaverint potestatem illam esse in Ecclesia seu Ecclesiæ ministris. Eorum hæc & similia argumenta fuerunt.

Primum, ad Heb. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, &c. & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam.*

Secundum, Ejusdem epi. c. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

Tertium, Verba Domini Joa. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, pertinent ad eam remissionem peccatorum quæ datur infidelibus quando Baptizantur; juxta expositionem Cyrilli: ergo non potest inde colligi potestas remittendi peccata per aliquod aliud Sacramentum.

Quartum, Pœnitentia non fuit in veteri lege Sacramentum: ergo neque est in novâ; cùm non inveniatur ejus à Christo institutio.

Quintum, Non potest assignari res aliqua externa, quæ vel sit materia hujus Sacramenti, vel cui conveniat esse Sacramentum.

*Sylv. in III. Part.*

*Pœnitentia est Sacramentum novæ legis.*

Responsio ad fidem pertinens, est affir. externum scil. illum ritum & actionem sensibilem; per quam, in Ecclesia Catholica, remissio peccatorum post Baptismum commissorum significatur & confertur; esse novæ legis Sacramentum propriè dictum. *Pœnitentia*, inquit Author in fine Corp. *quæ in Ecclesia agitur, est Sacramentum:* q. d. non omnis Pœnitentia, sed quæ ritu exteriori peragitur in Ecclesia, secundùm institutionem Christi.

*tum novæ legis.*

Doctrina hæc continuo Ecclesiæ usu, & ex Sanctorum Patrum scriptis, Dionysij in epist. ad Demophylum, Paciani epist. 3. Cypr. serm. de lapsis, Ambr. in libris de Pœnit. Hier. Aug. & aliorum, manifesta, novissimè etiam definita est in Concilijs Flor. & Trid.

Confirmatur, Iti Pœnitentia, tam ex parte Pœnitentis quàm ex parte Sacerdotis absolventis, significatur aliquid sanctum: Pœnitens quidem significat cor suum recessisse à peccato; Sacerdos autem significat se authoritate à Christo acceptâ, remittere peccatum: ergo in Pœnitentiâ invenitur aliquod signum rei Sacræ. Quòd autem signum illud sit efficax, probari potest; tum ex illo Joa. 20. *Quorum remiseritis, & quorum retinueritis* &c. ubi *Apostolis eorumq; legitimis Successoribus communicatam fuisse potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos; universorum Patrum consensus semper intellexit*, ait Syn. Trid. sess. 14. c. 1. tum ex eo quod peccatum mortale nunquam remittatur sine infusione gratiæ. Inventur ergo hic Institutio Christi, Symbolum externum, promissio & collatio gratiæ & consequente, ratio Sacramenti. Unde Sectarij non possunt invenire rationem, cur Baptismus sit Sacramentum novæ legis, & non Pœnitentia, lapsorum cum adjunctâ absolutione Sacerdotali.

Si quæras, Ubi Christus hoc Pœnitentiæ Sacramentum instituerit, ex art. 7. patebit, quod post Resurrectionem.

Quod autem hoc Sacramentum sit diversum à Sacramento Baptismi, facilè potest ostendi.

*Differentia Pœnitentia à Sacramento Baptismi.*

Prima enim differentia est, quod Baptismi materia est aqua elementaris, forma, *Ego te baptizo* &c. Minister quoad valorem, quilibet homo utens hujus formæ: At Sacramenti Pœnitentiæ nec aqua potest esse materia: nec, *Ego te baptizo*, forma; nec Sacra-minister alius quam verus Sacerdos.

Secunda differentia est, quod Baptismi effectus sit renovatio hominis, & remissio peccati originalis ac aliorum ante ipsum commissorum: Pœnitentiæ verò effectus, remissio peccatorum, quæ post Baptismum sunt commissa.

Tertia, Baptismus omnem pœnam remittit, non similiter Pœnitentia.

Quarta, Baptismus non potest repeti: potest Pœnitentia.

Quinta, Baptizato non injunguntur opera satisfactoria, sicut fit in Sacramento Pœnitentiæ.

Sexta, Hoc Sacramentum vocatur laboriosus Baptismus & secunda post naufragium tabula, ad distinctionem baptismi. Vide Conc. Trid. ss. 14. c. 2. & can. etiam 2. & quæ dicimus art. 6. & seq.

Ad 1. Arg. Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 2. Damasc. l. 4. de fide c. 10. Chrysost. & alij in c. 6. epist. ad Hebr. respondent non aliud Apostolum ibi significare, quam non esse sperandum alterum Baptismum his qui Baptismi gratiam semel acceptam,

Universidad de Deusto
Biblioteca



peccando amiserunt: Id enim indicatur verbo, *renovandi*, cùm Baptismus propriè sit *lavacrum regenerationis & renovationis*, ad Tit. 3. Et cùm dicat semel illuminatos non posse rursus renovari, addendo, *semel*, & *rursus*, satis declaravit se alteram illuminationem & renovationem velle excludere: est enim Baptismus Sacramentum illuminationis aut illuminationum, ut Græci loquuntur. Huc etiam facit illa pars, *rursum crucifigentes* &c. nam in Baptismo configuramur Christo crucifixo, ad Rom. 6.

Quia tamen nulla historia testatur fuisse aliquos qui temporibus Apostolorum Baptismum repeterent, aut repetendum esse docerent: Ideò, quod Patres interpretantur Apostolum loqui de Baptismo non repetendo; quibusdam videtur quod de ipsius effectu potissimum sit accipiendum: unde non dixit, *impossibile est rursus baptizari, sed rursum renovari*: quo verbo significatur effectus Baptismi. Verisimile nihilominùs est Apostolum non de solo effectu loqui, sed etiam de medio per quod ille effectus videri posset expectandus, sive illud sit Baptismus, sive aliud. *Sensus ergo est*, eos qui Baptismi gratiam amiserunt, non posse rursus renovari, id est, non esse aliquod remedium divinitùs institutum, quo simul & semel sarcinam peccatorum deponentes, toti renoventur, & amissam gratiam tam facilè reciperent, quàm per Baptismum acceperant. Cùm in Apostolo additur, *ad pœnitentiam*, utique baptismalem de quâ præmiferat; vel ecclypico sermone sensus est, iterùm accedentes ad Pœnitentiam; vel, ad Pœnitentiam, idem est quod prævia & præsente Pœnitentiâ; quo modo dicitur quis cælesteri ad ignem.

*Ad Heb. 6.*

*Ad Heb. 10.*

Ad 2. Resp. Apostolum ibi non loqui de quibusvis à Baptismo peccantibus, sed de ijs qui post acceptam notitiam veritatis, ab eâ deficiunt, deserentes Catholicam communionem; id est, de Apostatis; quibus verè pœnitentibus non negat patere locum veniæ; sed, partim negat relinqui hostiâ quâ sicut in Baptismo simul & sine difficultate liberentur à peccatis quoad culpam & pœnam; partim significat eos qui hoc modo peccant, vix unquam adduci ad veram Pœnitentiam.

Denique, si argumenta Novatianorum valerent, illis ipsimet confutarentur; concedebant enim reconciliationem à Deo posse obtineri.

Ad 3. Negatur Antecedens. Neque Cyrillus de remissione tantum illâ quæ fit in Baptismo, verbâ Christi intelligit, sed generaliter de illâ quæ fit, tum in Baptismo, tum in Pœnitentiâ ut patet ex c. 56. l. 12. in Joannem. Communior tamen veterum expositio est de potestate reconciliandi lapsos fideles: quam Christus Apostolis eorumq; successoribus dedit, secundum ea quæ dicuntur 2. ad Cor. 5.

Ad 4. Neg. C. cò quod in veteri lege non esset potestas remittendi peccata, neque verbum absolutionis ad hoc institutum. In novâ autem lege invenitur & ista potestas, & Christi Domini institutio. Joa. 20. Deinde B. Th. q. 86. ar. 6. ad 3. asserit, *quod etiam in veteri lege, & in lege naturæ, erat, aliqualiter Sacramentum Pœnitentiæ.*

Ad 5. Neg. Assump. B. enim Th. in Resp. ad 1. ostendit, quare congruum fuerit non eodem modo externa symbola requiri in omnibus Sacramentis; sed in quibusdam sufficere actus humanos, in illis sc. quæ habent effectum correspondentem humanis actibus: ut in Pœnitentiâ & Matrimonio. Ubi etiam hoc est observandum quod ait, *sub nomine corporalium* rerum, quæ scil. in Sacramentis requiruntur, *intelliguntur largè etiam ipsi exteriores actus sensibiles*; idque meritò, quia tales actus sunt revera quædam res corporales, in quantum sunt externi & sensibiles.

In Responsione verò ad 3. declarat actus externos, tum pœnitentis, tum Sacerdotis, esse id quod votatur Sacramentum tantùm; contritionem, sive pœnitentiam interiorem pœnitentis, esse rem & Sacramentum: remissionem peccati, esse rem tantùm.

Ubi quia difficultas est, quo modo interior contritio sit res aut effectus Sacramenti, cùm ipsa prærequiratur Sacramento: Resp. nonnulli quod sit res, quia significatur sicut effectus Sacramenti. Verùm, cùm B. Th. sic dicat eam esse rem Sacramenti, ut addat illam effici ab actibus, tum Sacerdotis, tum pœnitentis, qui sunt Sacramentum tantùm; plus aliquid voluisse videtur.

*Responsio una.*

Quapropter dici potest, quod interior contritio, quatenus quidem est actus virtutis, sic est prior exteriori Pœnitentia, ut qui sit ejus causa, sicut actus internus est causa exterioris: quatenus autem ex Sacramento habet efficaciam operandi contra peccatum, ad ejus destructionem, non solùm formaliter (sicut virtus expellit vitium) sed etiam effectivè, secundùm ea quæ dicuntur qu. seq. art. 2. ad 3. sic est posterior pœnitentia exteriore, ejusque effectus: quia non habet illam vim, nisi ut conjungitur Sacramento.

*Altera.*

Præterea, cùm virtute Sacramenti conferatur gratia justificans, & dilectio Dei ac justitiæ, per Sacramentū fit, ut cōtritio quæ prius inerat, augeatur, aucta verò signum sit remissionis peccatorum.

*Quid Sacra. Pœnitentiæ.*

Ex his patet neque absolutionem sacerdotalem, neque actiones pœnitentis, si seorsim sumantur, esse Sacramentum: sed, sicut Baptismus est ipsa per aquam ablutio cum præscriptâ verborum formâ; ita contritio, confessio, satisfactio; unâ cum absolutione sacerdotali, sunt ipsum Pœnitentiæ Sacramentum: est enim quoddam totum ex materiâ & formâ tanquam ex partibus sibi essentialibus compositum. Sortitur autem varia nomina. Vocatur enim vel Pœnitentia vel Sacramentum Pœnitentiæ aut confessionis, non quia sit idem quod pœnitentia vel confessio, sed quia pœnitentia & confessio est ejus materia; sicut vocatur Sacramentum absolutionis, à suâ formâ; reconciliationis, ab effectu; manus impositionis, à ritu seu cæremoniâ, quasi diceretur Sacramentum cujus materia est pœnitentia, cujus forma est absolutio &c.

*Definitio.*

Definiri autem potest *esse Sacramentum, quo relapsis verè pœnitentibus & confessis, cum proposito saltem satisfaciendi, impenditur absolutio à peccatis.*

## Articulus II.

### *Vtrùm peccata sint propria materia hujus Sacramenti.*

Videtur enim quod non. Primò, quia loco materiæ posuit art. 1. ad 1. actus humanos.

Secundò, Materia non repugnat vel habitui, vel Sacramento: quoddam autem peccatum, ut impœnitentia, repugnat Pœnitentiæ.

Tertiò, Peccata non concurrunt ad hominis justificationem tanquam instrumentum Dei; ergo non sunt materia hujus Sacramenti quoniam in alijs Sacramentis materia etiam remota concurrit ad effectum eorum tanquam instrumentum Dei, ut in Baptismo aquam, in Confirmatione Chrisma.

*Resp. affirm.*

Responsio Authoris, eaque certissima est quod peccata sint propria materia hujus Sacramenti; sed remota: actus verò pœnitentis, contritio, confessio, satisfactio, sunt materia proxima.

Illa dicuntur materia remota, respectu istarum partium ex quibus hoc Sacramentum proximè integratur; *in quantum* scilicet *sunt materia vel objectum humanorum actuum*, ut loquitur qu. 90. art. 1. ad 3. Hi enim omnes versantur circa peccata destruenda & abolenda: Nam contritio est peccati detestatio, confessio ejus accusatio: satisfactio ejusdem vindicta.

Hinc & alius conciliationis, atque ad primum Responsionis modus oritur, scilicet actus pœnitentis esse materiam *ex quâ* hoc Sacramentum integratur; peccata verò esse materiam *circa quam* occupatur: Sacramentum enim versatur circa peccata, non quidem acceptanda, sed detestanda & destruenda. Et hac consideratione, peccata vocari possunt materia Sacramenti proxima, in quantum & contritio & confessio proximè versatur circa illa, quemadmodum & absolutio & satisfactio: quamvis respectu partium, *ex quibus* Sacramentum integratur, sint materia remota.

Potest etiam ipse homo peccator à Baptismo lapsus dici materia hujus Sacramenti, sed remota, & circa quam: Versatur enim Sacramentum proximè circa peccata abolenda; remotè autem, circa hominem à quo peccata illa tolluntur per Sacramentum. Hinc B. Thom. opuscul. 17. alias 22. cap. 4. *Ipse peccator confitens est sicut materia in hoc sacramento.*

*Quæ peccata sint materia hujus Sacramenti.*

Porrò, quæ peccata sint hujus Sacramenti materia declarat in Responsione ad 3. Propria & principalis sunt mortalis post Baptismum commissa: propria, sed non principalis, venialia similiter admissa: originale verò, neque est ipsius materia propria, neque principalis; quia nec proprio voluntatis nostræ actu commissum est, nec ad ejus abolitionem Sacramentum hoc est institutum. Adde quod minister hujus Sacramenti debet esse Judex: Ecclesia verò judicat solum de illis qui per Baptismum in eam sunt ingressi.

Posse nihilominus originale peccatum cadere sub virtutem Pœnitentiæ, quatenus illa dicit detestationem & displicentiam mali facti præteriti; hic & Suppl. qu. 2. art. 2. significat. Quomodo autem id etiam in parvulis verificari possit, docet Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 19. quia scilicet per verba gestantium detestantur peccatum; quando per eos, diabolo & huic sæculo renuntiant.

*Quatenus mortalia dicantur materia necessaria.*

Quod autem peccata mortalia relapsorum, si nunquam fuerint legitimè confessa, vocentur materia hujus Sacramenti necessaria, non sic est intelligendum quasi pœnitentiæ Sacramentum non possit constitui sine illis, sed quia illa non possunt remitti sine isto Sacramento vel eius voto. Qua ratione venialia dicuntur materia sufficiens, & non necessaria; quia sufficiunt ut ad eorum confessionem accedente absolutione, Sacramentum subsistat; non tamen est necesse illa confiteri, cùm aliter possint remitti. Si quæras, quomodo remittantur peccata in ipso Baptismo commissa, vide resp. q. 69. art. 10.

Quod attinet ad materiam ex qua seu proximam, doctrina Authoris definita est in Synodis, Florentina & Tridentina: ubi cum dicitur, *sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, contritio, confessio, & satisfactio*: non additur (*quasi*) eò quod ista veram materiæ rationem non habeant, qualis ad constitutionem Sacramenti requiritur: sed partim quia non sunt res aliqua permanens, sicut est in Baptismo, aqua; in Cōfirmatione, Chrisma: partim, quia proportio cum materia rerum naturalium aut artificialium non tam evidenter elucet in actibus pœnitentis ad absolutionem relatis, quam in aqua vel ablutione relata ad formam Baptismi; aut in Chrisma & chrismatica unctione facta per Episcopum relata ad formam Confirmationis; ut indicavit Author ad 1. & 2. superioris art. idque propterea, quia materia tam naturalium quam artificialium est aliqua substantia; cujusmodi etiam est in plerisque alijs Sacramentis: At non in Sacramento pœnitentiæ. Non dicunt autem concilia quod verba absolutionis sunt quasi forma; tum quia formæ artificiales, inter quas hæc censeri potest, dicuntur simpliciter formæ; tum quia etiam reliquorum Sacramentorum formæ consistunt in verbis, sicut forma hujus.

*Ob.*

Sidicas, contritio non est sensibilis; ergo non est materia Sacramenti. Item, satisfactio est fructus Pœnitentiæ, ergo nō est ejus pars materialis.

*Resp.*

Resp. neg. conf. quamvis enim contritio in se ac per se, quatenus scilicet latet in corde, non sit sensibilis, quatenus tamen aliquo sensibili signo proditur exterius, dum vel confessione vel aliter detegitur, sic est sensibilis. Satisfactio autem est fructus Pœnitentiæ virtutis, sed ipsius Sacramenti pars, non quidem essentialis, sed integralis, eaque non principalis quasi Sacramentum non possit sine illa realiter expleta subsistere, sed minus principalis & ad hoc necessaria ut Sacramentum sit omnibus suis partibus completum & integraliter perfectum.

*Contritio quatenus sit sensibilis.*

Observandū autem quod non sola Syn. vel Flor. vel Tri. vocaverit actus pœnitentis, quasi materiam hujus Sacramenti, sed etiam ipse B. Th. Nam opus. 5. ita scribit: *Quartum Sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui dicuntur tres Pœnitentiæ partes: Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet quod homo doleat de peccato commisso, & proponat se de cætero non peccaturum. Secunda pars est oris confessio*, &c. *Tertia pars est satisfactio.* Conferatur q. 90. art. 2. & 3. & observa præter D. Th. & CC. ita concorditer pro materia Sacramenti pœnitentiæ, ponere contritionem, confessionem, & satisfactionem, Alens. p. 4. q. 66. cum seqq. Rich. in 4. d. 16. Suar. disp. 18. Vasq. hujus qu. art. 1. Tolet. l. 3. Bonac. & alios omnes, si Durandum & paucos alios excipias, qui licet contritionem requirant, nolunt tamen eam esse partem materialem Sacramenti, eò quod ipsa sit spiritualis, & non sensibilis. Quod ipsorum argumentum refutant omnes, conformiter ijs quæ jam respondimus ad ob. superius motam.

Ad 2. Arg. Resp. quamvis peccatum præsens repugnet Pœnitentiæ, consideratum tamen ut præteritum (quomodo habet rationem materiæ, dum ad ejus abolitionem agitur) non repugnat. Sic impœnitentia de qua jam doletur & absolutio petitur, non repugnat Pœnitentiæ.

Ad 3. Resp. neg. C. quia non in omnibus Sacramentis hoc invenitur quod materia remota cōcurrat ad effectum illorum ut Dei instrumentum; Nam in Sacramento Eucharistiæ panis & vinum nullam habent causalitatem instrumentalē ad ejus effectū; idque propterea, quia sic sunt illius Sacramenti

Universidad de Deusto
Biblioteca



materia remota, ut vi verborum sacramentalium A desinant esse : Peccata verò etiam ita sunt hujus Sacramenti materia, ut per illud destruantur & esse desinant. At non sic est de aqua in Baptismo, cum ipsa remaneat.

ARTICULUS III.

*Vtrum hoc sit forma hujus Sacramenti.*

EGO TE ABSOLVO

VIDETUR quod non. PRIMO, quia in solutione à vinculo excommunicationis, ejusmodi verba non sunt necessaria; ergo nec in solutione à peccatis.

SECUNDO, quamvis de extremâ unctione dicatur, *Si in peccatis sit, remittentur ei*, sacerdos tamen eam ministrans non utitur his verbis, *Ego te absolvo*, sed magis orat, formam deprecativam pronuntians : ergo similiter facere debet in hoc Sacramento. B

TERTIÒ, Secundum Augustinum conc. 2. in Psal. 101. & Gregorium lib. 22. moral. cap. 13. in suscitatione Lazari significata est resuscitatio peccatorum; quæ prius à Deo fiat, quam ipsi solvantur à sacerdote : ergo sacerdos non verè absolvit, sed ostendit esse absolutos.

QUARTÒ, Sacerdos ad ligandum non dicit, *Ego te ligo*: ergo nec ad solvendum dicere debet, *Ego te absolvo*. C

RESPONSIO ad fidem pertinens est, convenientissimam Sacramenti Pœnitentiæ formam esse *Ego te absolvo*; tum quia desumitur ex verbis Christi quibus clavium potestatem exponens, usus est Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram* &c. tum quia illa verba significant id quod per Sacramentum agitur, scilicet liberationem & solutionem à peccatis; tum denique, quia perpetuo Ecclesiæ usu frequentata est, & per Concilia, Florentinum & Tridentinum, probata.

Scire autem debent confessarij quod in administrando Sacramento Pœnitentiæ uti debent ritu & formâ in Ecclesiæ praxi usitata scilicet ut postquam dixerint, *Misereatur*, & *Indulgentiam*; dicans; D *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum & tu indiges. Deinde, ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij & Spirit. sancti. Amen.* Si pœnitens sit laicus, omittant verbum, *suspensionis* : Postea subjungant, *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

Confer tamen quæ ad fin. hujus quæsiti dicimus, & observa, dum confessarius dicit : *Absolvo te à peccatis tuis*, eum malè facturum si addat, *de* E *quibus contritus & confessus es*; tum quia non servat ritum in Ecclesia consuetum; tùm quia restringit verba formæ, ubi non debet; cadunt enim etiam super oblita, cum unum mortale non possit remitti sine alio.

AD 1. ARG. Negatur consequentia; quia in Sacramentis verba habent, efficaciam ex divina institutione, ac propterea utendum est illis quæ sunt illi institutioni consentanea : solutio autem ab excommunicatione non est sacramentalis, nec Christus verba instituit, quibus in eâ impendenda uti oporteat : ac proinde, illa quæ assumuntur habent efficaciam ex intentione dicentis, ait B. Thomas opusculo 22. de hac forma peculiariter scripto.

AD 2. Negatur consequentia. *Primo*, quia verba scripturæ quæ dum habentur, maximè sectanda sunt, non faciunt mentionem deprecationis pro Sacramento Pœnitentiæ : non enim dicunt, quæcunque petieris esse solvenda, erunt soluta, sed *quæcunque solveris*. Si ergo tantum illa dicuntur esse soluta, quæ habens claves solverit; qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit : sine temeritate non dicitur esse solutus, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum. In extremâ verò Unctione, forma deprecativa fundatur in illo Jacobi 5. *Oratio fidei salvabit infirmum.* B

*Secundo*, in hoc Sacramento nihil corporaliter expectatur futurum : sanatio autem corporalis in Sacramento extremæ Unctionis expectatur quidem, non tamen statim sequitur, sed petitur præstanda à Deo : Unde & interior sanatio quæ per eam signatur, sed deprecatione à Deo poscitur.

*Tertiò*, in hoc Sacramento sacerdos est Judex : Judex autem non convenienter sententiam fert deprecando, sed magis solvendo, vel ligando.

AD 3. Cùm Christus Lazarum suscitans, eum discipulis solvendum mandaverit; sequitur, quod ipsi verè absolvant. Quia tamen prius eum suscitaverat à mortuis, ideo discipuli non debent absolvere, nisi eum in quo signa contritionis viderint, per quam peccator incipit redire ad vitam. Quod autem non omnis, etiam scilicet ille qui solum imperfectè est contritus, statim sit justificatus & à peccato interius solutus, in Sup. videbitur.

AD 4. Negatur consequentia : quia actus ligandi non exercetur per effectionem Sacramenti ut talis est, cum non sit significativus gratiæ; sed vel per negationem absolutionis, vel per impositionem satisfactionis.

In Responsione ad 1. docet precationes aut absolutiones forma deprecativa prolatas, non sufficere ad constituendum hoc Sacramentum; quoniam per illas non significat sacerdos absolutionem fieri, sed petit ut fiat. Unde Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3 docens formam in istis verbis ministri positam esse, *Ego te absolvo &c.* addit, *quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* *vide Suppl. q. 29. 8. ad 1.*

Porrò sicut in Baptismo diximus sufficere verba æquivalentia, sic & ista sufficerent, *Sacramentum absolutionis tibi do, peccata tibi remitto, peccata tibi remittuntur, absolvitur, vel absolvatur servus Christi N. absolvaris à Deo*, modò nulla istorum sumantur deprecativè, sed imperativè; quod tamen imperium non terminetur ad Deum, sed ad effectum qui in pœnitente recipitur : quia per ejusmodi sermonem ita prolatum satis significatur peccatorum remissio, quæ est effectus hujus Sacramenti ut procedens à potestate jurisdictionis sacerdotis. Hæc autem forma, *Absolvat te Christus*, secundùm quod sonat, non est sufficiens, cum sit deprecatio quæ ante verba formæ solet præmitti : si autem sumatur modo imperativo, & imperium dirigatur vel ad pœnitentem vel ad effectum, probabile est quod sufficiat juxta Sot. in 4. d. 3. ar. 5. & Suarez disp. 19. sect. 1. Vide eundem Sot. d. 14. q. 1. ar. 3. & quæ nos diximus q. 60. art. 8. quæsito 3. & qu. 66. ar. 5. Et quamvis mutatio verbi *Absolvo*, in *remitto*, non censea-



censeatur gravis, adeò ut non pauci opinentur sa- A turum solum veniale peccatum, seclusis scandalo & contemptu; ab omnibus tamen seriò est abstinendum, cùm nullæ ejusmodi mutationes sint sine peccato, & illæ sint haud dubiè pecc. mortale, quæ fiunt in formam dubiam, ut si dicatur, *A peccatis te mundo.*

Notandum autem quod convenientiùs dicitur *Te absolvo*, quàm *peccata tibi remitto*, propter universalem Ecclesiæ consuetudinem; quam nemini licet in dubium revocare, neque alterare.

Notandum insuper, non sufficere nutus aut signa loco verborum; quia tam usus Ecclesiæ, quàm Patrum Concilia semper requirunt verba; & hæc (secùs quàm in judicijs humanis; pertinent ad B constitutionem Sacramenti, tanquam forma & perfectio seu determinatio materiæ.

Hùc proinde spectat quod Conc. Flor. affirmat omnia Sacramenta novæ legis tribus perfici, *videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri* & neq; dici potest faciendam hîc exceptionem : cùm idem Concil. postea sic dicat : *Forma hujus Sacramenti sunt verbo absolutione quæ Sacerdos profert cum dicit : Ego te absolvo &c.* Quæ eadem dixit B. Th. in opusc. 5.

*Ob.* CONTRA Resp. ad 2. potest sic objici : S. Leo dicit indulgentiam seu remissionem obtineri non posse sine supplicationibus Sacerdotum : sed obtineri potest sine precibus illis quæ Sacerdotes præ- C mittunt absolutioni, ergo per supplicationes S.

*Resp.* Leo non intellexit istas preces. Sed RESP. S. Leo nem, propter preces absolutionem antecedentes & consequentes, nomine *supplicationum* intelligere potuisse totum illud ministerium quod Sacerdos exercet circa pœnitentem : quasi diceret, *Indulgentiam obtineri non posse, sine ministerio Sacerdotis.* Hoc enim ministerium ab illis precibus, supplicationis nomen potest obtinere.

*Forma quatenus dici potest precatio.* Potest etiam dici, & quidem conformiter menti S. Leonis, quod ipsam sacerdotalem absolutionem vocet supplicationem, eâ ratione, quâ & aliorum Sacramentorum formæ, licet assertivè proferantur, dicuntur tamen à Sanctis Patribus, *preces* D vel *orationes*; quia scil. quatenus proferuntur à legitimo ministro cum intentione conferendi Sacramenti, sunt tacita quædam invocatio divinæ potentiæ.

Porrò cùm ex verbis Concilij Tridentini superiùs allatis habeamus quòd verbis formæ laudabiliter addantur quædam preces; non sunt illæ temerè omittendæ : quamvis qui eas omitteret, non plus quam venialiter peccaret; imò ne venialiter quidem, si esset causa legitima. Unde in Manuali Romano jussu Pauli Quinti edito dicitur, In confessionibus frequentioribus & brevioribus omitti potest, *Misereatur* &c. satis erit dicere : *Dominus noster Jesus Christus &c.* usque ad illud, E *Passio Domini &c.* De illo qui non aliud pronuntiaret, quàm, *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris &c.* idem videtur existimandum, quod scil. solum venialiter peccaret, vel omninò non peccaret, si ex necessitate, vel ex causa rationabili id ageret.

Circa Responsionem ad 3.

QUÆRITUR I.

*Quæ verba sint necessaria ad essentiam Sacramenti.*

VIDETUR quod ea omnia quæ usu Ecclesiæ adduntur. PRIMÒ, quia Synodi Florentina & Tridentina dum formam hujus Sacramenti tradunt, ad hæc verba, *Ego te absolvo*, addunt (*& cætera*) quibus significare videntur etiam alia quæ de more Ecclesiæ adjunguntur, pertinere ad formam.

SECUNDO, Nominatio S. Trinitatis videtur necessaria, sicut in Baptismo & Confirmatione; ut principalis causa exprimatur.

TERTIÒ, Nisi addatur illud (*à peccatis*) significatio verbi *Absolvo*, quæ est indifferens ad significandam absolutionem à censuris, pœnis, aut peccatis; erit indeterminata.

QUARTÒ, Christus quando Sacramentum hoc principaliter instituit, expressè meminit peccatorum. Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata.*

QUINTÒ, sequeretur alioquin posse simul absolvi à censuris & à peccatis, cùm tamen absolutio ab excommunicatione, debeat præcedere.

*Ista, à peccatis, non sunt de essentia formæ.* RESP. quamvis non absq; gravi peccato possit quis in hujus Sacramenti formâ omittere, *a peccatis tuis*, probabilius tamen videtur, quod illa verba non sint de essentiâ Sacramenti, sed hæc sola, *Ego te absolvo* : B. enim Tho. sive hîc, sive dicto opusculo, non requirit plura : ipsique consentiunt Scotus in 4. d. 14. q. 4. Nicol. de Orbellis eadem d. q. 2. Faventinus q. 4. Sylv. & Cajet verb. *Absolutio.* Dominic. Tolet. & alij communiter quos magno numero refert Bonacinas disp. 5. q. 4 p. 1. de Pœnit.

Imò, cùm in verbo *Absolvo*, includatur pronomen, *Ego*, hæc duo videntur ad essentiam sufficere *Te absolvo.* Ratio est, quia positâ peccatorum confessione, super quam hæc verba cadunt, videntur habere satis determinatam significationem ex intentione absolventis & ex præsentiâ confitentis, etiamsi non addatur *à peccatis.* Sicut in judicijs humanis, quando judex audivit causam rei, sufficit quod in eum proferat sententiam absolutionis aut damnationis, etiamsi non exprimat à quo illum absolvat.

SI DICAS, positâ confessione pœnitentis verbum, *Absolvo*, videri etiam sufficienter determinari ad personam confitentem : ergo pari ratione pronomen, *te*, non est de essentiâ.

RESP. Neg. C. quia ex Christi institutione est, ut quemadmodum in Baptismo & Confirmatione; ita etiam in Sacramento Pœnitentiæ minister exprimat personam cui Sacramentum confertur, vel per pronomen, *te*, vel per æquivalens : partim, ut forma determinetur ad certam personam : partim, ut significetur diversitas personæ recipientis Sacramentum à persona ministri. hæc autem non significaretur omisso pronomine & ei æquivalente.

Existimat quidem Henriq. l. 4. c. 16. n. 3. ista verba. *Ego te, & a peccatis*, non esse de Sacramenti necessitate : in eamq; sententiam citantur Navar. & Pet. Soto : sed quoad pronomen *te*, vel ipsi æquivalens, hæc sunt verba Navarri c. 26. n. 11. *Essentialia & necessaria sunt illa. Absolvo te* : Petri Soto lect. 4. de Pœnit. Ista, *Ad necessitatem Sacramenti*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*solum necesse est significari quod fiat in præsenti remissio peccati. Itaq; explicanda est persona pœnitentis, te, vel tibi &c.* Opinionem Henriquez quantum ad istud pronomen, *te*, refellit Bonacina disp. 5. de Sacram. Pœnit. q. 4. p. 2. tum quia Conc. Flor. & Trid. requirunt hæc verba, *Te absolvo*, pro forma; tum quia omissa particula, *te*, mutatur substantialiter significatio formæ: Nam forma absolutionis fuit instituta per verba demonstrativa; sublata autem vocula, *te*, non est demonstrativa.

SI DICAS sufficere intentionem sacerdotis quæ dirigatur ad pœnitentem; RESP. Neg. Ass. partim quia forma est à Christo instituta & immutabilis ab hominibus, partim quia intentio non est sensibilis. Ità Filliucius tract. 6. c. 3. nu. 66.

Quapropter, sententia quæ communiter docetur, B retinenda est, illa scilicet duo verba, *Te absolvo* eaq; sola, esse essentialia; tametsi alia non sint omittenda.

Sed difficultas manet, Utrum quando Confessarius absolvit ita dicens: *Ego te absolvo à peccatis tuis*, omnia illa verba saltem tunc sint substantialia & concurrant ad effectum Sacramenti, ita ut is non conferatur usque ad finem ultimi verbi. Ita existimat Vasq. to. 4. dub. 4. & quidam alij; quia cum dicitur, *à peccatis tuis*, non additur aliquid extraneum sensui horum verborum præcedentiũ, *ego te absolvo*: sed illa verba præcedentia magis declarantur, & explicitè significatur per posteriora, id quod ptiora implicitè continent.

*An hæc verba, à peccat. tuis, sint aliquando substantialia.*

Huic oppositum sentit Pet. Ledesma c. 3. de C Sacram. Pœnit. & Suar. to. 4. disp. 19. sect. 1. n. 21. quia consideratis circumstantijs confessionis, in quâ pœnitens de peccatis suis se accusat, & quidem in ordine ut ab ijs absolvatur eaque sibi remittantur: effectus Sacramenti, qui est peccatorum remissio, essentialiter & perfectè atque integrè significatur in his verbis, *Te absolvo*: sed Sacramenta efficiunt id quod significant: ergo ad prolationem istorum verborum efficitur remissio peccatorum, absque dilatione ad aliorum verborum prolationem. Similiter Bonac. disp. 5. qu. 4. p. 1. scribit pœnitentem manere absolutum antequam omnia verba perfectè fuerint prolata, quia pœnitens in eo instanti remanet absolutus, in quo per- D ficitur significatio formæ: significatio autem formæ perficitur in eo instanti in quo perficiuntur illa duo verba, *Absolvo te*.

Ad rationem oppositam RESP. illam verborum præcedentium majorem declarationem & determinationem non esse de essentiâ formæ: sola autem ea verba efficiunt absolutionem, quæ sunt essentialia formæ Sacramenti, non verò quæ subsequuntur. Satis quoque explicitè significatur remissio peccatorum per verba, *Te absolvo*, suppositâ confessione super quam cadunt, neque ulla major aut magis explicita significatio est ad effectum Sacramenti necessaria.

Confirmatur, Si quis in Baptismo diceret, Ego E te baptizo à peccato originali, vel à peccatis tuis in nomine Patris &c. explicitè significaret ac determinaret à quibus eum baptizat, neque tamen illa verba à peccato originali, vel à peccatis tuis, effectivè concurrerent ad effectum Baptismi.

Accedit, quod non est in arbitrio & potestate ministri, supposito quod Sacramentum administret, suspendere effectum formæ vel Sacramenti: Ergo etiam si habeat intentionem suspendendi effectum usque ad finem prolationis omnium verborum quæ dicta sunt, non suspendet tamen modò habeat voluntatem conferendi Sacramentum & pronuntiet verba essentialia.

Si dicas, quod possit suspendere effectum donec perfectè protulerit formam: Resp. posse donec protulerit formam essentialem, non autem donec protulerit formam accidentaliter perfectam.

AD 1. ARG. RESP. Patres in Concilijs congregatos particulam illam addidisse; tum, ut significarent ea quæ sequuntur; non debere omitti; tum quia non erat eis propositum rem inter Scholasticos adhuc dubiam, definire aut ut certam proferre. Neque dici potest Patres intellexisse quod omnia cætera usque ad preces, sint essentialia; cùm satis constet quod prolatio trium Personarum non sit essentialis: sed neque voluerunt significare, quod verba Trinitatis expressionem antecedentia, sint de necessitate; partim quia non distinguunt; partim quia non est ratio cur hæc verba, *à peccatis tuis* omiserint, si judicassent esse essentialia, cùm sint brevissima: In Baptismo autem & Confirmatione expresserint omnia quæ putarunt essentialia esse, etiamsi sint prolixiora.

AD 2. Neg. Assumpt. PRIMÒ, quia expressio Trinitatis non est determinata in hoc Sacramento, vel per verba Christi, vel per traditionem quod ea sit necessaria, judicantem.

SECUNDÒ, quia Sacramentum Pœnitentiæ neque est professio fidei, sicut Baptismus; neque ordinatur ad fidem fortiter & publicè profitendam, sicut Confirmatio.

Ad 3. Responsio patet ex jam dictis.

AD 4. Christus alibi quando potestatem clavium exponebat, simpliciter & absolutè dixit, *Quodcunque solveris.*

AD 5. valituram putamus ejusmodi absolutionem, si pœnitens excommunicationem, & peccata legitimè sit confessus, & Confessario sit potestas ac voluntas eam absolutionem conferendi.

Nec obstat, quod in usu Ecclesiæ non sit talis absolutio: quia per hoc solum ostenditur quod ordinariè non licet sic absolvere, non autem quod esset irritum, si tentaretur. Non est enim ad Sacramenti efficaciam necessarium, quod absolutio ab excommunicatione, anteceedat tempore absolutionem à peccatis.

Ita sentientes videri possunt Henriq. l. 4. c. 11. n. 3. & Bonacina disp. 5. q. 4. p. 1. cum alijs per eum citatis. *Validè potest quis simul absolvi a censuris & pecc. Ob.*

AT DICES, una eademque absolutio non potest simul esse Sacramentalis, & non Sacramentalis: Sed absolutio à peccatis est Sacramentalis, & absolutio à censuris non est Sacramentalis: ergo eadem forma non potest simul adhiberi ad absolvendum à censuris & à peccatis.

RESP. Major. solùm esse veram de una & eadem absolutione sumpta formaliter, seu in ordine ad eundem effectum: Materialiter autem sumpta, prout videlicet eadem sunt verba, sed relata ad diversos effectus ab absolvente intentos, potest esse Sacramentalis respectu unius effectus, & non Sacramentalis respectu alterius. *Resp.*

Et quamvis ordinariè non liceat istis solis verbis, *Absolvo te*, simul à censuris & peccatis absolvere; si tamen contingeret pœnitentem in tanto esse mortis articulo, ut non posset prius tempore absolvi à censuris, & postea à peccatis, liceret tunc jam dictis verbis ipsum ab omnibus simul absolvere.

Neque est quod quis objiciat, non licere verba Sacramentalia ad aliud adhibere, quam ad eum sacrum



crum usum, ad quem sunt instituta: Id namque ita A verum est, ut non liceat ea vel ad profanos usus; vel ad usum à Christi institutione alienum adhibere: At in casu dicto non adhibebantur ad usum profanum, neque ad eum qui sit à Christi institutione alienus, cum B. Petro non solum de solutione à peccatis, sed etiam de solutione à censuris dixerit Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram, &c.*

*Peccata sunt vincula.*

Cùm verò nonnulli propterea putent minus convenientem esse hanc formam, *Te absolvo*, quod existiment peccata non esse vincula, non satis meminerunt scripturæ quæ ipsa vocat *colligationes*, Isaiæ 58. *funes*, Psal. 118. & Prov. 5. *vincula* Isai. 52. & Psal. 115. & hoc non solum propter rea- B tum, sed vel maximè propter maculam, & culpam, ratione cujus obligantur ad pœnam, & impediuntur à merendo, à bene operando &c.

In RESP. ad 4. observa non fuisse datam Apostolis potestatem sanandi infirmos, sicut absolvendi; quia dicebantur sanare, in quantum Deus ad preces aut voluntatem eorum impertiebatur sanitatem; Absolutionem verò dabant tanquam veræ causæ instrumentales.

Circa Responsionem ad 5.

## QUÆRITUR II.

### *Quis sit sensus horum verborum,* TE ABSOLVO.

VIDETUR quod non iste, Sacramentum absolutionis tibi impendo. PRIMÒ, quia formæ Sacramentorum non debent significare collationem Sacramenti, sed effectum ipsius: Tali autem sensu non significatur effectus, sed solum collatio Sacramenti.

SECUNDÒ, Ante sacerdotis absolutionem peccatum est per veram contritionem remissum: ergo non aliud circa pœnitentem agit sacerdos, quam quod significet Ecclesiæ ipsum esse à Deo absolutum.

TERTIÒ, Postquam solus Christus Lazarum suscitasset ad vitam, cum adhuc ligatum tradidit Apo- D stolis solvendum: ergo sacerdotes non absolvunt à culpâ, sed solus Christus, ipsi autem à reatu pœnæ.

QUARTÒ, Solus Deus remittit peccata, juxta illud, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Luc. 5. ergo sacerdos non debet dicere, te peccata remittere seu à peccatis absolvere. unde Ambr. de Pœnitentia dist. 1. cap. *Verbum*, Verbum, inquit, Dei dimittit peccata: sacerdos est judex. Sacerdos quidem suum officium exhibet, & nullius potestatis jura exercet.

QUINTÒ, Sacerdos Evangelicus non aliter remittit peccata, quam legalis mundaret à lepra, sed is non aliud faciebat quam ostendere & judicare aliquem esse mundatum; ergo. Major probatur E ex Hieronymo super caput 16. Matthæi, ubi postquam dixerat Episcopos & presbyteros aliquid sibi de Pharisæorum supercilio assumere; ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur: allata de legalibus similitudine concludit: *Quomodo ergo ubi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit*: sic alligat vel solvit Episcopus & presbyter.

SEXTÒ, non est alienum à modo loquendi scripturæ novi testamenti, ut remitti dicatur quod ostenditur vel significatur esse remissum; ut Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata tua*, cùm tamen jam ante remissa essent ad hæc verba, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Sed contra, non esse hujus sensum formæ legitimũ, Ostendo te esse absolutum, Neque dicendum, quod sacerdos absolvat à reatu pœnæ, & non à culpa. *Sacerdos non declarat pœnitentem esse absolutum sed eum vere absolvit.*

PROB. 1. quia sic everteretur potestas clavium; usus enim clavium non est ostendere aliquid esse apertum, sed revera aperire. *à reatu pœnæ, & non à culpa.*

SECUNDÒ, Cùm juxta scripturam Matth. 16. & 18. detur sacerdotibus potestas solvendi quæcunque; non magis excipitur culpa quam reatus pœnæ, & non est aliunde fundamentum excipiendi illam, ergo non debet excipi. Confirmatur, B. Th. opusc. 17. c. 2: sic scribit, *Si intelligat quod sacerdos sua authoritate super culpam potentiam non habet, dicit verum: Si autem intelligit quod Sacramentum quod sacerdos ut minister tradit, non se extendat ad remissionem culpæ, falsum dicit. Sicut enim per baptismum dimittitur omnis culpa originalis & actualis, ita per Sacramentum Pœnitentiæ remittitur actualis culpa.* Et iterum, *Potestas clavium se extendit ad absolutionem culpæ, non sicut causa efficiens principalis, hoc enim Dei est, sed sicut instrumentum.* Vide quæ dicimus Suppl. q. 18. ar. 1.

TERTIÒ, Verbis quæ habentur Joan. 20. Dominus significavit se illam potestatem Discipulis tradere, quam ipse acceperat à Patre. *Sicut misit* C *me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata* &c. Dominus autem non tantùm declarat peccata esse remissa sed ea verè remittit: ergo.

QUARTÒ, Patres hanc potestatem in Ecclesiæ Sacerdotibus agnoscunt; adeò ut dicant eos prius in terrâ remittere, quam remittantur in cœlis. *Sententia Petri præcedit sententiam cœli*, ait Bernardus ser. 1. de Petro & Paulo. *In solvendis aut ligandis quorumcunq; causis, non aliud ratũ est in cœlis, quam quod Petri cedit arbitrio*; ait S. Leo ser. de Transfig. & Chrys. hom. 6. in 2. ad Cor. Tributam Sacerdotibus peccata remittendi potestatem, vocat potestatem vivificandi, dicens, *Non hoc tantùm est mirabile quod vivificat, verum etiam quod alijs quoque præstat id faciendi potestatem.* Vide eundem l. 3. de Sacerdotio. & Hilarium in c. 16. Matth.

QUINTÒ, in Bullâ Martini 5. edita contra errores Joan. Wiclef, de hæresi suspecti, jubentur rogari, *Utrum credant quod Sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum & contritum à peccatis absolvere.*

SEXTÒ, *Effectus hujus Sacramenti est absolutio à peccatis*, inquiunt patres Conc. Flor. ergo Sacramentum illam operatur: vis autem hujus Sacramenti, ut loquitur Conc. Trid. sess. 14. c. 3. præcipuè sita est in verbis ministri. unde c. 6. *Quamvis*, inquit, *absolutio sacerdotis alterius beneficij sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi evangelium, vel declarandi remissa esse peccata*, Et can. 9. *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, &c. anathema sit.* Sess. etiam 6. cap. 14. difertis verbis affirmat pœnam æternam unâ cum culpa remitti vel Sacramento vel Sacramenti voto: ergo censet hoc Sacramento non tantum remitti pœnam, sed etiam culpam.

Confirmatur, reatus pœnæ æternæ nunquã tollitur, quin etiam tollatur culpa; & vice versa, culpa nunquam tollitur quin tollatur reatus pœnæ

æternæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



æternæ: Non est ergo imaginandum quod per absolutionem tollatur unum eorum, & non alterum. A

Septimò, sequeretur alioquin confessionem esse inutilem: quod in Joanne Wiclef damnatum est. Cùm enim confessio requiratur propter absolutionem; si absolutio sit solum declaratoria, sicut declaratio non est necessaria; imò, nec utilitatem aliquam per se adfert, saltem in ordine ad effectum remissionis peccati: ita consequens est, & confessionem esse superfluam ac inutilem.

Eodem pertinet quod Articulus 54. dicens in Sacramento Baptismi aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium sacerdotis solũ liberat à reatu, condemnatus fuit à Pio V. sicut & 55. qui sic dicebat. Pectator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis; sed à solo Deo; qui pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum & resuscitat: ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur. B

Denique, Sacramenta efficiunt quod significant: Cùm ergo Sacramentum Pœnitentiæ significet absolutionem, tam à culpa, quàm à pœna; illum efficit.

Quaptopter vetus hujus formæ sensus est, quem B. Tho. hic ad 5. in opusc. 17. aliàs 22. c. 3. necnon Bellarm. 2. de pœnit. c. 14. tradit: *Sacramentum absolutionis tibi impendo:* sive, Authoritate Christi quam mihi communicatam habeo, Sacramentum tale tibi impertior, quod de se habet vim & efficaciam efficiendi solutionem seu remissionem peccatorum, atque adeò à peccatis te absolvo, seu peccata tua tibi remitto. Unde sequitur; quod etsi verba formæ intelligantur significare exhibitionem Sacramenti Pœnitentiæ, nihilominus tam ex Christi institutione, quam ex Ecclesiæ & ministri intentione, etiam significant effectum, quem tale Sacramentum aptum est efficere, & quem revera efficit, si aliunde nihil obstet.

*Effectus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Effectus autem ille est remissio peccatorum, ac reconciliatio hominis cum Deo, ut ex Conc. Flor. in compendio fidei, & ex Trid. sess. 14. ca 3. atque ex ipsius Sacramenti institutione patet. Institutum est enim hoc Sacramentum ad remissionem peccatorum mortalium quæ post baptismum committuntur, non solum quoad pœnam temporalem, sed etiam quoad æternam, & quoad ipsam culpã quemadmodum indicant verba Domini Matt. 16. & 18. & Joan. 20. & notum relinquitur ex jam dictis. C D

Cæterum, quia talium peccatorum remissio, & cum Deo reconciliatio, nunquam fit sine gratiæ justificantis infusione; consequens est vi hujus Sacramenti dari gratiam per se sufficientem ad delendũ peccata. Et sic patet Responsio ad 1. scilicet verba formæ significare & Sacramentum & ejus effectum.

Ad 2. concesso, juxta doctrinam Conc. Trid. sess. 14. ca. 4. quod contritio aliquando reconciliet hominem Deo, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; Consequentia tamen non valet, ob datam verborum formæ expositionem. E

Ad 3. Negatur consequentia: quia Christus eo facto significare voluit, peccatorem, gratia Christi vocantis à morte peccati excitatum, esse solvendum ab ijs quibus data est potestas solvendi. Hinc Augustinus tract. 49. in Joannem; *ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideò cum processisset mortuus adhuc ligatus: confitens, & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus, solvite illũ, & sinite abire. Quid est, solvite & sinite abire? Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.* Ubi, non dicit Aug. peccatorem priùs consequi remissionem peccatorum, deinde absolvi per sacerdotem; sed tantum quod à Christo vocetur per gratiam. Id quod non de gratia statim operante peccatorum remissionem debet intelligi; sed de ea per quam peccator primò excitatur à somno peccati, & incipit spiritualiter vivere; licet peccatorum suorum adhuc sarcinam gerat; donec per gratiam adoptionis eorum remissionem accipiat (quod ordinariè fit quando per sacerdotis ministerium absolvitur) sicque vitam animæ perfectam consequatur.

*Vita spiritualis animæ noſtræ duplex.*

Duplex enim est animæ vita spiritualis ac supernaturalis. Una imperfecta & inchoativa, per quam peccator aliquem vitæ motum accipit, quando videlicet ei pœnitentia, & novæ vitæ propositum, & inchoatio inspiratur. Hæc à solo Deo interius vocante, movente, & peccatorem convertere incipiente datur; & tunc dari incipit, quando Deus ipsi inspirat displicentiam peccati, & voluntatem redeundi à peccato ad justitiam, propositumque confitendi: tunc enim propriè suscitat eum, qui jacet in peccato mortuus. Et hæc significatã fuit per suscitationem Lazari à solo Christo factam.

Alia est vita perfecta, & quæ simpliciter vocatur vita justitiæ, per quam peccator à peccatorum suorum culpis & à reatu æternæ damnationis absolvitur, justusque ac filius Dei constituitur per gratiam & charitatem ejus cordi infusam. Hæc significata fuit per solutionem Lazari prius à morte suscitati. Hanc duplicem animæ vitam esse agnoscendam, manifestum est; quoniam Articulus qui sic oppositum dicebat: Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur qui verè justificatur & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & scripturis minimè congruens; condemnatus fuit à Pio V. & Gregor. XIII. cum multis alijs. Quam condemnationem probans & explicans facultas Theolog. Lovanienſ. ann. 1586. addit, *etenim ante remissionem peccatorum alij, inhabitantem spiritum, & justificationis & vitæ quædam inchoationes dumtaxat sunt, conceptionibus ut loquitur Augustinus* (quæst. 2. ad Simplic.) *similes: at non solum spiritualiter concipi, verum etiam nasci opus est, ac tum demum ceptum justificationis ac vivificationis opus infusione vivificæ charitatis absolvitur.*

Eandem vitam animæ duplicem agnovisse Augustinum partim ex ejus verbis in hac Resp. allatis patet, partim ex verbis sequentibus, concion. 2. in Psalm. 101. cum dixisset remissio peccatorum solutio est; quid enim prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur. Solvite eum & sinite abire, subjungit: *Cum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit: Cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, de sepulchro eductus est, sed nondum solutus est. Quando solvitur? A quibus solvitur? Quæ solveritis inquit in terra, erunt soluta & in cœlo, meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest; suscitari autem ipse mortuus, non nisi intus clamante Domino potest.*

Sermone 8. de verbis Domini, postquam capit. 1. dixisset, qui confitetur foras prodit: foras prodire non posset nisi viveret: vivere non posse, nisi resuscitatus esset: capit. 2. ait, *Dicit ergo aliquis, Quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce dominica resuscitatus prodit? Quid prodes ecclesiæ confitenti, cui Dominus ait, Quæ solveritis in terra soluta erunt & in cœlo? Ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus: Quid ergo facit ecclesia cui dictum est, Quæ solveritis soluta erunt; nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos. Solvite illum, & sinite abire?*



Rursum ser. 44. c. 6. de eod. Lazaro ait, *Processit vivus de monumento, & ambulare non poterat, & Dominus ad Discip. Solvite eum, & sinite abire; Ille suscitavit mortuum, illi solverunt ligatum,* Et postea ostendens Deum similiter solum suscitare peccatores eisque vitam aliquam dare, quando illos convertit intrinsecus, facitque ut displicentes sibi, vitam mutare instituant, addit; *Resurrexerunt jam isti: revixerunt quibus displicet quod fuerunt: sed revivíscentes ambulare non possunt. Hæc sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo ut qui revixit, solvatur & ire permittatur. Hoc officium Discipulis dedit, quibus ait, Quæ solveritis in terrâ, soluta sunt & in cœlo.* His non absimilia scribit Greg. l. 22. Moral. c. 13. inter cætera dicens quod, *Cuique peccatori jam exordium illuminationis, est humilitas confessionis.* Similiter & B. Th. in opusc. de formâ absolutionis. Per hoc, inquit, quod Dominus Lazarum suscitavit, & Discipulis solvendum mandavit, non ostenditur quod Sacerdos non absolvat, vel non debeat dicere, *Ego te absolvo*: sed quod eum non debet absolvere, in quo signa contritionis non videt. A B C

Ad 4. B. Thom. Resp. Deum remittere peccata per authoritatem; Sacerdotes autem id posse ministerialiter, & ut causas instrumentales.

Verba Ambrosij non sic apud eum habentur: sed, ut monuit notatio Gregoriana, arbitratu collectoris disposita sunt. Lib. 3. de Spiritu S. sic habet: *Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent*, principalis scil. ac supremæ, & l. de Cain c. 4. *Remittuntur peccata per Dei verbum: cujus Levites interpres & quidam executor est. Remittuntur etiam per officium Sacerdotis sacrumq; ministerium.* Hinc l. 1. de pœnitentiâ, c. 2. de ministeriali potestate loquens, *jus ligandi & solvendi* permissum esse dicit Sacerdotibus. D

Ad 5. Neg. Major. Sicut enim plus habent Sacramenta novæ legis quam veteris; ita & Sacerdotes plus possunt. Hinc Chryſ. l. 3. de Sacerdotio; *Corporis lepram purgare, seu, verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum sacerdotibus solis licebat: At verò nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Et B. Th. cit. prius opuſ. c. 2. *Absit ut Sacramenta novæ legis solum significent, & nihil faciant, sicut veteris legis sacramenta. Si autem Sacerdos solum discernendo denuntiaret peccatoris absolutionem, nihil faceret sed tantum significaret: ergo facit aliquid, ministerium absolutionis impendendo. Non tamen facit idoneos accedentes ad Sacramentum: hoc enim solus Deus facit qui ad se hominum corda convertit. Et respectu hujus idoneitatis non habet Sacerdos nisi discretionem, sicut & Sacerdos legalis circa lepram.* E

Ad Hieronymum Resp. non aliud eum velle, quam quod sicut Sacerdotes legales non poterant pro suo arbitrio judicare quoslibet esse mundos à lepra; ita nec Sacerdotes novi testamenti debent vel possunt pro sua voluntate quoslibet absolvere; sed necessarium est, ut expendant eorum merita, vitam & dispositionem: & quos repererint idoneos, absolvant: quos indispositos, non absolvant. Si aliter agant, nihil efficiunt, quia Sacramenta operantur suos effectus in subjecto disposito.

Ad 6. Si uno loco verbum *remittendi* sic accipiatur; non tamen in alijs, ut Matt. 9. Quamquam nec Luc. 7. necesse sit ita accipere. Nec hìc sermo, *Remittuntur tibi peccata*, vel est confirmatio remissionis antea factæ, quasi diceretur, Remissa sunt: Vel prioribus verbis, *Remittuntur ei peccata multa*, significatum est quod jam nunc forent remittenda; posterioribus verò remittit. Confer Suppl. q. 5. a. 1.

*Absolutio potest dari ſuper peccata ad huc ante confeſſa.*

Ex his intelligi potest absolutionem sacramentalem dari posse super confessionem peccatorum adhuc antea confessorum & remissorum: quia etsi eadem sint peccata, diversa tamen est eorum confessio, atque ita non eadem est materia proxima Sacramenti. Unde non debet opponi quod super hostia consecrata non possit forma proferri: quia ibi nulla est materia consecrabilis, cùm panis sit conversus in Corpus Christi; hic autem est nova materia, nova scil. contritio & nova confessio. Adde quod nunquam desunt alia peccata saltem venialia, quæ simul cum alijs confiteatur pœnitens. Ac nihilominus, si quis ob sola peccata præterita & condonata se accuset, & coram Deo reum se constituat: verba sacerdotis, *Te absolvo*, verificabuntur; quia ipse confert sacramentum de se efficax remissionis, ac etiam causativum gratiæ, per quam remittuntur peccata, & quantum est ex se & ex potestate quam habet, peccatorum remissionem confert, & gratiam.

*De abſolutione conditionata.*

Porrò, quamvis in dubio an formam protulerit, possit sacerdos hanc de præterito conditionem apponere: Si non est absolutus, ego te absolvo: non licet tamen apponere conditionem præsentem, Si verè promittis, restituere: aut futuram, si restitues: quarum præsens quidem, si subsistat, non annullat sacramentum: futura verò annullat; quia non est in potestate ministri suspendere sacramentum vel ejus effectum, quando ponuntur omnia necessaria. Vide Cajetanum verbo *Absolutio*, & Tolctum lib. 3. cap. 12.

Quando autem requiritur aliqua conditio: ut si Episcopus det facultatem absolvendi ab excommunicatione, modò pœnitens paratus sit adire superiorem; ea non debet esse in formâ, sed pœnitenti proponenda est; quam si receperit, absolutè est absolvendus.

*Quæſt.*

Petes, cum sacerdos sit incertus de dispositione pœnitentis; si autem hæc omninò desit, neque sacramentum subsistit, neque effectus absolutionis sequitur: quo modo potest verè dicere, *Ego te absolvo* &c.

*Reſp.*

Resp. ipsum propterea hoc verè dicere, quia Sacramenta habent certos effectus, licet impediri possint per fictionem suscipientis. Ita B. Th. d. opusc. c. 3. Sicut ergo verè dicit, *Ego te baptizo, Ego vos conjungo*, &c. etiamsi possit intervenire obex, propter quem neque baptismi, neque matrimonij Sacramenta subsistant; quia scil. id pronuntiat, quod ex Christi institutione natum est efficere Sacramentum ejusque effectum; ac proinde quantum est ex potestate quam habet, pro certo confert Sacramentum & Sacramenti effectũ, si aliunde nihil obest: ita in proposito verè dicit, *Ego te absolvo*, &c. quia habet potestatem impendendi Sacramentum absolutionis ac ejus effectum; idque totũ quantum est ex institutione & efficaciâ verborum facit, si confitens non ponat obicem. Quæ conditio

semper

Universidad de Deusto
Biblioteca



semper subintelligitur, ubi aliqua recipientis dispositio necessaria est; quæ tamen possit abesse. Unde Conc. Trid. sess. 14. c. 3. assignans effectum hujus Sacramenti, dicit quod *quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, sit reconciliatio cum Deo.*

*Non est necessaria impositio manuũ in hoc sacram.*

### Articulus IV.

ARt. 4. docet impositionem manuum Sacerdotis non requiri ad Sacramentum pœnitentiæ; quia manuum impositio in Sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum copiosum aliquem gratiæ effectum. Unde in Confirmat. & Ordine, adhibetur: Sacramentum autem pœnitentiæ non ordinatur ad aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remissionem peccatorum. Ubi per excellentiam gratiæ, sicuti & per copiosum gratiæ effectum B. Th. non intelligit gratiam justificantem secundùm se intensam; (scribit enim q. 89. a. 3. quod *secundum quod motus liberi arbitrij in pœnitentia est intensior vel remissior, secundùm hoc pœnitens consequitur majorem vel minorem gratiam*; Unde consequens est quod hoc Sacramentum confert gratiam justificantem intensam, modò subjectum sit ad eam per vehementem motum liberi arbitrij dispositũ:) sed intelligit gratiam secundùm quod ex ratione Sacramenti ordinatur ad excellens opus Sacramento proprium: quo modo gratia Confirmationis est illa quæ ordinatur ad hoc ut homo perfectam ætatem spiritualem accipiat, sitque idoneus ad perfectas actiones spirituales exercendas, quemadmodum docet B. Th. q. 72. art. 1. cujusmodi actio est constanter fidem profiteri coram Tyranno. Gratia autem Ordinis ea est quæ ordinatur ad exercendos actus publicos, ad offerendum, scil. sacrificium pro populo fideli. At pœnitentia directè ordinatur ad peccati remissionem quæ non est effectus peculiari modo excellens. Etsi porrò manus impositio nequaquam sit in hoc Sacramento necessaria, cæremoniam tamen esse antiquitùs in Ecclesia observatam liquet ex Conc. Nicen. c. 9. ex Conc. 3. Carth. can. 32. ex Conc. 4. can. 76. & ex Arausi. 1. can. 3. in quibus impositionis manuum mentio est, dum de hoc Sacramento agitur.

Quapropter ubi iste ritus ex veteri more perdurat, servandus est; ac specialiter, quando pœnitens, ob casum aliquem est sine absolutione dimittendus.

In Resp. ad 3. addit, neque significationem crucis esse de necessitate hujus Sacramenti.

### Articulus V.

*Utrùm hoc Sacramentum sit de necessitate salutis.*

VIdetur quod non. Primò, quia sententia Domini, quam Author allegat in argumento ad oppositum, pronuntiata est ante institutionem hujus Sacramenti: ergo ex illâ non rectè infert necessitatem hujus Sacramenti.

Secundò, virtus Passionis Christi potest per aliud medium operari peccatorum remissionem: ergo nec ratio quam in corpore adducit, est valida.

*Hoc Sacramentum est relapsis necessarium.*

Responsio ad fidem pertinens est, Sacramentum pœnitentiæ necessarium esse illis qui à Baptismo in peccatum aliquod mortale lapsi sunt. Ita definitum est in Conc. Trid. sess. 6. can. 29. & sess. 14. c. 2.

Confirmatur, data est Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus potestas remittendi & retinendi peccata Joannis 20. Hæc autem potestas frustranea esset, si peccatores non tenerentur illos accedere; quia credibile est homines, si suæ voluntati relinquantur, facili medio usuros, relicto difficiliori.

Præterea, quod Sacerdos retinuisset, alia via remittetur, & sic falsum esset, *quæcunque retinueritis, retenta sunt.* Huc pertinet quòd hoc Sacramentum à Patribus vocetur secunda post naufragium tabula, ut art. seq. patebit. Confer q. 86. a. 2. & quæ dicentur in Suppl. q. 6. art. 1. de necessitate confessionis.

Hæc autem doctrina sic intelligenda est, ut, si facultas adsit, hoc Sacramentum in re suscipi debeat: aliàs verò, sufficiat ejus votum, secundùm ea quæ dicuntur sess. 6. c. 14. & sess. 14. c. 4. ejusdem Concilij.

*Quæst.* An autem hoc votum debeat esse explicitum, ità scil. ut homo expresè seu distinctè, ac in propriâ formâ, debeat cupere confiteri & absolutionem accipere disputatur.

*Resp. Sufficit implicitum votum Sacramenti.*

Existimamus sufficere implicitum, quale est in eo qui de præteritis ex animo dolens, proponit abstinere à futuris, & vult omnia mandata servare, non habens nunc particularem memoriam præcepti confessionis, B. enim Th. q. 69. ar. 4. ad 2. dixit interdum sufficere votum implicitum baptismi, ut quis justificetur ante realem ejus susceptionem Syn. autem Trid. c. 4 sess. 14. cùm asserit, remissionem peccatorum, quæ interdum contingit contrito antequam hoc Sacramentum actù suscipiat; ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illâ includitur, non esse asscribendam; reconciliationem tribuit non tantùm voto confessionis explicito, cùm ejusmodi non videatur necessarium ad naturam contritionis, nequidem in homine post baptismum lapso; sed, tum contritioni, tum voto confessionis quod in contritione includitur, & quod videtur solum esse implicitum. Ita sentiunt præter Authorem in 4. d. 17. q. 3. art. 5. quæstiunc. 1. Richar. ar. 1. ad 4. Dominic. d. 14. q. 1. ar. 5. Navarr. c. 1. Ench. nu. 11. Adrianus qu. 1. de confessione ad 2.

*Quæst.* Porrò, quâ necessitate sit relapsis necessarium Sacramentum pœnitentiæ, controvertitur. Si loquamur simpliciter, præveniendo Christi institutionem; certum est quod non sit necessarium necessitate medij; quia Christus potuit reconciliare lapsos, sine isto Sacramento.

*Resp.*

*Hoc sacramen. est relapsis necessarium necessitate medij.*

Suppositâ autem institutione, quâ Christus Apostolos eorumque in sacerdotio successores fecit judices, eisque remittendi & retinendi peccata potestatem contulit; ipsumque Sacramentum instituit: probabilius videtur hoc Sacramentum esse relapsis necessarium, tum medij, tum præcepti necessitate, secundùm ea quæ de confessionis necessitate dicentur Suppl. q. 6. art. 1. Unde supra q. 69. art. 4. Docuit S. Doctor pœnitentiam relapsis ita esse necessariam ut sine ea non possit habere finis.

Ad 1. Arg. Resp. verba illa, *si pœnitentiam non habueritis*; rectè intelligi de pœnitentia, conformiter statui legis aut gratiæ, in quo ipsa est agenda; hoc sensu, Si pœnitentiam non habueritis talem qualis in vestra lege requiritur: omnes simul peribitis.

Ad 2. Supponit B. Thomas non esse aliud medium à Christo institutum, quo applicetur virtus passionis ad remissionem peccati mortalis post baptis-



Baptismum commissi, præter Sacramentum Pœnitentiæ vel ejus votum.

In Resp. ad 1. adverte Augustinum, cujus verba citantur in argumento 1. excludere ab hominibus bonæ voluntatis, non tristitiam de peccatis sed tristitiam propter egestatem, quâ nequeant eleemosynas corporales præbere.

Pro Resp. ad 2. Neg. est Cons. quia nemo post Baptismum lapsus in peccatum mortale potest habere charitatem perfectam, & christianam misericordiam, aut fidem formatam, qui non habeat Sacramentum Pœnitentiæ saltem in voto.

### Articulus VI.

*Vtrum Pœnitentia sit secunda post naufragium tabula.*

VIdetur quod non. Primò, quia eadem ratione danda esset tertia, quarta, & ulterior tabula: cùm ter, quater, & sæpius reparari possint qui labuntur.

Secundò, Baptismus per subsequens mortale peccatum non amittitur: ergo valet ad reconciliationem lapsorum, ac proinde non est ulla præter Baptismum tabula. Confirmatur ex Aug. l. 1. de nupt. & concup. c. 33. dicente: Eodem lavacro regenerationis & verbo sanctificationis, omnia prorsus male hominum regeneratorum mundantur atque sanantur, non solùm peccata quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humanâ ignorantiâ, vel infirmitate contrahuntur. Et c. 34. Ac per hoc, non solùm omnia peccata, sed omnia prorsus hominum male Christiani lavacri sanctitate tolluntur. Ex his apparet omnia peccata tolli per Baptismum, si non re, saltem memoriâ repetitum.

Tertiò, Baptismus vocatur Sacramentum fidei & Pœnitentiæ, apud Fulgent. c. 30. de fide ad Petrum: non est ergo agnoscendum aliud Sacramentum Pœnitentiæ, quàm Baptismus in memoriam revocatus.

*Pœnitentia sacra, est secunda tabula.*

Responsio affirmativa, per Concilium Trid. sess. 6. c. 14. & sess. 14. can. 2. probata, est Sacramentum Pœnitentiæ esse secundam tabulam post naufragium. Omnes enim naufragium fecimus, quando in primo parente cecidimus. E quo naufragio, quia per Baptismum evadimus, is tabula dici potest; sed cùm tabulam hanc abijci contingat, quando nimirum gratia in Baptismo accepta deperditur, tunc secundum naufragium facimus, è quo quia evadere possumus per Pœnitentiam, ideò hæc vocatur secunda tabula.

Quæ phrasis apud Hieronymum est epist. 8. c. 6. Tertullianum l. 1. de Pœnitent. cap. 4. Paciánum epistola 1. ad Symphronianum, Ambrosium cap. 8. ad Virginem lapsam, nisi quod hi simpliciter tabulam nominent, Hieronymus secundum.

Dum autem vocatur tabula, Baptismus censetur navis integra, propter statûs, qui per eum habetur, integritatem: Omnis enim culpa & omnis pœna simul ac semel Baptismo tollitur, inducitur-que homo in statum quendam integritatis, quod non ita fit per Sacramentum Pœnitentiæ. Igitur respectu statûs innocentiæ in quo fuimus conditi, utrumq; hoc Sacramentum est tabula, Baptismus, prima: Pœnitentia, secunda. Inter se autem collata, Baptismus est instar navis, Pœnitentia instar tabulæ, per quam evitare possit naufragus, cujus navis per peccatum mortale est confracta.

Ad 1. Arg. Negatur assumptum, quia sanctitas peccato post Baptismum commisso perdita, semper restituitur per idem specie remedium, scilicet per Sacramentum Pœnitentiæ.

Ad 2. Resp. Antecedens esse verum, quatenus character baptismalis nunquam amittitur, qualiacumque sint peccata quæ postea committuntur: Ac proinde qui semel est baptizatus, semper manet baptizatus. Alij tamen effectus Baptismi amittuntur: gratia quidem justificans per quodlibet peccatum mortale, fides autem per infidelitatem. Ad consequentiam quòd attinet, distinguendum est consequens. Si enim sic intelligatur, ut Baptismus valeat ad reconciliationem lapsorum sine alio remedio, falsum est, nec consequentia est bona. Si vero intelligatur valere suo modo, tanquam scilicet fundamentum reconciliationis acquirendæ, eò quod Baptismus semel susceptus, sit id ratione cujus homo est capax remedij per quod (si cadat) Deo reconciliari possit, consequentia est admittenda, sed non obest proposito.

Ad Confirmationem, Resp. negando consequentiam: sed eatenus per Baptismum remittuntur peccata, partim quia ipse est unicum remedium contra peccata quæ illum præcesserunt, partim quia constituit hominem in eo statu, in quo sit capax alterius remedij pro deletione subsequentium. Hinc sequitur apud Augustinum: *Non ut Baptisma quoties peccatur, toties repetatur: sed quia ipso quod semel datur, sit ut non solum antea, verumetiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset, vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet?* Quibus ita conformiter scribit epist. 23. de peccante post Baptismum: *Tunc etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.*

Ad 3. Negatur consequentia. Fulgentius enim loquitur de Pœnitentia quæ agitur ante Baptismum: juxta illud Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm.* Est autem & alia Pœnitentia relapsorum: de qua act. 8. ubi nulla fit mentio Baptismi. Unde in scripturis non Christi, sed Joannis Baptismus vocatur Baptismus Pœnitentiæ, ut ar. 3. q. 38. diximus.

*Non sufficit Baptismus memoria repetitus, ad remissionem pecc.*

Cæterùm, quod de Baptismo memoriâ repetito movent hæretici, volentes eum sufficere ad remittendum peccata post Baptismum commissa, absq; Sacramento Pœnitentiæ, vanum & ridiculum est. Sicut enim cibus solâ memoriâ repetitus ventrem esurientem nec replet nec satiat; ita Sacramentum solâ memoriâ repetitum peccatorem non justificat, nec ei peccata remittit.

Accedit, quod neque Scriptura neque veteres Patres talis repetitionis Baptismi meminerunt, sed requirunt à relapsis confessionem & reliqua ad Sacramentum Pœnitentiæ spectantia.

Deinde, omnium consensu difficilius veniam consequuntur relapsi, quam non baptizati: si autem relapsis sufficeret memoria Baptismi, esset è converso. Vide Conc. Trid. sess. 14. c. 2. & Aug. locis supracitatis.

### Articulus VII.

ART. 7. docet Sacramentum Pœnitentiæ convenienter esse institutum in nova lege: idque, sive spectetur status anterior, sive tempus ætatis Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca



In illo enim, cùm status ille esset imperfectus, A non debuit instituì: quia perfectus modus agendi pœnitentiam,& absolutionem accipiendi per potestatem clavium, magis conveniebat, tum statui legis novæ, quæ est lex perfectionis; tùm tempori meritorum Christi, à quibus claves Ecclesiæ habent suam efficaciam.

Quoad istud verò, Sanctus Thomas tradit Christum initio suæ prædicationis sic indixisse Pœnitentiam, ut determinatos modos actuum, qui requiruntur ad hoc Sacramentum significaret: determinasse verò id quod pertinet ad officium ministrorum, Matth. 16. ubi dixit Petro, *Tibi dabo claves*, &c. efficaciam autem hujus Sacramenti & originem virtutis ejus manifestasse post resurrectionem, quando præmisso sermone de Passione & resurrectione dixit, *Oportebat prædicari in nomine ejus Pœnitentiam*, Luc. 24. Quæ omnia non sic intelligenda sunt, quasi B. Th. velit Christum initio suæ prædicationis indixisse confessionem Sacramentalem (certum est enim ex 4. d. 17. q. 3. ar. 3. qu. 1. ad 1. quod B. Th. sentiat institutionem divinam de confessione Sacerdotibus facienda in hoc intelligi, quod eis potestatem remittendi peccata, in Apostolis dedit Joan. 20.) sed existimare videtur Christum tunc significasse quosdam actus Pœnitentiæ, quos erat postea tanquam partes Sacramenti instituturus, & generaliter præcepturus.

Ergo, quod ad veram hujus Sacramenti institutionem attinet, cùm Trid. Syn. sess. 14. c. 1. & ss. 6. c. 14. dicendum est quod *Dominus Sacramentũ Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos dicens, Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata* &c. Atque ita sentit B. Th. d. loc. 4. Sent. sive Suppl. q. 8. a. 1. ad 1. dicens, quod *divinitus institutio præcesserat de confessione Sacerdotibus facienda per hoc quod eis potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit*, ut patet Joan. 20. Dicit autem Conc. quod *tunc præcipuè instituit*; quia jam antea Sacramentum istud promiserat Matth. 18. per verba quæ idem Conc. sess. 14. c. 6. & can. 10. censet ad hujus Sacramenti institutionem pertinere; ac verisimiliter in Cœnâ D ultimâ instruxerat Apostolos de potestate quam esset postea ipsis collaturus, sed nondum eis contulerat, neque Sacramentum plenè & propriè instituerat; id quod fecit post Resurrectionem.

*Hoc sacra. est institutum post resurrectionem.*

Confirm. dedit tunc Apostolis potestatem remittendi peccata illis, quos viderent esse pœnitentes, suique à Baptismo relapsus accusatores; ac proinde voluit ut ad eos tanquam ad judices venirent, eisque conscientiam suam aperirent, qui peccatorum mortalium à Baptismo commissorum veniam vellent consequi: ergo dicendus est tunc instituisse omnia ad Sacramentum Pœnitentiæ necessaria, & per consequens ipsum Sacramentum. De Antecedente vide Conc. Trid. dict. sess. 14. E c. 5. & quæ nos dicimus Suppl. q. 6. art. 1.

Pro sol. 1. dicendum est ad Maj. quod ea quæ sunt de jure naturali, subindè convenientem determinationem habent ex lege positivâ; sicut de jure naturæ est, quod qui peccat, puniatur; per legem autem positivam detetminatur quæ pœna cui peccato sit infligenda. Et similiter Pœnitentiam (quæ dicitur esse de jure naturali, quia ratio naturalis dictat quod aliquem pœniteat de malis quæ fecit, quantũ ad hoc quod doleat se feciſse, & quod quærat doloris remedium, non verò quia possit naturæ viribus haberi aliqua pœnitentia ad salutem animæ conducens,) Christus determinavit quo modo sit agenda per eos qui à Baptismo in peccata relapsi fuerint.

*Quatenus Pœnitentia sit de jure naturæ.*

Pro Resp. ad 2. dicendum est, id quod fuit institutum in veteri lege secundũ istius temporis congruentiam & imperfectionem, rectè in novâ lege institui secundùm ejus congruitatem & perfectionem; quia ea quæ sunt juris naturæ diversam admittunt determinationem secundùm quod congruit diversitati status hominum. Fuit ergo in veteri lege pœnitentia, eaque non tantùm secundùm quod est de jure naturali, sed etiam secundùm aliquam determinationem positivam, instituta enim erant varia sacrificia pro variis peccatis & delictis, ut constat ex Lev. c. 4. 5. 6. & illis conjuncta erat quædam peccatorum confessio de quâ dixi ad c. 5. Levit. v. 5. & ad c 6. v. 6. At non erat instituta confessio peccatorum singulorum; neq; etiam erat institutum, ut confessio fieret in ordine ad recipiendam peccatorum absolutionem: quia necdum erant datæ claves, nec tradita potestas ligandi & solvendi sacramentaliter. Quoniam verò in novâ lege data est hujusmodi potestas, ideò Pœnitentia diversam nunc habet determinationem, & necesse est quod verus pœnitens habeat propositum peccata sua subjiciendi clavibus Ecclesiæ per confessionem & satisfactionem sub spe consequendæ veniæ.

*Quæ pœnitentia in veteri lege.*

*Quæ in novâ.*

In Resp. ad 4. Observa quod etsi Christus non C baptizaret manibus suis communiter, sed per suos Discipulos secundùm ea quæ Joan. 4. leguntur: aliquos tamen baptizaverit, velut Matrem suam benedictam, Joannem Baptistam, & suos Apostolos seu aliquem vel aliquos ipsorum. Vide quæst. 38. ar. 5.

## Articulus VIII.

*Quamdiu durare debeat Pœnitentia.*

Art. 8. docet Pœnitentiam interiorem debere durare usque in finem vitæ: exteriorem quæ fit per signa externa, confessionem, & satisfactionem, non debere: quia confessio unius peccati semel legitimè facta, sufficit: uti & satisfactio secundùm Ecclesiæ præscriptum & peccati mensuram susceptam.

*Quomodo usque ad finem vitæ durare debeat,*

Circa priorem partem, adverte quod pœnitentia interior debeat usque in finem vitæ durare: in primis quidem sic ut peccatum nunquam placeat voluntati: alioquin si placeret, tot essent peccata, quot formarentur novæ complacentiæ.

Deinde, sic etiam durare debet, ut si quando peccatum occurrat memoriæ, & sit de illo formandus aliquis actus, is debeat esse positiva displicentia. Extra quem casum consiliũ est sæpius eam formare, juxta illud Ps. 50. *Peccatum meum contra me est semper*, id est, coram me, ex adverso mihi, ante oculos mentis meæ: quia tamen præcepta affirmativa non obligant pro semper; non facilè est assignare quando actus positivæ displicentiæ de peccato semel remisso sit formandus: virtualis tamen displicentia semper debet durare. Confer. ar. 9. ubi dicit Author *quod debet homo in proposito gerere, quod semper sibi præterita peccata displiceant.*

In solutione primi, instans veræ Pœnitentiæ intelligendum est ejus quæ vera est veritate perfectionis: veram enim, sed imperfectam contritionem non continuò remittere peccatum, tradit q. 72. ar. 7. ad 2. & patebit ex dicendis in Suppl. q. 5. Sciendum præterea, non totum pœnæ reatum auferri simul atque deletur culpa: & propterea etiam hâc ratione agendam esse pœnitentiam.

Arti-



## Articulus IX.

Art. 9. docet Pœnitentiam non posse secundùm actum esse continuam; secundùm habitum, posse, quia debet unusquisque pepetuò abstinere à peccato, & esse habitualiter ita dispositus, ut in proposito gerat quod peccata præterita semper sibi displiceant.

## Articulus X.

*Virum Sacramentum Pœnitentiæ debeat iterari.*

Videtur quod non; quia hoc esset incentivum peccati. Quis enim non semper peccaret, si redire semper posset? ut argumentaban- B tur partim hæretici, in libro de vera & falsa pœnitentia apud Augustinum; partim Pagani apud eundem hom. 27. inter 50.

*Resp. affirm.*

Responsio ad fidem pertinens est, Sacramentum Pœnitentiæ iterari posse, ac debere ab ijs qui relabuntur, quoties de admissis peccatis pœnitere voluerint. Ita Concilium Tridentinum sess. 14. c. 2. & canone 1.

Confirmatur ex illo Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Cumque per Pœnitentiam, secundùm quod est virtus, quælibet peccata, etiam repetita, dimitterentur in veteri lege, Ezech. 18. consequens est, & novi testamenti tempore, omnia omnino, quantumvis repetita C peccata deleri posse per Pœnitentiam, quatenus est Sacramentum; atque illud toties iterari posse, quoties peccatum repetitur: Christus enim non venit ut peccatoribus viam salutis præcluderet, sed ut eam faceret faciliorem.

Ad Argumentum autem respondet Augustinus c. 3. dictæ homiliæ: *Ne desperando augeamus peccata, propositus est Pœnitẽtiæ portus*: rursus, *Ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.* Et certè, si id quod assumitur verum esset, eâdem ratione impugnaretur illud Christi quo vult fratri septuagies septies (id est, toties quoties pœnitudine ductus, rogat veniam) esse ignoscendum.

Pro Responsione ad primum argumentum di- D cendum est, ex eo tantum sequi quod is qui post Pœnitentiam peccat, non possit vel per Baptismum iteratum renovari, vel per aliud simile remedium simul & semel totius culpæ & pœnæ remissionem ita facilè consequi, sicut consecutus fuerat in Baptismo. Vide quæ ad 1. ar. 1. hujus q. diximus.

*Pœnitentia publica non iterabatur.*

Circa Responsionem ad 2. advertendum est, olim in usu fuisse non tantum publicam, sed & solemnem pœnitentiam, ritu peculiari ab Ecclesia præscripto. Et hæc sive ad terrorem incutiendum, sive ad scandalum vitandum, non permittebetur ab eodem sæpius suscipi. *Cautè enim salubriterq; provisũ esse, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur*, ne medicina vilis, minùs uti- E lis esset ægrotis, tradit Augustinus epistolâ 54. De hac intelligi debent decreta quæ habentur de Pœnitentia dist. 3. ipsumque Ambrosij testimonium eos redarguentis qui Pœnitentiam agere aggressi, nimis languidè & imperfectè eam agunt, per voluptates & recreationes ipsam interrumpendo.

Pro Resp. ad 4. dicendum illud consequens, *Si ergo aliquis verè poeniteat, non iterum peccabit*; verũ esse hoc sensu, quod quamdiu verè poenitet, non peccabit, eò quòd Pœnitentia includat propositum non amplius committendi ea de quibus agitur. Cum autem infertur, *ergo non potest esse quod Poenitentia iteretur*; vitiosa est illatio, quia potest quis ab agenda pœnitentia desinere, eamque interrumpere & peccare. Quo casu necessarium est ei de novo pœnitentiam agere, ut resurgat. Et sic iterabitur Pœnitentia.

Circa Responsionem ad 6. notandum est hanc sententiam B. Ambrosij *facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi*, dictam esse de illa venia quæ citra formam justitiæ daretur publicè pœnitentibus præcedit enim, tenendam esse in Ecclesia formam justitiæ, *ne quis a communionis consortio abstinentus, brevi lachrymula atq; ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus, communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat.* Et juxta hunc intellectum, nihil favet sectarijs; partim, quia per Sacramentum Pœnitentiæ non est facilitas veniæ, cùm juxta Con. Trid. ss. 14. c. 2. *Poenitentia sit laboriosus quidam Baptismus, magnos nostros fletus, & labores requirens*: partim quia non datur venia sine forma judicij legitima: neque ad hoc ut remissione abutamur, sed ne perdatur quod Deus creavit. Hinc idem Ambr. l. 2. de Poenitentia c. 9. *Poenitentia*, inquit, *remedium peccati est; non peccandi incentivum.*

# Quæstio LXXXV.

## De Pœnitentia secundùm quod est virtus.

### Articulus I. & II.

*Virùm Pœnitentia sit virtus, eaq; specialis.*

Videtur quod non: Primò, quia Pœnitentia non includit pœnam, justitiam aut vindictam, sed nudam resipiscentiam, id est, desertionem & mutationem veteris vitæ; ubi enim scriptura meminit Pœnitentiæ, vel μετάνοιαν, vel μεταμέλειαν ponit, quorum illud solum significat sapere post factum, quod est resipiscere; istud, seram coram negotio adhibere, scilicet post detrimentum acceptum.

Secundò, Omnis virtus est per se expetenda; Pœnitentia verò non est per se expetendà, sed solùm præsuppositio peccato, ergo non est virtus.

Tertiò, Quod factum est, infectum fieri nequit: ergo non est laudabile de præterito peccato dolere.

Quartò, Virtus est dispositio perfecti ad optimum: Pœnitentia autem non est dispositio perfecti, sed imperfecti, scilicet peccatoris.

Quintò, Quod est extra charitatem, nihil est, 1. ad Cor. 13. Pœnitentia quæ agitur ante reconciliationem, est extra charitatem, ergo.

Sextò, Sicut debetur Deo gratiarum actio pro acceptis beneficijs, ita & compensatio pro offensis: sed utrumque debetur ei ratione cultûs quo est honorandus: ergo utrumque pertinet ad virtutem religionis, quæ pro objecto habet cultum divinum; & sic Pœnitentia, saltem non est virtus specialis.

Septimò, Nulla virtus exigit ut suum contrarium antea præfuerit in subjecto: Pœnitentia verò non est, nisi præcesserit peccatum ei contrarium.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Octavò, Pœnitentia quæ conatur ad reconciliandum hominem homini, non est specialis virtus: ergo nec ea quæ versatur circa reconciliationem cum Deo.

Nonò, sequeretur alioquin eum qui peccaret, semper esse ornatum pluribus virtutibus, atque adeò sanctiorem innocente.

Decimò, virtus per se habet delectationem, ut dicitur in 1. Ethic; Pœnitencia verò excitat dolorem.

Undecimò, Pœnitentia neque est virtus cardinalis neque continetur inter partes alicujus cardinalis virtutis à Philosophis enumeratas, cum ipsi de virtute Pœnitentiæ nullam mentionem fecerint: ergo non est virtus specialis: Si enim esset virtus deberet esse mortalis, atque adeò vel cardinalis vel inter partes alicujus cardinalis.

Postremò, ejusdem virtutis est amplecti bonum, & fugere malum: ergo Pœnitentia quæ detestatur malum, non est virtus diversa ab eâ quæ bonum illi malo contrarium prosequitur.

*Poenitentia est virtus.*

Responsio B. Thomæ est, Pœnitentiam dupliciter accipi. Uno modo ut est passio doloris: Et sic non est virtus. Alio modo, secundùm quod est in voluntate, & regulatur per rationem. Hæc si recta sit, necesse est quod sit virtus seu virtutis actus. Cum ergo Poenitentia peccatorum, de qua nunc disseritur, quæ nimirum valet ad placandum Deum, in voluntate consistat, & rectissima sit, oportet quod sit virtus, eaque specialis vel actus virtutis specialis. Utitur autem hâc disjunctione, quoniam ejusmodi poenitentia potest intelligi, vel secundùm habitum, vel secundùm actum. Is habitus non potest non esse virtus, eaque specialis: & propterea ejus propria functio, est actus virtutis specialis.

*Eaque specialis.*

Probatur Primò, quia præcepta specialia non dantur nisi de actibus, seu functionibus virtutum: datur autem speciale præceptum de Pœnitentia; Matth. 3. & 4. *Pœnitentiam agite*, ergo.

Secundò, detestari peccatum, & ad compensandam injuriam Deo factam, illud in seipso vindicare, est opus rectæ rationi consentaneum; habetque singularem difficultatem: ergo est actus virtutis, & quidem specialis.

Tertiò, Pœnitentia est donum Dei; juxta illud Act. 11. *Et gentibus Poenitentiam dedit Deus ad vitam.* & 2. ad Timoth. 2. *Ne fortè* (id est, si fortè aliquando) *det illis Poenitentiam?* Hoc autem donum etiam dum ab actu cessatur, manet redditque potentiam habilem ad eliciendum actum bonum: ergo est virtus, unde Chrysostomus hom. 23. in Matth. *Non est aliquod peccatum quod non cedat Pœnitentiæ virtuti.*

Ad horum majorem intelligentiam notandum est quid sit ea Pœnitentia de qua loquimur. Omnis pœnitentia dolor est; non omnis dolor, pœnitentia. Præsentium, & alienorum dolor est, non poenitentia, poenitere enim tum demum dicitur aliquis, cum dolet de aliquo quod ipse fecit: ut initio art. 1. significat Author: si benè fecerat, mala est Pœnitentia: si malè, bona; quando eo modo & fine dolet, quo dolendum est. De hac loquitur Aug. serm. 3. de Nativit. *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati & amor Dei.* Et hom. 50. inter quinquaginta capite 5. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per Poenitentiæ dolorem, per humilitatis gemitus, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleëmosynis. Non enim dictum est, ut tantùm abstineamus à peccato, sed & de præteritis inquit, deprecare Dominum,* Ecclesiastici 21. & B. Greg. hom. 34. in Evangelia, *Pœnitentiam agere, est perpetrata mala plangere, & plangenda nõ perpetrare. Perfecta Pœnitentia,* inquit Chrysostomus in homilia de Poenitentia, *cogit peccatorem omnia lubenter sufferre. In corde ejus contritio est, in orè ejus confessio, in opere tota humilitas.*

Ex his duo colligi possunt.

Prius, quod pœnitentia virtus non aliud est quàm habitus quo poenitens promptus redditur ad dolendum de peccato commisso; in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Ad quod non sufficit sola cessatio offensæ; sed exigitur ulterius quædam compensatio; quæ habet locum in offensis contra alterum commissis, ut declarat Author ar. 3.

*Definitio Poenitentiæ.*

Posterius, falsùm esse Lutheri paradoxon, quòd optima pœnitentia sit nova vita; quodque ad veram Poenitentiam non pertineat dolor, afflictio, vel vindicta; sed tantùm mutatio vitæ in melius. Repugnat enim authoritatibus Sanctorũ allegatis, imò, & scripturę, Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.*

*Contra Lutheri paradoxon.*

Ezechielis 6. *Displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt.*

Et 2. ad Corinth. 7. *Hoc ipsum contristari vos secundùm Deum, quantam operatur in vobis sollicitudinem? sed,* id est imò, *defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.*

Psal. etiam 37. *Iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.* Quid opus illa cogitatione, si Pœnitentia non aliud includeret, quàm mutationem vitæ in melius, si nullam sollicitudinem, nullam poenam, nullum diceret dolorem?

Aug. ita legit, *Curam geram pro peccato meo,* tum addit, *Quid est curam gerere pectato tuo,* &c. *Hoc est curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiose & sedulo agere, ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed fortè lachrymæ currunt, & manus cessant. Fiant eleëmosynæ, redimantur peccata,* &c. *Hoc est curam gerere pro peccato meo, faciam omnia quæcumq; facienda sunt ad abluendum & sanandum peccatum meum.*

His adde verba Ezech. Isa. 38. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ;* Itemq; exempla pœnitentiũ: *Achab* 3. Reg. 21. *Ninivitarũ,* Jonæ 3. *mulieris peccatricis,* Luc. 7. *Publicani,* Luc. 18. *S. Petri,* c. 22. & facilè perspicietur, quòd Poenitentia salutaris non solùm continet vitæ mutationem in melius, sed etiam detestationem ad dolorem vitæ prioris, unà cum studio & cura placandi Deum. ipsiq; satisfaciendi. Ipsa etiam communis conceptio idem significat, quis enim Poenitentiam sine displicentia intelligat? Quid est, pœnitet me hujus peccati, nisi, poenà seu dolor me tenet illius?

Ad 1. ergo Arg. Resp. Neg. Assumpt. Ejus enim falsitas ex jam dictis patet.

Ad probationem, cùm in disciplinis quid vocabula significent, judicandum sit potiùs ex communi usu ad quem ea solent adhiberi, quàm ex origine, secundùm ea quæ dicit B. Tho. prima parte, quæstione decima tertia, articulo secundo, ad secundùm; sciendum est vocabulum Græcum μετάνοιαν, ipsiq; conjugata, sic in Scripturis usurpari ut significent Poenitentiam cum dolore & castigatione ob peccata præterita; non autem nudam resipiscentiam. Patet id ex Matthæi & Lucæ tertio,

Pœnitentiam



*pœnitentiam agite, facite fructum Pœnitentiæ.* Nec enim ad nudè resipiscendum, opus erat, vel Baptismum Pœnitentiæ suscipere, vel eleëmosynas facere, de quibus Joannes dicebat, *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* Conferri possunt & alia loca, Matth. 11. & 12. Luc. 10. 2. ad Cor. 7.

Alterum vocabulum μεταμέλεια Sanctorum Scriptorum usu significat curam post factum susceptam, non solùm eam quâ deinceps vitetur error, sed etiam (& quidem potiùs) quâ error admissus tollatur & quantum fieri potest, retractetur. Nam Ps. 109. pro, *Non pœnitebit eum,* est vocabulũ conjugatum huic μεταμέλεια: significatur autem quod Dominus nulla veluti nova cura retractabit, quod semel constituit: idem judicium est de illo ad Rom. 11. *Sine Pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.*

*Ob.* His non obstat, quod aliqui μετάνοιαν subinde interpretentur resipiscentiam, ut Lactantius l. 6. instit. c. vigesimo quarto, per eam enim non intelligunt nudam vitæ mutationem, sed insuper sui ob præterita peccata castigationem. Unde sic loquitur Lactantius, *Resipiscit ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatq; seipsum dementiæ.*

*Resp.*

Ad Secundùm, etsi Pœnitentia secundùm actus suos principales, qui (ut tum ex Conc. Trid. sessione decimâ quartâ, capite primo, tum ex ar. 3. & 4. sequentibus, colligitur) sunt odium peccati in Deum commissi, pius de illo dolor, & propositum emendandi; præsupponat peccatum à poenitente commissum: tamen secundùm habitum, non præsupponit illud esse commissum, sed tantum esse commissibile. Unde B. Thomas primâ parte, quæstione nonagesima quinta, art. 3. dixit in homine primum statum habente fuisse Pœnitentiam secundum habitum: quia sic erat animo dispositus, ut si peccatum præcessisset, doleret. Pœnitentia ergo secundùm se bona est: & (quoad habitum) per se expetenda ab illis omnibus, qui & sunt peccabiles, & ut à peccato resurgant, capaces. Secundùm actum verò, etiam est per se expetenda, sed ab illis qui peccaverunt. Et hæc ad rationem virtutis sufficiunt: Nam neque justitiæ vindicativæ, neque juramenti actus fieret nisi peccatum vindicatione dignum, aut necessitas jurandi præcederet; cùm tamen neque illa virtus esse desinat; neque juramentum actus virtutis.

*Actus principalis Pœnitentiæ.*

*Pœnitentiæ habitus non præsupponit peccat. commissum.*

Ad Tertium, Neg. Conseq. quia non ita dolet, ut absolutè velit id esse infectum, quod prius factum est; sed sic, ut sibi displiceat quod malè fecerit, cùm potuerit abstinere: velitque à se removere offensam Dei & reatum pœnæ, quæ ex peccato secuta sunt. Et quamvis impossibile jam sit peccatum non esse factum: id tamen solùm est ex suppositione.

Ad Quartum, Neg. Min. quia sententiæ illius sensus esse videtur, quod cujusque rei virtus est ea dispositio, qua res perficitur ad consequendum id quod est optimum illius speciei. Confer quæ dicimus 1. 2. quæst. 55. art. 2. & 2. 2. qu. 4. art. 5.

Ad Quintum, quamvis Pœnitentia vera (si nimirum sit imperfecta prout frequenter est) sejuncta esse possit à charitate quæ est habitus infusus, justificatis proprius: non est tamen extra charitatem, ad sensum Apostoli; quia conjuncta est sincero affectui in Deum, & alicui ipsius veræ ac salutari dilectioni actuali, licet adhuc imperfectæ.

Ad Sextum, Neg. Conseq. potest quidem actus Pœnitentiæ imperari à virtute religionis; ab ea tamen non elicitur: cùm religio versetur circa cultum Dei: Pœnitentia verò circa peccatum, non directè per se hoc agens, ut detestatione peccati colatur Deus, sed ut peccatum destruatur, & expietur, ac compensetur injuria Deo facta.

Quid Ad Septimum sit dicendum, patet ex Resp. ad 2.

Ad Octavum, Negatur Antecedens. Ad Justitiam enim atque Pœnitentiam pertinet, quòd homo hominem à se offensum reconciliet eique satisfaciat.

Sequelam arg. noni negandam esse, patet ex dictis: quamquam sanctitas major non ex numero virtutum pensanda est, sed ex intensione.

Ad Decimum Resp. virtutem per se non habere delectationem de suo objecto, sed de suo actu. Quamvis autem Pœnitentia doleat de peccatis quæ sunt sua objecta; delectatur tamen de suo actu, quia gaudet se dolere. Vide B. Th. q. 7. de virt. quæ est de spe, ar. 1. ad 14.

*Virtus per se delectationem de suo objecto, non de suo actu.*

Ad Undecimum Resp. cum B. Th. in 4. d. 14. q. 1. a. 1. quod virtus Pœnitentiæ reducitur ad aliquam virtutum cardinalium, ut ar. 3. docebitur. Tamen Philosophi de ea virtute mentionem non fecerunt, quia remissio seu expiatio peccati pertinet ad providentiam Dei de humanis actibus in quantum culpa offenditur, & Pœnitentia placatur. Philosophi autem non consideraverunt virtutes dirigentes in humanis actibus prout ad Dei providentiam ordinantur; sed prout ordinantur ad bonum humanum.

*Suo actu non delectatur.*

Ad Postremum, Neg. Cons. quia non quælibet virtus fugit suum contrarium sub ea ratione quâ Pœnitentia: quatenus nimirum est destruendum, & emendabile per proprium actum hominis cooperantis Deo; qui est placandus, & cujus injuria est compensanda.

Nec obstat, quod omnis virtus expellat vitium sibi oppositum formaliter. Quemadmodum enim loquitur S. Doctor in 4. d. 14 q. 1. ar. 1. quæstiun. 3. ad 1. Omnis virtus expellit peccatum oppositum formaliter quantum ad suum actum primum, qui est informare subjectum: sed quantum ad actũ secundum, qui est operatio: non omnis virtus principaliter & per se ordinatur ad expellendum peccatum, aut ad placandum Deum, compensandamque injuriam illi factam. Charitatis verbi gratia, Spes, Temperantia &c. expellunt formaliter odium, desperationem, intemperantiam quatenus informant subjectum: actus tamen illarum, per se non diriguntur ad peccata expellenda, ad reconciliandum sibi Deum, & ad compensandam injuriam ei factam, sicut actus Pœnitentiæ virtutis, contritio, confessio satisfactio.

*Tacita ob. solvitur.*

Si Dicas, voluntatem compensandi posse procedere à charitate. Resp. charitatem posse imperare talem actum, eò quod ejus sit diligere Deum, ac sibi displicere quod sit offensus: displicentia tamen, cum intentione expiandi, delendi, & compensandi, elicitur à Pœnitentia, estque propterea actus Poenitentiæ internus & elicitus. Unde in resp. ad 1. & 2. egregiè distinguit, quo modo dolere de peccato sit immediatè charitatis, & immediatè nihilominus ad Poenitentiam pertineat: est charitatis immediatè, dolere de peccato, ut est offensivum Dei & Deo injuriosum, sicut etiam est charitatis gaudere de omni bono Dei: Sed Poenitentiæ est

*Ob. Resp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



dolere de peccato cum voluntate sic illud abolendi, ut etiam intendat compensare injuriam Deo per illud illatam.

## QUÆRI POTEST I.

### *Vtrùm Pœnitentia sit virtus acquisita an infusa.*

*Pœnitentia est virtus infusa.*

RESP. esse infusam. Quamvis enim aliquis dolor seu aliqua Pœnitentia de peccato possit ex naturæ viribus elici, possitque ex pluribus ejusmodi actibus generari aliquis habitus, quemadmodum tradunt Rich. in 4. d. 14. ar. 4. q. 1. & Nugn. præsentis q. ar. 2. ea tamen Pœnitentia de quâ nos Christiani loquimur & loqui solemus, quæ nimirum ordinatur ad Deum placandum, & ad peccati, quo ipsum offendimus, remissionem consequendam; & quantum ad suos actus non sine Dei gratiâ peculiari potest haberi; &. quantum ad habitum, non sine divina infusione.

PROB. PRIMÒ, quia Pœnitentia sic considerata respicit Deum ut finem supernaturalem: ergo excedit vires naturæ.

PROB. SECUNDÒ, Scriptura disertè docet Pœnitentiam divinitùs donari. Jere. 31. *Converte me Domine, & convertar, quia tu Dominus Deus meus: Postquam enim convertisti me, egi Pœnitentiam.* Act. 5. Christus dicitur à Deo exaltatus *ad dandam Pœnitentiam Israël.* Et c. 11. legitur quod *Et gentibus dedit Deus Pœnitentiam ad vitam.*

PROB. TERTIÒ, Legitima dispositio ad gratiam non potest haberi sine gratiâ, ut patet ex 1. 2. q. 109. a. 6. Sed actus Pœnitentiæ sunt legitima dispositio ad gratiam: ergo non possunt fieri sine gratiâ.

Confirm. Conc. Trid. sess. 6. can. 3. anathemate ferit illum qui dixerit sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.

Accedit, quod B. Tho. in 4. d. 14. art. 1. quæst. 2. Pœnitentiam secundùm quod est virtus vocat habitum infusum: quibus conformiter loquitur hujus qu. ar. 6.

In Resp. ad 3. articuli secundi, docet B. Tho. Pœnitentiam non directè opponi singulis peccatis in particulari; cùm ipsa non singula peccata expellat formaliter sed solam impœnitentiam; omnis autem virtus formaliter expellat vitium contrarium. Addit tamen Pœnitentiam valere ad expulsionem omnis peccati, sed effectivè. Nec obstat, quod dispositio ut talis, pertineat ad causam materialem: Actus enim Pœnitentiæ, cùm sit pars Sacramenti, disponit per modum instrumenti, ac propterea sortitur vim effectivam, sicut calor in aquâ calefactâ. Horum occasione

## QUÆRITUR II.

### *Vtrùm effectus Sacramenti Pœnitentiæ conferatur effectivè per solam Sacerdotis absolutionem, ita ut actus pœnitentis solùm se habeat ad illum dispositivè.*

VIDERI enim potest quod sic. PRIMÒ, quia effectus huic Sacramenti proprius datur per claves Ecclesiæ & per potestatem jurisdictionis; hæc autem in Sacerdote tantùm residet, & non in pœnitente in quantum hujusmodi: ergo actus poenitentis non conferunt effectum illum efficienter.

SECUNDÒ, Non potest dici quod poenitens sibi-ipsi per suos actus remittat peccata; sequeretur autem hoc esse dicendum, si ejus actus non solùm essent dispositio ad effectum Sacramenti, sed etiam effectivè illum causarent: Imò etiam sequeretur quod sibi ministrarent Sacramentum Poenitentiæ.

TERTIÒ, Tota significatio hujus Sacramenti posita est in his verbis, *Absolvo te*: Cùm ergo Sacramenta efficiant id quod significant, tota etiam efficacia est ex formâ.

*Resp. neg.*

RESP. Actus poenitentis quatenus sunt hujus Sacramenti materia, non solùm habere se dispositivè ad effectum hujus Sacramenti proprium; atque adeò illum non conferri effectivè per solam Sacerdotis absolutionem, sed etiam per actus poenitentis. Ita Ledesma dicens esse sententiam communem c. 1. de Poenit. & Suar. disp. 18. sect. 2. cum multis alijs.

PROB. PRIMÒ, quia Conc. Trid. sess. 14. c. 3. loquens de vi effectiva quam habet hoc Sacramentum dicit, quod *ejus vis præcipuè sita est in illis verbis ministri: Ego te absolvo* &c. ergo supponit aliquam etsi non præcipuam vim sitam esse in materia. Quibus conformiter ante scripsit S. Doct. q. 86. a. 6. quòd *remissio culpæ est effectus Pœnitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium quas habent ministri, ex quorum potestate accipitur id quod est formale in hoc Sacramento; secundario autem ex vi actuũ Pœnitentiæ, pertinentium ad virtutem Pœnitentiæ; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ.*

PROB. SECUNDÒ, Significatio hujus Sacramenti licet principaliter cõsistat in verbis formæ, nihilominus etiam sita est in actibus poenitentis: sed Sacramenta efficiunt id quod significant: ergo actus illi efficiunt remissionem quam significant. Ant. ita expressit B. Th. q. 84. ar. 1. *Manifestum est quod in Pœnitentia ita res gesta sit, quod aliquid sanctum significatur tam ex parte peccatoris pœnitentis, quam ex parte Sacerdotis absolventis* &c.

PROB. TERTIÒ, In Baptismo & Confirmatione aqua & Chrisma prout assumuntur à ministro, causant gratiam instrumentaliter; ergo etiam actus poenitentis in hoc Sacramento; nam & hi sunt materia hujus Sacramenti.

*Actus pœnitentis ut se habeant dispositivè & effectivè.*

Pro solutionibus argumentorum observandum quod actus poenitentis dupliciter possint considerari. Uno modo, secundùm se: Alio modo, secundùm quod simul cum formâ constituunt unum totum quod est Sacramentum Poenitentiæ.

Juxta priorem considerationem illi actus tantùm se habent dispositivè ad gratiam, & ad remissionem peccatorum.

Juxta posteriorem ad illos effectus se habent effectivè, sicut totum Sacramentum effectivè valet ad proprium suum effectum.

Quibus præmissis AD ARG. RESP. Neg. Conf. quoniam virtus remissiva peccati sic est principaliter sita in verbis formæ quæ Sacerdos profert, ut ab illis derivetur & communicetur actibus poenitentis, quatenus ex ipsis simul cum forma unum Sacramentum constituitur, idque efficax remissionis & gratiæ quam significat.

AD 2. Neg. utraque Sequela; quia poenitens non est minister Sacramenti; solus autem minister Sacramentum ministrat & remissionem peccatorum



rum gratiamque sacramentalem confert. Quamvis ergo actus pœnitentis effectivè se habeant ad effectum Sacramenti, quia tamen hoc non habent nisi quatenus conjunguntur formæ & ab ea quodammodo elevantur, ideò effectus non est tribuendus poenitenti tanquam causæ efficienti, sed illi qui formam pronuntiat, hoc est, sacerdoti legitimo ministro. Quomodo in Sacramento Ordinis actus suscipientis (contractus scilicet) est materia Sacramenti, valetque ad effectum ejus aliquo modo efficienter; neque tamen est ipse recipiens qui Sacramentum vel Sacramenti gratiam confert, sed minister Ordinis.

AD 3. Antecedens falsitas manifesta est ex iis quæ ad probationem 2. adduximus.

## QUÆRITUR III.

### *Vtrùm non solum contritio, & confessio gratiam conferant, sed etiam satisfactio.*

VIDETUR quod illæ solæ. PRIMÒ, quia satisfactio non est simul cum Sacramento, sed postea demum impletur: Sacramentum autem Poenitentiæ gratiam tunc confert quando impenditur sacramentalis absolutio: quia tunc Sacramentum perficitur.

SECUNDÒ, si satisfactio causaret gratiam, sequeretur quod implens poenitentiam injunctam extra statum gratiæ, peccet mortaliter, quia sic implendo ponit obicem gratiæ quæ est effectus satisfactionis.

TERTIÒ, in sumptione calicis non confertur (ut probabile esse dicebamus q. 80. art. 12. quæsito 2.) gratia distincta ab illa quæ recepta fuit in sumptione speciei panis: ergo nec in satisfactione recipitur nova gratia.

Pro responsione sit

### CONCLUSIO I.

SATISFACTIO sacramentalis habet aliquem effectum ex opere operato; quia alioquin non plus haberet efficaciæ; quam satisfactio non sacramentalis.

Confirmatur, talis satisfactio procedit ex potestate clavium ligandi & remittendi peccata, quæ est in sacerdotibus: ergo juxta Christi institutionem ordinatur ad aliquem effectum, ac per consequens eum etiam habet ex vi istius institutionis, quod est habere ex opere operato.

Idem significat Concil. Trid. sess. 14. c. 3. ubi dicit, quod *hi actus Contritio, Confessio, & Satisfactio ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur.* Inde enim sequitur quod omnes illi actus ex opere operato valeant ad plenam & perfectam remissionem peccatorum; ac per consequens etiam satisfactio.

*Satisfactio valet ex opere operato ad remissionem pœnæ.*

### CONCLUSIO II.

CERTUM est quod satisfactio sacramentalis valet ex opere operato ad alicujus poenæ post culpam deletam restantis remissionem præter eam quæ respondere posset operi considerato ut quidem est bonum, sed non procedens ex vi clavium. Ita B. Tho. quodlib. 3. art. 28. *Cum satisfactio*, inquit, *a sacerdote absolutè injuncta, sit pars Poenitentiæ manifestum est quod in ea operatur vis clavium, ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quã si proprio arbitrio homo faceret idem opus.* Atque ut necesse non sit multos recensere, hæc est communis sententia: & probari potest, quoniam satisfactio sacramentalis & illum effectum maximè significat, & ad eum conferendum principaliter est à Christo instituta: ergo ad illum valet ex Christi institutione, & ex vi clavium.

*Et etiã ad gratiam aliquam.*

### CONCLUSIO III.

PROBABILE est satisfactionem sacramentalem quando actualiter impletur, habere vim causandi aliquem novum gradum gratiæ, & de facto illum causare in subjecto disposito. Id significat B. Tho. q. 9. ar. 2. ad 2. his verbis *satisfactio confert gratiam prout est in proposito, & auget eam prout est in executione.* Hanc sententiam clarè asserunt Sotus in 4. d. 17. q. 1. art. 2. Cajet. & Nugnus super q. 90. Petrus Ledesma c. 1. de Poenitentia, Suarez disp. 38. sect. 2. quia satisfactio à confessario injuncta tunc quando actualiter impletur, est pars Sacramenti à Christo instituti ad significandam & causandam gratiam: ergo sicut contritio & confessio gratiam sacramentalem producunt in quantum uniuntur seu conjunguntur formæ absolutionis, & ex eis simul junctis unum Sacramentum constituitur: ita quoque satisfactio aliquem gratiæ gradum producit per habitudinem quam dicit ad absolutionem & ad usum potestatis clavium, quandoquidem satisfactio etsi non sit essentialis, ita tamen est pars integralis, ut ipsa dum expletur, unâ cum reliquis partibus præcedentibus unum completum & integrum Sacramentum constituat.

Confirmatur, Satisfactio ex sua institutione non solum ordinatur ad remissionem poenæ, sed etiam ad curationem & medicinam spiritualem; hæc autem curatio habetur per gratiam & gratiæ auxilia.

AD 1. ARG. RESP. Sacramentum Poenitentiæ tunc conferre gratiam sibi propriam, & quasi essentialem, per quam scilicet peccata remittuntur, quando essentialiter completur; quod est quando contrito & confessio sacramentalis absolutio impenditur. Nihilominus alius gratiæ gradus conferri potest, quando idem Sacramentum etiam integraliter perficitur: quod est quando injuncta satisfactio impletur: quia illa pars etsi tempore distet à reliquis; moraliter tamen eis quodam modo conjungitur, cum & ordinem dicat ad illos, & ex ipsa simul cum alijs partibus unum Sacramentum integretur.

AD 2. Neg. Sequela, quia talis non ponit obicem isti gratiæ quæ est præcipuus effectus Sacramenti, sed tantum illi quæ est secundarius.

AD 3. Neg. Conseq. propter diversitatem rationis. Quod enim species vini quæ habent vim causativam gratiæ, non conferant novum aliquem ejus gradum, quando immediatè ante, gratia fuit collata in sumptione speciei panis; ideo est, quia totalis virtus istius Sacramenti (qui est Christus) continetur sub qualibet specie; & ea species quæ primò sumpta est, per illam virtutem contulit gratiam Sacramenti isti propriam; non tota autem virtus Sacramenti Poenitentiæ continetur sub qualibet ejus parte; sed completè sub omnibus simul, & partialiter sub singulis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS III.

*Pœnitentia est species justitiæ.*

ART. 3. docet Pœnitentiam esse speciem justitiæ; quia sortitur rationem virtutis, quatenus homo dolens de peccato admisso, intendit seipsum castigare & injuriam Deo factam vindicare seu compensare. Cùm autem ad justitiam commutativam pertineat, facere compensationem inter partes, commutando unum pro altero, & in Pœnitentia reponatur punitio pro offensa; hinc est quod ad commutativam pertineat, non quæ consistat in perfectâ æqualitate (cum propter excellentiam personæ offensæ non possimus rependere æquale) sed qualis constitui potest inter patrem & filium, dominum & servum. Unde sequitur Pœnitentiam esse partem justitiæ potentialem, & ad eam reduci, sicut imperfectum ad perfectum. *Partes* enim *potentiales alicujus virtutis, dicuntur virtutes adjunctæ quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis.* Secundo secundæ quæstione 48. Confer ejusdem partis quæstionem 80. art. 1. ad primum.

*Quare Pœnitentia non sit virtus Theologica.*

Ex his manifestum est Poenitentiam esse virtutem moralem. Quare non sit virtus Theologica, rationem dat in resp. ad 1. sicut etiam in 4. d. 14. art. 1. quæstiuncula 4. quia non habet Deum pro objecto vel materia, sed actus humanos: Ille etiam ad quem est justitia, non est objectum vel materia justitiæ; ut emptor non est objectum justitiæ venditionis, sed res illæ quæ emendo, & vendendo commutantur; ipsæque commutationes, Deus autem est is ad quem actus poenitentis referuntur tanquam ad personam læsam, ac etiam est finis in quem diriguntur ut per eos poenitens reconcilietur Deo, sed non est illorum actuum materia vel objectum.

Pro Resp. ad 2. Neg. Min. Quamvis enim Pœnitentia importet magnum dolorem, consistit tamen in medio; non quod sicut Temperantia quasdam delectationes amplectitur & alias rejicit, ita Poenitentia de quibusdam peccatis doleat & non de alijs; sed quia de omnibus peccatis tristatur ac dolet, compensationemque intendit secundùm dictamen rectæ rationis & secundùm quod est sibi possibile. Medium enim justitiæ accipitur per adæquationem perfectam, si sit perfecta, justitia; imperfectam, si fit imperfecta: Hæc autem adæquatio in justitia commutativa fit, quando ab eo qui plus habuit aliquid aufertur, & ei qui minus habuit, aliquid additur: Ille autem qui alium offendit, plus habuit in quantum propria voluntate usus est, ubi non poterat; & qui fuit offensus, habuit minus, in quantum ei subtractum est quod ei debebatur: Ideo in justitia vindicativa cum ad commutativam pertineat, subtrahitur aliquid ei qui offendit, suæ scilicet voluntatis complacentia & desiderium, dum vel sibi ipsi pœnam infert sicut in Pœnitentia, vel ab alio irrogatur, sicut in vindicativa quæ fit per judicem; & datur aliquid offenso, scilicet honor & satisfactio.

*Pœnitentia ut in medio consistat.*

ARTICULUS IV.

*Pœnitentia est in voluntate.*

ART. 4. docet Pœnitentiam, de qua nunc disseritur & de qua loquuntur Christiani, cum sit virtus ad justitiam pertinens, subjectari in voluntate, quia justitia in voluntate subjectatur, unde fit consequens quod dolor qui in poenitente necessarius est, debet esse in appetitu rationali, non necessariò in sensitivo. Quamvis autem & dolor sensitivus quando conjungitur rationali bonus sit, non est tamen ipsa Poenitentia, sicut dolor qui est in voluntate, sed ejus comes ac signum.

Porrò, cum ex frequentatione actuum oriri soleant habitus: probabile est, dum ex forti seu intenso dolore appetitus rationalis, commovetur sensitivus ad suo modo dolendum; quod ex frequentatione hujus doloris nascatur in parte sensitiva quædam proclivitas quæ vocari potest habitus acquisitus, sed non assequitur rationem virtutis Poenitentiæ, cum hæc respiciat bonum spirituale, scilicet Deum, ut qui offensus fuit, placetur, injuriaque ipsi illata compensetur; iste verò, bonum sensibili.

De subjecto remoto seu suppositо Poenitentiæ, *Pœnitentia non fuit in Christo, nec in Angelis.* quæri potest. Habitus ejus non fuit in Christo, ut quæstione septima articulo secundo diximus, quià Christus erat impeccabilis. Neque etiam fuit in Angelis. Cùm enim non posset eis competere materia Poenitentiæ, quæ est peccatum ut remissibile vel expiabile; non aderat eis potentia exeundi in actum, & ideo nec habitus eis conveniebat, ait Author in 4. dist. 14. quæstione prima articulo tertio fin. conformiter Damasceno lib. 2. de fide c. 3. In B. Virgine non est ratio negandi habitum, qua licèt nunquam peccaverit actualiter, poterat tamen (præsertim ante conceptionem filij) peccare, si non fuisset præservata. Et omnino dicendum est, quod omnibus puris viatoribus quando justificantur, simul cum virtutibus Theologicis infundatur habitus Poenitentiæ, quia sunt in illo statu in quo possunt peccare. Hic autem habitus, etsi non habeat in patria actum dolendi, manet tamen in beatis, secundum actum displicentiæ peccatorum & actionis gratiarum pro misericordia præstita, gaudentque quod suo tempore doluerint. Vide B. Thomam dicto ar. 3. quarti Senten. Paludanum in quartum distinctione 14. q. 4. Dominicum Soto & alios. *Est in omnibus hominibus qui sunt puri viatores quando justificantur. Manet in beatis habitus Pœnitentiæ.*

ARTICULUS V.

*Vtrùm principium Pœnitentiæ sit ex timore?*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia B. Thomas inter gradus Pœnitentiam præcedentes, ponit operationem Dei & motum fidei, ante timorem servilem.

SECUNDÒ, Timor servilis non est præparatio ad justificationem; ergo nec principium Poenitentiæ. Antecedens probatur, quia non excludit voluntatem peccandi. *Vivit enim peccandi voluntas*, ait Augustin. concione 25. in Psal. 118. *quæ tunc apparet in opere, quando operatur impunitas.*

TERTIÒ, Inordinatum est ac proinde malum, magis timere poenam, quàm culpam.

QUARTÒ, Talis dolor ex servili timore conceptus, non est liber & voluntarius, sed coactus, &, cum nitamur in vetitum, potiùs auget peccatum.

QUINTÒ, Non est, verus, sed simulatus, non enim concipitur ex animo, & syncerè; cùm non procedat ex charitate.

SEXTÒ, multò melius est convertere se ad virtutis & sanctitatis pulchritudinem, quàm ad peccatorum fœditatem, multitudinem, aut poenas.

RESPONSIO certa est, Poenitentiam, si pro habitu intelligatur, à solo Deo infundi, nobis ipsum



sum non efficientibus, sed solùm dispositivè cooperantibus: si autem pro actu, principium ejus esse ex timore.

*Initium Pœnitentiæ est ex timore.*

PRIUS patet, quia ipsum virtutis habitum homo non efficit nec sibi infundit ne quidem adjutus à Deo, sed solùm per actus aliquos ope divinæ gratiæ factos, ad eum se præparat, ac infusioni consentit.

Quoad POSTERIUS: quamvis non sit difficile Deo perfectam conversionem & Pœnitentiæ actum in instanti producere, secundùm ea quæ habet Author 1. 2. quæstione 112. articulo secundo, ad 2. ordinariè tamen id non facit, sed paulatim & per gradus quosdam procedit, qui sex numero hic recensentur, conformiter ad ea quæ postmodum declaravit Synod. Tridentina sessionis sextæ c. 6.

*Diversi gradus ad remissionem peccatorũ.*

*Primus*, est operatio Dei convertentis cor ut homo velit credere his quæ divinitùs revelata sunt, juxta illud Thren. ult. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Et 31. Jerem. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.* Et Ezech. 6. *Contrivi cor eorum fornicans & recedens a me.*

*Secundus*, est actus fidei: *Accedentem* enim *ad Deum oportet credere*, ad Hebr. 11.

*Tertius*, est timor pœnarum, quando scil. metu suppliciorum à peccato quispiam retrahitur.

*Quartus*, actus spei, juxta illud Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

*Quintus*, est actus charitatis vel dilectionis, *quo peccatũ alicui displicet non propter supplicia, sed propter seipsum*; ut hic B. Th. dicit; *& quo peccator Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipit.*

*Sextus*, est motus timoris filialis, qui exprimitur in filio prodigo dicente; *Iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenarijs tuis*: significat enim se esse paratum subire satisfactionem pro patris arbitrio, modò non rejiciatur ab ipsius gratiâ.

Istorum graduum ita meminit Conc. Trid. ss. 6. Primi quidem, partim c. 5. cùm declarat *Exordium justificationis in adultis à Deo per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse*, partim cùm c. 6. dicit; *Disponuntur autem ad istam justitiam dum excitati divina gratia adjuti.*

Secundi, cùm addit *fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitùs revelata & promissa sunt* &c.

Tertij, dicens *dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore utiliter concutiuntur.*

Quarti, cùm ait, *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.*

Quinti, cùm addit *illumq; tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.*

Sexti, cùm prosequitur, *Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante Baptismum* (de illa enim ibi sermo est) *agi oportet: deniq; dum proponunt suscipere Baptismum: inchoare novã vitam, & servare divina mandata.* Hæc enim omnia ad timorem filialem rectè intelligi possunt pertinere.

Porrò, hi gradus non semper omnes interveniunt expresse & eodem ordine: sed sæpe virtute tantùm: ita ut nulla sit vera Pœnitentia quæ non habeat fidem, timorem, spem, & aliquam veram ac sinceram Dei dilectionem, saltem virtualiter. Interdum etiam, unus movetur ad conversionem intuitu mercedis æternæ; alter, consideratione bonitatis Dei: alius metu pœnarum. Sed quia Deus, qui suaviter omnia disponit, homines vocat convenienter suæ naturæ & dispositioni; peccatores autem delectationibus corporalibus assueti, ut plurimùm trahuntur timore pœnarum: hinc est quod communiorem modum perveniendi ad perfectam Pœnitentiam ponat B. Th. cum qui dictus est initium habere à timore pœnarum. Intelligendum autem esse de eo quod communius & ordinariè accidit, patet ex 4. d. 14. q. 1. articulo 2. quæstiunc. 1 atq; etiam ex hoc ipso ar. ad 1. ubi dicens, *quod peccatum prius incipit homini displicere propter supplicia*, addit, *maximè peccatori*; tacitè indicans illi qui etsi peccaverit, non consuevit tamen graviter peccare; vel peccatis adhærere, peccatum possit aliquando prius displicere propter Dei offensam, vel propter peccati turpitudinem.

*Explicatur textus.*

AD 1. ARGUMENTUM RESP. licet timorem servilem præcedat operatio Dei prævenientis, & motus fidei, rectè tamen dicitur quod principium Pœnitentiæ sit ex timore, quia inter eos actus voluntatis ad quos voluntas seipsam movet, primus est actus timoris: motus enim fidei pertinet ad intellectum, actus autem quo Deo prævenienti consentitur, etsi sit voluntatis, & quidem liberè agentis, ad eum tamen voluntas se non movet, alio scil. quopiam priore motu, quasi imperante hunc actum, sed tantùm elicit ipsum: B. autem Thomas ponens timorem servilem, esse principium Poenitentiæ, considerat principium à quo tanquam primo actu voluntatis seipsam moventis, procedit actus Pœnitentiæ; ut colligitur ex fin. Corp. ubi dicit, *quod actus Pœnitentiæ a timore servili procedit, sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato.* Et conformiter in resp. ad 3. *Ipse etiam motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor* &c. *& ideò per hoc quod Pœnitentia a timore procedit, non excluditur quin procedat ex actu Dei convertentis cor.*

*Timor servilis, varius.*

AD 2. distinguendus est timor servilis. Unus est quo sic poena timetur, ut propter eam abstineat quis à peccatis quoad externum opus: retineat tamen ipsam malè agendi voluntatem. Alter est, quando etiam ipsa peccandi voluntas coërcetur metu poenarum. De priore loquitur Aug. loco in objectione citato: de posteriore idem in Psal. 138. Uterque est hâc ratione bonus, quod impediat externum opus peccati; prior tamen, cùm non excludat voluntatem peccandi, neque est præparatio ad justificationem, neque principium Pœnitentiæ, sed solus posterior; qui hominem disponit ad reconciliationem, modò sit cùm spe veniæ. De hoc loquitur Author, & post eum Synod. Tridentina sessione 6. c. 6. dicens, peccatores à divinæ justitiæ timore utiliter concuti; & sess. 14. c. 4. Ubi *declarat* eum *non solum non facere hominũ hypocritam & magis peccatorum; verum etiam donum Dei esse & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis.* Quod verissimum esse potest ex Scriptura probari. Nam cùm dicitur, ad Rom. 8. *Non accepistis Spiritum servitutis iterum in timore*, manifestè significatur quod Hebræi spiritum illum servitutis, quo Deum ut vindicem timebant, à Deo acceperant. Hinc & exigitur Luc. 12. *Timete eum qui post quam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam*; & Psal. 118. *A judicijs tuis timui.*

AD 3. etsi inordinatum sit magis timere pœnam quam culpam; non tamen est inordinatum timere poenam, cùm poenâ sit quoddam malum, & timoris objectum. Quare licet ille timor malus

quo

Universidad de Deusto
Biblioteca



quo pœna timetur ut sumptum malum peccato A gravius, ille tamen, quò simpliciter timetur pœna, non est malus. Vide quæ diximus 2. 2. q. 19. ar. 4.

Ad 4. Neg. utraque sumptio, ut enim habet B. Thom. 1. 2. quæstione 6. articulo sexto, quæ per metum fiunt, etsi quadantenus involuntaria sint, sunt tamen simpliciter voluntaria. Neque tamen, si timor esset coactus propterea malus esset: cùm rationi rectè congruum sit, timere malum, & quidem summum. Quod autem nitamur invetitum, non oritur ex timore pœnarum, sed ex corruptione voluntatis, quæ per peccatum corrupta, ex bono sumit occasionem mali: sicut quod ægroti magis appetant quæ sibi sunt noxia B non provenit ex prohibitione medici, aut ex denuntiatione periculi: sed ex corruptis in corpore humoribus, & ex appetitu sensitivo sequente corporis affectionem.

Ad 5. Resp. timorem servilem, etsi non procedat ex charitate, posse tamen esse serium, verum ac sincerum, talisque est is qui ponitur principium Pœnitentiæ.

Ad 6. Non quia illud est melius, ideò hoc malum. Sed præterea, non qualicunque homini illud magis congruit. Qui enim in profundo jacens peccatorum, induit pravam peccandi consuetudinem non statim capitur pulchritudine virtutis, quantumvis illi deprædicetur. *Animalis homo*, inquit Apost. 1. ad Cor. 2. *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Unde Christo liberalitatem commendante, *Audiebant*, inquit Lucas c. 16. *omnia hæc Pharisæi qui erant avari; & deridebant eum.* Vide Greg. ho. 34. in Evangelia, & August. tract. 9. in 1. epistol. Joannis.

Horum meminerint animarum curatores, ut ijs qui facilè relabuntur aut diu in peccatis jacent, terrorem æternæ gehennæ potiùs injiciant, quàm eo prætermisso, eos tantùm ad amorem virtutis cohortentur.

## Articulus VI.

*Pœnitentia non est prima virtutum.*

Art. 6. docet Pœnitentiam non esse primam D virtutum; neque ordine temporis, quia simul infunduntur; neque ordine naturæ, quia pœnitentiæ præsupponuntur actus fidei & spei: Nemo enim inclinatur ad agendam pœnitentiam, nisi credat, ac speret se posse veniam consequi. Præsupponitur etiam virtus charitatis seu dilectionis, quia Charitas, Deum respicit secundùm quod in se est summum bonum; Pœnitentia, solùm supposito peccato, quatenus Deo debetur compensatio pro injuriâ: quod autem est per se, prius est eo quod est per accidens, vel ex suppositione. Quâ ratione, etsi Pœnitentia secundùm ordinem naturæ, posterior sit actibus aliarum virtutum moralium quæ per se ad hominis bo- E num pertinent; cùm hæc solùm ordinetur ex suppositione: actus tamen ejus non rarò est tempore prior; quia prius est Deo reconciliari, quàm alijs virtutibus incumbere.



## Quæstio LXXXVI.

# *De effectu Pœnitentiæ quoad remissionem peccatorum mortalium.*

## Articulus I.

*Virùm per Pœnitentiam omnia peccata auferantur?*

Videtur quod non. Primò, quia 1. Reg. 2. significatur quod peccatum directè in Deum commissum sit irremissibile. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest* Deus: *Si autem in Deum peccaverit; quis orabit pro eo?*

Secundò, Sapientia Proverb. 1. dicit, *Tunc invocabunt me, & non exaudiam*: & Dominus Hierem. 14. *Cum jejunaverint non exaudiam preces eorum.*

Tertiò, Filij Israël *clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.* Ps. 17.

Quartò, Hieremiæ 7. & 15. Deus non vult orari pro peccatis filiorum Israël; dicitque quod non exaudiet, etiamsi Hieremias, Moyses, & Samuel orent.

Quintò, *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum*, Isai. 22.

Sextò, *Super tribus sceleribus* &c. *& super quatuor non convertam eos*, Amos 1. & 2. C

Septimò, Blasphemia Spiritus Matth. 12. dicitur esse irremissibilis: similiter ad Hebr. 6. & 10. peccatum apostasiæ.

Octavò, Esau *non invenit poenitentiæ locum quâquam cum lachrymis inquisisset eam*, ad Hebr. 12.

Postremò, peccatum ad mortem tam grave est, ut 1. Joann. 5. dicatur non esse pro illo orandum.

*Nullum est in hac vita peccatũ quod non possit remitti per Pœnitentiam.*

Responsio ad fidem pertinens, est affirmativa; scil. per Pœnitentiam auferri omnia peccata, ita ut nullus sit tantus peccatorum numerus, neque ullum tam immane scelus, de quo non possit hîc agi pœnitentia, quodque per veram Pœnitentiam non possit remitti.

Probatur Primò, quia tolleretur alioquin libertas illa arbitrij, quæ in hominibus viatoribus est, non solùm ad malum, sed etiam ad bonum.

Secundò, derogaretur virtuti gratiæ divinæ per quam moveri potest cujuscumque hominis cor ad poenitendum.

Tertiò, Christus vocat ad se indifferenter omnes peccatores, non distinguens an gravia, & multa peccata habeant, an levia & pauca: *Venite ad me omnes qui laboratis*; Matth. 11. signum ergo est nullum esse peccatum, de quo vera Pœnitentia haberi non possit, & quod non sit per eam delebile.

Confirm. quia sine distinctione promissa est Apostolis potestas quæcunque solvendi, Matth. 18. & sine etiam distinctione data est ipsis potestas quæcumque peccata remittendi, Ioan. 20.

Quartò, sequeretur alioquin majorem esse aliquam iniquitatem, quàm Dei misericordiam.

Quintò, *Si fuerint peccata vestra ut coccinũ quasi nix dealbabuntur? & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*, Isai. 1. Et c. 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Ezechielis 18. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et plura tum ibi & c. 33. tùm Hieremiæ 3. 18. 25. Joëlis 2. Zach. 1. & alibi. Huc faciunt exempla eorum qui referuntur obtinuisse veniam, *Primi parentis*, Sap. 10. *Davidis*, 2. Reg. 12. *Achab*, 3. Reg. 21. *Manasse*, 2. Paralip. 33. *Occisorum Christi*, Act. 2.

Accedit quòd Deus sit benignissimus, *præstabilis super malitia*, Joëlis 2. & quod Christus *sit propitiatio pro peccatis totius mundi*, 1. Joannis 2.

Hinc Cyprianus lib. ad Demetrianum, *Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est. In isto adhuc mundo manenti, Pœnitentia nulla sera est: patet ad indulgentiam Dei aditus.* B

Et Chrysostomus epistola 5. *Tanta est Dei humanitas & erga nos amor; nunquam aversatur pœnitentiam sincerè factam. Si quis ad malitiæ fines olim penetrarit, illinc eum ad virtutis viam reducere conatur, & recipit redeuntem.*

Ac Postremò, Concilium Laterahense cap. *firmiter: si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit peccatum, per veram Pœnitentiam semper reparari potest.*

Non sequitur autem ex his, quòd omnibus peccatoribus, sive semper, sive aliquando detur auxilium quod de solo sit sufficiens ad pœnitendum. C

Primò, quia non est agnoscendi veri nominis gratia quæ non sit efficax ad eum effectum, ad quem est se sola sufficiens, ut 1. 2. q. 111. ar. 3. quæsito 3. videri potest.

Secundò, quia etiam illi qui nedum habent fidem, possunt agere Pœnitentiam; cum tamen nemo pœnitentiam agat sine fide: nam teste Augustino libro de prædestinatione Sanctorum capite 7. *Fides prima datur, ex qua impetrentur cetera.* De quibus quod habeant gratiam absolutè, & se sola, seu nullo alio ex parte Dei requisito, sufficientem, dici non potest; ob hoc argumentum. Nulla gratia quæ seorsim à fide reperitur, est absolutè sufficiens ad agendum: gratia si quam infideles, hæretici, vel D apostatæ habent, reperitur seorsim à fide: ergo non est absolutè sufficiens ad agendum. Dico ad agendum, quia ad posse agere, quo modo dici possint habere aliquam gratiam sufficientem in 1. 2. explicavimus.

Tertiò, quia pœnitentiam agere possunt, non solùm qui jam sunt facti participes gratiæ, sed etiam qui nec credunt nec credere volunt, sunt tamen in statu vertibilitatis ad bonum & malum: & hoc ideo, partim quia secundùm conditionem statûs possunt à Deo efficaciter præveniri, excitari, & moveri, qui est primus gradus ad agendam pœnitentiam; partim quia interdum habent quasdam intellectus & voluntatis motiones, quibus cum Dei E gratia possunt respondere & pœnitentiam agere, secundùm ea quæ dicta sunt 1. 2. quæst. 111. ar. 3.

Neque mirum videri cuipiam debet, quod dicimus eos posse agere pœnitentiam, quia possunt à Deo sic præveniri & moveri: Nam & B. Tho. q. 85. ar. 5. ponit primum principium Pœnitentiæ esse operationem Dei convertentis cor; & Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. similiter loquitur, *Disponuntur* (inquit) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum*: Notumq; est in religione Catholica, nihil boni salutaris nos posse vel incipere vel agere, absque Dei gratia præveniente. Vide epistolam Cælestini Papæ ad Galliarum episc. c. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Conc. 2. Arausic. can. 3. 4. 5. 6. 7. 13. 14. Conc. Trid. sess. 6. c. 5 & can. 3. ubi anathemate feritur qui dixerit sine præveniente Spiritûs S. inspiratione atque adjutorio hominem pœnitere posse sicut oportet.

Ad 1. Arg. Respondeo negando assumptum. Istis enim verbis voluit Heli ostendere multò graviora esse, ac propterea difficiliùs remitti, peccata quæ directè contra Deum fiunt, quàm quæ contra homines. Ac proinde quando dicit, *quis orabit?* non significat quòd nullus; sed quærit, quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quia non est cujusvis, sed magni alicujus amici. *Singularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccavit in Dominum* ait Ambrosius lib. de Pœnitentia, ca. 8. quia quò major culpa, eò majora sunt quærenda suffragia. Sicut qui principem immediatè læsit, non tam facilè inveniet qui pro se roget, saltem efficaciter, quàm is qui privatum læsit.

Ad 2. Vocula *tunc*, significat tempus futuræ vitæ: præcedit enim, *Ego quoque in interitu vestro ridebo* &c. In futurâ autem vitâ, non est locus veræ Pœnitentiæ; quantumvis damnati optent non admissa esse illa peccata propter quæ puniuntur: non enim dolent de illis, in quantum sunt culpæ, sed *solum dispicet eis pœna quam patiuntur*, ait B. Thomas hîc in corp. Si vitam præsentem referre placet, sensus est quòd qui Dei vocationes & monitiones contemnunt, subindè in calamitates magnas subitò cadunt, in quibus Deum invocant & non exaudiuntur, sed ad eos habet se Deus sicut si ipsos rideret ac subsannaret, partim eos negligendo, partim alijs ridiculos exhibendo; non quod pie invocantes Deus spernat, sed quoniam illi non ex pietate & vera humilitate, sinceraque Poenitentia Deum invocant.

Illi de quibus sermo est Hierem. 7. 14. & 15. & Psal. 17. non verè poenitebant, sed retinebant voluntatem peccandi: prædicitur autem non exaudienda oratio, non quæ fieret pro conversione cordis eorum; sed quæ pro aversione poenarum temporalium, Et sic patet Responsio ad 3. & 4.

Ad 5. Hoc dicitur de illis quos præsciebat Deus morituros sine pœnitentiâ illius sceleris, quo modo Joannis octavo, Christus dicebat Judæis: *Moriemini in peccatis vestris.*

Ad 6. Non significatur illis verbis quod quarto scelere perpetrato, Deus sit recusaturus veniam pœnitenti: sed quòd qui peccata peccatis accumulant, nec poenitentiam agunt, experturi sunt divinam vindictam, etiam in hoc sæculo. Vide Hieronymum & Theodoretum.

Ad 7. de locis ad Hebræos 6. & 12. sufficienter diximus ar. 1. q. 84.

De peccato autem in Spiritum sanctum quale erat blasphemia, quæ Judæi opera, virtute Spiritûs sancti facta, diabolo attribuebant, veritatemque fidei satis revelatam impugnabant; dicendum est non vocari irremissibile, quasi nullo modo possit remitti; sed partim quia longè difficilius remittitur quàm alia; partim quia, ut plurimum ac ordinariè illi qui tale peccatum admittunt, ejus varias rationes. *Matth. 12. Pec. cat. in Spirit. S. ut dicatur irremissibile.*

*Primò*, quia rarum est quod tales veram agant Poenitentiam, Deo scilicet per justum suum judicium non inspirante ipsis donum Pœnitentiæ.

*Secundò*,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Secundò*, quia cum illud peccatum committatur A ex certâ malitiâ, nihil omnino est quod aliquatenus culpam excusare possit: sicut in alijs nonnihil eam extenuant ignorantia vel infirmitas.

*Tertiò*, quia taliter peccans directè aversatur id quo deberet curari. Sicut ergo morbus qui ejusmodi est, ut juxta consuetam medicorum operam curari nequeat, dicitur incurabilis, præsertim si medicinam ægrotus respuat; sic peccatum in Spiritum sanctum, vocatur irremissibile. Cùm hoc tamen consistit quod qui sic peccaverunt, per singularem Dei misericordia, aliquando accipiant donum Pœnitentiæ, & sic veniam consequantur: Credibile est enim ex Judæis qui dixerant Christum in Beelzebub ejicere dæmonia, nonnullos Petri prædicatione ad fidem conversos fuisse, ut anno- B tat Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 4. Sed & Stephanus pro suis persecutoribus, quos dixerat Spiritui sancto resistere, oravit, utique cum fiducia impetrandi.

Hanc expositionẽ confirmat, quod apud Evangelistas præcedit de peccato in Filium hominis commisso. Si enim quando dicitur, *Omne illud remittetur hominibus*, non potest significari, quod omnibus & semper de facto remittatur, cùm constet multos eorum qui in Filium hominis peccaverunt, mori impœnitentes & damnari, sed solùm quod facilè, & secundùm ordinariam divinæ providentiæ regulam, quâ Deus ut plurimùm inspirat C ejusmodi peccatoribus donum Pœnitentiæ: pars adversa, similiter est intelligenda significare blasphemiam Spiritûs esse irremissibilem; quia nec facilè remittitur, nec plerumq;, nec secundùm communem regulam divinæ providentiæ, quæ habet ut ferè tales homines moriantur sine Pœnitentia.

*Ob.* Si dicas B. Cyprianum l. 3. ad Quirinum sic ordiri caput 28. Non posse in Ecclesia remitti ei qui in Deum deliquerit; & in ejus Confirmationem producere verba Christi jam citata ex c. 12. Matth. Qui dixerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei, &c. *Resp.* R. conferenda esse cum his Cypriani verbis, alia quæ idem ipse alijs in locis dicit, scribens ad Demetrianum fi. universaliter ait, *Nec quispiam aut peccatis retardetur aut an-* D *nis, quo minus veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti Pœnitentia nulla sera est.* In libro de Lapsis, de his agens quorum aliqui in manifestam idololatriam lapsi erant. Alij de hoc cogitaverant, *Confiteantur* (inquit) *singuli delictum suum dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.* Et postea, *Quam in magna deliquimus, tam granditer deflea-* *mus.* Eodem isto l. & in ep. 10. 11. 13. 14. 15. apertissimè docet peccata etiam gravissima contra Deum commissa, posse per sacerdotum ministerium remitti; quando, vel reprehendit eos qui nimis facilè remittebant non actâ prius Eccle- E siasticâ Pœnitentiâ; vel jubet ut qui infirmitate premuntur, facta exomologesi absolvantur.

Ex horum igitur locorum collatione dicendum videtur; quod in loco objecto Cyprianus velit ostendere peccata in Deum directè commissa, & rarò & difficulter remitti; quia Deus rarò talium peccatorum miseretur, Ecclesia autem non potest condonare nisi eis quibus ipse Pœnitentiam misericorditer dederit.

Ad 8. duplex est responsio. Una Esau Genesis 27. non invenisse locum seu viam Pœnitentiæ, quia verè non pœnituerit. Dolebat enim non de peccatis suis, sed tum de fratris prosperitate, tum de bonis temporalibus à se perditis. Unde scriptura memorat quòd fratrem suum Jacob semper oderat, dicebatque in corde suo. *Venient dies luctûs patris mei: & occidam Jacob fratrem meum.*

Altera, eaque sensui Apostolico magis confor- *Ad Heb.* mis, ut locus ille intelligatur, non de Pœnitentia 12. Esau, sed de Pœnitentia Isac, hoc sensu, *Non invenit Pœnitentiæ*, paternæ scilicet, *locum*, quia cupiens benedictionem primogeniti obtinere à patre, ab *eo est reprobatus*, id est, rejectus; neque potuit efficere ut patrem pœniteret benedictionis datæ Jacob, hoc est, ut eam retractaret seu rescinderet: quantumvis eam benedictionem requireret cum lachrymis.

Ad Postremum, Qui cum B. Augustin. libro de corrept. & gratia capite 12. & libro 1. Retractat. capite 19. peccatum ad mortem, intelligunt mortale peccatum usque ad mortem perseverans, seu finalem impœnitentiam, consequenter dicunt pro tali peccatore non esse orandum: quia nulla est spes veniæ, quando non est locus Pœnitentiæ. Et hæc interpretatio est bene probabilis: juxta quam, illud: *Non pro illo dico*, idem valet ac prohibeo, *ut roget quis*. Quia tamen sunt & aliæ ejusdem loci expositiones, rejicienda est in primis ea quæ peccatum ad mortem intelligit quodvis peccatum mortale, quod est mors animæ. Dicit enim Apostolus de peccante non ad mortem. *dabitur ei vita, peccanti non ad mortem*: unde sequitur peccatum non ad mortem, de quo ibi loquitur, abstulisse vitam animæ quæ est gratiæ justificationis: ac proinde non esse veniale, sed mor- *De pec-* tale: ac per consequens, *peccatum ad mortem*, non *cato ad* intelligitur quodvis peccatum mortale (quando- *mortem.* quidem aliquod tale sit non ad mortem) sed peccatum mortale certi generis: aut aliqua peculiari qualitate affectum.

Probabilis verò est expositio quæ peccatum ad mortem intelligit immane quoddam scelus, sive illud sit à fide apostasia vel hæresis, sive impugnatio veritatis agnitæ, aut alia in Spiritum Sanctum blasphemia, sive aliud grande quod peculiari quadam ratione hominem in mortem agit præcipitem, cujus juxta consuetam Dei legem, difficulter & rarò vera Pœnitentia agitur.

Probabilis quoque nec multum à jam dicta differens est interpretatio illorum qui post Gelasium Papam in Tomo de anathemate, Hieronymum in caput decimum quartum Hieremiæ, & Oecumenium in caput quintum epistolæ primæ Beati Joannis, peccatum ad mortem intelligunt non quodvis mortale, neque solum illud cui conjungitur finalis impœnitentia: sed omne illud mortale, cujus peccator data opera retinet affectum nolens ab eo recedere neque de illo Pœnitentiam agere, quamdiu tale est. Et pro tali peccante, ut & pro committente quoddam immane flagitium apostasiæ vel aliud supra allatum, quamvis non sit prohibitum orare, non dicit tamen Apostolus, *ut quis*, sive ut quilibet vulgaris, *oret*: id est, non hortatur quemlibet cum ea fiducia impetrationis, cum qua hortatus est orare pro peccantibus non ad mortem, neque dat parem fiduciam impetrandi. Sicut enim non quilibet idoneus est ad rem valdè magnam impetrandam; ita ad obtinendam gravium peccatorum conversionem (quæ est res valdè magna) non quivis idoneus est, sed magnus aliquis



quis intercessor, ut tradit S. Ambr. l. 1. de Pœnit. A cap. 8.

Neque verò propterea cessare possunt vulgates ab orando pro peccantibus ad mortem; cùm ex præcepto naturali charitatis, & ex positivo quod Matt. 1. habetur, obligati sint orare pro inimicis, etiam in inimicitia perseverantibus: sed tantùm non debent pro talibus orare, vel suæ sanctitati & amicitiæ divinæ fidentes, vel cum tanta spe impetrationis, quantam concipere possunt eximiè sancti. Secundùm hæc, aliquod peccatum mortale, (cujus scil. effectus deponitur, & Pœnitentia agitur) est non ad mortem, quia licet excluserit vitam animæ, ipsa tamen mors non est ad mortem, sed ad vitam, ad quam peccator studet pervenire, B & per quam recuperatam glorificabitur Deus. Simile est quod Joan. 11. Dominus dixit, *Infirmitas hæc non est ad mortem*, cùm tamen Lazarus ex ea fuerit mortuus.

In Resp. ad 1. observandum quod oratio Antiochi 2. Machab. 9. non erat Pœnitentiam veram agentis de peccatis, propterea quod per illa Deum offenderat; sed erat dolentis pœnam acerbam in quam inciderat, ac retinentis voluntatem peccandi. Id significat quod dicitur: orabat hic sceleſtus, quodque postea vocatur homicida & blasphemus: Item quod non proponit Judæos suæ libertati restituere, sed eos hortatur ut & sibi & filio suo fidem servent; in quos tamen non nisi jus C tyrannicum habebat.

## Articulus II.

### *Utrùm sine Pœnitentia peccatum mortale remitti possit?*

Videtur quod sic. Primò, quia salus & justificatio tribuitur fidei, sine Pœnitentia, Actor. 15. ad Rom. 3. & alibi.

Secundò, fides & Baptismus sufficiunt ad remissionem peccatorum: *Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, Marci ult.

*Resp. non posse.* Responsio ad fidem pertinens est, Pœniten- D tiam quatenus est virtus aut virtutis actus, esse necessariam, tum medij, tum præcepti necessitate: ita ut nullum peccatum mortale sine illa remitti possit, secundùm legem Dei ordinariam.

Prob. 1. ex Conc. Trid. ss. 14. c. 1. ubi sic dicitur, *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui perivissent.* Et c. 4. *Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Conferatur & c. 6. sess. 6. ubi de Pœnitentia ante Baptismum necessaria sermo est: sicuti & Actor. 2. cum dicit Petrus, *Pœnitentiam agite, &* E *baptizetur unusquisque vestrum.*

Prob. 2. ex generalibus Scripturis. Matth. 3. *Pœnitentiam agite* Luc. 13 *Si Pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Apoc. 3. *Pœnitentiam age.* Quibus addi possunt c. 2. Ecclesiastici, primum Isaiæ, 18. Jerem. 18. & 33. Ezechielis, 2. Joelis, ac ea Patrum testimonia quæ attulimus q. 84. art. 1. & 6. q. 85. art. 1.

Suffragatur & ratio. Qui peccat, propria voluntate avertitur à Deo: ut ergo veniam impetret, ejusdem voluntatis motu debet se ad illum convertere, & dolere quod peccaverit. Neque enim par est; ut Deus alicui ignoscat, eumque in suam amicitiam recipiat, qui non dolet se offendisse.

Porrò, de Pœnitentia virtute responsionem limitavimus, quia B. Th. de illa hîc loquitur: de Sacramento autem diximus art. 5. q. 84. quod sine illo re vel voto susceptо, remitti non possint peccata mortalia post Baptismum commissa.

Ad 1. Arg. Resp. quando justificatio tribuitur fidei, & illic non exprimitur Pœnitentia; ipsa non ideo putari debet esse excluſa: sed cùm ad justificationem plura requirantur, illa nunc uni tribuitur, nunc alteri: quia scilicet & unum & alterum valet ad eam obtinendam, non tamen cum exclusione alterius.

Ad 2. Fides & Baptismus sine omni Pœnitentia non sufficiunt ad remissionem peccatorum ut ex art. 4. q. 68. notum est. Dominus autem in verbis apud Marcum, credentem intelligit cum qui vivere vult secundùm quod credit, sive, qui non tantùm firmiter assentitur credendis, sed etiam illis afficitur, paratus exequi ea quæ præcipiuntur fidelibus, Quæ cum ita sint.

## Quæritur I.

### *Utrùm ad remissionem peccati mortalis, requiratur formalis Pœnitentia?*

Videtur quod non. Primò, quis satis est habere dilectionem Dei super omnia: *Universa enim delicta operit charitas.* Prov. 10.

Secundò, dilectio Dei est prior odio peccati: sed peccatum remittitur, quando quis habet veram Dei dilectionem: ergo ante Pœnitentiam.

Resp. regulariter & per se necessariam esse *Resp. Af-* formalem Pœnitentiam, seu actum explicitum *firm.* detestationis peccati.

Primò, quia testimonia superiùs allata non possunt commodè intelligi, nisi de Pœnitentia formali, i. de actuali detestatione peccati. Unde Aug. hom. 50. inter quinquaginta, c. 5. *Non sufficit mores in melius commutare & à factu malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum* &c. & Greg. hom. 20. in Evangelia. *Ventura ira est animadversio ultionis extremæ, quia tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta Pœnitentiæ non recurrit.*

Secundò, ut ex Conc. Trid. ss. 6 c. 14 & ss. 14. c. 4. habetur, Pœnitentia ad salutem necessaria *non solùm continet cessationem à peccatis, sed etiam eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum: nec solum vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium.* Quæ nisi accipiantur de odio & detestatione peccati explicitâ, Conc. non videbitur plus exigere, quàm Lutherus, contra quem est illa declaratio. Ipse enim in proposito vitæ novæ non negabat implicitè contineri detestationem veteris.

Tertiò, favet B. Th. qui hoc ar. dicit, *ad remissionem divinæ offensæ requiri ut voluntas hominis convertatur ad Deum, cum detestatione conversionis ad bonum commutabile, & proposito emendæ.* Et ar. 1. q. seq. *Exigitur, inquit, ad remissionem peccati mortalis, ut homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Pœnitentia virtualis aliquando sufficit.*

Dixi, *regulariter & per se*, quia per accidens potest interdum sufficere Pœnitentia virtualis, qualis continetur in actu dilectionis Dei super omnia; ut per Scotum, Gabriel & Joann. Medinam tradit Navatrus c. 1. n. 5.

*Unus casus est*, quando sic homo est peccati commissi oblitus, ut ne quidem post diligentem ejus disquisitionem redeat in memoriam: huic enim sufficit actus charitatis.

*Ad eundem*, pertinet naturalis, aut alioquin inculpabilis inconsideratio, quæ solet etiam causare involuntarium, sicut ignorantia vel oblivio, ac proinde excusare ab obligatione agendi explicitam Pœnitentiam.

*Alter casus est*, si quis ita subitò rapiatur ad Martyrium, ut repentina illa passio impediat actum pœnitendi. Quamvis enim generales de Pœnitentiâ Scripturæ, etiam sint extendendæ ad actum Martyrij, loquendo de illo quod est per se: quia tamen contingere potest, ita subitò aliquem rapi, totumque ejus animum ita occupari circa actum charitatis aut fortitudinis, ut peccata non occurrant memoriæ: hinc fit ut putemus virtualem Pœnitentiam ei sufficere, juxta illud Matth. *Qui confessus fuerit* &c. Vide quæ diximus art. 11. quæstione 66.

Ex his consequens est, Scripturæ & Patrum sententias, quæ actualem Pœnitentiam aut contritionem exigunt, intelligendas esse de illis peccatis, à quibus recogitandis peccator nullâ vel necessitate vel justâ ratione excluditur: ac omninò de eo quod per se requiritur.

Ad 1. & 2. Arg. Resp. peccata non remitti statim ac peccator dilectionem aut charitatem aliquam habet, etiam rudem solum & inchoatam vel imperfectam, sed tum demum quando vel recipit Sacramentum, vel habet perfectam Dei charitatem, ipsum propter se suamque bonitatem super omnia diligendo, ut in tract. de Contritione latiùs dicetur. Quomodo autem charitas universa delicta operiat, explicatum fuit 1. 2. qu. 113. art. 1. sub fin. & art. 2. quæst. 2. ad 1.

Neque est, quod contra hujus art. doctrinam aliquis objiciendum putet Apostolum ad Rom. 11. dicentem, *sine Pœnitentia sunt dona Dei*: quia non loquitur de hominis, sed de Dei pœnitentia, juxta sensum q. 88. art. 1. datum.

## QUÆRITUR II.

### *Utrùm per absolutam Dei potentiâ possit remitti ac deleri peccatum mortale sine omni Pœnitentiâ?*

Videtur quod non. Primò quia B. Thom. dicit hîc, *quod impossibile sit peccatum actuale mortale remitti sine Pœnitentia secundùm quod est virtus.*

Secundò, ponit differentiam inter Deum & homines, quod hi remittant offensam sine immutatione voluntatis ejus qui offendit; contingere autem non possit quod Deus offensam remittat alicui absque immutatione voluntatis ejus: hæc autem immutatio est Pœnitentia; per eam enim fit ut voluntas quæ erat aversa à Deo, convertatur ad ipsum.

Tertiò, distinguit inter pœnitentiam virtutem & Sacramentum, quod Deus possit remittere peccatum sine Sacramento, non autem sine virtute: atqui non potest remittere sine Sacramento, secundùm potentiam ordinariam; ergo responderi non potest quod B. Th. loquatur de potentiâ ordinariâ, & non de absolutâ. Minor prob. quia potentia Dei ordinaria æstimanda est secundùm, ejus ordinationem & constitutionem, quæ habet nemini relapso peccatum mortale remitti sine Sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto.

Quartò, peccatum mortale habet conjunctam aversionem à Deo: ergo tolli non potest nisi per conversionem.

Quintò, justificatio impij non potest fieri sine actu liberi arbitrij.

Responsio tamen affirm. probabilior est. *Resp. posse.*

Primò, quia non apparet repugnantia.

Secundò, quia Pœnitentia sive formalis sive virtualis, non est id quo tanquam causâ formali peccatum deletur, sed solùm est dispositio; non est autem Deo impossibile facere aliquem effectum sine prævia dispositione.

Tertiò, post actum peccati voluntas manet solùm habitualiter à Deo aversa: atqui talis aversio tolli potest sine aliquo hominis actu, seu sine detestatione peccati sive formali sive virtuali, ut patet in parvulis, à quibus per Baptismum Baptismique gratiam aufertur habitualis aversio à Deo, sine aliquo ipsorum motu. Neque refert quod in adultis hæc habitualis aversio relicta sit ab actuali: Inde enim solùm sequitur esse à Deo convenienter institutum, ut non tollatur nisi per actum contrarium; non autem quòd Deus illam auferre non possit sine tali actu. Vide quæ diximus 1. 2. q. 112. art. 2. ad concl. 1.

Ad 1. Arg. Resp. impossibile vocari à B. Th. quod secundùm ordinariam Dei potentiam fieri nequit: & secundùm eandem, intellige id quod in Arg. 2. adfertur.

Ad Tertium Neg. C. quia non loquitur specialiter de illo tempore quo Sacramentum Pœnitentiæ fuit in præcepto, sed universaliter de omni tempore: quod scil. nunquam potuerit remitti peccatum sine pœnitentiâ quæ est virtus; potuerit autem sine Pœnitentiæ Sacramento: quia virtus ex propriâ naturâ gratiæ reconciliationis requiritur, Sacramentum autem, solùm ex lege divinâ positivâ.

Ad Quartum, Aversio illa cùm sit habitualis, potest secundùm absolutam potentiam à Deo tolli per conversionem habitualem, sine ullo actu sive prævio, sive simultaneo pecoatoris.

Quod in Quinto sumitur, de justificatione adulti secundùm legem ordinariam est intelligendum.

## QUÆRITUR III.

### *An peccatum mortale possit remitti ac deleri sine infusione gratiæ.*

Videtur quod non. Primò, quia peccatum mortale consistit in privatione gratiæ: privatio autem gratiæ non potest tolli, nisi per advenientem gratiam: sicut nec cæcitas nisi per visum.

Secundò, B. Th. 2. 2. qu. 113. art. 2. *Non posset*, inquit, *intelligi remissio culpæ si non adesset infusio gratiæ*: quia peccatum non remittitur nisi secundùm quod Deus pacatur: pax autem illa consistit



sistit in dilectione, & dilectionis divinæ effectus est gratia.

Priùs quàm respondeatur, observandum est plura in peccato mortali reperiri.

Primum est, conversio ad bonum commutabile, & aversio à bono incommutabili: hæc enim duo faciunt actum damnabiliter inordinatum, qui propterea vocatur & est culpa.

Secundum, ex illa aversione nascitur reatus id est, obligatio ad pœnam, eamque sempiternam.

Tertium, ex inordinata conversione oritur in anima labes, seu macula peccati. Sicut enim corpus benè politum & tersum, ex alterius corporis non nitidi contactu, maculam contrahit: sic anima res immundas tangendo, id est, amando (nam tactus quo anima tangit aliquid, est ejus amor) similem in seipsa maculam contrahit, de qua B. Th. 1. 2. q. 86. & hujus part. qu. 87. art. 2. ad 3.

Quartum, propter inordinationem quæ invenitur in peccato mortali; homo fit exosus Deo, & Deus homini offensus.

Quintum, Actu peccati transeunte, adhuc manent hæc omnia, habitualis aversio & conversio, reatus, macula, & indignitas animæ.

Quibus præmissis sit

### Conclusio I.

Inordinatio voluntatis directè tollitur per conversionem ad Deum veramque pœnitentiam: quamvis per absolutam Dei potentiam posset tolli sine actu pœnitentiæ,

### Conclusio II.

*Resp. per absol. Dei potentiâ, posse.*

Reatus pœnæ propriè tollitur per remissionem peccati. Propriè enim peccatum remittere, est peccatorem liberare ab obligatione pœnæ luendæ. Si quidem is peccatum remittit, qui illud condonat: condonat autem qui pœnam relaxat, & eam quàm exigere poterat, non exigit. Scriptura vocat alio nomine, non imputare, scilicet ad pœnam, Psal. 31. ad Rom. 4. 2. Cor. 5. Ac proinde peccati remissio, non est propriè ipsius deletio vel abolitio, sed pœnæ illi debitæ condonatio. Peccati autem deletio est maculæ absersio; quæ nunquam fit (si loquamur de maculâ peccati mortalis) absque infusione gratiæ justificantis.

### Conclusio III.

Probabile tamen est, quemadmodum 1. 2. qu. 113 art. 2. quæsito 5. diximus, quod per absolutam Dei potentiam possit ejusmodi macula tolli sine infusione gratiæ justificantis; quia status gratiæ & status peccati sunt, simpliciter loquendo, contraria mediata. Qui enim poneretur in puris naturalibus, esset in statu medio: & sicut Deus potest aliquem in illis creare, ita potest in ijs non creatum, in eis constituere. Si verò peccatum sic ab aliquo tolleretur, is neque esset Deo amicus vel gratus ad finem vitæ æternæ; neque inimicus, sed medius; ipsaque macula non deleretur per contrarij positivi introductionem, sed per nudam abolitionem.

### Conclusio IV.

Ordinarius modus remittendi peccatum mortale est, ut hæc omnia simul jungantur, infusio gratiæ, deletio peccati, pœnæ ac offensæ remissio, & restitutio in amicitiam. Nam quando Deus infundit gratiam justificantem, per eam tanquam per contrarium pellitur macula, & sic deletur, consequenter autem tollitur obligatio pœnæ æternæ, ac offensa Dei in quam homo incurrerat: & sic per gratiam fit amicus ac filius Dei.

*Privatio gratiæ non est ipsum peccatum essentialiter.*

Ad 1. arg. Resp. privationem seu carentiam gratiæ præcisè sumptam non constituere essentialem rationem peccati mortalis. Dicit enim B. Th. qu. 1. de Malo ar. 5. ad 5. *quod privatio habitualis gratiæ est pœna; sed depravatio actus* &c. *est malum culpæ.* Et qu. 2. ar. 9. ad 2. *Privatio gratiæ, nō est essentialiter ipsa culpa sed effectus culpæ* & c. *Unde peccatum dicitur mors animæ non essentialiter, sed effectivè. Essentialiter verò peccatum est actus deformis vel inordinatus.* Ad 6 *Peccatum essentialiter non est privatio gratiæ, sed causaliter.*

Confirmatur, is qui creatur in puris naturalibus, careret gratiâ, nec tamen esset in peccato mortali. Unde B. Th. 1. sec. dictæ, qu. 86. art. 1. ad 3. dicit, quod macula non est aliquid positivè in anima, nec significat privationem solam, sed significat privationem quandam nitoris animæ, in ordine ad suam causam, quæ causa est actus damnabiliter inordinatus. Et art. 2. *macula*, inquit, *importat quendam defectum nitoris propter recessum à lumine rationis vel divinæ legis.*

Hinc intelligi potest carentiam rectitudinis, & nitoris esse peccatum seu maculam, quatenus est causata per actum voluntatis inordinatum, & sic voluntaria. Nullam vero contradictionem implicat, Deum relinquendo peccatorem sine gratia, facere per suam voluntatem, quod is non teneatur habere gratiam; ac proinde quod non sit ei vitiosum illâ carere: ergo nec contradictionem implicat, Deum facere ut macula tollatur etiamsi carentia gratiæ maneat.

Ad similitudinem quæ adfertur Resp. non omnino parem esse rationem privationis gratiæ, & cæcitatis; partim quia privatio gratiæ secundùm se non est ipsum peccatum essentialiter, sicut privatio visus essentialiter est cæcitas; partim quia cæcitas & visus simpliciter & absolutè sunt privativè, opposita in subjecto apto; Privatio autem gratiæ, & gratia potius se habent ut contraria mediata, si de privatione gratiæ loquamur prout dicit carentiam gratiæ debitæ in esse, cum interea medium sit nuda gratiæ absentia. Deinde, nihil vetare quin per absolutam Dei potentiam canis cæcus amitteret cæcitatem, neque tamen reciperet visum, indicavimus 1. 2. qu. 113. art. 2. quæsito 5.

Ad 2. B. Thomas intelligendus videtur, vel secundùm potentiam Dei ordinariam, vel de remissione peccati plena, quæ importat reparationem omnium damnorum quæ per se sequuntur ex peccato mortali, atque adeò restitutionem in amicitiam. Quamvis autem dilectionis divinæ effectus in homine sit gratia: non repugnat tamen Deum gratuita sua voluntate, desinere esse offensum peccatori, etiamsi nec gratiam illi infundat, nec eum recipiat in amicitiam: sed labem seu defectum nitoris & rectitudinis debitæ inesse aboleat, vel per actum contritionis, vel tollendo obligationem qua tenebatur habere justitiam. Quæ tamen absersio non videtur posse fieri sine omni mutatione, propterea quod animam maculatam, turpem & fœdam, desinere esse talem, non parva mutatio est.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS III.

*Vtrùm per Pœnitentiam posit unum peccatum sine alio remitti?*

VIDETUR quòd sic, quia unum potest sine alio committi, ergo & remitti.

*Resp. non esse.* Indubitata & communiter apud omnes recepta Responsio est, non posse (juxta potentiam ordinatam loquendo) unum peccatum mortale remitti sine alio.

PRIMÒ, quia omne peccatum mortale excludit gratiam ab eodem subjecto; ejus autem remissio habet illam conjunctam.

SECUNDÒ, quia Pœnitentia (sine qua nullum mortale peccatum remitti potest) non est de uno peccato mortali, nisi etiam sit de alijs, saltem virtualiter; eò quòd detestetur illud quatenus est contra Deum, & contineat propositum non peccandi de cætero.

TERTIÒ, quia omnia peccata mortalia sunt connexa quantum ad aversionem à Deo; singula enim illorum dissolvunt amicitiam cum Deo: nullum autem remittitur, nisi quis recipiatur in ejusdem amicitiam, & sic omnis aversio tollatur quæ illi amicitiæ repugnabat.

QUARTÒ, per peccatum mortale desinit quis esse filius Dei, & hæres regni cælorum: per gratiam autem remissionis peccati mortalis, consequitur utrumque.

QUINTÒ, Is cui peccatum mortale remittitur per gratiam quam accipit, est in Christo: sed *nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu*, ad Rom. 8. ergo nec ullum est in eis peccatum mortale.

Hinc quod Synod. Trid. sess. 5. can. 5. dicit de justificatis per Baptismum, *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationi ijs qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptismum in mortem, qui non secundum carnem ambulant*, &c. pariter est extendendum ad eos qui post baptismum lapsi reconciliantur Deo per Sacramentum Pœnitentiæ: Per hoc enim recuperatur gratia justificans, fitque homo sanctus, mundus, Deo gratus: quæ omnia vel per unicum peccatum mortale perdunt.

Loqui autem B. Thomam de peccato mortali, tum ex prima & secunda ejus ratione manifestum est; tum ex qu. seq. art. 2. & 3.

AD ARG. autem RESP. neg. conseq. quia plus requiritur ad ædificandum, quod fit in remissione peccati mortalis, quando impius justificatur, quam ad destruendum; quod fit quando per peccati mortalis actum deperditur gratia. Adde, quòd peccata mortalia non sunt connexa secundùm actum vel conversionem, sed solum secundùm aversionem.

Porrò si de absoluta potentia Dei quæratur: conformiter ad illa quæ sup. art. attulimus; dicendum est probabile videri Deum posse remittere unum peccatum mortale sine alio. De hac enim potentia loquendo probabile diximus remissionem peccati mortalis posse fieri sine infusione gratiæ, & consequenter posset Deus alicujus peccati pœnitentiam dare, qualem ipse vellet haberi pro illius remissione, sic ut de alijs peccatis nulla esset cogitatio: aut quamvis esset, posset tamen illa alia non remittere; quia peccati remissio est novum ac distinctum beneficium à dono Pœnitentiæ.

PRO RESP. ad 1. neg. est C. & dicendum illo argumento tantum sequi, quod unius peccati actus possit cessare non cessante actu alterius, *Interdum*, inquit hîc B. Th. *ille qui plura peccata consuevit committere, deserit unum*, cessando scilicet illud actu committere, *non tamen aliud*. Etsi verò talis desertio peccati sit ex divino auxilio, non pertingit tamen usque ad remissionem culpæ; quia ante ejus remissionem necessaria est Pœnitentia; hæc autem non solùm dicit cessationem ab actu, sed insuper odium & detestationem peccatorum, ut art. 2. diximus. His conformia scribit Author 1. 2. qu. 113. art. 2. ad 3.

Ad verba Gregorij quæ in isto primo arg. producuntur, quod attinet; sciendum est quod B. Th. illa citat vel ex Gratiano de Pœn. dist. 3. c. *Pluit*, vel ex Magistro in 4 dist. 15. Ita verò habentur apud Greg. hom. 10. in Ezech. *Cùm & ipse qui proximos audit ab alijs se vitijs corrigit* (id est, ab eorum actibus abstinet) *atque ab alijs emendare contemnit, una eademq; civitas ex parte compluitur, & ex parte arida remanet.*

In 2. Arg. si relevari à peccato intelligatur esse idem quod peccati remissionem consequi; Neg. est Conseq. ex verbis enim Ambrosij quæ B. Th. hîc citat, nequaquam sequitur aliquod peccatum posse remitti manente peccato infidelitatis, præsertim si prout in ipso Ambr. sunt, examinentur: Hîc citantur ex Grati. d. 3. c. *Prima consolatio*, cùm in textu Ambr. sic legamus; *etiamsi fides deerat, pœna satisfecerat: Relevantur solutione pœnarum qui absolvuntur* (i. destituuntur seu carent) *commendatione meritorum*. Loquitur autem de civibus Jerusalem, tractans illud Isa. 40. *Loquimini ad cor Ierusalem, & advocate eam, quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius*: & vel fidem accipit pro magna confidentia in misericordia Dei, vel pro fide quâ credimus in verum Deum: neutram enim habebant Israëlitæ illi, qui serviebant idolis; qui verò credebant, non habebant tamen magnâ & excellentem fidem ac fiduciâ, quasi diceret, Quamvis Jerosolymitæ vel omninò fidem non haberent vel non magnam confidentiâ, pœnas tamen peccatis debitas sustinuerunt, atque ita qui merita quibus commendarentur non habebant, sunt relevati solutione pœnarum; non quasi peccatorum remissionem habuerint manente infidelitate, sed quia Deus post multas afflictiones & pœnas, misericordiâ motus est, ut eis parceret.

PRO RESP. ad 3. dicendum, Majorem esse veram de illis quæ nullo modo necesse est esse simul: sed peccata quamvis non necessariò sint simul quoad commissionem, cùm non oporteat illum, qui furtum committit, simul adulterium perpetrare: postquam tamen sunt ab uno & eodem commissa, necesse est illa esse simul, eò quod connexa sint quoad aversionem; & sic unum non potest auferri sine alio.

IN RESP. ad 4. Minor ostenditur vera esse de debito rei exteriotis, puta pecuniæ, & aliorum hujusmodi non autem de debito culpæ quod contrarietur amicitiæ: Peccatum verò est debitum hujus posterioris modi.

Addi potest non eandem esse rationem remissionis quam facit homo, & quam facit Deus. Nam homo remittere potest offensam absque ulla immutatione voluntatis ejus qui ipsum offenderat: Deus autem non remittit alicui offensam, nisi etiam immutet ipsius voluntatem; quæ cum prius esset aversa à Deo, jã convertitur ad Deum. Cùm ergo non possit converti ad Deum, manens ab eo aversa, per omne verò peccatum mortale avertatur; nullum eorum potest remitti, alio manente, quia alioquin sequeretur eandem voluntatem eodem tempore posse esse & aversam à Deo ut inimico, & conversam ad Deum ut amicum.

IN RESP. ad 5. Minorem docet veram esse de dilectione naturali, non autè de dilectione gratiæ, vel gloriæ, ad quam pertinet remissio peccatorum.



ARTICULUS IV.

*Vtrum remissa culpa per Pœnitentiam, remaneat reatus pœnæ?*

VIDETUR quòd non. PRIMÒ, quia per remissionem culpæ mortalis, homo redit in gratiam & amicitiam Dei: amicus autem non exigit pœnam ab amico cui condonavit: ergo.

SECUNDÒ, efficacia passionis Christi sufficientissima est ad tollendam sicut omnem culpam, ita & omnem reatum pœnæ: cum ergo remissio culpæ non fiat nisi merito passionis Christi, ea remissa nulla restat pœna luenda.

TERTIÒ, Passio Domini non est minoris efficaciæ in Sacramento Pœnitentiæ, quam in Baptismo: sed in eo remittit omnem pœnam: ergo & in isto.

QUARTÒ, Dei opera sunt perfecta, & propterea cujus miseretur, totaliter miseretur, ut ratiocinatur B. Th. art. seq. ergo totam pœnam simul condonat.

QUINTÒ, sententia eorum qui dicebant omnes piorum afflictiones esse peccatorum ultiones; improbata est, art. 69. inter damnatos à Pio V. ergo signum est quod justi, cum sit eis culpa remissa non habeant ullius pœnæ reatum.

SEXTÒ, Ezech. 18. Deus obliviscì dicitur peccatorum ejus qui revertitur ad Deum: ergo nulla restat pœna quam ei infligat.

*Simul cum culpa remittitur reatus pœnæ æternæ.* RESPONSIO ad fidem pertinens est, Quando per Pœnitentiam remissa est culpa mortalis, nunquam remanet reatus pœnæ æternæ; sepè tamen remanet reatus alicujus pœnæ temporalis.

Prius probatur ex Conc. Trid. ss. 6. c. 14. dicente, quòd *pœna æterna vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa, remittatur*. Et c. 7 docet quòd per justificationem *homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres, secundùm spem, vitæ æternæ*: non consistit autem eundem esse amicum, & ut talem accipere jus ad vitam æternã; & simul esse dignum æterna damnatione: ergo reatus æternæ damnationis remittitur, quando per culpæ remissionem homo fit amicus Dei.

Posterius (quod est fundamentum Indulgentiarum, Satisfactionis, & Purgatorij.)

*Sæpè manet reatus pœnæ temporalis post culpam remissam.* PROBATUR PRIMÒ, ex Syn. Trid. sess. 6. c. 14. & can. 30. sess. 14. c. 8. & can. 22. ubi definitur *pœna temporalis, non tota semper ut in baptismo sit dimitti illis qui gratia Dei quam acceperant, ingrati Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti.*

SECUNDÒ, mors statuitur pœna originalis peccati, Gen. 2. ut declarat Apostolus ad Rom. 5. & 1. ad Cor. 15. & tamen moriuntur etiam illi quibus ipsum est remissum. Imò non mors solùm, sed & ærumnæ seu miseriæ hujus sæculi sunt pœnæ illius peccati quemadmodum ex q. 5. de malo exposuimus 1. p. qu. 48. art. 5. quibus tamen subjiciuntur etiam illi, in quibus originalis culpa est deleta. Sine enim exceptione dictum est Eccli. 40. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus & jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium ut etiam parvulos videamus* (ait Aug. Ench. nu. 66.) *post lavacrum regenerationis diversorum in malorum afflictione cruciari.*

Neque responderi potest istiusmodi afflictiones non esse pœnas his qui baptizati sunt, sed vel paternas monitiones, vel virtutis exercitationes. Nam hæ in parvulis locum non habent: In adultis autè, ut tales sint, nõ propterea desinunt simul esse pœnæ seu vindictæ peccatorum: nam *& mors quæ est pœna nascentis, si proprietate justitiaq; pendatur, fit gloria renascentis, neque aufert vocabulum pœnæ quod auget meritum patientiæ*, ait Aug. l. 13. de civ. c. 6. ex quo intelligenda sunt, vel supplenda quæ habet l. 2. de pec. mer. c. 34. ubi hujus vitæ afflictiones quibus affliguntur ij quibus remissa sunt peccata, vocat exercitia patientiæ, vel probationes.

TERTIÒ, cùm Exod. 32. v. 14. dicitur, *Placatus q; est Dominus* &c. paulò post, v. 34. additur. *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Et mox, *Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli*: ergo Deus sic placatur, ut tamen pœnam temporalem sustinere oporteat.

QUARTÒ, cum Deus dimisisset populo Israelitico peccatum murmuris. Nu. 13. suscitati, in peccati tamen ultionem, neminem eorum voluit ingredi terram promissionis, ut dicitur c. 14. & confirmatur ex illo Psal. 94. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Similia sunt de Moyse Num. 20. & 27. de Davide 2. Reg. 12. & 24. Vide Greg. l. 9. Moral. c. 27. Aug. tr. 124. in Ioan. & in Psal. 50. *Impunita*, inquit, *peccata eorum etiam quibus ignoscis, non reliquisti.*

QUINTÒ, si nullum debitum pœnæ maneret; daretur incentivum peccandi: nam *parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna*, inquit Aug. super Ioannem dict. tract. 124.

SEXTÒ, Ecclesia solet ex antiqua traditione pro peccatis gravioribus injungere majorem satisfactionem, non tantum in remedium pro futuro, sed ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam; qui sicut est misericors, ita est justus: ac proinde sicut recipit gratis in inimicitiam, & condonat pœnam æternam, ita vult ex justitia non relinqui peccatum prorsus impunitum.

SEPTIMÒ, quando per gratiam remittitur culpa; tollitur quidem aversio animæ à Deo in quantum ipsa nunc ei conjungitur per gratiam; unde per consequens tollitur etiam reatus pœnæ æternæ, qui sequebatur ex parte aversionis: potest tamen remanere reatus alicujus pœnæ temporalis, in quantum remanet inordinata conversio ad bonum creatum, pro qua debetur reatus pœnæ temporalis. Ita B. Thom. hîc in corp. & ad 1.

*Ob.* Quæ verba magnam habent difficultatem, partim quia per Pœnitentiam & gratiam justificantem tollitur omne id quod habet rationem peccati, sive sit aversio à Deo, sive conversio ad creaturam, partim quia pœnæ satisfactoriæ sustinentur, non ratione solius inordinatæ conversionis sed propter id totum quo Deus fuit offensus.

*Resp.* Adde quod conversio inordinata, est actus ipsumq; materiale peccati; actus autem non manet.

Quapropter videtur quod B. Tho. non intelligat conversionem inordinatam manere sub ratione malitiæ, tollitur enim quidquid habet rationem mali

Universidad de Deusto
Biblioteca



mali culpæ: Neque etiam secundùm quod est A actus, quia peccati actus jam ante transierat: Neque secundùm quod est habitus, partim quia justificatus est habitualiter conversus ad Deum, & aversus à malo; partim quia si remanet quædam dispositio vel inclinatio ad illud malum, cui per actus frequentes assueverat, illa neque habet rationem culpæ, modo non sit voluntaria, neque meretur pœnam: alioquin sequeretur pœnam commensurari durationi pravæ illius inclinationis cum debeat commensurari peccato.

*Explicatur B.Th.* Intelligit ergo conversionem inordinatam manere quoad aliquem effectum, qui est inter Deum & hominem inæqualitas tam diu manens, donec per solutionem pœnæ temporalis fuerit satisfactum. B Unde & manet quædam inordinatio: rectus enim ordo postulat, ut per satisfactionem ea inæqualitas ab homine compensetur, quantum possibile est.

*Ob.* Neque respondeti potest etiam aversionem hoc modo manere, propterea quod per eam non mi-

*Resp.* nùs quam per conversionem dicta inæqualitas sit causata: Nam aversio quæ hîc intelligitur, ponit perfectam contrarietatem ad ultimum finem, facitque hominem Deo inimicum; Gratia verò justificationis animam conjungit Deo, faciens eam ipsi amicam: & ideo tollit aversionem tam secundùm se, quam secundùm effectum principalem. Ipsa autem conversio inordinata dicitur manere secundùm effectum, quia manet inæqualitas & in- C ordinatio quæ nata est sequi talem conversionem, etiamsi ipsa esset absque aversione à Deo. Vide art. seq. Sicut enim ex parte aversionis etiam consideratæ absque inordinatâ conversione, sequitur reatus æternæ pœnæ: ita ex parte ipsius conversionis, etiam formaliter & seorsim spectatæ, sequitur inæqualitas quædam, & pœnæ reatus.

Neque tamen hinc sequitur cuilibet peccato mortali debitam esse duplicem pœnam sensus, æternam, ex parte aversionis, temporalem, ex parte conversionis: quia solum dicimus, quid cui respondeat secundùm proportionem. Nam si consideretur peccatum ut est à parte rei; toti offensæ respondet tota pœna; quamvis majorem habeat D proportionem pœna damni, ad aversionem; & pœna sensus, ad conversionem; quam contra, secundùm ea quæ dicimus 1.2. qu.87. art.4.

Et ideo, ut intelligatur quomodo post deletam culpam, maneat alicujus pœnæ reatus; advertendum est pœnam gehennæ, cui homo fit obnoxius per peccatum mortale, complecti pœnam damni, pœnam sensus, & æternitatem utriusque. Pœna damni respondet aversioni à Deo: pœna sensus, inordinatæ conversioni ad bonum commutabile: æternitas utriusque, injuriæ & inimicitiæ contra Deum. Cum igitur per veram Pœnitentiam & reconciliationem recipiantur homines in gratiam & amicitiam Dei; horum malorum primum & E tertium eo ipso tolluntur, justo autem Dei judicio, remanet secundum, obligatio scilicet luendi pœnam aliquam temporalem. Ita fit, ut quæ pœna restat, sit illa ipsa pœna sensus, quam peccator in gehenna pati deberet, demptâ æternitate. Ac propterea non est propriè commutatio æternæ pœnæ in temporalem; Nam pœna damni prorsus aboletur; pœna autem sensus non tam commutatur quam manet eadem, demptis duratione, loco, & similibus circumstantijs. Qui tamen sic loquuntur, ut B.Th. q.4. art.1. in Suppl. & Scot. in 4. dist.22. articulo 2. de pœna sensus intelligendi sunt loqui, scilicet quod æterna pœna sensus commutetur in temporalem.

Ad 1. Arg. Resp. Quamvis amicus non exigat ab amico pœnam eam quam condonavit; non est tamen contra legem amicitiæ, si ab eo quę recipit in amicitiam, exigat id quod justitia requirit. Sic Deus, per abolitionem culpæ recipit hominem in amicitiam; ad demonstrationem tamen justitiæ, exigit saltem temporalem aliquam pœnam ab eo, cui condonavit æternam.

Ad Secundum negatur consequentia. Licet enim Christi passio suo valore ac merito sufficientissima sit reconciliandis perfectè omnibus hominibus, totique pœnæ statim remittendæ; efficaciter tamen & actualiter valet ijs solis quibus applicatur; & pro modo applicationis, est modus effectus. In Baptismo applicatur tanquam ijs qui renascuntur, quique; recens in familiam Christi ascribuntur: in Sacramento autem Pœnitentiæ, applicatur tanquam ingratis, post acceptam baptismalem innocentiam lapsis: Ibi, tanquam noviter natis, totius pœnæ reatus cum omni culpâ tollitur; hîc autem, divina justitia censuit non pari liberalitate agendum, sed paulò strictiore, ut scilicet non totâ pœnam remittat, nisi prævia satisfactione: nam *& divinæ justitiæ ratio exigere videtur*, Conc. Trid. sess. 14.c.8. *ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui semel à peccati & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.* Confer c.2.& sess.6.c.14.

Ad 3. Si Major intelligatur de Sacramento, quatenus ipsum sacerdotali absolutione perficitur, non tanta est actualis efficacia seu efficientia passionis Christi in Sacramento Pœnitentiæ, quanta in Baptismo: quia licet ejus dignitas ac meritum sit semper æquale; non tamen semper applicatur æqualiter. Si vero intelligatur de toto Sacramento: sic ipsa, & consequens vera sunt, quia Sacramentum complectitur etiam satisfactionem, per quam tolli potest omnis pœnæ reatus, si imponatur ea quæ gravitati criminum respondet, ac prout oportet, impleatur, vel sponte tanta assumatur.

Ad 4. Neg. Conf. quia ut opera Dei peccata remittentis sint perfecta seu irreprehensibilia, satis est quod sic totaliter misereatur, ut simul tollat omnia quæ tenent hominem à Deo aversum ipsique inimicum.

Ad 5. etiam neganda est consequentia. *Primò*, quia pœnam remanentem justi solvere possunt operibus satisfactionis: quâ solutâ si quid afflictionum Deus illis immittit, liquet non mittere tanquam pœnam, ad quam remanserint obligati, quia ponuntur satisfeciſſe.

*Secundò*, quia sive durante reatu pœnæ restantis, sive aliàs, Deus amicis suis tribulationes quasdam immittit, non animo ulciscendi priora peccata, sed vel ad cautiores eos faciendos: vel ad exercendam & probandam ipsorum patientiam & humilitatem, vel ad proponendum alijs exempla patientiæ: vel denique, ad ostensionem suæ virtutis & ad suam gloriam. Vide quæ dici solent ad primam part. qu.48. art.5. Et quæ habet B.Th. 1.2.q.87.art.7. quæ Augustin. lib. de perfectione justitiæ c.11.

Ad 6. Negand. Conf. quia Deum oblivisci peccatorum est ea delere & pœnam æternam non inferre.

Pro



Pro Resp. ad 1. dic. Remota causa tunc remo- A veri effectum, quando causa est illius effectus causa non solùm in fieri, sed etiam in esse, seu in conservari. Culpa verò est causa reatus, non in esse, sed solùm in fieri. Ac propterea nihil mirum, si transeunte culpa, reatus manet, sicut moriente ædificatore manet ædificium.

Ad 2. Arg. si consequens intelligatur sic ut per donum gratiæ simul tollatur totius pœnæ, etiam temporalis reatus. Neg. est C. Quamvis enim gratia sit efficacior quam peccatum, ideoq; quod attinet ad efficaciam gratiæ posset ipsa totum reatum simul tollere, non tollit tamen: non ex defectu efficaciæ; sed partim ex divina ordinatione, de quâ Syn. Trid. ss. 14 c.2. & 8. partim ex pœ- B nitentium dispositione, quæ nec semper nec plenumq; tanta est, ut idonei sint in ipsa sacramentali absolutione consequi remissionem totius reatus. Si autem consequens intelligatur de ablatione reatus pœnæ æternæ, consequentia bona est, & consequens verum. Unà enim cum remissione culpę, totus ille reatus tollitur. Et quia hæc remissio tum culpæ, tum reatus æternæ pœnæ fit à solo Deo, quatenus ipse solus est qui & peccatorem justificat, & pœnam æternam remittit: ideò B. Th. hîc ad 2. dicit istam remissionem pertinere ad gratiam operantem, & fieri à gratia sola. Neque refert, quod in adultis non fiat sine motu liberi arbitrij: quamvis enim liberum arbitrium aliquid opere- C tur, tum se per Dei gratiam disponendo, tum infusioni gratiæ consentiendo; sola tamen est gratuita Dei voluntas quæ gratiam infundit, quæ culpam remittit, & quæ reatum æternæ pœnæ condonat. *Hoc donum* (infusionè scil. gratiæ) ait B.Th.q.27. verit.ar.5.ad 1. *sola gratuita divina voluntas causat in nobis, nec aliquo modo ejus causa est liberum arbitrium, nisi per modum dispositionis sufficientis.* Cùm ergo hîc in fin. resp. dicitur primum esse *à gratia sola*, illa exclusiva, *sola*, non excludit omnem motum liberi arbitrij: (nam etiam in 1.2.q.113.ar.3. & hic art.6.ad 1. affirmat actus liberi arbitrij reperiri in justificatione:) sed excludit motum voluntatis seipsam moventis ad justitiam, qui motus D possit esse causa gratiæ justificantis; Unde eadem 1.2.q.111.art.2.ad 2. ubi dicit quod *Deus nos sine nobis non justificat*: addit, *quia per motum liberi arbitrij dum justificamur, Dei justitiæ consentimus. Ille tamen motus non est causa gratiæ, sed effectus.*

Absolutio verò à pœnâ temporali, dicitur esse effectus gratiæ cooperantis, procedens nimirum ex gratiâ & libero arbitrio, quia ad illam remissionem sic operatur liberum arbitrium gratiâ adjutum ut ejus operatio possit præcedere tanquam causa illius remissionis.

## Articulus V.

*Non tolluntur statim omnes reliquiæ pec.*

Art. 5. docet remissâ culpâ veniali, non statim tolli omnes reliquias peccati; quamvis illæ sic per gratiam sint debilitatæ, ut homini non dominentur; quia etsi eum sollicitent ad peccandum, homo tamè justificatus non facilè consentit, E

Reliquiæ illæ sunt pravi quidam habitus aut dispositiones ex præcedentibus actibus peccaminosis causatæ: nam quò plus, diutiùs, aut frequentiùs peccatur, eò vires animæ fiunt debiliores, eoque robur animi ad bene operandum magis magisque frangitur, & fit etiam ipsa voluntas proclivior ad peccandum, imò major ac major cæcitas oritur in intellectu. Et quamvis in justificatione infundatur gratia & virtutes, cùm tamen non repugnent formaliter pravis habitibus seu dispositionibus acquisitis; hæ reliquiæ, ut per experientiam constat, remanent: simili modo quo manet in renatis fomes peccati, seu concupiscentia ex peccato orta & ad peccatum inclinans. Hinc Orig. hom. 8. super Levit. *Intuere quomodo anima quæ peccati vulnus accepit, etsi curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris residentem.*

Interim tamen Deus ex singulari misericordiâ, ita perfectè interdum aliquem sanat, ut simul tollat omnes peccati reliquias: *ut patet*, ait Author hîc ad 1. *de Magdalena* Luc.7. patet, inquam, non quod inde colligatur evidenter; sed quia attentis Magdalenæ doloribus & actionibus, attentâ etiam ratione vivendi, quam post Christi Ascensionem legitur servasse, consentaneum id videtur Christi misericordiæ.

## Articulus VI.

*Remissio culpæ est effectus Pœnitentiæ.*

Art. 6. docet remissionem culpæ esse effectum Pœnitentiæ secundùm quod est virtus, principalius tamen secundùm quòd est Sacramentum: quia omne Sacramentum producit effectum suum nõ solùm virtute formæ, sed etiam virtute materiæ: Actus autem Pœnitentiæ virtutis sunt materia hujus Sacramenti. Unde sicut in Baptismo culpæ remissio fit virtute materiæ & formæ, principalius tamen virtute formæ, ex quâ etiam materia virtutem accipit: ita remissio culpæ fit quidem in hoc Sacramento principalius virtute formæ, quam minister habens potestatem clavium profert: secundariò tamen etiam fit virtute actuum pœnitentis prout ordinantur ad claves Ecclesiæ, id est, prout subserviunt absolutioni, vel de mandato absolventis suscipiuntur. Confer q.85. art.2.ad 3.

# QUÆSTIO LXXXVII.

*De remissione peccatorum venialium.*

## Articulus I.

*Vtrùm peccatum veniale possit remitti sine Pœnitentia.*

Videtur quod sic. Primò, quia remitti potest per quemlibet bonum motum hominis justi, cùm talis motus magis placeat Deo quam displiceat offensa, & mereatur vitam æternam.

Secundò, Scriptura solùm requirit Pœnitentiam de peccatis mortalibus: comminantur enim pœnam æternam ijs qui non egerint Pœnitentiam: talis autem comminatio non potest illis fieri qui solùm peccaverunt venialiter.

Tertiò, Sequitur alioquin quod peccatum veniale remitti non possit in futuro sæculo, in quo nec Pœnitentiæ locus est, nec meriti. Hoc autem est absurdum, cùm possit justus hinc recedere cum affectu peccati venialis ob quod non damnabitur, cum quo tamen non intrabit in regnum cælorum,

Sed contra, formalem & explicitam Pœnitentiam requiri ad venialis peccati remissionem.

Probatur Primò, quia voluntas peccantis A venialiter, actu convertitur ad bonum commutabile: ad tollendam ergo istam conversionem necessaria videtur etiam actualis retractatio prioris voluntatis.

Secundò, pœnitentia virtualis non opponitur peccatis venialibus, devotio enim ad res divinas quæ videtur esse pœnitentia virtualis, potest consistere cum mendacio officioso: ergo non sufficit ad ea tollenda.

Tertiò, B. Thomas quæstione 7. de malo, art. 11. ad 4. sic loquitur, *Habitualis displicentia non sufficit ad remissionem venialis, sed requiritur actualis.*

Pro Resp. sit B

## Conclusio I.

*Resp. neg.* Peccatum veniale nunquam remittitur sine Pœnitentia.

Primò, quia nullum peccatum remitti potest, nisi voluntati displiceat cum aliquo proposito abstinendi.

Secundò, quia Scriptura monet etiam nos ad Pœnitentiam de venialibus: nam Apoc. 2. Angelo Pergami, de quo testificatur Christus, *tenes nomen meum*, dicitur, *Pœnitentiam age.*

Tertiò, quia B. Aug. in opere 50. homiliarum ho. 27. & 50. (quæ aliàs vocari solent de utilitate Pœnitentiæ, vel de Pœnitentia) distinguit tri- C plicem Pœnitentiam: *unam*, quæ agitur à susceptu ris Baptismum; *secundam*, quotidianam: *tertiam* eorum quia à Baptismo deliquerunt mortaliter. & c. 71. Ench. *de quotidianu, brevibus, levibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur; quotidiana*, inquit, *oratio fidelium satisfacit.* Cùm enim præscribatur recitanda etiam justis, ut petant sibi dimitti debita, id est, peccata; consequens est quod ad eorum remissionem opus sit Pœnitentia. Hinc ep. 48. *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocunque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine Pœnitentia posse transire.* vide ar. seq. ad 2.

## Conclusio II.

D Ad remissionem peccati venialis non requiritur actualis & expressa Pœnitentia: neque tamen sufficit habitualis: sed requiritur, ut minimùm virtualis, & illa sufficit.

Prima pars, probatur ex discrimine quod B. Thomas ponit peccati mortalis à veniali. Mortale perfectè separat hominem à Deo, redditque mentem ejus omnino à Deo aversam: veniale verò separat imperfectè, in quantum retardat affectum hominis, ne promptè in Deum feratur; non tamen perfectè separat aut avertit hominem à Deo: opponitur enim fervori & perfectioni charitatis, & non ipsi charitati. Hinc enim sequitur, quod ad remissionem peccati mortalis requiritur E perfectior Pœnitentia, scilicet formalis & expressa, quantum est in pœnitente, quàm ad remissionem venialis.

Confirm. Peccatum veniale est levis offensio: ergo ad eam tollendam sufficit pœnitentia quæ sit imperfectior quàm actualis.

Secunda pars videtur manifesta: quia si habitualis sufficeret, nunquam esset peccatum veniale simul cum charitate: nam ipsa charitas includit habitualem displicentiam omnium peccatorum.

Restat ergo sufficere virtualem, eamque ut minimum requiri, ut B. Th. hìc affirmat, & art. 2. ad 2. & art. 3. in Corp. & in 4. d. 16. q. 2. art. 2. Hæc autem tunc censetur esse, quando aliquis hoc modo fertur secundùm affectum in Deum & res divinas, ut si menti ejus occurreret cogitatio venialium admissorum, de illis formaliter & expressè doleret. *Sufficit pœnitentia virtualis ad remissionem venialium.*

Ex his consequens est, non quovis opere bono, tametsi meritorio, remitti peccata venialia; quia multa opera bona possunt existere cum affectu peccati venialis, & consequenter sine virtuali pœnitentia illius. Potest enim quis ardenter Deum diligere, & eleemosynas facere; & nihilominus alicujus peccati venialis affectum retinere. Unde quamvis S. Joannes ardentissimè diligeret, clamabat tamen, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, &c. Adde quod alioquin sequeretur, & justos (cum sæpe faciant opera meritoria) frequenter carere omni peccato veniali, & in vanum instituta esse varia remedia pro delectione peccatorum venialium.

Ad 1. ergo argumentum patet negandum esse Antecedens.

Ad Probationem Resp. plus aliquid requiri ad remissionem peccati venialis quam ad hoc ut opus sit meritorium, scilicet ut opus quo peccatum deletur, aliquo modo repugnet offensæ; Tale autem non est omne opus meritorium, etiamsi fortasse referatur ad illam delendam: ista enim relatio nisi adjunctam habeat veram (saltem virtualem) displicentiam, cùm de opere nihil immutet non facit ipsum opus esse magis contrarium quàm sit in se.

Nec obstat, quod tale opus mereatur vitam *Ob.* æternam, quæ est dignior, quia opus supernatu- *Resp.* rale hominis justi per se ordinatur ad eam promerendam; non autem ad remissionem peccati venialis: Ad hanc enim requiritur aliqua contrarietas & satisfactio; quæ non semper inveniuntur in opere meritorio respectu cujuslibet peccati. Unde non valet argumentum à majori ad minus, cùm sint diversæ rationis.

Ad 2. tum ex Apocal. 2. tum ex 1. Ioan. 1. pa- D tet negandum esse quod sumitur. Ibi enim de peccatis quæ reperiuntur in justis sermo est. Sed, & cùm de omni verbo otioso monemur reddendam esse rationem, satis colligendum relinquitur, aliquam de ipso pœnitentiam requiri. Comminatio autem pœnæ æternæ, non fit omnibus pœnitentiam non agentibus, sed illis qui jam ante sunt illi pœnæ, propter aliquod peccatum mortale obnoxij.

De 3. postea latiùs.

Ad 4. Neg. Cons. quia sufficiens malæ voluntatis retractatio contineri potest in eo actu qui virtualiter & implicitè illi contrariatur: Talis autem est actus pœnitentiæ virtualis.

Nec obstat, devotionem consistere cum men- *Ob.* dacio officioso: quia non quælibet devotio est *Resp.* pœnitentia virtualis; sed ea demum, quâ quis sic in Deum afficitur, ut vellet peccata sua venialia detestari, sic occurrerent memoriæ; & sic patet Resp. ad 5.

Ad 6. B. Th. sub actuali displicentia comprehendit virtualem, quasi dicat, *non sufficit habitualis displicentia, sed requiritur actualis*, i. talis qua quis actu sive explicito & formali, sive virtuali detestetur peccatum. Et hanc esse ipsius mentem colligimus, tum ex eo quod subjungit, *sufficit tamen generalis*: tum ex eo quod in resp. ad 3. dicit, *non*



*non requiritur displicentia in particuliari* (cujus- A modi est ea quæ est formalis & explicata) *sed in universali tantum.*

Si dicas, hinc sequi contingere posse ut justus aliquando sit sine omni peccato, contra illud 1. Joan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; Resp. potest, non esse id inconveniens, nec contra Apostolum; cujus sensus est, non posse aliquem dicere se nunquam peccasse, vel nunquam peccare; imò nec affirmare quod sit sine peccato: quia sæpè labitur, & nunquam est certus de sufficienti dispositione ad remissionem omnium venialium peccatorum requisitâ. *Illud verbum*, ait B. Thom. q. 79. art. 4. ad 2. B *non est intelligendum quin aliquâ horâ possit homo esse absque omni reatu peccati venialis, sed quia vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus.* Similia habet q. 7. de malo, art. 12. ad 4. ubi etiam addit rarò contingere *homines in hac mortali vita viventes, ab omnibus vitiosis affectibus esse liberos, unde non possumus fiducialiter dicere, Peccatum non habemus.* Et, *si etiam homo ad horam ab omnibus venialibus immunitatem consequatur, quantum ad culpam: non tamen sequitur quod sit liberatus, quantum ad totam pœnam.*

Circa Resp. ad 1. observandum est discrimen Pœnitentiæ peccatorum mortalium, à pœnitentiâ venialium; quod ad illam requiratur propositum vitandi singula, & universa, quod fieri po- C test per gratiam: Ad hanc verò sufficiat propositum vitandi singula, ita scil. ut nullum placeat, ac nullius retineatur affectus, etiamsi apud se non statuat quod ab omnibus collectivè abstinebit: quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur; & moraliter ac secundùm legem ordinariam fieri non potest, ut omnia omninò evitet, quamvis nullum sit quod vitare non possit.

De Responsione ad 1. diximus art. 11. q. 66. quæsito 3.

Quod in Resp. ad 3. dicit fervorem charitatis virtualiter implicare displicentiam venialium peccatorum; intelligendum est de fervore, non D solum secundùm intensionem, sed etiam secundùm extensionem ad omnia quæ retardare possunt affectum hominis ab amicitia cum Deo. Sic enim actus amoris habet oppositionem cum veniali peccato, & mutat voluntatem; cùm alioquin amor fervens solùm intensivè, non sic opponatur, sed compatiatur alicujus culpæ levioris affectum & voluntatem: fervor enim *non æqualiter semper se habet ad omnia, sed quandoq; respicit aliqua in speciali, & contra ea efficacius operatur; Et, si in generali respiciat ea, potest contingere quod non habet eundem effectum in omnibus, eò quod affectus hominis aliquando habitualiter est inclinatus ad aliqua peccata venialia committenda, ita scil. quod si in memoria haberentur, non displicerent, vel* E *forte si opportunitas adesset, committerentur*, ait Author dictâ q. 7. de malo, art. 12. ad 4. & art. 11. dicit venialia remitti post hanc vitam, etiam quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scil. per actum charitatis in Deum, non quemcunque, sed repugnantem venialibus. verùm cùm singularis hîc sit difficultas, examinandum est quod

## Quæritur I.

*An & quatenus remitti possint venialia post hanc vitam.*

Non posse remitti quoad culpam, probare videtur in primis argumentum tertium, quod initio hujus articuli propositum est.

Secundò, quod justus hinc decedens cum gratia finali, per eam consequatur venialium remissionem, antequam decesserit: extinctâ scil. concupiscentiâ, ex quâ processerant.

Tertiò, quod non videatur probabile aliquem in charitate existentem non moveri motu charitatis in Deum, quando videt mortem sibi imminentem.

Quartò, quod Greg. l. 4. Dialog. c. 24. doceat culpas justorum in morte resecari.

Quintò, quod peccatum non remittatur, nisi immutatâ voluntate: voluntas autem non potest immutari post hanc vitam, sicut nec Angelus post lapsum.

Responsio certa est, peccata post hanc vitam *Aliqua peccata remittuntur post hanc vitam.* aliqua remitti, tam quoad culpam quam quoad pœnam: quia id significavit Christus Matth. 12. cum de peccato in Spiritum sanctum dixit, *non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

*In quâ sententia datur intelligi*, ait Greg. lib. 4. dialog. c. 39. *quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.*

Unde Aug. l. 21. de Civ. c. 24. *Neque de quibusdam veraciter diceretur quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.*

Et Bernard. serm. 66. in Cant. *Cur benedixit, si nulla manet in futuro remissio purgatione peccati?* Vide Isidorum l. 1. de off. c. 18. Bedam in cap. 3. Marci, & Scholasticos in 4. d. 21.

Adferri solet & illud 1. Cor. 3. *Si quis superædificat super fundamentum hoc, lignum, fœnum, stipulam*: per quæ significantur peccata venialia purgatorio igne probanda: sed videatur in 1. 2. q. 89. art. 2.

Si dicas, hæc omnia à Sanctis Patribus dicta, *Ob.* esse intelligenda de remissione venialium, quoad pœnam. Resp. id non sufficere: sic enim non le- *Resp.* via tantum erant commemoranda, sed etiam gravia; cum & gravissimorum peccatorum pœna, quæ post illorum remissionem restat luenda, post hanc vitam remittatur in purgatorio.

Sed nec hæreticorum responsio satisfacit, nihil *Ob.* aliud sermone Christi apud Matthæum significari, quàm quod peccatum in Spiritum sanctum *Resp.* nunquam remittatur, idque B. Marcum declarasse, qui pro *sæculo hoc*, & *futuro*, dixit, *in æternum.* Cùm enim illud, *æternum*, constet duabus partibus, Matthæus distinctè illas enuntiavit: quòd non feciſſet, nisi remissio peccatorum pertineret ad utrumque sæculum.

Confirmatur, si nullum esset futurum sæculum, absque ratione diceretur, *neque in hoc sæculo, neque in futuro*: ergo & inaniter dictum est, quod non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro, si nulla remissio sit in futuro: quia duplex fit partitio: una sæculi, altera remissionis.

Secundò, Purgatorium vocatur à purgando: nihil autem propriè purgatur, nisi à sordibus: ergo

aliquæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



aliquæ sordes purgantur in eo loco qui vocatur A purgatorium. Atqui pœnæ non sunt sordes, sed miseriæ (neque enim faciunt hominem sordidum sed miserum) ergo animæ ibi purgantur à peccato, quantum ad aliquid à pœnâ diversum, quòd scil. faciebat eas sordidas. Unde Ecclesia non solùm orat pro defunctis, *ut à cunctis reatibus absolvantur*; quod de peccato quoad pœnam est accipiendum; sed etiam, *ut sacrificijs purgati, & à peccatis expediti, indulgentiam pariter & requiem capiant sempiternam. Item, ut quæ per fragilitatem carnis humanæ conversatione commiserunt, Deus venia misericordissimæ pietatis abstergat.* Ista verò de peccatorum maculis esse intelligenda, certum videtur; *Apoc. 21.* cùm illæ solæ purgari possint & abstergi. B

Tertiò, Non pauci, etiam pij & justi, rapiuntur hinc, aut somno oppressi, aut vi morbi in amentiam lapsi, qui priùs habebant effectum ad aliquod peccatum veniale; quod cùm non remittatur eis in hâc vitâ, consequens est remitti in alterâ: nihil enim coinquinatum intrat in regnum cælorum; illi autem non possunt dici in perpetuum ab eo excludi.

Ad 1. Arg. Resp. post hanc vitam non esse locum Pœnitentiæ, quâ mutetur status de malo in bonum; esse tamen locum dispicentiæ præteritorum, ita ut ea dispicentia seu pœnitentia quamvis non habeat rationem meriti, habeat tamen rationem dispositionis contrariæ peccato. Dixit C quidem B. Tho. in 4. d. 21 & Suppl. q. 98. art. 6. posse ibi animam mereri aliquid accidentale: sed in eo non mansit, ut ex dictæ q. 7. de malo ar. 11. patet. *Quia*, inquit, *post hanc vitam non est status merendi, dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem pœnæ, sicut in hac vita.*

Ad 2. gratia finalis nihil addit ad gratiam toto tempore vitæ habitam, nisi durationem usque ad mortem; hæc autem duratio non est remedium ad delendam culpam venialem.

Ad 3. B. Th. dicto art. 11. respondet id satis probabile videri in his qui cum usu rationis ex hâc vitâ recedunt. Neque tamen sequitur quod D tales à nullis culpis mundentur in sæculo futuro propter ea quæ idem S. Doctor habet ejusdem q. art. 12. & quæ nos supra circa Responsionem ad 3. hujus art. attulimus; quia nihilrum potest esse quod aliquis feratur motu charitatis in Deum, ac nihilominus, aliquo adhuc modo afficiatur ad peccatum veniale, aut certè illi afficeretur, si veniret in mentem. Ubi nulla ne quidem virtualis intervenit pœnitentia seu dispicentia talis peccati.

Ad 4. possunt culpæ justorum aliquando in morte resecari, per dolores & pœnalitates voluntariè acceptas: sed non dicit Gregorius, semper tunc resecari; quia nec amor semper est tantus, nec dolor tam voluntarius, quam deberet esse. E

Ad 5. Licet voluntas mutari non possit essentiali mutatione, *scilicet quantum ad finem, vel quantum ad charitatem vel gratiam: potest tamen accidentaliter mutari*, scilicet, *per remotionem impedimenti*, ut tradit Beatus Thomas dicto art. 11. ad 2.

## QUÆRITUR II.

*Quando & per quid, fiat culpæ venialis remissio.*

Beatus Thomas dictâ d. 21. existimat eam *Quæst.* dimitti per ignem purgatorium, eò quod pœna illa, aliqualiter voluntaria, habeat virtute gratiæ vim expiandi omnem illam culpam, quæ cum gratia stare potest.

Sed in Resp. ad 9. dicti ar. 11. de malo docet (id quod nobis videtur probabilius) pœnæ quidem reatum tolli per pœnam igni; quia sic anima patitur quod debet: *culpam verò non remitti per pœnam neque secundùm quod actu sustinetur, quia non est meritoria: neq; secundùm quod recogitetur, non enim esset motus charitatis quod aliquis detestaretur peccatum veniale propter pœnam, sed magis esset motus timoris servilis, vel naturalis. Remittitur ergo in purgatorio veniale, quantum ad culpam, virtute gratiæ, non solum secundùm quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum; sed prout exit in actum charitatis, detestantis veniale peccatum.* *Una Resp.*

Et quamvis disputetur de tempore; probabile tamen est culpas veniales deleri, non diu postquam anima est è corpore egressa: quia cùm statim ab egressu perfectè cognoscat suum statum, ac omnes culpas quibus adhuc est maculata; probabile est quod statim concipiat amorem Dei, & detestationem omnium eorum quæ Deum offendunt ipsamque retardant ab ejus fruitione: quia nihil eam impedit à tali actu; nec habebit postea plus gratiæ quàm tum habeat. *Resp.*

Deinde, quando est aliquod magnum bonum quod differtur, & magnum malum quod imminet, tunc excitatur intensum desiderium ad consequendum illud bonum, & evadendum istud malum: Sed ei animæ separatæ, quæ purgatorio est obnoxia, imminet magnum malum, imò potius jam est in magno malo, scilicet in acerba purgatorij pœna, & differtur à maximo bono, scilicet à vita æterna: ergo statim excitatur in ea fervens desiderium. Quæ ratio, ait B. Th. ad 16. dicti art. 11. *non concludit quod peccatum veniale in purgatorio non remittatur, sed quod statim ibi remittatur:* (hæc est enim vera lectio quam habent veteres codices) & *hoc satis videtur probabile.*

Nec obstat quod Gregorius & alij Patres di- *Ob.* cant peccata levia igne purgari: quia licet actum memoratum eliciat anima statim à suo egressu; *Resp.* non tamen est necesse, quod eodem ipso instanti fiat abolitio culpæ, antequam descenderit in purgatorium, sed sufficit quod quum est in loco purgatorij & pœnas ejus sentit: quia effectus non est necessariò in primo illo instanti in quo est dispositio; satis est quod sequatur.

### Articulus II.

Art. 2. docet non requiri infusionem gratiæ habitualis ad hoc ut peccatum veniale tollatur, sed sufficere aliquem motum gratiæ vel charitatis: quia veniale peccatum non repugnat habituali gratiæ, sed ejus fervori & actui quem retardat. Quæ doctrina & de peccati venialis remissione per se intelligenda est (per accidens enim, si conjunctum est mortali, potest requiri infusio) & extendenda ad gratiam quæ secunda dicitur, eò quod gratiæ *Infusio gratiæ non requiritur ad pecc. veni. remiss.*



gratiæ prius inexistenti addatur: Nam pro ratione A adfert, quod *peccatum veniale non contrarietur habituali gratiæ*: quod verum est tam de prima, quàm de ejus augmento. Dicit etiam non requiri *quod in fundatur aliqua habitualu gratia, sed sufficere modum gratiæ.* Quæ antithesis, omnis gratiæ habitualis quæ de novo adveniat, necessitatem excludit: si enim requireretur secunda seu augmentum primæ, falsum esset quod sufficiat motus gratiæ.

Quod addit, *quandocunque de novo gratia infunditur peccata venialia remittuntur*; intelligi debet, de venialibus, quorum habetur displicentia, vel actualis, vel virtualis: ut ex Resp. ad 2. patet: Ea enim quorum effectus perseverat, non remittuntur, cùm *sicut peccatum mortale remitti non potest,* B *quamdiu voluntas peccato adhæret: ita etiam nec peccatum veniale*, inquit ipse art. 1. Et consequenter, quod initio corporis dixit sufficere aliquem motum gratiæ vel charitatis; intelligendum etiam est de motu, qui saltem virtualem peccati displicentiam habeat conjunctam.

Porrò cum art. 8. qu. 79. ex eodem docuerimus ad augmentum gratiæ per Eucharistiam habendum, non esse necessariam actualem devotionem: difficultas est, quomodo nunc dicat quod *Quæst.* *in habentibus usum liberi arbitrij non contingat esse infusionem gratiæ, sine actuali motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum.* Quibusdam videtur quod hîc solum loquitur de prima infusione gratiæ, C quâ quis ex injusto fit justus.

Sed his obstat quod art. sequenti dicat, *per infusionem gratia tolluntur venialia peccata ut supra dictum est*, art. scilicet 2. quæ verba non amittunt limitationem jam dictam, nisi velimus per solam primæ gratiæ infusionem remitti peccata venialia quod falsum est.

*Resp.* Quapropter dicendum videtur nullam esse in adultis ratione utentibus infusionem gratiæ, sive primæ sive secundæ, quin saltè præcesserit bonus motus in Deum, & in præsenti adsit voluntas, saltem virtualis, consentiens in receptionem doni quod infunditur & talis motus est etiam in peccatum, saltem virtualiter, quamvis non sit actualis D & expressa devotio omnem distractionem seu indevotionem excludens, qualem dicta qu. 79. diximus non requiri. Duplex hîc remanet difficultas. Unde

### Quæritur I.

*An peccatum veniale possit remitti per actum contrarium, naturæ viribus elicitum?*

*Resp. neg.* Fuit hæc quorundam opinio, sed Resp. neg. tenenda est.

Primò, quia per canonem 7. Arausicanum, & per definitionem 214. Patrum declaratum habemus, *Nos sine gratia Christi, nihil veræ sanctæq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere posse.* E

Secundò, quia *nullus miser de quantacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur*, can. 14. Arausicano.

Tertiò, quia peccatum veniale est offensa Dei, pro qua non potest homo suis viribus satisfacere.

Quartò, quia vox justorum, *Dimitte nobis debita nostra*, petit venialia sibi condonari.

Quintò, quia *sanguis Christi emundat nos ab omni peccato*, 1. Io. 1. Cõfer B. Th. hîc ad 1. & ar. 4.

### Quæritur II.

*Vtrum in remissione peccati venialis solum tollatur reatus pœnæ.*

Videtur quod sic; quia propriè loquendo peccatum veniale non causat maculam in anima, ut B. Th. loquitur 1. 2. qu. 89. art. 1.

Resp. pro certo habendum, quod peccatum veniale maculam aliquam causet, quam propterea necesse sit deleti, quando remittitur.

Probari potest. Primò, ex Ioan. 13. *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet.* ubi significatur quod lavamur & mundamur à peccatis, etiam venialibus: & ad Eph. 5. Christus dicitur exhibiturus sibi Ecclesiam gloriosam, *non habentem maculam aut rugam.* Quod Aug. ep. 57. serm. 41. de Sanctis, & c. 15. li. de perfectione justitiæ non in hac vita sed in futura impleri tradit: consequens ergo est quod hîc habeat maculas, etiam in justis, *Peccatum veniale maculam causat.*

Secundò, Qui peccata venialia commisit, est & dicitur peccator postquam actus transijt, donec ea fuerint remissa: ergo aliquid in eo manet à quo formaliter sic vocetur. Cum enim Apostolus de justis loquens dicit, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus* &c. non intelligit præcisè de actu peccati, cùm is non habeatur nisi quamdiu durat opus peccati: sed nec de solo reatu; subdit enim, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*: reatus autem luendæ pœnæ non facit hominem sordidum & immundum, ut egeat emundatione, sed miserum. Agnoscit ergo per peccatum veniale contrahi labem seu maculam animæ à quâ sit emundanda.

Et hanc esse sententiam, B. Thomæ, non potest esse dubium ei qui responsionem ad 3. hujus articuli legerit, ubi docet per peccatum mortale causari maculam, quia privatur totus decor animæ quem habebat ex gratia: per veniale verò, quia licet non totus ille decor tollatur, propter inclinationem tamen affectus ad creaturam; superinducitur impedimentum illius decoris seu labes quædam, illi maculæ similis, quam corporibus bene tersis & politis adfert levis attactus, vel flatus, quæ deinde sine externa ulla opera evanescit, ipso nitore eam veluti pellente. Sic enim & venialium peccatorum macula vi charitatis & ejus exercitio tollitur, sine alio remedio externo ad hoc peculiariter divinitus instituto. *Ad tollendam*, inquit, *maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia.*

Eandem S. Doctoris mentem probant quæ in 4. dist. 16. q. 2. ar. 1. quæstiuncula 2. scribit, *Peccatum veniale quamvis Deo displiceat, non tamen facit peccantem Deo displicentem; quia non privatur claritas gratiæ, sed quodammodo obnubilatur, in quantum ejus processus ad exteriora impeditur: & ideo Greg. dicit, Peccatum veniale obscurat, sed mortale obtenebrat.* Confer etiã art. 2. quæstiun. 2. ad 1. Eodẽ spectat tum quod art. seq. ad 3. agnoscit culpã venialis peccati, sicut & q. 7. de malo ar. 11. tũ quod illius q. ar. 1. ad 23. dicit quod Deus punit eum qui venialiter peccat *tanquã purgans & emundans*: censet ergo veniale peccatum inquinare animam.

Ad Arg. autem Resp. authorem isto loco concedere quod peccatum veniale causet maculam quæ impediat nitorem actualem: dicit tamen quod

Universidad de Deusto
Biblioteca



quod propriè loquendo non causet maculam in A
animâ ; quia non causat talem , quæ vel habitum
charitatis excludat , vel gradum determinatum
tollens cum diminuat.

*Remedia contra pecc. venialia.*

### Articulus III.

ART. 3. docet esse remedia triplicis generis, quibus remittuntur peccata venialia.

IN PRIMO continentur ea , quæ gratiam causant ; cujusmodi sunt omnia Sacramenta novæ legis: per infusionem enim gratiæ,ea peccata venialia tolluntur, quorum habetur displicentia, saltem implicita. Et quamvis de modo disputetur ; veriùs tamen loqui videntur qui omnibus Sacramentis novæ legis tribuunt vim ea peccata remittendi ex B
opere operato quia sunt instituta ad animæ sanctificationem , & ad gratiæ vel primæ vel secundæ collationem ; qua potest sicut magna macula abstergi,ita & parva.

Sed cum Sacramenta non operentur nisi in subjecto disposito : controversia est , quæ dispositio requiratur ut per Sacramentum , aliquod , remittantur peccata venialia.

*Quæst.* Dicendum videtur talem requiri voluntariam Sacramenti ejusque effectus susceptionem , ut & excludat affectum seu complacentiam ipsorum, & conjunctam habeat detestationem peccati venialis,explicitam vel implicitam ; ut patet ex initio corporis,& ex responsione ad 2. art. superioris, ubi C
*Resp.* dicit quod sine tali actu peccatum veniale nunquâ remittitur. Cum illo autem,etiamsi fortasse non sit tanti fervoris,ut sine Sacramento sufficeret,remittuntur per Sacramentum plura, vel pauciora , pro quantitate devotionis , quâ vel plura , vel pauciora peccata venialia ei displicuerint , saltem virtualiter.

In secundo genere ponit ea quæ sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum ; ut confessio generalis,tunsio pectoris & oratio dominica: hæc enim ut motum illum habent , sunt actus Pœnitentiæ , ac proinde operantur ad venialium remissionem.

De posterioribus vide Augustinum epist. 108. & hom. ult. inter 50.

De confessione verò generali facit fidem Ecclesiastica consuetudo ad horas canonicas, primam & Completorium.

TERTII generis dicit esse illa,quæ in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum & res divinas , & consequenti important displicentiam eorum per quæ Deus est offensus: ut benedictio Episcopalis , oratio in Ecclesia consecrata, quælibet sacramentalis unctio , & asperso aquæ benedictæ;de quâ dicit Alexander illam benedici, ut eâ uncti aspersi sanctificentur & purificentur, de consecr. dist. 3. c. *Aquam* : & de quâ precatur Ecclesia in exorcismo salis , ut *sit salus mentis & corporis* ; & post commixtionem ejus cum aqua, E
*ut præsentia sancti Spiritus adesse dignetur.*

His addi potest usus imaginum cerearum,quæ vocantur *Agnus Dei* , granorum benedictorum, datio eleëmosynæ, benedictio sacerdotis ; ex c. *Multi* 1. qu. 1. & alia quæ, & quatenus inclinant animam ad motum Pœnitentiæ.

Porrò quod aliqui sacramentalia per quæ fiat remissio venialium peccatorum , isto versu comprehendunt.

*Orans , tinctus , edens , confessus,dans,benedicens* :

non magno nititur fundamento. Nam per tertium intelligunt eum qui sumit Eucharistiâ;cum tamen illa Sacramentum sit,non sacramentale dumtaxat. Si verò intelligatur is qui sumit panem benedictum,antiquitus dari solitum & catechumenis,& fidelibus non communicantibus,in memoriam & significationem Eucharistiæ ; ex ea quidem parte iste versiculus salvabitur : sed aliunde potest impugnari. Eorum enim quæ recensentur nonnulla non sunt sacramentalia , cum nullum habeant ordinem ad aliquod Sacramentum ; sicut est oratio Dominica , tinctio sive aquæ benedictæ aspersio, datio eleëmosynæ. Major difficultas est.

*Quomodo aqua benedicta , aut ea quæ dicuntur sacramentalia remittant peccata venialia?*

QUIBUSDAM videtur quod ex opere operato : PRIMÒ,quia Patres simpliciter dicunt ea delere peccata venialia, ut Augustinus Enchir. c. 71. *Delet*, inquit, *hæc oratio* (scilicet Dominica) *minima, & quotidiana peccata.*

SECUNDÒ , quia non deest Ecclesiæ potestas applicandi merita Christi ad culparum deletionem ; sicut ea per indulgentias applicat ad condonationem pœnarum.

Deinde , si per se non valerent ad illum effectum , non esset ratio cur peculiariter eis tribueretur,& non etiam sacræ concioni , & lectioni,& similibus : cùm & hæc possint excitare mentem hominis ad dolorem peccatorum , ad reverentiam in Deum aut similem motum.

Dicendum tamen est , neque aquam benedictam , neque ullum sacramentale delere peccata venialia ex opere operato ; sed tantum ex opere operantis , per preces Ecclesiæ quæ funduntur quando hæc benedicuntur ; & per fidem ac devotionem utentium , in qua inest tacita vel expressa contritio super istiusmodi peccatis.

Ita Richard. in 4. d. 1. art. 1. q. 3. dicens *quod per aspersionem aquæ benedictæ remittuntur venialia per modum meriti, in quantum excitat motum voluntatis seu fervorem charitatis , per quam fit venialium remissio , non tamquam per vim Sacramenti.* D

Paludan. in 4. d. 2. qu 1. art. 2. de sacramentalibus agens , ac nominatim de aqua benedicta, *non sunt* , inquit , *hæc contemnenda,licet non sint Sacramenta , nec per modum Sacramenti habeant effectum ex opere operato : quia effectum habent per modum meriti & fidei ex opere operante ; & non ex solo fervore & devotione utentium , sed totius Ecclesiæ.* Similiter scribunt Gabriel in 4. dist. 16. qu. 5. & Sylvester verbo *Aqua benedicta* qu. 1.

Neque dissentit B. Tho. Hoc enim art. docet sacramentalia valere ad remissionem peccatorum venialium , in quantum sunt vel *cum motu detestationis peccatorum* , vel *cum motu reverentiæ in Deum & ad res divinas.* Et in resp. ad 1. dicit *quod omnia ista causant remissionem peccatorum venialium , in quantum inclinant animam ad motum Pœnitentiæ , qui est detestatio peccatorum vel implicitè vel explicitè.* Et ad 3. *Per prædicta tolluntur quidem peccata venialia , quantum ad culpam tum virtute alicujus satisfactionis,tum etiam virtute charitatis, cujus motus per prædicta excitatur.* Si existimaret venialia peccata tolli per hujusmodi sacramentalia ex opere operato , non tribueret eorum remissionem virtuti charitatis aut motui pœnitentiæ sicut effectum Sacramentorum illis non attribuit , eò quod Sacramenta ex opere operato eum efficiant.

CONFIR-



CONFIRMATUR , Sacramentalia sunt ex insti- A
tutione Ecclesiæ : sed Ecclesia non habet potestatem delendi immediatè culpas veniales : ergo nec dandi sacramentalibus istam virtutem.

Adde quod deletio culpæ est interior operatio,ad tollendam labem animæ inhærentem: Ecclesia verò nec ipsa per se , nec per aliud extra Sacramenta;potest in anima operari.

AD 1. ergò ARGUMENTUM RESP. Sacramentalia dici delere peccata venialia , quia per modum deprecationis & impetrationis ad huc valent, mediante motu pœnitentiæ, qui illorum usu in nobis excitatur. Sicut autem Patres , ac nominatim Augustinus Enchir. cap. 72. docent etiam eleemosynam valere ad remissionem peccatorum B
impetrando scilicet pœnitentiam pro culpâ , & postea satisfaciendo pro pœna : sic & quod de oratione Dominicâ dicit idem Augustinus , accipiendum est.

AD 2. Negatur assumptum. Ad probationem Resp. rationem diversitatis esse , quòd remissio pœnæ restantis post culpam deletam , non requirit operationem intrinsecam , sed solam pœnæ condonationem ; culpæ autem remissio postulat interiorem operationem.

AD 3. Ratio diversitatis est : quod quæ numerata sunt , partim ex genere suo & modo quo fiunt habent adjunctum aliquem dolorem peccatorum , vel ejus significationem ; ut confessio generalis,tunsio pectoris, oratio Dominica : partim habent specialem vim impetrandi , fundatam aut C
in Verbo Dei , ut eleemosynas aut in illis orationibus Ecclesiæ quæ tunc nobis applicantur,quando rebus per illas consecratis vel benedictis utimur ; ut sunt aqua benedicta, oratio in Ecclesia &c. Hinc non idem valeret aqua quæ adhiberetur ex falsâ persuasione quod esset benedicta , licèt enim devotionis fructum non perderet ; Ecclesiæ tamen intercessionem non applicaret.

### Articulus IV.

*Vtrum veniale peccatum possit remitti sine mortali?*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ , quia sequeretur D
alioquin peccatum veniale puniri pœna æterna in eo qui moreretur cum mortali & veniali simul,atque adeò nullum esse discrimen istorum peccatorum.

SECUNDÒ , Si puer aliquis hinc decederet in originali & veniali , sequeretur eum pœnâ ignis æterna puniendum : quod tamen falsum videtur.

TERTIÒ,Sicut in inferno non est locus merendi, ita nec in Purgatorio : sed in hoc remittuntur peccata venialia,ergo & in illo.

QUARTÒ , Peccatum veniale non habet aver- E
sionem à Deo , sed solum à quibusdam mediis , quibus ad Deum homo ordinaretur : hæc autem aversio potest auferri per conversionem , quâ ipse ab ultimo fine non aversus, potest rectè operari circa illa ipsa media.

Confirmatur , unum peccatum mortale non potest remitti sine alio, propterea , quod sint connexa secundùm aversionem : sed venialia non habent talem connexionem cum mortali , ergo possunt remitti sine illo.

QUINTÒ , Peccator meretur de congruo bona temporalia ; per opera moraliter bona ; ergo & remissionem peccati venialis , saltem ejus quod solum opponitur virtuti naturali: nam & hæc bonum quoddam est temporale & naturale.

SEXTÒ , Peccator potest habere verum actum temperantiæ , ergo per illum auferretur peccatum & habitus intemperantiæ , sicut per contrarium.

SEPTIMÒ , Habitus infidelitatis potest per fidem tolli ab aliquo manente in alio peccato mortali : ergo multò magis peccatum veniale,quod non est tam enorme quàm peccatum infidelitatis.

DENIQUE, fundamentum Beati Thomæ quod nullus gratiæ actus potest esse in eo qui subjacet peccato mortali , est falsum : nam pœnitentes multos gratiæ actus exercent , priusquam infundatur eis gratia habitualis.

RESPONSIO B Thomæ quæ certissima est NE- *Non potest remitti veniale sine remissione mortalis ei conjuncti.*
GATIVA , scilicet homini habenti aliquod peccatum mortale , non posse ullum veniale remitti, illo mortali non remisso.

PRIMÒ , quia remissio cujuscumque peccati nunquam fit nisi per virtutem gratiæ , vel priùs inhærentis, vel jam recenter infusæ : est enim aut effectus gratiæ habitualis, aut actus ipsius.

SECUNDÒ , peccatum veniale importat veram maculam, ut ar. 2. fuit ostensum , hæc autem deleri non potest sine gratia habituali , quia licet non opponatur gratiæ , opponitur tamen aliquo modo perfectioni & nitori ipsius : quæ perfectio reddi non potest , si anima non habet gratiam : sicut nec anima potest fieri gratior & ornatior ( quod est per deletionem culparum venialium ) si neque fit grata, neque per gratiam ornata.

TERTIÒ , remissio peccati cujuscumque , est signum amicitiæ & reconciliationis : atqui peccator quamdiu est in peccato mortali , non est amicus, nec Deo reconciliatus ; ergo non consequitur ullius peccati remissionem.

QUARTÒ,si peccatum veniale posset remitti sine mortali, daretur casus in quo quis haberet remissionem peccati sui , etiam si non remisisset fratri in ipsum peccanti; Quod est contra illud Matt. 6. *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum , nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.*

AD 1. ergo ARGUM. RESP. cum Beato Thoma quæst. 7. de malo art. 10. peccatum veniale per accidens puniri posse pœnâ æternâ , eò quòd reperiatur in ea persona , cui propter impœnitentiam & conjunctionem ad mortale , nunquam remittetur: & nihilominus manet discrimen utriusque, quia mortale per se dignum est æterna pœna, non veniale.

AD 2. Beatus Thomas existimat illum casum esse impossibilem. Secundùm eos qui possibilem putant , de quo differere pertinet ad primam secundæ quæst. 85. ar. 6. dicendum est non esse absurdum , si tunc peccatum veniale per accidens pœna ignis puniatur in sempiternum , quando ejus culpa semper manet.

An verò & pro solo originali sustineatur pœna ignis, diximus 1. 2. q. 85. ar. 6.

AD 3. Negatur consequentia: nam in purgatorio eliciuntur actus charitatis, non in inferno.

AD 4. Negatur minor : quamvis enim peccatum veniale non simpliciter avertat hominem à Deo; offendit tamen eum,& in anima offendentis relinquit maculam , quæ tolli non potest per

Universidad de Deusto
Biblioteca



quamcunque rectam operationem, sed vel per gratiam, vel per actum à gratia procedentem. Nec confirmatio rectè procedit, quia licèt ista ratio non habeat hîc locum, aliæ habent.

*Ob.* Ad 5. Negatur consequentia cum sua probatione; quia remissio peccati est bonum superioris ordinis, pertinens ad salutem animæ supernaturalem.

Ad 6. Peccator potest exercere aliquos actus temperantiæ, & per illos habitum ejus acquirere; sed is non habebit rationem virtutis, secundùm ea quæ Beatus Thomas docet 1.2.quæst.65.art. 1. Per illum verò habitum, etsi pellatur habitualis intemperantia; non propterea delebitur macula ex præcedentis actûs inordinatione contracta, quia nulla est oppositio istius maculæ ad talem habitum. *Resp.*

Ad 7. Negatur consequentia, quia infidelitas in quantum est habitus quidem, tolletur per fidem supervenientem, tanquam per suum contrarium si ea accedat. Contrarium verò maculæ peccati venialis non potest esse in anima retinente vel unum peccatum mortale. Et, si ab ejusmodi tolleretur habitualis infidelitas, non propterea auferretur peccatum, sed remaneret culpa præcedentis infidelitatis, ut 2.2.quæstione sexta, articulo secundo ad 3. tradit Author.

Ad ultimum, Negatur assumptum, quamvis enim pœnitentes antequam sint justificati, exerceant actus, qui tum propter gratiam prævenientem, tum propter objectum, sunt charitatis: non eliciunt tamen eos ex habitu charitatis. Beatus autem Thomas loquitur de actibus ex habituali gratia procedentibus; Ad remissionem enim peccati venialis aliam quàm per infusionem gratiæ, requiritur aliquis actus ab ea procedens, ut ar.2. ad 3. clarè expressit; nec obscurè hîc indicavit ad 2. dicens, *Licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiæ; requiritur tamen aliquis gratiæ*, habitualis scil. *actus*. Unde in resp. ad 3. ait sine habitu gratiæ nullum peccatum mortale vel veniale remitti.

Quæ cùm ita sint; nihilominus secundùm absolutam Dei potentiam; fortè posset aliter remitti peccatum veniale, etiam non remisso mortali.

## QUÆSTIO LXXXVIII.

## *De reditu peccatorum per Pœnitentiam dimissorum.*

### Articulus I.

### *Utrum peccata dimissa redeant per sequens peccatum?*

Videtur quòd sic. Primò, ex Domino illo parabolico, qui Matth.18. cum, cui omne debitum dimiserat, jussit in carcerem conjici, quoadusque redderet universum debitum. Quod exponens Dominus dicit. *Sic & Pater vester cælestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Secundò, charitas 1. Petr. 4. dicitur operire multitudinem peccatorum: ergo detracta charitate per peccatum sequens, deteguntur priora peccata.

Tertiò, bona opera per peccatum mortificata, reviviscunt per Pœnitentiam: ergo & peccata per Pœnitentiam deleta, per relapsum revocantur. Similiter enim de justo peccante dicitur Ezech.18. quod *omnes justitiæ ejus nō recordabuntur*, & de peccatore pœnitentiam agente, quod *omnium iniquitatum ejus non recordabitur Deus.* Cùm ergo recordetur justitiarum, si ille agat pœnitentiam; recordatur & priorum iniquitatem, si denuò labatur.

Deinde, cùm Deus non recordetur omnium justitiarum ejus, qui peccando justitiam deserit, consequens est, quòd nec Pœnitentiæ prioris, ac propterea quod revocetur remissio peccatorum, facta intuitu illius Pœnitentiæ.

Quartò, Dominus Exodi 32. placatus, dicit postea, *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum:* & his verbi Psalmi 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus*, significari videtur, quòd Deus puniat peccata priùs dimissa: Deum enim recordari priorum peccatorum, est ea punire. Hinc Augustinus in illum Psalmum, *Si Iudas teneret illud ad quod vocatus est nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret. Sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis elegit, redijt iniquitas patrum ejus in conspectu Domini.*

Quintò, justum videtur, ut Deum pœniteat datæ veniæ, quando hominem pœnitet actæ Pœnitentiæ.

Sextò, B. Thomas hîc asserit redire illud quod ex parte aversionis fuerit in prioribus peccatis ante remissionem, sed aversio pertinet ad essentialem rationem peccati mortalis: ergo redit peccatum secundùm suam essentiam.

Septimò. 3.Reg.17. Dicit mulier Eliæ; *Quid mihi & tibi vir Dei: ingressus es ad me, ut rememorentur iniquitates meæ.* Et Tobias c.3. *Ne reminiscaris peccata mea vel parentum meorum. Ne memineris*, ait Psalmista Psal. 78. *iniquitatum nostrarum antiquarum*, quæ omnia non rectè dicerentur, vel peterentur, nisi putarentur dimissa peccata redire, & denuò ad pœnam imputari.

Octavò, Psal. 37. *Putruerunt*, ait David, *& corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, ubi per *cicatrices* significantur peccata remissa; quæ putrescere & corrumpi dicuntur à facie insipientiæ, quando propter insipientiam seu peccatum sequens imputantur ad pœnam æternam. Id quod significasse videtur Glossa Cassiodori: *quia plagæ per Baptismum sanatæ computruerunt, cùm jam peccato consentitur*, &c.

Nonò, peccata remissa possunt eadem numero placere voluntati; ergo redeunt quoad reatum; faciunt enim voluntatem ream.

Decimò, nihil vetat peccatum dimitti à Deo sub hac conditione, ut si rursum peccatur, non solùm illud, sed etiam vetera priùs dimissa imputentur peccatori ad pœnam; & non extat scriptura vel promissio, quod aliter Deus remittat: ergo.

Denique, huc pertinere videntur quæ habet Augustinus lib.1.de Baptismo c.12. *Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Evangelio docet:* Et serm.15. de verbis Domini. *Si nō dimiseris, revocabo te: & quicquid dimiseram replicabo tibi:* similiterque ea quæ ex Gregor. Beda, Rabano citantur de Pœnit.dist.4. quibus permoti, Gratianus in fine illius distinctionis, Hugo Victorinus lib.2.de Sacramentis parte 14. c.9. Guillelmus Parisiensis tractatu de Sacramentis, parti affirmativæ sic assentiuntur, ut omninò existi-



existiment peccata dimissa redire, & ad pœnam imputari. Magister verò in 4.d. 22. quæstionem in neutram partem definit.

Portò, cùm triplex assignari possit hujus difficultatis sensus.

*Primus*, An peccata eadem numero redeant secundùm actum.

*Secundus*, An redeant secundùm genus vel speciem.

*Tertius*, An quoad maculam & reatum; ita scil. ut rursum à Deo imputentur ad mortem æternam perinde atque si nunquam fuissent remissa; nec de primo hîc quæritur, nec de secundo: Certum enim est peccata semel remissa nunquam redire, illo primo sensu, quia secundùm naturam non potest actus seu forma semel corrupta redire eadem numero. Verum quidem est quod redire possit virtute supernaturali; non tamen per eam potest redire actus idem numero sub ratione peccati cùm Deus peccati author esse non possit.

*Peccata remissa redeunt simpliciter.*

In secundo autem sensu, certum est peccata frequenter redire; quia contra hæreticos fide tenemus justitiam semel acceptam posse amitti, sive per eadem, sive per alia crimina.

Quæstioni ergo secundùm tertium sensum intellectæ B. Thomas, cui consentiunt cæteri, sive ad hunc ar. sive ad d.22. l.4. Sent. Respondet, peccata semel dimissa, non redire simpliciter, sed tantùm secundùm quid.

*Simpliciter illa redire*, est, maculam & reatum præcedentium peccatorum, quatenus per illa erant inducta, de novo advenire; ita ut peccatum sequens Pœnitentiam, non solùm inducat maculam & reatum sibi proprium, sed etiam reducat antiquum, perinde ac si semper perseverasset, nec unquam fuisset remissus; ut propterea talis peccator sit damnandus, non solùm ob peccata nunc admissa, sed etiam propter illa priora.

*Redire illa secundùm quid*; est peccatum sequens fieri gravius propter præcedentia, ejusque maculam esse turpiorem, ac reatum majorem.

Priorem hujus Responsionis partem probat Author, excludendo duos errores, quorum Unus est dicentium quod peccata simpliciter redeant. *Sed hoc*, inquit, *esse non potest, quia opus Dei per opus hominis irritari non potest:* Remissio autem peccati est opus Dei; ergo non potest irritari per peccata sequentia quæ fiunt ab homine.

*Ob. Resp.* Si dicas, infusionem gratiæ habitualis etiam esse opus Dei, quæ tamen aufertur per peccatum hominis. Respondetur B. Thomam loqui de illo munere quod Deus absolutè concedit, independenter ab ulla conditione futura. Hoc enim sic donat, ut non possit ab opere hominis irritari. Remissio autem peccati absolutè conceditur; pertinens proinde ad illa dona de quibus dicitur ad Rom. 11. *Sine Pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*, id est, Deus non retractat, non deducit in irritum donationem aut vocationem quam semel fecit, Gratia verò licet per absolutam Dei voluntatem detur, tamen quoad sui perpetuitatem semper includit hanc conditionem, nisi homo peccet. Diversitatis ratio est, quod gratia, cùm sit quid positivum & permanens, requirit continuam Dei conservationem & influxum: (*neque* enim *aliter Deus res in esse conservat, nisi in quantum eis continuè influit esse*, ait B. Th. prima parte, quæst. centesima quarta, art. 3.) ac proinde, quoad talem influxum, pendet continuò à voluntate Dei, qui solùm vult eam justis tribuere, quamdiu non deserunt ipsum, peccando mortaliter. Remissio verò peccati non pendet à continuo influxu sed voluntate Dei dantis peccato non esse; quia per remissionem, peccatum prorsus deletur: res autem semel abolita seu destructa, semper manet destructa, nisi de novo producatur.

Hinc sequitur quod Deus auferens gratiam à peccante mortaliter, non irritat opus suum, sed potius complet; quia facit quod statuerat.

Alius Error est dicentium peccata non fuisse absolutè remissa, sed tantùm secundùm præsentem justitiam, seu sub conditione, quamdiu homo non peccaret. Quem excludit; *Quia si causa ponatur absolutè, & effectus ponitur absolutè*, quando scil. causa est sufficiens. Si ergo per gratiā & gratiæ Sacramenta non ponitur absolutè remissio peccatorum; sed tantum sub conditione in futurum pendente; sequitur gratiam & gratiæ Sacramenta non esse causas sufficientes remissionis peccatorum.

Confirmatur, Peccatum non potest deleri nisi per sui destructionem: ergo si gratia & Sacramenta non omninò delent nec penitus destruunt peccatum, non sunt causæ satis efficaces seu sufficientes ad ejus deletionem. Si verò destruunt; ergo peccatum non potest redire; quia nulla ejus reditus causa datur: Non Deus; ut qui nullius peccati causa esse possit: nec homo, cùm non committat idem illud quod ante commiserat.

Huc pertinet illud Naum 1. juxta lect.70. *Non vindicabit bis in idipsum:* quamvis enim ad literam aliò spectet Propheta, ut in Suppl. quæstione 23. ar.1. ad tertium, dicetur: sensu tamen tropologico significat Deum nō exigere punitionem ejus quod semel exactè punivit, ut observavit B. Hieronymus, quia sicut justitiæ ratio non permittit aliquod peccatum puniri gravius quam pro merito: ita nec patitur idem peccatum bis puniri secundùm exactam rationem: Neq; enim pro eodē debito potest exigi duplex solutio: Atqui peccatum semel remissum, est eo ipso exactè quoad pœnam æternam punitum in Christo, sine cujus passionis applicatione nunquam remittitur, ergo

Præterea, Qui remittit peccatum, non amplius ipsum imputat ad pœnam: ergo illi cui simpliciter & verè remittitur; nunquam in posterum ad pœnam æternam reputabitur. Aliòquin non esset vera remissio, sed dilatio tantùm punitionis, Christus autem verè peccata remittit: ergo nunquam reputabit ad pœnam ea quæ semel dimisit.

Inter Veteres clarè doctrinam hanc expresserunt, Gelasius Papa de Pœnit. d.4. c. ult. *Divina clementia peccata in ultionem ulterius redire non patitur:* & Prosper in 2. responsione ad capit Gall. *Qui recedit à Christo & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id quod remissum est recedit; nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina, eâ morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt debebatur.* Id est, æterna morte damnabitur, quâ damnatus fuisset propter priora, nisi fuissent remissa; non tamen damnabitur propter priora, sed propter posteriora.

Alteram quæ Responsionis partem probat B. Th. quia peccata præcedentia continentur virtualiter in subsequentibus, in quantum hæc aggravantur ex præcedentium remissione, propter ingratitudinem & quendam quasi Dei contemptum, qui priora dimiserat: Gravius enim delin-

Universidad de Deusto
Biblioteca



quit, qui post acceptum remissionis peccatorum beneficium, ingratus relabitur; quam priùs deliquerat; quamvis ingratitudo quæ reperitur in omni peccato relabentis, non sit speciale peccatum, sed generalis peccati circumstantia, ut docet Author articulo 4. hujus q.

AD ARGUMENTA verò, & AD 1. quidem RESPONDETUR parabolam illam non pertinere ad relabentes, sed ad eos qui veniam petunt, cùm ipsi non velint alijs remittere suas offensas.

Deinde, non omnia quæ in parabolis dicuntur, applicanda sunt ad rem propositam, sed illa tantum quæ requirit illarum scopus, ut à Chrysostomo dictum est hom. 65. in Matthæum; Nam, & venundatio, contristatio, & relatio facta Domino (utique ignoranti) non debent hic applicari; uti nec quod rex debitum relaxaverit servo, prius quam ipse suo conservo dimitteret; cùm à nobis Deus requirat, ut prius dimittamus, si nobis dimitti volumus, quemadmodum patet ex Matth. 6. & Marci 11. *Cum stabitis ad orandum dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est dimittet vobis peccata vestra.*

Quod ergo conclusione parabolæ dicit Dominus, *sic & Pater meus cœlestis faciet vobis*, non debet referri ad singulas parabolæ partes, sed ad principalem quasi diceret; Similiter vos tradet tortoribus & tormentis, neque vobis peccata vestra dimittet, si non remiseritis hominibus peccata eorum: imò, quod remissum putabatur, quodque quantum est ex parte Sacramenti & Ecclesiæ, potuerat remitti, si non fuisset obex in recipiente Sacramentum, reputabit ad pœnam.

Sciendum est enim quod peccata, per debitum decem millium talentorum significata, non fuerant verè coram Deo remissa: eò quod, cùm illorum veniam peteret servus in parabola significatus, occultum in corde odium habebat adversus proximum, nec erat paratus acceptam ab eo injuriam condonare, quamvis petenti; quem affectum, oblata statim occasione prodidit. Ac proinde, remissio de qua dicitur, *Omne debitum dimisi tibi*, intelligi debet esse facta, quantum est ex parte Dei, qui per Ecclesiæ ministros Sacramentum illi peccatori per parabolam significato, adhibuerat, de se efficax remissionis peccatorum.

Ad hunc igitur modum redire intelliguntur debita & peccata; quia cùm servus putaret ea sibi esse remissa, & quantum ad Deum atque Ecclesiam, remitti verè potuissent, imò & remissa fuissent si propria indispositio non obstitisset; in Dei tamen judicio deprehensus est reus, omniaque sunt ad pœnam imputata, perinde ac si nullum ei remissionis Sacramentum fuisset adhibitum.

AD SECUNDUM negatur consequentia. Cum enim Deo nihil sit occultum, peccata quæ dicuntur regi, non sic teguntur quasi remaneant occultata, sed prorsus abolentur ut non sint. *Charitas*, ait Author in 4. d. 22. q. 1. art. 1. ad 2. *dicitur operire peccata Deo qui omnia videt, unde oportet quod ea destruat, non quidem faciens quod actus non præcesserit, sed quod vim impediendi gratiam non habeant.*

AD TERTIUM, Ex Beatis Thoma & Bonaven. in 4. distinctione 22. q. 1. articulo primo, & quæstione 89. sequenti articulo quinto, ad primum, negatur consequentia; neq; enim est simile, cùm bona opera per peccatum sequens, non simpliciter aboleantur, sed maneant in Dei memoria; quamvis impediantur à mercede; peccata verò quando remittuntur, ita prorsus abolentur, ut nihil eorum remaneat; ne quidem in memoria Dei, qui novit se & maculam delevisse, & reatum æternæ pœnæ semel condonasse irrevocabiliter.

Eodem recidit, quod bona opera per peccatum mortificantur solum quantù ad eum cujus erant, quia per illud ipse impeditur à consecutione effectus ipsorum: peccatum verò quando remittitur, mortificatur, non solum quoad peccantem, sed etiã in se: & hoc ideo, quia peccatum quo mortificantur merita bona, est opus hominis, qui non potest simpliciter evacuare opus Dei, quamvis possit impedire ne illud sibi profit; remissio verò est opus Dei, qui potest opus hominis abolere in perpetuum.

AD Confirmationem Respondet ibidem Author, Deum justitiarum hominis justitiam deserentis non recordari, ad effectum reddendi illis mercedem vitæ æternæ, recordari tamen ad hoc ut peccata præterita quæ fuerunt semel abolita, non induret, quia scilicet non revocat veniam semel datam.

AD 4. Dominus remissa graviori vindicta quam erat comminatus isti populo, scilicet eum disperdere; reservat minorem, postea infligendam occasione alterius peccati.

AUG. Conformiter Psalmistæ loquitur de peccatis parentum non remissis: quæ dicuntur in memoriam redire, quando cum in parentibus non fuerint punita, in filijs eadem continuantibus ita graviter puniuntur, ut eo modo non fuissent in illis punienda, si parentum nulla præcessissent.

AD 5. Negatur assumptum, tum quia Deus est immutabilis; tum quia nulla est in ipso injustitia, quam tamen involvit repetitio debiti absolutè remissi.

AD 6. Beatus Thomas docens redire id quod est ex parte aversionis, non aliud vult; quam quod homo per peccatum sequens privetur gratia; sive quod accipiat maculam in anima, & fiat reus æternæ pœnæ, sicut prius. Ita enim seipsum explicat, dum subjungit quod spectando aversionem in ordine ad conversionem illam ex qua causatur, *alia est aversio, & alia macula, & alius reatus, prout consurgit ex alio, & alio actu peccati mortalis.* Et iterum, *nullo modo potest esse quod macula & reatus præcedentium peccatorum redeant secundùm quod ex talibus actibus causabantur.* Et in 4. dicto art. 1. *Aliquid potest redire dupliciter; vel in se, & sic peccata dimissa nullo modo redeunt quantum ad maculam; & per consequens nec quantum ad reatum: Vel in suo effectu, & hoc modo peccata dimissa redeunt, in quantum ex dimissis peccatis aliquid in sequentibus relinquitur, hoc nimirum quod actus peccati subsequens acquirat quandam deformitatem ingratitudinis*, ut ex ar. seq. patebit.

Quando igitur post remissionem peccatorum homo iterum peccat mortaliter, redit eadem pœna scilicet damnationis æternæ, materialiter; sed non formaliter: quia damnabitur quidem (quod & per præcedentia fuerat promeritus) sed ob peccata sequentia tantum, non ob præcedentia. Sicut, si liberatur quis per Principem à suspendio quod meruerat, & tamen postmodum peccans, suspenditur; hoc non fit propter peccatũ prius, sed propter posterius. Ubi redit reatus suspendij, non idem numero, neque ex eadem causa, sed idem, vel genere vel specie, nova tamen ratione.

AD 7.



AD 7. Scripturæ illæ de pœnis temporalibus loquuntur.

Petitiones autem ejusmodi non tam sunt ne peccata priùs dimissa Deus puniat, quam ne pœnam multo tempore dilatã, tandem inferat. Differt enim aliquando punitionem, ut homines emendẽtur: quod si non faciunt, eam pœnam infert quam & præcedentia & præsentia peccata merentur.

AD 8. Per *cicatrices* peccata non remissa intelliguntur: quasi deceret, dum peccata peccatis adjicio; factus sum instar hominis ulcerosi, qui dum negligit curare vulnera præcedentia, fit ut vetetibus nova succedant, ac in putredinem vertantur. Qui de remissis peccatis accipiet; per *cicatrices*, debet intelligere peccatorum reliquias, quæ ad peccatum sollicitant; cui sollicitationi si consentitur, tunc reliquiæ illæ dicuntur *putrescere*. Atque huc spectare videntur verba Cassiod.

AD 9. Neg. Consequentia: quia quod facit voluntatem ream, est novum peccatum, novo actu commissum.

AD 10. Posset quidem Deus absolutâ suâ potentiâ peccatum ita remittere, ut per sequentia rediret quoad reatum, dicimus autem hic quid secundùm legem statutam, & potentiam ordinariam faciat. Et quamvis in Scriptura non exprimatur quod remissio peccatorum sit absoluta, satis tamen innuitur ubi docetur vera remissio dari per Christum, ejusque dona esse irrevocabilia. Quibus adjici potest illud. *Quæ solveritis in terra, erunt soluta in cœlo*; Sacerdotes enim absolutè solvunt.

AD POSTREMUM, Aug. loco priore agit, non de peccato quod sequitur remissionem alterius, sed de eo quod perdurat in homine qui fictus baptizatur. Docet autem Baptismũ quidem illi homini collatum, esse ratum, sic tamen baptizato non remitti tunc sua peccata, propter fictionem: Ac nihilominus non esse illi necessarium denuò baptizari, sed piâ correctione, & veraci confessione purgari. Quod pariter & de illo affirmat qui Baptisma Christi, inimicus charitatis & pacis Christi, in aliqua hæresi aut schismate accepit; ita volens ostendere, quod baptizatus in hæresi vel ab hæretico, non magis egeat rebaptizari pro consequendo effectu Baptismi; quam alius qui fictus baptizatus fuit, habens proximum odio vel alteri alicui peccato mortali affectus. Tum addit, *Si autem dixerint* (Donatistæ) *in illo qui fictus accepit, per sanctã vim tanti Sacramenti dimissa quidem illi esse peccata in ipso temporis puncto sed per fictionẽ ipsius redysse cõtinuò* (ut propterea possit dici renatus in Christo, & consequenter non egere iterato Baptismo, sed tantùm medicina Pœnitentiæ: *hoc*, inquit, *etiam in eis intelligant fieri qui extra Ecclesiæ communionem, sed tamen baptismate Ecclesiæ baptizantur* (ut scil. in puncto Baptismi mundentur, & mox peccata redeant; & sic neque ipsis erit necessaria Baptismi iteratio.) *Nam redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet*; si videlicet dicantur fuisse remissa illi qui cum perseveraret in odio fratris, fuit baptizatus. Hinc. c. seq. *Si dimittitur* (inquit) *continuò redeunt, Evangelium loquitur, veritas clamat.* Cùm enim ex c. 18. Matth. constet eum qui retinet odium fratris, pro meritis puniri; consequens est peccata ejus redire post Sacramentum, si fuerant in Sacramento remissa: quia non puniretur, si & remissa essent, & postmodum non rediret.

Porrò, quod ipse Augustinus asseveranter teneat ejusmodi fratris odium retinenti quando baptizatur, verè coram Deo peccata non remitti: notũ est ex ejusdem libri capite undecimo, duodecimo, decimotertio, & ex l. 5. c. 20. 21. 22. Quo ultimo loco ita scribit; *Quanto magis fieri non potest ut eis peccata dimittantur, qui fratres, à quibus diliguntur oderunt, & in ipso odio baptizantur.* Ut propterea non sentiat, absolutè peccata redire, sed solùm ex suppositione, quam urget contra Donatistas.

Altero loco, Augustinus intelligit præcedentia peccata redire secundùm quid, eò quod eorum ratione aggravatur subsequens. Neque plus requirunt Bedæ, vel Rabani verba.

Gregorius docet exigi non id quod verè fuerat remissum, sed quod tale existimabatur.

## ARTICULUS II.

*Peccata dimissa redeunt secundùm quid.*

ART. 2. docet peccata dimissa redire secundùm quid per omne peccatum mortale subsequens: speciali tamen modo, & peccatum valdè aggravante, per ista quatuor, scilicet per odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & dolorem de Pœnitentia susceptã, juxta versiculum

*Fratres odit apostata fit, spernitq; fateri,*
*Pœnituisse piget, pristina culpa redit.*

PRIORIS ratio est, quia propter ingratitudinem, reatus præcedentium quodam modo continetur in subsequente, quod ex eis aggravatur.

POSTERIORIS, quia in illis peccatis cum directè opponantur beneficio remissionis peccatorum repetitur singularis quædam ingratitudo:

Contra responsionem ad primum, potest objici. Qui profert verba injuriosa in aliquem, redditur indignus accipere ab illo beneficium: sed blasphemus profert verba injuriosa contra Deum ergo est indignus beneficio remissionis peccatorum: & sic etiam ibi reperitur specialis ingratitudo. Resp. Neg. secundam Cons. quamvis enim indignum se reddat eo beneficio: non tamen hoc contingit, quia peccatum istud directè opponatur formæ seu modo qui servatur in remissione peccatorum, sed ex gravitate sceleris. Idem & de alijs est dicendum, nisi quod nonnulla contineri possint sub enumeratis ab Authore, ut idololatria sub apostasia, desperatio & odium Dei, sub contemptu confessionis.

*Ob.*

*Resp.*

In Resp. ad secundùm docet peccata venialia, & originale redire secundum quid per subsequens mortale: per venialia autem subsequentia, nullo modo redire quæ prius dimissa fuerant, eò quod per peccatum veniale non incurrat quis ingratitudinem, perfectam scilicet: quia homo peccando venialiter, non sic Deum offendit, ut ab eo simpliciter avertatur, fiatque ipsi inimicus, sed retenta amicitia peccat in aliquo modo se habendi erga Deum.

Quamvis ergo peccatum veniale contineat offensam Dei, atque adeò sit aliquo modo contra gratitudinem Deo debitam: quia tamen non solvit amicitiam hominis cum Deo: ideo B. Thomas dixit peccata remissa non redire per ipsa illo modo, id est, nec simpliciter, nec per ingratitudinem, quæ simpliciter & perfectè sit ingratitudo: Nam. 2. 2. quæstione 108. artic. 3. disertis verbis agnoscens peccatum veniale habere aliquid ingratitudinis dicit eam esse imperfectam, eò quod non sit contraria charitati, cùm ejus habitum non expellat.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quæst. Resp.* In Resp. ad 3. Quæri potest, quod beneficium sit majus; innocentiæ, an Pœnitentiæ. B. Thomas docet omne beneficium recipere duplicem æstimationem: unam absolutam, spectando scilicet quantitatem beneficij per se: alteram comparativam seu proportionalem, spectando scilicet proportionem quæ est beneficij ad recipientem.

Priori consideratione innocentia est majus beneficium; quia est bonum majus & magis continuatum: posteriori, Pœnitentia seu peccatorum remissio est majus beneficium, quia datur magis gratuitò. Ei enim qui esset dignus pœna, datur gratia: & per consequens, major est ingratitudo ejus qui post acceptam veniam relabitur in peccatum mortale, quam sit eorum qui ab innocentia decidunt. Relabentis enim ingratitudo tantò est major, quantò plura & graviora peccata fuerant ei prorsus indigno remissa: cum ex omnibus donis prius collatis aggravetur sequens peccatum quod contra benefactorem admittitur.

*Ob.* Objiciunt quidem nonnulli, donum innocentiæ continere aliquam dignitatem, quæ non potest dari per donum Pœnitentiæ, scilicet nunquam peccasse: Verum, licet ex eo sequatur illud donum absolutè & in se consideratum, esse majus; non sequitur tamen esse majus recipienti: sed sicut donum quod datur pœnitenti, est majus in comparatione ad ipsum; ita (cæteris paribus) est ei simpliciter majus; quia cum actus sint circa singularia, magis consideratur quod est hîc & nunc tale, quam quod est simpliciter tale, ait author 2. 2. q. 106. art. 2.

*Resp.*

### Articulus III.

*Reatus peccati sequentis non semper est tantus, quantus præcedentium.*

Art. 3. docet reatum peccati sequentis remissionem priorum peccatorum, posse esse tantum, quantus erat omnium præcedentium, non tamen id esse necessarium; quia quantitas reatus advenientis est secundùm gravitatem peccati subsequentis; quod potest ex sua specie esse minus grave quàm quodlibet præcedentium, ut si sit ebrietas aut fornicatio simplex: præcedentia verò fuerint homicidium, adulterium, sacrilegium. Item, si in sequentibus peccet ex infirmitate vel ignorantia, cum priùs peccasset ex mera malitia.

Nec obstat circumstantia ingratitudinis peccatum sequens aggravantis: quia non oportet quantitatem ingratitudinis esse absolutè æqualē quantitati beneficij accepti, ut tam sit grave peccatum ob ingratitudinem, quantum erat beneficium in magnitudine (nam contra idem beneficium unus est multùm ingratus, alter parum: unus magis contemnit vel contra benefactorem agit, alter minus) sed proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficij. Supposito enim æquali contemptu, vel offensa benefactoris secundùm speciem æquali, ac omnino cæteris paribus; quò majus fuit beneficium, eò gravior est ingratitudo; alioquin, secundùm quantitatem contemptus vel offensæ, peccatum ingratitudinis recipit suam quantitatem.

### Articulus IV.

*Ingratitudo peccantis quando sit pecc. speciale.*

Art. 4. docet ingratitudinem per quam modo quodam redire dicuntur peccata semel dimissa, quandoque esse speciale peccatum; quandoque non, sed solùm circumstantiam consequentem quodlibet peccatum mortale.

Est speciale peccatum, quando directè intenditur à peccatore, volente sic peccatum aliquod committere in contemptum Dei & beneficij susceptí.

Est solùm circumstantia, quando non ex contemptu, neque ingratitudinis intentione peccatur, sed ex passione vel aliâ causâ.

Quod in probationem adducit, *Peccatum recipit speciem ex intentione peccantis*, videtur intelligendum de illâ specie quam alioquin per se non habet ex genere vel objecto, qualem habet fornicatio ejus qui fornicatur, ut furetur. Talis enim magis est fur quàm fornicator.

Ex his colligendum relinquitur, quando ingratitudo debeat necessariò exprimi in confessione, quando scilicet est speciale peccatum, non autem quando est tantùm circumstantia. Unde B. Th. in 4. d. 22. ar. 4. concludit recidivantem non teneri per se & directè ad confessionem peccatorum prius dimissorum, nec in generali nec in speciali, cuicumque confiteatur, dicitur *per se directè*; quia per accidens & indirectè, ut possit cognosci status pœnitentis, & conveniens remedium adhiberi, & occasiones peccatorum præscindi; potest esse necessarium aperire præcedentia peccata, saltem in generali: Dominicus in 4. distinctione decima quinta, articulo quarto (cui consentire videtur Cajet. verbo, *Ingratitudo*) putat eum qui sæpissimè obtinuit remissionem peccatorum, fuitque liberatus è periculis magnis, in quæ per eorum occasionem inciderat, debere talem ingratitudinem confiteri ut circumstantiam aggravantem: sed quando tam notabiliter aggravet, ut id sit omninò necessarium, non potest universaliter definiri, satis est quod per se & ordinariè non sit necesse.

## QUÆSTIO LXXXIX.

*De recuperatione virtutum per Pœnitentiam.*

### Articulus I.

*Virtutes amissæ restituuntur per pœnitentiam.*

Art. 1. probat omnes virtutes per mortale peccatum amissas, restitui per Pœnitentiam; eò quod per Pœnitentiam infundatur gratia, ex quâ consequuntur omnes virtutes gratuitæ, secundùm ea quæ diximus 1. 2. q. 110. ar. 2. & 4.

Porrò, cum non quovis peccato mortali fides amittatur, ut definitum est in Conc. Trid. ss. 6. c. 15. & can. 28. sed per solam infidelitatem: per Sacramentum Pœnitentiæ non semper restituitur habitus fidei, quæ causa est cur Authorem interpretati simus de virtutibus amissis. Rectè nihilominùs dici potest fidem & spem restitui juxta perfectam rationem virtutis; quia redit charitas earum forma, per quam antiquum statum perfectæ virtutis recuperant.

Similiter, cùm habitus virtutum acquisitarum ut tales & secundùm substantiam, non necessariò per peccatum amittantur; doctrina B. Thomæ intelligenda est de virtutibus per se infusis, sive, ut hîc loquitur, gratuitis: nam acquisitæ non restituuntur, nisi secundùm rationem virtutis Christianæ.

Dices, Virginitas nunquam restituitur: ergo vel non est virtus, vel non omnes virtutes amissæ restituuntur per Pœnitentiam. Qui docent virginitatem non esse virtutem specialem, à castitate distinctam; facilè diluunt istud argumentum. Sed esse virtutem specialem, verius arbitramur cum Authore 2. 2. q. 152. a. 3. ac proinde secundùm ejus doctrinam Resp. per Pœnitentiam restitui virtutem virginitatis, quantum ad id quod est formale in ipsa, non autem quantum ad id quod est materiale. Formale est, propositum perpetuò abstinendi à delectatione venereâ. Materiale, integritas carnis, absque omni experimento dictæ delectationis.

*Resp.*

*Ob.* Sed contra, qui peccando virginitatem amisit, dum pœnitet, proponit quidem abstinere à peccato, non tamen est necesse quod proponat abstinere à delectatione, vel ejus experimento, sed fieri potest ut velit uti matrimonio: quomodo ergo recuperat id quod est formale in virtute virginali?

*Resp.* Resp. quia datur ei in præparatione mentis, propositum servandæ integritatis, & abstinendi ab omni opere & delectatione carnali, si sibi competeret, & res exigeret.

*Quæst. Resp.* Si verò quæratur, quid absolutè possit divinitùs reddi, post amissam virginitatem: Resp. ne miraculosè quidem reddi posse quod qui expertus est voluptatem veneream, non fuerit expertus; ipsa autem corporis integritas, quæ materialiter & per accidens se habet ad virtutem, reddi potest. Vide 1. p. q. 25. ar. 4. ad 3.

In Resp. ad 1. docet Pœnitentiam quâ restituuntur virtutes perditæ, esse ipsum Sacramentum Pœnitentiæ, non autem habitum; eò quod Pœnitentia sit causa gratiæ, in quantum est Sacramentum: in quantum enim est virtus, est magis gratiæ effectus. Unde concludit quod Pœnitentia secundùm quod est virtus; non sit causa omnium aliarum virtutum, sed infundatur simul cum alijs virtutibus, per Sacramentum.

Quod autem ista intelligat de habitu, non de actu Pœnitentiæ, patet: *Primò*, quia expressè dicit quod habitus Pœnitentiæ per Sacramentum Pœnitentiæ causatur, cum habitibus aliarum virtutum.

*Secundò*, quia actus continentur in Sacramento tanquam ejus materia.

*Tertiò*, quia in Resp. ad 2. affirmat actum contritionis esse dispositionem ad gratiam consequendam, & consequenter etiam ad virtutes.

### Articulus II.

*Vtrum post Pœnitentiam resurgat homo in æquali virtute?*

Videtur quòd semper ita resurgat. Primò, ex parabola de filio prodigo, Luc. 15. ubi pater pro filio pœnitente dicit, *Citò proferte stolam primam*: ergo prius status ante habitus redditur.

Secundò, Ibidem dicitur, quod ita *gaudium erit in cælo super uno peccatore Pœnitentiam agente quàm super nonaginta novem justis*: quod non esset, si peccator rediret in minori justitia. Opponitur enim aliquid ex c. 3. ad Galat. sed vide ar. 5.

Tertiò, omnia opera quæ fuerant per peccatum mortificata, reviviscunt per Pœnitentiam, ut docetur articulo quinto: ergo recuperant efficaciam perducendi hominem qui illa fecerit, ad tantam gloriam, ad quantam ante peccatum erat per ea dispositus. Sed gloria correspondet gratiæ; ergo redit etiam gratia proportionata gloriæ, quam debet habere ex prædictis operibus: & sic peccator non tantùm resurgit in æquali virtute, sed in majori, scilicet in tota gratia præcedenti, ac insuper in ea quæ dispositioni præsenti, & recepto Sacramento respondet.

Quartò, dicitur Ezech. 18. *Si impius egerit Pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*: recordaretur autem, si propter ipsas, non redderet totam gratiam deperditam. Cui simile est quod dicitur cap. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit*: noceret enim, nisi Pœnitentiæ beneficio, gratiam per peccatum amissam recuperaret.

Quintò, Joel. 2. postquam dictum est, *Convertimini ad me in toto corde vestro*; additur, *& reddam vobis annos quos comedit locusta* &c. id est, ait glossa interlinearis, non patiar perire ubertatem, scilicet gratiæ & donorum, quam perturbationibus animi perdidistis.

Sextò, Ita sentiunt Sancti Patres, Aug. epistola 54. *Deus facit etiam super tales* (relapsos scilicet) *oriri solem suum, nec minus tribuit quam ante tribuebat largissima munera vitæ & salutis.*

Hieron. in cap. 3. Gal. *Quicunque ob Christi fidem laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum: sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic rursum non perdit ea, si ad pristinam fidem & ad antiquum studium revertatur.*

Chrysost. hom. 6. in Gen. *Per misericordiam Dei, si modò condemnare facta nostra, & jam sistere ignaviam voluerimus, poterimus statim ad pristinam abundantiam redire.*

Septimò, pristina opera vivificantur: sed priùs erant viva per gratiam quæ tunc erat: ergo illa gratia debet restitui, quæ opera eadem, sicut priùs, vivificet.

*Confirmatur*, sublato impedimento, res tantum valet quantum antè valebat: sed peccatum mortale, quo mortificantur merita præcedentia, est impedimentum valoris eorum: ergo eo sublato, redit totus valor, ac proinde tanta gratia quanta priùs erat: ac insuper ea quæ respondet præsenti dispositioni.

Octavò, si non datur aliquis gradus gratiæ respondens prioribus meritis, qui non esset dandus ratione dispositionis & Sacramenti præsentis; sequitur merita præcedentia nihil prodesse ad substantiam & essentiam beatitudinis: Quod enim responderi solet, præmium essentiale reddi ut pluribus titulis debitum, parum refert, præsertim cùm & tituli sint ejusdem rationis, & opera sint finita, eaque singula digna præmio adæquato suo.

Nonò, sequitur etiam eum qui multis annis sanctissimè actis, in peccatum mortale labitur, à quo postea resurgit, non habiturum gratiam & gloriam majorem, quam alius qui totidem annis pessimè vixit, ac postea resurgit in æquali cum illo, contritione & dispositione: Hoc autem à Dei bonitate & justitiâ videtur alienum, qui non obliviscitur operum priorum in charitate factorum.

Decimò, non propriè alioquin dici possunt gratiæ & virtutes pristinæ restitui. Cùm enim dicuntur restitui, significamus aliquam pœnitentis prærogativam & commoditatem, quæ ad peculiarem ipsius consolationem valeat. Si autem non accipit majorem gratiam, quàm acciperet, etiamsi nunquam fuisset justificatus; quæ prærogativa, vel quæ peculiaris est consolatio?

Undecimò, Sequitur alioqui quod justus in

Universidad de Deusto
Biblioteca



æternum punietur ob peccatum præteritum; quia A semper manebit privatus eo gradu gratiæ & gloriæ, quem alioquin habuisset.

Duodecimò, Gratia amissa redditur ex justitia, juxta illud ad Hebr. 6. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri:* ergo non debet haberi ratio dispositionis in quâ peccator resurgit: quia quod ex justitia debetur, sublato impedimento, redit integrè.

Decimò Tertiò, Baptismus in peccato mortali susceptus consequitur suum effectum, quando recedit fictio: ergo multò magis, quando Baptismus, vel quodlibet aliud Sacramentum dignè fuit receptum; suum effectum, qui fuerat per peccatum intermedium mortificatus, consequi- B tur, quando per Pœnitentiam homo resurgit.

Postremò, Syn. Trid. sess. 6. c. 16. ut opus aliquod mereatur vitam æternam ejusque consecutionem, tantum hæc requirit, quod sit factum ex gratia, ab homine justificato, & quod is moriatur in gratia. Cùm ergo mortificata opera sint facta in gratia, & beneficio Pœnitentiæ, gratia restituatur; si in ea perseveret usque ad mortem, consequetur totum præmium prioribus meritis debitum ac proinde etiam omnes gradus gratiæ præcedentis.

Inter varias quæ de præsenti materia reperiuntur opiniones, etsi ea probabilis sit quæ affirmat pœnitentem semper in majori gratia & virtute resurgere, dicendo quod ei reddatur tota gratia quam C aliquando vel ex meritis vel etiam ex Sacramentis habuit, ac insuper nova quædam gratia ratione dispositionis & Sacramenti quod recipit.: Illa tamen quam B. Thomas hîc tradit, nequaquam ut improbabilis rejicienda est, sed velut probabilis sustineri potest, dicendo quod homo post Pœnitentiam non semper resurgit in æquali gratia & virtute: quia formæ quæ recipere possunt magis & minus, intenduntur & remittuntur secundùm diversam dispositionem subjecti, quemadmodum docetur, 1.2 quæst. 52. ar. 1. & 2. & qu. 65. ar. 1. Atqui virtutes & gratia sunt formæ quæ recipere possunt magis & minus: ergo intenduntur & remittuntur secundùm diversam dispositionem subjecti. At pœnitens qui earum est subjectum, non semper resurgit eum æquali dispositione quam habuerat priusquam peccaret, sed aliquando in majori, aliquando in minori, & aliquando in æquali: ergo per Pœnitentiam non semper resurgit in æquali gratiâ & virtute, sed quandoque in majori, quandoque in minori, & quandoque in æquali. Ita hîc S. Doctor.

*Probabile est Pœnitentem non semper ad majorem gratiam resurgere.*

*Quorumdam Resp. ad B. Thomæ authoritatem.*

Ad cujus assertionem quorundam Responsio est, S. Thomam non teneri hoc ar. 2. eumque sibi non constare; cum præsentis q. ar. 5. probet merita reviviscere; & ratio quâ utitur, æquè concludit integram reviviscentiam omnium meritorum per E quamcunque contritionem; quia illa merita manent viva in acceptatione divinâ & de se efficacia ad præmium proportionatum, solumque erant impedita ex parte subjecti propter peccatum. Et addunt, Assumptum hujus ar. tantùm esse verum de formâ quæ per se ex vi dispositionis acquiritur, non de illâ quæ solùm per accidens acquiritur; qualis est gratia quæ redditur propter opera mortificata; & qualis etiam est gratia quæ per Sacramenti dispositionem acquiritur supra omnem dispositionem subjecti.

*Responsionis illorum redargutio.*

Verùm licet aliqui ab hac S. Thomæ doctrina recedant, illi præsertim qui & aliàs haud infrequenter eam deserunt; nescio tamen quâ ratione simpliciter dici possit ejus doctrinam hîc non teneri cùm ex ejus discipulis non pauci cum eo teneant similiterque alij ipsi contemporanei: quorum verba referre lubet, ut clarius id quod dicimus appareat.

Palud. in 4. d. 14. q. 1. a. 2. cõcl. 3. differens de meritis mortificatis; *Si* (inquit) *quæratur quantum ad præmium essentiale. sic per se loquendo reviviscũt per accidens verò potest esse ex dispositione recipientis quod non reviviscunt quoad integritatem.* Et postea, *Si pœnitens non recuperet majorem charitatem ante mortẽ per accidens est ex dispositione sua quod moriẽs non habet majus præmium, quia si pœnitudo haberet minimum gradum charitatis, & moriendo intendisset charitatem suam quanta erat illa quam perdiderat, haberet utique tantam gloriam, non tantam ex merito ultimo, sed etiam ex merito primo per se. & ex Pœnitentia sicut ex removente prohibens, & ex ultimâ charitate sicut ex materiali dispositione necessaria.*

Capreol. in eand. 14. ar. 1. statuit hanc concl. 2. *Pœnitens non semper surgit in æquali gratiâ vel virtute, imò quandoq; in minori:* & multis contra illam adductis argumentis, ea ar. 3. dissolvit; inter cætera dicens quod *licet pœnitens resurgat in omnibus meritis quæ ante peccatum habuit, & pro quolibet correspondeat sibi aliquis gradus gloriæ, non tamen tantus, quantus ante peccatum sibi correspondebat, nisi resurgat in æquali charitate; quia si resurgat in minori, jam est effectus alter indispositus ad recipiendum totum effectum præcedentium meritorum vivificatorum: nec tamen dicitur quod in tali resurgente meritis vivificatis correspondeat tantùm præmium accidentale, & nullum essentiale.* Rursum post multa, de meritis præcedentibus peccatum; *conceditur* (ait) *quod illa utrumque merebantur, sc. augmentum gratiæ & gloriæ, sed in isto remissè pœnitente qui non disponit se ad susceptionem æqualis, sed minoris gratiæ, non sortiuntur completum effectum, ut sc. in præsenti recipiat totum illud augmentum gratiæ, & in futuro totum illud augmentum gloriæ, nisi intensiùs se disponat quam in actu primo Pœnitentiæ.*

Pet. Soto lect. 6. de Pœnit. istam propositionem 3. statuit ac defendit; *Resurgens à peccato non semper ad æqualem gratiam redit aut majorẽ, quam prius habuerat. Hanc sententiam graviores tenent Scholastici; & omnes ferè quam ipsa etiã experientia ostendit; Non enim semper Pœnitentiam agens majori vel ferventiori conatu eam agit, quam antequam peccasset, habuerat; quod & possibile esse manifestum est, & sæpè contingere videmus. Cæterùm redeunti à peccato gratiam dari secundùm dispositionem & conatum suum, valdè consonat Scriptura.* Ita ille.

Cajet. super hanc q. commentans; *Aliud* (inquit) *est loqui de opere meritorio, & aliud est loqui de quantitate operis meritorij. Cùm enim mortificata reviviscunt, semper omnia opera meritoria qua mortificata erant, reviviscunt, quoniam isti in quo reviviscunt debita est vita æterna ex vi illorum priorum operum, & nõ solum ex vi præsentium operum; ita quod hoc operatur reviviscere, quod ex pluribus capitibus debetur hæc vita æterna, sc. ex meritis prioribus, & ex meritis posterioribus. Sed quantitas operis meritorij non semper reviviscit simpliciter, quoniam non semper recuperat propriam efficaciam quæ est perducere hunc ad tantum gradum beatitudinis æternæ, ut patet in eo qui resurgit in minori gratia, ita quod in illa minore gratia decedit, &c. & in promptu causa hujus non reviviscentiæ, est ipsa resurgentis indispositio.*

Domi-



Dominicus Bannes in 2. 2. q. 24. ar. 6. concl. 2. A *Non quotiescumque opera mortificata reviviscunt per Pœnitentiam, necesse est ut reviviscant in tanta gratia & charitate, in quanta vitam prius habebant.*

Estius in 4. d. 14. §. 12. *Quod adversus dicta quidã objiciunt, interdũ contingere ut pœnitens nõ resurgat ad æqualem vel majorem gradum gratiæ vel charitatis, sed ad minorem tantùm, eoq; consequens videri quod priora virtutum opera non reviviscant; alioquin enim sicut ad æqualem vel majorem gloriam quæ illis operibus debebatur, ita ad æqualem vel majorem gratiam illi gloriæ respondentem debere hominem per Pœnitentiam revocari; facilè ex supradictis solvitur: non enim dictum est priora opera per Pœnitentiam reviviscere hoc sensu quod hominem per Pœnitentiã reparatum ad tantam gloriã necessariò perducant, quãtam pro illis si lapsus non fuisset erat accepturus: sed quia rursus homo propter illa dignus efficitur vita æterna, quam & pro illis si perseveret accepturus est, sicut & pro bonis operibus postea factis; nam quod attinet ad gradum gloriæ, eum accepturus est pro magnitudine gratiæ seu charitatis in quâ decedit.* Atque hæc discipuli S. Tho. Videamus quid alij ipsi ferè contemporanei senserint. B C

Scotus non quidem assentitur dictis B. Thomę dicit tamen in 4. d. 22. a. 2. de resurgente habente plura merita, quod *non oportet eum in majori gratiâ resurgere, quia secundùm ejus dispositionem in detestando peccatum commissum intensè vel remissè, dabitur tunc sibi major vel minor gratia.*

Durand. in 3. d. 31. q. 2. resolutio est, quod *gratia seu charitas cum amittuntur per peccatum mortale, recuperari possunt per Pœnitentiam in æquali gradu, vel majori vel minori, secundùm modum conatus sui per divinum adjutorium.*

Alex. Alens. p. 4. q. 57 memb. 5. ista sunt verba: *Aliter dicunt alij quod nõ semper resurgit pœnitens in æquali munere virtutum, quod mihi videtur verisimilius; unde sine præjudicio dico quod quandoq; resurgit pœnitẽs in majori munere virtutis, quandoq; in æquali, quandoq; in minori.* Et postea, *lapsus in electis coperatur illis in bonum, non quia necessariò majorem habeant gratiam post lapsum quã ante, sed quia cautiores redeunt contra tentationes, & humiliores.* D

Bona. in 4. d. 14. a. 2. q. 1. *Dixerunt quidam quod semper in æquali vel majori oportet resurgere &c. Sed hanc positionẽ credo falsam:* ac postea sic concludit. *Credo quod probabilior est alia opinio quod resurgat in æquali, & majori, & minori, secundùm quod se melius præparat, & divina largitas dispensat.*

Richard. in 3. d. 31 art. 1. q. 2. sic ratiocinando respondet: *Cum Deus de lege communi det charitatem hominibus secundùm plus vel minus, secundùm quod magis vel minus se disponunt, etiam homo qui cecidit à charitate, posit cum adjutorio Dei se æqualiter disponere sicut erat dispositus in receptione charitatis amissæ, vel magis vel minus; potest resurgere* E *quandoq; in charitate æquali, quandoq; in minori, & quandoq; in majori.*

Ex his haud difficulter intelligi potest B. Th. in præs. ar. doctrinam, & à non paucis ejus discipulis teneri & ab alijs etiam non ignobilibus Doctoribus astrui ac destrui. Eandem porrò sententiam docuit S. Doct. in 3. d. 31. q. 1. a. 4. quæstiun. 1 ubi sic respondet: *Mensura charitati præfigitur à Deo secundùm suam voluntatem, & aliquo modo commensuratur ad conatum illius qui gratiam recipit. Unde cũ aliquis post peccatum posit multum & parum conari ad recipiendum charitatem, & divina liberalitati non ponatur terminus per peccatum, cum ipse quantũ in se est sit paratus omnia peccata totaliter delere, oportet dicere sicut & communiter dicitur quod aliquis potest post peccatum in majori & in minori & æquali charitate resurgere.* Et quæstiun. 2. *Non est necessarium quod semper in majori charitate resurgat quia etiam minor præparatio vel æqualis sufficit ad hoc quod gratia infundatur.*

Quibus confideratis manifestum evadit S. Doctorem egregiè sibi constare: Si enim uniformiter de hac materia scripsit, in Magistrũ commentans, & postea senior in præsenti art. qui credibile fiet quod in hac eadem quęstione à se ipso dissentiat? Negamus igitur rationem quæ art. 5. probat meritorum reviviscentiam, ęquè concludere quod merita plenè ac integrè reviviscant per quamcunq; contritionem; quoniam etsi B. Thomas sentiat merita manere apud Deum; & sublato peccato recuperare efficaciam perducendi ad præmiũ beatitudinis; nõ tamen censet quod peccato per quamlibet contritionem ablato recipiant efficaciam perducendi ad tantum gradum beatitudinis: quamvis enim beatitudo debeatur bonis operibus, illisq; sit reddenda: non tamen debetur neque reddenda est nisi juxta quantitatem charitatis cum quâ reperiuntur; quia opera non habent quod eis retributio gloriæ reddatur, nisi in quantum sunt charitate informata, quemadmodum loquitur in 4. seu Supp. qu. 93. ar. 3. ad 2. quibus conformiter loquitur lect. 5. in c. 8. ad Rom. & lect. 2. in c. 3. Prioris ad Corint. Quod autem pœnitens non semper resurgat in majori vel æquali charitate, illo ipso ar. 5. affirmat sicut in hoc a. 2. Consentitque Alens. dicta qu. 57. dicens quod *opera vivificata non remunerabuntur secundùm quantitatem charitatis ex quâ provenerant in esse, sed per quam reviviscunt.* Similiter Bonav. asserens remunerationem operis vivificati *futuram non juxta radicem ex quâ factum est, sed potius juxta radicem in quâ reviviscit.*

Ad id quod contra rationem hujus ar. sumebatur, Resp. illud non esse verum; partim, quia formæ supernaturales (cujusmodi est gratia) non per se acquiruntur ex vi dispositionis, sed à Deo infunduntur; partim quia generale est, Deum juxta legem ac potentiam suam ordinariam, non infundere gratiam & charitatem nisi secundùm præparationem aut dispositionem hominis, seu quæ homini est à Deo. Vide 1. 2. q. 112. ar. 5. & 2. 2. q. 24. ar. 3. & confer c. 25. Matth.

Confirmatur ex Conc. Trid. d. sess. 6. c. 7. ubi dicitur quod *Unusquisq; recipit justitiam secundùm mensuram quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Quibus verbis, etsi agatur de justificatione per Baptismum, eadem tamen est ratio (quod ad rem præsentem attinet) de justificatione relapsorum: Nam & in ea, secundùm modum charitatis quam divina bonitas vult infundere, etiam quantitatem & modum inspirare potest Pœnitentiæ; ut pro ejus ratione, modò æqualem, modò majorem, modò minorem charitatem conferat. Unde B. Tho. 2. 2. qu. 24. ar. 3. sine ullâ distinctione charitatis prioris vel posterioris generatim resolvit quod *quantitas charitatis non dependet ex conditione naturæ vel ex capacitate naturalis virtutis, sed solum ex voluntate Spiritus S. distribuentis sua dona prout vult.*

Confirmari etiam potest ex eo quod tota justificatio relapsorum est gratuita, juxta illud ad Rom. 3.

Iusti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Iustificati gratis per gratiã ipsius*, de quo Syn. Trid. A sess. 6. c. 8. Si autem pœnitenti semper redderetur tota gratia præcedens non videtur esse gratuita quantum ad illam gratiam, quandoquidem redderetur ex debito. Neque videtur sufficere, si dicatur, quod tota gratia quæ per se ex vi justificationis datur sit gratuita, ipsi autem conjungatur alia quæ detur ex meritis præcedentibus: quia pœnitens formaliter justus constituitur per totam illam gratiam quæ cum remissione peccatorum ipsi infunditur, ideoque tota debet esse gratuita, ut verum sit ipsum gratis justificari.

Deinde, nullum apparet fundamentum dicendi quod omnes omnino peccatores qui centies aut etiam millies in turpissima flagitia prolapsi sæpè B resurgunt, sæpèque relabuntur; toties quoties resurgunt, semper resurgant formaliter Deo gratiores ac sanctiores, quam antea fuerint; id quid tamen consequens foret, si semper eis redderetur tota gratia prius habita, ac insuper aliqua alia. Antec. probatur, quia neque scriptura, neque Sancti Patres, vel Concilia, neque ulla traditio hoc docet: Nã quod aliqui opponunt verba Conc. Trid. sess. 6. c. 16. *Iustificatu hominibus sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint; proponenda sunt Apostoli verba* &c. quasi cum dicit, *amissam gratiam recuperaverint*, intelligi velit totam gratiam quæ fuit amissa, semper recuperari: Mæratius disp. 13. de Pœn. sect. 3. me- C ritò rejicit, tum quia pari ratione consequens ac certum foret restitui totam gratiam, non tantum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato per Sacramenta habitam, cùm tamen restitutionis hujus & illius gratiæ non eadem sit ratio, nec eadem probabilitas, tum quia significaretur non modò totam restitui, sed eandem numero; tum denique, quia cum Patres dicunt quod peccatores possint Pœnitentiam agendo, recuperare gratiam amissam, non aliud volunt quam quod possint gratiam priori similem accipere, per quam rursum justificentur, & filij Dei constituantur.

Denique, quod gratia quæ per Baptismum conferri apta est, recedente fictione conferatur ei D qui Baptismum fictè susçepit ac postea Pœnitentiam agit, recepta est Theologorum doctrina: At quod eadem illa gratia centies aut millies conferatur, si quis post illam toties amissam, toties resurgat, non invenio ab antiquis traditum.

Ex his consequenter dicendum est, esse probabile quod nihil gratiæ amissæ per peccatum, redditur per Pœnitentiam, sed tantum detur gratia quæ proportionatur præsenti dispositioni, & efficaciæ Sacramenti, si illud recipitur.

Primò, quia contritio peccatoris resurgentis non est dispositio ad gratiam præcedentem sed solùm ad eam quæ ordine naturæ sequitur.

Secundò, quia eadem ratione, qua redderetur E portio quædam gratiæ præcedentis, deberet reddi tota: nam ille gradus cujus additione gratia quæ datur, est major quàm dispositio præsens, non respondet illi dispositioni, sed meritis præcedentibus: atqui merita præcedentia proportionabuntur toti gratiæ, ergo deberet tota reddi: non totam autem reddi sentiunt quidam ex ijs qui hujus sententiæ oppositum docent.

Tertiò, quia sequeretur alioquin hominem eum dispositione proportionata ad gratiam remissam, resurgere ad majorem; & tamen B. Tho. negat eum qui habet dispositionem ad æqualem vel minorem, resurgere ad majorem.

Quartò, B. Th. a. 5. ad 3. clarè docet eum qui resurgit in minori charitate, habiturum in patria præmium essentiale, non respondens charitati in qua fuerat ante peccatum, sed in qua resurgit & moritur: ergo sentit eum non recipere gratiam prioribus meritis respondentem.

Quintò, Innocens non accipit gratiam, nisi proportionatam actibus & dispositionibus præsentibus; ergo nec peccator pœnitens; cum nec plus mereatur, nec melioris sit conditionis.

Sextò, Habitus Pœnitentiæ non infunditur major quã respondens contritioni præsenti: ergo nec gratia. Eadè enim est ratio de virtutibus ex gratia consequentibus, quæ gratiæ, ait hic B. Thom.

Porrò cum beatitudo quæ dicitur præmium essentiale, correspondeat gratiæ seu charitati finali, ita ut is qui moritur habens majorem charitatem, sit habiturus majorem beatitudinem essentialem, quemadmodum ex Authore in 4. dist. 49. q. 1. a. 4. quæstiunc. 4. 1. p. q. 22. ar. 6. & q. 95. ar. 4. lect. 2. in c. 3. prioris ad Corinth. lect. 5. in c. 8. ad Rom. potest doceri: Ideò ulterius est dicendum quod resurgens in minori charitate, non recipiet majorem beatitudinem essentialem, si sic moriatur: quam respondeat charitati præsenti in quâ reperitur. Ita B. Tho. in 3. dist. 31. quæst. 1. art. 4. & hujus q. ar. 5. ad 3. Bonavent. in 4. dist. 14.

Ad 1. Arg. Resp. Neg. Conseq. quia stola prima nõ intelligitur ea, quâ solebat indui priusquam à patre recederet, sed prima, id est, optima & pretiosissima. Significatur autè parabolicè vestis illa, quam qui non habet, nõ potest interesse convivio regis, nempe charitas: quæ & operit multitudinem peccatorum, sicut vestis tegit nuditatem; ac insuper ornat hominem, veluti veste digna filio familias. *Quæ stola prima.*

Ad 2. Neg. subs. quia gaudium illud majus, intelligitur actuale quod habetur de re minus expectata, & recens inventa. Sicut pastor magis actualiter gaudet de repertione ovis perditæ, quam de reliquis; tum quòd recuperatio lucrum videatur; tum quòd propter oppositam tristitiam magis sentitur gaudium, quod solemus de novis rebus concipere majus quàm de veteribus: ita, ob conversionem peccatoris, tanquam ob rem novam & inexpectatam, actuali, novo, & evidentiori gaudio gaudent Angeli.

Adde, quod licèt peccator in minori gratia resurgat; majus tamen ei beneficium sit (cum indigno prorsus & inimico inspiratur donum Pœniten- *Confer* tiæ, eique conceditur venia;) quam fiat, justis non *q. 88. ar.* indigentibus Pœnitentia; ut proinde & hinc nova *2. ad 3.* sit ratio gaudij, vide Aug. lib. 8. confess. c. 3. & 4.

Ad 3. Neg. Conseq. non enim dicuntur priora merita per Pœnitentiã reviviscere, hoc sensu quòd hominem per Pœnitentiam reparatum, ad tantam gloriam perducant, quantam pro illis, si lapsus non fuisset, erat accepturus: sed, quia homo rursus efficitur dignus vitâ æternâ, propter ejusmodi priora merita, eamque pro illis, si perseveret, est accepturus; majorem tamen aut minorem, pro magnitudine gratiæ & charitatis in qua decedet.

Ad 4. Neg. subs. quia Deus dicitur non amplius recordari iniquitatum pœnitentis, quantùm ad culpam & pœnam æternam, & hoc modo sua impietas non ei nocet. *Neque ipsi datur minor gratia, merito peccatorum præcedentium*, ait Bona. *Sed quia non bene se præparat ad majorem.* Quod enim non tollantur omnes defectus ad perfectum, sic ut homo



homo perveniat ad gradum priorem, accidit ex A eo quod remissius moveatur in Deum & in detestationem peccati, ait hic Author ad 2.

Confirmari potest hic sensus, quia fide certa constat quod post peccata per Sacramentum Pœnitentiæ remissa, sæpè restat aliqua pœna temporalis luenda: Et constat etiã, quod dum pœnitens moritur, prius quam pro ea pœna satisfecerit, non admittitur in cælum nisi in purgatorio illam tulerit, aut per suffragia liberetur: ergo Deus peccatorum remissorum recordatur ad effectum infligendi pœnam temporalem, & differendi amissionem in cœlum, ac per consequens, cum dicitur illorum non recordari, intelligendum est quantum ad culpam & pœnam æternam. B

Ad 5. Propheta loquitur ad literam de pristina temporalium abundantia Judæis restituenda, si verè ad Deum converterentur. Si autem ejus sententiam referamus ad bona spiritualia, cùm sermo sit de Pœnitentiâ perfectâ, significatur quod si peccator tam perfectè convertatur quàm antea erat conversus ad Deum, non habebit minus gratiæ quam ante habebat: & sic, pertinet ad docendum quòd quantacumque fuerit amissa, recuperari possit in eadem quantitate.

Ad 6. Neg. Assump. nam Aug. & Chrys. loquuntur de perfectè pœnitentibus; quibus & pristinam donorum abundantiam, & largissima quæ prius tribuebat munera, donat Deus, quando tantam; imò C & (si dispositio sit) majorem gratiam largitur, quàm ante dederat. Neque perdunt priores labores, quia etiam propter eos, digni fiunt vitâ æternâ.

Ad 7. Neg. Cons. sicut enim non est necesse quod opera vivificentur per eandem numero gratiam, ita nec oportet quod per eundem gratiæ gradum. Et quia peccatum non solùm fuit impedimentum, sed etiam destruxit omnem dispositionem ad gratiam; ideò, nec quæ in confirmationem adfertur ratiocinatio, valet: nam ut tanta gratia redeat, quanta fuit perdita, non satis est tolli gratiæ impedimentum, sed oportet adesse dispositionem æqualem.

Ad 8. Neg. Sequel. Quamvis enim opera ju- D storum sint finita, ideoque præmio adæquato & possibili digna; ea tamen quæ prius mortificata fuerant, valent revera ad substantiã beatitudinis, post Pœnitentiam; quia essentialis beatitudo datur etiam intuitu ac merito illorum; cùm nihil prohibeat unum & idem reddi propter diversa merita, sive sint ejusdem rationis, sive diversæ.

Si dicas, injustus esset Dominus qui operario decem diebus laboranti, ijsque singulis denarium diurnum promerenti, tantum redderet unum denarium decem dierum laboribus, decemque titulis debitum: ergo etiam est injustum, quod Deus reddat unam mercedem titulis diversorum meritorum debitam. E

Resp. Neg. C. est enim magna disparitas, cùm dominus temporalis isti operario mercedẽ debeat propter labores & opera quæ fecit, nullâ habitâ ratione dispositionis interioris quæ sit in operario; merces autẽ vitæ æternæ non debeatur nisi secundùm dispositionem operantis, seu secundùm quantitatem charitatis quæ reperitur in eo qui mercedem illam est recepturus. Unde qui ex majore charitate laborat, majorem est mercedem essentialis beatitudinis recepturus, etiamsi minus laboret, quemadmodum docet B. Thomas lect. 2. in cap. 3. Prioris ad Corinth. quod in operario domini temporalis non observatur. Sive enim hortulanus fodiat ex magno, sive ex parvo, vel etiam ex nullo amore sui domini, tantum vel etiam plus mercedis ei debetur, quantum alteri qui ex magno amore fodit; si tantum aut plus laboraverit seu foderit.

Ad 9. Neg. Subsump. neque enim Deus potest dici operum illorum oblivisci, quorum intuitu dat præmium, & essentiale & accidentale.

Ad 10. Gratia & virtutes perditæ verè & propriè restituuntur, quia homini pœnitenti infunduntur. Non dicuntur tamen ipsæ reviviscere sed opera priùs ex charitate facta; eò quod non redit eadem gratia, ficut eadẽ numero merita recipiunt efficaciam perducendi suum authorem in vitam æternam; qui prærogativam & consolationem hanc in cœlo consequetur, quod gratiâ Dei adjutus, tot opera fecerit, quod illorum intuitu gloriam habeat, quod pluribus meritis habeat id quod alij habent paucioribus, quod particulares habeat rationes Deum laudandi & glorificandi.

Ad 11. Neg. Sequel. Talis enim carentia non est propriè pœna peccati præteriti, quasi Deus adhuc intenderet per eam punire peccatum præteritum; sed est nuda absentia majoris doni, proveniens ex defectu hominis, qui remissiùs movetur in Deum & in detestationem peccati: ut hic in resp. ad 2. docet Author.

Ad 12. Neg. Ant. Peccatori enim nullum ex justitia debetur præmium, sed sola damnatio, & omnis doni privatio: unde nec ullus potest sibi mereri reparationem post lapsum, 1. 2. q. 114. art. 7.

Cùm autem duo includantur in reviviscentiâ operum, sc. collatio gratiæ per quã aufertur impedimentũ quo præcedentia merita mortificabantur, & retributio præmij post ablatum impedimentum: priùs, est solius misericordiæ, est enim justificatio & peccati remissio, quam certum est semper esse gratuitam: posterius, partim est misericordiæ, partim justitiæ; misericordiæ, quatenus liberaliter Deus promisit se redditurum præmium, etiam talibus operibus in gratia factis: justitiæ, quatenus promittendo seipsum quasi quodam pacto & lege obligavit. Quæ duo considerans Conc. Trid. ff. 6. c. 16. *Bene operantibus usq; in finẽ*, ait, *& in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia, filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa; & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritu fideliter reddenda.*

Locus Apostoli non est præcisè intelligendus de operibus quæ reviviscunt, sed in universum de bonis Hebræorum fidelium operibus, quæ exercuerant erga sanctos; licèt post illa quidam eorum excidissent à gratiâ. *Iustificatu*, enim, *sive acceptam gratiam perpetuò conservaverunt, sive amissam recuperaverint*, inter alia proponi vult Syn. Trid. hæc Apostoli verba. *Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri*: obliviscereturque autem atque adeò esset injustus, si perseverantibus, bona merita non remuneraret; qui tunc faceret contra fidem ac promissionem suam.

Ad 13. Neg. Cons. Sacramentum enim non confert suum effectum pluries, nisi (si iterabile est) pluries recipiatur: quando autem Baptismus est fictè susceptus, effectum suum recedente postea fictione, sortitur ex vi operis priùs operati, vide q. 69. art. 10. ad 1.

Ad Postremum, concedimus talem receptu- rum vitam æternam ex omnibus operibus in gratiâ factis; sed non est necesse quod tantam recipiat,

Universidad de Deusto
Biblioteca



piat, quantam habuisset si non peccasset, nisi taliter se disposuerit, ut gratiam habitualem præcedenti equalem recipere possit.

ARTICULUS III.

*Vtrùm per Pœnitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem?*

VIDETUR quod non, quia nunquam fit ut peccator redeat ad innocentiam aut originalem justitiam: sed nec virgo quæ peccando amisit virginitatem, eam aliquando recuperat.

*Dignitas seu status gratiæ restituitur.*

RESP. duplicem esse dignitatem, quoad Deum, & quoad Ecclesiam: Illa vel est principalis, vel secundaria. Principalis recuperatur per Pœnitentiam, non secundaria; hæc enim est innocentia, nunquam autem fieri potest ut qui per peccatum cecidit, eoque amisit innocentiam, illam non amiserit, quia hoc implicat contradictionem, & ad præteritum non est potentia. Principalis autem recuperatur, quia hæc est status gratiæ & filiorum Dei, qui habetur per justificationem.

Quod attinet ad dignitatem Ecclesiasticam; ea quæ est ordinis non amittitur, ejus tamen usus seu facultas utendi ordine, potest amitti, sicut & potestas jurisdictionis, non quidem per quodlibet peccatum mortale; sed tum per ea quæ tali punitione digna judicavit Ecclesia; tum per sententiam judicis; tum per irregularitatem, & quia restitutio hujusmodi dignitatis non habet necessariam connexionem cum verâ pœnitentiâ, ideò non semper restituitur per illam, sed prout Ecclesiæ vel Prælatis ejus visum fuerit.

*Dignitas Ecclesiastica non semper restituitur.*

Quod B. Th. videtur hîc universaliter affirmare, per omne homicidium incurri irregularitatem, uti etiam tradiderat 2.2.q.64. art 7. ad 3. accidit ex eo quod scripserit ante Clementinam, *Si furiosus*, tit. de homicidio, per quam fuit declaratum quod clericus aliter mortem vitare non valens, non sit irregularis, si occidat invasorem.

Nec obstat, Conc. Trid. sess. 14. c. 7. reform. dicens, *Si homicidium non ex proposito sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcunque, & dignitates, jure quodam modo dispensatio debeatur* &c. quia vel loquitur de illo, de quo non constat an cum moderamine sufficiente occiderit; vel de illo qui cum aliter vitare mortem posset, utpote fugiendo, sed non tenebatur fugere, invasorem occidit: Qui enim fugâ potest evadere, aliquando non tenetur fugere, sub periculo peccati, sed bene ad vitandam irregularitatem, secundùm ea quæ scribit Navar. c. 27. n. 211. Hinc Cardinales die 1. Sept. ann. 1588. resolverunt Concilium loqui de eo qui fuisset in aliquâ culpâ. Barbosa cum alijs scribit Alleg. 39. n. 54. Concilium agere de eo qui in se defendendo excessit moderamen inculpatæ tutelæ; talis enim fit irregularis, quamvis non ea irregularitate quæ est indispensabilis nisi à Papa, sed illa quæ ab Episcopo dispensari potest. Ita ille.

AD ARG. autem patet RESPONSIO, non reddi scilicet innocentiam vel originalem justitiam: neque tamen sequitur aliquas virtutes non restitui: quia innocentia non est virtus specialis, sed solum significat quandam continuationem in justitia, non interruptam per peccatum, quæ interruptio quando semel facta est: fieri non potest ut facta non fuerit; & hinc est quod nõ possit reddi innocentia, quatenus erat innocentia: uti nec justitia originalis, quatenus originalis: quamvis donum Dei in quo utraque potissimum consistebat, restituatur idem specie, scilicet sanctitas, charitas, gratia per quam mens hominis Deo conjungitur & subjicitur, vide quæ diximus art. 1. quæstione 95. in 1. part.

De virginitate, vide quæ ad art. 1. diximus.

ARTICULUS IV.

*Opera bona mortificantur per peccatum.*

ART. 4. docet opera virtutum in charitate facta, mortificari per peccatum; non propriè quasi illa mutationem aliquam in se suscipiant à peccato superveniente: (cum enim sint actiones transeuntes, mox secundùm suam naturam esse desinunt, sive peccatum sequatur, sive non; sed metaphoricè. Sicut enim quæ propriè vivunt, per mortem perdunt operationem vitæ: ita bona opera, per subsequens peccatum mortale impediuntur à proprio effectu & operatione, quæ est perducere hominem ad beatitudinem; quia tale peccatum tollit gratiam, per quam opera erant meritoria vitæ æternæ, & ad eam hominem productura.

Hæc doctrina est fidei, docentis justum, si peccaverit, in iniquitate sua moritùrum, Ezech. 18. & 33. Unde Apost. ad Gal. 3. post egregia virtutũ opera, prolapsis ad Judaismum. *Tanta*, ait, *passi estis sine causa?* & B. Ioan. in epist. sua 2. *Videte vosmetipsos ne perdatis quæ operati estis.* & Apoc. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

Denique, huc pertinent omnes Scripturæ, quæ affirmant eos qui faciunt opera carnis, non consecuturos regnũ Dei, 1. ad Cor. 6. ad Galat. 5. & alibi.

Dices, 2. Paralip. 19. Propheta dicit ad Regem Josaphat, amicitia junctum ijs qui Deum oderant, revertentem q; ex prælio ad quod progressus fuerat cum impio Achab: *Bona opera inventa sunt in te*; & sermo est de operibus antea factis, ut patet ex contextu ubi dicitur quod abstulerit lucos de terra Juda, id quod ibi c. 17. fecisse narratum fuit: ergo bona opera ante peccatum facta, non mortificantur per peccatum subsequens, cum adhuc prosint.

Resp. Neg. Cons. quia Josaphat egerat pœnitentiam, revertens sincero corde ad Deum, quem admodũ colligi potest ex c. 18. ubi refertur quod clamavit ad Dominum, & quod Deus est ei auxiliatus. Quamvis autem bona opera mortificentur per peccatum subsequens, vivificantur tamen seu reviviscunt per Pœnitentiam, ut art. seq. docetur.

ARTICULUS V.

*Opera bona quæ erant mortificata, reviviscunt per Pœnitentiã.*

ART. 5. docet opera per peccatum mortificata, reviviscere per Pœnitentiam. Quæ doctrina apud DD. est indubitata. Ad ejus probationem pertinent Scripturæ non solùm Ezech. 18. & 33. ubi dicitur Deus non recordari peccatorum de quibus acta est Pœnitentia, sed etiam ad Gal. *Tanta passi estis sine causa!*

Observat enim B. Hieron. quod sicut sine causâ passus dicitur, qui post labores ob Christi fidẽ susceptos labitur in peccatum, sic rursum non perdit illos, si revertatur ad pristinam fidem & antiquum studium. Et ibidem Ansel. seu potius Hervæus, *Sine causa passi estis: si in hoc errore perseveritis: non sine causa, si resipiscatis.* Apertissimè verò huc facit illud ad Heb. 6. *Non injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri*: nam ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. manifestum est sermonem Apostoli comprehendere



hendere, etiam illa bona opera fidelium, quæ fuerant per peccatum mortificata: vult enim ea verba, cum istis, *Abundate in omni opere bono* &c. proponi *justificatis sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint*, vide Chrys. Ans. Tho. in cap. 3. ad Gal. & in cap. 6. ad Hebr.

Accedit RATIO. Circa bona opera non plus valet culpa quam gratia: sed per culpam mortificantur; ergo per gratiam vivificantur; præsertim cum gratia ita fit potens, ut & culpam tollat & omnem ejus effectum.

Porrò, cum non sit ratio cur aliqua bona opera reviviscant, & non alia; de omnibus & singulis per peccatum mortificatis hæc doctrina intelligenda est; fundata tũ in scripturis ante citatis, tum in illis quæ promittunt vitam æternam bonis operibus, modò qui illa fecerunt, in gratia decedant.

*Quæst. Resp.*

*Quo modo merita reviviscant.*

Sed difficultas magna est in modo explicandi hanc reviviscentiam.

VERIOR videtur is, quo merita dicuntur reviviscere, quando recuperant efficaciam quam per peccatum perdiderant, perducendi scilicet suum authorem in vitam æternam. Postquam enim actu transierunt, remanent in mente & acceptatione divina: sed cum is qui illa operatus est, incidit in peccatum mortale fit indignus vitâ æternâ, ad quam proinde non perducent ipsum dicta opera, ob interpositum peccati impedimentum. Illo autem impedimento per Pœnitentiam sublato, removetur indignitas operantis; & sic opera priora, velut in acceptatione Dei repositа, iterum valent ipsum perducere ad beatitudinem; & perducent, si sic moriatur.

Hinc sequitur quod reviviscant quoad præmium essentiale, & non solum quoad accidentale: nam beatitudo essentialis reddetur merito ac intuitu ipsorum; quamvis, si per Pœnitentiam non æqualiter disponitur sicut antea erat dispositus, non in tantâ mensurâ illam habebit quantam erat habiturus, si non peccasset, eò quod per peccatum factus est aliter (amittens scilicet charitatem & omnem dispositionem ad illam.) & per Pœnitentiam nondum est ad pristinum gradum restitutus. *Ideò*, inquit in 3. dist. 31. quæst. 1. in fine, *non plenariè recipiet effectum priorum meritorum, nisi quantum ad præmium accidentale.* Consentiunt ea quæ habentur hîc ad 3. & ar. 2. ad 2.

ARTICULUS VI.

*Quæ opera dicuntur mortua.*

ART. 6. præmissa distinctione operum mortuorum; quorum alia sic dicuntur, quia sunt mortifera, seu causa mortis, ut peccata mortalia: alia, quod careant principio vitæ, ut quæ sunt ex genere suo & moraliter bona, sed ab eo qui est extra statum gratiæ facta.

*Opera neutra vivificantur.*

DOCET neutra vivificari per subsequentem Pœnitentiam. Non illa; quia per Pœnitentiam prorsus abolentur: Nec ista, quia cum nunquam fuerint viva, & transierint, nec possint eadem numero redire: non potest fieri ut jam fiant ex spiritu Dei, & vitam accipiant.

2. 2. q. 4. a. 4.

Notandum autem quod illa opera quæ à pœnitentibus propter spem vitæ æternæ, fiunt ex gratia Dei, non quidem adhuc inhabitantis, sed eos prævenientis & moventis; etsi non sint viva simpliciter, quia non procedunt à principio vitæ habituali, non esse tamen omnino mortua, cum fiant ab homine qui vivificari incipit per operationem Dei dantis ei vitæ novæ propositum & inchoationem. Præter illam enim vivificationem qua is vivificatur qui verè justificatur & palmes vivus in vite Christo efficitur, agnoscenda est & alia vivificatio, qua peccator vivificatur, dum ei Pœnitentia, & vitæ novæ propositũ & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, si nolumus incurrere in ar. 61. inter eos qui à Pio quinto sunt damnati. Confer. qu. 84 ar. 3. in quæsito 2. & Suppl. quæst. 5.

De respons. ad 3. vide in Suppl. q. 14. ar. 5.

## QUÆSTIO XC.

*De partibus Pœnitentiæ.*

ARTICULUS I.

*Aliquæ sunt partes Pœnitentiæ integrales.*

ART. 1. docet esse aliquas partes integrales Pœnitentiæ: quia ubi ex parte materiæ invenitur pluralitas; ibi est invenire partium rationem: materia autem hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, qui ad plenam reconciliationem plures inquiruntur. Sanctum porrò Doctorem loqui de Pœnitentia, non secundùm quod est virtus, sed secundùm quod est Sacramentum, & res ipsa probat, & ex resp. ad 2. patet.

Contra resp. ad 1. potest objici, Virtus divina quatenus est in Sacramento recipitur in ejus partibus, sive illa sit usus vel motio ipsarum, sive aliquid aliud: ergo si sunt plures partes, sunt etiam plures virtutes realiter distinctæ; ac proinde Sacramentum non habet simplicitatem rationis virtutis divinæ.

Resp. Neg. secundam consequentiam; partim quia virtus divina est in se & ex parte Dei simplicissima; partim quia licet ut recepta in pluribus partibus sit materialiter plures; est tamen formaliter una virtus completiva & totalis, pertinens ad unum Sacramentum, secundum ea quæ diximus ar. 4. quæst. 62.

Circa Resp. ad 2. adverte quod licet in quibusdam alijs Sacramentis materia proxima possit assignari actus humanus ut in Baptismo, ablutio; in extrema unctione, unctio exterior; in matrimonio, actus contrahentium, ut patet ex ar. 1. qu. 66. & 84. proprium tamen est huic Sacramento, quod ejus materia sint actus humani plures specie distincti; & hinc est quod ei peculiariter partes assignentur.

ARTICULUS II.

*Vtrum convenienter assignentur partes Pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, qui contritio non est sensibilis.

SECUNDÒ, quia etiam in Baptismo requiritur contritio, saltem imperfecta, ut quæst. 68. ar. 4. & quæst. 69. ar. 9. dictum fuit; cujus tamen ipsa non est pars.

TERTIÒ, Ad Sacramenti Pœnitentiæ effectum sufficit attritio sine contritione.

QUARTÒ, Contritio & confessio est quædam satisfactio; per dolorem enim & pudorem confessionis, cum sint opera pœnalia pœnitentes satisfaciunt pro peccatis, saltem ex parte: ergo non debent numerari tanquam diversæ partes.

Universidad de Deusto
Biblioteca



QUINTÒ, Contritio secundùm suam essentiam non est pars Sacramenti, sed solùm ut implicat propositum confitendi & satisfaciendi; quemadmodum in Resp. ad 1. indicatur: ergo non est pars distincta ab alijs.

SEXTÒ, Impenditur aliquando sacramentalis absolutio, ubi nec ulla præcessit confessio, nec ulla injungitur satisfactio: illa super ægrotum qui postquam advocari fecit confessarium, repentè obmutescit; hæc, in casu mortis aut indulgentiæ plenariæ.

SEPTIMÒ, Partes ejusdem rei debent esse simul: confessio & satisfactio non sunt simul: sed, hæc absolutionem sequitur, illa præcedit. Neque responderi potest quod satisfactio quatenus est in voto & proposito sit pars Sacramenti, atque adeò simul cum confessione, quia sic non est sensibilis.

OCTAVÒ, sacerdos administrat perfectum Sacramentum Pœnitentiæ; qui tamen non administrat illas partes.

NONÒ, Confessio & satisfactio non conferunt gratiam: sed illa datur ministerio sacerdotis; alioquin sequeretur eam dari ex opere operantis.

DECIMÒ, *Vera Pœnitentia est*, ait Greg. hom. 34. in Evangelia, *perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*: Ut autem hoc fiat, non requiruntur ista tria, contritio, confessio, & satisfactio, sed potiùs fides, & terrores.

UNDECIMÒ, Conc. Trident. sess. 14. cap. 3. dicit hos actus esse quasi materiam: ergo aliquid aliud assignandum est quod sit verè materia.

DUODECIMÒ B. Bern. in sententijs ponit quinque partes Pœnitentiæ, cognitionem peccati, afflictionem carnis, confessionem, correctionem, & perseverantiam: ergo tres actus supra nominati non convenienter assignantur, tanquam partes Pœnitentiæ.

DECIMÒ TERTIÒ, Lex divina minas intentat peccatoribus, atque ita ipsos terret; Evangelium deinde eos consolatur proposita Christi justitia & satisfactione, quæ per fidem apprehenditur: ergo solum sunt duæ partes pœnitentiæ, scilicet terrores ex comminatione legis incussi, & fides.

Accedit, quod scriptura tantum duas partes videtur requirere dicens Isa. 1. *Quiescite agere perversè, discite bene agere*; quod consentit cum illo Psalm. 33. *Diverte a malo, & fac bonum.*

Pro Responsione sit

### CONCLUSIO I.

*Duæ sunt partes essentiales Sacrament. Pœnit.*

PARTES Sacramenti Pœnitentiæ essentiales sunt duæ, scilicet materia & forma. Ita S. Doctor hic dicens quod *partes essentiæ sunt naturaliter quidem forma & materia, logicè autem sunt genus & differentia. Hoc autem modo quodlibet Sacramentum distinguitur in materiam & formam sicut in partes essentiæ.* Quoniam verò ex parte materiæ hujus Sacramenti plura inveniuntur; ideo plures quoque partes ejus materiales, atque adeo integrales assignantur, de quibus sit

### CONCLUSIO II.

*Contra Luther.*

NEQUAQUAM recipi potest assertio Lutheri & sequacium ejus, dicentium duas esse partes Pœnitentiæ, contritionem & fidem.

PRIMÒ, quia per contritionem intelligunt terrores conscientiæ incussos ex minis legis; per fidem verò, fidem specialem seu certam fiduciam remissionis peccatorum, conceptam (ut ajunt) ex promulgatione Evangelij. Nihil autem istorum potest esse pars Pœnitentiæ. Non ejusmodi contritio, quia partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus Pœnitentiæ virtutis, & requiruntur tum ad peccatorum remissionē virtute Sacramenti consequendam; tum ad ipsum Sacramentum integraliter perficiendum; terrores autem illi non sunt actus virtutis pœnitentiæ sed sunt affectiones naturales, quæ in pueris quoque & bestijs reperiuntur, ac insuper in peccatoribus ijs qui nullam Pœnitentiam agunt, imò nec agere incipiunt. Nec etiam sunt necessarij, vel ad peccatorum remissionem, vel ad Sacramenti perfectionē: Si quis enim nullis minis territus ex puro Dei aut justitiæ amore compunguntur, sicque confiteatur, non dubium est quin recipiet remissionem peccatorum; & si satisfactionem sibi injunctam impleat, Sacramentum erit integraliter perfectum. Cum ergo & terrores illi possint esse sine Pœnitentia, & vicissim Pœnitentia possit esse sine illis, nullo modo ponendi sunt partes Pœnitentiæ.

SECUNDÒ, Pœnitentia potest quidem sequi ex ejusmodi terroribus, quemadmodum patet ex Conc. Trid. sess. 6 c. 6. ubi docetur quod peccatores à divinæ justitiæ timore utiliter concussi convertuntur ad considerandam Dei misericordiam, & in spem eriguntur, Deumq; diligere incipiunt, ac propterea moventur ad agendā Pœnitentiam. Et ss. 14. c. 4. *Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, Pœnitentiam egerunt*: Sed Pœnitentia est quid posterius ex illis terroribus consequens, & inter eos ac Pœnitentiam alij actus intercedunt; ideoque illi terrores non possunt esse partes Pœnitentiæ.

Quod neque fides specialis possit esse pars Pœnitentiæ clarum est; quoniam ejusmodi fidem merum esse figmentum ex dictis 1.2.q.112.a.5. notum relinquimus.

Si autem de vera seu Catholica fide quæstio sit, ea ad Pœnitentiam requiritur, sed tanquam aliquid à Pœnitentia diversum, & ad illam præambulum, non verò ut pars. Nam Jonæ 3. dicitur quod *Ninivitæ crediderunt in Deum, & prædicaverunt jejunium, & induti sunt saccu.* Matei 1. *Pœnitemini & credite Evangelio.* Ex Conc. quoque Trid. sess. 6. c. 6. & ex B. Thom. supra quæst. 85. ar. 5. & 6. liquet inter actum fidei & Pœnitentiam intercedere actus spei, timoris, & alicujus divinæ dilectionis.

DENIQUE, hujus conclusionis doctrinam probat Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. quando eorum sententias damnat, qui Pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem, esse contendunt: & can. 4. ubi ait, quod *Si quis dixerit duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato; & fidem conceptam ex Evangelio vel prædicatione qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.*

### CONCLUSIO III.

*Contra Calvin.*

NON est etiam recipiendum, quod Calvinus & Beza dixerūt, partes Pœnitentiæ esse mortificationem vitiorum seu refrænationem vitiosarum affectionum; & vivificationem seu studium bene vivendi, vel affectum ad bona opera: quoniam



niam Pœnitentia præcedit justificationem, estque via & dispositio ad illam; mortificatio autem & vivificatio prout ab illis intelliguntur, sunt posteriores justificatione; ponunt enim illas esse fructus fidei, quam vocant justificantem.

Deinde, Pœnitentia est hominum peccatorum & de peccatis; mortificatio autem & vivificatio est etiam hominum justorum.

### CONCLUSIO IV.

*Tres sunt partes Pœnitentiæ.*

AD ARTICULUM RESPONSIVA, & ad fidem pertinens est, has esse tres partes (nimirum integrales, ut ex ar. sequenti patet) Sacramenti Pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. Nam *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione, requiruntur, hac ratione dicuntur partes Pœnitentiæ*, ait Syn. Trident. sess. 14. c. 3. Quo modo etiam illas vocat Syn. Florent. ijsdem penè verbis utens, quibus B. Thom. in 5. Opusc. ubi hos tres actus, & quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, & partes ejus appellat.

CONFIRMATUR PRIMÒ, Illi tres actus sunt actus virtutis Pœnitentiæ, & requiruntur ex parte pœnitentis ad remissionem peccatorū in Sacramento Pœnitentiæ consequendam, atq; ad hoc quod Sacramentum sit integrum seu integrè perfectum: ergo sunt partes Sacramenti Pœnitentiæ. Antec. pro priori parte notum est ex qu. 85. ar. 2. & 3. Pro posteriori, quod requiratur contritio, ex ijs quæ ar. 2. qu. 86, diximus, est manifestum:

De confessione, idem docebitur in Suppl. quæst. 6.

De satisfactione, quæst. 13.

CONFIRMATUR SECUNDÒ, Pœnitentia ordinatur ad reconciliationem hominis cum Deo, non tantum qua reparetur æqualitas justitiæ violatæ, quod facit judex puniendo, sed maximè, qua peccator redeat in gratiam & amicitiam Dei: Atqui hoc interest inter punitionem judicis, & Pœnitentiam peccatoris, quod ibi satis sit reum pati pœnam à Judice constitutam, sive interim sponte patiatur sive coactè, &, sive is qui offensus fuerat, ea pœnâ sit contentus, sive non; hîc autem, oporteat eum pati ultroneè, & ad arbitrium ejus quem offendit, id est, Dei.

Sic ergo, PRIMÒ, requiritur quòd peccator habeat voluntatem recompensandi tam pro culpa, quàm pro pœnâ, juxta suum modulum: sive, ut ex ar. 2. quæst. 85. colligitur, quod habeat displicentiam peccati præteriti, cum intentione operandi ad deletionem illius; quod fit *per contritionem.*

DEINDE, debet se subjicere arbitrio sacerdotis, quem Deus vicarium suum constituit, quod fit *in confessione.*

DENIQUE debet actu recompensare secundùm arbitrium judicis; & hoc fit *in satisfactione.*

PRÆTEREA, ut articulo tertio dictæ quæstionis octogesimæ quintæ docet Author; Pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito; sicut servus ad dominum, filius ad patrem, uxor ad virum: sed isti, quando redire volunt in gratiam, dolent de offensa, eam fatentur, & castigationi se subjiciunt, nisi tota remittatur: ergo congruū est, ut similia observentur à pœnitentibus ad Deum recurrentibus, juxta divinam institutionem. Videri possunt Cypr. tract. de lapsis, Leo epistola 91. Am-

*Sylv. in III. Part.*

brosius lib. 2. de Poenit. August. homil. ult. inter 50.

*Contritio quo modo est sensibilis.*

AD ARGUMENTA verò & AD PRIMUM quidem RESP. etsi contritio non sit per se sensibilis; sensibilis tamen est, atque adeò sentitur, per exteriores actus confessionis, & satisfactionis, aliaque externa doloris interni signa: sicut consensus internus contrahentium sensu percipitur per verba vel alia signa exteriora.

AD 2. Non eadem est ratio omnium Sacramentorum, nam in quibusdam adhibetur aliqua corporalis materia exterius: ut in Baptismo, Confirmatione, Extrema unctione, ac proinde actus humani suscipientium, qui illic requiruntur, non sunt de essentia istorum Sacramentorum, sed dispositivè se habent ad illa, ut tradit B. Tho. q. 84. ar. 1. ad 1. In alijs verò, ut Pœnitentia & Matrimonio, loco materiæ sunt actus humani, & non res aliqua corporalis externa.

AD 3. Sufficit ea attritio quæ à Patribus Tridentinis vocatur imperfecta contritio; non autem ea quæ solùm est attritio, non pertingit ad essentiam veræ contritionis.

AD 4. Etsi contritio & confessio ratione pœnæ vel molestiæ valeant ad satisfaciendum; diversæ tamen sunt ab ea satisfactione quam sacerdos injungit; & quæ propriam habet rationem partis hujus Sacramenti.

AD 5. B. Th. non negat contritionem secundùm suam essentiā esse partem Sacramenti (quamquam & hoc negari potest, si illud, *secundùm essentiam*, sumatur reduplicativè, & reduplicet rationem formalem, quasi significetur quod contritio, quia contritio, & quia habet essentiam contritionis, sit pars Sacramenti: Nam & ante institutum Sacramentum erat contritio, quæ proinde non erat pars Sacramenti:) sed dicit quod secundùm essentiam sit in corde, & pertineat ad interiorem pœnitentiam: ex quo non est consequens quòd secundùm essentiam non sit pars Sacramenti: quia licet ex se præcisè, seu ex suis principijs essentialibus non habeat esse partem; habet tamen ex institutione divina, per quam factum est ut contritio secundùm essentiam; seu ipsa contritionis essentia, quatenus implicat propositum confitendi & satisfaciendi, proditurque exterius, sit vera pars Sacramenti.

AD 6. Confessio oris, & satisfactio sunt quidem partes integrales hujus Sacramenti; non tamen ita necessariæ, ut absq; illis (modò confessionem oris in necessitate, externa quædam signa suppleant) Sacramenti substantia nunquam consistat. Conferenda erunt quæ dicentur art. 2. qu. 9. in Suppl. Nihilominus quando plenariæ indulgentiæ conceduntur, Confessarius, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, semper debet satisfactionem injungere. Idque Pontifices expressè jubent in Jubileis annorum 1606. 1617. 1620. 1621.

AD 7. Applicatio formæ ad Materiam debet esse simul cum materia, secundum conditionem & naturā Sacramenti, & secundùm quod Christus instituit, unde si quis hodie esset confessus & nō absolutus, posset aliquo alio die absolvi; quia ratio judicij quod in hoc Sacramento exercetur, & Christi institutio ita fieri posse postulat. At non est necesse quamlibet partem integralem esse simul vel cum alia, vel cū introductione formæ: quid enim etiā in naturalibus vetat, post infusionem animę in corpus sufficienter organizatū ad eam recipiendā, nondum tamen præditum aliquibus partibus se-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cundarijs, eas partes formari, organizari & animari.

Est autem satisfactio pars Sacramenti, partim quatenus à sacerdote injungitur, & à pœnitente verbis aut nutu suscipitur cum proposito illam adimplendi; partim dum perficitur, sive ante absolutionem, sive post.

Ad 8. Sacerdos administrat perfectum Sacramentum, quantùm ad ipsius ministerium attinet, quod est formam absolutionis proferre super materia debita, & injungere satisfactionem. Vide q. 85. ar. 2. quæsito 2. ad 2.

Ad 9. Resp. gratiam conferri quando applicatur forma ad materiam, non vi solius absolutionis; sed etiam cæterarum partium quæ integrant Sacramentum. Unde B. Th. hîc ad 2. docet satisfactionem quæ est pars Sacramenti, ex opere operato conferre gratiam; & prout est in proposito, & prout est *in executione*. Quamvis enim ut est in executione, posterior sit alijs partibus, moraliter tamen eis conjungitur, ut unum integrum Sacramentum constituat. Videri possunt Cajet. & Domin. Neque sequitur quod Sacramentum valeat ex opere operantis, quia partes ille non hoc valent; vel ex natura operis, vel ex dignitate operantis; sed ex promissione & institutione divina; ac proinde valent ex opere operato. Vide quæst. 85. artic. 2. quæsito 3. & Suppl. quæst. 8. art. 1. ad 3.

Ad 10. illa tria requiruntur non ad quemcumque actum Pœnitentiæ, sed ad integram illam actionem quæ est pars materialis Sacramenti hujus: actus autem fidei, & terrores pœnarum, ut ad concl. 1. dictum est, præcedunt Pœnitentiam, ideoque non possunt esse illius partes, sed potius media quædam, aut præparationes ad illam; Unde nec à Pœnitentia proficiscuntur, sed illi quidem actus ex habitu fidei, terrores autem ex natura. Huc pertinet quod nullus ducetur Pœnitentiâ suorum peccatorum, nisi prius credat illa esse peccata; ac insuper, vera esse tum quæ Deus comminatur impœnitentibus, tum quæ promittit ad ipsum redeuntibus.

Ad 11. Resp. Neg. Conseq. ob rationes art. 2. q. 84. assignatas, vera enim hujus Sacramenti materia sunt actus pœnitentis qui in tres jam dictas partes distinguuntur.

Ad 12. etiam Neg. Cons. quoniam illi quinque actus continentur sub partibus jam assignatis: nam correctio vitæ in melius, & perseverantia secundùm propositum, pertinent ad veram contritionem, sicut afflictio carnis ad satisfactionem: perseverantia verò secundum rem, in ratione veræ Pœnitentiæ non includitur.

Ad 13. Resp. neque illius consequentiam valere, tum quod errores possunt quidem movere ad Pœnitentiam, sed nihilominus etiam possunt esse sine illa, sicut in desperantibus & in alijs impœnitentibus, & sic non sunt pars ulla Pœnitentiæ; tum quod consolatio quam adfert Evangelium, comitatur vel sequitur Pœnitentiam, sed non est illius pars.

Ad Confirm. Resp. Neg Anteced. Cum enim apud Isa. dicitur, *Quiescite agere perversè, discite bene facere*, non significatur in Pœnitentia solum includi cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem: nam ibidem dicitur, *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationũ vestrarum ab oculis meis*; & apud eundem c. 38. habemus, recogitandos esse annos nostros in amaritudine animæ: Unde & David Psalm. 6. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectũ meum*, &c. & Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu*. Et jam olim quando confessio Sacramentalis necdum erat instituta, aliquam tamen peccati confessionem fuisse necessariam & usitatam, scriptura manifestè docet. Num. 5. *Confitebuntur peccatum suum*. Matt. 3. *Baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua*. 2. Reg. 12. Dixit David ad Nathan, *Peccavi Domino*: Et Psal. 31. *Dixi confitebor adversum me injustiam meam Domino*.

*Erat olim aliqua peccatorum confessio.*

Sed & Psalm. 50. observare est Davidis pœnitentis contritionem, dum ait: *Peccatum meum contra me est semper*; Et postea. *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*: Et confessionem cum dicit, *Peccatum meum ego cognosco, Tibi soli peccavi & malum coram te feci*. Satisfactionem quoque cum dicit, *Docebo iniquos vias tuas* &c. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ*.

*Et contritio & satisfactio.*

Similiter 2. Reg ult. invenitur ejusdem Regis contritio, ibi: *percussit cor David eum post quam numeratus est populus*; & confessio cum subdit, *peccavi valdè in hoc facto, sed precor domine ut trãsferas iniquitatẽ servi tui*. Rursum confessio & voluntas satisfaciendi indicatur, ubi ait. *Ego sum qui peccavi, ego qui iniquè egi; isti qui oves sunt quid fecerunt. Vertatur obsecro manus tua contra me*: & satisfactio realis cum ibidem obtulit holocausta & pacifica.

In illis ergo verbis, *Quiescite agere perversè, discite bene facere*, intelligi possunt omnia quæ ad veram Pœnitentiam sunt necessaria: Sic enim oportet quiescere agere perversè, ut vitæ malè actæ odium & detestatio peccatorum concipiatur, & ut fiat eorumdem confessio talis qualem Deus requirit in eo statu legis aut Evangelij in quo peccator versatur; atque pro illis satisfaciat. Et sic etiam oportet discere bene agere, ut novæ vitæ propositum ac emendatio sit in mente pœnitentis. Juxta quæ intelligi quoq; possunt ea quæ ex Psal. 33. opponebantur. Sed addendum præterea, quod *declinare à malo, & facere bonum*, sunt partes justitiæ, ut patet ex 2. 2. q. 79. art. 1. non Pœnitentiæ. Et confirmatur, quia Pœnitentia tantum est peccatorum; Declinare autem à malo, & facere bonum, est etiam justorum.

*Nec potentialiter.*

### Articulus III.

*Utrum prædicta tria sint partes integrales Pœnitentiæ?*

*Illa tria non sunt partes subjectivæ.*

Tria illa sunt *contritio, confessio, & satisfactio*, de quibus ar. 2. resolvit quod sint partes Pœnitentiæ. Ostendit autem perperam quosdam sensisse quod sint partes subjectivæ; quia singulis partibus subjectivis adest æqualiter virtus totius, sicut singulis speciebus animalis adest æqualiter tota virtus animalis, cum unaquæque sit verè & æqualiter animal; Hoc autem in illis partibus Pœnitentiæ locum non habet. Addi potest partes subjectivas non componere totum, sicut homo & brutum non componunt animal: illa autem tria componunt Sacramentum Pœnitentiæ.

Rejicit deinde aliorum opinionem volentium ista tria esse partes potentiales: quia singulis partibus potentialibus adest totum secundum essentiam, sicut tota essentia animæ adest cuilibet suæ potentiæ, tota autem essentia Pœnitentiæ non adest singulis istorum trium.

His



*Sed integrales.*

His præmissis Respondet prædicta tria esse partes integrales Pœnitentiæ.

Primò, quia ex illis integratur perfectio materiæ hujus Sacramenti.

Secundò, quia sicut totum integrale solum adest omnibus partibus simul, non singulis seorsim; ita & Pœnitentiæ Sacramentum adest his partibus.

Addendum hîc est, partes integrales esse duplices, principales & secundarias seu minus principales: Contritionem autem & Confessionem esse partes principales Sacramenti Pœnitentiæ, satisfactionem verò, minus principalem. Ac propterea, sine satisfactione verum esse potest Sacramentum reconciliationis, sed imperfectum; absque contritione verò & confessione, seu aliquo supplente locum confessionis, Sacramentum non potest consistere.

*Quæst.* Si quæras, quænam in particulari sint partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ.

*Resp.* Resp. ex art. 2. concl. 1. notum relinqui, quod in generali sint duæ partes essentiales, nempe materia & forma. Sed in particulari tres assignari debent, Contritio, Confessio, & Absolutio, ut communis est sententia.

De Absolutione quidem dubitari non potest; quoniam forma cujusque Sacramenti est illius pars essentialis; non est autem alia hujus Sacramenti forma, quam Absolutio.

De Confessione & Contritione satis etiam patet; quoniam si utraque desit, nulla erit materia super quam proferatur absolutio: & si sola contritio adsit, absque ulla confessione, nulla erit materia sensibilis; qualem tamen in omni Sacramento esse oportet. Neque est quod aliquis opponat posse adesse satisfactionem sensibilem: nam illa & plerumque est Absolutione posterior, & absque ea Sacramentum est validum ac essentialiter perfectum.

*Ob. solvitur.*

Confirmatur, Materia absolutionis (super quam scilicet absolutio Sacramentalis cadere potest, ut ex absolutione tanquam forma, & ex aliqua materia constitui possit essentia hujus Sacramenti) est vera suiipsius accusatio cum serio dolore de peccatis: ergo ex parte materiæ partes essentiales sunt Confessio & Contritio. Nec est ex Orthodoxis ullus qui de confessione dubitet: Omnes enim pro essentia Sacramenti Pœnitentiæ requirunt confessionem, eamque tam integram & tam particularem omnium peccatorum mortalium, quam potest à pœnitente fieri; ita ut si non possit fieri particularis de omnibus, fiat tamen ejusmodi quæ sit vel computari possit esse aliqualis confessio, veluti per interpretem facta, & quæ dici possit supplere locum confessionis particularis.

At de Contritione non eodem modo loquuntur omnes, etsi fortasse non tam re quam verbis quidam dissentiant, volentes ad hujus Sacramenti essentiam sufficere attritionem; id quod sine dubio verum est de Attritione, cujus meminit Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. & quam vocat contritionem imperfectam.

Quoniam verò contritio est quoddam genus seu superius continens sub se duas veluti species, perfectam scilicet & imperfectam contritionem:

*Contritio est de essentia Sacram. Pœnit.*

Simpliciter dicendum est contritionem sic in genere sumptam, esse partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ. Unde B. Th. Suppl. q. 8. ar. 2. ad 1. sive in 4. d. 17. q. 3 ar. 4. quæstiuncul. 1. ad 1. dissertis verbis ait quod *Contritio & Confessio sunt de essentia hujus Sacramenti*. Et q. 29. ar. 8. sive in 4. d. 23. q. 1. ar. 4. rursum affirmat contritionem esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ. Verba referuntur Suppl. q. 9. ar. 1.

Confirmatur Primò, non est dubium quin Concilia Florent. & Trid. assignent partes essentiales hujus Sacramenti; ita enim assignant ejus materiam & formam, ut nulla alia quæ ab illis sit diversa, possit assignari: Satis autem convenit quod satisfactio non sit pars essentialis, restat ergo ut contritio quæ nõ minus necessaria est, quam confessio, sit cum confessione pars essentialis: quam ob causam ista Concilia semper assignant contritionem pro materia, & quidem primo loco, neque unquam, (illâ præterm issâ) assignant aliquem actum pœnitentis, qui non sit veri nominis contritio, saltem imperfecta.

Confirmatur Secundò, contritio est ita necessaria ut si confitenti nulla adsit contritio, ipse non sit verè & coram Deo absolutus, etiamsi confessarius super ipsum verba absolutionis proferret, quemadmodum declaravit Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. ergo non est quare negetur esse pars essentialis. Hinc Tannerus to. 4 disp. 6. q. 1. dub. 2. ex tribus illis partibus materialibus Pœnitentiæ, contritio quidem & confessio spectant non tantum ad integritatem, sed etiam ad essentiam ipsius Sacramenti: secus est de satisfactione quæ tantum est pars integralis ejusdem; additque ex Soto & Valentia hanc sententiam esse communem Gaspar Hurtado disp. 4. de Pœnitentia, diffic. 1. & disp. 6. diffic. 1. expressis verbis ait contritionem esse partem essentialem & requisitam ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ. Similiterque loquuntur S. Antonius p. 3. tit. 14. cap. 19. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 20. sect. 3. nu. 5. & 8. Vasquez q. 92. ar. 2. Henriq. l. 3. c. 10. & l. 5. c. 13. Lud. Mæratius disp. 20. de Pœnit. sect. 1. & Joannes Puteanus 3. p. q. 86. ar. 1. dub. 3.

De Resp. ad 1. videatur B. Thom. in 1. 2. qu. 72. ar. 7.

### Articulus IV.

Art. 4. docet Pœnitentiam convenienter dividi in eam quæ est ante Baptismum, & eam quæ est mortalium post Baptismum, & eam quæ est venialium. Quæ divisio est Pœnitentiæ virtutis in partes subjectivas accidentales; sumpta ex Aug. in opere 50. homil. homiliâ 27. & 50. Distinctio enim ista non est ex fine adæquato & objectis formalibus, sed ex diversis statibus & objectis materialibus.

Responsioni ad 3. quia continet opinionem controversam, de qua 1. 2. qu. 89. ar. 6. agendi locus est, addi potest, perinde esse quod veniale peccatum sit conjunctum originali, vel mortali; quia nec sine illo remitti potest, nec sine isto.

Atque hæc de Tertia Doctoris Angelici Parte, quam ipse longiùs non produxit, sub judicio sanctæ Matris Ecclesiæ dicta sint.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# SUPPLEMENTI
## SEU
## ADDITIONUM AD TERTIAM PARTEM
# S. THOMÆ AQUINATIS
# DOCTORIS ANGELICI
# ET COMMUNIS,
## QVÆSTIO PRIMA.

*De partibus Pœnitentiæ in ſpeciali: & primò de Contritione.*

### ARTICULUS PRIMUS.

*Virùm Contritio ſit dolor de peccatis &c.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, A quia contritio eſt primus actus Pœnitentiæ: ſed dolor non poteſt eſſe primus ejus actus; nam dolor ſive triſtitia oritur ex odio & diſplicentiâ, ſicut gaudium ex amore: ergo contritio non eſt dolor, niſi cauſaliter.

SECUNDÒ, contritio opponitur peccato: ſed peccatum primò conſiſtit in amore, ex quo deinde naſcitur gaudium; ergo ſimiliter contritio *Primò* conſiſtit in odio, ex quo dolor conſequitur.

TERTIÒ, contritio eſt ille actus per quem B homo ſeparatur à peccato: ſed ab eo ſeparatur per odium, antequam adveniat dolor: ergo.

*Quid conterere.* Pro Reſp. obſervandum quod conterere in corporalibus, eſt rem duram in minutas partes frangere & comminuere. Ab his ad ſpiritualia transfertur per metaphoram. Cor enim humanum ſuis affectibus inhærendo, inſtar ſaxi durum redditur & obedire neſcium, quod idcircò vocatur lapideum; Ezech. 11. ſed virtute divinâ, per Pœnitentiam conteritur & emollitur, dum affectum peccati totaliter deponit, promptumque fit ad obediendum, ut propterea tum vocetur *carneum*, Ezech. 11. & 36.

C

Simili ratione contritio vocatur Joëlis 2. *ſciſſio cordis:* Act. 2. *compunctio:* Iſa. 38. *amaritudo animæ* 2. ad Cor. 7. *triſtitia ſecundum Deum:* Pſ. 33. *tribulatio cordis, juxta eſt Dominus his qui tribulato* (70. contrito) *ſunt corde.*

*Reſp. affir.* His præmiſſis cum S. Doctore RESP. Contritionem rectè definiri quod ſit dolor pro peccatis aſſumptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi; quia in iſta definitione manifeſtatur quod contritio ſit & actus virtutis, & pars Sacramenti Pœnitentiæ. Quod ſit actus virtutis, in hoc quod ponitur genus ejus *dolor*, & objectum, in hoc quod dicitur *pro peccatis:* & quod fiat cum electione, cum dicitur *aſſumptus.* Quod autem ſit pars Sacramenti Pœnitentiæ, in hoc quod tangitur ordo ipſius ad alias partes, cum dicitur, *cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi.* Examinat deinde B. Thom. diverſas alias definitiones contritionis: ſed quemadmodum optima eſt quam adfert Synod. Trident. ſeſſionis 14. cap. quarto; ita maximè accedit ad mentem noſtri Sancti Doctoris; tum tertiæ partis quæſtione 85. articulo tertio, dicentis *quod Pœnitentia ſit virtus ſpecialis, ex eo quod pœnitens dolet de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei, cum emendationis propoſito*; tum artic. 4. ita ſcribentis: *Proprius ejus* (pœnitentiæ virtutis) *actus eſt propoſitum emendandi illud quod contra Deum commiſſum eſt.* Quæſtione etiam nonageſima, artic. 4. *Pertinet* (ait) *ad Pœnitentiam, ut deteſtetur peccata præterita, cum propoſito mutandi vitam in melius.* Et in opuſcul. 5. nominans primam Pœnitentiæ partem, cordis Contritionem; *ad quam* (inquit, *pertinet quod homo doleat de peccato commiſſo, & proponat ſe de cætero non peccaturum.* Conferantur etiam quæ habet 3. p. quæſt. 86. articulo ſecundo, & tertio, & Supplem. qu. 16. art. 3. etiam hoc & ſequenti articulo: ubi ponit contritionem eſſe dolorem in voluntate, & quidem *de peccato quod ſuper omnia diſpliceat*, ut quæſt. 3. artic. 1. patet. Ex his manifeſtum eſt B. Thomam omnino eadem requirere ad definitionem



nitionem Contritionis, quæ requirit Concil. A Trid. illam ſic ſeſſ. 14. cap. 4. definiens.

*Contritio eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.*

CIRCA quam definitionem duo veniunt obſervanda. PRIUS, quod illa ſit definitio contritionis in genere, prout ſub ſe complectitur duas veluti ſpecies, nimirum Contritionem perfectam, quæ per antonomaſiam ſimpliciter vocatur contritio; & contritionem imperfectam, quæ vocari ſolet attritio. Quod etſi quidam non videantur advertiſſe, facilè tamen ex iſto cap. 4. probari po- B

*Contritionis diviſio.* teſt, ubi Concil. dicit, quod *Contritionem hanc* (quæ nimirum illic definivit) *aliquando charitate perfectæ eſſe contingit:* Sentit ergo contritionem non ſemper eſſe charitate perfectam, ſed ſolum aliquando; & quando non eſt charitate perfecta, eſſe quidem contritionem, ſed imperfectam, de qua ibidem loquitur. *Illam verò contritionem imperfectam quæ attritio dicitur*, &c. Ita doctrinam Concilij intellexit Suarez 3. p. q. 1. ar. 2. diſp. 4. ſect. 8. docens Concilium adferendo dictam definitionem, loqui indefinitè de contritione in communi, quia inferius dividit illam contritionē in contritionem perfectam, & in imperfectam quæ attritio dicitur: & ita definitio quam aſſignat, utrique convenit, & neutrius propriam rationem explicat. Et hanc doctrinam ſuam approbat idem Suarez tom. 4. diſp. 4. Similiter Valentia tom 4. diſp. 7. de Pœnit. q. 8. p 1. poſt allatam ex verbis Cōcilij Floren. ac Trid. definitionēm contritionis, ait quod in duas deinde quaſi ſpecies ab ipſis Concilij Patribus dividitur, nempe in contritionem charitate perfectam, quam proinde declarat ibi Concilium reconciliare hominem

*Attritio aliqua continetur ſub contritione ſicut ſpecies ſub genere.* Deo, antequam Sacramentum ipſum actu ſuſcipiatur; & in contritionem imperfectam, quæ etiam attritio nominatur. Et Mæratius diſp. 17. de Pœn. ſect. 1. Prænotamus (inquit) contritionis nomine intelligi aliquando genus cōmune duabus his ſpeciebus, quarum una perfecta contritio, alia imper- D fecta, ſeu attritio dicitur. Et mox, contritio generice ſumpta ſic communiter à Theologis & à Trid. Conc. ſeſſ. 14 ca. 4. definitur: Eſt animi dolor ac deteſtatio de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cætero. Ita Mæratius, & cum his pariter ſentiunt ac docent Becanus ca. 35. de Sacram. q. 1. Layman l. 5. tract. 6. c. 4. Filliucius to. 1. tract. 6. c. 7. Tannerus diſp. 6. de Pœnit. qu. 1. dubio 2. Ledeſma cap. 7. quod eſt de attritione, Rodriguez p. 1. cap. 48. Gamacius cap. 7. de Pœnitent. Mercerus initio q. 1. Supplem.

Sanctum quoque Thomam agnoviſſe contritionem, non eam tantum quæ eſt charitate perfecta (de qua loquitur, cum dicit ipſam delere omnem culpam, ut Supplement. q. ar. 3.) ſed inſu- E per aliam, quæ quod non ſit charitate perfecta, nomen habet contritionis imperfectæ: doceri poteſt ex 3. p. q 72. ar. 7. ad 2. ubi dicit, *Si etiam non perfectè contritus accedat:* Et ex q. 79. ar. 3. in corp. ibi, *Fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus.* Et in Reſp. ad 1. ubi explicans quomodo in Miſſa petamus *ut hoc Sacramentum ſit nobis ablutio ſcelerum* ait nos vel de ijs ſceleribus petere, quorū conſcientiam non habemus, *vel ut contritio in nobis perficiatur ad ſcelerum remiſſionem.* Idem patet ex quodlib. 4. ar. 10. Ex quibus alijſque ſimilibus locis certum eſt quod B. Thomæ non ſint eadem, eſſe verè, & eſſe ſufficienter contritum.

POSTERIUS obſervandum eſt, quod allata definitio Conc. Trid. ſit generalis, conveniatque contritioni omnis temporis: ſequitur enim in ipſo Conc. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus neceſſarius:* ſed ut reſtringatur ad eam contritionem, quæ in homine poſt Baptiſmum lapſo requiritur, & quæ ſola poteſt eſſe Sacramenti Pœnitentiæ; addendum eſt, vel quod Concilium ibi ſignificat; cum voto præſtandi reliqua quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur; vel quod B. Thomas addit, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi.

Quod in definitione dicitur, *dolor*, quidam ac- *Contritio eſt eſſentialiter dolor.* cipiunt cauſaliter: verius tamen cum B. Tho. 3. p. quæſt. 85. ar. 1. & hujus quæſt. art. ſecundo ad primum, & quæſtione 3. articulo primo, in corp. (cui conſentit Durandus in 4. diſtinct. 17. quæſtione 2.) ſermone proprio videtur intelligendum: ut contritio ſit ipſe dolor animi eſſentialiter: quia contritio formaliter eſt Pœnitentia: pœnitere autem, formaliter loquendo, eſt pœna ſeu dolore teneri.

Deinde, in animabus beatis etſi ſit perfecta peccati deteſtatio, non eſt tamen contritio: idque propter abſentiam doloris, ut videri poteſt quæſtionis 4. ſeq. articulo tertio, & in 3. part. quæſt. C 84. ar. 8.

Hoc dolore diſplicet homini non tantum peccatum: ſed etiam ipſe ſibi propter peccatum: juxta illud Ezech. 6. *Diſplicebunt ſibimet ſuper malis quæ fecerunt.*

In definitione additur (*animi*) quia contritio non eſt dolor partis ſenſitivæ, ſed affectûs rationalis, ſeu voluntatis. Non raro quidem ex verâ contritione oritur in appetitu concupiſcibili ea paſſio quæ dolor dicitur; & eſt laudabilis, quatenus imperatur à voluntate; non eſt tamen ille ad veram contritionem neceſſarius; cum non ſit in poteſtate hominis, etiam peccata legitimè deteſtantis. Et quando de hoc ſenſitivo dolore mentio fit, verum eſt contritionem non eſſe eſſentialiter dolorem, ſed tantum cauſaliter.

Quod adjungitur, *ac deteſtatio*, confirmari poteſt ex eo quod nullus poſſit ſyncerè dolere de peccato, quod ei non diſpliceat: Confer. 3. part. quæſt. 84. articulo octavo, quæſtio. 86. articulo ſecundo, quæſt. 87. articulo primo, quæſtio. 90. articulo quarto, ubi tradit *pertinere ad Pœnitentiam, ut deteſtetur peccata præterita cum propoſito mutandi vitam in melius.* Unde Conc. Tridentinum ſeſſ. 6. c. 14. & ſeſſ. 14. cap. 1. & 4. tradit ad Pœnitentiam ſeu contritionem requiri odium & deteſtationem peccatorum.

Cum autem iſta (*dolor ac deteſtatio*) ſint accipienda ſecundùm actum, ſicut & *contritio* eſt nomen actus; ad expreſſam & actualem contritionem, intelligendum eſt requiri actualem peccatorum deteſtationem, ut etiam B. Thom. docuit 3. p. q. 87. art. 1. Quando autem ſufficere poſſit contritio virtualis, atque adeò virtualis deteſtatio peccatorum, ad illorum remiſſionem conſequendam articulo ſecundo, quæſtione 86. in tertia parte diximus.

Quod ſequitur (*de peccato commiſſo*) & univerſaliter & formaliter eſt accipiendum; ut ſic ſenſus, de quocumque peccato, ſaltem eo per quod Deus lethaliter erat offenſus; idque quatenus peccatum

Universidad de Deusto
Biblioteca



seu offensa Dei est, ut 3. p. quæst. 85. articulo tertio & q. 46. articulo etiam 3. expressit Author noster. Nam sicut unum peccatum mortale non potest remitti sine alio ; ita nec fieri potest, ut quisquam unum aliquod peccatum mortale, sub ratione talis peccati detestetur, & non simul detestetur omnia reliqua mortalia, per quorum singula factus fuerat Dei inimicus.

Illud (*cum proposito non peccandi de cætero*) etiam universaliter est accipiendum, ut extendatur ad omnia peccata quæ tollant amicitiam Dei cum homine.

AD 1. ARGUMENTUM Neg. Conseq. quia contritio in plenâ sui ratione includit utrumque, & detestationem seu displicentiam peccati, & dolorem de ipso; quamvis illud secundùm ordinem naturæ sit prior isto, nam *displicentia dolorem causat in eo qui susceptivus est doloris*, ait B. Th. ar. 8. q. 84. in 3. p. Unde, sicut affirmat contritionem esse dolorem essentialiter; ita dicit displicentiam & detestationem peccati cum intentione illud expiandi & delendi, esse proprium actum virtutis Pœnitentiæ; q. 85. articulo 2. quæst. 87. art. 1. in 4. d. 14. quæst. 1. articulo tertio; quæstiuncula 4. Consentit Conc. Tridentinum, non solum quando tradit definitionem allatam, sed etiam c. 14. sess. 6. ca. 1. sess. 14. ubi ad Pœnitentiam requirit detestationem cum peccati odio, & animi dolore.

AD 2. Concedimus dolorem nasci ex odio seu detestatione: verùm sicut peccatum consistit in aliquo amore inordinato, & simul est offensa Dei: ita contritio, quæ peccato delendo necessaria est, includere debet simul cum odio, dolorem de offensa. Videtur autem illud odium, esse odium abominationis, & non differre à detestatione.

AD 3. RESP. quod homo non perfectè separetur à peccato in quantum erat offensa Dei, nisi & peccati odium habeat, & dolorem. Imo, nullus hîc verè odit & detestatur sua peccata, qui de ijsdem non dolet: In subjecto enim capaci dolor necessariò sequitur ejusmodi odium seu detestationem.

Pro Resp. ad 3. dicendum est quod confessio & satisfactio sunt quidem necessariæ ad hoc quod pœna remittatur, sed non ad hoc solum: Cum enim effectus Sacramenti Pœnitentiæ sit reconciliatio cum Deo, sess. 14. Conc. Trid. c. 3. cumque istud Sacramentum fuerit institutum ad remissionem peccati, non solùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam, ut B. Th. docet in 3. p. q. 65. art. 1. q. 84. ar. 2. ad 3. ar. 3. ad 3. & 5. & lect. 4. in c. 20. Joan. Confessio quæ ad absolutionem ordinatur, maximè propter remissionem culpæ necessaria est. Unde dicta p. 3. q. 86. ar. 6. affirmat remissionem culpæ esse effectum Pœnitentiæ, *principalius ex virtute clavium quas habent ministri.*

Ad hujus articuli pleniorem intellectum.

## QUÆRITUR I.

### *Vtrùm ad contritionem requiratur expressum propositum non peccandi de cætero?*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia de Davide & filio prodigo legimus 2. Reg. 12. & Luc. 15. quod remissionem peccatorum sint consecuti, cùm dixerunt, *Peccavi*, non factâ mentione expressâ vitæ melioris.

SECUNDÒ, potest contingere, ut in periculo constitutus detestetur peccata præterita sicut oportet: moriatur autem priusquam de futuro expresse cogitet, atque ita salvetur.

TERTIÒ, non est de illius salute desperandum, qui habita solùm virtuali contritione vel dormiens vel etiam vigilans ita repentinâ morte opprimitur, ut de nulla re possit cogitare.

Pro Responsione sit.

### CONCLUSIO I.

FIDE certum est quod ad contritionem requiritur propositum non peccandi amplius. Ita quippe declarat Concil. Florent. in compendio fidei, dum partes Sacramenti materiales describit: *Propositum* — *Prima est cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Et Trid. ss. 14. c. 4. idem propositum requirit, partim in allatâ definitione contritionis, partim posteà cum ait; *Declarat hæc Sancta Synodus hanc contritionem* (quam nimirum initio c. definiverat) *non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium, continere.* Et iterum, quando in eodem c. disserit de eâ attritione quæ est vera, licet imperfecta contritio, & quæ ad Sacramenti valorem atque effectum sufficit, dissertis verbis requirit ut voluntatem peccandi excludat. Quæ prorsus consentanea sunt ijs quæ S. noster Doctor in opusc. 5. antea scripserat de partibus materialibus Pœnitentiæ ita dicens: *Prima est cordis contritio, ad quam pertinet quod homo doleat de peccato commisso, & proponat se de cætero non peccaturum.* Pari modo catechismus ad parochos p. 2. c. 5. qu. 28. quatuor, recensens ad veram contritionem maximè necessaria.

Primum ponit, ut peccator peccata omnia quæ admisit, oderit ac doleat, ne si quædam tantum doleat, ficta & simulata, non verò salutaris Pœnitentia suscipiatur.

Secundum est, ut contritio confitendi & satisfaciendi voluntatem conjunctam habeat.

Tertium, ut pœnitens vitæ emendandæ certam & stabilem cogitationem suscipiat.

Quartum, ut quidquid injuriarum ab altero acceperit, id totum remittatur ac condonetur, juxta sententiam Domini Matt. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra: Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Ubi tamen observandum, quod hoc quarto loco recensitum non semper ab alijs expresè recensetur, non quia non sit necessarium, sed vel quia intelligi potest contentum esse in reliquis, vel quia non universim necessarium est in omnibus pœnitentibus, sed in illis dumtaxat qui injuriarum aliquid ab alio acceperunt.

Confirmatur hæc conclusio, tum ex scripturis, tum ex ratione. Quod enim scripturæ velut omnino necessarium postulent propositum non peccandi de cætero, liquet ex Is. 1. *Quiescite agere perverse, discite bene facere.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiâ ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit* (saltem quantum ad propositum & seriam voluntatem) *omnia præcepta mea &c. vita vivet.* Et postea, *Convertimini & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinâ iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum*



*novum & spiritum novum.* Similiter Amos. 3. *Odite malum & diligite bonum.* Idem etiam Christus Dominus Paraclytico ad probaticam piscinam sanato dixit Ioa. 5. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare.* Et mulieri quæ in adulterio fuerat deprehensa præscripsit Joan. 8. *Jam amplius noli peccare.*

Suffragatur & ratio. Ad contritionem necessaria est vera conversio; hæc autem non solum includit recessum à termino à quo, sed etiam accessum ad terminum ad quem, id est, ad novam vitam. Imò, & inter homines ad reconciliationem amicitiæ non sufficit, cum qui offendit dolere de injuria; sed etiam requiritur ut proponat non amplius eam inferre.

*Etiam ad attritionẽ requiritur propositum firmum non peccandi.*

Et observandum, quod istud propositum non peccandi de cætero, non tantum requiratur ad contritionem perfectam quæ attritioni constituitur, sed etiam ad imperfectam quæ attritio nuncupatur, quemadmodum liquere potest ex probationibus jam allatis. Unde Valentia disp. 7. quæst. 1. p. 1. clarè asserit quod quando tam virtuale quam actuale propositum non peccandi de cætero omnino deest, ille dolor non dicitur contritio, nec propriè attritio. Suarez quoque tom. 4. in 3. part. disp. 20. sect. 4. num. 7. cum alijs pluribus docet quod attritio debeat includere voluntatem absolutam non peccandi de cætero. Quibus addi possunt Navar. Enchir. c. 9. nu. 13. Henriquez lib. 5. c. 11. Becanus c. 35. de Sacram. Ledesma c. 7. de attritione. Tannerus disput. 6. de Pœnitent. q. 6. dub. 4. Filliucius tract. 7. ca. 7. qq. 7. & 8. Bonacinas disp. 5. q. 3. p. 2. Gamacius cap. 9. de attritione.

### CONCLUSIO II.

*Non tamen est omnino necesse quod illud propositum sit formale.*

NON est de essentia contritionis, ut propositum non peccandi de cætero, sit formale & expressum; ac proinde potest esse vera, imò & perfecta contritio, quamvis illud propositum solum sit implicitum. Tota quippe definitio contritionis reperitur in eo qui peccatum ex animo detestatur, doletq; se illud admisisse, virtualiter proponens non amplius peccare. Huc facit quod David 2. Reg. 12. ubi dixit, *Peccavi Domino*, & in Ps. 50. ubi Pœnitentiam egit, non legitur formasse expressum propositum de non peccando ulterius, uti nec filius prodigus ad patrem redire cupiens Luc. 15. nec Publicanus Luc. 18. Nec Latro Luc. 23. Neque dubium est eum veram contritionem habituram, qui syncerè ac seriò diceret, *Domine propitius esto mihi peccatori*, vel Psalmum quinquagesimum corde non minus quam ore proferret.

### CONCLUSIO III.

PER se seu ordinariè loquendo propositum non peccandi de cætero debet esse formale & expressum. Nam alioquin frustra hanc partem, *cum proposito non peccandi de cætero*, in definiendâ contritione addidissent Concilia, Flor. & Trid. nisi intellexissent istud propositum per se loquendo, debere esse explicitum; quia implicitum continetur in priori parte illa, *dolor de peccato commisso*: Fieri enim non potest, ut is ex animo doleat de præteritis, qui non statuit, saltem virtute, deinceps cavere similia.

Præterea Trid. Syn. sess. 6. c. 6. in dispositionibus ad gratiam justificantem, ponit hoc propositum ut distinctum ab amore Dei, & odio ac detestatione peccati. Cap. autem 4. sess. 14. declarat contritionem continere vitæ novæ propositum & inchoationem, ac insuper veteris odium. Confer B. Th. 3. p. q. 85. ar. 3. & 4. q. 86. ar. 2. q. 90. art. 1. & in Opusc. 5.

Quapropter cum Navâr. c. 1. n. 6. conformiter ad ea quæ resolvimus q. 86. ar. 2. dicendum videtur, contritionem ita per se requirere formale propositum de non ulterius peccando, ut si vel de vitâ deinceps agenda, vel de peccatis ijsdem aut alijs aliquando occursuris sit cogitatio, expressum formari debeat propositum vitam emendandi seu à peccatis abstinendi; Sed per accidens, temporis, vel considerationis defectu sufficit virtuale, *modo* peccatorem *ita suorum peccatorum pœniteat; quod si adverteret ad futura, proponeret de nunquam iterando ea.* inquit Navar. Si quis ergo occupatus, vel in examinanda sua conscientia, vel in detestanda vita præterita, vel in imploranda Dei misericordia & petenda venia; vel in excitando se ad amorem Dei & dolorem de ipsius offensa non cogitet actu, dicens intra seipsum. Volo emendare vitam. volo abstinere à peccatis: sed bonâ fide eat ad confessionem, ibique se accusans veniam petat, verè est contritus, talisque ejus confessio est bona: quia illo peccatorum ad faciendam confessionem examine & detestatione, veniæque à Deo petitione, sufficiens includitur propositum non peccandi de cætero.

Et sic patet RESPONSIO ad objecta.

## QUÆRITUR II.

### *An votum confitendi & satisfaciendi sit ad veram contritionem necessarium?*

VIDETUR quòd non: quia David habuit veram contritionem, sine tali proposito.

RESPONSIO affirmativa certa est: tum per Conc. Trid. dict. sess. 14. c. 4. ubi & requirit votum præstandi ea quæ requiruntur ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè suscipiendum; & postea exprimit Sacramenti votum in contritione includi: tum per Sixti IV. constitutionem quâ damnavit istum artic. Petri Oxomensis, Peccata mortalia delentur per solam cordis contritionem, sine ordine ad claves, *Nullus reputatus contritus, nisi habeat propositum subjiciendi se Ecclesiæ clavibus*; ait B. Th. opusc. 17. aliàs 22. c. 2. & hujus Suppl. q. 10. ar. 1. similiterq; loquitur q. 5. ar. 2. ad 1. *Contritio enim votum confessionis annexum habet.* Loquimur autem de contritione quam debent habere Christiani post Baptismum lapsi: Nam ea quæ debet haberi ante Baptismum, & quæ fuit necessaria antequam Sacramenta novæ legis instituerentur; tale votum non requirebat. *Resp. esse.*

Ratio diversitatis est, quia contritio cùm includat votum non peccando de cætero: consequenter includit votum servandi divina mandata: est autem hoc tempore inter reliqua Christi præcepta, unum de confessione & satisfactione. Quòd autem hujus rei votum non necessariò sit explicitum, diximus ar. 5. q. 84.

Ex his patet RESPONSIO ad argumentum; quia tempore Davidis nullum erat divinum præceptum de confessione Sacramentali facienda.

Petes,

Universidad de Deusto
Biblioteca



PETES, An igitur nunc non sit eadem essentialis ratio contritionis, quæ olim fuit. RESP. esse quemadmodum patet ex definitione superius allata, quæ convenit contritioni omnis temporis: Unde Conc. subjungit; *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Neque refert quod olim contritio non includeret votum subijciendi se clavibus Ecclesiæ, quod tamen nunc includit, quia illud votum etsi non sit de essentiali ratione contritionis generatim consideratæ, est tamen de ratione contritionis quam homo Christianus debet habere post lapsum à Baptismo.

SI RURSUM PETAS, An ergo hominis Christiani contritio non sit eadem cum contritione, quæ ante Christi adventum habebatur RESP. esse eandem secundùm genus, sed diversam secundùm speciem, quia continet in sui ratione aliquid, quod illa non includebat.

## QUÆRITUR III.

### *Vtrum ad contritionem requiratur amor Dei super omnia.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia Syn. Trid. c. 4. sess. 14. eam attritionem *quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur*, vocat contritionem, licet imperfectam; hæc autem non proficiscitur ex amore Dei: ergo. Confirm. ex Aug. de catechizandis rudibus, c. 17. ubi tria genera venientium ad fidem distinguens, tertium ponit eorum qui metu gehennæ vel desiderio æternæ beatitudinis fiunt Christiani, & hos dicit esse veros Christianos.

SECUNDÒ, sequitur alioqui, nihil esse nobis præstitum per Sacramentum Pœnitentiæ, sed magis arctatam esse viam salutis: Nam sine Sacramento, conversus amans Deum super omnia, obtinere potest remissionem peccatorum.

Non quæritur præcisè de contritione perfectâ, sed generaliter de contritione prout à Conc. Flor. & Trid. atque à communi Doctorum sententia statuitur prima pars Sacramenti Pœnitentiæ: quomodo est quiddam commune, sub se comprehendens contritionem perfectam quæ specialiter & per antonomasiam vocatur contritio; & imperfectam, quæ dicitur attritio. Quibus præmissis sit pro Resp.

### CONCLUSIO I.

*Non sufficit amor naturalis.*

AD contritionem etiam imperfectam non sufficit amor Dei naturalis, seu qui per solas naturæ viris eliciantur: quoniam contritio illa imperfecta, (ac per consequens etiam ille Dei amor, qui in ea reperitur) est valdè salutaris; peccatorem enim ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit, juxta doctrinam Conc. Trid. sess. 14 c. 4. Quod autem nihil salutare possimus habere ex nobis sine Christi gratia, notum relinquimus ex dictis 1.2.q.109.art.2.concl.6. Huc pertinet can. 3. sess. 6. Conc. Trid. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs S. inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet ut et justificationis gratia conferantur anathema sit.* Conferatur autem Concil. Arausic. Iam olim can. ult. docuerat nullum posse *aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, nisi gratia eum & misericordia Dei prævenerit.* Eodemque pertinet quod Syn. Trid. dicto. c. 4. affirmat eam contritionem imperfectam seu attritionem quæ cum Sacramento sufficit, donum Dei esse, & impulsum Spiritûs sancti.

### CONCLUSIO II.

*Nec ille, quo Deus positivè non plus ametur quam aliqua creatura.*

AD eandem imperfectam contritionem non sufficit ille amor, quo Deus positivè ametur, vel minus, vel non plus quam aliqua creatura; partim quia ille amor non superat vires naturæ; partim quia is qui sic Deum amat, inordinate amat, cum nulla creatura sit Deo æquanda, multò minus præferenda in amore, ac proinde peccat: Qui verò imperfectè conteritur seu atteritur, sic ut illa ejus attritio sit pars Sacramenti veraque ad gratiam dispositio, in eo nullatenus peccat. Confirmatur, Salvator ita loquitur Matth. 10. *Qui amas Patrem aut matrem plus quam me non est me dignus.* Quibus conformia reperiuntur Luc. 14.

### CONCLUSIO III.

*Sed requiritur supernaturalis amor Dei.*

AD contritionem imperfectam necessarius est aliquis supernaturalis amor Dei.

PROB. 1. quia ejusdem rationis est, odisse malum & amare bonum ei oppositum: Atqui per contritionem illam, tametsi imperfectam peccator ex supernaturali motivo, atque ex speciali gratia habet odio peccatorum: ergo etiam ex gratia diligit Deum, saltem virtualiter.

PROB. 2. quia de amore supernaturali loquitur Apostolus 1. ad Cor. ult. *Si quis non amat Dominum nostrũ Iesum Christũ, sit anathema*: de quo etiã c. 13. dixerat, neque fidem, neque eleemosynam, neque alia opera homini prodesse sine charitate, seu sine sincero amoris Christiani affectu. Eodẽq; pertinet tum illud 1. Joan. 3. *Qui non diligit manet in morte*; tum istud Aug. ser. 3. de Nativ. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei:* Non potest autem dici quod ille qui de peccato verè conteritur, licet imperfectè, sit anathema; quodque ejus orationes & eleëmosynæ nihil ei prosint, cum per eas disponatur ad justitiam: ergo habet aliquem Dei amorem supernaturalem.

PROB. 3. Conc. Arausi. can. ult. agnoscit aliquem supernaturalem Dei amorem in eo qui Baptismum petit, dicens quod *Deus fidem & amorem sui prius inspirat, ut Baptismi Sacramentum requiramus.* Idem verò judicium est de pœnitente: ergo etiam huic Deus aliquem sui amorem inspirat prius quam reconcilietur.

PROB. 4. quia Syn. Trid. sess. 6. c. 6. in dispositionibus ad justificationem requirit ut peccatores *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*, velintque novam vitam inchoare, & mandata divina servare; talis autem amor sine dubio est supernaturalis: & sess. 14. c. 4. generaliter docet contritionem quam ibi definivit quamque in perfectam & imperfectam postea dividit; non solùm cessationem à peccato, & novæ vitæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere. Et aliquando post, ad imperfectam contritionem seu attritionem requirit quod voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; hæc autem omnia non consistunt sine aliquo supernaturali amore Dei.

Hæc Gamatius c. 9. de attritione, constat (ait) attritionem non esse ex solo metu, sed aliquid etiam divini amoris necessariò includere; Alioquin si nullus omninò Dei amor, neque implicitè neque explicite, actu aut virtute includatur, non est tunc vera attritio, nec attritionis nomen prometeretur. Et postea, ergo etiamsi revera in attritione non sit perfecta dilectio, tamen est semper aliquid dilectionis, nec solùm dilectionis naturalis, sed etiam supernaturalis, quæ ex fide & spe virtutibus Theologicis, gratiæque actualis concursu oriatur. Confirmat deinde ex eo quod attritio est species Pœnitentiæ, idcoque generalem Pœnitentiæ rationem vindicare debet: Ad Pœnitentiam verò generaliter requiritur odisse peccatum ut est offensa Dei, & quatenus displicet Deo, ut tandem ei reconciliemur: id quod sine aliquo Dei amore & dilectione fieri nequit. Ita Gamacius, & ei conformiter antea Faventius in 4. d. 14. q. 2. disp. 16. n. 64. 65. 66. Sed & ante illum.

His ita conformiter Valent. q. 8. p. 1. de contritione scripserat quod dolor de peccato non ut peccatum & offensa Dei est, sed tantùm ut pœnæ reatum inducit, aut aliud affert incommodum, ut infamiam, ægritudinem &c. ita ut neque actu neque virtute suscipiatur causâ Dei offensi, neque contritio neque attritio propriè nominari debet. Et postea solam eam attritionem & contritionem imperfectam agnoscit quæ est cum aliqua dilectione Dei.

Antea quoque facultas Theol. Lovan. c. 11. ad articulos per Bullam Pij 5. damnatos, disertè affirmat, quod ante suam justificationem *insit in Pœnitente amor aliquis justitiæ*, eaque dilectio quâ Deum diligere incipit tanquam totius justitiæ fontem.

Nec dissimiliter Bellar. tom. 3. l. 2. de Pœnit. c. 14. de catechumenis & pœnitentibus ait, quod dum per inchoatam dilectionem Dei disponuntur ad gratiam, non habent remissionem peccatorum, sed tantùm vivere incipiunt perfectè victuri quando perfectè diligent. Ubi sicut & in sequentibus clarè agnoscit salutarem ac supernaturalem Dei dilectionem, licet imperfectam, in his qui sunt attriti.

### CONCLUSIO IV.

*Attritio non requirit charitatem, sed inferiorem dilectionem.*

AMOR Dei ad contritionem imperfectam requisitus, seu attritione saltem virtualiter inclusus, non est amor ille perfectus quo Deus ex primario motivo charitatis, seu propter se suamque bonitatem diligitur super omnia: sed rudis quædam & imperfecta dilectio, vel ex spe veniæ, aut vitæ æternæ consequendæ procedens, vel ex alio aliquo motivo, supernaturali quidem, at quod non sit ipse Deus secundùm se seu ut est summè bonus, sed quiddam eo inferius. Quæ proinde dilectio & justificationem antecedit (ut diximus 1.2. quæst. 113. art. 8. & 2. 8. qu. 23. art. 2.) & non assequitur naturam veræ charitatis, ejus nimirum quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Confer Malder. 1. 2. q. 113. art. 3. & 5. sect. 2.

### CONCLUSIO V.

AD attritionem quæ dicitur imperfecta contritio, non requiritur amor Dei simpliciter & absolutè super omnia. requiritur tamen virtualiter aliquis amor Dei super omnia secundum quid.



PRIUS prob. quia amor Dei simpliciter & absolutè super omnia, est is quo Deus secundùm se & secundùm suam bonitatem, sive ut est in se summum bonum, diligitur propter se super omnia, hoc est, præ omnibus alijs quæ possunt in considerationem venire; qui proinde amor est amor amicitiæ: Ad imperfectam verò contritionem non requiritur quod attritus ita Deum amet, sed sufficit quod ad illum bene afficiatur, & ab eo veniam ac vitam æternam speret, habeatque voluntatem resolutam deinceps nõ peccandi, saltem mortaliter; hic autem amor non est amor amicitiæ, sed concupiscentiæ, pertinetq; ad spem potiùs quam ad charitatẽ. Confirm. Attritio etsi inchoativè hominem à peccato separet, in quantum ab ejus animo excludit affectum & voluntatem peccandi, ipsum tamen peccatum non excludit, nec conjunctam habet gratiam vel charitatem habitualem: amor autem Dei super omnia simpliciter & absolutè, non compatitur ipsum mortale peccatum, & conjunctam habet gratiam & charitatem habitualem; ergo talis amor non est necessarius ad attritionem.

*An & qualis dilectio Dei super omnia requiratur ac attritionem.*

POSTERIUS prob. quoniam vera ac syncera ad Deum conversio non videtur posse intelligi sine voluntate placendi Deo per mandatorum ejus observationem; hæc autem voluntas non est absque aliqua dilectione Dei, quæ sit aliquo modo super omnia: Sed attritio quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficit, quamvis sit imperfecta contritio, est tamen vera & syncera conversio ad Deum: ergo conjuncta est cum voluntate placendi Deo per observationem mandatorum ipsius, ac per consequens cum aliquâ dilectione Dei super omnia.

Confirm. sic ad Deum affici, ut pœnitens ab eo veniam speret, habeatq; voluntatem non amplius ipsum offendendi, includit (saltem virtualiter) illum Dei amorem, quo ipse pluris æstimatur quam quidvis aliud inferius Deo, quandoquidem anteponatur omnibus quæ possunt hominem ab illius amicitia excludere, hoc ipso nimirum quo simul cum spe veniæ adest voluntas nunquam illum offendendi mortaliter: Atqui ejus spes & istud propositum necessariò requiruntur ad attritionem illam de quâ nunc differitur; ergo ad eandem requiritur aliquis amor Dei aliquo modo super omnia, Dico, *aliquo modo*, sicut & superius dixi, *secundùm quid.* Cùm enim iste amor non sit Dei secundùm quod in se est summè bonus & perfectus, quemadmodum nec ejus motivum est Dei bonitas seu perfectio, sed aliquod motivum inferius, utpotè spes salutis, metus gehennæ & pœnarum, aut consideratio turpitudinis peccati; satis intelligi potest quod non sit Dei super omnia absolutè; quia Deus in quantum author nostræ beatitudinis, & ut vindex peccati, est quiddam (nostrâ consideratione) inferius, quam Deus ut in se summè bonus, summeque perfectus.

His non absimile est quod Tanner. disp. 6. de Pœn. q 6. scribit in hæc verba: colligitur cur attritio sit & dicatur dolor seu detestatio peccati non super omnia, ideò nimirum quia ejus motivum non est summum, sub quo peccatum concipiatur ut malum detestabile super omnia; magis enim detestabile est peccatum ut est contra Deum secundùm se velut summum bonum, quam ut præcisè est contra jus Dei, vel contra gratitudinem, vel obedientiam, aut etiam cultum Deo debitum seu ut est causa pœnæ æternæ &c.

Simili-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Similiter namque dicimus Deum esse magis diligibilem ut in se est summè bonus, quam ut est nobis bonus; ideoque dilectionem qua diligitur ut est nobis bonus, non esse super omnia simpliciter & absolutè, cujusmodi est illa qua diligitur ut est in se summè bonus.

### Conclusio VI.

*Ad perfectam contritionem necessarius est amor Dei super omnia simpliciter.*

AD contritionem quæ interdum absolutè & velut per antonomasiam vocatur contritio, aliàs autem contritio perfecta, requiritur amor Dei super omnia simpliciter: In hoc enim distinguere solent contritionem ab attritione. Et confirmari potest ex eo quod hæc contritio est de peccato B in quantum est contra Deum ut summè bonum: ergo similiter amor Dei qui in ea includitur est ex intrinseco eoque primario motivo charitatis, sive, est Dei quatenus secundùm se est summè bonus.

Cæterum, etsi hujus amoris actus per se ac ordinariè debeat esse formalis, & à peccati detestatione distinctus, aliquando tamen sufficit quod virtualiter contineatur in perfecta peccatorum detestatione, qualis ea est qua ex motivo charitatis seu propter Deum ut summè bonus est, offensum peccator detestatur sua peccata, licet non eliciat expressum ac distinctum actum charitatis; quo modo vice versa diximus 3.p.qu. 86.art. 2. interdum sufficere Pœnitentiam virtualem in actu dilectionis C inclusam.

Ad 1. ergo arg. Resp. quòd attritio de qua loquitur Conc. etsi oriatur ex gehennæ aut pœnarum metu, habet tamen conjunctum aliquem Dei amorem: dicitur enim quod *voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ*, ac (ut exprimitur can. 5.) *cum proposito melioris vitæ*: Hæc autem omnia, vera spes veniæ à Deo consequendæ, resoluta voluntas non amplius Deum offendendi & syncerum melioris vitæ propositum, non sunt sine aliquali amore Dei super omnia, saltem secundùm quid. Deinde, generaliter verum est, quod B. Th. 3. p.qu. 86. ar. 3. scribit ad rationem veræ pœnitentiæ requiri D quod peccatum displiceat, *quia est contra Deum super omnia dilectum*: Cùm ergo attritio de qua agit Conc. sit vera pœnitentia; consequens est quod per eam ideo peccatum displiceat homini Pœnitenti, quia est contra Deum aliquo modo super omnia dilectum, hanc autem displicentiam nemo verè habet sine aliqua dilectione Dei super omnia.

Ad confirm. Non vult Aug. solum gehennæ metum esse legitimam dispositionem ad justitiam percipiendam, etiam per Sacramentum: sed loquitur de illis qui nondum diligunt Deum secundùm se seu quatenus est summè bonus, plus quam timeant gehennam: *Qui propter beatitudinem sempiternam & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, non erit in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est.* Quod idem Aug. dicit eò usque profecturos, ut à peccatis abstineant, non ullo metu gehennæ, sed solo timore separationis à Deo. E

Ad 2. Negatur sequela, multum enim nobis est præstitum, non ut sit duplex via per quam justificetur peccator: sed, partim quia per Sacramentum facilius obtinetur venia: partim quia per illud efficimur quodammodo certi & securi de reconciliatione, quæ etsi aliquando contingat sine Sacramento, ut quando contritio est charitate perfecta; eam tamen sic esse perfectam, & rarum, & difficile est, nec tunc sine voto Sacramenti habetur reconciliatio.

### Articulus II.

*Utrùm contritio sit actus virtutis.*

RESP. esse, quia detestari suam malam voluntatem, est bonum: contritio autem est actus, quo is qui peccavit, detestatur malam illam voluntatem qua peccavit, ac etiam ipsum peccatum: ergo contritio est aliquid ex se bonum, & actus virtutis. *Contritio est actus virtutis.*

Confirm. 1. præcepta non dantur nisi de actibus virtutis; dari verò præceptum de contritione constat ex ijs quæ dicimus q.4.art.1.

Confirm. 2. gaudere de peccato commisso, est malum; ergo de illo dolere ipsumque detestari, est bonum.

Addit S. Doctor contritionem esse actum virtutis Pœnitentiæ, quia ad Pœnitentiam pertinet peccatum præteritum detestari & destruere. Nec obstat quod hoc videatur pertinere ad charitatem: quamvis enim ad charitatem pertineat dolere de malo præterito, si hoc solum spectetur, dolere tamen de eo in quantum est offensa Dei cum proposito emendandi, Deumque placandi, pertinet ad virtutem Pœnitentiæ, ut dicitur 3.p.q.85.ar.1.2.3. *Ob. solvitur.*

In Resp. ad 2. indicat attritionem non pariter dici actum virtutis, sicut dicitur contritio: Cujus ratio esse videtur, quoniam attritio significat quandam displicentiam imperfectam de peccatis commissis; displicentia autem de peccato potest esse tam imperfecta, ut neque sufficiat ad Sacramentum neque pertineat ad aliquam virtutem, quemadmodum ex dicendis art. 3. patebit. *Quædam attritio est actus virtutis.*

Si autem quæratur de attritione quam Conc. Trid. vocat imperfectam contritionem; ea videtur dicenda actus spei, cùm Suarez disp. 15. sect. 2. §. Atque hinc. quem sequitur Tannerus in fin. disp. 6. Ratio est, quia ejusdem principij est amare aliquod bonum, & odio habere malum ei contrarium. Cum ergo actus attritionis fundetur potissimum in timore gehennæ; hæc autem directè opponatur vitæ æternæ quam spes intendit; ex eadem spe videtur procedere odium peccati & gehennæ, ex qua procedit amor vitæ æternæ, tanquam boni nostri. Quamquam si attritio consideretur sub motivo virtutis Pœnitentiæ proprio, eatenus dici possit esse illius virtutis actus.

Quoniam verò Lutheri dogma fuit, timorem gehennæ & contritionem ex eo procedentem, facere hominem hypocritam & magis peccatorem.

### QUÆRI POTEST.

*Utrùm attritio ex metu gehennæ sit bona.*

VIDETUR enim quod non. Primò, quia in ejusmodi attritione includitur hæc conditionalis, non detestaret peccatum si non esset gehenna; talis autem affectus est malus.

Secundò, Talis attritus magis detestatur pœnam quam culpam; hoc autem est inordinatum; ergo per eam attritionem peccat. Major videtur clara; propter quod enim unumquodque est tale ipsum magis.

Tertiò ordinare fugam culpæ ad vitandam pœnam; est inordinatum, est enim ordinare majus bonum ad minus: cum igitur hoc inveniatur in eo qui de peccato atteritur propter timorem pœnæ; consequens videtur quod inordinatè agat.



*Attritio ex metu gehennæ bona est.*

Resp. certa est, attritionem ex metu gehennæ esse bonam, sive intelligatur esse ex metu gehennæ tanquam ex occasione excitante ad detestandam culpam; sive tanquam ex motivo, quod sit finis proximus propter quem peccator detestatur culpam: quia timere malum quod revera dignum est ut timeatur, est bonum: ergo non est ratio quare dolor ex tali metu ortus sit malus.

Confirmatur, in tali attritione intentione finis est bona: similiterque medium quod assumitur; ac etiam ordinatio medij ad finem: ergo etiam ipsa attritio bona est.

Anteced. probatur, quia intentio finis, est voluntas evitandi pœnam peccato debitam medium, est fugere & detestari peccatum, (quæ omnia sunt ex objecto bona:) ordinatio medij, est per quam detestatio peccati ordinatur ad evationem pœnæ; Quæ ordinatio idcirco bona est, quia ordinatur medium proportionatum ad finem: Sicut enim pœna non debetur nisi propter culpam ita medium aptissimũ ad pœnam vitandam, est detestari ac vitare culpam. B

Accedit quod Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. declaravit attritionem ex metu gehennæ ortam esse donum Dei & Spiritus sancti impulsum, cum quo conferendus est ejusdem sess. can. 5. & sess. 6. cap. 6 & can. 8. ac etiam scripturæ & Patres, de quibus 2.2.qu.19.art 4.

Ad 1. arg. Resp. neg. assumpt. Talis namque affectus vel conditio,) si non esset gehenna, non detestarer peccatum) neque actu neque virtute includitur in attritione quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur, & quam Synod. Trid. docet esse sufficientem; quoniam qui ex metu pœnæ seriò detestatur peccatum, non detestatur illud conditionaliter, sed absolutè & efficaciter, cum talis detestatio avertat hominem ab interiori affectu peccati; alioquin, si ab ejus affectu non averteret, is qui non aliter quam sub ista conditione detestaretur peccatum, hoc ipso peccaret, secundum ea quæ illo art. 4. qu. 19. diximus. C

Ad 2. Suarez disp. 5. sect. 2. numer. 9. Becanus c. 35. de Sacram. Gamacius cap. 9. de attritione, & alij quidam concedunt Majorem, & negant Minorem, dicentes attritum eo actu quo detestatur culpam propter pœnam, magis detestari pœnam quam culpam, ac nihilominus illum actum non esse inordinatum vel malum, quia non impedit quin idem ille homo simpliciter & propter alias rationes magis detestetur culpam quàm pœnam: Ut autem semper & in omni actu hoc faciat, ipsum non teneri, modò non excludat rectum ordinem ad finem ultimum, seu ad Deum; eo enim ipso quo actus ex se bonus talem ordinem non excludit, virtualiter in ipsum refertur. D

Potius tamen videtur neg. esse Major. Sicut enim non sequitur, Servus diligit Dominum propter cibum quem ab eo expectat: ergo magis diligit cibum, quam dominum; fideles Deum diligunt propter retributionem: ergo diligunt retributionem magis quam Deum: ita nec sequitur, pœnitens detestatur culpam propter pœnam, ergo magis detestatur pœnam. Illud enim axioma, *Propter quod unumquodque est tale, ipsum magis*, non habet universalem veritatem in causa minus principali, comparata ad suum effectum, ut diximus 2.2.q.27. art. 3. ad 2. Quemadmodum autem nec cibus nec retributio est principalis causa, propter quam aut servus Dominum, aut fidelis Deum diligit, ita nec pœna est principalis causa, ob quam Pœnitens detestatur culpam: quia licet pœna sit finis proximus non tamen excludit finem ultimum qui est Deus, ad cujus gloriam culpæ detestatio ac metus pœnæ est referibilis, & quamdiu non excluditur ex se in illum tendit. E

*De axiomate propter quod unumquodq; &c.*

Præterea, istud axioma intelligi debet de causa à qua effectus per se dependet, ita ut effectus non possit formam seu denominationem illam habere ab alia causa, quam ab ista, ut Conimbricenses explicant in c. 2. de scientia & demonstratione, qu. 2. art. 6. sive de forma vel denominatione, quæ competat non aliunde quam ex illa causa; adeò ut si ea causa tollatur, etiam tollatur, ab effectu ipsa forma vel denominatio, quemadmodum indicat Gratianus à monte forti Capucinus in l. axiomatum. Hæc autem forma vel denominatio (*detestari culpam*) non est effectus per se dependens à timore pœnæ, neque est ejusmodi, ut si tollatur ipsius causa, nimirum timor pœnæ, etiam auferatur detestatio culpæ; nam & aliundè potest hæc detestatio oriri; Si non esset pœna gehennæ, non detestarer peccatum.

Ad 3. neg. Anteced. quia timor pœnæ propter quam vitandam detestatur culpam, est solum finis proximus; non est autem inordinatum ordinare bonum majus ad bonum minus tanquam ad finem proximum, quando utrumque bonum ulterius ordinatur ad alium finem principalem qui sit utroque melior, quemadmodum diximus 3. p.q.1.art.3. ad 6. Ita autem res se habet in propolito.

### Articulus III.

*Utrùm attritio possit fieri contritio.*

VIDETUR quod sic. Primò, quia per Sacramentum dicitur aliquis ex attrito fieri contritus: ergo ejus attritio fit contritio.

Secundò res imperfecta potest perfici: attritio est dolor imperfectus: ergo potest perfici; & sic erit contritio.

Resp. quod attritio secundùm significationem nominis, idem est quod fractio seu comminutio imperfecta, unde in corporalibus attrita dicuntur quæ sunt in partes majores diffracta, vel ad aliquid aliud allisa, sed non perfectè contrita: translatione autem facta ad animam, significat imperfectum dolorem peccati. Et quia multis modis contingit deficere à perfecto; hinc multi modi attritioni possunt assignari. *Varij attritionis modi.*

Primus est, cùm quis dolet de peccato propter humana dumtaxat aut naturalia motiva: velut quia peccando amisit famam, honorem, pecuniam, benefactorum amicitiam; quia læsit valetudinem; quia quod fecit, est contra rationem, & honestatem naturalem.

Secundus, quando quis dolet de peccato propter metum æternæ damnationis quæ lumine fidei cognoscitur, sed nec formaliter seu explicitè, nec virtualiter aut implicitè conjunctam habet dilectionem Dei ut authoris gratiæ vel justitiæ, ne quidem imperfectam.

Tertius, cùm dolet propter offensam Dei, non tamen absolutâ & efficaci voluntate, sed suspensâ & optativâ, quæ vocatur à quibusdam velleitas; quâ scilicet peccator vellet peccatum relinquere, nõ tamen relinquit; qualem subinde habent

Universidad de Deusto
Biblioteca



usurarij, concubinarij, & similes in peccatis manentes?

QUARTUS, cùm dolet quis de peccatis, propter pœnas inferni fide cognitas, aut propter cælestis beatitudinis privationem, vel ob peccati turpitudinem similiter fide cognitam: inde accipiens occasionem detestandi peccata præterita, & firmum propositum deinceps non peccandi, saltem mortaliter.

Possent fortassis & alij quidam modi attritionis reperiri, sed videntur ad assignatos posse revocari; Quorum unusquisque, sicut attritio utcunque dici potest, ita & imperfecta contritio; sed hoc differimine, quod ista priora genera non sunt attritiones simpliciter, nec absolutè vocari possunt *contritio*; cùm ad rationem contritionis priùs expòsitam non pertingant; nec sint de peccato quatenus peccatum seu Dei offensa est, sed secundùm alias conditiones.

Dicitur ergo unumquodque illorum *Contritio imperfecta*, eo modo quo embrio est homo imperfectus, & carentia scil. principij essentialiter requisiti; nullum autem eorum sufficit, etiam cum Sacramento, ad reconciliationem.

Nam quæ primi generis est, solis naturæ viribus haberi potest, etiam ab infidelibus.

Quæ secundi, licet ex donum Dei, quia tamen neque importat Dei ut authoris gratiæ vel justitiæ amorem, neque excludit voluntatem Deum offendendi, (quod tamen in attritione quæ cum Sacramento sufficiat, requirit Conc. Trid. sess. 14. c. 4. & can. 5.) ac proinde, nisi accesserit aliquis amor justitiæ, & quædam dilectio Dei saltem imperfecta; non poterit esse dispositio sufficiens ad remissionem peccatorum; ut asserunt Doctores allegati art. 1. quæsito 3.

Quæ tertij est generis, non continet absolutum propositum non peccandi.

*Quæ Attritio sit Contritio.*

ATTRITIO autem quam QUARTO LOCO recensuimus, simpliciter & absolutè vocatur attritio & est vera (licet imperfecta) contritio, sufficiéque ad reconciliationem cum Sacramento.

Quod sit vera contritio, patet, quia tota definitio contritionis art. 1. explicata ei convenit, neque aliquid ad contritionem à Conc. Trid. requisitum potest assignari, quod in hanc attritionem non competat.

Quod ex parte sua sufficiat ad reconciliationem, probari potest, tum ex eo quod sit vera dolitáque materia Sacramenti Pœnitentiæ; tum ex Conc. Trid. sess. 14. c. 4. ubi dicit: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur &c. si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ.* &c. *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quibus verbis cùm disertè requirat, ut attritio quæ cum Sacramento sufficit ad reconciliationem, excludat voluntatem peccandi, & sit cum spe veniæ, sicut can. 5. requirit propositum melioris vitæ; consequens est eam omnem attritionem quæ sic nascitur ex solo timore temporalis aut æterni supplicij, ut nullatenus conjunctam habeat aliquam dilectionem Dei aliquo modo super omnia, neque ullam displicentiam peccati quatenus est offensa Dei, non esse annumerandam attritioni seu imperfectæ illi contritioni, quæ cum Sacramento sufficiat ad remissionem peccatorum obtinendam. Ubi enim est spes veniæ à Deo obtinendæ, absolutumque propositum non peccandi, ibi est aliquis amor Dei, isque supernaturalis, & quâdam (licet imperfectâ) ratione super omnia, de quo diximus art. 1. Vocatur ergo hæc attritio quarti generis, imperfecta contritio, sicut dicitur homo imperfectus is qui quidem verus homo est, sed habet defectum manus, aut pedis, aut alterius partis non necessariæ ad essentiam hominis.

Ex his jam ad quæstionem responderi potest attritionem primi, & secundi, vel tertij generis non posse fieri contritionem: quia sunt actus objectis formalibus differentes, ac proinde distincti specie. De illa verò quæ quarti est generis, cùm sit veri nominis contritio licet imperfecta, major est difficultas. B. Th. refert aliquos in partem affirm. resolvere, dicentes quòd attritio fit contritio, sicut fides informis fit formata. Sed ait non videri hoc ita esse; quia quamvis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen actus fidei informis fit actus fidei formatæ; quia ille actus fidei informis transit, & non manet veniente charitate: attritio autem & contritio non sunt habitus, sed actus.

Aliorum ergo Responsionem subjicit, in eamque magis propendet, negantium attritionem posse fieri contritionem.

Et quamvis si per attritionem intelligeretur dolor de peccato, ut est offensa Dei, in se summè boni & propter se summè diligendi, remissus tamen: dicere liceret eam posse fieri contritionem, in quantum aucta Dei propter bonitatem suam dilectione, potest augeri dolor de ipsius, ut in se est summè bonus, offensa; sicque idem dolor ex imperfecto fieret perfectus ejusdem generis.

B. tamen Thomæ sententia retinenda videtur, *Attritio non potest fieri contritio*; quia sunt actus habentes diversa motiva, *& cum eo dicendum, quod attritio non potest fieri contritio; quia sunt actus habentes diversa motiva, est fieri diversaque principia.* Nam attritionis principium est metus gehennæ aut aliquod aliud motivum, supernaturale quidem, sed inferius Deo; Contritionis autem perfectæ (de illa quippe agimus) principium est aut Deus secundùm se, seu ut est summè bonus, aut peccatum in quantum est offensa Dei, propter se suamque bonitatem super omnia diligendi. Actuum autem quorum motiva vel principia sunt secundùm se diversa, unus non potest fieri alter. Eandem hanc Responsionem dant Nugnus ad hunc art. Ledesm. cap. 7. de attritione, Suar. q. 85. disp. 5. sect. 3. Becan. c. 35. de Sacra. quæst. 1. fin. Filliucius cap. 7. de contritio. qu. 11. Mærat. disp. 18. de Pœnit. sect. 3. Gamac. cap. 9. eò quod attritio & contritio sint actus specie differentes, propter diversa objecta formalia, diversosque fines proximos.

Ad 1. verò Arg. RESP. Neg. C. Sicut enim non sequitur, paries ex albo fit niger, quando paries albus denigratur, ergo albedo fit nigredo: ita nec sequitur, pœnitens ex attrito fit contritus: ergo attritio fit contritio, quia aliquem fieri ex attrito, contritum longe aliud est, quam attritionem fieri contritionem: sicuti & valde aliud est ex albo fieri nigrum, quam albedinem fieri nigredinem; Illud enim significat mutationem subjecti transeuntis ex una forma in aliam, id quod fit quando in subjecto succedit una forma est aliam, ut nigredo post albedinem, contritio post attritionem; istud verò significat ipsius formæ vel actus mutationem, quâ una forma fiat altera, & unus actus fiat alter.

Ad Antec. quod attinet, communiter quidem dicitur quod pœnitens virtute Sacramenti Pœnitentiæ



tentiæ fiat ex attrito contritus: At quomodo hoc fit intelligendum, non omninò convenit. Non videtur sic accipiendum, quasi is qui ante realem Sacramenti susceptionem solùm erat attritus, ut susceptì Sacramenti fiat actualiter contritus, ita ut cum attritionis actum prius eliceret, jam eliciat actum contritionis: quamvis enim contingat hoc fieri, non tamen semper fit: veluti quando is qui attritus confitetur, inter confitendum amittit usum rationis, & sic absolvitur: aut quando tempore absolutionis distrahitur eâ distractione, quæ non impedit effectum Sacramenti, cujusmodi est ea quæ vel nullum vel non nisi veniale peccatum est: His enim casibus actui attritionis non succedit actus contritionis, saltem tunc quando Sacramentum perficit; nec fortasse semper aliàs.

*Quid ex attritio fieri cõtritum vi Sacramenti.*

Sensus ergo prædicti axiomatis hìc reddi potest, eum qui ante Sacramentum in re susceptum tantum habebat attritionem; per Sacramentum fieri contritum, vel actualiter, exercendo scilicet actum veræ perfectæque contritionis; vel habitualiter, in quantum virtute Sacramenti gratiam & virtutes supernaturales, & inter eas, virtutem Pœnitentiæ infusam accipit, qua mediante efficitur habitualiter contritus. Ita exponit Petr. Ledesm. c. 7. de attritione, nec dissimiliter Nugnus dub. 1. ad 3. & Gramac. in fin. c. 9. de attritione Alios sensus adfert Suar. in fin. disp. 5. & ex eo Fill. c. 7. q. 11. sed jam ante assignatus magis placet.

AD 2. Res imperfecta manens eadem, potest fieri perfecta, perfectione ejusdem generis: sed contritio continet perfectionem diversi generis ab attritione: cùm attritio & perfecta contritio sint actus essentialiter differentes.

Ex his intelligi potest falsam esse quorundam opinionem, existimantium quod ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, sufficiat voluntas susciendi Sacramentum, si nullum aliud peccatum mortale committatur in ejus receptione. Quod tamen fiet evidentius, si examinemus quod

## QUÆRITUR I.

*Quæ attritio cum absolutione sufficiat ad remittenda peccata.*

VIDETUR quod attritio ex naturæ viribus concepta sufficiat: docet enim Conc. Trid. ss. 14. c. 4. illam sufficere, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur: talis autem attritio ex naturæ viribus haberi potest.

Pro Resp. sit

### CONCLUSIO I.

*Ad Sacram. Pœnit. non requiritur contritio perfecta.*

SIVE ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum, sive ad peccatorum remissionem isto Sacramento consequendam, non requiritur contritio charitate perfecta, seu ea contritio quæ distinguitur contra attritionem. Ita sentiunt Sylv. verb. *Confessio*, q. 1. & 21. Medina suæ summæ l. 1. c. 2. & l. 2. c. 10. Rodriq. p. 1. c. 50. Ledesma de attrit. c. 7. concl. 4. Valentia disp. 7. q. 8. Tannerus c. 6. p. 6. dub. 4. Fernandez p. 3. c. 7. Mæratius disp. 19. de Pœnit. sect. 1. Gamacius: & est sententia communiter recepta: quam etiam colligere est ex S. Th. quodl. 4. ar. 10. 3. p. q. 80. art. 4. ad 2. & *Sylv. in III. Part.* absunde, quamvis non defuerint qui aliter sentirent ac docerent.

PROB. 1. quia sic manifestè docet Conc. Trid. ss. 14. c. 4. declarans *illam contritionem imperfectã quæ attritio dicitur &c. si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, esse donum Dei Spiritûs S. impulsum &c. ac ita subjiciens: *& quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quibus verbis clarè significat attritionem disponere proximè ad gratiam in Sacramento recipiendam, ac per consequens ad eam sic habendam non necessariò requiri contritionem perfectam.

PROB. 2. non est necesse quod Pœnitens consecutus sit remissionem peccatorum antequam Sacramentaliter absolvatur: sed contritioni illi quæ est charitate perfecta, semper est conjuncta remissio peccatorum: ergo non est necesse quod Pœnitens eam contritionem habeat, priusquam absolvatur Sacramentaliter; ac per consequens satis est quod habeat contritionem imperfectam seu attritionem. Prob. Maj. quia Sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum mortuorum, hoc est, eorum qui sunt in statu peccati mortalis, ordinatum proinde ad vitam seu justificationem, peccatorumque remissionem ipsis conferendam: absurdum est autem ad hoc Sacramentum requirere velut dispositionem omninò necessariam, illam contritionem quæ antea semper habeat ejusmodi effectum sibi conjunctum. Confirm. *Res & effectus hujus Sacramenti quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, est reconciliatio cum Deo*, ait Syn. Trid. ss. 14. c. 3. ergo non est necesse quod ista reconciliatio sit facta antequam Sacramentum conferatur, sive antequam detur absolutio. Accedit, quod Sacerdotes nunquam remitterent peccata quoad culpam, si oporteret semper ante absolutionem adesse eam contritionem per quam ipsa remittuntur: Hoc autem nullo modo posse dici certum est ex ipsius Sacramenti institutione, & ex Conc. Trid. ss. 14. c. 1. 3. 9. & can. 1. 3. 9. 10. De Min. videbitur q. 5.

### CONCLUSIO II.

*Nõ sufficit dolor naturalis.*

AD hoc ut Sacramentum Pœnitentiæ sit validum non sufficit dolor vel attritio naturalis, ac multò minus sufficit ad effectum Sacramenti recipiendum. Non ignoramus bonos authores in oppositа esse sententia, & docere quod ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat dolor naturalis: tum quia Christus pro materia Sacramentorum instituit rem naturalem, ut aquam naturalem, panem naturalem, oleum naturale &c. tum quia cum dolore naturali possunt concurrere omnes partes necessariæ, & fieri potest vera accusatio cum vera Pœnitentia. Ita Bonacin. allegans Henriq. & varios ab eo citatos; addensque conformiter ei quod in posteriori parte conclus. diximus, ad fructum seu effectum Sacramenti Pœnitentiæ requiri dolorem supernaturalem, & non sufficere naturalem.

Sed alijs potius assentimur, asserentibus dolorem seu attritionem naturalem non sufficere ut Sacramentum Pœnitentiæ cum ea susceptum, sit validum. Hi sunt Petr. Ledesma c. 7. de attritione, concl. 7. Suarez to. 4. in 3. p. disp. 20. sect. 4. Vasquez qu. 92. ar. 2. Faventinus in 4. dist. 14. disp. 16. quæst. 2. c. 3. Facundez l. 2. de secundo præcepto Ecclesiæ, c. 5. Layman tract. 6. cap. 9 de Pœnit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Tannerus disp. 6. de Pœnit. qu. 6. dub. 4. nu. 90. A Fernandez part. 3. cap. 7. §. Mæratius disp. 20. de Pœnit. sect. 1. Gamacius c. 21. de Pœnit.

PROB. 1. ex B. Th. 3. p. qu. 84. art. 1. ad 2. scribente quod *in Sacramento Pœnitentiæ actus humani sunt pro materia*, ijque non qualescumque sed (ut subdit) *qui proveniunt ex inspiratione interna*; Sed dolor seu attritio naturalis non provenit ex inspiratione interna: (Ideo enim dicitur naturalis, quia per naturæ vires sine specialis gratiæ adjutorio concipitur) ergo juxta B. Thomam ejusmodi dolor non est materia Sacramenti Pœnitentiæ: Aliquis autem dolor est de essentia hujus Sacramenti: Ubi ergo non reperitur alius dolor quam iste naturalis, deficit materia essentialis, ac per consequens B etiam ipsum Sacramentum, quod non potest esse validum, quando abest materia ejus essentialis.

PROB. 2. Conc. Trid. sess. 14. c. 3. tradit Sacramenti Pœnitentiæ materiam esse contritionem, c. autem 4. istam Sacramenti partem explicans tantum adfert eos contritionis modos qui sufficiunt tam ad effectum Sacramenti consequendum, quam ad hoc ut Sacramentum sit validum, nihil omnino distinguens inter materiam quæ sufficiat ad esse Sacramenti, & non ad ejus fructum: ergo sentit eandem attritionem quæ sufficit ut Sacramentum sit validum, etiam sufficere ad Sacramenti effectum.

PROB. 3. contritio assignatur à Concilijs Florent. & Trid. velut pars Sacramenti Pœnitentiæ essen- C tialis, quemadmodum patet ex dictis supra q. 90. ar. 3. ita nimirum ut si ipsa desit, Sacramentum non subsistat; si autem adsit, & aliundè non sit defectus, subsistat: Atqui dum est solum dolor naturalis, ab- *Idem dolor requiritur ad esse Sacramenti, & ad ejus effectum.* est omnis contritio non solum perfecta, sed etiam imperfecta quæ vocatur attritio: ergo Sacramentum tunc non subsistit. Minorem admittit Bonacinas, & probatur, quia omnis contritio vera, quamvis sit imperfecta, debet excludere voluntatem peccandi & conjuncta esse cum spe veniæ à Deo consequendæ: hæc autem duo non sunt in eo qui solum habet dolorem naturalem: ergo non est illa vera contritio, ne quidem imperfecta.

Accedit quod attritio juxta Conc. Trid. declara- D tionem, *donum Dei est & spiritus sancti impulsus, non adhuc quidē inhabitantis, sed tantū moventis, quo Pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*: clarum est autem dolorem naturalem non esse ejusmodi.

Neque sufficit dicere quod Conc. loquitur de attritione quæ requiritur ad fructum Sacramenti, non de ea quæ sufficit ad Sacramentum: nam neque istud, neque ullum alium Concilium unquam meminit alterius doloris qui ad Sacramenti fructum sit necessarius, & alterius, qui ad solam essentiam Sacramenti requiratur.

Non satisfacit quoque responsio dicentiū Concilia ideo solū meminisse doloris necessarij ad fructum, & non ejus qui sufficiens sit ad valorem; quia E tantum loquebantur de Sacramento prout est institutum ad conferendam remissionem peccatorum.

Ex contextu quippe Flor. & Trid. Conc. liquet ea loqui de Sacramento spectato secundum essentiam & integritatem, cum tam accuratè omnes & singulas ejus partes tam essentiales quam integrales assignent, & disertè contritionem ejus partem esse pronuncient.

Quæ etiam Bonacinas adfert, nequaquam urgent: Non prius, quia licet Christus rem naturalem instituerit pro materia eorum Sacramentorum, in quibus id quod est materia, non est etiam dispositio ex parte recipientis, necessaria ad effectum illorum recipiendum; Ubi tamen unus idemque actus est & materia Sacramenti, & necessaria dispositio ad ejus effectum, non constituit rem merè naturalem pro ejus materia; sed actionem quæ fit quidem à potentia naturali, sed supernaturaliter adjuta, nimirum per specialis gratiæ auxilium; in Sacramento autem Pœnitentiæ eadem actio (nempè contritio, sive perfecta, sive imperfecta) est & materia ipsius Sacramenti, & simul dispositio necessaria & legitima ad ejus effectum. Quod enim sit materia, disertis verbis exprimunt concilia; quemadmodum, & quod sit legitima dispositio. Adde nullam aliam posse dispositionem legitimam assignari ad effectum hujus Sacramenti.

Præterea, quod generaliter ait, Christum instituisse rem naturalem pro materia Sacramentorum, non est usque adeò verum in Confirmatione & extrema Unctione: quamvis enim pro Confirmatione, instituerit verum ac natufale Chrisma; & pro extrema Unctione, verum ac naturale oleum: neutrum tamen est legitima & sufficiens istorum Sacramentorum materia, nisi sit ab Episcopo benedictum; qua ratione habet quiddam suæ naturæ superadditum.

Non etiam urget posterius: negamus enim quod cum dolore solum naturali possint concurrere omnes partes ad Sacramentum necessariæ; In primis enim deest contritio, non solum perfecta, sed etiam imperfecta. Deinde, quamvis poneretur peccator habens naturalem dumtaxat dolorem, seipsum accusare, illa tamen accusatio non esset pars Sacramenti, quia non esset confessio qualem Christus instituit ac requirit: Requirit enim confessionem quę fiat cum spe veniæ; talis autem non foret istius accusatio; &, si confessarius nosset peccatorem, non cum álio quam cum naturali dolore se accusare, ipse non posset ei absolutionem impendere, quamdiu talis esset; irritáque foret, si tentaret absolvere.

## CONCLUSIO III.

*Illa attritio sufficit quæ est* SOLA illa attritio quæ est dolor supernaturalis cum spe veniæ, & cum serio emendationis proposito & quæ propterea est veri nominis contritio, saltem imperfecta, sufficit tum ut Sacramentum sit validum, tum ut sortiatur effectum qui est gratia & peccatorum remissio. *quæ est imperfecta*

PROB. PRIMÒ, quia nullum peccatum mortale remitti potest sine vera Pœnitentia, ut tertia parte, qu. 86. ar. 2. probavimus: Sed attritio quæ non habet essentiam contritionis, non est vera Pœnitentia: ergo non sufficit ad remissionem peccati, Minor probatur: ad veram enim Pœnitentiam requiritur *conversio* ad Deum, cum detestatione peccati, & proposito emendationis; ut & ibidem tradit B. Thomas, & ar. 3. seq. Attritio autem illa quæ non est contritio, ne quidem imperfecta, talem detestationem & emendationis propositum non habet: ergo non est vera Pœnitentia. *Contritio.*

SECUNDÒ, Nemini peccatum remittitur, qui non aliquo modo diligat Deum, amore supernaturali: qui non ex animo convertatur ad ipsum: qui non detestetur peccatum ut offensam Dei: qui non habeat propositum melioris vitæ, ut ex scripturis 1. Joan. 3. Deut. 4. Matth. 10. Ezech. 18. & alijs, ad art. 1. allegatis, manifestum est: qui verò sic dolet, sive qui sic est attritus, ut essentialem contritionis rationem non assequatur, non habet illa omnia; si enim



enim haberet, esset contritus ea contritione quam A ex Concilio Tridentino exposuimus: ergo talis ejus attritio non sufficit ad remissionem peccatorum obtinendam, ne quidem cum Sacramentali absolutione.

Confirm. 1. Alioquin sequeretur posse haberi peccatorum remissionem, etiamsi quis non diligat Deum ut authorem justitiæ, neque revertatur ad Deū ex toto corde; id quod nemo catholicus dicet.

Confirm. 2. quoniam 3. part. q. 86. a. 2. sic habet Author, *Requiritur ad remissionem divinæ offensæ quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ* (ad bonum scilicet commutabile) *& proposito emendæ, quod pertinet ad rationem Pœnitentiæ secundum* B *quod est virtus*. Atqui dolor vel attritio quæ veræ contritionis naturam non habet, non dicit istam conversionem, detestationem, propositum: ergo non sufficit ad remissionem divinæ offensæ.

TERTIÒ, ut ad concl. 2. dictum est, Sacramentum Pœnitentiæ non potest subsistere sine aliqua vera contritione saltem imperfecta eò quod illa sit pars ejus essentialis: ergo nisi adsit attritio supernaturalis quæ sit contritio saltem imperfecta, deerit pars essentialis ac per consequens Sacramentum non erit validum.

QUARTÒ, Motus contritionis à Synodo Tridentina descriptæ, ad impetrandam veniam peccatorum fuit quovis tempore necessarius: ergo C etiam tunc quando ad Sacramentum acceditur; cùm eadem sit contritio quæ in homine post Baptismum lapso requiritur, & quæ olim requirebatur, nisi quod nunc includere debeat votum Sacramenti Pœnitentiæ.

QUINTÒ, quando Conc. dicit attritionem sufficere cum Sacramento, solum loquitur de illa quæ est essentialiter contritio: vocat enim eam contritionem imperfectam, sess. 14. c. 4.

Confirmatur, Idem Concil. c. 6. tradit pœnitentem *non debere adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi & verè absolvendi: putet tamen se propter solam suam fidem verè & coram Deo esse ab-* D *solutum*: ergo si desit alterutrum, id est, vel pœnitenti contritio; vel sacerdoti voluntas absolvendi; absolutio non tenet, nec pœnitens est coram Deo absolutus. Cum igitur Concilium declaret illum non esse verè & coram Deo absolutum, cui nulla adest contritio, fatendum est attritionem quæ nulla ratione sit veri nominis contritio, nequaquam sufficere ad remissionem peccatorum sacerdotali absolutione consequendam: alioquin, ille esset absolutus cui nulla adesset contritio, modò haberet attritionem à contritione prorsus diversam; & sic daretur locus calumniæ hæreticorum, qui *falsò ca-* E *lumniantur catholicos scriptores quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit, dicta sess. 14. cap. 4.*

SEXTÒ, ut dicit idem Conc. c. 1. *Hæc Pœnitentia fuit universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petiissent, ut perversitate abjecta & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur*: Sed ista Pœnitentia non potest excludi à definitione contritionis, ergo contritio semper fuit necessaria.

Confirmatur, Pœnitentia quæ habeat rationem contritionis, est necessaria ante Baptismum: ergo & ante Sacramentum Pœnitentiæ. Antecedens probatur, tum ex jam recitatis verbis Concilij, tum ex alijs quæ sess. 6. c. 6. habet eadem Synod. ubi inter cætera docet quod catechumeni disponuntur ad Baptismum, quando *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet, denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata*, hæc autem præparatio est veri nominis contritio per Concilium sess. 14. definita. Pro hujus concl. confirmatione videri possunt authores, qui conclusionem secundam docent.

## CONCLUSIO IV.

ATTRITIO superius dicta sufficit ad Sacramenti valorem, ac etiam ad ejus fructum seu effectum recipiendum; sive agnoscatur solum esse attritio, sive putetur esse contritio, nimirum perfecta: Quæ autem solum est dolor seu attritio naturalis, etiamsi putetur esse contritio, neque ad unum, neque ad alterum sufficit.

PRIUS, patet, quoniam, illa attritio juxta declarationem Conc. Trid. & secundùm ea quæ ad concl. 1. diximus, est revera sufficiens: ergo quamvis agnoscatur esse solum attritio, nihil obest aut valori, aut effectui Sacramenti.

POSTERIUS probatur, quia existimatio contritionis nihil perfectionis addit ei dolori, qui putatur esse contritio: Cum ergo citra illam existimationem non sit vera contritio, ne quidem imperfecta; non est etiam talis, propter existimationem hominis: ac proinde sicut non est materia sufficiens quando agnoscitur esse tantum naturalis dolor, ita nec est sufficiens, quando putatur esse contritio.

CONFIRM. 1. Concilia Florent. & Trident. *Non est necesse quod attritio putetur esse contritio.* quando assignant contritionem pro materia vel parte hujus Sacramenti, loquuntur de illa quæ revera est contritio vel perfecta vel imperfecta; non autem de illa quæ putatur esse talis, cum revera non sit; sicut etiam dum assignant pro alijs partibus, confessionem & satisfactionem, non agunt deputativa confessione vel satisfactione, sed de ea quæ revera est confessio & satisfactio: Ergo licet existimetur, si tamen verè non sit contritio saltem imperfecta, non potest sufficere ad Sacramentum.

CONFIRM. 2. si quis putet aquam rosaceam esse aquam naturalem, aut panem ex avena vel sabis, esse panem triticeum, aut oleum ex nucibus, esse oleum olivæ, & illa adhibeat pro materia Sacramentorum, Baptismi, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis; Sacramenta erunt irrita ob defectum materiæ, neque existimatio ministri quicquam valebit ad esse Sacramenti: ergo etiam in proposito, quando peccator putat se esse contritum cum verè nullam habeat contritionem, Sacramentum erit nullum, propter defectum materiæ; quamvis non negemus posse à peccato excusari, si fortè invincibiliter ignoret se non esse contritum. Ita Suarez disp. 20. sect. 4. Gamacius c. 21. Laimam c. 9. Mercerus hoc art. 3.

AD arg. initio allatum RESP. attritionem quæ concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex metu gehennæ vel pœnarum, de qua loquitur Conc. Trid. non posse haberi ex naturæ viribus: partim quia est conjuncta cum spe veniæ &

Universidad de Deusto
Biblioteca



cum efficaci voluntate nullum peccatum mortale deinceps committendi, hæc autem vires naturales sibi relictas superant; partim quia dum Conc. ibi loquitur de fœditate peccati & metu pœnæ, non agit de naturali tantùm horrore, quatenus repugnat complexioni, & inclinationi naturali, aut rectitudini rationis merè naturalis, uti nec de aversione à peccato propter solas pœnas; sed de peccati fœditate supernaturaliter cognita, quatenus nimirum opponitur honestati supernaturali, & quatenus peccatum deturpat animam, eámque Deo exosam reddit; & de metu pœnæ per fidem aut aliam revelationem divinam cognitæ, quam in ordine ad Deum ut finem supernaturalem metuit; ita nimirum ut hujus attritionis motivum sumatur per conformitatem ad regulam vel rationem supernaturalem, vel ad rectam rationem ut elevatam ad ordinem supernaturalem. Ita ferè Becan. c. 35. q. 8. Filliucius c. 7. q. 10. Gamacius c. 9. de attritione.

## QUÆRITUR II.

*Quomodo contritio differat ab attritione.*

CLarum est contritionem ab attritione primi, secundi, & tertij generis superius ad hujus ar. 3. initium allata, differre, quod hujusmodi attritio non sit supernaturalis, neque ad peccatorum remissionem sufficiat, etiam cum absolutione; contritio autem sive perfecta sive imperfecta, sit supernaturalis, & sufficiat saltem cum absolutione ad remissionem peccatorum.

*Prima differentia.* Sed DIFFICULTAS manet de contritione perfectâ (quæ absolutè vocari solet contritio) comparata ad contritionem imperfectam, quæ vocatur attritio.

Ad quam RESP. in primis, hanc inter illas esse differentiam, quod proximum seu immediatum motivum contritionis, sit peccatum quatenus est offensa Dei in se summè boni, summéque & propter se diligibilis; aut ipse Deus secundùm quod est in se summè bonus, & propter se suámque bonitatem diligendus super omnia: attritionis verò proximum seu immediatum motivum est, aut peccati turpitudo oppositа honestati supernaturali, aut timor gehennæ vel pœnarum, aut privatio æternæ beatitudinis, non verò Deus, ut est in se bonus & propter se diligendus.

*Secunda* Secunda, quod contritio simpliciter detestatur peccatum super omnia detestabilia: attritio non simpliciter, sed tantùm secundùm quid, ut ad ar. 1 concl. 5. explicavimus.

*Tertia.* Tertia, contritio vel est ex formali aut virtuali amore Dei secundùm quod est in se summè bonus, & propter se diligendus, atque adeò ex amore charitatis & benevolentiæ; vel talem amorem habet sibi conjunctum; attritio neque est ex ejusmodi amore, neque illum habet conjunctum, sed solùm habet conjunctam dilectionem Dei imperfectam, quatenus videlicet Pœnitens ab eo sperat veniam peccatorum, & desiderat vitam æternam ejúsque amissionem seu gehennam metuit; quæ proinde dilectio pertinet ad amorem concupiscentiæ.

Quarta, quod contritio quæ est charitate perfecta, peccatorem reconciliet antequam Sacramentum actu recipiatur, etiamsi non sine Sacramenti voto; attritio autem sine Sacramento Pœnitentiæ per se nequit peccatorem perducere ad justificationem, ut declarat Syn. Trident. sessione 14. c. 4.

Ex his colligi potest, quid sit contritio perfecta, quid imperfecta.

*Quid perfectâ contritio.* PERFECTA est, animi dolor ac detestatio de peccato ut est contra Deum secundùm quod est summè bonus & propter se diligendus, cum proposito non peccandi de cætero.

*Quid imperfecta.* IMPERFECTA est dolor de peccato conceptus ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, voluntatem peccandi includens cum spe veniæ.

## QUÆRITUR III.

*Quæ sit divisio veræ attritionis, seu cum Sacramento sufficientis ad reconciliationem.*

QUOD illa quæ assignatur à Conc. Tridentino non sit sufficiens: prob. quia imperfecta detestatio peccati procedens ex motivo justitiæ, vel amore beatitudinis æternæ, ibi non exprimitur; uti nec ea, quæ oritur ex metu pœnarum temporalium.

Deinde, Conc. dicit attritionem communiter concipi ex motivis quæ adfert: ergo supponit quod ex alijs etiam motivis aliquando concipiatur.

*Divisio est illa quam habet Conc. Trid.* RESP. attritionem hanc sufficienter dividi à Conc. Trid. sess. 14. c. 4. in eam quæ concipitur ex turpitudinis peccati consideratione, & eam, quæ ex gehennæ ac pœnarum metu: quia attritio est de malo, eóque vel quia secundùm se malum est, & sic habetur prima species: vel quia est mali causa, & sic habetur secunda.

Præterea, malum quod movet ad attritionem: vel est morale & peccatum, vel pœnale. Qui ob illius fœditatem dolet, est attritus prioris generis: qui ob hujus metum, posterioris. Ita sentiunt Suar. tom. 4. disp. 5. sect. 2. Becan. c. 35. q. 3. Nugnus ar. 2. Fernandez p. 3. c. 7. §. 4.

AD 1. Arg. RESP. imperfectam detestationem peccati, ex motivo vel amore justitiæ procedentem, contineri sub attritione quæ concipitur ex fœditate peccati, qui enim virtutem veré amat, quamvis imperfectè, consequenter etiam detestatur peccatum quia est turpe, & oppositum virtuti.

Detestatio autem peccati ex amore vitæ æternæ (qui est amor concupiscentiæ) pertinet ad attritionem ex metu gehennæ & pœnarum. Ejusdem enim est rationis, fugere aut detestari peccatum ex amore boni, & ex timore mali oppositi: ut ex amore beatitudinis, & ex metu damnationis ei oppositæ: pertinentque illi duo actus ad virtutem spei, cum eadem spe ametur bonum quod speratur, & timeatur ejus amissio, seu malum bono sperato oppositum.

Ad dolorem qui ex pœnarum temporalium metu oritur, quod attinet: Dicendum est quod si dolor ille sit merè naturalis & humanus, neque est attritio Christiana, neque sufficit ad reconciliationem etiam cum Sacramento: alioqui sequeretur quod solis naturæ viribus posset peccator sufficienter se disponere ad Sacramentum & Sacramenti effectum, quod est impossibile.

Si autem dolor ille sit divinus & supernaturalis, utpotè ortus ex metu quidem pœnæ temporalis, sed ut à Deo infligendæ tanquam authore gratiæ, vel tanquam justo peccati (quod gratiam expellit) vindice per fidem cognito; sic potest esse attritio Christiana, cùm sit ex motivo supernaturali, & reducitur ad attritionem ex metu gehennæ conceptam; sicut sperare bona temporalia in ordine ad vitam æternam pertinet ad virtutem spei. Videri possunt Suarez, Fernandez, Gamacius & alij.

AD 2. Arg. RESP. attritionem oriri quidem posse ex alijs motivis, sed quæ reduci possunt ad motiva per Conc. expressa.



## QUÆSTIO II.

## *De Contritionis objecto.*

### ARTICULUS I.

*Utrùm homo debeat conteri de pœnis.*

VIDETUR quòd sic. PRIMÒ, quia materia Pœnitentiæ sunt actus humani, quibus Deus offenditur aut placatur, ut dixit Author 3. p. q. 85. art. 3. ad 1. sed placatur dolore, jejunio, & similibus pœnis; ergo illæ sunt materia sive objectum Pœnitentiæ.

SECUNDÒ, ejusdem virtutis est intendere finem, & eligere media ad illum, sed Pœnitentia intendit destruere peccatum, & resarcire injuriam divinam: ergo potest ad eum finem assumere, quoddam malum pœnæ, quod proinde cadit sub ejus objecto.

*Non est contritio de pœnis.* RESPONSIO Negativa est communis.

PRIMÒ, quia contritio, cùm significet alicujus duri communitionem; hæc autem duritia sit in voluntate per malum culpæ, quo ipsa indurescit nolens credere præcepto Dei; propriè non est nisi de peccato, quatenus duritiem illam causat.

SECUNDÒ, quia contritio est dolor de malo tanquam destruendo, propterea quod sit offensivum divinæ majestatis: nullum autem malum tale est, nisi peccatum.

CONFIRM. Contritio est dolor simul cum detestatione & odio ejus rei, de quâ quis conteritur: pœnas autem etsi dolorem seu tristitiam causare possint, non detestatur tamen pœnitens, nec habet odio; sed tanquam justas amplectitur & subit.

*Quod objectum virtutis Pœnitentiæ.* AD 1. ergo Arg. RESP. actus humanos quibus Deus offenditur, id est, peccata actualia per nos commissa, esse propriam materiam seu objectum virtutis Pœnitentiæ circa quod illa versatur: de illis enim est propriè Pœnitentia quia *propriè dicimur pœnitere de his quæ nostrâ voluntate commisimus* ait Author 3. p. q. 84. art 2. ad 3. Actus verò quibus Deus placatur, eatenus solùm dicuntur materia circa quam, seu objectum Pœnitentiæ virtutis, quatenus serviunt resarciendæ justitiæ qui proinde tanquam media ad finem Pœnitentiæ convenientia assumuntur de ea, super actus suos se reflectente. Propriè autem non sunt ejus materia, circa quam, sive objectum, de quo scil. sit conterendum, quia non sunt aliquid mali quod Pœnitentia respiciat ut retractandum, destruendum, & odiendum. Ex quibus patet Resp. ad 2. malum scil. pœnæ non cadere sub Pœnitentia ut objectum proprium, sed ut medium.

### ARTICULUS II.

*Virùm contritio debeat esse de peccato originali.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia debet esse de proprijs & propriè dictis peccatis; tale est originale, ut definitur in Conc. Trid. sess. 3. can. 3. & 5.

SECUNDÒ, Catechumenus debet habere displicentiam de peccato originali, idque ex amore justitiæ, & cum studio placandi Deum, & detestandi peccatum, ubi continetur tota ratio contritionis.

TERTIÒ, Aug. in opere 50. homil. hom. ult. c. 2. dicit accedentes ad Baptismum debere Pœnitentiam agere veteris vitæ, sub quâ & peccatum originale comprehendi, patet ex eo quod l. de pec. mer. c. 19. docet parvulos esse pœnitentes, quatenus per ora gestantium abrenuntiant Diabolo & peccato.

*Non est contritio de peccato originali* RESP. si propriè loquimur de contritione, ipsa non debet nec potest esse de pecc. originali; quia solùm respicit peccatum propriâ voluntate admissum: ordinatur enim ad tollendam duritiam peccato propriæ voluntatis contractam. Si tamen generaliter loquendo, Pœnitentiam vocemus odium, displicentiam & dolorem mali culpabilis præteriti; sic potest ac debet quisque pœnitere seu conteri de suo peccato originali, quia sibi displicere debet quod sic natus sit, ac niti ad illud, ejusque reliquias, seu fomitem peccati destruendum Confer ea quæ 3. p. q. 84. art. 2. notavimus.

AD 1. Arg. RESP. quod peccata de quibus propriè est Pœnitentia sunt propria. i. propriæ actiones. Ad quorum distinctionem, originali aliquando vocatur alienum, quasi ab alio factum & ex eo contractum; quamvis sit unicuique proprium, quatenus unum inest uni, aliud alteri.

AD 2. Ratio contritionis requirit dolorem de peccatis à Pœnitente commissis: Cõtritio enim est *de peccato in quantũ importat deformitatem ex actu voluntatis*, nostræ propriæ, *provenientem*, hîc ad 1.

AD 3. Aug. Pœnitentiæ vocabulum generaliter usurpat pro detestatione mali, cum studio illud tollendi, ut explicavit Author 3. p. qu. 84. ar. 2. ad 3.

*Ob. Resp.* Si dicas, eum velle, homines corripi propter peccatum originale, l. de correp. & grat. c. 6. considerandum est quod adjungit, *ut ex dolore correptionis, voluntas regenerationis oriatur.* Vult ergo corripiendam esse originem damnabilem, ne homo velit in ejus corruptione manere, seu potiùs velit quærere liberationem. His consonat Bonav. in 4. d. 16. p. 2. art. 1. q. 1. dicens, quod cùm dicitur aliquis esse arguendus pro originali, non intelligitur arguendus, quia ipsum contraxit; sed ne in ipso velit permanere.

### ARTICULUS III.

*De omni pecc. actuali est conterendũ.* ART. 3. docet habendam esse contritionem de omni peccato actuali per nos admisso. De mortali probavimus q. 86. art. 2. De veniali qu. 87. art. 1.

*Ob. Resp.* SI DICAS, peccata quædam sic esse oblita, ut non possit haberi actualis eorum recordatio, etiamsi fiat diligens examen; RESP. sufficere ac etiam requiri virtualem displicentiam oblitorum, secun-

Universidad de Deusto
Biblioteca



dum ea quæ illo art. 2. diximus. Confer Authorem hic ad 2. A

Si præterea DICAS, peccata venialia non sunt detestanda plus quam mortalia: ergo dolor de venialibus non potest esse contritio; quia contritio est detestatio peccati super omnia detestabilia.

RESP. neg. Cons. quia ad contritionem sufficit ea detestatio qua quis detestatur peccatum super omnia quæ non sunt peccata. Unde ille potest verè esse contritus, qui suam fornicationem detestatur, etiamsi non eam detestetur plus quam adulterium vel incestum. Talem verò detestationem, nimirum super omnia quæ non sunt peccata, potest quis habere de venialibus. B

### ARTICULUS IV.

*Non est de pecc. futur. contritio.*

ART. 4. Docet neminem debere conteri de peccatis futuris: partim, quia proprium contritionis objectum est peccatum commissum; partim, quia contritio includit retractationem ejus quod malè factum est.

Nec obstat, in ratione contritionis includi propositum cavendi à futuris: illud enim requiritur; partim quia est ejusdem rationis cum dolore de præteritis, partim quia actus pœnitentiæ, sicut & aliarum virtutum dirigitur per prudentiam; prudentia autem dictat ut qui dolet de præteritis, abstinere velit à futuris; illud tamen propositum C non constituit id quod est principale in contritione, sed displicentia & retractatio peccati præteriti.

### ARTICULUS V.

*Non est contritio de pecc. alieno.*

ART. 5. probat hominem non debere conteri de peccato alieno, id est, quod sic ab alijs commissum est, ut nulla ejus culpa nos involvat, partim quia contritio est actus pœnitentiæ, neminem autem propriè & bene pœnitet, nisi ejus quod malè fecit: partim quia illud conteritur quod prius fuit durum; ergo eadem voluntas conteri debet quæ prius peccavit.

*Ob.* Nec obstat quod exemplis sanctorum, Samuelis 1. Reg. 15. Davidis Psal. 118. Apostoli, ad D

*Resp.* Rom. 9. & 2. ad Cor. 11. debeamus ex animo dolere de peccatis proximorum: hic enim dolor non est Pœnitentiæ actus, sed charitatis, qua debemus diligere proximum sicut nosipsos, ac proinde dolere de ipsius malis. Unde quamvis Christus perfectam habuerit detestationem peccatorum alienorum, non habuit tamen virtutem Pœnitentiæ, ut ex B. Thoma docuimus 3. p. qu. 7. art. 2.

Quod Psal. 18. dicitur, *Ab alienis parce servo tuo*: si de peccatis accipiatur, secundùm ea quæ dicuntur hîc ad 1. est intelligendum de illis scilicet quæ etsi per alios committantur, aliquo tamen modo ad nos pertinent, propter consensum quem illis adhi- E bemus: ad litteram verò sermo est de hominibus alienis, sive ut ex Hebræo vertit Hieron. *superbis*, à quorum dominatu propheta petit liberari: unde sequitur in masculino genere, *Si mei non fuerint dominati*; Id est, si mihi non prævaluerint, si ad eorum imperium, domi natum aut gratiam, peccato non consensero; integer ero, & mundus à multis & maximis peccatis. Hunc sensum etiam attulit B. Th. scribens in Psal. 18. & dicens, *Vel, ab alienis, id est, superbis hominibus*, allegátque illud Psal. 17. *Filij alieni mentiti sunt mihi.*



### ARTICULUS VI.

*Utrùm de singulis peccatis mortalibus requiratur contritio.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia recogitatio singulorum peccatorum mortalium non videtur necessaria, nisi ex jure positivo, propter confessionem Sacramentalem: venialia enim, eo quod non sunt necessariò confitenda, non sunt necessariò in memoriam revocanda.

SECUNDÒ, Pœnitentia vera est, quando aliquis detestatur omnia sua peccata propter Deum, etiamsi distinctè non cogitet nec cogitaverit de illis: ergo ad Pœnitentiam non requiritur singulorum recogitatio & detestatio.

TERTIÒ, dolor generalis quo quis, proposito sibi uno & altero mortali peccato, dolet de illis & de alijs omnibus quæ commisit; extendit se virtualiter ad omnia & singula; ergo est sufficiens.

QUARTÒ, sequeretur alioquin hominem non posse justificari in instanti.

Sed contra, requiri singularem contritionem de singulis mortalibus.

PROBATUR PRIMÒ, ex Isai. 8. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, ubi cum significetur omnia esse sigillatim recogitanda, consequens videtur, etiam singulis adhibendam esse contritionem.

SECUNDÒ, confessio debet fieri de singulis sigillatim; ergo & contritio; quia confessio oris debet habere conjunctam contritionem cordis.

RESPONSIO B. Thomæ est, contritionem, quoad sui principium, quod est recogitatio peccatorum cum aliquo ipsorum dolore, debere esse specialem & distinctam de singulis quæ quis habet in memoria: quoad terminum verò sufficere unam quæ se extendat ad omnia. Terminum autem intelligit, quando ponitur gratia justificans, ad quam tendit & disponit contritio. Pro quorum majori intellectu sit

### CONCLUSIO I.

*Per se requiritur distincta singulorum peccatorum recogitatio.*

AD justificationem *regulariter, & per se*, non sufficit contritio de universis peccatis generatim & confusè, sed requiritur specialis & distincta singulorum peccatorum, tam quoad numerum, quam quoad speciem; ita scilicet, ut singula recogitari debeant, & de illis sic recogitatis formari una contritio. Ita docet Beatus Thomas prima secundæ quæstione 113. art. 5. ad 3. cum dicit, *In tempore præcedenti justificationem oportet quod homo singula peccata quæ commisit detestetur, quorum memoriam habet.*

Et tertia parte quæstione octogesima septima articulo primo; *Exigitur ad remissionem peccati mortalis, ut homo actu aliter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est; ut scilicet diligentium adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur.*

Ac rursum quæstione septima de malo, ar. 11. ad 3. *Oportet quod peccata mortalia quæ propria voluntate commisit & directè contrariantur gratiæ, in speciali detestetur.*

In 4. dist. decima septima, quæstione secunda, articulo secundo, quæstiuncula tertia, quæ est hujus quæstionis articulus tertius, dicit quod *homo debet*



*debet recogitare ad inveniendum peccatum oblitum, quia de quolibet mortali peccato tenetur specialiter conteri.* A

Beato Thomæ consentiunt Durandus in 4. d. 17. qu. 2. Richard. dist. 16. art. 2. qu. 2. Adrianus qu. 3. de Baptismo, in fine, Dominicus dist. 17. q. 2. art. 3. Canus part. 3. de Pœnit. Tannerus cum multis quos recenset disp. 6. qu. 6. dub. 2. post Chrys. hom. 9. in epistolam ad Hebræos dicentem, *Si dicat, peccator sum, non autem ad peccatorum suorum species descendat, dicens quia hoc peccavi, nunquam cessabit.* Et hom. 31. *Nec tantum nos peccatores esse dicamus: sed etiam ipsa peccata specialiter singula computemus.* Conferantur quæ dicit lib. 1. & 2. de compunctione cordis in fine: & B quæ habet Ambrosius in Psal. 37. ac etiam quæ Greg. lib. 8. Moral. cap. 16.

Non desunt qui oppositum huic concl. probabiliter opinentur: sed quod diximus videtur probabilius, per se loquendo. Et confirmari potest rationibus.

PRIMA, Contritio quatenus est pars Sacramenti requirit propositum confitendi: confessio autem debet esse singulorum mortalium, tam quoad numerum, quàm quoad speciem: ergo & contritio; quia pœnitentia interior debet de omnibus illis, de quibus esse debet pœnitentia exterior.

SECUNDA, Fuit omni tempore necessarium, ut peccator agnosceret suum peccatum, illudque Deo C confiteretur: secundùm ea quæ David pronuntiat Ps. 31. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea*: Et postea, *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meã Domino.* Atqui nullum erat peccatum quod non esset confitendum Deo; ergo singula erant recogitanda & confitenda: quod significare videtur illud Ezechiæ c. 38. Isa. *Recogitabo omnes annos meos* &c. & quod Jer. 8. dicitur *Nullus est qui agat Pœnitentiam super peccato suo dicens, quid feci.*

TERTIA, Ante Christum peccator erat suiipsius sub Deo, judex & medicus medicinam autem competentẽ vel satisfactionem condignam non poterat adhibere, nisi distinctè sua peccata recogitaret.

QUARTA, per quodcunque peccatum mortale homo avertitur à Deo: ergo, ad sui remissionem, unumquodque requirit oppositam conversionem ad Deum, quæ sit per illius recogitationem & dolorem. Huc pertinet illud Ezech. 18. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis.* Et Psalm. 76. *Cogitavi dies antiquos &c. & scopebam*, sive (ut legit Aug.) scrutabar, *spiritum meũ. Seipsum*, inquit *interrogabat, seipsum examinabat, in se judex erat.* D

### CONCLUSIO II.

*Non semper requiritur distincta singulorum recogitatio*

AD essentialem contritionis, saltem imperfectæ, rationem, interdum sufficere potest aliquod examen conscientiæ, quo peccator sua E peccata recogitet, ac de omnibus universim doleat, etiamsi non descendat ad singula quorum posset habere memoriam. Nam ut qu. 68. art. 6. docet author, ante Baptismum requiritur ut homo sua peccata recogitans, de illis doleat: qui dolor (ut ejusdem quæst. ar. 4. dicebamus) est contritio saltem imperfecta: ubi tamen non exigitur exacta illa discussio singulorum peccatorum quoad speciem & numerum, quæ ad confessionem Sacramentalem est necessaria. Et rursum, si tempus non suppetit aut oportunitas non est; sufficit dolor peccatorum in generali cum voluntate, saltem implicitâ, particularioris discussionis, si esset commoditas. Propter efficaciam ergo Baptismi, aut alioqui per accidens, non requiritur ad justificationem distincta recogitatio singulorum peccatorum mortalium: Ad perfectam tamen contritionem, & ad remissionem peccatorum, sive nunc habendam per Sacramentum Pœnitentiæ, sive olim aliter; per se necessaria est recogitatio singulorum quoad fieri potest, eorumque dolor ac detestatio.

### CONCLUSIO III.

*Non est necesse tot dolores concipere, quot sunt peccata.*

QUAMVIS salubre consilium sit, de singulis saltem speciebus peccatorum distinctos dolores concipere: non est tamen id necessarium; sed satis est, ut postquam peccator omnia & singula peccata sua juxta eorum species & numerum quoad potest colligerit; unam contritionem concipiat, quæ feratur super omnia sigillatim recogitata: talis enim dolor non tantum est de universis, sed etiam de singulis; ut propterea vocari possit specialis & distincta, quatenus fertur in peccata specialiter & distinctè cogitata; quamvis non sit singularis de singulis. Erit autem utile, si simul cogitet se de singulis dolere velle, quo gradu, & quo modo oportet.

AD 1. ARG. RESP. neg. assumpt. nam quod venialia non necessariò debeant sigillatim recogitari, est, quia non dicunt aversionem à Deo, cum ejus inimicitia; & quia potest de uno illorum agi Pœnitentia, haberique remissio, quamvis de alijs nulla sit Pœnitentia.

AD 2. & 3. RESP. quod Pœnitentia illa seu dolor generalis potest esse vera contritio, si conjunctam habeat voluntatem, saltem implicitam, recogitandi singula, quatenus potest ac debet.

AD 4. Negandam esse sequelam, manifestum est ex conclusione secunda.

AD 5. Singulis peccatis adhibenda est contritio, sed non singularis.

AD 6. Non est omnino necesse confessionem per singulas suas partes conjunctam esse cum actuali contritione; sed nec ipsa confessio fieri debet de singulis divisim, cum oporteat subinde, uno numero plura complecti; dicendo, decies aut vicies hoc feci.

## QUÆSTIO III.

## *De quantitate contritionis.*

### ARTICULUS I.

*Utrum contritio sit major dolor qui esse possit in natura*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia ex Deut. 4. & Joel 2. constat redeundum esse ad Deum in toto corde, & tota tribulatione animæ: dolor autem remissus non est talis.

SECUNDÒ, A pœnitentibus exigitur conatus aliquis maximus; propter quæ Micheæ 4. dicitur, *Dole & satage filia Sion, quasi parturiens:* Et Isai. 59. *Rugiemus quasi ursi, omnes, & quasi columbæ mediantes gememus.* Eodem pertinet, tum amaritudo de qua Hier. c. 31. & Isai. 38. tum violentia, de qua Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

TERTIÒ, Deus est plus cæteris diligendus, etiam intensivè: Dicit enim Christus Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*dignus.* Et Luc. 14. *Qui non odit* (.i. qui comparatione mei non minùs amat) *patrem & matrem; non potest meus esse discipulus.* Ergo & peccatum divinæ dilectioni repugnans debet habere tanto odio, quod sit maximum intensivè.

QUARTÒ, Amor Dei debet esse perfectior amore aliarum rerum ; ergo & intensior : perfectio enim qualitatum & actionum quæ intenduntur aut remittuntur, non aliundè videtur sumi quàm ex intensione aut conatu. Confirmatur quia S. Thom. 1. p. quæst. 20. articulo 3. & secundâ secundæ quæstione vigesimâ sextâ, articulo sexto, explicans quo modo possit plus aut minus aliquid diligi, duos tantùm ponit modos, scil. ex parte boni quod amato volumus, & ex parte intensionis actus : intensiorem autem affectum dicit habendum esse ad illos, quibus nos convenit esse magis beneficos.

QUINTÒ, Scriptura præcipit profectum in dilectione, ad Ephes. 4. ad Philip. 2. Apoc. ult. sed ille profectus fit secundùm actus ferventiores & intensiores : ergo non sufficit, dilectio Dei maxima appretiativè, & odium peccati similiter maximum sed necessaria est maxima intensio.

SEXTÒ, oportet detestari peccatum supra omnia mala : illud autem magis detestatur voluntas, quod cum majori conatu & intensione detestatur.

SEPTIMÒ, noxia est alia doctrina. Si enim peccatores persuasum habeant, nulla intensione, nullo conatu opus esse ad veram contritionem : negligentiores erunt.

OCTAVO, Sancti Patres volunt Pœnitentiam respondere gravitati culpæ. *Fortius est dolendum, quia fortius est peccatum*, ait Ambr. ad virginem lapsam, c. 8. Et Cypr. tract. de lapsis : *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, Pœnitentia crimine minor non sit.*

RESP. B. Thomæ est dolorem qui propriè dicitur contritio, debere omnes alios dolores excedere: sed cùm ad hoc quidam requirant summum conatum, alij certum intensionis gradum, alij durationem temporis, sit

### CONCLUSIO I.

*Contritio est appretiativè summus*

DOLOR contritionis debet esse omnium dolorum maximus, appretiativè. Dolor autem appretiativè summus dicitur, cùm homo sic detestatur aliquod malum (etiamsi id non faciat toto animi conatu) ut nullum aliud æquè detestetur, malitque omnia alia potius subire, quàm istud.

*Quis dolor appretiativè summus*

PROBARI potest PRIMÒ ; Jubemur diligere Deum ex toto corde: ergo peccatum quod illi dilectioni repugnat, est etiam toto corde odiendum.

SECUNDÒ, peccatum mortale est omnium malorum maximum : ergo nihil est æquè detestandum ac illud. Unde B. Thom. hic ait quod *peccatum quod à fine ultimo avertit, super omnia dispicere debet.*

### ARTICULUS II.

*Nō debet esse summus intensivè.*

NON est necesse ad rationem contritionis, ut sit omnium dolorum maximus intensivè, imò nec certus aliquis intensionis gradus est necessarius.

Dolor intensivè summus est, vel quo nullus reperitur intensior, sive in eodem, sive in quovis alio : Vel, qui intensione tantus est, ut augeri non possit. Ac proinde magnitudo doloris secundùm intensionem, se tenet ex parte subjecti : & sumitur ex gradibus quibus formæ intenduntur aut remittuntur: magnitudo verò secundùm appretiationem sumitur partim ex parte objecti quod judicio rationis appretiatur seu æstimatur supra omnia alia doloris objecta ; partim ex parte subjecti quod unum æstimat pluris quàm aliud. *Quis dolor intensivè summus.*

Illum non requiri, PROB. PRIMÒ, quia intensio actus voluntatis est ex vehementia objecti : sed objectum sensibile ex naturâ suâ movet voluntatem vehementius, quàm spirituale : ergo amor sensibilium potest esse vehementior, quàm spiritualium ; & similiter dolor ; & quidem circa culpam, quia hoc provenit ex naturâ hominis in corpore corrupto constituti. Unde ad probationem Minoris pertinet, quod voluntas sequitur cognitionem intellectûs ; intellectus autem accipit illam cognitionem ex sensu & sensibilibus. Hinc veniunt excusandi ; qui parentum aut liberorum mortem deflent intensius quàm sua peccata ; modò non magis eos diligant quàm Deum ; vel eorum mortem non magis detestentur quàm Dei offensam, sed malint eos amittere potius quam mortaliter peccando Deum offendere. Talis enim eorum dolor provenit ex objecto sensibili & naturæ nostræ sensibili viciniori, quod propterea movet vehementiùs.

SECUNDÒ, Scripturæ Ezech. 18. 33. & aliæ, promittunt veniam pœnitentibus ad Deum se convertentibus, non factâ mentione summi conatus ; neque aliud requirunt, quàm ut in amore Deum præferant omnibus, & ut peccata præ omnibus malis detestentur, ab eisque recedant, cum proposito non amplius peccandi : hæc autem omnia possunt esse sine summo conatu.

TERTIÒ, Non requiritur certus gradus intensionis in actu credendi, sperandi, vel alterius virtutis, ut per eum satisfiat præcepto, ergo nec in actu Pœnitentiæ.

QUARTÒ, Actus charitatis licet remissus, est simpliciter bonus, & secundùm B. Th. 1. 2. q. 114. ar. 7. ad 3. & 2. 2. q. 24. ar. 6. ad 1. æternæ vitæ meritorius : ergo similiter actus Pœnitentiæ remissus, est bonus & vera dispositio ad reconciliationem. Confirmatur, Intensio non variat speciem : ergo si contritio intensivè summa ad virtutem pertinet, pertinere debet ad eandem illa quæ est minor.

QUINTÒ, Non requiritur intensio certi gradus ad peccatum mortale : ergo nec ad actum Pœnitentiæ.

SEXTÒ, Si requireretur dolor absolutè summus secundum intensionem : sequeretur omnes contritos habere parem contritionem (id quod nullam veri speciem habet : ) si autem requireretur intensivè summus, proportionaliter, ita ut de nulla alia æquè intensivè doleat : sequeretur unum non justificari per Sacramentum, per quod tamen alius justificatur, habens dispositionem æqualem aut minorem : veluti si ille doleat de peccato valdè intensè, sed tamen adhuc intensius de amissione patris : iste verò de peccato doleat æquè vel minùs intensè, sed de patris morte valdè remissè.

SEPTIMÒ, Sententiam hanc docet S. Leo epi. 91. *misericordiæ Dei*, inquit, *nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire ; apud quem nullas patitur venia moras vera conversio.* Et Chrys. epi. 5. quæ citatur



citatur de Pœnit. d. 3. c. *Tales nunquam spernit Pœnitentiam, si ei sincerè & simpliciter offeratur, quantulumcumq; & quamlibet brevi tempore gestam, non respuit; nec patitur quamvis exiguæ conversionis perdere mercedem.* Hos sequuntur B. Th. hic in corp. Gabriel in 4. d. 14. q. 1. ar. 2. concluf. 5. Dominicus d. 17. q. 2. ar. 4. Joan. Medin. tract. 1. qu. 5. de Pœnitentia, Bannes 2. 2. qu. 44. ar. 5. Melchior Canus p. 3. de Pœnitentia. Et certè, gravis alioquin scrupulus injiceretur conscientijs Pœnitentium, qui summum animi conatum, & maximam intensionem plerumque non experiuntur. A quibus etiam ex usu Ecclesiæ, confessarij illam non exigunt ; sed tantum ut ex animo, propter Dei summè dilecti offensam, de peccatis doleant cum proposito vitæ melioris.

### CONCLUSIO III.

*Non requiritur certa temporis mora ad contritionem.*

NON est necesse quod contritio duret certò aliquo tempore, sed potest unico instanti perfici : sicut etiam potest quis unico instanti justificari. Huc pertinent, quæ ad secundam conclusionem attulimus.

AD ARG. ergo, & AD 1. quidem neg. Minor. totalitas enim illis verbis significata, est integritatis & perfectionis ; non autem ea quæ requirat summum intensionis gradum. Ac proinde, sicut is diligit Deum ex toto corde, qui illum præfert omnibus in amore, mavultque quodvis aliud amittere quam ipsius amicitiam, licet ejus affectus non sit in summo intensionis gradu : ita peccator ex toto corde dolet, ac in totâ tribulatione animæ Deum requirit, qui eum diligens, de peccato dolet ac tribulatur tanquam de malo super omnia detestabili : Ita scil. ut nihil æstimet esse tam malum quam peccatum, ideòque potius velit alia omnia mala subire, quàm peccare.

AD 2. Conatus maximus non exigitur ut simpliciter necessarius : nihilominùs, cùm non sufficiat quæcunque contritio ad remissionem peccatorum sine Sacramento consequendam, sed requiratur ea quæ sit charitate perfecta ; atque ita vehemens, acris & intensa, ut doloris acerbitas conferri possit cum magnitudine scelerum, ut est in Catechis. Rom. p. 2. c. 5. q. 34. non fueris autem in veteri lege Sacramentum aliquod efficax gratiæ : nihil est mirum, si peccatores tunc monerentur ad vehementem contritionem. Ad quam sunt etiam nunc hortandi & monendi ; licet neque summus conatus, neque certus aliquis gradus sit simpliciter necessarius, aut ad veram contritionem, aut ad remissionem peccatorum ; partim quia esset negligentia, levem dolorem scienter concipere de gravibus peccatis ; partim quia opus est afflictionibus aut doloribus vehementibus ad remissionem pœnæ, per satisfactionem obtinendam ; partim denique, quia sicut est conandum ad dilectionem Dei summam intensivè, ita æquum est unumquemque niti, ut sua contritio summa sit, etiam intensivè.

AD 3. Deus quidem est plus cæteris diligendus, etiam intensivè, sed non ex necessitate præcepti ; Nam Scripturæ citatæ non amplius requirunt ; quam quod sic Deus diligatur, ut in amore nihil ipsi præponatur vel æquetur.

AD 4. Neg. Cons. quia perfectio amoris non tantum æstimatur ex intensione, sed etiam ex electione voluntatis, quâ Deum præfert omnibus in amore, sic ut nihil ita æstimet esse diligendum, sicut Deum. Unde negandum est quod in probationem adfertur : nam & illud plus diligere dicimur, cui volumus majus bonum, etiamsi non velimus majori affectu.

AD B. Thomam, dicendumquod in priori modo, intelligit illum qui est ex parte objecti : nam q. 26. ar. 7. & 9. in 2. 2. manifestè docet gradum dilectionis pensari vel ex parte objecti, vel ex parte diligentis ; & aliquem posse magis diligi ex parte objecti, qui minori affectu vel intensione diligitur. Sub posteriori comprehendit duos, quorum uno Deus diligitur intensiori ac ferventiori actu ; altero æstimetur plus quam quidvis aliud. Intensionem enim non videtur accipere strictè, sed generaliter pro perfectione actus, sive ea perfectio sit secundùm gradus intensionales, sive secundùm appretiationem. Vide nostrum Commen. 2. 2. q. 26. ar. 2.

AD 5. Diversa sunt præcepta conversionis, & profectus. Illud datur peccatori, ut justus fiat, hoc, justo, ut in justitiâ crescat. Ac proinde non est consequens ad primam justificationem requiri perfectum dolorem, sicut ad secundam, seu ad prioris augmentum ; sed sufficit id quod præcipitur, scil. vera conversio.

AD 6. Major aut minor detestatio non tantùm est ex vehementia seu intensione actus, sed etiam ex eo quod magis aut minus aliquid æstimatur. Et quamvis, cæteris paribus, voluntas majori conatu feratur in illud quod est pluris æstimandum, non tamen est necesse hoc fieri, quando cætera non sunt paria : ut si id quod ratio judicat minus æstimandum, sit propinquius, nobis notius, naturæ nostræ sensibili convenientius ; quod proinde magis moveat.

AD 7. Hæc doctrina tantùm abest ut sit noxia, quin potiùs consolatur conscientias, easque in spem erigit. Quamvis autem ad essentiam contritionis non requiratur aliquis gradus intensionis ; non propterea tamen à conatu cessandum est, sed potius (cum ea quæ vera est, difficulter habeatur) ad eam habendam seriò & studiosè laborandum est ; ne fortè nosipsos per negligentiam fallamus, & nec parvam quidem contritionem habeamus.

AD ULT. Sancti Patres docent in dolore de peccatis, servandam esse proportionem, quæ est inter ipsa peccata, quantum ad eorum gravitatem ; ut scil. majora magis detestentur : Ex hoc autem non sequitur certi gradus intensionem pertinere ad rationem contritionis.

Porrò, cùm ex dictis constet peccatum esse detestandum super omnia detestabilia ; ac proinde consequens sit contritionem includere odium peccati supra omnem pœnam ; ita ut peccator debeat velle in generali, quamlibet pœnam pati, potius quam peccare ; non debet tamen ad speciales descendere : quinimò interdum stultè ageret is qui se vel alios sollicitaret, an mallent, v. g. perdere omnia sua, omnesque parentes, potius quam peccare. Vide B. Th. hic ad 4. fin. & quodl. 1. ar. 9. Navar. c. 1. nu. 17. Petr. Soto lect. 14. de Pœnit. Nihilominùs qui ita firmus est, ut sic apud se statuat : non malè agit, sed perfectam se habere contritionem ostendit.

De Resp. ad 3. vide quæ diximus 3. p. 85. ar. 1. & quæ habet Author q. 84. ar. 9. ad 2.

ARTI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS II.

*Contritio non potest esse nimia.*

ART. 2. tradit dolorem qui verè contritio est subjectatur que in voluntate, non posse esse nimium ; uti nec amor Dei super omnia potest esse nimius. Hæc enim paria sunt , & unum alterius causa : dilectio scilicet Dei , causa doloris de peccatis Deum offendentibus.

Dolorem autem sensibilem posse esse nimium ; sicut quævis afflictio corporis potest nimia esse : ut si quis tantum lachrymis indulgeret , quod vel oculos amitteret , vel corpore extabesceret. Regula enim hujus doloris , est conservatio hominis ac bonæ ipsius valetudinis.

*Ob.* Nec priori hujus doctrinæ parti obstat , Pœnitentiam , utpotè virtutem moralem , consistere in

*Resp.* medio ; ac proinde debere habere peccatum aliquod quod per excessum sibi opponatur : Ut enim virtus aliqua dicatur esse in medio, non oportet quod ab ea elici possit actus excessivus ; sed satis est quod potentia possit cum elicere circa materiam talis virtutis , quomodo potest voluntas circa materiam Pœnitentiæ , ultra modum intendere actus doloris sensibilis, atque ita peccare per excessum. Sicut etiam potest detestari peccatum tanquam irremissibile , ut fecit Cain Gen. 4. & ita per accidens excedere in dolore partis rationalis.

ARTICULUS III.

*Plus de uno pec. dolendũ est quam de alio.*

ART. 3. docet dolorem debere esse majorem de uno peccato quam de alio : quia quo unumquodque peccatum est gravius , eo est detestabilius ; ac de illo, si commissum est , magis dolendum.

Confirmatur , contritio est dolor de peccato, quatenus & quia est offensa Dei : ergo concipienda est major de illo peccato , quod ( cùm sit enormius , ) trahit secum majorem Dei offensam.

*Ob.* Nec obstat quod omne peccatum mortale sit maximè & super omnia mala dolendum ; quamvis enim sit super quævis alia mala quæ peccata non sunt , detestandum ; unum tamen peccatum cum altero peccato comparatum , sicut trahit secum majorem offensam , ita est magis alio detestandum.

*Resp.* Ut autem censeatur aliquis hoc modo dolere de suis peccatis , non est omninò necessarium , quod inter peccata faciat actualem comparationem , sed satis est quod omnia detestetur quatenus sunt offensa Dei. Talis enim detestatio fertur implicitè super singula , gradu & ordine cujusque ; sicut quando aliquis diligit unam communitatem , vel aliud totum , virtute plus aut minus diligit has aut illas partes , secundùm ordinem quem habent in illa communitate , vel in illo toto. Et secundùm hæc intelligi potest quod habet Navarrus ca. 1. n. 31. putans esse tantum consilij , quod habeatur de majori peccato major contritio. Aut certè, loquitur de majoritate secundùm intensionem , quæ non necessariò debet esse major , cum possint sensibilia quædam conjungi quæ magis afficiant Alioquin , si de contritione secundùm appretiationem loquamur , peccatum est majorem culpam detestari minus quam minorem : veniale quidem , si sit parva inæqualitas , mortale verò , si magna , ut tradit Nugnus.

De alienis autem, etiamsi maximis peccatis, minus dolendum est , quam de proprijs minoribus : partim quia de his solis est propriè contritio ; partim, quia peccatum proprium , etiam veniale , magis vitandum est quam alienum : non sunt enim facienda mala , ut eveniant bona , ad Romanos tertio.

QUÆSTIO IV.

## *De tempore Contritionis.*

ARTICULUS I.

*Contritio manere debeat tota vita.*

ART. 1. docet contritionem debere manere toto tempore hujus vitæ quoad peccati detestationem saltem virtualem : quia semper debet homini displicere quod peccavit, ut quæst. 84. art. 8. dixit in 3. p. semperque aliquid manet in peccatore , ratione cujus peccatum præteritum possit esse motivum doloris ; perditio scilicet innocentiæ , hic ad 3. & quod viæ nostræ cursus in Deum fuerit retardatus ; quia tempus quod erat deputatum ad currendum , fuit peccando malè consumptum , nec potest recuperari.

Circa secundum argumentum *ad oppositum* adverte ubi nos Ecclesiastici 5. habemus , *De propitiato peccato*, multos bonos codices habere, sicut B. Th. habet in 4. d. 15. q. 1. ar. 3. quæstiunc. 2. ad 2. & dist. 17. q. 2. ar. 4. qui est præsens hujus quæstionis articulus: *De propitiatu* (sive propitiatione) *peccatorum noli esse sine metu* : quomodo legitur infra qu. 14. ar. 2. ad 2. imò & hoc ipso loco veteres codices constanter ita habent. Sensus autem est, vel non debere hominem de obtenta propitiatione esse nimis securum ; sive propter periculum relapsus ; sive quia restat pœna luenda; sive quia non est omninò certus quod remissionem obtinuerit: Vel neminem debere esse nimis securum , quod facilè & quando volet , veniam consequetur ; cum ea non nisi peculiari dono Dei habeatur. Qui sensus maximè quadrat sequentibus. Conferatur commentarius Jansenij in librum Ecclesiastici.

ARTICULUS II.

*Ut expediat contritionem continuari.*

ART. 2. docet expedire quod contritio in homine multum continuetur quantum ad peccati displicentiam quæ est in appetitu rationali ; modò aliarum virtutum actibus , suo etiam tempore homo incumbat. Fieri autem non posse , ut semper actu continuetur , sed sufficere ac requiri quod habitu , ar. 9. ejusdem quæst. 84. declaravit. Ubi tamen per *Pœnitentiam secundùm habitum* , intellexisse Pœnitentiam virtualem , doceri potest ex fin. corp. istius ar. 9. quia dicit oportere quod homo continuè pœniteat , etiam quantum *ad hoc quod debet in proposito genere , quod semper sibi præterita peccata displiceant.* Quantum autem ad dolorem appetitus sensitivi , quem homo assumit : Contritio non debet multum continuari , sed oportet eam esse moderatam sicut quoad intensionem , ita & quoad durationem , ne alioquin homo cadat in desperationem vel pusillanimitatem. Cæterum, An & quando , post peccatum , obliget contritio, non convenit inter doctores : quapropter.

QUÆ-



QUÆRITUR I.

*An sit aliquod præceptum contritionis.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia impœnitentia non est speciale peccatum , sed ut loquitur B. Thomas 2. 2. quæst. 14. art. 1. ad 3. potest esse circumstantia cujuslibet peccati.

SECUNDÒ, Præcepta non debent multiplicari sine sufficienti ratione ; quæcunque autem adferuntur pro necessitate Pœnitentiæ , sufficienter exponi possunt de necessitate medij : ergo non est ratio ponendi speciale præceptum.

TERTIÒ, Non est speciale præceptum de B conservatione gratiæ : ergo nec de illius recuperatione per Pœnitentiam.

QUARTÒ, omnia præcepta debent dari de actibus , qui à nobis cognoscuntur ; contritio autem non cognoscitur, cùm in animo lateat.

QUINTÒ, non apparet ad quod præceptum decalogi pertineat agere Pœnitentiam.

SEXTÒ, non est obligatio ad contritionem, sub speciali motivo Pœnitentiæ : ergo non est speciale præceptum. Antecedens patet, quia satis est si dolcatur ex motivo charitatis.

SEPTIMÒ, Multi affirmant sufficere attritionem, saltem cum Sacramento : ergo non est necessarium habere contritionem. C

RESP. contritionem esse necessariam , non tantùm necessitate medij , sed etiam quia de illa extat præceptum speciale , partim positivum , partim naturale : Nam scripturæ tam novi quam veteris testamenti Pœnitentiam præcipiunt, eamque cui ratio contritionis convenit.

*Extat præceptum de contritione in sacris literis.*

Isa. 1. *Quiescite agere perversè , discite benefacere, quærite judicium.*

Hiere. 18. *Revertatur unusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras, & studia vestra.*

Ezech. 18. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Et iterum. *Projcite à vobis omnes prævaricationes vestras.*

Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unus- D quisque vestrum.*

Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* Hinc Patres Conc. Trid. ex scripturis docent necessitatem Pœnitentiæ sess. 14. c. 1. Illic, *fuit quidem Pœnitentia universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria* &c. Similiterque necessitatem contritionis asserunt ejusdem sess. 14. cap. 4. ubi post descriptionem contritionis dicunt: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

*Imo & in lege naturæ.*

Sed præterea, quod etiam seclusis scripturis lex naturæ exigat à peccatoribus veram Pœnitentiam, probari potest, tum ex lege justitiæ, quæ requirit ut E compensetur injuria Deo per peccatum illata, nec tamen compensari potest sine Pœnitentia; tum ex charitate ad Deum , quæ requirit ut diligatur super omnia, atque adeò recuperetur ejus amicitia ; tum ex charitate hominis ad seipsum , qua tenetur saluti suæ consulere; ut ratiocinatur Auth. in 3. p. q. 84. ar. 5. ad 2. Unde ar. 7. *Ex naturali*, inquit, *ratione movetur homo ad pœnitendũ de malis quæ fecit.* Et in resp. ad 1. *De jure naturali est quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit.* Et 2. 2. quæst. 79. ar. 3. ad 2. tradit esse peccatum omissionis , non pœnitere *Sylv. in III. Part.* de præterito. Eademque est aliorum sententia in 4. dist. 17.

AD 1. ergo ARG. RESP impœnitentiam, quatenus ultra permanentiam in peccato , dicit pro- *Impœnitentia quatenus est speciale peccatum.*
positum non pœnitendi, esse peccatum speciale, quatenus autem dicit solam in peccato permanentiam, sive nudam Pœnitentiæ negationem sic potest esse circumstantia cujuslibet peccati : cujuslibet enim peccato potest accidere, quod in eo permaneatur usque in finem. Conferri debet art. 2. ejusdem qu. & art. 43. in 2. sentent.

DICES, præceptum contritionis si aliquod est, *Ob.*
obligat in fine vitæ ergo finalis impœnitentia non potest esse tantùm circumstantia peccati. RESP. *Resp.*
negando consequentiam ; quia potest contingere B quod quis ita subitò moriatur , ut tempore præclusus non possit cogitare de Pœnitentia , neque tamen directè vel indirectè habeat voluntatem non pœnitendi ; qui proinde non habebit impœnitentiam quæ sit speciale peccatum.

AD 2. ex præcedentibus patet non sine causa, statui præceptum contritionis, nec omnia posse explicari de necessitate solum medij.

AD 3. Negatur consequentia : eodem enim præcepto quo prohibetur peccatum , prohibetur & amissio gratiæ quæ incurritur per illud ideoque non opus est speciali præcepto de conservanda sive non amittenda gratia ; acquisitio autem gratiæ, & compensatio injuriæ Deo factæ , non pariC ter jubetur alijs præceptis.

AD 4. Præcepta dantur de actibus etiam illis qui solum cognoscuntur à nobis probabiliter ; ut de actibus charitatis Dei & proximi.

AD 5. Præceptum contritionis pertinet ad 1. decalogi, in cujus præambulo dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus :* Si enim est Dominus , & propterea honorandus ergo quando fuit offensus , ejus reconciliatio quærenda est.

AD 6. Negatur antecedens, neque enim fieri potest, quod quis de peccato doleat ex amore Dei, qui non simul velit operari ad deletionem peccati quatenus est offensa Dei ; quod pertinet ad Pœnitentiam, ut patet ex 3. p. qu. 85. art. 2.

AD 7. RESP. neg. Conseq. illa enim attritio quæ sufficit cum Sacramento , vera contritio est, licet imperfecta; atque ita illam vocat Conc. Trid. sess. 14. c. 4. Neque ullo modo existimandum est, quod vel sine Sacramento vel cum Sacramento sufficiat ea attritio , quæ non sit veri nominis contritio; ut ex dictis ad qu. 1. ar. 3. quæsito 1. colligendum relinquimus; atque ex ipso Trid. Conc. quod asserit semper fuisse necessarium motum contritionis ad veniam peccatorum impetrandam.

QUÆRITUR II.

*Virùm præceptum contritionis obliget ad statim?*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, ex Ecclesiastici 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, Oportet*, ait S. Leo epist. 91. c. 5. *unumquemque Christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat.*

SECUNDÒ, B. Thomas in 4. dist. 17. qu. 2. art. 3. quæstiuncula 3. & qu. 3. art. 1. quæstiuncula 4. docet nos ad contritionem teneri, statim atque peccata occurrunt memoriæ.

TERTIÒ, Semper tenemur evitare pericula

Universidad de Deusto
Biblioteca



peccandi: sed quamdiu peccator non agit pœni- A
tentiam, est in periculo peccandi de novo; juxta
illud Gregorij hom. 11. in Ezech. *Peccatum quod
per Pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud
trahit.* Unde & Theologi communiter dicunt hò-
minem in peccato mortali existentem, diu esse non
posse, quin peccet de novo.

Quartò, Homo tenetur suo corpori statim
adhibere medicinam corporalem: ergo & animæ
spiritualem.

Quintò, Obligatur ad correptionem fratris
faciendam, statim atque commodè potest: ergo &
ad seipsum è peccati statu eripiendum.

Sextò, Si esset aliquod tempus in quo non te-
neretur conteri, liceret eo tempore non velle con- B
teri: hoc autem objectum non est bonum; præ-
sertim cum ex eo sequatur quod velit manere in
odio & inimicitiâ Dei, quod est velle maximum
malum sibi-ipsi.

Septimò, Non licet vel uno momento manere
in peccato; ut tradit Author. 2. 2. q. 62. a. 8. probans
inde restitutionem esse statim faciendam: qui au-
tem non pœnitet, manet in peccato, nec restituit
honorem quem Deo abstulit per peccatum.

Octavò, Qui habuit inimicitiam contra proxi-
mum, tenetur statim eam deponere & reconcilia-
tionem quærere, juxta illud Matth. 5. *Si offers mu-
nus tuum*, &c. ergo multò magis tenetur deponere
inimicitiam Dei, per contritionem; præsertim cum C
obligetur ad dilectionem Dei quovis tempore ha-
bendam, si non actu, saltem habitu. Ita sentire vi-
dentur Antoninus p. 3. c. 18. Major in 4. d. 17. q 9.
Petr. Soto lect. 13. de Pœnit. qui tamen expressè
dicit dilationem Pœnitentiæ non semper esse no-
vum peccatum, sed aggravare prius.

*Contritio non obligat ad statim.*

Responsio verior est, præceptum contritio-
nis non obligare ad statim. Quamvis enim pecca-
tor teneatur statim post peccatum conteri, sub
conditione, si nimirum velit esse in via salutis:
absolutè tamen non tenetur ex præcepto, statim
conteri.

Primò, quia præceptum de contritione est af-
firmativum: ergo solùm obligat, pro loco & tem- D
pore, sicut reliqua præcepta affirmativa.

Secundò, quia præcepta fidei & charitatis non
obligant ad statim formandos actus illarum vir-
tutum: ergo similiter nec præceptum Pœniten-
tiæ. Confirm. Contritio non potest esse sine ali-
quo actu dilectionis Dei: sed hic non est sub præ-
cepto statim post peccatum, ergo nec illa.

Tertiò, sequeretur alioquin hominem post
unum peccatum mortale, continuò peccare do-
nec Pœnitentiam agat: sequeretur etiam, quod
quandocunque uno peccato commisso committe-
ret aliud, semper faceret duo peccata, unum omis-
sionis Pœnitentiæ, aliud alterius generis, verbi
gra. furti: & sic necesse foret in confessione ex- E
plicare quoties inter furtum & adulterium, inter
odium & detractionem, peccaverit non pœni-
tendo; quamdiu fuerit sine contritione à peccato
primo post ultimam confessionem commisso, &
similia: quæ & nimium videntur rigida, & non
solent à Confessarijs etiam doctis & pijs rogari,
nec à pœnitentibus dici.

Quartò, Impœnitentia juxta B. Th. 2. 2. qu.
14. ar. 2. non est speciale peccatum, nisi importet
propositum non pœnitendi: ergo si peccator non
statim conteratur, non quia nolit pœnitere, sed
vel quia de peccatis non cogitat occupatus in alijs
rebus; vel quia putat se non teneri ad nunc vacan-
dum illi negotio, non committit speciale peccatum
impœnitentiæ. Ita sentiunt Durandus in 4. d. 17.
q. 10. Paludanus q. 1. Dominic. q. 2. ar. 6. Adrianus
quæst. 3. de confessione, Cajetanus & Angelus ver-
bo *Contritio*, Joan. Medina quæst. 6. de Pœniten-
tia, Navar. c. 1. nu. 27. & 29. Melch. Canus p. 4.
relectionis de Pœnitentiâ, & plerique Recentio-
rum, post S. Th. & Bonavent. de quibus in qu. seq.

Ad 1. ergo Argum. Multorum Responsio
est, ejusmodi verba non continere præceptum, sed
salubre consilium. Verùm, etsi (quod probabilius
est) præceptum contineant, non tamen prohibent
quamcunque dilationem, sed *tardationem: Tardare* *Quid tardare.*
autem censetur, non is qui non statim facit quod
potest: sed qui non facit eo tempore, quo facien-
dum est. Unde Deus dicitur non tardare suam pro-
missionem. 2. Petr. 3. etiamsi non statim atque po-
test, eam impleat: quia tempore convenienti im-
plet, nec differt ultra quam deceat. Sic & aliquis
dicitur non tardare ire ad sacrum, qui vadit quan-
do oportet, etiamsi potuisset ire citiùs. Similiter
ergo, non is tardat conteri, qui non statim con-
teritur, sed qui non pœnitet eo tempore quo de-
beret.

Ad 2. patebit Responsio ex quæsito tertio
casu 6.

Ad 3. Neg. Subsumpt. nam teste Philosopho
lib. 2. Rhetoricæ cap. 5. *Periculum est timendæ rei* C
*appropinquatio:* ex eo autem solo quod quis non
statim conteritur, non appropinquat malo quod
sit ei timendum, præsertim cùm possit, saltem ad
aliquod breve tempus, abstinere à novo peccato:
quia non est necesse, quod continuò peccet in
actu, ait B. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 8. quam-
vis esse non possit quod diu maneat, absque pecca-
to mortali. Adde, quod tenetur quidem evitare
pericula peccati proxima si nota sint & probabi-
lia; sed qui non statim conteritur non est in tali
periculo, saltem ordinariè. Quod in confirmatio-
nem adfertur, aliter habetur apud Greg. sic nimi-
rum; *Peccatum si citius pœnitendo non tergitur, justo
judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem
etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui
fiendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, pec-
catum incipiat peccato comulare.*

Ad 4. licet sit quædam disparitas, in eo quod
vita corporalis, si semel amittatur, non potest re-
cuperari; possit autem spiritualis, quamdiu hîc vi-
vitur: perfectior tamen resp. est, *non esse de neces-
sitate salutis corporalis quod statim quæratur medicus
nisi quando necessitas curationis incumbit, & simili-
ter est de morbo spirituali.* Ita B. Th. in 4. d. 17. sive
q. 6. Suppl. art. 5. ad 2. Bonav. ejusdem d. part. 2.
art. 2. qu. 2. ad 3.

Ad 5. Etiam est diversitas, quod homo cùm
semper sit sibi præsens, semper habeat oportuni-
tatem seipsum convertendi; non sit autem semper
occasio seu oportunitas corripiendi fratrem. An-
tecedens tamen est negandum ut enim aliquis
teneatur corripere peccatorem; ultra oportunita-
tem & spem emendationis, requiritur aliqua ne-
cessitas, aut ex parte ejus qui corripiendus sit, pe-
riculum pe candi de novo: *Correptio*, ait Author
2. 2. qu. 33. ar. 2. *hoc modo cadit sub præcepto, secun-
dùm quod est necessaria ad finem.*

Ad 6. Non est necesse illum qui non conte-
ritur, velle non conteri, aut in peccato manere;
quia potest cogitationem alio deflectere. Sed etsi
positivè



positivè velit non conteri pro illo tempore quo A
non tenetur; non propterea peccat: quia sicut
omissio actus virtutis eo tempore quo quis non
tenetur illum exercere, non est peccatum: ita nec
propositum volendi sic omittere.

*Ob.* Nec obstat, quod ille actus, nolle jam conteri,
*Resp.* non sit ex objecto bonus: quia cùm sit indiffe-
rens, potest ex circumstantia alicujus finis hone-
stari: veluti si eo tempore quo præceptum pœni-
tendi non obligat, velit non jam conteri, ut vacet
studio vel alteri rei bonæ & commodæ. Neque
propterea sequitur quod velit manere in odio &
inimicitia Dei: quia non est necesse eum qui vult
antecedens, etiam velle consequens, nisi hoc per
se sequatur ex antecedente; consequens autem B
istud, ex illo antecedente sequitur solùm per ac-
cidens: quia scil. non applicatur causa quæ potest
malum destruere. Similiter non sequitur, Deus
non vult huic dare gratiam vitandi peccatum:
ergo vult peccatum: & in isto. Petrum pœnitet
peccati, ergo peccavit; Petrus vult antecedens, &
abominatur consequens.

Ad 7. Ne ad modicum quidem tempus licet
morari in peccato, continuando illud quomodo
manet is qui cùm possit, non statim restituit;
actualiter enim vel continuat vetus peccatum vel
committit novum. Sed manere in peccato secun-
dùm reatum vel habitualiter, quo modò manet
qui deponit affectum, licet nondum conteratur;
*Ob.* non est speciali aliquo præcepto prohibitum. C
*Resp.* Neque sequitur, homo tenetur homini statim
restituere, ergo & Deo: quia restitutio facienda ho-
mini, ordinatur in bonum ejus cui debetur; quę au-
tem facienda est Deo, non ordinatur ad bonum &
utilitatem Dei, sed in commodum peccatoris. Deus
enim *bonorum nostrorum non eget*, Ps. 15. Unde Job
22. *Quid prodest Deo, si justus fueris.* Et propterea,
quamvis restitutio facienda homini obliget ad
statim, eò quod fiat ipsi injuria quamdiu non red-
ditur illi res sua, per hoc scil. quòd impeditur ab
usu rei suæ: pœnitentia tamen non obligat ad sta-
tim, sed solùm quando aliqua necessitas eam re-
quirit. Huc pertinet quod aliter homo lædatur per
injuriam, aliter Deus offendatur per peccatum: D
Ille enim patitur damnum in proprijs quibus tam-
diu carere cogitur, donec sit facta restitutio; Deus
verò, non privatur ulla re sibi utili.

Ad Postremum, sicut homo tenetur statim
deponere odium fratris; ita peccator tenetur statim
deponere affectum peccati; alioquin enim conti-
nuò peccaret, eo scil. genere peccati, de quo esset
ille affectus. Verum, sicut ille non tenetur statim
novam & specialem amicitiam inire, cum offen-
so; ita nec homo statim cum Deo, sed potest (citra
novum peccatum, imò & citra continuationem
prioris) ad tempus manere in privatione amicitiæ
Dei quæ per modum habitus in peccatore ma-
net, postquam actus peccati transivit. E
*Ob.* Neque sequitur, peccator tenetur statim exire
*Resp.* à peccato per depositionem affectus; ergo tenetur
statim conteri. Contritio enim plus includit quam
cessationem à peccato, ut ex Conc. Trid. sess. 6. c.
14. & sess. 14. c. 4. patet, ac res ipsa loquitur. Et
quamvis Christiani obligentur omnia sua ex cha-
ritate facere, 1. ad Cor. 16. non tenentur tamen
quovis tempore ad actus dilectionis: Nam & illi
quodam modo censentur facere ex charitate, qui
licet quorundam peccatorum mortalium affectu
teneantur; propter Deum tamen fide cognitum



dant eleëmosynam, aut simile quid faciunt, nihil
in tali opere Deo anteponentes, aut æquantes,
quamvis non in omnibus suis actibus vel affecti-
bus ita illum æstiment, sed in peccatis quibus-
dam hæreant.

## QUÆRITUR III.

### *Quo tempore obliget præceptum contri-tionis.*

Videtur quod omnibus Festis, Primò,
quia Levit. 23. dicitur, *Sabbathum requietio-
nis est, affligetisq; animas vestras.*

Secundò, quia diebus illis vacandum est di-
vino cultui, quod non potest facere peccator, nisi
de peccatis doleat.

Tertiò, Festa sunt instituta, ut in illis sancti-
ficemur; ad sanctificationem verò necessaria est
contritio.

Quartò, Tenemur illis diebus, ex præcepto
charitatis, diligere Deum super omnia: ergo &
conteri.

Responsio communior est, præceptum con-
tritionis non obligare diebus Festis aut Domini-
cis; partim, quia nullum est jus divinum, aut Ec-
clesiasticum, quod eam sic præcipiat; partim, quia
ex usu fidelium & consuetudine, præcepto de
sanctificandis Festis satisfit, si & ab operibus ser-
vilibus abstineatur, & officium divinum audia-
tur; quorum neutrum exigit contritionem. Ita
sentiunt Joannes Medina, Canus, Dominicus, &
alij complures.

*Contri-tio per se obli-gat in mortis periculo.*

Primus ergo casus quo contritionis præcep-
tum obligat, & quidem per se, est periculum
mortis; quia, saltem tunc, tenetur homo suæ sa-
luti consulere, & reconciliationem cum Deo
quærere, ac injuriam ei factam compensare: quod
si prætermittat, cùm possit, est speciale peccatum
impœnitentiæ: quia talis omissio est ut mini-
mum indirectè voluntaria, & includit proposi-
tum virtuale non pœnitendi. Tunc ergo is qui
peccati mort. sibi conscius est, concipere debet
contritionem vel charitate perfectam, ut si non
sit copia Sacramenti suscipiendi; vel imperfectam
quæ cum Sacramento ipsi administrando suffi-
ciat.

*Sic etiã extra pericu-lum mortis.*

Et quamvis nonnulli putent, hoc solo casu præ-
ceptum contritionis per se obligare; sicut tamen
de præcepto charitatis contrarium esse verius ar-
bitrantur Bannes 2. 2. q. 44. ar. 1. & Domin. Soto
l. 2. de justitia & jure, q. 3. ar. 10. ita & de contri-
tione existimamus, cum Nugno, Petro Soto &
alijs. Quod enim solet dici, præcepta affirmativa
non obligare nisi in necessitate; non de extremâ
solum est accipiendum, sed etiam de alijs in qui-
bus meritò judicari posset, esse contra talem vir-
tutem, si ejus actus prætermittatur. Hinc ad actus
fidei, & spei obligamur ante necessitatem extre-
mam. Ille etiam qui proponeret non agere pœni-
tentiam, nisi vel cùm essent suscipienda Sacra-
menta, vel in fine vitæ: censeretur irrationabiliter
agere, & tum salutem suam, tum Dei honorem
negligere: signum ergo est quod obligetur extra
hæc tempora. Huc pertinet quod Scriptura &
Patres graviter reprehendunt eos qui, tametsi
extra periculum mortis positi, Pœnitentiam dif-
ferebant: Isa. 65. Jerem. 7. ad Rom. 2. Greg. hom.
11. super Ezech. & alij.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Et quamvis definiri vix possit, quando præcisè A obligetur quis ad contritionem, vi præcepti Pœnitentiæ, ante periculum mortis; id quod propterea, relinquendum est judicio prudentis, qui considerato statu personæ, & spectatis rerum circumstantiis, in casibus particularibus id definiat: durante tamen, vel etiam imminente grandi aliqua calamitate, qualis erat Ninivitarum, probabile est unumquemque tunc teneri ad Pœnitentiam. Quod licet alij negent: verius tamen affirmant Adrianus quæstione 3. de confessione, Navarrus cap. 1. numero 27. Petrus Soto, & Nugnus; tum quod eo casu sit justa necessitas, ob quam membra debeant esse sollicita & pro se & pro corpore; tum quod in simili obligaret correptio fraterna; tum denique, quod non careat contemptu, cernere flagella pro peccatis, & peccatorum non pœnitere. B

Secundus casus est, quando Sacramentum aliquod est suscipiendum aut ministrandum.

Tertius, quando insurgit vehemens tentatio, vel periculum peccandi, ad quod vincendum æstimatur Pœnitentia esse necessaria. Verùm his duobus casibus, obligatio non oritur ex præcepto contritionis; sed tum ex præcepto non indignè tractandi sacra; tum ex eo quod jubemur tentationi seu peccato resistere: ac proinde contritio tunc solùm per accidens obligat; nec is qui in ejusmodi casibus omittit contritionis motum formare, committit duo peccata, unum contra Pœnitentiam, aliud contra aliam virtutem, sed unum, vide quæ diximus tertia parte quæstione 80. articulo 5. C

Quartum casum ponunt aliqui, quando facienda est confessio annua; voluntque specialiter peccaturum illum, qui si non possit confiteri, non etiam conteritur. Sed hoc alijs displicet; quia dum Ecclesia principaliter jubet aliquem actum externum, & solum consequenter internum qui ad illum est necessarius; cessante obligatione externi, tollitur obligatio interioris; ut patet in præcepto de horis attentè legendis, à quo si quis excusetur, non tenetur ad attentionem, vel orationem interiorem. D

Quintum ponunt, dum est periculum oblivionis. Verùm, cum etiam oblita possint esse objectum contritionis, non videtur hinc oriri specialis obligatio contritionis, vel (ut q. 6. dicetur) confessionis.

Sextum ponunt Faventinus & alij quidam, quando peccata occurrunt memoriæ. Sed neque tunc esse strictam obligationem, communius dicitur: quia istud præceptum obligat more affirmativorum, in necessitate: hujusmodi autem necessitas non oritur ex solâ cogitatione vel memoria; sicut nec in præceptis fidei, spei, aut charitatis. Neque, hoc aliquem Dei contemptum continet: potest enim ex varijs causis accidere quod tunc E non pœniteat, vel ex humana fragilitate, quâ concipit Pœnitentiam tanquam sibi pro illo tempore onerosam; vel quia mentem alio deflectit. Alioquin, si peccatum ita veniret in memoriam, ut eliciendus esset alteruter actus, vel complacentiæ, vel displicentiæ: sine dubio posterior deberet elici: quomodo S. Antoninus videtur intellexisse.

Hinc S. Thomas, & Bonaventura in quartum distinctione decima septima, non simpliciter dicunt aliquem teneri ad contritionem, quando peccata memoriæ occurrunt, sed addunt, hoc præcipuè esse, *cum existit in periculo mortis vel alio aliquo simili.* Quamvis ergo possit esse aliqua salutis negligentia, quando quis habet memoriam peccatorum, non conteri cum possit; non est tamen mortale peccatum, nisi aliqua necessitas adsit: imò nec veniale, si, cùm sit utcunque nunc opportunum, expectetur major oportunitas.

Ad 1. Argum. Resp. hoc intelligi peculiariter de festo expiationum: quod cum esset institutum in memoriam remissionis peccati, quo vitulum adoraverant, ut tradit B. Tho. 1. 2. q. 102. ar. 4. ad 10. meritò potuit in eo requiri specialis afflictio; sive mentis per Pœnitentiam, sive potius corporis per jejunium, quo modo Judæos intellexisse & practicasse liquet ex Josepho l. 3. Antiquit. c. 10. dicente quod luna mensis septimi decima omnes jejunant usque ad vesperam. Cui consentit Philo l. 2. de vita Moysi. Præceptum autem generale de sanctificando sabbatho, nihil continet de contritione.

Ad 2. Vacari potest cultui divino, auditioni missæ, alijsque orationibus, post depositum peccati affectum, etiamsi non concipiatur contritio.

Ad 3. Finis & intentio legislatoris non cadit sub præcepto, 1. 2. quæst. 100. ar. 9. & 10. & 2. 2. qu. 44. ar. 4.

Ad ult. Neg. antecedens, quamvis enim tunc formare actus dilectionis Dei sit utilissimum & convenientissimum; non est tamen aliquod præceptum ad hoc obligans.

### Articulus III.

*Beatæ non habent contritionem.*

Art. 3. docet animas beatas non habere contritionem proprijs nominis: quia licet in eis sit virtus Pœnitentiæ, illa tamen non habet in patria eundem actum quem hîc in via: sed alium, scilicet displicentiam peccatorum, & gratiarum actionem pro misericordia relaxante peccata. Displicent ergo ipsis peccata, sed sine dolore, 3. p. qu. 84. ar. 8. & in 4. d. 14. qu. 1. ar. 3. & ideo sine veri nominis contritione.

*Neque damnati.*

Docet præterea animas damnatorum nullam habere contritionem; quia licet de pœnis doleant, de peccatis tamen; cum in eis sint obduratæ, non dolent, vel saltem non dolent de illis propter Deum offensum.

*Sed beati qui sunt in purgatorio,*

Quæ autem sunt in purgatorio, habent contritionem; sed quoniam sunt extra statum viæ, non propterea merentur remissionem pœnarum, imò nec pro illis pœnis propriè satisfaciunt, hîc ad 3. Esse autem in istis animabus contritionem, ex generali contritionis descriptione qu. 3. ar. 1. allata facilè potest doceri.

Quod ergo hîc ad 2. dicit; *Animæ in purgatorio dolent de peccatis, sed ille dolor non est contritio*; ita est accipiendum, ut neget eis contritionem quæ habeat universa quæ hîc in ipsa reperiuntur; non verò contritionem simpliciter. Concedit enim eis dolorem de peccatis, eumque gratia informatum; nec dubium esse potest, quin etiam concedat peccatorum detestationem, firmumque propositum non peccandi; quæ ad veram contritionem sufficiunt: Negat autem illum dolorem esse meritorium aut satisfactorium, sicuti est in præsenti. Quæ explicatio tum ex ar. corp. tum ex resp. ad 2. est manifesta.

QUÆ-



## QUÆSTIO V.

## *De effectu contritionis.*

### Articulus I.

*Contritio remittit peccatum.*

Art. 1. docet contritionem remittere peccatum; quatenus quidem est actus virtutis, dispositivè; quatenus autem est pars Sacramenti, instrumentaliter, Ubi cavenda est quorumdam opinio, existimantium peccata remitti per contritionem, sine ordine ad claves, nec aliter confessionem aut absolutionem requiri ad remissionem peccatorum, quàm requirantur cætera quæ hominibus præcipiuntur. B

*Non tamen sine ordine ad Sacramentum.*

Nam hæc opinio repugnat institutioni Sacramenti Pœnitentiæ, de cujus necessitate dictum est 3. p. quæst. 84. art. 5. & facit absolutionem sacerdotalem non aliud esse, quam declarationem remissionis peccatorum; quod ejusdem qu. ar. 3. est impugnatum.

Repugnat etiam Conc. Trid. sess. 14. c. 4. dicenti *reconciliationem quæ aliquando habetur ante Sacramentum actu susceptum, non esse ascribendam ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur.*

Præterea in Conc. Complutensi per Sixtum IV. confirmato, damnatæ sunt istæ conclusiones Petri Oxomensis; Prima, quâ dicebat, peccata mortalia quantum ad culpam & pœnam alterius sæculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves: & Tertia, quod pravæ cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves. C

Denique, distincta sunt beneficia passionis Christi, Pœnitentia, & peccati remissio; ut proinde non sit admittendum Pœnitentiam esse inseparabilem à remissione peccatorum: sed dicendum quod homini verè pœnitenti adhuc opus sit aliquo alio ex passione Christi beneficio, ut ei jam disposito, peccatum remittatur: id quod fit per Sacramentum. Quæ cum ita sint, controvertitur tamen à quibusdam.

### *Vtrùm omnis contritio semper conjunctam habeat remissionem peccati, etiam antequam recipiatur Sacramentum.* D

Quæstionem hanc propono de contritione in genere, non particulariter de contritione perfecta, quicquid ante annos circiter undecim vel duodecim dixerit quidam Theologiæ lector, cujus dictata ad me ex regione longinqua pervenerunt, ac etiamnum penes me sunt, sect. 5. de hac materia, ita titulum præsentem proponens: *Vtrum contritio perfecta habeat semper adjunctam justificationem antequam recipiatur Sacramentum;* E Et mox subjungit: *Propono hanc quæstionem sub his terminis sub quibus proposuit eam author modernus.* Franciscus Sylvius, Theologus Duacensis quæst. 5. Suppl. S. Thomæ ar. 1.

At verò eum bis commentarium in Suppl. hactenus ediderim, scilicet anno 1618. & 1622. & nullâ in quæstionis illius propositione mentionem fecerim contritionis perfectæ (ut videre possunt illi quibus ipsos libros intueri placebit) non satis mirari queo, cur bonus ille vir quæstionem sub terminis meis se proponere asserat, qui longè aliter proponit quam ego proposuerim; sicut longè diversum est quærere, utrum contritio perfecta habeat semper &c. & utrum omnis contritio &c. præsertim apud eos qui norunt contritionem esse velut genus quoddam sub se comprehendens perfectam & imperfectam contritionem, de quibus quæst. 1. art. 1. quibus etiam iste lector consentit in resp. ad 4. A

Sed & cum ait me docere contritionem non semper, imo nec frequenter vel ordinariè habere conjunctam remissionem peccatorum antequam reipsa recipiatur Sacramentum, quantumcumque cum dilectione perfecta & super omnia conjuncta sit, satis superque mirandum, quare istam clausulam *quantumcunq;* &c. addat velut ex me, cum illam ego non addiderim, neque ut adderetur, mea mens fuerit; & idcirco in editione secunda expressè dixi, quod *contritio perfecta non raro conjunctam habeat remissionem*, perfectam intelligens, quæ est dolor acris, vehemens, & intensus, nihil ibi dicens de ea quæ est perfecta per charitatem qua Deus propter seipsum diligitur super omnia amore amicitiæ & benevolentiæ. Nihilo erga me æquiorem se præbet censorem, quando de doctrina quam impugnat, & dicit quod sapit reliquias Michaëlis Baij; subjungit, *cujus doctrinam à duobus Pontif. Romanis damnatam, Pio V. & Greg. XIII. non videntur adhuc deposuisse omnino ejus discipuli, sed quantum possunt, eam retinere & magna ex parte tueri contendunt.* Quibus verbis (cum de nullo recentiore mentionem fecerit in ista sectione, præterquam de Sylvio) satis apertè me sugillat in primis ut discipulum Baij; deinde ut contendentem tueri sententias ejus à Sede Apostolica damnatas. Sed quomodo possum esse discipulus Baij, cujus neque lectiones audivi, neque libros vel scripta unquam legi? Michaël Bajus mortuus est 16. Sept. anno 1589. quando ego agebam annum ætatis nonum; nunquid idoneus fueram, qui ex Hannonia solo meo natali, ubi & degebam, item Lovanium auditurus Theologiam, prius quam prima latinæ linguæ rudimenta discere potuissem? Legi quidem & relegi articulos à Pio V. & Greg. XIII. damnatos, at non in libris Baij; sed cum explicatione Facult. Theolog. Lovan. ac deinde in libris eorum, qui Michaëlem Bajum non viderunt aliquando. Sic autem legi, ut omnes & singulos eorum articulorum pariter damnaverim ac semper rejecerim, quemadmodum diligens commentariorum nostrorum lector advertere potest, si velit; tantum abest: ut vel unum eorum tueri contenderim; id quod sine magno piaculo facere non possem. B C D

*Defensio Authoris contra quēdam dicentem quod sit discipulus Baij.*

Atque ut alia silentio prætream, hoc saltem non est prætermittendum, quod his verbis ait; *Sylvius sine inconvenienti dicit posse concedi, quod ex duobus æqualibus debitoribus in ijsdem omnino circumstantijs, ille plus diligat, cui minus remittitur, & ille minus diligat, cui plus dimittitur.* Id enim cum Sylvius nunquam dixerit, imo ne cogitavit quidem; quanta fide procedat in scriptis meis carpendis; aliorum esto judicium. E

Sed his omissis veniamus ad discutiendam quæstionem ijsdem terminis propositam, quibus in alijs hujus commentarij editionibus eam proposui, loquendo igitur de contritione in genere.

Videri potest quod omnis contritio semper conjunctam habeat remissionem peccati, antequam Sacramentum actu recipiatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



PRIMÒ, quia Nathan. 2. Reg. 12. statim ut advertit veram in Davide pœnitentiam, dixit ei, *Dominus transtulit peccatum tuum.* Quo respiciens David, Psal. 31. *Dixi* (ait) *confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* ubi Aug. *Non pronuntiat, sed promittit se pronuntiaturum; & ille jam dimittit.* Et serm. 32. de diversis. *Dixi, proloquar, nondum prolocutus sum; & tu dimisisti.* Similia sunt apud Cassiodorum & Gregorium in dictum Psalmum. *Si dixit pronuntiabo, & veniam meruit* (ait Ambrosius in Apologia David c. 7.) *quanto magis, ubi de se pronuntiavit dicens. Iniquitatem meam ego cognosco.*

SECUNDÒ, Deus dicitur non despicere cor contritum & humiliatum, Psalm. 50. despicit autem, si peccata non remittit; quemadmodum dicitur illam orationem despicere, quam non exaudit.

TERTIÒ, Deus non recordatur iniquitatum ejus qui pœnitentiam agit, Ezechielis 18. &, *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit* c. 33. nocet autem quamdiu non est remissa, quia facit reum æternæ gehennæ: ergo statim remittitur.

QUARTÒ, propter illud Isa. 30. secundùm 70. *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris;* dicit S. Leo ep. 91. quod *apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio.* Et Fulg. l. 1. de remission. peccat. c. 12. *Quia ingemuit David ex toto corde conversus, continuò salvus est factus, atque completur in eo illud Prophetæ; Si conversus fueris, salvus eris.*

QUINTÒ, In parabola filij prodigi, Luc. 15. patet occurrit filio revertenti, & priusquam illo confessionem absolveret, osculum pacis ei dedit. *Tam citò* (ait Ambr. l. de Pœnit. c. 3.) *veniam meretur, ut venienti* & adhuc longè posito occurrat pater, & osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis.

SEXTÒ, Contritio est actus charitatis: sed charitas non consistit cum peccato mortali: ergo quandocunque est contritio, est & remissio peccatorum.

SEPTIMÒ, Conversio tollit aversionem: ergo contritio tollit peccatum, cùm illa sit conversio, istud aversio.

OCTAVÒ, per veram contritionem homo spiritualiter mortuus vivificatur: vita autem spiritualis non consistit cum peccato, quod est mors animæ. Huc pertinere volunt quod Lazarus priùs à Domino suscitatus fuit, quam à discipulis solveretur, secundùm ea quæ habet Aug. serm. 8. de verb. Domini, & hom. 27. inter 50.

NONÒ, leprosi ad Sacerdotes missi, Luc. 17. mundati sunt priusquam ad illos pervenirent: ergo similiter peccatores à leprâ spirituali mundantur, priusquam veniant ad confessionem.

DECIMÒ, Contritio est ultima dispositio ad gratiam: ergo illa posita, hæc statim sequitur: In naturalibus enim formæ introducuntur in materiam, statim ut materia habet ultimam dispositionem: ergo & in supernaturalibus. Unde Syn. Trid. sess. 6. c. 7. *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa sequitur.*

UNDECIMÒ, Dantur interdum indulgentiæ ijs qui solùm sunt contriti, & habent propositum confitendi suo tempore: ergo Ecclesia supponit omnem contritionem remittere peccata ante confessionem. Indulgentiæ enim non prosunt nisi illis qui sunt in statu gratiæ.

DUODECIMÒ, in articulo mortis, quando confessionem excludit necessitas, peccatum remittitur per contritionem, ergo & semper alias: Articulus enim necessitatis non facit ut contritio sit efficacior quàm alioquin esset, sed solùm excusat à prævaricatione præcepti.

DECIMOTERTIÒ, Syn. Trid. permittit ei qui celebrare vel communicare debet, ut hoc faciat non prævia confessione, si desit copia confessarij: ergo supponit eum esse justificatum per contritionem, qualiscumque illa sit.

DECIMOQUARTÒ, In veteri lege sola contritio remittebat peccata, ergo & in nova. Antec. prob. quia sacrificia quæ adhibebantur non habebant vim justificandi; cùm essent *vacua & egena elementa*, ad Gal. 4.

DECIMOQUINTÒ, Catech. Rom. in materia de contritione dicit, *statim ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis à Deo tribui, ut qui salutis nostræ cupidissimus nullam moram interponat, ad tribuendam veniam.*

DECIMOSEXTÒ, Hæc sententia, Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & voto recipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis & Martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti, est art. 68. inter damnatos à Pio V.

POSTREMÒ, sententia hæc videtur esse communis, atque adeò S. Thomæ varijs locis, quodl. 4. ar. 10. opusculo 22. c. 2. 3. p. qu. 84. art. 8. ad 1. qu. 85. art. 6.

Supposito id quod supra monùimus, quæstionem hic proponi de contritione in genere, prout nimirum à Conc. Trid. sess. 14. c. 4. definitur esse animi dolor ac detestatio de peccato cõmisso cùm proposito non peccandi de cætero; & prout sub se complectitur contritionem imperfectam quæ dicitur attritio, & contritionem charitate perfectam, quæ aliàs vocatur simpliciter contritio, ad distinctionem attritionis, secundùm ea quæ ad 1. ar. hujus Suppl. notavimus, Sit pro Resp.

## CONCLUSIO I.

*De contritione imperfecta quæ non semper per adlicet junctam habet remiss. pecc.*

NON omnis vera contritio semper habet conjunctam remissionem peccatorum priusquam Sacramentum recipiatur.

PROB. 1. quia attritio quæ ad Sacramentum ejúsque effectum sufficit, est species contenta sub contritione est; propterea veri nominis contritio imperfecta: illa autem non habet remissionem peccatorum conjunctam antequam recipiatur Sacramentum, cùm per se non valeat peccatorem perducere ad gratiam sine Sacramento dicente sacro Conc. Trid. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justitiam perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

PROB. 2. quia non ordinariè, imò nec frequenter peccata remittuntur catechumenis ante Baptismum: ergo nec relapsis, ante absolutionem: Paris enim virtutis est contritio, sive baptizandorum, sive relapsorum. Imò ferventiores solent esse catechumeni



chumeni quàm relapsi: majorque (si secundùm hominem loquimur) est ratio, ut relapsis tanquam magis indignis differatur gratia usque ad Sacramenti perceptionem.

Antecedens autem probatur *primò*, ex Cyrillo Jerosolymitano qui catech. 1. mystag. loquens de fideli pro eo tempore quo erat catechumenus, sic dicit; *Iste impudens improbitatis princeps dæmon, ad ipsas usque salutares undas te sequebatur, Pharao in mari submersus est: iste in aqua salutis suffocatur.*

*Probatur secundò*, ex Ambr. l. de ijs qui initiantur c. 4. sic scribente, *Credit etiam catechumenus in crucem Domini Jesu, quia & ipse signatur: Sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum:* Quibus verbis quid significat, nisi catechumenum ordinariè non justificari, nisi quando Baptismum realiter suscipit? quia scilicet etsi contritionem aliquam habeat, ordinariè non est charitate perfecta, sed imperfecta.

*Probatur* 3. ex Augustino tra. 13. in Joannem, *Quàtumcunq; catechumenus proficiat, adhuc sarcinã iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.* Quod, prout ostendimus 3. p. q. 66. ar. 11. quæst. 1. de eo quod ordinariè seu regulariter fit, est accipiendum. Et quamvis sermonem dirigat contra illos; qui quod melius vivere videantur quam nonnulli fidelium, possent superbientes dicere, non esse sibi opus Baptismo: generaliter tamen affirmat, non de illis tantum qui vel negligunt Baptismum suscipere, vel non habent serium ejus suscipiendi votum, sed de omnibus, etiam illis qui proficiunt in via salutis: *quantumcunq;* inquit, *proficiat.* Et postea, *Quomodo nõ carnit populus Israël populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum: sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi pervenerit.* Ordinariè enim non sic proficiunt, ut habeant contritionem charitate perfectam. Accedit quod idem Aug. l. 4. contra Donatistas c. 22. Cyprianus, Ambr. Bernardus, & alij patres, ad hoc ut quis solo voto Baptismi consequatur remissionem peccatorum, requirunt quod ab eo suscipiendo per necessitatem aliquam prohibeatur. *Credo*, ait Bern. ep. 77. *sola fide hominem posse salvari, tum desiderio percipiendi Sacramentum, si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcunq; vis invincibilis obviarit:* sed confer quæ dicimus dicto art. 11. q. 1. in fi.

*Probatur* 4. Qui se præparant ad Baptismum moventur adversus peccata per odium & detestationem, Deumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; & proponunt inchoare novam vitam, ut ostendit Syn. Trid. sess. 6. c. 6. ergo habent veram contritionem. Sed non justificantur nisi accedente Sacramento; *Illam enim dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur,* ut ibidem dicit Syn. c. 7. consequitur autem, mediante Baptismo tanquam causa instrumentali, ut ibidem traditur.

PROB. 3. Quicunque pœnitet sicut oportet, est contritus: sed peccator, per adjutorium gratiæ Dei potest pœnitere sicut oportet, prius tempore quam justificetur; ergo potest antea esse contritus. Min. prob. ex can. 3. ejusdem sess. *Si qui dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quod enim negat fieri posse sine gratia, concedit fieri posse cum illa, etiam à peccatore qui non justificatur illo ipso momento, sed ut justificetur se præparat.

PROB 4. eadem Syn. c. 4. ss. 14 docet quod *contritionem aliquando charitate perfectam esse contingit hominemq; reconciliare priusquam Sacramentũ actu suscipiatur,* quare dicit (*contingit*) & (*aliquando*) si semper aut ordinariè contritio esset charitate perfecta hominemque per consequens reconciliaret ante Sacramenti receptionem? De Sacramentis non rectè diceretur, contingit aliquando ea conferre gratiam, ut patet ex sess. 7. ejusdem Concilij c. 7. eò quod semper eam conferant non ponentibus obicem. Similiter antea locutus est. B. Tho. in 4. d. 21. sive in Sup. q. 10. ar. 5. *Contingit quandoque quod per contritionem præcedentem peccatum aliquod deletum est, quoad culpam.*

PROBATUR 5. Peccatrix evangelica quamvis multum diligeret, non prius tamen accepit veniam peccatorum, quam (quod paralytico dictum fuerat) audiret, *Remittuntur tibi peccata.* Quibus verbis Dominus facit id quod paulo ante propter certitudinem & vicinitatem eventus dixerat, *Remittuntur ei peccata multa.* unde accumbentes cœperunt dicere intra se: *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* Huc pertinet illud Augustini ho. 23. inter. 50. *Accessit ad Dominũ immunda, ut rediret mũda: accessit ægra, ut rediret sana.* Atqui dum accessit ad Dominum, jam eum aliquo pio & supernaturali motu diligebat, ab eoque veniam petebat, nec dubium quin de peccatis doleret cum proposito non amplius peccandi: ergo habebat contritionem: omnes enim partes definitionis à Conc. Trid. allatæ ei præparationi quam habebat, conveniunt. Si dicas ejus contritionem non fuisse charitate perfectam; bene concedimus: satis namque est quod ejus contritio fuerit vera, licet imperfecta.

Sed & Paulo tam mirabiliter converso, peccata demum remissa fuisse in Baptismo, indicare videtur illud Act. 22. *Exurge & baptizare, & abluere peccata tua.* Nam quod alij respondent Ananiam, vel ignorasse quod ea remissa essent per contritionem vel monuisse ut amplius mundaretur, etiam quoad vulnera ex peccato relicta, ut sunt propensiones malæ, & alia id genus multa: non satisfacit. *Primò*, quia Ananias cùm per revelationem sciret Paulum esse conversum, & orationibus intentum, non poterat hoc ignorare, si effectus ille semper aut ordinariè contritioni jungitur. *Secundo*, quia propensiones malæ non tolluntur in Baptismo: unde & manserũt in Apostolo, ut patet ex c. 7. ad Rom. *Tertiò*, quia jubetur *abluere peccata*, utique non alia quàm quæ in ipso erant. Neque dici potest per peccata intelligi pœnas & reatum: Ab his enim, cùm non sint sordes animæ, neque faciant eam sordidam, sed miseram; non propriè dicitur quis ablui, sed à culpis demum & maculis. Si cui tamen videatur oppositũ, scilicet Paulo statim remissa fuisse peccata, ut qui statim fuerit perfectè contritus & conversus, neq; putamus improbandum, neque est conclusioni nostræ adversum. Confer 1. 2. q. 112. ar. 2. ad 2.

SEXTÒ, Effectus aliorum Sacramentorum non habetur ordinariè ante receptionem illorum; ergo nec effectus Sacramenti Pœnitentiæ: hic autem sess. 14. Conc. Trid. cap. 3. vocatur *reconciliatio cum Deo*: ergo reconciliatio non habetur ordinariè ante receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, ac per consequens non semper quando habetur aliqua contritio.

SEPTIMÒ, Sequitur alioquin superfluum

Universidad de Deusto
Biblioteca



esse Sacramentum Pœnitentiæ, si per contritionem etiam solam habetur id quod per Sacramentum quæritur. Quidam respondent, ideo non futurum superfluum, quia Sacramentum est remedium certius. Sed contra, saltem sequeretur Sacramentum non esse remedium necessarium, sed tantum certius alio: Patres autem & Concilia, ut ex 3. p. q. 84. ar. 5. patet, loquuntur de Sacramento Pœnitentiæ tanquam de remedio simpliciter necessario relapsis, ergo non satis est dicere quod sit necessarium ut remedium certius.

Sequitur item, quod sacerdotes debeant procurare effectum Sacramenti ante Sacramentum (debent enim curare, ut pœnitentes sint contriti:) Item quod præcipua vis non est in forma, (ut vult ibidem Conc. Trid. conformiter B. Tho. 3. p. qu. 86. ar. 6.) sed in ea parte materiali, quæ sola existens non separatur ab effectu.

Item quod peccator pœnitens, vel rarò, vel nũquam vivificatur ministerio sacerdotis, id quod ar. 55. per Pium V. est reprobatum.

Si dicas sufficere attritionem cum Sacramento, concedimus de illa quæ est imperfecta contritio, non de alia, ut qu. 1. ar. 3. fuit ostensum. Recepta est enim doctrina catholica, contritionem esse partem necessariam Sacramenti Pœnitentiæ, ut videre est in Conc. Flor. & Trid.

Octavò, Synodus Tridentina sess. 13. c. 7. & can. 11. *statuit* illis communicaturis, *quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunq; et ã se contritos existiment habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem:* propter periculum scilicet indignæ communionis: quod utique non esset, si omnis vera licet imperfecta contritio semper haberet conjunctam remissionem peccatorũ ante susceptionem Sacramenti.

Nonò, Augustinus epistola 180. sacerdotum erga pœnitentes ministerium vocat necessarium; non esset autem necessarium, si absque illo realiter susceptо per omnem contritionem semper haberetur remissio peccatorum.

Bernardus ser. 1. de Petro & Paulo dicit quod *Sententia Petri præcedit sententiam cæli.* Eodemq; pertinent, tum quæ de necessitate hujus Sacramenti dicta sunt q. 84. ar. 5. partis 3. tum quæ postea dicentur de necessitate confessionis, qu. 6. ar. 1.

In eandem sententiam loquuntur statuta prædecessorum Atrebat. tit. de pœnitentijs, *ubi necessitas, non contemptus excluderet confessionem & satisfactionem, sufficeret sola contritio ad expiationem peccati, unde verum est quod sola contritio in tali casu, cum proposito confitendi & satisfaciendi tollit peccatũ, & reddit hominem vivum, qui fuerat mortuus. Alias verò contritio non sufficeret*, (regulariter scilicet,) *ex quo post contritionem haberetur tempus opportunum confitendi & satisfaciendi, quo tamen non confiteretur vel satisfaceret.*

Et Molanus tract. 1. suæ Theol. practicæ c. 8. *Non est existimandum per solam contritionem regulariter dimitti peccata: vel sine respectu ad claves, id enim jam dudum damnatum est, vel propter votum suscipiendæ absolutionis in illa inclusum: nam & hoc dici multa prohibent.*

Idem sensisse Scotum probari potest ex 4. dist. 14. quæstionib. 2. & 4. ubi agnoscit actum Pœnitentiæ informem; & dist. 17. § *Ad argumenta, quatenus dicit quod contritio potest esse tanta quod in ea etiam ante confessionẽ deletur peccatũ.* His enim verbis satis significat nõ omnem contritionem semper esse tantam. Et conformia scribit d. 19. § *Ad quæstionem.* Eandem fuisse Cajetani sententiam liquet ex summula verbo *Contritio*, ubi cum dixisset contritionem tria exigere, displicentiam de commissis peccatis supra omne odibile, propositum vitandi peccata supra omne vitabile, & propositum confitendi seu satisfaciendi; subjungit. Et scito quod hujusmodi vera contritio dupliciter inveniri potest, scilicet formata vel informis. Scimus quosdam respondere quod Cajetanus supponat contritionem posse ex viribus naturæ procedere atque ita posse esse informem. Verum neq; loco jam allegato, neq; in opusculo ubi ex professo de contritione disputat, eam opinionem (quæ sine dubio erronea est) tradit. Nam in opusc. illo sic loquitur. Prima contritio est acquisita displicentia peccati supra omne odibile, cum proposito vitandi peccatum supra omne vitabile, ex amore Dei supra omne amabile, & hæc vocatur contritio informis. Secunda autem est hæc eadem displicentia cum dicto tam proposito, quam amore, charitate informata. Ita Cajetanus. Quæ si conferantur cum ijs quæ alibi docet, Angelum non posse converti in Deum, nisi sit adjutus auxilio gratiæ, 1. p. q. 62. ar. 2. Diligere Deum supra omnia appetitu rationali, non esse nobis sic naturale ut fluat ex natura, id est, ex solis naturæ viribus, sed quia est secundum naturam, seu naturæ consentaneum, 1. 2. q. 109. ar. 3. Quemadmodum nihil naturæ sine Deo ut principio naturali; ita nihil gratiæ sine eo ut principio gratiæ facere possumus; nec sine speciali adjutorio Dei potest homo se præparare ad gratiam, ibidem ar. 6. facilè videbitur Cajetanum non docere quod vera contritio (quæ utique est ad gratiam præparatio) ex solis naturæ viribus concipi possit, nec movere debet quod contritionem vocet acquisitam: Ideo enim sic loquitur, quia non est cum charitate infusa.

De B. Thoma videbitur in resp. ad ult. nec diversam ab hujus conclusionis doctrina sententiam habent illi, de quibus q. 1. vidimus quod admittant aliquam contritionem imperfectam, ex se seu sine Sacramento insufficientem ad remissionem peccatorum.

### Conclusio II.

*Quo modo omnis contritio habet conjunctam pecc. remissionem.*

Recte dicitur quod omnis contritio semper habeat conjunctam remissionem peccatorũ, si nomine contritionis intelligatur ea contritio quæ est charitate perfecta, cujus videlicet motivum immediatum est Deus ut est in se summè bonus, seu divina bonitas propter se diligenda: Hoc enim est quod vult Conc. Trid. sess. 14. c. 4. dicens quod *etiamsi contritionem hanc* (quam videlicet isto c. definierat) *aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemq; Deo reconciliare prius quam hoc Sacramentum* (scilicet Pœnitentiæ) *actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Quibus verbis tria significare videtur Concilium. *Primum*, quod contritio vera (talis enim est ea quam illic definivit) non semper est charitate perfecta; Ideo quippe dicit quod sic perfectam esse *contingit aliquando. Secundum*, quod cum est charitate (amore scilicet benevolentiæ quo Deus propter se suamq; bonitatem simpliciter diligitur super omnia) perfecta; tunc hominem Deo reconciliat ante Sacramentum actu receptum. *Tertium*, quod



quod ista reconciliatio nõ sit ascribenda contritioni sine voto Sacramenti quod in illa includitur.

Secundò Prob. potest hæc conclus. ex eo quod articulus ita habens, charitas perfecta & sincera quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta tam in catechumenis quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum, condemnatus fuit à Pio 5. & Greg. 13. sicut & iste, homo existens in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis, potest habere charitatem; & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis: Itemque alius, per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis.

Ex horum namque articulorum condemnatione consequens est dicendum esse, non solum in casu necessitatis aut martyrij verum etiam extra illos casus per contritionem charitate perfectam & cum voto Sacramentum suscipiendi conjunctam, remitti peccata etiam sine actuali susceptione Sacramenti: Dicendum præterea, falsum esse hominem in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis existentem, posse veram habere charitatem: etsi enim ante suam justificationem insit in pœnitente amor aliquis justitiæ eaq; dilectio qua Deum diligere incipit tanquam totius justitiæ fontem (qualem dilectionem diximus in imperfecta contritione seu in attritione reperiri) is tamen amor qui charitatis naturam assequitur, seu vera illa & sincera charitas quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta cum æternæ damnationis reatu non consistit.

Tertiò Prob. potest authoritate illorum omnium qui docent ac velut rem compertam affirmant omnem contritionem semper habere conjunctam remissionem peccatorum, etiam antequam Sacramentum actu recipiatur. Quamvis enim quidam eorum non satis distinctè loquantur sive de contritione, sive de attritione; omnes tamen hoc volunt quod illa contritio quæ est charitate perfecta, conjunctam habeat remissionem peccatorum. Videri possunt Nugnus, Ledesma, Suarez, Becanus, Laiman, Tannerus, Gamacius, & alij complures.

Ad 1. Arg. Etsi rectè intelligatur remissum Davidi peccatum, statim ut illud corde & ore est confessus; non propterea tamen est consequens per omnem contritionem id fieri; cum non omnis contritio sit talis qualem habebat David, perfecta scilicet per charitatem, si verum est quod statim obtinuerit remissionem. Qua de re non omnino constat.

Versiculus psalmi hunc sensum habet, proposui me confessurum injustitiam meam Domino; quod postquam feci, id est, postquam confessus fui; *tu remisisti* peccatum meum; præcedit enim, *Dilectum meum cognitũ tibi feci.* Sic Ecclesiastæ 2. *Dixi Vadã & assluam delitijs, & vidi*, sive experientia didici, postquam scilicet delitijs me dederam, *quod hoc quoque esset vanitas*: unde apparet non ante omnem confessionem vocalem remissum esse Davidi suum peccatum, sed solum ante illam quam facturus erat, vel per oblationes & sacrificia, vel aliter. Quod confirmari potest ex Psal. 50. ubi etiam juxta interpretationem Bellarmini quod David dicit, *Dele iniquitatem meam*, refertur tum ad reatum, tum ad maculam peccatorum; ex quo sequitur quod petat sibi remitti peccatum, & lavari maculam, restituendo sibi nitorem gratiæ.

Ad 2. Sicut Deus non despicit fidem, orationem & eleemosynas ejus quem est exauditurus, etiamsi non statim exaudiat, ita nec cor contritum ejus, cui utpotè imperfectè contritio non statim remittit peccata; quoniam illa remittet, quando vel Sacramentum suscipiet, vel contritionem charitate perfectam habebit.

Ad 3. Arg. variè potest Responderi. Si enim scripturæ in eo allegatæ intelligantur de pœnitentia & conversione quæ vel est ex charitate, vel habet conjunctam charitatem qua Deus propter se suamque bonitatem diligitur simpliciter super omnia; juxta concl. 2. rectè dicitur quod statim obtineat remissionem peccatorum, atq; ita clarum est quo modo impietas impij ei Pœnitentiam agenti non noceat, neq; Deus recordetur iniquitatum ejus ad inferendam æternam damnationem. At quoniam illi quoque censentur pœnitentiam agere & converti ad Deum, qui etsi necdum tam perfectè convertantur, ex turpitudinis tamen peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu sincerum dolorem de suis peccatis concipiunt, cum spe veniæ ac proposito emendationis, de quibus inter omnes convenit quod non statim consequantur peccatorum suorum veniam: Ideo nihil videtur obstare, quominus illa quæ objiciuntur ex Ezechiele, generaliter intelligantur de vera Pœnitentia & conversione, sive ea sit perfecta sive imperfecta: nam & de illo qui veram (licet imperfectam) agit Pœnitentiam, optimè dicitur quod Deus omnium iniquitatum ejus non recordabitur (textus quippe habet in futuro non *recordabor*, & quod *impietas non nocebit ei*, quantum scilicet ad imputationem mortis æternæ) quoniam si perseveret, Pœnitentiam agere, & perficiat ea quæ Deus requirit à pœnitentibus, vita vivet & non morietur, ut c. 18. & 33. dicitur. Remittentur enim ei peccata, vel ad contritionem perfectam pertingenti, vel ad Sacramentum venienti.

Ad 4. Resp. facilè potest ex his colligi; nam & qui imperfectè (verè tamen) convertitur, salvus jam est in certa & proxima spe remissionis consequendæ vel per Sacramentum vel per conversionem perfectam, si eo usque pertingat; & qui perfectè convertitur, statim obtinet remissionem. Pro verbis B. Fulg. Confert quæ ad 1. dicta sunt.

Sanctus autem Leo dicit conversionem non pati moras veniæ, non quod omnis etiam imperfectè conversus statim habeat veniam; sed quia potest illa habere quantumvis serò convertatur; & propterea vult Sacramentum reconciliationis non esse illis denegandum, qui in periculi urgentis instantia præsidium reconciliationis implorant. Hæc sunt ejus verba; *His qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidiũ Pœnitẽtiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere nec tempora definire, apud quem nullas patitur venia moras vera conversio.* Considerare deberent qui hæc opponunt, quod ibidem pronuntiet S. Leo, *Indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum non posse obtineri*, ut 3. p. qu. 84. ar. 3. ad. 2. explicavimus.

Ad 5. Resp. filium prodigum non ante reconciliatum esse patri, quam confitendo diceret, *Pater peccavi in cælum & coram te.* Nam licet prius eum osculo pater excepерit; demum tamen postea jussit ei proferri stolam primam, de qua diximus ejusdem tertiæ partis qu. 89. ar. 2. Osculando ergo

ipsum

Universidad de Deusto
Biblioteca



ipsum erexit in spem veniæ ; stolam induendo, A recipit in gratiam, vide Augustinum lib. 2. quæstionum Evangelicarum qu. 33.

*Duplex Dei dilectio salutaris.*

Ad 6. Resp. distinguendo Major. Vel enim in ea sermo est de contritione perfecta; vel generaliter de Contritione prout complectitur non tantum perfectam, sed etiam imperfectam Contritionem quæ dicitur Attritio.

Juxta priorem intellectum, Contritio est actus charitatis, non sic quasi procedat ex habitu charitatis, quemadmodum 1.2.q.113. ar. 8. quæsito 1. diximus, sed partim quia ejusmodi habitu informatur; partim quia versatur circa proprium objectum charitatis, diligendo Deum super omnia, propter se seu propter summam ipsius bonitatem B secundùm se consideratam.

Juxta posteriorem intellectũ Contritio non est universaliter actus charitatis, quoniam imperfecta Contritio potius est actus amoris concupiscentiæ, quam amoris benevolentiæ qualem requirit charitas. Qui enim ex pœnarum metu, vel ex timore amittendi vitam æternam, de peccatis conteritur, sicq; Deum diligit, non eũ immediatè amat propter summam ejus bonitatem; Sed propter bonum quod ex eo sperat, vel propter malum quod ab eo metuit.

Ad Min. quod attinet etiam distinctione opus est: Si enim loquamur de charitate habituali, vel de illa actuali cujus proximum seu immediatum objectum est divina bonitas quæ propter se super C omnia diligitur, sic conceditur quod charitas non consistit cum peccato mortali: At præter ejusmodi, charitatem, alia adhuc est dilectio supernaturalis, qua peccator Deum tanquam omnis justitiæ, fontem diligere incipit, & quæ (licet imperfecta sit) ex divina tamen gratia proficiscitur, & ad spem vel amorem concupiscentiæ pertinet, præcedit-que remissionem peccatorum, non naturæ tantum, sed etiam temporis ordine. Doceri hoc potest partim exemplo peccatricis; quæ quia multùm dilexit dum ad Christum venit, ejusque pedes rigavit, terfit, & osculata est, audivit, *Remittuntur tibi peccata tua*: partim ex can. 25. Concilij Arausic. & ex can. 3. sess. 6. Concil. Trident. collato cum c. 6. D ubi significatur quod *Deus amorem sui prius inspirat, ut postea justificationis gratia infundatur*: partim alijs, quæ ad quæst. 23. in 2.2. pertinent. Et hujusmodi dilectio sive appelletur charitas, scilicet imperfecta; sive tantum dilectio, bene consistit cum reatu peccati mortalis, quamvis non cum affectu. Cujus proinde talis qualis charitatis Contritio imperfecta, est actus.

*Distinguitur charitas, seu dilectio supernaturalis.*

Ad 7. Conversio tametsi imperfecta tollit aversionem affectus à Deo, & consequenter peccatum quoad actum & affectum; non tamen statim, quoad maculam & reatum. Ad rationem autem peccati mortalis pertinet aversio solùm quatenus ipsum actu vel affectu committitur. E

*Duplex vita.*

Ad 8. Resp. per Contritionem imperfectam hominem spiritualiter mortuum vivificari imperfectè seu inchoativè. Distinguenda enim est duplex vita seu vivificatio prout etiam distinxerunt Theologi Lovanienses ad articulum 61. à Pio V. damnatum. *Una* imperfecta, qua peccator vivificatur, dum ei Pœnitentia, & novæ vitæ propositum, ac inchoatio inspiratur: quod significatum fuit per suscitationem Lazari, ut ostendit Gregorius lib. 22. Moral. cap. 13. inter cætera dicens, quod *cuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis*; & Aug. concione secunda, in Psal. 101. Vide quæ diximus tertia parte, quæstione octogesima quarta, articulo tertio, quæsito 2. *Altera* perfecta, qua per ministros absolvitur à culpa peccati, & à reatu mortis æternæ, justusque ac filius Dei constituitur: quod significatum est per solutionem Lazari, jam suscitati. Ad Min. Resp. vitam spiritualem perfectam non consistere cum peccato mort. sed bene vitam, imperfectam. Quod si de vita, quæ per Contritionem charitate perfectam habetur, quæstio sit; non negamus vitam illam esse perfectam: sed quia rarum est, quod Contritio charitate perficiatur ante Sacramenti receptionem; (hoc enim aliquando contingit:) ideo rarum quoque est, vitam perfectam dari ante ministerium sacerdotis.

Ad 9. si consequens intelligatur universaliter, Resp. Neg. Conseq. tum quia non omnes leprosi sic mundabantur. sed ij tantum qui peculiariter mittebantur à Christo; tum quia sacerdotes legales verè non mundabant à lepra, sed solum mundos ostendebant & judicabant: nostri autem verè & realiter mundant à peccatis, ut ostendimus eodem a. 3. p. 3.

Ad 10. etiam negatur consequentia: eò quòd formæ naturales ad materiam dispositam, vel naturaliter consequuntur, vel à Deo dantur, secundùm ordinem naturalem ab ipso constitutum; & semper in materiam plenè dispositam inducuntur, aut saltem inductæ retinentur vi ipsarum dispositionum, nisi fortè per miraculum aliter fiat. Gratia verò neque naturaliter consequitur dispositiones; neque datur secundùm naturalem rerum ordinem, sed ex misericordia & beneplacito Dei infunditur illis, qui adhibent remedium ab ipso ad hoc institutum. Et ideo quod ex Conc. Trid. adfertur; *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur*: non sic intelligi debet quasi consequatur semper aut ordinariè ante Sacramentum, cum ibidem ipsum Sacramentum assignetur pro causa instrumentali justificationis: sed justificatio præparationem ibi expressam consequitur mediante Sacramento, & non prius, nisi præparatio & Contritio sit charitate perfecta.

Ad 11. Negatur consequentia, opus enim præscriptum ad indulgentiam, potest fieri à pœnitentibus nondum justificatis, modò reconciliati sint eo tempore, quando illa est percipienda; idque sive per Sacramentum; sive per contritionem charitate perfectam.

Ad 12. & 13. similiter etiam negatur consequentia: *primum*, quia licet invisibiliter ministretur Sacramenti effectus, quando illud excludit necessitas: ut ex Augustino docet Innocentius lib. 3. decretalium cap. *Apostolicam*. De presbytero non baptizato: non tamen est eadem ratio, ut suppleatur effectus Sacramenti, quando potest Sacramentum suscipi; *secundo*, quia non dicitur quod illi sint justificati; sed declaratur quod ab incursione novi peccati excusentur, etiamsi celebrent aut communicent, verisimile autem esse quod peccatorum remissionem accipiant in devota communione, diximus tertia parte, quæst. 79. ar. 3.

Ad 14. Nec antecedens verum est universaliter; cum ex Levitico pateat peccata quædam expiari non potuisse sine sacrificijs à Moyse præscriptis, quæ licet non valerent vi sua, valebant tamen ex fide mediatoris: Nec consequentia valet, eò quòd nunc habeamus Sacramenta quæ sunt efficacia remissionis peccatorum, securitatemque ac certitudinem quandam præstant acceptæ veniæ; qualia



qualia sub veteri testamento non habebant: Ac A proinde peccata eis remittebantur, vel quando singularem aliquem actum protestationis fidei mediatoris faciebant, per sacrificia; vel quando erant perfectè contriti.

Ad 15. Resp. illa rectè intelligi, non de quacumque Contritione vera, sed de illa quæ est charitate perfecta. Nam Catechismus clarè seipsum explicat parte secunda, ca. quinto, quæstione 32. his verbis; *Ut enim hoc concedamus contritione peccata deleri: quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferriq; possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent: fiebat etiam ut à paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset, &c.* B

Ad 16. Non dicimus extra casus mortis aut martyrij nunquam remitti peccata per contritionem charitate perfectam, sine reali perceptione Sacramenti: sed concedimus Contritionem charitate perfectam remittere peccata sine actuali receptione Sacramenti; sive sit casus necessitatis aut martyrij, sive non; At dicimus non omnem Contritionem semper esse talem, cum in multis sæpè sit imperfecta ex quo sequitur quod sæpè non remittuntur peccata per contritionem sine Sacramento.

Ad Postremum, Negatur assumptum. Beatus C enim Thomas ita loquitur 3. parte, quæstione 72. articulo septimo, ad secundum. *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet: vel si etiam non perfectè contritus, accedat*, scilicet ad Sacramentum confirmationis:) *dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum*: & quæstione 79. articulo tertio, loquens de Eucharistia: *Fortè*, inquit, *primò non fuit sufficienter contritus, sed devotè & reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati.* Conferri potest quæst. 80. art. 4. ad 5.

*Contritio quædam imperfecta, etiam apud S. Th. vera tamen.*

Ex his clarum est beatum Thomam agnoscere D quòd contritio vera, sed imperfecta possit esse separata à remissione peccatorum, cum dicat remissionem postea subsequi, quando Sacramentum devotè recipitur.

In secundo scripto super quartum, distinctione 16. ar. 4. Pœnitentiam dividit in formatam & informem.

Prima secundæ quæstione 112. articul. 2. ad 1. præter præparationem hominis ad gratiam quæ simul est cum ipsa infusione gratiæ: *Est* (ait) *alia præparatio gratiæ imperfecta, quæ aliquando præcedit donum gratiæ gratum facienti, quæ tamen est à Deo movente.* Et ad 2. *Contingit quandoque quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum; & talis præparatio præcedit gratiam.* Loquitur autem de præcedentia secundùm ordinem temporis. Nam juxta ordinem naturæ, perfecta quo- E que præparatio præcedit gratiam habitualem. Et conformiter quæstione 113. art. 5. ad 3. agnoscit detestationem peccatorum esse in tempore præcedente justificationem: & art. 7. docet justificationem esse in instanti, præparationem verò fieri successivè. Confer Supplement. quæst. 10. ar. 5. & quæstionem 27. Ver. art. 9. ad 12. ubi docet contritionem specialem de singulis peccatis posse præcedere justificationem.

*Resp. ad S. Thomæ objecta.*

Quapropter ubi significare videtur quòd om- nis contritio conjunctam habeat remissionem peccatorum intelligendus est loqui de contritione quæ per charitatem est perfecta, juxta cont. 2.

Quod autem opusculo 22. dicit nonnullos quandoque justificari in absolutione; non arguit eum sentire quod regulariter justificatio præcedat. *Primò*, quia satis ei erat ostendisse, eam non semper fieri per solam contritionem; id quod contendebat adversarius, probare volens sacerdotem nec debere nec posse uti hac forma, *Ego te absolvo*; utpotè cujus potestas non se extenderet ad remissionem culpæ antea per contritionem semper remissæ, ut quidem ille contendebat. *Secundo*, quia illud (*quandoq;*) meritò videri potest esse adjectitium, aut non suo loco positum: præmisit enim ita esse de Pœnitentia, sicut de Baptismo; De Baptismo autem, paulò ante dixerat, *Contingit quandoque in Baptismo quod aliquis antequam Sacramentũ Baptismi actu percipit, dum habet Sacramentum in voto vel proposito, consequitur justificationem à solo Deo*: Ubi non dicit hominem quandoque justificari per Baptismum actu susceptum; sed quandoque contingere quod justificetur ante receptionem illius, quomodo etiam art. 5. quæst. 10. sequentis dixit, *Contingit quandoque quod per contritionem præcedentem, peccatum aliquod deletum est quoad culpam*; significans scilicet quod hoc non sit ordinarium, sed contingens aliquando; sicut nec ordinarium est quod pœnitentes habeant contritionem charitate perfectam.

Quod in responsione ad 2. dicit remissionem peccati uno modo præcedere infusionem gratiæ; alio modo sequi: si conferatur cum art. 8. quæst. 113. in 1.2. videtur sic accipiendum, ut præcedat, si spectentur ea quæ sunt ex parte hominis; quia prius est eum liberari à culpa quam consequi gratiam justificantem: subsequatur autem, si considerentur ea quæ sunt ex parte agentis, sic enim ordine naturæ prior est gratiæ infusio, quam culpæ remissio.

## Articulus II.

Art. 2. tradit per contritionem posse tolli omnem reatum pœnæ: quia charitas eam informans sic intendi potest, ut contritio inde sequens mereatur, *non solum culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni pœna*. Ubi quod de merito dicit, non de merito ex condigno esse accipiendum, sed de congruo; intelligi potest ex his quæ diximus 1.2.q.113.art.4. quæsito 7.

Pro resp. ad 1. dicendum, quòd confessio directè ex sua institutione ordinatur non solùm neque præcipuè ad rem remissionem pœnę, sicut satisfactio; sed ad remissionem culpæ: Et hoc enim habet quod sit de necessitate salutis, quia ad remissionem culpæ operatur, quæst. 6. ar. 1. ad 1. Vide, quæ illic ad 4. notavimus.

Ac nihilominus ille debet confiteri cui culpa fuit per contritionem remissa; partim quia non potest sciri fueritne Contritio perfecta, an non; partim quia in Contritione includitur votum confitendi; & de confitendo est divinum præceptum.

Arti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS III.

*Quatenus parva contritio sufficiat.*

ART. 3. docet contritionem parvam modò sit vera, sufficere ad deletionem magnorum peccatorum: cum Sacramento quidem, quia quælibet contritio est legitima dispositio ad Sacramentum, sacramentique effectum. Si autem à Sacramento Pœnitentiæ sit separata, sed tamen cum ejus voto; non est sufficiens delere peccata, nisi conjuncta sit magnæ charitati actuali.

## QUÆSTIO VI.

## *De Confessione.*

ARTICULUS I.

### *Vtrùm confessio sit necessaria ad salutem.*

NEGANT sectarij, PRIMÒ, quia nullum ejus præceptum habetur Joannis 20. aut alibi.

SECUNDÒ, quia peccatorum cognitio potest à sacerdote haberi aliter, quàm per Confessionem peccatoris: ut per alterius narrationem, per scriptum &c.

TERTIÒ, Ecclesia non judicat de occultis; ut etiam testatur Concilium Tridentinum sess. 24. c. 1. reform. ergo peccata occulta non necessariò sunt Ecclesiæ ministro detegenda per confessionem.

QUARTÒ, particularis enarratio peccatorum est impossibilis: *delicta enim quis intelligit?* Psal. 18. ergo non est à Deo præcepta.

QUINTÒ, Ante Concilium Lateranense sub Innocentio 3. habitum, nulla erat lex de confessione peccatorum apud sacerdotem facienda: ut ex cap. *omnis utriusque sexûs*, probare conantur: ergo Christiani non tenentur ad illam, saltem jure divino.

SEXTÒ, Pœnitentiarius presbyter fuit à Nectario sublatus, & concessum ut unusquisque communicaret secundùm suam conscientiam: ut ex Socrate, Sozomeno, & alijs historicis patet.

SEPTIMÒ, Varia opponuntur loca Sanctorum Patrum, Chrysostomi ex hom. 2. in Psal. 50. homilia 4. de Lazaro, 31. super epi. ad Hebræos &c. Bedæ lib. 5. & Ambrosij l. 10. in Lucam: Prosperi lib. 2. de vita contemplativa cap. 7. Gratiani de Pœnitentia d. 1. Theodori Cantuariensis in suo Pœnitentiali, citato per Gratianum.

*Confessio est relapsis necessaria.*

RESPONSIO ad fidem pertinens, definita in Concilij Tridentini sess. 6. can. 29. & sess. 14. c. 5. can. 6. 7. 8. 9. est, omnibus qui post Baptismum in mortale peccatum ceciderint, jure divino necessariam esse confessionem.

Probatur ex verbis & facto Christi, quæ referuntur Joannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ubi tum ex mystico Christi facto, insufflatione scilicet; tum ex verbis ipsis, manifestum est, quod Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus collata illic fuerit peculiaris aliqua Spiritûs sancti gratia, non communis omnibus Christianis; potestas scilicet remittendi & retinendi peccata. Neque enim dictum est omnibus, *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis* &c. Aut, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

Ac proinde non est ibi sermo de potestate quâ unusquisque potest ac debet condonare peccata fratris in ipsum peccantis: nam illa condonatio non est actus potestatis ejus, ad quam pertineat etiam retinere: nec extenditur ad alia peccata quam quæ in nos commissa fuerint.

Neque etiam est sermo de potestate, qua unusquisque tenetur corripere fratrem delinquentem: talis enim correptio, nec est remissio peccati, nec specialis alicujus potestatis actus, sed misericordiæ & charitatis, conveniens etiam infimo Christiano.

Sed neque vel de remissione quæ fit in Baptismo, vel de prædicatione quâ credentibus annuntietur peccatorum remissio, incredulis autem retentio, possunt verba Salvatoris intelligi.

*Primò*, quia potestas remittendi & retinendi peccata est judiciaria: Ministerium autem Baptismi non est judicare, *cum Ecclesia in neminem judicium exerceat*, ait Synod. Trident. sess. 14. cap. 2. *qui non prius in ipsum per Baptismi januam fuerit ingressus.*

*Secundò*, quia est potestas clavium, ad ligandum & solvendum promissa Matth. 18. usus autem clavium est tantùm in baptizatos.

*Tertiò*, quia remittere & retinere, longè aliud est quàm annuntiare.

*Quartò*, alioquin oportebat Dominum dixisse, Quorum remiseritis peccata, remissa erant, seu potiùs non dixisset, quorum remiseritis, cum juxta hanc sectariorum hictionem, sacerdotes non remittant peccata, sed remissionem à Christo factam annuntient; quemadmodum nuncius aut præco, etiamsi veniam à judice factam annuntiet, non tamen ipse est qui reo condonat.

*Denique*, nec Petro datæ sunt claves, si non potestas judiciaria, sed munus præconis ei datum sit.

*Data est à Christo peculiaris potestas Apostolis.*

FATENDUM igitur est Apostolis & sacerdotibus datam verbis Christi, quæ Joan. 20. referuntur potestatem peculiarem, remittendi scilicet & retinendi peccata; ac proinde illos esse constitutos judices illorum qui à Baptismo deliquerint mortaliter. Atque *constat eos non posse judicium hoc exercere, incognitâ causâ, neque æquitatem servare posse si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim peccatores eis peccata sua declarent*: ergo voluit Christus Dominus confessionem à pœnitentibus fieri singulorum peccatorum mortalium, quorum post diligentem sui discussionem habent conscientiam.

Neque dici potest, Sacerdotes quidem esse constitutos judices pro illis, qui voluerint se illis subjicere, sed non propterea obligari fideles, ut ad eorum tribunal accedant. Nam, quoniam causæ pœnitentium non sunt hominis cum homine, sed hominis cum Deo; terminari non possunt nisi judicio ejus quem Deus vicarium suum constituit ad judicandum. Sicut, cùm Rex constituit in civitate judicem ad componendas controversias quas habent subditi non inter se, sed cum ipso Rege; non possunt illæ componi, nisi per istum judicem. Quamvis enim Rex non ademerit sibi potestatem aliter componendi, vult tamen ordinarium compositionis modum esse istum.

CONFIRMATUR, Si voluntas Christi non esset, lapsos à Baptismo confiteri peccata sua Sacerdotibus: *frustra* dedisset illis potestatem absolvendi: quis enim nisi Deo jubente, sua eis peccata exponeret? *frustra* dedisset claves regni cœlorum, sicut frustra darentur alicui claves, si alia non minus



minus facili via pateret introitus. *Frustra* dedisset potestatem non solùm solvendi & remittendi, sed etiam ligandi & retinendi, falsumque esset illud, *Quorum retinueritis, retenta sunt*; quandoquidem quod esset ab eis ligatum & retentum, posset citra eorum authoritatem, & quidem facilioribus medijs, solvi ac remitti.

RETINERE autem dicuntur, si absolutionis beneficium negant; *ligare*, si novum vinculum apponunt. Huc pertinet illud Augustini hom. 49. inter quinquaginta *agit pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia. Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causâ dictum est, Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo? ergo sine causâ sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi? &c.* Et B. Thomas opusculo 17. aliàs 22. capite 5. *Sacerdos tanquam minister a peccato solvit, Sacramentum gratiæ apponendo, & ligat non apponendo præter hoc quod ligat ad pœnam quam injungit.*

Aliæ Scripturæ sunt 2. ad Cor. 5. ubi agitur de ministerio reconciliationis commisso Apostolis: Jacobi 5. *Confitemini alterutrùm peccata vestra.* Act. 16. *Multi credentium veniebant confitentes & annũtiantes actus suos*: 1. Joan. 5. *Si confiteamur peccata nostra.* Verùm ut probabiliter hinc aliquid possit colligi, pro confessione sacramentali; non potest tamen efficaciter concludi ex tribus postremis. Verborum enim Jac. 5. expositio de sacramentali confessione, est solùm probabilis secundùm ea quæ dicuntur ar. 6. Quæ Act. 19. leguntur, de illorum qui necdum erant baptizati confessione, valdè probabiliter intelliguntur: ut credentes qui illic nominantur, ij accipiantur qui fidem à Deo datam habebant, ante Baptismum: sicut c. 8. v. 12. c. 11. v. 21. quomodo & Discipuli quidam vocantur initio c. 10. nondum baptizati. Quæ 1. Joan. 1. scribuntur, possunt de confessione generaliter accipi, sive de illa quæ fit coram Deo, sive de ea quæ coram Sacerdote. An ex primo loco, qui est 2. ad Cor. 5. possit efficaciùs concludi, meritò dubitaveris. Nam Estius interpretatur datum esse Apostolis ministerium reconciliationis hominibus annunciandæ, reconciliationis inquam, quam Christus suâ Passione paravit. Hæc idcircò monui, ut cõtra hæreticos, nõ ittis, sed firmioribus argumẽtis uti meminerit, qui adversus eos disputationem suscipit. Vide Commen. Barthol. Petri ad c. 19. act. v. 18.

Ad hujus ejusdem Catholicæ doctrinæ confirmationem adduci possent authoritates Patrum: Dionysij epistola ad Demophilum, Clementis Romani epist. 1. Fabiani apud Euseb. l. 6. c. 27. Origenis hom. 2. in Levit. & hom. 2. in Psal. 38. Tertulliani l. de Pœnit. Cypriani in serm. de lapsis, Ambrosij l. 2. de Pœnit. Chrysostomi l. 2. & 3. de Sacerdotio, Augustini, Bernardi, Leonis: sed videri possunt apud alios citatæ, vel etiam in ipsismet fontibus.

AD 1. patet Responsio ex dictis, negandum scil. esse quod assumitur.

AD 2. etsi peccatorum quorundam cognitionem possit habere Sacerdos, absque peccatoris confessione, non potest tamen omnium, eorum maximè quæ sola cogitatione sunt commissa: uti nec intentionis, ignorantiæ, perfectionis vel imperfectionis actuum, & aliarum circumstantiarum: itemque nec doloris & propositi vitæ mutandæ in melius.

De confessione per scriptum dicemus a. 3. q. 9.

AD 3. Cùm judicio discussionis & absolutionis Ecclesiæ non judicet de occultis: ideò quæ talia sunt debent ejus ministro patefieri, ut de illis judicare possit, cùm nulla peccata mortalia, etiamsi occultissima, remitti possint relapsis, nisi in tribunali Ecclesiæ.

AD 4. Respondet Syn. Trid. ss. 14. c. 5. *Impium esse confessionem, qualis in Ecclesia exigitur, dicere impossibilem, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum Deum suũ mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.*

AD 5. Resp. eadem Syn. *Ecclesiam non statuisse, per Conc. Lateranense, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Itaque constitutio Lateranensis non aliud est quam determinatio temporis, quo præceptũ confessionis sit implendũ.

Neque tamen putandum est nullam antea legem Ecclesiasticam fuisse, confessionis per annos singulos faciendæ: Cùm enim omnes Christiani communicare deberent quotannis, secundùm ea quæ dixit B. Th. 3. p. q. 80. ar. 10. ad 5. illis autem qui mortalis culpæ conscij essent, nunquam licuerit communicare, nisi confessis; consequens est Ecclesiastica lege obligatos eos fuisse ad confessionem; si conferatur c. 7. sess. 13. Conc. Trid. Ac proinde licet hoc decretum Lateranense, fortasse novum sit quatenus ad eos etiam extenditur, qui sive per ætatem, sive per morbum, sive per aliud excusantur à communione, respectu tamen eorum qui communicare possunt ac debent, non tam videtur novum, quam renovatum, & severius quam antea imperatum.

*De pœnitentiario sublato per Nectarium.*

AD 6. post excitatam hæresim Novati, qui negabat lapsos à Baptismo posse reconciliari per ministerium sacerdotum: cum Episcopi quidam indiscretius se illi opponentes, passim absque condigna pœnitentia lapsos reciperent (contra quos agit Cypr. in l. de lapsis:) Alij ad veteres canones pœnitentiales, aliquid addiderunt; scilicet ut qui post Baptismum publicè lapsi essent, non admitterentur ad Sacram Communionem, nisi prius Presbytero ad hoc deputato omnia sua peccata essent confessi; ad cujus deinde arbitrium, quæ ex illis publica erant, agnovissent coram tota multitudine; vel per Sacerdotem illa de pœnitentium consensu declarantem; vel potius, per seipsos; palam ea publicantes, & publicam pro illis agentes pœnitentiam; peccatis occultis planè celatis, & apud Sacerdotem sub secreto manentibus. Is Presbyter vocabatur *Pœnitentiarius*, cò quòd ejusmodi publicè pœnitentibus esset destinatus: nam apud veteres soli illi, qui publicam pœnitentiam agerent, simpliciter & absolutè *pœnitentes* vocabantur.

Quod non juberet omnia peccata publicari; patet ex Sozomeno l. 7. c. 16. dicente Presbyterum aliquem *secretorum tenacem ac sapientem huic officio esse præfectum*; cui consentit Nicephorus l. 12. c. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quod potius pœnitens publicaret quam Sacerdos; videtur ex Socrate collegi lib. 5. c. 19. qui affirmat peccatum diaconi fuisse manifestatum per hoc quod mulier longius in confitendo progressa, seipsam fornicationis cum eo admissæ insimulaverit. Ex quo, cum grave in Ecclesia Constantinopolitana scandalum esset exortum; Nectarius presbyterum illum pœnitentiarium sustulit, ut nullus deinceps cogeretur ullum suum peccatum publicè confiteri; sed eodem loco essent res eorum qui peccavissent, quo fuerant ante prædictam ad canones additionem; scilicet ut accepta privata pœnitentia à quocunque presbytero jurisdictionem habente (quales erant multi, ut ex verbis Serapionis apud Eusebium l. 6. c. 36. patet) ad communionem accederent, secundùm suam conscientiam confessario secretè manifestatam, absque eo quod alius esset adeundus pro publica quorundam peccatorum confessione: Unde patet quod Nectarius non abrogavit confessionem sacramentalem, sed certum canonem, seu canonis accessionem publicamque confessionem.

Quanquam, ut videre est apud Baronium, ad annum Domini 56. non desint qui Socratem & Sozomenum tanquam Novatianos, putent ista de Nectario attulisse.

AD POSTREMUM, Chrys. neq; negat confessionem esse presbytero faciendam, neq; dicit sufficere quod fiat soli Deo: nam l. 3. de sacerdotio, *Nostris* (inquit) *Sacerdotibus non corporis lepram; verum animæ sordes; non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Et postea, *Neque solum nos regenerant, sed post ea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Et. l. 2. *Qui laborant Christiani, ultro sibi persuadeant Sacerdotum curationibus sese submittere oportere.*

Volens ergo tueri factum prædecessoris sui Nectarij, dehortatur populum à confessione publica, *Non tibi dico* (inquit hom. 31. super epistolam ad Hebr.) *ut te prodas in publicum, neque ut apud alios accuses.* Et cum ait, esse Deo confitendum, non excludit ejus vicarium, sed homines æqualis conditionis, quos conservos nominat, quique possent audita crimina exprobare.

Cùm verò dicit, *Si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua*; non loquitur de concessione, quæ semel fiat reconciliationis accipiendæ causa; sed hortatur ut peccata, licet confessa & absoluta, sæpius in memoriam revocentur, cùm eorum detestatione, ad pleniorem expiationem.

Beda, Prosper, & Ambros. loquuntur etiam de publicâ pœnitentiâ.

Quid Gratianus senserit, qui non videtur fixam hâc de re sententiam habuisse (nam in fine c. *Quâvis*, relinquit judicio lectoris cui parti sit adhærendum) non laboramus: quia Ecclesiæ authoritas & usus perpetuus debet nobis satisfacere, etiamsi non haberemus aliud documentum.

Theod. à Gratiano citatus, in hæc verba, *Quidam solummodo Deo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci: quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percent, ut tota ferè Ecclesia*, nihil ab Ecclesia diversum sentit. Istæ enim particulæ, *ut Græci, ut tota ferè Ecclesia*, Gratiani sunt, non Theodori, ut patet tum ex Notatione Gregorian. tum ex Conc. Cabilonensi 2. c. 23. quod ex Theodoro prædictam sententiam refert sine istis additamentis. Unde apud Theodorum sequitur, *Quod utrumque*, scil. & Deo, & Sacerdotibus confiteri, *non sine magno fructu intra sanctam sit Ecclesiam.*

Apud Burcardum l. 19. c. 145. & apud Ivonem p. 15. c. 155. ita legitur; Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata; ut Græci: quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent, *ut tota sancta Ecclesia.* Quis autem dubitare queat sequendam esse totam sanctam Ecclesiam, potius quam Græcos schismaticos vel hæreticos, cujusmodi sunt si qui Græcorum à tota sancta Ecclesia diversi, diversum sentiunt?

## QUÆRI I. POTEST.

## *Quâ necessitate confessio sit necessaria.*

DE necessitate præcepti non potest esse dubium consideratis ijs quæ jam ad art. istum attulimus. Illo autem supposito, dicendum est quod necessaria sit in re vel in voto, etiam necessitate medij: quia non est aliud remedium consequendi veniam peccatorum mortalium à Baptismo commissorum, quàm per confessionem sacramentalem re vel voto factam: quod votum interdum sufficere, etsi solùm sit implicitum, ex ijs quæ diximus art. 5. q. 84. in 3. p. colligendum relinquitur.

Dixi, illo supposito; & addidi, in re vel in voto; quia simpliciter & præveniendo divinum præceptum; confessio non est necessaria necessitate medij, uti nec præcepti: At divino præcepto supposito, etsi non sit necessaria in re necessitate medij (cum & remissio peccatorum & salus possit aliquando obtineri sine confessione realiter facta;) est tamen necessaria necessitate præcepti.

*Non est necessaria absolutè necessitate medij sed tantum supposito præcepto*

Si autem confessio consideretur in re vel in voto; sic demum necessaria est relapsis necessitate medij; juxta illud Syn. Trid. sess. 14. c. 2. *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Quibus conformia scripsit B. Tho. tum hoc art. tum 3. p. q. 65. art. 4.

Quod à quibusdam quæritur, utrùm si Christus instituisset quidem Sacramentum Pœnitentiæ, sed non præcepisset, posset Ecclesia illud præcipere: non videtur dubitandum. Cùm enim ipsa acceperit à Christo summam potestatem leges ferendi, potest præcipere illa quæ maximas habent utilitates, & consentanea sunt fini institutionis Sacramentorum. Unde in Synodis harum Ecclesiarum, susceptu ris Sacramenta Confirmationis & Extremæ unctionis, Episcopi præcipiunt confessionem, etiamsi (ut probabile est) non sit jure divino necessaria. Benedictinis confessio menstrua in præcepto est; Sacerdotibus hebdomadaria, in Synod. Audomarensi tit. 6. c. 3.

Fundamentum autem aliter opinantium, scil. quod Ecclesia non habet potestatem in actus internos, falsum est: cùm exempli causa, in varijs locis Conc. Trid. prohibeat omnibus sub anathemate, ne aliter credant quam ipsa ibi statuerit; nec rarò Prælati suis subditis præcipiant meditationes, orationes mentales, attentiones ad Deum &c. Vide quæ diximus 2. 2. q. 104. art. 5.

Deinde, Confessio sacramentalis est actus exterior, à Christo institutus ut pars materialis Sacramenti.

QUÆ-



*est de necessitate salutis; ita & Pœnitentia Sacramentum.* Ex quo deinde concludit; *& ideò confessio est de necessitate salutis ejus qui in peccatum actuale mortale recidit.* Quo etiam modo loquitur in resp. ad 1. Ubi insuper docet majoris efficaciæ esse illam satisfactionem, quæ est sacramentalis, quàm quæ sponte assumitur.

## QUÆRITUR II.

## *Vtrùm confessio debeat fieri secretè.*

CONFESSIONEM esse faciendam, juris divini est: ut autem fiat secretò, vel publicè, Christus non præcepit. Unde Conc. Trid. sess. 14. c. 5. *Etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulitè humana aliqua lege præciperetur.* Secreta igitur confessio, à Patribus semper commendata, & perpetuo Ecclesiæ usu recepta, omninò est retinenda.

*Non omnino necesse est quod fiat secretè valde tamen expedit.*

Neque ex eo quod ibidem & can. 6. definitur modus secretè confitendi soli Sacerdoti, non esse alienus ab institutione & mandato Christi; sequitur Patres Concilij sensisse quod modum illum Christus præceperit. Si enim præcepisset, consequenter vetuisset confessionem publicè fieri: quòd verbis præcedentibus apertè negant; sed tantùm volunt hunc modum non esse contrarium aut dissentaneum institutioni & mandato Christi; quin potius maximè cum eo congruere. *Primò*, quia lex naturæ quam lex Christi non destruit, jubet ne quis seipsum infamet: ergo confessio peccatorum à Christo præcepta, eo modo facienda est, ut juxta præscriptum legis naturæ maneant apud alios occulta. *Secundò*, quia publicatio peccatorum non satis convenit cum proprio effectu Sacramenti Pœnitentiæ, qui est ea tegere & abolere. *Tertiò*, quia alioquin jugum Christi non suave, sed onerosum valdè esset. Eodem pertinent quæ habent S. Leo epist. 80. Hieron. in c. 16. Matthæi, Basilius in reg. brevioribus, q. 288. Paulinus de Ambrosio in ejus vitâ; & quæ de sigillo confessionis solent adferri.

Porrò, cùm Synod. Trid. non solùm condemnet eos qui asserunt modum secretè confitendi alienum esse ab institutione & mandato Christi; sed etiam illos qui dixerunt inventum esse humanum: consequens videtur quod Christus, etsi non præceperit modum secretè confitendi; de illo tamen Apostolos instruxerit. tum scil. quando *per dies quadraginta apparens loquebatur eis de regno Dei*, Act. 1. id est, de illis quæ ad Ecclesiam, ejusque gubernationem pertinent.

Resp. ad 3. consistit in eo quod Christus potuerit remittere peccata sine Sacramento, eò quod haberet potestatem excellentiæ. Addi potest, Sacramentum Pœnitentiæ nondum fuisse institutum, quando Paralytico, Magdalenæ, & Petro peccata remisit. Paulo autem remissa fuerunt vel per contritionem, vel per Baptismum, ut indicant verba Ananiæ ad ipsum Act. 22. *Exurge, & baptizare, & abluere peccata tua.*

Pro Resp. ad 4. dicendum, confessionem requiri non solum ut pœna peccato proportionata infligatur; sed potissimum propter delectionem culpæ; ut patet ex ijs quæ superius allata sunt. Quibus omninò consentanea scribit Author, sive 3. p. qu. 65. a. 4. dicens Sacramentum Pœnitentiæ esse necessarium sine quo non potest haberi salus, supposito peccato mortali post Baptismum: sive hoc art. ita loquens: *Illa Sacramenta quæ ordinantur contra culpam, cum quâ salus esse non potest, sunt de necessitate salutis; & ideo sicut Baptismus quo deletur originale, Sylv. in III. Part.*

## ARTICULUS II.

## *Vtrum confessio sit de jure naturali.*

TRIPLEX in Scripturis confessio memoratur ut tradit S. Doctor secunda secundæ. q. 3. art. 1. ad 1. *Triplex confessio.*

UNA fidei, de qua dicitur ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

SECUNDA, laudis & gratiarum actionis; de qua Christus Matth. 11. *Confiteor tibi Pater.*

TERTIA, peccatorum, quâ quis agnoscit & loquitur peccata sua, vel soli Deo per locutionem cordis, vel etiam homini per manifestationem alicujus signi exterioris. Quæ homini fit, una non est Sacramentalis; alia est. Sacramentalis fit soli Sacerdoti, ad veniam per ejus absolutionem obtinendam. Alia verò fit, vel judici, pro justitiâ; vel fratri ad redeundum cum eo in gratiam; vel Sacerdoti legali oblaturo sacrificium in ejus remissionem; vel viro docto ac sapienti qui possit peccatorem instruere. Atque uno ex his modis intelligi posse videntur loca Prov. 28. Ecclesiastici 4. Matth. 3. Quibus præmissis.

RESPONDENDUM EST cum Authore, peccatorum confessionem coram Deo esse juris naturalis: coram Sacerdote autem, prout fieri debet in Sacramento Pœnitentiæ, ESSE JURIS POSITIVI DIVINI, non autem naturalis. *Confessio Sacramentalis non est de jure naturali.*

PRIOR PARS patet, quia recta ratio dictat quod unusquisque debet agnoscere, ac dolere peccatum suum coram Deo. Hinc Psalmista, *Iniquitatem meam ego cognosco.* Ps. 50. & Isaias c. 43. apud 70. *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Sed & Patres Tridentini ad hominis justificationem hoc in primis requirunt sessione sextâ, capite sexto, *ut peccatorem se agnoscat*: sessione autem 14. cap. primo & 4. definiunt Pœnitentiam fuisse *quovis tempore necessariam*: non est autem vera Pœnitentia sine hujusmodi confessione apud Deum, Neque satis est quod aliquis in genere peccatorem se agnoscat, sed singula peccata coram Deo confitenda sunt, ut de contritione dictum fuit, quæstione 2. art. 6. certa ut certa; dubia, sicut art. 4. ad 3. exponimus.

POSTERIOR PARS, tum ex institutione confessionis, quæ refertur Joan. 20. tum ex eo quod ante Christum non astringerentur homines ad particularem singulorum peccatorum confessionem, manifesta est: Quæ enim sunt juris naturalis, omni tempore obligant.

Circa Responsionem ad 2. adverte, quod licet ex præcepto Levitici 4. & 5. necessaria fuerit in lege veteri quorundam peccatorum specialis confessio: non apparet tamen fuisse necessariam singulorum; & præsertim internorum, cum suis circumstantijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS III.

*Utrùm omnes ad Confessionem teneantur ?*

VIDETUR quod sic, PRIMÒ, quia præcepta divina obligant omnes.

SECUNDÒ, Ex verbis Domini, Joannis 20. colligitur confessio mortalium esse necessaria; ergo & venialium. Scriptura enim est communis omnibus peccatis.

*Omnes relapsi tenentur ad confessionem.*

RESPONSIO certa est, Omnes & solos eos teneri jure divino ad confessionem, qui post Baptismum aliquod mortale peccatum admiserunt. Sola enim & omnia hujusmodi peccata sunt hujus Sacramenti materia necessaria: ut articulo secundo quæstione 84. fuit ostensum in 3. parte sub quibus continetur etiam peccatum illius, qui fictus Baptismum suscepisset; ut diximus quæstione 69. art. 10. ejusdem 3. p.

AD 1. ergo ARGUM. RESP. præcepta divina obligare omnes eos qui capaces sunt præcepti, & habent materiam necessariam circa quam illud versatur; non alios: Ac proinde, nec pueri ante usum rationis, nec infideles ante Baptismum obligantur præcepto confessionis.

Ad 2. Sententia Domini, *Quorum remiseritis* &c. principaliter intelligitur de peccatis à regno cœlorum excludentibus; Datur enim per eam potestas clavium, ad illud aperiendum: ut patet ex promissione facta Matt. 18. Cùm ergo venialia, quamvis ad tempus impediant ingressum regni cœlorum, non tamen illud claudant, vel ab eo simpliciter excludant; non potest similiter colligi necessitas ea confitendi, sicut mortalia. Unde illud, *Quorum retinueritis, retenta sunt*; in venialibus locũ non habet, etsi enim sacerdos confitentem venialia forte non absolvat, propter ejus indispositionem; non propterea tamen ea simpliciter retinet, cum possint multis alijs modis, ijsque sine confessione sufficientibus, remitti: ut patet ex Concilio Tridentino sess. 14. capite quinto. Cæterum, quia qui potest tollere majus impedimentum, potest etiam tollere minus ejusdem ordinis: hinc sequitur eum qui potest remittere peccata mortalia, habere potestatem etiam remittendi venialia. Nec tamen est par ratio de actu retinendi; quia is minor esse debet circa minores injurias.

Porrò, cum dubium non sit, quin venialia confiteri sit utilissimum, etiam illi qui mortalis alicujus non est sibi conscius;

omnia quorum habetur memoria post aliquod examen.

*Qui non habet peccat. mort. non tenetur confiteri.*

RESPONSIO communior & vera, est, cum qui per totum annum, vel etiam per totam vitam nullius peccati mortalis esset conscius; non teneri ad confessionem, nisi fortè ob scandalum vel particulare statutum suæ religionis vel communitatis: quia præceptum Ecclesiæ solùm est determinatio divini; divinum autem non exigit confessionem venialium.

Deinde, pœna quæ decernitur infligenda violanti præceptum confessionis, gravior est quàm ut pro omissione confessionis venialium infligatur; scilicet arceri ab ingressu Ecclesiæ, & privari sepultura Ecclesiastica. Deberet nihilominus qui ejusmodi esset, pastori suo se repræsentare, & hoc ipsum ei exponere: ut tradit B. Thomas hìc ad 3. ubi (sicut & quæstio. 8. art. 5. ad 4.) in partem quæstionis negativam satis inclinat; etiamsi aliud videatur sentire in corpore.

AD 1. ergo ARGUMENTUM Negatur consequentia; quia canon loquitur de illis qui habent materiam necessariam confessionis.

AD 2. Alijs modis potest etiam cognosci status hominis, & haberi devotio ad Sacramentum.

AD 3. RESP. examen illud non esse necessarium de peccatis venialibus.

QUÆRITUR II.

*An Ecclesia præcipere posit Confessionem venialium, certis temporibus faciendam ?*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia Ecclesia non potest facere ut illud sit materia necessaria Sacramenti, quod jure divino non est talis materia.

SECUNDÒ, non potest præcipere confessionem eorum quæ fuerunt aliquando confessa; ergo nec venialium.

*Resp. posse.*

RESP. Pars affirmativa, quam B. Thom. hic supponit, tenenda est.

PRIMÒ, quia illius præcepti potest esse causa rationabilis, nec deest in præcipiente legitima potestas.

SECUNDÒ, confessio venialium est actus non minùs utilis, quàm jejunium & oratio.

TERTIÒ, quia potest præcipere Confirmationem & Eucharistiam, etiam illo tempore quo jus divinum ad ea non obligat. Hinc religiosi per Clementinam, *Ne in agro*, tit. de statu monachorum, debent singulis mensibus confiteri, sive habeant peccata mortalia, sive non. Contravenientes tamen non peccaturos mortaliter, probabile est; quia non constat Clementinam illam continere præceptum proprij nominis, & non potiùs constitutionem monasticam, admonentem quid eos facere conveniat. Unde Concil. Trident. pro sanctimonialibus, ad eam respiciens, sess. 25. cap. 10. statuit *ut admoneantur*; nihil dicens de præcepto.

Porrò, sicut ex causis posset Ecclesia præcipere alicujus certi generis venialia confiteri ac omninò confessionem, etiam illis qui non essent conscij peccati mortalis; ita posset sub peccato mortali ad id obligare: quia licet venialia sint per se materia levis, confessio tamen illorum est tam gravis, quam sit lectio horarum, & similia. Omnium verò venialium



lium confessionem præcipere, probabile est quod non possit, non quia non subsint potestati Ecclesiasticæ, sed quia non esset rationabile tam graviter onerare populum fidelem.

AD 1. ARG. RESP. Id quod non est necessarium necessitate Sacramenti, posse per Ecclesiam fieri necessarium necessitate præcepti: ut constat de pane azymo. Neque verò per hujusmodi præceptum, peccata venialia fierent materia Sacramenti necessaria: cùm & sine illis Sacramentum subsisteret, & alia remedia quibus obtineri potest eorum remissio, non excluderentur.

Si dicas, finem hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum: Resp. præter eum qui primarius est, posse alios occurrere, cujusmodi sunt major conscientiæ securitas & puritas, cultus Dei, impetratio alicujus beneficij divini, adimpletio præcepti.

AD 2. Neg. potest Conf. Quilibet enim semper habet materiam sufficientem Sacramenti Pœnitentiæ, absque peccatis aliquando confessis: non item absque venialibus.

Insuper autem Resp. non constare quod Ecclesia non possit justis ex causis præcipere confessionem generalem, vel omnium, vel aliquorum peccatorum antea confessorum: imò putamus probabile quod possit, ut fit in quibusdam religionibus.

QUÆRITUR III.

*Utrùm pueri obligentur præcepto Confessionis.*

SIVE intelligatur de divino, sive de Ecclesiastico, certum est eos teneri, *cum ad annos discretionis pervenerint*, si mortale peccatum habeant. Nam & eis remedium hoc necessarium est, & verba canonis ipsos comprehendunt. Quò autem tempore ad annos illos perveniant, non potest mathematicè definiri, sed relinquendum est judicio prudentum pastorum & parentum: qui si viderint eos discernere bonum & malum, pudefieri de mendacio, laudare obedientiam; eos ratione uti concludent, quemcumque annum ætatis attigerint. Existimare enim quod non peccent mortaliter ante decimum, error est cùm constet eos multò antè esse doli capaces, & habere discretionem boni & mali. Unde B. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 18. refert puerum quinquennem mortuum & damnatum propter blasphemias, in quibus diu vixerat. Et Joannes Gerson parte 2. tract. de arte audiendi confessiones, experientia se dedicisse affirmat, ejusmodi ætatis pueros fuisse inquinatos peccatis carnalibus.

*Resp. quod sic, dum habent usum rationis.*

Porrò, sicut in alijs citius, in alijs tardiùs incipit judicium rationis: ita in quibusdam rebus illud habent prius, in alijs posteriùs; ideoque non statim ubi admittuntur ad confessionem, admittendi sunt etiam ad communionem; etiamsi utrumque præceptum obliget omnes qui ad annos discretionis pervenerunt: quia prius habent judicium discernendi peccata, quam noverint Sacramenti Eucharistiæ mysterium, & possint cibum sacrum à profano discernere.

Pœna tamen quam vel statutum generale minatur, vel particularia quorundam locorum ferunt in non confitentes semel in anno; non videtur extendi ad pueros duodecimum ætatis annum non egressos, ut tradit Dominicus in 4. d. 18. qu. 1. art. 3. quia non est verisimile quod Prælati eos intendant comprehendere. Putare tamen eos nullam censuram posse incurrere, non satis convenit cum Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. ubi excommunicantur omnes cujuscumque sexus vel ætatis fuerint, qui septa monialium ingrediuntur sine licentia in scriptis obtenta.

Quod

QUÆRITUR IV.

*An Summus Pontifex obligetur præcepto confessionis annuæ.*

*Resp. obligari.*

PENDET ex ijs quæ 1. 2. qu. 69. art. 5. dicuntur ubi docetur ipsum Legislatorem suis legibus teneri, quando versantur in ea materia, quæ ejusdem aut majoris rationis est in eo & in subditis: Nam & ipse pars est Reipublicæ, cui lex posita est. Unde Covarr. in cap. *Alma mater*, affirmativam partem tuetur, eaque sine dubio verior est, secundùm ea quæ diximus isto art. 5. quæsito 2. tùm ad Concl. 4. tum ad 5. Quæri potest.

ARTICULUS IV.

*Non licet concium mentiri nunquam liceat; minimè id licet in fiteri confessione: in qua proinde mortaliter peccatur, pecc. si peccatum negatum aut falsò affirmatum sit mortale, ut tradunt Navarr. c. 21. num. 37. Victoria qu. 130. Tolet. lib. 3. cap. 9. quia hoc est decipere judicem in re gravi, & pertinente ad sententiam judicij, nisi fortè per ignorantiam, aut bonam fidem posset excusari.*

*cujus non haberi conscientia.*

ART. 4. docet nemini licere confiteri peccatum, cujus non habet conscientiam: quia

Si quis autem mentitur, negando peccatum mortale, quod aliàs legitimè est confessus; non videtur plusquam venialiter peccare: partim quia ejus sermo (nisi circumstantiæ aliud postulent) intelligendus videtur ab ultima confessione: partim quia tale peccatum non est materia necessaria Sacramenti. Vide Navarr. n. 38.

Si quis tamen diceret confessario se generalem omnium totius vitæ peccatorum confessionem facere: probabile est quod mortaliter peccaret, sponte reticendo unum mortale, quamvis antea confessum; quia sic agendo videretur mentiri in re magna: secus, si significet, se non omnium, sed quorundam præteritorum confessionem instituere: ut habet Victoria quæst. 166. Dico, *probabile est*; quoniam hæc sententia non est certa; cum Henriquez l. 2. de Pœnit. cap. 12. eumque secutus Diana Resol. 86. de Sacram. & Fagundez l. 3. de præcept. Eccl. cap. 3. oppositum non sine probabilitate tueantur, docentes quod qui confessario dixit se velle generalem totius vitæ confessionem facere, non peccet mortaliter, ei subticendo quædam mortalia prius legitimè confessa; quia licet mendacium aliquod interveniat, illud non est in re quæ per se pertineat ad forum hujus judicis. Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca



QUÆRITUR I.

*Vtrùm in confessione mentiri affirmando vel negando peccatum veniale sit solum veniale.*

ESSE mortale probatur, PRIMÒ, quia supponere formæ Sacramentali materiam falsam, est peccatum mortale: ut si quis pro pane triticeo supponat hordeaceum: hoc autem sit in proposito.

SECUNDÒ, forma est universalis respectu totius materiæ, in quam cadit, atque adeò hic redditur falsa: significatur enim absolutionem fieri à peccatis, quæ pœnitens non habet.

TERTIÒ, non est simplex mendacium, sed sacrilegium; cum cedat in injuriam Sacramenti.

QUARTÒ, omne mendacium etiam levissimum, si juramento confirmetur est peccatum mortale, propter injuriam quæ infertur nomini divino: ergo similiter omnis negatio veritatis in judicio.

*Resp. affir.* RESPONSIO communior, & ut apparet, verior est, ejusmodi mendacium esse solùm peccatum veniale: ut tradunt Sylvester verbo, *Confessio*, primo qu.8.Angelus qu. 6. & 7. Dominicus in 4. d.18. qu.2. ar. 4. Petrus Soto lect. 10. de Confessione: quia nec est perniciosum, nec graviter injuriosum; cùm sit in materia levi & non necessaria; sive interim pœnitens intendat veniale falsò affirmatum facere materiam absolutionis, sive non.

Una tamen est ab hac responsione exceptio: Nam, si aliquis non aliud confiteretur quàm venialia falsò affirmata; mortaliter peccaret; eò quod nullam daret absolutioni veram materiam, & sic faceret Sacramentum irritum.

AD 1. ARGUM. RESP. aliud esse in Sacramento Eucharistiæ, aliud in Pœnitentiæ. Nam in illo forma primò & per se, designat effectum circa materiam; ac proinde falsificatur, si materia falsa ei subjicitur: In isto autem, forma primò, & per se dirigitur ad personam, & significat remissionem peccatorum: qui effectus eum possit fieri, etiamsi aliquod peccatum veniale non sit jam remissibile, sive propter falsitatem, sive propter confitentis indispositionem; forma manet vera efficax.

Unde patet RESPONSIO AD 2. & 3. sacrilegium enim in materia levi, non est plusquam veniale peccatum.

AD 4. Neg. Conf. deformitas enim perjurij tota refunditur in Deum, qui adhibetur tanquam falsus testis, & author falsitatis: deformitas autem mendacij non item, sed partim in confitentem, partim in confessarium qui decipitur in re non necessaria ad sententiam judicij.

Circa Resp. ad 1. advertendum est quod Greg. c. 10. ad interrogationes Augustini Cantuariensis, dicens, *Bonarum mentium est etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est*; non vult earum officium designare, sed solùm quid soleant agere, q. d. Pij & timorati solent (in rebus scilicet obscurioribus) ibi aliquatenus putare culpam esse, ubi revera non est: ac proinde ut Joannes Gerson dixit, Signum est animæ in Deum propensæ, timere ne sit culpa, quod culpa non est.

In Resp. ad 2. est observandum quod justus ita debet humilia de se sentire, sive considerans peccata præterita, quæ certò habet sibi cognita, sive timens ne in his quæ videtur bene agere, gravius delinquat per superbiam: ut tamen de seipso nunquam mentiatur: Vera enim humilitas non est mendax. Videri possunt Aug. homil. 29. de verbis Apostoli, & Greg. lib. 26. Mor. cap. 2.

*De peccatis dubijs.* In Resp. ad 3. docet eum qui dubitat, sive de facto, hoc est, an fecerit illud mortale peccatum quod ei redit in memoriam; vel an sit confessus: sive de gravitate facti, hoc est, utrum id de quo memoriam habet, sit mortale, debere illud confiteri: quia alioquin committit se periculo omittendi aliquid necessarium, & sit mortaliter peccat. Eodem facit quod peccati dubij habetur conscientia: Synod. autem Trid. declaravit confitenda esse omnia peccata quorum quis habet conscientiam.

Cæterum, cum pœnitens talem se debeat narrare ore, qualis est in corde, peccata dubia de quibus scilicet dubitat, utrum ea fecerit, non debet confiteri ut certa, sed ut dubia: quanquam si confiteretur ut certa, agens bona fide & putans in esse magis securum; non peccaret mortaliter, juxta Cajetan. Verbo Confessio, & Victoria quæstione 130.

De quibus autem dubitat, sintne mortalia an venialia, ea simpliciter confitetur, judicium de illis relinquendo confessario, nisi confessarius sit ignarus: quo casu consulerem pœnitenti ut diceret se dubitare, an mortale an veniale sit hoc quod confitetur.

De quibus verò dubitat, an sit confessus, illa confiteri debet; addendo si velit, dubito an hoc antea fuerim confessus.

DICES: in dubio melior est conditio possidentis, ergo is qui dubitat non tenetur se accusare peccati cujus habeat dubium. RESP. Neg. Conseq. *Primò*, quia licet dubius sit de peccato, certus tamen est vel esse debet quod teneatur illud confiteri. *Secundò*, quia regula ista solum habet locum, quando manifestatio cederet in præjudicium alicujus: quod in confessione Sacramentali nullum est.

Quæ autem dicta sunt; de veris dubijs accipi debent, in quibus neque in unam, neque in alteram partem potest fieri resolutio. Nam qui sic hæsitaret, ut tamen probabiliter opinaretur vel se non commisisse id de quo angitur, vel non esse mortale, vel se aliàs fuisse confessum; non peccaret mortaliter illud non confitendo: quia potest sequi judicium probabile, vide Sylvest. verbo *Confessio* 2. quæst. 2.

Circa peccata porro dubia, duo adhuc veniunt observanda.

PRIUS quod qui confessus est aliquod peccatum mortale ut dubium, dicendo v.g. dubito utrum tale peccatum fecerim; si postea habeat notitiam certam vel probabile judicium quod fecerit, tenetur illud confiteri ut tale: quia peccatum explicandum est in confessione, prout est in conscientia pœnitentis: Sed in ejus conscientia est ut certum seu quasi certum; & ut tale non fuit confessum: ergo nunc est sic confitendum.

POSTERIUS, Quando pœnitens confessus est peccatum de quo vel ipse, vel confessarius, vel uterque dubitabat an esset mortale; si postea cognoscatur esse mortale, non est denuò confitendum, quia plenè fuit in confessione explicatum, nec occurrit nova circumstantia necessariò aperienda, neque necessarium est quod confessarius determinatè sciat hoc & illud peccatum quod in confessione audit; esse mortiferum. Si quis autem confiteatur peccatum putans se illud commisisse, & postea advertat vel etiam certò sciat quod non commiserit, non est necesse ipsum redire ad confessarium, vel aliquid de isto peccato loqui neque ante communionem, neque post: quia ipsius confessio fuit bona, nec aliquid novi accedit confitendum circa illud.



ARTICULUS V.

*Vtrùm aliquis teneatur statim confiteri.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia *Qui amat periculum, in illo peribit*, Ecclesiastici 3. Amat autem periculum, qui cum sit per peccatum obnoxius gehennæ, non statim conatur se per confessionem eripere.

SECUNDÒ, Filius qui patrem offendit, meritò accusatur negligentiæ, si non det operam, ut prima data oportunitate ipsi reconcilietur, ergo & peccator negligentiæ accusabitur, si habita oportunitate loci, temporis, & sacerdotis, non statim confiteatur.

*Resp. neg.* RESPONSIO B. Thomæ communiter recepta est, peccatorem non statim atque peccavit; teneri ad confessionem, idque non ex indulgentia Ecclesiæ, sed ex natura præcepti; quod cum sit affirmativum, non obligat ad semper faciendum id quod præcipit, sed statis temporibus; quando scilicet est aliqua necessitas.

CONFIRMATUR, quia Catechumeni non tenentur ad statim suscipiendum Baptismum; imo juxta veteres canones, qui certa tempora, videlicet paschæ & pentecostes, præscribebant, etiamsi vellent, non admittebantur ante illa. Sed & cum Ecclesia determinaverit tempus annuæ confessionis: satis insinuat non esse de jure divino, statim confiteri. Huc pertinent quæ de contritione diximus q.4. art.2.

AD 1. autem ARG. RESP. ordinariè non subesse periculum mortis, atque adeò remanere tempus vitandæ gehennæ, tum per contritionem, tum per confessionem.

AD 2. Etsi nonnulla sit negligentia salutis in casu posito, rectè tamen Petrus Soto lect. 5. docet rationabilem esse sententiam B. Thomæ, quod non statim habita oportunitate teneatur peccator ad confessionem, vi præcepti divini: Alioquin, ubi vel parvus est populus, vel multi sunt ac prompti confessarij, non satisfieret præcepto Christi, per confessionem annuam ab Ecclesia præceptam & determinatam: quod est contra mentem Ecclesiæ. Quæ cum ita sint:

QUÆRITUR I.

*Quando præceptum confessionis obliget ex jure divino.*

CONCLUSIO I.

*Per se obligat in periculo mortis. Differentia periculi & articuli mortis.* PER se & vi sua præceptum hoc divinum obligat in periculo, & multò magis in articulo mortis. Commune est enim omnibus præceptis affirmativis, ut obligent tempore necessitatis: cujusmodi est probabile mortis periculum.

Differunt autem periculum, & articulus mortis: quod illud sit, quando judicio viri prudentis, mors est verisimiliter metuenda, ut in quo homines frequenter moriuntur. Articulus autem, si propriè loquimur, est illud tempus quo quis reipsa & actualiter moritur. Verumtamen, quoad jura facientia cuilibet sacerdoti potestatem absolvendi quoslibet pœnitentes ab omnibus peccatis & censuris; ac similiter quoad necessitatem recipiendi Sacramenta; periculum & articulus sunt ejusdem rationis, ut observatum est à Navarro c. 27. num. 272. Hinc qui ingreditur prælium aut periculosam navigationem, mulier gravida quando instat tempus primi partus vel etiam ulteriorum, si soleat pati periculum, infirmus periculosè laborans; & similes qui aggrediuntur aliquid unde mors solet evenire; tenentur confiteri; si peccati mortalis conscij sint. Hujus obligationis ratione; *medicis* præceptum est ab Innoc. 3. cap. *Cum infirmitas* tit. *De pœnitentijs & remiss.* ut cum vocantur ad curandos ægrotos (illos scilicet qui ex morbo jacent, aut alioquin graviter laborant) priusquam curationem aggrediantur, eos moneant confessionis faciendæ. Quod præceptum quia videbatur consuetudine abrogatum, renovatum est à Pio V. in bulla, *Super gregem*; ubi etiam inhibet medicis visitare infirmum tertio die, si confessionem non faciat, nisi differret de consilio confessoris. Quæ tamen inhibito, videtur quibusdam intelligenda, quando ex desertione medici, non imminet ægroto probabile mortis periculum; vide Sylv. verbo *medicus* quæstione 3. Navar. capite 25. nu. 61.

*Pro medicis.*

Ex his sequitur, cum qui habet copiam confessarij, & est in eo statu in quo si nunc non confiteatur, probabiliter timet futurum, ut antè mortem non possit confiteri: sicut contingere potest imminente captivitate ab hæreticis, vel in similibus casibus; teneri ad tunc confitendum; quia alioquin exponit se periculo moriendi sine confessione.

CONCLUSIO II.

*Obligat quoque extrà periculum.* DIVINUM de confessione præceptum per se obligat, etiam ante periculum mortis, ut tradunt Victoria quæst. 132. Dominicus dist. 18. q. 1. ar. 4. Covarruvias in c. *Alma mater* parte 1. parag. 1. numero 6. Canus in relectio. de Pœnitentia. Præcepta enim affirmativa non solum obligant in extrema necessitate, sed etiam quando rationabiliter judicatur eorum actus esse necessarius. Unde qui differret actus fidei, spei, charitatis, aut cultus divini usque in periculum mortis; non satisfaceret præceptis divinis.

CONFIRMATUR, Confessio præcepta est, ut per eam reconciliemur Deo: atqui non licet reconciliationem tam diu differre; ergo. Minor probatur, Homo homini debet reconciliari ante periculum mortis, ergo multò magis Deo.

Accedit, quod alioquin Sacramentum Pœnitentiæ esset ex sua institutione Sacramentum exeuntium; quod tamen Extremæ unctionis proprium est.

Denique; non est verisimile fuisse intentionem Christi Sacramentum hoc maximè necessarium instituentis, obligare peccatores tantum semel in vita, scilicet in periculo mortis: Ac proinde credimus eum mortaliter peccaturum contra jus divinum, qui per annos plures differret confessionem, etiamsi non extaret præceptum Ecclesiasticum.

Quia tamen, stando in jure divino, difficulter assignari possunt tempora, quibus confessionis præceptum obliget ideo est observandum quod Christus aliqua præcepta generalia dederit sine determi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



minatione, relinquens Ecclesiæ determinandum, quando observari debeant. Ipsa enim ut ab illo accepit potestatem ferendi judicium de peccatis; ita & definiendi tempus quo hujusmodi judicium fieri deberet, pro diversitate temporum & causarum. Sicut ergo præceptum divinum Eucharistiæ determinavit, jubens ut circa pascha sumatur: ita determinavit tempus confessionis; præcipiens eam fieri *ut minimum semel in anno*, quod præceptum quoad temporis determinationem est juris Ecclesiastici: in reliquo autem continet jus divinum, cui sicut & Ecclesiastico, satisfit per confessionem annuam.

### Conclusio III.

*Non obligat in periculo oblivionis.*

Etsi quidam existiment confessionem tunc esse in præcepto, quando probabile est periculum oblivionis alicujus peccati vel peccatorum; contraria tamen sententia est secura, nobisque videtur probabilior; cum Navarro cap. 21. nu. 35. Victoria, Petro Soto, & aliis. Alioquin enim non posset regulariter differri confessio ad integrum annum; cum vix quisquam sit eorum qui confitentur tantum semel in anno qui non obliviscatur aliqua peccata. Deinde, modò quis det operam ut non affectet oblivionem peccatorum, sed tunc quando confitenda sunt, ea qua potest diligentia conetur omnia in memoriam revocare; censetur satisfacere præcepto Dei, Neque Conc. aut Florent, aut Trid. aliud requirit: ergo ad integritatem confessionis non est, ut alij putant, necessarium tunc confiteri, quando timetur aliquorum oblivio.

### Conclusio IV.

Jure divino necessaria est confessio illi qui est communicaturus, si sit conscius peccati mortalis, ut ostensum fuit 3. parte quæstione 70. ar. 4. Quia tamen confessio tunc non per se obligat, sed per accidens, ratione scilicet susceptionis sacramenti; ideo qui communicat non confessus, unum tantùm peccatum committere, diximus ibidem a. 5. Et quamvis aliorum Sacramentorum receptioni vel administrationi securiùs sit etiam confessionem præmittere; non videtur tamen id omnino necessarium; ut ejusdem partis q. 64. a. 6. probavimus.

### Conclusio V.

Ad confessionem tenetur quis ratione conscientiæ erroneæ, nisi illam deponat. Itemque ratione gravis tentationis, quâ videtur vincendus nisi confiteatur. Conferendus est artículus secundus, qu. 4.

## Quæritur II.

### *Quando præceptum confessionis obliget ex jure Ecclesiastico.*

*Semel in anno obligat.*

Indubie tenendum est fideles teneri ad confessionem, semel in anno faciendam, non per accidens solùm ratione communionis; sed per se, ac vi præcepti Ecclesiastici, quod extat in Conc. Later. sub his verbis; *Omnis utriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti.* Quæ verba non continere solam doctrinam aut consilium, probatur.

Primò, Quia patres istius Concilij vocant statutum: voluntque ut frequenter in Ecclesijs publicetur, ne quispiam ignorantiæ cæcitate, velamen excusationis assumat.

Secundò, Transgressoribus comminantur gravissimam pœnam, scilicet excommunicationis; cùm tamen ob omissum salutare consilium nemo puniatur, præsertim graviter. Neque responderi potest pœnam comminatam solùm pertinere ad omittentem communicare in paschà. Liquet enim ex contextu, eam pertinere, ad utriusvis præcepti transgressorem.

Tertiò, In praxi & doctrina communi vulgatissimum est, hoc esse unum ex quinque præceptis Ecclesiæ, semperque soliti sunt illi quos contra facere contigerit, confiteri se peccasse.

Denique, Conc. Trid ss. 14 can. 8. anathemate ferit eum *qui dixerit ad confessionem non teneri omnes & singulos utriusq; sexu Christi fideles, juxta magni Concilij Later. constitutionem, semel in anno.*

Si quis ergo ob causam rationabilem excusaretur à communione paschali; ut pueri, vel is qui timeret vomitum; non propterea excusaretur à confessione annua; & qui sine causâ utramque omitteret, hoc est & communionem in pascha, & confessionem in toto anno, duo distincta peccata committeret.

Neque verum est quod objici solet. Ecclesiam non posse cognoscere quinam statutum suum violant: scire enim potest, vel per testimonia pastorum, vel cogendo fideles ad docendum se esse confessos. Ac proinde optandum esset, fieri quod in Concilijs provincialibus Cameracensi & Mechilinien. decernitur, ut pastores Registrum faciant eorum qui in quadragesimâ confitentur; in quo etiam religiosi describi curent eos, quorum confessiones exceperunt.

## Quæritur III.

### *Pro qua parte anni obliget præceptum Ecclesiæ de confessione.*

Videtur quod pro paschali. Primò, quia usu receptum est, ut fideles in quadragesima confiteantur, quem usum Synod. Trident. maximè probat, & amplectitur tanquam meritò retinendum.

Secundò, Episcopi jubent exhiberi sibi nomina eorum qui non sunt confessi pro paschate; ut pœnis Ecclesiasticis puniantur.

Tertiò, Sixtus 4. De treuga & pace lib. 1. extravag. vult ut mendicantes desistant prædicare quòd parochiani non sint obligati saltem in paschate proprio confiteri sacerdoti; quia de jure tenetur parochianus, saltem in paschate, proprio sacerdoti confiteri.

Quartò, alioquin sciri non poterit quando ad confessionem teneatur is qui pervenit ad usum rationis.

*Non obligat pro certa parte anni.*

Responsio communior est, præceptum confessionis secundùm se non obligare pro certa parte anni: ac proinde, qui sic confitetur ut inter primam & secundam confessionem non plus temporis quam annus intercurrat, satisfacit præcepto Ecclesiæ. Ita Canus, Vivaldus, Victoria, Nugnus.

Et pro-



Et probatur, Si Ecclesia voluisset præceptum confessionis obligare determinato aliquo tempore, id expressisset, sicut fecit de communione, præfigens ei tempus Paschale: Hoc autem non fecit, sed tantum præcipit, ut semel in anno fideles confiteantur: quòd cum faciant qui quocunque anni parte confitentur, consequens est eos Ecclesiæ præcepto satisfacere. Et quamvis nonnulli addant hanc limitationem, nisi qui semel in anno confessus est, incidat in peccatum mortale ante finem anni: putantes eum ex vi præcepti Ecclesiastici obligatum esse, ad peccatum illud eo anno confitendum; non credimus tamen eum ex eâ teneri: quandoquidem per confessionem illam quam fecit, observavit verba legis ac intentionem legislatoris. Nec obstat legem continere, ut confessio fiat omnium peccatorum: sermo enim est de peccatis illis mortalibus quæ post examinatam diligenter conscientiam occurrunt memoriæ; & non aliud vult, quàm quod confessio fiat integra.

Ad 1. Argum. Resp. usum illum esse procul dubio salutarem & retinendum: sed cùm Synod. obligationis non meminerit, satis ex eâ colligitur quod non intellexerit morem illum esse sub generali præcepto.

An verò consuetudo confitendi in Paschate vim legis obtinuerit, non constat.

Pars negans verior est; sicut & de confessione venialium quæ passim fit, præsertim eo tempore; quod sess. consuetudo illa confitendi non habeat vim præcepti. Ac proinde, qui aliàs, in isto anno confessus est; si in Paschate non confitetur, non peccat contra præceptum confessionis: neque plus quàm unum peccatum committit, si non communicat.

Ad 2. Id quod jus commune reliquit liberum, potest per jus particulare restringi ad certum tempus. Sed præterea, cùm sit in paschate communicandum; & illis qui peccati mortalis sunt conscij sit ante communionem confitendum: meritò inquiritur qui tunc temporis non confiteantur; quia verisimile est, quod neque communicaverint, neque toto anno sint confessi. Alioquin, si quis probet se ante quadragesimam fuisse confessum, non fuerit autem confessus in Paschate, quia non poterat communicare, impeditus vel per ætatem, vel per vomitum, aut aliter; non est puniendus.

Ad 3. Qui reliquo anni tempore non confitentur suo Parocho; ex sententia Sixti 4. de jure tenebantur saltem in Paschate illi confiteri: & de istis loquitur Pontifex, attento præsertim quòd plerique tunc soleant annuo isti præcepto satisfacere.

Ad 4. Tenetur quilibet ad confessionem intra annum, à tempore quo pervenit ad usum rationis. Unde autem sit annus inchoandus non convenit.

Ad satisfaciendum præcepto, verius videtur unicuique computandus esse suus annus, ab ultimâ confessione: quantum ad finem verò, cavendum est ne confessio differatur ultra annum. Et, si prævideretur futurum quod in fine anni non esset copia Confessarij, oporteret prævenire. Qui verò toto anno confessus non est, manet obligatus, ut quam primum potest confiteatur, secundùm ea quæ diximus 3. p. q. 80. art. 11. quæst. 4. Neque debet existimare quod per confessionem initio sequentis anni factam satisfaciat præcepto utriusque anni: sed statim confiteri debet, propter obligationem ex anno præterito durantem: ac iterum postea, ut satisfaciat obligationi anni præsentis.

Difficultas manet. An qui per oblivionem omisit confiteri peccatum aliquod mortale; quod postmodum redit in memoriam, teneatur eodem illo anno ipsum confiteri. Probabile est, cum Victoria qu. 137. quod non teneatur, si recordetur post communionem. *Quæst. Resp.*

Nec obstat, quod qui totam confessionem ex rationabili causâ prætermisit, teneatur statim post impedimentum, illam facere: talis enim nullo modo implevit præceptum Ecclesiæ, qui verò legitimè confessus est omnia quorum habebat memoriam, satisfecit; etiamsi per oblivionem aliquid omiserit.

Si verò peccati omissi recordetur ante communionem, deberet ejus confessionem communioni præmittere, ut diximus ejusdem q. art. 4.

## Quæritur IV.

### *Per quam Confessionem impleatur istud præceptum.*

Videtur quod per quamlibet. Alexander enim 3. c. *Quod quidam*, tit. de pœnit. & remiss. dicit recipiendam esse confessionem eorum qui confiteri volunt, se tamen asserunt abstinere non posse. *Resp. quod per eam cui jungitur valida absolutio.*

Resp. præceptum Ecclesiasticum tunc solùm impleri, quando confessio talis est, ut absolutione ad eam accedente Sacramentum Pœnitentiæ subsistat, quia non aliam confessionem præcipit Ecclesia, quàm Deus: Præcepto autem divino non satisfit, nisi per susceptionem Sacramenti, ergo nec Ecclesiastico. Hinc per confessionem voluntariè non integram: aut sine dolore; vel non habenti jurisdictionem factam, aut habenti quidem, sed qui absolutionem non dedit; non impletur præceptum Ecclesiæ.

Si dicas, absolutionem, cùm sit finis præcepti, non esse in præcepto: Resp. eam non esse nudum finem, sed partem Sacramenti, cujus susceptio præcipitur. An verò impleatur præceptum per confessionem Sacerdoti non proprio factam: aut per eam quæ sit informis, & tamen valida: patebit ex qu. 8. & 9. *Ob. Resp.*

Ad Arg. Resp. Pontificem non dicere quod talium confessio sit recipienda, quasi per eam satisfiat legi Ecclesiasticæ: (addit enim hujusmodi Pœnitentiam non esse veram) sed vult ejusmodi confessionem recipi, ut peccatores per consilium & salubrem admonitionem adjuventur.

Quæri etiam hic posset, quas pœnas incurrat prævaricator præcepti confessionis annuæ.

Verùm ex dictis facilè potest colligi, eas non esse latæ sententiæ, sed ferendæ: ac proinde excommunicari potest, non est tamen ipso facto excommunicatus, nisi fortè in quibusdam locis per statuta particularia.

### Articulus IV.

*Utrùm possit cum aliquo dispensari, ne confiteatur?*

Videtur quod sic: quia dispensari potest in votis, quæ tamen jure naturali obligant.

Responsio B. Thomæ est, Pontificem non posse cum aliquo dispensare ne unquam confiteatur: posse tamen ex rationabili causa dispensare in tempore confessionis. *Resp. non posse.*

Prius

Universidad de Deusto
Biblioteca



PRIUS patet, quia confessio est jure divino necessaria tanquam pars Sacramenti; ministri autem Ecclesiæ non habent potestatem vel immutandi jus divinum, vel in eo dispensandi. A

POSTERIUS, quia determinatio temporis facta est per legem Ecclesiasticam; ac proinde subest ejus dispensationi, de quâ si propriè loquimur ad solum Pontificem pertinet, quamvis ex consilio Confessarij possit quis confessionem differre ultra tempus ab Ecclesiâ constitutum.

AD ARG. RESP. Papam, cum in voto dispensat, non dispensare in jure naturali, quod habet, manente voto, illud esse reddendum; sed declarat rem votam non esse hîc & nunc materiam voti competentem, & sic facit ut voti obligatio desinat. B Præterea, votum trahit obligationem ex voluntate voventis, non item præceptum confessionis: Vide 2.2.qu.88. art.10. & qu.89. art.9.

Circa Resp. ad 2. adverte probabilem esse verborum S. Jacobi expositionem de Confessione sacramentali, cùm dicit. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Quam expositionem B. Th. hîc indicat, & art.1.ad 1.q.8. aperteq; illam tradunt Hugo Victorinus l.2. de Sacra. p. 14. c. 1. & Calixt. Papa apud Burchardum l. 18. c. 2. Nec obest particula, *alterutrum*; quia non debet intelligi per reciprocationem integram, sed per diminutam: ut sensus sit, Confitemini alter alteri, homo homini, C peccator Sacerdoti, nec putetis sufficere si confiteamini Deo. Ita sumitur reciprocatio 1. Petri 4. *Hospitales invicem, unusquisq; sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.* Et ad Rom. 15. *Suscipite invicem,* firmi scil. infirmos. Ad Ephes. 5. *Subjecti invicem,* uxores sc. viris, filij parentibus, servi dominis: non enim vult Apostolus omnes esse omnibus subjectos ut inferiores superioribus. ita superiores inferioribus.

Cum B. Th. hoc loco addit, confessionem fuisse à Deo institutam, respicit ad verba Christi relata Joan.20. ut patet ex q.8.art.1. ad 1.

## QUÆSTIO VII.

## *De quidditate Confessionis.*

### ARTICULUS I.

VARIÆ sunt apud Veteres Confessionis descriptiones, quibus nunc unam, nunc alteram ejus proprietatem explicant, non habentes scil. propositum, unam plenam & perfectam adferre. Potest sic describi, *Definitio.* *Confessio est peccatorum apud Sacerdotem legitimum judicem accusatio, ad eorum remissionem ipsius absolutione consequendam.* Ubi definitur non qualiscunque peccatorum confessio, sed sacramentalis. i. quæ tanquam materia proxima refertur ad sacerdota- E lem absolutionem, hujus Sacramenti formam.

Quod dicitur, *accusatio,* declarat iir confessione peccata Sacerdoti esse aperienda, non quomodocumque, sed animo nos accusandi.

Illud verò, *ad eorum remissionem* &c. constituit differentiam hujus confessionis, ab ea quæ fit in alijs tribunalibus; ubi confessionis criminis pœna constituta est, non venia; ut propterea mirum non sit alium ibi esse reum, alium accusatorem, alium testem; cùm hîc idem sit sui-ipsius accusator, testis & reus.

Quod in RESP. ad 2. dicit confessionem præsupponere charitatem, non de omni confessione accipiendum est, sed de illâ quam præcedit contritio tam perfecta, ut conjunctam habeat gratiam justificantem, juxta ea quæ diximus art. 1. qu. 5. Alioquin confessionem non præsupponere charitatem, sed potius ordinari ad eam accipiendam; satis significat q.6. art. 1. ubi docet Sacramentum Pœnitentiæ, ipsamque confessionem ordinari & contra culpam, & ad infusionem gratiæ seu charitatis consequendam.

### ARTICULUS II.

ART. 2. docet Confessionem Sacramentalem esse actum virtutis; quia manifestare alteri id quod in corde habes, si hoc fiat cum debitis circumstantijs, ubi, quando, & quomodo oportet, est actus simpliciter bonus. *Confessio est actus virtutis.*

### ARTICULUS III.

ART. 3. docet prædictam confessionem, si consideretur ut est confessio, id est, manifestatio ejus quod quis in corde gerit, esse actum virtutis quæ dicitur veracitas, de quâ differitur 2. 2.q.109. Est enim verax qui secundùm dictamen rectæ rationis, talem se alijs ostendit, qualis revera est. *Est actus veracitatis & Pœnitentiæ*

Si autem consideretur quatenus sacramentalis, non esse actum veracitatis immediatè, sed virtutis Pœnitentiæ: Quia dum ad generalem rationem virtutis, additur aliqua specialis, resultat actus virtutis specialis, pertinens ad illam, ad cujus objectum immediatè ordinatur: sua autem peccata confiteri, ad eorum veniam obtinendam, & hac ipsa confessione quodammodo compensandam injuriam Deo factam, pertinet ad Pœnitentiam, ut ex 3. p. qu. 85. patet. Quamvis ergo à multis virtutibus imperari possit confessio sacramentalis, secundùm quod ipsa in earum fines referri potest: elicitur tamen à virtute Pœnitentiæ.

## QUÆSTIO VIII. D

## *De Ministro Confessionis.*

### ARTICULUS I.

ART. 1. probat esse necessarium confiteri Sacerdoti: quia solus ille est minister Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super Corpus Christi verum: quod cùm solius Sacerdotis sit, solus ipse est minister Sacramenti Pœnitentiæ. Quę ratio, cùm procedat solùm de ministro ordinario, addenda est ea quam in argumento ad oppositum significat. Confessio sacramentalis fit propter absolutionem, ejus, cui confitemur, ministerio consequendam: sed absolvere pertinet solum ad Sacerdotes; ergo solis ipsis confessio est facienda. *Minister est solus sacerdos.*

Eodem pertinet quod ex Ambr. citat. q.19. ar.3. *Jus hoc,* scil. ligandi & solvendi, *solis Sacerdotibus est concessum,* & sumitur ex l 1. de Pœnit. c. 2.

*Absque venerando & divino Sacerdotio remissio peccatorum mortalibus non cõceditur,* ait S. Ephrem. in orat. de Sacerdotio.

Et S. Leo ep. 91. *Indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequit obtineri.* Plura apud Chrysost. in libris de Sacerdotio.

Perpetuus etiam Ecclesiæ usus, Patrumq; consensus



sensus ostendit solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus dictum esse, *Quorum remiseritis peccata* &c. A

Hinc Syn. Trid. ss. 14. c. 6. *declarat falsas esse & à veritate Evangelij penitus alienas doctrinas omnes quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos & Sacerdotes, clavium ministerium perniciosè extendunt, putantes verba Domini, quæcunq; alligaveritis,* &c. *ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè dicta esse.* Et can 10. anathemate damnat eum *qui dixerit non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis.*

Sed & Conc. Flor. definiens ministrum Sacramenti Pœnitentiæ esse Sacerdotem; satis declarat non alium esse quam ipsum. Quamvis enim non dicat solum Sacerdotem: hoc ipsum tamen, partim B ex eo colligitur, quod non dicat *ordinarius* minister, aut quid simile: partim ex eo quod requirat Sacerdotem cum authoritate absolvendi.

In fine etiam Conc. Constan. Martinus V. vult à suspectis de erroribus Wiclef & similium, rogari, *Utrum credant quod Christianus ultra contritionẽ cordis, habita copia Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti ex necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico seu laicis, quantumcunque bonis & devotis.*

### ARTICULUS II.

### *Vtrùm in aliquo casu liceat alijs quam Sacerdotibus confiteri.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia Cyprianus epistola 13. concedit ut necessitate urgente, C lapsi faciant confessionem apud Diaconum, & ab eo reconcilientur per manus impositionem. 1. Et Augustin. libr. de vera & falsa. Pœnitentia c. 10. *Tanta vis est confessionis, ut si deest Sacerdos, confiteatur laico.* Unde c. *Fures,* tit. de furtis, dicitur de furibus & latronibus, quod si Presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.

SECUNDÒ, Quia Baptismus est Sacramentum necessitatis; ideo potest ministrari à laico: ergo similiter Pœnitentia.

TERTIÒ, minister qui per se & ordinariè non D sufficit ad aliquod Sacramentum, v.g. Confirmationis: potest sufficere ex dispensatione Pontificis: ergo similiter in proposito: præsertim cum hoc Sacramentum sit necessarium, non autem illud.

QUARTÒ, In citatis ar. 1. verbis Martini V. dicitur *confitendum soli sacerdoti, & non laico si sit copia sacerdotis:* ergo si non sit copia confitendum est laico.

Pro Responsione sit

### CONCLUSIO I.

*Resp. non licere.* NULLO casu potest fieri confessio sacramentalis, (id est, quæ ad absolutionem obtinen- E dam ordinetur) illi qui non sit Sacerdos: quia omnibus talibus deest potestas Ordinis; nullus autem potest jurisdictione hîc requisita uti, nisi ea fundetur in potestate ordinis quam idem ille habeat: Hinc B. Th. hîc ad 1. manifestè docet alium à Sacerdote non posse Sacramentum istud conferre. Dicens enim, quod quando necessitas imminet, pœnitens debet facere id quod ex parte sua est, sc. conteri, & confiteri cui potest, subdit de omni illo qui Sacerdos non est, quod non potest perficere Sacramentum, faciendo id quod est ex parte Sacerdotis, hoc est, absolutionem impendendo. Et ad 3. de tali pœnitente pronuntiat oportere *quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit, quia Sacramentum Pœnitentiæ perfectum non fuit.* Unde opusc. 5. *Minister,* inquit, *hujus Sacramenti est Sacerdos habens authoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione Superioris.*

Neque his obstat, quod in resp. ad 1. confessionem ex defectu Sacerdotis, laico factam, dicat esse quodammodo sacramentalem: Ex textu enim clarum est, quod non intelligat sacramentalem propriè, quasi ordinetur ad Sacramentum, vel sit pars Sacramenti: sed dicit esse *sacramentalem quodammodò,* scil. impropriè, quia conjunctum habet desiderium Sacramenti.

### CONCLUSIO II.

UT non Sacerdos, sive clericus, sive laicus tentaret proferre sententiam absolutionis super confessione sibi facta, sacrilegium committeret: atque, ut probabilius est, incurreret irregularitatem, in c. *Si quis,* De clerico non ordinato ministrante, latam, ut post Paludan. tradit. Domin. in 4. d. 18. q.4. art. 1. & conforme est ijs quæ 3. p. q.67. art.1. diximus.

### CONCLUSIO III.

NE in extrema quidem necessitate consultum est confessionem facere alicui non Sacerdoti: partim quia nulla est ejus rei necessitas, nullumque præceptum: partim quia non expedit peccata, occulta præsertim & gravia, manifestare extra Sacramentum. Si nihilominus fieret, auditor teneretur vinculo secreti: non solum naturalis, sed quodam modo sacramentalis: quia licet ea confessio simpliciter non foret sacramentalis, ut ex jam dictis patet, pœnitens tamen eam faceret cum desiderio confitendi Presbytero, si copiam ejus habuisset: ac proinde esset modo quodam sacramentalis: ut hîc & art.3. dicitur. 1. participaret aliquo usque de sacramentali. Peccata autem sic confessa, deberent postmodum confiteri Sacerdoti: quia vel non erat super eis data absolutio, vel si data erat, non valebat, hîc ad 3.

AD 1. ARG. RESP. Cypr. non loqui de confessione sacramentali, sed de ea quæ exigebatur ab agentibus publicam pœnitentiam, ad hoc ut reconciliaretur Ecclesiæ, per absolutionem vel ab excommunicatione, vel à pœnis satisfactorijs publicis: quæ absolutio diaconis committi potest.

Liber de vera & falsa Pœnitentia non est Augustini. Author enim c.17. citat Augustinum, & ab eo dissentit. Neque tamen quisquis author sit, jubet esse confitendum proximo, sed hortatur, si sacerdos deest. Quo modo etiam possunt accipi verba B. Thom. hîc dicentis, quod quando necessitas imminet, debet pœnitens confiteri cui potest: ut scilicet non præceptum significent, sed decentiam, quæ erat eo tempore, quo solebat ea confessio frequentari, tum ad humilitatem & erubescentiam confitentis, ut sic Deus flecteretur ad veniam concedendam; tum ad consequendum consilium, vel auxilium. Quæ consuetudo nec vim legis unquam obtinuit; & meritò dudum exolevit.

Capitulum *Fures,* quibusdam non videtur loqui de Confessione sacramentali, sed de vera peccati agnitione per contritionem & signa pœnitentiæ. Tali

Universidad de Deusto
Biblioteca



tiæ. Talibus enim poterat olim Diaconus in absentia Presbyteri Eucharistiam ministrare, secundùm ea quæ diximus 3. p. qu. 82. art. 3. Potior tamen responsio videtur quod illic vitiosè legatur, *Diacono*, pro, *Deo*. Nam in Conc. Tribur. c. 31. unde sumptum est hoc capitulum, nulla fit mentio diaconi. Confer quæ ad istud can. notavimus in Summa Conciliorum Caranzæ.

Ad 2. B. Th. ar. 1. negat C. quia baptismus est majoris necessitatis, quatenus aliqui (ut pueri,) salvari non possunt per ejus votum, sicut relapsi per votum confessionis. Vide quæ diximus 3. p. q. 67. art. 5. ad 6.

Ad 3. Neg. C. quamvis enim Sacramentum Pœnitentiæ sit magis necessarium quam Confirmationis: Pœnitentiæ tamen ministri non tam facilè desunt, quam ordinarius minister Confirmationis. Deinde habenda est ratio institutionis à Christo factæ.

Ad 4. Resp. verba Pontificis non ita habere sicut objectio supponit: non enim dicunt confitendum soli Sacerdoti, & non laico si sit copia Sacerdotis, quasi illa negatio, *& non laico*, afficiat istam conditionalem *si sit copia Sacerdotis*, & sensus sit, non esse confitendum laico si sit copia Sacerdotis: sed verba expresè dicunt, quod *habità copiâ Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti ex necessitate salutis confiteri tenetur, & non laico.* Ubi istud, *habita copia Sacerdotis idonei*, afficit id quod proximè sequitur, *soli Sacerdoti ex necessitate salutis confiteri tenetur*, non autem id quod remotius est, *& non laico*. Sensus enim est, quòd cùm haberi potest Sacerdos, necessarium est illi confiteri, nunquam autem laico. Similiter non sequitur, si pauperes sunt, danda est eis eleëmosyna, & non divitibus; ergo si non sunt pauperes, danda est divitibus.

### Articulus III.

Art. 3. docet confessionem venialium sacramentalem non posse fieri laico; non sacramentalem, posse. Sicut enim remitti possunt per tunsionem pectoris; ita & per confessionem laico factam, quatenus ea ex humilitate, vel eorum detestatione, procedit.

*Confessio nunquàm est facienda laico.*

Cæterùm, cùm nulla sit necessitas confitendi venialia; melius est illa nunquam laico confiteri; quamvis possit super aliquo vel aliquibus ab eo peti consilium, sicuti & de mortalibus. Quare quod Beda dicit ad c. 5. Jacobi, *Coaqualibus quotidiana & levia; graviora verò Sacerdoti pandamus*; non aliud quam differentiam continet inter remissionem venialium & mortalium; quod illa possint remitti alijs modis quam per confessionem Sacerdoti factam; non ista.

### Articulus IV.

Art. 4. probat esse necessarium, ut confessio fiat Sacerdoti proprio, vel alteri de ipsius consensu: quia solus ille potest absolvere, qui potest per imperium ligare ad aliquid faciendum; qualis non est omnis Sacerdos. Et ideò;



## QUÆRITUR I.

### *Quæ potestas requiratur in Sacerdote confessiones audituro.*

Videtur quod nulla præter eam quam accipit in sua ordinatione. Primò, quia Apostoli non aliam habuerunt, quàm quæ data est eis per hæc verba, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. eadem verò dicuntur sacerdotibus, quando ordinantur.

Secundò, esset alioqui dicendum Sacerdotes potestatem absolvendi accipere ab Ecclesia, atque adeò posse dicere, Ego authoritate Ecclesiæ te absolvo; cum tamen contrarium fiat.

Tertiò, quilibet Sacerdos potest quemlibet à venialibus absolvere, imò etiam à mortalibus in periculo mortis: ergo nulla potestas ei deest ad validè absolvendum.

*Requiritur ordinis.*

Resp. in ministro Sacramenti Pœnitentiæ præter potestatem Ordinis, quæ datur tum ad consecrandum Corpus Christi, per hæc verba, *Accipite potestatem offerendi sacrificium:* tum ad sanctificandos homines per remissionem peccatorum, per ista: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. necessariam esse potestatem jurisdictionis: ita ut absolutio non teneat quæ sine jurisdictione profertur. Docet hoc Author isto art. 4. & q. 20. art. 1. ad 1. & cit. art. 2. opusc. 5. manifestumque est ex Conc. Later. cad. *Omnis utriusque sexûs*, ubi dicitur alienum Sacerdotem sine licentia proprij non posse solvere vel ligare, defectu scil. jurisdictionis.

*Et jurisdictionis.*

Confirm. Primò, quia minister Sacramenti Pœnitentiæ non est quilibet Sacerdos, sed *habens authoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris*, ut habetur in Concil. Flor. ergo ad validè absolvendum non sufficit potestas Ordinis, quam habet omnis Sacerdos, sed insuper necessaria est alia potestas.

Secundò, *Absolutio Sacerdotis est ad instar actus judicialis, quo à Sacerdote velut a judice sententia pronuntiatur*; ut definitum est in Conc. Trid. ss. 14. c. 6. & can. 9. *Quoniam igitur natura & ratio judicij illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc* (ait Trid. c. 7.) *confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

*Jurisdictio est jure divino requisita.*

Tertiò, nemo potest alteri imperare, eumque ad pœnam subeundam obligare, nisi habeat super eum jurisdictionem: Minister autem Sacramenti Pœnitentiæ potest ligare ad pœnam: ergo debet habere jurisdictionem. Minorem hìc deduxit B. Th. conformiter illi quod 3. p. q. 68. art. 6. habet: *Confessio quæ fit Sacerdoti ordinatur ad hoc quòd Sacerdos confitentem absolvat a peccatis, & liget ad opera satisfactoria.*

Ex his intelligi potest jurisdictionis necessitatem non esse constitutionis humanæ, sed divinæ: nam eo ipso quo Christus voluit Sacerdotes absolutionem proferre tanquam judices, voluit etiam ut haberent jurisdictionem. Hinc Bonifacius octavus de pœnitentijs & remiss. in 6. cap. *Si Episcopus: Nulla* (inquit (*potest consuetudine introduci quod aliquis præter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare*: atqui jus Ecclesiasticum potest contraria consuetudine tandem aboleri: ergo non lege Ecclesiastica, sed divinâ requiritur hæc jurisdictio ad absolutionem.



Ad 1. ergo Arg. Resp. neg. Ass. nam Apostoli præter potestatem Ordinis quam acceperunt quando Christus illis dixit, *Accipite Spiritum S.* &c. etiam acceperunt potestatem jurisdictionis per ista verba, *Sicut misit me pater & ego mitto vos*: non quidem præcisè vi istorum verborum, sed ex peculiari intentione Christi; quæ significata est per missionem quâ eos mittit cum potestate Apostolicâ. Quamvis autem Sacerdotibus in ordinatione dicatur, *Quorum remiseritis peccata*, &c. ipsi tamen non mittuntur; neque tanquam Apostoli, constituuntur doctores & pastores; sed accipiunt ipsam remittendorum peccatorum potestatem Ordinis, super qua fundari possit potestas jurisdictionis, si à superiore detur, & sine quâ nemini possit hæc conferri, ut scil. per seipsum eam exerceat, absolvendo, etiamsi attentaret absolvere.

*Apostoli acceperunt a Christo jurisdictionem.*

*Ob. Resp.*

Si dicas, per ea verba Sacerdotes constitui judices & accipere potestatem judiciariam. Rerp. judicium illud non posse exerceri sine jurisdictione, jurisdictionem verò non dari sine subditis in quos ea possit exerceri. Aliquid simile foret, si Rex tribueret aliquibus potestatem judicandi, judicesque illos constitueret; non assignaret tamen eis subditos, sed illos accepturi essent ex delegatione pro regis quando is oportunum judicaverit. Quodam enim simili modo Sacerdotes accipiunt in suâ ordinatione potestatem absolvendi, cujus tamen usum adhuc habere non possunt, propter defectum jurisdictionis; cum nulli assignentur ei subditi in quos authoritatem habeant. Ubi tamen agnoscendum est hoc discrimen, quod in Sacerdotibus potestas Ordinis judiciaria sit realis; in judicibus autem alijs, relatio fortasse tantum rationis.

Ad 2. Quamvis verus esset sermo dicentis, *Te absolvo authoritate Ecclesiæ*, si solùm intelligere ut dantis jurisdictionem, & non excluderet virtutem seu authoritatem Christi: non sequitur tamen esse ita loquendum; partim quia absolutio in foro confessionis est principaliter potestatis Ordinis: partim quia efficacia effectus quem verba significant & efficiunt, est à Christo, non ab Ecclesia.

*Etiam ad absolutionem à venialibus requiritur jurisdictio.*

Ad 3. Etsi quidam existiment quemlibet Sacerdotem posse quemlibet pœnitentem absolvere sacramentaliter à peccatis venialibus, & à mortalibus alias ritè confessis: contrarium tamen est verius.

*Primò*, quia absolutio sacramentalis semper est actus judicij, atque ideò semper debet proficisci ab habente jurisdictionem ordinariam vel delegatam ut loquuntur Conciliia.

*Secundò*, quia nunquam datur sine potestate clavium, ad cujus usum necessaria est jurisdictio.

*Tertiò*, quia alioquin deest potestas ligandi ad pœnam. Vide Molan. tract. 1. Theol. practic. c. 11.

*Ob. Resp.*

Neque dici potest jurisdictionem hanc concedi omnibus Sacerdotibus à Pontifice: quia nullum est ejus rei argumentum, præsertim post restrictionem à Conc. Trid. factam sess. 23. c. 15.

*Ob. Resp.*

Si Objiciatur Author qui ar. 4. q. 22. dicit remissionem venialium sequi potestatem Ordinis, & ideò posse aliquem sine commissione absolvere superiorem aut æqualem à venialibus. Resp. cum ea parte non loqui de absolutione sacramentali, sed de remissione quæ fieri potest per cujusvis Sacramenti collationem. Simul enim loquitur de absolutione sui æqualis, & superioris; constat autem quod nec à venialibus possit quis seipsum absolvere. De altera parte argumenti videbitur articul. 6.

## QUÆRITUR II.

### *Quid sit ea jurisdictio, & quando detur.*

Jurisdictio ad absolutionem sacramentalem necessaria, est authoritas quædam in alterum, tanquam in subditum, per quam Sacerdos, velut judex, possit in eum ferre sententiam: ac proinde est potentia quædam moralis, se tenens ex parte Sacerdotis; quemadmodum & jurisdictio temporalis consistit in judice, & non solum se tenet ex parte materiæ quæ sit illi subjecta.

Quod autem diversa sitâ potestate Ordinis, detur aliqua seorsim ab illa, prob. quia cum Syn. Flor. & Trid. ad hoc ut Sacerdos validè possit pœnitentem absolvere, requirant in eo jurisdictionem ordinariam aut delegatam, præsupponunt Sacerdotem posse carere omni jurisdictione, tam ordinaria quam delegata; atque adeò eum non habere illam ex vi ordinationis: quod enim sic habetur, non potest auferri; etiamsi possit usus interdici; unde ordinatio per Episcopum hæreticum facta tenet.

Et similiter Conc. Later. dum ait alienum Sacerdotem non posse absolvere sine licentia proprij; etiam supponit aliquem & esse Sacerdotem, & carere tum ordinaria, tum delegata jurisdictione. Neque enim omnes aut sunt proprij, aut commissionem habent à proprijs. Ita docet B. Th. non tantùm in 4. d. 17. q. 3. ar. 3. quæstiunc. 4. & dist. 19. quæstione 1. art. 3. quæstiuncula prima: sed etiam 2. 2. quæstione 39. art. 3. ubi duplicem distinguit potestatem ad sacramentaliter absolvendum necessariam: unam sacramentalem, quæ datur vi Sacramenti in ordinatione; alteram jurisdictionem, quæ ex simplici injunctione hominis confertur. Illam dicit esse inamissibilem, istam verò posse auferri. Et quodl. 12. ar. 16. dicens justificationem pœnitentis fieri non posse, nisi per potestatem judiciariam, addit, *Non habens autem curam animarum non habet hanc potestatem*, si scil. ne imperfectè quidem, participet de curâ animarum.

*Resp. ad artic.*

Ex his sequitur jurisdictionem hanc consistere in concessione, vel juridica deputatione: quæ tunc fit, quando beneficium pastorale confertur, aut alioquin conceditur potestas audiendi confessiones. Accipiunt autem illam omnes Confessarij Pontifice Sum. inferiores, ab ipso tanquam primo in terris fonte; ipse verò à Christo immediatè, ut ostensum fuit l. 4. Controversiarum q. 2. ar. 1.

## QUÆRITUR III.

### *Quis dicatur proprius Sacerdos.*

*Resp.*

Inter varias Doctorum opiniones, ea videtur verior quæ *Sacerdotem proprium* intelligit eum, cui ex officio incumbit cura animarum, & judicium in foro conscientiæ: sive, qui habet

Universidad de Deusto
Biblioteca



authoritatem ordinariam in eum, cujus respectu A
dicitur proprius. Ejusmodi sunt, *Abbates* in suis monasterijs: *parochi*, in parochijs: *Episcopi* in dioecesibus: *Romanus Pontifex* in tota Ecclesia.

Confirmatur, ex can. *omnis utriusque*, ubi proprius non opponitur communi, sed alieno; & dicitur quod *si quis alieno confiteri velit licentiam prius obtineat à proprio*, si autem quispiam ex licentia Episcopi vel Pontificis, confiteretur alteri quam suo pastori, satisfaceret præcepto: ergo nomine *proprij* etiam illi comprehenduntur. Ita B. Thom. in opusc. contra impugn. religio. cap. 4. Adrian. q. 5. de confessione, Domin. dist. 18. qu. 4. ar. 2. Navarr. c. 27. num. 260.

*Ob.* SI OBJICIAS Martinum V. in bulla per Adrian. B
citata dicere: *Volumus quod ij qui fratribus confitebuntur, eisdem suis parochialibus sacerdotibus semel saltem in anno confiteri, prout generale Conc. statuit, nihilominus teneantur*: ubi proprium sacerdotem ex mente Conc. Later. intelligit parochum.

*Resp.* RESP. cum sine dubio esse proprium, sed tamen sine exclusione illorum qui sunt ipso superiores. Deinde, bulla ista partim non est recepta; partim per constitutionem Leonis X. & aliorum qui privilegia concesserunt fratribus mendicantibus, revocata est.

ARTICULUS V. C

*Quando liceat confiteri alteri quam proprio.* ART. 5. docet aliquem ex privilegio vel mandato superioris posse confiteri alteri quam proprio sacerdoti: quia qui habent potestatem ordinariam, possunt eam alteri committere. Unde non solum Pontifex & Episcopus, sed etiam parochus potest alicui, per Episcopum approbato, concedere jurisdictionem in suos subditos.

*Quæst.* An autem Episcopus vel Pontifex possit alicui dare facultatem audiendi confessiones sine licentia parochi; ita ut qui fuerit illi confessus, non teneatur confiteri suo parocho; fuit olim dubitatum à quibusdam: sed eos refutavit B. Thom. in dicto opusculo, neque licet hac de re dubitare. Possunt enim illi, Pontifex quidem pro potestatis plenitudine quam habet in totam Ecclesiam: Episcopus verò pro ordinaria quam habet in suam diœcesim, per seipsos audire confessiones quorumlibet suorum subditorum, non requisito consensu pastoris; ac proinde possunt hoc ipsum alijs committere. D

*Ob.* Neque responderi potest quod potestatem suam transfuderint in parochos: quia potestas illa est spiritualis, ideoque alijs communicatur sine sui amissione.

*Resp.* Huc pertinet condemnatio articulorum Joannis Poliaco in extravag. *Vas electionis*, tit. de hæreticis; & concessio privilegiorum facta religiosis, tum per Benedictum XI. in extravag. *Inter cunctas*, E
tit. de privilegijs; tum per Leonem X. in 11. Conc. Later. tum per alios. Concedunt enim pontifices, saltem Paulus III. ut qui privilegiatis confessi fuerint, non teneantur confiteri suo parocho. His autem privilegijs ea modestia & charitate uti meminerint, ut quod injungebat Benedictus XI. attentè moneant, & in suis prædicationibus exhortentur pœnitentes, ad saltem semel in anno confitendum suis parochis, asserendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere; curentque ne fideles ad se alliciant, sed ad Christum. Pro pleniore hujus materiæ intellectu.



## QUÆRITUR I.

*Qui præter privilegiatos sortiantur jurisdictionem delegatam.*

ORDINARIAM sortiuntur omnes quibus animarum cura incumbit ex officio.

Delegatam verò, primùm illi, quibus ordinarij sive Episcopi, sive pastores expressam faciunt facultatem audiendi confessionem suorum subditorum. *Capellani & similes.*

*Secundò*, qui ejusdem rei tacitum habent consensum, quod alij vocant ratihabitionem de præsenti. Quamvis enim absolutio per eum qui jurisdictionem non habet, prolata sub spe quod proprius gratam & ratam sit eam habiturus, nihil valeat, etiamsi is postmodum illam ratificet: eò quod ratihabitio futura non tribuat actu jurisdictionem, & Sacramentum pendere non possit à futuro; valere tamen potest illa quæ datur à probabiliter existimante quod ex nunc id placeat proprio: ut, si ipse videns aut sciens taceat. Ita Domin. dist. 18. q. 4. ar. 3. Sylv. verbo *Confessor* 1. q. 6. Navarr. c. 9. n. 6. Caterum, cum humano modo debeat conferri hæc potestas, nec sufficiat voluntas interior superioris, de qua constare non potest, nisi per aliquid externum; omnino requiritur prudens existimatio argumentis exterioribus sufficienter manifestata, qua credatur esse in præsenti consensus tacitus seu interpretativus: ut etiam diximus p. 2. variarum Resol. *Absolutio* 1. & *Matrimonium* 5. Imò cum hæc res sit magni momenti; non facilè procedendum est ex tacito consensu, sed expressus meritò requiri debet, ubi potest haberi. *De ratihabitione.*

*Tertiò*, delegatam jurisdictionem sortiuntur omnes Sacerdotes in ar. mortis, si desint illi qui alioquin possunt absolvere. Vide quæ ad ar. 6. dicimus.

*Quartò*, qui eliguntur ab ijs quibus est potestas eligendi confessorem. Superior enim qui potestatem illam facit, taliter electis tribuit jurisdictionem in eos qui se illis subjecerint.

## QUÆRITUR II.

*Qui possint eligere confessarium.*

### CONCLUSIO I.

SUMMUS PONTIFEX ID POTEST JURE DIVINO

CUM enim si mortaliter peccet, teneatur ad confessionem, nec à seipso habeat potestatem eligendi confessarium, neque habeat superiorem in terra, à quo illam accipiat; consequens est quod inde accipiat unde habet omnem suam aliam potestatem, id est, à Christo: Sacerdos autem sic electus, jurisdictionem accipit ab ipsomet Pontifice, secundùm ea quæ ex q. 20. ar. 3. colliguntur. Quamvis enim ut peccator sit subditus confessario; ut vicarius tamen Christi, est superior: ac proinde potest concedere jurisdictionem in seipsum exercendam in foro conscientiæ; ubi & judicium est quoad Deum, & principaliter agitur ex potestate ordinis. Non potest autem Pontifex seipsum absolvere; quia secundùm institutionem Christi, pœnitens & judex debent esse personæ distinctæ, sicut fit in alijs judicijs.

CON-



A

### CONCLUSIO II.

JURE Ecclesiastico Episcopi & alij superiores nec non minores prælati exempti, possunt eligere confessarium quamvis alias non approbatum, Pontifice partim consentiente, partim expresse concedente, capitulo finali *de pœnit. & remiss.* Idemque judicium de illis, qui per bullam aliquam, aut aliter, habent privilegium eligendi sibi confessarium. Videri potest Suarez to. 4. disp. 27. sectio. 2. cum alijs per eum citatis.

*Episcoporum* autem nomine intelliguntur, qui simpliciter loquendo sunt Episcopi; ut confirmati, etiam ante consecrationem, licet sint titulares. Qui B
verò solum sunt electi & nondum confirmati; cum non sint Episcopi, non gaudent isto privilegio.

An verò gaudeant Episcopi depositi, suspensi, excommunicati; potest esse dubium: pars tamen affirmativa videtur verior, quia licet interdicatur eis usus ordinis & jurisdictionis; non privantur tamen gratijs & privilegijs. Ac proinde solus degradatus non gaudet isto privilegio: quia solus ipse habetur tanquam si non esset Episcopus.

*Superiores*, qui si non de jure, saltem de consuetudine, possunt confessarium eligere, sunt Cardinales.

*Prælati exempti* dicuntur, qui cum habeant jurisdictionem propriam in foro externo; non sunt C
Episcopis subditi: ut Priores, Provinciales, Generales. *Abbatissas* autem, etsi exemptas, non gaudere isto privilegio, rectè docet Sylv. dicto verbo *Confessor*, qu. 8. eò quod non habeant claves jurisdictionis.

### CONCLUSIO III.

PAROCHI & alij Sacerdotes sæculares, etsi non jure aliquo in canonibus expresso, de consuetudine tamen possunt confiteri cuivis Sacerdoti per Episcopum approbato. Vide Dom. d. 18. qu. 4. ar. 2. Molan. tract. 1. suæ The. practicæ cap. 11. Vivaldum tit. de confessione, Victor. q. 153. D
Ema. Sa, verbo *confessor*, Suarez tom. 4. disp. 27. sect. 3. Vasquez tom 4. q. 93. ar. 2. dubio 4. Henriquez lib. 6. cap. 8. nu. 2.

*Ob.* SI DICAS, nulla consuetudine introduci posse, ut aliquis præter sui superioris licentiam, confessarium sibi eligere valeat, ut habetur cap. *si Episcopus.* tit. de Pœnit. & remiss. *Resp.* hic adesse licentiam superioris; cujus consensum supponit & declarat consuetudo rationabiliter introducta, ne scilicet sacerdotes defectu confessarij rarius celebrent, vel indignè accedant ad altare.

*Resp.*

### CONCLUSIO IV.

QUI habet plura domicilia in diversis parochijs: potest ac (ut probabilius est) debet confiteri illi sacerdoti, in cujus parochia manet quando vult confiteri. Ita post Anton. & Palud. Nugn. q. 8. ar. 4. quia talis non debet simul pertinere ad duas Ecclesias, vel duos episcopatus; ne sequatur confusio: ac proinde habet unum sacerdotem proprium, quando est in ejus parochia: alium, quando est in altera. Nec obstat jurisdictionem sequi non ad habitationem actualem, sed ad domicilium: quia, ut hoc detur, non est tamen verum in habitatione illa, quæ non separatur à domicilio. E

*Sylv. in III. Part.*

### CONCLUSIO V.

VAGABUNDI, viatores, mercatores, peregrini possunt confiteri parocho seu coadjutoribus parochi illius, ubi se inveniunt tempore confessionis, Quod licet Cajetanus verbo *Absolutio* restringere videatur ad confessionem Paschalem: alij tamen etiam extendunt ad spontaneas, ut Domin. dict. ar. 2. Joseph. Angles in Floribus Theol. tract. de confessione, Roderiq. in fin. c. 60. Eman. Sa verb. *Confessor*, Suar. disp. 25. sect. 2. Vasq. q. 93. ar. 2. dub. 4. Henriq. l. 3 de Pœnit. c. 8. sive (quod olim fuit observatum) peregrinandi licentiam habeant à suo Parocho, sive non habeant. Cùm enim rationabile sit, ut ejusmodi propter occasiones & pericula possint fieri participes Sacramentorum: Confessarij apud quos se inveniunt, sortiuntur potestatem in eos delegatam; partim ex concessione Eugenij 4. de quâ meminit Cajetanus: partim ex consuetudine, per superiores Ecclesiasticos scita & permissa. Peregrini (ait Henriquez) non tantùm tempore Paschæ, ubi ratione communionis tenentur confiteri, sed alias possunt eligere per viam & in termino peregrinationis, Confessarium de expositis. Consuetudo enim interpretatur habere proprij Parochi licentiam, quamvis eam non petierint. Poterunt autem isti Confessarij, tales peregrinos aut viatores absolvere etiam à casibus Episcopo loci unde veniunt, reservatis; si non reserventur Episcopo loci ubi fit confessio, ut observat Tolet. l. 3. c. 13. & Petrus Soto sect. 5. de confessione.

Advertendum autem, hîc esse opus bonâ fide: Nam si quis ad hos tantum iter faceret, ut haberet occasionem confitendi alteri; non posset absolvi ab alieno, sine licentia proprij expressa: quia non esset viator juxta intellectum canonum & statutorum disponentium de viatoribus.

### CONCLUSIO VI.

STUDIOSI, tyrones opificiorum, famuli, & famuliæ, cum pro Sacerdote proprio habeant parochum loci in quo resident: eidem, sicut incolæ, debent confiteri. Ac nihilominùs confiteri possunt Parocho loci nativitatis, aut alterius domicilij, quando justa ratione ad eum locum veniunt. Vide Synodos diœcesanas, Cameracensem an. 1604. & Iprensem Martini Rithovij, ad Toletum dicto c. 13. Henriq. dicto c. 8. nu. 5.

### CONCLUSIO VII.

NON pauci existimant fideles proprer ignorantiam proprij Sacerdotis, posse confiteri alteri cui voluerint, sine ipsius licentiâ: Sed cùm fundentur tantùm in capitulo *Placuit*, de Pœnit. d. 6. nec in multis conveniant quantum ad illius capituli sensum; quibusdam dicentibus petendam esse prius à Parocho vel ejus superiore veniam, quâ non obtentâ, tunc demum liberum esse pœnitenti alium adire: cæteris autem volentibus ne petitionem quidem veniæ requiri; & privilegium istud ad malitiam, impotentiam, aliosque Sacerdotis defectus extendentibus; alijs verò ad solam ignorantiam restringentibus. *Ignorantia confessarij non sufficit ad eligendum alium.*

VERIUS VIDETUR, ob nullam similem causam posse fideles sine licentiâ Pastoris vel alicujus eo superioris; adire alium non privilegiatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Primò*, quia juris divini est, confessionem factam ei qui nec ordinariam nec delegatam habet jurisdictionem in pœnitentem, esse invalidam: Sacerdos autem sic electus, caret omni in talem jurisdictione. Neque enim accipit illam à Parocho vel ejus superiore, cùm ille contradicat, iste nihil sciat: sed nec à pœnitente, cùm is authoritatem nullam habeat tribuendi alicui jurisdictionem Ecclesiasticam. A

*Secundò*, quia Pontifex in capit. *Placuit*, nullam facultatem tribuit pœnitenti, ut alteri quam Parocho confiteatur, sed solùm prohibet ne pœnitentiam injunctam ab eo cui prius confitendo se subjecerat, alius immutet, *nisi per ignorantiam illius cui pœnitens prius confessus est*, ut legitur 9.q.2.c.2. i. nisi prior sententia ob ignorantiam præcedentis Confessarij contineat manifestum errorem. Tunc enim dat potestatem alteri Sacerdoti, jurisdictionem tamen in illum pœnitentem habenti, ut mutet hujusmodi Pœnitentiam, sive de publica sermo sit, sive de privata. Nam contra illum abusum hoc statuitur, qui pœnitentiam injunctam nolentes implere, curabant eam per alium Sacerdotem mutari. Ita Dominicus d.18.q.4.ar.2. & Canus p.6. Relectionis de Pœnitentia. B

*Confirmatur*, quia cum Pontifex de Pœnit.d.6. c. *Placuit*, dicat, *Nisi pro ignorantia illius cui pœnitens prius confessus est*, supponit pœnitentem de quo loquitur, esse prius confessum alicui Sacerdoti. C

*Ob.* Si Objicias B.Th. in 4. d. 21. in fine expositionis textus ponere quinque casus quibus licet alijs confiteri quam proprio Sacerdoti sine ejus licentia: ut si sit vagabundus, si mutavit domicilium, si offendit in aliena Parochia, si proprius Sacerdos incitat ad malum, aut revelat confessionem, si sit articulus necessitatis.

*Resp.* Resp. eum non ponere illos casus, sed dicere solum, *quod ponantur*, scil. ab aliquibus. Unde d.17. q. 3. ar. qu. 4. ad 5. docet, quòd, cùm pœnitens probabiliter timet periculum sibi vel Sacerdoti ex confessione ei facta, nec potest à superiore obtinere licentiam confitendi alteri; idem judicium est quod de illo qui non habet copiam Sacerdotis, ut scil. tantisper maneat sine confessione, &, si necessitas urgeat, communicet non confessus. Rectè autem monet in resp. ad 6. peccaturum Sacerdotem, si non sit facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri: quia multorum ea est imbecillitas, ut potiùs peccata sua reticeant, quam Sacerdoti suo detegant. Hinc cavere debent Confessarij, ne ullum astringant ad perpetuò sibi confitendum, quemadmodum monuerunt Patres in Syn. 2. Prov. Camer. tit. 9, c.10. & Mechli.2. tit.5.cap.7. Neque verbo vel signo ullam significationem dent; quâ displicere sibi indicent, si pœnitens interdum confiteatur alijs. Conferri possunt quæ annotavimus ad instructiones Pastorales S.Caroli Borromæi p.2. in fine. D E

Ex his colligendum relinquitur; neque tunc esse liberum confiteri alieno sine licentia proprij, quando vel proprius abest notabili tempore nullo relicto vicario, vel præsens non vult audire pœnitentem, aut alioquin rationabilis causa est non confitendi Parocho. Cùm enim de consensu tacito præsumi non debeat, nisi extent sufficientia illius argumenta, qualia non sunt in istis casibus; recurrendum potius est ad superiorem, vel confitendum privilegiatis: ac specialiter tunc, quando fœmina peccavit cum suo Pastore. Quamvis enim absolutio per eum data possit esse valida, propter periculum tamen, non licet ei audire suam complicem delicti: ut post S.Th. q.20. art. 2. statuitur in Syn. Dioec. Camerac. anni 1604.

## QUÆRITUR III.

*Vtrùm illi quibus est facultas eligendi Confessarium, possint eligere quemlibet Sacerdotem.*

Cum præter potestatem ordinis & jurisdictionis requiratur approbatio, bonitas, scientia, prudentia, ut quis sit minister idoneus hujus Sacramenti: & non liceat ad sacrum ministerium eligere ministrum indignum.

Responsio Negativa certa est: ac proinde qui talem habent facultatem, eligere debent approbatum, bonum, in scientia & prudentia sufficientem.

## QUÆRITUR IV.

*Quæ approbatio sit necessaria.*

Non sufficit approbatio, quæ fit per universitates, ad gradus licentiæ, vel magisterij promoventes; quia Syn. Trid. sess.23.c.15. requirit approbationem factam per Episcopos, decernens: *Nullum, etiam regularem, posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat.*

Ubi quædam advertenda sunt, Primum, duos hîc distingui modos designandi sacerdotem ad confessiones audiendas idoneum, vel per susceptionem beneficij pastoralis, vel per aliam approbationem Episcopi. Eo enim ipso, quo quis judicatus ad curam animarum idoneus, ad illam admittitur illamque accipit, etiam judicatur idoneus exercere illa quæ sunt istius muneris, atque adeò censendus est ut approbatus. Qui verò beneficium parochiale, non habet, sive aliquando illud habuerit, sive non; indiget speciali approbatione per Episcopum facta, ita ut alioquin irrita sit absolutio quam attentaret impendere, quantumcunque Parochus conaretur ei dare jurisdictionem: quia ex decreto dicti Concilij approbatio est conditio prorsus necessaria. Vide quæ diximus p.2. variar. Resol. verb. *Religiosus* 6.

Secundum est, Conc. disponere solum de confessionibus sæcularium; ac proinde sicut ante illud, ita & nunc, regularis ab Episcopo non approbatus potest ex commissione sui superius audire confessiones regularium. Imò, qui regulares poterant olim confiteri sacerdotibus sæcularibus non approbatis ab Episcopo; etiam nunc possunt: ut docent Navarr. cap. 4. numer. 7. Vivald. tract. de *Absolutione*, Sa verbo *confessor*.

Notandum autem quod religiosi & religiosæ nunquam potuerunt, stando in jure communi, eligere confessarium quemcumque non approbatum ab Episcopo, sed solum potuerunt eligere approbatum à suis prælatis, qui pro suis regularibus possunt approbare idoneum, ut Episcopus, ait Henriquez l. 6. ca. 13. Et Roderiquez tom.1.qu. 62.ar.4. Juris enim communis est quod nullus sacerdos



cerdos neque sæcularis neque regularis potest audire confessiones religiosorum aut religiosarum nisi à prælatis ipsorum jurisdictionem accipiat, atque ita per ipsos approbetur. A

Petes, an confessarij monialium debeant esse approbati per Episcopum. Resp. esse distinguendum. Aut enim illæ moniales sunt subjectæ Episcopo tanquam suo Ordinario; aut ab illo exemptæ, subjiciuntur alicui Provinciali vel simili superiori. Si prius, confessarij earum debent esse per Episcopum approbati: si posterius, non est necesse, modò juxta veterem consuetudinem approbati sint per earum Prælatos. Ratio diversitatis est, quia omnis confessarius debet accipere jurisdictionem à prælato earum religiosarum quarum est confessiones auditurus, & hoc ipso quo ab eis jurisdictionem accipit, censetur approbatus pro talibus. Religiosæ autem prioris generis non habent alium prælatum quam Episcopum: ergo confessarius earum debet ab Episcopo jurisdictionem accipere & approbari. Cæteræ verò religiosæ habent alios prælatos, & Concilium Tridentinum, nihil innovavit circa jus quod isti prælati prius habebant quoad approbationem confessariorum pro suis regularibus; ergo sicut ante Concilij decretum sufficiebat & requirebatur approbatio per ipsos facta pro confessionibus suarum monialium; ita modò. B

Cæterum, ut religiosi quicunque possint audire confessiones sæcularium, etiam illorum qui in monasterijs degunt; opus habent approbatione Episcopi. Hæc enim approbatio pro confessionibus omnium sæcularium, etiam Sacerdotum, necessaria est confessarijs omnibus, tam regularibus, quam sæcularibus. Et quia Synod. dicit, *approbationem obtineant*: ordinariè non sufficit esse petitam & non obtentam, etiamsi fortassis injustè negetur, An autem quibusdam id sufficiat: ex eorum privilegijs dijudicandum est. Navarr. c. 27. n.264. affirmat: sed ei contradicunt recentiores, Suarez tom.4. disp.28. sect.5. & Vasq. q. 93. ar.3. dubio 3. quibus favet declaratio Pij V. facta anno 1571. quâ vult decretum Concilij de approbatione regularium audiendis sæcularium confessionibus deputatorum ab Episcopis facienda, observari debere in omnibus regularibus, quorumvis ordinum: etiamsi sint doctores. C D

Tertium Notandum est, approbationem hanc non necessariò fieri per examen, sed vel per illud, vel alio aliquo modo, quo sufficienter constet de scientia, pietate, & prudentia. Neque necesse est Episcopum per seipsum approbare, sed hoc potest per deputatos.

## QUÆRITUR V.

*Cujus Episcopi approbatio sit necessaria.* E

An scilicet pœnitentis, an confessarij, an loci ubi confessio excipitur. De loco materiali non est magnopere laborandum. Nam parochus, & quilibet sæcularis qui aliter approbatus habet jurisdictionem, potest suum subditum ubicunq; repertum Sacramentaliter absolvere cùm in his quæ fiunt sine strepitu judicij, non violetur jus alicujus. Ita post Sylv. verb. *Confessor* 1.q.14. flores Theologici, Victoria, Tolet. l.3.ca.3. Roderiquez. Tota ergo difficultas manet de reliquis duobus.

Pro cujus solutione, sit

*Sylv. in III. Part.*

### Conclusio I.

Approbatio ejus qui non habet beneficium Parochiale: nec est de numero regularium privilegiatorum, debet fieri per Episcopum pœnitentis. Quia ad eum pertinet providere ministros idoneos suis ovibus: & fieri potest ut judicatus idoneus pro uno Episcopatu, non habeat scientiam sufficientem pro alio. Hinc est (exempli causa) quod cives Cameracenses nō possint (etiamsi Pastores consentiant) venire Duacum eo animo ut confiteantur Capellanis illis Duacensibus, qui pro sola Diœcesi Attrebatensi sunt approbati, neque Sacerdotes Duacenses approbati à suo Ordinario, possint ire Cameracum, & ibi audire confessiones Cameracensium, nisi ab Archiepiscopo Cameracensi approbentur. Confer quæ dicuntur in seq. q. 6.

Nec his obstat illud quod supra diximus de peregrinis: quia dum hi sine fraude versantur extra suam diœcesim, subjiciuntur tantisper Episcopis locorum ubi sunt, quantum ad Sacramenta. *Ob.* *Resp.*

Si dicas, approbare Confessarium est actus jurisdictionis, ergo debet fieri à proprio Episcopo Confessarij, cùm is jurisdictionem habeat in Confessarium. Resp. Neg. C. quia dum Episcopus pœnitentis approbat ei Confessarium alterius diœcesis, habet in ipsum Confessarium jurisdictionē, per hoc quod Sacerdos ille quatenus ab eo approbatur, se ipsi subjicit. Nec obstat, quod si Episcopus eligere velit Confessarium non sibi subjectum debeat eligere approbatum ab Ordinario Episcopo Confessoris, ut declaratur in Resp. Cardinalium: quia hoc est verum, si is qui eligitur maneat non subditus Episcopo, ipsum eligenti. Si enim fieret illis subditus, ut si approbaretur pro diœcesanis, censendus etiam esset approbatus pro ipso Episcopo, & non indigeret approbatione alterius Episcopi. *Ob.* *Resp.*

### Conclusio II.

Parochi censentur approbari per eum Episcopum qui confert eis beneficium parochiale. Patet ex dictis quæsito 4.

### Conclusio III.

Religiosi, etiam privilegiati, debent approbari per Episcopum ejus diœcesis, ubi sunt confessiones excepturi. Sic autem approbati, possunt, ait Nav c.27.n.266. per privilegium Sixti IV. audire confessiones omnium qui ad sua loca venerint; non tamen possunt audire extra loca pro quibus sunt approbati; sed mutantes diœcesim indigent approbatione illius Episcopi, ad cujus locum veniunt.

## QUÆRITUR VI.

*Utrùm approbatus ab uno Episcopo, censeatur approbatus pro omni loco.*

### Conclusio I.

Parochus, quamdiu habet beneficium parochiale, censetur ubique approbatus, ut etiam in alijs Diœcesibus possit audire Confessiones,

Universidad de Deusto
Biblioteca



modò jurisdictionem accipiat à parochis pœnitentium. Concilium enim ponit duo diversa quibus reputetur aliquis idoneus, vel quod habeat parochiale beneficium, vel quod sit alioqui approbatus ab Episcopis. Ita Suarez disp. 28. de eligendo sacerdote, sect. 4. Vasquez tom. 4. qu. 93. ar. 3. dub. 4. Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 6. quatenus dicit quod parochus censetur ubique idoneus ut eligi possit per bullam aut ex alterius parochi delegatione in proprias oves. Qui verò beneficium parochiale habuit, sed jam non habet, neque sacerdotum neque aliorum confessiones audire potest sine nova Episcopi licentia; quia ejus approbatio & admissio expiravit.

A

### Conclusio II.

NOn habens beneficium parochiale, si sit approbatus ab uno Episcopo, non propterea est approbatus pro alijs diœcesibus: sed solum pro tota Episcopi approbantis diœcesi, si absolutè approbatur: si verò tantum approbetur pro una parte diœcesis; non censetur approbatus pro alia: ac proinde non potest in alia confessiones audire, etiamsi pastores ei darent jurisdictionem.

Primus probatur, quia Concil. Non dixit, ab uno Episcopo idoneus judicetur, sed ab Episcopis: quasi diceret, ab unoquoque in sua diœcesi. Ita Vasquez dictæ qu. 93. dub. 4. Quo pertinet constitutio Bonifacij VIII. per Clementem V. renovata tit. de sepulturis. Clementina *dudum*, ubi de religiosis dicitur; *Extra civitates & diœceses in quibus fuerint deputati, confessiones nullatenus audiant.*

C

Posterius probatur, quia non est idem judicium approbationis limitatæ, quæ absolutæ: neque idoneus uni loco, censeri debet idoneus pro alijs. Adde, quod Episcopi sic approbare solent ad unum locum; ut non velint simul approbare pro alijs. Patet hoc tum experientia, tum ex Synod. Iprensi tit. 16. cap. 9. & ex cap. 2. partis 2. Instructionum pastoralium S. Caroli Boromæi: & ex eo quod Responsio Cardinalium habet approbatum ab alio quam ab Arciepiscopo Valentino, non censeri approbatum ab Ordinario ad audiendum confessiones in diœcesi Valentina.

D

### Conclusio III.

IS qui à pastore vel ab Episcopo habet facultatem eligendi confessarium, debet eligere aliquem parochum, vel eum qui sit ab ipso pœnitentis Episcopo approbatus. Idemque videtur judicium de illo qui per bullam aliquam habet privilegium; quia verba bullæ sunt intelligenda prout jure communi intelliguntur; jus autem commune sic intelligitur, ut in unaquaque diœcesi approbatio sit necessaria ab Ordinario istius loci. Vide Vasq. q. 93. ar. 3. dub. 4. & Sa verbo *Confessor* post correctionem Romæ factam. Attendi nihilominus debent singula privilegij verba. Quandoque enim (ut in Jubilæo) conceditur fieri confessio quibuslibet sacerdotibus ab Ordinario ipsorum sacerdotum approbatis, sic ut in bulla nihil dicatur de Ordinario pœnitentium, quemadmodum habetur in responsis Cardin. Unde Pesantius hujus Suppl. quæst. 40. disp. 3. post Henriquez l. 3. de Pœnitentia c. 6. docet alicubi approbatum, posse ex Cruciatæ vel Jubilæi privilegio ubique eligi; & sic respondisse præcipuos Theologos Hispaniæ, & omnes Magistros Dominicanos, Minoritas & Augustinianos. Nihilominus existimaverim securius esse, quod in Jubilæo, omnes diœcesani confiteantur alicui ab Episcopo illius diœcesis approbato: Et sic bullas Jubilæorũ solent his in locis interpretari Episcopi.

E

### Conclusio IV.

APprobatio semel facta semper durat in parocho quamdiu manet parochus, & in officio seu exercitio parochi: in alio autem donec revocetur, nec morte approbantis extinguitur. Pesantius ibidem, Nugnus hîc dub. 9. & Sa verbo *Gratia*: Idemque judicium est de concessa jurisdictione. Si verò parochus à suo officio suspendatur non potest, ea suspensione durante, audire confessiones, nec sacerdotum nec aliorum, nec licitè nec validè, nisi sit suspensio à jure, eaque non denuntiata, vel ab homine quidem, sed non totalis.

B

### Conclusio V.

TAm approbatio quam jurisdictio potest revocari. Et quamvis sine causa revocans peccare possit; revocatio tamen est valida saltem in sæcularibus, quia tota illorum approbatio & jurisdictio pendet ab Episcopis; qui cum possint eam limitare, ad tempus, locum, aut personas; possunt etiam non limitatam annullare.

C

An verò possit revocari approbatio regularium; ex eorum privilegijs pendet: quorum hoc est unum Pij V. ann. 1571. ut semel ab Episcopo approbati non possint ab eodem iterum examinari; possint tamen ab ejus successore.

### Conclusio VI.

COmmissio eligendi confessorem, concessio jurisdictionis, vel approbatio; si fiat per suspensum à jurisdictione, vel excommunicatum nominatim denuntiatum, aut notorium clerici percussorem, non tenet: quia hæc omnia sunt actus jurisdictionis, quam non habet is qui ejusmodi censuris est innodatus. An verò talis commissio, concessio, vel approbatio legitimè facta, tollatur per supervenientem excommunicationem committentis, quæri potest. Cum Paludano & Victoria putamus quod non.

D

## QUÆRITUR VII.

*Quæ bonitas, scientia, prudentia, confessori necessaria.*

EX ijs quæ parte 3. qu. 64. ar. 6. diximus, notum relinquitur, contritionem quidem in audituro confessiones requiri, si mortaliter peccavit; confessionem tamen non esse prorsus necessariam. Requiritur etiam, ut nulla censura sit innodatus; ita tamen ut absolutio per excommunicatum, suspensum, aut interdictum prolata, sit valida; modò nec sit nominatim denuntiatus, nec notorius percussor clerici, juxta extravagantem. *Ad evitanda*, communiter receptam. *Quæ bonitas.*

E

Scientia porrò tanta requiritur, ut sciat tum discernere peccata mortalia à venialibus, circumstantias, casus reservatos, & censuras: tum judicare de pœnitentis dispositione, & de alijs quæ conveniunt personis, quibus præficitur, quamvis non sit necesse *Quæ scientia.*



necesse quod omnia possit semper per se definire; modo sciat in difficultatibus dubitare; & dubitando, libros aut peritos viros consulere. A

*Quæst.* Petes, an de singulis in confessione auditis, debeat ferre judicium in particulari, quod in tali peccato pœnitens mortaliter deliquerit, vel quod excusatus fuerit per ignorantiam aut inadvertentiam, vel aliam causam.

Item, an debeat habere distinctam singulorum memoriam, quando vel injungit satisfactionem, vel profert absolutionem.

*Resp.* Ad utrumque Responsio est negativa: sufficit enim quod adhibeat diligentiam sciendi qualitatem & quantitatem peccatorum prout potest.

Probatur *Primò*, quia etiam doctissimi vix ac interdum omninò non possunt ita determinatum ferre judicium: sive quia dubitatur de ipsa re inter doctores, sive quia pœnitens non potest scire num consenserit suggestioni, vel quid simile. B

*Secundò*, quia satis est sic audire & intelligere omnia quando dicuntur, ut in satisfactione injungenda, sufficienter meminerit status pœnitentis, ad eam competenter injungendam, Vide Sylvestrum verbo *confessor* 3. p. qu. 9. & Vasquez tom. 4. qu. 93. ar. 3. dub. 2.

*Quæst.* Utrum verò defectu scientiæ confessarij, irrita sit confessio pœnitentis, ambigitur; veluti, si noverit quidem proferre formam, sed omninò sit imperitus, putans esse venialia quæ sunt ex genere suo mortalia, & contrà. C

Navarr. c. 9. num. 12. ponit duos casus, in quibus confessio sit ex hoc defectu, iteranda. *Unum*, si pœnitens noverat illam confessoris ignorantiam.

*Alterum*, si in ipsa confessione intelligit confessarium non percipere gravitatẽ delicti: ut qui simplicem fornicationem, vel omissionem communionis paschalis, non sciat esse peccata mortalia.

Verum in hujusmodi casibus, confessio iteranda est, non tam ob ignorantiam confessarij, quam ob indispositionem pœnitentis; qui videtur velle peccatorum suorum gravitatem tegere, & non de illis ex animo dolere, dum absolutionem volens & sciens recipit ab eo quem videt sic imperitum. Unde, si confessorem suum instrueret, eumque sic moneret gravitatis suorum peccatorum, ut suppleret ejus insufficientiam; confessio valeret. D

*Resp.* Quapropter verius videtur quod confessio non sit invalida, propter solum defectum scientiæ sacerdotis, modò cætera adsint. Ita Nugnus dubio 4. ad hunc articulum. Probatur, quia licet sacerdos sit ignarus, si tamen sit approbatus, & habeat jurisdictionem; adsunt materia, forma, & minister cum intentione: ergo si pœnitens agit bona fide, & sufficienter dispositus accedit, Sacramentum valebit.

Deinde, si ejusmodi absolveret in articulo mortis absolutio teneret; ergo & extra illum; quia casus necessitatis non facit, ut quod alioquin est natura sua invalidum, sit propter eam validum. Neque est simile de confessario, qui vel non sciret idioma pœnitentis, vel dormiret eo confitente: quia tunc confessarius non audiret peccata, confessionemque peccatorum. E

*Quæ prudentia.* Prudentia denique requiritur in confessario: *Primum*, ut discretè pœnitentem inducat ad aperiendam suam conscientiam.

*Secundò*, ut eum permoveat ad sincerum dolorem de peccatis commissis, verumque propositum deinceps abstinendi, & ad sperandam veniam, confidendumque de Dei misericordia.

*Tertiò*, ut convenientem injungat satisfactionem & remedia oportuna adhibeat, de quibus videantur qui de casibus conscientiæ scribunt.

Hinc pertinet, quod si confessarius videat pœnitentem versari in juris aut facti ignorantia crassa sive contra jus divinum, sive contra humanum, aut habere scrupulum, teneatur eum monere & instruere: & similiter, si videat ipsum laborare ignorantia inculpabili, sed ex monitione sperat fructum nec ullum metuat notabile incommodum: Confessarius enim est doctor, consultor, medicus, & Judex pœnitentis: ideoque debet ipsum docere, ei bene consulere, diligenter curare; & ad peccatorum singulorum confessionem & detestationem inducere, ut sententiam ferat quam oportet.

Si verò pœnitentis ignorantia sit inculpabilis, nec videtur monitio profutura, vel ex ea timentur gravia incommoda; non debet sacerdos eum monere, quia monitio esset inutilis ac perniciosa.

Hinc, si confessarius noverit esse impedimentum dirimens inter conjuges qui ipsi confitentur, & illud sit omnino occultum, invincibiliterque ignoratum à conjugibus, qui nihil aliud sciunt quam se esse legitimè conjunctos: & si aliud scirent, nunquam vellent carnaliter commisceri: non debet ulli revelare, quando ex revelatione apparent secutura magna incommoda. Vide Navarr. c. 22. num. 83. Dominicum dist. 18. qu. 2. ar. 4. & ante illos, Innocentium III. qui c. Quia circa, tit. de consanguinitate, illos qui contraxerant in gradu prohibito, ita relinquendos voluit, propter scandalum quod alioquin imminebat. *De impedimẽto occulto ignoratum nimirum.*

Si autem alteruter conjugum confitendo ostendit se habere dubium aut scrupulum de suo matrimonio: tacere tunc non potest, sed debet veritatem explicare, & monere ut ita se gerat, quomodo explicatur qu. 55. seq. ar. 9. ad 3.

## QUÆRITUR VIII.

*Quid faciet, qui commisit errorem in confessionem audiendo.*

### Conclusio I.

QUi per ignorantiam crassam aut affectatam neglexit injungere pœnitenti, ut restitutionem ad quam tenetur, faciat; remanet obligatus ad restituendum: quia est in causa, ne damnificatus recipiat quod ei debetur. Ita post Rosellam & Angelum Navarrus c. 17. num. 22. Petrus Navarra lib. 3. c. 4. num. 125. Sayrus l. 10. c. 14. *Resp.* 1.

*Confirmatur*, quia ex officio suo tenetur confessarius, sive proprius, sive alius, monere pœnitentem restitutionis, ad quam tenetur: & sic obstare damno quid infert, detinendo rem alienam: qui autem non impedit damnum, cùm possit & ex officio debeat, est causa damni non impediti, & sic tenetur ad illius restitutionem, 2. 2. q. 62. ar. 7.

Nec obstat quod confessarius non teneatur ex officio procurare bonum tertij: quia satis est quod obligetur providere, ne is quem habet in confessione subjectum, ullius rem detineat injustè. Hinc prætor, si videat suos subditos nocere uni non sibi subjecto, & non impediat, cum possit; tenetur ad restitutionem; etiamsi non teneatur procurare bonum illius tertij.

Cæterum, si per oblivionem, incogitantiam, vel inadvertentiam prætermittat confessarius monere pœnitentem restitutionis; meritò excusatur: eo *Resp.* 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



quod tunc sit proprie causa damni : Unde Nava. dicit sententiam suam procedere in confessario vidente aut credente quod nisi restitutionem præcipiat confesso, non restituet ; restitueret autem si præciperet. A

### Conclusio II.

*Confer q. 11. ar. 4. in fin. Resp.*

Qui pœnitentem non absolvit, cùm posset, vel absolvit, cùm non posset; non debet hoc ei simpliciter dicere extra confessionem, ne arguatur sigilli fracti, sed ei si præsens sit, dicat : Vellem quod adhuc semel venires ad me pro confessione, quia habeo unum verbum tibi utile. Si acquiescit, officium tunc suum adimpleat: si verò B nolit, aut si pœnitens sit ignotus vel absens, Pœnitentiam agat confessor sui erroris, nunquam verò à peccatis absolvat absentem : quia forma Sacramenti Pœnitentiæ requirit præsentiam hominis, qui absolvitur : sicut forma Eucharistiæ, præsentiam materiæ quæ consecratur ; ut amplius dicetur qu. 9. ar. 3. Si pœnitens esset probus, & facultatem daret confessario dicendi extra confessionem id quod in ea dicendum habet, declaret tunc defectum commissum, quando nullum timetur incommodum. Si autem vel confessario vel alicui alteri timetur notabile damnum in honore, fama, vel alia re, casu quo defectus absolutionis declaretur ei qui bona fide putat se esse bene absolutum, C in ista bona fide est relinquendus.

## QUÆRITUR IX.

*Quando confessor teneatur audire confessionem pœnitentis.*

Indubitatum est parochum toties per se vel per substitutum teneri audire suos parochianos, quoties illi tenentur confiteri : veluti semel in anno, & in mortis etiam ex morbo contagioso imminentis vel instantis periculo : & quando alias oportet quod communicent. At dum alijs temporibus confiteri volent, quibusdam visum fuit quod D non teneatur eos audire.

Sed contrarium est indubiè tenendum. *Primò*, Quia parochus ex officio tenetur non impedire profectũ spiritualem subditorum ; impediret autẽ, si nollet eorum confessiones etiam tunc audire.

*Secundò*, Quia fides acceperunt à Christo jus petendi ab Ecclesiæ ministris, non solum remedia necessaria, sed etiam utilia : ergo ministri tenentur ea ministrare.

*Tertio*, Alioquin competeret in eos illud Ezec. 34. *Quod infirmum fuit non consolidastis: quod ægrotum non sanastis* &c.

Non dicimus tamen eum toties peccare mortaliter, quoties recusat audire suum subditum ; E quia si is, vel irrationabiliter vel importunè petat ; vel pastor sit alijs justè occupatus ; vel non differat petitionem nimis diu ; excusari potest. Secus, si videat justam petitionem pœnitentis, vel si sciat peculiarem ex confessione utilitatem ipsi proventuram ; & cum sine incommodo possit, nolit audire.

Confessarij verò, quibus non incumbit cura animarum ; tenentur audire confessiones in extrema, ac etiam in gravi necessitate : in communi autem, non facilè potest assignari quando teneantur sub mortali.



### Articulus VI.

*Utrum pœnitens possit in fine vitæ à quolibet sacerdote absolvi.*

Videtur quod non ab hæretico : quia caret fide, & consequenter fundamento jurisdictionis.

Responsio tamen affirmativa tenenda est, pœnitentem in articulo mortis per quemlibet sacerdotem, suspensum, interdictum, excommunicatum, schismaticum, hæreticum, degradatum, posse absolvi à quibusvis peccatis & censuris. Ita Sylvester verbo *Confessor* 1. q. 29. Angelus, *Confessio* 3. q. 2. Canus p. 5. de Pœnitentia, & B. Thomas hic. Quod autem 3. p. q. 82. art. 7. videtur hæreticos excipere ; ibidem fuit explicatum.

His accedit declaratio Conc. Trid. sess. 14. c. 7. Quamvis enim nonnulli eam restringant ad sacerdotes catholicos, aut nondum manifesta defectione vel rebellione præcisos ; verius tamen accipitur in ea generalitate, quam verba significant, ut etiam Navarrus intelligit cap. 27. nu. 272. qui prius contrariũ secutus fuerat, immemor, ut fatetur, concilij.

Ad Arg. Resp. fidem non esse fundamentum jurisdictionis, sed potestatem ordinis sacerdotalis : Alioquin sequerctur absolutos ab hæretico merè interno, non esse verè absolutos.

Porrò, quamvis Synod. Trident. solum expresserit, articulum mortis : & quamvis etiam rigidè loquendo diversa sint articulus mortis, & ejus periculum ; ideoque Dominicus in 4. d. 18. q. 4. ar. 4. Valentia tom. 4. disp. 7. qu. 10. & alij quidam velint non posse quemlibet à sacerdote quolibet absolvi in mortis periculo, sed tantum in articulo ; oppositum tamen est verius. Et propterea cum Glossa ad cap. Pastoralis, de off. jud. ordin. Palud. in 4. dist. 20. q. 1. ar. 2. Sylvest. verbo *Confessor* 1. q. 6. Navarr. Enchir. c. 2. nu. 9. c. 26. nu. 31. c. 27. nu. 272. Suarez & Vasquez in 3. p. Faventino in 4. d. 17. Bonacina disp. 1. de censuris omnino existimamus quoad rem præsentem idem licere in periculo mortis quod in articulo ; quia jura facientia potestatem absolvendi, non distinguunt inter articulum & periculum mortis : ut patet ex capitulo *eos qui*, de sent. excomm. in 6. ubi qui prius vocatur *articulus* mortis, paulò post vocatur *periculum* : ac insuper ex 17. qu. 4. cap. *Si quis* & ex c. *ea noscitur*, de sentent. excomm. *Confer q. 6. ar. 5. quæst. to. 1.*

Deinde, necessitas urgens non tantum est in articulo, quando anima jam est exitura, sed etiam in evidenti periculo : facultas autem illa conceditur propter necessitatem urgentem.

Advertendum tamen quod sive in articulo, sive in periculo mortis ; tum demum potest quis absolvi per prædictos, quando nec sacerdos proprius ; nec delegatus, aut privilegiatus, nec alius ad audiendas confessiones admissus potest haberi ; quia potestas hæc, cuilibet sacerdoti solum conceditur in supplementum, seu defectum eorum qui aliàs habent legitimam potestatem quemadmodum docent Durand. in 4. distinct. 19. quæst. 2. Richard. distinct. 17. Angelus verbo Confessio, Sylvester verbo *Confessor* 3. quæst. 6. Molin. to. 4. de justitia disp. 63. Sanchez lib. 2. in decalog. cap. 13. Bonacinas de censuris in communi disp. 1. q. 3. & complures alij quos sequitur Catechism. Rom. p. 2. c. 5. quæst. 48. Unde Rituale Rom. Pauli V. jussu editum : *Si* (ait) *periculum mortis immineat, approbatum*



*insque desit confessarius, quilibet sacerdos potest à quibuscunque censuris & peccatis absolvere.* Quapropter in mortis articulo vel periculo prorsus existimamus, nihil posse sacerdotem extraneum vel non admissum, præsente proprio vel ejus vicario, vel privilegiato. Quamquam non oporteat simplicem vel inferiorem sacerdotem, esse nimis scrupulosum in examinando, utrum infirmus, qui est in mortis periculo, possit mente sanus supervivere, donec adveniat qui extra illum casum legitimus est ejus confessarius, vel facultas obtineatur à superiore : sed, si hac de re sit dubium, bona fide infirmi confessionem audiat, eumque absolvat ; ne alioquin contingat sua meticulositate infirmum mori sine Sacramento. Non enim est mens Ecclesiæ, reservare casus, cum tanto pœnitentis periculo. Imo si sacerdos inferior vel non approbatus non existente copia alterius, cœperit audire confessionem hominis letaliter vulnerati, aut aliter in mortis periculo constituti ; & postea superveniat Episcopus, parochus, vel alius approbatus ; is qui cæpit potest reliqua audire, & ab omnibus absolvere, si censuram superiori jam præsenti reservatam non habeant annexam (quo casu pœnitens per se vel alium debet illi superiori se sistere priusquam absolvatur,) tum quia legitimam habebat jurisdictionem, quando cæpit audire, tum quia non est verisimile quod Ecclesia velit ut talis infirmus confessionem cæptam repetat, eademque peccata bis C confiteatur, & quidem diversis.

Petes, quo modo alijs deficientibus licet petere absolutionem ab hæreticis & alijs præcisis, modò sive scandalo & periculo fiat ; cum constet jurisdictionem esse illis ademptam, aut suspensam ? Resp. quia talibus quidem simpliciter auferetur vel suspenditur jurisdictio, sed non quoad articulum necessitatis ; in quo illam habent ex concessione Ecclesiæ, quæ propter animarum salutem vult jurisdictionem in articulo mortis esse penes omnes sacerdotes. Unde non est hìc recurrendum ad jus divinum, sed ad Ecclesiasticam consuetudinem, Ecclesiæque voluntatem, ut indicavit Synod. Trid. & B. Thom. hìc ad 3.

Cæterum, qui propter periculum mortis fuerint absoluti à censuris superiori reservatis, si evaserint, obligantur ut quamprimum fieri potest, sistant se superiori : non quidem ut rursus absolvantur, sed ut mandatis ejus pareant. Ita enim præcipitur dicto cap. *Eos qui* : & nisi fecerint, reincidunt in easdem censuras. D

Qui verò absoluti fuerint à casibus reservatis non habentibus censuram annexam ; neque tenentur se illi sistere cui erant reservati, neque amplius confiteri : ut annotavit post Paludan. Sylvester, verbo *Confessio* 1. quæst. 19. & Navarrus c. 26. num. 26.

E

### Articulus VII.

Art. 7. docet quatenus pœna temporalis taxanda sit secundùm quantitatem culpæ : sed hoc ad materiam de satisfactione pertinet ; de quo proinde videat lector quæst. decimam tertiam hujus Suppl.

## QUÆSTIO IX.

*De qualitate confessionis.*

### Articulus I.

*Utrum confessio possit esse informis.*

*Variæ acceptiones confessionis informis.*

Informis intelligi potest, *Primò*, quia non informatur forma Sacramenti.

*Secundo*, quia deest aliquid aliud essentiale.

*Tertiò*, quia non habet gratiam conjunctam, antequam forma pronuntietur.

*Quartò*, quia licet confessioni forma accedat, & Sacramentum subsistat, non consequitur tamen gratiam quæ est effectus ad quem ordinatur. De primis tribus modis non est dubium, quin confessio possit esse informis. *Primo*, quidem, ut si sacerdos post confessionem legitimam, verba formæ non proferat ; vel proferat quidem, sed non cum debita intentione. *Secundo* : si non sit integra, vel fiat ei qui jurisdictionem non habet. *Tertio*, quando remissio peccatorum confertur per ipsam absolutionem, & non per præviam contritionem.

De *Quarto* modo dicit Author quod confessio quatenus est actus virtutis (perfectæ scilicet) non possit esse informis ; quia sic semper habet charitatem conjunctam ; possit autem ; quatenus est pars Sacramenti, ut sic desit contritio.

## QUÆRITUR ERGO.

*Utrum confessio sine contritione facta, possit esse informis, & tamen valida, ideoque non repetenda.*

Non pauci affirmant, eo præsertim casu quo pœnitens vel bona fide putat se contritum, vel advertens contritionen sibi deesse, id sincerè D exponit confessario, causa remedij consequendi.

Responsio tamen negativa, videtur esse solidior. Primò, quia contritio est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ ; deficiente autem parte essentiali, non subsistit totum ; sive illa pars desit per ignorantiam invincibilem, sive aliter. Antec. traditur ab Auth. qu. 8. ar. 2. ad 1. his verbis, *In Sacramento Pœnitentiæ, non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio & satisfactionis injunctio, sed etiam aliquid ex parte ipsius qui suscipit Sacramentum, quod est etiam de essentia Sacramenti, sicut contritio & confessio.* Et rursum, qu. 29. art. 8. *existente*, inquit, *contritione, quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de essentia hujus* (extremæ sc. unctionis) *Sacramenti.* Et confirmari potest ex CC. Flor. & Trid. quæ cum assignant materiam vel partes hujus Sacramenti, semper ponunt contritionem primo loco, tanquam scilicet omninò necessariam. Unde Trid. sess. 14. c. 6. docet eum non esse verè & coram Deo absolutum, qui nullam habet contritionem. Confer quæ diximus q. 1. ar. 3. Cæterum *contritionis* nomine, intelligimus omnem illã *quæ est dolor animi ac detestatio de peccato commisso, cum proposito nõ peccandi*, sive sit perfecta, sive imperfecta, quæ etiam vocatur Attritio. *Resp. nõ posse.*

Secundò, Quilibet dolor de peccatis, etiam parvus, modò habeat rationem veræ contritionis, cum

Universidad de Deusto
Biblioteca



cum Sacramento delet omnem culpam: ut dictum A fuit art. 3. q. 5. ergo dolor qui sufficiat ad esse ipsius Sacramenti, etiamsi sufficit ad ejus effectum: & propterea non est agnoscendum, quod Sacramentum pœnitentiæ teneat, quando defectu doloris non confertur gratia.

*Ob.*

*Resp.*

Nec obstat quod alia Sacramenta subsistere possint, quando suscipientes non recipiunt gratiam: quia in illis contritio solùm est dispositio ad effectum Sacramenti; in hoc autem est insuper materia, & quidem necessaria. Unde Synod. Trid. non alium dolorem agnoscit qui sit materia Sacramenti, & alium qui sit præparatio ad gratiam.

Tertiò, Si pœnitens defectum suum advertit; vel hoc confitetur, vel non: si prius, absolvi non debet quamdiu talis est, quia Sacerdos non potest B absolvere eum quem scit indispositum; & si tentet nihil agit: Si posterius, confessio non est integra, cum hoc ipso mortaliter peccet. Si verò defectum non advertit; talis inadvertentia non facit eum habere materiam Sacramenti necessariam; & ideò cùm ea desit, Sacramentum non subsistit. Ita sentiunt Adrianus q. 4. de confessione, Major in 4. d. 17. q. 9. Gabriel q. 1. Joannes Medina tra. 2. q. 20. de confessione, Vasquez tom. 4. in 3. q. quæst 92. art. 2. num. 13. Layman tract. 6. cap 9. de Sacram. Pœnit. Fagundez de 2. præcepto l. 1. cap. 2. num. 2. cap 4. nu. 13. l. 2 c. 7. cum multis illic ab eo citatis, Gamacius cap. 21. de Pœnit.

*Ob. tacita solvitur.*

Neque propterea debent fideles esse anxij de suis C confessionibus repetendis: quia non requiritur ab eis certitudo, sed sufficit probabilis existimatio quod omnia ad bonam confessionem necessaria adfuerint. Si fortassis in illâ suâ existimatione fallantur: quamdiu syncerè agunt & defectum non advertunt, excusantur; & omnium remissionem consequentur per proximam confessionem debito modo factam.

Ex his consequenter est dicendum, *Primò*, quod Sacramentum Pœnitentiæ, fictè, id est, sine verâ contritione saltem imperfecta, seu sine supernaturali dolore de peccatis contra Deum commissis; neque sit validum, neque consequatur suum effectum, recedente fictione.

*Secundò*, quod ejusmodi confessio sit repetenda, quando advertitur defectus.

*Tertiò*, quod per eam non satisfiat præcepto Ecclesiæ, ut nec divino.

*Quartò*, quod B. Tho. ad 23. seu dicta q. 29. art. 8. tacitè retractaverit, quod hoc articulo ex dist. 17. sumpto dixerat. Quid articulus octavus, si bene perpendatur, B. Thomas videbitur hanc nostram resolutionem expressisse: Docet enim quod omnibus quæ sunt de essentia Sacramenti, ritè peractis, semper ex operatione ministri consequatur aliquis effectus: sicut character in Baptismo & Confirmatione, & Transubstantiatio in Eucharistia: ita remissio peccati in Pœnitentiâ: ergo quandocumque E Sacramentum subsistit, remissio peccatorum datur.

## ARTICULUS II.

### *Utrùm oporteat confessionem esse integram.*

SENSUS EST, An pœnitens teneatur omnia sua peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem habet conscientiam, in unâ eademque confessione recensere, quantumcumque sint occulta.

RESP. AFFIRM. est fidei declaratæ in Concilijs Flor. & Lateranensi, ac novissimè in Trid. sess. 14. cap. 5. Probatur PRIMÒ, quia confessio est medium, ex institutione Christi necessarium, ad remissionem quorumcumque peccatorum mortalium à Baptismo commissorum: ut q. 6. probavimus. *Confessio debet esse integra.*

SECUNDÒ, Sacerdotes constituti sunt à Christo judices pœnitentium: illi autem ferre non possunt sententiam, nisi causâ probè cognitâ; & eam cognoscere non possunt, nisi per confessionem omnium & singulorum peccatorum mortalium: ergo debent illam audire.

TERTIÒ, Sacerdos non potest remittere unum peccatum sine alio: pœnitens autem ideò confitetur, ut consequi possit remissionem peccatorum; ergo debet omnia confiteri. Unde Synod. Trid. *qui scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat agrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.*

QUARTÒ, Sacerdos audiens confessionem gerit vices Dei; ergo debet illi fieri confessio eorum peccatorum, quæ confitenda sunt Deo: apud Deum autem non satis est aliquorum accusatio, sed omnium omninò necessaria est.

QUINTÒ, Confessio est signum contritionis; ergo debet esse omnium eorum, de quibus est C contritio: hanc autem debere esse de omnibus, ostensum fuit art. 6. q. 2.

SEXTÒ, dividere confessionem est hypocritum, qui enim aliqua celat, re ipsa dicit se non plura commisisse, quam exprimat; quod est mendacium in facto, & simulatio sacrilega: adeò ut non solùm tollat utilitatem, sed etiam veritatem Sacramenti.

Huc facit perpetua Ecclesiæ traditio. Clemens Rom. epist. 1. refert de Sancto Petro, quod instruebat fideles, cogitationes malas cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere, & sacerdotibus domini manifestare.

Cyprian. in l. de lapsis: *Quantò*, ait, *& fide majores, & tempore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti: quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt.* Videri possunt Tertull. de Pœnit. c. 10. Hier. in c. 10. Ecclesiasticæ, Pacianus, paræneſi ad Pœnitentiam, & quæ latè discussimus p. 2. Variarum Orat. D

Cæterum cùm hæc intelligenda sint de eo quod formaliter & per se fieri debet: cumque ad integritatem multa possint pertinere.

## QUÆRITUR I.

### *Quid requirat confessionis integritas.*

VIDETUR quòd non confessionem peccatorum singulorum quoad speciem & numerum. PRIMÒ, quia potest quis absolvi ab unâ excommunicatione, non absolutus ab alia: ergo similiter à peccatis.

SECUNDÒ, in Judicijs externis non exigitur ut reus confiteatur omnia quæ peccavit, ergo nec in interno.

TERTIÒ, Videretur alioquin confessio esse impossibilis, aut saltem carnificina conscientiæ.

QUAR-



QUARTÒ, Scribitur de Carolo Martello quod A ei pro pudore non audenti peccatum quoddam confiteri; fuerit illud remissum precibus B. Ægydij sine confessione.

QUINTÒ, Sunt peccata quædam omnibus notissima; ergo saltem illa non sunt confitenda.

SEXTÒ, Etiam docti vix possunt distinguere species peccatorum: quo modo ergo rudes obligarentur eas confiteri?

RESPONSIO ad fidem pertinens est, ad integritatem confessionis jure divino requiri ut singula peccata mortalia quoad speciem & numerum figillatim exprimantur in confessione.

*Singula peccata mort. quoad speciem & numerum confitenda sunt.*

Patet id, tum ex superioribus, tum ex concilio Complutensi per Sixtum IV. confirmato, ubi damB nati sunt errores Petri Oxomensis, quibus dicebat confessionem peccatorum in specie non esse de jure divino, sed ex Ecclesiæ statuto: pravas cogitationes non esse confitendas: confessionem solum debere esse de peccatis secretis, non de manifestis.

Etsi verò actus peccati exterior non sit aliud numero distinctum peccatum ab actu interiori, à quo procedit; certum tamen est non sufficere confiteri actum internum, dicendo v. g. volui fornicari; sed oportere ipsum opus externum exprimere dicendo: fum fornicatus: partim quia actus ille exterior verè est peccatum, & quidem consummatum; partim quia frequenter mutat aut peccati aut peccatoris statum; vel etiam facit complacentiam C peccati vehementiorem magisque perfectam. Neque dubium est, quin Concil. Trident. ita intellexerit sess. 14. c. 5. & cap. 7. docens jure divino necessarium esse confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem habetur memoria, *etiamsi occultissima illa sint & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa.* Sed & hanc esse perpetuam Ecclesiæ praxim, nulla dubitandi est ratio.

Quando autem aliquis confitetur se v. g. fuisse furatum magnam pecuniæ summam, fuisse fornicatum, pejerasse, non est necesse, quod etiam dicat se habuisse voluntatem ita faciendi, nisi ejusmodi voluntas fuerit separata ab actu exteriori. Quo ca- D su numerus talium voluntatum esset exprimendus.

Præterea, confitendæ etiam sunt illæ circumstantiæ quæ mutant speciem peccati eo quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant, ut declaratum est in Conc. Trid. sess. 14. c. 5. Hoc autem esse intelligendum de illis peccatorum circumstantijs, per quas ipsa fiunt mortalia, ex totius c. deductione patet. Ac proinde, circumstantia quæ opus alioquin bonum, vel malum quidem sed veniale, facit mortale: aut uno respectu mortale, facit etiam alio respectu mortale; est in confessione explicanda. Aliæ verò, quæ speciem mutant, sed vel opus alioquin bonum faciunt peccatum veniale: vel E uni speciei venialis addunt aliam, etiam venialem, non sunt necessariò confitendæ; uti nec illæ quæ ex mortali faciunt veniale; nisi quis illud ipsum peccatum venile confiteri voluerit.

*Quæ circumstantiæ mutantes speciem sunt eò fitendæ.*

*Quæ circumstantiæ mutent speciem.*

Illæ ergo circumstantiæ (quod ad confessionis necessitatem attinet) dicuntur mutare speciem, quæ habent specialem repugnantiam cum rectâ ratione, diversam ab ea quæ est in ipso peccato secundum se: ut ostendit author in 4. d. 16. q. 3. art. 2. sive, ut loquitur Scot. d. 17. quæ speciali prohibitione prohibentur. Quemadmodum accipere rem alienam invito domino, est peccatum furti: sed si addatur, quod illa res sit sacra, vel accipiatur de loco sacro: efficitur alia species, scilicet sacrilegij; eò quod talis circumstantia speciali præcepto de non inferenda injuria rebus sacris, prohibetur, novamque adfert repugnantiam cum rectâ ratione. Similiter, est illicitum cognoscere non suam: sed si cognoscatur aliqua per consanguinitatem vel affinitatem intra gradus vetitos propinqua; constituitur nova species, scilicet incæstus quia hoc speciali prohibitione prohibetur; & ideò in confessione est exprimendum.

De circumstantijs, non quidem speciem peccati mutantibus, sed tantum aggravantibus intra eandem speciem: ut sunt decem millia aureorum respectu decem florenorum, non una est omnium sententia.

Opinio quæ dicit eas, sive multum aggravent sive parum, non necessariò esse confitendas, est probabilis, propter authoritatem Doctorum non paucorum qui illam docent. *Circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt confitendæ.*

Aliorum tamen sententia, affirmans illas quæ notabiliter aggravant, esse necessariò confitendas, videtur probabilior.

PRIMÒ, quoniam ratio quam adfert Concil. Trident. de judicanda gravitate peccatorum, & pœna condigna pœnitentibus imponenda; etiam in his circumstantijs locum habet, non expressit tamen eas Synod. quia rem certam definiens, de controversa nec affirmare voluit, nec negare. Perpendenda nihilominus sunt hæc ejus verba cap. 5. sess. 14. de peccatis mortalibus *necessum est, omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione, a Deo quærere*: Non potest enim dici esse aperta & verecunda confessio gravissimi peccati, quando maxima ejus gravitas reticetur, & solum exprimitur aliquid vulgare.

SECUNDÒ, Circumstantia quæ notabiliter aggravat, interdum majorem malitiam habet, quam ea quæ mutat speciem peccati; sed hæc est necessariò confitenda: ergo & illa. Ita namque confitenda sunt peccata, ut confessario manifestetur gravitas malitiæ ipsorum. Major patet, gravius enim peccat qui furatur multa florenorum millia, quam qui leviter mentitur ut paucos florenos possit furari.

TERTIÒ, Ecclesia quandoque reservat peccatum habens circumstantiam quæ non mutat speciem, sed tantum aggravat notabiliter, ut furtum aut aliud damnum magnæ, alicujus quantitatis: Sed Ecclesia non reservat nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis: ergo peccatum, ut habens talem circumstantiam, est de necessitate confessionis.

QUARTÒ, Etiam illi qui huic sententiæ oppositum docent, tradunt illam circumstantiam in quibusdam casibus esse confitendam, quemadmodum patebit ex sequentibus: ergo non simpliciter dicendum est quòd non sint confitendæ. Eodem pertinet usus fidelium timoratorum, conformis canonibus pœnitentialibus: quorum secundo specialis pœnitentia præscribitur Sacerdoti cognoscenti eam quæ illi fuit confessa, etiamsi crimen sit occultum: quæ tamen circumstantia non mutat speciem. Hanc sententiam tradunt Alexand. Halensis p. 4. quæst. 77. membro 3. Altisiod. l. 4. cap. 3. Major in 4. dist. 17. qu. 4. Dominicus dist. 18. quæst. 2. a. 4. Cajetanus verbo *Confessio*, num. 23. Petrus Soto lect. 9. de confessione, Victoria num. 176. Bannes 2. 2. q. 13. art. 1. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 22. sect 3. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca



cap. 32. num. 39. Henriquez lib. 5. cap. 7. Lopez A p. 1. c. 39. Roderiq. p. 1. c. 53. Fagundez l. 4. de secundo præcepto Ecclesiæ, c. 2. n. 10. Fernand. p. 3. c. 7. Faventinus in 4. distinct. 17. dispu. 24. numero 18. Tannerus tomo 4. disput. 6. qu. 7. dub. 3. Filliucius tract. 7. c. 4. num. 87. Catechis. Rom. p. 2. cap. 5. qu 41. Petrus Ledesma cap. 17. de confessione, conclus. 4. & complures alij apud Tannerum & Fagundez citati : Et quamvis B. Thomas aliam opinionem tenuerit in 4. sentent. non sine causa tamen existimat Dominicus eum in summa idem quod hic dicimus, fuisse asserturum, si eo perveniisset. Nam. 1. 2. quæst. 73. articulo 9. & 2. 2. quæstione 61. artic. 2. ad 3. & art. 4. in corp. satis conformiter huic sententiæ B loquitur, Ibi enim docet gravius esse peccatum in Regem vel Principem quam in privatum, & in personam eximiè Sanctam ac famosam, quam in aliam; adeò ut juxta ejus doctrinam longè graviorem pœnam mereatur, qui Regi vel Principi, quam qui vili personæ impegisset alapam; & qui occideret Prophetam eximiè Sanctum, quam qui aliquem hominem vulgarem. Ut ergo pœna conveniens imponi possit, & ut confessarius quantitatem peccati agnoscat, non videtur (etiam ex mente B. Thomæ) satisfacere, qui se accusaret solum dicendo, dedi alapam uni homini, vel occidi aliquem hominem, nisi adderet jam dictam qualitatem : & hoc non tantum eo casu quo pœnitens esset istius Regis subditus, sed etiam aliàs. C

*Quæst. Resp. 1.* Si Quæras, quænam dicendæ sunt circumstantiæ multum aggravantes. Resp. esse illas quæ communi prudentum æstimatione & judicio tales judicantur; vel etiam quarum ratione is qui peccavit, valdè multum excessit ordinarium modum peccandi intra eandem peccati speciem.

Quapropter observari possunt varij casus, in quibus confitendæ sunt circumstantiæ notabiliter aggravantes.

*Quando satis convenit esse confitendas circumstantias aggravantes.*

Primus est, quando aliquis commisit incœstum cum matre vel filia, cum sorore vel cognata, eaque secundi aut tertij gradus, debet illas circumstantias consanguinitatis, sicuti & affinitatis aperire, etiam ex mente Navarr. cap. 7. Enchir. D num. 4. & cap. 16. num. 3. Bonacinæ & aliorum oppositam sententiam sequentium : etsi ratio quam allegant quidam ex diversitate specici, non sit solida, secundum ea quæ diximus 2. 2. quæstione 154. art. 9.

Secundus est in adulterio, quod conjugatus commisit cum conjugata non sua : Nam tunc tam adulter quam adultera utramque illam qualitatem debet exprimere, etiam juxta Navarr. c. 6. num. 4. quamvis non alia ibi sit species peccati, quam adulterij.

Tertius, quando sacerdos idemque Religiosus fornicatur, debeat utramque suam illam qualitatem exprimere confessario si ipse illam nesciat; & similiter ea quæ cum ejusmodi fornicata est. E

Quartus, si quis habet solemne votum castitatis & contra illud peccet, non satis est exprimere quod habeat votum, sed oportet quod solemnitatem exprimat, etiam in sententia eorum qui votum simplex & solemne non distinguunt specie.

Quintus, qui alteri graviter detraxit, falsum dicendo, non satis est quod confiteatur se detraxisse graviter, sed debet eam circumstantiam addere, eò quod illa multum aggravet.

Sextus, Si quis præceptum jejunij violet per plures refectiones, ac etiam comedendo carnes, quamvis non alia sit peccati species, quam quod jejunium Ecclesiasticum sit transgressus; debet utramque circumstantiam confiteri.

Septimus, qui uno ictu plures occidit vel mutilat, debet exprimere quot illi fuerint, etiamsi non alia sit species, quàm homicidij.

Octavus, quando aliquis cognovit puellam alteri affidatam, licet non verum commiserit adulterium, eò quòd non accesserit ad alienam uxorem, debet tamen tam ipse quam illa circumstantiam affidationis exprimere.

Nonus, Qui furatus est ingentem vim pecuniæ, ut aliquod millia Floren. non sufficit si dicat se furtum mortale commisisse, sed debet notabilem illam quantitatem confiteri, etsi non videatur necesse ut exprimat quot millia præcisè.

In his casibus pro magna parte conveniunt alterius sententiæ Authores, Pro alijs verò tria veniunt observanda.

Primum, quod circumstantiæ, quarum gravitas notabilis est difficilis cognitu, non sunt necessariò confitendæ ; quia daretur alioquin occasio multorum scrupulorum & inquietudinis conscientiarum, tam in pœnitentibus, quam in Confessarijs ; quæ occasio non datur, dicendo confitendas esse illas de quibus evidens aut quasi evidens est quod valdè multum aggravent peccatum.

Secundum, ut Confessarius non sit nimis importunus in inquirendis circumstantijs solum aggravantibus, præsertim quando pœnitens nullam ejus rei præbet occasionem, ne nimis emungendo, sanguinem eliciat : neque etiam pœnitentem sententiæ probabili adhærentem, ad suam cogat.

Tertium, quod circumstantia intensionis seu vehementis conatus ad peccatum vel in peccato, ordinariè non sit confitenda. Idemque judicium de continuatione actus, nisi sit multum extraordinaria : tunc autem esse confitendam, ex Marsil. Gabriele, & Majore Toletus lib. 3. cap. 7. rectè asserit, velut si mulier ex nimio amore graviter læsit suam valetudinem, apud Lopez c. 29. vel si quis totum diem aut noctem consumpsit in impudicis colloquijs, cantilenis, alijsve hujusmodi ad provocandum mulierem ad peccatum carnis, etiamsi tantum semel eum actum commisisset, apud Roderiquez cap. 53. num. 3. & Filliucius q. 4. num. 89. Item, si odio capitali prosecutus fuisset inimicum per mensem; ea circumstantia utpote multum aggravans & extraordinaria, scituque facilis omnino esset confitenda, apud Tanner. dub. 3. num. 60. ex pluribus alijs.

De circumstantijs minuentibus quæri etiam potest : Ad quod

*Quæ circumstantiæ minuentes sint confitenda.*

Resp. Primò, illas quæ sic diminuunt ut faciant vel nullum vel veniale tantum esset peccatum, id quod alioqui esset mortale, confitendas esse ; si vel de peccato illo confiteatur pœnitens, vel confessarius de eo interroget : quia tunc reticendo, graviter deciperetur confessarius, & moraliter loquendo diceretur ei falsum in re gravi. Veluti si tempore jejunij carnes comederit, sed ex legitima infirmitatis vel alterius rei causa, & de comestione illa voluerit se accusare, nisi exprimat A causam, videtur enormiter peccasse cum tamen non peccaverit.



Resp. Secundò, circumstantia quæ sic minuit, ut tollat aliquam gravem speciem peccati, etsi aliam minorem etiam mortalem relinquat, est confitenda; ut si quis occiderit Sacerdotem, inculpabiliter nesciens Sacerdotem esse, sciens tamen esse hominem : Aut si volens occidere bovem vicini, ipsum vicinum occidat inculpabiliter; non debet in priori casu simpliciter se accusare quod Sacerdotem occiderit; neque in posteriori quod hominem : sed cum additione circumstantiæ, quod inculpabiliter nesciret esse Sacerdotem, & sic tollitur ratio sacrilegij, licet non homicidij; quodque B inculpabiliter ignoraret esse hominem, & sic non est coram Deo homicida, sed fur. Unusquisque enim debet confiteri peccatum quod commisit, non id quod non commisit.

Resp. Tertiò, circumstantiæ quæ sic imminuunt peccatum intra eandem speciem, ut relinquant illud esse mortale, & quidem ejusdem speciei cujus esset sine illis, non sunt necessariò confitendæ, quamvis videantur notabiliter minuere : partim quia non est necesse quod pœnitens in eo quod verè se accusat, seipsum excusset ; partim quia quando diminutio non est tanta ut impediat malitiam mortalem in tali specie, non dicitur circumstantia notabiliter mi- C nuens, aut sufficiens ad valdè variandum morale judicium.

*Ob.* Dices, circumstantia multum aggravans confitenda est : ergo & ea quæ multum minuit.

*Resp.* Resp. Neg. Conseq. propter magnam disparitatem. Circumstantiæ enim multum aggravantes extrahunt actum ab ordinario modo peccandi, non similiter minuentes. Deinde, illæ aggravantes si à pœnitente non explicentur, non possunt à confessario licitè judicari aut existimari, faceret enim illi injuriam ; Minuentes verò etsi non exprimantur, possunt à confessario existimari sine ullo periculo. Ita Suarez sect. 3. num. 16. Tannerus D num. 63. Filliucius num. 91.

Resp. Quartò, circumstantiàs minuentes licitè posse à pœnitente exprimi. Neque refert quod pœnitentis sit se accusare, & non se excusare : Confitendo enim circumstantias minuentes non desinet culpam suam agnoscere, eamque talem qualem habet, ac proinde verè se accusare.

Præter has, aliæ sunt circumstantiæ prorsus impertinentes, quæ nec augent nec minuunt gravitatem peccati : ut quod feriâ secundâ vel tertiâ, quod ante prandium vel post fuerit aliquis mentitus &c. & hæ sunt tacendæ.

*De numero peccat. confitendo.*

Ad Numerum peccatorum quod attinet, E ille est exprimendus quatenus sciri potest : si pœnitens non possit determinatè recordari quantus fuerit, dicat eum quem verisimiliter putat; ut feci hoc vicies, paulò plus vel minus. Et si postea recordetur quod bene fecerit viginti duabus aut tribus vicibus, non est necesse quod in sequenti confessione id exprimat; secus si novem aut decem vicibus fecisset supra numerum expressum. Interdum etiam sufficit dicere quod per annum fecerit quotidie: aut singulis septimanis, bis vel ter. Aut quandoque bis per diem, frequentius semel.

Petes, An his casibus, confessarius debeat calculare numerum peccatorum : v. g. computando



iste peccavit bis per diem, & annus habet tot dies, ergo toties peccavit. Resp. non esse necessarium, quùm confessarius non debeat esse bonus arithmeticus ; sed satis est quod audiat talem istius peccati frequentiam, & secundùm eam injungat satisfactionem.

Non parva autem est difficultas, quid acturus sit confessarius, ad quem venit pœnitens qui de numero peccatorum interrogatus, eo quòd ita confiteretur, aliquando pejeravi, aliquando detraxi, aliquando sum fornicatus ; respondet se non solere aliter confiteri ; neque pastorem præcedentem, solitum esse de numero inquirere : An eum *Quæst.* cogere debeat ad superioris temporis confessiones repetendas.

Resp. si iste pœnitens ex proposito omiserit nu- *Resp.* merum exprimere ; aut sciens vel bene existimans quòd esset exprimendus, ideo non expresserit, quia non interrogabatur; omnino est urgendus ad illarum confessionum repetitionem, neque ante absolvendus. Et similiter, si per ignorantiam crassam seu affectatam, ita fuerit confessus.

Si autem pœnitens bona fide processerit, simpliciter putans se bene confiteri, neque necessarium esse aliter exprimere numerum suorum peccatorum ; præcedentes ejus confessiones non sunt necessariò iterandæ. juxta Navar. l. 5. consil. tit. de pœnitentijs, cons. 11. & 12. Lopez p. 1. c. 28. Henriqu. l. 5. cap. 3. num. 10. Emanuelem Sa verbo, *Confessio.* Quia tamen juris divini est ut omnia & singula relapsorum peccata mortalia in confessione exprimantur ; bene monet Navar. tam pœnitentem hujusmodi obligari ad confitendum verisimilem numerum peccatorum quem in præcedentibus confessionibus non fuit confessus, quam ipsum Confessarium teneri ad numerum illum inquirendum. Optimum autem esset persuadere tali pœnitenti, ut unam generalem totius vitæ confessionem faceret.

Ad 1. Argumentum Neg. Conf. quia absolutio sacerdotalis ordinatur ad justificationem; quæ non potest esse, nisi omnibus peccatis mortalibus deletis : absolutio autem ab excommunicatione, ordinatur ad aliud.

Ad 2. Ratio diversitatis est : quod finis judicij interni sit salus animæ, ad quam requiritur omnium peccatorum mortalium abolitio : externi verò punitio; quæ fieri potest, etiamsi reus solum confiteatur ea pro quibus punitur.

Ad 3. Syn. Trid. sess. 14. c. 5. rectè ostendit confessionem esse possibilem & facilem : quia satis sit ea peccata confiteri, quorum post diligens examen habetur memoria.

Ad 4. Inconstans est historia, una de Martello alia de Clodovæo simile aliquid referens. Occasionem dedisse videtur imago quâ S. Ægydius pingitur Carolo Martello manum imponens : ad quam tamen respondet Molanus c. 18. de picturis, non plus eâ significari, quam quod *Martellus merito S. Alias Ægydij acceperit propositum firmum confitendi pec- lib. 3. catum suum a quo antea abhorrebat :* Vel quod ob- *cap. 37.* tinuerit remissionem gravis alicujus pœnitentiæ, quam alioquin agere debuisset.

Ad 5. Neg. Conf. Quia jure divino tenetur peccator seipsum accusare de omnibus & singulis peccatis mortalibus à Baptismo commissis. Nec refert quod Sacerdos aliunde sciat, ista enim scientia est per accidens ; oportet autem illum scire per confessionem pœnitentis ; ut scilicet cognoscat, an

Universidad de Deusto
Biblioteca



& qualem contritionem de illo peccato habeat, A & sic discernere possit an sit absolvendus, & qualis pœnitentia sit injungenda.

Ad 6. Non agitur hìc de differentia specierum in genere naturæ : sed quatenus pertinent ad genus moris ; de his enim judicare debet confessarius Hinc divinationes per ignem, aquam, terram, non sunt cum istis circumstantijs necessariò confitendæ, quia non differunt specie, quantùm ad genus moris. Deinde sufficit pœnitenti, post adhibitam diligentiam, confiteri, quatenus potest. Sed

## QUÆRITUR II.

*Quæ diligentia sit pœnitenti necessaria.*

B

Certum est aliquam requiri. Quo enim jure præcipitur aliquis actus, eodem præcipitur illud quod ad ejus integritatem est necessarium.

Certum etiam est, non omnibus eandem esse necessariam ; neque requiri summam, neque sufficere levem ; sed requiritur & sufficit talis, qualem pœnitens adhibere solet in re gravi : attentâ tamen ipsius capacitate, consuetudine peccandi, dilatione vel frequentatione confitendi, & similibus. Quæ diligentia versari debet, tum circa peccatorum recordationem ; tum circa dolorem debitum de illis concipiendum. Si defectu examinis confessio C sit non integra, vel sine contritione, non erit valida. Neque regulariter in confessione audiendi sunt qui nullo prævio examine veniunt confessuri. Dico, *Regulariter*, quia interdum sunt audiendi veluti si timetur mors aut phrenesis : si non sit verisimile quòd redibunt paratiores : si dicant se aliquo modo licet obiter, examinasse suam conscientiam. Debet autem tunc confessarius, per examen & per excitationem ad sincerum de peccatis dolorem, supplere negligentiam confitentium.

## QUÆRITUR III.

*An circumstantia loci, temporis, personæ, & scandali* D *sint confitendæ.*

### Conclusio I.

*De circumstantia loci.*

Circumstantia loci sacri tunc demum est necessariò exprimenda, quando ipsum peccatum directè adversatur sanctitati vel immunitati loci, ut si voluntariè fundatur in eo sanguis humanus aut semen humanum ; si fiat furtum : si violenta personæ ad illum refugientis abreptio. Item, si quis peccatum qualecumque committat in dispectum vel dehonestationem loci sacri : per hanc enim intentionem directè repugnat sanctitati loci ; quamvis non per ipsius operis conditio- E nem.

Hujus Concl. doctrina procedit, etiam quando aliquis sola mente consentit in ejusmodi opera in Ecclesia perpetranda. Secus, si in Ecclesia existens consentiat ea patrare extra Ecclesiam. Navar. c. 6. num. 12.



### Conclusio II.

*Circũstantia temporis.*

Similiter necessariò confitenda est circumstantia temporis sacri, tunc solùm quando opus admissum directè repugnat sanctificationi illius, ut si fiat aliquid non per se illicitum, sed intentione violandi diem festum : si missa non audiatur, si exerceatur opus servile.

Ex his sequitur eum qui existens in loco sacro mentitur, pejerat, habet voluntatem occidendi aut furandi, quando fuerit extra : eum item qui die festo furatur, fornicatur &c. non necessariò debere circumstantiam illam exprimere.

### Conclusio III.

*Personæ circumstantia.*

Esti personæ circumstantia nonnihil augeat vel diminuat peccatum ; regulariter tamen non est necessariò confitenda, nisi peccato vel tribuat novam speciem, vel notabile augmentum. Hinc si conjugatus, si Religiosus, aut in sacris constitutus fornicetur, si prætor aut alius cui incumbit rapinas arcere, illas ipse committat ; debet exprimere se esse talem nisi fortassis eum excuset, quod ut talis sit Confessario probè notus : si autem fuerit inebriatus, non est necesse quod suæ personæ qualitatem exprimat. His ita consentaneè post Dominicum in 4. d. 18. q. 2. a. 4. scribunt Roderiq. c. 53. n. 6. & Lopez c. 29. licet ista circumstantia personæ in prædictis casibus veniat explicanda ; tamen secundùm Canum, quando persona jam est nota Confessori ejusque status, scil. quod clericus sit vel conjugatus, non opus est eam explicare. Neque eadem est ratio de cæteris circumstantijs necessariò confitendis : quia etsi notæ fuerint Confessario extra confessionem : in confessione tamen sunt declarandæ, quia aliàs nec Confessori tanquam judici innotescerent nec accusatio de eis coram Sacerdote pateret ; cujus oppositum evenit in circumstantia personæ evidenter nota Confessario, quia illa satis clarè involvitur in Confessione talis pœnitentis.

*Virginitatis circumstantia.*

Similiter exprimenda est circumstantia virginitatis si quis cum virgine fornicatus fuerit : aut si qua virgo idem fecerit aut facere voluerit (qua de re vide quæ diximus 2. 2. q. 54. ar. 6. concl. 5.) non autem si aliud peccatum commiserit. Vide Nav. c. 6. n. 8. c. 16. n. 3. Tolet. l. 5. c. 11. Eademque ratione, si assiduatus uni, cognoscat alteram ; id est particulariter exprimendum. Itemque si superior omittat correptionem vel non impediat detrahentem : dicere debet illum fuisse sibi subjectum, etiam eo casu, quo tantum ex charitate obligatur ad correptionem. Vide 2. 2. q. 33. ar. 3. & q. 73. ar. 4.

*Conscientiæ repugnantis circumstantia.*

Huc pertinet circumstantia conscientiæ repugnantis : quæ tum demum est necessariò exprimenda, quando id quod agitur, non ob aliam causam malum est, quàm quia fit contra conscientiam.

Quando autem peccatur ex fiducia quod postea per confessionem obtinebitur venia ; non videtur necesse id in confessione dicere : quia hoc non est præsumptionis, sed voluntatis minus firmæ in pécato ; ut ex B. Th. 2. 2. quæst. 21. ar. 2. ad 3. docet Cajet. & post eum Navar. c. 6. nu. 3. Molan. tractatu 1. suæ Theol. pract. capite 10. & Vivaldus.

Con-



### Conclusio IV.

*Descandali circumstantia.*

Circumstantia scandali necessariò est confitenda, quando illud est formale, id est, ex animo provocandi aliquem ad peccatum mortale : ideoque non solùm animus, sed etiam species peccati ad quam volebat alium provocare, debet exprimi. Confitenda est etiam quando opus alioquin bonum vel indifferens, ratione scandali est peccatum mortale. Quando autem ipsum opus per se malum est, & nõ fit animo provocandi quemquam ad peccatum ; quibusdam videtur non esse tunc confitendam : sed verius est, esse, si fiat à tali personâ, tali loco, coram talibus, ut verisimile sit id præbitu- B rum occasionem peccandi : quia licet non intendat inducere aliquem ad peccatum ; facit tamen id quod de se est inductivum ad peccandum : Vide B. Th. 2. 2. quæst. 43. articulo primo, ad quartum.

De his circumstantijs illud est generaliter observandum quòd ex, quas diximus necessariò esse confitendas, non solùm debeant exprimi quando peccatum fuit externo opere perpetratum ; sed etiam quando solus interior consensus plenè seu deliberatè fuit illi adhibitus. Ut si quis carnalem habuerit cogitationem, eamque voluntariam de stupro, incœstu, sacrilegio, etsi neque opere pec- C catum impleverit, neque implere voluerit, debet eas circumstantias confiteri ; quia faciunt peccatum interioris delectationis esse diversæ speciei.

## QUÆRITUR IV.

*Utrum confessio non integra possit esse valida.*

Certum est eam esse invalidam, in quâ propter verecundiam, malitiam, aut similes causas, voluntariè reticetur aliquod peccatum mortale, vel circumstantia necessariò confitenda.

Certum etiam est, eam esse validam, quando in generali confessione peccatorum, reticentur aliqua prius legitimè confessa, modo sine frau- D de agatur.

Denique Certum est, & eam esse validam ac formaliter integram, in quâ propter ignorantiam aut oblivionem, omittitur aliquod mortale nunquam antea confessum : Unde Concilia solùm dicunt requiri, ut pœnitens ea omnia confiteatur, quorum post diligens examen, habet memoriam.

Loquimur autem de ignorantiâ & oblivione, quæ non est peccatum mortale, neque nascitur ex negligentiâ mortali : alioquin omissio alicujus mortalis peccati, vel necessariæ circumstantiæ per talem causam, faceret confessionem esse invalidam. Quia ergo pueri qui grandiores facti agnoscunt aliquod esse peccatum mortale, quod aliàs omi- E serunt confiteri, ignorantes illud esse tale, supponuntur probabilem ignorantiam habuisse. Ideò non tenentur iterare confessionem eorum quæ prius fuerunt confessi, quia licet ignorantia legis divinæ non excusaverit eos à peccato, pollutionis v. g. furti & similium ; excusavit tamen ne peccarent id non confitendo : ut tradit Angelus verbo *Confessio*, q. 17. Sylv. *Confessio*, 1. q. 3. Navar. c. 9. n. 15. Sa verbo *Confessio*.

Primus ergo casus Confessionis non integræ (scil. materialiter) & tamen validæ, est quando per oblivionem aut ignorantiam non crassam,



A omittit quis confiteri aliquod peccatum mortale, ut enim B. Th. hic ad 3. significat, satis erit illud postquam rediverit in memoriam, confiteri sive eidem Sacerdoti, cui prior confessio facta fuerat, sive alteri, cui jure potest, non iterum confitendo reliqua prius confessa, nisi in generali, sic, Aliàs quando sui confessus, omisi tale peccatum.

Si objicias. Conc. Trid dicere, peccata quæ di- *Ob.* ligenter cogitanti non occurrunt, in universum *Resp.* eadem confessione inclusa esse intelligi : Resp. inclusa fuisse quoad effectum remissionis ; non tamen sic ut quando memoriæ occurrerint, non sint ex- *Peccata* preſsè confitenda : ad hoc enim tenetur eodem il- *oblita* lo jure divino, quo lapsi à Baptismo tenentur ad *sunt po-* integram mortalium confessionem : juxta senten- *stea con-* tiam B. Th. q. 10. ar. 5. ad 1. & 3. & communem *fitenda.* aliorum.

Si dicas confessio non est necessaria, nisi propter *Ob.* remissionem : ergo dum habetur remissio, tollitur *Resp.* necessitas confessionis. Resp. Neg. Ant. quia confiteri est necessarium etiam necessitate præcepti, & quamvis à confessione oblitorum excusetur quis per ignorantiam invincibilem ; obligatio tamen ea confitendi semper manet : sicut & obligatio suscipiendi Baptismum in illis durat, qui per ejus votum consequuntur remissionem peccatorum.

Confessio ergo peccatorum oblitorum est necessaria ; tum ad exequendum Christi præceptum de integritate confessionis ; tum ad satisfaciendum voto seu proposito confitendi omnia & singula, quod votum in priori confeſsione includebatur : Ac præterea, ut à Sacerdote, tanquam judice, cognoscantur, & pro illis injungatur satisfactio. Non est autem necessarium ut oblitorum confeſsio fiat statim atque redit illorum memoria, sed satis est quod tempore oportuno fiat ; imò ad evadendam præcepti transgreſsionem licitè in sequens Pascha differri potest, propterea quod Ecclesiæ præcepto satisfecit, confitendo omnia quorum habebat memoriam. Sed in quæstione manet :

Utrum, quando aliquis unum aut plura pec- *Quæst.* cata mortalia oblita confitetur, & nullum aliud ; idque eidem confessario, & non diu post aliorum peccatorum suorum confeſsionem & absolutionem, impendenda sit ei absolutio sacramentalis.

Resp. omnino esse impendendam*, tum quia *Resp.* omnis confeſsio sacramentalis (mortalium præsertim peccatorum) ordinatur ad absolutionem consequendam, ergo etiam confeſsio peccati mortalis obliti : tum quia omnia peccata mortalia relapsorum debent subjici potestati clavium : ut ejus actus præcipuus (qui est absolutio) super ea exerceatur. Accedit quod quique timorati dum tempestivè recordantur peccati mortalis obliti, non auderent super eo communicare, antequam ejus absolutionem consequantur.

Neque refert, quod per absolutionem præcedentem remissa fuerint peccata oblita : In primis enim non omninò certum est nihil defuisse ex parte pœnitentis, sive in contritione vel attritione, sive in confeſsione, ob quod remiſsio secuta non fuerit. Deinde, quando per contritionem charitate perfectam peccata fuerunt remissa, ea nihilominus omnia confiteri oportet, ac super ijs dari absolutio : ergo idem judicandum est de oblitis.

Hinc Valentia disp. 7. q. 11. p. 1. quando ait esse necesse peccata oblita, cùm in memoriam redeunt confiteri suo tempore, quamvis pœnitens ab illis etiam fuerit antea indirectè absolutus ; satis signi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ficat super ijsdem dandam esse absolutionem, ut A ab ijs directè absolvatur ; sicut disertè expressit Præpositus Suppl.q.5. dub.5.num.2.

Præterea, si pœnitens inter confitendum, in phrenesim incidat, vel periculum sit ne mox moriatur, debet statim absolvi ; & postea, si super vivat, reliqua audienda sunt, & absolutio denuò conferenda est, ut expresè tradunt Suarez to.4. disp.23. sect. 1. num. 2. Layman tra.6. c.8. num. 9. Fagundez l.3. de secundo præcepto c.3. num. 10. & Ledesma cap. 18. de confessione fin. qui posterior addit : licet enim ab illis prius absolutus sit indirectè, debet nihilominus postmodum ab illis absolvi directè. Et hic est

Casus Secundus, quo confessio potest esse B non integra, & tamen valida, scilicet propter pœnitentis impotentiam : veluti, si post incœptam confessionem, morbus, aut mortis aut phrenesis periculum superveniat, ut tutò nequeat prosequi : Si mutus, surdus, balbus, vel vir idiomatis ignoti non possit omnia confiteri, neque haberi possit alius confessarius qui idioma pœnitentis calleat. Talibus namque, cum id quod possunt confessi fuerint, impertienda est absolutio ; idque non tantum in mortis periculo, sed etiam quando præceptum confessionis obligat.

Quinimò, si graviter infirmus inter confitendum, bona fide dicat restare adhuc alia, sed præ defatigatione & imbecillitate, non posse pergere, non debet confessarius scrupulosè differre absolutionem, etiamsi æger videatur posse in alterum C diem super-vivere, sed eum absolvat, juxta Graffijs l.1. c.26. Medinam lib.2.c.8. Ne (inquiunt) id illis contingat, quod uni accidit qui in simili causa recesit non data absolutione, & die sequenti rediens, mortuum reperit quem audire cupiebat. Hos sequuntur Roderiquez lib. 1. cap. 18. Tannerus disp.6.q.7.dub.4.

Tertius Casus est, si tempore pestis vel naufragij instantis, vel prælij periculosi, vel incendij turris aut domus plenæ viris quibus non patet exitus, confessarius non possit multorum confessiones integras excipere, ipse potest, & fortassis etiam debet plures simul aliquod peccatum suum confitentes audire, & simul absolvere, ex D Sylvestro verbo *Confessio* 1.q.20. Suar. dicta sect. 1.n.1. Vasquez tom.4.q.91.a.2. dub.2. Toleto l.3.c.20. Henriquez l.5.c.12. Layman tra.6.c. 8.nu 9. Tannero, disp.6.q.7.dub.2.nu.25.

Quartus Casus est, quando Confessarius simul & pœnitens ita infirmantur, ut periculum sit quod confessarius usum linguæ perdat, vel etiam è vita discedat priusquam pœnitens possit omnia peccata sua esse confessus : atque ita relinquatur sine absolutione, eo quod alius Confessarius desit : Potest enim tunc confessarius ipsum absolvere non audita ejus confessione integra, ut Bonacinas cum multis docet in fin.p.2.disp.5.q.5. E

Quintus Casus est, quando ex confessione alicujus peccati vel circumstantiæ rationabiliter timetur grave aliquod nocumentum pœnitenti vel alteri. Si enim vel propter Communionem, vel propter Sacramenti Pœnitentiæ, vel alicujus alterius necessitatem aut obligationem oporteat confiteri, nec haberi posset confessarius ex quo nihil ejusmodi metuitur ; celari potest illud peccatum & illa circumstantia donec absq; tali periculo possit exprimi, secundùm ea quæ diximus 3.p.q. 80.a.4. q.2. Ratio est, tum quia præceptum integræ confessionis non obligat cum tanto incommodo, tum quia unusquisque potest vel etiam debet sibi & alijs consulere ad evitanda gravia damna famæ, vitæ, corporis ; tum denique, quia præceptum charitatis est naturale, ideoque antiquius & fortius præcepto de integritate confessionis quod solum est positivum : Ubi autem duo præcepta simul concurrunt nec possunt simul servari, servandum est antiquius & fortius, alio in tempus aliud dilato.

Hinc si ex certi alicujus peccati confessione, justè ac rationabiliter timetur mors pœnitentis vel alterius ; si fractio sigilli & grave nocumentum famæ propter illam ; si lapsus confessarij qui noscitur esse lubricus & solere juvenes peccata carnis confitentes ad illa invitare ; non sunt ejusmodi peccata ipsi in confessione aperienda, sed reticenda, juxta Domin. in 4. dist. 18. q. 2. a. 5. Suarez cum multis ab eo citatis disp. 23. sect. 2. Henriquez l. 5. c. 12. n. 5. Bonacin. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. Filliucium tract. 7. cap. 5. q. 4. Fagundez l. 3. cap. 3. Tann. dub. 4. nu 69.

Observandum tamen sermonem hîc esse de justo ac rationabili metu talium damnorum ; propter levem enim metum, suspicionem, vel dubitationem non licet retinere ullum peccatum mortale, neque ullam circumstantiam, quæ scitur esse alioquin necessariò confitenda.

Sextum Casus ponunt Suarez dicta disp. sect. 1. n. 1. Vasquez q.91. ar.2. dub.2. Pesantius q.10. disp.12. Tann. disp. 4. n.70. Bonacinas disp. 5. de Sacram. Pœnit. q. 5. sect. 2. part. 2. §. 4. n. 13. Coninck disp. 7. de Pœn. dub. 9. n. 75. Præpositus q.5. dub.5.n.5. Kellison, q.9. dub.5. dicentes quod quando infirmus laborat morbo contagioso, & confessarius non potest ipsum (etiam eminus) absque evidenti mortis periculo audire, diutius immorando in peccatis omnibus audiendis ; potest aliquibus auditis ipsum pacificare absolvere ; partim quia non videtur à Confessario integritas sub tanto periculo esse procuranda, partim quia si pœnitens excusatur ab integritate quando sibi immineret periculum vitæ, eadem ratione excusandus est confessarius ; qui tamen hortari debet infirmum, ut seriò de omnibus peccatis propter Deum offensum doleat, & cavere ne ipsum perplexum vel anxium relinquat.

Septimus est, quando confessarius non posset peccatum suum confiteri sine fractione sigilli sacramentalis, de quo vide q.11. art.1.

Octavus, quando is qui confiteri debet, non potest peccatum quoddam confiteri nisi manifestet complicem, & ex ea manifestatione grave aliquod damnum rationabiliter metuitur, illud peccatum potest celari. Vide 3.p.q.80.ar.4. & hujus supplem. q.11. ar.2.

Nonum ponunt non pauci, si pœnitens habet casus reservatos : sed oportere tunc fieri confessionem integram tradit Author hîc ad 4. & ostendemus latius q.20.ar.2.

Quæri hîc potest, quid dicendum sit de illis qui uni confessario confitentur omnia sua peccata mortalia : & alteri deinde leviora, ut apud hunc secundum servent suam bonam existimationem.

Resp. cum Navarro ca.21. num.40. quem sequuntur Suar. disp. 22. sect. 1. Fagundez l.2. c.3. nu. 14. & plures alij, eos hoc posse facere absque peccato : neque in ea re peccaturos mortaliter, nisi sit defectus contritionis, vel prava intentio ; vel quid simile.

Cæterum, quacumque ex causa justa contingat A reticeri aliquod mortale peccatum ; duo observari debent.

Unum ; non esse licitum reticere plus quam justa causa postulet : & ideo si quis habeat justam causam reticendi quidem actum externum, sed non internum, tenetur internum confiteri.

Alterum, peccatum quod ex justa causa fuerit celatum, postea esse confitendum, quando est oportunitas, ut absolutio directè feratur super illud, utque satisfiat & divino præcepto de confitendis omnibus mortalibus, & desiderio quod habebat pœnitens quando fuit absolutus ; etsi non sit necesse quod statim oblata opportunitate fiat illa confessio. B

## QUÆRITUR V.

*Vtrùm absolvendus sit moribundus, qui cum pro confessione facienda vocavit Sacerdotem, antequam is adveniat, vocem & omne rationis judicium amittit, modò testes affirment quod confessionem petierit.*

Resp. esse absolvendum. Ita enim sentiunt Antoninus 3.p.tit.10.c.2. Angelus, *Confessio*, 4.quæst.8. Joannes Medina tra.2.de confessione quæst. 39. Toletus l.3. capite 8. Nugnus, & alij Commentatores hîc, cum alijs multis quos citat & sequitur Barbosa de offic. parochi cap.19. num.46. C

Prob. Primò, Quia in Conc. Carth.3.c.34. In Africano, can. 12. & apud Ivonem ita legitur, *Ægrotantes si pro se respondere non possunt, & voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum est.*

Secundò, Quia in Conc.4. Carth.can.76. relato apud Gratia.26.q.6.c. *Is qui*, Sic statutum est : *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate* D *obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam : Et si continuò creditur moriturus reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Idemque est sensus can.11. Conc.1. Araus. ac etiam B. Thom.3.p.q.80.art.9.

Tertiò, Quia Sanctus Leo epistola 91. *Si aliqui*, inquit, *vi agritudinis ita fuerint aggravati ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant : testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.*

*Ob.* Neque verum est quod alij respondent, ista solum intelligenda esse de absolutione ab excom- E municatione ; vel de reconciliatione non sacramentali illorum qui publicam agebant pœnitentiam. S. enim Leo ibid. dicit, quod *oportet unumquemque Christianum nõ de die in diem differre converti* ; quamvis & illis qui distulerint, velit reconciliationem in necessitate tribui. Deinde, qui publicam agebant pœnitentiam, petebant absolutionem sacramentalem. Adde, quod accipere beneficium pœnitentiæ nihil aliud sit apud veteres quam recipere Sacramentum, in quo & pœnitentia seu satisfactio injungitur, & reconciliatio per absolutionem datur.

*Resp.*





Si dicas absolutionem, cum sit actus judicialis, *Ob.* non posse exerceri nisi causâ in particulari cognitâ ; in casu autem isto, Sacerdotem non cognoscere peccata pœnitentis, imo non plus scire de illis quam antè sciebat : Resp. Neg. Minorem : quia per *Resp.* præsentes innotescit Sacerdoti, non solùm quod ægrotus peccaverit, sed etiam quod si pœnitens, & quod cum dolore velit sua peccata esse subjecta clavibus Ecclesiæ : atque ita invenitur hic confessio seu accusatio peccatorum talis, qualis potest in necessitate haberi. Requiritur quidem distincta causæ cognitio, & particularis confessio, si loquamur de eo quod regulariter & per se necessarium est ; (quo modo intelligi debet Conc. Trid. sess. 14. cap.5. & can.9.) ubi tamen necessitas hoc excludit, videtur posse sufficere talis accusatio qualis potest haberi. Unde & ab omnibus esset absolvendus is, qui cum sit irretitus multis gravibus peccatis, post unius venialis confessionem, sensum amitteret.

Neque putandum est quod hæc confessio fiat absenti : nam Sacerdos examinat pœnitentis præsentis & morientis dispositionem & confessionem, quam ex præsentium testium depositione cognoscit. Ac proinde, hi testes sunt instar interpretum, qui exponunt Sacerdoti confessionem pœnitentis præsentis, qualem in talibus angustijs potest facere.

Si præterea dicas, non sufficere voluntatem confitendi ad hoc ut aliquis absolvatur à peccatis. Resp. non dari hic solam voluntatem confitendi, sed ipsam confessionem per interpretem qualis dari potest hîc & nunc. C

Si denique objicias, non dari ullam determinatam materiam, nec ullum objectum super quod cadat absolutio : Resp. Neg. Ass. Materia enim determinata est vera istius moribundi accusatio cum dolore & doloris ostensione. Petere enim confessarium, aut dicere quod velit confiteri, est quædam sui accusatio, imperfecta quidem, sed tunc sufficiens, quando necessitas non aliam permittit ; & per eam Sacerdos aliquo modo cognoscit statum pœnitentis. Datur etiam hic objectum super quod cadat absolutio, scilicet persona pœnitens, & divina offensa quæ per absolutionem remittitur.

Confirmatur, si quis confiteretur se mortale peccatum commisisse, sed nescire quod vel quale illud fuerit ; sine dubio esset absolvendus, etiam si de nullo particulari se accusaret : signum ergo est ad sacramenti essentiam aliquando sufficere accusationem peccati in genere, licet non exprimatur in particulari, quando scil. non potest exprimi.

Denique, sententia hæc ut minimum est probabilis, atque adeò tuta ; ergo etiamsi quis alteram teneat, debebit hanc practicare. Debet enim absolvere pœnitentem qui tenet sententiam probabilem : etiamsi putet suam esse probabiliorem. Ac præterea contra charitatem ageret denegando absolutionem, quam potest sine peccato impendere.

Sententiam hanc omninò esse practicandam tradit Man. Rom. jussu Pauli V. editum, & Ecclesiæ Romanæ omnium matris & Magistræ authoritate constitutum, in materia de Sacramento Pœn. his verbis : *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere ; quibus utcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, ab-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



solvendus est. Quæ postrema verba ( *si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit* ) bene sunt notanda : in his autem continetur doctrina quam probavimus. A

Quam etiam tradit Man. Camer. an. 1622. editum, ubi de infirmo sic dicit: *Si Sacerdotem pro confessione vocavit, & antequam adveniat, vocem & sensum amiserit, absolvendus est modo testes affirment eum signa contritionis dedisse & confessionem petiisse.*

Similiter Man. Atreb. an. 1623. *Non requiritur* ( ait ) *necessariò ut contritionis signa præsente Sacerdote ostendat ; sed sufficit si de ijs exhibitis constet per idoneum alicujus testimonium.*

*Quæst.* At petes, quid si is qui audit infirmum petere confessionem vel videt signa pœnitentiæ ipsius in B ordine ad absolutionem ; postquam accersivit Sacerdotem, eique notificavit infirmi desiderium, vel subitò moriatur, vel alia ex causa ad infirmum non redeat, neque sit alius qui Sacerdoti apud infirmum voce & sensu destitutum, pro ipso respondeat vel testificetur de signis pœnitentiæ aut de petitione confessionis: an tunc quoque liceat sacramentalem absolutionem impendere moribundo ?

*Resp.* Non pauci apud Avilam in tract. de confession. per litteras, & apud Bonacinam to. 1. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 4. diffic. 4. n. 10. negant, eò quod in hujusmodi casu vel nulla omninò sit confessio, vel si qua esse dicatur, illa erit per nuncium facta absenti, qualem Clem. VIII. damnavit in decret. de quo C dicimus ar. 3.

Alij nihilominus oppositum sentiunt, dicuntque talem infirmum à Sacerdote præsente & quantum potest inquirente illius statum, absolvi posse ut Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. p. 1. §. *Atque hæc quidem*, Filliucius tract. 7. c. 5. q. 4. Præpositus q. 4. dub. 5. & alij apud Dianam in tract. 3. de absol. morib. Resol. 7. qui licet negativæ opinioni adhæreat, scribit tamen hanc affirmativam sibi videri probabilem.

Bonac. quoque præter ea quæ dict. q. 5. tradit, to. 3. disp. 2. q. 3. p. 33. de opinione asserente absolvi posse pœnitentem qui accersivit confessarium per D nuntium, & adveniente Confessario obmutuit & ita sensibus destitutus est, ut nullum peccatum exprimere aut doloris signum exhibere possit nullusque tunc adsit qui petitæ confessionis fidem faciat, scribit ab aliquibus receptam non fuisse illam opinionem post decr. Clem. VIII. quoties nulli adsunt testantes petitam fuisse confessionem; Addens tamen: Verum, quia postmodum à Paulo V. confirmatum fuit Rituale Rom. & multi DD. Romæ senserint impendendam esse absolutionem ; *Ideò Resp. Secundo, ideò illum casum ab hac Regula censeri exceptum, quoties pœnitens nulla ratione potest adveniente Confessario accersito peccata exprimere* &c. *tum quia melius est pœnitentem in tali casu decedere* E *cum absolutione sub conditione collata quam absque ulla absolutione, fieri enim potest ut cum dicta absolutione salvetur : nec irreverentia Sacramento irrogatur, cum absolutio sub conditione impendatur ex causa necessitatis.*

Ad rationem oppositam quidam respondent Clem. VIII. suo decreto non prohibuisse confessionem per nuntium vel per litteras factam absenti, si non detur absolutio similiter absenti, per litteras vel per internuntium.

Sed quoniam huic expositioni non putamus acquiescendum, ut ex art. 3. videri potest ; potius dicendum est, vel cum Bonacina Pontificem prohibuisse ne ista propositio, *licere per litteras seu internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri*, defendatur tanquam aliquo casu probabilis, *nisi casus ille sit a Summo Pontifice approbatus*, ut est casus præsens qui satis est ab illo approbatus, partim in cap. *Is qui* ; partim in Rituali Rom. Pauli V. ubi quidem requiritur ut infirmus per se vel per alios ostenderit confitendi desiderium, non tamen dicitur quod necesse sit hoc fieri per eos qui adhuc sunt præsentes quando confessarius pervenit ad ægrotum : Vel respondendum est, hunc casum simpliciter non comprehendi decreto Pontificis; quia Pontifex loquitur de confessione quæ sit propriè dicta & particularis peccatorum accusatio, eamque prohibet fieri per litteras vel internuntium absenti ; in hoc autem casu non est accusatio particularis & propriè dicta, sed potius est ostensio doloris de peccatis, & desiderij confitendi ; quæ ( necessitate non plus permittente, ) reputatur & est confessio quædam generalis & imperfecta : qui enim vocat medicum, agnoscit & confitetur morbum, etiamsi non designet suum morbum in particulari : Pontifex autem nunquam prohibuit ne quis per litteras vel per nuntium ostendat signa doloris de suis peccatis, vel desiderium confessionis.

His addi potest Clement. VIII. de decreto suo interrogatum respondisse, quod intentionis suæ non fuerit in illo comprehendere casum moribundi confessarium advocantis, quemadmodum dicto ar. 3. videbitur. Si quis tamen dubius hæreat : conditionem hanc aut similem mente concipiens, *in quantum possunt*, verba formæ proferat.

Sed quæres, quot testium assertione opus sit, testificantium quod infirmus voce, signis, aut nutibus, confessionem petierit ut possit absolvi.

Resp. cum Diana, sufficere unius testimonium etiam non jurati ; quia non agitur de præjudicio alterius. Sed nec est periculum irreverentiæ, si absolutio ( ut in dubio decet ) detur sub conditione.

Quæres præterea. An ille sit in mortis articulo absolvendus, qui Catholicus cum sit nulla tamen signa doloris & affectus seu voluntatis confitendi dedit, sed tantum non se ostendit impœnitentem.

Resp. nullo modo esse absolvendum, ne quidem sub conditione ; quia certum est nullam hîc esse materiam sufficientem Sacramenti Pœnitentiæ, cum ad illud necessaria sit materia sensibilis ; ponitur autem quod talis nullam materiam sensibilem præbeat vel paulo ante præbuerit. Videri potest Henriquez l. 6. c. 10. num. 9. Malderus de sigillo confessionis cap. 15. & quæ adfert Diana resol. 8. de Absol. morib.

## QUÆRITUR VI.

### *Quando necesse sit confessionem iterare.*

Resp. quandocumque prior confessio fuit invalida seu nulla: Hoc autem potest accidere, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte confessarij.

Ex parte pœnitentis, si neque perfectam neque imperfectam contritionem habeat, sed vel nullum dolorem vel tantum naturalem : si non proponat abstinere ab omnibus mortalibus, sed vel unius affectum retineat : si nolit deserere statum & occasionem proximam peccandi mortaliter : si confessus fuerit sine discussione conscientiæ sine qua non A poterat meminisse suorum peccatorum mortalium, si voluntariè reticeat aliquod peccatum mortale, aut quod putabat esse mortale, vel ejus circumstantiam necessariam ; si in ipsa confessione, vel mentiendo, vel aliter commisit aliquod peccatum mortale, neque ante absolutionem illud fuit confessus, si voluntariè fuit absolutus à peccatis priusquam absolveretur ab excommunicatione secundùm ea quæ dicimus q. 21. art. 4.

Ex parte confessarij, si ipse non erat verè sacerdos, sed falsò pro tali se exhibeat : si sacerdos quidem, sed non approbatus : si approbatus, sed sine jurisdictione in pœnitentem. Ubi tamen observat quod sacerdos qui communi errore & titulo colo- B rato putatur habere jurisdictionem, veluti dum à superiore collatus est ei titulus; sed invalidus propter aliquod vitium latens : Aut dum Pastor est excommunicatus, etiam vitandus, sed communi errore & titulo colorato præsumitur legitimus confessarius in loco ubi fit confessio, validæ sunt confessiones ei factæ, & absolutiones per eum datæ : quia Ecclesia supplet jurisdictionem quam supplere potest; sicut etiam supplet quando sunt duæ contrariæ opiniones probabiles de jurisdictione: quarum una defendit Sacerdotem habere potestatem absolvendi, illique opinioni adhæret Sacerdos. Vide Bonacinam tom. 1. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 3. n. 11. & Barbosam de off. Parochi c. 17. nu. 27. cum aliquot C seqq.

Iteranda quoque est confessio, si sciatur defuisse confessario intentionem absolvendi, si verba formæ principalia non protulerit, vel in illis errorem essentialem commiserit ; At non facilè hæc de Catholico sacerdote judicanda sunt, imo nec in dubium vertenda. Ac rursum, si Sacerdos sciatur non intellexisse pœnitentem quando confitebatur, sive propter surditatem, sive propter aliam causam. Si tamen pœnitens bona fide processerit, & postea demum sciat aliqua quidem mortalia à confessario intellecta, & alia non; ea sola debebit repetere quæ non fuerint intellecta si ea sciat ; Alioquin omnia : quia confessio debet fieri apud Judicem qui causam D sibi propositam intelligat.

Circa hanc materiam duo restant notanda, Unum quod si confessionis iteratio fiat apud eundem confessarium, non est necesse omnia repetere, modò confessarius aut peccatorum quæ ille sibi est confessus, meminerit ; aut recordetur saltem in confuso statu pœnitentis, etiamsi non meminerit in particulari, vel specierum, vel numeri peccatorum, ut post alios tradunt Bonacinas dicta q. 5. p. 3. num. 15. & Layman tract. 6. cap. 9.

Alterum, quod is qui fecit confessionem aliquam invalidam, debet quidem illam & omnes subsequentes iterare si eas fecit cum conscientia præcedentis confessionis invalidæ ; quia in omni- E bus illis defectum essentialem habuit : Sed si post unam confessionem invalidam postea fecit alias, bona fide procedens, & præcedentis defectus nullam habens memoriam ; non tenetur has repetere sed solum illam vel illas quas fecit cum conscientia defectus ; quia illæ aliæ habuerunt omnia necessaria ad bonam confessionem ac per consequens fuerunt validæ, ideoque non necessariò iterandæ, quemadmodum tradunt Emanuel Sà, verbo *Confessio*, Tannerus, tom. 4. disp. 6. quæst. 7. dub. 7. num. 135. Possevinus cap. 7. num. 27. de Pœnit. & alij.



## QUÆRITUR VII.

### *Utrum confessarius teneatur examinare pœnitentem, & curare ut integre confiteatur.*

#### Conclusio I.

Si attentâ qualitate & diligentiâ pœnitentis Confessarius probabiliter existimet ipsum integrè confiteri ; non tenetur examinare : si verò advertat eum non satis explicare suam conscientiam & vel ex negligentia, vel ex verecundia, vel ex oblivione aliquid omittere ; tenetur, sub pœna peccati mortalis, ea interrogare, quæ videntur necessaria ad integram & fructuosam confessionem Ita B. Thom. in 4. distinctione 19. in expeditione litteræ, Navarr. 5. numero secundo, & communiter alij : quibus suffragatur c. *Omnis utriusque sexus*, ubi monetur Sacerdos ut sit *discretus & cautus, more periti medici diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati.*

Confirmatur, *Primò*, quia integritas confessionis quatenus potest haberi, est necessaria, ut peccator capax sit absolutionis : ergo priusquam confessarius eum absolvat, debet probabiliter judicare, quod pœnitens sit integrè confessus.

*Secundò*, Judex ut ferre possit sententiam, debet causam quam non novit, bene examinare, & medicus inquirere morbum quem ægrotus non potest explicare : ergo similiter confessarius.

#### Conclusio II.

Quando pœnitens non patitur se multùm examinari, dicens quod sufficienter confessus fuerit, absolvendus est ; si confessor potest probabiliter idem judicare : Alioquin, si noverit pœnitentem temerè & imprudenter procedere ; non debet illi conformari, sed debet eum instruere & interrogare : ita tamen, ut in faciendis interrogationibus tria per B. Th. indicata observet.

Primum, ut quemque examinet de solis illis peccatis, quæ solent fieri ab hominibus ejusdem qualitatis. *In interrogationibus servanda.*

Secundum, ut explicitè non quærat nisi peccata communiter nota.

Tertium, ut in carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias, sed sit contentus solis necessarijs.

Eâdem etiam ratione debet abstinere ab interrogando vel audiendo peccata alicujus tertij, quando id non est necessarium. Vide Sylv. verb. *Confessio*, 1. q. 24. Navarrum cap. 7. num. 7. Toletum l. 3. cap. 8. & quæ infra dicimus qu. 11. ar. 2.

#### Conclusio III.

Quando constat pœnitentē fecisse sufficiens examen, ac nihilominùs omittere aliquod peccatum mortale ; per se loquendo, tenetur Confessor examinare : quia ad officium ejus pertinet curare, ut judicium integrè fiat. Vide B. Th. dicta d. 19. Navarr. c. 5. n. 2.

Cæterum, ex inadvertentiâ vel oblivione aliquam interrogationem omittere, non est peccatum, saltem mortale : ut post Sylvestrum, verbo

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Confessor*, 3. q. 15. notat Navar. idemque judicium A est si propterea non examinet de aliquo peccato, quia existimat pœnitentem, cùm sit probus & doctus, sponte dicturum, si illud feciſſet.

*Quæst. una.* Sed duplex restat difficultas. PRIOR, quid agere debeat Confessarius, quando ex sacramentali confessione unius, novit peccatum alterius; qui tamen de illo se non accusat in suâ confessione.

*Quæst. altera.* POSTERIOR, quid faciat pœnitenti neganti peccatum, quod Confessarius aliundè quam ex confessione, novit ipsum commisisse.

*Resp. ad priorem q.* AD PRIOREM RESP. Juxta Sylv. verb. *Confessio*, 3. q. 16. Angel. *Confessio* ult. q. 6. Navar. c. 8. n. 17. quod possit pœnitentem examinare de varijs ac etiam de illo; si moris sit rogare de talibus. Ut B autem nullam det causam suspicandi de confessione alterius, debet his cautelis uti: *Prima*, ne de illo peccato roget statim à principio; sed inter alia, *Secunda*, si interrogatus negaverit: nihil replicet super isto: sed (quando potest citra suspicionem) generaliter hortetur ad integritatem confessionis & eum (etiamsi persistat negare) absolvat; partim quia non magis tenetur credere alteri quam ipsi: partim & præcipuè; quia non licet ei detegere secretum confessionis. Videri possunt Vivaldus tract. de sigillo, & Sà verb. *Absolutio*.

*Resp. ad posteriorem q.* AD POSTERIOREM Resp. Nugnus: Si confessor habet evidentiam, quod pœnitens fecerit tale peccatum, & non sit confessus, non debet absolvere; C quia non tantùm est judex, sed etiam medicus: Ad salutem autem animæ non pertinet absolutionem dare tali peccatori, Ita enim Henriq. l. 6. c. 20. & Suar. tom. 4. disp. 32. sect. 2. & sequitur ex omnibus illis qui docent non esse pronuntiandam formam, ubi certò constat subjectum esse indispositum.

Si verò Confessarius non habet evidentiam facti, sed solùm novit ex aliorum relatu: vel vidit quidem peccantem, sed non ei constat, quod non fuerit interea confessus alteri, tunc non potest negare absolutionem, propterea quod pœnitenti regulariter creditur pro se & contra se loquenti; debetque judicari secundùm allegata, quando sci- D licet non potest ex Confessoris evidenti notitiâ convinci.

## ARTICULUS III.

*Utrùm possit quis per alium, vel per scriptum confiteri.*

VIDETUR quod non, PRIMÒ, quia sicut in Baptismo sumitur aqua, cujus communior usus est in abluendo; ita in Sacramento Pœnitentiæ sumitur verbum, quo solet communius alter alteri manifestare ea quæ latent. Nihil autem potest supplere vicem aquæ: ergo nec verbi. E

SECUNDÒ, Materia hujus Sacramenti est confessio oris, ut habetur in Conc. Flor.

TERTIÒ, Absolutio non potest aliter dari quam verbo: igitur nec confessio aliter fieri.

RESP. confitentem, per se & ordinariè debere confiteri verbo; certis tamen casibus posse confiteri per alium, aut per scriptum præsenti exhibitum: quia de necessitate Sacramenti est quod peccator se manifestet Sacerdoti: quod autem verbo, si fieri possit, est perpetua Ecclesiæ traditio & quod aliàs aliter, similiter est traditio & communis usus. Ad majorem elucidationem sit.

### CONCLUSIO I.

MULTIS & omnibus qui non possunt confiteri verbo, licet ac sufficit confiteri nutibus & gestibus; debentque vel sic confiteri, vel per scriptum, aut interpretem. Vide B. Th. hìc ad 2. & quodl. 1. art. 10.

### CONCLUSIO II.

QUI cùm possit voce confiteri, non vult confiteri nisi nutibus aut scripto Sacerdoti exhibito; ordinariè peccat mortaliter, nec consequitur remissionem peccatorum, etiamsi Sacerdos eum absolvat, quia non vult servare communem Ecclesiæ usum: ac proinde ut B. Th. d. quodl. habet, nihil consequitur, Dixi, *ordinariè*, quia si prudens Confessarius ex rationabili causâ, id concedat pœnitenti: quidam existimant, eum licitè scripto exhibito confessurum, modò, cùm à Sacerdote legitur, significet illa esse sua peccata, & se de illis absolutionem petere. Quod tamen haud facilè admittemus; cùm non sit cujuslibet Confessarij dispensare in re tam communiter per Ecclesiam receptâ: neque verecundia possit excusare ne os loquatur Deo, ad veniam, quod locutum est diabolo ad culpam.

### CONCLUSIO III.

ETSI nemo teneatur contra oblivionem scribere sua peccata: qui tamen scribit, & de scripto ea vocaliter confitetur Sacerdoti præsenti, non solùm facit legitimam confessionem, sed etiam laudandus est ob suam diligentiam. Cajet. verbo *Absolutio*, in explicatione conditionis 11.

### CONCLUSIO IV.

CONFESSIO per interpretem Confessori præsenti facta, est licita & sacramentalis: ad eam tamen (cùm nullum sit præceptum de confessione publicâ) communis sententia est neminem obligari, nisi fortè in articulo mortis, quando tantulam honoris aut famæ jacturam merito contemnere debet, quæ tantâ utilitate compensetur. Idem censent non pauci de illo qui cum voce nequeat, scripto confiteri potest. Verùm hunc teneri ad sic confitendum, si non possit nutibus omnia explicare, probabilius est, quia hoc potest absque notabili incommodo: *quando autem non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri*, ait B. Th. ad 2. Neque hìc intervenire debet ullus tertius, sicut in confessione per interpretem; sed nec majus periculum est revelationis sigilli, quam in confessione verbo facta: quia utraque fit soli Sacerdoti.

AD 1. ARGUMENTUM Negatur Consequentia: quia verbum non pariter est hìc necessarium ex parte materiæ, sicut aqua in Baptismo. Nam aqua est necessaria tanquam unica Baptismi materia: verbum autem non est ipsa materia Sacramenti Pœnitentiæ, sed confessio, oris quidem quando sic fieri potest, aliàs verò, ea qua Sacerdoti possit innotescere peccatum, peccatorisque pœnitentia: Per similitudinem ergo tactam in 1. argum. rectè ostenditur convenientia sumendi potius verba quàm aliquid aliud, non autem absoluta necessitas.

AD 2.



AD 2. Syn. consideravit modum confessionis A regulariter necessarium.

AD 3. Neg. C. quia forma debet esse magis determinata quam materia. Examinandum tamen supereſt,

### *An liceat per literas seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.*

VIDETUR quod sic, PRIMÒ, quia ratio confessionis non postulat præsentiam Sacerdotis: ut patet cùm quis absolvitur ex testimonio B aliorum, in infirmitate.

SECUNDÒ, Sicut potest aliquis excusare vel accusare se apud Judicem præsentem; ita & apud absentem. Et similiter potest in judicijs humanis absens absolvi vel condemnari.

TERTIÒ Matrimonium, per procuratores valet ergo & Confessio.

QUARTÒ, Pœnitentia adulteræ per scripturam recipienda præcipitur 30. quæst. 5. cap. *Qualis*.

QUINTÒ, Scotus in 4. d. 17. refert S. Thomam Cantuarienſem misisse ad curiam pro absolutione.

RESPONSIO negativa certa est. PRIMÒ, quia C confessio sacramentalis est sui ipsius apud legitimum judicem accusatio: hæc autem non fieret apud Sacerdotem: ergo non esset sacramentalis. Unde Concilium Tridentin. sess. 14. c. 2. *Coristus eos qui post Baptismum se crimine aliquo contaminaverint, ante hoc tribunal, tanquam reos stsi voluit*: quibus verbis clarè significat præsentiam personalem pœnitentium apud Sacerdotem, à Christo fuisse præceptam. Quo pertinet illud capitul. *Quem pœniteat*, de Pœnit. d. 1. *Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus: docens corporali, præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scripturam manifestanda*.

SECUNDÒ, verba absolutionis non minus sunt D demonstrativa personæ absolvendæ, quam verba consecrationis, materiæ consecrandæ: ergo sicut non potest consecrari materia absens, ita nec absolvi persona absens, sive verba scribantur, sive proferantur. Non habent enim tunc rationem formæ; cum demonstrent ut præsens id quod est absens: ac proinde sint falsa.

TERTIÒ, per talem confessionem non potest Sacerdos cognoscere statum pœnitentis. Ita sentiunt Scot. d. 17. Domin. d. 18. q. 2. a. 6. Angelus. *Confessio*, 1. q. 31. Tol. l. 3. c. 6. Catech. Rom. p. 2. q. 45. ac postea Clem. VIII. an. 1602. *hanc propositionem, licere per litteras seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & E ab eodem absente absolutionem obtinere: ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit ac prohibuit*: præcepitque *ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus & congressibus, doceatur: neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur*: sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsi Summo Pontifici reservatæ. Vide Summam Bullarij, Vivaldum, Pesantium & alios multos qui decretum istud Clem. VIII. referunt.

Sunt quidem qui declarationem illam interpretentur, ut damnatio Pontificis cedat in solam copulativam, velintque propterea propositionem ab eo damnatam, *licere per literas seu internuncium confessario absenti peccata confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; in sensu complexivo & copulativo esse accipiendam non in divisivo, consequenter dicentes pœnitentem posse in aliquo casu per litteras vel per internuntium confiteri absenti etsi non possit ab absente absolvi.

*Refutatur quorundam expositio decreti Clem. VIII.* At hæc dici non posse, Prob. Primò, quoniam si damnatio cadit in solam copulativam: ergo qui diceret licere absolvi ab absente, non tamen confiteri absenti, non assereret propositionem à Clem. Pontifice damnatam (quod sine dubio falsum est) non enim assereret istam copulativam, licere confiteri absenti & absolvi ab absente, sed tantum unam ejus partem. Pontifex autem in decreto suo non specificat utram istius propositionis partem damnet; ideoque rectius intelligitur, damnando propositionem, utramque ejus partem damnasse.

Prob. Secundò, quia Sedes Apostolica sectionem illam in qua magni nominis Doctor suadere conabatur quod propositio prædicta esset in sensu complexivo, & non in divisivo intelligenda: jussit ex Commentario ejus amoveri, quemadmodum refert. Didac. Nugnus ad hunc art. cui consentit Faventinus in 4. d. 17. disp. 29. n. 42. sicut & illustrissimus Armacanus in testimonio infra referendo. Et jussionis hujus seu decreti copiam ab annis compluribus penes me habeo, quam postea vidi Choquetium verbatim referre in tract. de confessione per litteras c. 5.

Eandem fuisse Clem. VIII. mentem doceri potest ex Joanne Chapeauville Generali Vicario Leod. Refert enim ipsum ita Domino Bellarmino declarasse. Verba ejus pœnam ex libr. de Sacram. ministrandis tempp. pestis, qu. 30. de Pœnit. ubi sic Objicienti:

DICES: plures DD. hoc decretum sic intelligunt, ut Pontifex damnet absolutionem absenti impensam, sed non confessionem confessario absenti factam: RESP. *Et ego huc usque sic intellexi propter rationem statim à me allegandam & solvendam: verum magistri nostri Lovan. Joannes Clarius & Fabricius quorum censura hunc tractatum submisi, mihi scribunt illustriss. Cardinalem Bellarminum declarasse Clementem octavum, intellexisse decretum hoc in sensu diviso, videlicet ut utraque propositionis pars damnata censeatur: Imo Reverend. Lombardus Episcopus Armacanus dicitur descripsisse in officio inquisitionis Romanæ, improbatam esse diserte hujusmodi interpretationem.* Ipse autem Illustrissimus Armacanus ita scripsit an. 1624. 6. Junij, cum jam antea semel iterumque testimoniale scriptum dedisset.

Occurrente casu, quo quispiam, etiam tunc demum, quando videt se in periculo vitæ constitutum, declarat, sive voce, sive scripto, sive alio quocumque signo exteriore, se velle sacramentaliter confiteri: si superveniens postea confessarius reperiat eum magnitudine periculi in quod incidit, ita aggravatum, ut licet adhuc spiret, tamen nec confessionem facere possit, nec in præsentia ipsius dare ullam significationem voluntatis confitendi, quam antea declaravit se habere.

Quæritur, an possit nihilominus eundem confessarius sacramentaliter absolvere. Pro solutione istius casus, quæ & conformis planè sit antiquis

canoni-

Universidad de Deusto
Biblioteca



canonibus & nominatim doctrinæ S. Leonis magni epist. 91. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum, & pariter in nullo diſſentiat à decreto quo Clemens VIII. prohibuit & damnavit hanc propoſitionem: licere per literas ſeu internuncium confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.

Obſervandum eſt eſſe res diſtinctas, confeſsionem ſacramentalem, & voluntatem ſeu votum aut deſiderium ſacramentaliter confitendi, id eſt, confeſſionem ejuſmodi reipſa factam vel attentatam, & tantum in voto ſeu deſiderio habitam.

Rurſum, votum ſeu deſiderium ita confitendi poſſe eſſe vel internum tantum, quod proinde ſolius Dei judicio ſit ſubjectum; vel exterius etiam ſignis declaratum, per quæ innoteſcat confeſſario cum qui abſolvendus eſt, ejuſmodi deſiderium ſeu votum habere; ſive illa ſigna ſint exhibita in præſentia ipſius confeſſarij, ita ut ab ipſo audita ſint vel viſa, ſive in ipſius abſentia, ita ut non niſi per teſtimonium aliorum qui audierunt vel viderunt, notitiam de illis acceperit.

Quamobrem ſunt etiam diſtinctæ quæſtiones quarum una proponebatur: *Utrum liceat per literas, ſeu internuntium confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri:* Altera adhuc quæritur, *An quando aliquis in abſentia confeſſarij declaravit aliquo ſigno exteriori ſe velle ſacramentaliter confiteri, ſi ſuperveniens confeſſarius eum inveniat ita conſtitutum ut non tantum non valeat peccati ullius confeſſionem facere, ſed nec illius ſuæ voluntatis ſignum aliquod in præſentia ipſius exhibere; poſſit nihilominus ex notitia per teſtimonium aliorum accepta de ſigno ante adventum ſunm exhibito, eum ſacramentaliter abſolvere.*

Quæ cum ita ſe habeant, Clemens VIII. decreto ſuo meritò damnavit ac prohibuit quod in priori quæſtione proponebatur, ſcilicet licere per literas ſeu internuntium confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri, hoc nimirum ſenſu ut ſic facta confeſſio cenſenda ſit ſacramentalis: eaque damnatio ac prohibitio conformis eſt doctrinæ Conc. Trid. in qua traditur quod Chriſtus Dominus eos; qui ſe poſt baptiſmum crimine aliquo contaminaverint, ante tribunal Sacramenti Pœnitentiæ tanquam reos ſiſti voluit.

Sed quo ad poſteriorem quæſtionem, cum non tantum ſit certiſſimum Clementem Pontificem non intendiſſe damnare ſeu prohibere quod quiſpiam per litteras ſeu internuntium confeſſario abſenti declaret ſe velle ei confiteri, ideoque eum accerſat ut præſenti confiteatur; ſed etiam mihi ſemper fuerit perſuaſiſſimum quod accidente caſu quin in quæſtione illa exprimitur, confeſſarius ſuperveniens poſſit ac debeat eum ſacramentaliter abſolvere juxta antiquos canones, & nominatim juxta doctrinam S. Leonis Papæ in citata ſua decretali, in qua quod agat de ſacramentali abſolutione, etiam intellexit S. Th. 3. p. q. 84. ar. 3. ad 2. *Hoc ipſum privatim communicavi Clementi Pontifici, idq; poſtquam in officio ſanctæ inquiſitionis improbata eſſet interpretatio ſui decreti à Theologo quodam facta tanquam non eſſet in eo damnata ac prohibita utraque diviſim pars propoſitæ quæſtionis. Ac reſpondit mihi ſua Sanctitas non fuiſſe ſibi propoſitum damnare ſeu prohibere quod abſolutio ſacramentalis impendatur incidente caſu expreſſo in poſteriore illa quæſtione.* Sic teſtor. an. 1624. 6. Junij, ut adhuc feci ante annos aliquot, Petrus Lombardus Archiepiſcopus Armacanus. Primas Regni Hiberniæ. Et nota quod hujus teſtimonij authographum Coninck dicit paratum ſe cuicunque petenti exhibere. Huc etiam pertinet, quod cum in Aphoriſmis Emanuelis Sa, verbo *Confeſſio*, ſic legeretur, non licere abſenti per nuntium aut per ſcriptum confiteri, quidam ajunt: ego cum illis ſentio qui & id concedunt, & poſſe abſentem etiam per ſcriptum abſolvi aut per nuntium; index expurgatorius tam Romanus quam Hiſpanus hoc juſſit tolli; cujus loco Romanus ita ſubſtituit, *Non liceat abſenti per nuntium aut per ſcriptum confiteri.*

His addi poſſunt qui propoſitionem à Clemente VIII. damnatam ſic accipiunt, ut quoad utramq; ſui partem ſic damnata, non ſolum in ſenſu complexivo, ſed etiam in diviſivo; adeò ut hæc damnata ſit, Licet per literas vel internuntium confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri; ac etiam iſta, Licet à confeſſario abſente abſolutionem obtinere.

Franciſcus de Pitigianis in 4. diſt. 17. q. 5. art. 8. cum iſtam concluſionem ſecundam attuliſſet, *Confeſsio per internuncium aut epiſtolam facta abſenti, non eſt licita, nec valida, nec ſacramentalis*; ac inter cætera unam reddidiſſet ejus rationem non uſque adeò efficacem: ſubjungit, & licet hæc ratio non concludat evidenter talem confeſſionem non eſſe ſacramentalem, quia etiam confeſſio publica eſt ſacramentalis; tamen evidenter concluditur ex decreto Clem. VIII.

Hugo Cavello in ſcholio ad d. 17. l. 4. ſent. Scoti, Docet, ait non valere confeſſionem abſenti, per ſcriptum factam: & Clem. VIII. anno 1602. oppoſitum damnavit ut falſum, ſcandaloſum, temerarium.

Philipp. Gamacius Doctor Sorbonicus cap. 20. de Pœnit. Confeſsio (inquit) peccatoris abſentis & per litteras, omnino prohibetur, cap. *quem pœnitet*, de Pœnit. diſt. 3. & in Catechiſmo Tridentino c. de Pœnitentiæ Sacramento. Nuper etiam Clemens VIII. anno 1602. die Junij 20. ſpeciali decreto definijt propoſitionem eſſe falſam, temerariam, ſcandaloſam, licere per literas in abſentia confiteri, vetuitque ne deinceps unquam doceretur, aut tanquam probabilis in aliquo caſu defenderetur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, à qua nullus abſolveret præter ſummum Pontificem, niſi in articulo mortis.

Bonac. to. 3. diſp. 2. q. 3. p. 3. n. 3. Si pœna excommunicationis punitur enuntians abſolutionem impendi poſſe abſenti, eadem etiam pœna puniri debet aſſerens licere in abſentia per literas vel internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, cùm utraque actio, eodem pacto & ſub eodem ſenſu verborum prohibeatur; tum quia perſpicuum eſt eum qui alterutram præfatæ propoſitionis partem affirmat, aſſerendo confeſſionem aut abſolutionem in abſentia Sacerdotis licitam eſſe, peccare contra definitionem Clem. VIII. ergo excommunicationem incurrit.

Joan. Præpoſitus qui Illuſtriſsimum Armacanum de Pontificis ſenſu conſuluit q. 4. dub. 5. ſub fin. diſertis verbis ait quod decretum Clementis intelligitur etiam diviſivè, ita ut prohibeat fieri confeſsionem abſenti, quamvis abſolutio in præſentia ſit danda.

Diana reſol. 7. de abſolutione morib. ſic ſcribit: Clem. VIII. quidquid aſſerat Villalob. & Filliuc. ubi ſupra, in illo decreto non ſolùm damnavit abſolutionem abſente pœnitente, ſed confeſsionem abſente Confeſſario: & ita verba illa Clementis accipienda



accipienda eſſe in ſenſu diviſivo, & non complexivo, docet Seraphinus Freira in addit. ad tract. de confeſſ. ſollicit. q. 13. n. 31. Alphonſus de Leone tract. de offic. & poteſt, confeſſ. tom. 1. recollect. 6. num. 123. & alij plures quos ibi allegat. Atque hæc aliquanto fuſius, ut lector videat, quid de confeſſione abſenti facta ſit ſentiendum.

Ad 1. Arg. Negatur Aſſumptum. In caſu autem allegato, vel confeſsio non fit omnino abſenti, ut diximus art. 2. quæſito 5. Nam teſtes tanquam pœnitentis moribundi interpretes, confeſſario apud ipſum moribundum præſenti exponunt diſpoſitionem & pœnitentiam ejus: Vel dicendum intentionem Pontificis Clementis non fuiſſe hunc moribundi caſum ſuo decreto comprehendere, quemadmodum ex teſtimonio Armacani ſuperius allato liquet ſub fin. cui conformiter Præpoſitus dicto dub. ſcribit quod Clemens octavus dixerit non eſſe intentionis ſuæ caſum præſenti dubio propoſitum ſuo decreto comprehendere, quod ex eodem Clemente audivit Cardin. Bellarminus, qui id retulit Leſsio die & anno citatis; addens Clementem dixiſſe ſe eo caſu abſoluturum, quod etiam ſentiebat idem Cardinalis. Idem retulit Illuſtriſsimus Armacanus 16. Aprilis anno 1608. conſultus à prædicto Patre Leſsio. Quia verò hujuſmodi teſtimonia, quæ retulerat collega meus Pater Coninck, à quodam revocata ſunt in dubium ſcribente noſtros liberaliter citare: ergo ipſe adijt Illuſtriſsimum Armacanum mihi ante annos 30. notum Lovanij, à quo petij num ſuper ea re aliquid à Clemente octavo audiviſſet, cujus teſtimonium Patri Leſsio dediſſet: Reſpondit ſe audiviſſe, & teſtimonium dediſſe, mihique petenti rurſum hujus rei dedit teſtimonium ſua manu ſubſcriptum anno 1623. 18. Aprilis, quod penes me habeo, eaque ſententia defenſa fuit Lovanij in ſcholis Theologicis præſide eximio Domino Clario. Ita ille Hugo quoque Cavello in ſcholio citato ſic ait: *Extant etiam authentica teſtimonia Illuſtriſſimi DD. Card. Bellarmini, & Archiepiſcopi noſtri Armacani quod Clem. VIII. declaravit ſe ſuo decreto non voluiſſe hunc caſum comprehendi,*

Ad 2. Diverſitas eſt hujus judicij ab alijs: quod in iſto verba ſignificent ex inſtitutione Chriſti, & ſint effectiva abſolutionis, nec remittere poſsint ùnum mortale ſine alio. In illis autem verba ſignificant ex hominum arbitrio, nec ſunt realiter effectiva, & poſſunt abſolvere ab uno, quamvis non ab alio.

Ad 3. Quod Matrimonium inter abſentes validum, non ſit novæ legis Sacramentum, donec ſuper eos, cum fuerint præſentes, ſacerdos formam pronuntiet, dicetur in tractatu de Matrimonio, etſi, non omnes hoc admittant.

Ad 4. Verba quæ apud Gratianum ſunt, *pœnitentia illius per ſcripturam recipienda*, tantùm ſignificant quod Pœnitentia adulteræ, ſit per Eccleſiam recipienda, juxta authoritatem ſcripturæ, Joannis 8. ubi Chriſtus non condemnavit adulteram. Dubitatur tamen, an lectio dicta ſit vera: Nam, ut monet notatio Gregoriana, in Capitularibus lib. 7. ca. 127. habetur, *& Pœnitentia illi recipienda.*

Ad 5. Scotus non refert unde habeat quod ſcribit: neque tamen dicit S. Thomam ſcripſiſſe ſua peccata, & ſcripto fuiſſe ſacramentaliter confeſſum.

Ad hujus argumenti elucidationem, ſimul & ſolutionem, obſerva S. Thomam à viris magnis deceptum, aliquando conſenſiſſe Henrico II. Anglorum regi: Cum autem erratum ſuum agnovit, vehementer ingemuit, ſibique ipſi interdixit, ne ſanctum Miſſæ officium celebraret, donec per Romanum Pontificem abſolveretur. Illam verò abſolutionem non intelligebat ſacramentalem à culpa, ſed partim à pœna futuri ſæculi per indulgentiam; partim à cenſura eccleſiaſtica, ſi quam fortè illo peccato incurriſſet. Unde Alexander III. pro hac abſolutione ad eum reſcribens, monet ut ſacerdoti confiteatur, ac nihilominus eum abſolvit. Ipſius Alexandri poſt conſolationem & aliquam peccati extenuationem verba ſunt: *Si aliquid te recolis commiſiſſe de quo propria te debeat conſcientia remordere, quicquid ſit, ſacerdoti qui diſcretus & providus habeatur, tibi conſulimus per Pœnitentiam confiteri. Quo facto, & miſericors Dominus, qui multò magis ad cor reſpicit quam ad actus, tibi conſuetæ pietatis ſuæ miſeratione dimittet. Et nos de Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis confidentes, te ab eo quod eſt commiſſum abſolvimus, & idipſum fraternitati tuæ authoritate Apoſtolica relaxamus.* Quidam dicunt hanc eſſe abſolutionem à juramento quod regi præſtiterat. Hanc hiſtoriam videre eſt apud Surium, & Zachariam Lippeloo 29. Decembr. apud Stapletonum, in libro cui titulum dedit *Tres Thomæ*, & apud Baronium ad ann. 1164.

### Articulus IV.

Art. 4. explicat ſedecim conditiones ad confeſſionem requiſitas, pleraſque de neceſſitate; alias de decentia. Quando, quod confeſſio fiat ſecretò ponit inter illas conditiones quæ de neceſſitate requiruntur; non intelligit hoc ad eſſentiam confeſſionis pertinere, validam enim eſſe illam quæ ſit per interpretem docuit ar. 3. & rurſum ſignificat q. 11. art. 3. poteſtque quod ſecretum non ſit de eſſentia confeſſionis, probari, tum ex ijs quæ dicta ſunt art. 1. qu. 6. tum ex eo quod ſi quis tertius inſidiosè audiverit confeſſionem pœnitentis; vel ſi ſacerdos ſacrilegè illam revelet; vel, ſi propter periculum naufragij non poſsit confeſsio aliter fieri quam alijs audientibus; non propterea erit invalida: Sed vult quod ordinariè non licet aliter confiteri, quàm ſecretò, præſertim peccata occulta; quia fieret contra legem naturalem, hìc ad 4. & contra vetuſtiſsimum Eccleſiæ morem. Sic etiam intelligi poteſt quod in capitulo, *Omnis utriuſque ſexus*; dicitur, *Omnia ſua peccata ſolus confiteatur?* quia ſcilicet non eſt neceſſe, ut coram teſtibus confiteatur; imò ſervare debet uſum in Eccleſia receptum, qui eſt ut quiſque confiteatur ſecretò.

*Secretò non eſt eſſentia confeſsionis.*

## Quæstio X.

### *De effectu confeſsionis.*

### Articulus I. & II.

Art. 1. & 2. probat confeſsionem ex vi abſolutionis conjunctæ tollere culpam, quæ eſt mors animæ, & liberare à pœna æterna, diminuere verò temporalem pro contritionis & erubeſcentiæ magnitudine.

Cum ar. 2. addit, *quantò pluries aliquis de iiſdem peccatis*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur* non probat eorum confessionem generalem, qui sæpius eadem peccata scrupulosè confitentur; sed illorum qui studio puritatis & satisfactionis hoc faciunt.

ARTICULUS. III. & IV.

ART. 3. & 4. docet confessionem quatenus tollit culpam & reatum, quo peccator arcetur ab ingressu cœli, aperire paradisum, & tribuere spem salutis: quia reponit peccatorem in statum filiorum Dei.

ARTICULUS V.

ART. 5. docet confessionem generalem sufficere ad delenda peccata mortalia oblita, id est, quorum post diligentem discussionem pœnitens non recordatur, sive tunc quando seipsum examinat, sive tunc quando confitetur. Et hunc enim casum comprehendi patet, tum ex deductione articuli, tum ex paritate rationis, quæ est eadem, sive peccatum memoriæ excidat in examinando, sive in confitendo. Generalem autem confessionem non intelligit eam quæ fit initio Missæ vel in completorio; sed illam quæ fit apud Sacerdotem eo ipso quo, postquam de illis peccatis quorum habet memoriam, pœnitens legitimè confitetur; subjungit generalem clausulam, quâ & de confessis & de alijs omnibus petit veniam, constat enim eum loqui de confessione sacramentali.

*Quæ generalis confessio isto loco.*

Quod in initio corporis dicit, *confessio directè ordinatur ad dimissionem pœnæ*; tacitè retractatum videtur 3. p. q. 84. partim a. 2. cum dicit remotam materiam Sacramenti Pœnitentiæ *esse peccata, non acceptanda sed detestanda*; quod de peccatis, secundùm quod sunt peccata, sive secundùm culpam accipi debet (unde in responsione ad 3. dicit *hoc Sacramentum principalius institutum ad deletionem peccati mortalis*: quod de peccati macula, cui soli convenit deleri, similiter est accipiendum:) partim ar. 3. cum dicit hoc Sacramentum consistere in remotione cujusdam materiæ, scilicet peccati; & verba formæ non solum significare absolutionem à peccatis, (scilicet tam quoad culpam, quam quoad pœnam ut opusculo de forma absolutionis c. 2. tradit) sed etiam efficere illam. Confer etiam hujus Suppl. q. 6. ar. 1. Unde lect. 4. in c. 20. Joan. reprehendit sententiam eorum qui dicebant Sacerdotem tantum absolvere à reatu pœnæ; docetque ipsum sacramentaliter absolvere à culpa & pœna.

## QUÆSTIO XI.

## *De sigillo confessionis.*

ARTICULUS I.

ART. 1. docet Sacerdotem in omni casu teneri celare illa quæ habet sub sigillo confessionis: quia quæ in Sacramentis geruntur exteriùs, signa sunt eorum quæ interiùs contingunt, ac proinde, sicut quod pœnitens subjicit se Sacerdoti, est signum subjectionis qua interius se subjicit Deo: ita quod sacerdos absolvit, est signum absolutionis ejus quâ Christus peccata remittit. Deus autem quantum est ex parte Sacramenti: peccatum ejus qui se illi subjicit per Pœnitentiam, omnino tegit: ergo & Sacerdos debet tegere, facturus alioquin contra significationem Sacramenti. Quod B. Th. addit, *hoc esse de Sacramenti necessitate*, non ita est accipiendum, quasi nullum sit illud Sacramentum, invalidaq; illa confessio, cujus secretũ contingit violari: sed sic quod debitum & obligatio celandi audita in confessione, pertineat ad necessitatem Sacramenti; partim quia secundùm institutionem Christi non consistit esse confessionem sacramentalem, & sacerdotem quantum est ex ea, non obligari ad secretum; partim quia Sacramentum Pœnitentiæ non posset retineri, ejusque usus conservari, nisi confessarius strictissimè obligaretur ad celanda peccata in illo audita. Hinc in fine corporis, etiam hanc adfert rationem, *quia homines magis attrahuntur ad confitendum*: atque adeò si non esset strictissima obligatio, alieni redderentur homines à confessione tanquam à re odiosa; neque fiducialiter auderent confiteri sua peccata, timentes ne propter hoc vel illud peccatum, liceret Sacerdoti frangere sigillum.

Ex his patet sacerdotes ad confessionis arcanum non aperiendum obligari; tum jure divino naturali quo tenetur unusquisque celare id quod sub fide secreti accepit: tum jure divino positivo. Nam ex præcepto confessionis, per se consequens est, Sacerdotem, tanquam Christi vicarium, debere peccata in confessione audita, celare, ut in responsione ad 2. dicitur. Quamquam & verisimile sit Christum peculiare hujus sigilli præceptum Apostolis significasse.

Has ob causas: nullo prorsus casu, ne quidem periculi vitæ, reipublicæ, regni, imo nec animarum, neque ulla dispensatione potestatis Ecclesiasticæ, licet frangere sigillum confessionis: aut citra particularem pœnitentis consensum detegere vel minimum peccatum ex confessione cognitum. Ac proinde, major est hæc obligatio, quam secreti naturalis, vel promissionis etiam juramento firmatæ.

Legibus divinis accessit Ecclesiastica. Una de Pœnit. dist. 6. *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his qui ei confitentur, peccata alicui recitet: non propinquis, non extraneis: neque quod absit pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.*

Altera continetur in capitulo, *Omnis utriusque sexus. Caveat omnino ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.* Ita priùs docuerunt Petrus Damianus serm. de S. Andrea, & S. Leo epistola 80.

Ex his sequuntur quædam observanda.

PRIMUM, quod confessarius qui aliquod peccatum mortale habet, quod non potest confiteri absque revelatione confessionis sibi factæ; confiteri debeat reliqua, illo (quamdiu est ejusmodi periculum) tacito, Navarrus c. 8. nu. 6. quia sigilli præceptum magis obligat quam materialis integritas confessionis.

SECUNDUM, si parochus novit ex confessione, sponsum & sponsam esse affines; tenetur (si extra confessionem petant) eos conjungere, nisi vel in confessione posit dissuadere, vel etiam aliter quam ex confessione noverit esse impedimentum.

TERTIUM, Ne quidem mortuo pœnitente licet revelare confessionem, etiamsi esset ad impediendum matrimonium quod alioquin ob crimen aliquod erit nullum; vel ad maximam utilitatem procurandam: partim quia jura supradicta



dicta obstanti; partim quia etiam sic odiosa redderetur confessio; timerent enim viventes sua peccata confiteri, si intelligerent ea vel post mortem posse revelari. Addè quod testimonium sacerdotis habitum ex scientia per confessionem acquisita, nullam faciat fidem, ut colligitur ex c. *Dilectus*, de excessibus prælatorum.

QUARTUM, Violatio hujus secreti grave admodum est peccatum, non modo infidelitatis, aut injustitiæ, quâ vetamur secreta detegere, & proximum infamare; sed etiam sacrilegij, contra significationem & reverentiam Sacramenti: adeò ut si etiam peccatum veniale auditum in confessione reveletur cum manifestatione personæ; mortaliter peccetur, quamvis enim illud secundùm se spectatum sit materia levis, & in ordine ad pœnitentem non sequatur infamia gravis: magna tamen fit injuria Sacramento, cùm peccetur contra veritatem & sanctitatem ipsius, reddaturque odiosum, ut à confessione homines abstrahantur.

Putant quidam aliqui revelationem peccati venialis non futuram mortalem, nisi sacerdos dicat se audivisse ex confessione: Verùm cùm gravitas hîc non nascatur ex scandalo, sed ex natura Sacramenti: contrarium est tenendum; nisi fortè ex indeliberatione, & inadvertentia revelet aliquis id quod in confessione audivit. Talem enim venialiter tantùm peccare, si nulla sequatur infamia: docetur in Floribus Theologicis, eò quod nõ dicat animo revelandi, neque recordetur confessionis; sed ex aliunde accepta scientia loqui se existimet.

*Ob.* His non obstat decretum Conc. Tolet. 10. ubi Patres per fidelem confessorem Potamij Episcopi, leguntur agnovisse quod is tactu fœmineo sorduisset. Vera enim lectio non habet confessorem, sed *confessionem*; & ex contextu patet quod per ipsius Potamij confessionem propriam, cognitum fuerit ejus peccatum, & non aliundè.

*Resp.*

*Ob.* Nec obstat etiam quod non teneatur quis servare famam proximi cum evidenti periculo suæ vitæ: Primò, quia aliud est servare famam proximi, aliud infamare proximum. Illud enim ad præceptum affirmativum pertinet, hoc ad negativum. Secundò, quia non tam hîc quæritur defensio famæ proximi, quàm ne fiat injuria Sacramento: ad quam evitandam mors quælibet potiùs subeunda est.

*Resp.*

Circa responsionem ad 1.

QUÆRITUR I.

*Ex quali confessione oriatur sigillum confessionis.*

SIGILLUM, ut ex superioribus potest colligi, non est hîc aliud quam debitum, seu obligatio celãdi confessionem. Oritur autem non solùm ex confessione valida, neque ex omni ea quæ quomodocunq; fiat; sed ex omni & sola illa confessione quæ est sacramentalis, id est, quæ cum animo seu accusandi, & clavibus Ecclesiæ se subjiciendi fit illi qui habet vel habere creditur potestatem absolvendi. Ac proinde ad confessionem sacramentalem.

*Primò* requiritur, ut fiat sacerdoti; & propterea illa quæ scienter fit laico, vel etiam clerico inferioris ordinis; non inducit sigillum confessionis: sed secretum naturale. Dico, *scienter*: Nam si quis bona fide confiteatur alicui, quem falsò putat esse sacerdotem; ex tali confessione oritur sigillum: sicuti etiam, si audiens sit quidem sacerdos, sed careat jurisdictione: quia talis confessio, ex intentione pœnitentis fit sacerdoti legitimam potestatem habenti estque sacramentalis; licet per accidens contingat defectus; & consequenter eam revelando fieret injuria, tum pœnitenti, tum Sacramento, quod bona fide existimatur subsistere.

*Secundo*, requiritur quod fiat animo se accusandi & clavibus Ecclesiæ se subjiciendi, ut vel à vicario Christi absolvatur: vel eo modo juvetur quo is noverit expedire: Alioquin enim non est confessio.

Hinc si peccator sub specie confessionis, veniat animo irridendi, decipiendi pertrahendi confessorem in consortium sui peccati; non est ejus confessio sacramentalis; ideoque nec inducens sigillum; ut declaratum fuit Romæ de quodam Cardinali, qui prætextu confessionis, accesserat ad alium volens eum in conceptæ contra Pontificem conjurationis crimen pertrahere: ut referunt Dominicus dist. 18. quæst. 4. ar. quinto Vivaldus, & alij.

Si quis autem bona fide accedit ad confessarium, sine proposito quidem emendandi, sine contritione, sine voluntate recipiendi absolutionem; sed tamen cum intentione se illi tanquam Dei ministro accusandi & subjiciendi, vel ut aliquo modo satisfaciat Ecclesiæ, vel ut à sacerdote prout poterit adjuvetur: talis confessio, ad effectum inducendi sigillum, est sacramentalis: ut colligitur ex c. *Quod quidam*, De pœnitentijs & remiss. Et confirmari potest hac ratione: Judicium Sacerdotis est cum potestate absolvendi, vel absolutionem negandi: sed notitia causæ debet præcedere sententiam judicij: ergo sub eodem secreto ponitur accusatio pœnitentis, sive ad eam sequatur absolutio sive non: Alioquin, non possent peccatores securè confiteri. Si verò dubium sit qua mente venerit peccator ad confessarium, neque possit ex manifestis signis constare quod animo pertrahendi in malum: præsumi debet pro confessione, & servandum est sigillum.

Ex his colligi potest, An peccata futura cadant sub sigillum. Si enim declarentur confessario per modum accusationis & subjectionis in hoc foro; non autem ex irrisione vel intentione corrumpendi confessarium: certò tenendum est cum affirmantibus, B. Thoma hîc ad 1. Bonaventura distinctione 21. art. 2. q. 1. Gabriële art. 2. & 3. Richardo art. 4. Dominico dist. 18. q. 4. art. 5. Petro Soto lect. 11. de confessione.

*Peccata celanda sunt etiam illa quæ sunt adhuc futura.*

PRIMÒ, quia licèt peccator ea dicat sine dispositione debita: eorum tamen accusatio est verè confessio, & quidem aliquo modo sacramentalis, etiamsi non sit sufficiens ad hoc ut sit materia Sacramenti: Ad sacramentalem enim confessionem aliquid pertinet ut materia absolutionis: aliquid, ut ipsius impedimentum.

SECUNDÒ, peccatum futurum non potest revelari, quin simul reveletur præsens, voluntas scilicet peccandi: hujusmodi autem certum est cadere sub sigillum, ergo & illud.

TERTIÒ, sequeretur alioquin, quoties homo confiteretur peccata sine voluntate emendationis, quod sacerdos non teneatur ad sigillum: quod & falsum est, & repugnat dicto capitulo, *Quod quidam*.

*Ob.* Si dicas propositum peccandi, cum sit signum impœnitentiæ, non esse materiam confessionis; sed illi opponi: Aut, Deum non detegere talia peccata, nec habere pro oblitis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ad priùs Resp. impœnitentiam opponi quidem confessioni, quantum ad absolutionem, ejusque fructum, sed non quantum ad esse sacramentalem prout hîc sumitur. A

Ad posterius, Deum quantum est ex parte clavium quibus peccator se confitendo subjicit, tegere peccata de quibus ipse se accusat, quamvis propter ejus indispositionem ea non deleat : & consequenter non tegat veluti remissa.

Citatur à quibusdam Innocentius III. quasi voluerit revelandum esse peccatum ejus, qui confitebatur se, cum non esset Sacerdos, celebrare, & deinceps celebraturum : Sed ex Concilio Lateranensi per eum celebrato, ubi secretum confessionis severè præcipit; satis apparet Innocentium esse B conformem superiori sententiæ : ut proinde fidem certam non habeat dicta historia ; nisi fortè loquatur de illo qui veniebat ad confessarium non animo se accusandi coram Deo, sed intentione pertrahendi ipsum in malum. Occasione responsionis ad 2. & 3.

## QUÆRITUR II.

### *Vtrùm liceat manifestare pœnitentem indirectè.*

Videtur quod sic. Primò, quia de pœni- C tente potest confessarius dicere, quod illum non absolverit: cujus cum variæ possint esse causæ, unus existimabit esse propter peccatum, alius propter aliud.

Responsio certa est, nec directè, nec indirectè; nec expresè, nec implicitè, posse prodi pœnitentem ejusque peccatum, non solùm verbis, sed nec factis aut signis; nec tantum sponte, sed nec respondendo ad quamcunque interrogationem. Hæc enim omnia continet canon. Lateranensis, quando præcipit sacerdoti cavendum, *ne verbo vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.* D

Ad Arg. verò Resp. cum absolutio communiter non negetur, nisi ob indispositionem pœnitentis, non potest confessarius dicere de sibi confesso, ego illum non absolvi. Et quamvis, per se loquendo, possit de aliquo dicere, quod eum absolverit: per accidens tamen, aliquando nec hoc potest, ut, si simul, vel non diu post, sermo videatur futurus de alio quem non absolvit : mutatio enim sermonis, esset indirecta revelatio. Dicat ergo, se officium suum fecisse. Eadem ratione, licèt non rumpat sigillum, qui de aliquo dicit quòd minutis suis peccatis, sibi sit confessione molestus, eò quod in genere solum peccata venialia manifestet, ut observat Navarrus c. 8. nu. 12. qui tamen E duarum aut trium personarum confessionibus auditis, de una illarum sic loqueretur, Iste nullum peccatum mortale habuit ; peccaret mortaliter, indirectè frangendo sigillum ; quia videretur significare alios fuisse confessos mortalia. Navarr. ibid. nu. 9. Alij aliquot casus sunt observandi.

Primus, Si Sacerdos à judice interrogetur super alicujus crimine quod novit ex sola confessione, potest dicere, & si opus est, jurare, se nescire. Hîc ad 3. Sicut enim interrogatio de illis solis peccatis accipienda est, de quibus ei competit inquirere: ita responsio ad eadem referri debet; ac proinde sensus responsionis erit, Nescio cognitionis modo, quo possim vel debeam tibi respondere.

Secundus, Si rogetur ut in terminis dicat, id quod ex confessione Petri novit de ipsius homicidio; quidam existimant eandem posse dari responsionem: sed verius alij negant cum Dominico, distinctione decima octava, qu. 4. art. 5. Hæc enim propositio, Petrus non est confessus homicidium, non potest sic verificari : non est confessus eo modo quo tenear dicere, quia modum illum excludit interrogatio. Dicat ergo, ejusmodi quæstionem esse impiam, & talem ad quam nec affirmativè liceat respondere, nec negativè. Similiter, quamvis pœnitens rogatus, an hoc aut illud dixerit, possit dicere quod non, si non dixerit nisi in confessione : quia intelligitur nemini hominum tanquam homini, non potest tamen affirmare quod non dixerit in confessione, quia significaret se, nec ut homini dixisse, nec ut Deo.

Tertius, Qui per confessionem novit peccatum vergens in magnum Reipublicæ nocumentum, ut hæresim, conjurationem, incendium, non potest hoc manifestare. Neque tamen tacendo faciet contra charitatem, quia charitas non postulat adhiberi remedium illi malo quod homo nescit; quod autem scitur tantum ex confessione, est velut nescitum. Hîc ad 1. Debet ergo aliter obviare damnis quantum potest, ut dissuadendo pœnitenti, jubendo ut obstet, absolutionem negando si renuat, generalibus verbis admonendo illos quibus periculum creatur ut advigilent, sibique caveant.

Quartus, Si duo constituissent occidere Sacerdotem introeuntem silvam cum ipsis, & paulò ante ingressum, unus illorum confiteretur istud suum peccatum; posset Sacerdos non ingredi, modò tales causas proferat, ex quibus non sequatur revelatio confessionis. Ita Scotus, distinctione vigesima prima, quæstione secunda, Richardus, Sylvester. Idem judicium est de illo qui ex confessione sciret vinum ad celebrationem paratum, esse venenatum : posset enim, vel ex causis confessioni impertinentibus, vel utendo verbis æquivocis, non celebrare.

Quintus, non frangit sigillum qui dicit, Tale peccatum mortale audivi in confessione, modò non possit ullo modo cognosci persona quæ fuit illud confessa, nec ullius sequi confusio, vel infamia. Scotus distinctione 21. quæstione secunda, Navarrus capite octavo, numero duodecimo, & alij communiter. Propter pericula tamen, ejusmodi sermones non sunt frequentandi. Joeando autem referre peccata in confessionibus audita, est contra religionem Sacramento debitam, etiamsi non sit periculum infamiæ : quamquam aliquando sit revera periculum ubi minimè putatur. Veluti in exemplo quod refert Medina l. 2. c. 4. de quodam confessario qui in aliquorum consortio dixit, prima mulier quam ego in confessione audivi, erat adultera, nec tunc ipse advertit neque adverterunt consanguinei quod ille dixerat : sed postea nonnullis diebus elapsis, cum domi illius mulieris esset idem confessarius, ubi etiam maritus aderat; dixit : tu es mea prima filia spiritualis quam ego confitentem audivi, tunc maritus qui confessarium istum cum alijs prius loquentem audierat, cognovit uxorem suam esse illam de qua locutus erat confessarius quod prima sua pœnitens erat adultera & cum confessarius discessit, pugione illam occidit.

Sextus,



Sextus, Qui dicit; ille est mihi confessus sua A peccata, regulariter non facit contra sigillum : secus, si manifestaret aliquod veniale, in specie, vel mortale, in genere. Dico *regulariter*, quia foret contra sigillum hoc dicere de illo, de quo si sciretur esse confessus alteri quam ordinario, suspicio foret alicujus mali. Sed & fractor sigilli censeretur, qui de publicis peccatoribus, veluti meretricibus, usurarijs, affirmaret eos sibi confessos peccata illa publica. Tali enim sermone non solùm prodit peccata priùs nota, sed etiam significat quod ea in confessione audiverit. Navarrus, Cajet. Vivaldus, Victoria. Existimant aliqui quod posset dicere, Confessus est omnia sua peccata, illum absolvi : sed cum sic loquendo, significat indirectè quid B per confessionem audiverit : alij negant.

*Ob.* Si dicas, Concilium Tridentinum sess. 24. c. 8. præcipere ut talibus peccatoribus injungatur publica pœnitentia; unde sequitur revelatio peccati

*Resp.* confessi. Resp. Concilium non loqui de confessarijs, neque de mero interiori foro pœnitentiæ, sed de exteriore, in quo solo possunt injungi publicæ pœnitentiæ ; citrà consensum pœnitentis. Vide Lopez p. 1. c. 37. & Navarr. de Pœnit. d. 6. c. Sacerdos.

Septimus, Si post auditam peccatoris publici confessionem, antequam publicè reparaverit scandalum, rogetur coram alijs Sacerdos ut eum communicet, ita se gerat, ac si non audivisset con- C fessionem, & dicat : Iste hactenus fuit in peccato publico, & quantum apparet adhuc in eo manet : Publico autem peccatori non licet communionem publicè præbere, nisi publicè constet quod desijt esse talis, propterea illi non præbeo. Cajetanus, Navarrus, Medina, Vivaldus. Si diceret. Non potui illum absolvere, quia nullam vidi publicam ejus pœnitentiam, violaret sigillum ; ut contra Cajetanum tenet Navarrus, & Vivaldus.

Octavus, qui de aliquo peccato consilium ita petit, eoque sic utitur ut non possit agnosci persona confessa, non peccat. Qui verò solitus in aliquo loco excipere confessiones; dicit, in eo committi gravia crimina, non quidem frangit sigillum, sed nihilominus si absque spirituali utilita- D te, vel coram infirmioribus hoc dicat, existimantibus confessionem tali sermone revelari, graviter peccat ; tum contra Sacramentum, à quo sic alienari possunt, tum per scandalum. Et similiter, qui citra necessitatem simul audit plures pœnitentes, sive pueros, sive adultos : quia licet non frangat ipse sigillum, occasionem tamen præbet alijs frangendi, ac insuper abutitur Sacramento.

Nonus, Qui venit communicaturus infirmum, & ex confessione quam tunc excipit, intelligit eum esse hæreticum & impœnitentem, consuetas faciat coram comitibus interrogationes, an credat omnia quæ Sancta mater Ecclesia credit; an præsen- E tiam corporis Christi in Sacramento : an purgatorium, & similia: neque illum communicet, nisi ad singulas affirmativè respondeat : Si affirmet ; communicet : secundùm ea quæ ad Pastorales instructiones S. Caroli Borromæi adnotavimus, p. 3.

Decimus, Qui revelat secretum sub sigillo confessionis datum & acceptum sine sacramentali peccatorum confessione, non violat sigillum confessionis, etiamsi genuflexo, & prævio signo crucis esset datum. B. Thom. art. 2. ad 2. imò nec peccat quidem, si ex justa causa revelet : ut si tanquam testis à judice interrogetur ; si super eo denuntiando



feratur excommunicatio ; si est Reipublicæ aut alicui proximo perniciosum. Cajetanus in 2. 2. q. 70. art. 1. ad 3. Navarrus c. 8. n. 18. & c. 18. n. 55. quia non est alia obligatio hujus secreti quam naturalis. Imò sic aliquid tradere vel recipere sub sigillo confessionis, cum nullum arcanum possit secreto confessionis æquiparari, non caret irreverentia Sacramenti, ut observavit Paludanus in 4. d. 21. qu. 3. art. 1. conclusione 3. Ex his intelligi potest quod

## QUÆRITUR III.

### *An extra confessionem uti liceat scientia per eam acquisita.*

Si enim ex usu talis scientiæ, sequeretur aliquod periculum revelationis confessionis, etiamsi solùm indirectè, non licet : secus, si absit omne periculum : quia talis usus, neque repugnat sigillo, neque habet aliundè aliam malitiam, nisi fortè specialiter esset prohibitus authoritate Superioris. Nam quod objicitur, non licere uti scientia sacra in commodum alterius præsertim temporale : neque ad rem pertinet, neque verum est, cùm & Christus uteretur scientia infusa ad evitandum temporale periculum, & prophetæ usi legantur scientia prophetica, ad avertendas hostium insidias, Neque est ulla ordinis perversio, si aliquid supernaturalia ordinetur secundariò ad temporale : quia tandem omnia cedunt in gloriam Dei tanquam in ultimum finem.

Hinc est, quod qui ex confessione novit aliquem esse indignum prælatura, possit ea scientia uti ad negandum ei suum suffragium, vel ad contradicendum ejus promotioni, si exterius allegari possunt probabiles aliæ causæ, ut defectus ætatis, scientiæ, vel hujusmodi : quia tunc nec suspicionem dat de crimine, nec revelat confessionem, ait hîc B. Thomas ad 4. Alioquin, si promotioni alterius repugnando, vel minimam faceret criminis suspicionem, ut quia nihil canonici impedimenti potest ei objici ; neque liceret repugnare; neque confessarius ipsum eligendo (si agatur suffragijs apertis) peccaret, aut pœnas eligentibus indignum propositas incurreret. Liceret etiam ab officio amovere illum qui per solam confessionem noscitur eo abuti, si & per amotionem nullatenus manifestetur peccatum (ut quia superior ad nutum & facilè solet mutare suos officiarios) & accipiatur occasio extrinsecus adveniens : Alias amovere non licet. Hîc ad 3. & quodlib. 5. art. 13. Si solus pœnitens videtur suspicaturus quod propter peccatum confessum amoveatur; probabile videtur quod monitio in confessione facta sufficiat, nec possit amoveri : ut post Richardum tradit Angelus, quia extra confessionem non licet objicere peccatum in ea auditum : ipseque pœnitens retardaretur ab integrè confitendo, si adverteret suam confessionem sacramentalem obesse, ne continueretur in officio.

Ex his patet quod ex confessione possit confessarius fieri cautior, prudentior, & diligentior in officio gubernationis exterioris : modò nec observari curet eos quorũ peccata in confessione audivit, nec aliquid agat unde possit ingenerari suspicio.

Dixi, *nisi fortè specialiter prohibeatur* : quia Clem. VIII. superioribus religioforum præcepit ut diligentissimè caveant ne ea notitia quam de suo-

Universidad de Deusto
Biblioteca



rum subditorum peccatis in confessione habue- A runt, ad exteriorem gubernationem utantur.

*Quæ directè cadant sub sigillum. Quæ indirectè.*

### Articulus II.

Art. 2. tradit sub sigillum confessionis directè cadere omnia illa de quibus est facta confessio sacramentalis: ut sunt omnia peccata mortalia, omnia venialia, eorum objecta, & circumstantiæ sive necessariò confessæ, sive non: Indirectè autem illa, de quibus etsi non sit confessio sacramentalis; per ea tamen deveniri posset in notitiam peccatoris aut peccati. Unde secundùm Richardum, Sylv. Angel. quicquid per se vel per accidens, directè vel indirectè, posset verecundiam, confusionem, malam suspicionem, vel ali- B quod aliud nocumentum generare pœnitenti ex peccato confesso; cadit sub sigillum, sive sit natalium aut aliquis alius naturalis defectus, occasione peccati declaratus, ut observavit Dominic. sive locus, tempus & similia per quæ potest cognosci peccatum confessum, relativè ad personam confitentem.

Ad idem sigillum pertinent quæ inter Confessarium & pœnitentem dicuntur in præambulo, ante confessionem: aut statim post absolutionem, vel postea, quando loquuntur de peccatis confessis. Vide Med. l. 2. c. 4. & 7. suæ instructionis, & S. Carolum Borrom. p. 2. c. 20. Alia verò ad confessionem non pertinentia, quæ interdum dicun- C tur in confessione: etsi sub sigillum non cadant, summo tamen studio celanda, dicit hîc B. Th. tum propter scandalum, tum propter pronitatem loquendi de rebus in confessione auditis, quæ ex tali garrulitate posset oriri.

Major difficultas est,

*An sigillum se extendat ad aliena peccata in confessione audita.*

### Conclusio I.

Peccata tertiæ personæ quæ sine ullo ordine ad pœnitentem, aut pœnitentis accusatio- D nem, revelantur, cadunt sub secretum naturale de servanda fama proximi: non videntur tamen pertinere ad sigillum confessionis, cùm sint audita ut confessioni impertinentia.

### Conclusio II.

Peccata complicis cadunt sub sigillum confessionis, sive pœnitens potuerit suum confiteri sine expressione illius, sive non. Scotus d. 21. quæst. 2. Richardus, Dominicus, Sylvester, Angelus.

*Primò*, quia quæ necessaria sunt ad integritatem confessionis, vel quæ dicuntur quasi conjun- E ctim ad declarationem proprij peccati, sunt materia sigilli.

*Secundò*, quia ex revelatione peccati complicis: sæpe numero potest agnosci peccatum pœnitentis, unum enim est alterius manifestativum.

*Tertiò*, Alioquin confessio redderetur onerosa & odiosa.

An autem pœnitens possit in confessione socium peccati sui manifestare, quæritur.

Posse, imò & debere, si hoc sit necessarium ad integritatem suæ confessionis, nec timeatur ullum malum; ostendimus 3. p. q. 80. art. 4. Si non sit om-



ninò necessarium, sed solùm utile ad majorem expressionem proprij peccati; licitum videtur; aliàs non, quamvis à mortali pœnitentem subinde excuset inconsideratio, dum per inadvertentiam longius progreditur quam oporteat, atque ita complicem detegit. Hinc Emanuel Sa verbo *Confessio*. Ad declarandum, ait, speciem tui peccati potes, si necesse est, declarare simul alienum, imò etiam cùm id tibi utile est ad animæ salutem. Confer Fagundez l. 5. ad 2. præcep. l. 1. n. 8. & Dian. tract. 3. Miscell. resol. 22.

Ad finem verò correptionis fraternæ, vel denuntiationis, vel ad bonam gubernationem communitatis, nunquam est licitum pœnitenti detegere tertiam personam in sacramentali confessione, ut latè probant Nugn. hîc & Bannes ad 2. 2. q. 33. art 8.

Regulariter etiam non licet Sacerdoti inquirere à pœnitente, ut sibi extra confessionem aperiat complicem: sed quando pœnitens tenetur ad ejus correptionem, aut denuntiationem curet Sacerdos ut ipse pœnitens per se, vel per alium discretum, eam faciat. Si poneret casus in quo nullus præter Confessarium, idoneus reperiretur ad corripiendum, denuntiandum, vel malo communi obviandum: posset obligare pœnitentem ut sibi extra confessionem revelet tertiam illam personam: modò nullum sequi possit scandalum, nulla irre- C verentia Sacramenti, aut fractio sigilli.

### Articulus III.

Art. 3. docet, solum quidem Sacerdotem habere sigillum confessionis propriè loquendo: alios verò per quandam participationem obligatos esse ad sigillum servandum.

Prius, quia solus ille est minister Sacramenti, cui propriè & directè competit sigillum.

Posterius, quia sicut alij participant aliquid de actu confessionis, audiendo peccata in confessione dicta, ita etiam participant aliquid de sigillo. Ad quod proinde servandum tenentur hi.

*In primis*, qui vel malignè confitentis peccata audivit; vel casu; & sine culpa: res enim hæc transit cum suo onere; & alioquin, onerosa foret confessio & odiosa.

*Secundò*, interpres, quo pœnitens utitur in confitendo. Neque enim ille ministerium præbet soli pœnitenti, sed etiam sacerdoti qui sic per interpretem cognoscit peccata confitentis, sicut is per eum loquitur. Nec refert, quod non teneatur pœnitens eo modo confiteri quia nec aliquis tenetur confiteri peccata venialia; quæ tamen sunt materia sigilli sacramentalis.

*Tertiò*, tenetur ad sigillum is, cui Confessarius confessionem revelat, sive justè (ut consilij petendi causa, de consensu pœnitentis) id faciat sive injustè, nisi fortè pœnitens declaraverit se velle quod consiliarius id liberè & absolutè sciat. Ita B. Tho. art. seq. ad 4.

*Dices*, is quem ipse pœnitens consulit non te- *Ob.* netur sigillo confessionis, ergo nec iste quem consulit confessarius de licentia pœnitentis. Resp. *Resp.* neg. C. quia, in priori casu notitia non habetur per viam confessionis, sicut in posteriori.

*Quartò*, ad sigillum obligatur, qui cùm non sit Sacerdos, gerit se tanquam Sacerdotem, atque ita audit confessionem alicujus: quia peccatum innotescit illi per confessionem, ex prudenti pœnitentis in-





tis intentione Sacramentalem, ut art. 1. ad 1. osten- A dimus.

*Denique*, omnes illi tenentur ad sigillum, qui ex confessione noverunt peccata confessa; sive per se audiendo, sive ex alijs intelligendo, sive immediatè, sive mediatè: sive licitè, sive illicitè. Ac proinde, si quid revelent; non tantùm erunt injusti, peccantes contra secretum naturale, sed etiam sacrilegi, facientes injuriam Sacramento, quamvis non ita strictè obligentur, sicut obligatur Sacerdos, & per consequens non tam graviter peccent eodem genere peccati, cùm nihil vetet unum sacrilegium esse gravius altero. Hinc & pœnæ violatoribus sigilli decretæ, solos Confessarios concernunt, in quos per Judicem sunt ferendæ, non B sunt autem per jus latæ, ideòque nec ipso facto incurruntur. Laicus porrò, cui aliquis tanquam laico confiteretur in necessitate, obligatur quidem ad servandum secretum; non tamen ad sigillum Sacramentale: quia confessio scienter facta laico non est Sacramentalis.

Sed alia quæstio est de pœnitente,

*An ipse teneatur ad sigillum?*

Ad ea quæ confessus tacenda, tenetur solùm jure naturali, quod est de non infamando seipsum: ad celandam verò Pœnitentiam, consi- C lium, aut quid simile à Confessario datum, non tenetur etiam secreto sigilli Sacramentalis, sed naturalis solùm, quando id Sacramenti reverentia, Confessarij honor, aut aliæ circumstantiæ requirunt. Aliquid autem eorum revelare, quando fit sine ullo Sacramenti vel Confessarij, vel alterius præjudicio, potest nullum esse peccatum.

### Articulus IV.

*Vtrùm de licentiâ pœnitentis possit Sacerdos peccatum quod scit sub sigillo confessionis, alteri prodere.*

Videtur quod non, Primò, quia quod Con- D fessarius novit in confessione, novit ut Deus: ergo pœnitens non potest ei facere potestatem ut de eo loquatur tanquam homo: quia nisi dicatur ei extra confessionem, non scit ut homo.

Secundò, Pœnitens non potest dispensare in jure divino: sigillum autem est juris divini.

Tertiò. Non potest cedere juri Sacramenti: sigillum verò introductum est in honorem Sacramenti: sicut privilegium quod clericus non possit trahi ad tribunal sæculare, in favorem status clericalis: ergo, sicut clericus non potest huic renunciare, ita nec pœnitens illi.

*Resp. affirm.* Responsio communis & certa est, Confessarium de rationabili consensu pœnitentis, posse manifestare id quod ex ejus confessione novit, etiam E si hoc non dicat ei extra confessionem, quia per licentiam à pœnitente concessam, id quod sciebat tanquam Deus, .i. personam Dei gerentis; jam novit ut homo, sive humano modo. Neque refert quod non accipiat novam notitiam; quia sufficit novus notitiæ modus, per quem fit ut humana notitia jam teneat id quod prius tenebat sacramentali, & tanquam Vicarius Dei, tegentis peccata. Sicut si quis aliquid alteri commisit sub secreto sigilli naturalis, & postea illi dicat, Libero te à vinculo secreti: etiamsi non iterum eadem ipsi narret, ille sine periculo ullius peccati contra le-

gem naturalem de secreto servando, potest revelare quæ audierat. Et, si tradidit alteri depositum aliquod, potest illud vertere in mutuum aut commodatum; sine nova receptione novaque traditione, solùm dicendo, Mutuo vel commodo tibi quod apud te deposueram.

Ex his patet ad 1. arg. Negandam esse consequentiam cum sua probatione.

Ad 2. verò Resp. pœnitentem sic non dispensare, sed renuntiare juri quod in suum favorem est concessum, sicut, quando aliquis remittit promissionem sibi factam, etiam juramento confirmatam, non dispensat in juramento, sed renuntiat juri suo.

Ad 3. Pœnitens non tam cedit juri Sacramenti, quàm suo: quia sigillum est primariò præceptum in favorem pœnitentis: ut sc. confessio non sit ei formidabilis & odiosa, non autem in honorem Sacramenti, quamvis hinc pendeat ratio obligandi, sicut obligatio juramenti promissorij tota est in favorem ejus cui fit, ratio tamen obligationis est virtus religionis. Aliud verò est de privilegio clerici, quod primariò datum est in honorem status, qui status censetur contemni, dum vel unus clericus trahitur ad tribunal sæculare.

Cæterùm, ut Confessarius possit ista licentia uti; requiritur Primò, ut sit expressè concessa; neque sufficit implicita vel interpretativa; multò autem minus sufficit præsumptio ratihabitionis.

Secundò, ut sit liberè & sponte concessa.

Tertiò, ut ex rationabili causa & in commodum pœnitentis. Ac proinde, si uxor à marito coacto, faceret Confessario potestatem revelandi suam confessionem; aut si reus sponte concederet licentiam detegendi peccatum, ob quod sit puniendus; non potest Confessarius quidquam revelare. Idemque est existimandum, si pœnitens à Confessario inductus, casum suum ei narret extra confessionem.

Ex his cum art. 3. collatis, notum relinquitur confessionem, seu id quod ex ea sola cognoscitur, uno tantùm casu posse revelari; si nimirum pœnitens sponte, rationabiliter & expressè consentiat: sigillum autem nullo penitus casu posse frangi. Cùm enim sigillum non sit aliud quam debitum celandi confessionem; quod debitum cessat, quando per pœnitentem datur justa & rationabilis licentia aliquid revelandi; non frangit sigillum qui cum tali licentia revelat, si præsertim addatur quod non revelet ea quæ noverat solùm ut Deus, cùm per licentiam accipiat modum notitiæ humanæ. Superest nunc examinare.

*An Sacerdoti liceat extra confessionem loqui cum pœnitente, de auditis in illâ.*

Communis sententia, Dominici d. 38. q. 4. ar. 6. Toleti l. 3. c. 16. Victoriæ q. 185. Pinsfeld. *Resp.* tract. de sigillo, dub. 7. Josephi Angles in Florib. *neg.* Theol. Suarez disp. 33. sect. 5. Tomo 4. Henriquez l. 3. de Pœnit. c. 20. negat id citra pœnitentis consensum fieri posse: quia alioquin confessio valde onerosa redderetur, cum non posset ordinariè fieri tale colloquium, sine magno pœnitentis rubore.

Hinc S. Carolus Borrom. p. 2. c. 20. suarum Instructionum, *Si Sacerdos necessitate coactus, cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui debeat, id non*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*nisi præfata venia faciat.* Et p. 3. c. 1. loquens de impedimento communionis occulto, *Si*, inquit, *usque adeò esset occultum, ut ex prævia dumtaxat confessione constaret, nihil extra confessionem præstare teneatur, quam ferventi eos oratione Deo commendare: & si ad communionem se præsentes sisterent, nullo eam pacto ijs negare.* Non potest ergo extra confessionem corripere de peccato in eâ cognito: nec speciatim exprimere illud, in quo remittendo Sacerdos ipse fortè commisit errorem, nisi de prævio ipsius consensu: sed vel indueat ut rursus sibi confiteatur, vel declaret in genere se habere aliquid ei necessarium, in confessione dicendum: secundùm ea quæ diximus q. 8. ar. 5.

### Articulus V.

Art. 5. tradit opinionem communiorem & veram esse, quod is qui per confessionem aliquid novit, & etiam aliquo alio modo, possit illud revelare, quando necessitas justa id postulat, modò non significet se illud habere ex confessione, sed exprimat illum alium modum, veluti sic dicendo, Vidi eum id facientem: audivi talibus præsentibus: legi in litteris ad me scriptis. Qui enim sic loquitur, non est censendus revelator confessionis: quia perinde loquitur ac si eam non audivisset, atq; adeò nullam facit injuriam aut Sacramento aut pœnitenti; cùm non sit obligatus nisi ad celandum peccata quatenus in confessione sunt audita. Imo gravissimum esset onus Confessarij, si propter confessionem peccatoris, amitteret jus loquendi de illis quæ vel ante vel postea videt, aut intelligit: Impediretur etiam justitia: dum peccatores vitandæ correptionis gratia, confiterentur suis superioribus.

Cavere tamen debet Confessarius ne aliquid ex his quæ audivit in confessione, addat ad ea quæ alio modo cognoverat. Si enim ex notitia quam in confessione accepit, aut narret factum aliter quam aliundè noverat, aut ipsum certius confirmet, violat sigillum, etiamsi non dicat se id habere ex confessione. Necessitas autem quæ sacerdotem urgere potest ad loquendum de talibus rebus, est vel imminens periculum reipubl. vel detrimentum proximi notabile, vel authoritas judicis jubentis ferre testimonium, aut excommunicantis omnes qui sciunt authores talis facinoris nisi revelent, vel necessaria, propter bonum commune, correptio.

## QUÆSTIO XII.

### *De satisfactione.*

### Articulus I.

*Satisfactio est actus virtutis.*

Art. 1. docet satisfactionem esse actum virtutis, etiam formaliter, quia in sua ratione includit æqualitatem; æqualitas autem est quiddam medium; & cujuslibet virtutis moralis forma est ratio medij.

Si generalem nominis vim spectemus, satisfactio dicitur omnis illa actio quà quis facit quantum debet: sive solvendo debitum; sive respondendo expectationi de se conceptæ; sive reddendo sufficientem rationem eorum de quibus rogatur; quo modo usurpatur 1. Pet. 3. in istis verbis, *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est*, spe. Et Act. 24. *Pro me satisfaciam.* Interdum etiam, qui se quantum potest defendit, & excusat; satisfacere dicitur. Unde Ambr. l. 10. in Luc. *Lachrymas Petri lego, satisfactionem* (i. excusationem & defensionem) *non lego*, sequitur *Quod defendi non potest, ablus potest.*

Strictiùs autem satisfactio sumpta significat compensationem; quæ si fiat ad ponendam æqualitatem in rebus ex damno illato, debitis; propriè vocatur restitutio: si ad compensandam offensam seu injuriam; dicitur satisfactio.

*Quid satisfactio.*

Unde apud Theologos in hac materia Pœnitentiæ, communiter sumitur pro actione, quâ injuriam Deo per peccatum illatum, compensamus. Sed cum in peccato reperiantur duo, culpa & pœna, non semper uno sublato, alterum tollitur, ut probatum fuit 3. p. q 86. ar. 4. simul enim cum remissione culpæ tollitur reatus pœnæ æternæ, sed plerumque remanet reatus pœnæ temporalis. Pro culpâ & pœnâ æternâ non potest homo satisfacere de condigno, uti nec justificationem, peccatorum q; remissionem mereri. Sermo igitur hîc erit de satisfactione pro pœna temporali, ob injuriam Deo per peccatum illatam debita, etiam post peccati remissionem.

### Articulus II.

*Satisfactio est actus justitiæ.*

Art. 2. docet satisfactionem esse actum justitiæ: sed cùm hæc variè dividatur: ostendit esse actum illius justitiæ quæ est sui ad alterum: vindicantis scil. in se ipsa offensam qua alterum læsit: ut proinde quodam modo pertineat ad vindicativam, etiamsi non sit pura vindicta.

Ex resp. ad 1. observandum est quod satisfactio directè reparat injuriam; ex consequente autem reparat amicitiam quæ fuerat per injuriam violata: atque ita est actus à justitia elicitus, à charitate autem imperatus.

### Articulus III.

*Definitio.*

Art. 3. varias explicat definitiones satisfactionis. Unam, quæ sub nomine Augustini adfertur à Magist. in 4. d. 15. est autem Gennadij, ut etiam ipse B. Th. agnovit quodl. 12. ar. 11. qua *satisfactio* dicitur esse *peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditum indulgere*, ubi respicitur ad futurum; quia licet satisfactio principaliter respiciat culpam præteritam; ex consequenti tamen etiam respicit futuram, ut caveatur: quod observavit Conc. Trid. sess. 14. c. 8. & antea Author isto ar. ad 3.

Alteram definitionem adfert ex B. Ansel. qua dicitur *satisfacere esse honorem Deo debitũ impendere* debitum inquam, ratione culpæ in eum commissæ, nam Anselmi verba. l. 1. Cur Deus homo c. 11. habet, *debere omnem qui peccat, honorem quem rapit* (utique peccando) *Deo solvere*: & hoc esse satisfactionem: etsi enim Deo nihil possit detrahi; peccator tamen, quantum in se est, honorem ei debitum lædit, ipsumque propterea injuria afficit.

*Definitio.*

Absolutior definitio est, qua satisfactio dicitur esse voluntaria sui-ipsius punitio, ad compensandum injuriam, Deo per peccatum illatam, ipsumque sic placandum.

Dicitur, *voluntaria* quia cùm satisfactio sit opus virtutis, debet ex electione procedere.

Dicitur, *sui-ipsius punitio*, quia licet ad æqualitatem justitiæ non requiratur, ut peccator sibi ipsi pœnam inferat, sed satis sit eam ab alio inflictam pati; tunc tamen non erit verè *satisfactio*, sed *satispassio*; ut autem sit propriè dicta *satisfactio*, debet in seipso vindicare injuriam factam, sibique pœnam infligere; præsertim cùm pertineat ad obtinendam reconciliationem.



Quod dicitur *ad compensandam injuriam* &c. nõ sic est intelligendum, quasi possit esse exacta æqualitas inter Deum & hominem; sed quia est æqualitas quædam proportionis, ut q. 13. docetur.

Quod dicitur *ad eum placandum*: intelligitur, ne pœnam temporalem inferat: per quod differt satisfactio à virtute Pœnitentiæ, tanquam pars à toto, ut ex q. 85. 3. q. notum reliquitur. Unde ira Dei non aliud est, quam voluntas inferendi pœnam. Sciendum autem, apud Veteres, nunc satisfactionem nominari, nunc Pœnitentiam: quod & hodie in communi usu Christianorum est.

Porrò, cùm satisfactio variè dividi possit; sola illa multis videtur esse pars Sacramenti (quod etiam observatum est in Catechism. Rom. p. 2. n. 5. q. 54.) quam Sacerdos, tanquam Dei, in hujus Sacramenti dispensatione minister injungit: hæc enim sola est, quæ à clavibus proficiscitur, & à Sacramenti ministro dispensatur. Unde B. Th. 3. p. q. 90. ar. 2. requirebat recompensationem secundùm arbitrium ministri Dei. Et hujus Suppl. q. 6. ar. 1. ad 4. In quantum est pars Sacramenti virtutem sacramentalem habens sufficit ad expiandam pœnam peccati, & ideò oportet quod per dispensatores Sacramentorum imponatur.

*Divisiones satisfactio.*

Generatim ergo loquendo, Prima divisio est, ut satisfactionum alia sit in pœna, alia pro pœna. In pœna est, quando reus pœnam lege taxatam patitur: ut cum homicida gladio cæditur, incendiarius comburitur: sed hæc non tam habet rationem satisfactionis, quàm satis passionis; nam satisfactio quandam pœnæ commutationem & redemptionem significat. Quæ idcirco dicitur esse pro pœna, quando scil. pro redemptione pœnæ debitæ, solvitur mulcta, vel præstatur ultroneum aliquod officium servitutis.

Secunda divisio est in absolutè perfectam, sufficientem & imperfectam.

Omni modo perfecta est, in qua reperitur exacta secundùm justitiam æqualitas; & quæ ita est ex bonis satisfacienti proprijs, ac nullo alio justitiæ titulo debitis, ut non dependeat ex creditoris gratia; quemadmodum ostendimus 3. p. q. 1. ar. 2. Ita solius Christi satisfactio fuit perfecta, cujus tamen intuitu dignatur Pater, etiam illam suscipere, quam ei ad tollendum æternæ pœnæ reatum offert peccator nondum reconciliatus.

Sufficiens est, quæ nititur quâdam necessitate, & tantum solvit, quantum oportet, sed gratiam alterius includit; ex eaq; dependet. Ejusmodi est, quam post remissionem culpæ subeunt pœnitentes pro pœna temporali restante, si fiat juxta modum & quantitatem criminum.

Imperfecta est, quæ nulla rei vel operis æqualitate nititur, sed sola ejus qui læsus est gratia & liberalitate. Hoc modo pœnitentium contritio, dilectio, pœnarum voluntaria susceptio, si comparentur ad culpam mortalem & pœnam æternam; satisfactionis quandam habent rationem tametsi valdè imperfectam. Sicut enim non absolutè merentur gratiam justificationis, sed sunt quoddam ejus meritum congruum: ita non propriè satisfaciunt ex justitia; habent tamen rationem cujusdam satisfactionis imperfectæ & congruæ. Olim enim frequenter injungebantur satisfactiones ante absolutionem persolvendæ, quibus peccator se ad abolitionem culpæ, & pœnæ æternæ remissionem disponebat. Unde Ambr. in Ps. 37. *Qui pœnitentiã agit, offerre se debet ad pœnam, ut hic puniatur à Domino, non ad supplicia æterna serveatur.* Et l. 1. de Pœnit. c. 4. *Deus expectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos.* Confert c. 8. lib. ad virg. lapsam. S. Leo ser. 5. de collectis, *Eleemosynæ*, inquit, *pœnam perpetui ignis extinguunt.* Et Matth. 3. *Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructum dignum Pœnitentiæ.* 1. ad Cor. 11. *Deum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Quod autem Conc. Trid. sess. 6. c. 14. dicit satisfactiones nostras non esse pro pœna æterna, sed pro temporali; ex contextu clarum est esse intelligendum de illis quæ sequuntur abolitionem culpæ: Hæ autem non simpliciter fiunt ad removendã pœnam æternam, sed ad temporalem restantem, in quam modo quodam commutata est æterna, ut quidam loquuntur, de quibus 3. p. q. 86. articulo 4.

Tertia divisio est in satisfactionem liberam, & eam quæ à Sacerdote injungitur. Liberam vocant, non quod pœnitens non teneatur coram Deo illam suscipere; sed quia per se assumit, ultra eam quæ fuit injuncta à Sacerdote. Ea verò dicitur *injungi*; quam is, tanquam Sacramenti Pœnitentiæ minister, præscribit.

Quarta est, in publicam & privatam. Privata est quæ secretò peragitur. Publica verò, quæ palam cæteris videntibus, & intelligentibus, agitur; sive sit sponte assumpta, ut de Natalio Confessore narrat Eusebius l. 5. cap. 27. sive injuncta, ut de Theodosio refertur in vita S. Ambrosij qui eam illi imposuit. Hæc publica, subdividitur in solemnem, & non solemnem, de quibus Author q. 28. seq.

## QUÆSTIO XIII.

### *De possibilitate satisfactionis.*

### Articulus I.

### *Vtrùm homo possit Deo satisfacere.*



Videtur quod non, Primò, quia satisfactio debet fieri per opera alias indebita; omne autem quod homo potest facere, debet Deo, saltem jure creationis.

Secundò, dum homo conatur satisfacere pro uno peccato, mox alia plura subrepunt; ergo nullus modus restat satisfaciendi.

Tertiò, Christus plenissimè satisfecit, ergo satisfactioni illius fit injuria per nostras, cum vel ostenditur fuisse imperfecta, & nostris egere tanquam adminiculis: vel ejusdem debiti duplex solutio exigitur, contra Scripturam Naum 1. secundum 70. *Non vindicabit bis in idipsum.*

Quartò, Remissio peccatorum est mere gratuita: ergo pro ea, etiam quantum ad pœnam, nihil est solvendum. Unde Chrys. ho. 2. in Ps. 50. *Vbi misericordia postulatur, judicium non sævit. Vbi misericordia petitur, pœna locus non est.* Et ho. 10. in Gen. *Is est Dominus noster, ut nihil aliud requirat admisso peccato si quando per ignaviam delinquimus, quam ut errata confiteamur, nec ultra progrediamur nec in*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*eadem recidamus.* Et ho. de S. Philogonio to. 3. *Ego testificor ac fidejubeo, foro, ut si nostrum quisque qui peccatis obnoxij sumus, recedens à pristinis malis, ex animo verèq; promittat Deo, se posteà nunquam ad illa reduturum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem.* Hunc sequitur Theoph. in c. 4. ad Eph. *Non dixit Apostolus; puniatur qui furtum committit; sed à malo deficiat. Punire namq; est fori judiciarij, dehortari à vitijs, Christi doctrinæ.*

Objici etiam solet illud Ambr. de S. Petro satisfactionem non lego: sed art. 1. q. 12. dictum fuit satisfactionem pro defensione positam esse.

QUINTÒ, Si homo satisfaceret pro peccatis suis, sequeretur quod esset aliqua ex parte suus Redemptor, quod repugnat copiosæ Christi Redemptioni. B

*Resp. est affirm.* RESPONSIO ad fidem pertinens, definita in Conc. Trid. sess. 14. can. 13. est, hominem posse Deo satisfacere.

CONFIR. PRIMÒ, Nihil impossibile homini à Deo præcipitur: Satisfactio præcipitur, ergo non est impossibilis. Maj. probat Author in 1. Arg. ad oppositum, ex libello fidei, qui subinde tribuitur S. Hieronymo, est autem Pelagij hæretici, quem is purgandi sui causa misit ad Innoc. I. ut ex Aug. l. de gratia Christi, c. 32. adjunctis Henrici Gravij scholijs perspici potest. Quæ tamen sententia, licet ea Pelagius abuteretur, verissima est, & ab Aug. asserta l. de natura & gratia c. 43. confirmata verò per Conc. Trid. sess. 6. c. 11. Minor probatur, tum ex verbis S. Joan. Matth. & Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ:* tum ex Paulo Act. 26. *Judæis & Gentibus annuntiabam ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes,* id est, quæ decent pœnitentem, veramq; Pœnitentiam profitentem. Vide Chrys. hom. 10. in Matth. & Greg. hom. 20. in Evangelia. C

SECUNDÒ, peccata redimuntur misericordiâ & eleëmosynis, Proverb. 16. & Dan. 4. Redemptio autem, cùm non aliud sit quàm compensatio unius pro altero, persoluto pretio; manifestè includit satisfactionem; ergo per ejusmodi opera satisfacimus Deo. D

Neque accommoda est Sectariorum ad verba Danielis responsio, eum loqui de redemptione debiti quoad homines, ut scil. Regem moneat de restitutione illorum quæ per injustitiam rapuerat. Consilium enim suggerit Regi ut iram divinitùs imminentem evadat per opera misericordiæ in pauperes; ipsumque arguit superbiæ ac arrogantiæ in Deum.

TERTIÒ, 1. ad Cor. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus,* .i. condemnaremus & puniremus; *non utiq; judicaremur,* .i. non puniremur à Deo: *Dum judicamur autem à Domino corripimur ut non cum hoc mundo damnemur,* quod Aug. Ench. c. 66. intelli- E git de pœnis temporalibus quæ in hac vita peccantibus illis irrogantur quorum peccata delentur, ne reserventur in finem. Confer etiam Chrys. hom. 42. in Matth.

QUARTÒ, 2. ad Cor. 7. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad Pœnitentiam,* quam Pœnitentiam exponens, subdit, *Ecce hoc ipsùm secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem &c. sed vindictam,* .i. ultionem & castigationem peccati, quæ vindicta est illa ipsa quam vocamus satisfactionem, & cujus expressè meminerunt veteres: Tertull. c. 9. l. de Pœnit. *Satisfactio confessione disponitur,* Cypr. tr. de lapsis, *Confiteantur singuli &c. dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est:* Et posteà, *Ecce pejora adhuc peccandi vulnera, peccasse nec satisfacere.* Ambr. ad virg. lapsam, c. 8. *Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Et l. 7. in Luc. *Sicut qui pecuniam solvunt, debitum reddunt: sic compensatione charitatis actuumq; reliquorum; vel satisfactione quacumque peccati pœna dissolvitur.* Videri potest Aug. Ench. c. 70. l. 5. de Civ. c. 26. in Ps. 130. de continentia, c. 6. ser. 57. de tempore, & alij quos Bellarm. & alij citaverunt.

Ex his tria quædam possunt colligi. PRIMUM, satisfactionem esse necessariam, non quidem absoluta medij necessitate, cùm Christus, si judicaret expediens, posset totam pœnam simul cum culpa tollere, quemadmodum facit in Baptismos; sed præcepti; quòd præceptum & ex Sacramenti tum institutione, tum necessitate; & ex Scripturis ac traditione habetur.

SECUNDÙM, etiam Apostolos injunxisse satisfactiones. Ab illis enim mortem istum acceperunt veteres qui de satisfactionibus loquuntur. Neque dubitari potest quin potestate ligandi, & solvendi à Christo illis tradita, uterentur; quando ut ex Dionys. Ep. ad Demophil. ex Tertul de pœnit. & aliundè constat, peccatores jam inde ab initio Ecclesiæ C ante Sacerdotes prosternebantur & confitebantur.

TERTIUM, satisfactiones injungi & suscipi solitas non tantum ut Ecclesiæ satisfiat, sed etiam ut Deo. Alioquin, ad nullam teneretur satisfactionem qui occultè peccasset: quod & Cypriano tra. de lapsis, & alijs Patribus, ac rationi repugnat. Nam & occultè peccans, transgreditur præcepta Dei, facitque illi injuriam.

Ex his cum constet satisfactionem esse possibilem; docet tamen B. Th. hominem non posse Deo satisfacere secundùm æqualitatem quantitatis, sive absolutam: sed solùm secundùm æqualitatem proportionis.

PRIUS, quia sicut quod nos Deo debemus propter ejus in nos beneficia, nullo honore, cultu, obsequio, nulla gratiarum actione possumus compensare secundùm æquivalens; ita nec debitum quod ratione peccatorum contrahimus; est enim par ratio. Confir. Non possumus tantùm honoris, per compensationem seu actionem honorificam, Deo reddere, quanta fuit injuria seu contumelia ipsi per peccatum illata; cùm peccando offendamus bonitatem infinitam, id autem quod habemus, sit finitum; & à Deo gratis acceptum.

POSTERIUS, quia sicut Deo satis est, si pro beneficijs acceptis reddamus quod possumus, ita etiam illi satis est, si propter offensam adferamus compensationem quam possumus. Et sicut illic est æqualitas, non absoluta, sed proportionalis, ita & hic. Quæ proportio consistit in hoc, quod quo modo se habet ad Deum id quod illi debemus, ita se habet ad hominem id quod ab eo præstari potest. Unde misericordiam suam ostendit Deus, quod ejusmodi compensationem admittat. Gratuita enim est admissio satisfactionis, etiamsi hæc foret exacta, multò magis, quando habet solùm æqualitatem proportionalem.

SI QUÆRAS, An satisfactio nostra expiet pœnam temporalem de condigno, ut propterea concedendum sit hominem verè & propriè satisfacere coram Deo: RESPONSIO affirm. tenenda est. Opera enim



enim bona quæ fiunt ab homine reconciliato per A Spiritum Dei, ab eodem Spiritu accipiunt quandam rationem infinitatis, ut quemadmodum sunt æternæ vitæ meritoria de condigno, ita sint & satisfactoria de condigno, pro pœna restante, ut B. Th. indicat hîc ad 1.

Confirmatur, quia Syn. Trid. sess. 6. c. 14. docet culpam & pœnam æternam remitti per Sacramentum, pro pœna verò temporali nos satisfacere per pia spiritualis vitæ exercitia. Et sess. 14. can. 13. & 14. idem repetens, affirmat quod pœnitentes satisfactionibus per Christum peccata redimant, id est, pœnas temporales peccatis debitas: Redemptio autem est opus justitiæ, sicut satisfactio, & importat condignitatem. Adde quod ni- B hil hîc desit ad satisfactionem condignam. Nam satisfaciens ponitur viator & justificatus; ponitur etiam ejus opus procedere ex gratia, cujus ratione habet aliquam æqualitatem, & extat promissio divina, Proverb. 16. Dan. 4. & alibi. Quia tamen hæc satisfactio non est ex proprijs homini, sed est ex gratia Christi, ideo non est ex rigore justitiæ, nec absolutam habet æqualitatem.

AD 1. ARG. RESP. cum Authore hîc ad 3. quod quamvis Deus jure supremi dominij posset ab homine exigere omnia quæcunq; possunt ab illo fieri: non omnia tamen exigit, sed certa quædam, secundùm leges quas ei præscripsit. Unde nihil vetat, quin possimus ei satisfacere, per opera aliàs indebita. C

AD 2. Etsi justis subrepant quotidie peccata, non mortalia, sed venialia, plura vel pauciora, prout fuerint diligentes: Nego tamen C. quia pro quotidianis peccatis quotidiana sunt à Christo nobis donata remedia, orationes, eleëmosynæ, jejunia; de quibus videri possunt Aug. Ench. c. 71. Ep. 89. & 108. ser. 48. de diversis, & Fulg. de fide ad Petrum, c. 41. eadem ratione concludere possent Sectarij, nec fidelibus dicendum, *Dimitte nobis debita nostra:* nec nautis exhauriendam sentinam navis; eò quod illi variè peccent; istis autem alia semper & alia aqua influat.

AD 3. Neg. Conf. quia Christus plenissimè quidem satisfecit pro omni culpa & pœna quoad D sufficientiam, non autem quoad efficientiam; non enim omnes à culpis & pœnis liberantur, sed illi demum quibus pretium ab eo oblatum, applicatur eo modo quo ipse instituit. Unde, sicut non applicatur impœnitentibus ad remissionem culpæ aut pœnæ; ita non statim integrè applicatur p - nitentibus, ad solutionem totius pœnæ; sed tunc demum quando fuerit eis applicatum, & per Sacramenti collationem, & per opera satisfactoria. Neque verò nostra satisfactio adminiculum præbet satisfactioni Christi; sed illi conjungitur ut ab ea dependens, & ex illa vim satisfaciendi habens. Tantum ergo abest quod obscuretur per nostras; ut potius illustretur dum ostenditur non E solùm ipsa habere vim satisfactivam, sed etiam tribuere nostris operibus, ut suo gradu satisfactoria esse possint.

Scriptura Naum, secundùm literam pertinet ad tribulationem hujus sæculi temporalem: vel hoc sensu: Semel Deus abduxit decem tribus per Salmanasar, non ita nunc abducet duas reliquas per Sennacherib: vel isto, sic Deus una percussione perdet Assyrios, ut non sit opus secundâ. Verum nihilominùs est, eos quos Deus semel à peccatorum debitis plenè expurgavit, non iterum propter eadem puniendos.

AD 4. etiam Neg. C. quamvis enim justificatio & peccatorum remissio sit merè gratuita; tum quod hominem à se aversum Deus præveniat, fidem & Pœnitentiam illi inspirans; tum quod nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam promereantur, ut habet Conc. Trid. ss. 6. c. 8. tum quod condonatio culpæ & pœnæ æternæ, item reconciliatio, & in amicitiam admissio sit gratuita: nihil tamen obstat, quare homo jam reconciliatus aç Dei filius per gratiam effectus, non possit condignum aliquod pretium offerre, pro pœna restante; vel nondum reconciliatus, aliquid per auxilium gratiæ Christi, facere, quod habeat sicut rationem meriti congrui, ita & satisfactionis imperfectæ, sive congruæ.

AD 1. ex Chrys. locum, RESP. misericordiæ opponi quidem judicium & pœnam, ideóque hæc cessare pro quanto obtinetur misericordia: sed omnimodam misericordiam non obtinent pœnitentes sine satisfactione. Quam propterea Chrys. in Ps. 106. agnoscit, dicens; *Satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat, Pejus est Dei offensam non satisfactione placare, quam peccando Dei bonitatem offendere.*

In 2. Chrys. docet quod ante reconciliationem requiratur confessio cum proposito vitæ melioris. Requiri verò posteà satisfactionem, clarè docet l. 2. de Sacerdotio hom. 41. ad pop. Antioch. in Ps. 6. & alibi.

In 3. satisfactionem pro defensione & excusatione ponens, significat Deum non requirere ut peccator se excuset: sed satis illi esse, si peccatum simpliciter confiteatur; veramque agat Pœnitentiam; quæ sine satisfaciendi proposito non subsistit.

Theophilactus loquitur de punitione quæ fit per judicem, secundùm leges civiles.

AD 5. Sicut homo dicitur peccata pœnasque peccatorum redimere. Dan. 4. & apud Aug. Ench. c. 67. Ambr. serm. 30. Leonem serm. 4. de quadragesima: sic & seipsum, quadam ex parte, scilicet quoad pœnas temporales, redimere dici potest.

## ARTICULUS II.

### *Vtrùm pœnam satisfactoriam possit unus pro alio explere.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia *unusquisque onus suum portabit,* ad Gal. 6.

SECUNDÒ, Quia unus non potest pro alio conteri, vel confiteri.

TERTIÒ, *In fraternorum peccatorum remissionem nullius martyris sanguis funditur,* ait Aug. tract. 84. in Joannem.

QUARTÒ, Foveretur alioquin peccatorum ignavia.

QUINTÒ, Nemini redundant sua bona opera; juxta illud Matth. 25. *ne forte non sufficiat nobis & vobis,* & 1. Pet. 4 *Justus vix salvabitur.*

SEXTÒ, unus non potest alteri mereri gloriam beatitudinis; ergo nec pro illo satisfacere.

RESPONDET Author satisfactionem ordinari ad duo, scilicet ad solutionem debiti, & *Resp. cum distinctione.* ad remedium contra sequens peccatum. Si spectetur prius; posse unum pro alio satisfacere: si posterius; non posse, nisi per accidens, in quantum unus potest alteri mereri argumentum gratiæ.

Prius

Universidad de Deusto
Biblioteca



Prius cum controvertatur ab hæreticis ut recens inventum; ab antiquitate probandum est.

Primò, per symbolum fidei, in quo profitemur sanctorum communionem: Hæc enim communio talis est, ut fideles & sua benefacta invicem communicent, & sibi mutuo per jejunia, orationes, aliasque pias actiones prosint tanquam unius corporis membra.

Secundò, Monet Salvator divites, Luc. 16. ut *faciant sibi amicos de mammona iniquitatis*, à quibus *cum defecerint* (id est, defectu laboraverint) *recipiantur in æterna tabernacula*. Et Apostolus. 2. Cor. 8. hortatur Corinthios terrena opulentia divites, ad eleëmosynam sanctis tribuendam: ut cùm illi sua liberalitate sublevaverint corporalem horum paupertatem; hi vicissim eorum tenuitatem spiritualem spiritualibns divitijs sublevent, communicatione bonorum operum juvando ad Deum ilis propitiandum. Eodem facit illud ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate:* Et 2. Machab. 12. ubi oratio vivorum dicitur valere pro defunctis, *ut à peccatis solvuntur.*

Tertiò, Sacrificium habet vim satisfaciendi; ergo sacerdos, in quantum offerens, satisfacit pro illis pro quibus offert. vide c. 5. ad Hebr.

Quartò, Nazianz. orat. 22. dicit de Eleazaro, quod preces & hostias pro populo obtulerit. Et Ambr. l. de Cain c. 3. de Levitis, quod redemptiones sint eorum, eò quod & sanctitate vitæ suæ, & oratione, peccata plebis levarent. Libro etiam 5. in c. 7. Lucæ, *Si grave*, inquit, *peccatum est quod pœnitentiæ lachrymis ipse lavare non possis: fleat pro te mater Ecclesia.*

Quintò, Aug. qu. 149. in Exod. exemplo Moysi docet revelari nos apud Deum meritis piorum. Eodemque pertinent quæ de indulgentijs ex traditione tenet Ecclesia.

Cæterum quædam hîc sunt observanda. Primum, quod satisfactio quam unus pro alio exhibet, acceptetur quidem à Deo solum de congruo; ea tamen acceptatione posita, valeat de condigno, sive ex justitia; si uterque sit in statu gratiæ. Per hanc enim, est æqualitas aliqua solutionis cum pœna per alterum debita. Unde B. Th. hîc ad 1. docet quod unus non possit alteri mereri; possit tamen pro altero satisfacere: quorum illud cum de merito condigni sit accipiendum (nam ex congruo posse aliquam alteri mereri docet 1. 2. qu. 114. art. 6.) istud de satisfactione indigna similiter debet intelligi. Videri potest Dominic. in 4. d. 19. qu. 2. art. 4.

Secundùm, satisfactio unius pro altero solùm valet de congruo, si uterque sit extra affectum peccati, & verè pœnitens, nondum tamen in statu gratiæ.

Tertium, satisfactionem à confessario injunctam non potest unus pro alio explere, nisi de ipsius confessoris voluntate; juxta illud Capituli, *Omnis utriusq; sexus: Et injunctam sibi Pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere:* Unde si confessor nihil explicat, sed Pœnitentiam simpliciter injungit, censendus est obligare pœnitentem ut per se illam adimpleat. Si verò (quod ex rationabili causa licet permittat eam per alium impleri, potest pœnitens id facere, modò ipse non torpeat, sed pro modulo suo conetur saltem ex parte, satisfacere. Quæ tamen sic impletur per alium, non videtur absolutè & perfectè esse sacramentalis: Soli enim actus pœnitentis sunt materia hujus Sacramenti: illa verò satisfactio, quamvis sit pœnitentis quaternus ejus nomine, ipsoque petente suscipitur, simpliciter tamen non est ejus actio. His præmissis.

Ad 1. Arg. Resp. cum Aug. l. 3. contra literas Petiliani cap. 5. quod unusquisque portabit onus proprium, onus (inquam) reddendæ rationis, quia *unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Sed quantum attinet ad onera mutuæ charitatis, debet hic alter alterum juvare. Unde in eodem c. 6. ad Galat. præcedit, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* *Vide qu. 17. ar. 1. Rom. 14.*

Ad 2. Non eadem est ratio contritionis & confessionis, quæ satisfactionis: quia illæ ordinantur directè contra culpam, ideoque pertinent ad dispositionem ipsius hominis; homo autem non disponitur per actum alterius, sed per suum, quia dispositio debet esse in disponibili. Sed satisfactio ordinatur contra debitum pœnæ quæ post remissionem culpæ restat luenda; hæc autem pœna non taxatur secundùm dispositionem præsentem ejus cui debetur, cum aliquando ille qui est melior, habeat majoris pœnæ reatum: Et ideo quantum ad hujus pœnæ remissionem, unus potest alteri mereri. Confer B. Thom. in 4. dist. 45. qu. 2. art. 1.

Ad 3. August. significant neminem posse offerre Deo pretium condignum pro sui vel alterius redemptione è morte æterna, nisi solum Christum.

Ad 4. Neg. Ass. sed consolatio potiùs adfertur ijs qui Pœnitentiam ex animo agentes, implorant nihilominus aliorum auxilium, aut alioqui ab alijs adjuvantur.

Ad 5. Bona opera nemini quidem redundant in quantum sunt meritoria; quia quisque recepturus est pro illis plenam mercedem. Quatenus verò sunt afflictiva, & animo placandi Deum susceptæ; ideoque satisfactoria; possunt alicui redundare, in quantum juxta ordinarium modum quem Deus servat in pœnis exigendis, peccata ejus non exigebant tantam satisfactionem, ut si quis præter ea, quibus pro temporali pœna restante suorum peccatorum satisfecit de condigno, adhuc alia suscipiat. Vide quæ dicimus q. 25. art. 1.

Ad 6. Resp. neg. Cons. quia divinitus ordinatum est, ut ex proprijs tantum meritis quisque gloriam & certum ejus gradum accipiat; datur enim secundùm uniuscujusque capacitatem seu dispositionem: hîc ad 1. pœnas autem temporales, tum in hoc sæculo, tum in altero luendas, possunt alij pro alijs subire.

In argum. 4. Quæritur, Si quis moriatur postquam tota pœna sibi debita est ab alio suscepta, id est, postquam alius promisit se pro eo satisfacturum, nondum tamen satisfecit: An luet pœnas in purgatorio: an verò statim recipietur in cœlum? Si prius, idem punietur bis: Si posterius, aliquis non plenè purgatus ingredietur in cœlum.

Resp. quod punietur in purgatorio: Neque tamen idem punietur bis: quia si promissor postea satisfaciat, hoc vel ei cedet in utilitatem propriam, vel cedet mortuo in diminutionem pœnæ adhuc luendæ, vel Ecclesiæ in cumulum thesauri: Si autem non satisfaciat, punietur ipse, ob promissum non servatum; & mortuus ob peccatum, cujus reatum adhuc habebat.

Arti-



Articulus III.

*Vtrum pœna temporalis taxetur secundùm quantitatem culpæ?*

Hunc articulum ex 4. dist. 20. collectores supplementi posuerunt 7. qu. 8. sed cum ibi confessionis explicandæ locus esset, non satisfactionis, commodius hîc examinabitur, & quidem per sequentes conclusiones.

Conclusio I. est.

Pœna temporalis futuri sæculi taxatur à Deo secundùm quantitatem quam habet culpa, priusquam de ea sit aliquid remissum: secundùm verò quod plus remittitur, sive per Sacramentum, sive per satisfactiones vitæ præsentis; sic minus ibi restat solvendum. Prius patet, quia pœnæ purgatorij solum sunt ad solvendum debitum, non autem ad præstandum remedium: cùm ibi non sit periculum peccandi. Posterius etiam clarum est, quia per illa omnia aliquid de pœna remittitur.

Conclusio II.

Pœna temporalis quæ post culpam dimissam luenda injungitur à sacerdote; spectari debet in ordine tum ad solvendum debitum, tum ad præstandum remedium, vel ei qui peccavit, vel alijs.

Spectando solutionem debiti, pœna deberet respondere quantitati culpæ, habita tamen ratione ejus quod de ea remissum fuit per contritionem, confessionem, & absolutionem: spectando autem remedium; non debet. Sed cùm in foro Pœnitentiæ habenda sit ratio utriusque: hinc non semper pro majori peccato major pœna est imponenda.

An verò sacerdos possit pœnitentem ligare ad pœnam, & ad quantam, videnda erunt quæ dicentur articulis 3. & 4. qu. 18.

Quod in Responsione ad 2. affirmat Author, non fuisse per canones universaliter constitutam pœnitentiam septem annorum pro quolibet peccato mortali, sed hoc fuisse quasi quandam regulam communem, ut in pluribus competentem: manifestum est. Prius quidem ex Concilij Ancyrani canonibus 4. 5. 6. 7. 8. 16. ubi pœnitentia trium, quatuor, quinque, sex, septem, decem, viginti annorum decernitur, pro certis quibusdam peccatis. Et can. 21. mentio fit antiquioris definitionis, quæ pœnitentiam usque ad fidem vitæ præscribebat. Concil. etiam Nicen. can. 11. quibusdam indicit pœnitentiam tredecim annorum. Posterius verò, ex Isidori cap. *Hoc ipsum*, 32. qu. 2.

## QUÆSTIO XIV.

### *De qualitate satisfactionis.*

Articulus I.

*Vtrùm homo possit de uno peccato satisfacere sine alio.*

Videtur quod sic. Primò, quia aliquis manens in uno peccato ponitur pro altero, ergo si punitio sit sufficiens, erit satisfactio. Unde Hieronymus super caput 1. Naum dicit, tum de ijs qui perierunt diluvio; tum de Sodomitis, qui igne; tum de Ægyptijs, qui in mari, quòd quia receperunt mala in vita sua, non postea punientur.

Secundò, propter certa quædam peccata peculiares injunguntur satisfactiones, ut eleëmosyna propter avaritiam; jejunium, propter intemperantiam; ergo distinctis actionibus & temporibus potest satisfieri pro diversis peccatis.

Tertiò, A Pharisæis injustis & avaris, Christus solùm requirebat eleëmosynam, Lucæ 11. *Quod superest date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Quartò, Augustinus cap. 26. libr. de patientia docet, schismaticum pro confessione fidei multa patientem, tolerabilius judicium subiturum.

Quintò, objicitur glossa in caput 4. prioris ad Timoth. sed de illa videndus est art. 5. q. 99. ad 4.

Quod sexto loco posset objici ex Gregorio & Ambrosio, solutum fuit 3. p. q. 86. art. 3. ut & q. 87. art. 4. ostensum, quod veniale non possit remitti sine mortali, & consequenter nec pro illo possit satisfieri, quamdiu per veram Pœnitentiam non receditur à mortali.

Hujus quæstionis sensus est, An is qui habet plura peccata mortalia, possit satisfacere de uno, retinens adhuc affectum alterius, pro quo proinde non satisfacit. Istum sensum à B. Thoma intendi patet ex corp. ar.... ubi resolvit, *Impossibile esse ut homo de uno peccato satisfaciat, alio retento: sicut nec homini satisfaceret, qui pro alapa ei data se ei prosterneret, & aliam ei daret.* Et in resp. ad 1. *Unũ & idem est secundũ quod omnia peccata remittuntur, & ideo remissiones diversorum peccatorum connexæ sunt, & ideo de uno sine alio satisfactio fieri non potest*, sic nimirum ut Deus per satisfactionem placetur quantum ad unum, & tamen non remittatur aliud. *Sensus qu.*

Responsio igitur B. Th. est non posse quempiam de uno peccato satisfacere, Deum scilicet pro uno peccato placando, sibique reconciliando, si de altero mortali peccato non curet satisfacere, sed ejus affectum adhuc retineat: quia dum aliquid retinetur impediens restitutionem amicitiæ, non potest (etiam apud homines) esse satisfactio, cùm hæc includat ablationem offensæ, & restitutionem amicitiæ, quodlibet autem peccatum mortale repugnet amicitiæ. *Resp.*

Secundò, satisfactio præsupponit Pœnitentiam nec potest esse absque studio placandi Deum: qui autem vel unius peccati mortalis affectum retinet, non potest habere studium placandi Deum, persistit enim in inimicitia: ergo non potest satisfacere. Huc pertinet, quod populo jejunante, & pro peccatis satisfacere cogitante, Isaiæ 58. ita Dei non cessaverit, quia populus permanebat in

affectu

Universidad de Deusto
Biblioteca



affectu avaritiæ & inclementiæ: Hoc est enim quod eis dicitur, *In die jejunij vestri invenitur voluntas vestra.* Hinc Ecclesiast. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus,* Et Jac. 2. *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*; vide Greg. ho. 34. in Evangelia, Hieronymum in c. 17. Matthæi, Aug. hom. 41. inter 50. Gratian. de pœnit. d. 3. c. *Nihil* & d. 5. c. *falsus.*

Cur autem de satisfactione pro peccato mortali doctrinam hanc limitaverimus, ratio prima est, quia B. Thomas solùm de illo peccato loquitur, quod & gratiam aufert, & amicitiam impedit.

Secunda, quia irretitus pluribus venialibus, potest pro uno satisfacere, quamvis retineat affectum alterius; modò non sit ulli mortali obnoxius; eò quod venialia non tollant amicitiam divinam.

Ad 1. Arg. Negatur Consequentia: nulla enim punitio habet rationem satisfactionis, nisi suscipiatur animo placandi Deum: sed nec potest esse coram Deo sufficiens, absque vera pœnitentia.

Hier. non loquitur de omnibus universaliter, sed de solis illis qui inter flagella egerunt pœnitentiam. Nam eos qui hîc non corriguntur, postea in æternum cruciari pœnis æternis, etiam pro illo peccato, cujus hîc pœnas dederunt, subjuncta, decollato propter adulterium, verba declarant, quibus ostendit per judicem non auferri Deo potestatem exercendæ in eum pœnæ, & magnum peccatum magnis diuturnisque elui cruciatibus.

Ad 2. Diversis peccatis mortalibus remissis potest à pœnitente satisfieri pro pœna unius temporale restante, etsi nondum satisfaciat pro pœna alterius, & sic argumenti consequentia conceditur, scilicet posse aliquem verè pœnitentem pro diversis peccatis, diverso tempore, ac distinctis actionibus satisfacere; sed negatur posse quempiam satisfacere pro uno, quando manet affectus alterius.

Ad 3. Negatur assumptum. Cùm enim Christus reprehendat Pharisæos quod non essent solliciti de munditia interiori, docet eleëmosynam, eis tum demum profuturam, quando pœnitentes & aliena restituentes, eleëmosynam dabunt de residuo. Vide quæ dicuntur qu. 99. art. 5.

Ad 4. Augustinus non docet schismaticum per ea quæ patitur, satisfacere pro suis peccatis; sed asserit eum minus puniendum in futuro sæculo, quam si Christum negando nihil pro eo passus fuisset, sic enim ait. *Existimandum fortasse tolerabilius ei futurum judicium, quam si Christum negando cuncta illa vitaret.* vide articulo 5. in fine.

### Articulus II.

*Utrùm aliquis extra charitatem existens, possit satisfacere de peccatis ante contritis.*

Videtur quod sic. Primò, quia ut art. 2. q. 12. dicebatur, peccator potest aliquo modo satisfacere pro pœna æterna.

Secundò, Juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, olim satisfactiones imponebantur adimplendæ ante absolutionem.

Tertiò, Existens in affectu peccati mortalis, potest facere opus bonum, idemque pœnale: ergo potest satisfacere.

Quartò, potest mereri bona temporalia: ergo & pœnas temporales redimere.

Quintò, Ille satisfacit, qui solvit totum quod debet: sed totam pœnam sibi debitam potest solvere existens in peccato mortali: ergo.

Sextò, Sequeretur alioquin quod homo puniretur in æternum pro peccato remisso: ut si homicida post obtentam veniam, sed ante factam satisfactionem, fornicaretur, & in fornicatione moreretur.

Septimò, Qui sunt in inferno, satisfaciunt divinæ justitiæ, etiamsi maneant obstinati in malo.

Octavò, Homo potest homini pro aliquo debito satisfacere, quamvis sit inimico animo contra illum: ergo similiter Deo.

Nonò, Qui jejunat in peccato mortali, satisfacit præcepto Ecclesiæ: ergo & is qui sic impleret injunctam pœnitentiam; utróbique enim est præceptum Ecclesiæ.

Denique, non solet talis urgeri ad iterandam satisfactionem.

Hoc art. Quæritur, Utrum si quis per contritionem consecutus remissionem peccatorum; postea labatur in peccatum mortale, quo amittat charitatem, possit in eo statu de illis ante remissis satisfacere. Et generaliter quæri potest, An satisfacere quis possit in peccato mortali,

B. Tho. Respondet non posse. Sed cum esse in peccato variè possit intelligi: Vel actu, ut quando peccatum committitur; Vel affectu, ut quando peccatum voluntati placet, etiamsi actu transierit; vel reatu & macula, dum voluntati quidem per veram pœnitentiam displicet, nondum tamen abolita est macula, nec solutus æternæ damnationis reatus:

*Esse in peccato variè dicitur quis variis modis.*

Ideo, majoris distinctionis gratia, potest his conclusionibus Responderi.

### Conclusio I.

Qui actu vel affectu persistit in peccato mortali, non potest Deo satisfacere pro ullis peccatis.

*In actu vel affectu pecc. mort. non potest satisfacere.*

Primò, quia satisfactio est opus pœnitentiæ: pœnitentia autem vera esse non potest, quamdiu vel de novo peccatur, vel peccatum placet.

Secundò, quia satisfactio includit studium placandi Deum: hujusmodi autem studium esse non potest, quamdiu peccatum vel actu committitur, vel affectu placet.

Tertiò, quia opera nostra non habent vim satisfaciendi, nisi ex divina ac eptatione: quod autem acceptentur à Deo, facit charitas, quæ deest illi qui actu vel affectu manet in peccato mortali. Confirmatur ex 1. ad Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas,* &c. *charitatem autem non habuero; nihil mihi prodest.* Quod non est accipiendum de sola charitate quæ diffusa in cordibus, propria est justificatorum, sed etiam de illo affectu quo Deus ita sincerè diligitur, ut alijs omnibus præferatur, qualem habent illi, qui ex animo pœnitent: Nam alioquin non rectè diceretur, *nihil mihi prodest:* cum eleëmosynæ pœnitentium, ut & eorum oratio, gemitus, & pœnitentia, multum eis prosint, etiamsi necdum sint justificati.

Quapropter sit





### Conclusio II.

*Pœnitens potest aliquo modo satisfacere etiam si nondum sit reconciliatus. Confer q. 12. art. 3. Ob.*

Qui est in reatu peccati mortalis, modò ejus affectum deposuerit per veram pœnitentiam, & sinceram conversionem ad Deum: potest satisfactione quadam imperfecta, seu de congruo, satisfacere, non autem de condigno: quia sicut meritum, ita satisfactio habet suam condignitatem ex gratia justificante, congruitatem verò, ex gratia specialis auxilij. Sicut ergo pœnitens, isto auxilio adjutus, potest per actus fidei, spei, & charitatis, de congruo mereri gratiam justificationis, ita potest & satisfacere. Huc pertinet quod olim satisfactio fiebat ante absolutionem, & consequenter ante reconciliationem.

*Resp.*

Si dicas, nostram satisfactionem præsupponere restitutam amicitiam inter Deum & hominem: Resp. quidem requiri ad satisfactionem condignam; ad eam verò quæ est imperfecta & solùm de congruo, sufficit actualis amor quo quis gratia Spiritus sancti adjutus ad Deum pœnitendo convertitur, eum aliquo modo super omnia diligit, ejusque amicitiam solicitè quærit. Etsi enim ille sit extra *statum charitatis*; non est tamen omnino sine *charitate.* Unde licet necdum sit simpliciter, id est, ad vitam æternam, gratus Deo; nihil tamen vetat, quin & ipse, & opus ipsius acceptum sit illi ad effectum remissionis pœnæ; ut sit minoris pœnæ temporalis debitor, quando illi remittetur æterna. Nam B. Thomas ar. seq. ad 1. affirmat quod quantò est major contritio, tantò magis diminuit de pœna; & quantò quis plura bona facit in peccato existens, magis se ad gratiam contritionis disponit; ut propterea probabile existimet, quod minoris pœnæ sit debitor; atque adeò monet sacerdotem, ut considerata meliore pœnitentis dispositione, minorem injungat satisfactionem.

Ex his patet Responsio ad 1. & 2. argumentum: tales enim satisfactiones sunt imperfectæ, valentque solum de congruo.

Ad 3. 4. & 5. Negatur consequentia: quia satisfactio præter opus bonum & pœnale, requirit etiam ut fiat animo placandi Deum; unde & pœna quæ sustinetur, non habet rationem satisfactionis nisi eodem illo animo toleretur.

Ad 6. Respondet Dominic. in 4. d. 19. q. 1. ar. 4. concedendo sequelam: etsi enim pœna temporalis restans ex peccato quoad culpam remisso, per se nunquam transeat in æternam; per accidens tamen, ratione status hominis qui permanet inimicus Dei, non potest ab eo persolvi, & sic perpetuò durat. Fortasse tamen potest negari sequela: quia etsi talis non possit placare Deum, ut ei pœnam illam restantem relaxet: nihilominus, quando erit passus tantam pœnam quanta restabat, non amplius pro illo peccato remisso punietur, sed solùm pro alijs. Ex quo non sequitur quod damnati possunt pro peccatis satisfacere Deo, sed quod possint satis pati ac satisfacere in pœna; ut etiam dicimus in resp. ad 7. Confer q. 99. ar. 3. qu. 1. ad 3.

Ad 7. Damnati non satisfaciunt in inferno, sed satispatiuntur; neque (ut satisfacerent) satisfaciunt pro pœna, sed in pœna. Vide qu. 12. ar. 3.

Ad 8. Negatur consequentia, ut enim ar. 1. ad 2. Author significat, Ad solutionem debiti inter homines sufficit æqualitas rei ad rem; hæc autem servari potest sine amicitia, quia homines in solutione debitorum solùm considerant opera externa: Deus autem, qui intuetur cor, non accipit satisfactionem, nisi procedat à bona voluntate. Sed, nec illa hominum satisfactio quæ fit ad reconciliationem, subsistit, nisi fiat animo quærendæ amicitiæ.

Ad 9. Dominicus & Petrus Soto concedunt consequentiam, eò quod non ad majorem sanctitatem obliget impositio sacerdotis, quam præceptum Ecclesiæ. Sed alij eam negant; quia Ecclesia præcipit jejunia absolutè, & non sub certo modo vel fine: sacerdos autem, ut Dei vicarius injungit orationem, jejunium, vel quid aliud sub ratione satisfactionis, quæ non consistit sine pia placandi Deum voluntate: & ideo, præcepto ejus non satisfacit, nisi opus injunctum expleatur sub tali ratione.

Ad postremum. Non urgetur pœnitens ad iterandam talem satisfactionem, partim quia nescitur qualiter impleverit, partim quia, sententijs variantibus, dubium est an sub reatu peccati mortalis teneatur ad iterationem. Ut autem res explicetur, existimamus pœnitentem obligari ad implendam Pœnitentiam, & quidem (quando est notabilis) sub reatu peccati mortalis; vel in statu gratiæ, vel saltem deposito affectu peccati per veram Pœnitentiam: atque adeò si aliter fecerit, manere obligatum ad eam denuò implendam.

Primò, quia satisfacere extra affectum peccati, est præceptum; ejus autem præcepti materia est gravis.

Secundò, quia ut dicitur qu. 18. pœnitens tenetur sub mortali, Pœnitentiam injunctam & acceptare, & implere; ergo etiam tenetur eo modo implere, quo præcipitur.

Tertiò, tenetur sic implere, ut & illa sit pars Sacramenti, & Sacramentum per eam integretur; si autem fiat in affectu peccati mortalis, neque est pars Sacramenti, neque Sacramentum per eam integratur; cùm non fiat animo placandi Deum, quod ad rationem satisfactionis pertinet. In hanc sententiam propendet author, quando in responsione ad 2. dicens neminem pro certo scire, utrùm plenè satisfecerit, addit, *Nec tamen exigitur quod homo satisfactionem expletam iteret, si conscientiam peccati mortalis non habeat.*

### Articulus III.

*Opera facta extra charitatem non vivificantur.*

Art. 3. docet opera extra charitatem facta non vivificari charitate adveniente, quantùm ad hoc ut sint satisfactoria: uti nec quantùm ad hoc ut sint meritoria vitæ æternæ; quia utrumque illud, operibus convenit quatenus procedunt ex gratia inhærente & ex charitate propria filiorum Dei: per charitatem autem sequentem non fit ut opera priora procedant ex illa, cum transierint, neque repetantur. Illa quidem quæ à pœnitentibus fiunt per gratiam specialis auxilij, acceptantur à Deo ad solutionem pœnæ temporalis; quæ propterea tantò minor restat, quantò plura fuerint: non tamen fit per subsequentem charitatem ut sint opera à Filijs & amicis Dei profecta; & consequenter non acciunt aliquid novi valoris aut vigoris.

Responsio ad 2. continet differentiam Baptismi, tum à satisfactione sacramentali, quod hæc non imprimat characterem, neque sit initerabilis; ac propterea non sortiatur effectum, recedente fictione: tum à non sacramentali, quod hæc sit opus hominis, ideoque valeat ex dignitate vel devotione operantis. Nam quod B. Thom. sentiat



*Sylv. in III. Part.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



eam quæ sacramentalis est, conferre gratiam ex A opere operato, patet ex qu. 90. articulo secundo, in 3. part.

In resp. ad 3. non sentit B. Th. actiones satisfactorias, quæ postquam transierint, relinquunt in homine effectum permanentem, vivificari per advenientem charitatem, & valere ad satisfaciendum: sed asserit effectum, qui ex talibus actionibus relinquitur, acceptari à Deo, quando in statu gratiæ offertur illi in satisfactionem. Non ergo jejunium in affectu peccati mortalis factum, incipit valere ad satisfaciendum, quando recuperatur charitas; sed debilitas & maceratio carnis remanens, si justificatus eam offerat Deo, ad illum effectum. Et hinc est quod Confessarius possit minuere Pœnitentiam talem priùs injunctam, & B in peccato factam: quamvis eo non minuente, tota iteranda sit; quemadmodum & ea quæ nullum effectum post se relinquit.

### Articulus IV.

*Opera bona extra charitatem ad quid valeant.*

Art. 4. docet opera bona extra charitatem facta, non esse quidem meritoria alicujus boni; valere tamen ad tria, sc. ad consecutionem temporalium, ad dispositionem gratiæ, & ad assuefactionem bonorum operum.

Cùm autem ista bona opera sint duplicis generis: quædam enim sunt ex genere & circumstantijs bona, & tamen fiunt ex solo rationis dictamine, non per ullum gratiæ Christi donum. C Alia verò fiunt quidem extra charitatem, sed non sine gratia Christi: qualia sunt quæ à pœnitentibus per Spiritum Dei fiunt, ante justificationem, de quibus Concil. Trid. sess. 6. can. 3. Quæ sunt prioris generis, nullius boni meritoria sunt de condigno (quod solum propriè meritum dicitur,) sunt tamen alicujus boni temporalis meritoria ex congruo; quod non est meritum nisi impropriè; quia quantumcunque talium bonorum operum quis fecerit, nunquam per ea fit ut debeat aliqua bona, etiam temporalia, recipere; quamvis divinam liberalitatem deceat, eorum intuitu, saltem temporalia præstare illis qui ea fecerint. D

*Duplici acceptio potest extra charit.*

Similiter quæ posterioris generis sunt, non simpliciter merentur gratiam justificationis, quia non ex condigno; merentur tamen eam de congruo. *Nec enim ipsa remissio peccatorum sine merito est, si fides hanc imperat*, ait Aug. epist. 105. & de his operibus accipiendum est quod in corpore dicitur, opera extra charitatem facta valere, *ad dispositionem ad gratiam.*

In Resp. ad 1. ostenditur cur nullum malum opus maneat impunitum apud Deum; manere tamen possit aliquod bonum irremuneratum: quia malum opus, ex quantitate suæ malitiæ meretur pœnam de condigno; opus verò moraliter bonum extra charitatem factum non meretur aliquod E præmium ex condigno.

In Resp. ad 2. adverte illud Matth. 6. *Receperunt mercedem suam*, intelligendum esse de mercede quam hypocritæ ex malis & simulatis suis operibus expectabant ab hominibus; non autem de illa quam expectare potuissent à Deo; apud quem nihil merebantur.



### Articulus V.

*Opera moraliter bona ad quid valent.*

Art. 5. docet opera moraliter solùm bona nihil valere ad minuendam pœnam infernalem, eam quam quis peccando promeruit; quia neque tollunt culpam, neque minuunt: valere tamen aliquo modo ad mitigationem pœnarum inferni, quatenus per ea impeditur nova culpa, quæ foret meritum pœnæ auctioris.

*Primò*, quia dum homo talibus operibus incumbit, evitat peccata.

*Secundò*, quia exercitio illorum, naturalis ejus indoles minus corrumpitur, assuefit ad bonum; & quæ peccat, minore malitia peccat; retrahiturque à multis peccatis.

Valent præterea ad pœnæ temporalis in hoc sæculo minutionem vel dilationem: non per modum satisfactionis, cùm non fiant animo Deum placandi sed eo modo quo sunt meritoria boni temporalis, ex congruo.

Secundùm hæc intelligendus est Augustinus libro de patientia c. 26. dicens schismatico fidem Christi retinenti, & pro ea patienti tolerabilius futurum judicium: non quod ea passio in affectu peccati susceptæ, sit pro peccatis aliqua ex parte satisfactoria: sed quia minùs punietur in inferno, quam si Christum negando, nihil passus fuisset: Negando enim Christum auxisset suum peccatum, & consequenter etiam reatum æternæ damnationis. Vide ar. 1. in resp. ad 4.

## Quæstio XV.

*De his per quæ fit satisfactio.*

### Articulus I.

*Utrùm satisfactionem fieri oporteat per opera pœnalis.*

Videtur quod non. Primò, quia Apostolus ad Coloss. 2. ut superstitiosos damnat eos qui non habent honorem suo corpori.

Secundò, Juxta Anselmum, satisfacere est honorem Deo debitum impendere: hoc autem fit omni opere bono.

Tertiò, Sunt quædam peccata quæ perpetrantur cum tristitia: ut invidia, acedia: ergo satisfactio pro illis, debet fieri sine pœna, ut contrarium contrario curetur.

*Satisfactio debet fieri per opera pœnalia.*

Responsio affirmativa tenenda est. Cùm enim satisfactio respiciat tum peccata præterita, ut vindicentur: tum futura, ut caveantur: utraque ratione debet fieri per opera quæ habent conjunctam molestiam & afflictionem.

Priori quidem, quia justum est ut qui plus sibi tribuit, auferendo alteri, eidem aliquid præstet, auferendo sibi: peccator autem sibi plus tribuit, ac honorem Deo subtraxit: ergo debet aliquid sibi detrahere, quod cedat in honorem Dei: Hoc autem fit per opus pœnale, quod ad honorandum & placandum Deum suscipitur.

Posteriori verò, quia pœnæ satisfactoriæ *magnoperè à peccato revocant, & quasi frano quodam coërcent*, ait Syn. Trid. sess. 14. c. 8.

Hæc doctrina probari potest ex Script. Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta*



*menta vestra.* Jonæ 3. *Prædicaverunt jejunium, & A vestiti sunt saccis* &c. Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Similiter loquuntur Patres, Cypr. in tract. de lapsis, Chrysost. hom. 42. in Matth. Ambros. ad virginem lapsam, Aug. Enchir. cap. 66. & hom. ultim. inter 50. Gregorius homil. 34. in Evangelia.

Quamvis igitur opus aliquod sit bonum; non est tamen hac ratione satisfactorium, nisi sit aliquo modo afflictivum: quia per illud, sub ea ratione quâ est bonum, homo non subtrahit sibi bonum utile vel delectabile.

*Omne opus bonum est satisfactorium.*

Nihilominus omne opus bonum, quod est meritorium, etiam esse satisfactorium, non est cur B negemus: semper enim habet conjunctam aliquam molestiam. Nam homini carnali & terrenis assueto, ut tali, languorem, lassitudinem, & afflictionem adfert omne opus quo Deo servitur, & mens ad cælestia erigitur: adeò, ut sicut eleemosyna privat hominem bono utili: sic jejunium & oratio privent bono delectabili. *Quælibet oratio*, inquit Author ar. 2. ad 1. *habet rationem satisfactionis, quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis*, &c. Unde Conc. Trid. sess. 14 can. 13. docet nos satisfacere Deo, non solum *jejunijs, orationibus, eleemosynis*, sed *etiam alijs pietatis operibus.*

Ex his sequitur non tantum externa opera esse satisfactoria, sed etiam interna: cùm & hæc Deo grata esse possint & afflictiva.

Ad 1. Arg. Resp. Apostolum loqui contra C Judaizantium abstinentias, quæ multipliciter erant vitiosæ: non solùm quia immoderatæ, usque ad debilitates & morbos, sed etiam quia superstitionibus conjunctæ: putabant enim eas per se gratas esse Deo, neque illas referebant in castigationem carnis, & punitionem peccatorum, cùm in se considerent tanquam justi: sed inde sanctitatis opinionem aucupabantur. Ab his autem vitijs pœnæ Christianorum satisfactoriæ sunt alienissimæ.

Ad 2. Per quodlibet bonum opus redditur honor, qui vel ex bono collato, vel ex mandato injuncto, debetur Deo: sed per opus pœnale impenditur ei honor debitus ex peccato commisso, D ut patet ex dictis q. 12. ar. 3.

Ad 3. Neg. C. tum quia radix talium peccatorum est ex delectatione vitiosa: tum quia Deo subtrahitur honor, etiam per illa.

Circa Resp. ad 2. adverte quod cæteris paribus opus magis pœnale sit magis satisfactorium: si autem ex magnitudine charitatis & promptitudine voluntatis minuatur pœnalitas & molestia: non ideò minuitur efficacia operis ad satisfaciendum, sed augetur: quia sicut difficultatis alleviatio proveniens ex charitate & prompta voluntate non diminuit meritum, ita nec talis alleviatio pœnalitatis, satisfactionem. Quæ cùm ita sint, controversia tamen est. E

## *An satisfactio possit fieri per opera alias debita.*

Videtur quod non. Primò, quia non potest quispiam duplici debito satisfacere per idem pretium.

Secundò, sequitur alioquin, quod homines non debent aliquid facere ad remissionem suorum peccatorum; quia satisfacerent implendo præcepta.

Tertiò, ita sentire videtur Author q. 13. ar. 1. ad 3. *Est*, ait, *quædam mensura hominis adhibita, quæ ab eo requiritur, scil. impletio mandatorum Dei, & super ea potest aliquid erogare, ut satisfaciat.*

Pro Resp. sit

### Conclusio I.

*Possumus satisfacere per opera alias debita.*

Per opera sive ex voto sive ex præcepto aliàs debita, potest fieri satisfactio. Quæ enim Deo grata sunt, non propterea quia sunt debita, ideò desinunt habere omnia ad satisfactionem requisita, cùm & bona sint & pœnalia.

Secundò, Per opera debita justus mereri potest, ergo & satisfacere.

Tertiò, jejunia Ecclesiæ sunt præcepta, & nihilominus satisfactoria. Idcircò enim ab Ecclesia instituuntur, ut fideles per ea redimant pœnas peccatis suis debitas.

Quartò, per Martyrium, etiam eo casu quo cadit sub præceptum maximè satisfit Deo.

Quintò, nostra satisfactio non spectat rigorosam justitiam, sed benevolentiam justitiæ admixtam: gratuitò enim semper admittitur, & in ea magis spectatur bona voluntas ac dilectio offensi, quam exacta æqualitas. Huc pertinet quod universali quadam consuetudine subjungitur formæ absolutionis, *Quicquid boni feceris* &c. Nam ea *quæ præter injunctionem expressam facit* pœnitens, *accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali injunctione*, quam si assumerentur sine tali injunctione: quia sunt quodammodo satisfactio sacramentalis, ut observat Author quodlib. 3. ar. 28. Navarr. c. 26. n. 24. Petrus Soto lect. 2. de satisfactione.

### Conclusio II.

Opera aliàs indebita non sunt ordinariè per Confessarios injungenda pœnitentibus. Qui enim peccavit, ad aliquid novi est obligandus, tum ut sentiat vindictam suorum peccatorum, tum quia plus requiri debet ab eo, quam ab innocente. Unde & Ecclesiæ intentio est, ut quisque pro peccatis suis satisfaciat peculiari aliquo opere.

Ac proinde quando Confessarius injungit certas preces, jejunia, eleemosynas, nihil addendo; intelligendum est de illis ad quæ pœnitens nulla alia ex causa tenebatur.

Licebit tamen aliquando justis ex causis, imponere opus alioquin præceptum: ut recitationem officij, jejunium Ecclesiæ, restitutionem & similia, si nimirum Sacerdos advertat pœnitentem vix aliter adduci posse ad ea præstanda, aut non habere oportunitatem aliter faciendi: & confidit quod hac nova obligatione stimulabitur. Si verò metueret quod ne sic quidem ea faciet, abstinebit à talibus injungendis, ne ipsum conjiciat in periculum duplicis peccati, quod incurreret transgrediendo. Vide Navarr. c. 26. n. 24.

Ad 1. Arg. Resp. id locum habere solùm in debitis justitiæ propriè dictæ, in quibus spectatur æqualitas dati & accepti; una enim res non potest esse æqualis duabus acceptis, ex quibus orta est duplex obligatio: ut si debeas decem propter mutuum, & decem propter laborem, æquale quod est reddendum non potest esse, nisi viginti. Sed in ijs quæ debemus Deo ex diversis titulis virtutum,

Universidad de Deusto
Biblioteca



aliud est : ipse enim respicit intentionem & dignitatem operantis ; per hoc autem quod quis uni præcepto satisfacit , nihil dignitatis aut intentionis detrahitur ad obtinendam remissionem pœnæ, vel ad satisfaciendum alteri præcepto.

Unde satisfacit , qui audiens Missam ex præcepto , legit horas canonicas , aut explet suam Pœnitentiam.

Ad 2. Potest fieri quod peccator per sola opera præcepta satisfaciat , utilius tamen est, si & alia præstet : quia sic plus exhibebit Deo, promptioremque ostendet voluntatem.

Ad 3. Neg. Ass. B. Thomas dicit quidem isto loco hominem posse adjicere aliquid ultra præcepta, quo satisfaciat: An autem & per præcepta satisfacere possit ; ibi non dicit uti nec negat ; sed dubitationi quo modo possimus satisfacere Deo, cum illi debeamus omnia, respondet ; Deum non omnia à nobis exigere ; ac proinde saltem per opera quæ non exigit, posse nos Deo satisfacere. Posse verò etiam per ea quæ exigit, ar. 2. hujus q. in corp. & ad 1. satis significat, dum tradit flagella divinitus immissa cadere nobis in satisfactionem, si patienter ea toleramus : Certum est enim nos teneri ea patienter ferre.

### Articulus II.

*Per flagella à Deo immissa possumus satisfacere.*

Art. 2. Probat flagella quibus à Deo in hac vita punimur, esse satisfactoria ; quatenus aliquomodo fiunt ejus qui patitur, dum is voluntariè illa acceptat , & patienter tolerat. Hanc doctrinam confirmat Synodus Trid. sess. 14. cap. 9. vocans hoc maximum amoris argumentum ; propterea quod ea quæ velimus nolimus pati debemus , & quæ alioquin non essent aliud quam justa supplicia , nobis valent ad satisfactionem & meritum , si patienti animo toleremus , & sic possumus de necessitate facere virtutem , ut hîc ad primum dicitur.

Neque hæc de solis illis flagellis accipienda sunt quæ specialiter mittuntur à Deo in vindictam peccatorum ; sed etiam de alijs, quacunque ex causa proveniant. Hinc seriò monendi sunt fideles , ut morbos , omnesque molestias & afflictiones patienter ferant , si velint eas sibi prodesse ad remissionem pœnæ purgatorij.

Et quamvis aliqui opinentur flagella tantum esse satisfactoria ratione actus interioris , ita ut exterior pœna nihil satisfactionis addat ; contrarium tamen est verius , ipsam scilicet etiam exteriorem pœnam esse per se satisfactoriam , si patienter toleretur. Ac proinde , si duo æquali voluntate sustineant afflictiones , ille plus satisfacit, qui plures aut graviores patitur.

### Articulus III.

*De tribus operibus satisfactorijs.*

Art. 3. tribus rationibus ostendit convenienter enumerari tria opera satisfactoria, *Jejunium, Eleemosynam, & Orationem:* non quasi præter hæc, nulla sint alia : sed quia hæc aptissima sunt ; & singulariter in scripturis & patribus commendantur tanquam satisfactoria ; ad quæ, etiam cætera possunt reduci , quemadmodum hîc indicat Author in responsione ad 5.

Ad orationem; quæcumque Deo proximè exhibentur, ut sacrificium , laus , gratiarum actio, contemplatio : quæ licet *habeant suavitatem spiritus, habent tamen afflictionem carnis* : ait Author ad 1.

Ad elemosynam ; omnis generis beneficia proximis exhibita.

Ad jejunium ; omnia quibus caro solet affligi & domari ; ut vigiliæ , asperitas victûs ac vestitûs , peregrinationes, lachrymæ, solitudo, & similia. Tria hæc enuntiavit Angelus Tobiæ 12. dicens, *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna :* & S. Leo ser. 1. de jejunio decimi mensis. Eis verò alia pietatis opera conjunxit Concilium Tridentinum sess. 14 can. 13.

Quod hæretici objiciunt ex 1. ad Timoth. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Vide explicatum à nobis 2.2.qu. 147.ar.1.ad 1.

Circa Responsionem ad 3. Adverte per quodlibet opus pœnale posse pro quolibet peccato satisfieri, quatenus satisfactio est pœnæ solutio : ut autem est medicina præservans à peccatis , eaque curans ; sic diversa opera in diversorum peccatorum satisfactionem injungenda sunt : ut contraria contrarijs curentur, secundùm ea quæ dicit Gregorius hom. 32. in Evangelia; potest tamè ex causis unum loco alterius imponi.

De verbis Christi Luc. 11. *Date eleemosynam* &c. Confer infra qu 99.ar.5.& 2.2.qu. 62.ar.2.

## QUÆSTIO XVI.

## *De suscipientibus Sacramentum Pœnitentiæ.*

*Examinatur titulus.*

Ita collectores Supplementi: sed contra mentem Authoris.

Primò, quia in 4. dist. 14. cum articulos quæstionis primæ divideret, tertium, qui est præsens quæstio cum suis articulis, dixit esse de subjecto pœnitentiæ : loquebatur autem de Pœnitentiæ virtute.

Secundò , quia omnes præsentis quæstionis articuli sunt de Pœnitentiæ virtute; ne unus de Pœnitentiæ Sacramento.

Tertiò , quia proprius locus tractandi de suscipientibus Sacramentum Pœnitentiæ , est partim 3.p.qu.84.ar.5.partim hujus Suppl.qu.6 ar.3.

Verus ergo hujus quæstionis titulus debet esse.

## *De subjecto Pœnitentiæ.*

### Articulus I.

Art. 1. docet virtutem Pœnitentiæ posse esse in innocentibus , secundùm habitum, seu non secundùm actum , nisi fortè respectu peccatorum venialium , quia innocentes sunt peccabiles ; & cum infusione gratiæ simul infunduntur virtutes morales.

### Articulus II.

Art. 2. tradit sanctos homines in gloria habere virtutem Pœnitentiæ, cum diverso actu ab illo quem hîc exercuerunt. Vide ad 3.p.qu. 85.ar.4.& hujus Suppl.qu.4.ar.3.

### Articulus III.

Art. 3. docet nec in bonis, nec in malis Angelis esse virtutē Pœnitentiæ; quia in neutris locum



locum habere potest ejus propria materia, quæ *est peccatum ut remissibile.* In malis tamen locum habet actus quidam similis actui Pœnitentiæ , sicut in hominibus damnatis qui Sap. 1. dicuntur *Pœnitentiam agentes*, sc. detestatio peccatorum, sed sine proposito emendationis , & sine cura placandi Deum ob pœnas dumtaxat quibus se propter peccata sentiunt obnoxios. Confer dictæ q.85.ar.4.

## QUÆSTIO XVII.

## *De potestate ministrorum hujus Sacramenti, sive de Clavibus.*

### Articulus I.

*In Ecclesia sunt claves.*

Art. 1. docet debere esse Claves in Ecclesia , id est , præfectos Ecclesiæ debere habere claves regni cælorum ; partim quia Christus eas promisit B. Petro, dicens Mat. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum*, nec dubium est præstitisse quod promiserat ; partim quia dispensator debet habere claves eorum quæ dispensat : præfecti autem Ecclesiæ sunt *dispensatores mysteriorum Dei*, 1.ad Cor 4

In verbis Domini Mat. 16. per *claves* metaphoricè significatur potestas spiritualis, eaque suprema gubernandi Ecclesiam, & promovendi ad beatitudinem.

*Actus clavium beati Petri.*

*Regnum cælorum* ibi significat Ecclesiam , sive militantem sive triumphantem. Ac proinde harum clavium actus & officia sunt , credentes recipere in familiam Christi, inobedientes ejicere, peccata & peccatorum pœnas condonare , satisfactiones injungere, ad communionem admittere, leges quæ universos fideles obligent condere , ab earum obligatione quosdam solvere, in votis aut juramentis dispensare, Ecclesiæ ministros constituere, dubia circa fidem aut mores resolvere, cum authoritate obligandi omnes fideles ut acquiescant , & si qua sint alia. Sicut enim qui totius regni vel domus habet claves , supremam obtinet potestatem, potestque vel clausa aperire , vel aperta claudere, dispensare , retinere : ita Petrus ejusque successor dicitur habere claves regni cælorum ; quia summam habet in eo tum regendo , tum aperiendo potestatem , cum authoritate dispensandi , solvendi, ligandi.

Et quamvis claves nusquam expresè reperiantur promissæ vel datæ Ecclesiæ , nisi dum isto loco Matthæi Dominus dixit Petro , *Tibi dabo claves regni celorum :* quia tamen prædicta clavium officia ex parte conveniunt Apostolis, Episcopis, presbyteris, & quibusdam alijs : Ideò consequenter est dicendum quòd & ipsi claves regni cælorum acceperint ; ut intellexit Concilium Tridentinum sess. 14.c. 8. & can. 15. & Joannes 22. in extravag. *Quia quorundam* , De verborum significatione, Hilarius lib. 6. de Trinitate, conformiter illis verbis ad omnes Apostolos dictis, *Quæcumque alligaveritis* &c. Matth. 18. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Joannis 20. per actus enim cognoscitur potentia; sicut & actus per objectum.

Generalis autem hæc significatio clavium mysticarum expressa potiùs est Matt. 16. per *ligare & solvere* , quam per actus *retinendi & remittendi peccata*; quia ligare & solvere latiùs patet , quàm peccata retinere vel remittere. Nam ligatur homo per excommunicationem , per leges , per defi-



nitiones fidei & morum ; solvitur que à censuris, legibus, præceptis, votis, aut juramentis.

Cæterum , etsi latè pateat significatio clavium ; Author tamen cùm librum quartum Magistri sententiarum explicaret, strictiùs hoc nomen accepit, per illud peculiariter intelligens potestatem ordinis ad remittendum & retinendum peccata, quam acceperunt Apostoli per hæc verba: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata &c.* Et quam accipiunt sacerdotes in ordinatione ; vocatur que propterea Clavis Sacramentalis.

Circa responsionem ad 3. adverte quod prælati Ecclesiæ possint dici habere claves inferni , quatenus dum à peccatis absolvunt , infernum quodammodo aperiunt , ut peccator inde exeat ; & claudunt , ne ob culpam præteritam intret : sed hac ratione , cùm sit eadem clavis inferni & cæli, denominari potiùs debet à cælo quàm ab inferno, utpotè à digniori, & ab eo quod per se intenditur tanquam finis potestatis clavium.

### Articulus II.

*Definitio.*

Art. 2. definit claves non esse aliud quàm potestatem ligandi & solvendi , quâ judex Ecclesiasticus dignos recipere , indignos excludere debet à regno. Est autem definitio clavium , non generaliter , sed quatenus significant potestatem ordinis ad remittendum & retinendum peccata ut patet tum ex responsione ad 2. ubi dicit clavem dari cum ordine ; tum ex Joannis 22. extravag. *Quia quorundam:* ubi jam dicta definitione clavium allata , eas conferri dici in collatione sacerdotalis ordinis. De his ipsis art. seq. etiam loquitur.

De resp. ad 1. videnda sunt quæ dicentur q. 37. ar.2. quæsito 4.

### Articulus III.

*Duæ sunt claves spirituales.*

Art. 3. docet esse duas claves, alteram scientiæ alteram potestatis ligandi & solvendi. Cum enim potestas remittendi & retinendi peccata sit judiciaria ; requirit duo quæ sunt in omni judicio necessaria , scilicet cognitionem seu discussionem causæ , & prolationem sententiæ. A priori vocatur clavis scientiæ : à posteriori, clavis potestatis.

Clavis Scientiæ non est ipse habitus scientificus, sed authoritas & potestas exercendi actum scientiæ, examinando causam peccatoris , eumque interrogando sic ut respondere teneatur.

Clavis Potestatis , est facultas ferendi sententiam super peccata audita. Sunt autem hæ duæ claves reipsa idem quod character sacerdotalis, quatenus ille dicit potestatem conferendi Sacramentum Pœnitentiæ ; & propterea tantùm est una potestas secundùm essentiam ; ut in corpore & ad 3. dicit Author ; quamvis ex comparatione ad actus, quorum unus alium præsupponit, rectè distinguatur in duas.

Ex his cum responsione ad 2. ar. 2. collatis, potest colligi , quare potestatem jurisdictionis Author non annumeraverit clavibus ; quia nimirum loquebatur solùm de clavibus , quæ dantur in ordinatione ; per quam fit ut quis habeat claves, antequam accipiat jurisdictionem.

Si verò generaliùs quæratur , quot in universum sint claves Ecclesiæ : dicendum est quòd: Pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ma, sit potestas ordinis ad remittendum & retinendum peccata.

Secunda, clavis scientiæ, appellatione sumptâ ex Luc. 11. *Væ vobis legisperitis: quia tulistis*, id est, abstulistis, & vobis solis vendicastis,) *clavem scientiæ.*

Tertia, est potestas jurisdictionis in foro Pœnitentiæ, de quâ diximus ar. 4. q. 8.

Quarta, potestas jurisdictionis fori Ecclesiastici externi, vel mixti: de quâ Author q. 19. art. 3. ad 4. & q. 22. art. 1. ad 1. Addi posset.

Quinta, potestas condendarum legum: Et

Sexta, Authoritas definiendi dubia fidei vel morum; sed hæ comprehenduntur sub quarta: nam ad potestatem jurisdictionis non solùm pertinet censuras ferre, & ab eis absolvere; sed etiam leges condere, mutare, tollere, dispensare, dubia definire, indulgentias facere, prædicare, prædicandi potestatem concedere, & similia.

## QUÆSTIO XVIII.

### *De effectu Clavium.*

### Articulus I.

*Effectus clavium est remissio peccati etiam quoad culpam.*

Art. 1. docet potestatem clavium extendere se instrumentaliter ad remissionem culpæ.

Sentire quidem hic videtur quod ad eam se extendat, non ut causans, sed ut disponens, & quod Sacramenta non causent gratiam, nisi dispositivè; quodque Sacerdos non verè absolvat à peccatis, sed solùm ostendat absolutionem fieri: Verùm hæc, ut Commentator Magistri, pro illo dixit, junior: Rè autem accuratiùs expensa, clarè docuit quod potestas clavium extendit se instrumentaliter ad remissionem culpæ, sicut eam causans, & quod Sacramenta, Sacramentorumque ministri gratiam conferant instrumentaliter: quodque Sacerdos non solùm ostendat absolutionem à Deo fieri, sed eam ipse faciat, tanquam Dei minister. In opusculo de formâ absolutionis c. 1. & 2. & 3. p. q. 62. art. 1. q. 64. ar. 1. q. 86. ar. 6. & 84. ar. 3. ubi & nos cum ipso probavimus Sacerdotes verè absolvere, non autem solùm declarare peccata esse remissa. Id quod B. quoque Tho. clarissimè expressit lect. 4. in c. 20. Joan. dicens, *Aliqui dicunt quod solus Deus remittit culpam, sed Sacerdos absolvit tantùm à reatu pœnæ, & denuntiat eum absolutum à maculâ culpæ. Sed hoc non est verum. Nam Sacramentum Pœnitentiæ &c. confert gratiam.* Et postea, *Sacerdos sacramentaliter & ministerialiter absolvit à pœnâ & culpa.*

### Articulus II.

*Sacerdos potest remittere pœnam.*

Art. 2. docet Sacerdotem posse remittere peccatum quoad pœnam.

De æternâ, cùm ejus reatus tollatur simul cum culpâ; patet ex q. 10. art. 1. & ex Conc. Trid. sess. 6. c. 14.

De temporali, manifestum est ex q. 13. cum sequentibus.

Quod in Responsione ad 3. dicit, *pro quolibet peccato oportet aliquam pœnam satisfactoriam remanere*, si conferatur cum Responsione ad 4. ubi asserit & per frequentem confessionem, & per magnam pœnitentis dispositionem posse tolli totam pœnam; intelligendum videtur de illo quod est ordinarium non de eo quod est perpetuum.

In Resp. ad 4. observa quod super eorumdem peccatorum confessione iterata rectè possit dari absolutio, ut etiam diximus 3. p. q. 84. art. 3.

### Articulus III.

*Sacerdos potest ligare.*

Art. 3. docet Sacerdotes per potestatem clavium posse ligare; & quoad culpam, negando absolutionem: & quoad pœnam, imponendo satisfactionem.

Quæ doctrina probari potest ex Matt. 16. & 18. & Joan. 20. ubi datur potestas ligandi & retinendi peccata. Cùm enim varijs modis ligari possit pœnitens; unus eorum à Christo intellectus & intentus est, quo Sacerdos pœnitentem astringit ad certam pœnam, ut hîc exprimit Auth. & in opusc. 17. aliàs 22. c. 5. ubi ait: *Sacerdos tanquam minister à peccato solvit, Sacramentum gratiæ apponendo, & ligat, non apponendo præter hoc quod ligat ad pœnam quam injungit.*

Idem docent Patres Trident. sess. 14. ca. 8. & can. 15. Hinc S. Leo Ep. 91. dicit, *Hinc præpositis Ecclesiæ datam esse potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem, salubri satisfactione purgatos, ad communionem admitterent.* Eodem pertinet perpetuus Ecclesiæ & Sanctorum Patrum usus, ac potestas judiciaria, de qua art. 1. q. 6.

### SED QUÆRITUR I.

### *An Sacerdos non solùm possit, sed etiam teneatur satisfactionem injungere pœnitentibus.*

*Resp. teneri.*

Responsio affirmativa certa est, Primò, quia tenetur quantum in se est agere, ut Sacramentum sit integrum, quale non est sine satisfactione.

Secundò, quia ipse est judex & medicus ideoque debet æquitatem servare, & ut pœnitens Deo, qui per peccatum est offensus, satisfaciat, laborare, pœnitentisque vulnera curare. Unde Conc. Trid. d. c. 8. *Debent*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere*, &c. Ubi etiam addit, *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

*An sit excepta*

Navar. c. 26. n. 20. & 21. & Petrus Soto lect. 2. de satisfactione, duos casus excipiunt. *Unum*, si pœnitens sit proximus morti. *Alterum*, si probabiliter judicare potest pœnitentem perfectè satisfecisse.

Sed cùm id humanitùs semper ignoretur, sitque satisfactio, & pars Sacramenti, & remedium contra peccata: verius est, semper esse imponendam, excepto casu impotentiæ pœnitentis: quo tamen, & hoc est videndum, an nequeat ore vel corde nomen Jesu dicere, aut alium pium motum elicere: foret enim istud imponendum.

Ex his intelligitur Sacerdotem mortaliter peccaturum, non imponendo satisfactionem; nisi vel per inadvertentiam hoc contingat, vel propter pœnitentis impotentiam.

QUÆ-



### QUÆRITUR II.

### *Quando sit imponenda & implenda satisfactio.*

ETsi non admodum referat, an imponatur ante datam absolutionem, an post; modò moraliter conjungatur cæteris partibus Sacramenti, convenientius tamen imponitur ante: ut, quoad fieri potest, materia præsupponatur formæ; & pœnitens, tum voto, tum acceptatione Pœnitentiæ, incipiat satisfacere.

Explenda est autem, quamprimùm commodè fieri potest, si nullum tempus sit præfixum; quia id postulat tum Sacramenti integritas, tum ratio medicinæ, tum justa sententia judicis.

Si verò tempus aliquod fuerit designatum, intra illud est implenda. Neque tamen obligatio cessat, si tempore statuto non fuerit impleta: quia principale quod spectatur, non est circumstantia temporis, sed opus præscriptum.

Fuit quidem olim usitatum, ut satisfactiones peragerentur ante absolutionem, ut ostendunt verba S. Leonis ex ep. 91. prius allata, manifestumque est ex can. 11. Conc. Toletani 3. & ex Innocen. I. Ep. 1. c. 7. quod refertur de consecra. d. 3. c. *De pœnitentibus*: Verùm sicut illa consuetudo conveniebat hominibus in disciplinâ retinendis, & à peccatis per difficultatem veniæ, coercendis: ita justis postea rationibus mutata est, factumque ut verè pœnitentibus impendatur absolutio ante peractam satisfactionem; partim, ut pœnitentes Deo citiùs reconciliati, possint in gratiâ & meritis proficere, efficaciùsque satisfacere; partim ut ostendatur absolutio Sacerdotis valere ad solutionem pœnæ, non solùm æternæ, sed etiam (parte quadam) temporalis.

Hunc morem confirmat, quòd etiam antiquitùs absolverentur interdum pœnitentes, ante satisfactionem expletam, non solùm quando periclitabantur de vitâ, sed etiam aliàs.

De priori casu loquitur S. Leo d. Epist. 91. & can. 76. Conc. 4. Carthag. duodecimus Conc. Niceni. tertius Concilij 1. Arausicani, & apud Gratianum, 26. q. 6. c. *Qui recedunt*, cum tribus sequentibus.

De posteriori extat c. *Presbyter*, d. 82. ubi cùm Presbytero fornicatio præscribatur Pœnitentia decem annorum; conceditur tamen, ut post sesqui annum, corporis & sanguinis Domini particeps fiat: constat autem peccatoribus nunquam solitum fuisse dari Eucharistiam, ante reconciliationem ministerio Sacerdotis factam. Idem haberi potest ex Nicolai Papæ c. *De viro*, 12. q. 2. & ex Conc. Ancyrani can. 5. 6. & 8. ubi cùm de illis qui admittebantur ad communionem, tertio, quinto, sexto anno, definitur ut anno demum sequenti *perfectionem* suam recipiant; colligitur quod licet non impenderetur pœnitentibus, de quibus ibi sermo est, plena & publica absolutio, quâ publicè reciperentur ad communionem, oblationem, & conversationem fidelium; dabatur tamen sacramentalis absolutio, ut possent communicare.

Ex his patet Sixtum IV. in Confirmatione Concilij Compl. meritò condemnasse hunc articulum Pet. Oxomensis; Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peractâ priùs Pœnitentiâ eis injuncta.

### QUÆRITUR III.

### *An pœnitens teneatur injunctam Pœnitentiam acceptare, & acceptatam implere.*

Non teneri opinatur Navarrus cap. 26. num. 20. secutus Scotum, Gabrielem, & Medinam.

Primò, quia peccator non tenetur in hac vita satisfacere, modò habeat propositum satisfaciendi in Purgatorio.

Secundò, Sacerdos non est judex ordinarius, sed arbitrarius: ergo in arbitrio pœnitentis relinquitur, submittere se illi, vel quoad remissionem culpæ tantùm, vel quoad remissionem culpæ & pœnæ.

Tertiò, inobedientia quæ est citrà contemptum, non est peccatum mortale, ergo non obedire Confessario satisfactionem injungenti, non est mortale, nisi adsit contemptus.

Quartò, Redimere pœnas graviores per satisfactionem, est in favorem pœnitentis: ergo potest ei renunciare; potest enim unusquisque cedere juri suo. Unde si quis ex vehementi peccatorum displicentia offerret se ad justam satisfactionem subeundam, ita ut nollet uti indulgentijs, non esset reprehendendus.

*Resp. teneri.*

Respondeo, Pœnitens tenetur acceptare Pœnitentiam rationabilem, & acceptatam implere: ut præter Authorem hîc, sentiunt Richardus & Bonaventura in 4. dist. 18. Paludanus & Dominicus dist. 20. Toletus, Victoria, & communiter alij.

*Ob.*

Primò, quia Sacerdotibus dictum est; *Quacunque allegaveritis super terram, ligata erunt in cælo*: atqui imponendo satisfactionem ligant pœnitentem, ergo is manet ligatus coram Deo. Neque reponderi potest eum obligari ad exequendam Pœnitentiam, si acceptaverit; non teneri tamen acceptare: Nam hæc obligatio non à voluntate pœnitentis, sed à virtute clavium, id est à potestate Sacerdotibus tradita, proficiscitur.

*Resp.*

Secundò synodus Trid. sess. 14. c. 8. & can. 15. ideo asserit satisfactiones, etiam *ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem* esse imponendas; neque tunc agi contra finem clavium, aut contra institutionem Christi: *quia claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum* datæ sunt: sentit ergo pœnitentem ligari posse ad ejusmodi satisfactiones.

Tertiò, Canon Lateranensis, *Omnis utriusque sexus*, habet ut pœnitens, *injunctam sibi Pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere.* Quæ verba cùm contineant partem legis Ecclesiasticæ; sequitur pœnitentem ad hoc teneri, non solum lege divina positiva, sed etiam Ecclesiastica: quæ tamen non tunc primum instituta est, nam Presbyteri olim pœnitentias secundùm canones imponebant: neque reconciliationem dabant illis qui recusassent ea vel suscipere, vel adimplere.

Quartò, unusquisque tenetur parere judici rectè judicanti: Confessarius est judex; ergo ipsi rationabilem satisfactionem injungenti obedire debet pœnitens.

Huc pertinet quod ab omnibus inter conditiones ad legitimam confessionem requisitas, ponitur ut sit, Parere Parata; quodque lex

Universidad de Deusto
Biblioteca



turalis postulet, ut homo conetur pœnas acerbissimas redimere levioribus. A

Denique, pœnitens tenetur, si potest, subire omnes partes Sacramenti Pœnitentiæ: satisfactio autem quæ à confessario imponitur, est pars Sacramenti; ergo tenetur eam subire.

*Quale pec. non explere satisfactionem, vel eam non acceptare.*

Ex his sequitur, esse peccatum in genere suo mortale, non acceptare, vel non explere satisfactionem injunctam; atque adeò negandam esse absolutionem ei qui noluerit acceptare: quod autem non semper negatur, partim fit ab opinantibus non esse mortale, partim, quia propter fragilitatem pœnitentium ita levis injungitur, ut non recusent. Dico; *genere suo*, quia si injungatur exigua satisfactio, vel si confessio fuerit de solis venialibus, aut mortalibus quidem, sed priùs legitimè confessis & absolutis, fortasse non erit plus quàm veniale, satisfactionem non suscipere: quanquam neque hoc certum est, cùm in Sacramenti magnam irreverentiam cedat ipsum sine causa justâ, facere mutilum. B

Sciendum autem, quod satisfactionis injunctæ oblivio, negligentia, omissio, in affectu peccati mortalis impletio, non faciunt confessionem priorem esse invalidam & iterandam: ut contra Sylvestrum tenent Toletus, Petrus Soto, Navarrus, Cajetanus: quia dona Dei sunt sine Pœnitentia, hoc est, sunt irretractabilia, quemadmodum ex c. 11. ad Rom. diximus 3. p. q. 85. ar. 2. ad 1. & q. 88. art. 1. adeò ut non revocet remissionem semel datam. Et propterea, qui satisfactionem injunctam C vel est oblitus, vel etiam data opera neglexit, non tenetur iterare confessionem præcedentem; sed debet confiteri peccatum quod in illius satisfactionis spontanea omissione commisit, addendo an satisfactio fuerit magna, an parva.

Ad 1. Argument. Resp. ex quæst. 13. art. 1. patere, quod pœnitens teneatur in hac vita satisfacere. Et quamvis nullum extaret peculiare præceptum, ad eam tamen obligationem sufficeret potestas clavium.

Ad 2. Etsi frequenter liberum sit pœnitenti, eligere sacerdotem quem voluerit; sacerdos tamen non est propterea judex arbitrarius, sed vel ordinarius, vel delegatus: habet enim non à pœ- D nitente, sed à Vicario Christi potestatem, sicut solvendi, ita & ligandi omnem eum cujus audit confessionem.

Ad 3. Negatur antecedens: quamvis enim inobedientia formalis, quæ speciale quoddam est peccatum, consistens in eo quod violetur præceptum quia præceptum, non sit mortalis sine aliquo contemptu: ea tamen quæ est generalis circumstantia omnis peccati, seu quæ committitur in cujuslibet legis transgressione, mortalis est, etiam citra contemptum.

Ad 4. Negatur consequentia. Talis enim redemptio sic est misericorditer constituta, ut etiam posita sit in præcepto: quod proinde obstat ne E possit homo renuntiare juri suo. Et hinc patet responsio ad Confirmationem.

## QUÆRITUR IV.

*Vtrum pœnitentia semel injuncta possit ab aliquo mutari.*

Certum est posse, quando constat vel fuisse commissum errorem, vel pœnitentem esse redditum impotentem.

Satis etiam convenit, sacerdotem, cui pœnitens de novo confitetur priora peccata, vel ad quem accedit duranti adhuc memoria confessionis illorum, posse priorem pœnitentiam mitigare, vel mutare. Sed si diversum confessarium accedat, difficultas est. Pro cujus dissolutione sit.

### Conclusio I.

Unus confessarius non debet mutare pœnitentiam ab alio impositam, sine legitima causa: quæ si subsit, sacerdos priori æqualis, potest in foro conscientiæ illam mutare, audita eorumdem peccatorum confessione: imò etiam (ut probabile est) ea non audita, quemadmodum traditur à Navarro c. 27. n. 22. Toleto l. 3. cap. 11. Victoria q 211.

Primus quidem, quia sicut absolutio potest super eadem peccata repeti; ita judicium, & sententia.

Posterius verò, quia in illo foro sacerdos est vice Christi judex supremus super casibus non reservatis.

Nec obstat quod par in parem non habet im- *Ob.* perium; nam secundus sacerdos ita agens nullum exercet imperium in priorem, sed in pœnitentem; nec propriè revocat sententiam prioris, *Resp.* sed vel eam moderatur, vel suam profert. Neque derogat authoritati illius; non magis quam authoritati prædecessoris sui præjudicet pontifex, Episcopus, aut rex, quando sententiam ejus aut legem moderatur vel mutat, existente causâ. Accedit quod prior confessarius tacitè facultatem istam censendus est concedere secundo, si præsertim non pateat facilis ad eum accessus.

### Conclusio II.

Sacerdos inferior, etiam non auditâ confessione priorum peccatorum, potest in foro conscientiæ mutare pœnitentiam à suo superiore impositam, si hæc duo adsint, scilicet quod superior adiri nequeat, & magna causa subsit. An idem possit quando priora fuerant reservata, non convenit. Probabile est quòd sic, necessitate urgente, vide Nicolaum de Orbellis in 4. d. 18. q. 2. fi. Sylvestrum, *confessio*, 1. q. 27.

### Conclusio III.

Majori ratione potest superior mutare pœnitentiam ab inferiore impositam; sive id in confessione faciat, sive extra, dispensando in præcepto, vel sententia inferioris.

## QUÆRITUR V.

*An Pœnitens debeat sponte suscipere aliquam pœnitentiam, præter eam quam confessarius imposuit.*

Videtur quod non, Primò, quia pœnitens non est judex suiipsius.

Secundò, quia generale præceptum de satisfactione videtur esse determinatum ad eam quæ imponitur à sacerdote, & ad publica orationum & jejuniorum opera.

Responsio affirmativa certa est. Primò, quia post absolutum pœnitentiam à sacerdote injunctam, pœnitens sæpè manet adhuc reus alicujus pœnæ



pœnæ: vel quia per errorem, aut etiam ex justa A causa, fuit imposita minor quam oportebat: vel quia negligenter fuit impleta.

Secundò, scripturæ ad redimendum peccata præcipiunt jejunia, orationes, eleëmosynas: non tantum ut bona opera, sed etiam ut satisfactoria.

Tertiò, Gregorius hom. 1. in Evangelia, Augustinus hom. ultima in opere 50. homiliarum, & alij Patres monent oportere, nosipsos hîc punire, ut non puniamur à Deo.

Ad 1. ergo Arg. Etsi homo non sit suiipsius judex eo judicio quod sacerdotibus est commissum & cum authoritate junctum: potest tamen in seipsum exercere judicium vindicativum, juxta illud 1. ad Cor. 11. *Si nosipsos judicaremus &c.* B

Ad 2. Non sufficit ea præcepti determinatio, secundùm quam non adimpletur totum præceptum. Publica jejunij vel orationis opera instituuntur ab Ecclesia pro communibus peccatis ac interdum pro alijs causis, ideoque non sufficiunt, ex ejus intentione, ad redimenda omnia peccata, præsertim graviora particularium personarum.

### Articulus IV.

*Vtrùm Sacerdos possit ligare & solvere secundùm proprium arbitrium.*

*Resp. cum distinctione.*

Sensus unus est, an secluso omni lege ac regula, ut validè ac licitè solvat aut liget, possit se- C qui suum merum ac solitarium arbitrium. Alter, utrum in ligando & solvendo aliquid sit relictum arbitrio Sacerdotis, ut non debeat semper sequi præscriptum Canonem, & gravitatem criminum.

### Conclusio I.

Sacerdos non potest pro nudo suo arbitratu solvere vel ligare, sed si attentet indignum absolvere, vel innocentem ligare, peccat. & nihil agit: quia potestas ejus est instrumentalis: instrumentum autem ad eas actiones ad quas est instrumentum, nihil valet nisi moveatur à principali agente: Ab hoc verò agente non moveretur, quum pro mero D suo arbitratu tentaret solvere vel ligare.

### Conclusio II.

In satisfactionibus injungendis, aliquid est relictum prudenti arbitrio Sacerdotis, ut non debeat præcisè secundùm quantitatem peccatorum eas injungere, & canones pœnitentiales sequi sed discretione uti possit secundùm circumstantias negotij & personarum. Huc pertinet capit. *Mensuram*, ne Pœnit. d. 1. quod hîc argumento 1. Author, secutus Magistrum citat sub nomine Hieronymi, est autem ex Synodo Metensi, can. 10. ut habet notatio Gregoriana. Eodem facit quod ha- E benda sit ratio contritionis & erubescentiæ, per quas plus aut minus pœnæ remissum est, prout fuerint vehementes aut leves, ut affirmat author q. 15. ar. 3. ad 1. habenda etiam ratio pœnitentis; quoad facultates, famam, conditionem, promptitudinem animi. Oportet ergo tum pro qualitate criminum tum pro pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, & non levissima quædam opera pro gravissimis peccatis imponere: ut notavit Synodus Tridentina sess. 14. capite 8. Si tamen videat pœnitentem non A satis promptum ad condignam satisfactionem, ei declaret quantam ejus peccata requirant, horteturque ut hîc potius satisfaciat quam in futuro sæculo: ipse verò nonnihil se attemperet ejus languori: mitioremque imponat, nam & medicus prudens, subinde non dat medicinam quæ auferat totum morbum, ne propter debilitatem naturæ, majus periculum oriatur. Caveat etiam confessarius, ne pauperi largas eleëmosynas injungat, vel peregrinationes illi qui timetur eas facturus cum periculo Missæ non audiendæ festis diebus, vel jejunia frequentia, aut quærenti victum ex gravi & quotidiano labore, aut valetudinario cui illa notabiliter noceant.

Argumenti 2. ex Luc. 16. petiti solutio est, quod *villicus*, qui propterea vocatur *iniquitatis*, quod ea quæ domino suo debebantur, condonaverat sine ipsius consensu, laudetur, eò quod secundum prudentiam hujus sæculi prudenter sibi consuluerat in futurum. Qui autem eum villicum sive œconomum laudavit, non est Christus Dominus, sed dominus parabolicus; de quo Christus refert quod talem villicum laudaverit, quia ingeniosè sibi prospexisset.

Quod in argumento priore ad oppositum citatur, est Gregorij VII in Synodo Romana, & refertur à Gratiano de Pœnitentia d. 5. c. *falsas*.

## QUÆSTIO XIX.

*De ministris clavium.*

### Articulus I.

*Sacerdotes legales nõ habuerunt claves regni cœlorũ.*

Art. 1. docet sacerdotes legales non habuisse claves regni cœlorum. Quamvis enim habuerint potestatem condendi leges, definiendi dubia, ejiciendi extra synagogam eos qui id commeruissent; non propterea tamen habebant claves cœli, neque quoad potestatem ordinis, neque quoad potestatem jurisdictionis fori interni: quia non poterant à culpis absolvere, per quarum abolitionem aperitur cœlum ei cui illæ claudebant; sed habebant claves terreni tabernaculi, quæ erant figuræ clavium cœli.

### Articulus II.

*Christus habet claves regni cælorũ.*

Art. 2. tradit Christum habuisse clavem, quia Apoc. 3. (conformiter ei qui Isai. 22. de Eliachim tanquam typo Christi, scriptum est,) dicitur, quod *Christus habet clavem David quâ aperiat, & nemo* (ei sc. adversarius) *claudat*. Et confirm. Christus est, qui Apostolis eorumque Successoribus dat claves regni cœlorum, ipse autem eas dando, non amittit; consequens ergo est quod illas habeat; habet autem ut Deus quidem, per authoritatem, ut homo, per excellentiam: quia effectus clavium est à Deo tanquam principali agente; & à Christo ut homine, tanquam instrumento Verbi, per excellentiam: à ministris verò, tanquam inferioribus instrumentis. Illa autem clavis, non est in Christo, sicut in Sacerdotibus, sacramentalis; tum quia in Christo non consequitur characterem, qui in eo non est; tum quia in ejus usu ipse non pendet à Sacramento; sed est clavis excellentiæ.

Arti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS III.

*Clavem ordinis habent soli sacerdotes.*

ART. 3. docet solos sacerdotes habere clavem, sive potestatem ordinis ad remittendum peccata: Clavem autem jurisdictionis fori externi (quod hîc vocat forum causarum, & art. 2. q. 22. forum contentiosum) habere etiam non sacerdotes. Nam excommunicare, & ab excommunicatione solvere possunt, Legatus Apostolicus, Episcopus Electus, Archidiaconus, etiamsi non sint sacerdotes. Prior potestas propriè dicitur clavis cæli; quia immediatè se extendit ad cælum, removendo peccatum quod est obstaculum introitus in illud: Posterior, propriè quidem est clavis; sed improprièB clavis cæli; quia non immediatè se extendit ad illud, sed mediante Ecclesiâ militante, in quam admittitur, vel è quâ ejicitur is in quem usus illius clavis exercetur.

*De regum potestate.*

In responsione ad 2. observanda est distinctio potestatis regum à potestate sacerdotum: quamvis enim ut ex c. 13. ad Rom. constat, etiam potestas regum sit à Deo; non est tamen spiritualis, nec in spiritualia; sed in temporalia tantùm: Non sic, quasi reges solam temporalem subditorum quietem curare debeant, permittentes interim libertatem sectarum & religionis; nam hoc inter hæreses ab Augustino computatur hæresi 72. fuitque Gentilium error, ut testatur idem l. 18. de ci. c. 51. sed sic, utC religionis catholicæ defensores quidem sint & custodes, non autem judices & magistri; ad quos propterea pertineat sæcularia judicare, de spiritualibus verò id defendere & custodire, quod Episcopi catholici declaraverint esse tenendum. Vide S. Leonem epistola 75. & S. Aug. epist. 50.

*Ob.* Neque his obstat unctio regum: per eam enim non constituuntur in aliquo ordine; sed designatur quod excellentia potestatis eorum à Christo descendat; sub quo proinde, & secundùm cujus leges, oporteat eos regnare.

*Resp.* In resp. ad 3. adverte potestatem ordinis, à potestate jurisdictionis exterioris in eo differre; quod illa semper resideat in singularibus personis: hæc autem residere possit vel in uno, ut in Episcopo; vel in tota communitate, sic ut non in singulis personis illius, ut in Capitulo. D

*Mulieres non habent spirit. jurisdictionem ordin.* Circa resp. ad 4. observa quòd licet mulieribus committi possit aliquis usus seu exercitium jurisdictionis spiritualis, nullam tamen habere possunt spiritualem jurisdictionem ordinariam; quia sunt in statu subjectionis, juxta scripturam, *Sub viri potestate eris*, Gen. 3. *Mulieres in Ecclesijs taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse*, 1. ad Cor. 14. *Mulier in silentio discat, cum omni subjectione*, 1. ad Timoth. 1.

Ex commissione verò possunt habere jurisdictionem imperfectam; de qua Pontifex cap. *Dilecta*, tit. de majoritate & obedientia: ubi admittit in Abbatissa potestatem suspendendi ab officio, canonicas & clericos suæ jurisdictioni subjectos; subtrahendo scilicet beneficiorum fructus, & præcipiendo ne celebrent donec satisfecerint: non autem strictè & propriè ea suspensione, quæ censuris adnumeratur, & irregularitatem inducit contra facientibus; ut ait Sylvester verbo *Abbatissa*, q. 2. E

De eadem dicit Author qu. 39. art. 1. ad 2. quod *Abbatissa non habent prælationem ordinariam, sed quasi ex commissione.*

Dixi, *imperfectam*: quia completam non habent, ne quidem ex commissione: Unde neminem possunt excommunicare, vel ab excommunicatione absolvere, nec aliquid sub pœna excommunicationis præcipere. Ex his sequitur quod mulier neque habet clavem ordinis, neque jurisdictionis. A

QUÆRITUR TAMEN,

*Utrùm possit ei committi quod excommunicet.*

POSSE; sed non decere, probabiliter docet Palud. in 4. dist. 19. qu. 2. ar. 1. concluf. 3. modò fiat per eum qui est supremus conditor & dispensator juris ecclesiastici.

ARTICULUS IV.

*Ex eo quod quis sit sanctus, non habet claves regni cælor.*

ART. 4. docet sanctos homines qui non sunt sacerdotes, non habere claves aut usum clavium: quia id quod facit hominem, esse ministrum ac instrumentum Dei in usu clavium, non est sanctitas vitæ, sed applicatio divina per potestatis communicationem.

ARTICULUS V.

*Sacerdos non desinit habere usum clavis, ex eo quod sit malus.*

ART. 5. probat malos sacerdotes habere usum clavium; quia habent omnem conditionem ad instrumentum, quatenus tale est, necessariam. Quæ doctrina & à Conc. Trid. definita est, tum sess. 7. can. 12. de Sacramentis; tum sess. 14. can. 10. & à nobis explicata 3. p. q. 64. art. 5.

Ex duabus responsionibus ad 3. priorem quæ est, Augustinum loqui de remissione peccatorum, non quæ fiat per sacramenta sacramentorumque ministros ex virtute clavium, sed de illa quæ per orationes, gemitus, & lachrymas sanctorum impetratur, esse germanam liquere potest ex Aug. l. 3. de baptismo c. 18. l. 5. c. 20. 21. 22.

Confer quæ diximus ejusdem qu. 64. art. 5. ad 2. & quæ dicentur qu. 26 art. 1.

ARTICULUS VI.

*Eum non habent hæretici.*

ART. 6. docet schismaticos, hæreticos, excommunicatos, suspensos, degradatos non habere usum clavium; quia privati sunt jurisdictione. Vide quæ diximus eadem qu. 64. art. 6. & hujus Suppl. qu. 8. art. 5. & 6. D

QUÆSTIO XX

## *De his in quos usus clavium exerceri potest.*

ARTICULUS I.

*Sacerdos non potest uti clave in quemlibet.*

ART. 1. docet sacerdotem non posse clave, quam habet, uti in quemlibet; quia præter potestatem ordinis, necessaria est jurisdictio: hæc autem non semper conceditur universaliter in omnem hominem exercenda. Videantur quæ diximus art. 4 qu. 8.

ARTICULUS II.

ART. 2. probat sacerdotem non semper posse absolvere suum subditum: eò quod superior



perior possit aliqua sibi reservare, in quibus judicium inferiori non committat. A

*In Ecclesia est potestas reservandi casus.* Esse autem in Ecclesia potestatem reservandi quædam peccata; eamque reservationem non tantum in foro externo, sed etiam coram Deo vim habere: dogma catholicum est, definitum in Concilio Trid. sess. 14. cap. 7. & can. 11. Confirmatur, jurisdictio ad absolutionem validè impendendam necessaria, descendit à superioribus ad inferiores: ergo si superiores nolint eam dare in talem vel talem peccatorem, seu in hoc aut in illud peccatum, inferiores illam non habent, atque adeò si tentent absolvere, inaniter absolvunt. Unde Reservatio non est hîc aliud, quam negatio jurisdictionis ad absolvendum à quibusdam, licèt concedatur circa B aliqua alia.

*Quid reservatio.*

Causæ autem reservandi sunt partim ut peccatores non ita sint propensi ad peccandum, propter erubescentiam quam habent, superiores adeundo; partim ut morbi graviores serventur medicis peritioribus; quales ordinariè sunt vel esse præsumuntur, superiores.

*Casus & censura differũt.* Distinguenda verò sunt Casus & Censura; quod hæc sit certa quædam pœna ecclesiastica; ille verò sit peccatum, sive adjunctam habeat censuram, sive non. Sunt enim aliqui casus Episcopis reservati, quibus nulla censura annexa est: sunt etiam censuræ quædam illi reservatæ, peccatis sive casibus ob quos illæ feruntur, non reservatis; ut suspensiones. C

Unde casus reservati sunt duplicis generis: Quidam enim reservantur propter majorem excommunicationem ijs annexam; Alij reservantur per se, seu ratione gravitatis ipsorum; ut, quibusdam locis, publica & enormis blasphemia.

*In synodo Camerac. ann. 1604.* Interest autem inter casus reservatos Papæ, & reservatos Episcopis; quod omnes illi habeant censuram annexam, non omnes isti. Quò fit, ut cui conceditur facultas absolvendi à casibus papalibus, concedatur simul potestas absolvendi à censuris Papæ reservatis: Episcopus autem concedendo suos casus, non concedit ordinariè absolutionem à censuris sibi reservatis. Vide Navarr. c. 27. num. 260. 261. Dixi, *ordinariè*, quia alicubi reputatur excommunicatio major inter casus reservatos; ut in Diœcesi Atrebatensi: ac proinde, cui talis Episcopus concedit absolvere à casibus reservatis, concedit etiam absolvere à majori excommunicatione sibi reservata. D

QUÆRITUR I.

*Quæ peccata possint reservari.*

VIDETUR quod non venialia; quia possunt remitti sine Sacramento: neque peccata interna; quia de illis Ecclesia non potest præcipere. E

CONCLUSIO I.

CUJUSVIS generis peccata reservari possunt, & venialia, & interna; si solum spectetur potestas: Ad omnium enim sacramentalem absolutionem necessaria est jurisdictio; quæ cùm à superioribus descendat, potest ab eis limitari.

AD Arg. verò RESP. venialia posse reservari quantum ad hoc, ut non possint remitti sacramentaliter, nisi à tali vel tali ministro.

Et quamvis Ecclesia neminem excommunicet ob peccata merè interna, eò quod excommunicatio pertineat ad forum externum, in quo non puniuntur interna; posset tamen (quod ad vim potestatis attinet) ea reservare, non tribuendo alicui jurisdictionem in illa. Neque ad mirum videri debet, cùm reservatio sit etiam fori interni, & Ecclesia possit quoque de internis præcipere, ut credere, orare, meditari &c.

CONCLUSIO II.

ECCLESIA non reservat ullum veniale: sed nec pontifex aut alius prælatus reservat aut reservare potest peccata interna subditorum; si loquamur de eo quod expedit: quia hoc esset injicere laqueum intolerabilem fidelibus, qui sæpè sunt anxij an cogitationibus internis consenserint, an non, vide Bannes 2. 2. ad quæst. 11. art. 4.

Ab hæresi ergo purè mentali potest quilibet confessarius absolvere subditum. Ac proinde, cùm hæresis ponitur inter casus reservatos, intelligenda est hæresis exterior, sive interim sit publica, sive occulta.

CONCLUSIO III.

*Quæ peccata deceat reservari.*

QUAMVIS in prælatorum arbitrio sit, quos velint casus reservare; ex Concilio tamen Tridentino sess. 14. can. 7. & ex Clementis 8. mandato, quod extat in summa Bullarij, monentur, *ut atrociorum tantum & gravium criminum absolutionem sibi reservent: quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat, in ædificationem, non autem in destructionem cedat.* C

Quapropter omninò expedit pauca reservari, eaque præsertim quæ vel scandalosa sunt, vel disciplinam ecclesiasticam lædunt. Quæ verò gravia quidem sunt, sed occulta: videndum est an plures ab eis committendis arceantur propter reservationem, quàm peccent, omittendo illa confiteri: tunc enim reservari possunt; aliàs non expedit. Hinc Major dist. 17. qu. 5. rectè observavit peccata carnis non facilè reservanda: quia licet ab eis quidam arceantur per reservationem; plures tamen ex ea periclitantur, non audentes illa confiteri superioribus.

Cæterum, qui casus de facto reserventur Pontifici, vel Episcopis, petendum est ex Bullis & Synodis.

An autem jure communi quidam reserventur Episcopis, dubitari potest propter extravag. *Inter cunctas*, tit. de privilegijs: ubi Benedictus 11. certa quædam peccata exprimit Episcopis reservata.

Pars tamen negans communior est: quia in Clementina *Dudum* tit. de sepulturis, Pontifex omninò cassat dictam extravagantem. Nec refert quod incendium & homicidium in ea expressum multis locis reserventur: quia hoc non est ex vi juris communis, sed ex statutis locorum particularibus.

QUÆRITUR II.

*Qui possint peccata reservare.*

RESP. id eos posse qui habent ordinariam jurisdictionem in foro conscientiæ. Cùm enim possint jurisdictionem alijs delegare, possunt quoque vel ampliorem vel strictiorem concedere. Neque solum hoc possunt respectu eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca



rum quibus delegant, sed etiam respectu habentium jurisdictionem ordinariam, si illi sint ipsis inferiores. Unde Rom. Pontifex potest reservare sibi casus, respectu quorumcunque prælatorum: & Episcopus, respectu Parochorum. A

An & Parochi respectu suorum capellanorum id possint, quæritur. Major dicta qu. 5. affirmat, nec improbabiliter. Habent enim jurisdictionem ordinariam in foro interno: eamque delegant suis Capellanis, qui non pariter idonei sunt de quibusvis casibus judicare. Idem possunt superiores religiosorum, sed cum ea limitatione quam fecit Clemens 8. in decreto 26. Maij ann. 1593. quod refert Stephan. Quaranta in summa Bullarij verbo, casus reservatus: *ut nemo ex regularium superioribus, peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis ijs quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot.* B

*Qui casus in religionibus possunt reservari.*

*Primò, veneficia, incantationes, sortilegia.*

*Secundò, apostasia à religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit ut extra septa monasterij seu conventus fiat egressio.*

*Tertiò, Nocturna & furtiva à monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.*

*Quartò, Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

*Quinto, juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.*

*Sextò, Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum, post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.* C

*Septimò, falsificatio manûs, aut sigillo officialium monasterij aut conventus.*

*Octavò, furtum de rebus monasterij, seu conventus, in ea quantitate, ut sit peccatum mortale.*

*Nonò, lapsus carnis voluntarius opere cõsummatus.*

*Decimò, Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ.*

*Undecimò, Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores. Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate, reservandum videbitur: id non aliter fiat quam Generalis Capituli, in toto Ordine: aut Provincialis, in provincia, matura discussione & consensu.* Relatum est hoc decretum in tom. 4. Bullarij, cum hac additione: *Sanctitas sua deinceps declaravit & declarat, ut si hujusmodi Regularium confessarijs, casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus confessarij illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere.* D

Circa primum casum notat Stephanus Quaranta verbo *Casus reservatus*. quod sub tribus superstitionum speciebus expressis comprehendantur, omnes cæteræ species quæ sunt peccata mortalia; propter identitatem vel majoritatem rationis, quia sunt ejusdem generis; addens hanc esse potius inclusionem similium, quam extensionem. E

In secundo casu intelligitur vera apostasia à religione; qualis non est in eo religioso, qui inconsulto superiore à sua religione recedit, ut aliam etiam laxiorem intret. Vide Quarantam, & quæ nos diximus 2.2.qu.12.art.1. quæsito 2.

In quarto observa quod cum superior concessit suo Religioso usum seu detentionem alicujus rei, Religiosus eam detinens non peccat contra votum paupertatis: si tamen superiori repetenti negaret illam reddere, peccaret mortaliter existente materia notabili, & esset proprietas contra votum pertatis, & casus reservatus qualis hîc exprimitur. Similiterque si aliqua dona acciperet, vel ex conservatorio bonorum caperet vestes, calceos, & similia sine licentia Prælati, & ea detineret ut non dependentia ab ejus voluntate. Si verò detineat tanquam ab illius voluntate dependentia, non est casus reservatus, quamvis graviter peccaret capiendo sine licentia.

Quoad 5. ex ejus verbis colligitur non fore casum reservatum, si Religiosus falsum juret extra judicium, vel in judicio quidem sed non regulari neque legitimo, veluti si examinaretur à non suo Prælato, neque à Nuntio, vel Episcopo, vel alio delegato: Si autem ab aliquo horum examinetur & falsum juret, sive examinetur, ut principalis, sive ut testis, sive falsum asserendo, sive veritatem negando, est casus qui hic ponitur inter eos qui reservari possunt.

Quoad 7. Ad esse falsificationis quæ sit punibilis juxta Sylvestrum, Tabienam & alios, requiruntur hæc tria, mutatio veritatis cum dolo & jactura. Unde in scriptura quæ fidem non facit, non committitur falsificatio punibilis in foro externo: Nihilominus ad esse casum reservatum sufficit quod sit mutatio veritatis cum dolo seu cum animo inferendi damnum, licet illud non sequatur.

Circa 8 observa non quodcumque furtum, etiam mortale & enorme, esse illud quod hîc dicitur à Prælatis Religionum posse reservari; sed furtum mortale de rebus monasterij aut conventus: quale esset furtum sacrarum reliquiarum monasterij, furtum rescriptorum pertinentium ad monasterium seu conventum, furtum item pecuniæ monasterij ad summam quæ facit peccatum mortale, de qua vide quæ diximus 2.2.q.66.ar.7.quæsito 1. & 3.

Circa 9. QUÆRITUR, quid per lapsum carnis voluntarium opere consummatum veniat intelligendum. Utrum sola copula carnalis quæcunque, an verò etiam pollutio mortalis, & tactus impudicus alterius sexûs qui sit causa talis pollutionis.

RESP. non esse intelligendâ solam copulam carnalem: quorsum enim lapsu carnis Religiosi adderetur *voluntarius*, si per eum lapsum tantum intelligeretur copula carnalis; cùm in copulam carnalem Religiosus nunquam labatur nisi voluntariè. *Quid lapsus carnis voluntarius.*

Deinde, lapsus carnis voluntarius est quoddam generale respectu omnium specierum luxuriæ: quare ergo restringeretur ad solam copulam? Hinc Quaranta expresè ait per lapsum carnis comprehendi omnes species peccati carnalis, de quibus B. Thomas 2.2.qu.154. atque adeo peccatum propriæ molliciei seu voluntariæ pollutionis, etiam sine ulla commixtione consummatum.

De tactibus impudicis sive in propria sive in aliena persona, distinguendum videtur. Si causent pollutionem, comprehenduntur sub lapsu carnis: si eam non causent, probabile est quod non comprehendantur, quia solus tactus etiamsi impudicus, absque alio vel mollitici vel fornicationis vel alicujus alterius speciei peccato, non videtur esse lapsus carnis opere consummatus; cum non sit determinata species luxuriæ, sicut mollities.

QUÆRI etiam hîc potest, utrum Prælati Religiosorum, etsi non possint alios casus præter jam dictos, & præter consensum capituli Generalis aut Provincialis reservare; saltem possint aliquibus confessarijs negare facultatem absolvendi ab alijs certis peccatis, modo unum, aut alterum confessarium deputent quibus dent absolvendi facultatem.

RESP.



RESP. ipsos hoc non posse; quia denegare aliquibus confessarijs facultatem absolvendi à certis quibusdam peccatis, præter recensita in decreto Clementis; est reservare alia peccata quam Pontifex permittit. Nec refert quod unum & alterum confessarium constituerent quibus darent facultatem ab eis absolvendi: Quamvis enim Episcopi committant Decanis ruralibus, alijsque quibusdam sacerdotibus facultatem absolvendi ab homicidio, à nefanda libidine, & similibus; illa peccata non idcirco desinunt esse reservata Episcopis: quia Episcopi sibi seu eis quos deputaverint reservant potestatem ab eis solvendi. Simile autem est in proposito. A

An autem peccata reservari possint pro arbitrio superiorum, absque legitima causa, controvertitur. Ut licitè reservent, certum est quod non: ut validè, probabilius quod sic; quia jurisdictio inferiorum pendet à voluntate superioris eam concedentis, vel restringentis. B

## QUÆRITUR III.

## *Quis possit absolvere à casibus reservatis.*

HOC potest *in primis* qui illos reservavit. *Secundò*, superior reservantis. *Tertiò*, quilibet sacerdos in articulo mortis. *Quartò*, is qui habet potestatem delegatam. C

Difficultas autem est quo modo se gerere debeat superior in hoc negotio.

Cajetanus verbo *Confessio*, conditione decima, dicit usum Ecclesiæ habere, ut superior sacramentaliter absolvat, etiamsi non velit audire alia quàm reservata.

Verum hunc esse usum alij concedunt in absolutione à censuris; non autem in absolutione à peccatis; docentque superiorem posse quidem audire sola reservata, & ab illis solis absolvere quantum ad obligationem illi confitendi, sed non posse sacramentalem absolutionem dare, nisi omnia audiat & ab omnibus absolvat. Ita Adrianus qu.4. de confessione, Sylvester verbo *Confessio* 1. quæst. 19. Canus part. 6. Relectionis de pœnitentia. D

Confirmatur, quia ut ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. patet, integritas confessionis est de jure divino: ergo non est in potestate superioris ut dimidietur.

Deinde, quando pœnitens habet plura mortalia, quæ singula potest confiteri, unius tantum confessio non est legitima materia Sacramenti: At qui in proposito, potest confiteri omnia & singula, vel superiori, vel (si ipsi non vacat) delegato: ergo deest hic materia absolutionis Sacramentalis, si pœnitens solum confiteatur peccatum reservatum, tacitis alijs. E

Deinde, si superior audito tantum uno peccato, Sacramentalem absolutionem impenderet; quo modò verè diceret, *Absolvo te a peccatis tuis*, cum talis pœnitens non foret coram Deo absolutus?

SI DICAS, majores esse prælatorum occupationes, quam ut integris confessionibus possint vacare. RESP. non esse tantas, quin vel per se vel per vicarios audire possint aliquorum integras confessiones, aut saltem ad inferiores remittere, postquam peccato reservato audito, medicinam convenientem adhibuerint, & ejus in Sacramento absolvendi potestatem fecerint?

*Ob.*

SI DICAS, videri durum quod pœnitens teneatur, extra confessionem, aperire peccatum suum secretum. RESP. neg. Ass. *Primò*, quia talis confessio est quoddam modo Sacramentalis, eò quod ordinetur ad absolutionem Sacramentalem postea consequendam; unde superior tenetur ad sigillum. *Secundò*, quia qui in articulo mortis, absolvitur ab excommunicatione pontificia, tenetur si evadat, sistere se Romano Pontifici, & consequenter aperire peccatum ob quod in excommunicationem inciderat, etiamsi pontifex non audiat enim sacramentaliter, nec pœnitens habeat opus iteratâ absolutione Sacramentali.

*Resp.*

Porrò, si is qui habet casus reservatos primò adeat inferiorem, qui habet jurisdictionem absolvendi à peccatis, sed non à reservatis; quæstio est, An is possit eum absolvere à non reservatis; remittendo ad superiorem pro reservatis.

*Quæst.*

Posse, si sit aliqua necessitas communicandi vel celebrandi; multorum est sententia; sive quia Sacerdotalis absolutio non auferat culpam, sed supponat eam esse remissam per contritionem; sive quia non sit necessaria jurisdictio super omnia peccata pœnitentis, modò sit super aliqua. Quod ex eo confirmant, quia si confitens inferiori omnia peccata, quorum habet memoriam, ex oblivione omitteret reservata; confessio, & super eam data absolutio valeret, satisque esset pro reservatis absolutionem petere à superiore, absque aliorum peccatorum iterata confessione.

*Resp.*

Verum, etsi hæc sententia possit practicari ab ita opinantibus: verisimilius tamen sentire videntur Richard. dist. 17. & Adrian. qu. 4. de confessione, quod extra periculum mortis & citra consensum superioris; non possit inferior pœnitentem, qui habet casus reservatos, absolvere, ne quidem à non reservatis, nisi prius pro reservatis absolutionem obtinuerit.

*Non potest prius à non reservatis absolvere.*

PRIMÒ, quia unum peccatum mortale non potest remitti sine alio: inferior autem non potest remittere reservatum; ergo nec alia.

SI dicas effectum suspendi, usque dum accedat absolutio à reservatis: contra est, quod Sacramentum valeat ex opere operato, ideoque semper causet gratiam in contrito legitimè confesso. Deinde, si effectus suspenditur, quid prodest ejusmodi absolutio ad communionem? & quomodo verum est quod absolvat à peccatis, si peccata non remittat ei qui non ponit obicem?

*Ob.*

*Resp.*

SECUNDÒ, Sacramentum tunc quando est, operatur in non ponentibus obicem, id quod significat: si autem suspenditur effectus, non operatur quod significat; nam verba significant absolutionem fieri, quæ tamen non fit: ergo non legitimè proferuntur. Neque dici potest quod pœnitens ponat obicem: ponitur enim esse contritus, & integrè confessus.

TERTIÒ, Si dicatur quod absolutio inferioris directè auferat peccata non reservata; indirectè autè reservata: ergo falsum est quod *Quæcumque superior retinet in terra*, sint retenta in cœlo. Retinet enim Superior peccata reservata; quæ tamen non retinentur in cœlo, si per inferiorem remittuntur, quamvis indirectè. Unde falsum erit & illud Concilij Trid. *reservationē etiam coram Deo vim habere.*

QUARTÒ, inferior non est legitimus judex illius qui habet casus reservatos, *debet* enim *illi persuadere ut ad superiores & legitimos judices pro beneficio*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*absolutionis accedat*, ait Synod. Trid. sess. 14. cap. 7. A sententia verò non judicis, non est rata. Unde ibidem dicitur, *quod extra mortis articulum sacerdotes nihil possunt in casibus reservatis.*

*Ob.* Quod autem quidam interpretantur, nihil eos posse directè, indirectè autem posse aliquid: parum ad rem videtur; *Primò*, quia verba absolutionis directè cadunt in totam materiam præsentem, atque adeò in omnia peccata confessa: *Secundò*, quia non rectè diceretur confessarios nihil posse in peccata oblita, quamvis non ita directè absolvant ab illis, sicut à confessis. *Illa enim in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur*, ait Syn. Trid.

*Quæst.* Petes, quid igitur faciet qui non potest absque gravi scandalo prætermittere, quin celebret B
*Resp.* aut communicet? Resp. quod, juxta priorem sententiam, confitebitur integrè sacerdoti cujus habet copiam, ab eodemque obtinebit absolutionem pro non reservatis: juxta posteriorem verò, quam credimus veriorem, id aget quod ageret si foret occultè excommunicatus, nec haberet copiam confessarij valentis eum absolvere: id est, communicabit aut celebrabit sine confessione & absolutione: secundùm ea quæ diximus 3. p. qu. 80. art. 4.

Ad fundamenta prioris sententiæ quod attinet, ejusdem partis quæst. 84. art. 3. docuimus dogma fidei esse, quod sacerdotalis absolutio culpas auferat.

Ad posterius, Necessaria est jurisdictio in omnia quorum occasione impenditur absolutio: eò C quod illorum confessio sit proxima materia Sacramenti: forma autem cadere debeat super totam materiam. Et quia dum peccatum reservatum ex oblivione tacetur, & confessio bona fide fit de reliquis; confessarius habet jurisdictionem in omnia quæ subjiciuntur illi tanquam materia Sacramenti, ideo legitimè absolvit: si verò pœnitens exprimat aliquod reservatum, non legitimè absolvet, sive scienter absolvat sive ignoranter, quia deest illi jurisdictio super materiam præsentem: & ideo talis confessio erit repetenda.

*Cæterum*, si quis legitimè confiteatur habenti potestatem absolvendi à reservatis, sive casibus, sive censuris: obliviscatur autem reservatorum quibus est obnoxius, poterit postea per quemlibet D confessarium ab illis absolvi, eò quod sacerdos præcedens intenderit absolvere quantùm poterat, ac proinde etiam à reservatis, saltem hactenus ut desinant esse reservata. Ita Adrian. dicta qu. 4. Sylvester *Confessio*, 1. qu. 19. Angelus *Confessio* 1. q. 11. Navar. c. 26. nu. 13. & c. 27. n. 261. Covarruvias in cap. *Alma mater* part. 1. § 2. Nugnus Suppl. q. 9. art. 2. dub. 4. Coninck disp. 8. de Ministro pœnit. dub. 12. Henriquez l. 6. cap. 16. num. 5. Emanuel Sa, verbo *Casus reservatus*, Bonacinas disp. 1. de censuris in comm. qu. 3. & alij multi. Quæ sententia vera est sive absolutio fuerit à delegato, sive ab ordinario impensa, qui habuerit (sicut ordinariè E supponitur habere) voluntatem absolvendi in quantum ipse potest, & pœnitens indiget.

Sed quid dicendum, si confitens oblitus fuerit casum reservatum ex oblivione culpabili.

Nugnus Respondet, quod si culpa sit talis ut reddat Sacramentum nullum, certum est peccatum manere reservatum; quia Sacramentum nullum habet effectum.

Si quis autem ipsa peccata reservata confiteatur, sed fictè, ea scilicet confessione, quæ ob defectum doloris vel integritatis sit nulla; reservata esse desinunt; quandoquidem ipse illa detulerit ad legitimum judicem qui de illis cognovit & absolvit. Ita Cajet. verbo *Casus reservati*, Sylvester verbo *Confessio* 1. q. 19. Coninck dicto dub. 12. conc. 3. cum alijs, Sa verbo *Casus reservatus*. Et hæc opinio satis communis est, quando confessio fit extra tempus Jubilæi, vel in Jubilæo, isti confessario qui etiá aliàs poterat absolvere. At si fiat ei qui solum virtute Jubilæi absolvere potest, Possevinus cap. 7. num. 29. (ut & alij quidam) probabiliter negat tolli reservationem; quia Pontifex non concedit fieri absolutionem à reservatis, nisi in ordine ad lucrandas indulgentias, seu verè pœnitentibus qualis non est iste confitens.

Porrò, modus recurrendi ad superiorem est ut confessarius ab eo petat commissionem absolvendi à tali casu, debetque superior esse facilis in concedendo: si tamen recusét, ipse pœnitens illum adeat, eique vel integrè confiteatur, ut Sacramentaliter possit absolvi: vel solum casum reservatum, ut tollatur reservatio, & audiat sententiam superioris.

Ex his patet confessionem debere esse integram, etiam quando pœnitens habet casus reservatos.

### Articulus III.

*Inferior potest superiorem absolvere à pecc.*

Art. 3. docet aliquem posse clavibus uti in suum superiorem, absolvendo & ligando Sacramentaliter: quia dum superior peccat, debet se vicario Dei submittere, illique jurisdictionem tribuere in seipsum.

Neque tamen similiter concedere potest summus Pontifex, ut ab aliquo excommunicetur.

*Primò*, quia excommunicare est fori exterioris, & secundùm prælationes hominum, apud quas superior, etiamsi peccet, non potest esse subjectus inferiori: judicium autem conscientiæ est quoad Deum, apud quem minor est is qui peccat.

*Secundo*, quia excommunicare est principaliter actus jurisdictionis exterioris, quam non habent inferiores erga Pontificem: Sacramentaliter autem absolvere, est principaliter actus ordinis, in quo omnes sacerdotes sunt æquales. Vide hìc ad 3. & qu. 22. art. 4. responsionem ad 3.

## Quæstio XXI.

## *De excommunicatione.*

*Quid censura.*

Solet excommunicatio annumerari pœnis illis quæ translato vocabulo causæ ad effectum, vocantur censuræ. Nam judicis ecclesiastici censura sive judicium, est causa proxima talis pœnæ.

Nomine censuræ ecclesiasticæ comprehenduntur *excommunicatio, suspensio, & interdictum*; ut respondit Innoc. 3. cap. *Quæsivit*, de verborum significatione. Neque solet vel irregularitas, vel alia pœna isto nomine intelligi; ut patet, tum ex cap. *Statutum* tit. de sententia excomm. in 6. & cap. *Absolutionis*, de his quæ vi metusve causa fiunt; tum ex concessionibus Pontificum, qui etiam si generalem concedant facultatem absolvendi à censuris, non intendunt tamen aliquam facultatem tribuere dispensandi super irregularitate: ut novissimè declaravit Paulus 5. in Jubilæis annorũ 1606. & 1617. ac novissimè hoc ann. 1636. Urbanus octavus.

Definiri ergo potest Censura, esse juris ecclesiastici



stici pœna in tempus correctionis aut satisfactionis A
imposita.

Pœna juris Ecclesiastici vocatur, quæ per ecclesiasticum judicem statuta, in jus est redacta. Neque refert quod excommunicatio, sicut & suspensio, alia sit à jure, alia ab homine: ut enim censura dicatur esse pœna juris, non est necesse quod singulæ vel excommunicationes vel suspensiones sint in jure, sed satis est quod singularum genus jure sit expressum & decretum.

Excluditur ergo cessatio à divinis, quia non est aliquid juris, sed facti; neque ut jure decreta ipso facto incurritur, sed imponi permittitur, ut habet Sylvester verbo *Interdictum* 1. qu. 1. Dominicus d. 22. qu. 3. art. 2. Tolet. l. 1. cap. 23. B

*Ob.* Quod autem ex Clementina 1. de sent. excom. dici solet, Cessationem æquiparari interdicto; non est universaliter verum, sed solùm quoad pœnam excommunicationis latam in religiosos, celebrantes ubi vel est interdictum, vel generalis cessatio quæ servatur ab Ecclesia matrice. Cessationis enim violator nunquam ex eo incidit in irregularitatem; in quam tamen incidit violator interdicti, si faciat actum sui ordinis.

Per hoc quod dicitur *pœna*, excluditur peccatum, & irregularitas. Pœnæ autem constitutæ à mulieribus, aut à viris non habentibus jurisdictionem ecclesiasticam, excluduntur per illud (*juris ecclesiastici.*) Depositio autem & degradatio: quia C
de sui ratione non infliguntur ad tempus, sed in perpetuum. Confer 3. p. qu. 82. art. 8. ad 3.

His præmissis sequitur examinandus

### Articulus I.

*Utrùm excommunicatio convenienter definiatur.*

*Definitiones.* Generaliter definiri potest esse Censura ecclesiastica, separans ab aliqua communione Ecclesiæ. Dividitur autem in minorem & majorem.

Minor excommunicatio est censura separans à participatione Sacramentorum passiva: nam pontifex de ligato minore excommunicatione loquens D
dicit, *quo non videatur à collatione, sed à participatione sacramentorum, quæ in sola perceptione consistit, remotus*, tit. de Clerico excommunicato, cap. *Si celebrat*: cum quo conferri debet cap. *Si quem*, tit. de sent. excommunicationis. Vide qu. 23. art. 2.

Hinc sequitur eos falsi qui per quodlibet peccatum mortale incurri putant minorem excommunicationem: status enim peccati mortalis removet hominem, etiam à collatione Sacramentorum.

*Quid excommunicatio major.* Excommunicatio major, (quæ juxta rescriptum Greg. 9. dicto cap. *Si quem*, semper est intelligenda, quando sermo est de excommunicatione, E
sine addito) est censura ecclesiastica separans à participatione Sacramentorum, & communione fidelium. Hanc communionem Author facit duplicem: si autem prius membrum subdividatur, erit triplex.

*Triplex communio.* Est enim una communio merè interna, per gratiam & charitatem, qua fideles inter se & cum Christo uniuntur.

Secunda est, partim interna, partim externa, in orationibus, sacrificijs, Sacramentis, satisfactionibus consistens: Res enim ipsæ sunt externæ, sed fructus earum est internus.

Tertia est omninò externa, consistens in *Sylv. in III. Part.* externis actionibus ad humanam societatem pertinentibus, ut sunt mutua salutatio, communis mensa, & hujusmodi. Primam communionem non tollit excommunicatio, sed supponit ablatam; tollit autem secundam & tertiam. Et per hoc excluditur suspensio & interdictum. Nam suspensio solùm privat ministerio sacro, vel beneficio seu beneficij usu, & concernit solam personam ecclesiasticam; à perceptione Sacramentorum & convictu fidelium non excludit. Interdictum verò solum privat divinis officijs, eorumque exercitio.

Ex his patet, veteres Patres meritò dicere, per excommunicationem separari hominem à corpore Ecclesiæ, abstineri, fieri anathema, sive separatum tanquam aliquod maledictum, quod nefas sit contingere.

### Articulus II.

*Utrum Ecclesia debeat aliquem excommunicare.*

Videtur quod non. Primò, quia potestas Ecclesiæ data est in ædificationem, & non in destructionem: privare autem fideles bonis spiritualibus, non est eorum ædificatio, sed destructio.

Secundò, Aug. serm. 16. de verbis Domini, Theophilactus, in cap. 18. Matth. Origenes tract. 6. in Matth. verba ista Domini, *Quæcumque alligaveritis* &c. referunt ad quemlibet, qui per correptionem lucratur fratrem; & quodammodo solvit eum, si liberat à peccato: vel ligat, & sicut publicanum habet; si non emendatur.

Tertiò, Chrys. hom. de anathemate tom. 5. constanter affirmat in nullos, quantumvis malos, proferendum esse anathema.

*Resp. est affirm.* Responsio ad fidem pertinens, est, esse in Ecclesia potestatem excommunicandi; atque adeò Ecclesiam debere aliquem excommunicare.

Probatur Primò, quia judicium Ecclesiæ debet esse conforme divino: per divinum autem judicium peccatores puniuntur, ac etiam ope divina destituuntur.

Secundò, Christus Matth. 18. cum qui Ecclesiam non audierit, vult habendum esse sicut ethnicum & publicanum; cum quibus conversari nefas erat apud Judæos. Et conversus ad Apostolos, ipsis, eorumque successoribus dicit se ratam habiturum illam ejectionem, qua contumaces & Ecclesiæ rebelles de ipsius Ecclesiæ gremio & communione ejicient. *Amen* (inquit) *dico vobis quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* &c. Unde in illis verbis Christi fundatam esse potestatem excommunicandi, intellexerunt Hier. epist. 1. cap. 7. & in cap. 18 Matth. Aug. lib. contra adversarium legis cap. 17. & tract. 50. in Joannem, Cypr. epist. 55. & 62.

Tertiò, hac potestate usus est Paulus in incestuosum, 1. ad Cor. 5. & in Hymenæum, & Alexandrum, 1. ad Tim. 1. ejusdemque meminit prioris epist. ad Cor. c. 4. dicens: *In virga veniam ad vos?* & Posterioris c. ult. *Si venero iterum, non parcam.*

Quartò, Sicut Ecclesiæ tradita est potestas admittendi credentes in Ecclesiam: sic oportuit eidem concedi, ut semel receptos, sed rebelles, posset ejicere. In omni enim Republ. debet esse potestas coërcendi rebelles.

Huc pertinet condemnatio articulorũ 11. 12. 13. 30. Joannis Wiclef facta in Conc. Constant. & doctrina Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de reformatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Hujus pœnæ figura quædam fuit, tum extra A synagogam electio, tum interfectio. *Id enim est nunc in Ecclesia excommunicatio*, ait Aug. q. 39. in Deut. *quod in lege erat interfectio.*

Quæritur autem, quando Apostoli acceperint potestatem excommunicandi. Verba quæ Matth. 18. referuntur, illius potestatis prædictionem & promissionem continent, ut verisimilius est. Videtur autem promissio impleta & potestas tum excommunicandi, tum ab excommunicatione absolvendi collata, quando post resurrectionem Dominus Apostolis dixit, Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Dedit enim illis tunc jurisdictionem fori non solum interni, sed etiam externi.

*Quis finis excommunicationis.*

Finis autem excommunicationis, unus est honor Dei, ne scilicet nomen ejus blasphemetur apud eos qui foris sunt, si videant enormia fideliũ scelera manifestè grassari, & non puniri. B

Secundus est disciplina ecclesiastica, per quam, servata justitia, cæteri à malo deterrentur.

Tertius est custodia & salus aliorum qui possent contagione ovis morbidæ infici, 1. ad Cor. 5. *nescitè quia modicum fermentum totam massam corrumpit?*

Quartus, est salus ejus qui excommunicatur; ut scilicet pudore & incommodis quæ per excommunicationem accipit, commotus, ad cor redeat. *ut spiritus salvus sit*; ait Apostolus dicto cap. 5. C

Hac ratione excommunicatio interdum dicitur medicinalis, ut ab Innoc. 4. in Concil. Lugdun. tit. 1. & de sententia excommunicationis, in 6. non quia spiritualium bonorum subtractio per se cedat in salutem; sed quia intentio Ecclesiæ non tantum spectat pœnam, sed etiam salutem excommunicati; quæ per accidens potest inde accidere, secundùm quod declarat Author in corpore, & in solutione 1. ac 3. Quia verò fines isti deficiunt, si passim & ex levibus causis feratur excommunicatio: magna prudentia & circumspectione opus est in ea ferenda, ut monuit Conc. Trid. sess. 25. c. 3. reform. Ex his patet Responsio ad 1.

Ad 2. verò Resp. eam expositionem non esse D propriam, sed accommodatitiam, literalis est, quam in probatione secunda diximus ex Aug. & alijs.

Ad 3. Chrysost. loquitur contra illos qui non ex charitate, neque ex spiritu mansuetudinis, sed ex odio & crudelitate homines ab Ecclesia ejiciunt; exclusa omni spe redeundi: & per *anathema*, totalem à Christo separationem intelligit, non eam quæ sit per excommunicationem. Hujus enim ferendæ potestatem agnoscit illo ipso sermone; ac præterea in cap. 5. prioris ad Corinth. & hom. 70. ad populum Antiochenum: imò ipsemet ea fuit usus, teste Socrate l. 6. cap. 4.

## Articulus III.

*Pro damno temporali ferri potest excomm.*

Art. 3. docet excommunicari posse aliquem pro temporali damno, si in ejus illatione mortaliter peccet, & sit contumax. Addit autem Synod. Trid. Episcopo vel cuicunque judici ecclesiastico abstinendum à censuris, sive in civilibus, sive in criminalibus causis; quando executio realis vel personalis potest ab eis fieri & hoc ideo, ne vilescant censuræ ecclesiasticæ.

Ex hujus articuli doctrina regulæ sequentes debent observari.

Prima. Nemo potest excommunicari nisi ob peccatum mortale: Alioquin excommunicans non solum peccat, sed etiam nihil agit. Neminem enim debet vel potest Ecclesia separare à suo corpore, quem Christus à suo non excludit. Sed & medicus reputaretur crudelis, qui membrum sanum, etsi levi defectu laborans; amputaret à corpore. Nec obstat quod ob levem clerici percussionem incurratur excommunicatio: nam percussio levis ob quam incurritur excommunicatio, est peccatũ mortale, sed vocatur levis per respectum ad enormem, ut patet ex cap. *pervenit* titul. de sententia excomm. *Ob.* *Resp.*

Secunda. Ad excommunicationem ferendam non sufficit peccatum mortale, nisi habeat conjunctam contumaciam: Quia Christus non aliter dedit potestatem excommunicandi, nisi cùm is qui peccavit, Ecclesiam audire noluerit, *Si Ecclesiã non audierit*, inquit, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, Matth. 18.

*Quando sit contumacia.*

Tertia. Contumacia est, quando quis tertiò citatus à legitimo judice, non comparet; vel ante terminationem judicij recedit sine licentia, seu non amplius in judicio comparet; vel non obedit sententiæ. Tunc enim, postquam monitus fuerit, si obedire contempserit; contumax reputatur, ait Author. Hinc est quod multa juris decreta præquirunt monitionem, eamque trinam, vel unam pro omnibus, cùm aliquorum dierum competentibus intervallis, nisi facti necessitas aliter suaserit; capitulo *Constitutionem* in 6. de sententia excommunicationis.

Notandum autem quod duplicis generis sit excommunicatio; una à jure, altera ab homine. Quamvis enim omnis excommunicatio sit humanæ constitutionis, & eatenus ab homine; nullaque sit jure divino lata: in modo tamen ferendi est diversitas. Aut enim fertur, condendo legem, cujus transgressores ipso facto incidant in excommunicationem: Aut fertur per sententiam judicis. Illa vocatur à jure seu canone; hæc ab homine; illa semper est generalis; hæc plerumque specialis: Illa non evanescit morte legislatoris, nisi statutum vel saltem pœna illi apposita, legitimè revocetur aut aboleatur: hæc morte judicis evanescit quantum ad eos qui tunc eam non incurrerant: Ante illam, non est opus ulla monitione speciali, eò quod admonitio juris sit solemnis, facilèque suppleat monitionem trinam, & consequenter nec alia contumacia prærequiritur, quam quæ sit ipsa legis transgressione: Ante hanc verò, necessaria est specialis monitio: quæ si nulla omnino præcedat, probabile est excommunicationem fore irritam; quia non tenet excommunicatio lata in eum qui non est inobediens Ecclesiæ: non est autem illi inobediens, si non fuerit ab ea monitus, saltem semel. Ita sentiunt Domin. dist. 22. q. 1. art. 2. Victoria nu. 6. de excommunicatione, Toletus l. 1. c. 8. E

*Differunt excommunicatio à jure & ab homine.*

Si pro Navarri & aliorum opinione dicas Pontificem cap. *Sacro* tit. de sent. excomm. vocare excommunicationem illam justam, quæ lata est non præmissa competenti admonitione. *Ob.*

Resp. vel justam vocari, quia justè poterat infligi; vel justam, id est, validam, quia præcesserat aliqua monitio, quamvis non competens, eò quod non trina nec una pro tribus. *Resp.*

Arti-



## Articulus IV.

*Utrùm excommunicatio injustè lata habeat aliquem effectum.*

Sicut excommunicatio justa est quæ ob causam justam fertur, à legitimo judice, servatis debito fine & ordine: ita illa dicitur injusta, cui deest aliqua istarum conditionum. Justæ effectus varij sunt.

*Effectus excommunicationis justæ.*

Primus, quod privet participatione Sacramentorum activa & passiva. Ut enim loquitur B. Tho. qu. 20. art. 2. ad 2. Absolutio ab excommunicatione *debet præcedere absolutionem à peccato: quia quamdiu aliquis est excommunicatus, non potest recipere aliquod Ecclesiæ Sacramentum.* B

Secundus, quod privet suffragijs & orationibus communibus, quæ fiunt pro membris Ecclesiæ.

Tertius, quod privet usu divinorum officiorum, Missæ, & horarum canonicarum: quamvis enim excommunicatus possit interesse concioni, quæ, ut cap. *Responso*, tit. de sent. excomm. patet, non comprehenditur sub divino officio: quamvis item possit ac debeat horas recitare, si sit beneficiarius, vel in sacris constitutus; non potest tamen recitare cum alijs, nec interesse officijs quæ publicè fiunt.

Quartus effectus est, quod privet ecclesiastica sepultura. C

Quintus, quod separet à cœtu fidelium; ut propterea, & osculum, & omne cum excommunicato colloquium, sive personaliter, sive per litteras: sive per verba, sive per nutus; sint illicita: sicut & salutatio honorifica, communis refectio, & quæ ad externam communionem faciunt: juxta versiculum.

*Os, orare, vale; communio, mensa, negatur.*

Sextus, quod privet usu jurisdictionis, ita ut excommunicato non liceat ea uti; quamvis si de facto utatur; actus ejus validi sint; quamdiu non est nominatim publicè denunciatus, vel notorius clerici percussor; juxta extravag. *Ad evitanda.* Qualiter excommunicatio etiam privet electione activa & passiva, rescriptis à pontifice obtentis, authoritate testificandi, & similibus, videri potest in Navarro cap. 27. nu. 17. & seq. D

Circa primum effectum quædam sunt observanda. Primum, quod excommunicatus recipiens aliquod Sacramentum, mortaliter peccet, etiamsi sit occultus: quia constitutio *Ad evitanda*, in nullo revelat aut juvat excommunicatum: sed solùm consulit timoratis conscientijs eorum qui participando cum excommunicatis, olim incurrebant minorem excommunicationem.

Secundùm Sacramenta per excommunicatum recepta sunt valida, eò quod nihil desit essentialium. E

Difficultas tamen est de Sacramento pœnitentiæ; sed probabile est quod & illud tunc sit validũ, quando pœnitens vel invincibiliter ignorat suam excommunicationem; vel eam sciens, putat justo quodam juris vel facti errore, attenta ejus qualitate, se posse absolvi à peccatis, antequam absolvatur ab excommunicatione. Ita Covarruvias, cum Cajet. & Navarrus in cap. *Alma mater* part. 1. §. 6. Victoria q. 3. de excomm. & Vivaldus: quia licet jura excludant excommunicatos à perceptione sacramentorum, non habent tamen verba irritantia, sed solùm prohibentia. Deinde, tali casu pœnitens A non ponit obicem, & adsunt materia, forma, & minister cum intentione. Neque dici potest deesse jurisdictionem: quia parochus non amittit potestatem quam in illum habebat. *Ob.*

Caterum, si excommunicatus accederet scienter ad confessionem, & intelligeret, vel intelligere deberet se malè facere; confessio hujus foret invalida, sive hoc ipsum confiteretur, sive non: quia etsi confiteretur, non esset contritus, sed in peccato secundùm affectum. *Resp.*

Quod autem dicimus de pœnitente suam excommunicationem invincibiliter ignorante; Suarez tom. 4. disp. 22. sect. 7. generaliter dicit de illo qui bona fide est confessus. Loquens enim de pœnitente qui erat excommunicatus, & prius à peccatis quàm à censura absolutus fuit, ita habet; Si pœnitens bona fide absolutus est à sacerdote jurisdictionem habente circa peccata, juxta veriorem doctrinam, valida est absolutio, & nulla est ratio obligationis iterum confitendi aliquod ex illis peccatis, sed tantùm procurandi absolutionem à censura, quia sola censura suscipientis non irritat Sacramentum per se loquendo.

Tertium, Excommunicatus ministrans aliquod Sacramentum, citra necessitatem cum excusante, peccat mortaliter; & si sit nominatim denuntiatus publicè, vel notorius clerici percussor, irrita est absolutio per eum data. C

Quartum, in irregularitatem incidit, quando exercet actum ordinis, sive publicè sive privatim, si sciebat se esse excommunicatum. Si autem probabiliter seu inculpabiliter ignorabat suam excommunicationem, neque peccat, neque irregularitatem incurrit, sive celebret, sive alium ordinis actum exerceat, quemadmodum declaravit Greg. 9. cap. *Apostolicæ* l. 5. decret. tit. 27. & postea Covarruvias ad cap. *Alma mater*, p. 1. §. 6. num. 9. Navarr. c. 27. nu. 244. Vivaldus & alij. Quinimò, si in conscientia alicui constet quod solum ex naturali oblivione aut inconsideratione, cum excommunicatione celebraverit, potest esse in conscientia securus quod non incurrerit irregularitatem. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 3. Et generaliter, quando ignorantia excusat à mortali, etiam excusat ab irregularitate, quæ alioquin exercendo actum ordinis incurreretur. D

Ratione secundi effectus (qui similiter ut primus, habet locum in excommunicatis, etiam occultis) excommunicati dicuntur esse traditi Sathanæ. In eos enim spiritualibus beneficijs, quæ per communia suffragia possent obtinere, privatos, majorem potestatem habet dæmon: nam sibi relinquuntur, infidelium societati junguntur, & à speciali protectione, qua filij ecclesiæ custodiuntur, sunt exclusi. Qualiter nihilominus liceat orare pro illis, 3. p. qu. 83. art. 1. in tract. de sacrificio q. 9. ostendimus.

Circa tertium, quartum, & quintum effectum, sciendum est quod excommunicatus occultus tenetur abstinere à communione fidelium, sive in divinis officijs sive in alijs: fideles tamen non tenentur eum vitare, vel sepultura privare; nisi sit de numero vitandorum, juxta superius memoratam extravag. *Ad evitanda.*

Ex his manifestum relinquitur excommunicationẽ esse *pœnam spiritualem*, ut loquuntur Cyprianus epistola 62. & Aug. epist. 75. non autem externam & civilem dumtaxat; ut volebat Lutherus à Leone 10. condemnatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De excommunicatione injusta.*

Quæ cum ita sint; videndum nunc est an excommunicatio injusta habeat eosdem effectus. Dupliciter autem contingit esse injustam.

*Primò*, ex parte excommunicantis, qui ex odio aut prava aliqua intentione, sententiam profert. Et hæc, quamvis sit injusta eo modo quo omne peccatum vocatur iniquitas & injustitia, est tamen valida, & habet omnes suos effectus: quia nihil deest essentiale.

*Secundò*, potest esse injusta ex parte ipsius excommunicationis, vel quia sit causa indebita, vel quia fuerit prætermissus ordo juris.

Hic ordo est duplex: accidentalis, & substantialis. Si accidentalis defuerit; ut si præcesserit quidem aliqua monitio, sed non trina nec una pro tribus cum legitimis intervallis: aut si sententia non fuerit lata in scripto, excommunicans peccat, excommunicatio tamen est valida.

Si autem defuerit ordo substantialis: ut si excommunicans careat jurisdictione: si sit nominatim denuntiatus excommunicatus, suspensus, vel interdictus: si notorius percussor clerici: si causa non sit legitimè probata: si nulla monitio præcesserit: si sententia feratur contra tenorem privilegiorum, aut post legitimam appellationem, excommunicatio est invalida, nullumque sortitur effectum.

Si verò defuerit causa excommunicationis: tunc vel excommunicatio fertur sub titulo causæ sufficientis quæ nec est in re, nec probatur in judicio: & est manifestè invalida, sicut si ferretur sine titulo, & ex peccato veniali: vel fertur propter causam falsam, sed in judicio sufficienter probatam: & de hac est controversia.

*Quæst.* VIDETUR enim esse valida. PRIMÒ, quia judex justè judicat, procedens secundùm allegata & probata.

SECUNDÒ, quia secundùm B. Gregorium hom. 26. in Evangelia, *Sententia pastoris sive justa sive injusta timenda est*: non esset autem timenda, nisi aliquid noceret.

TERTIÒ, B. Tho. hìc in fine corp. dicit quod si excommunicatus pro falso crimine, in judicio probato, *humiliter* eam *sustinet: humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.*

*Resp.* RESP. verius esse, quod talis excommunicatio injusta sit invalida, ideoque nec privet suffragijs communibus, nec participatione Sacramentorum, nec alios effectus habeat; nisi quod propter scandalum, debeat se talis ut excommunicatum gerere apud alios, donec constet de nullitate sententiæ. Ita sentiunt Major in 4. dist. 18. q. 2. Adrian. quodlib. 6. art. 1. Cajet. 2. 2. qu. 70. ar. 4. Dominicus dist. 22. qu. 1. ar. 3. Et confirmatur.

PRIMÒ, quia hujusmodi est coram Deo innocens: Ecclesia verò non habet potestatem separandi à suo corpore, nisi nocentes & rebelles, Matth. 18.

SECUNDÒ, Quando excommunicatio fertur per legem, is qui non est eam transgressus, etiamsi putetur esse transgressus, non est excommunicatus: ergo idem est dicendum de excommunicatione per hominem lata, procedente ex probatione falsa.

TERTIÒ, efficacia sententiæ non operatur ultra intentionem ferentis: non est autem intentio Ecclesiæ ligare innocentem; cùm hoc repugnet æquitati.

QUARTÒ, Huc pertinet illud Gelasij 11. qu. 3. cap. *Cui est, si injusta est sententia, tantò eam curare non debet, quantò apud Deum & Ecclesiam ejus, neminem potest iniqua gravare sententia.*

AD 1. autem argum. RESP. sententiam ex parte judicis justam, in rei veritate esse injustam, propter innocentiam judicati.

AD 2. Sermo Gregor. verificatur in illa sententia, de cujus iniquitate non constat: In dubijs enim obediendum est superiori. Sed etsi constaret de injustitia sententiæ, in foro tamen externo timenda est, quia contemni non debet; *ne* (sicut subjungit Gregor.) *ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.*

AD 3. Damnum quod B. Thom. agnoscit, non est privatio gratiæ vel suffragiorum communium; sed externorum auxiliorum per quæ posset in vita spirituali promoveri: ut communio cum fidelibus, auditio divinorum officiorum, Sacramentorum participatio. Ab his enim debet coram alijs abstinere, alioquin peccaturus, quamvis nullam irregularitatem incurreret.

Alia difficultas est,

### *An ab excommunicatione justa nullus per ignorantiam excusetur.*

RESP. ignorantiam tam juris quàm facti excusare ab excommunicatione, si sit vel invincibilis, id est, quam quis non potest vincere, vel alio modo inculpata; ut si non tenebatur scire.

De ignorantia juris seu præcepti, probat capitulum 2. de constitutionibus in 6. ubi Bonifacius 8. declarat sententijs *per statuta quorumcunq; Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, si eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.* Et confirmatur; tum quia talis ignorantia, cum causet involuntarium, excusat à culpa; tum quia sic ignorans non potest censeri monitus. *Resp. excusare.*

De ignorantia facti probat capitulum, *Si verò*, de sententia excomm. ubi Alexander 3. percussorem ejus quem ignorabat esse clericum, affirmat non esse excommunicatum.

Ex his consequenter est dicendum, quod qui invincibiliter ignorat præceptum ecclesiasticum, sub pœna excommunicationis esse latum, eam non incurrat, quantumcunque noverit actum quem facit esse prohibitum jure naturali vel positivo. Unde, si quis percuteret clericum, ignorans invincibiliter hoc esse ab Ecclesia vetitum sub excommunicatione, non esset excommuni atus: quamvis enim peccaret contra jus divinum, non peccaret tamen contra mandatum Ecclesiæ: nam qui canonem ignorat, ejus conditorem non offendit; atque adeò non potest censeri contumax, cùm non fuerit monitus vel per legem quæ ad ejus notitiam non pervenerit, vel per judicem. Videri potest Dominicus d. 22. q. 1. art. 2.

Cæterum, si quis non ignoret præceptum merè ecclesiasticum, sed solam excommunicationem: ut si Episcopus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, præceperit audire Missam die Patroni, & aliquis intellexerit præceptum, excommunicationem verò ei annexam ignoret invincibiliter: An ejusmodi ignorantia excuset à censura, variè disputatur.

*Quæst.* Non excusare vult probare Covarruvias in c. *Alma mater*, parte 1. §. 10. numer. 9. ex eo quòd ad incurrendam pœnam non est necessaria pœnæ scientia: nam adulteri, fures, & alij, plectuntur pœnis à lege statutis, sive illas sciverint, sive non. Et pontifex in capitulo, *Cum illorum*, de sent. excomm. non excusat eos à pœna juris, qui pœnam ignoraverant.



*Resp.* RESPONSIO affirmativa verior est, eò quod excommunicationem præcedere debeat monitio, non qualiscunque, sed sub comminatione talis pœnæ: Alioquin pro qualibet mortali transgressione legis, posset quis statim excommunicari; semper enim lex continet monitionem, ne fiat id quod per eam vetatur; sed quia non continet monitionem sub tali vel tali censura, ideo non licet eam censuram ferre, nisi præcedat legis aut judicis monitio, sub comminatione illius pœnæ.

Deinde, excommunicatio est inter hujus sæculi pœnas gravissima; consentaneum ergo est, ut non nisi à sciente incurratur, vel ab eo qui sciri potuit ac debuit.

Huc pertinet capitulum, *Ut animarum*, De constitutionibus in 6. ubi pontifex ad animarum periculis obviandum, sententijs, per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari non vult ignorantes invincibiliter. Pertinet enim hoc non solum ad ignorantes statuta, sed etiam ad ignorantes censuras & sententias. Et quamvis Summus Pontifex videri possit locutus de Ordinarijs à se diversis; cum tamen & ipse sit Ordinarius per totam Ecclesiam; & declarationem illam fecerit, ut obvietur periculis animarum, non esset autem illis obviatum, si sententiæ Pontificiæ magis ligarent ignorantes, quam aliorum sententiæ; Ideo ignorantiam excommunicationis credimus excusare, sive illa sit per Pontificem lata, sive per inferiores. Unde qui sic ignorant casus Bullæ, quamvis peccent in perpetratione actus, si sciunt illum esse prohibitum, non tamen incidunt in excommunicationem. Ita post Panormitanum, Antoninum, Innocentium, Toletus lib. 1. cap. 7. Navarrus cap. 23. nu. 47. cap. 27. num. 16. & 274. Josephus Angles qu. 4. de excommun. Sylvester verbo *excommunicatio* ult. qu. 3. & verbo, *Ignorantia* qu. 8. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 4. sect. 9.

AD ARG. verò RESP. doctrinam hanc non in eo fundari quod pœna nunquam incurratur sine illius notitia, sed in eo, quod excommunicatio non incurratur absque prævia monitione juris aut hominis, nec absque inobedientia. Idemque videtur de alijs censuris.

Ad confirmationem, respondet Dominicus Pontificem loqui de ignorantia vincibili. Indiscriminatim enim loquitur de ignorantia juris & facti, & tamen nemo dubitat quin ignorantia facti excuset, quando est invincibilis. Deinde, capitulum illud solum loquitur, de ignorantia irregularitatis: illa verò potest aliquando incurri, sine contumacia & monitione.

*Quæst.* An tamen ea irregularitas quæ est ob peccatum, incurratur ab ignorante illam, dubitatur. Navarrus negat, nec improbabiliter, quantum ad forum conscientiæ: In foro autem externo, non facilè admittetur talis excusatio. Atque hæc de ignorantia invincibili. Nam vincibilis, crassa, vel supina sicut non excusat à mortali; ita nec à censura. Nec obstat quod videatur deesse contumacia: quamvis enim talis non tam expresè sit contumax, quam qui nulla laborat ignorantia, sufficientem tamen habet contumaciam, dum sua negligentia prætermittit scire legem aut censuram. Sed hæc intelligenda sunt de legibus absolutè aliquid præcipientibus sub excommunicatione: si enim particulam adderent, quæ requirat scientiam, vincibilis ignorantia excusaret: quia leges non operantur ultra intentionem legislatoris. Tales sunt quando dicitur, *Qui præsumpserit*; *Qui scienter fecerit*.

*Resp.* *Ob.* *Resp.*

## QUÆSTIO XXII.

## *De his qui possunt excommunicare, & excommunicari.*

### ARTICULUS I.

*Non quilibet sacerdos potest excommunicare.*

ART. 1. docet non quemlibet sacerdotem posse excommunicare: quia excõmunicatio est actus jurisdictionis fori externi, quam non habent omnes sacerdotes. Quamvis enim in ordinatione accipiant clavem ordinis; clavem tamen jurisdictionis in foro judiciali non accipiunt, sed hæc est propria judicibus fori exterioris. Unde licet parochi habeant clavem jurisdictionis in foro interno, non possunt tamen excommunicare, nisi hoc ab aliquo Prælato eis committatur.

*Ob.* Nec obstat cap. *Cum ab ecclesiarum*, tit de officio Judicis ordinarij, ubi significatur quod Plebanus S. Pancratij potuerit jure suo & non ex commissione, suos parochianos excommunicare; ad quod *Resp.* respexit B. Thomas hìc dicens *quod presbyteri parochiales non possint excommunicare, nisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, sicut in furto & rapina, & ejusmodi, in quibus est eis a jure concessũ quod excommunicare possint.* Nam hoc in desuetudinem abijt: Ac proinde, ut aliquando habuerint in certis casibus hanc potestatem; contraria consuetudine amiserunt. *In talibus enim consuetudo dat vel aufert potestatem*, ait Author qu. 20. art. 2.

### ARTICULUS II.

*Non sacerdos potest aliquando excommunicare.*

ART. 2. probat etiam non sacerdotes posse excommunicare: quia possunt habere jurisdictionem fori externi.

SI DICAS, Concilium Tridentinum sessionis decimæ quartæ, cap. 6. damnare ut falsas & à veritate Evangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos & sacerdotes clavium ministerium, de quo Matth. 18. & Joan. 20. perniciosè extendunt.

*Resp.* In primis RESP. Concilium eos damnare, qui verba evangelica ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè extendunt.

Deinde, per ministerium clavium, intelligit eam potestatem, quæ per antonomasiam significari solet nomine *clavium*, id est, potestatem sacramentaliter remittendi & retinendi peccata: quod ministerium ad solos Episcopos & sacerdotes pertinet.

Ex his intelligi potest quod potestatem excommunicandi habent jure communi sive ordinario, id est, ex vi dignitatis & officij, juxta legem ordinariam ab Ecclesia statutam, non solum Pontifex & universale Concilium; sed etiam legati sedes Apostolicæ, Episcopi, religionum Prælati, sive Generales, sive Provinciales & omnes qui habent jurisdictionem exteriorem, sive sint sacerdotes, sive non.

Eandem habent Concilium Provinciale, & diœcesanum, Capitulum sede vacante, & Vicarius

Universidad de Deusto
Biblioteca



Episcopi. Illi autem quibus ab aliquo Ordinario tum fuerit commissa, habent delegatam. A

Sciendum verò quod is cui talis potestas committitur, debet esse clericus, nisi Pontifex de suæ potestatis plenitudine committere vellet non clerico, videri possunt Sylvester verbo *Excommunicatio* 1. notabili 2. Navarrus c. 27. num. 5. Toletus lib. 1. c. 6. Dominicus distinct. 22. quæst. 2. art. 1. & capitulum, *Cum Ecclesijs* tit. de majoritate & obed.

*Ob.* His non obstat quod Prælati Summo Pontifice inferiores non habeant potestatem in totam Ecclesiam. Quod enim excommunicatus privetur suffragijs communibus, & communione totius Ecclesiæ; non immediatè proveniat à potestate excommunicatoris, sed ex naturâ ipsius excommunicationis. B

*Resp.* Porrò, cum ad excommunicandum requiratur tribunal, in quo possit reus audiri, moneri, & secundùm allegata judicari: tale autem tribunal non habeat Episcopus, nisi in sua diœcesi: Idcò extra illam existens non potest ullum excommunicare, nisi consentiente Episcopo loci. Existens autem in sua, potest subditum in aliena existentem excommunicare; non ob peccata quæ alibi committit, sed ob ea quæ commisit in propria.

### Articulus III.

*Excommunicatus non potest excommunicare.* Art. 3. docet excommunicatum, vel à jurisdictione suspensum, non posse validè excommunicare: quia privatur per Ecclesiam, usu jurisdictionis: & consequenter nec potest delegare judicem qui excommunicet, eò quod hujusmodi delegatio, sit etiam actus jurisdictionis. Dixi, *suspensum à jurisdictione*: quia suspensus ab ordine tantum, validè potest exercere illa quæ sunt jurisdictionis: cum non inhibeantur ei nisi actus ordinis. C

Hæc doctrina intelligi debet de excommunicatis & suspensis, ab Ecclesia non toleratis; juxta constitutionem *Ad evitanda*. Qui enim adhuc tolerantur; validè excommunicant; sicut & validi sunt alij actus jurisdictionis per eos exerciti. Non intendit enim Ecclesia privare usu jurisdictionis eos quos (etsi coram Deo præcisos) tolerat, cohærentes adhuc sibi secundùm exteriorem formam. D

Eadem ratione potest Prælatus quantumcunque sit irregularis, excommunicare: quia irregularitas, ordinis usum & susceptionem impedit, non jurisdictionem. Richardus dist. 18.

### Articulus IV.

*Nemo potest excommunicare seipsum.* Art. 4. probat quod nemo possit excommunicare seipsum, vel æqualem, vel superiorem: quia jurisdictio non est nisi in subditum. Unde si Episcopus excommunicet omnes clericos, sequenti post ebrietatem die celebrantes; quamvis ipse sic celebraret, non esset tamen excommunicatus: si verò communicaret cum tali excommunicato post denuntiationem, incideret in excommunicationem minorem, à canone, non autem ab ipso Episcopo latam. E

*Ob.* Si dicas, inferiorem excommunicare posse superiorem, si hoc illi committeretur. Resp. quod hoc non faceret potestate ordinaria, sed delegata.

*Resp.* Quamvis autem nemo seipsum excommunicare possit, neque ordinaria, neque delegata potestate; propterea quod sententia judicij coactivi postulet diversitatem personarum: superiorem tamen ordinaria tantum potestate non potest excommunicare inferior; delegata potest.

De responsione ad 3. diximus ar. 4. qu. 8. quæsito 1. in fine, & art. 3. qu. 20.

Quia duobus articulis sequentibus, posteriorem hujus quæstionis partem Author examinat; scilicet de excommunicandis; ideo videtur explicandum,

### *Qui possint excommunicari.*

Tales sunt soli homines, viatores, adulti, baptizati, superiorem habentes.

Dico, *homines*: Cùm enim Ecclesia militans, cujus est potestas excommunicandi, constet ex solis hominibus; sequitur quod in eos solos potestate hac uti possit. *Viatores* (adhuc scilicet in vitâ mortali agentes,) quia excommunicatio solum ferri potest in viventes, ut mox patebit. *Adulti* (rationis scilicet usu prædití) quia qui eo carent, non possunt esse contumaces & inobedientes. *Baptizati*; quia excommunicatio ferri non potest in eum, qui nondum ascriptus est Ecclesiæ. *Quid enim mihi de ijs qui foris sunt judicare*, 1. Cor. 5. *Superiorem habentes*; quia ad excommunicationem ferendam necessaria est jurisdictio, quæ non est nisi superioris in inferiorem. C

Ex his sequitur quod excommunicari non possunt Angeli, animæ, bestiæ, mortui, amentes, parvuli, catechumeni, Gentiles, Judæi, nec Summus Pontifex, cùm non habeat in terris superiorem.

*Quæst.* Peculiaris tamen est difficultas de mortuis. Quod enim possint excommunicari, probatur Primò, quia possunt absolvi ab excommunicatione, juxta capitulum *A nobis*; & cap. *Sacris*, tit. de sent. excommunicationis.

Secundò, Ecclesia solet anathematizare hæreticos post mortem, licet de causa fidei non sint in vita accusati: ut habetur capitulo *Sane*, 24. qu. 2. & apud Beatum Thomam in 16. caput Matthæi. Sed & Cyprianus epist. 66. excommunicavit, quendam, ob crimen post ejus mortem cognitum. Et B. Gregorius lib. 2. dialogorum c. 23. refert quasdam sanctimoniales vitas post mortem exire de Ecclesia, cum diaconus clamaret ut non communicantes exirent. Ipse etiam quendam religiosum sepultura Ecclesiastica privavit; qui est unus effectus excommunicationis, propter aureos apud eum inventos. D

Tertiò, mandans occidi clericum, si mandato non revocato moriatur ante illius occisionem, excommunicatur tunc quando fit occisio.

*Resp. Mortui non possunt excommunicari.* Tenendum nihilominus est, quod mortui non possunt excommunicari. Primò, quia neque subsunt jurisdictioni Prælatorum Ecclesiæ, neque in eis locum habere potest resipiscentia, quæ est unus finium excommunicationis.

Secundò, quia neque possunt excommunicari beati Deum videntes; neque animæ existentes in purgatorio; neque animæ damnatæ: ergo nulli mortui.

De primis clarum est, quia nullum habent, nec habere possunt peccatum.

De secundis probatur, quia cum sint in gratia, nullum habent peccatum mortale; peccatum autem veniale non potest puniri excommunicatione.

De tertijs etiam probatur, quia damnati, ut & omnes alij mortui, sunt extra jurisdictionem & consortium hominum. Sed neque corpus exanime potest excommunicari; quia non est capax censuræ, uti nec usus rationis. A

Ad 1. ergo Arg. Resp. beneficium absolutionis quod mortuis impendi dicitur, non aliud esse quàm vel declarationem quod illi sint participes communionis sanctorum ideóque non ligati censurâ; vel concessionem, ut suffragia Ecclesiæ possint pro illis fieri, tollendo præceptum quo illa prohibebantur.

Ad 2. Illa anathematizatio partim est declaratio excommunicationis quam viventes incurrerant, (hæretici enim sunt ipso facto excommunicati;) partim est exec ratio seu detestatio eorum, tanquam rei abominabilis. Ita enim subinde accipitur anathema, ut ad Galatas 1. & hac ratione non homines modò, sed & bestiæ, & dæmones, & hæreses, & aliæ res anathematizantur. B

S. Cyprianus nec directè nec propriè mortuum excommunicavit, sed aliquo excommunicationis effectu ipsum affecit, vivis prohibens ne pro illo suffragia facerent: quomodo & S. Gregor. monachum sepultura privandum statuit, ad aliorum terrorem, & ad fratris ipsius adhuc viventis resipiscentiam; quæ, ut ab eodem refertur, secuta est.

Sanctimoniales autem illæ non fuerunt post mortem excommunicatæ, sed, cùm viverent, comminationem excommunicationis acceperant, nisi se emendarent; & ad ostendendum virtutem excommunicationis in vivos, talem visionem Deus exhibuit. C

Ad 3. Negatur assumptum, poterit quidem ejusmodi tanquam peccator qui signa contritionis ante mortem non ostendit, privari sacra sepultura; sed in excommunicationem non incidet.

### Articulus V.

*Virum in aliquam universitatem ferri possit excommunicatio.*

Videtur quod sic; quia civitas Ferrariensis fuit excommunicata & interdicto suppositâ, capit. *Responso*, de sent. excommunicationis. D

*Communitas excommunicari non potest.* Responsio Authoris est, nullam communitatem posse excommunicari: quia excommunicatio ferri non debet, nisi pro peccato mortali, cui sit adjuncta contumacia: non est autem probabile, quod aliqua tota communitas consentiat in peccatum tale, & quidem contumaciter, ita ut nemo sit exceptus: & sic periculum foret, ne innocentes aliqui excommunicarentur: ad quod periculum evitandum Innocentius 4. cap. *Romana* de sentent. excommunicationis in 6. *In universitatem*, ait, *vel collegiũ proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus*. Quia verò decretum illud prohibitionem continet, non irritationem: Ideo, si quis Episcopus excommunicaret aliquam communitatem, vel omnes qui sunt de illa; probabile est excommunicationem fore validam, quantum ad illos qui ea digni sunt; etiamsi non quantum ad innocentes: quamquam & hi deberent se ut excommunicatos palam gerere, donec eorum innocentia manifestè constaret. Si verò excommunicarentur omnes de communitate, qui tali vel tali peccato admisso, sunt contumaces; excommunicatio valida foret, & licita: quia satis caveretur, ne innocentes involvantur. E



Ad Arg. autem Resp. negando assumptum. Quamvis enim Summus Pontifex (de cujus censuris ibi est mentio) posset excommunicare totam aliquam communitatem ex causa; non excommunicaverat tamen civitatem Ferrariensem, sed cives particulares complures, Nam textus expresè dicit, *cives Ferrarienses*: & paulò post, ubi nominatur *civitas*, fit mentio solius *interdicti*.

*Ob.* Si dicas, tota communitas potest interdici; ergò & excommunicari: Negabitur consequentia, eò quod multò minor est pœna interdicti, quam excommunicationis. *Resp.* Qui enim sunt suppositi interdicto, non privantur eo ipso communibus suffragijs Ecclesiæ; privantur autem qui sunt excommunicati. Deinde, interdictum potest poni in subditos innocentes, ob culpam principis, non autem excommunicatio. hîc ad 2.

Addendum præterea est hoc loco, quod Episcopi licet nunquam incurrant suspensionem vel interdictum, à jure positum, nisi de illis fiat expressa mentio: per cap. *Quia periculosum*, de sent. excomm. in 6. incidere tamen possunt in excommunicationem; eò quod nullum jus aut privilegium sit quod eos excipiat.

*Ob.* Si dicas eandem esse rationem exceptionis, ad vitandum scilicet impedimentum officij Pontificalis: *Resp.* istam rationem non sufficere ad extendendum privilegium, contra voluntatem concedentis, cui satis fuit statuere, ut Episcopi non comprehendantur sub quavis censura; etiamsi non statueret ut sub nulla.

### Articulus VI.

*Excommunicatus potest iterum excommunicari.* Art. 6. docet excommunicatum posse iterum excommunicari, & pro eadem, & pro alia causa; ab eodem, & à diverso judice. Vide Dominicum d. 22. qu. 2. art. 2. concl. 3. & Sylvestrum *excommunicatio* 1. notabili 3.

Nec obstat quòd excommunicatus; cùm sit privatus suffragijs Ecclesiæ, videatur non amplius posse privari: privatio enim admittit magis & minùs, saltem ex parte causæ; & potest aliquis magis aut minùs elongari à suffragijs Ecclesiæ: ut hîc dicitur ad 2.

*Ob.* *Resp.* Deinde, satis est quod excommunicatio per se nata sit privare hominem illis suffragijs: sicut peccata mortalia quæ uni mortali adjiciuntur, nata sunt privare hominem gratia, etiamsi is jam ante sit illa privatus.

## QUÆSTIO XXIII.

### *De participatione cum excommunicatis.*

*Quoties excommunicatos debent vitare fideles.* Ture antiquo, quod tempore B. Thomæ adhuc erat in usu, simpliciter prohibitum erat conversari cum excommunicatis, etiam in civilibus, & corporalibus: idque secundùm statuta Apostolica: cap. *Sicut Apostoli*, ca. *Excommunicatos*, 11. q. 3. tempore autem Martini 5. emanavit in Concilio Constantiensi constitutio quę incipit *Ad evitanda scandala*, & refertur, tum à S. Antonino, 3. part. tit. 26. fin. tum à Cajetano, verbo *Excommunicatio minor*, quâ indulgetur ut fideles non teneantur vitare excommunicatos, sive in divinis, sive extrà, præterquam in duobus casibus.

*Primò*, quando excómunicatio est specialiter & expresè

Universidad de Deusto
Biblioteca



expresè publicata seu denuntiata, contra aliquem; A seu aliquos.

*Secundò*, quando quis est clerici percussor, adeò notorius, *ut non possit aliqua tergiversatione celari; nec aliquo suffragio excusari.* Quę Constitutio renovata postmodum fuit in Concilio Basilienſi sess. 20. & extensa quoad secundam partem, ut generaliter loquatur de quovis quacumque ex causa notoriè excommunicato. Sed cum Basilienses hoc absque Pontificis authoritate condiderint, usuque recepta sit constitutio juxta tenorem Concilij Constantienſis; potest ita securè teneri, quemadmodum tradit Dominicus d. 22. qu. 1. art. 4. Major dist. 18. quæst. 3. Victoria in fin. tract. de excommunicat. & alij communiter; adeò ut Navarrus, B cap. 27. num. 35. quamvis existimet prædictam constitutionem malè referri à S. Antonino; in hanc tandem sententiam descendat. Et conformiter l. 5. consil. ad tit. de sent. excom. consilio 24. dicit quòd excommunicatus à jure, regulariter non debet vitari, per extravag. *Ad evitanda*; quod tamen fallit, in injiciente manus violentas notoriè in clericum.

Quapropter, etsi quis certò sciat aliquem esse excommunicatum; non tamen tenetur illum evitare, quantum attinet ad jus Ecclesiasticum; si neque sit nominatim & publicè denuntiatus, neque notorius percussor clerici. Ac proinde poterit ab eo Sacramento recipere, & Missam ejus audire; imò C & Sacramenta ei publicè petenti ministrari, si factum est occultum; secundùm ea quæ diximus 3. p. q. 64. art. 6. q. 89. art. 6. q. 82. ar. 9. Dixi, *quantum ad jus Ecclesiasticum:* quia fieri potest quod aliquis teneatur aliundè, ejusmodi excommunicatos vitare: ut ratione periculi, corruptionis, vel scandali.

Cæterum, quia per dictam Constitutionem, non intendit Concilium excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos, in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari: Ideo excommunicatus, quantumvis occultus, tenetur vitare alios, non minus nunc quàm ante illam Constitutionem seu Extravagantem; nec potest Sacramenta recipere vel administrare, nisi fortè fidelium utilitas aut necessitas administrationem exposcat. D

Si autem quæratur, in quibus vitandi sint excommunicati, de alterutro jam dicto genere existentes. Resp. quòd & in divinis, & in humanis; ut jam patebit.

### Articulus I.

ART. 1. docet licere in corporalibus, civilibusque actionibus communicare cum excommunicato minore excommunicatione; sed non cum excommunicato majori: quia hæc separat hominem, non tantum à participatione Sacramentorum, sed etiam à communione fidelium: ut ostendimus E art. 1. & 4. q. 21.

Sunt nihilominus aliquæ causæ, ob quas licèat communicare cum excommunicatis, juxta tenorem sequentium versuum communiter receptorũ.

*Causæ ob quas licet communicare cum excommunicato.*

*Utile, lex, humile, res ignorata, necesse;*
*Hæc anathema faciunt ne possit obesse.*

PRIMA CAUSA, est UTILITAS tum spiritualis, sive excommunicati, sive illius qui cum excommunicato communicat; tum temporalis, non ipsius excommunicati, sed aliorum.

De spirituali extat cap. *Cum voluntate*, tit. de sententia excommunicationis, ubi dicitur licere cum eo loqui de spectantibus ad absolutionem & salutem ejus, licèt alia incidenter interponantur, ut cætera apud eum magis proficiant.

De temporali, est capitulum *Intelleximus*, titu. de judicijs, ubi asseritur quod ab excommunicatis liceat repetere debitè, eosque convenire in judicio. Similiter, si ab alio non possum sperare consilium æquè salutare; licitum est illud petere ab excommunicato, non tantum si negotium meum sit spirituale, sed etiam si sit temporale.

PETES, an temporalis utilitas excommunicati non sit causa sufficiens, ob quam liceat cum ipso communicare. RESP. esse, si illa utilitas sit moralis quædam necessitas ad damnum vitandum, aut ad vitam sustentandam, quemadmodum explicat Suarez tom. 5. disp. 15. sectio. 3. Si autem sit utilitas quæ ordinetur ad lucrum captandum, non est causa sufficiens.

SECUNDA CAUSA, est LEX, matrimonialis scil. quâ maritus & uxor sibi invicem obligantur. Unde uxor cohabitans cum viro excommunicato; vel maritus cum uxore excommunicatâ, invicemque exhibentes ea quæ ad rationem conjugij pertinent; non peccant, quemadmodum sentit Author hîc, Adrianus qu. 3. de clavibus, Navarrus ca. 27. num. 27. & alij.

Quæ tamen videntur intelligenda de excommunicatione supervenientem matrimonio; & quidem ob aliam causam, quam matrimonij malè contracti. Si enim futuri conjugis excommunicationem latam nescens, ei se tradit, violando præceptum Ecclesiæ; non est dignus isto privilegio; utì nec illi, qui propter matrimonium malè contractum excommunicantur.

TERTIA est HUMILE, sive subjectio; per quam conversari possunt cum patre vel domino, filij non emancipati, & famuli, sive urbani, sive rusticani, quos ante excommunicationem habuerat; nisi eorum consilio vel auxilio perduraret in excommunicatione; ut declarat Gregorius 7. 11. q. 3. cap. *Quoniam multos.*

Dixi, *non emancipati*, quia qui jam sunt extra patriam potestatem, tenentur vitare patrem excommunicatum; excepto, quòd videantur posse illi communicare in quibusdam, ut in exhibendis signis reverentiæ, salutatione, honoratione, quæ filij etiamsi sint emancipati, naturali jure debent parentibus.

Dixi *quos ante* &c. quia non excusantur qui post excommunicationem cœperunt vivere cum eo.

AN autem similiter excusentur patres & domini, communicantes cum filijs & famulis excommunicatis; ambigitur. *Quæst.*

PARS affirmativa, verior est: quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum; ita superiores ad providentiam inferiorum, ait Author. *Resp.*

QUARTA est, RES IGNORATA, id est ignorantia, tam juris quam facti, si sit invincibilis vel omnino inculpata.

QUINTA est, NECESSITAS vel propria vel excommunicati; non tantùm extrema, sed & rationabilis. Hujus ratione licet ab excommunicatis emere necessaria, & eleëmosynas petere, ipsisque eas tribuere: Imò & in divinis communicare, ut absolutionem petendo in mortis articulo.

QUÆRITUR tamen, An cum eis liceat communicare in divinis, si alioquin mors intëtetur. LICERE, modò *Quæst.*



modò metus ille non inferatur in contemptum A potestatis Ecclesiasticæ, docent Dominicus d. 22. q. 1. art. 4. fi. Covarruvias ad cap. *Alma mater* p. 1. §. 3. num. 14. Navarr. cap. 27. nu. 36. unde si quis cogeret sacerdotem ut coram excommunicato celebret, alioquin occidendus; posset celebrare: quia talis communicatio non est prohibita quia mala, sed est mala quia prohibita, id est, non habet intrinsecam malitiam, sed est peccatum ex prohibitione Ecclesiæ. *Resp.*

Si objiciatur cap. *Sacris*, de his quæ vi metusque causa fiunt; Sylvester *excommunicatio* 5. notabili 3. Respondet Pontificem ibi locutum de participatione in his quæ sunt secundùm se peccata. Alij addunt sermonem esse, vel de metu levi, vel B de eo qui infertur in odium fidei & contemptum Ecclesiæ: tunc enim potius moriendum est, quàm communicandum. *Ob.* *Resp.*

QUÆRI etiam potest, An liceat, imo an oporteat solutionem aut restitutionem facere creditori excommunicato. RESP. esse faciendam; quia communio quæ ad ejusmodi rem est necessaria, valdè est brevis & exigua, vixque digna quæ vocetur communio civilis. Deinde, Pontifex citato cap. *Quoniam multos*, indulget ut excommunicato dentur ea quæ sunt humanitatis: ergo multò magis censendus est velle ut illi dentur quæ ex justitia debentur. Hac de re plura dicimus 2. 2. q. 62. art. 8. quæsito 1. causa decima tertia. *Quæst.* *Resp.* C

### Articulus II.

ART. 2. docet excommunicationem ferri posse dupliciter: vel sic ut feratur in facientem cum omnibus participantibus: vel absolutè.

Si priori modo, participantes cum excommunicato sunt excommunicati, quemadmodum faciens.

*Participans cum excommunicato non semper incurrit eandem excommunicationem.*

Si posteriori, solus ille qui facit rem sub excommunicatione prohibitam, est excommunicatus, non autem participantes: eò quod lex excommunicans facientem, non comprehendit regulariter consentientem, mandantem, consulentem, favorem vel auxilium dantem, nisi ex illius aut aliarum legum tenore id habeatur: ut post Cajetanum monet Navarrus cap. 27. nu 32. & 51. D

Si quis autem communicaret in crimine, ut loquuntur, criminoso: id est, tali propter quod alter jam ante erat excommunicatus; in eandem excommunicationem incideret, cap. *Naper* de sentent. excommunicat. Si verò participet cum excommunicato non in crimine illo, sed in rebus ad convictum pertinentibus; minorem excommunicationem incurrit; nisi quòd clericus qui excommunicatum à Pontifice admittit ad divina officia, incurrat majorem cap. *Significavit*, dicto tit. de sent. excommunicat.

Cæterum de MINORI EXCOMMUNICATIONE E quædam sunt observanda.

*De Minori excommun.*

PRIMUM, quod non habeat varias species, sed sit unica; cujus effectus unus, eique adæquatus, est privatio perceptionis Sacramentorũ. Ac propterea licet minori excommunicatione excommunicato communicare in omnibus alijs actibus, præterquam receptionis alicujus Sacramenti. Potest & ipse Sacramenta ministrare, si ministrando non recipiat: quia cap. *Si celebret* tit. de clerico excommunicato, ubi dicitur peccare conferendo Ecclesiastica Sacramenta, conferentem intelligit eum qui simul recipit: nam expresè loquitur de celebrante, & dicit quod ejusmodi *excõmunicatus à sola perceptione sacramentorum sit remotus*, non autem à collatione. Et cùm dicatur eodem cap. *si talis fuerit scienter electus quod ejus electio est irritanda*; non est existimandum quòd ipso facto irrita, sed potius quod per Ecclesiam possit ac debeat irritari. Neque propterea falsum erit quod sit remotus à sola receptione Sacramentorum: exclusiva enim non excludit ea quæ necessariò concomitantur; talis autem est susceptio beneficiorum, quæ regulari er ad hoc dantur, ut clerici ministrent in sacris ordinibus.

SECUNDUM est, excommunicatio Minor à jure nunquam incurritur, nisi propter illicitam participationem cum excommunicato majori excommunicatione: A judice autem nunc non solet ferri; tametsi posset, subsistente causa.

TERTIUM, Ab eo solo ferri potest qui habet jurisdictionem fori externi; quia est actus illius jurisdictionis. Absolvi autem potest vel per judicem, si ab eo lata fuit; vel per confessarium, si à jure lata erat: conceditur enim illi absolutio, etiamsi potestas ferendi ipsam excommunicationem, non concedatur.

Quod quidam opinantur omnem Sacerdotem posse absolvere ab hac minori excommunicatione, sicut à peccatis venialibus; improbari potest per ea quæ diximus qu. 8. art. 4.

### Articulus III.

ART. 3. docet quòd participare cum excommunicatis in casibus illicitis, non sit peccatum mortale, nisi in tribus casibus.

PRIMUS est, quando participatur in crimine. *Quando sit mort. communicare cum excommunicato.*

SECUNDUS, quando in divinis.

TERTIUS, quando in contemptum Ecclesiæ. Cum enim materia levis excusare soleat à mortali; non est ratio quare hîc non excuset.

Communicatio autem in divinis, ideo est mortalis; quia præceptum Ecclesiæ de vitandis excommunicatis; directè respici spiritualia, & legitimos eorum actus; atque adeò qui excommunicatum admittit ad divina, vel cum eo communicat in divinis; facit perfectè contra præceptum, quia contra potissimam ejus rationem. Qui autem communicat in humanis, non facit contra præcipuam rationem præcepti, & ideo solum peccat venialiter. Hîc ad 2. Divina verò quorum communicatio est mortalis, intelligi videntur ea quæ sunt excommunicato specialiter interdicta: ut Sacramenta, sepultura sacra, officia quæ publico nomine & ministerio in Ecclesijs celebrantur. Unde communicare in horis canonicis privatim recitandis, & in ingressu Ecclesiarum eo tempore quo officia non celebrantur, illicitum quidem est, at non mortale. Covarruvias ad cap. *Alma mater* p. 1. §. 3. n 9. & 10. *cum excommunicato.*

Ad contemptum etiam pertinet, si quis cum excommunicato communicet pertinaciter contra speciale præceptum judicis, vel ita frequenter, ut merito præsumatur facere in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, aut animo fovendi excommunicatum in sua contumacia.

PETES, si excommunicatus ingrediatur Ecclesiam ad orandum, quid facient præsentes? RESP. quod exire debent, nisi persuationibus, minis, aut vi cogatur ipse egredi. Cessandum etiam est à divinis officijs, & Missa cœpta abrumpenda, si est ante canonem: si autem canon sit incœptus, ea cum uno tantum ministro perficienda est. *Quæst.* *Resp.*

Rectè nihilominus monet Navarrus num. 33. nec

Universidad de Deusto
Biblioteca



nec officium esse abrumpendum, nec præsentes debere exire, si excommunicatus per Ecclesiam transeat, vel in ea dicat brevem aliquam orationem, privatim.

## QUÆSTIO XXIV.

## *De absolutione ab excommunicatione.*

### ARTICULUS I.

*A minori absolvit quilibet confessarius, non à majori.*

ARt. 1. docet quemlibet Sacerdotem qui potest absolvere à peccato participationis, posse etiam absolvere à Minori excommunicatione; sed non à Majori. Hæc enim si sit à judice, idque specialiter; non potest solvi nisi ab eodem, vel ejus successore, vel superiore, vel delegato. Dico, *idque specialiter*: excommunicationem enim generaliter latam à judice solvere potest quivis legitimus excommunicati Confessarius, ut tradit Navarr. ca. 27. num. 44. collato cum num. 39. nisi reservetur.

Cæterum, quamvis qui excommunicationem tulit, jure communi & ordinario possit eam tollere, etiamsi non esset Sacerdos; sunt tamen aliquot exceptiones.

PRIMA. Si incendiarius ab Episcopo excommunicetur & denuntietur; non potest per eum absolvi.

SECUNDA. Si excommunicatio sit per inferiorem lata, sed per Romanum Pontificem confirmata.

TERTIA. Si excommunicans denuntietur excommunicatus.

QUARTA. Si excommunicatus ab eo delegato Pontificis, qui potest excommunicare intra unum annum post sententiam definitivam, non sit absolutus ante illum annum expletum: cap. *Quærenti*, De off. judicis deleg.

QUINTA. Si executor mandati Papæ quo jubetur excommunicare certam personam sine cognitione causæ, illam excommunicet.

SEXTA. Si quis per Episcopum fuerit excommunicatus, eò quod habens literas Pontificias falsas, non eas laceraverit intra dies 20.

SEPTIMA sumi potest ex cap. *Romana* tit. de appellationibus in 6. ubi statuitur quod Archiepiscopus non possit revocare aut irritam declarare censuram ab Episcopo latam: nisi, vocatis partibus, de appellatione legitimè cognoverit. DE PRIMA extat ca. *Tuanes* de sent. excom. DE SECUNDA, TERTIA, QUARTA, tractat Navar. ca. 27. nu. 40. DE QUINTA num. 44. DE SEXTA, Cajet. ca. 27. de excommunicatione.

Excommunicationem verò latam à jure solvere potest quivis legitimus excommunicati confessarius, si non sit Episcopo vel Pontifici reservata: si autem alicui reservetur, solvenda est per eum cui reservatur, vel per alium cui ipse commiserit, aut per ejus superiorem. Quæ autem, & quot excommunicationes reserventur; ex Cajetano, Navarro, & similibus petendum relinquimus.

Hîc verò observandum, quod licèt excommunicationis forma non requirat de necessitate essentiali, verba determinata, sed sufficiat judicem declarare suam voluntatem, eamque declarando separare hominem à corpore Ecclesiæ: usitata tamen forma retinenda est, quâ judex talem aut talem excommunicat, vel sententia excommunicationis ligat, vel à corpore fidelium separat.

Et similiter, quamvis absolutio nulla essentialia verba requirat; utendum tamen est ordinarijs: Absolvo te ab excommunicatione, seu à vinculo excommunicationis quam ob talem vel talem causam incurristi; si fori externi sit absolutio: si autem detur in Sacramento pœnitentiæ; usitari solet ista, Absolvo te à vinculo excommunicationis in quantum possum & indiges. Quæ verba cùm sint indefinita; si confessarius habet potestatem & intentionem absolvendi ab omni excommunicatione, extendunt se ad absolutionem totalem: si verò talem potestatem non habet, rectè nihilominus ea verba præmittit absolutioni à peccatis: quia sufficientem continent limitationem, & valere possunt pro tollenda censura illa quæ annexa erat ei peccato quod pœnitens oblitus fuerat, dum confiteretur habenti facultatem ab ea absolvendi; secundùm ea quæ diximus q. 20. art. 2. quæsito 3. fin. Ac proinde, quamvis confessario non sit concessa facultas absolvendi ab excommunicatione, non debet tamen ea verba vel omittere, vel ad minorem excommunicationem restringere.

### ARTICULUS II.

*Invitus absolvi potest ab excommun.*

ARt. 2. probat aliquem posse invitum absolvi ab excommunicatione: eò quod ipsa non sit peccatum, quòd sicut non committitur sine voluntate, ita nec sine illa remittitur: sed est pœna, quæ sicut inferri alicui potest contra voluntatem, ita & sine ipsius consensu potest tolli.

Et quamvis absolutionem negligens aut recusans, eâ sit indignus: si tamen saluti ejus, vel Ecclesiæ, aut Reipublicæ expedire visum fuerit, prudentis est absolvere, sicut etiam aliquando non ligare eum, qui ligari meretur. Nec enim excommunicatio solum est pœna, sed ex intentione Ecclesiæ etiam est medicina: medicinæ autem removentur, quando talis est ægroti constitutio, ut per eas magis exasperetur morbus, vel certè non mitigetur.

Non potest tamen hæc absolutio invitis impendi per Jubilæum, aut privilegium eligendi confessarium: quia talis Jubilæi & privilegij usus pendet ex voluntate eligentis, non ex voluntate confessarij.

### ARTICULUS III.

*Potest una excomm. tolli, etsi aliæ non tollantur.*

ARt. 3. docet aliquem posse ab una excommunicatione absolvi, etiamsi non absolvatur ab omnibus: quia excommunicationes non habent inter se connexionem. Qui tamen ab eodem judice fuit sæpius excommunicatus, sive ex eadem, sive ex diversis causis; si ab illo absolvitur, intelligitur absolvi ab omnibus, nisi contrarium exprimat, & similiter, si propter eandem causam excommunicatus fuerit à diversis, sed ita ut cæteri solum confirmaverint sententiam primi; is qui à primo absolvitur, est ab omnibus absolutus: nisi quod, si Pontifex confirmaverit excommunicationem ab inferioribus latam; ab eodem sit petenda absolutio. Et qui generaliter absolvitur à Pontifice, est ab omnibus quorumcumque Prælatorum sententijs absolutus. Qui autem à diversis judicibus æquè principaliter agentibus est excommunicatus; non censetur ab omnibus solutus, nisi omnes absolvant, vel uni committant qui illorum nomine absolvat.

QUÆ-



## QUÆSTIO XXV.

## *De Indulgentijs.*

INdulgentiæ vocabulum aliquando quidem sumitur in malam partem, & significat licentiam ac permissionem malè agendi, unde est illud:

*Blanda patrum segnes facit indulgentia natos:*

Aliàs verò sumitur in bonum, & generaliter significat benignam debiti remissionem: Isaiæ 61. *Ut prædicarem captivis indulgentiam*, pro quo Lucæ 4. habetur, *remissionem*. Remissio autem quamvis possit esse peccati vel quoad culpam vel quoad pœnam: usu tamen Ecclesiasticorum, in hac materia, sumitur pro condonatione pœnæ quam pœnitentes deberent subire propter peccata, etiamsi fuerint quantum ad culpam remissa per sacramentum pœnitentiæ: & definiri potest,

*Definitio.*

Quod *sit pœnæ, peccatis quoad culpam remissis debitæ, remissio facta extra sacramentum, ab eo qui habet spiritualem jurisdictionem dispensandi thesaurum Ecclesiæ.*

### ARTICULUS I.

*Utrùm per indulgentiam possit aliquid remitti de pœna satisfactoria.*

VIdetur quod non, PRIMÒ, quia ex nullo scripturæ loco potest ostendi fuisse datam Ecclesiæ talem potestatem. Quod enim ex Matth. 16. adfertur, *Quodcumque solveris super terram*; id non probat, quia ibi tantū est promissio, non autem potestatis alicujus exhibitio. Quando autem exhibetur Joan. 20. solum datur potestas remittendi peccata per sacramentum pœnitentiæ. Neque responderi potest hanc potestatem esse traditam, Joan. 21. his verbis, *Pasce oves meas*: quia solum ibi traditur ea potestas quæ ad regendam Ecclesiam est necessaria, talis autem non est potestas faciendi indulgentiam: cùm sint alia media ad remissionem pœnarum peccatis debitarum sufficientissima, ut sacramenta, missæ sacrificium, suffragia, aliaque pietatis opera. Quin potius indulgentiarum concessio, repugnare videtur justitiæ, & immutabilitati voluntatis divinę, quę decrevit certas pœnas esse luendas.

BEAT. THOM. RESPONDET, omnes sentire quod per indulgentiam remitti possit aliquid de pœnâ satisfactoriâ: sed quosdam contendere, quod per eam solum remittantur pœnæ per Ecclesiæ ministros impositæ, non autem pœnæ purgatorij, quorum sententiam meritò refellit. Quæ ut certius intelligantur, sit

### CONCLUSIO I.

*ad fidem pertinens.*

*In Ecclesia est potestas dandi indulgentias.*

EST in Ecclesia potestas concedendi indulgentias. Cùm enim hæc verba Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram*, sint generalia, complectuntur omnem potestatem tollendi quælibet vincula & obstacula, quibus homines impediti possunt à consecutione regni cœlestis; inter quæ sunt peccata, non tantum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam.

Promittitur ergo illis verbis B. Petro summa potestas, non solum absolvendi à peccatis in sacramento pœnitentiæ; sed etiam à pœnis, censuris, votis, juramentis, & alijs quæ hominem quoquo modo ligatum tenent, ac retardant ab ingressu cœli.

Est autem illi exhibita, Joan. 21. quando eum ei diceretur, *Pasce oves meas*, primatum accepit in universam Ecclesiam: sub verbo enim *pascendi*, intelligitur omnis actus jurisdictionis, conferens ad aperiendum vel claudendum regnum cœlorum; è quibus remissio pœnarum per indulgentiam, est unus.

Porrò cum dicta potestas solvendi ac remittendi sit generalis; debet intelligi data ad solvendum, secundùm naturam & conditionem eorum quæ solvuntur: Conditio autem culpæ mortalis est, ut remitti nequeat sine infusione gratiæ; hanc autem ministri Ecclesiæ non possunt in alijs causare, nisi per sacramenta; & ideò à culpis mortalibus absolvere nequeunt extra sacramentum. Absolvere tamen possunt extra sacramentum à reatu pœnæ: quia reatus iste ut tollatur, non postulat infusionem gratiæ: sed eam præsupponit. Huc etiam pertinent illa omnibus Apostolis dicta, Matth. 18. *quæcumque alligaveritis, quæcumque solveritis*: Nam & hæc generalia sunt, complectunturque omnem potestatem Prælatis Ecclesiæ concessam ad ligandum & solvendum, sive à censuris, sive à culpis, sive à quibuscumque pœnis: unde Martinus 5. in Concil. Constantiensi suspectos vult interrogari, *Utrum credant quod Papa & Episcopi possint suis subditis indulgentiam concedere*. Et Sixtus 4. condemnavit hunc articulum Petri Oxomensis, Quod Papa non potest indulgere alicui pœnam purgatorij. Ac tandem Syn. Trid. sess. 25. *Eos anathemate damnat qui aut inutiles esse asserunt indulgentias, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

His accedit & ratio, Ecclesiæ data est potestas obligandi ad pœnas pro peccatis debitas; ergo etiā data est potestas, ut ex causa possit eas remittere: Nam in omni Republica principes & magistratus habent potestatem non solum delicta puniendi, sed etiam punitionem ex causa condonandi. Hæc autem potestas est Ecclesiæ per quam utilis; ad populi pietatem excitandam, & ad religionis Christianæ studium & amorem, ad eos quoque qui abundantiori alioquin tristitia absorberentur, consolandos & juvandos.

### CONCLUSIO II.

USus indulgentiarum à Christi & Apostolorum temporibus semper fuit in Ecclesia.

Probatur, PRIMÒ, Cùm Corinthij Paulum rogassent (ut ex ipso Apostolo colligunt B. Thom. & Theod. ad caput 2. epistolæ 2. ad Cor.) ignosci incestuoso seriam pœnitentiam agenti; & quod supererat pœnitentiæ, condonati; ille precibus eorum annuit dicens, *Cui aliquid donastis*, (sive, ut est in originali, & in bonis codicibus Latinis, *donatis*) *& ego*. Hæc autem donatio, condonatio erat ac remissio, quam dicit se propter ipsos facere, id est, in communem Ecclesiæ ipsorum utilitatem; ac *in persona*, id est, vice & authoritate, *Christi*, tanquam ejus vicarius & delegatus. *Vendicavit sibi jus a Domino acceptum; non usurpavit indebitum*, ait Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 6.

SECUNDÒ, ex Tertull. lib. ad martyres c. 1. & epistolis Cypriani 11. 12. 13. 14. patet lapsos in persecutione, solitos esse adire martyres & confessores, qui pro fide multa passi erant, vel adhuc in vinculis patiebantur; & ab eis impetrare libellos

Universidad de Deusto
Biblioteca



sive epistolas ad Episcopum, ut eis propter merita martyrum, pænas debitas condonaret : quæ condonatio per Episcopum facta, erat veri nominis indulgentia.

Tertiò, In Episcoporum arbitrio & potestate relinquebatur olim, ut perfectâ singulorum pœnitentium conversatione, humaniùs agerent, ac tempus pœnitentiæ breviarent. In Concil. Ancyrano canone 5. In primo Nicen. can. 5. & 11. In Laodiceno can. 2.

Quartò, *Antiquorum habet fida relatio quod accedentibus ad basilicam principis Apostolorum concessæ sint magnæ remissiones & indulgentiæ peccatorum*, ait Bonif. 8. in extravag. *Antiquorum*, tit. de pœnitentijs. B

Ex his patet quod indulgentiarum origo non sit referenda in tempora S. Gregorij, etiamsi verum sit quod earum & usus & nomen magis tunc in usu esse cæperit.

### Conclusio III.

*Per indulgentiam remittitur pœna purgatorij.*

Indulgentiæ non tantum valent in foro Ecclesiæ, sed etiam apud Deum, id est, non solum per eas relaxatur pœnitentia peccatoribus hîc injuncta, sive specialiter per Sacerdotem, sive generaliter per canones : sed etiam valent ut condonetur pœna verè coram Deo debita, ideoque in futuro sæculo luenda.

Probatur Primò, quia effectus potestatis claviũ C Ecclesiæ, propriè respicit futurum sæculum : Ideo enim vocantur claves cæli.

Secundò, Christus promisit solutum fore apud Deum in cælo, quicquid Petrus solverit super terram : ergo id quod per indulgentias solvit Petrus, seu Petri Vicarius in terra, est ratum coram Deo.

Tertiò, Condonatio quam fecit Apostolus, 2. ad Cor. 2. perinde fuit in judicio Dei rata & efficax, atque si Christus ipse condonasset ; fecit enim vice & authoritate Christi.

Quartò, Deciperentur alioqui fideles qui relaxatis in hoc sæculo pœnitentijs, earum loco subire cogerentur acerbiores pœnas in purgatorio ; atque ita Martyres & Episcopi pessimè consuluissent pæ- D nitentibus, relaxando ipsis temporalem hujus vitæ satisfactionem, ut in pœnas longè majores servarentur ; verumque esset illud Lutheri, indulgentias esse fraudes fidelium.

Quomodo autem fiat ut indulgentiæ valere possint coram Deo : B. Tho. hîc & articulo secundo, in corpore, explicat, dicens rationem esse ipsam corporis mystici unitatem, ipsamque sanctorum communionem ; quâ fit ut aliorum merita & passiones alijs applicari possint, tanquam membris ejusdem corporis : Ut enim etiam in opusc. De symbol. Apost. scribit : *Sicut in corpore naturali operatio unius membri cedit in bonũ totius corporis, ita in corpore spirituali, scil. Ecclesia Et quia omnes fideles sunt* E *unũ corpus, bonũ unius alteri communicatur.* Sit ergo

### Conclusio IV.

In Ecclesiâ est thesaurus constans meritis & satisfactionibus Christi, & sanctorum ; quibus nituntur indulgentiæ.

Thesaurus autem ille non aliud est, quàm valor passionum & satisfactionum ipsorum, permanens in conspectu Dei qui non fuerit illis necessarius ad expiationem propriorum peccatorum. Qui valor thesaurus nominatur non solum à B. Thoma, cæterisque Scholasticis, sed etiam à Clemente sexto in extravagante *Unigenitus*, titulo de pœnitentijs. Asservatur autem de divinâ notitiâ seu memoriâ ; idque ad utilitatem Ecclesiæ, cujus caput est Christus ; & sancti omnes, membra : & per consequens applicari potest illis qui existentes in corpore Ecclesiæ, alicui pœnæ post remissam culpam luendæ, sunt obnoxij.

Et de valore quidem passionis & laborum Christi, constat nullo modo ipsi necessarium fuisse ad expianda propria peccata, ut *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, 1. Petr. 2. Constat etiam quod propter dignitatem personæ, valor ille fuerit infinitus, secundùm ea quæ 3. p. qu. 1. artic. 2. quæsito 3. diximus : ac propterea, quantumcumque multis applicetur, semper restat quod alijs applicari possit ad similem effectum.

Quod verò in hunc thesaurum conferantur etiam passiones & satisfactiones sanctorum, expressit Clemens Pontifex dictâ extravag. *Unigenitus* ; & probari potest nõ solum ex communione bonorum spiritualium, quæ est inter fideles tanquam unus corporis membra ; propter quam unionem unus potest satisfacere pro alio, quemadmodum art. 2. q. 13. probavimus : sed etiam, quia sancti non pauci plura mala perpessi sunt, quam eorum peccata propria mererentur ; atque adeò superabundarunt satisfactionibus : quibus cum non egerent ipsi, aliorum necessitatibus servatæ sunt, ac relatæ in thesaurum Ecclesiæ. Non enim decuit, neque fieri potuit ut oblivioni traderentur coram Deo ; apud quem nulla sanctorum opera in oblivione sunt.

Ex his jam patet Responsio ad argumentum *Quando sit data potestas indulgentiarum.* initio allatum, potestatem scil. concedendi indulgentias, ut Ecclesiæ admodum utilem, Petro esse traditam Joan. 21. ubi nõ sola ea potestas fuit Petro data quæ est ad regimen Ecclesiæ simplicitet & absolutè necessaria ; sed etiam illa, quæ ad rectam Ecclesiæ gubernationem maximè conducit.

Patet etiam indulgentias non repugnare divinæ *Indulgentiæ non repugnant divinæ justitiæ.* justitiæ, non solum quia Deus est supremus dominus, qui tum per se, tum per ministros potest misericorditer relaxare pœnas debitas ; sed etiam quia licet liberalis & gratuita fiat remissio illi cui conceduntur indulgentiæ : si tamen respiciamus ad satisfactiones Christi & sanctorum ; rationem habet justitiæ : intercedit enim vera & justa compensatio & solutio, cujus occasione latiùs explicandum est, quod

## QUÆRITUR I.

*An prædictus Ecclesiæ thesaurus sit agnoscendus.*

Videtur enim quod non, Primò, quia merita Christi habuerunt in ipso sufficiens præmium, quando fuit exaltatus, & accepit *nomẽ quod est super omne nomen*, ad Philipp. 2.

Secundò, Merita sanctorum sunt finita, & sufficienter, imò (ut probabilius docetur q. 99. ar. 3. quæsito 2.) supra condignum remunerantur : ergo ex eis nihil restat, quod in thesauro recondatur.

Tertiò, Infinito nihil potest addi ; Christi merita sunt infinita ; ergo ad illa non possunt addi merita sanctorum.

Quartò, Opus unius non prodest alteri ex justitiâ, nisi ab ipso operante referatur ad hunc finem : sancti autem nunquam habuerunt intentionem reponendi sua merita in thesauro.

Quin-



Quintò, Sancti nihil fecerunt aut pertulerunt A quod non tenerentur facere vel perferre. *Cum feceritis*, ait Christus, *omnia quæ præcepta fuerit vobis, dicite, Servi inutiles sumus*, Luc. 17. & ideo virgines prudentes noluerunt alijs communicare de suo oleo, quod totum putabant esse sibi necessarium, Matth. 25. Hinc est & illa vox sanctorum, quam ex cap. 3. Danielis, recitat Ecclesia in Introitu feriæ 5. Dominic. Passionis, *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi.*

Sextò, In veteri testamento nullus erat thesaurus, uti nec potestas eum dispensandi : ergo nec in novo ; quia non magis nunc patiuntur sancti supra meritum, quàm olim.

Septimò, Sequeretur sanctos esse nostros re- B demptores, ut qui nos liberarent à reatu pœnæ ; cùm Christi proprium sit, esse redemptorem.

Denique, Claves tantum habent vim ex merito Passionis Christi : ergo similiter & indulgentiæ. Harum enim concessio est actus clavium.

*Thesaurus est agnoscendus.* Responsio nihilominus certa est, & thesaurum Ecclesiæ esse agnoscendum ; & non solum Christum, sed etiam sanctos non paucos plura fecisse, vel pertulisse, quàm tenerentur.

Patet hoc in primis de Beatissimâ virgine Mariâ, de quâ etsi Ecclesia teneat quod ex speciali Dei privilegio peccatis omnibus, etiam venialibus in totâ vitâ caruerit, ideoque nulla satisfactione C indiguerit : constat tamen quod maximos dolores patientissimè, per amorem Dei passa sit.

Secundò, Joannes Baptista, etsi paucissimis ijsque levissimis culpis esset obnoxius ; vitam tamen egit maximè austeram ; & capitis obtruncatione occubuit.

Apostoli, quamvis nihil sibi essent conscij, 1. ad Corint. 4. *castigabant* tamen *corpus suum*, ejusdem epistolæ ad Corinth. cap. 9. ab impijs cædebantur, labores, carceres, vincula patiebantur, ac tandem, sicut omnes martyres mortem.

Confessores, virgines, & aliæ quædam mulieres sanctissimè viventes, vitam pœnalem longam & duram egerunt.

Ad Primum ergo argumentum Resp. Chri- D stum non recepisse præmium suis meritis adæquatum : gloria enim & exaltatio quam accepit, magnæ quidem fuerunt æstimationis & pretij, non tamen infiniti.

Sed etsi daretur merita Christi sufficienter in eo fuisse remunerata ; accipiendum id esset de illis quatenus erant meritoria, non quatenus satisfactoria : ac proinde, ut in quantum ad satisfaciendum valebant, non frustrentur effectu ; servari debent in Ecclesiæ thesauro, applicanda indigentibus quatenus sunt satisfactiones.

*Duplex qualitas bonorũ operum.* Duplex enim operum bonorum qualitas agnoscenda est : Una, quatenus pœnalia sunt & laboriosa ; Altera, quatenus ex charitate proficiscuntur. E

Propter illam, dicuntur satisfactoria : propter istam, meritoria : fierique potest ut quod alicui est meritorium, non sit eidem satisfactorium, si scilicet nulla remissione pœnæ indigeat ; quomodo Christi opera non fuerunt ei satisfactoria, fuerunt tamen ei meritoria, ut patet ex 3. parte quæst. 19. artic. 3.

Cæterum, quia unum idemque opus & meritorium & satisfactorium est, quamvis sub diversa ratione : hinc est quod thesaurus Ecclesiæ rectè dicatur constare meritis Christi & sanctorum, etiamsi propriè constet ex superabundantibus satisfactionibus, sive ex operibus bonis quatenus ea sunt satisfactoria ; quamvis opera satisfactoria etiam quatenus talia, sint meritoria remissionis pœnæ testantis. Ex his patet.

Responsio Ad 2. ex bonis scilicet sanctorum operis, quatenus fuerunt meritoria ; nihil restare pro quo ipsi mercedem non accipiant ; ex ijsdem tamen quatenus fuerunt satisfactoria, superesse quod alijs applicetur, & suo tempore applicandum reservetur.

Ad 3. Infinito unius generis addi potest aliquid alterius generis ; sicut infinito intensivè, potest fieri additio secundùm extensionem : satisfactiones autem & merita sanctorum sic adduntur ad thesaurum, meritis Christi principaliter innixum, ut is per eam additionem augeatur extensivè, quatenus accrescit numerus operum ; non autem intensivè, quia sic est infinitus. Non adduntur ergo ad the- *Merita sanctorũ quo modo & quarè addantur ad Thesaurum.* saurum : quasi auctiorem valorem ei tribuant ; sed quia (ut loquitur Pontifex dictâ extravag. *Unigenitus*) *adminiculum præstant ad cumulum thesauri*, dum scilicet ille cumulus accessione plurium meritorum efficitur major quoad numerum, etiamsi non quoad virtutem.

Ideò autem huc referuntur merita sanctorum. Primò, ut ea quæ illis superfuerunt, non sint otiosa. Secundò, ut sancti hoc honore gaudeant. Tertiò, ut efficacia meritorum Christi magis eluceat, quæ non tantum per se possunt expiare peccata, sed etiam efficere ut merita sanctorum habeant vim expiandi reatum pœnæ temporalis, post culpam dimissam restantis.

Neque verò hinc est consequens thesaurum Ecclesiæ posse aliquando exhauriri : merita enim Christi quibus constat ille thesaurus sunt infinita ; *& quanto plures ipsius applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum*, ait, ibidem Pontifex. Qui enim per indulgentiam acceperunt remissionem peccatorum ; patiendo & laboriosa opera exercendo, alijs postea comparant id quod eis applicari possit, atque adeò cumulum thesauri augent.

Ad 4. Resp. explicitam illam intentionem non requiri, sed sufficere implicitam qua sancti omnia faciunt propter communem utilitatem.

Ad 5. Non dicit Christus, *Cum feceritis omnia*, sed, *cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis* : Ubi non loquitur de operibus super erogationis, quæ solum sunt sub consilio, sed de illis quæ sunt sub præcepto. Falsum ergo est quod sancti nihil fecerint, nisi id ad quod tenebantur.

Quod de virginibus, adfertur, *Ne forte non sufficiat nobis & vobis*, interpretante Aug. epist. 120. cap. 31. & serm. 22. de verbis domini, significat eos qui habent bonam conscientiam, certos tamen non esse quod ea sibi in judicio Dei possit sufficere ; & unũquemque, dum vivit, ignorare an ei superfint satisfactiones, pro peccatis proprijs non necessarias. In die autem judicij non possunt aliorum virtutes aliorum vitia sublevare ; sed unusquisque pro semetipso sollicitus erit, ait, Hiero. in cap. 25. Matth.

Quod additur, non plura passos fuisse sanctos quam eorum peccata mererentur ; ex dictis falsum esse constat. Unde Aug. lib. 2. de pec. mer. cap. 12. loquens de S. Job, *Novimus*, ait, *non propter peccata, sed propter ejus demonstrandam justitiam illa omnia fuisse perpessum.*

Nec obstat, quod sancti quando flagellantur à *Ob.* Deo, dicant se propter peccata sua puniri, ut Esther, Daniel, tres pueri, & ipsa Ecclesia. Cum enim ju- *Resp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



stissimi quique vitam non degant absque peccatis, & nemo scire possit quantam pœnam mereantur sua propria peccata ; merito debet timere ne afflictiones quas patitur, propter sua peccata, sive nota sive ignota, patiatur ; imo ne minores sint quàm ex rigore mereatur.

AD 6. Thesaurus hic, quatenus constat ex meritis sanctorum, fuit ab origine mundi, sive ut loquitur Pontifex, *a primo justo*. Quia tamen ejus distributio non potest fieri nisi per claves, novæ legis proprias : ideò non potuit olim dispensari per indulgentias ; idque rationabiliter, tum quod merita Christi quæ sunt primum fundamentum hujus thesauri, nondum essent actu exhibita ; tum quod nondum pateret aditus in cœlum ; tum quod omnia essent in veteri testamento imperfecta.

AD 7. Neg. Assumpt. Ad hoc enim, ut aliquis simpliciter dicatur noster redemptor, oportet quod per satisfactionem valentem ex rigore justitiæ nos eripiat à servitute peccati tam quoad culpam quam quoad pœnam : & hoc est proprium Christo. Liberare autem à reatu pœnæ restantis, non est redimere simpliciter, sed secundùm quid. Vide Cajet, ad q. 48. ar. 5. in 3. p. & quæ nos ibidem attulimus.

AD ULTIMUM, Neg. conf. quia claves ex solis Christi meritis vim habentes, possunt ex ijsdem habere vim applicandi fidelibus satisfactiones sanctorum, ad remissionem pœnarum.

Porrò, cùm per indulgentiam applicentur aliorum satisfactiones,

## QUÆRITUR II.

*Utrùm indulgentia sit solutio, & non absolutio.*

SENSUS EST, An sit nuda persolutio pretij pro pœna restante ; & non judicialis remissio, vel relaxatio.

VIDETUR quod sit nuda solutio. PRIMÒ, quia absolutio dari potest invito, non autem indulgentia.

SECUNDÒ, Ad absolvendum judicialiter necessaria est cognitio causæ.

TERTIÒ, Sequeretur Pontificem non posse esse participem indulgentiarum.

QUARTÒ, B. Tho. hîc ad 2. dicit quod qui suscipit indulgentias, non absolvitur, simpliciter loquendo.

*Indulgentia quæ vivis datur, est etiã absolutio.*

RESP. Indulgentiam quæ conceditur vivis, esse absolutionem cum solutione conjunctam.

Quod sit absolutio, probat IN PRIMIS nomen indulgendi : indulgere enim non significat per solvere, sed relaxare.

SECUNDÒ, Indulgentia quæ conceditur vivis, non est valida nisi concedatur subditis : ergo requirit ut concedens habeat jurisdictionem in eos quibus concedit : hæc autem jurisdictio non est necessaria, nisi ad absolvendum : ergo indulgentia quæ conceditur vivis, est Absolutio. Huc pertinet cap. *Quod autem*, de pœnitentijs & remissionibus : ubi Alexander 3. dicit, *quod cum à non suo judice ligari nullus valeat vel absolvi, indulgentiæ solis illis prosunt quibus proprij judices eas indulserunt.*

TERTIO, In hoc distinguitur indulgentia, à modo juvandi per suffragia, quod hic privatâ authoritate fieri possit, non illa. Unde Marti 5. in fine Concilij Constant. tribuens indulgentiam, dicit *se absolutionem concedere*. Et B. Thom. quæst. 26. ar. 4. docet quod indulgentiam facere, sit remittere pœnam cum potestate jurisdictionis. Et q. 27. art. 2. ad 2. scribit quod per indulgentias, aliquis *absolvitur à pœna injuncta vel debita pro peccato in foro pœnitentiali.*

Quod etiam sit solutio, probari potest ex eo quod Prælati Ecclesiæ non se habeant ut domini absoluti, qui possint pro arbitrio pœnas condonare ; sed ut judices, qui ex potestate quidem sibi concessa reos absolvant, ita tamen, ut aliunde satisfiat justitiæ divinæ, per applicationem scilicet satisfactionum Christi & sanctorum, *faciens indulgentias*, ait Author hic ad tertium, *solvit pœnam de bonis Ecclesiæ communibus.*

AD 1. ergo Argumentum RESP. non omnem absolutionem dari posse invito ; sed eam tantum quæ non requirit in suscipiente ullam dispositionem vel actionem : talis autem non est indulgentia, uti nec absolutio sacramentalis à peccatis.

AD 2. Quod assumitur, verum est quando sententia particularis ferenda est inter partes ; Indulgentia vero non datur per modum talis sententiæ, q. 27. ar. 4.

*Pontifex ut possit participare indulgentias.*

AD 3. Neg. sequela. Potest enim Pontifex participare indulgentias. Vel committendo suo confessario, ut eum sicut alios, absolvat à culpâ per sacramentum pœnitentiæ, & à pœnâ per indulgentiam : Vel potius, quia licet non possit seipsum directè absolvere, potest tamen uti rebus illis quas alijs concessit. Accedit enim ad participandas indulgentias, non tanquam Prælatus, sed tanquam unus de Christi grege, cui illæ sunt communiter propositæ.

Priorem modum indicat Richard. dist. 20. & post eum Cajet.

Posteriorem Author noster quæst. 27. articulo quarto.

Huic conformis est aliorum sententia dicentium quod Pontifex participat indulgentiam, non per viam absolutionis, quæ non exercetur nisi in subditum ; sed per modum solutionis sine compensationis, tantum scilicet applicando thesaurum Ecclesiæ in compensationem suarum pœnarum temporalium. Etsi enim plena ratio indulgentiæ contineat, & solutionem, & absolutionem : dari tamen potest per viam solutionis sine absolutione ; quamvis non contra. Huc pertinet quod qui legitimâ authoritate dispensat bona communia, potest suam portionem ex illis habere : & quod Prælatus qui rationabili ex causâ remittit subditis aliquod jejunium, non tenetur ipse jejunare : sicut è contrario tenetur, si aliquod præscribat.

AD 4. B. Thom. solum voluit significare quod indulgentia non sit mera absolutio separata à solutione, ut verborum ejus hic sit sensus ; *Iste qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo à debito pœnæ*, id est, non sic absolvitur, quin aliunde solvatur quod debet : Nam faciens indulgentiam remittit quidem pœnam, ut ex q. 16. art. 4. patet, atque ita absolvit ; sed præterea *solvit pœnam quam alter debuit, de bonis Ecclesiæ communibus*, ut hîc dicitur ad 3. & sic præter absolutionem, etiam intervenit solutio. Quod B. Thomas agnoverit indulgentiam esse absolutionem, confirmari etiam potest ex ijs quæ ad prob. tertium sunt dicta.

ARTI-



### ARTICULUS II.

*Utrum indulgentiæ tantum valeant quantum pronuntiantur.*

VIDETUR quod non, PRIMÒ, quia Bonifa. 8. in extravag. Antiquorum concedit *plenam plenioriem, & plenissimam indulgentiam* ; cùm tamen nulla possit esse major quàm plenaria.

SECUNDÒ, Ibidem dicit, quod *unusquisque plùs merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit.*

TERTIÒ, Conceduntur aliquando indulgentiæ decem aut viginti millium annorum ; cùm tamen nec purgatorium sit tam diu duraturum, nec remaneat reatus pœnæ tot annorum post condonatam culpam.

QUARTÒ, *Unusquisque referet propria corporis prout gessit*, 2. ad Corinth. 5. ergo indulgentiæ solùm valent tantùm, quantum opus quod fit.

QUINTÒ, Datur interdum indulgentia à culpa & pœna ; cum tamen per indulgentias non culpa remittatur, sed pœna.

PRIUSQUAM respondeatur, varietas indulgentiarum observanda est.

*Divisiones indulgentiæ.*

Dividitur enim indulgentia in totalem sive plenariam, & partialem sive restrictam,

PLENARIA est, quæ sufficit tollendæ toti pœnæ, post culpam dimissam restanti.

PARTIALIS, quæ sufficit tollendæ alicui parti. Quæ plenaria est, non subdividitur ; nam & indulgentiæ Jubilæi, (quantum ad proprium effectum) conveniunt cum plenariâ ; licet differant ratione privilegiorum adjunctorum, ut dispensationis in quibusdam votis & juramentis, absolutionis à casibus & censuris reservatis. Propter quæ rectè monent aliqui, quod quando indulgentiæ plenariæ publicantur, non sint sub nomine Jubilæi publicandæ ; ne existimetur alia privilegia dari quæ ordinariè conceduntur in Jubilæis.

Particularis autem variè subdividitur, prout per eam major vel minor portio pœnæ remittitur. Interdum enim remittitur dimidia, vel tertia, aut quarta pars peccatorum : id est, condonatur tanta pars pœnæ peccatis debitæ. Interdum conceditur indulgentia aliquot annorum vel dierum. Interdum sit remissio quadragenarum ; & inter eas, aliquando nominatur carena. Dies autem illi, vel anni, non sunt sic referendi ad pœnam purgatorij, quasi centum dierum indulgentia tollat pœnam centum dierum alterius sæculi : sed referri debent ad pœnitentiam secundùm canones hîc peragendam. Ac proinde indulgentia tot dierum vel annorum, est remissio pœnitentiæ quæ secundùm rigorem canonum & veterem Ecclesiæ ritum, peragenda esset tot diebus vel annis. Quem sensum confirmat quod Pontifices, ac nominatim Inno. 3. cap. *Cum ex eo*, de sent. excom. dicunt se remittere tot dies vel annos de pœnitentijs : plerumque addentes, *injunctis* : quod ad pœnas purgatorij nullo modo potest referri. Similiter indulgentia tertiæ, vel quartæ partis peccatorum, est remissio tertiæ vel quartæ partis pœnitentiæ, quæ subeunda hîc esset pro peccatis.

Indulgentia quadragenæ est condonatio pœnitentiæ, quæ quadraginta continuatis diebus peragenda foret in jejunijs, alijsque laboriosis operibus. Hæc quadragena si imperabatur acrior, ut in pane & aqua ; dicebatur carena, à carendo, eo quod pœnitentes carerent per 40. dies omnibus alimentis, pane & aqua exceptis. Remissio ergo carenæ, est condonatio talis quadragenæ.

Cæterum, quia art. 1. probatum fuit indulgentias valere non solum in facie Ecclesiæ, sed etiam coram Deo : consequenter est dicendum quod per indulgentiam tot annorum vel dierum remittatur etiam pœna purgatorij quæ pœnitentiæ condonatæ respondet. Quanta verò respondeat, solus Deus novit. Neque enim necessarium est ut annis vel diebus hujus vitæ respondeat ex æquo, numerus annorum aut dierum futuri sæculi : quasi quot dierum pœnitentia hîc relaxatur, tot præcisè relaxentur in purgatorio. Nam acerbitas pœnæ unius diei potest æqui parari pluribus diebus hujus vitæ. Indulgentia verò plenaria tollit totam pœnam in purgatorio luendam, quando quis plenum ejus fructum consequitur.

Alia indulgentiæ divisio est in perpetuam & temporalem. Illa conceditur sine ullâ determinatione temporis : hæc tempus habet præfixum, quo durante possit accipi, postea vero non : veluti quando indulgentia quæ conceditur, dicitur duratura ad septem vel decem annos.

*Resp. ad art. 1. fin.*

HIS PRÆMISSIS cũ authore DICENDUM EST, indulgentias TANTUM VALERE QUANTUM SONANT, si adsint conditiones requisitæ ; partim quia quod prælati Ecclesiæ solvunt super terram, solutum est in cælo ; partim, quia alioqui sequeretur indulgentias esse pias fidelium fraudes, ut voluit Lutherus. Quæ vero conditiones præter authoritatẽ in concedente requirantur, in sequentibus examinabitur.

AD 1. ARG. Etsi Bonif. potuerit plenam indulgentiam referre ad remissionem totius pœnitentiæ injunctæ ; largiorem, ad condonationem totius pœnitentiæ, meritò secundùm canones injungendæ ; plenissimam, ad remissionem totius pœnitentiæ quam Deus posset exigere : Verius tamen est, nullam inter ea differentiam esse quoad effectum, sed addita fuisse ad majorem declarationem, & ad tollendos scrupulos qui ex varijs opinionibus oriri poterant. Cùm enim, *plenum*, admittat gradus, adeò ut quæ nõ omninò plena sunt, sed ad plenitudinem accedunt, subinde plena dicantur : ut Pontifex significaret se concedere indulgentiam omninò verèque plenariam : addidit, *largiorem, & plenissimam*, id est, adeò plenam, quantum se extendit potestas clavium : quemadmodum Pontificem fuisse interpretatum in præsentia glossatoris, ipse affirmat.

AD 2. Verbis illis significatur quod indulgentia plenaria non semper ab omnibus participetur æqualiter, sed ab eo magis qui magis est dispositus, majorique devotione facit opus præscriptum. Neque hoc derogat indulgentiæ quæ vocatur plenaria : non enim ita nominatur, quasi omnes eam participantes, plenum inde fructum de facto consequantur ; sed quia ejus ea vis est, ut plenam inde remissionem accipere possit is qui sufficienter est dispositus : nam Pontifex ejusmodi indulgentiam nullâ mensurâ limitatam concedens, tantum largitur quantum quisque secundùm suam præparationem capere potest ; & totam pœnam condonat, si ad totalem condonationem paratus est pœnitens. Hinc Molan. Theol. pract. tract. 1. de pœnit. c. 14. *Illas intelligimus plenarias, quarum ea vis est, ut plenam is qui sit præparatus, accipere queat remissionem peccatorum. Plenaria igitur indulgentia tantum valet quantum sonat, sed non omnis qui eam participat, plenum inde fructum consequitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ad 3. Domin. d. 21. q. 2. articulo 1. & alij quidam, non concedunt ejusmodi plurium millium annorum indulgentias à Pontificibus emanasse, sed à quæstuarijs confictas volunt. Verum, etsi à Pontificibus emanaverint, nihil obstat: potest enim pœnitens esse obnoxius pœnitentijs multorum millium annorum, si (quod supra diximus) illi referantur ad pœnas secundùm veteres canones in hac vita subeundas, nam peccatis gravioribus decreta erat pœnitentia trium, quinque, septem, decem, viginti annorum, ut art. 3. quæst. 13. diximus. Sunt autem qui quotidie multa gravissima peccata committunt, idque per annos triginta, quadraginta, & amplius. Neque propterea sequitur quod talium hominum pœnæ nondum erunt in fine judicij persolutæ: quia acerbitatis vehementia potest compensare temporis diuturnitatem.

Ad 4. Neg. Cons. quia dum aliquis indulgentiam participat, sive vivus sive mortuus, hactenus recipit propria corporis, id est, quæ in corpore gessit; quia ut sic juvetur, meruit per unionem charitatis, & per opera quæ ipse fecit.

Ad 5. Indulgentia, de quâ nunc loquimur, nec mortalis, nec venialis culpæ deletionem habet pro effectu proprio, sed solam remissionem pœnæ, ejusque non æternæ, sed temporalis; & hujus non qualiscumque, (non enim pœnæ naturalis, nec ejus quæ alicui constituitur in foro civili) sed ejus demum cujus homo post condonatam culpam, reus manet apud Deum. Indulgentiæ ergo, in quibus conceditur absolutio à culpâ & pœna, sic intelligendæ sunt; vel quia per ipsarum diploma fit facultas pœnitentibus, ut sacramentaliter absolvi possint ab omnibus culpis, etiam reservatis: vel quia conceditur, ut qui fuerit eas lucratus, maneat omnino absolutus à culpa & pœna: non quod indulgentiæ tollant utramque; sed quia ut effectum suum habeant, requirunt confessionem sacramentalem, quâ simul cum absolutione culpa remittitur; ipsæ verò complent remissionem totius pœnæ: & sic tempore indulgentiarum absolvitur pœnitens ab omni culpâ per sacramentalem absolutionem; & ab omni pœna, per indulgentiam plenariam.

*De indulgentijs à culpa & pœna.*

## QUÆRITUR AUTEM I.

### *Vtrùm indulgentiæ valeant pro pœnitentijs dumtaxat illis quæ fuerunt injunctæ.*

Et videtur quod sic, Primò, quia in forma solet exprimi, *de pœnitentijs injunctis*, Clementina *Si Dominum*, de reliquijs & veneratione sanctorum, & can. 62. Conc. Later. sub Innoc. 3. & aliàs. Unde cap. *Cum ex eo*, de pœnitentijs & remissionibus, interdicitur Episcopis indulgentias concedere, nisi de injunctis pœnitentijs.

Secundò, Consentaneum est judicem de illis tantum indicare, quæ deferuntur ad suum judicium: ergo & eorum tantum peccatorum pœnas remittere, quæ delata fuerint ad judicium confessionis.

Tertiò, Sola debita remittuntur: nemo autem est debitor pœnitentiæ tribus aut quatuor annis agendæ, nisi fuerit per Sacerdotem injuncta: ergo nisi fuerit injuncta, non remittitur per indulgentias.

Quartò, Indulgentia est res odiosa, utpotè continens dispensationem bonorum communium, & relaxans pœnitentiæ rigorem: ergo verba concessionis strictè sunt accipienda.

Resp. Inter varias opiniones, eam videri probabiliorem: indulgentias sive concedantur simpliciter, sive cum addito, *de injunctis pœnitentijs*, valere ad remissionem pœnarum & pœnitentiarum, etiam non injunctarum. Dicit enim B. Tho. art. superiore, quod *valent ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & absolutionem, & confessionē, sive sit injuncta, sive non*: & art. 2. q. 27. quod per indulgentias *absolvitur quis à pœna injuncta vel debita pro peccato, in foro pœnitentiali.* *Resp. neg.*

Confirmatur, Primò, quia illa additio, *de injunctis*, non est restrictiva, sed ampliativa. Cùm enim sit difficilius remittere pœnas jam in foro pœnitentiæ taxatas, quàm non taxatas; consequens est, ut qui concedit majus & difficilius, concedat etiam minus & facilius ejusdem generis. Sicut si Episcopus alicui faciat potestatem absolvendi sacramentaliter à casibus reservatis, intelligitur dedisse illi facultatem absolvendi à non reservatis. Sensus ergo est, concedi indulgentiam, non tantum de pœnitentijs nō injunctis, sed etiam de injunctis.

Secundò, Pontifex aliquando facit indulgentiam quadraginta, vel centum, vel etiam plurium dierum: nescit autem pœnitentibus tantam pœnitentiam injungi à confessarijs: imò potius scit communiter non tantam injungi, nunc, quando non servatur antiquus rigor canonum in satisfactionibus injungendis, propter infirmitatem populi Christiani: ergo non intelligit de pœnitentia per sacerdotem peculiariter injuncta, sed de ea quæ meritò posset injungi; vel quæ jam olim injuncta est per canones pœnitentiales, quibus tali vel tali crimini, tanta vel tanta pœnitentia semel est præscripta. Et hæc enim rectè vocatur injuncta, cùm sit ipso canone præfixa.

Tertiò, Beneficium Principis quod non cedit in præjudicium alicujus tertij, latissimè debet intelligi, cap. *Olim*, de verb. significatione.

Quartò, Indulgentia solvit pœnitentem à pœna purgatorij: à qua qui solutus est, liber est à pœnitentijs hîc subeundis, sive illæ sint injunctæ, sive non: ergo ab eis liberat indulgentia.

Ad 1. autem Argumentum Resp. additionem, *de pœnitentijs injunctis*, aliquando exprimi, aliquando non: ut patet in extravagantibus *Antiquorum*, & *Unigenitus*; & ideo consueta indulgentiarum forma non debet intelligi solùm de injunctis, sed generaliter etiam de illis quæ possent injungi.

Neque verum est, Episcopis interdici ne possint absolutè concedere indulgentias, sed solùm de injunctis pœnitentijs: Aliorum enim expositio verior est, ac textui conformior, dicentium Episcopis prohiberi, ne ultra annum extendant indulgentiam in dedicatione alicujus Ecclesiæ; & non ultra dies quadraginta in anniversario dedicationis.

Ad 2. Etsi Judex Ecclesiasticus non debeat in uno eodemque foro judicare de alijs, quàm quæ ad illud deferuntur, si præsertim ferenda sit sententia secundùm rigorem justitiæ: potest tamen in diverso foro; præsertim ubi non requiritur particularis cognitio causæ, & ubi est magis forum gratiæ & misericordiæ, quàm justitiæ: forum autem indulgentiæ, est forum misericordiæ, & quidem aliud



aliud à foro pœnitentiæ, nec requirit particularem cognitionem causæ.

Ad 3. Negatur subsumptum, quamvis enim non sit nunc in usu injungere pœnitentias multorum mensium aut annorum; verè tamen, qui admiserunt gravia peccata, sunt debitores earum pœnarum coram Deo: per indulgentiam verò remittuntur pœnitentiæ istorum dierum & annorum: id est, remittitur debitum pœnæ purgatorij, cui satisfeciissent, si tot diebus vel annis pœnitentiam hic egissent.

Ad 4. Indulgentia discreta non est res odiosa, sed maximè favorabilis, & hominum infirmitati salutaris.

Ex his colligitur pœnitentiam sacramentalem relaxari per indulgentias, juxta modum & quantitatem earum, modò qui eas lucretur. Sed quia unicuique incertum est, an lucratus sit eas integrè; incertum item, an non sit debitor plurium quàm ipse existimet: Ideo, *cōsulendum est eis qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant*, ait B. Thom. art. sup. ad 4. præsertim cùm valdè leves pœnitentiæ nunc injungantur, partim medicinales, partim ad participandas indulgentias disponentes. Unde Pontifex in Jubileis annorum 1606. & 1607. volebat injungi pœnitentias salutares arbitrio confessariorum. Et in altero, anno 1620. publicato, *injuncta*, inquit, *eis, & eorum cuilibet, in supradictis omnibus casibus, pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarij arbitrio injungendis.* Similiterque loquitur Greg. 15. in Jubilæis per Belgium anno 1621. publicatis; ac etiam qui hoc anno sedet Urbanus 8. in suis, quorum ultimum nunc habemus & celebramus.

## QUÆRITUR II.

### *Quid requiratur, ut indulgentiæ tantum valeant quantum sonant.*

Requiri authoritatem in concedente, & statum gratiæ in suscipiente, breviter hoc 2. art. dixit B. Thomas, latiùs autem q. 26. & 27.

Utrùm insuper causa justa quantitati indulgentiarum proportionata requiratur, in quæstione est.

Non requiri probatur Primò, Christus absolutè dixit: *Quodcumque solveris*, Matt. 16. & Pontifices absolutè concedunt plenam peccatorum remissionem facientibus id quod pro indulgentiâ consequenda præscribunt. Cùm ergo nihil de causa dicant; non videtur ea requiri. Alioquin deciperent fideles, absolutè promittentes id quod solum est verum sub conditione.

Secundò, Eleëmosyna est actus honestus & virtutis, etiamsi ad eam nihil aliud moveat quàm ut cui datur, liberetur à miseria: ergo similiter indulgentiæ.

Tertiò, Sæpè dantur indulgentiæ plenariæ pro causâ admodum levi, ut astantibus ante fores Ecclesiæ S. Petri, quando Pontifex in die Paschæ solemniter benedicit populo.

Quartò, Fundamentum indulgentiarum, neque est opus injunctum, neque operis illius causa, sed merita Christi & sanctorum: ergo etiamsi nec opus, nec operis causa sit proportionata; valebunt tamen indulgentiæ, propter infinitum valorem meritorum Christi.

Quintò, Propter unam eandemque causam dantur indulgentiæ nunc minores, nunc majores: Unum autem non potest esse proportionatum majori & minori: ergo non requiritur proportio.

Atque ita sentire videtur Author. Primò, quia refellit eorum opinionem qui dicebant quantitatem indulgentiarum non mensurandam, tantùm secundùm devotionem suscipientis; neque secundùm quantitatem ejus quod datur; sed & secundùm causam pro quâ indulgentiâ datur.

Secundò, quia dicit quamcumque causam sufficere; modò ea in utilitatem Ecclesiæ & honorem Dei vergat.

Tertiò, quia in responsione ad 1. dicit, etiamsi prælatus inordinatè concedat indulgentias, atque adeò peccet: nihilominus quis indulgentiam plenariam consequitur.

Quartò, In responsione ad 5. docet non requiri causam ad hoc quod secundùm eam commensurentur indulgentiæ, sed ad hoc ut intentio illorum, quorum merita communicantur, ad alios pervenire possit.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

Ad valorem indulgentiarum, quantùm attinet ad remissionem pœnæ quæ in diplomate exprimitur, necessaria est causa justa & rationabilis ex parte concedentis, quæ illum moveat ad eas concedendas: Alioquin, sine causa rationabili concessæ non liberant coram Deo hominem à reatu pœnæ temporalis. *Causa justa est ad indulgentiam necessaria.*

Probatur Primò, quia Pontifex & alij prælati Ecclesiæ non sunt domini spiritualium thesaurorum, sed dispensatores tantùm: differt autem dispensatio à dissipatione, quòd illa fiat ex legitimis causis, & secundùm voluntatem domini; hæc temerè, pro libito: Cùm ergo Dominus non habeat ratam suorum bonorum dissipationem, sed tantùm dispensationem; consequens est indulgentiam sine causa concessam esse irritam.

Confirmatur, temeraria profusio & alienatio bonorum Ecclesiæ non est valida: ergo nec temeraria donatio spiritualium; utrorumque enim bonorum Ecclesiæ prælati sunt solùm dispensatores.

Secundò, Pontifex non potest sine justâ causâ relaxare obligationem aliundè quàm ex peccato voluntariè ortam, ut in votis & juramentis patet: ergo nec illam quæ ex peccato provenit, talis autem est obligatio ad pœnam restantem post remissionem culpæ: ergo.

Tertiò, Deus justâ ex causâ hominem, cui peccata dimittit, relinquit debitorem pœnæ temporalis: ergo non vult eam remitti sine causâ.

Quartò, Innocentius 3. cap. *Cum ex eo* tit. de pœnitentijs, indulgentias indiscretas vocat superfluas, id est, inanes & irritas.

Clemens autem 6. in extravagante *Unigenitus*, dicit thesaurum Ecclesiæ pro pijs & rationalibus causis esse applicandum, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis.

Et Martinus 5. in fine Concilij Constantiensis suspectos vult interrogari, utrum credant quod Papa ex causâ piâ & justâ; possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum.

Cyprianus tract. de lapsis redarguens eos qui temerè dabant indulgentias, *Irrita*, inquit, *& falsa pax periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura*,

Universidad de Deusto
Biblioteca



Dixi, *quantum attinet ad remissionem pœnæ*, quia indulgentiæ sine causa datæ, valent quantum ad ea quæ sunt juris Ecclesiastici, quale est privilegium eligendi confessorem, qui absolvat etiam à casibus reservatis.

### Conclusio II.

JUsta causa plerumque duo complectitur, finem videlicet aliquem Deo gratum, cujus assecutio videatur illi gratior futura, quàm satisfactio propria quæ relaxatur; & opus aliquod bonum: quod quidem non necesse est esse per se valdè meritorium aut satisfactorium, ita ut adæquet pœnam, cui tollendæ datur indulgentia (nam ea ratione foret per propriam satisfactionem justa compensatio, non indulgentia) sed oportet quòd sit aptum ad finis intenti consecutionem. Et hæc aptitudo facit ut causa propter quam datur indulgentia, proportionem habeat cum illâ.

Notandum tamen, quòd ad justam causam aliquando sufficere possit finis Deo gratus, sine aliquo opere injuncto, quando scilicet finis non pendet ab opere, vel quando præcesserunt magna in Ecclesiam merita illius personæ, cui fit indulgentia. Sic olim ad preces Martyrum remittebatur lapsis aliqua pars pœnitentiæ: & etiamnum conceditur quibusdam in articulo mortis indulgentia, neque tamen ullum opus eis injungitur; quia præcedentia illorum merita conjuncta cum extrema necessitate, justam causam constituunt.

### Conclusio III.

*Causæ indulgentiarum.*

INter causas concedendi indulgentiam, præcipuæ sunt, basilicarum extructio & dedicatio, infidelium conversio, hæreseon extirpatio, populi tum erga sanctos, tum erga Sedem Apostolicam devotio, urgens Ecclesiæ necessitas, gloriæ martyrum ac magnitudinis meritorum ipsorum commendatio, morbus corporis, & periculum animæ. Dicit enim Apostolus 2. ad Corinth. 2. *ne abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est*; id est, ne in desperatione incidat. Quæ causa cùm sit privata & solùm ex consequenti publica, quatenus per eam Ecclesiæ mansuetudo commendatur; apparet utilitatem Ecclesiæ, de qua B. Thomas hîc in corpore, non necessariò intelligi commune ipsius bonum, nisi ex consequenti.

### Conclusio IV.

NOn sufficit quæcumque causa rationabilis, ad quantascumque indulgentias, sed requiritur ea quæ proportionetur quantitati earum: ita ut quemadmodum sine causa concessæ nihil valent, ita concessæ magnæ sine magna causa, non tantum valeant. Nam ad majorem indulgentiam requiritur major causa; nec illa valet nisi pro quanto causa sufficit in judicio Dei.

Probatur Primò, quia ad valorem indulgentiæ necessaria est causa justa: ut autem justa sit, debet esse vel adæquata, vel proportionata; justum enim non est, nisi quod aliquo modo adæquatur vel proportionatur rei.

Secundò, Causa debet esse rationabilis: illa autem non est rationi consentanea, quæ est improportionata; cùm recta ratio non admittat aliquid improportionatum.

Tertiò, Non tantum ille est infidelis dispensator qui sine causa profundit bona sui domini, sed etiam qui pro minima re thesauros pretiosos distribuit. Imò magis prodigus censetur, qui magna bona dispendit ex levissima causa, quàm qui exigua pro nulla.

### Conclusio V.

CAusa indulgentiarum non solum debet esse proportionata ex parte concedentis, sed etiam ex parte suscipientis, ut scilicet aliquid eo modo præstet, ut habeat proportionem ad indulgentiæ concessæ quantitatem. Ita Dominicus in 4. d. 21. q. 2. artic. 2. Neque enim ad illarum valorem sufficit magnitudo causæ ex parte concedentis, nisi ad eam aliqua proportione accedant illi qui volunt esse participes: Accedunt autem per opus, cujus intuitu applicatur eis thesaurus: ergo prout plus vel minùs accedunt per illud opus ad istam causam, sic sunt plus aut minùs participes indulgentiæ.

Confirmatur, Qui multa eaque gravissima scelera commisit, nisi opus aliquod majus aut majori fervore faciat, quàm qui unum aut alterum peccavit, longè minus est dispositus ad plenam remissionem pœnarum; ergo non videtur consequi plenum fructum indulgentiæ plenariæ. Hinc Bonaventura in 4. d. 20. q. ult. *Ille qui dat indulgentias, cum eas tribuit, considerat causam pro quâ reputat eum dignum tantâ gratiâ; & secundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam causam, plus vel minus participant de indulgentia.*

Et Adrianus, *concedo*, inquit, *quod eorum qui idē opus faciunt, unus plus consequitur de indulgentijs, quam alter.* Allegat autem B. Thom. ad 3. hujus art. dicentem, quod *quando indeterminatè datur indulgentia contribuentibus ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium quod sit conveniens ei qui auxiliū dat; & secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus vel minus de indulgentia consequitur.* Ubi manifestè sentit B. Thomas, quod eorum qui idem opus in substantiâ faciunt, unus plenè consequitur indulgentiam, alius partem; & plus vel minùs secundùm quod accedit ad causam pro qua concessæ sunt indulgentiæ. Allegat & Innocentium, in capitulum, *Quod autem*, de pœnitentijs, ubi dicit: *Licet generaliter fiat indulgentia propter laborem, propter devotionem, & propter pericula: tamen unus plus alio habet infra metam à prælato constitutam, secundùm quod plus devotus est, vel plus laborat, vel majoribus se periculis exponit.*

Eodem valet illud Bonifacij 8. in extravagante, *Antiquorum; Unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur; qui basilicas ipsas amplus & devotius frequentabit*: propter quod Molanus suæ Theologiæ practicæ tract. 1. c. 14. cōclusione 2. dixit *non omnem qui plenariam indulgentiam participat, plenum inde fructum consequi.*

Huc etiam pertinet quod B. Thomas quæst. 71. ar. 10. dicit; *nec tamē sequitur quod prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare: quia ad hoc ut indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens.* Ubi per causam convenientē non tantū significat causam piam, sed etiam proportionatā, quæ scil. habeat convenientiam cum indulgentia: nam alioquin nunquā deesse potest Pontifici causa pia. Ibi autem B. Thom. remittit lectorem ad præsentem hujus quæstionis articulum: Dicendum est ergo quod hîc per causam *piam*, etiam convenientem

*Quæ apud B. Thom. causa conveniens.*



nientem & proportionatam intellexerit. Unde in responsione ad 3. dicit *requiri causam legitimam*: Et art. 3. quæstionis sequentis; *Potestas*, ait, *faciendi indulgentias plenè residet in Papa, quia potest facere quod vult, causa tamen existente legitima*: quæ clausula ultima bene est notanda.

Ex his patet eos qui graviter & multipliciter deliquerunt, non consequi plenam remissionem per indulgentias plenarias, nisi devotione aut propria satisfactione, ad causam tanti beneficij certa quadam proportione accedant.

Ad 1. Arg. Resp. in verbis sine restrictione prolatis, eam conditionem quæ ex naturâ rei necessaria est, esse intelligendam: talis autem est aliqua necessitas, vel causa proportionata, ad hoc ut œconomus fideliter dispenset thesauros sibi concreditos.

Neque Pontifices ullum decipiunt: quia *indulgentiæ tantum valent quantum sonant*, ex parte concedentis, ac etiam ex parte suscipientium, modò sufficienter se præparent. *Earum enim vis est* (ait ubi suprà, Molanus) *ut plenam is qui sit præparatus, accipere queat remissionem peccatorum.*

Ad 2. Negatur consequentia: eleëmosyna enim fit ex bonis proprijs, quorum quisque est dominus: indulgentiæ verò ex bonis communibus, quorum prælatus est tantum dispensator.

Ad 3. Non datur indulgentia plenaria pro causa levi. Quamvis enim opus præscriptum sit leve, ac si in se spectetur, facile; omnibus tamen consideratis, causa gravis est & justa: quia magnitudo causæ non ex solo opere spectanda est, sed magis ex fine ad quem opus illud dirigitur. Sic assistentia populi ad fores Ecclesiæ B. Petri, omnibus consideratis est justa causa dandi plenariam indulgentiam, quatenus est aptissimum medium ad protestandam fidem quam habet populus de Capite Ecclesiæ.

Ad 4. Etsi thesaurus sit causa principalis effectus indulgentiarum; non excluduntur tamen aliæ, sicut potestas pontificis est suo modo causa dispensationis voti; neque propterea sequitur non debere adesse causam rationabilem, ut dispensatio sit valida.

Ad 5. Negatur consequentia: *Primò*, quia proportio requisita non consistit in indivisibili, sed habet gradus, & modo humano æstimanda est, sicut pretia rerum.

*Secundò*, quia datur interdum minor indulgentia, quando causa sufficiens est ad dandum majorem; ac proinde nihil mirum, si alio tempore detur major pro eâdem causâ.

*Tertiò*, quia fieri potest ut una causa sit uno tempore magis proportionata, quàm alio; propter necessitatem, sicut eadem oratio, idem jejunium, eadem eleëmosyna, majorem habet proportionem cum majori indulgentiâ, quando est major Ecclesiæ necessitas.

Quid Author senserit, non usque adeò clarum est: requisivisse tamen causam proportionatam, ex dictis probabile fit.

Ad 1. ergo & 4. in contrariam partem allatum Resp. non aliud eum velle quàm non requiri, ut causa commensuretur effectui secundùm absolutam æqualitatem.

In 2. sumitur causa pia pro conveniente & proportionata, ut paulò superiùs jam diximus & probavimus.

In 3. inordinatas & consequenter indiscretas indulgentias vocat, secundùm Adrianum & Dominicum; non quæ sine probabili causa conferuntur, sed quæ nimium frequenter. Unde B. Thomas seipsum explicans addit; *ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur.* Quamquam & illæ quæ conceduntur sine proportione ad causam, possint effectum sortiri in illis, respectu quorum est causa proportionabilis: ac proinde quod illic B. Thomas, ait, *nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur*; intelligi quoque potest, si respectu ejus causa sit proportionata, etiamsi non sit proportionata ut tanta indulgentia concedatur plebi promiscuæ.

### Articulus III.

ART. 3. docet fieri posse indulgentiam pro temporalibus, quatenus ordinantur ad aliquid spirituale; quia tunc dantur pro illo spirituali, ad quod ordinantur temporalia. Sic indulgentiæ conceduntur euntibus ad bellum contra infideles, conferentibus ad ædificationem Ecclesiæ, monasterij, xenochij, vel in alimoniam pauperum.

In responsione ad 2. *Crucem accipere*, est signare se cruce ad bellandum pro recuperanda terra sancta, vel pro alia pia causa.

## QUÆSTIO XXIV.

*De his qui possunt indulgentias facere.*

### Articulus I.

ART. 1. probat non quemlibet sacerdotem parochialem posse indulgentias facere: quia cùm illæ dispensentur ex thesauro Ecclesiæ, soli illi possunt eas facere, qui præficiuntur Ecclesiæ; ac proinde, quemadmodum solus Episcopus est simpliciter ac propriè prælatus Ecclesiæ; ita solus ipse potest indulgentias facere, quod attinet ad ordinariam potestatem, id est, ex vi muneris & officij competentem.

*Nō omnes sacerdotes possunt facere indulgentias.*

Abbates autem & parochi, cum suis conventibus & parochijs præsint, non uti politicæ multitudini, sed solùm ut œconomicæ; id est, non tanquam civitati vel provinciæ, sed tanquam uni cuidam familiæ; non sunt simpliciter prælati Ecclesiæ, sed secundùm quid & impropriè. Unde nec plenam habent potestatem in dispensatione omnium sacramentorum, nec omnimodam in suos subditos jurisdictionem; quam habent Episcopi. Huc pertinet cap. *Accedentibus*, tit. de excess prælatorum; ubi innocentius 3. declarat non esse Abbatibus potestatem concedendi indulgentias, severèque prohibet ne attentent.

*Nō Abbates, nec parochi.*

Nec obstat quòd religionum præfecti soleant communitatis suæ bona spiritualia communicare alijs: Talis enim communicatio non est indulgentia propriè dicta.

*Ob.*

*Resp.*

*Primo*, quia non fit ex thesauro meritorum Christi & sanctorum.

*Secundo*, quia per eam non applicantur satisfactiones præteritæ, quæ cum alijs superabundarent, in thesaurum sunt reconditæ, sed futura tantùm opera.

*Tertiò*, quia per talem communicationem, aliquis *non solvitur a debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est ex præcepto Ecclesiæ. Ita B. Thom. hic.*

Non

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ob. Non obstat etiam quòd confessarij per absolu- A
Resp. tionem sacramentalem, non solùm culpam remittant, sed etiam pœnam : quia non omnis remissio pœnæ est effectus indulgentiæ, sed ea demum quæ fit per jurisdictionem fori externi, relaxando pœnitentiam injunctam, vel in totum, vel ex parte: confessarij autem, ut tales non habent jurisdictionem fori externi, nec possunt indulgere pœnitenti satisfactionem debitam ; sed tenentur eam pro gravitate delicti injungere: vel si pœnitentis infirmitas non patiatur, debent residuum ei committere, per se assumendum, vel à Deo expectandum.

Ob. SIDICAS, Corinthios fecisse incœstuoso indulgentiam, ut significare videntur illa verba 2. ad Corinth. 2. *Cui aliquid donastis*, sive, ut supra monuimus, *donatis, & ego*; idemque facere alios fideles; B
Resp. dum alijs applicant suas satisfactiones.

Ad prius RESP. eam donationem non ascribi omnibus Corinthijs, sed tantùm presbyteris, & quidem Episcopali authoritate utentibus per concessionem Apostolicam. sicut etiam 1. ad Corinthios 5. judicandi & excommunicandi potestas intelligenda est pertinere non ad omnes Corinthios, sed ad solos præfectos.

Adverte tamè quòd utrumque possit aliquo sensu tribui omnibus : quia nimirum, voto, pia commiseratione, & zelo justitiæ id censetur facere cœtus fidelium, quod soli præfecti faciunt ex potestate. Quomodo dicit Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donat. cap. 18. *quod remissio peccatorum detur per columbæ gemitus*, loquens de peculiari modo C
remittendi peccata, quo per orationes, lacrymas, aliaque opera cooperatur quispiam ad impetrandâ peccatoribus veniam peccatorum ; non autem de ministerio sacramentali. Vide qu. 19. art. 5. ad 3.

Ad posterius RESP. istam applicationem esse nudam pœnæ solutionem absque usu jurisdictionis, ideoque non esse indulgentiam. Unde nec pœnitentem liberant à pœnitentia per sacerdotem injuncta.

Ex his consequenter est dicendum Archidiaconos, & Episcoporum Vicarios, non habere ordinariam potestatem indulgentias concedendi: quod & D
de capitulo cathedrali Sede vacante, meritò existimavit Dominicus dist. 21. quæst. 1. artic. 4 & Suarez tom. 4. in 3. part. disput. 55. section 4. quia neque simpliciter sunt Prælati Ecclesiæ, neque à jure divino vel humano potestatem illam habent ; etsi non desint, qui aliter sentiant, ut Sylv. verbo *Capitulum*, & Zerola verbo *Indulgentia*, ususq; obtinuit quod Vicarij generales Sede vacante concedant indulgentias quadraginta dierum, sicut Episcopi.

ARTICULUS II.

*Aliqui non Sacerdotes possunt concedere indulgentias*

ART. 2. docet diaconos & alios non sacerdotes ( clericos tamen ) posse concedere indulgentias ; vel per jurisdictionem ordinariam, sicut faciunt Episcopi confirmati priusquam conse- E
crentur: vel per commissam, sicut legati sedis Apostolicæ. Hi enim in omnibus locis ad quæ se extendit illorum legatio, possunt ex dictæ sedis commissione, indulgentias concedere. Rationem dat, quia indulgentiarum concessio non est actus ordinis, sed jurisdictionis. Dixi (*clericos tamen*) quia licet ex absoluta potestate posset summus Pontifex delegare istam jurisdictionem non clerico ; præter ipsum tamen, nulli alij hoc possunt : neque foret congruum quod vel ipse hanc jurisdictionem delegaret alteri quam clerico.

ARTICULUS III.

*Episcopi quales dare possunt indulgentias.*

ART. 3. docet Episcopos habere potestatem faciendi indulgentias, sed restrictam. Summus enim pontifex, cùm solus habeat plenitudinem potestatis, solus potest indulgentiam plenariam facere; & hoc quibusvis fidelibus: cæteri autem Episcopi non possunt, nisi his qui sunt de sua diœcesi ; & Archiepiscopi; his qui sunt de sua provincia: atque has unius tantùm anni cum dedicatur Ecclesia, alijs verò temporibus, quadraginta solùm dierum. Ita statuerunt Innocentius 3. in Concilio Lateranensi, & cap. *Cum ex eo*, tit. de pœnitentijs, Honorius 3. cap. *Nostro*, eodem tit. Bonifacius 8. cap. *Indulgentiæ* in 6. eodem titulo; & hoc sive ab uno, sive à plurimus simul Episcopis detur. *Si verò prædictum modum excesserint, indulgentiæ vires non obtinent*, ait Bonifacius; quantum scilicet ad excessum: Valent enim quantum ad eam partem, quam jure possunt concedere, juxta regulam juris 37. in 6. *Utile non debet per inutile vitiari.*

Quo autem jure habeant Episcopi potestatem concedendi indulgentias, ambigitur. Probabilius est, quod ecclesiastico : quamvis enim Episcopale munus sit ex institutione Christi quoad potestatem jurisdictionis in communi ; ipse tamen Christus non dat per seipsum singulis Episcopis Jurisdictionē eis competentem, sed eam à Romano pontifice ipsi accipiunt; qui proinde potest eam restringere prout indicaverit expediens. Neque propterea dicendum est Episcopos non posse indulgentias concedere potestate ordinaria, sed delegata: possunt enim hoc ex vi muneris seu officij Episcopalis, atque ex jure communi ecclesiastico.

Alia difficultas est,

*Utrum Concilium generale possit concedere indulgentiam plenariam.*

QUIDAM affirmant, PRIMÒ, quia tale concilium habet potestatem ferendi leges communes, ab omnibus observandas.

SECUNDÒ, In omni communitate, distributio bonorum communium pertinet ad ipsam communitatem, etiam absente capite.

TERTIÒ, in generali concilio sunt omnes pastores & judices spirituales.

QUARTÒ, Concilium Basilense sess. 24. de facto concessit indulgentiam plenariam.

*Resp. neg.* RESPONSIO tamen negativa est verior ; scilicet Concilium generale non habere potestatem concedendi plenariam indulgentiam, secluso Pontifice.

PRIMÒ, quia solus Pontifex, non autem eo secluso Concilium habet supremam potestatem ecclesiasticam.

SECUNDÒ, quia constat ex dictis capitulis, *Cum ex eo*, & *indulgentiæ*, non plus posse in concedendis indulgentijs plures Episcopos simul junctos, quam unum. Neque juvat quod sunt in concilio generali: quia illud non fortitur capitis potestatem, eo absente.

AD 1. ARG. RESP. Concilium generale, mortuo Pontifice, posse ferre leges ad regimen Ecclesiæ necessarias, pro eo tempore quo sedes vacat: sed ad concedendas plenarias indulgentias nullam habet potestatem, ne quidem tunc, quia in illo Concilio non est potestas major episcopali, quamvis sit multiplicata.

AD 2.



AD 2. thesauri materialis dominium est penes A
communitatem ; ipsaque est quæ dispensationem illius commisit suo Regi vel Capiti : spiritualis autem thesauri dominus est solus Christus ; dispensator verò summus, is quem sui Vicarium supremum constituit.

AD 3. RESP. deesse supremum judicem.

AD 4. RESP. illud Concilium nullius esse roboris, ut ex ejus actis, & ex sess. 11. Concil. Later. sub Leone 10. est manifestum, ubi vocatur conciliabulum omni robore carens. Conferantur quæ diximus l. 5. controvers. q. 1. art. 5. & q. 2. art. 7.

Ex his consequenter est dicendum quod Concilium Provinciale non possit indulgentias concedere, ultra præscriptum canonis Lateranensis. B

ARTICULUS IV.

ART. 4. probat eum qui est in peccato mortali posse indulgentiam facere : quia hoc est jurisdictionis ; per peccatum autem mortale, non tollitur jurisdictio, sed bonitas ; bonitas autem non est necessaria ad validè utendum jurisdictione.

## QUÆSTIO XXVII.

### *De his quibus valent indulgentiæ.*

ARTICULUS I.

*Indulgentiæ non valent manentibus in peccato.* ART. 1. probat indulgentias non valere C
existentibus in peccato mortali : quia nemini remittitur pœna, nisi prius abolеatur culpa, per quam reatus pœnæ contractus est ; indulgentiæ verò sunt remissio pœnæ. Hinc est quod in bullis indulgentiarum, eæ dicuntur concedi contritis & confessis.

*Quæ dispositio est necessaria ad indulgentiã.* Inter dispositiones ergo ad consequendam indulgentiam requisitas, præter adimpletionem operis injuncti, requiritur ex parte suscipientis, status gratiæ. Et quamvis dubitetur, quando ille sit necessarius ; communior tamen ac verior sententia est, si in diplomate indulgentiarum non exprimatur, eum non requiri tunc quando perficitur opus injunctum, sed quando effectus indulgentiarum D
est percipiendus : ita tamen, ut ejusmodi opus impleatur cum bona pœnitentia.

PROBATUR PRIMÒ, quia Bonifacius 8. in extravagante *Antiquorum*, concedit plenariam indulgentiam *non solùm pœnitentibus & confessis accedentibus ad basilicas nominatas, sed etiam ijs qui verò pœnitebunt & confitebuntur.*

SECUNDÒ, Ibidem requirit, ut Romani Ecclesias visitent per dies triginta : forenses verò per quindecim ; cùm tamen moraliter vix fieri possit, quod omnes illæ visitationes passim fiant ab omnibus in statu gratiæ.

TERTIÒ, In quibusdam indulgentijs præscribitur jejunium ferijs quarta, sexta, & sabbatho, cum E
confessione vel prævia vel sequente: ut in Jubilæo anni 1606. 1617. & alijs subsequentibus : signum est ergo non esse necessarium quod opus impleatur in statu gratiæ ; cùm peccatores ordinariè non justificentur ante confessionem.

*Ob.* SIDICAS, olim remitti solere partem satisfactionis ante reconciliationem ; ut quando satisfactiones plurium annorum præscribebantur implendæ ante absolutionem, & intuitu martyrum relaxabantur, ut patet ex ijs quæ ad q. 18. art. 3. & ad q. 25.
*Resp.* ar. 1. diximus : RESPONDETUR, quod sicut opus satisfactorium fiebat ab ijs qui non erant participes indulgentiarum ante reconciliationem : ita ejusdem operis relaxatio fiebat illis qui participabant indulgentias, etiam ante reconciliationem; effectus autem ejus relaxationis, non percipiebatur coram Deo, nisi in reconciliatione: quia non potest pœnitens liberari à debito pœnæ temporalis alterius sæculi, nisi priùs natura liberetur à debito æternæ.

*Ob.* SI PRÆTEREA dicas Deum non placari per opera mortua, ideoque oportere ut opus injunctum impleatur in statu gratiæ: *Resp.* RESP. indulgentiam non niti nostro, aut labore, aut satisfactione, sed meritis Christi & sanctorum, quæ fuerunt facta in gratia. Insuper autem, opera quæ fiunt à pœnitentibus nondum justificatis, non sunt prorsus mortua : fiunt enim per Spiritum Dei, & prosunt ad salutem vitæ æternæ. Quæ cum ita sint; Pontifex tamen in literis indulgentiarum potest requirere ut opus injunctum perficiatur in gratia, quo casu, status gratiæ necessarius est, & tunc quando ipsum opus præstatur, & tunc quando indulgentia est percipienda. Sed an præter hæc, aliquid aliud requiratur ; in quæstione est.

### QUÆRITUR ERGO I.

### *An culpa venialis impediat fructum indulgentiæ.*

Pro responsione sit

CONCLUSIO I.

SI peccatum veniale committatur quando indulgentia est percipienda, & non vitiet opus ad eam consequendam præscriptum ; non impedit fructum indulgentiæ ; nisi quoad remissionem pœnæ illi peccato veniali debitæ, ut si quis inter jejunandum pro consequendis indulgentijs, officiosè mentiatur. Ratio est, quia peccatum mortale potest remitti sine veniali : & unum veniale, sine alio : nullum autem remitti potest, quamdiu geritur affectus ad illud.

CONCLUSIO II.

SI peccatum veniale vitiet opus injunctum, ita ut illud ipsum sit peccatum, quam veniale, impedit fructum indulgentiæ : ut si quis jejunet, vel oret ob vanam gloriam : Tale enim opus non est dispositio requisita ad indulgentiam. Ita Adrianus in tract. de clavibus.

### QUÆRITUR II.

### *Utrùm ad consequendam indulgentiam requiratur diligentia & solicitudo per se satisfaciendi.*

AFFIRMAT Cajetanus ; PRIMÒ, quia qui cùm possit, non vult per se satisfacere, indignus est cui applicetur aliena satisfactio : Ecclesia autem non intendit beneficium indulgentiæ conferre indignis ; quemadmodum in republica bene instituta, non distribuuntur bona communia ijs qui gravantur ære alieno, si per se possint solvere. Sed nec ab amico rectè petes id, quod ipse tibi præstare possis.

SECUN-

Universidad de Deusto
Biblioteca



SECUNDÒ, Indulgentiæ non conceduntur nisi verè pœnitentibus: non sunt autem verè pœnitentes, qui non habent propositum faciendi fructus dignos pœnitentiæ.

TERTIÒ, Is cui Sacerdos injungit pœnitentiam; vel eam accipit animo adimplendi, & sic debet habere propositum satisfaciendi; vel animo non implendi, & ita fallaciter agit, atque adeò indignus est qui juvetur.

QUARTÒ, Cyprianus epist. 11. rogat confessores, ut non alios in libellis suis Episcopo commendent pro consequenda relaxatione pœnitentiæ, quàm quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicerent.

*Resp. est neg.* RESP. antiquam nihilominus sententiam esse tenendam, ejusmodi solicitudinem ac studium satisfaciendi proprijs laboribus, non esse necessarium ad consequendam indulgentiam; sed sufficere statum gratiæ, & impletionem operis præscripti, cum proportione causæ, tum ex parte conferentis, tum ex parte suscipientis, secundùm ea quæ diximus articulo secundo, quæstione vigesima quinta.

PROBATUR PRIMÒ, quia qui est in gratia est vivum Christi membrum, ac proinde capax ejus influxus, qui à Christo per indulgentiam emanat.

SECUNDÒ, est etiam particeps communionis sanctorum; ergo meritis & satisfactionibus illorum potest juvari.

TERTIÒ, dum facit opus injunctum ad indulgentiam, eo ipso curat pro sua parte satisfacere tantum quantum requiritur; atque ita non omnino negligens est dicendus.

QUARTÒ, Ideo frequentari cœpit usus indulgentiarum, quia fideles tepidiores & ad implendas graves pœnitentias per canones præceptas, negligentiores effecti essent: Hoc enim advertens Mater Ecclesia, adjutrices eis manus porrigere voluit. Cujus rei argumentum habemus, etiam in Apostolo, *Ne forte abundantiori tristitia absorberetur* is qui pœnitentiæ erat subjectus, unde Chrysostomus hom. 4. in posteriorem ad Corinthios dicit Apostolum venia eum dignari, *non quod dignus sit, neque quod sufficientem exhibuerit pœnitentiam sed quod infirmus sit.*

QUINTÒ, Pontifices etsi requirant ut confessarij pœnitentias salutares injungant illis qui volunt esse participes indulgentiarum, non requirunt tamen à pœnitentibus ut parati sint plenè pro peccatis suis satisfacere, sed solum quod opera in indulgentiarum diplomate expressa, & alia per confessarios injuncta adimpleant: signum est ergo quod non sit necessaria voluntas per seipsum plenè satisfaciendi: Alioquin populus deciperetur, & fructu indulgentiæ sæpè frustraretur, cum populus nunquam sit monitus de illa conditione præstanda. Confirmatur, Etsi plerumque dicatur indulgentia concedi *contritis & confessis*, non additur tamen, & satisfacientibus: quia nimirum ut loquitur Author quodl. 2. art. ult. ad 3. *Indulgentia supplet locum satisfactionis, in quantum pœna quam alius sustinuit, imputatur isti ac si ipse sustinuisset.* Quare cum propria satisfactio, saltem plena, non sit necessaria; nec ejus solicitudo necessaria est.

AD 1. ergo Argum. RESP. eum qui cum possit, sit, non vult per se satisfacere, sed indulgentias, earumque fructum conatur percipere, non esse indignum; modo ita sit animo comparatus, quod per seipsum satisfaceret, si non essent indulgentiæ.

Ad confirmationem, Etsi bonorum communium dispensator ordinariè non possit ex eis solvere debitum ejus qui de suo potest satisfacere: causa tamen occurrente, id potest; præsertim si thesaurus esset infinitus, ex quo proinde nihil periret, quod indigentibus posset applicari. Sed nec amicitiæ repugnat, ab amico petere aliquid quo ipse non eget, etiamsi aliunde possis tibi succurrere.

AD 2. Verè pœnitens est, qui habet propositum satisfaciendi per se, vel per alium quatenus fuerit opus.

AD 3. Talis pœnitentiam suscepit cum intentione ipsam implendi, nisi fortè per indulgentias liberaretur.

AD 4. Cyprianus monet indulgentias à confessoribus petendas, habita ratione disciplinæ Ecclesiasticæ; ut scilicet non promiscuè peterent pro quibuscumque, sed pro illis qui per aliquam satisfactionis partem sese disposuissent.

## QUÆRITUR III.

### *Vtrùm ad fructum indulgentiæ percipiendum requiratur confessio sacramentalis.*

RESP. eam requiri posse, vel ut partem operis injuncti; vel ut dispositionem ad statum gratiæ. Si priori modo, est necessariò adhibenda, etiamsi quis haberet sola peccata venialia: quia totum opus præscriptum debet impleri. Si posteriori facere illam tenetur is qui peccati mortalis habet conscientiam, & non alter. *Distinctione respondetur.*

PRIUS, quia confessio est medium ordinarium ad consequendam relapsis veniam peccatorum mortalium.

POSTERIUS, quia dispositio propter quam præcipitur confessio, jam habetur. Cæterum quando exigatur confessio, ut pars operis, quando vero solum ut dispositio ad statum gratiæ: non est facilè semper judicare. Quando conceditur indulgentia, sed non nisi illis qui confessionem præmiserint, requiri videtur ut pars operis. Quando conceditur contritis & confessis; dubium est: probabilius tamen videtur tunc requiri ut dispositionem; ideoque non esse necessariam, nisi peccati mortalis conscientiam habentibus. Quando autem exprimitur confessionem requiri, sufficit eam fieri de peccatis non confessis: & non est necessaria confessio generalis. Quamvis enim formula dicat concedi indulgentiam omnium peccatorum, de quibus quis fuerit contritus & confessus: non dicit tamen quod jam de novo debeat esse contritus & confessus de omnibus tota vita factis.

Ex his consequenter est dicendum, quod si ad indulgentiam exprimatur requiri communionem non facta mentione confessionis, confessio necessaria sit illis qui peccati mortalis habent conscientiam, & non alijs; quia illis jure divino necessaria est ante communionem, & non istis.

## ARTICULUS II.

*Etiam religiosis conveniat participare indulgentias.*

ART. 2. tradit statui religiosorum non repugnare uti beneficio indulgentiæ: quia & ipsi peccatores sunt, alienisque subsidijs adjuvari possunt. Nec disciplina monastica ullum inde patitur detrimentum: cum per indulgentiam non remittantur pœnæ capitulares, sed illæ tantum quæ debentur in foro pœnitentiæ. Nec oportet religiosos exire claustro pro consequendis indulgentijs: partim quia plus merentur servando regulam, partim quia tale opus præscribitur religiosis, quod præstare possunt intra claustrum, saltem quando habent indulgentias eis peculiariter concessas.

*Ob.* SI DICAS, religiosos non paucos ab ordinaria Episcoporum jurisdictione esse exemptos, ideoque exclusos ab indulgentijs per ipsos concessis.

*Resp.* RESP. non excludi: quia neque fuit eorum intentio, id quod eis obesset impetrare, neque Pontificis, hoc eis concedere.

## ARTICULUS III.

*An possit opus per alium expleri.*

ART. 3. probat eum qui non facit opus pro quo datur indulgentia, non consequi illam: nisi in diplomate dicatur, concedi illis qui fecerint tale opus, vel pro quibus factum fuerit.

PRIMÒ, quia non impleta conditione, sub qua promittitur effectus; ille non sequitur.

SECUNDÒ, quia indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus qui illam dat.

PETES, Quid si post impletam partem operis, non possit ob morbum vel aliam quam piam justam causam, præstare residuum? RESPONDETUR, quod non consequetur indulgentiam, nisi vel expressum fuerit, Pontificem etiam talibus concedere: vel nisi confessarius per concessionem pontificiam commutet opera injuncta: vel nisi per eandem concessionem, opus præstetur per alium.

## ARTICULUS IV.

*Indulgentia prodest concedenti.*

ART. 4. docet indulgentias etiam valere illi qui eas facit seu concedit. Quamvis enim ipse non possit ut jurisdictione in seipsum; potest tamen participare de bonis communibus quæ dispensat communitati, cujus ipse est pars. Vide quæ diximus ad finem art. 1. q. 25.

Cum in resp. ad 1. dicit, *quorum* (scilicet suffragiorum) *effectus immediatus est remissio pœnæ per indulgentiam, & non jurisdictionis*; non negat remissionem per indulgentias esse actum jurisdictionis (esse enim jam affirmaverat quæstionis 25. & 26 art. 2. ad 1.) sed tantum significat quod ea remissio sit *immediatus* effectus suffragiorum Ecclesiæ, non autem jurisdictionis. Hoc enim ordine fiunt indulgentiæ: Prælatus tanquam bonorum communium dispensator, valorem satisfactionum Christi & sanctorum, ex rationabili aliqua causa, applicat ad eos qui opus injunctum præstiterint, & statum gratiæ procuraverint: Sic autem applicando, ex communi thesauro compensat pœnas temporales, quas isti debebant luere. Qua applicatione, & per applicationem compensatione posita: pœnæ ipsis remittuntur, utpote pro quibus jam aliunde sit exhibita solutio. Unde patet, quod indulgentia, & per indulgentiam remissio pœnæ, immediatè pendeat à suffragijs sive thesauro: ipsius autem thesauri applicatio, à jurisdictione Prælati.

Cum in resp. ad 3. dicit, *Indulgentia non per modum sententiæ datur; sed per modum dispensationis cujusdam*; non vult dicere indulgentiam esse nudam solutionem, nullo autè modo absolutionem: solùm enim significat indulgentiam non dari per modum sententiæ purè & simpliciter absolventis, absque ulla compensatione; sed dari per modum cujusdam dispensationis sive distributionis bonorum communium, ex quibus fit solutio pro illis qui indulgentiam accipiunt. Supereſt nunc, an, & quatenus indulgentiæ valeant defunctis, examinare: sed hoc ad art. 10. q. 71. pertinet.





## QUÆSTIO XXVIII.

### *De solemni ritu pœnitentiæ.*

### ARTICULUS I.

*Pœnitentia alia est privata, alia publica.*

ART. 1. probat pœnitentiam aliquam debere publicari & solemnizari. Pœnitentiarum enim alia est privata, quæ secretò peragitur: alia publica; eaque vel solemnis, vel non solemnis.

Solemnis vocatur, quæ publicè agebatur, certis secundùm canones solemnitatibus servatis: quarum pleræque describuntur dist. 50. capit. *In capite*; & capit. *Statuimus* tit. de maledicis; & per B. Tho. hic art. 3.

Publica non solemnis dicitur, quæ publicè quidem peragebatur, sed sine solemnitatibus istis.

In resp. ad 1. observa quod sacerdos pœnitentiam publicam injungens, non frangebat sigillum confessionis; quia vel injungebat eam extra sacramentum in foro judicij externi; vel quando injungebat in Sacramento, non faciebat absque consensu pœnitentis; ita se sacris canonibus conformantis.

### ARTICULUS II. & III.

*De pœnitentia solemni.*

ART. 2. & 3. tradit aliquas differentias pœnitentiæ solemnis à non solemni.

PRIMA est, quod solemnis nunquam in eodem homine iterabatur, cap. *Quamvis*, de pœnitentia, distinctione tertia: de qua re vide tertiam partem quæstione 84. articulo decimo, iterari tamen poterat non solemnis.

SECUNDA, Solemnis non injungebatur clericis, cap. *Quæsitum*, tit. de pœnitent. cap. *Confirmandum*: & cap. *Illud* dist. 50. non solemnis autem poterat illis injungi. Confer epist. 92. S. Leonis cap. 2.

TERTIA, Qui pœnitentiam solemnem egissent, nunquam permittebantur ad sacros ordines ascendere, capit. *Illud*, distinct. 50. alij permittebantur.

QUARTA, Juvenibus illa non facilè imponebatur, cap. *Pœnitentes*, eadem distinctione 50. quoniam ut ex dicta S. Leo. epist. colligitur, qui illam subibant, non permittebantur conjugium contrahere; vel contracto uti, si conjux consentiebat. Confer Conc. Arelat. 2. can. 20. & 21. publica verò non solemnis, juvenibus, & senibus, viris & mulieribus imponebatur.

QUINTA, Solemnem pœnitentiam solus Episcopus imponebat, solusque eam subeuntes reconciliabat, extra necessitatem urgentem, cap. *Aurelius* 26. q. 6.

SEXTA, ijdem non poterant sæcularia tractare, vel ad militiam reverti, quemadmodum colligi posse videtur ex cap. Contrarium, quod est S. Leonis, de pœnit. dist. 5. collato cum cap. De his ibidem. Vide quæ dicimus 2. 2. q. 40. art. 1. ad 4.

DENIQUE, unus erat apud veteres ordo *Pœnitentium*: hoc autem nomine censebantur solum illi qui agebant solemnem pœnitentiam. Peculiarem etiam habebant vestitum & locum, vel in Ecclesia, vel ad fores ejus; neque jubebantur eam subire

Universidad de Deusto
Biblioteca



pro peccatis publicis, nisi essent valde enormia, & totam parochiam commoventia. Quæ cum hodie non practicentur, nisi quod Syn. Trid. sess. 24. ca. 8. reformat. velit Episcopos in usum revocare pœnitentiam publicam pro publicis criminibus; hæc dicta sufficiant.

## QUÆSTIO XXIX.

### *De Sacramento Extremæ Unctionis.*

### ARTICULUS I.

*Utrùm Extrema Unctio sit Sacramentum?*

POST Waldenses & Albigenses negant nostri sectarij. B

PRIMÒ, quia scripturæ nullum suppeditant hujus rei argumentum: nam Jacobi 5. ubi de Unctione agitur, non est sermo de Sacramento, sed de cæremonia quæ tempore illo adhibebatur ad sanitatem corporalem recuperandam. Accepit enim hoc Jacobus ex Marci 6. Marcus autem de tali cæremoniali loquitur, & non de Sacramento. Sed & contextus idem confirmat; utitur enim Apostolus verbis ad sanitatem corporalem pertinentibus. *Alleviabit eum Dominus*, Et postea, *Orate pro invicem ut sanemini*, quomodo legitur in originali scriptura. Adde, quod S. Jacobus his verbis, *Infirmatur quis in vobis?* &c. det consilium infirmis, quomodo se à murmurationis, C contra Dei judicium, stultitia tueantur, ut ex commentario Ven. Bedæ patet.

SECUNDÒ, Cæremonia unctionis infirmorum ab hæreticis videtur inventa: nam S. Irenæus l. 1. c. 18. refert eos ad finem defunctionis ungere.

TERTIÒ, Sacramentum novæ legis habet certum & infallibilem effectum, nisi quis ponat obicem: Hæc autem unctio non item. *Hoc Sacramentum*, ait Author ar. 8. *non habet aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia Sacramenti ritè peractis.*

*Fidei est, unctionem extremam esse Sacramentum.*

RESPONSIO ad fidem in Conc. Trid. sess. 14. declaratam pertinens, est, Extremam Unctionem esse verè & propriè Sacramentum novæ legis. D

Ad cujus confirmationem pertinent PRIMÒ, illa Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Quibus verbis exprimitur Sacramentum, id est, signum sensibile efficax gratiæ invisibilis: sensibilia enim sunt oleum sacrum, ipsaque olei unctio, & oratio, quæ sit super infirmum.

Efficacia declaratur in istis verbis, *salvabit infirmum, alleviabit eum, remittentur ei.*

Gratia verò quæ confertur, est, per quam expiantur peccata, & anima ægroti alleviatur, salusque E confertur. Unde Conc. Trid. affirmat Ecclesiam *ex Apostolica traditione per manus accepta, dedicisse, quod S. Jacobus illis verbis doceat materiam formam, proprium ministrum, & effectum hujus Sacramenti.*

Ad ejusdem rei confirmationem proferunt nonnulli quod cap. 6 Marci dicantur Apostoli unxisse infirmos: Cum enim ex Christi præcepto unctionem olei adhiberent, non tantùm ad curanda corpora; sed (ut ajunt) potius ad salutem animæ, cujus curandæ causa mittebantur: contendere volunt eam à Sacramenti ratione non excludendam; addentes, quod si ad solius corporis sanationem fuisset adhibita, nihil necesse erat uti oleo: cum verbo, tactu, aliisque modis potuissent miraculosas sanationes facere.

*Unctio de qua Marci 6. non erat Sacram.*

Verum alij melius ajunt, unctionem illam non fuisse Sacramentum Extremæ Unctionis, sed ejus tantùm figuram & adumbrationem. Adhibebatur enim indifferenter omnibus ægrotis, sive decumbentibus & in periculo vitæ constitutis, sive alijs; ac rursum sive baptizatis, sive non baptizatis: Matt. enim decimo generaliter dictum erat Apostolis. *Infirmos curate*; nulla ad baptizatos facta restrictione; & ex capit. 6. Marci constat, multos ægros tunc ab Apostolis unctos & sanatos fuisse; quando tamen pauci baptismũ Christi susceperant.

Adde, Apostolos tunc nondum fuisse Sacerdotes: Sacramenti autem hujus ministrum non esse alium quam Sacerdotem novæ legis: neque ullum dispensationis Christi extare argumentum, ut per alios tunc administrari potuerit.

Denique, Apostoli ungebant infirmos non tantum per veram pœnitentiam conversos, sed quoslibet, saltem eos qui credebant Messiæ: nam ad hujus fidei confirmationem pertinebant ista miracula.

*Ob.* Et quamvis ejusmodi unctio, & per unctionem sanatio, ad stabiliendam & persuadendam fidem illam ordinaretur: non est tamen existimandum quod ipsa per se seu ex opere operato animas curaret, vel gratiam justificationis conferret. Nam *Resp.* Apostoli mittebantur quidèm ad animarum salutem curandam; sed ea curatio per fidei susceptionem & pœnitentiam tunc temporis fiebat, non per illam unctionem. Adhibebant tamen Apostoli oleum & olei unctionem; propter mysterium quod adumbrabant, & modo quodam figurabant. Unde Syn. Trident. dicit hoc Sacramentum fuisse apud Marcum insinuatum: quod autem insinuatur, non expressè proponitur, sed obscurè indicatur.

SECUNDA igitur probatio sit ex Patribus & concilijs. Innoc. 1. epist. ad Decentium c. 8. post recitata S. Jacobi verba, subjungit: *Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere.* Et postea, *Pœnitentibus* (inquit) (id est, publicam pœnitentiam agentibus ac nondum reconciliatis) *istud infundi non potest: quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quo modo unũ genus putatur posse concedi?* Eodem pertinent quæ dicunt Eusebius Pontifex apud Burchardum lib. 18. ca. 11. Alex. 3. cap. *Quæsivit*, de verborum significatione, Beda in cap. 6. Marci; Bernard. in vita S. Malachiæ sub finem: Aug. ser. 215. de tempore: *Quoties* (ait) *aliqua infirmitas supervenerit; corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat; & inde corpusculum suum ungat* (i. ungi curet) *ut illud quod scriptum est; impleatur in eo, Infirmatur aliquis? inducat presbyteros* &c.

Inter Concilia præter Meldense citatum tam ab Ivone part. 1. c. 269. quàm à Burchardo lib. 4. c. 75. extant Florent. & Trid. & ante illa Constantiense, in cujus sess. 45. Martinus 5. vult suspectos interrogari, *an credant quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum, Confirmationis vel Extremæ Unctionis, peccet mortaliter.*

Hanc eandem fidei doctrinam plurimum confirmat non solum traditio, sed etiam perpetuus fidelium usus.

Accedit & ratio, quam Synod. Triden. suggerit. Cùm enim Christus instituerit Sacramenta, quibus tanquam salutaribus remedijs juvemur in Ecclesiæ ingressu & progressu; non est credendũ quod pro



pro egressu nullum Sacramentum instituerit, quo A tanquam firmissimo quodam præsidio muniamur contra adversarium, qui tunc vehementiùs omnes suæ versutiæ nervos intendit, ad nostram perditionem. Hinc est quod aliquando vocatur *Sacramentum exeuntium*; aliquando, *Sacramentum unctionis infirmorum*; Aliàs verò, *extrema unctio*, quod hæc omnium sacrarum unctionum, quas Dominus Ecclesiæ suæ commendavit, ultima administranda sit.

*Definitio.* Definiri autem potest, esse Sacramentum unctionis infirmorum, ad salutem animi, & corporis, facta per sacerdotem.

AD ARG. verò RESP. & ad 1. quidem responsio patet ex dictis, non de eadem scilicet unctione loqui Marcum, & Jacobum: extare autem in epistola S. Jacobi argumentum hujus Sacramenti, neque sermonem ibi esse de cæremonia temporis tantùm illius, sed de mysterio omnibus temporibus duraturo. Quæcumque enim præcepta ibi tradit S. Jacobus, omnibus secuturis temporibus accommodata sunt; ut propterea existimari non possit illud unum, de unctione infirmorum, esse temporale. *S. Jacob. non agit de sola corporali sanatione.*

Quod etiam non sit cæremonia corporali tantùm sanationi deserviens manifestum est.

PRIMÒ, quia jubentur advocari presbyteri Ecclesiæ: ad sanandum autem corporaliter, vocandi sunt medici, vel ij qui gratiam habent curationum; quæ nec omnibus nec solis Ecclesiæ presbyteris conceditur. C

SECUNDÒ, Apostolus loquitur de infirmo à Christianis inter Christianos ungendo: donum autem miraculorum potius erat pro infidelibus: juxta illud 1. ad Cor. 14. *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.* Unde Apostolus non sanavit Timotheum 1. ad Tim. 5. nec Epaphroditum, ad Philipp. 2. neque Trophimum, 2. ad Tim. 4.

TERTIÒ, Per gratiam curationis Apostoli non solùm sanabant infirmos, sed etiam cœcos & claudos: hîc autem ungendi monentur solùm infirmi. D

QUARTÒ, S. Jacobus exprimit effectum ad solam animam pertinentem, cum ait; *Si in peccatis sit, remittentur ei.*

Adde, quod alleviatio & sanatio quam absolutè promittit, etiam ad animam pertinere debeant. Neque enim verum est quod verbum Græcum, pro quo interpres vertit, *alleviabit*, significet aliquid pertinens ad corporis sanitatem; sed potius idem valet quod, *relevabit*, seu eriger, ab animi scilicet angustia & anxietate, quam morituri patiuntur: Pro *alleviabit*, enim, Græcè idem est verbum quod ad Ephes 5. vers. 14. ubi nos habemus, *surge* (seu erige teipsum) *qui dormis:* Verbum quoque sanandi frequenter ad animum refertur; ut Matth. 13. *sanem eos:* 1. Petr. 2. *cujus livore sanati estis.*

Expositio quam adfert Ven. Beda, de concilio contra stultitiam murmurationis; non est literalis E & genuina, sed moralis: subsequentibus autem verbis, literalem adferens, manifestè explicat de unctione infirmorum à presbyteris per oleum sacrum facienda.

*Ob.* SI DICAS, Bedam remissionem peccatorum, de qua Sanctus Jacobus loquitur, tribuere Sacramentali confessioni & absolutioni, non autem unctioni.

*Resp.* RESP. Bedam loqui de peccatis gravioribus; quorum qui conscius est, ad pœnitentiæ Sacramentum debet confugere, priusquam inungatur: S. autem Jacobus loquitur de peccatis partim quotidianis, partim oblitis, vel per inadvertentiam commissis; eorumque remissionem tribuit orationi quæ fit inungendo.

*Ob.* Neque sequitur: Apostolus remissionem peccatorum tribuit orationi: ergo non unctioni. Tribuenda est enim, & orationi, & unctioni simul, *Resp.* nam oratio habet locum formæ; unctio verò, materiæ.

*Ob.* Neque propterea quod Apostolus *orationem fidei* nominet, existimandum est sermonem esse de oratione quæ non valeat nisi secundùm fidem ministri: forma enim Sacramentalis, à quocumque *Resp.* ministro proferatur cum debita intentione, semper est oratio fidei.

PRIMÒ, quia proficiscitur à fide Ecclesiæ, cujus ille personam in administrando Sacramento sustinet, eaque nititur & valet.

Secundò, quia pro solis fidelibus est instituta.

Tertiò, quia sola fide intelligitur; magnumque fidei mysterium continet.

AD 2. Neg. assumptum, non solum quia infirmorum nostra unctio, antiquior est Heracleonitis hæreticis, sed etiam quia verbis simplicibus, & oleo simplici benedicto utimur: illi autem, vel oleo aqua mixto, vel unguento & balsamo & aqua, ungebant sive morientes sive mortuos, adhibitis insuetis verbis, ut ex Epiphanio patet hæresi 36. Vide etiam B. Thom. in opusc. de septem Sacramentis.

AD TERTIJ Min. RESP. etiam hoc Sacramentum habere certum & infallibilem effectum, scilicet gratiam Spiritus sancti, si non ponatur obex; sicut author ipse disertè tradit art. 9. hujus qu. ad 3. Rectè tamen B. Thom. ei proprium tribuit, quod omnibus essentialibus positis non semper sequitur aliquis effectus: partim quia sanitas corporalis non semper restituitur; partim quia stat omnia essentialia adhiberi, & nullum, (propter obicem) effectum sequi; cum in alijs Sacramentis semper sequatur aliquis effectus, si ponatur eorum substantia: Nam in Baptismo, Confirm. & Ordine, imprimitur character: in Eucharistiæ consecratione, fit transsubstantiatio: in Matrimonio nascitur vinculum: in Pœnitentia, est remissio peccatorum. Neque enim ponitur substantia Sacramenti pœnitentiæ, si desit contritio: si autem adsit, nihil est in suscipiente quod effectum illum impediat.

In RESP. ad 2. B. Thomas negat hoc Sacramentum fuisse in veteri lege figuratum per aliquod Sacramentum aut figuram ejusdem generis: admittit tamen fuisse figuratum per figuras remotas, per curationes nimirum quæ leguntur factæ sub veteri Testamento: Quò etiam pertinet quod Alissiodor. li. 4. tract. 7. docet unctionem triplicem Christianis communem, quæ sit in Baptismo, Confirmatione, & Extrema Unctione, figuratam fuisse per triplicem unctionem qua unctus est David: primò in domo patris: Secundò, in Hebron, ut esset rex super Judam: Tertiò, in Hebron, ut esset rex super omnem Israël. Sic enim ungimur primò, ut ad regnum veniamus: Secundò, ut pugnando illud promoveamus: Tertiò, ut pacatissimum capiamus.

De respons. ad tertium confer quæst. 65. art. 1. in 3. part.

Universidad de Deusto
Biblioteca



### Articulus II.

*Extrema Unctio est unum Sacr.*

Art. 2. probat Extremam Unctionem, quæ est unum specie Sacramentum, esse in singulis qui eam suscipiunt unum numero, unitate compositionis seu constitutionis, sicut unum numero dicitur aliquid perfectum, quod ex pluribus partibus constituitur. Singulæ enim unctiones sunt tanquam materiæ partiales, unam integram constituentes: & similiter, singulæ formæ istis unctionibus respondentes, partiales sunt, ac unam integram formam constituunt: & sic ex totali materia ac totali forma consurgit unum integrum & perfectum Sacramentum; eò quod perfecta vel explicita hujus Sacramenti significatio haberi non possit nisi per plures unctiones, quæ, ut spiritualium vulnerum medicinæ, ad eorum radices adhibeantur.

An autem singulæ ipsarum sint de essentia, qu. 32. art. 6. determinabitur.

In respons. ad 3. docet quod sacerdote qui ungit infirmum, moriente priusquam absolverit omnes unctiones, alius perficere debeat, resumendo ubi prior desijt; non autem ab initio: quia non debet in eadem ægritudine idem membrum bis inungi, ut nec eadem hostia bis consecrari.

### Articulus III.

*Hoc Sacramẽtũ fuit à Christo institutum.*

Art. 3. docet hoc Sacramentum esse à Christo immediatè institutum. Quæ doctrina est fidei, definitæ in Conc. Trid. sess. 7. &. 14.

Confirmatur 1. Sacramenta pertinent ad fundamenta legis novæ: ergo institutio illorum pertinet ad solum legislatorem.

Secundò, ejus solius est Sacramentum instituere, qui potest illi dare efficaciam: hic autem est solus Christus.

Neque responderi potest, S. Jacobum, vel alium aliquem Apostolorum à Spiritu sancto motum instituisse hoc Sacramentum, atque ita vim & efficaciam gratiæ illi promisisse: quia cum omnia veteris legis sacramenta fuerint à solo Deo instituta; multò magis id est dicendum de sacramentis novæ legis; quæ & sanctiora sunt, & efficaciora.

Institutionis autem hujus Sacramenti tempus, cùm non constet; referendum videtur ad illud post resurrectionem, quando Dominus cum discipulis loquebatur ea quæ sunt de regno Dei, Act. 1. Confer quæ diximus ar. 3. q. 64. in 3. part.

In respons. ad 2. B. Thom. benignè Magistrum interpretatur, ut cum dixerit Apostolos instituisse hoc Sacramentum; non de prima illa institutione locutus sit, qua legislatoris authoritate conditur aliqua lex, sed de promulgatione, qua S. Jacobus primus omnium scripto eam commendavit & promulgavit. Quo sensu improprio quidam existimant dici Linum Pontificem *instituisse, ne qua mulier nisi velato capite in Ecclesiam introiret.* Verũ in Breviario Rom. 23. Sept. *Sancivisse*, habemus, non instituisse.

### Articulus IV.

*Materia est oleum olivæ.*

Art. 4. docet *oleum olivæ* esse convenientem materiam hujus Sacramenti: loquitur autem de materia remota: nam proxima est, non oleum ipsum quantumvis benedictum, sed inunctio quæ fit tali oleo: Quo modo, aqua est remota materia baptismi, proxima verò est ablutio per aquam facta.

Quæ doctrina ex verbis S. Jacobi, *ungentes eum oleo*, per traditionem habetur, & in Synod. Flor. definitur. Cui consentit Trid. sess. 14. cap. 1. de Extrema Unctione. Oleum enim veri nominis non est aliud quam olivarum, seu ex olivarum baccis expressum: reliqui verò liquores qui olei nomine appellantur, solum ex similitudine ad illud, ita vocantur.

Quod autem istud oleum convenienter sit huic Sacramento datum pro materia; ex spiritualibus ejus effectibus patet, qui proportione respondent corporalibus olei effectis: quæ sunt sanare, lenire, fatigata membra recreare, exhilarare, luci pabulum præstare.

Cæterum, cum chrisma, sive unguentum ex oleo & balsamo mixtum; non sit simpliciter oleum: ideo hujus Sacramenti materia intelligenda est esse oleum simplex: & propterea, si misceatur balsamum, aut alius liquor, est transgressio præcepti; & si tanta fieret mixtio, ut vel oleum esse desinat, vel non sit unctio olei: non erit sufficiens materia; secundùm Palud. dist. 23. qu. 1. art. 1. Dominicum q. 1. art. 3. Nugnum hic.

Si dicas, illud quo inunguntur ægroti, ab Innoc. 1. in epist. ad Decentium, vocari chrisma, & oleum chrismatis. *Ob.*

Resp. quod per *chrisma*, intelligat illic oleum sanctificatum. Quamvis enim *chrisma* strictissimè sumptum significet apud christianos unguentum ex oleo & balsamo mixtum: generaliter tamen significat quodcunque unguentum, paulò tamen strictius, unguentum ab Episcopo sanctificatum. *Resp.*

### Articulus V. & VI.

*Oleum debet esse ab Episcopo benedictum.*

Art. 5. & 6. docet oportere quod oleum sit consecratum per Episcopum. Idemque affirmat opusc. 5. Cui suffragatum est postea Conc. Flor. ac denique Trid.

Istam verò resolutionem ita esse intelligendam, ut olei olivæ per Episcopum benedictio necessaria sit, non præcepti tantum necessitate, sed etiam Sacramenti; ita ut si presbyter infirmum ungeret oleo, vel non benedicto, vel non per Episcopum benedicto, Sacramentum non subsisteret, ex articuli quinti arg. 3. ejusque solutione, potest doceri.

Videri posset hæc doctrina convinci ex cap. 5. Jac. *ungentes eum oleo in nomine Domini*, scilicet benedicto: sed quia verisimilius est istud, *in nomine Domini*, pertinere ad illud totum, *ungentes eum oleo*, ut sit sensus: ungentes eum vice & authoritate Christi, tanquam ejus ministri: ideo firmius argumentum est ex perpetua Ecclesiæ consuetudine. Ut enim loquitur Syn. Trid. *ex Apostolica traditione per manus accepta intellexit Ecclesia materiam hujus Sacramenti esse oleum, ab Episcopo benedictum*, conformiter Florentinæ, in compendio fidei.

Sed & Innocentius 1. citata prius epistola ad Decentium, requirit oleum ab Episcopo confectum, id est, sacrum factum, itemque Conc. Wormatiense cap. 72. Similiter & Beda in c. 6. Marci, & in cap. 5. Jacobi.

Ex his sequitur Pontificem non posse dispensare, ut hujus olei benedictio fiat per alium quàm per Episcopum. In essentialibus enim sacramentorum non cadit dispensatio: ad essentiam verò Sacramenti hujus pertinet oleum ab Episcopo benedictum, quod à Conc. Flor. & Trident. assignatur tanquam materia: ergo non cadit in hoc dispensatio.



Cur autem oleum sit sic benedicendum; ex instituentis beneplacito pendet: quamvis aliquæ rationes congruentiæ possint assignari. Præcipua est, ut significetur quod oleum non suaptè nátura, sed ex virtute Christi habeat efficaciam: à quo cùm non sit benedictum ipso usu; restat ut benedicatur per Episcopum, qui personam ejus gerit. Confer quæ diximus articulo 3. quæstio. 72. in 3. parte.

*Ob.* Si dicas apud Clementem libr. 8. Apostolic. constit. cap. 35. haberi, ut presbyter absente Episcopo benedicat oleum, quod accipiat virtutem sanitatis effectricem, ægritudinem expultricem, dæmonum fugatricem.

*Resp.* Resp. non esse ibi sermonem de materia hujus Sacramenti; cum eodem contextu agatur de benedictione aquæ, ad eosdem effectus: sed sermo est de oleo ad sanitatem, extra Sacramentum habendam, adhiberi solito; conformiter ijs quæ refert S. Thom. quæst. 31. sequentis artic. 1. argumento 2. de quibus videre est Rufinum lib. 11. historiæ cap. 4.

*Quæst.* Quæri hic potest, An subsisteret hoc Sacramentum ministratum oleo catechumenorum, vel oleo chrismali, id est, quod miscendum est balsamo, ad conficiendum chrisma.

*Resp.* Sed Responsio Negat. tenenda est. Quamvis enim Christus non definierit certa verba quibus benedicendum sit oleum infirmorum; definivit tamen ut benedicatur, benedictione utique ad usum cui destinatur, accommodata: Alioquin, sicut paria sunt non habere instrumentum, & habere instrumentum impertinens: ita etiam sunt paria, oleum non esse benedictum, & esse benedictum benedictione impertinenti. Benedictio autem olei sive chrismatis, sive catechumenorum, est impertinens ad unctionem infirmorum: ergo ad illam non sufficit.

Eadem ratione, nec validum esset hoc Sacramentum in chrismate ministratum, si desit benedictio olei infirmorum, etiam si foret benedictum benedictione chrismatis. Si autem adsit benedictio olei necessaria nec oleum balsami commixtione propriam naturam amiserit, neque factum sit aliquod mixtum diversæ speciei, ita ut unctio talis chrismatis, verè sit unctio olei; ratum erit Sacramentum.

In resp. ad 1. art. 6. observa quare sacerdos possit illam consecrationem facere quæ in se est Sacramentum, hoc est, consecrare eucharistiam; & non illam quæ ut sacramentale quoddam ordinatur ad Sacramentum; cujusmodi est consecratio olei ad extremam unctionem ordinati: quia scilicet quantum ad hoc quod est consecrare corpus Christi verum, nullus ordo est supra sacerdotium, & ideo qui ordinem sacerdotalem habet, potest illud consecrare: sed quantum ad corpus Christi mysticum, Ordo Episcopalis est supra sacerdotalem; pertinet autem ad gubernationem corporis mystici, ut superior benedicat materiam ordinatam ad Sacramentum quod in usu consistit; inferior verò illa materia utatur, Sacramentumque ministret.

*Ob.* Si dicas quod Ars dignior non soleat præparare materiam inferiori: *Resp.* hoc esse verum loquendo de materia ut in qua fit aliquid per eũ qui ea utitur, sicut est in artibus mechanicis: loquendo autem de materia, ut cujus virtute aliquid fit, & sic participat aliquid de ratione causæ agentis, sic Ars seu ordo superior præparat materiam inferiori; quæ materia, quum simul cum forma sit instrumentum quoddam divinæ operationis, aliquid participat de ratione causæ agentis. Nam effectus sacramentorum non procedit à sola forma, sed à toto Sacramento, seu à materia & forma simul applicatis. Vide hic ad 2.

### Articulus VII.

Art. 7. occasione erroris quorumdam existimantium nullam esse hujus Sacramenti formam præter benedictionem qua oleum infirmorum benedicitur ab Episcopo; de quibus etiam art. 5. dixerat.

*Hoc Sacram. habet formam determinatam.*

Docet hoc Sacramentum habere formam determinatam, sicut & alia Sacramenta: quia omne Sacramentum novæ legis causat gratiam significando; significatio autem potissimum est formæ: nam materia ex se indifferens ad multa significanda, per formam determinatur ad unum. Hinc Concil. Flor. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur; videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri.*

### Articulus VIII.

*Utrùm forma hujus Sacramenti debeat proferri per orationem indicativam, & non per deprecativam.*

Videtur quod sic, Primò, quia omnia Sacramenta effectum suum significant: forma autem indicativa significat effectum, & non deprecativa.

Confirmatur, B. Thom. 3. part. quæst. 84. ar. 3. ad 1. dicit quòd *in sacramentali absolutione non sufficeret dicere, misereatur tui Deus: vel, Absolutionem tribuat tibi Deus, quia per talia verba sacerdos non significat absolutionem fieri, sed petit ut fiat:* ergo similiter in hoc Sacramento non sufficit forma deprecativa.

Secundò, nihil vetat ejusdem Sacramenti formam nunc enunciativè seu indicativè proferri, nunc operativè. Sic enim variatur forma baptismi, apud Latinos & Græcos.

*Forma debet esse deprecativa.*

Tertiò, quædam Ecclesiæ utuntur forma indicativa, *Ungo tuos oculos oleo sanctificato in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, ut Ambrosiana.

Responsio Beati Thomæ est, formam hujus Sacramenti debere esse orationem deprecativam; ita scilicet ut si adhibeatur indicativa, non complectens deprecationem, Sacramentum non subsistat. Ita etiam sentiunt Altisiodor. l. 4. tract. 7. Bonav. in 4. dist. 23. Dominic. dist. 22. secuti sententiam Apost. Jacob. *Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.* Istis enim verbis significatam esse formam Sacramenti, testatur Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. de Extrema Unctione.

Et probari potest ex eo quod ad ægrotum adduci vult, non quosvis, sed sacerdotes: precatione autem quæ non sit forma Sacramenti, potest etiam non sacerdos uti, nec tantum præsens, sed etiam absens.

Eodem valet quod ait, *ungentes eum oleo in nomine Domini:* Sacramentorum enim formæ proferuntur à ministris, vice & authoritate Christi agentibus.

Huc etiam facit usus Rom. Ecclesiæ, quæ solùm verbis deprecativis utitur in collatione hujus Sacramenti; imò & aliarum omnium Ecclesiarum, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



quæ vel non adhibent orationem indicativam, vel simul jungunt deprecativam.

Triplex enim invenitur hujus Sacramenti forma.

Una tantum indicativa, quam vocant Ambrosianam, eò quod Ambrosius putetur illa fuisse usus Mediolani, *Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris &c.*

Secunda est indicativa simul & deprecativa. *Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur, Per Christum Dominum nostrum*, hac utuntur non tantum Veneti, sed & hactenus Atrebatenses, quando inungebant eos qui non erant morti proximi, ut patet in Manuali impresso Atrebati anno 1600.

Tertia est solum deprecativa, *Per istam sanctam unctionem & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum &c.* Et similiter in alijs membris. Atque hæc sicut est antiqua, & per Conc. Florent. novissimè tradita, ita communius usurpatur.

Prima vero neque est Ambrosij neque sufficit ad valorem Sacramenti. Quod non sit Ambr. manifestum est ex Bona. qui Ambrosianam dicit esse istam aut similem, *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates.* Quæ cùm sit similis Atrebatensi, & contineat deprecationem, non dubium est quin sit bona. Cur autem existimatum sit eam, quæ primo loco posita est, esse Ambrosianam integram, ratio videtur esse, quod B. Tho. Paludan. & alij non plus citant. Cæterum quod ad valorem Sacramenti non sufficiat, asserit B. Tho. hîc ad 3. & probari potest ex eo quod non contineat orationem, quam tamen requirit S. Jacob. & ex illo Concilia. Flor. & Trid. perpetuusque Ecclesiæ Romanæ usus.

*Quare hujus Sacram. forma est deprecativa.*

Rationes verò cur huic Sacramento potius quam alijs assignaverit Christus formam deprecativam, variæ sunt.

Prima, quia cum suscipiens sit proprijs animæ & corporis viribus destitutus, maximè indiget aliorum orationibus adjuvari.

Secunda, quia cum jam jam sistendus sit divino tribunali, planè convenit ut per sacerdotem divinæ misericordiæ commendetur.

Tertia, quia modus curandi sive animam sive corpus, non est hîc per ministerium sacerdotis, ut judicis.

Quarta, quia cum effectus quidam scilicet sanitas corporalis, non semper sequatur ex hoc Sacramento; conveniens est eum à Deo petere. *Unde & interior sanatio quæ per eam signatur, sub deprecatione a Deo poscitur*, ait S. Thom. in opusc. de forma absolutionis cap. 1. De ratione quam hîc tertiam adfert, diximus art. 1. ad 3. conformia ijs quæ dicuntur hîc ad 1.

Ad Arg. igitur & ad 1. quidem Resp. etiam formam deprecativam significare effectum Sacramenti. Cum enim illa deprecatio sit propter institutionem Christi, efficax: quando dicitur, *indulgeat tibi Deus*, sacerdos & rogat indulgentiam, & significat illam conferri; perinde atque si diceret, *Accipe indulgentiam a Deo*, quemadmodum in Sacramento Ordinis dicitur, *Accipe potestatem.* Ac præterea, si cum verbis formæ attendatur materia hujus Sacramenti; totum Sacramentum clarè significat effectum suum fieri. Unctio enim olei significat unctionem sive gratiam Spiritus Sancti lenientis animam; & à peccatis peccatorumque reliquijs eam expiantis.

Ad confirmationem, Negatur consequentia. Cum enim in Sacramento pœnitentiæ sacerdos agat Judicem; Judicis autem sit proferre absolutionem: verba sacerdotis debent significare quod ipse illam faciat; In hoc autem Sacramento non agit judicem, ideoque non debet verbis suis significare quod absolvat.

Ad 2. Neg. assump. forma enim baptismi apud Græcos non est optativa seu deprecativa, sed imperativè profertur: ita tamen ut imperium non dirigatur ad Deum; sed vel modo quodam improprio, ad effectum, ut hîc & nunc producatur à Deo; vel potius ad suscipientem, sensu eo quem dedimus 3. part. qu. 66. art. 5.

Ad 3. non credimus ullam Ecclesiam uti forma quæ solum sit indicativa. Idemque satis indicat B. Tho. art. præcedent. partim in corp. dicens, *Jacobus videtur totam vim hujus Sacramenti constituere in oratione, quæ est forma hujus Sacramenti*; partim in resp. ad 2. *Illa verba quæ sunt de essentia formæ, scilicet oratio deprecativa, ab omnibus dicuntur.* Accedit quod Conc. Flor. & Trid. perpetuusque Ecclesiæ Romanæ usus requirunt orationem deprecativam, quam tamen dicta verba non continent.

### Articulus IX.

Art. 9. probat orationem prædictam, *Per istam sanctam unctionem, &c.* esse competentem formam hujus Sacramenti: quia exprimitur in ea ipsum Sacramentum, scilicet unctio, & causa principalis operans, scilicet misericordia divina; & effectus, scilicet remissio peccatorum.

Neque necesse est quod exprimatur id quo fit unctio, sicut in Confirmatione exprimitur chrisma: Cùm enim dicitur, *Per istam unctionem*, satis significatur materia proxima Sacramenti: verba autem formæ Confirmationis, scilicet (signo) & (confirmo) non exprimunt materiam proximam sive actum; neque an is fiat per unctionem, an aliter.

Quamvis autem non constet quæ verba sine essentialia: probabilius tamen videtur quod hæc; *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus.* Sic enim exprimitur actus dicendo, *per istam unctionem:* & causa principalis, *Deus*; & subjectum, *tibi*; & effectus, *indulgentia.* Expressio misericordiæ non videtur essentialis; quia significatur in verbo indulgendi, uti & illud, *quicquid peccasti*, quod proinde nec videtur ita necessarium exprimi, ut si contingat omitti, Sacramentum sit irritum. Expressionem Trinitatis non esse de essentia satis convenit: Sed utrum hæ clausulæ sint essentiales, *per visum, per auditum &c.* dubitabatur. Quidam sic opinantur. Tannerus tamen q. 1. dub. 1. & apud Præpositum Valerius Reginaldus, probabiliter negant; eum non videantur ad essentialem significationem Sacramenti, pertinere per quod petitur ac etiam obtinetur remissio eorum quoque peccatorum quæ non sunt per sensum exteriorem commissa. Ita etiam Gamacius c. 3. de Extrem. unctione. Vide q. 32. art. 6.

Cæterum graviter peccaret, qui formam communiter in sua Ecclesia usitatam vellet mutare: & specialiter qui sponte omitteret, *quicquid peccasti per visum, auditum, gustum, odoratum & tactū.* Multi enim existimant unctiones illorum sensuum esse essentiales, ut postea videbitur. Quod autem nonnullæ Ecclesiæ varient in quibusdam verbis: *indulgeat, ignoscat, deliquisti, peccasti*, & similibus: non est mirum, quia S. Jacobus non expressit certam verborum formam; & variatio illa non officit sensui; sicut officeret, si pro *deliquisti*, diceret quispiam, *dereliquisti*: ut faciebat ignarus ille quem refert Fernandez part. 3 cap. 11. quæ erat mutatio sensus, & ideo substantialis.



*Si in peccatis sit*; hac autem conditione opus non erat, si loquebatur de solis venialibus, cùm nemo illis careat, dicente eodem Apost. c. 2. *In multis offendimus omnes*, & S. Joanne ca. 1. suæ 1. epistolæ, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Unde forma Sacramentalis generaliter sonat, *Quicquid deliquisti*, sive *peccasti*, ut habent quædam Ecclesiæ.

Si dicas voculam, (si) non semper significare conditionem rei dubiæ, sed aliquando concessionem rei certæ, ut Jac. 1. *Si quis vestrum indiget sapientia*, & Malach. 1. *Si Pater ego sum*, id est, cum constet me esse patrem. *Obj.*

Resp. id quidem verum esse, sed non ita sumi apud S. Jacobum dicentem: *Si in peccatis sit*, argumento est, tum series sermonis, qui cum sit de peccatis generatim, ideoque mortalia comprehendat, merito conditionaliter est accipiendus, tum Syn. Trident. quæ dubiam conditionem expressit dicens, *Cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Dicendo enim, *si quæ sint adhuc expianda*, evidenter ostendit istam conditionalem non accipi ut concessionem rei certæ, sed ut conditionem rei dubiæ. *Resp.*

## QUÆSTIO XXX.

## *De effectu hujus Sacramenti.*

### Articulus I.

Art. 1. docet extremam unctionem, valere ad remissionem peccatorum: quia confert gratiam, quæ tum mortale, tum veniale peccatum tollit, si non ponatur obex ex parte recipientis. Hæc doctrina est fidei definitæ in Concil. Trident. sessione 14. can. 2. de extrema unctione, habeturque ex Jacobi 5. *Si in peccatis sit, remittentur ei.*

### QUÆRITUR AUTEM.

*Quis sit proprius & primarius effectus hujus Sacramenti.*

Sanctus Bonavent. & alij quidam existimant, esse remissionem peccatorum venialium: quia istud Sacramentum est primaria institutum ad remissionem peccatorum; non originalis, quod baptismo deletur; neque mortalium, contra quæ ordinatur Sacramentum pœnitentiæ: ergo ad remissionem venialium. Major nota est tam ex epistola S. Jacobi, *Si in peccatis sit, remittentur ei*; quam ex verbis formæ: nihil enim magis explicat proprium effectum uniuscujusque Sacramenti, quam ejus forma.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

*Proprius effectus non est remissio pecc. venial.*

Proprius & primarius effectus hujus Sacramenti non est remissio peccatorum venialium. S. Thom. hîc in corp. conformiter ei quod q. 65. a. 1. ad 8. dixerat in 3. part. *nullum Sacramentum novæ legis directè institui contra peccatum venialе, quia potest tolli per sacramentalia, puta per aquam benedictam & alia hujusmodi.* Et hujus Suppl. qu. 8. art. 3. ad 2. *Extrema unctio non datur directè contra venialе, nec aliquod aliud Sacramentum.*

Confirmatur 1. Sacramentum pœnitentiæ potest ex vi suæ institutionis tollere peccata tam venialia quam mortalia: ergo non oportuit aliquod aliud Sacramentum institui pro remissione venialium.

Secundò, si ad horum remissionem primariò institutum esset aliquod Sacramentum; illud non minus conveniret sanis quam ægrotis. Neque enim potest responderi non esse institutum pro sanis, qui dum hæc vita ducitur, numquam carent venialibus; sed pro infirmis in exitu vitæ constitutis, ut illa omnino auferantur: quia secundùm hæc, ministrandum esset in extrema tantum vitæ periodo, quando infirmi non videntur vel ad horam supervicturi, ideoque nec amplius venialiter peccaturi: id quod non est faciendum, quandocunque potest citiùs ministrari. Confer q. 32. ar. 2. *Tacita ob. solvitur.*

Tertiò, S. Jacobus loquitur conditionaliter,

*Proprius effectus est gratia corroborans &c.*

Proprius ac primarius hujus Sacramenti effectus est gratia, tum corroborans animam contra difficultates in articulo mortis occurrentes, tum spiritualem alacritatem conferens, qua infirmus & morbi incommoda leviùs ferat; & tentationibus dæmonis facilius resistat, ac spem divinæ *misericordiæ concipiat*, adventumque Domini alacriter expectet; tum peccata sive venialia, sive mortalia, si qua reperiat, abstergens. Institutum est enim hoc Sacramentum tanquam firmissimum præsidium, quo infirmus contra dæmonum insidias, in fine vitæ magnas & periculosas, muniatur, roboretur, ac in spem erigatur: ut ex Concil. Trident. patet in proœmio de extrema Unctione, sessione 14.

Cæterum, quia hic effectus quem primarium diximus, non est simplex, sed varius: ordine primus videtur esse gratia, ad ægroti animam roborandam, ordinata.

Secundus autem, remissio peccatorum; ad quam licet hoc Sacramentum non sit principaliter institutum, sed ad robur animi: quia tamen gratia, & quodvis peccatum delere nata est, & non potest animam in peccatis manentem fortiter roborare, ideo omnia abstergit, non solum venialia, sed (si recipientis indispositio non obstet) etiam mortalia. Potest enim esse, ut ægrotus post confessionem & communionem, in peccatum mortale incidat ante extremam unctionem, idque ignoret: potest etiam fieri, ut propter qualitatem morbi nec confiteri possit, nec communicare, possit tamen inungi.

Tertius effectus, est absterso reliquiarum peccati: per quas non intelliguntur hîc pravæ illæ ad peccandum dispositiones, quæ per frequentes peccatorum actus contrahuntur, de quibus art. 5. quæst. 86. in 3. part. Tales enim reliquiæ manent etiam suscepto hoc Sacramento, nec tolluntur in hac vita, nisi per frequentiam actuum contrariorum: sed reliquiæ peccati hoc loco apud S. Thom. & Conc. Trid. sunt, animi torpor, debilitas, & ineptitudo, sive ex originali sive ex actuali peccato provenientes, *Quæ hîc dicantur reliquiæ peccati.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



venientes, per quas sit ut homo non habeat vigorem ad actus vitæ spiritualis. A

Quartus effectus, est animæ alleviatio & confirmatio, complectens tum spem divinæ bonitatis, ac misericordiæ; tum fortitudinem ad morbi incommoda levius ferenda; tum alacritatem ad sponsi adventum læto animo expectandum.

Hos effectus indicavit ex Apostolo Conc. Trid dicens quod *Res & effectus hujus Sacramenti sit gratia Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; & ægroti animam alleviat, & confirmat &c.*

Indicavit & Flor. dicens *effectum esse sanationem mentis.* Hæc enim *sanatio*, generalis est, omniaque jam dicta complectitur. Consentit & B. Thom. B Cùm enim concludit quòd principalis effectus hujus Sacramenti sit remissio peccatorum quoad reliquias, & etiam quoad culpam, si eam inveniat: perinde est, atque si diceret principalem effectum esse gratiam dantem homini robur contra debilitatem & ineptitudinem ex peccato relictam; ac etiam remittentem peccata quæ repetit. Citato superius opusc. 5. ita habet. *Effectus hujus Sacramenti est sanatio mentis & corporis.*

Ad Arg. initio allatum Resp. neg. Major. De verbis Apostoli jam ante diximus. Ad verba autem formæ, Resp. principalem effectum Sacramenti non significari per sola illa verba, sed per illa simul cum materia. *Nam unctis*, ait Syn. Trid. C *Cap. 1. de ext. unctio.* *aptissimè Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. Oportet* autem *quod forma significet id quod Sacramento agitur*, sed *proportionaliter materiæ*, ait author q. 84. a. 3. in 3. p.

Articulus II.

Art. 2. docet sanitatem corporalem esse effectum hujus Sacramenti, sed secundarium, neque perpetuum, intelligitur autem promissa his verbis, *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* Salus enim & alleviatio ista, sic ad animæ relevationem primò pertinet, ut etiam comprehendatur sanitas corporis: quæ tunc in hoc Sacramento restituitur, quando saluti animæ expedierit; ut loquuntur Synodi Flor. & Trid. ac B. Tho. & alij communiter. Hinc parochi suos admonere debent, ne stultam illam opinionem admittant, qua persuasum est nonnullis, actum esse de illius vita qui fuerit inunctus: proficiscitur enim stolida ista persuasio ab hoste generis humani, sic à Sacramento spirituali(que armatura homines avertente. vide Syn. Audom. tit. 8. cap. 5. *Ut sanitas corporis sit effectus hujus Sacramenti.*

Cur autem huic Sacramento præ cæteris, annexuerit Christus effectum corporalem: ratio potest esse, ne homines mortem, qua nihil est terribilius, metuentes, humanisque præsidijs destituti; vitæ prorogationem quærant per media illicita; sicut fecit Ochozias 4. Reg. 1. E

Cæterum, cum Sacramenta, ut Sacramenta sunt, effectum habeant absolutum, & (nisi re ipsa ponens obicem ponat) infallibilem; hæc autem sanitas non promittatur absolutè, nec infallibiliter, etsi recipientes sancti sint: Ideo monent aliqui, extremam unctionem non operari hunc effectum ut ipsa Sacramentum est, sed ut sacramentale: quo modo & cætera quæ per Ecclesiam consecrantur, operantur, per modum scilicet orationis publicæ, qua impetretur sanitas corporalis, sicut per aspersionem aquæ benedictæ tollitur corruptio aëris, aut infestatio dæmonis.

Articulus III.

Art. 3. probat hoc Sacramentum non imprimere characterem: quia per illud homo non deputatur ad aliquid sacrum agendum aut suscipiendum; neque unctio quæ hîc fit, est consecrationis, sed medicationis. Unde & iterari potest, ut qu. 33. docetur. *Non imprimit characterem.*

In resp. ad 3. observandum est exteriorem unctionem simul cum verbis quæ in ea adhibentur, esse id quod vocatur Sacramentum tantum; gratia autem infusa, est res tantum; spiritualis devotio, alleviatio, & confortatio, est res & sacramentum simul.

Quæstio XXXI.

*De ministro hujus Sacramenti.*

Articulus I. II.

Articulus primo & secundo probat, nec laicum validè hoc Sacramentum administrare, nec diaconum, sed solum sacerdotem.

Primò, quia nullius Sacramenti administratio laicis ex officio competit, solulque baptismus per eos ministratus est validus, Christo ita propter necessitatem, instituente. *Solus sacerdos est minister hujus Sacramenti.*

Secundò, quia Diaconus, ut qu. 67. art. 1. ad 2. dicit B. Thom. in 3. parte, habet tantum vim purgativam, sive repellendo immundos, sive disponendo eos ad Sacramenti susceptionem; non autem illuminativam, quam tamen habet hoc Sacramentum ratione gratiæ quam confert.

Tertiò, quia S. Jacobus ad hoc Sacramentum ministrandum non alios adduci vult quam *presbyteros Ecclesiæ*: per quos non intelliguntur (quemadmodum sectarij volunt) seniores ætate, vel primores in populo; sed juxta Originem, hom. 2. in Levit. Innocentium primum in epistola ad Decentium, & alios communiter; & juxta perpetuum Ecclesiæ usum, sacerdotes juxta ritum Ecclesiæ ordinati. Passim enim in scripturis novi testamenti, & in perpetuo Christianorum usu, nomen *presbyteri*, nomen est dignitatis, seu sacri ordinis, non ætatis. D

Confirmatur, tum quia Apostolus non simpliciter dixit presbyteros, sed *presbyteros Ecclesiæ*; tum quia jubet eos orare super infirmum, & eum ungere in nomine Domini: Ad orandum autem & in nomine Domini ungendum, ætas est impertinens. Hinc est quod Synod. Trid. sub anathemate definivit, proprium extremæ unctionis ministrum, esse solum sacerdotem.

Si objicias Innoc. 1. dicere quod oleo sancto ab Episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate, inungendo: Resp. illud (*inungendo*) sumi passivè; nec sermonem esse de ministro, sed de recipiente Sacramentum, q. d. non solos sacerdotes esse inungendos quando infirmantur, sed etiam alios quosvis Christianos. *Ob.* *Resp.*

Posset etiam objici Beda in cap. 5. Jacobi, ubi dicit infirmos moneri ut seniorem adjutorio curare se meminerint; neque ad juniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referant: Verùm, jamante, quæst. 29. art. 1. diximus, primis illis verbis non literalem sensum ab eo adferri, sed moralem. Postea verò dicit, *Nunc Ecclesia consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur à presbyteris.* *Ob.* *Resp.*



Quamvis autem omnis Sacerdos ratione sui ordinis sit sufficiens minister hujus Sacramenti, quantùm ad hoc ut sit validum: ut tamen licitè administretur, necessaria est jurisdictio in infirmum, vel ordinaria, vel delegata; qualem habet parochus, & is cui ipse commiserit; adeò ut religiosi, sine licentia expressa presbyteri parochialis, præsumentes hoc Sacramentum administrare clericis aut laicis; excommunicati sint ipso facto, Clement. unica, De privilegijs: quod licet Navarrus etiam ad ministerium in articulo mortis factum extendat ca. 27. num. 101. Cum Dominico tamen, Nugno, & alijs verius opinamur, quod vel absente parocho, vel eo per evidentem malitiam recusante, possit alius Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, unctionem extremam administrare morituris: quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ destituere tales moribundos hujus Sacramenti beneficio: sed coërcere religiosos, ne invadant officium parochorum. B

Quod S. Jacobus dicit, *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, non significat istud Sacramentū debere ministrari à pluribus. Unum enim sufficere probat tum usus Ecclesiæ, tum Alex. 3. decretum cap. *Quæsivit*, de verborum significatione; ubi respondet quod Sacerdos uno præsente clerico, & etiam solus potest infirmum ungere, sensus ergo sententiæ Apostolicæ est, Inducat aliquem ex presbyteris Ecclesiæ, ubi non obscurè significatur plures in una Ecclesia fuisse presbyteros; & consequenter nomen *presbyterorum*, non hîc poni pro Episcopis, quos in una civitate plures haberi vetant antiqui canones, sed pro Sacerdotibus inferioribus, absque tamen exclusione superiorum. Eadem hac phrasi loquitur Aug serm. 33. de diversis, cum de muliere quæ precibus ad S. Stephanum fusis impetraverat vitam infanti suo mortuo, dicit, *Continuò tulit illum ad presbyteros*, id est, ad unum ex presbyteris, *baptizatus est, sanctificatus est*, Nam Evodius ca. ult. li. 1. de miraculis S. Stephani, apud eundem August. unius tantùm presbyteri mentionem facit. C

*Quæst.* Quæri nihilominus potest, An hoc Sacramentum à pluribus ministratum, sit validum. Si plures ita ministrent ut uno ungente, alter proferat formam: nihil fit; quia dum materia proxima Sacramenti est actio ministri, ut ablutio, signatio, unctio; illa debet ab eodem determinari per formam. D

*Resp.* Si verò unus unam unctionem faciat cum sua forma; & alius aliam, etiam cum propria forma, Sacramentum subsistit, sive id ob necessitatem fiat, ideoque licitè; sive extra illam, & illicitè, quale aliquid etiam in conficiendo Eucharistiæ Sacramento potest accidere, dum consecrato per unum pane, alius vinum consecraret, priore Sacerdote per morbum aut per mortem deficiente, ut B. Thomas admonuit 3. part. q. 83. art. 6. ad 1. & hujus E supp. q. 29. art. 2. ad 3.

Articulus III.

*Non solus Episcopus potest conferre hoc sacram.* Art. 3. docet non solum Episcopum posse conferre hoc Sacramentum: quia sola illa Sacramenta reservantur Episcopis, quæ suscipientem constituunt in aliquo statu perfectionis super alios: tale autem non est istud.

Confirmari potest, non solùm ex Apostolo qui (ut supra diximus) sacerdotes monet accersendos; sed etiam, quia necesse alioquin foret plerosque eo Sacramento destitui: nam *Episcopi, occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non possunt*, ait Innoc. rationem reddens cur Apostolus nominaverit *presbyteros*, cùm non sit dubium idem posse Episcopos. A

Quæstio XXXII.

*Quibus hoc Sacramentum conferri debeat, & qua parte corporis.*

Articulus I.

*Utrùm hoc Sacramentum debeat conferri sanis.*



Videtur quod sic. Primò, quia Confirmatio confertur illis: ergo & hoc Sacramentum; utrumque enim datur per inunctionem.

Secundò, Ut quis resuscitetur spiritualiter per Sacramentum pœnitentiæ, non oportet quod ea suscitatio spiritualis significetur per corporalem, ita ut sit corporaliter mortuus; & ut aliquis spiritualiter abluatur per baptismum, non est necesse illam ablutionem ita significari per corporalem, ut oporteat baptizandum esse corporaliter immundum: ergo nec oportet spiritualem curationem, quæ sit in hoc Sacramento, significari per corporalem, sic ut recipiens sit corporaliter infirmus.

Responsio ad fidem in Concilijs Florentino & Tridentino definitam, pertinens est, hoc Sacramentum non esse conferendum, nisi infirmis. Pro illis enim solis esse institutum, testatur S. Jacob. his verbis: *Infirmatur quis in vobis?* Unde & sancti Patres hujus materiam vocare solent *oleum infirmorum*. *Resp. quod infirmis.*

Accedit & ratio, Quæ interius geruntur in Sacramentis, debent repræsentari per aliquid exterius: quod autem in hoc Sacramento geritur interius, est spiritualis curatio; oportet ergo quod exterius significetur per modum curationis corporalis; quæ non potest habere locum nisi in ægrotis.

Ad 1. arg. Resp. Neg. Conseq. quia inunctio quæ sit in confirmatione, est sicut militis, qui jam recens ad bellum inscribitur: quæ autem fit in hoc Sacramento, est ægrotantis & alleviatione indigentis.

Ad Secundum, etiam Negatur consequentia.

*Primò*, quia Sacramentum Pœnitentiæ non datur per modum suscitationis, sicut Extrema unctio per modum curationis; sed potius datur per modum judicij: quod etiam significatur exterius.

*Secundo*, quia ablutio non solùm convenit immundis, sed etiam mundis, ut fiant mundiores: sanatio autem non est nisi infirmorum.

Ex his sequitur Unctionem hanc non esse conferendam illis, quibus licet sanis, imminet periculum mortis; ut capitali supplicio damnatis, periculosum prælium inituris, vel periculosam navigationem aggressuris. Quamvis enim tales indigeant præparatione ad mortem; non est tamen pro illis institutum hoc Sacramentum, sed pro ægrotantibus, qui alleviatione corporis & animæ opus habent.

Arti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS II.

*Non omnibus infirmis est ministrandũ.*

ART. 2. probat hoc sacramentum non esse in qualibet infirmitate conferendum: quia institutum est tanquam ultimum remedium hominum infirmorum, quo & in gravissimo mortis periculo juventur, & ad gloriæ introitum disponantur, unde & sacramentum exeuntium vocatur, soletque post viaticum ministrari. Quamvis si ex justa causa prius inungatur ægrotus, ut quando propter vomitum non potest communicare: aut si post inunctionem perseveret infirmitas; nihil vetat inuncto sacram Eucharistiam ministrari: quod etiam significavit Author 3. parte quæstione 65. articulo tertio; & Theodorus Cantuar. 26. quæst. septima, cap. *Ab infirmis.*

Adde quòd secundariùs hujus Sacramenti effectus, etiam gravem ac periculosam infirmitatem postulat. Neque enim convenit ut in quocumque levi morbo, qui facilè remedijs naturalibus videatur posse curari, ad supernaturale hoc remedium recurratur: sed status ille morbi expectandus est, in quo sic periclitetur ægrotus, ut ab humanâ medicina nihil aut parum sit spei: ut sic oportunè quæratur divina.

Confirmatur, Cùm enim B. Jacob. dicit *Infirmatur quis*, non quemcumque morbum significat, sed eum qui dejiciat hominem, periculumque adducat vitæ amittendæ: ut probari potest; tum ex eo quod addit, *inducat* sive *accersat* presbyteros Ecclesiæ, indicare volens ejusmodi morbum quo ægrotus ad sacerdotem ire non possit; tum ex eo quod sequitur, *oratio fidei salvabit infirmum*; ubi vocabulum Græcum graviter laborantem, & vi morbi penè deficientem, significat. Ac proinde quamvis vocabulum præcedens (*infirmatur*) ex se quamcumque infirmitatem significet: debet tamen restringi per posterius.

Eodem pertinet Concil. Trident. declarans unctionem hanc adhibendam esse infirmis, *illis verò præsertim qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.* Quibus verbis non vult omnibus infirmis adhiberi, præsertim verò existentibus in periculo vitæ: sed sensus est, adhibendam esse omnibus periculosè decumbentibus, præsertim tamen illis qui jam in exitu vitæ constituti videantur. Addit enim; *unde & sacramentum exeuntium nuncupatur*; & similiter Florent. ijsdem pœnè quibus B. Thom. in opusc. 5. verbis utens, *Hoc*, inquit, *sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.*

Quod sic esse intelligendum, ut si alteri quàm periculosè infirmo adhibeatur ista unctio, Sacramentum sit irritum; communis est Ecclesiæ sensus: deesset enim subjectum capax.

Cæterùm nemo putet illud tempus ægroti ungendi expectandum, cum jam omni salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipit. Graviter enim delinquunt illi, per quos id accedit; quoniam, cùm ad uberiorem Sacramenti gratiam plurimùm valeat devotio suscipientis; magno spirituali fructu ipsum privant, non curantes eum sacro oleo liniri, quando in eo adhuc viget integra mens & ratio.

ARTICULUS III.

*De amentibus.*

ART. 3. docet illis amentibus, & furiosis qui nunquam habuerunt usum rationis, non esse conferendum hoc Sacramentum: quia non est dandum, nisi illis qui ipsum recognoscunt aut aliquando recognoverunt; quique tantum rationis usum habuerint ut actualiter peccare potuerint. Alioquin enim nullum habebit locum forma quæ facit mentionem peccatorum actualium.

Amentibus autem illis & furiosis qui habent lucida intervalla, dicit esse conferendum eo tempore quo possunt devotionem habere ad Sacramentum. Quod si fieri nequeat; conferendum est in amentia vel furia, modò id absque irreverentia Sacramenti fieri possit.

Cuilibet enim periculosè infirmo conferendum est, etiam si sit amens, phreneticus, energumenus; si, dum sana mente esset, petiverit; vel si non quidem petiverit, sed erat bonæ vitæ; vel ostendit signa sinceræ ad Deum conversionis. Nam tunc præsumitur quòd petivisset, si advertisset; &, quod petere voluit, sed non potuit; ut habetur in Pastorali Mechlin.

Eâdem ratione administrandum est illis, qui vi morbi usum rationis amiserunt, etiamsi tam repentè morbo illo correpti fuerint, ut sine confessione moriantur; modò tamen de Sacramentis Ecclesiæ priùs bene senserint, nec in notorio mortali peccato jaceant, absque signo contritionis.

*Ob.* Nec obstat B. Thom. dicere quod in hoc Sacramento requiritur motus liberi arbit. ideoque non debeat eis conferri qui non habent devotionem ad illud: *Resp.* Concedimus enim requiri motum liberi arbitrij, similiterque devotionem; at non necessariò præsentem seu actualem. Nam ad percipiendum utiliter aliquod Sacramentum, præsens actualis devotio non est necessaria. Unde articulo 8. quæstione septuagesima nona in 3. part. docet eum qui per peccata venialia mente distractus accedit ad Eucharistiam, posse consequi augmentum gratiæ habitualis. Et quæstione octogesima, articulo 9. affirmat amentibus illis conferendum esse in periculo mortis, Sacramentum Eucharistiæ, qui prius, quando erant compotes mentis, devotionem ad illud habuerant. Sicut ergo ad Eucharistiæ sumptionem potest sufficere devotio præterita; ita & ad extremam Unctionem, modò tamen absit periculum irreverentiæ: quod dum subest, amentibus & furiosis non est ministranda. Atque hoc est quod hic vult B. Thomas; ut testatur Sylvester verbo *Unctio*, quæst. 5.

*Quæst.* Cæterum de quibusdam alijs quæri potest, an sit eis hoc Sacramentum unctionis exhibendum, ut de rabidis, peste infectis, lætaliter vulneratis, ex veneno potato morientibus, fœminis in partu deficientibus, senibus qui senio ipso consumuntur absque alia infirmitate, adultis statim à baptismo morti proximis.

*Resp.* Respondemus autem quod sic; quia sunt adulti, qui peccare potuerunt ac verisimiliter peccaverunt actualiter; sunt etiam infirmi, & quidem tales qui versentur in periculo mortis. Quamvis enim causa ægritudinis quorundam illorum sit extrinseca & violenta; verè tamen ægrotant, ut post flores Theologicos tradit Vivaldus.

Caven-



Cavendum autem, ne rabidorum sputum seu saliva, quæ vim habet inficiendi, attingatur: & ideo partem ori vicinam ungere suffecerit, loco labiorũ.

Cavendum etiam à pestiferis: Ideò curet sacerdos habere vestes breves; & ita eas ad se colligat, ut quam maximè potest, fugiat contactum infirmi. Præterea ægrotum (si potest) constitui faciat in loco puro & libero, non se statuat inter ignem & infirmum, neque inter januam vel fenestram & ægrotum; muniat se præservativis judicio medicorum: & uti potest virgâ oblongâ, verè tamen oleo tinctâ, sic ut perficiatur unctio. Praxim enim illam tradit Parochiale Ruremondense, ut notat Chapeaville quæst. 34. de hoc Sacramento. Peractâ autem unctione; virgam ejusmodi aut purgabit ac in similem usum servabit, si aurea sit vel argentea, propter reverentiam Sacramenti: vel igne comburet, si sit lignea.

*Quæst.* Quis verò teneatur ministrare hoc Sacramentum illis qui morbo aliquo contagioso laborant, quæri potest.

*Resp.* Parochum teneri, probat illud Christi, Joannis 10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*: probant & variæ Synodi; Secunda Provincialis Camerac. titulo quinto cap. 10. Iprensis titulo 8. capite primo, Audomar. titulo decimo nono capite primo.

Sed quæstio superest.

## *Non Parochus teneatur suis parochianis peste aut aliquo alio morbo contagioso laborantibus, extremæ unctionis sacramentorum administrare.*

VIDERI potest quod neque hoc, neque pœnitentiæ, neque Eucharistiæ sacramenta debeat ipsis ministrare.

PRIMÒ, Parochus non tenetur vitam suam corporalem evidenti periculo pro suis subditis exponere, nisi illi extremè indigeant ad vitam spiritualem seu salutem æternam consequendam, vel nisi in gravi ejus periculo versentur: Quamvis autem nullum ex his Sacramentis recipiant, neque sunt in extrema, neque in gravi necessitate, cum salvari possint per Contritionem & votum Sacramenti pœnitentiæ in ea inclusum: ergo.

SECUNDÒ, Ipsimet ægroti non tenentur ista Sacramenta vel eorum aliquod suscipere cum evidenti mortis periculo: ergo nec Parochus cum simili suo periculo tenetur ministrare. Anteced. Prob. quia Sacramenta quæ sunt necessaria, non sunt adultis necessaria in re, sed vel in re vel in voto; evidens verò periculum vitæ excusat ut votum possit sufficere. Prob. Cons. quia major est obligatio qua unusquisque obligatur sibi, quam qua obligatur alteri.

TERTIÒ, Etsi Parochus ex vi muneris seu officij sui teneatur ministrare Sacramenta; non tamen tenetur cum tanto discrimine; Nam debitor ex justitia, non tenetur solvere debita cum evidenti detrimento suæ vitæ.

QUARTÒ, Necessitas quæ provenit ex defectu voluntario, non obligat ut ei subveniatur cum certo vel quasi certo vitæ periculo; quandoquidem si necessitatem patiens velit, ipse possit eam tollere: Sed necessitas alicujus istorum Sacramentorum quam habet infirmus, est ex defectu voluntario: si enim velit, potest conteri, & habere Sacramentum in voto: ergo nullus obligatur cum evidenti periculo vitæ illi subvenire.

*Parochi magis obligantur quã Episcopi.* Priusquam Respondeatur observandum est Parochos magis esse obligatos ad Sacramenta suis Parochianis ministranda, quam sint Episcopi; quia Episcopi etli sint gregi suo præsentes, non tenentur per seipsos illa ministrare, nisi ubi deessent alij sacerdotes; tenentur verò Parochi; idque propterea, quia Episcopi sunt causæ universales quæ per se immediatè, non operantur effectus natos effici à causis particularibus, nisi in casu raro & necessario: Parochi autem sunt causæ particulares, ac per consequens proximi ministri sacramentorum quæ plebi sint administranda; ad quos proinde pertinet immediata illorum administratio, secundùm ea quæ B. Thom. scribit, quodlib. 1. articulo 14. in corp. & quodlib. 3. articulo 17. ad 5. Accedit quod Parochi sunt immediatè subjecti Episcopis, sine quorum consensu, nec possunt locum deserere, nec vices suas alteri committere, nec abstinere ab administratione sacramentorum. Quibus præmissis sit

CONCLUSIO I.

*Pro sacramento pœnitentiæ.* REGULARITER & per se Parochus tenetur suis parochianis peste infectis administrare Sacramentum pœnitentiæ, etiam cum evidentissimo vitæ suæ periculo, si aliter non possit per se vel per alium sacerdotem eis administrare.

PROBATUR PRIMÒ, quia istud Sacramentum est maximè necessarium ad salutem, quemadmodum ostendimus hujus Supplem. quæst. 6. art. 1. & 3. part. quæst. 84. art 5. Non licet autem Parocho privare suos parochianos ijs medijs quæ sunt ipsis ad salutem necessaria, etiamsi certam mortem inde sibi videant imminere. Hoc enim ipso quo aliquis est Parochus, incumbit ei cura animarum, ut quantum in ipso est, nullum sinat perire, sed vitam potius suam corporalem morti exponat, ut spiritualem animæ sibi concreditæ salutem servet.

Confirmatur, juxta regulam charitatis, de qua 2. 2. quæstione 26. articulo 5. debemus magis diligere proximum quantum ad salutem animæ, quam corpus nostrum, adeò ut August. lib. de mendacio cap. 6. scribat; *temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Quod si privatus quisque tam arctè obligatur in extrema proximi necessitate; quanto magis ille censendus est in eadem, imò & in valdè gravi necessitate esse obligatus, qui ultra communem privatorum hominum obligationem, habet aliam ex vi muneris & officij parochialis? Quare Christus peculiariter de Pastore ait Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis*, si bonus Pastor non magis obligaretur exponere vitam suam pro suis parochianis, quam privatus pro privato?

PROBATUR SECUNDÒ ratione quam adfert Suarez tomo quarto disputation. 44. section. 3. In moralibus id simpliciter statuendum est pro regula, quod moraliter loquendo & ut plurimum est necessarium: Sed hoc modo sacramentum pœnitentiæ est necessarium ad salutem æternam animarum

Universidad de Deusto
Biblioteca



marum quæ præferenda est propriæ vitæ corporali: ergo generalis regula est hoc cadere sub obligationem, ut scilicet parochus sacramentum pœnitentiæ ministret suis parochianis morituris, quamvis sit ei præsens mortis periculum.

Si dicas, hoc sacramentum est necessarium in re vel in voto: sed parochiani possunt illud habere in voto, & ita salvari per contritionem: ergo non sunt in extrema vel admodum gravi necessitate, quamvis non actu confiteantur sacerdoti.

Resp. Neg. Conf. quoniam etsi pœnitentes possint remissionem peccatorum consequi per contritionem charitate perfectam, quæ sacramenti votum includat: quia tamen talem contritionem habere est res admodum difficilis, ac specialiter in eo statu morbi, in quo versatur ægrotus: propter corporis namque debilitatem & sanitatis corporalis sollicitudinem, variosque dolores ac fortassis etiam tentationes, valdè distrahitur & à puro Dei super omnia amore impeditur: Ideo si ægrotus tunc destituatur Sacramento Pœnitentiæ, procul dubio, si non in omnino extrema, certè in gravissima necessitate deseritur, & multis tentationibus, desperationis, infidelitatis ac alijs exponitur, quæ à dæmone nostro calcaneo insidiante suggeri tunc maximè solent.

Adde multos peste laborantes non cogitare de periculoso suo statu, si non sint qui ipsos moneant & hortentur. Cum his conferantur quæ habet S. Augustin. epist. 180. quæ B. Thom. 2. 2. quæstione 185. articulo 5. & quæ nos tum in eadem parte quæstione 26. articulo 5. diximus, tunc in oratione, quarta Maij ann. 1611. habita. Legi etiam possunt Navarr. Enchirid. cap. 24. numero decimo, cap. 25. numero 133. Suarez dicta sect. 3. Chapeaville de sacrament. tempore pestis cap. 3. quæstione 1. Possevinus cap. 7. numero 74. Tannerus disput. 7. quæstione 1. dub. 3. num 62. in hanc sententiam (quæ & aliorum communis est) conspirantes.

Cæterum, quia præceptum de Sacramento hoc etiam peste infectis ministrando, est affirmativum:

Ideo Suarez & Chapeaville observant posse casum occurrere, in quo non obliget. Veluti si Pastor sit moraliter certus, ægrotum peste infectum, esse ad mortem bene dispositum, & non habere ullum mortale peccatum; & alioquin sibi esse periculum magnum & evidens, si ejus confessionem audiat; probabile est quod tunc excusari possit, maximè si in eo loco solus ipse sacerdos sit, nec citò vel facilè possit haberi alius qui cæteris infectis ministret. Ratio est, quia talis ægrotus non versatur in gravi necessitate.

Ex his patet Responsio AD PRIMUM ARGUMENT.

AD SECUNDUM respondent Suarez & Chapeaville, Neg. Anteced. quando ægroti sunt in mortis articulo de quo nunc agitur: tunc enim deberent potius Pastori infecto confiteri cum periculo vitæ corporalis, quam se exponere periculo mortis æternæ.

AD TERTIUM Neg. Assumpt. quamvis enim non omnia quæ debentur ex justitia, solvenda sint cum evidenti periculo vitæ corporalis; quædam tamen sunt quæ sic solvi debent; nam debitum quod miles habet de pugnando, vel excubias agendo, solvi debet etiam cum vitæ periculo: & similiter in proposito, quia debitum quod habet Pastor, est debitum justitiæ vel officij ad sacramenta tunc ministranda, quando sui Parochiani illis indigent.

AD QUARTUM RESP. Anteced. non esse universaliter verum: quando enim defectus non est ex malitia, sed ex ignorantia vel fragilitate; is cui ex officio incumbit ejus infirmi cura, debet ei necessitate urgente laboranti subvenire, etiam cum suæ vitæ periculo.

### CONCLUSIO II.

*Prosecram.*

NON est improbabile Parochum tempore pestis non teneri (saltem sub mortali) ministrare Eucharistiam suis Parochianis cum suæ *Eucharistiæ.* vitæ periculo. Ita enim docet Possevinus lib. de officio curati, cap. 8. numero trigesimo sexto. Et Antoninus Diana tractat. 4. de sacrament. Resol. 174. ad quæstionem, *An parochus teneatur tempore pestis ministrare extremam unctionem & Eucharistiam cum periculo vitæ*; his verbis Respondet: *Dicendum est opinionem negativam esse probabilissimã:* Et hujus suæ Responsionis varios præassertores allegat. Et conformiter, is qui ipsius resolutiones in compendium redegit, in n. sacrament. extremæ unctionis ita scribit: *Si peste infecti confessi sunt, potest Parochus tuta conscientia sacramenta Eucharistiæ & extremæ unctionis illis non ministrare*; nisi videlicet necessitas proximi magna esset, ut quia valdè dubitaretur de illius salute, si absque viatico decederet.

### CONCLUSIO III.

ETSI nolimus damnare Parochos illos, qui Doctorum istorum sententiam secuti, hæc duo Sacramenta Eucharistiæ & extremæ unctionis non ministrant peste infectis recenter confessis, modò absit scandalum: Securior tamen & verisimilior est aliorum sententia, *Parochum sub mortali peccato teneri* administrare sacram. Eucharistiam suis Parochianis, peste vel alio morbo contagioso infectis, etiam cum propriæ suæ vitæ periculo, nisi per aliquem alium id fiat; & nisi quædam circumstantiæ occurrant, propter quas meritò possit excusari.

PROBATUR PRIMÒ, quoniam Eucharistia est à Christo instituta non solum ut cibus spiritualis aliquoties in vita sumendus, sed etiam ut viaticum ab infirmis ex jure divino sumendum. Et quamvis non ita sit necessaria sicut Sacramentum baptismi vel pœnitentiæ; est tamen medium quodammodo necessarium ad gratiam conservandam, & ad vincendas tentationes dæmonis maximè tunc insidiantis: Parochus autem ex officio atque adeò ex justitia tenetur cooperari subditis ut impleant præcepta divina; ac etiam tenetur eis subvenire, non solum in extrema, sed in gravi quoque necessitate constitutis; quinimo obligatur eis ministrare non tantum ea quæ simpliciter necessaria sunt, sed insuper quæ valdè sunt ipsis utilia, & quodammodo necessaria.

PROBATUR SECUNDÒ, fieri potest ut multi salventur percepto hoc Sacramento, qui alioquin essent damnandi: Confert enim aliquando primam gratiam & peccati mortalis remissionem



nem, veluti si homo non fuisset antea perfectè contritus, secundùm Beati Thomæ 3. parte quæstione 79. articulo 3. & communem aliorum doctrinam.

PROB. TERTIÒ, ex usu Ecclesiæ: omnes enim Parochi timorati hoc observant, ut quamvis noverint suos Parochianos peste laborantes per Confessionem esse bene dispositos, ministrent eis viaticum. Episcopi quoque ut hoc faciant, Parochis præcipiunt.

PROB. QUARTÒ, quia magnum scandalum oriretur in populo, si Pastores sinerent communiter suos subditos contagioso morbo infectos mori sine viatico: signum ergo est quod Pastores ad illud eis ministrandum obligentur. Et ita docent Suarez tom. 4. disput. 44. sect. 3. Vasquez in opusc. de benefic. cap. 4. art. 1. §. 2. Chapeaville cap. 4. de sacram. quæst. 1. & 2. Henriquez lib. 8. cap. 55. numero 2. Sayrus in floribus decisionum de constit. decis. 38. & 39. Fagundez l. 3. Tannerus disput. 7. de extrema unctione quæst. 1. dub. 3. num. 2. Barbosa de offic. Parochi cap. 17. & alij multi per ipsos citati.

Diximus in conclusione, nisi quædam circumstantiæ &c. Cum enim Eucharistia sit minus necessaria, quam confessio; facilius potest occurrere aliqua circumstantia excusans Parochum ne hîc & nunc teneatur eam ministrare. Veluti si aliqui infirmi essent absque Confessione morituri, casu quo Parochus velit alijs ministrare viaticum: si periculum vitæ sit valdè magnum in Parocho, & necessitas valdè parva aut nulla in ægroto, quia paulò ante communicavit, & Pastor moraliter certò novit conscientiam illius esse bonam, utpotè qui sit prudens, pius, doctus & de salute sua sollicitus: Ac rursum, si grave sit Parocho periculum, & ejus mors futura sit magna populi desolatio & jactura, sicut si ipse solus sit, nec citò nec facilè habendus sit alius qui pestiferis succurrat. His & similibus casibus excusatur Pastor ab administratione viatici apud Suarez, Chapeaville, & Barbosam.

### CONCLUSIO IV.

*Pro extrema unctione.*

PAROCHUS tenetur per se vel per alium administrare extremam unctionem suis subditis peste infectis, non obstante parvo aliquo periculo, si illud non sit moraliter magnum: quia istud sacramentum est etiam magnæ utilitatis, & per se spectat ad officium Parochi, illud ministrare. Debet ergo conari, adhibere remedia Catholicorum & proborum medicorum judicio oportuna, cautelasque idoneas ut possit illud ministrare. Si tamen omnibus adhibitis non possit absque notabili vitæ suæ periculo ministrare, communiter non tenetur; quia hoc sacramentum non est tam necessarium quam alia, neque cadit sub præcepto. Sic Suarez, Chapeaville; Tannerus, Filliucius, Possevinus, Diana, & alij.

Dico, communiter non teneri: quando enim contingit infirmum non potuisse recipere, neque sacramentum pœnitentiæ, neque Eucharistiæ; tunc Parochus debet, etiam cum certo vitæ periculo, hanc administrare. Et de modo quidem ministrandi peste infectis extremam unctionem, jam ante hoc art. quædam diximus, dicemusque alia art. 6. At de modo illis ministrandi sacram Eucharistiam quæstio dubia est.

*Sylv. in III. Part.*

Ad quam tamen Resp. nullum esse modum decentiorem eo qui est in Ecclesia receptus & usitatus, ut nimirum sacerdos nuda manu porrigat eam infirmo, prudenter in os ipsius immittens. Ex quo si periculum sibi metuit, manicam fortiter ad manum suam stringat, eique vel bonum acetum, vel aliud remedium ex medicorum judicio adhibeat; & statim post administrationem, tunicam, superpellicium & stolam bono aëri vel igni exponat. Si hoc modo non possit, vel (propter gravitatem periculi) non audeat ministrare, varijs alijs modis à varijs administrari dicitur.

*Varij modi ministrandi Eucharistiæ infirmo, prudenter os ipsius immittens. Ex quo si periculum sibi metuit, manicam fortiter ad manum suam stringat, eique vel bonum acetum, vel aliud remedium ex medicorum judicio adhibeat; & statim post administrationem, tunicam, superpellicium & stolam bono aëri vel igni exponat. Si hoc modo non possit, vel (propter gravitatem periculi) non audeat ministrare, varijs alijs modis à varijs administrari dicitur.*

UNUS est, ponendo sacramentum in aliqua parva pixide vel scutella seu alio honesto vasculo, super linteum aliquod benedictum, eamque scutellam seu pixidem aut vasculum collocando super mensam ad hoc compositam, & monendo ac docendo infirmum ut sacramentum inde reverenter ore suo accipiat. Hujus aut huic similis modi meminit Joannes Major in 4. dist. 23. quæst. 1. §. *Ultis.* Respondetur; his verbis: *Inter scutellas etiam porrigendo sacramentum Eucharistiæ, quam ore, docebit patientem reverenter tractare.*

SECUNDUS est, Eucharistiam pane usuali seu domestico involutam proponendo, & curando ut infirmus illam vel cum eo pane, vel sine eo sumat.

TERTIUS, Sacramentum inter duas hostias seu particulas consecrabiles ponendo, easque (madefactis nonnihil ipsarum extremitatibus) honestè ad invicem copulando, ne quid sacramenti decidat. Quo facto super orbem aut honestum aliquod valculum in mensa decenter parata ponitur sacramentum, moneturque infirmus illic esse verum sacramentum verumque Christi corpus: ideo reverenter ac devotè sumat; & si per se non possit, ex domesticis unus orbem ei tradat, ex quo orbe ipse sacramentum accipiat.

QUARTUS, mittendo hostiam consecratam vel ejus particulam in vitrum aut aliud vasculum, in quo sit aliquid vini vel alterius liquoris, ut infirmus illam cum isto liquore hauriat.

QUINTUS, oblongiori forcipe aurea vel argentea, aut simili Eucharistiam tenendo, & sic ægroto porrigendo.

SEXTUS, virgulæ oblongiori quæ in extremitate formam semilunæ habeat, Eucharistiam infigendo & in os peste infecti immittendo.

SEPTIMUS, digitis quidem præbendo sacramentum, sed obtectis chirotheca aut alia re simili, ad vitandam contagionem ex contactu labiorum, linguæ, vel salivæ peste infecti.

OCTAVUS, dando sanis Eucharistiam asservandam; ut (si peste corripiantur) illam sumant.

At de his omnibus modis non idem est judicium.

PRIMUS quidem videtur admitti posse, de licentia Ordinarij expressa vel tacita; veluti si noverit suos sacerdotes ita practicare, neque contradicat: quoniam hoc modo nec scandalum facilè potest oriri, nec irreverentia sacramento irrogari, modo pixis (si sit lignea) cum linteo benedicto comburatur, & cineres in Ecclesiæ piscinam vel cæmeterium recondantur: si autem vasculum sit argenteum vel stanneum, mox in aquam injiciatur, ac postea bene purgetur; aqua verò in cæmiterium injiciatur. Vide Chapeaville cap. 4. de Eucharistia qu. 30. & 31. in fine.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Secundum omnino improbat Chapeaville q. 32. non solum quia est ab usu Ecclesiæ alienus, sed etiam quia tali modo sacramentum tractatur quasi panis prophanus: unde & facilè potest generare scandalum & irreverentiam. A

Tertius non multum est absimilis; majorem tamen videtur præ se ferre honorem ac reverentiam, nec ullum habere scandali periculum, si infirmus bene instruatur illas particulas exteriores non esse sacramentum, sed eam quæ intra ipsas est; neque etiam est periculum ne qua sacramenti particula decidat, si ægrotus totum simul sumat. Ideo videtur posse admitti per loci Ordinarium.

Quartus quoque non omnino videtur improbandus, modò totum peragatur honorificè ac reverenter, & ex consensu Ordinarij; tamque in hoc modo quam in aliquo aliorum qui fortè videbitur usurpandus, Presbyter ab ægroto non recedat, donec viderit eum recepisse sacramentum; ut sub ejus tanquam ministri Christi jussu & nutu porrigatur ei pixis, orbis aut vasculum, casu quo non possit per se ipsum ex mensa accipere. B

Nec videtur in ejusmodi necessitate indecens, si laicus hæc tangat: cum B. Thom. 3. p. q. 82. art. 3. significet laicos posse ipsum sacramentum tangere, si caderet in terram vel in aliquo alio necessitatis casu: est autem hîc non parva necessitas; ex parte infirmi, ut tam salubre remedium accipiat; & ex parte ministri, ut grave mortis periculum vitet. C

Quintus & Sextus periculum non parvum continent, ne sacra hostia vel ejus aliqua particula decidat, aut vento eam agitante, aut infirmo non satis prudenter in os accipiente; ideoque etsi à quibusdam usurpentur, non ausim tamen eos simpliciter probare: unde Chapeaville q. 33. de quinto modo sic scribit. *Etsi peste grassante & deficientibus sacerdotibus ad evitandum contagionis periculum aliquis extraneus modus ministrandi concedi deberet, hic non videretur concedendus.* Et de sexto absolutè etiam qu. 34. censet esse reprobandum. Verisimilius est alium quorundam modum posse practicari, qui Eucharistiam ægroto præbent per virgulam oblongiorem, in cujus extremitate est parvum vasculum argenteum quod sacramentum continet, & mox ab administratione in aquam injicitur.

Septimus non est probandus, cum ne Episcopi quidem qui chirotecis in ministerio sacro utuntur, eas retineant, quando sunt sacramentum contrectaturi. Potius probandum videtur quod aliqui dicuntur practicare, qui digitis nudis porrigunt, reliqua autem parte manus contecta linteo vel papyro quæ acetum forte recenter imbiberit.

Octavus omnino est illicitus, cùm jam pridem Ecclesia prohibuerit Eucharistiam alibi asservari, quàm in templis; neque magno periculo careat, eam extra templa relinquere, præsertim apud laicos. D E

Si dicas, quemlibet ex his octo modis esse alienum ab usu Ecclesiæ. Resp. esse quidem alienum ab eo usu quem Ecclesia communiter servat extra necessitatem gravissimam, & extra urgens mortis periculum; non omnes tamen sunt alieni ab usu qui propter necessitatem servatur in Ecclesia à doctis & pijs sacerdotibus, consentientibus (ut credo) Ordinarijs vel eorum Vicarijs.

### Articulus IV.

*De pueris.*

Art. 4. probat hoc sacramentum non esse conferendum pueris, illis nimirum qui necdum utuntur ratione: partim quia in talibus non habet locum forma sacramenti, *Quicquid deliquisti per visum* &c. partim quia hoc sacramentum requirit actualem devotionem in suscipiente, præsentem vel præteritam, *sicut* (inquit) *& Eucharistia*, de qua videndus est articulus nonus qu. 80. in Tertia parte.

Pueris autem qui ad annos discretionis pervenerunt, ac proinde peccata aliqua commiserunt, aut sunt in eo statu rationis ut committere potuerint, ministrari potest etiam ante decimum quartum ætatis annum, ut habetur in Synodo Camer. habitâ anno 1567. Unde in Pastorali Mechlin. dicitur, *Qua ætate pueri: conceditur sacra communio, unctio quoque concedenda est.*

Ex his sequitur quod subjectum capax hujus sacramenti, sit homo baptizatus, qui sit aut fuerit usu rationis præditus, & aliquando peccaverit, vel saltem peccare potuerit actualiter, infirmus ad mortẽ.

Dico, vel saltem peccare potuerit; quia hoc sacramentum rectè administrari illis qui vel nunquam peccaverunt actualiter, vel non à baptismo, (fuerunt tamen in eo statu ut peccare potuerint,) significat Paludanus in 4. dist. 23. q. 3. art. 2. & expressè tradunt Suarez, disput. 42. sect. 2. Diana resolut. 172. & 181. cum multis alijs per eos citatis. Item Tannerus disp. 7. quæst. 1. dub. 3. Possevinus cap. 9. qu. 4. Gamacius cap. 5. de extrem. unctione. Unde sequitur quod adulto qui in morbo baptizatur, statim que recipit viaticum, dandum sit etiam hoc sacramentum.

Si quæras, quomodo talibus verè dici possit, *indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum* &c.

Resp. vel quia hoc conditionatè intelligitur, si nimirum deliquisti: Dixit enim S. Jacobus, *si in peccatis sit, remittentur ei*: vel quia sensus esse potest, indulgeat tibi infundendo gratiam de se remissivam peccati, si fortè aliquod habes.

Unde si præterea quæras, quem effectum causabit sacra unctio in ejusmodi?

Resp. quod gratiam habitualem de se remissivam peccatorum, & corroborativam animæ infirmi contra difficultates in mortis articulo occurrentes; collativæ etiam spiritualis alacritatis, qua levius ferat morbi incommoda, & facilius resistat tentationibus diaboli; ac etiam abstersivæ reliquiarum de quibus dictum est qu. 30. ar. 1. concl. 2. Hujus sacramenti præterea effectus in tali infirmo erunt varia auxilia actualia, sicut in alijs.

Si quis objiciat B. Thom. hoc ar. ad 2. scribere quod hoc sacramentum non datur contra reliquias peccati originalis, nisi secundùm quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatæ.

Resp. subintelligi, vel naturaliter confortari potuerunt quantum attinet ad statum naturalem infirmi.

*Quæst.*

Quærunt hîc nonnulli, an B. Virgo receperit extrem. unctionis sacramentum. Et pro Resp. variant Authores, utpotè in re prorsus incerta. Non fuit incapax aliquorum effectuum hujus sacramenti, veluti gratiæ, roboris seu corroborationis animi, & auxiliorum ad spiritualem alacritatem conducentium: & hinc est quod non pauci affirment ipsam hoc sacramentum recepisse; haud tamen



men improbabiliter negat Tannerus disp. 7. de extrema Unctione qu. 1. dub. 3. Cum enim Apostoli non ignorarent ejus immunitatem ab omni peccato: quomodo conveniens erat ut ad eam diceret, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, per auditum &c.* A

Circa hunc Articulum

## Quæritur I.

### *An hoc sacramentum sit ad salutem necessarium.*

Esse, probari posse videtur ex verbis S. Jacobi, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ.* B

*Ob.* Verum ea verba non continere absolutum præceptum, sed hujus sacramenti commendationem & promulgationem, satis indicavit Synodus Trid. partim c. 1. dum ait *hoc sacramentum esse a S. Jacobo commendatum & promulgatum*; partim cap. 3. dum affirmat contemptum hujus sacramenti non sine ingenti scelere esse posse, nihil dicens de omissione quæ sit sine contemptu.

*Resp.* Quapropter communis sententia, quam expressit Author 3. part. qu. 65. ar. 4. & hujus Supplem. qu. 26. art. 3. est, sacramentum istud non esse necessarium, sed valde utile: sive quia effectus ejus non est necessarius ad hoc ut quis amicus Dei constituatur, cùm illam amicitiam præsupponat: sive quia remissio peccatorum & gratia confortans animum ægroti, potest aliundè haberi. Hinc enim sequitur quod non sit medium ex vi suæ institutionis necessarium.

*Resp. non esse.* C

Quod autem nec sit necessarium præcepti necessitate, probari potest ex eo quod nullum hac de re inveniatur vel à Christo, vel ab Ecclesia traditum generale præceptum.

*Ob.* Si Objicias, Concilium Coloni, ann. 1536. habitum, velle cap. 50. partis 7. ut hæc sacra Unctio impendatur, cum expositione mandati Apostolici.

*Resp.* Resp. *mandatum* vel sumi generaliter pro admonitione, commendatione, promulgatione; vel referri non ad receptionem sacramenti, sed ad ritum. Institutio enim & institutionis publicatio secum adfert istud præceptum: ut sacramentum hoc ministretur per sacerdotem, per unctionem, per orationem. D

*Ob.* Synodus quidem Senon. decreto 10. meminit præcepti Christi, dicens, *Sed ne hic noster ungendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur: si quis infirmatur (inquit Iac.) in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ* &c.

*Resp.* Verùm quia præmiserat quod Apostoli unxerint infirmos Marc. 6. ex præcepto Christi, volentis adumbrare hoc sacramentum, & ad illud manuducere; tacitæ objectioni sic occurrit: Ne quis autem dicat unctionem infirmorum, quam facimus, à Christo quidem fuisse præceptam, Marc. 6. non tamen esse sacramentum; advertere debet verba S. Jacobi, quibus omnia exprimit quæ ad sacramenti rationem possunt requiri. Ubi synodus non dicit Christum præcepisse hoc sacramentum; sed unctionem factam ab Apostolis; & relatam à S. Marco. Quæ cùm ita sint; hujus tamen sacramenti negligentia vel contemptus non careret peccato; illa veniali; iste mortali. E



## Quæritur II.

### *Quæ præparatio, ad hoc sacramentum prærequiratur.*

Resp. Ut quis dignè ac utiliter ipsum recipiat, omnino convenit ut sit confessus de mortali, cujus habet conscientiam; quia est quædam spiritualis medicatio: ac proinde, sicut corporalis medicatio præsupponit vitam corporalem in eo cui adhibetur; ita spiritualis spiritualem, ait B. Thom. qu. 30. art. 1. Ubi tamen confessio vel non potest, vel non commodè potest præmitti: nullum erit peccatum recipientis aut ministri; si ille cum sincera ad Deum conversione recipiat: iste verò administret alicui non existenti notoriè in peccato mortali. Confer ea quæ diximus 3. p. qu. 64. ar. 6. quæsito 2.

### Articulus V.

*Non totum corpus ungendum.*

Art. 5. probat in hoc sacramento non esse totum corpus ungendum; quia datur per modum curationis: curatio autem corporalis non debet fieri per medicinam toti corpori appositam, *pus unde* sed illis tantùm partibus, ubi est radix morbi. *genãm.*

Quod in arg. 3. ejusque solutione habetur, in baptismo totum corpus immergi, totique corpori ablutionem adhiberi; secundùm veterem quarumdam Ecclesiarum ritum dicitur, quo baptizandi toti immergebantur fonti baptismali: hunc autem ritum non esse necessarium, clarè docuit in 3. part. qu. 66. art. 7.

### Articulus VI.

*Convenienter determinatæ sunt partes ungendæ.*

Art. 6. docet convenienter determinari partes illas, quæ in exhibitione hujus sacramenti sunt ungendæ: quia inungenda sunt prima principia peccandi: hæc autem sunt sensus, à quibus omnis nostra cognitio procedit: convenienter ergo determinantur ungenda organa quinque sensuum: oculi, propter visum: aures, propter auditum: nares, propter odoratum: os, propter gustum: manus, propter tactum, qui licet sit dispersus per totum corpus, maximè tamen viget in manibus. D

Et hunc ritum ungendi cùm universalis Ecclesiæ consuetudo receperit, neque inveniatur primum ejus initium; ex Apostolica traditione descendere existimandum est, juxta regulam Aug. lib. 4. contra Donatistas cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum sed semper retentum est; non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur.*

Quapropter ordinariè & citra magnam necessitatem, oportet unumquemque (mortaliter alioquin peccatorum) ungere instrumenta quinque sensuum: In reliquis autem partibus, ut pectore, pedibus, renibus, servet morem suæ Ecclesiæ. E

Servet quoque hoc: ut si contingat ægrotum mori, priusquam administratio sit completa, ipse non pergat ungere, aut formam proferre; quia mortuus non est capax sacramenti; sed legat Commendationes quæ sunt pro defunctis.

Cum S. Thom. hîc ad 3. dicit, quòd secundùm quorundam consuetudinem unctio fiat in renibus, satis significat eam fuisse paucorum; meritoque

Universidad de Deusto
Biblioteca



que omittitur, præsertim in mulieribus, propter A pudorem.

Sicut autem sensuum organa quædam sunt gemina: ita geminæ unctiones (verbis tamen non nisi semel prolatis) faciendæ sunt, ubi fuerit consuetum, ut in diœcesi Camerac. ad oculos, ad aures, ad manus: & quidem geminato etiam signo crucis, quamvis illud non sit de essentia sacramenti. Hîc

## QUÆRITUR I.

### *An Episcopis & alijs sacerdotibus sint inungendæ manus.*

RESPONSIO affirmativa certa est: quamvis B enim tum in sacerdotali, tum in Episcopali ordinatione fuerint inunctæ; unctiones tamen illæ erant alterius rationis, nec factæ sunt oleo infirmorum, sed in sacerdotali, oleo cathecumenorum; in Episcopali, chrismate. Et ideo licet in quibusdam locis propter reverentiam sacri ordinis, manus sacerdotum non inungantur ab interiori parte, sed solùm extrinsecus, ut ordinatum fuit in Synodo secunda Provinc. Camerac. tit. 12. cap. 6. conformiter ad antiquorum decretorum titulum 11. alibi tamen, non irrationabiliter, statuitur palmas manuum semper esse ungendas, etiamsi ungendus sit sacerdos vel Episcopus, ut in Pastorali Mechlin. Servet autem quisque ritum suæ diœcesis, quamdiu Pontifex diversitatem istius ritus non improbat. In Rituali jussu Pauli quinti edito præscribitur ut *sacerdotibus manus non inungantur interius, sed exterius.*

*Quæst.* QUÆRI etiam posset, An dum sacerdos est solus, possit seipsum ungere, sicut potest seipsum communicare.

*Resp. Sacerdos non potest seipsum ungere.* Sed communis Ecclesiæ sensus satis ostendit partem NEG. esse tenendam. PRIMÒ, quia sacramenta quæ perficiuntur ipso usu, requirunt ministrum à suscipiente diversum; unde nemo potest seipsum baptizare, confirmare, absolvere, ordinare, sicut potest sibi Eucharistiam tribuere, quæ est sacramentum in re permanente consistens. D

SECUNDÒ, qui sibi administraret hoc sacramentum, mutaret formam substantiali mutatione, scilicet quantum ad significationem verborum. Neque enim idem est. *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti*; &, Indulgeat mihi quicquid deliqui. Confirmatur, S. Thom. quæst. 66. art. 5. ad 4. in 3. partem tradit futuram mutationem substantialem, si quis diceret, Baptizo me; ergo similiter in proposito. Denique S. Jacobus indicavit diversas esse personas infirmorum, & presbyterorum ungentium.

## QUÆRITUR II.

### *Quæ unctiones ad essentiam sacramenti requirantur.*

REQUIRI unctiones quinque organorum sensoriorum plerique existimant. E

PRIMÒ, quia illæ ab omnibus observantur, quasi de necessitate sacramenti, ut loquitur hîc B. Thom.

SECUNDÒ, quia Concil. Flor. dicit ægrotum esse inungendum in quinque sensibus.

RESP. probabilem nihilominus esse quorumdam opinionem, quod ad essentiam hujus sacramenti sufficiat una aliqua unctio. *Probabile est sufficere unam.*

PRIMÒ, quia ad baptismi essentiam sufficit una ablutio cujuscumque partis, saltem notabilis; ergo similiter ad essentiam hujus sacramenti sufficit una unctio partis alicujus. Sicut enim dixit Christus Matthæi 28. *Baptizantes eos*, ita dixit S. Jacobus cap. 5. *ungentes eum*, nullas partes determinatas exprimens.

Neque refert quod Ecclesia solet observare quinque sensuum unctiones: solet enim jam olim à temporibus Apostolorum etiam servare trinam mersionem in baptismo; 3. p. q. 66. ar. 8. & tamen illæ tres mersiones non sunt de essentia baptismi. Quare sicut ad baptismum per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate sacramenti; modus autem ablutionis per accidens se habet ad sacramentum; ita verisimile est quod in extrema unctione per se requiratur unctio olei; modus autem unctionis, an scilicet quinque, vel plures, vel pauciores fiant unctiones, non sit de essentia sacramenti, sed relictus sit dispositioni Ecclesiæ.

CONFIRMATUR, Ecclesia Romana non aliud in hac administranda unctione (quantum ad ea quæ hujus sacramenti substantiam perficiunt) observat, quam quod B. Jacobus præscripsit, ait Synod. Trident. Atqui S. Jacobus nudè præscripsit unctionem, & non unctiones quinque sensuum; ergo illam observat Ecclesia Romana ut substantialem, & non istas: Alioquin, observaret aliquid quantùm ad substantiam sacramenti, quod dictus Apostolus non præscripsit.

*Ob.* SI DICAS, Ecclesia Romana servat unctiones quinque sensuum: ergo S. Jacobus censendus est illas præscripsisse: *Resp.* Neg. Conseq. quia etiam *Resp.* ungit pedes & renes, ut ex Rituali Romano, & ex Conc. Florent. patet, de quibus tamen unctionibus constat, quod non sint essentiales huic sacramento. Advertendum ergo quòd Concil. Trid. non dixit Ecclesiam Romanam, non aliud servare in hac unctione administranda, quàm quod S. Jacobus præscripsit; sed, nihil observare aliud, quantùm ad ea quæ hujus sacramenti substantiam perficiunt.

SECUNDÒ, Juxta consuetudinem Ecclesiæ non inunguntur ipsa sensuum organa, sed partes tantum vicinæ, ut patet in oculis, naribus, auribus; & manifestius adhuc in unctione illorum qui sunt orbati uno vel pluribus sensuum organis.

TERTIÒ, Pastorale Mechlin. anni 1589. à Professoribus sacræ Theologiæ facultatis Lovaniensis, ex selectioribus aliarum Diœcesium Manualibus collectum, ipsorumque Profess. & aliorum præterea Doctorum virorum judicio recognitum & probatum ann. 1588. die 23. Septembris, tradit quod, *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum ac detectum, dicendo, Per istam sanctam unctionem & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.*

Quæ verba partiales formas ad quinque sensuum unctiones adhiberi solitas continent, quamquam id non plus videri possit ad essentiam sacramenti necessarium, quàm necessariæ sint ipsæ unctiones.

*Ob.* SI DICAS, istud Pastorale Mechlin. fuisse hac in parte correctum in sequenti Manuali ann. 1607. edito. *Resp.* hinc bene sequi eos qui adhibiti fuerunt



runt ad hoc posterius, istius fuisse opinionis ut nolent sacramentum extremæ unctionis una unctione conferri, ac fortassis etiam sentirent id fieri non posse: non sequitur tamen Professores S. Th. Lovanienses aliosque doctos viros qui prius Manuale vel concinnaverunt vel probaverunt, mutasse sententiam quam ibi tradiderant. Deinde, ex hoc quod posteriores diversum sentiant à prioribus, non ostenditur sententiam priorum esse falsam, sed tantum incertam, utpotè problematicam. A

Eandem hanc sententiam tradens Bartholomæus ab Aula in suo Pastorali per Theologos Lovanienses probato an. 1573. sic habet, *Si videat extremum periculum ita ut difficulter consuetas posset inungere partes, in pectore vel in fronte eum inungat, dicens. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti accipe sanitatem. Amen. Per istam sanctam unctionem & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per quinque sensus tuos & cogitationes, per Christum Dominum nostrum. Et nota quod hic modus communiter etiam observatur apud pestiferos, propter periculum.* B

Opponit se quidam, & ait pro falso habendum quod hujus Bartholomæi Pastorale per Doctores Lovanienses fuerit probatum. At ipse nunquam illud Pastorale vidit: ego autem vidi illud manuscriptum & legi; idque in domo Canonicali Domini Bartholomæi Lintrensis, hîc Duaci, ideoque possum pro vero affirmare quod per Doctores Lovanienses fuerit probatum. Et quid mirum eos Doctores illud probasse, cum huic eidem sententiæ subscripserint Archiepiscopus Mechlin. Decanus V.tis & Professores Theologi Lovanienses ann. 1588. ut constat & testantur Layman, Coninck, Arcudius, & alij; quorum unus, scilicet Coninck scribit quod hujus sententiæ ann. 1588. fuit tota Universitas Lovaniensis. Neque ullus testatur quod eorum Doctorum aliqui ab illa sua sententia recesserint, etsi posteriores diversum sensisse jam supra ostenderimus. C

Molanus quoque, & Octavius Tricaricensis, Serarius, Becanus, Possevinus, & Arcudius claris verbis idē docent, quorum verba visum est referre.

Joannes Molanus tract. 4. suæ Theologiæ pract. D *Ex justa causa*, inquit, *licet unica unctione perficere sacramentum.* Hæc autem justa causa videtur esse & dum mors est vicinissima, & dum pestis grassatur.

Octavius Tricaricensis per Germaniam & Belgarum Provincias Apostolicus Nuntius in Directorio Ecclesiasticæ disciplinæ, dicit, *Etsi ordinariè inungenda sint singula singulorum sensuum loca, nec unquam, nisi gravissima necessitas cogat, aliter faciendum sit: constabit tamen sacræ unctionis sacramentum, & in inungendo contagioso morbo aut peste laborante, ad evitandum contagionis periculum, sufficerit, si inungatur sensus organum ad unctionem magis expositum, & detectum, dicendo. Per istam sanctam unctionem & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* E

Nicolaus Serarius in tract. de extrem. unctione c. 7. num. 89. sic scribit: Absolutè tamen loquendo, ad essentialem sacramenti hujus perfectionem necessariæ non sunt plures unctiones, sed una tantum cum forma tota seu generali sufficere queat, ita ut in Ecclesiæ judicio, & manu esset, unam tantum vel duas usurpare, quemadmodum in sacrosancto Eucharistiæ sacramento speciem unicam &c. Et cap. 9. num. 95. Posset tamen sacramenti hujus essentia sarta tecta servari, etiamsi vel corpus totum, vel una tantum ejus aliqua pars, aut verò aliæ plures aut pauciores, quam quinque linirentur: nam & olim & etiam nunc alicubi plures alicubi pauciores liniuntur. De pluribus linitis, capite, scilicet, pectore, scapulis, & alijs planum est. De paucioribus, tantum scilicet quatuor, testis Albertus magnus. Ita Serarius. Magni autem Alberti hæc sunt verba in 4. d. 23. art. 16. ad 2. *In ordinibus magis approbatis & quibusdam Ecclesijs unguntur tantum extremitates, ut os, & nares, & oculi, & aures; quia in illis sunt organa quinque sensuum; tamen alij præter hæc, ungunt scapulas, & pectus, & renes, in quibus est delectatio venereorum, licet non oporteat:* ita illic Albertus, in editione Basilienſi ann. Domini 1506. 15. Martij.

Prosequitur Serarius: sunt & alia plura hujus opinionis signa, quorum unum vel alterum adhuc attingam. Primum, quod (ut ante dixi) veteres quædam formæ, quinque istarum partium figillatim non meminerint. Secundum, quod si cuipiam vel oculi effossi forent, vel aures aut nares truncatæ, vel manus abscissæ, jubent Theologi vel ipsa abscissarum partium loculamenta, vel proximas certè partes inungere. At si partium illarum unctio ad sacramenti essentiam necessaria foret, quæcumque illarum abesset, essentia tolleretur: fieri enim non potest, ut in essentialibus res una alterius vicem obeat. Eademque ratio est in gustatus instrumentis, lingua & palato: num hæc inunguntur? Nauseam id faceret, sed pro illis, os, aut labia. Rectè hoc quidem: sed si sensuum organa ut sacramenti *ουσία* perficiatur, necessariò ungenda essent, vicaria ista unctio nulla foret. Ad hæc, Theologi veteres etiamsi cur convenienter illæ partes ungantur, docent; non tamen aliter fieri non posse contendunt, uno quod sciam vel altero excepto. Concil. quidem Florent. enumerat istas partes, sed ut jam usitatas, non simpliciter ad sacramenti naturam spectantes: ut ex eo patet quod renes etiam annumeret, quibus tamen (ut dixi) unctionem plurimi non adhibent. Hactenus Serarius.

Martinus Becanus cap. 27. de sacram. in specie qu. 7. ita quoque scribit: Tametsi plures unctiones fiant in hoc sacramento; tamen *videtur una sufficere ad essentiam sacramenti*, sive fiat in capite, sive in pectore, &c. Prob. Primò, quia nec ex scriptura, nec ex universali traditione Ecclesiæ aliud colligi potest. Secundò, quia forma Ambrosiana & Veneta non significant nisi unam unctionem, (Ambrosiana, est ea quam ex Bonaventura indicavimus qu. 29. ar. 8. & eam similiter refert Arcudius l. 5. de extrem. unctione cap. 5. Veneta autem quæ dicitur approbata à Leone decimo, est hæc: *Ungo te oleo sancto ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus varias caternas, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*) Tertiò, quia in baptismo sufficit una immersio, & in Eucharistia una species; ita hîc sufficit una unctio. Et in fine quæstionis addit: Reliquæ tamen unctiones ob receptam consuetudinem non facilè sunt omittendæ, si autem omittantur, fit sine detrimento sacramenti & effectus illius.

Joannis Baptistæ Bernardini Possevini cap. 9. de extrem. unction. verba sunt: secundum primam sententiam quæ est communis & usu Ecclesiæ approbata, inungenda sunt loca determinata sensuum: secundum alteram, poterunt aliqua inungi aliqua instante necessitate, ut *in peste grassante, in qua tunc poterit ungi sensus magis expositus sub*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*unica forma*; ut, Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum deliquisti. Ita Possevinus.

Petrus Arcudius dicto l. cap. 6. cum ex Simone Thessalonicensi hæc retulisset, ungit sacerdos oleo admodum crucis, ipsius ægri frontem, obcontentas in ea cogitationes: faciem quoque inungit, propter sensuum organa: postremò, manus à pravis cogitationibus & operibus eum expians &c. refert sententiam & verba Nicolai Serarij (de qua superius) eamque probat, & in fine subdit: *Notandum in casu necessitatis si presbyter Græcus unam tantum partem corporis ungeret, & eger moreretur, sacramentum esset validum, & effectum suum consequeretur.*

Observandum porrò quod horum scriptorum libri sunt ab Orthodoxis Censoribus probati tanquam nihil fidei aut moribus adversum continentes: si verò sententia quam dicimus probabilem, omnino foret improbabilis, & (quemadmodum aliqui volunt) periculosa & noxia; falsum esset quod isti libri nihil contineant moribus adversum. Specialiter autem, Petri Arcudij libri cum Romæ ex mandato Pauli 5. Pontificis fuissent examinati, à varijs sunt approbati; & particulariter illos qui sunt de Pœnitentia, Matrimonio, & extrema unctione, doctrinæ & eruditionis abundè plenos, nihilque continentes fidei Orthodoxæ aut Christianis moribus adversum censuit Sylverius Metius Galatinus S. Theol. doctor qui jussu Illustrissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis de la Rochefocault eos perlegerat. Eosdem etiam probaverunt postea Doct. Facult. Theol. Parisiensis, dicentes nullum illius operis filum differre à stilo & doctrina sanctæ, Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ; quinimo revincendis à fide & unione Sedis Apostolicæ alienis hostibus plurimum inservire posse, ac prodesse omnibus & singulis Christi fidelibus.

Prudentius itaque quam alij quidam, locuti sunt Layman, Tannerus, & Coninck, qui licet sententiam alteram habeant pro probabiliori & securiori; dicunt tamen: Coninck quidem, quod *hæc sententia non videatur damnanda:* Tannerus autem quod *absolutè rejici non possit.* Similiter Layman, *hæc sententia non est omnino improbabilis:* qui statim postea loquens de forma Pastoralis Mechlinien. an. 1588. dicit cum ea posse conferri hoc sacramentum, si loci Ordinarius probabilem DD. sententiam secutus, breviorem illam formam pro tempore pestis durantis approbet.

Cum ergo Nuncius Apostolic. & Ordinarij Cameracensis & Atrebat. eam vel similem approbaverint; consequens est Parochos illa posse uti. Ita namque legitur in Manuali Camerac. quod si tantum sit contagij vel mortis periculum, ut nec consuetæ partes ungi, nec illa forma pronuntiari possit, *ungatur organum sensus magis ad unctionem expositum*, dicendo, Per istam unctionem & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per quinque sensus tuos, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

In Atrebatens. autem sic dicitur, Tanta potest esse necessitas ut omnes simul unctiones, aut *etiam una pro omnibus in parte magis obvia (sicut tempore pestis vel mortis omnino imminentis) fieri possit sub unica verborum forma dicendo*, Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & locutionem, per tactum & gressum, In nomine Patris &c.

Cæterum, quando propter necessitatem hoc sacramentum confertur unicâ unctione, consulendum est ut in capite potiùs quàm alibi fiat, eò quod ibi reperiantur omnium sensuum organa, quæ sunt in verbis formæ juxta consuetudinem exprimenda, Nisi forte is qui injungitur, non esset confirmatus, tunc enim in pectore potiùs quàm in fronte foret ungendus.

Ad 1. Arg. Resp. non sine causa B. Thomam dicere, quod quinque unctiones observentur, *quasi* de necessitate sacramenti, quia multi ita existimant. An autem ipse ita senserit, non constat: nam qu. 29. ar. 2. in corpore, dicit plures actiones esse de perfectione sacramenti, nihil dicens de essentia; & in Resp. ad 3. affirmat unctionem semel in una parte factam, ita esse ratam sicut rata est consecratio unius hostiæ, ac proinde non esse iterum ungendam, sicut nec hostia iterum est consecranda. Denique art. seq. satis indicat ipsorum organorum unctiones non esse essentiales, cum sentit illis validè ministrari sacramentum, qui non habent illa quinque sensuum organa.

Ad 2. Synodus Florent. non jubet omnes partes à se nominatas injungi, quasi aliter sacramentũ futurum sit irritum. Eodem enim contextu dicit ungendos pedes & renes; quorum tamen unctionem non esse de essentia sacramenti, certum est: sed commemorat varias partes, quæ juxta varias Ecclesiarum consuetudines solent inungi.

Ex his consequenter dici potest gratiam hujus sacramenti conferri, vel in prima unctione, quando sacramentum essentialiter subsistit, (ibi enim invenitur aliqua materia & forma per ministrum adhibita) quamvis imperfectum, & per subsequentes unctiones perficiendum; vel in unctione quinti sensus, si illa sit essentialis.

### Articulus VII.

Art. 7. docet mutilatos in illis partibus esse ungendos, quæ sunt propinquiores organis quæ debuerant inungi; quia licet non potuerint exterius peccare per illa membra quibus sunt orbati, potuerunt tamen interius per voluntatem. Cœcus ergo à nativitate, in loco oculorum est ungendus; & qui pedes aut manus non habet, in loco propriore manibus aut pedibus.

## Quæstio XXXIII.

## *De iteratione hujus sacramenti.*

### Articulus I.

Art. 1. docet hoc sacramentum posse *Iterari* iterari: partim quia est spiritualis curatio, *potest* per modum corporalis curationis adhi- *hoc sa-*bita; curationes autem corporales iterantur morbis *cram.* redeuntibus: partim quia non habet aliquem effectum perpetuum. Ita etiam docet Synod. Trident. cap. tertio de extrema unctione.

Arti-



### Articulus II.

Art. 2. tradit hoc sacramentum non esse iterandum in eadem infirmitate; quando perseverat idem infirmitatis status; quia de se est sufficiens medicina corporis & animæ contra periculum in quo fuit administratum. Si verò perseveret quidem infirmitas, sed ægrotus liberetur ab illo statu & periculo propter quod fuerat inunctus; iterum inungi poterit, quando in simile mortis periculum incidet: quia tunc erit novus infirmitatis status talis, qualem requirit hoc sacramentum, etiamsi non sit nova infirmitas simpliciter. Neque necesse est intercedere annum inter unctionem primam & secundam (quod habebat consuetudo per synodum Iprensem abrogata) sed satis est quod judicio medicorum aut aliorum prudentum censeantur diversi status morbi, diversaque pericula quæ perinde valeant, atque si essent diversæ infirmitates periculum mortis adducentes.

## Quæstio XXXIV.

## *De sacramento Ordinis.*

Expletis sacramentis illis quibus homo in spirituali vita perficitur quantum ad personam propriam: S. Thomas descendit ad tractationem eorum quibus aliquis perficitur in ordine ad totam communitatem; quæ sunt Ordo & Matrimonium.

*De ordinis significatione.*

Ordinis nomen generaliter significat mutuam habitudinem, seu relationem prioris & posterioris, ut talia sunt: & sic tam est in inferiori quam in superiori, ut observavit Author art. 2. ad 4. Hac ratione quot modis unum dicitur altero prius aut posterioris; tot modis dicitur esse ordo rerum aliquarum inter se.

Alias autem accipitur Ordo pro ipso gradu, in quo fundatur prædicta relatio prioris & posterioris. Juxta quam acceptionem, nominamus ordinem plebeium, ordinem nobilium, ordinem religiosorum.

Tertiò, Nomen Ordinis per excellentiam quandam accipitur pro ordine sine gradu Ecclesiastico, tanquam qui præstet alijs ordinibus sive gradibus.

Ordo autem Ecclesiasticus vel generaliter sumitur; & sic nominatur ordo clericorum quatenus clerici sunt, ordo monachorum & ordo virginum Deo consecratarum: Vel accipitur propriè, ut significet certum officij gradum, qui sacro ac solemni ritu confertur, & ad peculiare ministerium divino sacrificio exhibendum destinatur. Qua ratione septem, præter Episcopatum, sunt ordines Ecclesiastici.

### Articulus I.

*Est in Ecclesia ordo.*

Art. 1. docet in Ecclesia debere esse ordinem scilicet Ecclesiasticorum supra alios: partim, quia status Ecclesiæ est medius inter statum naturæ & gloriæ: in natura autem invenitur ordo, quo quædam sunt alijs superiora; & similiter in gloria: partim, ut gubernatio Dei perficientis ultima per media, & media per prima, reluceat in ejus Ecclesia: & quidam peculiariter assimilentur Deo, sacramenta ministrantes per quæ ipse gratiam influit.

### Articulus II.

*Definitio ordinis.*

Art. 2. tradit ordinem convenienter definiri *esse signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato:* quia in tali descriptione exprimitur genus & differentia. Genus est illud (*signaculum*, sive signum quoddam exterius:) Differentia est, traditio potestatis ad officia ordinũ. Cùm enim ordo Ecclesiasticus non attendatur per distinctionem gratiæ gratum facientis, sed per distinctionem potestatis ad sacrum aliquod ministerium obeundum; convenienter definitur per illam potestatem, tanquam per differentiam.

*Tacita ob. solvitur.*

Neque oportet definitionem hanc assignari per expressionem materiæ: quo modo definiuntur Baptismus, Confirmatio, & alia sacramenta quæ habent unam determinatam materiam: quia cùm sint multi ordines, multæ etiam sunt illorum materiæ diversæ.

*Ob.* Si dicas, in Baptismo & confirmatione etiam dari aliquam potestatem:

*Resp.* Resp. in baptismo dari potentiam passivam, scilicet ad recipiendum sacramenta; non autem potestatem, quæ communi usu nominat potentiam activam cum aliqua præeminentia: in Confirmatione verò datur quidem potestas ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei; sed non datur potestas activa obeundi munia ordinum, sive sacra ministeria: quæ ut in assignata definitione intelligatur, postulat series sermonis, *traditur ordinato.*

*Definitio alia.*

Ex Concilio Tridentino sess. 23. capite 1. & 2. potest etiam sic definiri: *Ordo propriè dictus est sacramentũ novæ legis, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinẽ Christi, nec non peccata remittendi & retinendi, vel ex officio subserviendi sacerdotio.* Quæ definitio, priore quidem sui parte competit sacerdotio; posteriore verò, cæteris ordinibus infra ipsum: quæ autem fuit prius allata, etiam complectitur Episcopatum. Plenius sic definiri potest.

*Alia*

Sacramentum ordinis *est signaculum quo spiritualis potestas traditur, & gratia confertur ad Ecclesiastica munia ritè obeunda*

### Articulus III.

*Utrum ordo sit sacramentum.*

*Hæreticorum argumenta.*

Non esse, secteriorum nostrorum est hæresis. Ad sacramentum enim requiritur aliquod signum exterius, & promissio gratiæ: in ordine verò neutrum invenitur (ut ajunt) ex institutione Christi: non prius, quia impositio manus quam adhibebant Apostoli, non aliud erat quàm electio seu designatio alicujus ad ministerium vel dignitatem, quæ designatio fieri potest absque consecratione vel sacramento. Confirmatur, Manus enim impositio, per quam Catholici ordinationem intelligunt, vocatur apud scriptores Ecclesiasticos χειροτονία; hoc autem nomen solùm significat levationem manus in altum, suffragij declarandi causa, vel, si aliquando ponatur pro religiosa manuum super aliquem impositione, nuda est cæremonia qua utebantur Apostoli, quando pro

Universidad de Deusto
Biblioteca



aliquo orabant, eumque Deo commendabant. A Quod nec inveniatur posterius, scilicet promissio gratiæ, probari potest ex eo quod ubi ad ordinationem commemoratur gratia, ea non intelligitur gratum faciens, sed gratis data, ut donum prophetiæ, 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.*

DEINDE, etsi Christus mandaverit ordinari ministros, non mandavit tamen eos ordinari certo aliquo ritu, qui possit esse sacramentum: ut patet Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; & Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.*

RESPONSI AD FIDEM, in Concilijs Florentino & Trident. declaratam pertinens, est Ordinationē B esse verum ac propriè dictum novæ legis sacramentum. Dum autem ipse Ordo vocatur sacramentum, tropus est, quo nomen effectûs, ponitur pro vocabulo causæ, & nomen rei signatæ, pro signo. Neque enim hoc sacramentum est ipse gradus ministrorū Ecclesiæ, sed ipsa sacra ordinatio per quam, ut per signum & causam, talis gradus significatur & confertur.

*Ordo est sacrament.*

Responsionem hanc probat B. Thomas; partim quia Ordinatio numeratur ab omnibus inter Ecclesiæ sacramenta; partim quia convenit illi definitio sacramenti novæ legis. Invenitur enim in ea signum sensibile gratiam conferens. Quæ probatio est etiam Concilij Tridentini sessione 23. C cap. 3 & confirmatur, quia cum scriptura de ministris Ecclesiæ per Apostolos ordinandis loquitur, significat eos, & signo aliquo visibili ordinatos, impositione scilicet manuum, & illa impositione gratiam accepisse.

Actorum 13. in ordinatione Pauli & Barnabæ mentio est impositionis manuum: 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. in ipsius Timothei ordinatione mentio est tum impositionis manuum, tum gratiæ per eam collatæ. *Admoneo, te* (inquit Apostolus) *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Quæ gratia, quod ad hominem Deo gratificandum pertineat, verbis sequentibus judicatur, *non enim dedit nobis Deus spiritum timoris* (sive timiditatis) *sed virtutis* (id est fortitudinis) *& dilectionis, & sobrietatis.* Et cap. 4 prioris epistolæ, *Noli* (ait) *negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione* (id est, per impositionem) *manuū presbyterij*, id est, Episcoporum qui te unâ mecum ordinaverunt. Ubi Chrysostomus. *Non de presbyteris*, ait, *hoc in loco, sed de Episcopis loquitur, Neque enim presbyteri ipsum ordinaverant.* Unde nomen presbyterij sumitur hîc concretim & collectivè, pro cœtu presbyterorum, sive (in proposito) Episcoporum. Jam inde enim ab exordio Ecclesiæ, Episcopus ordinabatur à pluribus Episcopis, juxta canonem primum Apostolorum; inter quos tamen, unus erat præci- E puus, qui substantialia faciebat; & is in proposito videtur fuisse Paulus, ex cap. 1. posterioris ad Timoth. Quod autem dicitur, *cum impositione manuū*, sic est accipiendum ut illud (*cum*) designet causam: quo modo 1. ad Corinth. 5. dicitur, *cum virtute*, pro, per virtutem.

Insuper, quando Christus Apostolis dedit potestatem remittendi peccata, quæ est pars ordinis sacerdotalis; dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, significans se gratiam illis conferre, quâ sanctificarentur, ut explicat Cyrillus lib. 12. in Joannem cap. 56. non autem donum prophetiæ aut linguarum, quod potest esse in impijs, qui non accipiunt Spiritum sanctum: ergo gratia quæ datur in ordinatione, est gratia gratum faciens.

SECUNDA hujus doctrinæ probatio est ex traditione Patrum, Dionysij Eccles. hierarc. cap. 5. Ignatij epist. ad Antiochenses, Anacleti epist. 2. specialiter autem Leonis, Ambrosij Augustini, Gregorij.

S. Leo epistola 81. ordinationem sacerdotum expressis verbis vocat sacramentum, ac præscribit modum & tempus illud conferendi: epistola autem 87. capite 1. *Quis*, ait, *dissimulare audeat quod in tanti sacramenti perpetratur injuriam?*

S. Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali cap. 5. *Homo imponit manus, Deus largitur gratiam.*

Sancti Augustini è multis locis unus apertissimus est lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13. Ubi loquens de baptismo & ordinatione; *Utrumque*, ait, *Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque hominis datur, illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur: ideoque in Catholica neutrum licet iterari.*

S. Gregorius libro quarto, in lib. 1. Reg. cap. 5. *Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia verò ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur, bene fortis ungitur, si intus virtute sacramenti roboratur.*

TERTIA probatio est ex rationibus. PRIMAM suppeditat Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. In novâ lege est quoddam peculiare, externum, ac sensibile sacrificium, divinitus institutum: ergo etiam est novum aliquod & externum sacerdotiū. nam sacrificium & sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit.

SECUNDA, Vetus lex est sublata, eique successit nova: ergo veteri sacerdotio surrogatum est novum. Sicut enim *translato sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat*, ad Hebræos 7. ita etiam translata lege, transfertur sacerdotium.

TERTIA, sacerdotium nostrum & est externum, & habet vim conferendi gratiam: ergo est sacramentum. Antecedentis posteriorem partem probat Author art. 1. quæstionis sequentis. Consequentia verò valet à definitione ad definitum.

AD ARGUMENTUM hæreticorum RESP. eos falsa assumere. Constat enim ex Actuum 6. impositionē manuum esse diversam ab electione seu designatione alicujus ad ministerium vel dignitatem. Nam ipsa multitudo fidelium elegit diaconos, eosque ante conspectum Apostolorum statuit: Apostoli verò manus imposuerunt. Hanc autem manuum impositionem seu χειροτονίαν nec significare in pro- *Confer* posito nudam cæremoniam Apostolorum orantiū, *qu. 36.* nec sublationem manus in altum, causa suffragij *art. 4.* declarandi; sed manuum Episcopalium super capita ordinandorum extensionem, eorumque consecrationem, & ordinationem, quæ illo ritu peragitur; probari potest, tum ex eo quòd Apostoli manus imponerent, non dantes suffragia, sed ordinantes eos qui prius erant electi; tum ex Chrysostomo qui ad caput 6. Act. disertis verbis affirmat χειροτονίαν, esse ordinationem sacram; sicut & Hieronymus ad caput 58. Isaiæ, & Concilium Antiochenum 9. qu. 2. cap. *Nullum*, & cap. *Episcopum*; tum denique ex verbis Act. 14. *cum constituissent illis presbyteros*, ubi scriptura originalis habet χειροτονήσαντες, (id est ordinantes) presbyteros.

Gratiam verò quæ in ordinatione confertur, esse gratum facientem, jam ante probavimus. Neque



que in loco objecto dicitur data fuisse Timotheo A gratia prophetiæ, sed *per prophetiam*, id est, *secundum præcedentem de illo prophetiam*, ut ex cap. 1. liquet. Hoc est, juxta revelationem priùs factam, qua significatum fuerat quod Timotheus tanquam Ecclesiæ utilis, esset ordinandus.

AD id quod objicitur de mandato ritus ordinationis. Resp. etsi non inveniatur Christus expresè illum præscripsisse: satis tamen colligitur, tum ex scripturis antea citatis, tum ex traditione & perpetuo usu.

## ARTICULUS IV.

*Forma recte exprimitur modo imperat.*

ART. 4. probat formam sacramenti Ordinis B convenienter exprimi per modum imperatū: quia sacramentum istud principaliter importat potestatem, & ordinatur ad usum illius: potestas autem à potestate convenienter traducitur modo quodam imperativo.

AD 1. argumentum negat consequentiam, eò quod per hoc sacramentum sit quædam communicatio potestatis, consimilis potestati dantis; & ideo non est necesse fieri mentionem expressam potestatis superioris.

In eadem solutione continetur responsio ad 2. scilicet quod Ordinans uti possit modo imperativo, etiamsi non habeat potestatem authoritativam respectu sacramenti, sed solum ministerialem: C quia satis est quòd habeat aliquam authoritatem respectu potestatis quæ confertur per ordinationem, sive quatenus ipsa derivatur ab eo tanquam à superiore, sive quia dependet ab illo quantum ad legitimum usum.

Responsio ad 3. est, usum poni in forma hujus sacramenti, non quatenus est effectus causæ efficientis, sed ut habet rationem causæ finalis.

Responsio ad 4. est prætermissa, etiam in MSS. exemplaribus Commentarij ad quartum sentent. Consistit autem in hac diversitate, quod per istud sacramentum tradatur potestas & officium; ideoque convenienter fiat mentio remunerationis, si D bene administretur; in cæteris autem sacramentis non confertur similis potestas vel officium.

## ARTICULUS V.

*Hoc sacram. habet materiam.*

ART. 5. docet hoc sacramentum habere materiam (id enim omnibus sacramentis commune est) sed diversimodè ab alijs. Nam id quod in illis confertur, derivatur solùm à Deo & non à ministerio; & ideo efficacia ipsorum est principaliter in materia, & non in ministro: quod autem in hoc sacramento traditur, derivatur etiam à ministro, penes quem proinde est efficacia, magis quam penes materiam.

Cæterum, ne quis perperam hæc intelligat: ob- E servandum est PRIMÒ, quod omni sacramento commune sit effectum suum operari non solùm virtute formæ, sed etiam virtute materiæ; ut dixit Author quæst. 86. art. 6. in 3. part. Ac proinde quando dicit, efficaciam hujus sacramenti principaliter residere in ministro, non negat materiam simul cum forma habere vim conferendi effectum; sed hanc vim principaliter attribuit ministro, facta comparatione ad materiam; simulque considerat, quòd non quemadmodum aqua habet vim abluendi; chrisma & oleum ungendi: ita materia ordinis habeat vim tradendi, sed magis serviat ad determinandam designandamque potestatem, cujus usui competit illud quod hîc habet locum materiæ.

SECUNDÒ, Cum dicit effectum aliorum sacramentorum derivari solùm à Deo, non à ministro: non intendit negare ministro virtutem producendi effectum sacramenti per sacramentum, ut ex 3. part. q. 64. ar. 1. notum relinquimus: sed vult significare, quòd effectus illorum non derivetur à ministro tanquam necessariò habente effectum consimilem vel majorem; sicut potestas quæ est effectus ordinationis, derivatur ab ordinante habente eandem potestatem quam tradit, vel majorem. Character enim vel gratia baptismi non sic derivatur à baptizante; cum possit imprimi & conferri per eum qui talem effectum non habet: potestas autem ordinis tradi non potest ab eo qui non sit sacerdos vel Episcopus. Et sic derivatur ab ordinante, sicut potestas imperfecta à perfectâ.

*An requiratur contactus materiæ.*

Circa responsionem ad 3. observa non constare, an contactus materiæ quæ traditur ei qui ordinatur, sit de essentia sacramenti, ita ut aliàs sacramentum sit irritum; partim quia nec in decreto Florentino, nec in Pontificali Romano ponitur ut necessarius; partim, quia rei quæ traditur acceptio fieri potest solo nutu vel verbo, absque contactu. Ita sentiunt Albert. in 4. d. 24. art. 38. Cajet. verbo *Ordinand. peccat.* Victoria qu. 230. & alij nō pauci. C

B. Thomas hîc in resp. ad 3. ait quod *ipsa verba formæ videntur ostendere quod tactus materiæ sit de essentia Sacramenti.* Quibus verbis significat partem affirmativam esse probabilem, & verè probabilis est, non tamen certa. Confirmatur, verba formæ non significant traditionem solum moralem, sed realem, perfectam, & mysticam, significativam scilicet potestatis, quæ ab uno traditur, & ab alio recipitur.

SECUNDÒ, quandocunque fieri potest acceptatio solo nutu vel verbo, similiter fieri potest traditio vel donatio; ut patet in donatione equi, libri &c. Hîc autem traditio debet fieri verbo, traditioni reali conjuncto: ergo debet etiam esse realis acceptatio, qualis est per contactum. Accedit quod in Aphorismis Emanuel Sa, verbo *Ordo*, ita Romæ fuit correctum: Contactum materiæ non esse de essentia Sacramenti quidam putant: sed esse de essentia; & si omittatur, suppleri debere docuit D. Thom. in 4. dist. 24. qu. 1. ar. 1. & in addit. ad 3. p. qu. 34. art. 5. ad 3. Soto dist. 24. qu. 1. art. 2. Cajet. tom. 1. opusc. tract. 26. qu. 1. Sylvester *Ordo* 2. q. 5. Palud. dist. 24. q. 1. Antonin. 3. p. tit. 16. c. 14.

AD 1. ARG. RESP. contactum satis significari ut necessarium, quando in Pontificali præscribitur, & semper observatur.

AD 2. illud procedit de acceptatione solùm morali.

Cæterum, quæcunque tandem pars hujus dubij verior sit: si quis de facto materiam non tangeret; Sacramentum esset iterandum, saltem sub conditione: quia est verum ac rationabile dubium, an subsistat. Conferre convenit ea quæ scripsi Variarum Resol. p. 1. verbo *Ordo* 1. & p. 2. verbo *Presbyteratus.*

QUÆ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆSTIO XXXV.

## *De effectu hujus Sacramenti.*

### ARTICULUS I.

*Ordinatio confert gratiã.*

ART. 1. probat in Sacramento Ordinis, conferri gratiam gratum facientem, partim quia hoc est commune omnibus sacramentis novæ legis; partim quia quando Deus dat aliquam potestatem, dat etiam ea quæ requiruntur ad congruentem illius usum. Hæc doctrina est fidei, in Concilio Tridentino declaratæ sess. 7. can. 8. & sess. 23. can. 4. patetque ex dictis ar. 3. q. 34.

Circa responsionem ad 3. adverte quod hoc Sacramentum per se non conferat primam gratiam; cum hæc præsupponatur in suscipiente tanquam legitima dispositio; sed confert gratiæ augmentum, ut ordinatus non solum sit dignus connumerari inter plebem Christi, sed etiam idoneus sit ad majora.

### ARTICULUS II.

*Ordo imprimit characterẽ.*

ART. 2. docet in Sacramento ordinis imprimi characterem, quantum ad omnes ordines.

PRIMÒ, quia per quemlibet ordinẽ aliquis constituitur supra plebem, in aliquo gradu potestatis, ordinatæ ad sacramentorum dispensationem.

SECUNDÒ, quia omnes ordines semel suscepti, perpetuò manent, nec unquam iterantur: ut probat totius Ecclesiæ perpetuus consensus. Hinc Augustinus lib. 1. de bap. c. 1. & lib. 2. contra epistolam Parmeniani ca. 13. ordinationem æquè ut baptismum docet esse initerabilem: similiterque Author sermonis de ablutione pedum, apud Cyprianum; & canon 7. Concilij Toletani 8. Ac tandem Synodus Tridentina sess. 7. can. 9. & sess. 23. can. 4. damnans hæreticorum dogma, sentientium ministros novi testamenti, temporariam solùm potestatem habere; semelque ordinatos, posse iterum fieri laicos: definivit sub anathemate, in Sacramento ordinis characterem imprimi. Quamvis ergo propter enormia quædam scelera, possint quibusdam auferri honor, dignitas, & locus ordini conveniens; ut non alio loco deinceps habeantur, quam laici; (quod fit per degradationem:) ipsa tamen consecratio, & quæ per consecrationem data est potestas ordinis, inamissibiliter manet. vide 3. part. q. 82. ar. 8.

Cæterum, præter hos duos effectus sacramenti ordinis jam explicatos, aliud quippiam est observandum, ipsa scilicet externa & sensibilis ordinatio. Hæc enim est illustre testimonium legitimæ vocationis ad ministrandum in Ecclesia Dei; quo indigent, & ministri ut suscipiantur à fidelibus; & fideles, ut discernere possint legitimos verbi & sacramentorum ministros, ab illis qui per se veniunt, aut illegitimè præficiuntur. Est etiam externa illa ordinatio, certum indicium, quo perpetuam Episcoporum, reliquorumq; ordinum in Ecclesia successionem ab Apostolis derivatam, possimus agnoscere. Quæ successio, certa nota est veræ Christi Ecclesiæ. Unde Aug. lib. contra epist. fundamenti cap. 4. multa esse scribens quæ in Ecclesia ipsum justissimè tenent; inter alia sic dicit: *Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum.* Plura videri possunt apud Bellarmin. lib 4. de Ecclesia c. 7. & quæ diximus l. 3. de controversijs q. 2. ar. 5.

### ARTICULUS III.

ART. 3. docet characterem ordinis præsupponere characterem baptismalem de necessitate sacramenti; ita ut si quis non baptizatus ordinetur, nulla sit ejus ordinatio, quia baptismus est janua sacramentorum, & potentiam seu capacitatem tribuit ad ea recipienda. Si quis ergo ordinatus, deprehendatur non esse baptizatus; debet baptizari, & postmodum ordinari; ut definitum est tit. de presbytero non baptizato, cap. *Si quis*, & c. *Veniens*.

*Character ordinis præsupponit de necessitate charactẽ baptismi.*

Quod in Responsione ad 2. dicitur, piè credi posse, quod quantum ad ultimos effectus sacramentorum, Christus suppleret defectum, si quis absolveretur, vel Eucharistiam acciperet, consecratam ab eo qui putatur sacerdos, & non est baptizatus; nullam habet certitudinem: cum hujus rei nec regulam, nec promissionem divinam habeamus; nisi quod pro qualitate devotionis & contritionis possit suppleri defectus ab eo qui cor contritum & humiliatum non despicit. vide quæ diximus, ar. 2. q. 68. in 3. parte.

### ARTICULUS IV.

*Character Ord. nõ de necessitate præsupponit characterem Confirmationis.*

ART. 4. docet characterem ordinis non præsupponere characterem Confirmationis, de necessitate.

PRIMÒ, quia per Baptismum fit aliquis susceptivus Ordinis.

SECUNDÒ, quia Apostoli solum acceperunt effectum Confirmationis die Pentecostes, cum tamen essent constituti sacerdotes, partim in cœna ultima, partim post resurrectionem Joannis 20.

Addit autem quod de congruitate, character Ordinis præsupponit characterem Confirmationis: quia conveniens est, ut homo ad susceptionem & executionem ordinum ecclesiasticorum adferat omnem quam potest præparationem & perfectionem. Unde Synodus Tridentina sess. 23. cap. 4. reform. requirit ut ne prima quidem tonsura initientur illi, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.

### ARTICULUS V.

ART. 5. docet characterem unius ordinis non præsupponere characterem alterius ordinis, de necessitate Sacramenti, partim, quia sunt potestates distinctæ, quarum una non requirit de sui ratione aliam in eodem subjecto; partim quia per saltum promoti nõ reordinantur, sed solum accipiunt ordinem prætermissum, ut declaravit Alexander 2. d. 52. apud Gratianum cap. *Sollicitudo*; & Innocentius 3. titul. de clerico per saltum promoto. Quod tamen de necessitate præcepti, ordines superiores præsupponant inferiores, ex canonibus & Ecclesiæ usu constat.

Observandum autem sermonem hic esse de ordinibus qui communiter septem recensentur, suntque penitus ab Episcopatu diversi: cum enim Episcopatus essentialiter includat presbyteratum, non est totaliter ab eo distinctus, ideoque ipsum præsupponit, ut docetur q. 40. ar. 5. ad 1.

QUÆ-



## QUÆSTIO XXXVI.

## *De qualitate suscipientium hoc Sacramentum.*

### ARTICULUS I.

*In ordinando requiritur vitæ bonitas.*

ART. 1. docet in suscipientibus Ordinem, requiri bonitatem vitæ, non quidem necessitate Sacramenti, sed præcepti divini: quia præsumptuosum esset accedere, cum conscientia peccati mortalis, ad Sacramentum illud, quo quis in rebus divinis aliorum dux constituitur, quæ constitutio cùm fiat, in quolibet ordine, concludit esse peccatum mortale, suscipere quemcumque ordinem, etiam minorem, in peccato mortali. Censet autem eum in mortali suscipere, qui de illo cujus meminit, sincerum dolorem non habet.

Cæterum non est existimandum quod bonitas vitæ, tunc solum requiratur quando ordines debent suscipi, sed oportet vitam & mores præcedentes, dignitati atque officio ordinum respondere: ut B. Thomas docet art. 4. ad 3. & Apostolus significat 1. ad Tomoth. 3. & ad Tit. 1. quando conditiones in eo qui Episcopus vel diaconus ordinandus est, requisitas exprimit.

### ARTICULUS II.

*Quæ scientia ad Ord. requisita.*

ART. 2. docet non requiri scientiam totius scriptæ scripturæ in suscipientibus Ordinem sed eam solum, quæ ad cujusque ordinis executionem sufficiat.

In suscipientibus minores Ordines requiritur ut Latinam linguam intelligant, ait Synodus Trident. sess. 23. cap. 11.

In subdiacono & diacono, ut literis, & ijs quæ ad ordines illos exequendos pertinent, sint instructi, cap. 13. ejusdem sess.

In presbytero qui nec ad animarum curam destinatur, nec ad confessiones audiendas vel ad conciones habendas, ut tantum de scientia habeat quod ea quæ ad Sacramentum perficiendum spectant, ritè servare possit. Hic in corpore, & ad 1.

In illis verò qui de cura animarum participant, sive sint parochi, sive concionatores, sive confessarij, requiritur ut docere possint ea quæ populus debet credere, & observare. Difficiles autem quæstiones circa fidem aut mores, non est necesse ut universas sciant, sed prout est conditio populi in quo versantur, major aut minor sufficit. Hic ad primum.

In Episcopis autẽ, requiritur ut etiam ea sciant, quæ difficultatem in lege facere possunt, & tantò magis quantò in majori gradu collocantur. Unde Apostolus vult Episcopum esse doctorem, id est, ad docendum idoneum, ut *potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Atque ad hunc propria quadam ratione pertinet illud Malac. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus* (id est nuncius) *Domini exercituum est.* Quamvis enim & ad parochos id pertineat: ideo tamen ad Episcopos speciali ratione pertinet, quia ad hos recurrere debent parochi in quæstionibus difficilibus, ad parochos autem soli parochiani.

Circa responsionem ad 2. observandum est verba S. Petri, Prioris ejus epist. c. 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem*, non ad solos clericos pertinere, verum etiam ad alios quoslibet Christianos: sed juxta veram lectionem, non ait S. Petrus, *rationẽ de ea quæ in vobis est fide & spe*, sed tantum, *de ea quæ in vobis est, spe.* Hoc autem facile est cuilibet Christiano: nam si rogetur quare à malis abstineat, bona faciat, patienter adversa sustineat; respondebit, se ita agendo, sperare vitam æternam. Articulorum verò fidei rationem reddere, non ad vulgares Christianos pertinet, sed ad pastores & Episcopos: ad quos remittere debent parochiani, si quando ab infidelibus rationem suæ fidei postulantur; & non cum illis disputare. Nam in 6. decret. titulo de hæreticis, cap. *Quicunque*, inhibetur laicis ne publicè vel privatim de fide disputent; Alioquin excommunicationis laqueo innodentur. Quod decretum Cajetanus & Banneſius rectè intelligunt de formali disputatione, id est, ea quæ ex professo suscipitur ad persuadendum. Nam causa exercitij, & in communi colloquio, non est illicitum laico disputare de fide. Addunt etiam, dictum decretum non continere excommunicationem latam, sed ferendam, vide illos ad 2. 2. q. 10. art. 7. ac etiam ibidem nostrum, Commentarium, & Cajetanum in Summula, verbo *Disputatio.*

### ARTICULUS III.

*Non omnes baptizati sunt sacerdotes.*

ART. 3. docet neminem consequi gradum alicujus ordinis ex merito vitæ, nisi accedat ordinatio: quia sanctitas est quidem gratia, sed non gratiæ Sacramentum; ipseque ordo amitti non potest, amittitur autem sanctitas.

Ex his ergo redargui potest error Lutheri, docentis omnes Christianos esse sacerdotes. Contra quem etiam facit.

PRIMÒ, quod in Ecclesia sint divisiones ministrationum & operationum; quodque Deus alios posuit Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios pastores & doctores, 1. ad Corint. 12. & ad Ephes. 4. & conformiter alios sacerdotes, alios diaconos &c. alios laicos, idque non quoad exercitium vel usum dumtaxat, sed etiam quoad potestatem. Baptizandi namque consecrandi & confirmandi potestatem nullam habebant Apostoli, priusquam Christus illam eis daret.

SECUNDÒ, quod omnis Pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, ad Hebræos 5. non igitur omnes homines quamvis baptizati sint vel sunt Pontifices vel sacerdotes; cum è Christianis ac baptizatis assumantur, ut sint sacerdotes ac Pontificis.

TERTIÒ, quod ipsi Apostoli demum fuerunt consecrati sacerdotes in ultima cæna, quando eis dictum fuit à Christo, *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. cum tamen dudum antea fuissent baptizati: cum enim Joan. 4. baptizarent, quis dubitare potest, quod & ipsi essent baptizati?

QUARTÒ, quod in veteri lege ubi sacerdotiũ erat longè imperfectiùs, non omnes circumcisi erant sacerdotes: ergo nec nunc omnes baptizati. Unde Hieronymus adversus luciferianos c. 4. & alibi, Aug. serm. 49. de verbis Dom. c. 7. & 8. clarissimè distingunt laicos (tametsi baptizatos) à presbyteris & diaconis. Et similiter. Conc. Later. c. *Firmiter* de summa Trinit. de Sacramento Eucharistiæ dicens, *Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos qui ritè fuerit ordinatus secundũ claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis eorumque successoribus*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ribus Jesus Christus. Ac tandem Trid. sess. 23. c. 4. di- A
sertè reprobat eum qui omnes christianos promiscuè novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos esse affirmaverit.

Neque Luthero favet quod vel 1. Petri 2. legimus, *super ædificamini domus spiritualis, sacerdotiũ sanctum:* Et mox: *vos autem genus electum, regale sacerdotium:* vel Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnũ & sacerdotes:* quoniam illic non agitur de sacerdotio propriè dicto, quod per exteriorem ordinationem confertur, sed de spirituali: Unde 1. Petri 2. dicitur, *offerre* (seu ad offerendum) *spirituales hostias* vide quæ diximus 3. p. q. 82. ar. 1. ad 3.

Quod in corpore dicit, *ministrorum non esse dare* B
*gratiam*; de datione principali esse intelligendum, patet hìc ex responsione ad 2. & ex artic. 1. qu. 64. in 3. part. ubi admittit ministros esse instrumenta gratiæ.

Ad argumentum 1. præter responsionem authoris, addi potest opus imperfectum non esse Chrysostomi, sed hominis Ariani, aut Catholici quidem, sed depravatum ab Arianis. Vide Bellarm. in catalogo.

## Articulus IV.

Art. 4. probat eum, qui ad ordines promo- C
vet indignos, peccare mortaliter: quia est Deo infidelis, ad cujus domum administrandam admittit servum inutilem, cum detrimento Ecclesiæ & honoris divini. Hinc Apostolus 1. ad Tim. 5. monet, ut *manus citò nemini imponat, neque communicet peccatis alienis*; apertè significans graviter eum peccare, qui citò sive facilè, id est, non præmisso sufficienti examine super moribus & doctrina ordinandorum; vel non habito super his fide digno testimonio; aliquos ordinat. Hinc sunt & decreta Alexandri 3. c. *Eam:* Innoc. 3. c. *Cum sit:* Honorij 3. c. *Quamvis*, tit. de ætate & qualitate ordinandorum: & novissimè Conc. Trid. sess. 23. c. reformationis 5. 11. 12. 13. 14. 18. quibus statuitur nõ quoslibet esse ordinandos, sed eos qui post examen, vel aliter nos- D
cuntur esse per ætatem, mores, vitam, scientiam, idonei.

Circa responsionem ad 3. ubi B. Thomas tradit Episcopum debere habere certitudinem de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum.

### QUÆRI POTEST,

*Utrum electio & constitutio ministrorum pendeat à potestate laica.*

Videtur quod sic, Primò, quia constitutio ministrorum pertinet ad eos qui habent potestatem clavium: atqui claves regni cœlorum non sunt datæ solis Episcopis, sed toti Ecclesiæ. Datæ sunt E
enim Petro, solum ut significabat Ecclesiam; *Nam si in Petro non esset Ecclesia Sacramentum, non ei diceret Dominus, tibi dabo claves* &c. ait Aug. tract. 50. in Joannem.

Secundò, Actorum 1. non soli Apostoli, sed tota Ecclesia elegit Mathiam Barnabam: & similiter Act. 6. septem diaconos. Eodemque pertinet quod Act. 14. ubi dicitur, *Cum constituissent illis presbyteros*, verbum Græcum χειροτονήσαντες, significat, cum elegissent per suffragia. Hinc Cyprianus epistola 68. *Ipsa plebs*, inquit, *maximè habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes; vel indignos recusandi: quod & ipsum videmus de divinâ authoritate descendere.*

Tertiò, Moyses dux populi Israelitici consecravit Aaronem, ejusque filios, Exodi 28. idque requisito populi consensu, Num. 8.

Quartò, David 1. Paralipp. 23. designavit officia Levitarum & sacerdotum.

Quintò, Salomon pulso Abiathar, instituit Sadoc in ejus locum, 3. Reg. 2.

Sextò, Josaphat 2. Paralipp. 19. constituit Levitas & sacerdotes: ac supra omnes constituit Amariam.

Septimò, Est regula juris in 6. *Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.*

Octavò, Episcopus est sponsus Ecclesiæ: ergo ut populus sit sponsa, requiritur ejus consensus.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

Ordinatio ministrorum Ecclesiæ per Episcopos facta sine populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione; valida est: & qui sic sunt ordinati, legitimi sunt verbi & sacramentorum ministri.

### Conclusio II.

Jus eligendi vel constituendi Episcopos, pasto- *Resp. est neg.*
res, aliosque ministros Ecclesiæ, non convenit potestati laicæ, jure divino: sed si quid hac in re potuit, vel etiamnum potest; id vel ex conniventia; vel ex concessione Pontificum habet. Utraque patet ex Concilij Tridentini sess. 23. ca. 4. & canon. 7. & ex Concilij Laodic. c. 13. Constantino p. 4. can. 28.

Probatur Primò, quia Christus, tum duodecim Apostolos, tum 70. discipulos instituit absque ullo plebis vel magistratus consensu: & quod Apostolis eorumque successoribus dederit potestatem idem faciendi, probari potest, partim ex illo Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, partim ex eo quod Saulum & Barnabam ordinaverint, Act. 13. absque ullis populi suffragijs: ipseque Paulus Timotheum & Titum consecravit Episcopos, non expectatis ad eam rem populi suffragijs. Quomodo etiam Gregorius 1. Augustinum fecit Episcopum Angelorum; & Gregorius 2. Bonifacium Episcopum Germanorum.

Secundò, Si plebis aut magistratus politici suffragia necessariò essent audienda & approbanda; frustra Episcopo diceret Paulus, 1. ad Timoth. 5. *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*; cum non ex ipsius judicio, sed ex alieno suffragio penderet ordinatio.

Tertiò, Episcopi sunt jure divino pastores: pastorum autem est providere ovibus de illis qui eas pascant & regant; imò quidam actus pascendi est, providere de bonis operibus.

Quartò, Si populus habet jus eligendi; necesse erit ut semper illi præficiantur quos præfici cupient pejores & stultiores, quemadmodum bene ratiocinatur Bellarminus lib. 1. de clericis c. 7. quia major pars vincet; plures autem sunt mali quam boni, & plures insipientes quam prudentes rerum spiritualium.

Ad 1. Argum. Resp. claves non sic esse datas toti Ecclesiæ, ut earum potestas sit penes multitudinem fidelium: sed dicuntur datæ Ecclesiæ, quia



quia datæ sunt Episcopis propter ecclesiam. Et A
conformiter, datæ sunt Petro non propter se, quatenus erat persona particularis; sed quatenus erat caput Ecclesiæ.

Ut ad 2. respondeatur, sciendum est Christum quidem instituisse ut Ecclesiæ ministri ordinentur per Episcopos, secundùm ea quæ dicuntur qu. 38. art. 1. De modo autem *eligendi* eos qui vel ordinandi sunt, vel populo præficiendi; neque ipsum, neque Apostolos aliquid præcepisse. Ac proinde sequi convenit legem naturæ, quæ dictat eo modo designandos esse ministros, qui Ecclesiæ ædificandæ intelligatur esse utilissimus, secundum conditionem locorum & temporum. Nam si plebs sana est in fide & pietate; *potest ei concedi*, ait Magister B
meus D. Estius in 4. dist. 24. *Ut suo suffragio designet Episcopum vel pastorem*: sin corrupta est, maximè si ad hæresim vel seductionem proclivis, non expedit.

Ita primæ multitudini credentium, quorum erat cor unum & anima una in Domino, permissum est ut diaconos eligerent; præsertim quia tunc de viduis & pauperibus agebatur, alendis ex bonis à tota multitudine in commune collatis: Cretensibus autem quia duri erant & inobedientes, ad Tit. 1. non est idem permissum.

Cæterum multitudinem vel Act. 1. in electione Mathiæ & Barnabæ; vel Actor. 6. in electione septem diaconorum, nihil egisse ex authoritate, sed so- C
lum ex concessione Apostolorum, egregiè declarat ibidem Chrysostomus, addens ordinationem eorũ qui electi erant, ad solos Apostolos pertinuisse.

Quod ex Actor. 14. sumitur, dilui potest, dicendo quod vox Græca, etsi generaliter significet suffragium, electionem, ordinationem, non significat tamen electionem per suffragia ab alijs data: sed significat eligere proprio suffragio; atque ita cum de Paulo & Barnaba dicatur χειροτονήσαντες, non significatur quod elegerint ministros per suffragia populi, sed per propria. Sciendum tamen, quod usu Græcorum, ubi de ordinatione ministrorũ Ecclesiæ agitur, per vocabulum illud Græcum significetur ipsa ordinatio quæ fit per manuum Episcopi unius D
vel plurium impositionem; ut ex Hieronymo & Chrysostomo diximus qu. 34. art. 3. Ac proinde sententiæ Act. 14. sensus non est, quod Paulus & Barnabas, vel elegerint presbyteros, (tametsi id verum sit) vel alijs eligentibus, approbaverint, sed quod eos manuum impositione ordinaverint.

Ut ad authoritatem Cypriani respondeatur, advertendum est. Primò, varijs olim modis electos fuisse Episcopos, aliosque Ecclesiæ ministros: nimirum, vel sola ordinantis voluntate; vel consensu plurium Episcoporum: vel electione cleri, vel plebis, vel Imperatoris, aut principis, aut magistratus. Nam prout affecti sunt hominum animi, atque aliæ interdum causæ occurrunt; ita expedit ratio- E
nem electionis mutari, ait Estius.

*Quæ electio cleri ad episcopatũ.*

Secundò, Advertendum est duplicem inveniri posse electionem: *Unam* canonicam, quæ dat jus electo: *Aliam* non canonicam, quæ tantum habet vim testimonij, desiderij, seu optationis.

Prior, est solius cleri; nisi quod interdum justis ex causis Summus Pontifex concedit quibusdam principibus, jus nominandi ad Episcopatum vel ad alias dignitates, eum, quem ipsi elegerint.

Posterior potest competere plebi: & de ea loquitur Cyprianus epist. 68. dicens, *de divina authoritate descendere*: (per præceptum scilicet peculia-



re Num 20. datum, pro ordinatione Eleazari, non autem per universale aliquod præceptum semper & ubique observandum) *ut sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis, deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.* Et similiter S. Leo epistola 84. cap. 5. præponi vult eum *quem Cleri plebisque consensus concorditer postulavit.* Et epistola 89. cap. 4. *Expectarentur*, ait, *vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum* &c.

Quod autem tam Cyprianus quàm Leo videantur requirere plebis electionem, tanquam necessariam: id ita est intelligendum, quatenus ad cognoscendam vitam & idoneitatem ejus qui est ordinandus, opus est testimonijs eorum qui testari possunt; ac etiam votis aut suffragijs populi, si quando expediens sit illa ei permitti. Servatur autem hæc forma, etiam hodie, quando & nomina ordinandorum proclamantur ad plebem, ut si quod impedimentum noverint, deponant; & testium diligens habetur interrogatio, ante Episcoporum confirmationem & ordinationem.

Ad 3. Moysen fuisse sacerdotem ex Psalmo 98. patet, idemque à S. Leone traditur epist. 88. *Moyses fuit sacerdos.* scribente; *In divinis literis, præcipiente Domino solus Moses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit qui utique summus sacerdos Dei erat, sicut scriptũ est de eo, Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus.* Functum verò fuisse Moysen munere sacerdotali, manifestum est ex scriptura: Sicut enim fuerat ei dictum, Exodi 3. *Immolabis Deo super montem istum*; ita fecisse legitur cap. 24. Ac præterea consecravit Aaronem & filios ejus in sacerdotes, cap. 29. quod est officium summi sacerdotis.

Quod autem Numeror. 8. dicitur; *Applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israel*; non significat requisitũ fuisse consensum multitudinis, ut Levitæ ordinarentur: sed quia Levitæ offerebantur Deo pro omni primogenito qui aperit vulvam in filijs Israel, eodem c. 8. 16. ideo Levitæ erant quædam oblatio Deo facta à tota multitudine. Ut ergo multitudo significaretur se illos tanquam munus & sacrificiũ Deo offerre, applicabantur coram tabernaculo, convocata multitudine; ipsaque multitudo ponebat manus suas super eos: quia offerens debebat ponere manum super suam oblationem, quemadmodum Levit. 1. docent commentatores.

Ad Quartum Resp. Davidem ea fecisse, non authoritate Regia, sed ex revelatione prophetica, & jussu divino. Unde nullus posteriorum, non dicam regum, sed nec pontificum ausus fuit immutare. Confer 1. Paralip. cap. 9. vers. 22. & c. 28. v. 19.

Ad 5. Salomon tanquam executor divinæ sententiæ, (dicit enim scriptura; *ut impleretur sermo Domini*) Abiathar tanquam reum læsæ majestatis misit in exilium, unde sequebatur quòd sacerdotio fungi non posset: atque ita factum est, ut munus sacerdotij rediret ad antiquum hæredem Sadoc, de familia Eleazar. Quamquam nec omnino constet, an deinceps sacerdotio functus non fuerit Abiathar, cum cap. 4. numerentur *Sadoc & Abiathar sacerdotes.*

Ad Sextum, Resp. quod Josaphat dicitur constituisse Levitas & sacerdotes, quia curavit constituì; nullo autẽ modo elegit eos ut ordinarentur. De Amaria dicendũ est quod cum jam ante esset legitimus pontifex, jure successionis divinitus institutus; Josaphat non eum constituit Pontificem, sed de-

Universidad de Deusto
Biblioteca



claravit adeum tanquam ad pontificem, deferendas esse quæstiones legis.

Ad 7. Id meritò censetur approbatum ab omnibus, quod approbatur ab ijs qui in eo quod est approbandum, gerunt curam multitudinis: ut sunt Episcopi & clerus Ecclesiæ. Alioquin sequeretur non posse fieri ordinationem, discrepantibus nimirum populi suffragijs.

Ad 8. Negatur consequentia: quia in eo differt hoc conjugium spirituale, à carnali; quod filia non est parentibus subjecta quoad consensum vel in matrimonium, vel in conjugem: populus autem fidelis subjectus est Episcopo suo quoad acceptationem pastoris; sicut & quoad alia ad salutem animarum pertinentia. Adde, quod Episcopus est sponsus totius suæ Ecclesiæ, & non solum plebis laicæ. Sufficit ergo plebem teneri consentire in illum Episcopum vel pastorem, quem superiores, prælati nimirum Ecclesiæ, constituunt.

### Articulus V.

Art. 5. probat neminem posse in peccato mortali uti suo ordine, absque peccato: quia de jure naturali est, ut sancta sanctè tractentur. Indigna igitur ordinum executio, peccatum est suo genere mortale, utpotè sacrilegium: quamvis de exercentibus minores ordines in peccato, probabile sit solum venialiter peccare, propter non valde magnam materiam. Qualiter autem in alijs requiratur & sufficiat contritio, diximus in tertia parte ad quæstionem sexagesimamquartam, articulo sexto.

## Quæstio XXXVII.

## *De distinctione ordinum.*

### Articulus I.

*Sunt plures ordines.*

Art. 1. docet debere plures ordines distingui; tum ut commendetur sapientia Dei quæ relucet in distinctione rerum; tum ut subveniatur humanæ infirmitati, dum ad officia diversa deputantur diversi, tum quia sicut in veteri testamento sanctificabantur Levitæ, ita conveniens est in novo consecrari ministros qui sacerdotibus deserviant.

In responsione ad 2. tradit divisionem ordinis in plures, esse totius potestativi in suas partes potentiales: quia tota plenitudo Sacramenti ordinis invenitur in uno, scilicet in sacerdotio; in inferioribus autem ordinibus tantum est aliqua ordinis participatio, sicut de ratione totius potentialis est quod sit in uno secundùm completam naturam; in partibus autem sit quædam ejus participatio. Secundùm hæc, ordo vel ordinatio dicitur unum Sacramentum specie, imò & numero: quia omnes ordines simul juncti constituunt unum completum sacramentum.

Aliorum tamen explicatio dicentium hanc divisionem esse totius universalis in suas species, valde probabilis est: quia unusquisque ordinum ordo dicitur; & consequenter admitti potest quod plures ordines sint plura Sacramenta. Neque propterea sequetur esse tredecim Sacramenta. Omnes enim ordines sunt genere propinquo, unum Sacramentum: quando autem dicuntur esse septem Sacramenta, intelliguntur species quæ proximè subjiciantur ipsi Sacramento; sive illæ species sint

*Ob. Resp.*

simul genera, sive non. Hac ratione philosophi numerant quinque corpora simplicia, etiamsi sint undecim cœli: quia omnes illi sunt unum corpus simplex genere proximo, ab elementis diverso.

### Articulus II.

Art. 2. probat esse septem ordines, *presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum, acolytatum, exorcistatum, lectoratum, & ostiariatum*: quia ordinis Sacramentum ordinatur ad Eucharistiam; ad eam verò potest considerari relatio septuplex: vel ad ipsam consecrandam, & hoc est sacerdotium: vel ad dispensandam, ejusque materiam sacerdoti proximè tradendam, & hoc est diaconorum: vel ad parandam materiam in vasis sacris, & hoc est subdiaconorum: vel in vasis non sacris, eamque præparandam subdiacono, & hoc est acolythorum. Considerari etiam potest ministerium, ad præparationem eorum qui recepturi sint, jam tamen immundi, ordinatum: & hoc est, vel ad pellendos dæmones ab energumenis, vel ad instruendos eos qui volentes credere, nondum sunt instructi, vel ad arcendos eos qui credere nolunt. Primum, est exorcistæ: Secundum, lectoris. Tertium, ostiarij. Qui omnes modo quodam præparant ad Eucharistiam, sed remotè: quia præparatio proxima pertinet ad eosdem qui illam consecrant, id est, ad sacerdotes; ut ostendit author art. 4. ad 1. ut autem antiquitas horum ordinum dignoscatur:

*Septem ordines.*

## QUÆRITUR I.

### *An omnes jam dicti ordines sint Sacramenta.*

Videtur quod non. Primò, quia S. Anacletus in epistola 3. affirmat à Domino constitutos esse hos duos ordines, Episcoporum & sacerdotum, *& amplius*, inquit, *quam isti duo nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.*

Secundò, Gratianus in procemio dist. 21. *Levitas, aut, ab Apostolis ordinatos legimus: subdiaconos & acolytos procedente tempore, Ecclesia sibi constituit*: constat autem Ecclesiam non habere potestatem instituendi aliquod Sacramentum: ergo subdiaconatus & acolytatus non sunt Sacramenta.

Tertiò, Urbanus Papa relatus dist. 60 cap. *Nullus*, habens diaconatum & presbyteratum pro sacris ordinibus, addit; *Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* Et confirmari potest ex Innocentio 3. qui in cap. *A multis*, tit. de ætate & qualitate ordinandorum, citans prædicta verba Urbani; dicit, *quod in statu primitivæ Ecclesiæ subdiaconatus ordo sacer minimè dicebatur.*

Quartò, Officia minorum ordinum non videntur in ministro requirere singularem aliquâ sanctitatem: vulgò enim exercentur à Laicis.

Quintò, Non semper fuerunt ijdem ordines in Ecclesia. Nam *laboratores & cantores* olim fuerunt in aliquo ordine ecclesiastico, ut ex Ignatij epistola ad Antiochenses potest doceri: acolytatus autem nullam apud veteres Apostolorum temporibus vicinos, mentionem invenimus.

Confirmatur, Acolytus ordinatur Episcopo formam pronunciante, & archidiacono porrigente ceroferarium cum cereo, ut habet canon 6. Concilij 4. Cartagin. Sacramentum autem quod & in actione



actione consistit, & pro materia habet rem permanentem, conferri debet à ministro, materiam simul & formam applicante.

Sextò, S. Clemens lib. 8. constit. cap. 32. de exorcista dicit quod non ordinetur; quemadmodum prius idem dixerat de virgine & vidua. Et Socrates lib. 9. historiæ tripartitæ cap. 38. *lectores & psalmi pronunciatores* asserit indiscriminatim fieri Alexandriæ, sive ex cathechumenis, sive ex christianis: constat autem catechumenos non esse capaces Sacramenti ordinis; ergo lectoratus non est ejusmodi Sacramentum.

Septimò, Minores ordines conferri possunt per Abbates, aliosque simplices presbyteros, ex indulto Apostolico: Sacramentum autem ordinis conferri non potest nisi ab Episcopo.

Octavò, Quando plures actiones ordinantur ad unum effectum spiritualem, illa sola est Sacramentum quæ talem effectum attingit, ut patet in catechismo, exorcismo, baptismo. Atqui nullus ordinum attingit effectum principalem qui est conficere corpus Christi, nisi sacerdotalis: ergo solus ille est Sacramentum.

Nonò, Sacramentum ordinis continet potestatem conficiendi & conferendi sacramenta: sed hæc solùm datur in sacerdotio, ergo. Major patet, quia potentiæ passivæ quæ in baptismo datur ad recipiendum alia Sacramenta, correspondet activa quæ datur in ordine.

Decimò, Tota plenitudo ordinis est in solo sacerdotio, in alijs autem tantum est aliqua participatio, ut B. Thomas dixit art. 1. ad 2. ergo solum sacerdotium est Sacramentum.

Denique, Cyprianus epistola 65. dicit quod Apostoli post ascensum Domini in cœlo, constituerunt sibi diaconos: sunt ergo diaconi non institutionis divinæ, sed Apostolicæ.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

*De sacerdotio.*

Sacerdotium esse Sacramentum fide certum est. Nam in Concilio Tridentino sess. 23. can. 3. secundùm perpetuam Ecclesiæ traditionem, definitur quod sacra ordinatio sit Sacramentum: Atqui de nulla ordinatione id magis constat, quàm de sacerdotali; ergo.

Confirmatur, quia ad fidem pertinet, quod per ordinationem sacerdotis, & conferatur gratia, juxta illud Joannis 20. *Accipite Spiritum sanctum*; & imprimatur character, quemadmodum canon. sequenti definit idem Concilium. Accedit, quod presbyterorum ordinatio legatur Actor. 14. facta cum jejunijs & orationibus.

### Conclusio II.

*De diaconatu.*

Diaconatum esse Sacramentum ita certum est, ut absque temeritate negari non possit. Diaconi enim de quibus Act. 6. agitur, ordinati sunt per impositionem manuum Apostolicarum: quæ cæremonia in scripturis novi testamenti, collationem Sacramenti plerumque significat. Deinde, Concilium Cartaginense 4. can. 4. docet diaconos ordinari & consecrari. Hieronymus autem contra Vigilantium cap. 1. diaconatum expresè vocat Sacramentum Christi, dum quosdam Episcopos reprehendens quod non ordinarent diaconos nisi prius uxores duxerint; his verbis utitur: *Christi Sacramenta non tribuunt.* Denique, huc facit

*Sylv. in III. Part.*

tum totius antiquitatis (si Durandum & Cajetanum excipias) consensus; tum quod Diaconi ordinentur ad officium sacrum, ut postea videbitur.

### Conclusio III.

*De subdiaconatu.*

Etsi de subdiaconatu non pariter constet: probabilissimum tamen est quod etiam ipse sit Sacramentum. Quamvis enim scriptura nullam ejus expressam faciat mentionem, eò quod ob raritatem fidelium diaconi implerent ipsorum officia; sententia tamen communis per traditionem accepta, docet esse Sacramentum: quia est ritus exterior ad sacrum ministerium aliquem deputans, & causans gratiam ad ipsum debitè perficiendum.

Hujus ordinationis meminerunt Cajus Pontifex, & Concilium 4. Cartaginense can. 5.

Beatus quoque Ignatius epistola ad Antiochenses, & Cornelius Papa relatus ab Eusebio lib. 6. historiæ cap. 38. cæteris ordinatis adnumerant subdiaconos, quemadmodum & canon Apostolorum 43.

Huc etiam pertinet canon 6. sessione 23. Concilij Tridentini, quo definitur hierarchiam in Ecclesia, divina ordinatione institutam, constare ex Episcopis, presbyteris, & ministris. Hos enim ministros, ut minimum intelligere videtur diaconos & subdiaconos.

### Conclusio IV.

*De minoribus ordine.*

Minores ordines esse Sacramenta, communior & probabilior est sententia.

Primò, quia per singulos illorum deputatur homo ad aliquod officium sacrum, in ordine ad Eucharistiam exercendum.

Secundò, quia Synodus Florentina tribuit illis materiam, cujus traditione conferantur, perinde atque alijs ordinibus.

Tertiò, quia Concilium Tridentinum sess. 23. can. 2. anathemate ferit eum qui dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, & majores & minores; & can. 3. indistinctè definit ordinem seu ordinationem esse verè & propriè Sacramentum: ergo verisimile est quod intellexerit majores & minores ordines habere veram rationem Sacramenti.

Quartò, quia passim mentio fit *ordinationis*, non solùm quando de diaconis & subdiaconis; sed etiam quando de inferioribus ministris constituendis agitur: eò autem vocabulo significari solet Sacramentum ordinationis. Quod & inde confirmatur; quia cum in Conc. 4. Cartag. dicatur de singulis quomodo sint ordinandi: ubi tamen ad psalmistas, sanctimoniales, & viduas ventum est; nulla fit mentio ordinationis. Sententiam hanc tradunt Bonavent. Scotus, Richardus, & B. Thomas, tum hoc & sequenti art. tum quæstione trigesima quinta, artic. secundo & qu. 36. art. 1.

Ad 1. Arg. Resp. S. Anacletum non dicere duos tantum ordines à Christo esse institutos; nam & ipse ut in ejus vita legitur, diaconos ordinavit, eorumque, cum Episcopis, presbyteris, & subdiaconis meminit epistola 1. sed ait, *ordinem sacerdotum esse bipartitum*, in ordinem scilicet Episcoporum & presbyterorum. *Et amplius*, inquit, *quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Loquitur autem contra illos, qui Primates seu Patriarchas in altiori ordine ponebant, quam Episcopos.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Non dissimiliter Damasus epist. 4. duos tantùm A ordines, scilicet sacerdotum, agnoscit, agens contra chorepiscopos, qui se medios faciebant inter Episcopos & presbyteros, cum non essent nisi presbyteri.

Quod igitur Author Summæ Concil. dicit in epistola 3. Anacleti, *A Domino constituios esse hos duos ordines, Episcoporum, & Sacerdotum: & amplius quam isti duo nec nobis a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt*; mutilum est, neque ex Anacleti epistola sincere relatum: In ea enim sic habetur: *Sacerdotum, fratres, ordo bipartitus est, & sicut Dominus sibi constituit, a nullo debet perturbari.* Et postea, *Amplius quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.*

Cum autem ita legatur in dicta Anacleti epistola, manifestum est in eadem Summa perperam concludi his verbis: ex quo colligitur reliquos ordines, aut gradus notos in Ecclesia, non à Domino ordinatos, nec ab Apostolis. Quæ verba non sunt Anacleti, sed collectoris Summæ, & quidem malè concludentis, scilicet ex Antecedente quasi Anacleti, quod Anacleti non est.

Ad 2. Etsi Gratianus incommode sit locutus; ejus tamen verba sic possunt accipi, ut significare voluerit quod nec Christus per seipsum, nec Apostoli statim initio Ecclesiæ ordinaverint distinctas à Diaconis personas, quæ inferiorum ordinum ministerio fungerentur; quia propter paucitatem fidelium, omnia illa committebantur diaconis. Procedente verò tempore, jamque numero fidelium, non diu post Ecclesiæ primordia, crescente; ministeria quæ ab invicem erant separabilia, separata sunt, & in diversos ministros distributa; ut manifestum est ex Dionysio hic per authorem citato, & ex epistola Ignatij ad Antiochenses. Qua ratione, non tunc de novo instituti sunt illi ordines; sed solùm qui prius administrabantur per unum, cœperunt singulis distribui. Hanc responsionem præter B. Thom. hic ad 2. adferunt Scotus, & Bonaventura in 4.

Ad 3. Subdiaconatus aliquando fuit habitus ordo non sacer; non quia non esset Sacramentum, sed alijs ex causis.

*Primo*, quia illi reputabantur ordines sacri, quo- D rum scriptura sacra disertis verbis meminit.

*Secundo*, quia subdiaconatus non habebat annexam legem continentiæ per omnes provincias, ne quidem Latinæ Ecclesiæ, ut patet ex cap. *Ante triennium*, d. 31. & ex cap. *Multorum*, d. 32. dicitur autem ordo quispiam secunda ratione sacer, propter annexam legem sanctimoniæ sive cælibatus, *Tertiò*, quia subdiaconis prohibitum erat in sacrarium ingredi, ut ex eo sacra vasa Christi corpus continentia acciperent ac deferrent, cap. *Non oportet*, dist. 23. & cap. *Nullus*, dist. 24.

*Postremò*, quia subdiaconus olim non habebatur capax qui eligeretur in Episcopum, ut patet ex cap. E *A multis.* de ætate & qualit. ord. Cæterum, cujus Urbani sit capitulum in argumento citatum, ignoratur. Ex notatione Gregoriana videtur non esse alicujus Pontificis, sed Synodi Beneventanæ.

Ad 4. Negatur assumptum. quamvis autem actus minorum ordinum, propter defectum aut negligentiam eorum qui ad illos propriè sunt ordinati, possint à laicis fieri: ex officio tamen eos facere, solus convenit ordinatis, ut B. Thom. tradit art. 4. ad 9. Quomodo solius sacerdotis proprium munus est, baptizare; etiamsi alij possint validè baptizare; imò & ex causis, licitè.

Ad 5. Eosdem septem ordines semper in Ecclesia fuisse liquet ex veterum scriptis.

Dionysius præter sacerdotes & Pontifices, in epistola ad Demophilum, & Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 3. p. 2. refert ministros, quorum alij recitant sanctos libros, alij stant pro templi foribus quæ occlusæ sunt, alij autem aliquid aliud eorum quæ illorum ordinem attingunt, perficiant.

Ignatius dicta epistola ad Antiochenses recenset omnes, præter Acolythatum.

Cajus Pontifex in epistola ad Felicem, omnes omninò: mandat enim hunc ordinem servari, *ut si quis Episcopus esse meretur, sit primo ostiarius, deinde lector, postea exorcista, inde sacretur Acolytus, demum verò subdiaconus, deinde diaconus, & postea presbyter, & exinde, si meretur Episcopus ordinetur.* Singulorū etiam meminit Cornelius apud Eusebium lib. 6. Historiæ cap. 33. alias 33. B

Neque numerum hunc variat quod Ignatius, *Ob.* subdiaconis, lectoribus, exorcistis adnumeret cantores & laborantes: Hi enim officium quidem habebant Ecclesiasticum, sed non ordinem. Unde Patres Concilij Carthaginensis quarti, de psalmistâ seu cantore pronunciant quod solâ jussione presbyteri, possit munus illud obire, absque licentia Episcopi; idemque affirmat Isidorus lib. 2. de officijs cap. 12. Deinde cùm *cantoris* officium sit, cantu Psalmorum inducere populum ad devotionem & laudem Dei; & hoc, *lectoris* officio vicinum sit, eo solo differens quod *cantor* modulando & cantando proferat, quæ *lector* planâ voce pronuntiat: non debuit institui ordo cantoris à lectoratu diversus. Laborantes verò, sive (ut ab alijs vocantur) fossarij, nudum sine ordine habebant officium, curandi scilicet corpora defunctorum, ut ex Epiphanio docet Baron. ad annum Christi 34. & 44. *Resp.* C

Ad confirmationem patebit responsio ex sequentibus, ubi de ordinatione acolyti agetur.

Ad 6. Duplex est responsio. Una, libros constitutionum variis locis esse corruptos. nam libri 8. capite 19. aliàs 26. dicitur de ordinatione diaconissæ, ut Episcopus ei manus imponat, præsentibus presbyteris & diaconis; cùm tamen Concil. Nicæni can. 19. dicatur diaconissas carere manus impositione: Cap. 27. seq. similiter dicitur subdiacono cùm ordinatur, manus ab Episcopo esse imponendas; Concil. verò 4. Carthag. can. 5. dicit subdiaconum cum ordinatur, non accipere manus impositionem. Ejusdem lib. cap. 26. aliàs 32. scriptum est quod Exorcista non ordinatur; ipsius tamen ordinationem describit idem Cartag. Conc. can. 7.

Alia responsio est, Clementem agere de exorcista eo qui simul cum gratia curationum; accipiebat gratiam liberandi energumenos: dicit enim quod hoc sit spontaneæ benevolentiæ & gratiæ Dei per Christum. Hunc autem ordinari non erat necessarium.

Socrates tantum significare voluit, quod in Alexandria solerent assumere non ad ordinem, sed ad *officium* lectoris & psalmistæ, sive catechumenos sive baptizatos; cùm tamen omnes aliæ Ecclesiæ non nisi fideles assumerent, eosque ordinarent.

Ad 7. Resp. vel minores ordines à talibus collatos non sacramenta esse, sed sacramentalia: vel Sacramentum aliquod ordinis posse conferri à non Episcopo, per concessionē pontificiam. Cùm enim Episcopus sit Sacramenti ordinis minister ordinarius, ut habetur in compendio fidei à Concilio Florent. dato Armenis; inde relinquitur utcunque colligendum



ligendum quod aliquis alius possit esse minister extraordinarius, accipiendo scilicet quandam participationem dignitatis Episcopalis. A

Ad 8. Major solum est vera, quando actiones ad unum effectum ordinatæ non aliud sunt quam dispositiones: ut catechizatio & exorcizatio quæ baptismum antecedunt: singuli autem ordines præter hoc quod disponant ad sacerdotium, sunt etiam ipsi quædam consecrationes, & attingunt effectum spiritualem sibi proprium.

Ad 9. Propter excellentiam Sacramenti Eucharistiæ, nō solùm debet dari potestas activa ad ipsum conficiendum; sed etiam ad exercenda officia ecclesiastica circa ipsum: & ideo non oportet omnem ordinem esse ad sacramenta vel perficienda, vel ad- B ministranda; sed aliqui esse debent ad ministeria inferiora.

Ad confirmationem Resp. potentiæ passivę quæ est in baptismo ad receptionem sacramentorum, respondere activam ad illa conficienda & conferenda; sed quæ non debeat reperiri in quolibet ordine.

Ad 10. Tota plenitudo ordinis est (ex mente B. Thom.) in solo sacerdotio; non quod gratia & character in eo solo reperiantur; sed quia character & gratia aliorum ordinum, sunt quędam participationes effectuum qui sunt in sacerdotio, quatenus referuntur ad ministerium superioris ordinis.

Ad Postrem. Neg. Conf. Cyprianus enim non C negat ordinem diaconorum esse à Christo institutum; sed solum significat quod Christus per se nullum ordinaverit diaconum; quo modo Episcopos & sacerdotes ordinavit.

## QUÆRITUR II.

### *Quæ sint materia, forma, & officia minorum ordinum.*

Synodus Florent. sicut & antea B. Thom in opusc. 5. materiam Sacramenti ordinis generaliter dixit *esse illud per cujus traditionem confertur ordo: formam verò*, verba ordinantis. Loquitur autem D de materia remota; nam proxima est ipsa traditio rei per quam fit ordinatio: sicut materia baptismi remota, est aqua; proxima verò ablutio per aquam facta. Sed ad singulos descendamus.

*De ostiariatu.* Primus idemque infimus ordo est ostiariorum. Ejus materia sunt claves Ecclesiæ per Episcopum porrectæ; forma verò, verba quæ pronuntiat Episcopus, eas tradendo, *Sic agite quasi reddituri Deo rationē pro ijs rebus quæ his clavibus recluduntur.* Patet ex Concil. 4. Cartag. can. 9. ubi verba ista recitātur.

Ad hos pertinent claves Ecclesiæ, ut claudant & aperiant templum Dei, & omnia quæ sunt intus extraque custodiant, fideles recipiant, infideles & excommunicatos ejiciant: habent enim potestatem E tam bonos recipiendi, quam rejiciendi indignos; ait Isidorus lib. 2. de off. cap. 14. & in epistola ad Ludifredum, citata in cap. *Perlectis* dist. 25.

Ad sacrum etiam Missæ officium assistebant, curaturi ne quis proprius quam par esset, ad altare accederet; & celebrantem interturbaret. Sed & ad divina populum convocabant, sive alijs signis, sive pulsu campanæ post quam ea fuit inventa. In cujus signum, cum ordinantur, accipiunt ab Archidiacono funem campanarum.

Magnam autem fuisse hujus ordinis in antiqua Ecclesia dignitatem, ex eo intelligitur, quod thesaurarij officium inter honestiores Ecclesiæ functiones habeatur; qui tamen dum sacras reliquias, vasa, & indumenta sacra custodit, eatenus subit partes ostiarij.

Olim verò thesaurarius dicebatur, qui oblationes fidelium in quatuor partes ab Episcopo distribuendas, asservabat; hoc agens non quatenus ostiarius, sed quatenus diaconus vel Archidiaconus: qualis Romæ fuit S. Laurentius.

Hunc ordinem præsignificavit Christus, quando ementes & vendentes ejecit de templo: præsignificarunt & illi, qui janitores templi dicebantur, 1. Paral. 23.

Lectoratus materia, est codex divinarum lectio- *De lectoratu.* num: forma verò, *Accipe, & esto relator* (sive secundùm alios, *lector*) *verbi Dei* &c. Ita ejusdem, Conc. Cartag. can. 8.

Lectoris officium erat, (ut ex Cypr. epist. 24. 33. 34. colligitur) ex edito loco recitare scripturas, etiam Evangelium, non quidem canendo, sed clarè & distinctè legendo: sive ad preces & horas nocturnas, sive ad concionem. Concionaturo enim Episcopo, lector toti populo conspicuus stabat, & eam scripturæ partem quæ explicanda erat, clarè legebat. Insuper prima fidei rudimenta docebat catechumenos; ut B. Thom. significat, & post eum Catechismus Rom.

Hujus ordinis officium, ut à Stephano Eduensi Episcopo est annotatum lib. de Sacram. altaris c. 6. adimplevit Christus, cùm in synagoga de libro Isaiæ legit; *Spiritus Domini super me*, Luc. 5. Præsignificatum esse in prophetis, verbum Dei annuntiantibus; testatur Isidor. lib. 2. de officijs c. 11.

Tertius ordo est Exorcistarum, id est, adjurantium; cujus materia est liber exorcismorum: *De exorcistatu.* forma verò, *Accipe & commenda memoriæ: & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum sive catechumenum.* Ita idem Cartagin. Conc. can. 7. Isidor. & Catechis. Rom. Unde liquet exorcistarum esse officium, invocando nomen Domini manus imponere super energumenos, Exorcismi autem qui baptizandis, etiam à spiritu immundo non vexatis, adhibentur, cum non fiant ad curandos energumenos, sed ad baptismi ceremonias pertineant; non comprehenduntur in officio exorcistarum, sed sacerdotum.

Hujus ordinis officium egit Christus, quando spiritus immundos ejecit ab energumenis: potestatem verò idem faciendi contulit Apostolis, Matth. 10. Reperitur & ipsum nomen *exorcistæ* Actuum 19. ex quo loco, sicut & ex Matth. 12. discimus etiam apud Judæos in usu fuisse exorcistarum munus.

Quod autem attinet ad illum modum adjurandi dæmones, cujus tanquam à Salomone traditi, meminit Josephus lib. 8. antiquit. cap. 2. is potius videtur superstitiosus quàm divinus: quia nec species ulla radicis, nec annulli sigillum, per cujus tamen admotionem ad nares, fugatum dicit esse dæmonium; virtutem eam habet aut naturalem, aut divinam.

Quarti ordinis nomen bifariam scribitur: vel *De Acolytatu.* acolytus, id est, improhibitus, cui scilicet non prohibetur proprius accedere ad altare: vel acoluthus, id est, assectator, quia ministros majores in altaris ministerio assectatur, eisque dat operam, ait Catechis. Rom. Vocatur & ab alijs, ceroferarius, non vocabuli Græci interpretatione, sed à parte quadam officij.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Materia hujus ordinis sunt urceoli vacui, per A ordinantem traditi: forma verò, Accipe urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi.

Traditur etiam candelabrum cum cereo sed hæc traditio non est essentialis, ut habet Paludan. in 4. dist. 24. qu. 2. & significat B. Thomas ar 5. ad 6. ubi asserit quod *in datione urceoli, imprimitur acolyto character, virtute verborum ab Episcopo prolatorum.*

Officium acolyti principale est, aquam & vinum parare in urceolis, & parata præsentare; secundarij autem cereos deferre, quando legitur Evangelium, aut etiam postea quando sacrificium perficitur.

Acolyti vices in se ostendit Christus, dicens, *Ego sum lux mundi*, ait Stephanus Eduensis. B

## QUÆRITUR III.

*Quæ sit materia, forma, & officia subdiaconatus, & diaconatus.*

SUBDIACONUS *cùm ordinatur, quia manus impositionem non accipit patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum*, ajunt Patres Concilij 4. Cartag. can. 5. & Ordo Romanus, quibus consentit Synod. Flor.

Materia ergo subdiaconatus est calix & patena vacua, per Episcopum porrecta; forma verò, Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.

Urceoli aqua & vino pleni, qui traduntur ab Archidiacono, non pertinent ad ordinationem, sed ad declarandum quod subdiaconi in suo officio subserviant diaconis.

Cum deinde Episcopus subdiaconum ornat proprijs vestibus, ad quarum singulas, verba & cæremonias adhibet, tandemque tradit librum epistolarum, dicens, *Accipe librum epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia* &c. non tunc characterem illius ordinis imprimit, sed ad quædam officia deputat: character autem imprimitur per calicis & patenæ traditionem. Unde tam patres Concil. Cartag. quam Florent. nullam faciunt D mentionem libri epistolarum.

*Officia subdiaconi.* Adde quod principalis actus subdiaconi, non est epistolam locò diaconi canere, sed calicem & patenam deferre ad altare, & diacono vel sacerdoti porrigere, vinumque & aquam ab acolyto præsentata suppeditare ad sacrificium.

Ad eundem tamen etiam pertinet, sacra lintea parare, aquam ad manus in sacrificio abluendas præbere, altari tanquam testis & protector assistere; epistolam, quæ olim à diacono recitabatur, legere.

Hujus ordinis actum aliquem indicavit Christus, quando misit aquam in pelvim, & lavit pedes discipulorum, Joannis 13. Præfiguraruntautem E Nathinæi, 1. Esdræ 2. & 8.

Diaconatus generaliter idem significat quod *ministerium*: sed usu Ecclesiastico, etiam Apostolicis scriptis confirmato, per excellentiam significat illum ordinem qui proximus est infra sacerdotium: quia est ad ministrandum in re omnium maxima. De hujus materia controvertitur.

*Quæst.* Non videtur posse esse liber evangeliorum: quia dum primi diaconi fuerunt ordinati, Evangelia nondum erant scripta, & in Ecclesia Anicensi, cui Durandus præfuit, non solebant ea tradi, ut ipse testatur.

Sed nec videtur esse impositio manuum Episcopi, quia illa est ritus ab Apostolis introductus, nec iterandus si fuerit quoquo modo prætermissus, ut indicat Greg. 9. capit. *presbyter*, tit. de Sacram. non iterandis ita dicens, *presbyter & diaconus cùm ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt: quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum.* Adde quod Synodus Flor. non meminerit impositionis manuum.

RESP. verius sentire illos qui in ordinatione *Materia diaconatus.* diaconi agnoscunt duas partiales materias, & duas partiales formas: quæ ambæ simul junctæ constituant unum integrum Sacramentum diaconalis ordinationis.

Igitur materia diaconatus pro una parte, est impositio manuum aut manus Episcopi: forma verò, *Accipe Spiritum sanctum ad robur, ad resistendum diabolo, & tentationibus, In nomine Domini.*

Pro altera autem parte, materia est liber Evangeliorum; & forma, *Accipe potestatem legendi Evangelium* &c.

Confirmatur, primi enim diaconi sunt ab Apostolis ordinati per impositionem manuum, Act 6. Tempore etiam B. Dionysij, ac deinceps ita solent diaconi ordinari.

Quod autem ea non sit nuda cæremonia, sed ad essentialem diaconatus rationem pertineat; tum ex S. Dionisij verbis, lib. de ecclesiastica hier. cap. 5. par. 2. colligitur, ubi de diacono, sub nomine *ministri* loquens, dicit *quod consecratur, pontifice super ejus caput manum habente & precationes facente*; tū ex eo quod per impositionem manuum gratia confertur, ut Synod. Trident. sess. 23. can. 4. declarat; tum denique, quia non apparet cujus rei tanquam materiæ exhibitione Sacramentum & Sacramenti gratiam acceperint diaconi, ante scriptum Evangelium ordinati; nisi per impositionem manus.

Accedit quod Concil. 4. Cartag. can. 4. tradens modum ordinandi diaconum, dicit *eum consecrari per impositionem manus Episcopi.* Et quod nō loquatur de cæremonia accidentali, sed de essentiali; constare potest partim ex canone seq. ubi, quia subdiaconus in sui ordinatione non accipit impositionem manus; Concilium dicit, eum ordinari per tradit onem calicis & patenæ; partim, quia impositioni manus Episcopalis jungitur forma: *Accipe Spiritum sanctum*, &c. nec dubium est, quin tunc detur gratia Spiritus sancti, si non sit obex; partim quia meritò videri posset absurdum, si omni ritu essentiali prætermisso, solum accidentalem proponeret.

Hinc S. Bonav. in 4. dist. 24. Non imponunt manus sacerdotes diacono, sed solus Episcopus; in cujus impositione manus, non tantum est signatio, sed etiam potestatis collatio. Eadem est sententia Petri Soto lect. 5. de ordine, Bellarmini, Tanneri, & quorundam aliorum.

Insuper autem, etiam librum Evangeliorum esse pro materia diaconatus agnoscendum, & ex communiore scholasticorum sententia, & ex Concil. Flor. habetur. Quod cum statuisset compendiariam doctrinam tradere, non verò exactam singulorum essentialem rationem exponere; solius libri Evangeliorum meminit, volens externam aliquam & permanentem materiam singulis ordinibus assignare. Impositionem ergo manus quam tacuit, ex Cartag. Concilio petendam reliquit.

AD 1. ARG. variè potest responderi. PRIMÒ, ex divina dispensatione factum esse, ut ad exhibitionem principalis partis materiæ, tota diaconalis ordinis



ordinis potestas tunc conferretur, quando Evan- A gelium non erat scriptum.

SECUNDÒ, quod cum initio nascentis Ecclesiæ non cantaretur Evangelium, non opus fuerit diaconos potestatem illud cantandi accipere in sua ordinatione; ideoque ipsos fuisse per manus impositionem ordinatos ad quævis ministeria Diacono competentia, præterquam ad Evangelium solemniter in Missa legendum seu cantandum.

TERTIÒ, quod tam primi quam posteriores Diaconi usque ad Evangelij conscriptionem, ac etiam postea alij ubi necdum habebatur Evangelium scriptum, fuerint ordinati per impositionem manus simul cum porrectione vel chartæ continentis aliqua fidei nostræ mysteria quæ modò ha- B bentur in Evangelijs; vel alicujus alterius instrumenti quod officium Diaconi designaret, quemadmodum significat Henriquez l. 10. cap. 8. littera f. in Glossa, quem sequitur Tannerus disp. 7. q. 2. dub. 3. nu. 63. & Laiman. c. 5. de Sacramento ordinis assert. 3.

Ubi observandum quosdam haud improbabiliter docere Christum instituisse materias omnium ordinum, non quidem in particulari, sed generatim statuendo ac jubendo, ut in collatione horum & illorum ordinum in quibus ipse ita volebat, adhiberetur manus impositio, ac insuper porrigerentur instrumenta vel symbola illa externa, per quæ C uniuscujusque ordinis potestas & officium designaretur: quodnam verò symbolum esset hujus & illius ordinis collationi adhibendum, reliquisse determinationi Ecclesiæ. Ita significat Ruard. Tapperus art. 17. de Sacramento ord. §. de materia, Bellarmin. ca. 9. de Sacram. ord. Coninck disput. 20. dub. 7. concl. 3. ad 3. Laiman. cap. 5. Arcudius l. 6. c. 4. Mercerus qu. 34. ar. 4. & 5. Prepositus q. de Sacram. ordin. dub. 10. Quam opinionem confirmant quidam.

PRIMÒ, quia licet verba quibus sit conferendum baptismi Sacramentum, Christus determinaverit quoad rationem formalem seu significationem, non tamen illa determinavit quantum ad esse materiale, & quoad sonum, cum alijs verbis uti possint D Galli, Flandri, Angli, quando in lingua vernacula baptizant.

SECUNDÒ, Etsi Christus instituerit chrisma benedictum pro materia Confirmationis, Ecclesiæ tamen determinationi reliquit, quibus verbis esset benedicendum.

Si quis objiciat Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. ubi declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione ea statueret vel mutaret quæ susceptientium utilitati &c. magis expedire judicaret. Respondere possent concilium hoc optimè dicere, ut ostendat Ecclesiam non excedere suam potestatem quando negat speciem vini laicis & alijs non celebrantibus: Non vult autem E Cōcil. dicere quod Ecclesia nihil possit quoad materialem determinationem materiæ aut formæ, ubi Christus solum formaliter eam determinavit, & indeterminatam reliquit quoad esse materiale: quia determinatio materialis quam ibi facit Ecclesia, relinquit salvam Sacramentorum substantiam.

AD 2. Ecclesia illa in hoc errabat.

AD 3. Quidam respondent verba illa *(ritu ab Apostolis introducto)* non esse pontificis respondentis, sed Episcopi quæstionem proponentis. Quod tamen quia non constat; addi potest ritum impositionis manuum esse à Christo institutum; ab Apostolis verò introductum, quia primi sicut acceperant à Christo, practicaverunt, nobisque tradiderunt.

AD 4. Cum in diaconatu sint duæ potestates; verba pontificis significant quod si unam contingat dari sine altera, non sit iteranda collatio ejus quæ est data, sed oporteat alteram superaddere.

Ex his sequitur concedendum quod in ordinatione diaconi imprimantur duo characteres, sicut conferuntur duæ potestates.

Sed ad quænam officia se extendant, hæretici controvertunt.

VIDETUR enim eis quod officium diaconorum non aliud olim fuerit, quam profanum, dispensandi scilicet pauperibus bona & eleemosynas Ecclesiæ.

PRIMÒ, quia constituti sunt ut ministrarent mensis Act. 6. unde S. Hieron. epist. 85. vocat eos mensarum & viduarum ministros.

SECUNDÒ, Canon. 16. Synodi 6. generalis, Apostolos dicit in actibus locutos, non de viris qui ministrant mysterijs, sed de ministerio quod in usu mensarum adhibebatur; quod & se accepisse dicunt Patres illius Synodi à S. Joanne Chrysost. in cap. 6. Act.

Verumtamen certissima doctrina est, officium *Primarium Diaconorum officium erat sacrum.* diaconorum, etiam illorum qui constituti sunt ab Apostolis Act. 6. non merè profanū fuisse, sed sacrū.

PRIMÒ, quia non solum fideles & industrios quæri voluerunt Apostoli; quod tamen sufficiebat profano mensarum ministerio: sed *plenos Spiritu Sancto sapientia*, id est, insigniter pios, & sacrorum mysteriorum doctos.

SECUNDÒ, quia ritus orationis & impositionis manuum quem in eorum constitutione S. Lucas refert adhibitum, est ritus sacræ ordinationis, ut ex Act. 13. 1. ad Tim. 5. & aliunde satis potest constare.

TERTIÒ, Qui illic ordinati leguntur, statim post hanc suam ordinationem prædicaverunt, & baptizarunt.

QUARTÒ, Diaconi cap. 1. ad Philipp. proximè post Episcopos salutantur velut Ecclesiæ, & rerum divinarum ministri.

QUINTÒ, nulla causa esset cur Apostolus 1. ad Tim. 3. tam multas conditiones requiret in ijs qui ordinandi sunt diaconi, & specialiter illam, *habentes mysterium fidei in conscientia pura*, si profanum tantum foret eorum ministerium.

Hinc B. Ignatius in epistola ad Trallianos, *Oportet diaconos qui sunt in ministerio Jesu Christi, omnimodo placere: non enim ciborum & potuum sunt ministri, sed Ecclesia Dei.* Quod autem respectum habeat ad diaconos Act. 6. constitutos, ex sequentibus constat. *Quid*, inquit, *diaconi nisi imitatores angelicarum virtutum, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam, quomodo S. Stephanus beatissimo Jacobo* &c. Vide eundem in epistola ad Heronem diaconum. *Alias, nisi imitatores Christi, &c.*

AD 1. ARG. RESP. Licet septem diaconi sint ab Apostolis ordinati ea occasione quod ad pauperum curam esset opus eorum ministerio; simul tamen acceperunt spiritualem potestatem suo ordini propriam ad sacra munia obeunda, fuerunt quidem præfecti mensis pauperum: at non sic, quasi accumbentibus pauperibus illi cibos inferrent: sed quod ea curarent quæ cuique opus esset, distribuendo eleemosynas, ac nominatim, eas quas

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad altare suscipiebant à fidelibus, tempore sacrificij offerentibus. Reponebant enim illas in ærarium Ecclesiæ, & ex eo sumebant in necessitates pauperum. In eo ergo quod mensis dicuntur ministrasse, includitur ministerium mensæ Domini & altaris, ut ex Isidoro lib. 2. de officijs c. 8. & ex Beda tum in expositione Actorum, tum in retractatione ejusdem colligitur. Hinc de S. Laurentio scribit B. Leo: *Non solum ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ præeminebat.* Et ut canit Prudentius:

*Claustris sacrorum præerat,*
*Cœlestis arcanum domus*
*Fidis gubernans clavibus:*
*Votasque dispensans opes.*

Quod autem sacri ministerij Lucas non meminerit Act. 6. ratio est, partim quia satis ei erat occasionem ordinationis diaconorum describere, unde nec aliorum pauperum meminit quàm viduarum, etiamsi & reliquorum cura pertineret ad ipsos: partim, quia religionis nostræ mysteria, ea maximè quæ ad sacrificium pertinent, celare voluit.

Ad authoritatem S. Hieronym. Resp. eum, ut quorundam diaconorum superbiam, qui se efferebant supra sacerdotes, retunderet, meritò ita esse locutum, & commemorasse minimum ipsorum officium: Quod autem & sacrum agnoverit, epistola 48. manifestat, ubi de Sabiniano diacono dicit: *Noverat te omnis Italia, universi te stare ante altare Christi ingemiscebant.* Et in cap. 48. Ezechielis: *Qui primus*, inquit, *fuerit ministrorum (quia per singula concionatur in populos, & a Pontificis latere non recedit) injuriam patiat si presbyter ordinetur: & non meminit mensarum & viduarum minister, in obsequium se & ministerium non solum sacerdotum, sed & viduarum & pauperum delegatum.*

Ad 2. canones illi fuerunt editi à schismaticis Ecclesiæ Rom. æmulis, in Trullo post aliquot à sexta Synodo annos congregatis; ideoque nec sunt Synodi alicujus legitimæ, neque authoritatem merentur. Qua de re plura videri possunt l. 5. controvers. q. 2. art. 2. quem loci dedimus an. 1638.

Locus Chrysostom. ita est obscurus, ut Sixtus Sen. l. 6. bibliothecæ sanctæ annot. 225. existimet eum sensisse quod septem illi diaconi fuerint tantummodo præfecti mensis & eleemosynis. Alij censent locum illum esse corruptum, nec immeritò. Patet enim hoc ex collatione citati canonis cum alijs versionibus Chrysostomi. Breviter dici potest, Chrysost. tam disertè quam quemvis alium, agnoscere diaconatum sacrum homil. 11. in 1. epist. ad Timoth.

Ex his consequenter est dicendum quæ sint officia diaconorum.

*Officia diaconorum.*

Primum est, assistere sacerdoti sacrificanti, eique panem & vinum à subdiacono accepta porrigere, vel altari imponere, Evangelium recitare, & oblationes à populo per subdiaconum acceptas, ad altare deferre, vel sacerdoti præbere. Solebat etiã olim animos fidelium ad attentionem excitare.

Secundum est, sacerdoti subservire in Sacramentis administrandis. Solebant enim olim distribuere speciem vim; &, si foret necessitas, etiam speciem panis, ut probatum fuit art. 3. quæst. 82. in 3. part.

Ad eosdem pertinebat, ordinandos coram Episcopo sistere, & baptizandorum nomina recitare, imò (absentibus Episcopo & presbytero) baptizare, non quidem tanquam ex officio proprio, sed velut ex commissione, & ob necessitatem, ut ejusdem partis quæstione sexagesima septima art. 1. diximus.

Tertium est, in doctrinæ & prædicationis officio assistere Episcopo vel presbytero, sive custodiendo ipsum ne quis ei sit molestus: sive etiam prædicando. Ad diaconos tamen ex officio non pertinet prædicare ex cathedra: sed solùm recitare Evangelium, & ipsum, aut fidei articulos, catechismi forma exponere; nisi ob necessitatem aliud eis permittatur. Vide notas nostras ad instructiones S. Caroli Borromæi part. 1. cap. 1.

Quartum officium est, subservire Episcopis in regendo populo: propter quod diaconus vocari solet oculus Episcopi, dist. 93. cap. *Diaconi.*

Quintum est, eisdem, vel sacerdotibus, in cura pauperum assistere. De his videri possunt Dion. eccles. hier. ca. 3. part. 2. Ignat. in epist. ad Trallianos, Cypr. tract. de lapsis, Gonc. Nicc. can. 14. Carthagin. 4 can. 38. Evaristi. Gelasij, & aliorum capitula apud Gratian. dist. 93.

Hujus ordinis officium fecit Christus, quando Apostolis ministravit Eucharistiam: figuratum autem fuit per Levitas in veteri lege, ut est apud Isid. lib. 2. de officijs c. 8.

## QUÆRITUR IV.

### *Quæ sit materia & forma presbyteratus.*

Videtur quod sola calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectio, sit tota materia.

Primò, quia Synod. Flor. non aliam adfert.

Secundò, quia dum aliquis ordo habet plures actiones; ordinatio perficitur in traditione illius materiæ quæ denotat præcipuam actionem.

Tertiò, Judas proditor fuit sacerdos, ut ex Act. 1. colligitur; neque tamen fuit ordinatus per alicujus alterius materiæ exhibitionem.

Quartò, Thomas non erat cum Apostolis Joannis 20. quando Christus dixit; *Quorum remiseritis peccata*: si ergo illa verba pertinent ad formam sacerdotij, consequens est eum non fuisse sacerdotem.

Quintò, Si quis post acceptionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia, non acciperet impositionem manuum Episcopi, sive subitò morientis, sive aliter impediti: sequeretur quòd non esset simpliciter sacerdos; & quod non posset (etiam accepta jurisdictione) à peccatis absolvere.

Opponi etiam potest cap. *Presbyter*: sed de illo diximus quæsito 3.

*Ritus ordinationis presbyteri.*

Ad hujus difficultatis resolutionem observandi sunt ritus qui in presbyterorum ordinatione solent adhiberi. *Primò*, Episcopus manus imponit ordinando, idemque faciunt sacerdotes astantes, per eum ritum significantes quod ordinationi assensum præbeant, Spiritumque sanctum pro illa invocent.

*Secundò*, Episcopus inducit stolam humeris ordinandi, eam ante pectus in formam crucis componens; ad significandum quod virtute induitur ex alto, qua possit crucem & jugum Domini portare.

*Tertiò*, Induit eum casula, sive (ut olim vocabatur) planeta, eò quod totum sacerdotis corpus oberraret: fiebat enim multò latior quam nunc fiat, ita ut & brachia penè tota contegeret; qualis etiam



etiam nunc est casula S. Amati quæ in Ecclesia nostra asservatur, & cum qua bis per annum solemniter celebratur. Significat autem ista vestis charitatẽ.

*Quartò*, Inungit manus, primùm quidem pollices & indices; postea verò totaliter palmas, ut significentur modo quodam consecratæ ad sacrificium. Hæc autem inunctio non fit chrismate vel oleo infirmorum, sed oleo catechumenorum.

*Quinto*, calicem cum vino, & patenam cum hostia tradit dicens, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi, tam pro vivis quam pro defunctis.*

*Sextò*, Imponit ambas manus super caput ordinandi, dicens; *Accipe spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.*

De quatuor primis ritibus satis constat quod non sint essentiales, sed dumtaxat cæremoniales, & præparatorij ad susceptionem ordinis sacerdotalis: quintus autem & sextus verè sunt essentiales.

*Resp.* Ad quæstionem igitur Resp. duas esse partiales materias; & duas partiales formas; & consequenter duo partialia Sacramenta quæ sacerdotalem ordinationem perficiunt, unumque totum integrant Sacramentum. Calix cum vino, & patena cum hostia, est unius partis, ejusque potissimè materia; forma verò. *Accipe potestatem offerendi sacrificium* &c.

Alterius partis materia est, manuum episcopalium impositio, & forma; *Accipe Spiritum sanctum*, &c.

Quantum ad priorem partem, ea est ferè communis Scholasticorum sententia, adeò ut B. Tho. in opusc. de Sacram. Ecclesiæ, quando ad Sacramentum ordinis venit, absolutè pronuntiet: *Materia hujus Sacramenti est illud materiale, per cujus traditionem confertur ordo. Sicut presbyteratus traditur per collationem calicis & quilibet ordo traditur per collationem illius rei quæ præcipuè pertinet ad ministerium illius ordinis. Forma autem hujus Sacramenti est talis, Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. & præsentis qu. art. 5. *Quia principalis actus sacerdotis est, consecrare corpus & sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis, sub forma verborum determinata, character sacerdotalis imprimitur.* Quæst. etiam 34. ar. 5. *Porrectio* (inquit) *materia magis est de essentia Sacramenti quam tactus*, &c. Hanc sententiam approbans & cõfirmans Conc. Flor. sic ait: *Sextum Sacramentum est ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Et mox, *Forma sacerdotij talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis in nomine Patris*, &c.

Ex his ergo facilè intelligitur quod per rerum illarum traditionem, una cum verbis Episcopi confertur potestas consecrandi Eucharistiam; simulque gratia justificans ad id officium ritè peragendum necessaria.

*Impositio manus Episcopi est materia essentialis.*

Quantum ad partem posteriorem, non parva est dissentio. Quidam enim putant totum characterem sacerdotalem totamque illius ordinis potestatem conferri per calicis & patenæ porrectionem; ut proinde manus Episcopalis impositio tantum sit cæremonia accidentalis. Sed essentialem esse omnino est existimandum, etiam ex mente B. Thomæ. Tertia enim p. qu. 84. art. 4. docet in confirmatione & Ordine requiri manuum impositionem, non autem in Sacramento pœnitentiæ, quia in confirmatione confertur plenitudo spiritus sancti; & in Ordine confertur quædam excellentia potestatis; in Sacramento autem pœnitentiæ, neutrum istorum.

Confirmatur Primò, Quando Episcopus manus imponens ordinando dicit, *Accipe spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis*, invenitur ibi signum visibile efficax gratiæ: ergo invenitur Sacramentum. Signum visibile, est ipsa manuum impositio. Quod autem illa sit efficax gratiæ, probatur ex Concilij Trid. sess. 23. can. 4. ubi anathemate feritur, *qui dixerit per sacrã ordinationẽ non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum.* Si Episcopi idcirco non frustra dicunt illa verba, quia ad eorum prolationem verè datur Spiritus sanctus; ergo in impositione manuum Episcopalium super ordinandum confertur gratia; quia tunc Episcopi dicta verba proferunt, quando manus imponunt.

Secundò, Cùm Dominus à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens, *Accipite Spiritum sanctum: quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus, communicavit, ut universorum Patrum consensum semper intellexisse, tradit eadem Syn. Trid. sess. 14. can. 1. ergo presbyteri, Apostolorum in sacerdotio successores, tunc demum accipiunt illam remittendi & retinendi peccata potestatem, quando Episcopus ordinans dicta verba eis dicit; & consequenter illa verba sunt de necessitate ordinationis sacerdotalis; quia si omittantur, deerit ordinato potestas ministrandi Sacramentum pœnitentiæ. Eodem pertinet ejusdem sess. c. 3. de Extrema unctione, ubi Sacramẽti illius ministri dicuntur esse *Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis ordinati per impositionem manuum presbyterij.* Quibus verbis clarè significatur sacerdotes ordinari per impositionem manuum, quod & ex can. 3. de Sacr. Pœn. rectè potest deduci. Adde quod Conc. 4. Cartag. can. 3. dicit presbyterum ordinari; *Episcopo eum benedicente & manum super caput ejus tenente.*

Tertiò, Potestates illæ, consecrandi, & absolvendi sunt multum diversæ, cum earum actus genere differant: ergo neutra complectitur alteram, & consequenter non est ratio vel ex parte Sacramenti, vel ex naturali concomitantia, cur cum priore potestate dicatur simul conferri posterior; præsertim cum eas Christus non ita dederit, sed distinctis temporibus; unam in novissima cœna, alteram post resurrectionem, & forma una non importet, aut significet alteram. Confirmatur, Sacramenta nullum effectum conferunt quem non significant: atqui traditio calicis & patenæ cum materia Eucharistiæ, & verbis adjunctis, non sunt signa potestatis ejus qua remittuntur peccata; ergo illam non conferunt.

Quartò, S. Hieron. in c. 58. Isaiæ dicit ordinationem clericorum non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem manus *impleri*; quod & Dionys. eccl. hier. cap. 5. significat, ergo sentiunt impositionem manus esse necessariam. Consentit & S. Leo serm. 2. de Pentec. ubi dicit quod *remittendorum peccatorum jam tunc Apostoli acceperant potestatem, quando post resurrectionem suam Dominus insufflavit & dixit; Accipite Spiritum sanctum* &c. idemque sentiunt Greg. homil. 26. in Evang. Cyrill. & Chrysost. in cap. 20. Joan.

Inter Scholasticos, Petrus Soto lect. 5. de ordine,

Universidad de Deusto
Biblioteca



Bonav.& Palud.in 4. dist. 24.docent impositionem manuum omnino necessariam. Scotus verò, & post eum Nicolaus de Orbellis in 4.dist. 24.qu. 1. Nicolaus Denize tract. 6.par. 3. q. 1.Bellarm. cap. 8 de sacramento ordinis ; Layman & alij complures, duas partiales materias, & duas partiales formas docent esse necessarias ; idque satis etiam indicat Cathechismus Rom.

Ad 1. ergo Arg. Resp. Concilio Florentino satis fuisse, præcipuam, eamque subsistentem, sacerdotij materiam designasse : alteram ex facto Christi discimus, & ex Conc. Trid.& Carthag.4.

Ad 2. Ordinatio non semper tota perficitur in traditione illius materiæ quæ designat præcipuum actum; sed tunc solùm quando præcipuus ille actus intra se complectitur secundarios : potestas autem vel actus consecrandi non complectitur potestatem absolvendi à peccatis.

Ad 3.Quamvis ministerium, cujus sortem dicit B.Petrus Act. 1.fortitum fuisse Judam, rectè intelligatur officium Apostolatus; concedimus tamen eum fuisse sacerdotem, quoad priorem sacerdotij partem in cœnâ collatam, etiamsi non quoad posteriorem.

Ad 4. Vel eadem verba dixit Christus Thomæ quando postea illi apparuit ; vel ut B. Cyrill. commentatur, ex intentione dantis virtus Spiritus pertransijt in absentem.

Ad 5. Ejusmodi foret simpliciter sacerdos, eò quod potestas consecrandi, quæ potissima est, sufficiat ad hanc denominationem ei tribuendam ; non esset tamen perfectus sacerdos, neque posset sacramentum pœnitentiæ ministrare.

Gravis circa præsentem materiam difficultas moveri potest, propter modum ordinationis apud Græcos usitatum.Illic enim ordinantur presbyteri ab Episcopo manum ponente super ordinandum ac dicête; *Divina gratia quæ semper infirma curat, & quæ desunt supplet, promovet N. Venerabilê Diaconũ in presbyterum*, quemadmodum ex Græcis refert Arcudius l 6 cap. 2. conformiter S. Dionysio c. 5. Eccl.hierar.p.2.scribenti, quod *Sacerdos flexis ante Aram genibus capitis suo admotâ Pontificis manu dextram habet, utq; ita a Pontifice qui eum conficerat, sanctis precationibus consecratur.* Calicis autem & patenæ nulla fit apud eos porrectio, neque proferuntur verba illa, *Accipe potestatem*; & *Accipe Spiritum sanctum &c.* quæ supra diximus pertinere ad formam sacramenti. Et illum suum ritum etiam hodie servant Græci Romæ in sua Ecclesia.

Pro Resp. in primis asserimus doctrinam Compendij fidei Orthodoxæ, quâ sacro approbante Florentino Concilio Eugenius Pontifex dedit Armenis, esse veram & Catholicam, atque ut talem ab omnibus esse recipiendam & defendendam,sive illi Græci sint, sive Latini ; quia continet decretum fidei à legitimis Pontifice & Concilio generali emanatum. Unde quamvis Græci non omnia illa servent,debent tamen admittere quod Latini rectè faciant,quodque Concilium Flor. rectè determinavit ea quæ in illo compendio continentur.

Addimus deinde ritum Græcorum non posse à nobis reprobari ; quia sequeretur alioquin neque olim fuisse neque nunc esse apud Græcos verum sacerdotium, cum tamen Græci nunquam fuerint hac de re à Latinis accusati. Accedit, quod ecclesia Romana Græcos presbyteros ad concordiam & unitatem fidei conversos non iterum ordinat, nec aliquid tanquam omissum, censet supplendum : Signum ergo est ecclesiam sentire quod Græci recte ordinent.

At quomodo id fieri & cum ritu Latinorum conciliari possit, res sine dubio difficillima est,adeò ut mallem hic alium solidè respondentem audire, quam meam sententiam proferre.

Fortè dici posset materias & formas Græcorum idem valere quod Latinæ, licet obscurius, & solum implicitè, ita ut manus impositio quam Græci solam adhibent ; æquivaleat & impositioni manus quam faciunt Latini, & porrectioni Calicis & patenæ ; partim ex determinatione formæ ipsorum, quæ totam presbyteri potestatem complectitur cum una Latinorum forma unam tantum potestatem contineat, & alia aliam ; partim quia manus est generale instrumentum quod variorum instrumentorum particularium vicem supplere potest, juxta varias formas, ubi illa instrumenta non sunt expresè determinata, sicut non sunt apud Græcos.

Forma autem qua utuntur Græci est hæc : *Divina gratia quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat seu promovet N. venerabilem Diaconũ in presbyterum.* Ubi per divinam gratiam, gratia increata seu author gratiæ intelligitur. Et cum episcopus qui ordinat, dicit (*creat*) perinde est ac si diceret,promovet & constituit per me seu per meum ministerium, ut indicet se non esse causam principalem, sed tantum ministrum. Quæ forma cum illis, quibus utuntur Latini etsi non quoad verba, certè quoad sensum convenit ; Idem enim est dicere, creator Venerabilis N. presbyter, ac dicere consecratur ad obeundas omnes functiones quæ ad presbyterum spectant, non tantum scilicet ad offerendum sacrificium, sed etiam ad reconciliandos pœnitentes reliquaque sacramenta administranda, quorum ipsi sunt ministri.

Neque verò hinc sequitur quod Latini possint solis materijs & formis Græcorum ordinare presbyteros:quoniam ecclesia pro Latinis determinavit instrumenta & verba de quibus jam ante diximus; idque juxta facultatem de qua in Resp.ad 1.quæsiti 3.diximus, à Christo sibi relictam: pro Græcis autem non sic determinavit. Illustrari hæc posse videntur per ea quæ Innocentius 4.ad cap. *Presbyter* de sacram. non iter.scribit, docens quod tempore Apostolorum ordinator manus imponebat ordinandis, & quod orationem fundebat super eos; *Aliam autem formam non invenimus*, ait, *ab eis servatam.* Ubi per formam, ritum & modum quidam intelligunt,non verò formam substantialem quę in verbis consistit: quamvis & hanc intelligi sub oratione in verbis consistente,nihil vetet. Prosequitur Innocentius, *Credimus quod nisi essent formæ postea inventæ, sufficeret ordinatori dicere, sis sacerdos vel alia æquipollentia verba ; sed subsequentibus temporibus formas quæ servantur, Ecclesia ordinavit. Et sunt tantæ necessitatis dictæ formæ, quod si ijs non servatis aliquis fuerit ordinatus,supplendum est quod omissum est.* Quæ tamen Innocentij verba ut vera sint, sanè sunt intelligenda; ne cogamur dicere quod ecclesia essentiales materias aut formas sacramentorum mutaverit. Arcudius l. 6. c.7. interpretatur Innocentium velle quod cum olim Apostoli per eandem solam impositionem manuum impertirentur diaconatum, presbyteratum, imo & Episcopatum; *Postmodum Ecclesia Romana ad officia eorum melius exprimenda & determinanda, addidit instrumenta* (utique juxta Christi institutionem)*quibus accommodavit & formas.* Confer quæsiti 3 Resp.ad 1.

QUÆ-



A

## QUÆRITUR V.

### *Quæ sint officia presbyterorum.*

Quamvis generali, minus tamen propria significatione, omnes Christiani vocari possint sacerdotes,juxta sanctorum vocem Apoc. 5 *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes*; quatenus nimirum offerunt internas & spirituales hostias, ut 3. part.q.82.art.1.diximus ; agnoscendum tamen esse sacerdotium externum & propriè dictum, ita ut, simpliciter loquendo, non omnes sint sacerdotes, nec omnes partem habeant in Verbo, vel in sacramentis administrandis, potestatem ; fide certum est declaratâ in Concil.Trid. sess.7.can. 10 & sess.23. cap.4. conformiter alijs Concilijs, Nicæno primo, can.14.& Later.sub Innoc.3.cap.1.Quod & ex ordinatione sive Apostolorum sive successorum ipsorum ; atque etiam ex eo quòd sacerdotium legale non ad omnes promiscuè pertineret ; manifestum est.Confer quæ notavimus q.36. art.3.

Est ergo sacerdotium novæ legis quibusdam proprium, illis videlicet qui ad offerendum sacrificium legitimè consecrantur.

Horum officia sunt. Primum, sacrificare.

Secundum, sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Unctionis extremæ, atque (ut in sequentibus probabitur) matrimonij, administrare.

Tertium, docere sive prædicare.

Primum convenit omnibus sacerdotibus ex ordinaria potestate ipsorum.

Secundum,ad presbyteros animarum curam habentes pertinet,tanquam ordinarios illorum sacramentorum ministros; ad alios verò ex licentia vel commissione.

Tertium propriè pertinet ad Episcopum, juxta Sanctum Thomam tertia parte, quæstione 67. articulo primo, & Concil. Tridentinum sessione quinta, cap.reform.2. & sess.24. cap.4.secundariò autem ad parochos, quibus id muneris incumbit eo ipso quo in partem sollicitudinis vocati, curam animarum suscipiunt. Ad alios verò sacerdotes, extraordinariè pertinet, quatenus habent commissionem.

Cæterum, quod ministerium verbi non ad omnes sacerdotes pertineat, quodque sint aliqui veri presbyteri ( contra quam sectarij volunt ) agnoscendi, etiamsi munus docendi vel prædicandi non subeant, probat illud 1.ad Timoth.5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Hinc enim manifestum est Apostolum agnoscere aliquos presbyteros ; in verbo & doctrina non laborantes, quos tamen duplici honore dignos esse pronunciat, si vel sacrificando, vel sacramentum pœnitentiæ ministrando, sanctè laborent in ecclesia. Probari etiam potest ex eo quod sacramentum ordinationis maneat in hæreticis,apud Aug.lib.2.contra epistolam Parmeniani c. 13. Item, quod sacerdotum præcipuæ potestates sint ad sacrificandum & absolvendum : Rursum, quod omni tempore fuerint sacerdotes ordinati, sive in monasterijs, sive alibi, quibus nulla plebis cura committebatur.

## QUÆRITUR VI.

### *An idem valeant presbyter & sacerdos.*

Quantum ad significationes originarias non idem valent : usu tamen ecclesiastico vix unquam fuerunt aliter usurpata hæc vocabula, quàm ut idem valeant. Duplex autem est harum vocum usurpatio.

Una generalis, quâ tam sacerdotis quàm presbyteri nomine comprehenditur Episcopus, etiam ut talis. Nam Act. 15.seniores sive presbyteri qui cum Apostolis convenerunt ad Concilium Jerosolymitanum, fuerunt judices in causa religionis, utpotè qui dicant, *Visum est Spiritui sancto & nobis:* judicium autem illud non est nisi Episcoporum : ergo nomine *presbyterorum* intelligunter Episcopi.

Nec obstat quod hi omnes tunc fuerint Jerosolymis, cùm tamen una civitas nunquam habuerit plures Episcopos: nõ enim dicuntur fuisse presbyteri sive episcopi ecclesiæ Jerosolymitanæ, sed solùm dicuntur fuisse tunc Jerosolymis, causa negociorũ ecclesiæ; sicut etiam Apostoli tunc ibi erant; quamvis solus S. Jacobus esset civitatis illius episcopus.Similiter Act. 20. majores natu, sive *presbyteri* versu 17. appellati,vocantur episcopi versu 28. Ad eundem modum sumitur nomen *presbyteri*, 1. Petri 5. & initio 2.& 3. epistolarum Joannis.

Sacerdotis quoque nomen pro episcopo usurpari,patet ex Cypriano epistola 45. 52.68.

Altera horum vocabulorum acceptio est specialis, quâ significant eos qui in Ecclesiastica hierarchia proximi sunt ab episcopo, ut 1.ad Tim.5. *Qui bene præsunt presbyteri* & iterum, *Adversus presbyterum accusationem noli recipere*, &c. & similiter in canonibus Apostolorum 1.2.3.7.8 40. & alijs.

Dixi, *vix unquam aliter* &c. Interdum enim *sacerdotis* nomen sumitur tam generaliter, ut significet quemcumque in sacris constitutum, etiam subdiaconum, ut in capitulo *Aliter*,dist.31. *Istius* (Romanæ scilicet) *Ecclesiæ nullus sacerdotum a subdiacono usq; ad Episcopum ; licentiam habet conjugium sortiendi.* Conferri etiam potest canon Apostolorum 50. & Concil. Cabilon can. 3. & epistola 82. Sancti Leonis.

Cur autem in scripturis novi testamenti nomen presbyteri attribuatur sacerdotibus novæ legis, non autem nomen sacerdotis ; duplex est ratio.

Una, ut tunc quando adhuc vigebat usus sacrificiorum Mosaicorum, ministri novæ legis non communicarent in nomine cum ministris veteris legis, sed etiam distinguerentur quoad nomen ad innuendum per immutationem nominis, immutatum esse sacerdotium & sacrificium.

Altera, ut Ethnicis celaretur an & quale sacrificium haberent Christiani Cùm enim nusquam viderent à Christianis offerri oves & boves : si de sacerdotibus, aut sacerdotio aliquid audivissent; poterant suspicari eos offerre humana corpora:quemadmodum postea suspicati sunt, quod immolarent infantes. In scripturis tamen veteris testamenti hoc nomen attributum invenitur ministris novi testamenti: Isaiæ 61. *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini:* & 66. *Assumam ex eis sacerdotes:* & Hierem 33 *& levitæ & sacerdotes ministri mei:* Quin & Apostolus ad Hebr. 5. 7. 8. tacitè vocat illos sacerdotes

dum,

Universidad de Deusto
Biblioteca



dum Christum docet esse summum sacerdotem, quia summus non est sine inferioribus.

*Qui ordines sacri.*

### Articulus III.

Art. 3. docet ordines convenienter distingui per sacros & non sacros: quia licet omnes secundùm se sint sacri, non omnes tamen sacri sunt, ratione materiæ, circa quam, ex proprio officio, versantur: sed hac ratione, tantùm tres sunt sacri, qui & majores propterea vocantur: Sacerdos enim Eucharistiam consecrat; Diaconus dispensat; Subdiaconus vasa & lintea consecrata, quibus Eucharistia contineatur, contrectat. Hinc est quod B. Thom. q. 38. artic. 1. ad 3. dicat majores ordines habere im- B mediatam relationem ad corpus Christi verum.

Ex his consequens est eos ordines peculiariter dici sacros, qui proximè versantur circa materiam consecratam: quibus proinde & lex continentiæ annexa est, & onus recitandi horas canonicas.

### Articulus IV.

Art. 4. docet actus ordinum convenienter assignari in 4. distinct. 24. Quæ verò hic dicit conferenda sunt cum illis quæ ad artic. 2. attulimus.

Quod in resp. ad 9. ait Missam posse dici in do- C mo non consecrata; intelligendum est pro casibus necessitatis, & seclusa prohibitione Ecclesiastica: Nam quod regulariter id non liceat; ex canonibus docuit 3. p. q. 83. art. 3. ad 2.

### Articulus V.

Art. 5. probat sacerdotalem characterem imprimi in datione calicis cum vino, & patenæ cum pane sub forma verborum determinatâ; quia tunc datur aliquid ad proprium actum pertinens. Hac de re diximus art. 2. addentes non totam sacerdotalem potestatem tunc tribui, sed potiorem tantùm ejus partem. Quò facit quod hic ad 2. do- D cet B. Thom. Christum dedisse Apostolis sacerdotalem potestatem, quantum ad principalem actum, ante passionem, in cœna: quantum ad secundarium verò, post resurrectionem.

Nec obstat quod quæstione 38. articulo primo ad 1. neget characterem imprimi in impositione manuum: loquitur enim de illa impositione qua Episcopus præparat ordinandos ad ordinis susceptionem, quemadmodum hoc artic. 5. loquitur, & quæ etiam antecedit porrectionem calicis, estque duntaxat cæremonialis. unde addit sacerdotes imponere manus cum Episcopo: quod tamen non faciunt, quando dicit Episcopus; *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata &c.* sed solũ E in prima cæremonia. Quando autem artic. 2. diximus impositionem manuum Episcopi, esse presbyteratui essentialem; locuti sumus de illa impositione quæ subsequitur traditionem calicis, & cum qua junguntur ista verba, tanquam forma; *Accipe Spiritũ sanctum, quorum remiseris peccata &c.* quod est post communionem sub finem Missæ, quando datur potestas solvendi & ligandi. Quod porro addit B. Thomas, in ea manuum impositione de qua loquitur, conferri gratiam, imò plenitudinem gratiæ; difficultatem habet: quia gratia non confertur ex opere operato per sacramentum, nisi quando sacramentum est aut perficitur; tunc autem non est neque perficitur sacramentum, cum nihil fiat essentiale, fortè loquitur de gratia quæ confertur ex opere operantis sive Ecclesiæ, sive sacerdotum cum Episcopo; juxta orationes quæ in Pontificali statim habentur, *Oremus fratres charissimi*, &, *Exaudi nos quæsumus Domine.* Manet ergo verum id quod supra fuit dictum agnoscendos esse in sacerdote duos characteres, sicut duas potestates: præsertim cùm in doctrina S. Thomę character sit potestas spiritualis: Unde quamvis in 4. ambiguè loquatur, aliter tamen locuturum fuisse existimamus, si perfecisset summam Theologicam: quod etiam Arcudius existimavit l. 6. cap. 7.

## Quæstio XXXVIII.

## *De conferentibus hoc sacramentum.*

### Articulus I.

*Utrum solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre.*

Videtur quod non. Primò, quia quæ pendent à potestate ordinis non possunt alijs committi: sed alijs ab Episcopo committitur conferre ordines, saltem minores, ut patet ex Conc. Trid. sess. 23. c. 10. ergo collatio ipsorum non pendet à potestate ordinis Episcopalis.

Secundò, Cùm ordines minores probabiliter sint sacramenta; nulla videtur ratio cur eorum collatio possit committi presbytero, & non etiam collatio majorum.

Tertiò, Synodus Antiochena can. 10. permittit chorepiscopis ordinare lectores, exorcistas, & subdiaconos. Quod autem chorepiscopi non essent veri Episcopi, docet Damasus epistola 4. Eodem pertinet quod Abbatibus Cisterciensibus datum dicitur privilegium anno 1489. ab Innoc. 8. ut suis religiosis conferant subdiaconatum & diaconatum; quod privilegium, Vasquez tom. 3. in 3. p. disp. 243. cap. 4. non solum asserit se vidisse, sed etiam refert ejus tenorem.

Quartò, Concil. Florent. dicit ordinarium sacramenti Ordinis ministrum esse Episcopum: ergo significare voluit aliquos alios posse esse ministros extraordinarios.

Quintò, Nicephorus libro 8. historiæ capite decimo nono, & vigesimoquartò, refert ordinatos à Meletio, ejusque sectatoribus, fuisse validè ordinatos; qui tamen Meletius potestatem Episcopalem non habebat, sed (ut ibidem dicitur) sibi vendicabat, & libro undecimo, capite vigesimo, refert Amphilochium ab Angelis ordinatum, ejusque ordinationem ab alijs Episcopis comprobatam.

Sextò, Qui potest majus, potest minus: presbyter potest Eucharistiam consecrare, quod majus est: ergo & ordines conferre.

Septimò, Aaron fuit ordinatus sacerdos à Moyse, qui tamen non videtur fuisse sacerdos, cùm sacerdotium pertineret ad solum Aaronem ejusque filios.

Objiciuntur etiam, Author quæstionum veteris & novi testamenti, apud August. qui q. 101. dicit in Alexandria, si desit Episcopus, presbyterũ consecrare; & Hieron. epistola 13. quæ est de septem gradibus Ecclesiæ, tomo 9. ubi significare videtur quod



quod potestas ordinandi solum ex constitutione A Ecclesiæ negetur presbyteris: Sed nec liber ille est August. nec ista epistola, Hieronymi; quamquam ad priorem responderi possit ipsum intelligere consecrationem quæ fit in Confirmatione. Nam apud Ambrosium idem ille author in caput quartum ad Eph. pro consecrare, dixit *consignare*.

*Solus Episcopus est ordinarius minister sacram. ord.*

Responsio authoris hic & opusc. 5. certa est, solum Episcopum tanquam ministrum ordinarium sive ex proprio officio, posse conferre sacramentum ordinis. Ita enim Synod. Florent. declaravit, & post eam Trid. sess. 23. capite quarto, & canone 7. B

Confirmari potest ex perpetuo Ecclesiæ usu; qui certissimum est Apostolicæ traditionis indicium, & ex scripturis Act. 6. & 14. 1. ad Tim. 4. 2. ad Tim. 1. & ad Tit. 1. ubi soli Apostoli, & qui ab Apostolis erant consecrati Episcopi, leguntur Ecclesiasticos ordines contulisse. Sed & canones Apostolici, & Dionysius eccl. hier. c. 5. & Hier. epistola 85. ordinationem soli Episcopo attribuunt.

Suffragatur & ratio. Una, quia solus Episcopus est Christianæ Reipublicæ præfectus & hierarcha, sive sacrorum princeps: Ad solum verò principem & præfectum pertinet officia & ministeria distribuere.

Altera, potestas ordinandi non est potestas jurisdictionis, sed ordinis; quam Episcopi accipiunt in sua consecratione: ergo nullus eam habet, nisi C sit Episcopus. Fatendum est quidem requiri jurisdictionem, ut Episcopus licitè aliquem ordinet: ut autem validè, non item. Unde si non sibi subditum ordinaret, ordinatio teneret: quamvis ipse graviter peccaret, & à collatione ordinum per annum esset suspensus; sicut ita ordinatus esset à susceptorum ordinum executione, quamdiu à proprio Ordinario videretur, etiam suspensus, Conc. Trid. sess. 23. cap. 8. Licet autem videri posset eam suspensionem solum incurri ob collationem ordinum Majorum; ex cap. tamen *Eos qui*, & *Nullus* de tempor. ordin. in sexto, clarum est etiam incurri ob collationem Tonsuræ & Minorum ordinum: D si videlicet Episcopus scienter vel ex affectata ignorantia conferat: Alioquin excusatur, si bona fide, ignoranter aut inadvertenter conferat alieno ordines, etiam majores.

Si quæras, quis sit Episcopus proprius ordinandorum.

*Quis sit Episcopus proprius.*

Resp. esse illum in cujus diœcesi is qui est ordinandus, natus, est vel domicilium fixum, vel verum beneficium habet. Vide Barbosam ad cap. 8. sess. 23. Conc. Trid. Layman. cap. 9. de ord. & alios.

Dixi in Resp. Articuli. *ex proprio officio*; quia juxta sanctum Thomam hic ad 3. & qu. 72. art. 11. ad 1. in 3. parte, simplex sacerdos potest ex commissione Pontificis conferre minores ordines, per talem commissionem accipiendo quandam participationem potestatis Episcopalis: cujus capax est per E ordinem presbyterij: non sacerdos autem, quia talis participationis capax non est; non potest, ne quidem ex commissione, validè ordinare; uti nec sacerdos, absque tali commissione.

*Quæst.* Utrùm verò Pontifex possit etiam sacerdoti non Episcopo committere collationem majorum ordinum, ambigitur. Beatus Thomas hic ad 3. negat, quia illi ordines habent immediatam relationem ad corpus Christi verum: quod cùm de presbyterio maximè verum sit; cumque ejus potestas maximè sit supernaturalis & divina; nec usus aut praxis Ecclesiæ unquam fuerit ut simplex sacerdos

*Resp.*



sacerdotium conferret, etiam ex dispensatione Apostolica; etsi quidam recentiores aliter sentiant; omnino existimandum est hunc ordinẽ non posse etiam per commissionem summi Pontificis, ab alio quàm ab Episcopo conferri. Subdiaconatum verò posse, indicare videtur Gelasius epistola 1. c. 8. monens presbyteros ut meminerint sibi nulla ratione concedi, sine summo Pontifice Subdiaconum aut Acolytum jus habere faciendi.

De diaconatu dicemus in Responsione ad 3. Et vide Navarrum lib. 5. consiliorum, consilio 14. ad tit. de privilegijs.

Ad 1. Argumentum, Respondetur id quod assumitur, esse verum ut in pluribus, in illis præsertim quæ ad Eucharistiam proximè referuntur; In inferioribus autem, quidam actus sic à suo ordine pendent, ut non possint ex officio fieri per alium, possint tamen ex commissione; quemadmodum ex quæstionis superioris articulo quarto ad 9. patet.

Ad 2. Jam ante ratio diversitatis est assignata.

Ad 3. Quod statuta istius Synodi Antiochenæ quæ habita est tempore Julij primi, nullius sunt authoritatis, utpotè ab Arianis edita; bene docet Baronius tomo 3. ad annum Domini 341.

Sed præterea observandum est Duplicis generis chorepiscopos olim fuisse.

*Chorepiscoporum duo genera.*

Prius, fuit eorum qui non aliud erant quàm presbyteri, habebant tamen aliquam commissionem ab Episcopo super reliquos presbyteros; qualem nunc habent De ani Christianitatis: & hi ordinationes sacras facere non poterant; de quibus loquitur Damasus epistola 4. & Leo epistola 88.

Aliud genus chorepiscoporum erat eorum qui erant veri Episcopi, poterantque sacros ordines validè conferre, sed vel erant sine certâ diœcesi, ad conversionem infidelium ordinati, ut sanctus Amandus, antequam esset Episcopus Tungrensis, sanctus Foillanus, sanctus Humbertus: vel ut certam diœcesim habuerint, non poterant tamen in ea residere; vel erant vicarij aliorum Episcoporum; de quibus loquitur Baronius ad annum 357. & Concilium Meldense c. 44. & dictum Antiochenum can. 10. Hinc est quod in fine Concilij secundi Matisconensis recensentur Episcopi qui nullas sedes habebant.

De privilegio Abbatibus Cisterciensibus ad ordinandum diaconos dato; cùm nec in Gallia, (ubi tamen Concilium Tridentinum non receperunt) nec alibi eo usos fuisse nobis constet; non immeritò, cùm alijs ambiginus an illud quod Vasquez refert se vidisse, emanaverit à Pontifice, Verius nobis videtur potestatem talis ordinationis non posse concedi presbyteris; partim ob proximitatem ad Eucharistiam; partim ob traditionem, secundùm quam nullus invenitur ordinatus diaconus à presbytero. Si tamen constaret de privilegio interdum Abbatibus concesso; concederemus Pontificem posse illud concedere.

Ad 4. Patet ex dictis sacerdotem posse esse ministrum extraordinarium quorundam ordinum, scilicet minorum.

Ad 5. Constat ex Nicephoro quod Meletius revera fuerit Episcopus, sed illegitimè ordinatus. Et hac ratione dicitur potestatem Episcopalem sibi vendicasse. Quod refert de Amphilochio, non est doctrinæ allatæ contrarium; quia non negamus quin Deus extraordinario modo possit per se vel per Angelos facere aliquem Episcopum aut sacerdotem.

Universidad de Deusto
Biblioteca



AD 6. Qui potest majus potest minus ejusdem A generis, subordinatum, & naturale. Sed in rebus diversi generis, non subordinatis, & à beneplacito concedentis dependentibus; non qui potest majus, potest minus: Tale autem est, posse Eucharistiam consecrare, & ordines conferre.

AD 7. Respondetur, sacerdotium quidem legale pertinuisse ad Aaronem ejusque filios, sed nihilominus Moysen fuisse verum sacerdotem, ut ex Psalmo 98. *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus*, probat Sanctus Leo epistola 88. Vide quæ superius diximus q. 36. art. 4. ad 3.

ARTICULUS II.

*Episcopi hæretici validè ordinant.*

B ART. 2. probat hæreticos & alios ab Ecclesia præcisos conferre veros ordines, si materia & forma servatis, ordinent cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quia ordinatio est actus pertinens ad potestatem ordinis: quæ potestas semel accepta, nunquam potest amitti. Sicut ergo sacerdos quibuscumque censuris sit irretitus, verò consecrat Eucharistiam: ita Episcopus verè ordinat.

Hinc perpetuus Ecclesiæ usus habet non reordinari eos qui fuerint ab hæreticis ordinati; nisi fortè contra Ecclesiæ formam, & non servatis essentialibus fuissent ordinati: ut ex canone 8. Nicæni Concilij, & ex Augustino lib. 2. contra Epistolam Parmeniani capite 13. & aliundè patet.

C Quia tamen illi qui à præcisis ordinantur, *non recipiunt executionem ordinis ut licitè possint in suis ordinibus ministrare*, quemadmodum hic ad 3. notat Beatus Thomas: hinc est quod eorum ordinatio aliquando dicatur esse irrita; non quia sit invalida, sed quia, non licèt sic ordinato, uti suo ordine. Quandoque etiam dicuntur nihil recipere; ut apud Innocentium primum epistolæ 22. capite 3. quia nec ordinis honorem sive administrationem recipiunt, nec (si scienter à talibus ordinentur, atque ita communicent peccatis eorum) gratiam justificantem. Conferantur quæ diximus in tertiam partem qu. 64. art. 5 & 9.

D De Responsione ad secundum vide quæ dicuntur qu. 39. art. 5.

## QUÆSTIO XXIX.

## *De impedimentis hujus Sacramenti.*

ARTICULUS I.

*Sexus fœmineus est impedimentum ord.*

ART. 1. docet sexum fœmineum impedire susceptionem ordinis: non tantum præcepti, sed etiam Sacramenti ratione: ita scilicet ut si mulieri exhibeantur omnia quæ in ordinibus fiunt, ordinem tamen non suscipiat; quia status mulieris repugnat significationi Sacramenti; per Sacramentum enim ordinis significatur & confertur aliqua eminentia gradus & præfecturæ Ecclesiasticæ: hæc autem non habet locum in muliere, cùm ea sit per divinam ordinationem collocata in gradu subjectionis, Genesis 3. primæ ad Corinth. 11. & 14. primæ item ad Timoth. 2.

E CONFIRMATUR, Christus sacerdotes instituens in ultima cœna, eisdemque post resurrectionem tribuens potestatem absolvendi, ne unam quidem mulierem interesse voluit, ut ostenderet eas ejusmodi functiones non esse idoneas.

Deinde, ut ratiocinatur Epiphanius hæresi 79. nusquam mulier sacrificavit, aut sacerdotio functa est; cùm tamen, si mulieribus potestas illa erat concedenda, oportebat magis ipsam Mariam sacrificium perficere. Circa finem corporis.

QUÆRI POTEST,

*Quæ fuerint olim* DIACONISSÆ, PRESBYTERÆ, EPISCOPÆ.

UNo modo, DIACONISSA vocabatur ea B mulier cujus maritus assumptus erat ad diaconatum, susceptâ per mutuum consensum continentiâ.

PRESBYTERA, cujus maritus sic esset factus presbyter.

EPISCOPA, cujus maritus factus esset Episcopus. Ita sumuntur hæc nomina in Concilio Turonensi 2. canone 14. & 20. In Concilio Antisiodorensi canone 21. Et apud sanctum Gregorium lib. 4. Dialogorum cap. 11.

ALIAS presbyteræ vocabantur propter ætatem, viduæ scilicet seniores, ut hic ait S. Thomas, conformiter Concilio Laodicensi, capitulo *Mulieres*, C distinctione 32.

Diaconissæ verò, quæ ministerium in Ecclesia præstabant affine functionibus alicujus ordinis. Earum enim officium.

*Officia diaconissarum.*

PRIMUM, erat custodire januas quibus in Ecclesiam intrabant mulieres, apud Ignatium in epistola ad Antiochenses, & Clementem libro octavo constitutionum cap. 28. aliàs 34.

SECUNDUM, comitari eas mulieres quæ ad diaconum vel Episcopum ibant: Nam quod sine diaconissa nulli mulieri licebat accedere ad eos, traditur earundem constitutionum libro 2. cap. 26. al. 30.

TERTIUM, mitti ad christianas mulieres consolandi vel sublevandi gratiâ, ejusdem operis lib. 3. cap. 15. D

QUARTUM, subservire presbytero vel Episcopo baptizanti mulieres, libro octavo capite 28. al. 34.

QUINTUM, habere curam pauperum viduarum; ut de Phœbe ministrâ sive diaconissa patet ad Romanos 16.

Ex his patet nomina prædicta fuisse nomina dumtaxat officij, non autem alicujus ordinis: Neque enim ordinabantur, sed benedictione quadam ad ministeria deputabantur; quam benedictionem veteres interdum vocant ordinationem, sed impropriè. Quod non ordinarentur, habemus Concilij Nicæni canone 19 Laodiceni canon. 11. Epaonensis can. 21. Aurelianensis secundi, can. 17.

De responsione ad 3. diximus quæstione 19. art. 3. & 4.

Quid de hermaphrodito sit dicendum, si præmineat in eo sexus virilis, quod scilicet neque tunc ordinari debeat, quamvis si ordinaretur, ordinatio teneret; videri potest Navarrus, cap. 27. numer. 203.

ARTI-



ARTICULUS II.

*De pueris non ordinandis.*

ART. 2. probat pueros & alios usu rationis carentes, non posse suscipere ordines: quia per pueritiam & eos defectus quibus tollitur usus rationis, præstatur impedimentum actui ordinum. Quia tamen potestates infusæ (quemadmodum & naturales) sunt priores suis actibus; remoto autem posteriori, non tollitur prius: ideo ordines sive minores sive majores (cum in illis, actus recipientis non sit de necessitate Sacramenti, sed detur aliqua potestas spiritualis) possunt pueri validè suscipere; quamvis ordinanti non liceat eos talibus conferre; minores quidem, propter honestatem, B & dignitatem Sacramenti; majores verò, etiá propter votum continentiæ. Vide quæstionis 53. articulum 3. Huc pertinet cap. unicum *De clerico per saltem ordinato*, ubi qui infra annos discretionis acceperat ordines minores, imò & subdiaconatum; non jubetur iterum ordinari.

Cum dicit in minoribus ordinibus requiri tempus discretionis de honestate, & non de præcepti necessitate; loquitur de præcepto positivo generali; quale nullum tunc extabat: nunc verò sufficienter continetur in Concilij Trid. sess. 23. ca. 4. 5. 11. de Reformatione, quatenus ibi statuitur ut prima tonsura non detur nisi his qui fidei rudimenta fuerint edocti; nec minores Ordines, nisi ijs qui bonum habuerint à magistro scholæ testimonium, & saltem latinam linguam intelligant. Ex his namque satis innotescit mentem patrum istius concilij fuisse, ut minores Ordines solum conferantur eis qui ætatis discretionem habuerint.

Ad majores autem Ordines, jam olim determinata ætas fuit requisita; ut ex canonibus distinct. 77. & 78. relatis patet: novissimè verò per Synodum Tridentinam statutum est, sess. 23. c. 12. *Ut nullus in posterum ad subdiaconatûs ordinem promoveatur ante vigesimum secundum ætatis suæ annum; ad diaconatûs, ante vigesimum tertium; ad presbyteratûs, ante vigesimum quintum:* quæ omnia de anno inchoato D sunt intelligenda: anni autem illi non à die conceptionis computandi sunt, sed à die nativitatis. Et qui ante dictam ætatem ordinantur sine dispensatione Pontificis; sunt ab ordinum suorum executione suspensi, per quandam constitutionem Pij 2. *Cum ex sacrorum:* ubi addit quod si hujusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.

Observandum tamen illam suspensionem non incurri ab eo qui sine culpa mortali ordinatur, probabiliter ac bona fide existimans se habere legitimam ætatem, etiamsi fallatur. Ita Barbosa super dict. ca. 12. post Navar. Henriquez, Sanchez, & alios.

Sub finem corporis, addit B. Thomas usum ra- E tionis esse de necessitate consecrationis Episcopalis: eò quod in eâ requiratur actus suscipiendi curam Pastoralem: & ideo si puer consecraretur Episcopus, consecratio non teneret.

ARTICULUS III.

*Servitus est impedim. ord.*

ART. 3. docet servitutem impedire aliquem à susceptione ordinis: non quidem Sacramenti, sed præcepti necessitate: quia non decet eum divino cultui dedicari, qui non est sui juris, sed alterius. Non posset enim ordinem susceptum exercere, nisi Domino consentiente; qui & servum & omnes ejus actiones habet in sua potestate: hoc autem dignitati ordinationis non convenit. Sunt hæc de re Canones, distinct. 54. & tit. *De servis non ordinandis*: sermo autem est non de famulis, sed de mancipijs. Quod si Dominus permittat servum ordinari; eo ipso libertate donatur, & fit ingenuus.

ARTICULUS IV.

*Homicidium impedit ordines.*

ART. 4. docet aliquos arceri ab ordinibus propter homicidium: idemque judicium est de mutilatione: propterea quod effusio sanguinis non decet ministros Sacramenti Eucharistiæ, ad B quod omnes ordines referuntur, debent enim conformari Christo qui est author pacis; occidentes autem potiùs conformantur occisoribus Christi, quam Christo occiso.

Circa responsionem ad 3. Duo sunt observanda. PRIMUM, quod occidens merè casualiter, adhibitâ scilicet sufficienti diligentiâ, non incurrat irregularitatem, nisi daret operam rei illicitæ, quæ erat quædam via ad homicidium perpetrandum: ut limitat Navarrus cap. 15. numero 7. & cap. 27. num. 237. & Dominicus Bannes ad quæst. 64. art. 8. in 2. 2.

SECUNDUM, quod occidens vel mutilans invasorem in necessariam suæ personæ defensionem, C non valens aliòquin evitare mortem, etsi fortè olim esset irregularis, secundùm ea quæ habet B. Thomas 2. 2. qu. 64. art. 7. ad 3. Hodie tamen, post Clementinam, *Si furiosus*, tit. de homicidio, nullam incurrit irregularitatem, etiamsi sit clericus. Cur non obstet Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de reform. diximus 3. p. q. 89. art. 3.

De occidente verò in necessariam defensionem patriæ, patentum, aut bonorum: quandoquidem nulla extet exceptio, & irregularitas incurratur etiam sine culpâ (ut patet in judice & justo milite:) dicendum putamus quod sit irregularis.

ARTICULUS V.

*Illegitimè nati arcentur ab ordinibus.*

ART. 5. docet illegitimè natos, præcepti necessitate impediri à susceptione ordinum: quia cum ordinati constituantur in aliquâ dignitate præ alijs: quædam claritas in eis requiritur; hæc autem per vitiosam originem multum obscuratur. Adde quod hoc modo Ecclesia declarat se detestari crimen paternum, cujus non raro imitatores sunt filij. Extant hujus rei decreta, capitulo, *Sigens* dist. 56. capitulo, *Ut filij*; tit. de filijs presbyterorum; & lib. 4. Decretalium, tit. 17. Quibus autem modis contingat tales filios illegitimos legitimari, ex dicendis art. 3. q. 68. patebit.

ARTICULUS VI.

ART. 6. probat aliquos meritò per Ecclesiam arceri ab ordinibus propter defectum membrorum, si is vel hominem valdè dehonestet, vel impedimentum adferat executioni ordinum.

Eunuchos autem ita natos, vel sine sua culpâ castratos, & claudos quibus in altari non est opus fulcro, eos etiam qui carent visu oculi dextri, sed absque deformitate, non esse censendos irregulares: rectè docet Navarrus cap. 27. num. 198. & 199. qui de varijs irregularitatum casibus consulatur, ut & alij summistæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆSTIO XL.

*De his quæ sunt annexa sacramento Ordinis.*

### ARTICULUS I.

*Utrum ordinati debeant deferre tonsuram.*

VIDETUR quod non, PRIMÒ, quia Levitici 19. dicitur, *Neque in rotundum attondebitis comam.*

SECUNDÒ, Dominus Hieremiæ 9. dicit se visitaturum super omnes qui attonsi sunt in comam.

TERTIÒ, sacerdotibus, Levitici 21. & Ezechielis 44. præcipitur ut caput non radant. Unde Hieronymus super Ezechielem; *Discimus*, inquit, *nec calvitium novacula esse faciendum; nec ita ad præsu tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos ut opertà sit cutis.* & Clemens Alexandrinus lib. 3. Pedagogij cap. 11. pili tondendi sunt, non novacula, est enim illiberale, sed tonsorum forficibus.

Priusquam Respondeatur, tria sunt observanda. PRIMUM, coronam & tonsuram sive rasuram non esse idem: nam si omnes capilli radantur vel tondeantur, tonsura erit, non corona. Coronam enim efficiunt capilli qui circumquaque relinquuntur, reliquis detonsis: ut videre est apud Bedam lib. 5. historiæ Anglicanæ cap. 22. & apud Gratian. 12. q. 1. cap. *Duo sunt.*

SECUNDUM est, quod ritus habendi coronam per detonsionem capillorum, veniat ex traditione Apostolica. Id enim affirmant Isidorus lib. 2. de officijs cap. 4. Rabanus Maurus lib. 1. de institutione clericorum cap. 3. Ceolfridus Abbas apud Bedam dicto cap. 22. Et confirmari potest ex eo quod Dionysius Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 6. p. 2. & 3. tonsionis monachorum meminerit: Aniceto autem in epistola ad Episcopos Galliæ, tonsionis clericorum in modum sphæræ: Hieronymus epistola 26. inter epistolas Augustini, coronam exprimit; Concilium Triburiense cap. 20. rasuram. Fuit quidem in ritu quædam varietas: nam Concilium Toletanum 4. cap. 40. Jubet ut omnes clerici detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant; eò quod hæreticis in Galiciâ tunc mortis esset prolixas comas gerere, & in capitis apice modicum aliquid tondere. In Gallia verò & in alijs provincijs, clerici desuper caput in modum sphæræ radebant; ut ex Aniceto patet; relictis alijs capillis. Quod usque hodie servatur. Sed hæc varietas pro locorum, temporum, & populorum varietate, est necessaria; & non officit antiquitati tonsuræ.

TERTIUM, est quod variæ sint coronæ rationes, sicut & tonsuræ.

*Rationes tonsuræ clericalis.*

PRIMA, quæ apud Bedam reperitur, est in memoriam spineæ coronæ Domini Salvatoris.

SECUNDA est, ut clerici præ cæteris meminerint Christus spinis coronatum exprimere & imitari.

TERTIA, ut significetur spirituale regnum; quod peculiari quadam ratione proprium est clericis, qui & se & alios regere debent in virtutibus, & Deo (cui servire regnare est, ministrare.

QUARTA, ut significetur vitæ perfectioris profes-

A sio, per figurâ circularem, quæ est perfectissima.

QUINTA; ut quemadmodum clerici discreti debent esse à laicis in conversatione; ita sint in capillitio & habitu distincti.

SEXTA, quia tonsio capillorum est signum pœnitentiæ, unde olim publici pœnitentes tondebantur. In Concil. Toletano 3. canone 12. Confert cap. 7. Hieremiæ.

SEPTIMA est, ut per denudationem capitis, significetur non amplius expectari Christum, sed jam venisse; & per eum revelata esse mysteria: nam & velamen & coma capitis in veteri testamento significabat mysteriorum occultationem.

OCTAVA, ut significentur abijciendæ tam clericis quam monachis, vitiosæ cupiditates & rerum temporalium sollicitudines.

B Ex his patet, ad quæstionem esse RESPONDENDUM quod clerici debeant tonsuram deferre. Id enim requirit lex Ecclesiastica perpetuo usu roborata. Clerici tamen primæ Tonsuræ, vel in minoribus Ordinibus constituti sine beneficio, non videntur ex præcepto obligari ad eam deferendam; sed soli clerici majorem ordinum, & alij beneficiati; capitulo *Joannes*, de clericis conjugatis: capitulo *Clerici*, & capitulo, *Si quis*, distinctione 23. vide Ricardum in 4 distinctione 24. Silvestrum verbo *clericus* 2. quamvis nec isti facilè judicandi sint peccare mortaliter ex eò quod tonsuram non gestent; nisi vel notabili admodum tempore id faciant, vel post ferias ab Ordinario admonitiones. Videri potest Bulla Sixti 5. de habitu & tonsura clericorum, quam refert & explicat Vivaldus.

*Resp. est affirm.*

Quod verò attinet ad privilegium clericale; sciendum est quod tonsurati vel in minoribus Ordinibus constituti non gaudeant privilegio fori, nisi aut beneficium Ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi, inserviant: vel in Seminario clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate, de licentia Episcopi quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versentur. Ita enim Statuit Synodus Tridentina sess. 23. cap. 6.

*Qui gaudeat privilegio fori.*

Canonis autem privilegio gaudent, si neque sint conjugati, neque ad sæcularem vitam redierint; quamvis non deferant tonsuram & habitum, nec serviant Ecclesiæ, modò non fuerint ter moniti. Navarrus cap. 27. num. 80.

C Clerici verò conjugati, si cum unicis & virginibus contraxerint, vestesque ac tonsuram deferant clericales, tunc demum privilegio fori & Canonis gaudent, si alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant vel ministrent, sic enim Bonifacij constitutionem restrinxit Concil. Tridentinum dicto capite sexto.

AD PRIMUM ARGUMENT. Respondetur non fuisse simpliciter prohibitum Judæis radi vel tonderi: Nam Hieremiæ 7. & Ezechielis 5. Dominus prophetis illis præcipit ut tondeant sive radant capillos: & Ezechielis 44. dicitur, *tondentes attondebant capita sua.* De Nazaræis quoque quod expleto suo tempore raderentur, ex Numerorum 6. Act. 18. & 21. patet.

Censendum est igitur sacerdotibus Judæorum prohiberi ne tonderentur, vel raderentur eo modo quo gentiles gentiliumve sacerdotis id faciebant in honorem idolorum: consueverant enim puerorum capillos promissos tundere, & dæmonibus offerre, ut notant Isychius & Theodoretus in Leviticum.



ticum. *Solebant* etiam *capita & supercilia sua radere,* A *si quando Isidis suscipiebant sacra,* ait Ambrosius lib. 6. epistola prima, cui consentit Hieronymus in ca. 44. Ezechielis. Et quia tales Idololatræ supererant tempore istorum patrum: ideo sacerdotes & monachi christiani non tunc *radebantur*; sed ita, *tondebantur*, ut cutis tecta remaneret, quo scilicet essent dissimiles sacerdotibus idolorum. Qui cùm desierunt inter christianos degere; apud hos rasura invaluit, & quidem sine culpâ & offendiculo. Anicetus cùm apud Gallos nullum esset periculum offendiculi, meminit rasuræ in epistola priùs citata.

Ex his patet RESPONSIO AD 3. B

AD 2. verò, RESPONDETUR quod tondere in comam, sit comam relictam ornare per tonsionem aliorum capillorum sacerdotes autem & religiosi non sic attondentur vel raduntur, ut coma vel pars comæ relinquatur; sed comam abscindunt, coronam tamen capillorum relinquentes.

Circa responsionem ad secundum, observa id quod Isidorus & alij quidam dicunt, usum tonsuræ à Nazaræis exortum, non esse accipiendum quantùm ad veram originem tonsuræ clericorum; sed quantùm ad typum & similitudinem.

### ARTICULUS II.

*Corona non est ordo.*

ART. 2. probat coronam non esse ordinem; C quia per eam nulla spiritualis potestas consertur clerico, sed solùm ipse deputatur ad vacandum divino cultui præ cæteris. Sicut ergo ad baptismum, exorcismis; ad matrimonium, sponsalibus; ad religionis professionem, novitiatu homines præparari solent: sic clerici per tonsuram disponuntur ad ordines. Quia tamen signum istud omnibus illis est commune; ideo omnes nuncupantur clerici, ait Bona, & Canones dati clericis pertinent ad omnes, etiam presbyteros, & Episcopos.

Vocantur autem clerici à κλῆρος quod est sors: partim quia sunt peculiariter de sorte Domini; partim quia Dominus est eorum sors, pars, & hæreditas. Vide Hieronymum Epistolæ 2. capit. 5.

*Ob.* Si dicas innocentium 3. capitulo *Cum contingat,* D tit. de ætate & qualitate ordinandorum, nominare clericalem ordinem.

*Resp.* Respondetur, eum generaliter usurpasse *ordinem*, pro gradu Ecclesiastico: nam & communis Theologorum sententia, & caput. 2. doctrinale. & c. 4. 5. 6. 10. de reformatione sess. 23. Concilij Tridentini, tonsuram ab ordinibus; tam minoribus quam majoribus, secernit.

In Responsione ad primum, observa spirituale quod per coronam significatur, non tamen per illam efficitur; esse elevationem mentis ad superna, & superfluorum (non autem omnium temporalium) abjectionem, ac vitæ perfectioris professio- E nem.

### ARTICULUS III.

*Utrum per acceptionem coronæ aliquis renuntiet temporalibus bonis.*

VIDETUR quod sic, PRIMÒ, quia in susceptione coronæ tondentur capilli, ad significandam abjectionem omnium temporalium: Dicitur etiam, *Dominus pars hæreditatis meæ*, ut solus ipse agnoscatur tanquam pars hæreditaria: Et additur, *tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*, quod



importat dimissionem hæreditatis: quia non restituitur nisi quod fuerat dimissum.

SECUNDÒ, quia Hieronymus dicit Epistolâ secundâ, Qui Dominum possidet, & cum propheta dicit, *Pars mea Dominus*, nihil extra Dominum habere potest, quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus.

TERTIÒ, sacerdotibus & Levitis dictum est, Numerorum 18. *In terrâ eorum nihil possidebitis*: ergo sacerdotes etiam novæ legis nihil possunt possidere. Quibus proinde dicitur Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum* &c.

DENIQUE, *Non est Discipulus supra magistrum*: Lucæ 6. sed magister Christus nihil possedit, neque enim habebat ubi vel caput reclinaret: ergo.

RESPONSIO Beati Thomæ certa est, clericos, ex hoc quod coronam accipiunt, non renuntiare bonis temporalibus, atque adeò adhuc esse capaces Dominij.

*Clerici non renunciât bonis temporalibus.*

Probatur PRIMÒ, quia per clericatum non abdicant à se patrimonium aut alia bona.

SECUNDÒ, quia non esset alioquin differentia clericorum, saltem eorum qui majores ordines suscipiunt à Religiosis.

TERTIÒ, Hieremias qui erat sacerdos, refertur cap. 32. possedisse agrum.

QUARTÒ, patet ex primæ ad Timotheum 3. quosdam ministrorum Ecclesiæ habuisse liberos ex matrimonio ante ordinationem genitos. Cùm ergo parentes debeant thesaurizare filijs (2. ad Corinth. 12.) consequens est quod tales ministri poterant aliqua possidere, per quæ providerent suis filijs.

QUINTÒ, omnes possessiones abdicare est consilium Evangelicum; Matth. 19. unde Augustinus Epistola 89. docet neminem ex præcepto obligari ad relinquendum suas possessiones; nisi fortè alicui diceretur, Aut Christianus non eris, aut possessiones non habebis.

SEXTÒ; Dogma Joannis Wiclef dicentis non licere clericis aliquid proprium possidere; damnatum est in Concilio Constantiensi, sess. 8. articulo 10. & 36.

DENIQUE, Synodus Tridentina sess. 21. cap. 2. reformationis; vetat clericos non beneficiatos ordinari; nisi habeant patrimonium aut pensionem.

AD 1. ARGUMENTUM, Respondetur, tonsione capillorum significari abjectionem, non bonorum temporalium, sed sæcularium curarum, & rerum superfluarum. Unde qui hoc magis præstare debent; magis etiam tondentur: ut Presbyteri, Episcopi, monachi.

Cùm à clericis dicitur, *Dominus pars hæreditatis meæ*, non tunc omnibus possessionibus renuntiant (nam & David qui Psalmum illum composuit, possessiones retinuit,) sed significant se habere Dominum Deum pro re & portione sua præstantissima, quam præcipuè ament, & in qua spem collocent. Talem partem si clericus habet præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: quia nemo potest duobus Dominis servire. Hoc sensu loquitur & Hieronymus, agens contra illos clericos, qui divitijs congregandis sic erant addicti, ut viderentur partem habere non Deum, sed mammona. Confer in 2. 2. q. 185. art. 6. ad 3.

Cùm clericus etiam dicit Deo, *tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*; non ostendit se dimisisse omne jus seu dominium rerum ad se antea perti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



nentium; sed indicat se affectum ad eas deposuisse A propter Deum; ut ait Bonavent.

Ex his patet Responsio ad Secundùm.

Ad Tertium, Respondetur Levitas non accepisse possessiones in communi terræ divisione, quæ facta est in duodecim partes; eò quod Dominus erat eorum pars, i. pro parte sua habebant oblationes, Decimas, & sacrificia Deo oblata: ut habetur Jos. 13. sed nihilominus aliqua possederunt; ut *agros* 3. Regum 2. & Actorum 4. in fine, *urbes & domos* ac suburbana; Numerorum 35. Josue 14. & 21.

*Ob.* Si dicas, Levitis datum fuisse solum usum, dominium verò fuisse penes alios; ut apparet de civitate Hebron, quæ Josue 21. datur Levitis, cujus tamen B dominus erat Caleb. Josue 14.

*Resp.* Resp. Levitas habuisse rerum suarum non solum usum, sed & proprietatem & dominium: poterant enim emere & vendere; ut ex Levitici 25. Hieremiæ 32. & Actorum 4. patet.

Ad confirmationem Respondetur, Hebron pertinuisse ad Caleb, solum quantum ad agros & villas: quantum verò ad urbes & suburbana pertinebat ad Levitas, ut ex dicto cap. 21. Josue manifestum est.

Verba Domini Matth. 10. dupliciter possunt accipi: vel ut contineant præceptum temporale, pertinens ad primam illam missionem quâ Apostoli, Christo vivente, mittebantur ad prædicandũ: C vel ut contineant potestatem accipiendi victum ab illis quibus prædicatur: vetentque propterea solicitudinem & anxiam curam comparandi vel possidendi temporalia.

Priori modo interpretatur Chrysostomus Homilia super illud ad Rom. 16. *Salutate Priscam & Aquilam*, & Homilia 9. in Epistolam ad Philippenses.

Posteriori, Augustinus libro secundo de consensu Evangelistarum capit 30. Vide Beatum Thomam secunda secundæ quæstione 185. art. 6. ad 2. & quæ nos ibi scripsimus.

Ad Postremum, sententia illa de tribulationibus est intelligenda, quarum ut Dominus non fuit expers, ita nec Discipuli. Confer cap. 15. Joannis. D

Christum Dominum aliquando possedisse aliquid in communi, diximus art. 3. quæst. 40. in tertia parte.

## Articulus IV.

*Utrùm supra Sacerdotalem ordinem debeat esse aliqua potestas Episcopalis.*

Videtur quod non, Primò, quia in scripturis idem est Episcopus qui Presbyter: nam ad Philipp. 1. salutantur Episcopi & Diaconi, E cùm una civitas unum tantum haberet Episcopum: consequens ergo est per Epistopos, ibi Sacerdotes intelligi. Et similiter ad Titum 1. per Presbyteros intelliguntur Episcopi: cùm enim dixisset Paulus, *ut constituas per civitates Presbyteros*, statim subjicit, *oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse.*

Secundò, Episcopus potest ordinari à Presbyteris: ut de Timotheo habemus 1. ad Timotheum 4. ergo Presbyteri sunt ijdem qui Episcopi, & hinc est quod ejusdem epist. cap. 3. post conditiones in Episcopo requisitas, statim sequitur sermo de Diaconis: quia scilicet pro ijsdem habebat Apostolus, Episcopos & Presbyteros.

Tertiò, Hieronymus epistola 84. dicit Apostolum perspicuè docere eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos. Scribens autem in cap. 1. ad Titum; *Idem*, ait, *est Presbyter qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ: communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur: Postquam verò unusquisq; eos quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi: in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris.* Et postea; *Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse majores.*

Quartò, Augustinus epistola 19. dicit Episcopatum Presbyterio majorem esse, secundùm honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit.

Quintò, Ignatius, in epistola ad Smyrnenses, *Sacerdotium* (inquit) *summa est omnium bonorum quæ in hominibus consistunt.*

Sextò, Chrysostomus homil. 11. in priorem ad Timoth. *Inter Episcopum*, ait, *& Presbyterum interest fere nihil.*

Opponuntur & alia quædam ex Ambrosio in cap. 4. ad Ephesios: & ex Hieronymo in epistola ad Rusticum Narbonensem, quæ est epistola decimatertia in tomo 9. sed nec ille commentarius est Ambrosij, nec ista epistola Hieronymi.

Responsio ad fidem pertinens, declarata in Concilio Trid. sess. 23. cap. 4. canone 6. & 7. est: Episcopalem potestatem ex divina ordinatione majorem & superiorem esse sacerdotali. Unde apud Augustinum hæresi 53. & Epiphanium hæresi 75. Aërius, qui cùm Episcopus fieri cuperet & non obtineret, discrimen istud tollebat, numeratur inter hæreticos.

Est autem potestas Episcopalis divino jure superior Sacerdotali, bifariam; scilicet ordine & jurisdictione, Ordine, quia Episcopus potest ordinare, confirmare, chrisma conficere, templa & altaria consecrare; quarum functionum potestatem Presbyteri nullam habent, adeò ut si quid eorum attentent, nihil efficiant. Atqui, circa Sacramentorum conferendorum potestatem absolutam Ecclesia nihil potest: quamvis enim prohibere possit alicui Sacerdoti ne vel baptizet, vel Eucharistiam consecret; non potest tamen impedire, quin sit verum baptismi vel Eucharistiæ Sacramentum, si is baptizare vel consecrare tentaverit. Ergo est ex ordine, quem ex divina institutione habent Episcopi & non alij Sacerdotes, quod Episcopi possunt illa, & non simplices Sacerdotes. Alioquin, etiam hi possent eadem præstare si tentarent; quandoquidem tales actus proficiscantur à potestate ordinis, quæ foret eadem in utrisque, si ex divina institutione nullius ordinis potestatem haberet Episcopus; quàm non habeant alij Sacerdotes.

*Episcopatus est Sacerdotio superior, quoad ordinem.*

Quòd Episcopus etiam jurisdictione Major sit Presbytero, idque ex institutione Christi probatur, Primò, quia potest excommunicare, Indulgentias facere, confessarios probare: quæ si attente Sacerdos, etiam Parochialis, nihil agit quod secus esset, si non ex institutione Christi excederet Episcopus sacerdotes. Ne quis autem objiciat, Episcopos accipere suam jurisdictionem à Pontifice, ut à nobis dictum fuit, l. 4. controvers. q. 2. art. 5. sciendum est singulos quidem Episcopos

*Et jurisdictionem.*

*Ob.*

*Resp.*



copos suam jurisdictionem accipere immediatè à A Romano Pontifice: ordinationis tamen divinæ esse, quòd Pontifex teneatur Episcopos constituere illisque jurisdictionem tribuere majorem quàm sit ea quæ conceditur Sacerdotibus, etiam illis qui habent curam animarum. Imò, hoc ipso quo Episcopi ex Sedis Apostolicæ gratia ordinantur, propriam sibi jurisdictionem sortiuntur, (idque secundùm Christi constitutionem) quam inferiorum Sacerdotum nullus habet:

Confirmatur, Episcopi sunt judices Presbyterorum ut liquet ex 1. ad Tim. 5. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*: & ad Tit. 1. *Hujus gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros*: Ista autem Jurisdictio semper fuit in Episcopis, neque assignari potest quis præter Christum, eam instituerit: ergo est secundùm institutionem divinam. Adde, quod si Summus Pontifex vellet quod Episcopi essent generaliter subjecti Presbyteris, non verò Presbyteri Episcopis, meritò censeretur velle invertere ordinem jurisdictionis à Christo institutum; & similiter si vellet quod in Concilio generali nulli Episcopi haberent suffragium decisivum, sed soli Presbyteri. Quamvis ergo singuli Episcopi suam jurisdictionem accipiant, non à Christo immediatè, sed à Summo Pontifice, Christi tamen, atque adeò divinæ institutionis est, C quod Episcopatui competat & debeatur jurisdictio major, quam habeant Presbyteri.

Secundò, in veteri testamento major erat ex divinâ institutione authoritas Pontificum quàm Sacerdotum: atqui tota illius testamenti dispositio erat figura Ecclesiæ Christi: Ergo & in hac major est authoritas Episcoporum quàm Sacerdotum, Deo ita instituente.

Tertiò, Sacerdotes tenent locum 72. Discipulorum, Episcopi verò Apostolorum, ut docent Anacletus epistola 3. Damasus epistola 4. Leo epistola 88. Major autem erat potestas Apostolorum, quam illorum Discipulorum; (ut vel inde patet quod Sanctus Matthias ex numero Discipulorum D evectus sit ad Apostolatum, Deo ita, post preces fidelium, ordinante:) ergo major etiam est potestas Episcoporum quàm Sacerdotum. Si dicas, etiam Presbyteros succedere Apostolis. Respondetur eos succedere illis in Sacerdotio, ut restrictè loquitur Concilium Tridentinum, sess. 22. c. primo: id est, in munere sacrificandi & Sacramentaliter absolvendi. Episcopi verò Apostolis succedunt simpliciter, ut ex sess. 23. cap. 4. patet, in munere scilicet docendi, definiendi, confirmandi, ordinandi.

*Ob.* *Resp.*

Quartò, si Sacerdotes jure divino, haberent æqualem potestatem cum Episcopis; injuria fieret ordini Sacerdotali, cùm jam inde à temporibus Apostolorum nullus Sacerdotum permissus unquam fuerit uti ejusmodi potestate.

*Ob.* *Resp.*

Si dicas, ideo non fieri injuriam, quia neuter habet ex jure divino jurisdictionem Pontificalem: E hinc saltem videretur aliqua injuria fieri, quod cum Sacerdos sit ex divina institutione paris jurisdictionis, universaliter & in perpetuum subjiciatur Episcopo, etiamsi contingat cum & sanctiorem & doctiorem, & prudentiorem esse quibusdam Episcopis, ac per consequens magis habere qualitates seu dispositiones ad jurisdictionem exercendam, quam aliqui Episcopi.

Denique, Sancti Patres, Dionysius Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 5. Ignatius epist. ad Magnesianos, Cælestinus in epistola ad Episcopos Galliæ cap. 1. & alij communiter; significant presbyteros esse subjectos Episcopis, idque juxta scripturam supra ex 1. ad Timoth. 5. allatam.

Pro solutione argumentorum observandum est, nomen *Episcopi*, quod inspectorem & provisorem significat, plerumque sumi specialiter pro illo qui in ordine Ecclesiastico primus est, ut Act. 20. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos*: hæc enim verba Concilium Tridentinum tribuit illis Episcopis qui sunt superiores presbyteris, sess. 23. cap. 4. Ita sumitur in canonibus Apostolorum, & in quotidiano usu fidelium. Interdum tamen sumitur generaliter, & comprehendit etiam Presbyteros, præsertim illos qui habent curam animarum; ut ad Philippenses 1. secundùm interpretationem Chryso. 1. ad Timotheum 3. & ad Titum 1. secundùm beatum Thomam. Cùm enim Apostolus uno loco, ab Episcopis transeat ad Diaconos, alio verò de constitutione Presbyterorum agens subjungat; *oportet enim Episcopum*: series loci declarat, nomine Episcopi etiam eum illic intelligendum, qui est Presbyter Parochialis. Nam ad id quod objici possit, Apostolum velle ut Episcopus sit doctor, potens exhortari in doctrina sana, quod in simplicibus Presbyteris non est necessarium: Respondetur, id suo modo necessarium esse illis Presbyteris ad quos tanquam parochos, gregis inspiciendi cura pertinet. Quod etiam nonnulli dicunt Apostolum ideo Presbyteros non nominasse, 1. ad Timotheum 3. quia ob raritatem ministrorum, singulis Ecclesijs, saltem minoribus, attribuebantur solùm Episcopi cum Diaconis: non videtur satisfacere.

*Ob.*

*Resp.*

Primò, quia constat in Ecclesijs Timotheo subjectis non defuisse simplices Presbyteros. Ideo enim Apostolus ei scribit, *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*, 1. ad Timoth. 5. & postea, *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ubi manifestè supponit Timotheum habuisse simplices Sacerdotes, quorum aliqui laborabant in verbo & doctrina, alij verò non laborabant, sed suo tantum Sacerdotio fungebantur.

*Resp.*

Secundò, ex verbis Jacobi quinto *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, apparet in unâ Ecclesiâ fuisse plures Presbyteros, & ex Act. 14. ubi dicitur cum constituissent per singulas Ecclesias Presbyteros, constat fuisse Presbyteros qui non erant Episcopi.

Tertiò, Ecclesijs saltem majoribus attribuebantur cum Episcopis aliqui Presbyteri: ergo sufficiens erat causa exprimendi non minus Presbyteros quàm Diaconos, nisi Presbyteri sub Episcoporum nomine fuissent comprehensi.

Ex his patet Responsio ad Argumenta.

Ad 1. quidem, quod qui hodie vocantur Pastores, ibi nominentur Episcopi.

Ad 2. Negatur antecedens, liquet enim ex ijs quæ articulo tertio, quæst. 34. diximus, Presbyterium ab Apostolo vocari cœtum eorum Presbyterorum qui præter ordinem Sacerdotalem, habebant etiam Episcopalem: Cap. autem 3. prioris ad Timotheum, sub nomine Episcopi pastor comprehenditur.

Ad 3. Hieronymus nihil aliud vult quàm quod olim nomen *Episcopi* fuerit commune Presbyteris inferioribus, ob communem curam rerum Ecclesiastica-

Universidad de Deusto
Biblioteca



siasticarum; quodque ante exorta schismata, gubernarentur Ecclesiæ communi presbyterorum, non quidem potestate, sed consilio; postea verò decretum fuerit, ut is qui non nomine tantum, sed etiam ordinatione erat Episcopus, palam super poneretur cæteris, tum per assignationem loci eminentioris, tum per curam rerum Ecclesiasticarum, quæ non amplius tanta permitteretur presbyteris, quanta prius concessa fuerat, sed penes Episcopos remaneret: neque negat Episcopum esse divina dispositione *superiorem* presbytero; sed dicit *potius consuetudine quam divinæ dispositionis veritate esse majorem*, quantum scilicet ad eminentiam honoris, & erectionem throni sublimioris in Ecclesia. Nam quod agnoverit Episcopum jure divino superiorem presbyteris, tum ordine; tum jurisdictione, manifestum est. Capite enim 4. contra Luciferianos docet *ex authoritate divina descendere quod baptizatus non confirmetur nisi per Episcopum*: additque, Salus *Ecclesiæ in summi sacerdotis* (id est, Episcopi) *dignitate pendet: Cui si non exors quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes.* Epist. 85. *quid* (inquit) *facit, excepta ordinatione* (sub qua comprehendit confirmationem, quæ est ordinatio quædam fidelium ad militiam christianam) *Episcopu, quod presbyter non faciat?* Et postea, *ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri testamento; quod Aaron & filij ejus, atq; Levita in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia:* Et conformiter ep. 2. c. 9. *Quod Aaron & filios ejus hoc Episcopum & Presbyteros esse noverimus.* Constat autem quod illi tres gradus fuerint ex divina ordinatione sic distincti, ut Pontifex major esset sacerdotibus, & sacerdotes Levitis, Exod. 28. 29. 39. Numerorum 16. & 17. Deut. 17. ergo similiter, ex mente Hieronymi, Episcopus jure divino major est presbyteris, & presbyteri Diaconis: Sed & epistolæ 61. cap. 15. imperitè dictum affirmat quod nihil intereset inter presbyterum & Episcopum, eademque sit dignitas utriusque.

*Hieronymus agnovit Episcopum jure divino esse supra Presbyteros.*

Quòd autem locis objectis vehementius loquatur; causa una est: In epistolâ quidem 85. ut frangeret superbiam eorum diaconorum qui se anteponebant presbyteris: Altera verò in c. 1. ad Titum, ut quosdam Episcopos revocaret ad modestiam, qui se supra Sacerdotes insolentius offerebant.

Ad Quartum, Augustinus significat non semper fuisse distinctionem *Episcopi & Presbyteri*, quantùm ad vocabula, quia scilicet & Episcopus vocatur presbyter, & presbyter, Episcopus: quod autem agnoverit perpetuam distinctionem rei: patet ex enarratione in Psal. 44. & ex hæresi 53.

Ad Quintum, Ignatius Sacerdotij nomine intelligit Episcopatum.

Ad Sextum Resp. Chrysostomum post verba objecta addere, *Quippè & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est; & quæ de Episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Ubi Chrysostomus expressè ait Episcopos esse superiores ordinatione: quod autem dicit *sola*; ideo est, partim quia singuli Episcopi non habent jurisdictionem majorem, quam Presbyteri, à Christo immediatè, sed ab Ecclesia seu ab ejus capite, Romano Pontifice; partim quia quidquid præter ordinationem habet Episcopus ad jurisdictionem spectans, posset committi Presbyteris per dispensationem: & per ordinationem intelligi possunt omnia quæ potest Episcopus ratione ordinis Episcopalis.

Ex his consequens est Episcopum id esse respectu Presbyterorum, quod est princeps respectu consiliariorum aut suorum præfectorum, ut monet Beatus Thomas 2. 2. quæst. 184. articulo 6. ad 2.

## Articulus V.

*Utrùm Episcopatus sit ordo?*

Videtur quod non; Primò, quia unus ordo non pendet à præcedenti, quantùm ad necessitatem: quomodo pendet Episcopatus à presbyterio.

Secundò, Majores ordines non conferuntur nisi sabbathis: potestas autem Episcopalis traditur in dominicis.

Tertiò, Omnis ordo secundùm quod est Sacramentum, ordinatur ad Sacramentum Eucharistiæ: sed Episcopatus non ordinatur ad illud aliter quàm Sacerdotium, quia non magis potest consecrare quam simplex Sacerdos, ergo non est ordo.

Quartò, Sic essent octo ordines, cum tamen communiter solum assignentur septem.

Quintò; Nulla ejus institutio apparet in scripturis, nulla materia, nulla forma.

Sextò, si esset ordo, imprimeret characterem: ille autem vel esset major, vel par, vel minor Sacerdotali. Non major, quia nulla est potestas major quàm consecrandi corpus Christi: non etiam par vel minor, quia sequeretur Episcopum quatenus Episcopum, esse parem vel minorem Sacerdote.

Septimò, Conformiter esset dicendum quod Archiepiscopatus sit alius ordo; & rursum alius Patriarchatus, alius Papatus.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

Episcopatum esse ordinem, id est, gradum & & dignitatem spiritualem ad actus herarchicos exercendos, nemo catholicorum dubitat.

### Conclusio II.

Episcopatus, id est, consecratio quâ quis creatur Episcopus, est ordo sive ordinatio, verumque & propriè dictum Sacramentum novæ legis. *Episcopatus est sacram.*

Probatur Primò, Consecratio Episcopalis confert gratiam, & est ejus signum visibile: ergo est Sacramentum. Antecedens probatur. Nam Apostolus 1. ad Tim. 4. & secundæ ad Tim. 1. docet collatam fuisse gratiam Timotheo per impositionem manuum suarum: Impositio autem manuũ, de qua ibi sermo est, fuerat consecratio Timothei in Episcopum; fuerat enim impositio manuum Presbyterij sive cætus Episcoporum: & Timotheus ab Apostolo convenitur tanquam Episcopus, ut patet ex c. 5. prioris, *Adversus Presbyterum, &c. Et, manus citò nemini imposueris.* Deinde, si Presbytero, Diacono, & alijs inferioribus confertur gratia, quâ opus habent ad eas sacras actiones quibus deputantur: multò magis confertur Episcopó, cujus major est dignitas, & officiorum sacrorum difficultas; secundùm ea quæ habet Author quæst. 35. artic. 1.

Secundò, Per consecrationem Episcopalem imprimitur potestas quædam ordinis, potestas scilicet



scilicet confirmandi, & ministros Ecclesiæ ordinandi: sed non potest assignari ratio, cur illorum sacramentorum conferendorum potestas non debeat dici character sacramentalis, æquè ut potestas conferendi baptismum; quæ ab Augustino vocatur jus & sacramentum dandi baptismi, lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. & lib. 1. de baptismo contra Donatistas capite primo; ergo per consecrationem Episcopalem imprimitur character.

Si dicas, sufficere quod character sacerdotalis qui prius inerat, extendatur; Respondetur hanc extensionem non posse intelligi absque additione novæ potestatis; quando quidem tribuatur ordinaria potestas administrandi quædam sacramenta, quæ presbyter non potest ministrare, imo nec est capax commissionis sibi ab Episcopo dandæ ad illa ministranda.

Tertiò, Sanctus Dionysius capite 5. Ecclesiasticæ hierarchiæ, describit tres ordines sacros, proprijs eorum actibus, Pontificum, Sacerdotũ Diaconorũ.

Sanctus Leo epistola 84. cap. 4. dicit subdiaconatum esse ordinem quartum: Diaconatum, tertium: presbyteratum, secundum: Episcopatum primum. Et epistolæ 81. cap. 1. ordinationem Pauli & Barnabæ; qua scilicet fuerunt consecrati Episcopi, act. 13. *benedictionis sacramentum* vocat.

Sanctus Gregorius lib. 4. in 1. Reg. c. 5. unctionem ejus qui in culmine ponitur; sacramentum esse asserit.

Gelasius capitulo *Diaconos*, dist. 93. Episcopatum & sacerdotium primos ordines vocat.

Anacletus epist. 3. ordinem sacerdotum dicit esse bipertitum, in eum qui est Episcoporum, & alterum, qui est presbyterorum.

Conc. 4. Carthaginense cap. 2. describit ordinationem Episcopi; sicut in sequentibus, presbyteri, Diaconi, & aliorum.

Sed & Synodus Tridentina sess. 23. cap. 4. doctrinæ, Ordinationem Episcoporum recenset cum ordinatione sacerdotum & aliorum ordinum: Canone autem 6. hierarchiam Ecclesiasticam divina ordinatione institutam, constare di it ex episcopis, presbyteris, & ministris: Ergo sentit æque esse ordinem Episcoporum, atque sacerdotum, & ministrorum. Adde quod cap. 3. gratiam conferri *per sacram ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur*; atque adeò ipsam esse sacramentum, probat ex verbis Apostoli 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiã Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Quæ probatio non subsisteret, nisi Concilium sentiret quod Episcopatus (de quo Apostoli verba sine dubio loquuntur) conferret gratiam, & esset propriè dictum sacramentum novæ legis.

Sententiam hanc tradunt Altissidorensis lib. 4. Tractatu 8. Scotus, Joannes Major, Paludanus & de Orbellis in 4. distinct. 24. Nicolaus Denize tract. 6. p. 3. Supplementum Gabrielis in 4. d. 24. Petrus Soto, Bellarminus, Navarrus: &, ut nobis videtur, Sanctus Thomas; nam in opusc. de perfectione vitæ spiritualis cap. 24. sic habet, *Quod quartò proponitur quod Episcopatus nõ est ordo, hoc manifestè continet falsitatẽ, si absolutè intelligatur.* Et postea, *Quod autem habeat aliquem ordinẽ & nõ jurisdictionem solam, sicut Archidiaconus, vel curatus presbyter: patet ex hoc quod Episcopus potest multa facere quæ nõ potest committere, sicut confirmare, ordinare, &c.* & scribens in 2. ad Tim. cap. 1. dicit quod in ea manuum impositione, qua Timoth. erat ordinatus Episcopus, data fuerit ei gratia Spiritus sancti. Dicimus ergo probabiliora esse quæ scripsit posterius, quam quæ in 4. fuerat commentatus.

Ad 1. Argumentum Respondetur unum ordinem tunc solum non pendere ab alio quantum ad necessitatem, quando unus non est de essentia alterius: presbyteratus autem est de essentia ordinis Episcopalis; ita ut ad Episcopum constituendum duæ sacræ ordinationes, & duo sacramenta requirantur: Una, qua ordinatur sacerdos; Altera, qua sacerdotio superadditur ultima forma, faciens ex sacerdote Episcopum, unde sequitur quod Episcopalis character sit quid aggregatum ex potestate consecrandi Eucharistiam, itemque ligandi & solvendi; & ex potestate confirmandi & ordinandi. Sicut ergo non potest dari ternarius sine binario, etiamsi communiter species ejusdem generis non pendeant una ab altera: Ita non potest esse Episcopatus sine sacerdotio, adeò ut si Diaconus consecraretur Episcopus, prætermissis illis quæ ordinem sacerdotalem constituunt, nihil fieret.

Ad 2. Temporis ordinationum designatio est juris positivi. Convenienter autem Ecclesia deputavit Episcopatui diem peculiarem, eumque summũ, id est, dominicum, quia ille est summus ordo.

Ad 3. Negatur Minor: quia Episcopatus habet potestatem non solùm conse randi Eucharistiam, sed etiam transfundendi potestatem illam in alios. Cùm autem ab eo quod dici solet, ordines distingui per diversa relationem ad Eucharistiam, excipitur Episcopatus: sermo est de ordinibus qui Eucharistiæ perficiendæ serviunt, vel consecrando, vel ad consecrationem præparando; Nam Episcopus nullum actum exerceat ut Episcopus, ad hoc ut presbyter consecret, quamvis debuerit antea exercere, ordinando presbyterum.

Ad 4. Negari potest Assumptum; quia sub sacerdotio includitur Episcopatus, qui propterea non facit numerũ cum illis: est enim sacerdotium ordo genere unus, sub quo continentur duæ species, scilicet presbyteratus communiter dictus, & Episcopatus. Si quis tamen Episcopatũ incompletè accipiat prout à sacerdotio distinguitur; non malè concedet esse octo ordines. Quod autem communiter nominentur septem; accidit ex eo quod sermo fiat de ordinibus, quibus communes ministri ordinantur, qualis non est Episcopus.

Ad 5. Responsio Prima est: quod multa fecit Christus quæ non sunt scripta, Joannis 21.

Secunda, quod ex Act. 20. constet Spiritum sanctum dedisse Ecclesiæ quosdam Episcopos, qui ad Ephesios 4. Pastores & Doctores dicuntur à Christo dati.

Tertia, quod vel Matth. 28. quando Christus dixit, *euntes docete omnes gentes*: vel Act. 1. quando multa locutus est ad regnum, sive ad præsentis Ecclesiæ statum pertinentia, fecerit Apostolos, gentium conversarum Episcopos.

Minister autem consecrationem Episcopalem conferens, est unus Episcoporum assistentium, is nimirum qui vocatur in Pontificali, Consecrator.

Materia videri potest esse chrismatica unctio manuum, & forma, verba quæ tunc profert consecrans: *ungantur manus istæ* &c. Quia toto præcedenti tempore ordinandus Episcopus semper vocatur in Pontificali, Electus; postquam verò verba ad istam unctionem prolata sunt, consecratus appellatur.

Dicen-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Materia Episcopatus.*

Dicendum tamen communiorem & veriorem A esse sententiam, quod impositio manus aut manuum Episcopi consecratoris, qua simul cum alijs tangit caput consecrandi; sit hujus ordinis materia; & forma, ejusdem consecratoris verba, *Accipe Spiritum sanctum:* quæ verba cum absolutè & sine ulla limitatione pronuntientur, abundantiam gratiæ ad munia Episcopalia exercenda significant: & quoniam sunt efficacia, eandem conferunt, cum potestate illa exequendi.

Probatur Primò, quia Timotheus factus fuit Episcopus Apostolo Paulo cum alijs manus ei imponente; & per illam impositionem accepit gratiam, Apostolo sic prioris ad ipsum Epistolæ cap. 4. scribente, *Noli negligere gratiam quæ in te* B *est, quæ data est tibi per prophetiam*, seu secundùm præcedentem de te prophetiam (cap. 1.) *cum impositione manuum presbyterij*, seu per impositionem manuum Episcoporum. Illic, manuum impositio erat signum sensibile, & erat etiam efficax gratiæ idque secundùm institutionem Christi: ergo illa impositio simul cum verbis, erat Sacramentum, ergo ipsa est essentialis.

Probatur Secundò, ex Conc. 4. Carthag. can. 2. ubi dicitur quod *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & verticem ejus; & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt,* C *manibus suis caput ejus tangant.* Illa codicis Evangeliorum positio super caput ordinandi, non est materia; quia tam Episcopus consecrator quam Episcopi assistentes nihil tunc dicunt, ut patet ex Pontificali, ac per consequens non tunc pronuntiatur forma: ergo neque exhibetur materia; cum materia & forma Sacramenti debeant simul saltem moraliter conjungi: restat ergo ut forma sit ea benedictio quam facit consecrator manu caput ordinandi tangens; isque tactus sit materia.

Probatur Tertiò, ex Conc. Trid. sess. 23. can. 4. definiente Episcopos dum ordinant, dicere; *Accipe Spiritum sanctum*, eò quod tunc detur Spiritus sanctus: Illa autem verba dicuntur ab D Episcopo manus imponente: ergo sicut illa verba sunt forma, cum sint efficacia; ita manus impositio est materia.

Probatur 4. Ex S. Dionysio eccles. hier. c. 5. p. 2. ubi sic describit ordinationem Pontificis seu Episcopi: *Pontifex quidem qui ad perfectionem virtutem, Pontifice dignam evehitur, utroq; genu flexo ante altare super caput habet libros à Deo traditos, manumq; Pontificis: atq; hoc modo ab eo Pontifice qui eum consecrat, sanctissimis precationibus appellationibusq; consecratur.* In hanc sententiam scribunt Major in 4. dist. 24. q. 1. Armilla, verbo *Ordo* num. 11. Emanuel Sa, eodem verbo, Vasquez disp. 240. Tannerus, Mæratius, Layman, & alij.

Quoniam verò tam impositio manuum quam E formæ jam dictæ prolatio, simul fit à tribus Episcopis; probabiliter putant quidam omnes illos tres esse simul ministros, quando simul adhibent materiam, & formam. Unus tamen eorum in Pontificali vocatur consecrator; quia ipse est qui caput & manus electi ungit & consecrat, aliasque cæremonias peculiariter facit. Cæterum etsi ad consecrationem unius Episcopi tres Episcopi assistere debeant; quia tamen hoc non videtur esse absoluta rei necessitate necessarium, unus sufficere potest, saltem ex indulto Apostolico, ut colligitur ex li. 8. constit. Apostolic. Clement. cap. 27. aliàs 33. scribuntque quidam id Gregor. 1. & Gregor. 13. concessisse aliquibus. Vide Layman cap. 5. de Ordine.

Neque verò jam dictis obstare putandum est, quod in Pontificali ordinandus Episcopus semper ante manuum inunctionem vocatur electus, & post illam consecratus: quia per hoc non plus significatur, quam quod antea nondum receperit omnes consecrationes, postea verò nulla supersit; sermo autem est de consecrationibus cæremonialibus.

Ad 6. Character seu potestas Episcopalis integra, est major sacerdotali; quia essentialiter eam includit, & insuper aliam: character autem ille quem Episcopus in ultima consecratione accipit, quique solùm est pars potestatis Episcopalis; minor est sacerdotali quantum ad dignitatem; sed major quantum ad causalitatem & extensionem: nam ad plura extenditur; & potestatem ipsam sacerdotalem transfundere potest in alios.

Ad 7. Negatur Assumptum. Omnes enim illi pares sunt quantum ad ea quæ sunt ordinis Episcopalis; neque potest Summus Pontifex ullū actum hierarchicum exercere in collatione Sacramentorum, quem non possit Episcopus. Differunt ergo gradus illi dignitate & jurisdictione, non ordine. Vide Respons. B. Thomæ ad 3. art. sequentis.

## Articulus VI.

Art. 6. probat supra Episcopos debere esse aliquem superiorem in Ecclesia: quia ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale regimen supra particularia regimina, alias etiim non posset esse colligatio ad unum. Confirmatur, ad unitatem Ecclesiæ conservandam requiritur ut omnes in fide conveniant: Atqui contingit oriri difficultates circa fidem seu fidei dogmata, illæ autem non semper possent ad concordiam & unitatem reduci per diversos, utpotè diversimodè sentientes: ergo oportet esse unum qui determinet, unitatemque servet.

*Super Episcopos alios est quis est in Ecclesia suæ perior.*

Hunc esse Romanum Pontificem, qui jure divino caput est Ecclesiæ; fide certum est: & doceri solet in tract. de controversijs: ubi nos l. 4. qu. 1. ar. 3. & 5. id probavimus. Inter ipsum verò & alios Episcopos, alij gradus intercedunt, correspondentes illis gradibus, secundùm quos una communitas includitur in alia. Sicut enim civitates includuntur in provincia, provinciæ in regno, regnum in mundo: Ita Episcopi subsunt Archiepiscopo sive Metropolitano, Archiepiscopus Primati, Primas Romano Pontifici.

Cum Primate confunditur aliquando Patriarcha, non quod inter eos nihil interfit; sed quia utrique tenent eandem formam, in eo scilicet quod Archiepiscopi debeant obedientiam sicut Patriarchæ, ita Primati, & ab Archiepiscopo possit appellari non solùm ad Patriarchas, sed etiam ad Primates.

Simpliciter autem majores sunt Patriarchæ Primatibus: non enim solent omnes Primates vocari Patriarchæ, sed ab initio solùm tres, *Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus*, eò quod solæ illæ Ecclesiæ haberentur Patriarchales, quas B. Petrus fundaverat: ut ex Anacleti epistola 3. Leonis 53. & Gregor. lib. 6. Epistola 37. patet. Et quidem Romanam per se constituit, ac usque in finem vitæ gubernavit: Alexandrinam, per Marcum, quem eò direxit: Antiochenam, primò per se, deinde per Evodium.

*Quæ Ecclesia Patriarchalet.*

Ordinis



Ordinis autem ratio est, ut *Primus* ille sit qui A Petro succedit non solum in Episcopatu, sed etiam in regimine universalis Ecclesiæ: *Secundus*, qui in Episcopatu succedit Marco Evangelistæ, tanquam majori quam fuerit Evodius: *Tertius*, qui Evodio. Postea *Jerosolymitanus & Constantinopolitanus*, Archiepiscopi, vocati etiam sunt Patriarchæ; nunc autem & plures recensentur.

Responsiones ad arg. diligenter perpendantur.

## Articulus VII.

*De sacris vestibus.*

Art. 7. Docet vestes ministrorum esse con- B venienter in Ecclesia institutas: quia designant idoneitatem, quæ in illis requiritur ad tractandum divina. Pertinent etiam ad reverentiam mysteriorum excitandam, ad dignitatem tanti sacrificij declarandum, & ad Christi Domini passionisque ipsius repræsentationem; ut videre est apud Innoc. l. 1. de sacrificio, Rupertum lib. 1. de divinis officijs, Durand. l. 3. Gabrielem lect. 11. & 12. in canonem, Toletum li. 2. Institutionum c. 2. de quibus 3. p. q. 83. art. 6. diximus.

Porrò cum sacrarum vestium non inveniatur initium, neque dubitari possit quin Apostoli, sub divinis officijs, alio quam quotidiano habitu fuerint usi; partim exemplo sacerdotum Aaronico- C rum, partim etiam ratione id postulante: ad Apostolorum ætatem usus ille referendus est. Hinc Polycrates apud Eusebium li. 3. cap. 25. refert Sanctum Joannem, cùm esset sacerdos; gestasse πέταλον, quæ teste Innoc. dicto lib. cap. 11. erat lamina sub mitra, frontem operiens. Anacletus epist. 1. cap. 2. vult diaconos & subdiaconos sacris indutos vestimentis, astare sacrificanti.

Debent autem sex vestes quibus ad sacrificandum utitur sacerdos, scilicet amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula, per Episcopum vel alium qui facultatem Pontificiam habeat, benedici. Quæ benedictio, tamdiu manet quamdiu re- D manet figura vestium illarum, seu quamdiu sunt idoneæ ad usum sacrum. Si cingulum ita rumpatur ut neutra pars sufficiat; quibusdam probabile est necti posse; quamvis id alij negent. Vide dicta ad cit. art. 6.

Harum vestium usus ita necessarius est, ut metu etiam mortis proposito vix liceat in communibus & usualibus vestimentis celebrare: Id enim difficulter fieri posset absque scandalo & magnæ irreverentiæ periculo, imò contemptu Ecclesiæ. Si tamen ista prorsus abessent, probabile esse quod liceret, diximus qu. 83. ar. 6. Casu autem necessitatis unum vel alterum ex vestimentis minoribus omittere, ut stolam, vel manipulum; aut stolam applicare loco cinguli, & manipulum loco stolæ: aut E etiam cingulo non benedicto uti, non est peccatum, saltem grave: sicuti nec si quis obliviscatur manipuli.

De orationibus quæ ad sacras vestes induendas præscribuntur, videantur quæ ibidem scripsimus.

# QUÆSTIO XLI.

## De Matrimonio.

Matrimonij quatuor sunt nomina. Primum, idque maximè vulgatum est, matrimonium, sic dictum quod mulier nubit ut mater efficiatur. Hinc Gellius l. 18 noct. Attic. c. 6. Matrimonium dicitur, non à matris nomine jam adepto, sed cum spe, & omine mox adipiscendo. Vocatur autem matrimonium à matre potius quam patrimonium à patre, partim quia mater varios dolores patitur ante partum & in partu; ac labores post partum, ut dicitur cap. *Ex litteris* de conversione infidel. atque ita sustinet præcipuum onus quod in prolis generatione reperitur: partim quia in matrimonij fructu sive in generatione prolis mater certa est, cum pater sit incertus.

Secundùm nomen est Connubium: Tertium Nuptiæ: utrumque à nubendo derivatum; quia puellæ se obnubebant seu velabant ac tegebant pudoris gratia, quando maritis dabantur, sicut Rebeccam fecisse legimus Gen. 24. ad conspectum Isaac.

Quartum nomen est Conjugium, ab effectu; quia per Matrimonium vir & mulier arctissimo C vinculo inter se conjuguntur. His præmissis ad S. Thomæ textum & ordinem veniamus.

## Articulus I.

*Vtrum matrimonium sit de jure naturali.*

Videtur quod non, Primò, quia sequeretur alioquin virginitatem & cælibatum, esse contra naturalem inclinationem, atque adeò peccata.

Secundò, Experientia notum est, inclinationem ad matrimonium non esse in omnibus: naturales autem inclinationes sunt in omnibus: ergo inclinatio ad matrimonium non est naturalis.

Tertiò, inclinatio naturæ solùm est ad prolis generationem & debitam educationem: ad hoc autem sufficeret virum & fœminam habitare simul, quamdiu proles indigeret eorum convictu.

Responsio B. Thomæ, est affirmativa. Quam- *Resp. esse.* vis enim *naturale* uno modo dicatur quod ex principijs naturæ de necessitate provenit: quomodo matrimonium (cùm libero contrahentium arbitrio celebretur) non est naturale: Alio tamen modo *naturale* id vocatur, ad quod est naturalis inclinatio, etiamsi illa non nisi mediante libero arbitrio compleatur. Et hac ratione, matrimonium est naturale, jusque naturalis: quia naturalis ratio ad ipsum inclinat, tum ob finem ejus primarium qui est procreatio, educatio, & institutio prolis: tum ob secundarium, quæ sunt mutua conjugum in rebus domesticis obsequia.

Sciendum est enim quod natura intendat sui conservationem & perfectionem: quam cùm non possit assequi, nisi multiplicatis individuis; ad horum multiplicationem inclinat, non solùm prolis generationem intendens, sed etiam promotionem ejus usque ad perfectum; & secundùm corpus, & secundùm animam: hic autem finis non posset convenienter obtineri, nisi pater & mater indissolubili nexu copulati, vicarias operas præstarent ad

proles

Universidad de Deusto
Biblioteca



proles nutriendas, educandas, instituendas & gubernandas: nam ad ista nec mulier sola sufficit, nec vir solus: ut partim hîc in corpore, partim 2.2.qu. 151.art.2.& li.3.contra Gent.c.122.123.124.declarat B Thom.ergo ex naturæ (etiam excluso peccato) instinctu est, quod homines inclinentur,ad eam maris & fœminæ conjunctionem, quam vocamus *matrimonium*. Hinc Isidorus apud Gratianum dist.1. *jus naturale est commune omnium nationum,eò quod ubique instinctu naturæ,non constitutione aliqua habetur: ut viri & fœminæ conjunctio, liberorum susceptio, & educatio.*

Si dicas, aliquando fieri quod sola mulier prolem nutriat, educet, ac bene instituat.

*Ob.*

*Resp.* Respondetur quod rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundùm ea quæ per accidens contingunt, in uno individuo, sed secundùm ea quæ per se consequuntur totam speciem.

Ad 1. Arg. Respondetur negando sequelam; quia naturalis inclinatio non obligat ad matrimonium, nisi secundùm quod recta ratio dictat illud esse necessarium ad conservationem speciei: Quæ necessitas cùm nunc absit; nec cælibatus, nec virginitas repugnat inclinationi ad matrimonium. Quamquam si naturalis inclinatio abstractim à ratione consideretur, non semper sit illicitum agere contra illam; sed tunc solum quando sequenda est. Hinc licitum est aliquando abstinere à cibo; etiamsi natura inclinet ad illum sumendum: bona enim inferiora ad quæ homines naturaliter inclinantur; secundùm mensuram quæ competit animæ, sunt amplectenda; ideoque ad ipsius salutem facilius procurandam, licet ab eis abstinere.

Ad 2. Inclinatio ad matrimonium est aliqualiter in omnibus, tam ratione speciei, quam ratione generis. Ratione generis; quia conservatio speçici naturaliter expetitur ab uno quoque animali. Ratione speciei; quia homo ut homo non tantum sobolis procreationem expetit, sed etiam educationem & legitimam instructionem; si quidem id postularet necessitas. Sicut ergo naturalis inclinatio ad defendendam Rempublicam, est in singulis; etiamsi laudabiliter multi abstineant à negotijs militaribus, quando non desunt alij: Ita naturale desiderium conservandæ speciei, ac sobolis benè instituendæ, potest esse in singulis, quamvis multi inclinentur ad abstinendum ab executione talis desiderij.

Ad 3. per se id non sufficere, probant solicitudo patris ad filium, gubernatio prolis, certitudinis ejusdem desiderium, de necessarijs ad vitam corporis & animæ, provisio.

### Articulus II.

*Utrum matrimonium cadat sub præcepto.*

Videtur quod sic, Primò, Nam primis parentibus dictum est, Gen.1. *Crescite & multiplicamini*, quod ad præceptum pertinere interpretatur Author cap.186. compendij Theologici; & hoc conformiter Apostolo 1.ad Cor.7. dicenti, *unusquisque uxorem suam habeat.*

Secundò, Exodi 23.præcipitur ut non sit infæcunda vel sterilis in terra Israël, quod & Deut.7. confirmatur. Unde Hieronymus contra Helvidiũ c.10.*quamdiu lex illa permansit,Crescite & multiplicamini & replete terram &,maledicta sterilis quæ non parit semen in Israël;* nubebant omnes *quas nubere, obedientia non concupiscentia compellebat*, ait Augu. lib.de bono viduitatis cap. 7. addens conformiter Hieronymo, quod maledictus habebatur per legis sententiam, qui non suscitaret semen in Israël.

Tertiò, Idem Augustinus serm. 20. de verbis Domini (si tamen illius sit, nam est in appendice septimus) dicit mulierem parientem facere quod Deus jussit.

Ac rursum idem August.li.5. contra Julian.c.9. de Sancto Joseph scribit quod nec istam quæsisset uxorem (Beatam scilicet Mariam) si necessariam conjugem non haberet: sentit ergo Matrimonium fuisse tunc temporis præceptum.

Quartò, Nemo potest certo scire an habeat donum continentiæ perpetuæ; imò quibusdam vix est possibile continere: Apostolus autem dixit 1. ad Cor. 7. *Qui non se continent, nubant.*

Quintò, Si omnes vellent abstinere à conjugio; mundus periret.

Sextò, Quidam sunt morbi qui non possunt curari absque usu conjugij.

Septimò, omnes tenentur ad cibum; ergo & ad conjugium; quia ad utrumque est inclinatio naturalis.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

Matrimonium cadit sub præcepto juris naturalis illo quod ipsam communitatem obligat. Ita S.Thom.hoc ar.& 2.2.qu.152.art.2.ad 1. Jure enim naturali tenetur unusquisque ad ea quæ respiciunt perfectionem sive conservationem propriam: ergo similiter obligatur universitas ad ea quæ respiciunt perfectionem multitudinis, cujusmodi est matrimonium.

Ut autem intelligatur quomodo præceptum matrimonij sit juris naturalis, cum non sit unum ex primis principijs lumine naturali cognitis, sciẽdum est quod ex illis principijs evidentibus possit colligi. Ex his nimirum, Humana species est conservanda, non potest conservari nisi per commixtionem sexus, omnis autem sexus commixtio extra matrimonium est illicita. Nam quod hoc tertium sit naturali ratione evidens, patet ex eo quod recta ratio dictat simplicem fornicationem esse peccatum mortale, ut demonstrat Author libr. 3. contra Gent.c.122.2.2. quæst.154. art. 2. quæst. 15. de malo art. 1.

### Conclusio II.

Matrimonium non cadit sub præcepto quod unumquemque obliget, nisi illo tempore quo paucitas hominum exigeret, ut quilibet generationi vacaret. Ita Beatus Thomas, in corp. & ad 1. Ad ea enim quæ ad perfectionem multitudinis necessaria sunt, non obligatur quilibet, sed obligationi illi satisfit: cùm per diversos diversa complentur. Hinc non omnes tenentur ad agriculturam,ad ædificatoriam,& similia quæ communitati humanæ sunt necessaria. Quod autem initio generis humani, omnes ex lege naturæ obligarẽtur ad ineunda conjugia,probari potest ex eo quod illa quæ communitatem ipsam directè obligant, etiam singulos de communitate obligent, quando alioquin communitati non sufficienter prospiceretur: In ea verò hominum paucitate quæ tunc erat, non fuisset communitati & perpetuitati generis humani bene consultum nisi per matrimonium singulorum. Cæterum post sufficientem multiplicationem; non quidem revocatum est præceptum, sed solam hominum Rempublicam obligans, desijt obligare singulos etiam tempore veteris testamenti, quando tamen erat tempus amplexandi, ut loquitur Ecclesiastes. Hinc Josue,Elias, & Elisæus, ut observat Hieronymus lib.1. contra Jovinianum cap.12. & 13. cælibes & casti permanserunt. Multò autem magis nunc quando est tempus longè fieri ab amplexibus; à matrimonio laudabiliter abstinent, qui vel sacris ministerijs, vel contemplationi se addicunt. Unde non nuptis & viduis dicit Apostolus 1. ad Cor.7. *Bonum est si sic permaneant, sicut & ego.* Et postea, *Qui matrimonio jungit virginem suam, benefacit; & qui non jungit, melius facit.*

Ad 1. Arg. Resp. verba illa, *Crescite & multiplicamini*, concernere quidem præceptum legis naturæ de matrimonio, tanquam continentia benedictionem conjugibus propriam; nullum tamen ipsa præceptum continent: eadem enim & bestijs dicta leguntur,quæ præcepti capaces non sunt. Et dicta etiam fuerunt Noë ac filijs ejus post diluvium, quando tamen ille nullam prolem genuit. Continent ergo benedictionem, donationem scilicet fœcunditatis, ut significatur per verbum *benedixit*: nam & quod sequitur, *dominamini piscibus maris*, non præceptum est dominij, sed potestatis collatio qua possent uti,cùm vellent.

Nec obstant verba, imperandi modo prolata: tali enim forma sermonis uti voluit Deus, ad demonstrandam suæ benedictionis efficaciam: quo modo Matth.8.Christus dixit leproso,*mundare*,&, Lucæ.18. cœco, *Respice*, non præceptum eis dans, sed sermone suo donans uni munditiam, alteri visum.

Verbis Apostoli non præceptum datur,sed permissio significatur,eaque non ad omnes pertinens, sed ad solos conjugatos: quasi diceretur, propter vitandam fornicationem unusquisque conjugatus permittitur sua uxore uti; & unaquæque conjugata, suo marito. Sermonem enim ibi esse ad conjugatos, certum est,tum ex contextus; *Uxori vir debitum reddat* &c. tum ex sequente antitheſi, *Dico autem non nuptis & viduis.*

Ad 2. Verba etiam illa non continent præceptum, sed promissionem fœcunditatis. Cùm enim sterilitas sit defectus naturalis, non est in potestate hominum,ut non sint steriles.

Hieronymus legem usurpavit impropriè, pro ordinatione divina.

Augustinus obedientiam vocat eam, qua veteres, qui alio modo ad Rempublicam nihil conferebant; saltem filiorum generatione eam multiplicabant, non vi alicujus præcepti (unde nec ulla volentibus abstinere pœna legitur statuta) sed ex consuetudine.

Quod autem sumitur; *Maledicta sterilis*,&c. à Sanctis quidem Patribus citatur ex scriptura veteris testamenti,ubi & sterilitas reputabatur in opprobrium, & ei contraria fœcunditas in benedictionem: Ibi tamen non reperitur,ut etiam monet notatio Gregoriana ad cap. *Recurrat* 32.qu.4.

Ad 3. Cùm concipere & parere non sit mulieri præceptum, utpotè non situm in ejus potestate; *jussit*,positum est, pro *instituit.*

Ad alia verò Augustini verba Resp. negand. Cons. quum ex ijs solum sequatur eam fuisse vul-





garem in populo Judaico consuetudinem, quasi pro lege observatam ut communiter omnes copularentur matrimonio; quam consuetudinem sibi esse observandam existimavit B. Joseph. non fuisse autem illam consuetudinem, vice legis propriè dictæ; manifestum est ex Josue,Elia,Eliseo,& Jeremia, quos Hieronymus dicto libro 1. contra Jovinian. & epi.118. quæ est.præfat.in Jeremiam, scribit permansisse virgines, sicut & B. Ignatius epist.9.quæ est ad Philadelphienses.

Ad 4. Non necesse est scire se habere donum continentiæ, sed satis est, quod illud sit in potestate hominis, divina gratia, excitati & adjuti. Quo modo,ut quis sciat christianus, non est necessarium quod sciat se habere donum permanendi in fide & religione christiana, sed satis est quod per Dei gratiam possit perseverare.

Locus Apostoli permissionem significat eorum qui adhuc liberi sunt; his enim si ab incontinentia periculum est, permittitur matrimonium.

Ad 5. Respondet Joviniano Hieronymus, *Noli metuere ne omnes virgines fiant. Difficilis res est virginitas,& ideo rara, quia difficilis.* Sed nec pro absurdo habendum est,quod mundus pereat,quandoquidem sit interiturus,etiamsi omnes nuberent. Si verò (quod speculativè solum fingitur) eò res deveniſſet, ut soli supereſſent sacerdotes & religiosi cum Sanctimonialibus: Dominitus & alij quidam existimant quod ad matrimonium contrahendum obligarentur; eò quod præceptum matrimonij sit naturale: Sed cum Durando & Paludano contrarium existimamus; dicit enim Apostolus, *volo omnes esse sicut meipsum*: censebat ergo licere omnibus esse cælibes: Naturale verò præceptum de matrimonio inditum est à Deo ad complendum numerum electorum,& ad multiplicandum genus humanum usque ad finem mundi: Tali autem casu meritò possent isti de quibus agitur cogitare adesse finem mundi, & numerum Electorum esse completum.

Ad 6. Negatur assumptum, nam abstinentia Venereorum maximè vires roborat, ipso etiam Marone attestante his versibus.

*Sed non ulla magis vires industria firmat,*
*Quam venerem,& cæci stimulos avertere amoris.*

Ad 7. Negatur consequentia: quia inclinatio naturalis ad cibum,est propter conservationem individui; ad matrimonium verò, propter conservationem speciei. Quæ cum ita sint; contingere tamen potest quod aliquis etiam sub mortali, teneatur ad conjugium,ut si pacis vel religionis conservandæ causa exigat, ut Principes vel Principum filij matrimonio copulentur, quia alioquin regnum sit ad hæreticos devolvendum, aut magnæ perturbationes in Republica secuturæ.

### Articulus III.

*Utrum actus matrimonij sit licitus.*

Videtur quod non. Primò, quia ut ratiocinatur Hieronymus lib.1. contra Jovinianum c.4. *Bonum est homini mulierem non tangere*: (1.ad Cor.7.) ergo malum est tangere.

Secundò, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, ait ad Rom.8.Apostolus, & ex illo Siricius Papa epist.1.cap.7. Qui conformiter cap. 5. conjugia vocat pollutiones.

Tertiò, Matrimonium teste Apostolo, con-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ceditur secundùm indulgentiam; indulgentia verò, A sive venia, locum non habet, ubi nullum est peccatum, dicente Aug. libr. de peccato origin. cap. 38. *Evidenter denotat culpam, dum tribuit veniam.*

Quartò, Matrimonium impedit hominem à cœna Patris familias. Luc. 14.

Quintò, actus matrimonialis semper habet culpam aliquam, saltem venialem adjunctam, quia non fit sine motu sensualitatis: omnes autem motus qui sensualitati adscribuntur, peccata sunt; ait Author in 2. dist. 24. qu. 3. ar. 2.

Confirmatur, matrimonium post peccatum institutum est in remedium incontinentiæ; qui autem sic eo utuntur, peccant; ergo secundùm institutionem quam nunc habet, est illicitum. B

His tamen non obstantibus, contra Saturninum Simonis magi discipulum, Marcionem, Tatianum, Manichæos, Encratitas, Adamianos, aliosque hæreticos, qui nuptias ut per se malas damnabant; sive quia credebant temporalia non à bono sed à malo principio esse; sive quia tali prætextu licentius vagabantur per diversas libidines.

Responsio ad fidem pertinens, est, matrimonium ejusque actum esse bonum ac licitum: Cum enim matrimonium sit à Deo institutum ad genus humanum per generationem prolis conservandum: consequens est & ipsum, & ejus usum esse à Deo. Id quod pluribus Apostoli sententijs 1. ad Cor. 7. Confirmatur; *Uxori vir debitum reddat. Si* C *acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, nō peccavit. Non peccat si nubat. Qui matrimonio jungit virginem suam: benefacit.* unde & cap. 13. ad Hebræos, conjugatos est hortatus, ut apud eos esset *connubium honorabile & thorus immaculatus.*

Eodem facit quod Christus Matth. 5. & 19. nolit uxorem extra causam fornicationis dimitti: Et quod Joannis 2. nuptias honoravit sua præsentia, & illustri miraculo: quod Tobias voluntate Dei Sacram acceperit: Item quod frater relictus deberet (Deut. 25.) suscitare semen fratri suo, quibus autem modis peccent conjuges in actu matrimoniali, qu. 49. dicetur.

Ad 1. Arg. duplex est Resp. Una, quæ admit- D tit consequentiam Beati Hieronymi, qui non infert tangere mulierem, sive illi commisceri, esse peccatum, sed malum; eo quod post corruptionem peccati, carnalis commixtio non fiat sine malo turpis delectationis; quod tamen excusatur à culpa; per bonum conjugij.

Altera negat consequentiam; quia *bonum* Apostolo idem ibi valet, quod melius: quo modo & postea usurpat, cùm dicit, *Qui judicavit in corde suo, servare virginem suam, benefacit*: quod statim explicat dicens, *Qui non jungit, melius facit.*

Ad 2. Apostolus loquitur de illis qui secundùm carnem vivunt. Siricius autem Apostoli sententiam applicat non conjugio christianorum uni- E versim, sed monachorum & sacerdotum attentatis nuptijs; quales esse in carne, seu carnali concupiscentiæ succumbere, extra controversiam est. De his enim loquitur Pontifex cap. 6. & 7. sicut cap. 5. de conjugio seu conjugali opere illorum, qui post peractam solemnem pœnitentiam, vel attentant nova conjugia, vel alioquin illicitis amplexibus involvuntur, quorum illud per can. 21. Conc. 2. Arelatensis erat ejus inhibitum.

Ad 3. Etsi matrimonium secundùm indulgentiam concessum interpretari possemus, quia multiplicato jam sufficienter genere humano, neque præcipitur ut bonum necessarium, neque consulitur ut bonum majus, sed conceditur tanquam bonum minus: Apostolus tamen non matrimonium, sed matrimonij eum usum qui sit per incontinentiam, (manendo tamen intra conjugalem affectum) & non causa liberorum, aut reddendi debiti; vocat secundùm indulgentiam, uti affirmat Aug. libr. de bono conjugali cap. 10. & de hujusmodi, quod culpa venialis non careat, cum eodem Augustino putamus probabile.

Ad 4. Negatur assumptum: quia id in parabola inducitur propter impedimenta quibus conjugati sæpè abstrahuntur à rebus divinis. *Qui enim cum uxore est*, ait Apostolus 1. ad Cor. 7. *solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Quod tamen non sit vitio conjugij, sed culpa hominum.

Ad 5. etiam negatur assumptum: quia motus sensualitatis quos B. Thomas dicit esse peccata, soli illi intelliguntur qui feruntur in aliquid delectabile, præter ordinem rationis. Conferri possunt quæ diximus 1. 2. qu. 74. ar. 3. & 3. part. qu. 27. artic. 3.

Ad confirmationem, Respondetur quod matrimonium non propriè dicatur esse institutum in remedium; finis enim ejus proprius, tam post lapsum quam ante, est generatio & educatio prolis. Remedium autem concupiscentiæ, est quidam ejus effectus, ut quæst. 42. art. 2. patebit; quem qui spectant, dum utuntur matrimonio; non peccant, modò propter ejus finem proprium conveniant, vel causa reddendi debiti.

Authoritas quæ in argumento secundo citatur, non est Hieronymi, cui Gratianus 32. qu. 2. c. *Connubia*, eam tribuit, & eum secutus B. Thomas; sed Origenis homilia 6. in Num. ubi sic habet, *Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo quo conjugales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus dabitur, etiamsi prophetæ esse videatur, qui officio generationis obsequitur.* Quibus verbis non aliud vult quam non omnia opera quæ fiant à Sanctis, esse ascribenda speciali auxilio Spiritus sancti: quædam enim solis naturæ viribus fieri, etiam ab illis. Unde subdit, *Sed & alia plura sunt, in quibus sufficit sola vis humana.*

Sciendum tamen quod aliqua sint apud B. Hieronymum similia epist. 11. cap. 4. hæc nimirum: *Nec ducturus uxorem, nec ille qui duxerat* (fortè duxerit) *possunt in opere conjugali liberè prophetare.* Ad quæ verba B. Thomam hic respexisse omnino persuadet responsio quam adfert.

### Articulus IV.

Art. 4. probat actum matrimonij esse meritorium, si ad eum inducat virtus, aut justitiæ, ad reddendum debitum; aut religionis, ad habendam prolem quæ in cultu Dei educetur. Et confirmari potest tum ex 1. ad Thess. 4. *Sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore*; tum ex 1. ad Timotheum 2. ubi de muliere christiana conjugata dicitur, quod *salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, sanctificatione cum sobrietate.*

Hinc August. lib. 4. contra Julian. cap. 3. amore Creatoris fieri dicit, *ut pudicitia conjugalis sit bonum beatificum*, id est beatitudinis æternæ meritorium, *si quando utitur conjuge carne, ejus intentio sit non in voluptate libidinis, sed in voluntate propagationis.*

Eodem



Eodem facit, quod omnes actus hominis justi, A sint meritorij, si per charitatem referantur ad finem supernaturalem.

Quamvis autem, ut ex Origine audivimus, actus matrimonialis fieri possit solis naturæ viribus, voluntas tamen qua is refertur ad talem finem, seu ad honorem Dei, per charitatem habetur, nec est sine speciali dono gratiæ.

*Ob.* Neque hinc sequitur consulendum esse, ut conjuges crebro exerceant illos actus: quia sunt quidem boni, sed non optimi.

*Resp.* Addit B. Thomas actum matrimonialem esse peccatum, si ad illum libido moveat: Sed hac de re qu. 49. plenius dicetur.

## QUÆSTIO XLII.

### *De Matrimonio in quantum est Sacramentum.*

### Articulus I.

*Utrum matrimonium sit Sacramentum.*

Videtur quod non, Primò, quia non semper agnitum est ab Ecclesia pro Sacramento; nam ante Concilia Florentinum, & Constantiense, non invenitur annumeratum alijs Sacramentis. Unde Durand. in 4. d. 26. secutus Magistrum dist. 2. docet matrimonium C non conferre gratiam.

Et confirmatur, quia alioquin status virginitatis esset inferior matrimonio.

Secundò, In contrahendo matrimonio licitè intervenit pactum de dote: Ergo matrimonium non est sacramentum conferens gratiam; alioquin enim tale pactum foret simoniacum.

Tertiò, Sic sacerdotes non essent arcendi à matrimonio, nam nec Sacramenta inter se pugnant, nec quisquam est arcendus à perceptione gratiæ.

Quartò, sacramenta habent ex institutione Christi significationem rei supernaturalis: matrimonium autem solùm habet significationem na- D turalem aut humanam, ergo non est Sacramentum. Minor probatur, *Primo*, quia matrimonium Christianorum non differt à matrimonijs aliorum. *Secundo*, quia si Ethnicus videat Christianos contrahere matrimonium, & intelligat verba quæ illi proferunt, facilè capiet quid agatur. Si tamen videret puerum baptizari, non intelligeret quid ea actione fieret, etiamsi esset gnarus linguæ Latinæ.

Quintò, sacramenta non possunt conferri absentibus: Matrimonium autem inter absentes, est validum.

Sextò, Ecclesia non potest mutare essentialia sacramentorum: mutat autem essentialia matri- E monij, ut cum prohibet conjugia in certo gradu consanguinitatis: ergo.

Septimò, Apostolus ad Ephesios 5. vult conjugalem copulam esse Sacramentum conjunctionis Christi & Ecclesiæ: Atqui absurdum videtur dicere, quod copula carnalis gratiam conferat; ergo non est Sacramentum.

Octavò, quando infideles conjugati, ad fidem Christi conversi, ambo baptizantur, eorum matrimonium non est Sacramentum: ergo nec aliorum baptizatorum. Videtur enim par ratio.

Denique, non inveniuntur hìc ea tria, quæ *Sylv. in III. Part.* Concilium Florentinum dicit reperiri in omnibus Sacramentis, scilicet materia, forma, & minister.

Responsio ad fidem pertinens, contra Armenos, Lutherum, Calvinum, & alios hæreticos, in *Resp. affirm.* Concil. Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & sess. 24. can. etiam 1. declarata est, matrimonium in lege Evangelica esse verè & propriè Sacramentum.

Idem liquet ex compendio fidei per Concilium Florentinum dato Armenis. Ex bulla etiam Martini 5. in fine Concilij Constantiensis: Et ex Concilio Ephesino, ubi Patres ducenti affirmant, *Christum dispensatoriè ipsis tunc benedixisse nuptijs, cum in Cana Galilææ cum sanctis vocatus Apostolis, adesse dignatus est.* Quæ eadem verba reperiuntur in epistola decima Cyrilli, quam ipse unà cum Synod. Alex. misit ad Nestorium.

Et lib. secundo in Joannem cap. vigesimo secundo, idem Cyrillus, de hac re loquens, *Multa* (inquit) *& magna eodem signo peragebantur: Sanctificabantur nuptiæ.*

Lucius autem tertius in capitulo, *Ad abolendam*, titulo de hæreticis, cum Concilio Veronæ habito, Anathema dicit omnibus *qui de baptismo, Eucharistia, Confessione, Matrimonio, vel reliquis Sacramentis aliter senserint, quam sacrosancta Romana Ecclesia.*

His & aliorum Patrum testimonia suffragantur. Syricius epist. 1. capit. 4. violationem matrimonij à sacerdote benedicti, vocat sacrilegium: censet ergo matrimonium sic benedictum, esse rem sacram.

Innocentius 1. epistola 9. reprehendens conventum secundæ mulieris, priore superstite; asserit fide catholica suffragante, illud fuisse conjugium, quod prius erat divina gratia fundatum.

Augustinus christianorum conjugium vocat Sacramentum lib. 1. de nuptijs & concupiscentia capite decimo, libro de fide & operibus capite 7. libro de bono conjugali, cap. 18. & 24. Quod autem propriè loquatur de Sacramento, qualia sunt à Christo septem instituta, probari potest ex eo quod velit matrimonium non esse Sacramentum, nisi in Ecclesia Christi; cum tamen generaliter loquendo, etiam infidelium matrimonia, sacramenta quædam sunt, significantia scilicet conjunctionem Christi cum Ecclesia in naturæ conformitate nam *Sacramentum conjugij apud fideles & infideles existit*, ait Innocentius tertius, capitulo *Gaudemus*, titulo de divortijs. Unde S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7. & 3. part. quæst. 61. art. 2. ad 3. docet quod matrimonium sit signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, id habere ex prima sua institutione: quæ proinde significatio & generalis Sacramenti ratio, manet in matrimonijs fidelium & infidelium, licet ab his ignoretur. *Quatenus infidelium matrimonia sint sacramenta.*

Ex his patet falli aut mentiri Calvinum, dum E asserit neminem ante Gregorij tempora, vidisse matrimonium esse Sacramentum.

Accedit & ratio, Matrimonium est signum rei sacræ quam debitè contrahentibus confert; ergo est Sacramentum. Antecedens probatur, quia præter conjunctionem Christi cum Ecclesia per conformitatem naturæ, quam matrimonium significat & non efficit, etiam significat conjunctionem amicabilem & Christianam conjugum inter se: hanc autem conjunctionem ita significat, ut etiam faciat: Ad hoc enim Christus sanctificavit nuptias, Joannis 2. eaque ad Sacramenti rationem

Universidad de Deusto
Biblioteca



evexit, ( quod tam Conciliorum quam Patrum A authoritatibus patet, ) ut conjugibus conferatur gratia qua invicem diligant, fidem sibi servent, concorditer vivant, proles regenerari curent, & sanctè educent.

Hanc rem nonnulli probant ex cap. 5. ad Ephesios, ubi dicitur *Sacramentum hoc magnum est*, non quidem ex solo vocabulo Sacramenti, sed simul ex adjunctis. Quia tamen extra controversiam non est, utrum Apostolus de solo inter christianos contracto matrimonio agat; præsertim cum multi eorum ad quos scribit, conjugum iniverint adhuc infideles; & omnia quæ ibi adfert, verificari possint de matrimonio secundùm primævam suam institutionem considerato; ut intellexit Beatus B Thomas dicto articulo septimo, in 2.2. Hinc probatio certior est ex perpetua traditione. Apostolicæ verò sententiæ hic videtur sensus: Arctissima illa viri & mulieris conjunctio, magnæ cujusdam rei arcanum signum est, conjunctionis scilicet Christi & Ecclesiæ.

*Ob.* Si dicas Concilium Tridentinum sess. 24. locum illum intellexisse de matrimonio christianorum quod gratiam confert.

*Resp.* Respondetur, Concilium dicere quod Apostolus verbis illis innuat Christum sua passione nobis promeruisse gratiam; qua conjuges sanctificentur: non dicit autem Apostolum eo loco significare quod Sacramentum conjugij gratiam conferat. C Proferuntur & variæ rationes.

Prima, quod finis matrimonij christianorum sit prolis, non generatio tantum, sed etiam in fide & bonis moribus educatio, quam parentes præstare non possunt sine auxilio gratiæ.

Secunda, quod matrimonium christianorum sit prorsus insolubile, nec possit altera conjunx, vivente priore superinduci, quicquid morbi, difficultatis, absentiæ, vel impedimenti superveniat. Ad hoc ferendum opus est gratia.

Tertia, quod matrimonium sit in remedium, Sed hæ rationes ut probabiles sunt, ita non convincunt.

Observandum porro quod cum matrimonium D sumi possit, vel pro contractu matrimoniali, vel pro ejus vinculo: quando dicimus matrimonium esse Sacramentum novæ legis propriè dictum, nos loquamur de illo secundùm quod est contractus juxta Christi institutionem celebratus: non enim est vinculum matrimoniale, quod gratiam confert & conjuges sanctificat; sed celebratio contractus cum forma à Christo instituta. Verum tamen est quod ipsum quoque vinculum sit quodam modo Sacramentum, sed latiori ac generaliori modo; quod etiam in veteri lege, imo & in lege naturæ matrimonia fuerunt sacramenta, sacræ scilicet alicujus rei signa. Sed ad argumentorum solutionem veniamus.

Ad 1. Argumentum Resp. neg. Antecedens. E Quod enim matrimonium christianorum sit Sacramentum, patres Florentini, & Constantienses non de novo invenerunt, sed ab anterioribus patribus per traditionem acceperunt: ut ex Evaristi epistola prima, Lucij tertij cap. *Ad abolendam*, & ex alijs patet.

Durandi opinio ab omnibus doctoribus reprehenditur: in eo tamen ipse differt ab hæreticis quod sententiam suam Ecclesiæ judicio subjiciat.

Magistrum ab errore vendicat B. Thomas in eandem distinctionem scribens; ut cum dixit matrimonium esse tantum in remedium, intelligatur locutus de fine seu effectu ad quem est principaliter institutum. Quamvis enim omnia sacramenta valeant contra peccatum, & præstent auxilium ad bene vivendum; rectè tamen secundùm Magistrum ita distinguuntur, quod quædam sint principaliter instituta ad juvandum hominem in bono, ut Confirmatio, Eucharistia, & Ordo: Quædam ad remedium contra peccatum: vel delendum, ut Pœnitentia, & Extrema unctio; vel vitandum, ut Matrimonium: Baptismus autem sit ad utrumque effectum; per eum enim vetus homo moritur, & novus nascitur.

Ad confirmationem Resp. id non sequi: quia licet matrimonium conferat gratiam, majorem tamen, tum gratiam, tum gloriam erant habituri conjuges, si pro Dei amore abstinuissent.

Ad 2. Negatur consequentia. Ut enim loquitur B. Thomas 2.2. quæstione 100. articulo secundo, ad 6. *Matrimonium non solum est Ecclesiæ Sacramentum, sed etiam naturæ officium & ideo dare pecuniam pro matrimonio in quantum est naturæ officium, licitum est; in quantum verò est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum.*

Ad 3. Sacerdotes arcentur à matrimonio; non quia sacramenta inter se pugnent; sed quia status conjugalis magnum impedimentum afferret functionibus sacerdotum. Ipsi enim toti debent vacare Deo: *qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*, 1. ad Corinth. 7. Neque verò arcentur à perceptione gratiæ: nam per susceptionem & usum ordinum, uberem gratiam consequi possunt.

Ad 4. Negatur Minor. Matrimonium enim Christianorum in hoc ab alijs differt; quod significat & efficit unionem corporum, magis insolubilem, quam verba communi intellectu significent: ac insuper, unionem animorum per dilectionem christianam. Hos autem effectus non magis capiet Ethnicus, quam effectum baptismi.

Ad 5. quod matrimonium inter absentes validum quidem sit, sed non habeat rationem Sacramenti novæ legis, docebitur in sequentibus.

Ad 6. Negatur minor. Materia enim vel subjectum matrimonij, sunt personæ legitimæ: Ecclesia verò nunquam facit, ut vel personæ illegitimæ sint materia, vel legitimæ non sint materia: sed solùm determinat, quæ personæ sint, vel non sint legitimæ.

Ad 7. Conjugalis corporum conjunctio, etsi habeat sacram significationem; non pertinent tamen ad essentiam matrimonij; & ideo gratia sacramentalis non in ea confertur, sed in contractu per ministrum Ecclesiæ celebrato.

Ad 8. Negatur consequentia; quia matrimonium baptizatorum, initur secundùm institutionem Christi: eorum autem infidelium qui postea baptizantur, initum fuerat ab illis qui necdum erant Sacramenti ullius, præterquam baptismi, capaces. Videndus erit articulus 2. qu. 59.

Ad Ult. Negatur assumptum. Pro cujus intellectu,

QUÆ-



## QUÆRITUR I.

### *Quis sit minister Sacramenti matrimonij.*

A

Multorum opinio habet, esse ipsos contrahentes, adeò ut nonnulli Melchiorem Canum aliud sentientem graviter reprehendant.

Primò, quia excluduntur alioquin à ratione Sacramenti omnia matrimonia clandestina; cùm tamen fuerint rata & insolubilia; insolubilitatem autem illam haberent ex eo quod essent sacramenta Christi. Unde Ecclesia quamvis ea semper vetuerit, pro sacramentis tamen habuisse videtur, cum nunquam jusserit solemniter iterari, ut ratificatis consensibus forma Sacramenti accederet. B

Secundò, Quando tota efficacia Sacramenti est ex materia & forma; ad sui valorem non requirit operam ministri Ecclesiæ, ut patet in baptismo per laicos collato, & in Eucharistia per non sacerdotem ministrata; Atqui virtus matrimonij pendet ex actibus contrahentium; illi enim sunt sufficientes, (ait Author qu. 45. ar. 5. ad 2.) ad inducendum proximum effectum qui est obligatio; ergo non pendet ab Ecclesiæ ministro.

Tertiò, Concilium Florentinum, cum aliorum sacramentorum ministrum expresserit, non C alium matrimonio assignat, quam contrahentes: consensum enim eorum per verba de præsenti expressum dicit esse *causam efficientem matrimonij*. Loquitur autem de illo quatenus est Sacramentum, nam alioquin doctrinam sacramentorum dedisset imperfectam.

Quartò, etiam post Concilium Tridentinum, matrimonium est validum Parocho nihil dicente, modò præsens adsit & intelligat quod agitur: ut habent responsa Cardinalium.

Quintò, Concilium Tridentinum apertè indicat non alium esse ministrum matrimonij in nova lege quam in veteri; imo nec aliam materiam & formam agnoscit. D

Denique, B. Thomas hîc ad 1. & dicta qu. 45. articulo quinto ad 2. docet benedictionem Sacerdotis non requiri in matrimonio, quasi de essentia Sacramenti.

*Sacrã. matrim. minister est solus sacerdos.*

Responsio verior est, hujus Sacramenti ministrum esse solum sacerdotem. Primò, quia sponsus & sponsa sunt ab illo benedicendi, ut loquuntur patres Concilij 4. Carthag. can. 13. & ante illos, Evaristus epist. 1. addens *hunc esse morem ut uxor à parentibus dotetur, & cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur.* Cujus benedictionis etiam meminit Siricius epistolæ 1. cap. 4. significans illam esse tam sacram; ut ejus violatio sit apud fideles instar sacrilegij.

Quod autem illa benedictio sit essentialis; probatur Primò, quia Ambrosius epistola 70. docet conjugium sacerdotali benedictione sanctificari debere. E

Secundò, quia patres dicti Concilij Cartaginensi, sponsos admonent, ut cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant. Si verò benedictionem illam æstimassent solum esse cæremoniam, non erat causa cur tantæ reverentiæ habendæ, novos conjuges admonerent: nam æqualem vel majorem benedictionem christiani quilibet singulis diebus accipiunt in fine sacrificij, tum à sacerdotibus, tum ab Episcopis; neque tamen propterea monentur abstinere ab usu conjugij.

Tertiò, quia benedictio quæ matrimonio solùm est accidentalis, non adhibetur secundis nuptijs, ut art. 2. quæst. 63. docebitur: Patres autem loquuntur de benedictione quæ omnibus christianorum conjugijs debet adhiberi. *Unde* cap. nullus 30. quæst. 5. universaliter decernitur *quod Nullus fidelis cujuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione accepta à sacerdote publicè nubat in Domino.*

Quod autem in Concil. Carthaginens. dicitur sponsus & sponsa cum benedicendi sunt à sacerdote, non significat aliquos sponsos non esse benedicendos, ea nimirum benedictione quam dicimus esse formam; sed perinde est, ac cum sponsus & sponsa sunt matrimonium in facie Ecclesiæ contracturi.

Quartò, quia Alexander 3. cap. *Cum in Ecclesia*, tit. de Simonia; dicens *horribile esse quod pro sepulturis, & exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium seu alijs Sacramentis aliquid requiratur:* addit: *Ne igitur nec de cætero fiant, vel pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu alijs Sacramentis conferendis seu collatis aliquid exigatur; strictius prohibemus.* Ubi semel & iterum, benedictionem nuptiarum vocat Sacramentum.

Si dicas nomen Sacramenti latè sumi, idque in- *Ob.* de patere quod sepulturæ & exequiæ mortuorum *Resp.* ibidem comprehendantur sub Sacramentis. Respondetur non ita esse. Cùm enim dicitur, seu alijs Sacramentis; relatio non fit nisi ad benedictiones nubentium, de quibus proximè procedit.

Secundum Argum. sumi potest ex fine Concilij Constantiensis, ubi Martinus 5. vult suspectum rogari *an credat quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel extremæ unctionis, vel solemnizationis matrimonij, peccet mortaliter.* Ibi enim solemnizationem matrimonij pontifex vocat Sacramentum, sicut confirmationem & Extremam unctionem: ac proinde solemnizans illud ita est minister Sacramenti, sicut confirmans & inungens.

Tertium, Concilium Florentinum docet omnia sacramenta tribus perfici, *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri:* si autem contrahentes forent ministri hujus Sacramenti; ipsum aliquando perficeretur sine verbis, scilicet per litteras, vel nutus matrimonialem consensum exprimentes. Neque dici potest quod in *Tacitè ob.* concilio intelligantur non solum verba propriè dicta, sed etiam ea signa quæ gerunt vicem verborum: Nam si quis tentaret aliquod aliud Sacramentum conferre per nutus & signa, verè deessent verba, & eorum defectu Sacramentum non subsisteret. Deinde, sic intelligendo, causa efficiens matrimonij *non solum regulariter* esset *mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, quomodo loquitur concilium, sed semper: nunquam enim potest effici matrimonium, nisi conjuges verbis propriè dictis vel signis æquivalentibus consensum exprimant.

Quartum, Concilium Tridentinum vult *Parochum viro & mulieri interrogatis: & eorum mutuo consensu intellecto, dicere; Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris &c. vel alijs verbis*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*uti, juxta receptum uniuscujusq; pronunciæ ritum.* Ista A autem verba sunt vera, ergo parochus verè illos conjungit matrimonio, saltem quatenus est Sacramentum; & propterea est minister Sacramenti.

Hinc in manuali Atrebatensi ann. 1600. impresso, post consensum utrimque datum, habetur quod *sponsus & sponsa debent fieri conjuges dicendo, Et ego conjungo vos* &c.

Manuale Iprense anni 1576. similiter post consensum sponsi & sponsæ sibi invicem datum, jubet ut *dicat sacerdos: Et ego tanquam Ecclesiæ minister, vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris* &c.

Mechlinien se tam anni 1589. quam 1607. ita præscribit, *Stante viro ad dextram mulierе verò ad* B *sinistram Sacerdos hujus Sacramenti minister sponsum & sponsam aspergat aqua benedicta.* Et postea, *Rursus Sacramenti minister interroget* &c. Actandem: *Data sic utrimque fide, dicat Sacerdos, Et ego tanquam Dei minister vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris* &c.

Ex his, cum verbis Conc. Trid. collatis, de quibus statim in quæsito 2. sic ratiocinari possumus, Sacerdos tanquam Dei & Ecclesiæ minister verè conjungit in matrimonium, sponsum & sponsam: sed non conjungit eos, efficiendo matrimonium in quantum est contractus: ergo conjungit, efficiendo matrimonium in quantum est Sacramentū. Minor patet, quia profert illa verba post datum utrimque consensum; ille autem cōsensus verbis expressus est C causa efficiens matrimonij, ut ex Conc. Flor. cōstat, matrimonij inquam sub ratione contractus. Cons. probatur, quia non apparet quo alio modo verificari possint verba sacerdotis dicentis, *Et ego vos in matrimonium conjungo.* Adde quod sacerdos claris verbis ibi vocatur, *hujus Sacramenti minister.*

Est autem observatione dignum quod istud Manuale Mechlinien s. non unius sit, sed plurium S. Theologicæ facultatis Lovanien sis professorum, qui illud ex se lectoribus aliarum dioc esium Manualibus collegerunt, ut ipsorum professorum, & aliorum præterea doctorum virorum judicio diligenter recognitum & probatum in lucem prodiret. Patet hoc tum ex præfatione Joannis Haucini D Archiepiscopi Mechlinien sis; tum ex approbatione Henrici Cuyckij Decani facultatis Theologicæ Lovanien sis anno 1588. postea verò Episcopi Ruræmunden sis, utrique editioni appositа.

His consentiens Synodus Cameracen sis anno 1567. celebrata c. 1. de matrimonio sic loquitur; *Cum constet in matrimonio habendam esse rationem non solum divinæ institutionis, sed etiam Sacramenti & gratiæ quam in illo consequuntur fideles, Admonendos esse duximus parochos hujus ministros,* &c.

Et Concilium Colonien se anno 1536. habitum cap. 40. de matrimonio, docet hoc Sacramento, si- cut decet, accipiatur, accedente sacerdotali bene- dictione, conferri donum Spiritus. Quod autem E quidam ait, istis verbis aperte doceri per sacerdotalem precationem nō conferri susceptionem Sacramenti; omnino est negandum; vult namque illa Synodus matrimonium non esse Sacramentum nisi sacerdotalis benedictio (quo nomine verba formæ intelligit, & non nudam precationem) accedat contractui. Confirmatur, precatio quam facit sacerdos postquam Sacramentum est collatum etsi possit impetrare gratiam à Deo, non tamen efficit ut Sacramentum prius collatum conferat gratiam; Patres autem Synodi loquuntur de gratia quam Sacramentum confert. In Enchir. quoque Colonien s. cap. penult. de Matrimonio sic dicitur: *quantò magis putandum est in novâ legē sacerdotes qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus Sacramenti ministros esse?*

Quid ad hæc testimonia respondeat quidam neotericus, & quo modo falsam affingat eis interpretationem, diximus, & confutavimus 2. 2. q. 100. ar. 2. ad 6. Nec ullum è veteribus potest adferre qui verba, *Conjungo vos*, explicet per declaro vos conjunctos; quive ministrum alicujus Sacramenti, accipiat pro directore & assistente illo, qui non administrat nec administrare potest Sacramentū. Quod ait Episcopos & sacerdotes posse esse ministros Sacramēti matrim. (si ut jure divino nō prohibentur) uxores ducerent, petitionem principis continet; hoc enim est de quo quæritur, an qui matrimonium contrahunt, sint ministri Sacramenti. Potius meminisse deberet quod Ecclesia quando legem continentiæ imponit Episcopis & presbyteris, sicque illos arcet à matrimonio ineundo, non intendit eis prohibere ne sint ministri alicujus Sacramenti, cum nemo veterum id reperiatur dixisse, sed potius tradant ad hoc ipsos esse institutos, præsertim autem Episcopos, ut sint ordinarij ministri sacramentorum, sine ulla exceptione quoad Episcopos.

Idem jam olim significavit Gulielmus Parisien sis in tract. de matrimonio; cum dixit necessarium esse nubentibus impendi sacerdotalem benedictionem. Nam quod nonnulli respondent, eum non loqui de benedictione his verbis contenta, *Ego vos conjungo*; sed de alia quæ tempore sacrificij adhibetur; non satisfacit: hæc enim posterior non adhibetur omnibus conjugijs; Gulielmus autem dicit quod sine sacerdotali benedictione *nunquam celebrandum est matrimonium.*

Dicit præterea quod *matrimonium est sacrans apud fideles* seu sacrandi & sanctificandi vim habet *virtute benedictionis:* ergo sentit omnia matrimonia quæ sunt sacramenta novæ legis, habere benedictionem: Illa quippe omnia & sola habent vim sacrandi.

Novissimè, Rituale Romanum jussu Pauli 5. editum, sic in præfatione loquitur, *Caterum illorum tantum Sacramentorum, quorum administratio ad parochos pertinet, ritus in hoc opere præscribuntur; ejusmodi sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema unctio, Matrimonium:* Ergo ex Ritualis istius authoritate dicendum est, parochum esse ministrum, sicut Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ unctionis, ita Matrimonij.

Quibus conformiter antea scripserat S. Carolus Borromæus Act. p. 4. §. 1. fin his verbis: *Cum verò Sacramenta quinque tantum, nempè Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Matrimonium, & Extremam unctionem Parochus ex officio administrare possit: eorum ceremonias quas rectè servet, locis proprijs præscripta sunt. Reliquis autem Sacramentis duobus. Confirmationi & Ordini, quorum administratio solius Episcopi est, non caremonia administrandi in hoc libro ascribuntur, sed adjungi opera precium fuit brevem quandam institutionem.* Et similiter sacerdotale Rom. an. 1494. collectum per Albertum Castellan. Dominicanum: Si estis consanguinei vel affines usque ad quartum gradum inclusivè &c. Quibus sigillatim Respondentibus quod non, sacerdos pronuntiet *verba quæ sunt forma hujus Sacramenti*, cū consensu utriusque. De quo consensu specialiter eos moneat, quod si desit, nihil omnino agitur; & dicat sponso. Domine Petre vel N. placet vobis accipere



cipere Dominam Catharinam vel N. in vestram le- A gitimam sponsam per verba de præsenti sicut præcipit sancta Rom. & Apostolica Ecclesia. Quo dicente placet Domine: sacerdos dicit sponsæ, Domina Catharina vel N. placet vobis accipere dominū Petrum vel N. in vestrum legitimum sponsum per verba de præsenti sicut præcipit sacrosancta Rom. & Apostolica Ecclesia, & illa dicente, Domine placet mihi; sacerdos &c. dicat, *Et ego authoritate qua fungor conjungo vos matrimonialiter in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.*

Consentit his Tolet. in instructione Coloniæ impressa anno 1601. l. 7. cap. 2. de Matrimonio sic scribens. *Efficiens causa sunt ipsi contrahēntes in quantum est contractus quidam. At verò ut Sacramentum* B *Deus est causa principalis, minister est causa instrumentalis sicut in alijs Sacramentis.*

Et apertius ac luculentius Pater Joannes Marius Scribonius ordinis Minorum disp. 9. de Matrimonio docet formam Sacramenti matrimonij esse illam, ego vos conjungo in nomine Patris &c. & ministrum esse Parochum vel sacerdotem nomine ejus matrimonium celebrantem; quod & variè probat, & dissolvit argumenta Bellarmini, quæ contra Melchiorem Canum attulerat.

Quintum arg. Sacramentorum quæ in actione consistunt, minister alius est à suscipiente: ut patet ex eo quod nullus possit se baptizare, confirmare, absolvere, ungere.

C

Sextum, Contrahentes non sciunt se esse ministros hujus Sacramenti, neque jubetur parochis ut eos doceant habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia; & tamen absque tali intentione, nullū Sacramentum potest subsistere. Neque responderi *Tacita ob.* potest sufficere quod velint contrahere: nam & hoc volunt hæretici & Pagani, qui tamen nec habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nec verum Sacramentum matrimonij perficiunt.

Septimum, si contrahentes sunt ministri hujus Sacramenti, & consequenter eorum non tantùm verba, sed etiā signa, facta, nutus sunt forma: sequitur copulam carnalem animo maritali factam ab eis qui sponsalia prius contraxerant, esse formam D Sacramenti. Atqui nullā habet speciem veri, Christum id instituisse pro forma Sacramenti, quod non potest absque gravi peccato fieri: talis autē copula fieri nō potest absque gravi peccato, cum pertineat ad clandestinum matrimonium, ab Ecclesia semper improbatum, ac præsertim si pro signo consensus non aliud sit quàm ipsa corporum commixtio.

Octavum, absurdum videtur in Sacramenti alicujus administratione minus tribuere Episcopis & presbyteris, quam laicis; cum soli Episcopi & sacerdotes sint ad ministeriū sacramentorū ordinati.

Ad hoc argum. quidam negat Antec. *Eodem* inquit, *jure quo sine alia probatione sumitur:* & tamen ad probationem nihil respondet. E

Ex his perspicere licet hanc sententiam non esse novam, neque repugnare communi sententiæ omnium Theologorum, ut quidam Neotericus ann. 1625. scripsit; sed à Patribus, alijsque post eos doctis viris esse traditam: contraria verò multorum quidem fuit Scholasticorum, non tamen omnium Thologorum communis, & minimè sanctorum patrum. Neque vel Neotericus ille, vel aliquis alius probare potest suam opinionem esse communem, vel esse sententiam Ecclesiæ; quam præsertim (inquit ille) in explicando Tridentino repræsentant Carnales huic muneri propositi: qui, ut patet ex eorum verbis supra citatis, expressè definiverunt verba parochi, quæ alij volunt esse formam hujus Sacramenti, non pertinere ad hujus substantiam. Falsum enim est hoc definivisse Cardinales, unde non aliter istud dictum suum probat, quam ex Responsis Cardinalium illis quæ Ecclesia simpliciter prohibet, & quæ Cardinales non volunt pro suis agnoscere, sicut latè ostendimus 2. 2. qu. 100. ar. 2. circa fin.

Ad 1. ergo Resp. ea matrimonia clandestina quæ sine ministerio sacerdotis olim contrahebantur, ac etiamnum contrahuntur, ubi decretum Cōcilij Tridentini non est promulgatum; fuisse quidem rata & insolubilia; sed non sacramenta novæ legis. Sicut enim aliud est pœnitentia, aliud Sacramentum pœnitentiæ; ita aliud est matrimonium, aliud matrimonij Sacramentum. Illud, tanquam contractus, regulariter perficitur mutuo conjugum consensu verbis expresso: istud Ministro Ecclesiæ verba super materiam proferente.

Negat quidem præfatus Neotericus contractum Matrimonij inter fideles à Sacramento distingui & separari posse; sed sine ratione: cum Christus non omnia fidelium matrimonia evexerit ad rationem Sacramenti, sed ea tantum quæ juxta institutionem ab ipso factam celebrantur, non omnia autem Matrimonio fidelium sic celebrantur; non enim ea quæ non plus habent quam Judæorum vel C Gentilium Matrimonia, ut clandestina: hæc ergo sunt matrimonia in ratione contractus, non autem in ratione Sacramenti. Idemque judicium est de Matrimonijs hæreticorum sine Presbytero celebratis: quamvis enim non sint fideles, receperunt tamē Baptismum ratione cujus sunt capaces Sacramenti Matrimonij, sicut fideles. Huic doctrinæ consentaneum est quod in scripto ad Hanibaldum apud B. Tho. legimus in 4. d. 1. q. 1. ar. 3. ad 3. *Matrimonium secundum quod est in officium, & pœnitentia secundum quod est virtus nō habent aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est Sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, utrumque habet aliqua verba, sicut in Matrimonio sunt quædam de præsenti exprimentia consensum, & benedictiones ab Ecclesia institutæ;* nimirum quantū ad verba materialia quibus efferuntur, cum secundùm esse formale, & esse significativum à Christo sint institutæ; nec enim Ecclesia potest aliter instituere verba per quæ id quod alioqui non esset Sacramentum novæ legis, jam sit tale Sacramentum. Juxta quam doctrina si matrimonium inter fideles contrahatur sine verbis, erit quidem contractus, (erit enim in officium naturæ) non tamen erit Sacramentū. Eademque est doctrina Guilielmi Parisien s. Scribonij, & Patrum Colonien sium, qui aliquot capitibus dicti Enchiridij affirmant matrimonia christianorum clandestina, sacramenta non esse, *nisi pio accedente consensu in Ecclesia Dei firmentur.* Quibus verbis etiam hoc insinuant, clandestinos conjuges aliquando consensum suum postea iterasse, coram sacerdote, verba solita proferente. Et quamvis non desint modò, neque olim defuerint qui clandestina matrimonia existimarent esse sacramenta; illa tamen opinio nunquam fuit sententia Ecclesiæ, neque fixa & firma omnium Doctorum; cum S. Ecclesia semper fuerit illa detestata; & doctorum aliqui semper habuerint sacerdotem pro ministro, ut supra ostendimus.

Insolubilitas ergo matrimoniorum clandestinorum non proveniebat ex ratione Sacramenti novæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



legis, sed ex eo quod omnis cõtractus matrimonialis sit natura sua insolubilis, nisi divina authoritate solvatur: unde matrimonia infidelium, etiam sunt insolubilia, nisi in casu quem ex authoritate divina ponit Apostolus 1. ad Corinth. 7. Confer. quæ postea dicentur de matrimonio per procuratores contracto.

Ad 2. Licet virtus contractus matrimonij pendeat ex actibus contrahentium; Sacramentum tamen, ejusque efficacia pendet ex Sacerdote, sine cujus ministerio forma non ponitur.

Ad 3. Synodus Florentina non assignat certum aliquem ministrum Sacramento matrimonij; quia rem controversam non statuerat ibi definire, ubi non exactam, sed compendiariam solùm doctrinam tradebat: ut patet ex ijs quæ de materia diaconatus & presbyteratus dicta sunt qu. 37. B

Notandum autem quod illa Synodus non sine causa sermonem variaverit: Cum enim dixisset. *Septimum est Sacramentum Matrimonij* non resumpsit: *hujus*; vel, *cujus Sacramenti causa efficiens est mutuus consensus*: quo modo de alijs Sacramentis dixerat: *Primum omnium sacramentorum locum tenet baptismus Materia hujus Sacramenti* &c. *minister hujus Sacramenti est sacerdos, Secundum Sacramentum est confirmatio, cujus materia* &c. sed ut id quod extra controversiam est, assereret; de matrimonio in quantum est contractus, subjunxit, *causa efficiens matrimonij est* &c.

Ad 4. Ejusmodi matrimonium, etsi validum, C non est tamen Sacramentum.

Ad Quintum Resp. neg. Assumpt. quia Concil. hoc quod in antecedente sumitur, neque usquam dicit, neque etiam significat; quin potius oppositum ex eo potest colligi: Canone enim primo de matrimonio definit matrimoniũ *esse unum ex septem legis Ecclesiasticæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, & gratiam conferre*: sentit ergo matrimonium novæ legis, non solum effectu differre à matrimonijs veterum, (quod nempe illud gratiam conferat, & non ista;) sed etiam quod à Christo Domino sit institutum, in qua utique institutione aliquid ordinavit ac decrevit circa ipsius matrimonij essentiam, & non tantum circa effectum. D

Deinde, Conc. vult verba proferri à Sacerdote, id quod in veterum matrimonijs non requirebatur; & supponit doctrinam Concilij Florent. quod asseruit omnia sacramenta novæ legis (& consequenter etiam matrimonium) tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri; hæc autem non erant in matrimonijs Judæorum aut legis naturæ: ergo Concilium supponit matrimonium novæ legis ab illis differre aliter quam effectu.

Accedit quod si eadem forent materia, & forma, & minister; sequeretur eadem quo ad essentiam esse matrimonia novæ legis, cum illis antiquis, E idèoque matrimonium novæ legis non magis esse sacramentum, quam illa: quomodo enim eorum quæ sunt ejusdem essentiæ, unum erit Sacramentum Christi, & non alterum; cum diversa debeat esse essentia Sacramenti, ab essentia ejus quod non est Sacramentum.

Ad 6. Resp. B. Thomam, saltem juniorem, nihil hac in re certi habuisse. Locis enim objectis opponi possunt quæ sequuntur, hujus supplem. q. 8. ar. 1. *Solus ille minister est Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum: quod solius sacerdotis est.* Ubi si sumas; Atqui matrimonium est Sacramentum in quo gratia datur, rectè inferes, ergo solus sacerdos est ejus minister.

Q. 22. art. 2. *Sacramenta in quibus gratia confertur, dispensare, ad solos sacerdotes pertinet.* qu. 31. ar. 1. *Nullius Sacramenti dispensatio laicis ex officio cõpetit.*

Q. 59. ar. 2. ad 1. *Quamvis infidelibus non competat matrimonium secundùm quod est Sacramentum, in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens.*

Lib. 4. contra Gentes cap. 73. *Ea in quibus gratia illuminans confertur exhibere solum pertinet ad sacerdotes.* Et cap. 78. *Matrimonium in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini ecclesiastico; ea autem quæ populo per ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur,* &c. *est ecclesiæ Sacramentum. Unde & quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur.*

Cum his si conferas quod 3. part. qu. 83. ar. 3. ad 8. dicit, *dispensatio sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiæ*: & quod 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 6. ubi docet secundùm jura prohiberi *ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur, quia matrimonium est Ecclesiæ Sacramentum*: meritò videbitur sacerdotem pro ministro fuisse agniturus, si tertiam Summæ suæ Theologicæ partem complevisset.

## QUÆRITUR II.

C *Quæ sint materia & forma Sacramenti matrimonij.*

### Conclusio I.

Materia ex qua, & quidem proxima, sunt actus sensibiles contrahentium. Sicut enim Sacramenti pœnitentiæ materia seu quasi materia sunt actus pœnitentis, qui per absolutionem sacerdotis velut informantur: Ita actus contrahentium; quibus sive per verba, sive per nutus & signa, consensum suum exprimunt; sunt hujus Sacramenti materia, quæ per verba sacerdotis informatur, ad infusionem gratiæ, & sic patet quomodo actus tam pœnitentium quam contrahentium erexerit Deus ad rationem Sacramenti novæ legis: additis scilicet verbis sacerdotis pro forma.

Peculiariter autem in istis duobus Sacramentis actus suscipientium sunt instituti pro materia; quia illa sacramenta essentialiter & per se requirunt actus suscipientium; cætera verò non nisi per accidens, sicut removens prohibens. Ita B. Thomas in 4. d. 14. qu. 1. ar. 1. ad 1. hìc ad 2. & 3. p. q. 84. art. 1. ad 1. & Concilium Colonienſe in Enchirid.

### Conclusio II.

Materia hujus Sacramenti remota & circa quam, sunt personæ legitimæ contrahentes; eò quod circa illas versetur contractus, ipsumque Sacramentum.

Nec obstat quod istæ personæ suscipiant Sacramentum, atque ita sint materia in qua: Nam & homo peccator suscipit Sacramentum pœnitentiæ; & tamen est materia circa quam illud versatur. *Ob.* *Resp.*

### Conclusio III.

Hujus Sacramenti forma, sunt verba sacerdotis, non ea quibus benedictionem illam pronuntiat, *Deus Abraham*, &c. cùm non dicantur in omnibus nuptijs; sed hæc aut similia: *Ego vos in matrimoniũ cõjungo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* Ita tamen ut invocationem Trinitatis non



non existimemus necessariam, nisi ex præcepto A Ecclesiæ.

Dixi, *aut similia:* nam potest sacerdos alijs verbis uti, ait Syn. Trid. juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.

*Sensus verborũ formæ.*

Sensus autem est, ego Sacramentum conjunctionis vobis impertior, & (quantum quidem est ex potestate mihi concessa) non corpore solùm, sed & animo vos conjungo.

Unde patet ista verba habere significationem sacram, vimque benedictionis spiritualis: quæ causa est, cur nonnunquam sub nomine *benedictionis* comprehendatur apud Authores.

Patet etiam, cur Manuale Atrebatense dicat sponsos, postquam consensum mutuum expresse- B runt, fieri per ista verba conjuges: conjugio scilicet à Christo in nova lege instituto. Eodem pertinet quod Concilium Colonienſe part. 7. cap. 40. dicit, *Sponsis, qui Sacramentum istud sicut decet accipiunt, accedente sacerdotali precatione confertur donum Spiritus: quo vir diligat uxorem amore casto, & vicissim mulier virum.* Ad hujus conclusionis probationem, adferri possunt non solùm verba Concilij Tridentini, sed quæcunque docent sacerdotem esse ministrum istius Sacramenti; minister enim formam pronunciat. Et specialiter videantur quæ ex Rom. Sacerdotali, & ex Joanne Mario Scribonio supra diximus.

## QUÆRITUR III.

C *Quid sit dicendum de matrimonio per procuratorem, vel per literas contracto.*

Videtur quod sit Sacramentum.

Primò, quia cum Christus simpliciter & absque ulla exceptione, matrimonium Christianorum elevaverit ad rationem Sacramenti; temerarium videtur quædam excipere, prælertim cùm hoc faciendo non immutaverit rationem contractus.

Secundò, Tale matrimonium est omnino in- D solubile: ergo est Sacramentum. Innocentius enim 3. cap. *Quantò*, de divortijs, ideo dicit matrimonium fidelium esse ratum & insolubile, quia est Sacramentum.

Tertiò, Gratia quæ in Sacramento matrimonij confertur ad legitimum ejus usum, tam necessaria est conjunctis per procuratores, quàm alijs.

Quartò, si non esset Sacramentum, Ecclesia non deberet illud permittere.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

Quando aliqui contrahunt per procurato- E res vel per literas, matrimonium est validum, si serventur hæ conditiones.

*Prima*, ut procurator habeat à suo principali mandatum speciale ad contrahendum matrimonium cum certa persona, & non excedat suum mandatum.

*Secunda*, ut mandatum illud exequatur per se & non per substitutum, nisi specialem ad substituendum facultatem obtinuerit.

*Tertia*, ut eo tempore quo procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata, ne quidem tacitè: Alioquin, nullum foret matrimonium, etiamsi procurator nihil audivisset de revocatione: quia per quamcumque revocationem cessat consensus; sine consensu verò non efficitur matrimonium. De his extat decretum Bonifacij 8. cap. finali, De procuratoribus in 6.

*Quarta*, ut post publicationem Conc. Trid. procuratores principalium, seu principalis ex una parte, & procurator ex altera, contractum ineant coram parocho & testibus: Concilium enim requirit præsentiam realem ipsorum contrahentium, vel per se, vel saltem per procuratores, quando dicit; *qui aliter quam præsente parocho* &c. *contrahere attentabunt.*

Si verò per literas contrahatur, oportet literas se tradentis, & alium in conjugem accipientis, legi coram parocho & testibus, præsente altero per se vel per procuratorem, & consentiente in eum cujus literæ leguntur.

An autem ad valorem contractus oporteat procuratorium fuisse datum coram porocho; &, an parochus matrimonio assistens debeat necessariò videre literas mandati; verisimilius est quod non. Nam Conc. Trid. nihil aliud requirit, quàm quod ipse contractus fiat coram parocho & testibus. Cæterum an procuratores sexu differant, est impertinens: quia jus hoc non requirit.

His præmissis probari potest conclusio; quia matrimonium est contractus humanus; contractus autem humani fieri possunt inter absentes, per C procuratores, vel per literas. Neque fuit mens Patrum Concilij Tridentini, ejusmodi matrimonia abolere; sed solum clandestina, quæ semper Ecclesia abhorruit.

### Conclusio II.

Matrimonium inter absentes, sive per literas, sive per procuratores, non est Sacramentum novæ legis. Ita Cajetanus tomo 1. opusc. Franciscus à Victoria qu. 244. de matrimonio, & Canus lib. 8. c. 5.

Primò, quia nullum Sacramentum recipitur *Ob.* per procuratorem: sicut enim collatio Sacramenti est actio personalis; ita ejus receptio est personalis *Resp.* D passio. Neque dici potest hoc esse matrimonio, utpotè contractui, peculiare: quia præter naturam contractus, etiam habet rationem Sacramenti; quod proinde, similiter ut alia Sacramenta, requirit ut minister applicet formam ad materiam in subjecto præsente.

Confirmatur, etiamsi pœnitentialis absolutio sit judicialis; possit autem aliquis judicialiter absolvi, etiamsi sit absens: quia tamen est sacramentalis; non potest in absentem proferri.

Secundò, Parochus assistens matrimonio, quod per procuratores initur, non profert nec proferre potest verba formæ; *Ego vos in matrimonium conjungo*, super procuratores, sed solum super principales, quando (prout eis consulendum est) coram eo consensum renovabunt vel iterabunt: ergo antea non poterat esse Sacramentum. Antecedens probatur, quia pronomen (*vos*) non minus requirit præsentiam subjectorum, quam pronomen (*te*) in baptismo vel pœnitentia.

Denique, sequitur alioquin quod sacramenta conferant gratiam absenti, & sic occupato circa alia, ut nec ipse de Sacramento cogitet, nec circa ipsum fiat actio sacramentalis.

Ad 1. Argum. Resp. Christum non sic matrimonium instituisse Sacramentum, ut omnia

Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Christianorum matrimonia sine exceptione sint A sacramenta, sed ita demum, ut illud baptizatorum matrimonium sit sacramentum, quod verbis tanquam formâ perficitur à ministro Ecclesiæ, debitam intentionem habente: unde licèt non prorsus immutaverit contractum, ei tamen aliquid superaddidit, quomodo pœnitentialibus actibus addidit formam & ministrum.

Ad 2. Negatur consequentia. Nam Pontifex non sic dicit, Ideo matrimonium inter fideles est insolubile, quia est sacramentum: sed sic, *Quia sacramentum fidei* (id est baptismus) *quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugij sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo perdurante perduret*; significans matrimonia Christianorum B propter baptismum quem susceperunt, & cujus ratione, jam Christo ejusque legibus subjecti sunt, esse prorsus insolubilia. Nam præter insolubilitatem ex naturâ hujus contractus illis convenientem, accedit alia, quam Christus lege positivâ adjecit, & propter quam dirimi non possunt, etiamsi contingat alterum conjugem transire ad infidelitatem: quo modo tamen dirimi possunt conjugia infidelium, uno eorum veniente ad fidem. Hæc autem insolubilitatis causa locum habet in omnibus Christianorum conjugijs, etiam illis quæ non sunt veri nominis sacramenta.

Ad 3. Quia illis necessaria est gratia: ideo monendi sunt, ut sacramentum à sacerdote suscipiant.

Ad 4. Negatur assumptum: nam aliquando C est necessitas id faciendi, ut inter filios regum ac principum.

### Articulus II.

*Utrùm matrimonium debuerit institui ante peccatum.*

### Conclusio I.

MATRIMONIUM secundùm quod est in officium naturæ, sive ad procreationem prolis, est institutum ante peccatum: secundùm autem quod præbet remedium contra morbum concupiscen- D tiæ, institutum est post peccatum, tempore legis naturæ. Quod non sic est intelligendum, quasi fuerint duæ positivę institutiones dictinctę, sed (quemadmodum interpretatur Dominicus dist. 26. q. 1. art. 2. & quæst. 2. etiam art. 2.) quia idem illud quod prius erat institutum in naturæ officium, postmodum ex voluntate Dei cœpit valere ad remedium, tanquam ad aliquem suum effectum. Vide Augustinum lib. 9. de Genesi ad literam ca. 7.

### Conclusio II.

MATRIMONIUM fuit in lege Moysi institu- E tum, quantum ad determinationem personarum inter quas non deberet iniri: ut patet ex Levit. 18. quantum autem ad mutua obtequia, habet etiam aliquam institutionem ex jure gentium; vel ex legibus civilibus.

### Conclusio III.

MATRIMONIUM secundùm quod repræsentat conjunctionem Christi & Ecclesiæ, est in nova lege institutum. Cæterum cùm constet, etiam ex mente B. Thomæ 2. 2. q. 2. art. 7, quod matrimonium ab initio suæ institutionis, significaverit conjunctionem Christi cum Ecclesiâ, quantùm ad conformitatem naturę: id quod hîc dicit, intelligendum est de conjunctione, non solùm per naturam, sed etiam per gratiam: Utramque enim illam conjunctionem repræsentare matrimonium, quatenus est sacramentum novæ legis, tradit q. 61. art. 2. ad 1. *Cujus rei signũ sit matrimonium.*

Circa finem corporis docet matrimonium in statu innocentiæ non fuisse sacramentum: quamvis enim significaverit conjunctionem Christi cum Ecclesiâ, quantum ad conformitatem naturæ, ac propterea fuerit mysterium, & generali significatione sacramentum, quomodo etiam est apud infideles: quia tamen non erat institutum, ut cæremonia sacra gratiæ significativa, neque valebat ad remedium; ideo non erat propriè dictum sacramentum, quomodo illud sumitur quando in veteris & novæ legis sacramenta dividitur. Vide quæ diximus 3. p. q. 60. art. 2. & q. 61. art. etiam 2. & confer quæ habent Dominicus in 4. dist. 1. qu. 1. art. 2. & d. 26. q. 2. art. 2. & Suarez 3. p. q. 61. art. 2. disp. 3. sect. 2. *Matrimonium in statu innocentiæ non fuit propriè sacramentum.*

In Responsione ad 4. docet matrimonium fuisse à Deo immediatè institutum, hoc ipso quo mulierem ex costâ viri ad ejus adjutorium formavit, & dixit eis, *Crescite & multiplicamini.* Atque hæc est sententia Augustini libr. 14 de civitate cap. 22. cùm asserit Deum nuptias ante peccatum, hominis, ab initio constituisse, creando masculum & fœminam. Hęc igitur verba; *Relinquet homo patrem & matrem*, sunt Adami, non matrimonium instituentis, sed de institutione jam factâ per Spiritum sanctum edocti. Nam quod ea protulerit ex divino instinctu patet ex Matthæi decimo nono, ubi Salvator ait Deum illa verba dixisse, per Adam scilicet divinitus afflatum.

Institutio autem matrimonij, quatenus est sacramentum novæ legis, facta videtur Joannis 2. ubi Christus nuptijs benedixit, non solùm bene precando, vel aquas in unum mutando*; sed gratiam tribuendo, & castitatem conjugalem firmando. Hujus *benedictionis* meminerunt Patres concilij Ephesini, Cyrillus in Joannem, Epiphanius hæresi 51. & 67. & Augustinus tract. 9. in Joannem. Vide quæ ad art. 1. sunt notata. *Institutio sacram. matrimonij.*

### Articulus III.

ART. 3. docet probabilius esse quod matrimonium (illud scilicet quod à Christianis secundùm Christi institutionem contrahitur) conferat gratiam. Ita quidem scribens in 4. postea verò 3. p. q. 62. art. 1. de toto genere sacramentorum novæ legis affirmat, *necesse esse dicere quod ea, per aliquem modum, gratiam causent*: Et in opusc. 5. *generaliter dicit quod sacramenta novæ legis continent & conferunt gratiam: In eis enim virtus Christi sub tegumento rerum visibilium secretius operatur salutem. Et ideo, sacramentum novæ legis est invisibilis gratia visibilis forma, ut ejus similitudinem gerat, & causa existat.* *Matrim. esse sacra. est fidei.*

Sciendum est ergo, doctrinam ad fidem Catholicam pertinentem esse, quòd matrimonium con-



conferat gratiam. Est enim hoc definitum in Con- A cilij Tridentini sess. 7. can. 8. & sess. 24. can. 1. eodemque pertinent omnia quibus art. 1. probatum est quòd matrimonium sit novæ legis sacramentum. Unde ratio quam adfert Author in priore argumento ad oppositum, quia scilicet in definitione sacramenti ponitur causalitas gratiæ, est efficax: ea verò quam adfert in corpore; ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus convenienter uti liceat istâ facultate, solùm est conveniens.

Ex argumento 3. quæri potest, quare non sequatur matrimonium contulisse gratiam statim à peccato; cùm tunc fuerit in remedium. Sed tùm ex initio corporis, tum ex responsione ad quartum; di- B cendum est, quod ante adventum Christi, matrimonium seu matrimonij usus præstabat remedium, non per collationem gratiæ qua reprimeretur seu minueretur concupiscentia in sua radice, sed ex ipsa natura actus, satisfaciendo scilicet concupiscentiæ, ne in præceps rueret, dum nimis arctaretur. Usus enim conjugij, secundùm quod ratione ordinatur, concupiscentiam reprimit, quamvis alioquin possit illam augere.

Gratia verò quæ hoc sacramento confertur, ad varios valet effectus.

*Primò*, ad sanctificandum conjuges, naturalemque ipsorum amorem perficiendum, quo invicem castè diligant, simulque communeant usque ad fi- C nem vitæ, etiamsi fortè spes prolis deficiat.

*Secundò*, ut conjuges quærant prolem, in Dei timore & sancta conversatione educandam.

*Tertiò*, ut non sequantur impetum libidinis, sed se contineant in honestate nuptiarum, sive quoad modum, sive quoad personas.

*Quartò*, ut tribulationem carnis, de qua Apostolus 1. ad Cor. 7. loquitur, leviùs ferant.

*Quintò*, ut mutuas infirmitates supportent, modestèque invicem corripiant, quando fuerit opportunum. Atque ita fit, ut quemadmodum in nuptijs, præsente Christo, aqua versa est in vinum; sic tribulatio vertatur in consolationem.

Cæterum ut quis matrimonium debitè susci- D piat, præter intentionem rectam, de qua ar. 2. q. 48. agendum est; debet esse peccatorum suorum pœnitens: ut autem & confessionem & communionem præmittat, eum hortatur Synodus Tridentina.

### Articulus IV.

*Utrùm carnalis commixtio sit de integritate matrimonij.*

VIDETUR quod sic, PRIMÒ, quia est pars sacramenti: In carnali enim commixtione sacramentum constituit Apostolus, ad Ephes. 5.

SECUNDÒ, Patres à Gratiano relati 27. q. 2. cap. *Institutum*, & cap. *sic quippe*, ita videntur sentire: ac E nominatim Augustinus cap. *non est dubium*: non est dubium, inquit, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse: & lib. 1. Soliloquiorum cap. 10. asserit, sine corporum contactu seu commixtione, uxorem haberi non posse. Eademque videtur B. Leonis sententia cap. *cum societas*. *Carnalis copula non est de ratione matrim.*

RESPONSIO certa est, matrimonium sive contractus, sive vinculi, sive sacramenti rationem spectes, esse validum, & essentialiter perfectum absque carnali copula: quamvis sine ea non sit perfectum accidentali sive secundaria perfectione, quæ in omnibus rebus attenditur penes operationem: ut hîc & 3. p. qu. 29. art. 2. tradit B. Thomas.

Probatur PRIMÒ, quia in paradiso fuit matrimonium; ubi tamen non fuit commixtio.

SECUNDÒ, ex Tobiæ 7. & 8. constat inter Tobiam & Saram, fuisse aliquot diebus conjugium, antequam illo uterentur.

TERTIÒ, Inter B. Deiparam & Joseph, qui nec concubitu eam cognoverat, nec erat cogniturus; fuisse verum matrimonium, docet ex Matthæi 1. Augustinus: ex Lucæ 2. Ambrosius: & ex illis B. Thomas dicto art. 2.

QUARTÒ, Usus & operatio rei non est de ipsius de essentia: ergo nec usus matrimonij est de ratione essentiali illius.

QUINTÒ, & contractus, & contrahentium sanctificatio, sit ante copulam: totaque matrimonij definitio, de qua dicemus q. 44. utrique convenit, ante illam.

Authoritates Nicolai Papæ, Ambrosij, Augustini possunt apud Gratianum videri dicta qu. 2. capitulis 5. 9. 35. Innocentij autem 3. & Gregorij 9. cap. *Tuæ*, & cap. *Si inter virum*, tit. de sponsalibus & matrimonijs.

AD 1. ARGUMENTUM Resp. carnalem commixtionem conjugum posse vocari sacramentum, quatenus significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, per conformitatem naturæ: ipsa tamen neque est sacramentum novæ legis, neque pars illius. Nam absque hujusmodi commixtione matrimonium significat conjunctionem, & Christi cum Ecclesia, per amorem; & conjugum inter se, per Christianum affectum.

AD SECUNDUM, Gratianus depravatis Patrum sententijs deceptus, ad ita sentiendum fuit inductus. Nam Augustini verba quæ profert, apud eum non reperiuntur. Cap. autem 10. Soliloquiorum, *habere* uxorem, pro uti usurpat: quemadmodum Apostolus 1. ad Cor. 7. dicit, *uxorem suam unusquisque habeat.*

Sancti autem Leonis, Epistolæ 92. cap. 4. verba sic habent; *Cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet* (pro quo Gratianus legit, *non haberet*) *in se Christi & Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in quâ non docetur nuptiale fuisse mysterium.* Ita etiam verba Leonis recitarunt Ivo & Burchardus. Vult autem S. Leo docere quod concubina non sit uxor: quia non est cum ea initum fœdus nuptiale, significans conjunctionem Christi & Ecclesiæ, quantumvis non desit commixtio sexuum.

## QUÆSTIO XLIII.

## De sponsalibus.

SPONSALIUM nomen aliquando significat munera nuptiale quæ sponsus sponsæ donatut 1. Regum 18. *Non habet Rex sponsalia necesse.* *Varia usurpationes sponsalium.*

Aliquando dotem, quæ à parentibus vel amicis sponsæ, datur sponso simul cum sponsa.

Aliquando, dona quæ utrique conjugi dantur, titulo nuptiarum: Alias, ipsummet matrimonium antequam consummetur, quæ tamen acceptio (cum sit impropria) nunquam debet intelligi, quando nominantur sponsalia: nisi locutio aut loci circumstantia

Universidad de Deusto
Biblioteca



cumstantia id postulet. *Quid sponsalia* propriè significent, patebit ex art. 1. A

## ARTICULUS I.

*Definitio sponsalium.*

ART. 1. docet sponsalia esse futurarum nuptiarum mutuam promissionem, ab illis factam, qui futuris illis nuptijs conjungendi sunt. Unde parentes non possunt sponsalia valida contrahere pro filijs: &, si de facto attentent, nulla sunt, neque filij inde obligantur, nisi consenserint saltem tacitè: ut, si præsentes fuerint, nec contradixerint vel absentes ratificaverint. Ita declaravit Bonifacius Octavus cap. unico, de desponsatione impuberum, in sexto. B

Cæterum, ut sponsalia sint valida, promissio nuptiarum debet esse vera, deliberata, signis exterioribus expressa, libera, mutua.

*Vera*, quia promissio ficta qua quis simulatè promittit, non habens verè animum promittendi, non est veri nominis promissio: quia voluntas expressa non promittendi destruit naturam promissionis. Vide Navarrum capite 12. num. 27. Sylvestrum verbo, *Pactum*, numero quarto, Angelum verbo, *votum*, primo quæst. septima. Quamvis autem ejusmodi simulator non obligetur vi sponsalium, quæ nulla sunt; obligatur tamen ad contrahendum, vel ad componendum cum persona cui illusit: tum propter injuriam ei factam: tum propter scandalum. Si verò habuerit animum promittendi, sed non præstandi promissum, sponsalia sunt valida. C

Dictum est, *deliberata*: quia hæc promissio debet esse actus humanus, ideoque ex deliberatione rationis profectus. Sufficit autem ea deliberatio quæ ad bene vel malè agendum aliud quidpiam sufficeret.

*Signis exterioribus expressa*: quia, ut ex B. Thoma colligitur, 2. 2. quæst. 88. art. 1. promissio facta, homini nō obligat in conscientia, nisi exteriùs exprimatur.

*Libera*, quia promissio vi aut metu extorta non obligat, nisi sit jurata; juxta eundem quæstione 89. D art. 7. ad 3.

*Mutua*, ita scilicet ut uterque alteri matrimonium promittat. Cùm enim sponsalia participent aliquousque naturam contractus matrimonialis; ideoque intrinsecè includant mutuam promissionem; non possunt rata esse, & unam solùm partem obligare. Si ergo vir promittat mulieri quod illam ducet uxorem; ipsa verò nihil promittat, acceptet tamen promissionem sibi factam: vir tenebitur quidem ad præstandum promissum, non tamen ratione sponsalium, sed ratione promissionis acceptatæ; quam si non acceptet mulier, vir ad nihil obligabitur; quia obligatio hominis erga hominem *regulariter* non contrahitur absque mutuo E consensu: is autem ante acceptationem non intervenit.

Dixi, *regulariter*: nam si major septennio promittat matrimonium infanti, quamvis sponsalia non valeant, ipse tamen tenetur expectare minorem, si fortè velit acceptare promissionem, ac etiam vicissim promittere, ut tradunt S. Antoninus 3. p. tit. 1. ca. 18. & Sylvester verbo *sponsalia* quæst. 2.

Ut autem altera pars censeatur acceptare, interdum sufficit ejus taciturnitas: ut si ex signis & circumstantijs probabiliter possit colligi, quod intentio ejus erat acceptare.

Verba verò vel signa quibus sponsalia contrahuntur, non sunt definita. Si obscura sunt; eorum significatio (quantum ad conscientiam) attendenda est ex intentione loquentis. Hinc, si cum intentione obligandi se mutuò ad futurum matrimonium; vel dicant, ego ducam te uxorem, ego te accipiam in matrimonium: vel, unus arrham det, quæ ab alio acceptetur; sponsalia erunt valida. Si verò sic agant, tantùm intendentes vel sibi mutuo declarare propositum quod habent, vel enuntiare quod futurum existimant; non sunt sponsalia, quia nulla est promissio. Neque tamen mentiuntur, etiamsi postea non contrahant: quia verè habebant in animo id quod significabant.

Cæterum, an clandestinè contrahantur sponsalia, an publicè; nihil refert ad valorem. Synodus enim Tridentina de illis nihil decrevit; non est autem recedendum à jure veteri, nisi quatenus fuerit expressum in novo. Quamvis ergo tum ex consuetudine, tum ex statutis synodalibus oporteat ea contrahi coram Parocho & testibus; idque non in tabernis, sed in loco sacro, juxta caput sextum tit. de matrimonio, in prima Synodo Provinciali Cameracensi: aliter tamen contracta sunt valida.

Si dicas, irritato aliquo contractu, censeri etiam irritari ea quibus ad illum pervenitur: Respondetur, clandestina sponsalia non esse vitam perveniendi ad clandestinum matrimonium; quod est irritatum; sed simpliciter ad matrimonium. *Ob.* *Resp.*

## QUÆRITUR I.

*An sponsalia conditionata robur habeant.*

HIC, & articulo quinto quæst. 47. sermo est de conditione, non quatenus sumitur pro statu vel qualitate; quomodo dicimus quempiam esse conditionis liberæ aut servilis: sed quatenus facere potest enunciationem conditionalem.

In divisione sponsalium, B. Thomas, alia facit absoluta, alia conditionata.

ABSOLUTA quatuor modis fieri possunt. *Primò*, nuda promissione. *Secundò*, datis arrhis sponsalitijs, *Tertiò*, subarrhatione annuli. *Quartò*, confirmatione juramenti.

CONDITIONATA seu quæ conditionem aliquam habent adjectam; pro varietate conditionum, varia sunt; & similiter matrimonia conditionata.

Pro resolutione sit

### CONCLUSIO I.

SI sponsalibus aut matrimonio apponatur conditio de præsenti vel præterito; stante conditione, stant; non stante, non stant. Ita B. Thomas quæst. 47. articulo 5. Si qui ergo sic contrahant; accipio te in uxorem, si tu es primogenita, si virgo, si hoc jam placet tuis parentibus; nullum est matrimonium nisi conditio subsistat; si autem subsistit, est validum. Et similiter, si sub ijsdem conditionibus promittat quod eam accipiet uxorem; sponsalia rata sunt, illis subsistentibus.

Con-



salibus, in 6. Intelligitur autem, modò conditio fuerit ab initio apposita, idque animo suspendendi effectum contractûs, juxta naturam conditionis. Hinc, si quis dicat; Contraham tecum si pater consenserit, sponsalia non sunt rata, nisi patre consensum præbente; & similiter, si dixerit. Contraho tecum, si pater talem dotem promiserit; matrimonium non valet, nisi cùm Pater dotem illam promiserit. A

### CONCLUSIO II.

QUOD jam diximus veritatem habet, sive illæ conditiones sint honestæ, sive turpes: modò non contrarientur bonis matrimonij, & apponantur eâ intentione ut faciant consensum verè conditionatum. Alioquin, si solùm antecedenter se haberent, tanquam motiva, & non ingrederentur contractum; esset consensus absolutus, & faceret contractum in præsenti validum.

### CONCLUSIO III.

SI contractui sponsalium aut matrimonij apponatur conditio de præsenti vel præterito, contraria bonis matrimonij, afficiens matrimonium in futurum; contractus est irritus: quia perinde est, ac si obligarent se ad ea quæ matrimonio adversantur, ut contraho tecum si invenisti, vel si habes venena, ad sterilitatem procurandam. Si autem apponatur conditio per quam in futurum nulla sit obligatio contraria matrimonio: ut, si tu es sterilis; dubitatur; quia esse sterilem non adversatur substantiæ matrimonij. Verum, quia id in pactum deducitur quod repugnat bono matrimonij, scilicet proli: Victoria numer. 260. sequens, ut apparet, Beatum Thomam quæstion. 43. articulo primo & 47. articulo quinto, docet ejusmodi contractum esse invalidum. B

### CONCLUSIO IV.

CONDITIONES turpes aut impossibiles, non contrariæ bonis matrimonij, faciunt ipsum aut sponsalia esse irrita, si adjiciantur animo declarandi non esse sibi consensum ad talem contractum, quemadmodum jocantes vel irridentes interdum significare solent se non consentire: Si autem verus hinc inde consensus adsit, contractus est validus, quia nihil deest ad ejus valorem. C

Quod igitur in capitulo finali. De conditionibus appositis, dicitur *ejusmodi conditiones haberi pro non appositis*; veritatem habet, in foro quidem externo, quando sunt probabiles conjecturæ ad præsumendum consensum; ac etiam in interno, quando revera fuit consensus. D

### CONCLUSIO V.

QUANDO matrimonium aut sponsalia contrahuntur sub conditione de futuro, sed necessaria; contractus statim subsistit, non expectando eventum conditionis: quia talia futura jam sunt in suis causis præsentia, ac proinde qui tali conditione contrahunt, meritò præsumuntur velle ut contractus jam nunc robur habeat, si scilicet advertant ipsam conditionem esse necessariam. Si tamen intentio eorum erat, suspendere contractum usque ad eventum conditionis, non esset in foro conscientiæ validus, ante illam impletam; quia non potest perfici nisi consensu. E

### CONCLUSIO VI.

QUANDO apponitur conditio honesta de futuro; contractus non subsistit ante ejus impletionem: ut patet ex capitulo unico, De spon- *Sylv. in III. Part.*

### CONCLUSIO VII.

POST ejusmodi conditionis honestæ impletionem, probabile est quòd tam matrimonij quàm sponsalium contractus statim valeat, absque novo contractu vel consensu; modò contrahentes tam diu perseverent in suâ voluntate. Ita Paludanus in quartum, distinctione vigesima nona, quæstione secunda, articulo quinto, Navarrus, Enchir. capite vigesimo secundo, numero sexagesimo tertio, & libro quarto consiliorum, consilio primo, in tit. quintum libri quarti decretalium. De matrimonio tamen supponendum est adesse id quod conclus. 11. dicimus requiri.

Confirmatur, quia omnes alij contractus sub conditione de futuro initi, eâ præstita, sive, ut loquuntur Jurisperiti, ea purificata; statim obligant perinde ac si forent absoluti.

SI DICAS, in alijs contractibus jura supplere id quod deest consensûs; in matrimonio autem fieri hoc non posse, propterea quod consensus sit de ejus essentia: RESPONDETUR, non esse opus tali suppletione; ponitur enim quod contrahentes in pristino consensu perseverent: qui consensus cùm sit præsens, & de præsenti; verum efficit matrimonium. Neque refert quod prius fuerit expressus sub conditione de futuro, cùm enim eâ conditione præstita, ipse adhuc perduret, jam est absolutus & de præsenti. Quod si ante conditionem præstitam, alterutra pars mutasset animum; eâ extante, nullum erit matrimonium, nisi novus consensus accedat, ad quem pars illa tenetur in conscientiâ. *Ob.* *Resp.*

SI DICAS Urbanum tertium capitulo, *super eo*, De conditionibus appositis, interrogatum, an ille esset compellendus ad matrimonium, qui in quandam mulierem consenserat, si pater suum præstaret assensum, respondisse quod non sit cogendus, nisi voluntas patris postmodum intercedat, unde sequi videtur eum debere de novo contrahere, quando pater consenserit: RESPONDET Navarrus, id ex verbis Pontificis non sequi, eò quod loquatur de contractûs perfectione quæ per copulam accedit. Rogabatur enim, *an iste compellendus esset ad matrimonium consummandum*: & respondet quod non, quamdiu penderet conditio. *Ob.* *Resp.*

### CONCLUSIO VIII.

QUANDO quis ita contrahit, Accipio te in uxorem, si patri meo placuerit, & pater ejus tunc erat mortuus: si sciebat esse defunctum, censendum est, quemadmodum ad conclusionem quartam diximus de conditione impossibili; si ignorabat, nullum erit matrimonium nisi accedat novus consensus, quia conditio non potest habere eventum. Si verò patet vivens neque consentiat expresè, neque expresè dissentiat; erit matrimonium, quando ex circumstantijs apparet eum tacere, quia placet; non erit, quando colligitur ta-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cere, quia displicet: si autem dubitetur quare taceat, videtur non posse judicari pro matrimonio: quia non constat an conditio sub qua fuerat contractum, sit impleta. Quod si patet priùs dissentiat, postea vero consentiat, erit matrimonium patre consentiente, modo usque ad illud tempus perseveraverint contrahentes in sua voluntate. A

### Conclusio IX.

Quando matrimonium aut sponsalia contrahuntur cum duabus sub conditione honesta, ille contractus valet cujus conditio primò evenit. Si conditiones simul implerentur, & æquè maneret animus ad unam, sicut ad aliam, neuter est validus. Si autem acceptet impletionem conditionis ex una parte, prius quàm ex altera, valet cum illa, cujus adimpletionem acceptat: quia per acceptationem recedit à consensu quem dederat alteri. B

### Conclusio X.

Quando personæ habentes impedimentum dirimens, inter se contrahunt per verba de præsenti, sub conditione, si Pontifex dispensaverit, probabile est esse matrimonium conditionatum, quod adveniente dispensatione, statim absque alio consensu convalescat, modo partes in priori perseverent. C

Primò, quia sponsalia sub simili conditione contracta, similiter convalescunt.

Secundò, quia talis conditio est honesta & possibilis: loquimur enim de impedimento super quo possit ac soleat Pontifex dispensare, quando est causa rationabilis; quæ hîc est etiam supponenda. Nam si non habent legitimam dispensationis causam: vel si habent tale impedimentum, super quo vix unquam dispensari solet, nisi ex causâ admodum gravi, quæ ipsis desit; nullus erit contractus, nullaque obligatio: quia conditio quam apponunt, est moraliter impossibilis vel turpis; ideoque habenda pro non adjecta, si autem non adjiceretur; contractus esset simpliciter nullus; ergo etiam quando adjicitur. Ita Angelus verbo *matrimonium* tertio, impedimento 3. Sanchez lib. 5. disputatione octava. D

### Conclusio XI.

Ut matrimonia conditionata præcedentibus conclusionibus expressa, ipso conditionis eventu valida sint; post decretum Concilij Tridentini ubi illud fuit promulgatum, necessarium est quod contractus matrimoniales conditionati fuerint initi coram Parocho & testibus; non est autem necesse coram illis vel contractum iterari, vel conditionem impleri; quamvis, ut in judicio probari possint habuisse effectum; consulendum sit ut testes adhibeantur, quando conditio mandatur executioni. Nunquam autem erunt Sacramenta, nisi accedat ea Parochi benedictio, quam (juxta verisimiliorem sententiam) diximus esse formam Sacramenti. E



### Conclusio XII.

Sponsalia vel matrimonium contracta sub conditione alicui ex bonis matrimonij repugnante, sive ea sit turpis, sive honesta; sunt irrita. De turpi authores consentiunt. De honestâ negat Bonacinas q. 2. de Matrim. p. 10. n. 13. cum quibusdam alijs; probabiliter tamen affirmant B. Tho. q. 48. art. 1. ad 3. Bonavent. & Richard. in quartum, dist. 28. in fine, Dominicus dist. 29. q. 2. a. 3. Adrianus, Vivaldus, Sanchez lib. 5. disput. 10. cum alijs quos ibi citat. De utraque

Probatur Primò, quia per talem conditionem excluditur aut perpetua translatio corporum utriusque in potestatem alterius, aut obligatio servandi fidem: quorum utrumque est de essentiâ matrimonij. Confirmatur, quando in contractu matrimoniali apponitur conditio, ut uterque conjux maneat in perpetua castitate, non solum tollitur copula carnalis, sed etiam jus ac potestas ad illam, obligantur enim contrahentes ad non petendum, neque reddendum debitum; quæ obligatio contractui annexa sufficienter impedit, ne ad contrahentes sequatur tale jus.

Secundò, quia Pontifex capitulo finali, titulo de conditionibus, indefinitè asserit quod contractus sic initus; contraho tecum si generationem prolis evites, careat effectu: Hoc autem, & bene, & malè fieri potest.

*Ob.* Si dicas quod impedire prolem, servare castitatem, separari à conjuge quod thorum vel habitationem, ad alienam uxorem aut virum accedere, consistunt cum matrimonio: ergo non repugnant substantiæ illius.

*Resp.* Respondetur quod ea quidem non repugnent substantiæ matrimonij in facto esse, pactum tamen de illis contrariatur matrimonio in fieri: quia apponitur ut pars contractus, & repugnat illis quæ sunt de essentiâ matrimonij, nam de essentiâ matrimonij est, ut in perpetuum transferatur potestas ut jusque corporis in alterum, cum obligatione servandi fidem: ergo pactum de non semper manendo in conjugio, de non utendo corporibus, sic ut proles generari possit & educari, de commiscendo se alteri; repugnat substantiæ contractus matrimonialis, ac proinde ipsum annullat.

*Ob.* Si rursum dicas, finis non ingreditur substantiam rei: ergo ratio matrimonij potest subsistere cujuscumque finis intentione contrahatur.

*Resp.* Respondetur, non ipsam intentionem repugnare substantiæ matrimonij, sed pactum de aliquid agendo quod bonis matrimonij adversetur, quia per tale pactum contractui appositum, destruitur ipse contractus: sicut alij contractus annullantur per conditionem in pactum deductam, substantiæ ipsorum contrariam.

Accedit quod idem Bonacinas nu. 15. asserit invalidum esse matrimonium contractum cum pacto nunquam cohabitandi simul, eò quod hæc conditio simpliciter repugnat proli, qua videtur illicitè impediri, præcisa rationabili causa. Sed non minus illicitè impeditur proles, si contrahatur cum pacto servandi castitatem, quoniam etsi servare castitatem, sit bonum, non tamen videtur bonum, hoc in ipso matrimoniali contractu stipulari, si validum velint matrimonium contrahere.

Ex his consequenter est dicendum quod Beata Virgo & Joseph, quorum matrimonium fuisse validum, docet Sanctus Thomas tertiâ parte quæ-



quæstione vigesima nona articulo secundo, non contraxerint cum conditione vel pacto nunquam sibi invicem reddendi debitum, sed absolutè; verè scilicet consentientes in translationem potestatis suorum corporum, quamvis intenderent eâ potestate nunquam uti ad copulam. A

### Conclusio Ultima.

Parochi debent omnibus modis agere, ut sponsalia & matrimonium sint absoluta, juxta formam in Pastoralibus præscriptam, nec possunt verba Sacramentalia proferre super illos qui solum conditionaliter contrahunt; quia tunc deest legitima materia Sacramenti. Non debent etiam permittere ut pœna vel mulcta sponsalibus apponatur; & si contra fiat, resiliens ad eam pœnam non obligatur, ut patet ex Beato Thoma hîc ad quartum, & ex cap. *Gemma*, titulo de sponsalibus, quod secuti sunt Cameracenses in Synodo anni 1604. Si tamen ea pœna soluta sit; probabile est non esse restituendam ante sententiam Judicis. B

## QUÆRITUR II.

### *Qui sint effectus sponsalium.*

Unus est obligatio ad contrahendum matrimonium cum ea persona, cum qua fuerit inita sponsalia. C

Alter est, impedimentum justitiæ publicæ honestatis.

De priori extant decreta Eusebij Papæ, capitulo *Desponsatam*; Joannis octavi, cap. *Alio*, vigesima septima, quæstione secunda; Alexandri tertij, capitulo *De illis*, titul. de desponsatione impuberum. Et Confirmatur, quia omnes alij contractus quando sunt de re gravi, obligant ex justitia, & sub mortali, ergo etiam iste: est enim de re gravi. Unde sequitur sponsum vel sponsam nobilem aut divitem, quæ voluntariè inijt sponsalia cum ignobili vel paupere, cujus conditionem non ignorabat, teneri sponsalibus, & debere matrimonium cum illo contrahere; nisi fortè ex illo matrimonio grave scandalum timeatur, vel rixæ & dissensiones magnæ, aut alia mala notabilia. Quo casu sufficeret reparare damnum, si quod inde sequatur. D

*Quæst.* Sed quæras, Sive disponsati sint paris conditionis, sive imparis: An judex ab altera parte requisitus, teneatur eum qui vult resilire à sponsalibus sive juratis sive non juratis, compellere ad matrimonium cum ea contrahendum.

*Resp.* Respondetur, teneri: Ex officio enim tenetur compellere partes, ut reddant quod ex justitia debent: Contrahens autem sponsalia, debet ex justitia, servare fidem alteri promissam.

*Ob.* Nec obstat capitulum *Requisivit*, tit. de sponsalibus, ubi Lucius tertius respondet, monendam potius quam cogendam eam quæ à sponsalibus juratis vult resilire, eò quod matrimonia debeant esse libera: quia loquitur ex præsumptione metus gravium incommodorum; ut jurgiorum, dissentionum, divortiorum, qui metus dum cessat, Alexander tertius ibidem, capitulo *ex literis*, secundò, vult Ecclesiasticis censuris agendum, ut pars remanens fidem servet. E

*Resp.* Cæterum, quia talia incommoda ex coactis matrimonijs non rarò accidunt; frequentius expedit ut judex non compellat renitentem, sed interpositâ suâ authoritate, utrumque absolvat, neque tunc actori facit injuriam; quia utilitati ejus plurimum consulit, dum liberat eum à periculis continuorum jurgiorum, discordiarum &c.

*Ob.* Si dicas mulierem quæ sic à sponso recusatur, damnum pati in famâ & honore, atque adeò non facilè postea inventuram sponsum se dignum:

*Resp.* Respondetur quod qui absque justâ causâ recusat, teneatur tam in conscientia quàm in foro externo, ad illius damni reparationem, etiam per pecuniam & dotis augmentum, si opus fuerit.

*Quæst.* Quæri etiam hîc possit, An obligatio quam habent desponsati per verba de futuro, tanta sit ut si alteruter fornicetur cum alia persona, sit circumstantia in confessione necessariò exprimenda.

*Resp.* Responsio verior est, esse exprimendam, ita ut etiam desponsati debeant aperire se esse desponsatos; & alia persona explicare, quod cum alieno sponso vel sponsa peccaverit. Quamvis enim sic desponsati nondum habeant jus in re ad corpus alterius, habent tamen jus in rem: & fidelitatis qua sunt obligati, fractio per copulam carnalem cum alia persona, reducitur ad adulterium, sicut imperfectum ad perfectum sui generis.

## QUÆRITUR III.

### *Quale impedimentum sit, justitia publicæ honestatis?*

*Definitio.* Respondetur esse impedimentum dirimens contractum matrimonium, si attententur: & definiri potest esse propinquitatem inter utrumvis desponsatorum & consanguineos alterius, ab Ecclesia constitutam; idque ad tuendam communem & publicam honestatem. *Justitia* enim *publicæ honestatis*, idem valet quod Justitia quæ est honestas publica. Per Concilium autem Tridentinum sess. 24. cap. 3. reformationis, restrictum est hoc impedimentum, *ut non extendatur ultra primum gradum: neque ullum consurgat ubi sponsalia quæcumque ratione non erunt valida.*

Quare, vi hujus propinquitatis est impedimentum inter sponsum & sponsæ consanguineos in primo tantum gradu; & similiter inter sponsam, & consanguineos sponsi, ut sponsus non possit validè matrimonium inire cum matre vel sorore suę sponsæ: nec sponsa cum Patre vel Fratre sui sponsi; ne quidem, si sponsalia vel per mortem, vel per mutuum consensum, aut aliter dirimantur.

Si ergo sponsus de facto contraheret cum sorore suæ sponsæ, per verba de præsenti; deberet redire ad priorem: Si autem consummaret matrimonium cum secunda; neutram posset accipere in uxorem: non priorem, quia obstaret affinitas; non posteriorem, quia obstaret justitia publicæ honestatis. Si cum posteriore solùm contrahit sponsalia; ea sunt nulla; & ideo quæ priùs cum altera contraxerat, manent valida.

Ex his sequitur quod ex sponsalibus conditionatis nulla oriatur justitia publicæ honestatis, donec conditio extet; ut antea declaraverat Bonifacius octavus. cap. unico de sponsalibus in 6. quia eo usque sunt invalida: oritur autem ex matrimonio coram Parocho & testibus conditionaliter contracto; quia illud habet vim sponsalium, usque dum conditio posita eveniat; tunc autem, sicut est matrimonium, ita causat affinitatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS II.

*Utrùm tempus septennij sit convenienter assignatum sponsalibus contrahendis.*

VIDETUR quòd non. PRIMÒ, quia si prudentia vel astutia suppleat ætatem, validè contrahuntur ante finem septennij.

SECUNDÒ, Pater sic potest inire sponsalia pro filio minore, ut cùm is ad ætatem perfectam pervenerit, omnino debeat ea implere, ut habet capitulum, *Tuanos*, De desponsatione impuberum.

*Resp. affirm.* RESPONDETUR, convenienter ab Ecclesia esse constitutum, ut sponsalia contrahentes sint in fine septennij: quia generaliter non habent antea sufficientem usum rationis. Extant decreta Pontificum cap. *Litteras*; capitulo *Accessit*; capitulo *Ad dissolvendum*, titulo de desponsatione impuberum: & capitulo, *Infantes*, in sexto sub eodem titulo.

AD 1. ARGUMENTUM RESPONDET B. Thomas hìc ad septimum, sponsalia validè contrahi per eos qui appropinquant ad finem septennij; propinquitas autem ista non solùm ex numero quinque aut sex mensium, qui desint septennio, est æstimanda; sed potissimùm ex sufficiente usu rationis.

Neque tamen dicendum est, valida fore sponsalia eorum in quibus quarto vel quinto anno fuerit acceleratus usus rationis: quia intentio Ecclesiæ fuit ejusmodi irritare, eò quod communiter non sit sufficiens discretio ante septennium, aut circiter.

AD 2. Pater potest ex causa rationabili contrahere sponsalia pro filio minore: sed ea non subsistunt, nisi ratificentur à filio: qui licèt absolutè possit ea non habere rata; propter reverentiam tamen parenti præstandam, decet eum non reclamare, nisi ex causa legitima. Unde quod in objecto capitulo, habetur, *debet implere*, intelligitur (ait Dominicus dist. 27. quæst. 2. art. 2.) de debito honestatis, non necessitatis. Quamquam, si etiam de debito necessitatis cujusdam intelligas; vera erit sententia Pontificis. Si enim nullam habeant causam rationabilem in contrarium; pueri tenentur implere sponsalia per eorum parentes contracta, peccaturi alioquin contra reverentiam parentibus debitam.

Attentare autem sponsalia ante tempus septennij, regulariter est mortale; tum propter severam Ecclesiæ prohibitionem; tum propter gravia incommoda quæ inde possunt oriri: ut ex Paludano observat Sylvester, verbo *Matrimonium* quinto, quæst. sexta.

Dico *Regulariter*, quia pueri possunt aliquando excusari per ignorantiam; sed non similiter qui eos inducunt ad attentandum.

ARTICULUS III.

*Utrùm sponsalia possint dirimi?*

RESPONDET posse: quia obligatio quam generant, varijs casibus evenientibus, vel utrimque vel altera solùm parte potest solvi.

PRIMUS igitur casus quo dirimuntur, est per ingressum religionis: ita scilicet, ut eo ipso quo unus sponsorum suscipit habitum religionis, alter statim possit inire sponsalia cum alio: nam prior tali facto renuntiat sponsalibus, & animum ostendit alienum à nuptijs. Si tamen agrederetur antequam sua compars inierit sponsalia cum alio; sic egressus teneretur eam in matrimonium accipere: partim ut sponsalium præcedentium, quæ fuerant rescissa sine culpa remanentis in sæculo; partim ratione injuriæ, si ad illudendum, eam deseruerat.

Sed quæritur, An etiam is qui sponsalia juramento confirmavit, possit habitum religionis suscipere, antequam matrimonium ineat. Alexander 3. capitul. *Commissum* tit. de sponsalibus, Respondit esse tutius religione juramenti servata prius contrahere: & postea, si elegerit, ad religionem migrare. *Quæst.*

Respondetur etiam illum posse ad religionem transire antequam matrimonium contrahat: quia cùm religio sit excelsior status, quàm matrimonium: sicut in sponsalibus, ipso jure subintelligitur exceptio, *Nisi velim ingredi religionem*; ita etiam in juramento quo sponsalia confirmantur. *Resp.*

AD capitulum Respondet Dominicus distinct. 27. quæstion. 2. articulo quinto, quòd servare juramentum sit tutius secundùm vulgi opinionem, non secundùm rei veritatem, *ne ille censeatur de facto contra juramentum venire*. Adde, quod si alteri parti magnum crearetur incommodum, nisi prius contraherent: ut quia alioquin incurreret notam infamiæ; vel quia proles ex illicito congressu concepta, erit illegitima: tunc sive sponsalia sint jurata, sive non, deberent priùs contrahere matrimonium, & tunc demum ad religionem alter posset transire, Ad primum hunc casum pertinet etiam susceptio sacrorum ordinum: nam & per hanc, sponsalia prius contracta dirimuntur.

SECUNDUS casus est, quando alter desponsatorum contrahit matrimonium cum alio. Tunc enim qui residuus est, solvitur obligatione, alter verò, propter insolubilitatem matrimonij, non potest redire ad sponsam: sed si contingat uxorem illam mori; tenebitur priorem accipere, si ipsa volet, non vi sponsalium quæ jam sint, sed ratione promissi, quòd antea, propter mutationem materiæ de licita in illicitam, non poterat impleri. Ita Petrus Ledesma hìc & quæstione 46. articulo primo. De hoc casu extant capitula *sicut, si inter virum*, & adolescens tit. de sponsalibus.

TERTIUS, quando utrique vel alteri deest ætas legitima, & cùm ad eam venit, recusat. Si uterque habeat ætatem ad sponsalia, sed uni deerat ætas ad matrimonium, hoc reclamante, poterunt per Ecclesiæ judicium separari, ait Alexander tertius cap. *de illis*, de desponsatione impuberum.

QUARTUS, quando mutuam obligationem sibi remittunt.

QUINTUS, quando inter contrahendum fuerat terminus matrimonio ineundo constitutus: eo transacto is per quem non stetit, solvi potest sua obligatione. Et similiter, si sponsalibus apposita erat honesta conditio, quæ non servatur.

SEXTUS, quando alter desponsatorum proficiscitur absque consensu alterius, in longinquam regionem, cap. *de illis*, tit. de sponsalibus: quia censetur isto facto declarare mutationem voluntatis. Confer quæ dicimus part. 2. Variarum Res. verbo *Matrimonium* 4.

SEPTIMUS, quando post sponsalia, unus fornicatur, cap. *Quemadmodum*, tit. de jurejurando. Quod multò magis censendū est de spirituali fornicatione per hæresim vel apostasiam, sive præcedentem sponsalia, sive sequentem. Si autem sponsa vel ante sponsationem fuerat fornicata, cum tamen crederetur integra, & ut talis sponsaretur: vel si post illam, fuerit vi oppressa; probabile etiam est virum non teneri eam ducere, sed posse solvi obligatione, vigesima septima, quæstione secunda, capit. *Raptor*, cum sequenti: & Navarr. capite vigesimo secundo, numero vigesimo septimo.

OCTAVUS; quando sponsalibus supervenit affinitas, vel quodcumque juris impedimentum, aut impedimenti fama, vel scandalum, vigesima septima, quæstione secunda cap. *Si quis sponsam*: & de sponsalibus, cap. *Cum in tua*.

NONUS, quando post sponsalia supervenit lepra, paralysis, aut alius gravis & diuturnus morbus, vel notabilis deformitas aut mutilatio, capit. *Quemadmodum*, de Jurejurando: & capit. *literas*, de conjugio leprosorum.

DECIMUS, quando magnum vitium alterutrius innotescit, prius ignotum: vel supervenit gravis inimicitia: aut tale aliquid quod si fuisset prævisum, verisimiliter non fuissent contracta sponsalia.

*Quæst.* Quæritur autem quid sit dicendum de voto simplici castitatis.

*Una Resp.* Si antecedat sponsalia, satis convenit quod ea dirimat, cap. *Rursus*, Qui clerici vel voventes.

Si subsequatur; quidam dubitant, propter cap. *Venient*, eodem tit. ubi mulier quæ post sponsalia voverat castitatem, jubetur agere pœnitentiam de fide non servata sponso, & permittitur inire matrimonium. Sed cum Pontifex non solùm pro fide sponso mentita, sed etiam pro voto violato jubeat imponi pœnitentiam; sciendum est quod votum emiserat, eo tantum fine, ut non cogeretur illi sponso copulari; cum interim non esset ad continentiam plenè resoluta. Unde, quia periculum erat fornicationis, dispensatum est ut matrimonium posset inire.

Quapropter, cùm majus sit vinculum voti quam promissionis homini factæ, etiamsi juramento confirmaretur; cumque in sponsalibus intelligatur; nisi contingat notabilis mutatio vitæ in melius: post Beatum Thomam quæst. 33. articulo primo, ad primum, Ric. Dominic. dicendum existimamus quod votum simplex sponsalibus superveniens ea dirimat, ut proinde simul ac alter id intellexerit, possit cum alio inire sponsalia. Si vovens trahatur in judicium; debet absolvi; neque potest ad religionem cogi, quasi hac sola via possit evadere matrimonium. Quod si condemnaretur, non esset in conscientia obligatus parere. *Simplex votum castitatis dirimit sponsalia prius contracta.*

His ergo casibus dirimuntur sponsalia: primo quidem, secundo, octavo, & hoc ultimo qui est per votum, ipso jure; Alias autem per sententiam Ecclesiæ. Et notandum quòd Ecclesiæ judicium semper debet intervenire, quandocumque sponsalia fuerint publica; & causa diremptionis eorum est occulta: si autem sunt occulta, non est necesse.





QUÆSTIO XLIV.

*De ratione matrimonij.*

ARTICULUS I.

ART. 1. docet matrimonium esse in genere conjunctionis: quia est ipsa conjunctio, seu obligatio reciproca, quâ vir & mulier ordinantur ad prolis generationem & educationem, atque ad officia domestica sibi mutuò præstanda. Et per hanc conjunctionem vir est formaliter maritus, & mulier, uxor; non autem per conjunctionem corporum, vel animorum, vel bonorum; quæ conjunctio solùm consequitur ad præcedentem.

Ex his cum ijs quæ prius dicta sunt collatis, colligi potest quod matrimonium prout est in fieri atque adeò prout perficitur; est contractus quidam; cui (dum inter baptizatum & baptizatam juxta institutionem Christi initur) convenit esse Sacramentum novæ legis. Sed prout matrimonium est in facto esse, sive prout est quid permanens (quo modo dicimus verum esse matrimonium inter eos qui pridem inter se legitimè contraxerunt) est ipsum vinculum quo vir & mulier ad invicem obligantur.

In Responsione ad tertium docet relationem conjunctionis matrimonialis esse duplicem ex parte subjecti, sed unam ex parte causæ, ad quam ordinatur: & quia vocabulo *Matrimonij* solùm significatur relatio ex parte causæ, Ideo unum tantùm est matrimonium duorum.

Addi potest, vocabulum istud complecti duas relationes oppositas, & ideo non debere esse duo matrimonia duorum; sicut non sunt mille congregationes, mille hominum congregatorum, sed una.

ARTICULUS II.

ART. 2. probat matrimonium convenienter nominari, quia significat eum statum in quo mulier potest fieri legitima mater, & quem non debet, secundùm ejus primævam institutionem, assumere, nisi ut fiat mater. Non similiter à patre nomen accepit, etiamsi pater sit dignior quam mater, quia circa prolem, (cujus causa institutum est matrimonium) mater est magis officiosa quam pater, prolisque generatio in matre cognoscitur evidentius. De alijs nominibus Matrimonij videantur quæ ad initium q. 41. diximus.

ARTICULUS III.

ART. 3. docet Matrimonium convenienter definiri, definitione scilicet illa quæ est apud Magistrum in 4. dist. 27. & quam recipit ut communem Alex. 3. cap. Illud, tit. De præsumpti.

Matrimonium est viri mulierisque conjunctio maritalis, inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens, sive, instituta ad eam retinendam. *Conjunctio* non hìc significat actus quibus conjunguntur, cùm illi actus transeant; matrimonium autem conjugibus manentibus maneat, sed vinculum & obligationem inde exortam. *Definitio matrimonij in genere.*

Dicitur *maritalis*, ad significandum quod hæc conjunctio sit ad ea quæ mariti officium requirit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Non dicitur *uxoria*, etiamsi eadem illa conjunctio ordinetur quoque ad ea quæ uxoris officium requirit, quia non est vir propter mulierem, sed mulier propter virum, 1. ad Cor. 11. ideoque magis debuit hæc differentia sumi à viro, quam à muliere. A

Dicitur, *Viri mulierisque*, quia non aliter potest esse matrimonium, quam inter homines diversi sexus.

Additur, *inter legitimas personas*; quæ nimirum juxta leges liberæ sunt & habiles ad ejusmodi vinculum contrahendum, quia non omnes personæ sunt ad hoc habiles.

Denique subjungitur, *individuam* seu indissolubilem *vitæ consuetudinem retinens*, seu instituta ad retinendum; quia matrimonium est insolubile; nec solvi potest per mutuum consensum contrahentium, sicut dissolvi possunt alij contractus. Et propterea hic locum non habet ista regula, per quas causas res nascitur, per easdem solvi potest. B

Qui Matrimonium secundùm quod est contractus, definire volet, vel pro conjunctione, dicat quod Matrimonium est Contractus maritalis &c. vel per conjunctionem intelligat mutuam actionem seu contractum illorum qui adinvicem conjunguntur, & inde obligantur.

*Definitio matrimonij novæ legis.*

Ut autem Matrimonium est Sacramentum novæ legis, ita potest definiri, Matrimonium est Christianorum viri & fœminæ personarum legitimarum conjunctio vel contractus maritalis, ad individuam vitæ societatem retinendam institutus, & gratiam conjuges sanctificantem conferendi vim habens. Utrùm vero insolubilitas matrimonij sit ex lege naturæ, vide infra q. 67. C

## QUÆSTIO XLV.

### *De consensu matrimonij secundùm se.*

#### Articulus I.

Art. 1. Docet mutuum consensum contrahentium esse causam necessariam & sufficientem matrimonij, seu contractus & vinculi conjugalis: quia quod est unius non potest transire in potestatem alterius, nisi vel authoritate legis, vel consensu Domini: In matrimonio autem corpus quod est unius, transit in potestatem alterius, & contra; & hoc non per legem aliquam; ergo per consensum mutuum, quia matrimonium est inter duos, & requirit traditionem potestatis mutuæ corporum illorum. Debet autem iste consensus, ut efficiat matrimonium, esse liber, & legitimus, seu personarum quæ sunt legitimæ, non solùm ad contrahendum, sed etiam ad contrahendum inter se, & isto modo. D E

Moventur hîc aliquot quæstiones: sed quia tantùm sunt speculativæ, sufficiant conclusiones sequentes.

#### Conclusio I.

Deus per absolutam potentiam potest aliquos jungere matrimonio absque ipsorum consensu: quia quod potest efficere per causas secundas, potest etiam sine illis.

#### Conclusio II.

Verisimile est Deum id nunquam fecisse: Nam primos parentes, de quibus posset esse dubium, verius est in suam conjunctionem consensisse; tunc quando conjungebantur.

#### Conclusio III.

Potuit potestatem conjungendo aliquos sine eorum consensu, sive ipsis invitis, communicare Ecclesiæ; non tamen communicavit: quia non expedibat. Cùm enim nullum violentum sit perpetuum; matrimonium, quod debet esse perpetuum, non convenit esse violentum. Adde quod violentè conjuncti, nec mutuum haberent amorem, nec necessariam prolis curam: quia quod quis non eligit, non diligit; & propterea facilè contemnit. Unde sequitur quod nulla potestas, sive Ecclesiastica, sive civilis possit inter aliquos vinculum matrimoniale constituere, sine ipsorum consensu.

#### Conclusio IV.

Contractus matrimonialis ne quidem per absolutam Dei potentiam potest esse sine consensu contrahentium: quia contradictionem implicat, aliquos contrahere, & eos non consentire.

#### Articulus II.

Art. 2. probat consensum debere verbis aut signis æquivalentibus exprimi: quia matrimonium est contractus, generalis autem ratio contractûs postulat ut utriusque pacisccentium voluntas alteri innotescat, adeò ut alioquin nulla omnino sit pactio, sive contractus. *Consensus debet exprimi verbis aut signis æquivalentibus.*

Si dicas, Deum qui videt animos, consensus internos approbare: Respondetur quod aliquando quidem eos approbet, non tamen sic ut efficiant matrimonium: quia instituit matrimonium non fieri nisi modo hominibus convenienti, hic autem modus est per consensus mutuos invicem cognitos & expressos. *Ob. Resp.*

Diximus (*aut signis æquivalentibus:*) quia licèt ex præcepto Ecclesiæ verbis utendum sit, quando potest fieri commodè: ex matrimonio tamen per litteras, vel per procuratores, aut inter mutos inito, constat verba contrahentium suppleri posse per signa. Unde B. Thomas, hîc ad tertium, affirmat fore matrimonium, si puella præsens taceat, parentibus eam viro tradentibus, & pro eâ loquentibus; quia silentium non contradicentis quando esset contradicendum, signum est consensus, nisi scilicet ex alijs circumstantijs colligeretur tacere, quia dissentit, & non audet ob metum patris contradicere. Cæterùm, sintne parentes qui pro alterutro contrahentium loquuntur, an personæ extraneæ, est indifferens: quia omnium eadem est ratio. Non debet tamen Parochus permittere ut absque verbis contrahentium fiat, vel contractus vel Sacramentum matrimonij, quando ipsi sunt præsentes, vel loqui possunt. Qui vero nollet uti verbis, à mortali non videtur excusandus, quando matrimonium initur in Ecclesia coram Parocho & testibus: quia sine causâ recederet à notabili ritu quem Ecclesia semper observavit, ac observari voluit



voluit in receptione Sacramenti. Ad hujus articuli pleniorem intelligentiam. A

## QUÆRITUR I.

### *An oporteat consensum viri & mulieris simul exprimi.*

Respondeo non requiri; imò non decere ut verba utrimque simul proferantur: sed melius est quod unus post alium loquatur, ita scilicet ut cùm una pars consensum suum expressit, altera deinde suum exprimat, vel eodem illo loco & tempore: vel diverso, modò consensus prioris adhuc perduret, saltem virtute: Censetur autem perdurare, quamdiu non revocatur. Quanti autem temporis intervallum possit intercedere, prudentum judicio est relinquendum, nisi quod post Concilij Trident. publicationem requiratur, ut ambo contrahentes suos consensus exprimant coram Parocho & testibus. B

## QUÆRITUR II.

### *Quæ consensus expressio requiratur ad validandum matrimonium, quod prius initum, erat invalidum.* C

#### Conclusio I.

Iure antiquo, si personæ erant legitimæ, sed unâ præbente consensum, altera vel metu coacta contraxerat, vel fictè; sufficit hanc posteriorem de novo consentire tunc, quando altera perseverat in consensu. Ita Beatus Thomas quæst. 47. artic. 4. ad secundum, Palud. in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 4. Richard. dist. 29. quæst. 3. art. 1. Navarr. cap. 22. num. 80. Cum enim consensus alterius fuerit antea de se validus & sufficiens ad matrimonium, nec sit revocatus; nihil ex ejus parte desideratur, sed solum deest consensus posterioris: ergo, hoc accedente, matrimonium sit validum. Huc pertinet quod supra diximus, consensus conjugum non necessariò simul exprimi, sed sufficere ut unus ponatur, quando alter perdurat. D

Dixi, *jure antiquo*, quia ubi Concil. Trident. est publicatum, prior ille contractus debet fuisse factus coram Parocho & testibus, tametsi ignaris coactionis & fictionis: alioquin non convalesceret per sequentem consensum, nisi is fieret & declararetur coram Parocho & testibus. vide quæ ad conclus. quartam notavimus, & quæ dicuntur qu. 47. art. 3. quæsito 2. E

#### Conclusio II.

Si personæ erant illegitimæ propter aliquod impedimentum dirimens; matrimonium non potest obtentâ dispensatione convalescere; nisi novus utriusque consensus accedat, verbis aut signis expressus. Ita Beatus Thomas quæst. 54. art. 4. ad 6. Scotus in 4. dist. 35. Navarr. cap. 22. num. 47. & 80. & alij, quos citat Sanchez lib. 2. disp. 35.

Primò, quia dispensatio per quam remotum est impedimentum, non dat valorem matrimonio priùs contracto, sed solum facit illas personas esse habiles ad contrahendum.

Secundò, quia consensus antea expressus erat omninò illegitimus, & super materiam illegitimam, ac propterea nullus; ergo debet novus accedere.

Si dicas, consensum antea præstitum adhuc durare: Respondetur, id non posse dici. Cùm enim permanentia supponat existentiam; consensus qui nunquam fuit verus, non potest permanere. Ista autem dispensatio peti potest ab unò conjugum, etiamsi alter non sciat. *Ob.* *Resp.*

#### Conclusio III.

Ut ejusmodi matrimonium convalescat, oportet quod ignoranti significetur priorem contractum non fuisse validum; atque ita detur ei libertas ad consentiendum de novo. Scotus dicta dist. 35. Navatr. lib. 4. consil. consilio 13. in tit. de sponsalibus, & cap. 22. Enchir. num. 47. Binsfeldius, & alij. Neque enim sufficit ignarum nullitatis ratificare contractum, ex eo quod putet eum fuisse ab initio validum: quia talis ratificatio proficiscitur ex errore, & propterea non inducit novam obligationem.

Confirmatur, cùm prior consensus fuerit invalidus, requiritur novus qui tendat in novum contractum: atqui per ejusmodi ratificationem non est novus consensus, nec intentio novi contractus; quia is qui de impedimento nihil scivit, solum intendit perseverare in priori contractu, quem erroneè putat fuisse validum: ergo ejus ratificatio non sufficit. Huc pertinet quod votum alicujus, non ex eo convalescat, quod is illud ratificaverit putans esse validum; nisi postea sciens fuisse invalidum, illud ratificet. Navarr. cap. 12. num. 71.

Cæterum, quia non raro pericula sunt vel scandali, vel dissensionum, vel suspicionis adulterij, si ignarus impedimenti illud resciat: ideo quædam sunt observanda.

Primum, non esse necesse ut causa nullitatis matrimonij exprimatur ei qui nihil scit de impedimento.

Secundum, sufficere ut persona quæ est impedimenti conscia, dicat alteri se in prius matrimonium non consensisse, defectu bonæ instructionis; & propterea petere, ut consensum suum ambo renovent. Cùm enim prior consensus fuerit invalidus; apparet posse appellari non consensum.

Tertium, sufficere, si novus consensus procedat ex cognitione non quidem expresâ nullitatis matrimonij, sed æquivalenti. Veluti si conscius impedimenti sollicitet alium in sui amorem, & dicat; Ita tibi afficior, ut si non esset inter nos matrimonium, nihilominus te acciperem, & jam de facto ita te accipio: nunquid tu similiter? Si respondeat quod sic, vel eo affectu se cognoscant; matrimonium convalescit; quia ignarus impedimenti non solùm intendit permanere in matrimonio prius contracto, sed etiam inire novum, si prius non fuerit validum.

Nec obstat hunc etiam consensum esse cum errore putantis priorem contractum esse validum: quia hic consensus non procedit ex illo errore. *Ob.*

Quis autem modus, & quando sit adhibendus; petendum est ex conjugis conditione, varijsque circumstantijs. *Resp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



CONCLUSIO IV.

HABITA dispensatione non debent fieri novæ denuntiationes; nec requiritur præsentia Parochi & testium; sed sufficit conjuges nullitatis, prout dictum est; conscios, inter se solos, renovare consensus. Ita Navarr. cap. 22. num. 70. & lib. 4. consil. 14. tit. de sponsalibus, qui & affirmat Pium Quintum ita declarasse. Hunc sequitur Binsfeldius, Henriquez lib. 11. cap. 3. num. 6. & ij quos recenset Sanchez lib. 2. disput. 37. Itemque Bonacinas quæst. 2. p. 9. & Barbola ad sess. 24. cap. 1. Concil. Trident num. 158. 160. & de offic. Episcop. Alleg. 32. num. 157. 158. Zerola verbo, *Dispensatio*, ad 3. itemque dub. 5.

Supponendum autem est PRIMÒ, quòd illi prius inter se contraxerant coram Paroco & testibus, quamvis invalidè, propter occultum impedimentum. Hinc enim fit, ut eorum matrimonium non sit de numero clandestinorum, quæ Ecclesia semper est detestata.

SECUNDÒ, quòd impedimentum sit occultum, & verisimiliter non manifestandum: nam alioqui, novus eorum contractus deberet fieri coram Parocho & testibus, ad evitandum scandalum, vel præsens vel verisimiliter futurum. Si autem vel testium unus, vel ipse Parochus, aliter quàm ex confessione novit impedimentum, tunc quando celebratur prior contractus, oportet eum postea renovari coram alterutrius contrahentium Parocho & testibus, quia nulli alioquin essent qui possent testificari de valore matrimonij: si verò tunc ignorabant & postea sciant, sed taliter quòd non possit probari in foro externo, non oportet: quia fuerunt testes contractus quando satisfiebat decreto Tridentino: & in Ecclesia notum non est impedimentum. Quamvis ut tollatur scandalum, sive Parochi sive testis, qui conscius est impedimenti, debeat illi impetratio dispensationis significari.

PETES, quid si dispensetur super impedimento occulto, sed eâ conditione, ut contrahant servata forma Concil. Trid.

RESP. etiam tunc illos posse consensum renovare absque Parocho & testibus, si prius contraxerant coram illis, quia forma Concilij servata est. Neque enim attentaverunt contrahere aliter quàm coram Paroco & testibus.

Ex his sequitur quòd sublato per dispensationem impedimento, contractus validari possit non solum per verba, sed etiam per copulam affectu maritali factam, aut per signa verbis æquivalentia: Verumtamen, juxta ea quæ prius dicta sunt, eorum matrimonium non erit Sacramentum novæ legis: quia non adhibetur forma tunc quando materia est præsens, quod ad Sacramenti rationem est necessarium.

ARTICULUS III.

ART. 3. docet consensum per verba de futuro expressum, non efficere matrimonium: quia per ejusmodi verba nemo significat se matrimonium facere, sed solùm promittit se facturum. Oportet ergo quod consensus, qui ar. 1. dictus est esse causa efficiens matrimonium, exprimatur per verba de præsenti, quibus uterque contrahentium significet se nunc consentire in præsentem potestatis corporis sui translationem in alterum: ac proinde, si dicant; habebo te in matrimonio: vel, Accipio te in annum proximum, sponsalia sunt. Si verò dicant, ex hoc temporis puncto habebo te in maritum, vel uxorem, est matrimonium, quia licèt verba sonent futurum, tota tamen sententia significat præsentem acceptationem in conjugem, cap. *ex parte* Tit. de sponsalibus.

His non obstat cap. *Si quis*, 30. quæst. 5. ubi jubetur ut illa sit legitima uxor, cui divinis tactis scripturis juraverit quis se eam habiturum uxorem legitimam: quia non significatur quòd ex hoc juramento sit uxor, sed quod teneatur eam ducere. *Ob.*

ARTICULUS IV.

ART. 4. Probat consensum per verba de præsenti expressum non facere matrimonium, si desit consensus interior: quia Innocentius 3. cap. *Tua nos*, tit. de sponsalibus, id declaravit, idemque significavit Nicolaus Papa, 27. quæst. 2. cap. *Sufficiat*, *Si consensus*, inquit, *in nuptijs solus forte defuerit: cætera omnia, etiam cum ipso coetu celebrata, frustrantur.*

Accedit & ratio, Quia nemo contractum aliquem facit, qui non habet voluntatem contrahendi. Circa responsionem ad primum. *Resp.*

QUÆRITUR I.

*An qui simulatè contraxit matrimonium cum aliqua teneatur eam ducere?*

VIDETUR quòd non. PRIMÒ, quia profitens fictè religionem, non tenetur postea profiteri, sed potest illuc se transferre, ubi cesset ratio scandali.

SECUNDÒ, quia nullam facit injuriam; cùm neuter maneat obligatus alteri.

TERTIÒ, quia cogens aliquam ad matrimonium secum ineundum, non tenetur eam ducere, modò pro injuria satisfaciat.

RESP. Quòd regulariter & per se loquendo, teneatur eam ducere. PRIMÒ, quia utrimque est contractus, Do ut des: mulier autem implevit quod ex parte suâ requiritur, tradendo potestatem sui corporis: Ergo alter etiam tenetur, quod est ex parte suâ implere. *Resp. est affirm.*

SECUNDÒ, Talis simulator peccavit contra justitiam; nec regulariter potest satisfacere, nisi simulationem vertat in veritatem: ergo ad hoc tenetur.

Confirmatur, decepto vel deceptæ sequitur grave damnum: Cùm enim non possit probare fictionem alterius, non permitteretur inire aliud matrimonium: & quamvis permitteretur; tamen ob famam tali divortio graviter læsam, non facilè inveniet conjugem se dignam. Ita sentire videtur Beatus Thomas dum ait *quod dolus verborum isti simulatori, nec in foro conscientiæ, nec in foro Ecclesiæ patrocinetur*: Hoc enim ideo est, quia in utroque foro obligatur eam ducere, quam decepti. Ita etiam Scotus in 4. dist. 30. quæst. 1. Major dist. 27. q. 1. Dominicus q. 1. art. 3. Navarr. cap. 22. num. 76.

Dixi *regulariter*, quia per accidens fieri potest ut non teneatur eam ducere. *Exceptiones à Resp. affirm.*

PRIMÒ, si talis simulator duxerit secundam quo tamen casu tenebitur priori ad compensationem prudentis arbitrio faciendam.

SECUN-



SECUNDÒ, si decipiens sit conditionis longè majoris, vel evidentia signa præbuit ficti consensûs: nam tunc præsumi potest, & quòd mulier non fuerit verè decepta, & quòd verbis viri non crediderit, sed se credere simulaverit.

TERTIÒ, si mulier quæ decepta videtur, in ipso contractu se virginem simulaverit, cùm non esset; aut ut talis passim habebatur, etiam à contrahente, nunquam alioquin contracturo: per hanc enim deceptionem, satis videtur satisfactum injuriæ.

DENIQUE, si ex matrimonio eorum gravia mala expectantur: quo casu pecuniaria compensatio sufficiet.

AD 1. ARGUMENTUM RESP. esse dispares rationem. *Primò*, quia matrimonium est in bonum utriusque contrahentium, religio autem est magis in bonum profitentis, quàm contra. *Secundò*, quia fictè profitens, per hoc non facit injuriam religioni quod tamen alteri facit, fictè matrimonium contrahens; quia non dat ei quod suum esse debebat, unde patet RESP. AD 2.

DE 3. dicetur quæst. 47. art. 4.

QUÆRITUR II.

*An proles ex matrimonio fictè contracto susceptæ, sit legitima?*

*Resp. est affirm.* RESP. ut talem esse habendam, si mulier bonâ fide existimavit illum è quo prolem suscepit, esse suum maritum. Ita colligi potest ex cap. *Perlatum*: & cap. *Pervenit*, tit. Qui filij sint legitimi. Imò ex capit. *Cum inter*, & cap. *Ex tenore*, generaliter est dicendum, filios genitos ex matrimonio bonâ fide saltem alterius parentis initio in facie Ecclesiæ, esse simpliciter legitimos, si concepti sint ante divortium. Circa Resp. ad 3.

QUÆRITUR III.

*An qui post matrimonium fictè contractum cum unâ, contraxit secundùm cum alterâ, possit redire ad priorem?*

RESP. sive matrimonium primum fuerit nullum ex defectu consensus qui solùm erat fictus, sive propter aliquod aliud impedimentum dirimens; illud quod cum alterâ secundum inijt, est validum; & propterea non potest ad priorem carnaliter cognoscendam accedere, etiamsi Ecclesia præciperet sub pœna excommunicationis; sed potiùs debet sustinere excommunicationem. Ita Sanctus Thomas hîc, & Innocentius 3. cap. *Inquisitioni*, tit. de sententia excommunicationis: quia certò novit illam priorem, non esse suam uxorem. *Quæst. Resp.*

An autem possit, vel teneatur priori illi cohabitare ad præceptum Judicis: Dicendum est quòd non, nisi (modò absit periculum congressûs) ad vitandum scandalum; quia sententia judicis fundatur in errore facti. *Quæst. Resp.*

Sed, quid si excommunicetur propterea quod neget debitum; Ex ijs quæ art. 4. qu. 21. diximus; Respondendum est ipsum tali excommunicatione coram Deo non ligari: quamvis ut excommunicatum se gerere debeat, usque ad absolutionem, vel usque ad veritatis notitiam.

Inter remedia ergo quæ tali homini restant, primum est excommunicationem patienter ferre; & mulieri persuadere nullum fuisse inter ipsos matrimonium, ideoque ipsam debere desistere ab impetitione.

Secundum, cum secundâ quæ verè est uxor, in alias regiones remotius fugere.

Tertium, ingredi religionem, si cum secundâ non consummavit matrimonium: vel consummavit quidem, sed illa consentit in ingressum religionis.

QUÆRITUR IV.

*Vtrùm uno conjugum affirmante sibi defuisse consensum, alter posit inire novum conjugium.*

CONCLUSIO I.

NON potest statim inire novum conjugium: quia sicut Ecclesia non confestim credit, ita nec ille debet statim credere, sed potest uti conjugio cum eâ personâ contracto; & existimare quod nunc mentiatur, quæ asserit se fuisse prius mentitam. *Indignum est*, ait Innocentius 3. ca. *Per tuas*, tit. de probationibus, *ut quod suâ voce quispiam dilucidè est protestatus in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare.* Imo Bonacinas q. 4. p. 4. nu. 19. ait quod regulariter non tenetur credere, quamvis alter hoc asserat cum juramento; eò quod verisimilius sit ipsum modò mentiri, quam mentitus fuerit in contractu. Cur dicatur regulariter, haberi potest ex Concl. 3.

CONCLUSIO II.

SI talia dicenti, statim & sine sufficienti ratione crediderit, & aliud matrimonium inierit; non potest illo matrimonio secundo uti, nec reddendo nec petendo debitum: Si verò dubitans de veritate narrationis, ad secundas nuptias transierit (quod tamen ei non licebat) poterit secundis uti, reddendo debitum, sed non petendo. Navarr. cap. 22. numero 77.

CONCLUSIO III.

SI sint argumenta judicio prudentis sufficientia ad credendum quod revera non consenserit; is cui adferuntur, poterit inire secundum matrimonium, & eo libere uti: modo tamen consentiat judicis Ecclesiastici sententia, si prius matrimonium fuerat manifestum, & pro valido passim reputatum.

Argumenta autem probabilia sunt:

*Primum*, si ita statim à contractu reclamet, ut videatur protulisse verba per inadvertentiam.

*Secundum*, Si postea & neget se consensisse, & de facto contrahat cum alterâ, vel recipiat sacros ordines, aut profiteatur religionem.

*Tertium*, si juramento confirmet se non consensisse, & est talis de quo præsumi non possit quod pejeret.

*Quartum*, si tanta sit disparitas, ut verisimile sit non voluisse contrahere cum tali.

*Quintum*, si probet metum patris ille qui neget se consensisse.

QUÆ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



A

QUÆRITUR V.

*Quid faciet qui de valore sui matrimonij dubitat?*

SIVE dubium hoc oriatur ex insufficientia consensus, sive ex aliquo impedimento dirimente, cujus incipit illi esse conscientia; ex judicio Parochi, Confessarij, aut alterius prudentis debet istud dubium deponi, si sit temerarium, id est nulla ratione ad dubitationem sufficienti, subnixum; & eo deposito, is qui dubitabat, vivere debere tanquam legitimus conjux; hoc est, potest debitum conjugale petere, & alteri petenti tenetur reddere.

B

Si verò dubium non sit temerarium, sed probabili aliqua ratione nitatur; vel temerarium quidem sit, sed præ scrupulositate non possit deponi: sic dubitans, vel opinans potest reddere debitum, non videtur tamen posse petere. Ita B. Thomas quæst. 55. art. 9. ad 3. Bonavent. in 4. dist. 38. in fine expositionis litteræ, Petrus Soto lectione 9. de matrimonio, Navarr. cap. 22. num. 54. & ante illos Innoc. 3. cap. *Inquisitioni*, titul. de sententia excommunicationis.

Ratio prioris est, quia dubium unius non est satis ut spoliet alterum sua possessione: atqui non dubitans habet in sua possessione corpus conjugis dubitantis: ergo non potest à dubitante spoliari: C & propterea dubitans debet illi petenti reddere debitum.

Ratio posterioris est, quia tenetur evitare pericula fornicationis quantum potest: potest autem non petere debitum, & sic illud periculum evitare: ergo tenetur.

*Ob. Resp.*

SI DICAS esse mortale, facere id de quo dubites an sit mortale: RESP. eum, qui dubitans de valore matrimonij reddit debitum, non propterea dubitare, an sit peccatum mortale id quod agit: quia judicium formare debet quod hoc sibi liceat, cùm non ignoret esse alteri reddendum id quod est in illius possessione. Atque hæc est communis sententia.

D

Dominicus tamen lib. 4. de justitia & jure qu. 5. art. 4. & in 4. dist. 27. qu. 1. ar. 3. interpretatur rescriptum Innocentij, ut ante factam sufficientem veritatis inquisitionem, non possit is qui dubitat, exigere debitum, possit tamen ea sufficienter adhibita. Dominicum sequitur Sanchez lib. 2. disp. 41. partim quia possessor bonæ fidei, si dubitat rem esse alienam, & facto sufficienti examine, nequit deponere dubium; potest non tantum detinere rem illam, sed etiam illa uti: partim, quia post sufficientem diligentiam, habet ignorantiam invincibilem.

Horum sententia non videtur improbabilis, modò qui sic dubius est, non agat contra conscientiam. Et eam sententiam cum multis alijs sequitur Bonac. in qu. 4. part. 4. num. 5. addens hinc colligi, quod quando uterque conjux post matrimonium bona fide initum dubitat de valore matrimonij, neutrum ante diligentiam sufficientem adhibitam, posse petere debitum; & si alteruter petat, alius tenetur non reddere; qui alioquin seipsos exponerent periculo fornicationis, & neuter habet jus petendi: post diligentem verò inquisitionem uterque potest petere & alter debet reddere, etiamsi dubium speculativum perseveret.

E

Ad argumentum autem dici potest quod post diligentiam sufficienter adhibitam, non magis teneatur vita periculum petendo quam reddendo; quia sicut posse reddere fundatur in possessione quam habet alter; ita posse petere, fundatur in possessione bonæ fidei quam ipse nunc habet.

ALTERIUS autem QUÆSTIONIS EST, si contingat unum eorum qui matrimonium inter se contraxerunt in facie Ecclesiæ, quique propterea simul vixerunt tanquam conjuges, non dubitare de valore sui matrimonij, sed omnino esse certum quod fuerit impedimentum dirimens, ac per consequens quod suum illud matrimonium fuerit ac sit nullum: An is possit debitum matrimoniale reddere ei qui de nullitate nihil sciens debitum exigit.

RESP. non posse, quia fornicatio semper est illicita; si autem in tali casu redderet, debitum, fornicaretur; quandoquidem accederet ad eam de qua certus est quod non sit sua conjux.

Huc pertinet illud B. Thomæ quoad totum conscientiæ loquentis q. 55. seq. a. 9. ad 3. *Aut habet certam cognitionem de impedimento matrimonij, aut opinionem, aut neutrum. Si primo modo nec exigere nec reddere debitum debet. Si secundo modo, debet reddere, sed nō exigere. Si tertio potest & reddere & exigere.*

Et S. Bonaventura in 4. d 41. in expositione litteræ loquens de casu quo per sententiam restitueretur maritus; *sed tamen* (inquit) *non oportet debitum reddere si habet de consanguinitate conscientiam.*

Similiter B. Antoninus 3. p. c. 3. & Paludanus in 4. d. 36. q. 2. ar. 2. *Qui habet scientiam sive servitutis, sive alterius impedimenti dirimentis, nullo cogente potest petere aut reddere debitum, quin aut sibi præjudicet, si in ipso erat matrimonium ratificare; aut peccet si in ipso non erat matrimonium ratificare.*

Et Angelus verbo *Matrimonium* 3. Impedim. 4. n. 8. *Si servus contrahit cum libera quā eum servū ignorat, peccat mortaliter commiscendo ei, ex quo scit matrimonium nullum esse: secus, si ignoraret matrimonium non tenere. Et idem dic de quocumque qui scit certitudinaliter quod matrimonium non tenet, ex quocunq; impedimento.* Sylvester quoque verbo *Matrimonium* 6. q. 8. de illo qui audivit perpetuum impedimentum esse inter se & uxorem suam: sic dicit, *Si de dicto alicujus probabiliter dubitat, tenetur reddere, sed exigere non debet: si verò inveneris ita esse pro constanti, nec exigere nec reddere debet*, hoc est, nec potest exigere nec reddere. Confer eundem verbo matrimonium 8. qu. 3.

In eandem hanc responsionem videri potest cap. *Literas* de restitutione spoliatorum, & cap. *Si virgo* 34. q. 2. itemque cap. *Inquisitioni*, de sent. excomm. Hinc Bonacin. q. 4. de matrim. p. 4 propos. 5. resolvit conjugem scientem matrimonium esse invalidum ob impedimentum dirimens, non posse reddere debitum conjugi ignoranti invaliditatem matrimonij, etiamsi per excommunicationem compellatur ab Ecclesia reddere, aut etiam se quantur gravissima incommoda, scandala, & vitæ periculum: quia si posset reddere, sequeretur fornicationem esse aliquando licitam, quod falsum est & erroneum; cum fornicatio sit intrinsecè mala. Ad talem verò excommunicationem quod attinet, dicendum est esse nullam, eò quod nitatur falsa præsumptione. vide q. 21. ar. 4. in hoc Supplem. Et notandum quod jam dicta locum habeant ex quocumque impedimento dirimente, invalidum sit matrimonium, etiam ex eo quod humana tantum lege fuit constitutum; quia semper verum est quod sic conjuncti non sint veri conjuges.

At quæ-



AT QUÆRES, quid remedij quando certum est matrimonium esse invalidum propter impedimentum dirimens, neque tamen vel istud impedimentum vel matrimonij invaliditas potest manifestari sine infamia, vel periculo vitæ; aut quando eo manifestato adhuc compellentur ab Ecclesia per censuras in eo matrimonio permanere; eò quod non possit probari ejus nullitas.

A

RESP. secretò petendam esse dispensationem si impedimentum ejusmodi sit, quod possit super eo dispensari; & tunc renovandi sunt consensus secundùm ea quæ diximus art. 2. Si autem impedimentum non est dispensabile; vel impedimenti conscius petat divortium, si subsit causa sufficiens; vel fugiat in locum remotum ubi cesset scandalum; vel persuadeat compari ut vivant sicut frater & soror; vel si nullum horum succedat, conetur transire ad religionem, aut cum consensu compartis si potest ei persuadere, vel eat in regionem longinquam, ubi potuerit admitti.

B

QUÆRITUR VI.

*Quid, uno de valore matrimonij dubitante faciet aliter qui novit eum dubitare?*

ALTER non dubitans, conscius tamen dubij sui conjugis, potest ei negare debitum, saltem petenti ante præmissum debitum examen; quia ille non habet jus ad petendum: potest etiam reddere, quia est in possessione pacifica; nec tenetur credere dubitanti.

C

Si autem etiam ipse dubius sit, vel justas habeat rationes cum altero dubitandi; neuter potest reddere vel petere: quia dubitans non est in possessione pacifica, ideoque nec possessor bonæ fidei, nisi postquam adhibuerit sufficientem diligentiam.

ARTICULUS V.

*Utrùm consensus in occulto factus per verba de præsenti, faciat matrimonium.*

D

VIDETUR quod non, PRIMÒ, quia Evaristus in epistola prima dicit conjugia quæ à Sacerdotibus non benedicuntur, esse aut adulteria, aut stupra, aut fornicationes potius quàm legitima conjugia.

SECUNDÒ, Clemens, vel (ut alij) Cælestinus 3. cap. *Videtur* 35. quæst. 6. dicit conjugium quod contra ordinem Ecclesiæ factum est, esse irritum.

RESPONSIO B. Thomæ affirmativa, certa est pro tempore quod decreti Tridentini publicationem præcedebat: Tunc enim valebant matrimonia clandestinè contracta. Nam quandocumque ponuntur essentialia alicujus contractus, ille est validus, etiamsi omittantur solemnitates accidentales: atqui in matrimonio clandestino ponebantur omnia ad contractum matrimonialem essentialia, scilicet consensus per verba de præsenti expressus, inter personas legitimas; ergo erat validum. Hinc Syn. Trid. sess. 24. cap. 1. Reformationis, anathemate damnat eos qui ejusmodi matrimonia vera ac rata fuisse negant.

E

AD 1. autem ARG. RESP. Evaristum id dicere non solum de conjugijs absque Sacerdotali benedictione peractis; sed etiam de illis quæ fiunt absque consensu parentum, absque dotatione mulieris, absque bidui vel tridui orationibus: quæ cum non sint de matrimonij essentia; certum est quod non neget ea matrimonia esse valida, sed solùm affirmat non esse *legitima*, id est, non secundùm leges; quia in illis non servantur præscripta legum, & decreta canonum. Quod enim fit contra leges, rectè negatur esse legitimum; etiamsi subsistat: quo modo filij extra matrimonium nati, vocantur illegitimi; etiamsi verè sint filij. Huc pertinet quod subjungit, *si ejusmodi conjugia docentur ad missa; digna severitate corripiantur.* Ubi non præcipit dissolvi, vel dissolutionem declarari; sed solum puniri eos qui sic contraxerunt. Vocat autem ea fornicationes & adulteria, per exaggerationem: quia speciem habent talium commerciorum, eò quod fiant clam, & absque solemnitatibus, sicut solent fornicationes & adulteria.

AD 2. Pontifex loquitur de casu particulari, quo post sponsalia & copulam subsecutam, contrahitur matrimonium cum alia; & respondet, secundùm matrimonium esse nullum, etiamsi primam non habuerit desponsatam; per verba scilicet de præsenti: quia juxta cap. *Is qui*, tit. de sponsalibus, sponsalia cum priori præsumuntur per copulam transire in matrimonium.

Ad pleniorem intelligentiam

QUÆRITUR I.

*Quid sit matrimonium clandestinum.*

JURE veteri clandestinum illud censebatur, quod non poterat probari testibus; etiamsi parochus fuisset præsens, cap. *Quod nobis*, & cap. *Cum inhibitio.* tit. de clandestina disponsatione.

Jure autem novo per Conc. Trid constituto Illud matrimonium propriè est clandestinum, quod contrahitur absque præsentia parochi vel alterius Sacerdotis de ejus aut Ordinarij licentia, vel absque duobus testibus. *Descriptio.*

Quod autem fit absque bannis seu denuntiationibus publicis, minus propriè dicitur clandestinum, quia nihilominus frequenter est notorium. Et quamvis illæ denuntiationes prætermitterentur absque legitima authoritate, atque adeò cum gravi peccato; si tamen cætera adsint, matrimonium est validum, nec obnoxium est pœnis quæ per leges clandestino matrimonio sunt constitutæ: quia cum pœnæ sint restringendæ, non intelliguntur extendi nisi ad illud matrimonium quod propriè est clandestinum, de quo plura fumus dicturi in sequentibus.

QUÆRITUR II.

*An matrimonium clandestinum semper fuerit illicitum.*

EX dictis ad art. 5. constat illud fuisse validum ante Concilij Trid. publicationem, & consequenter etiamnum valere, ubi illud Concilium nondum est publicatum.

Quod tamen Ecclesia semper illud detestata fuerit, & prohibuerit; patet ex eodem Concilio, & ex decretis Pontificum, Hormisdæ 30. qu. 5. cap. *Nullus*, & Innocentij 3. cap. *Cum inhibitio*, titul. de clandestina disponsatione. *Resp. affirm.*

Rationes

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Clandestina matrimonia cur olim prohibita.*

Rationes prohibitionis erant, gravissima incommoda ex clandestinis matrimonijs provenientia: ut adulterium eorum, qui priore uxore cum qua clam contraxerant, relicta; cum alia palam contrahebant: eorum item, qui contractus stultè & imprudenter facti pœnitentes, sibi mutuò fidem remittebant, & sic transibant ad alias nuptias; à quibus si quis postea voluisset resilire, ut ad priorem eamque veram uxorem rediret, ab Ecclesiastico judice (qui de occultis non judicat, sed secundùm allegata & probata procedit) compellebatur manere cum posteriori, cum qua tamen non subsistebat verum matrimonium.

Accedit, quod cùm Matrimonium evectum sit ad rationem Sacramenti, non aliter tamen contrahebatur à talibus, quàm si esset nudus contractus scilicet absque ministro Ecclesiæ, & non servatis cæremonijs ab Ecclesia præscriptis. Atque ita peccabatur, & contra bona matrimonij, & contra præceptum Ecclesiæ; quod cùm esset de materia gravi; ejus transgressio erat mortalis, nisi causæ quædam legitimæ excusarent; quales fortasse sunt quæ sequuntur.

*Causa excusantes.*

PRIMA, si minor clandestinè nubebat alicui admodum sibi convenienti, propterea quod prævidebat se alioquin à curatore, vel tradendam uni non apto suis moribus, vel non permittendam nubere.

SECUNDA, si quis graviter vulneratus, & exinde statim moriturus; concubinam (ex qua filium susceperat) in uxorem accipiebat, ut eum faceret legitimum.

TERTIA, si vel ob concubinatum apprehensus, vel in direptione urbis deprehensus posset evadere mortem injustam, affirmando se maritum suæ concubinæ: licitum ei erat statim contrahere etiam absque testibus, ut ita seipsum servaret. Videri possunt Navarr. c. 16. num. 37. & Dominicus dist. 28. q. 1. art. 2.

Ex his sequitur quod matrimonia clandestina non sint per se mala, eo modo quo fornicatio, quandoquidem concurrentibus quibusdam causis possent licitè fieri: quamvis, ut hic ad 3. dicit B. Thomas, habeant speciem turpitudinis; & absolutè sonent in malum, nisi ex causis rationabilibus justificentur.

## QUÆRITUR III.

*Utrum matrimonia clandestina jam sint valida?*

VIDETUR quod sic, PRIMÒ, quia olim valebant, & quidem jure naturæ: in re autem naturali Ecclesia nihil potest immutare.

SECUNDÒ, causa naturalis sufficienter applicata necessariò producit suum effectum: atqui mutuus consensus inter personas ad contrahendum legitimas, est causa naturalis matrimonij: ergo sive consensus exprimatur clam, sive palam, facit matrimonium.

TERTIÒ, in constituendis impedimentis matrimonij, Ecclesia solet respicere ad aliquam personæ qualitatem præcedentem, ob quam habeatur ipsa illegitima, ut patet in gradibus consanguinitatis, affinitatis, & alijs; Sed in contrahentibus clandestinè nulla præcedit qualitas, ob quam ipsi sint personæ illegitimæ: ergo Ecclesia non potuit eas declarare illegitimas ad contrahendum.

QUARTÒ, Ecclesia non potest mutare materiam aut subjectum Sacramentorum; nec facere ut aliquid jam sit de illorum essentia, quod ante non erat: ergo non potuit irritare matrimonia clandestina.

*Resp. est neg.*

RESPONSIO certa est, matrimonia clandestina contracta in locis ubi Conc. Trid. est publicatum, esse invalida: quia per concilium, & personæ sunt factæ inhabiles ad sic contrahendum, & contractus tales sunt annullati. Sic enim statuit: *Qui aliter, quàm præsente parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius parochi, seu ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Negare autem Ecclesiæ potestatem hoc faciendi; ad hæresim pertinet; est enim dogma catholicum, Ecclesiam in definiendis rebus ad fidem vel mores salutare pertinentibus, errare non posse. Constat etiam, tum ex præcepto usu, tum ex canonibus 3. & 4. ejusdem Concilij sess. 24. Ecclesiam habere potestatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, & in ijs constituendis, errare non posse.

*Sess. 24. c. 1. de reform.*

Cur autem Concilium jam dicta clandestina matrimonia irritaverit, ratio est: quia advertebat præcedentes prohibitiones, propter hominum inobedientiam, non prodesse; nec aliter occurri posse malis ex clandestinitate matrimonij provenientibus.

AD 1. ARGUM. RESP. matrimonia clandestina olim valuisse juræ naturæ; non præcipiente vel dictante quod deberent sic contrahi (quo modo si valuissent, Ecclesia non posset illa irritare:) sed solùm, quia jus naturæ non faciebat ea irrita. Quod autem jus naturæ non facit irritum, potest per legem aliquam positivam irritari: sic enim contractus prodigorum, & pupillorum, & alij aliqua juris solemnitate carentes, etiamsi stando in jure naturæ sint validi, per leges tamen civiles sunt annullati.

Deindè, matrimonia clandestina olim valebant jure naturæ, sed tunc solùm quando contrahebantur inter personas legitimas: quæ autem personæ sint legitimæ, ex ecclesiasticis decretis, & non solùm ex jure naturæ, petendum est.

AD 2. Major vera est de causis naturalibus non impeditis, & ad subjectum idoneum applicatis: Consensus autem clam datus impeditur à superiori potestate, & applicatur subjecto ad sic contrahendum inhabili: unde non est consensus inter personas ad hoc modo contrahendum legitimas.

*Ecclesia non mutavit materiam Sacramenti Matrim.*

AD 3. Non est necessarium ut in personis aliquid præcedat, ob quod statuantur illegitimæ; præsertim cum non constituantur simpliciter illegitimæ, sed solum ad sic contrahendum.

AD 4. Negatur consequentia, cum enim subjectum & materia hujus Sacramenti sint personæ ad contrahendum matrimonium legitimæ, per Ecclesiæ verò constitutionem non fiat ut excludantur aliquæ legitimæ, vel admittantur aliquæ non legitimæ, Ecclesia non mutavit materiam aut subjectum Sacramenti, neque fecit aliquid esse de ipsius essentia quod ante non erat; sed solù fecit personas quæ antea erant legitimæ, nunc non esse legitimas ad tali modo contrahendum, quo modo qui ex aqua cerevisiam, vel ex vino facit acetum; non mutat materiam baptismi, aut Eucharistiæ; quamvis faciat ut id quod



id quod prius erat sacramentorum illorum materia, jam non sit materia eorum.

Non potest ergo Ecclesia mutare essentialia sacramentorum, faciendo ut quod prius erat materia, manens immutatum, desinat esse materia; v. g. ut aqua manens aqua, vel personæ legitimæ, manentes legitimæ, non sint materia baptismi, vel matrimonij: potest tamen id quod erat materia sic immutare, ut non sit amplius materia.

*Ob.* Nec obstat quod non videatur immutare personas: quamvis enim non mutet eas secundùm entitatem physicam; mutat tamen secundùm conditionem moralem illam à qua solent pendere contractus ut personæ sint ad illum faciendum legitimæ, quemadmodum patet in contractibus prodigorum & alijs.

*Resp.*

Cæterum, quod diximus, matrimonia clandestina esse invalida; tam pro foro conscientiæ est accipiendum, quam pro foro externo: nam alioquin non esset occursum gravissimis conscientiæ periculis, quibus tamen Synodus Tridentina volebat occurrere.

*Ob.* Nec obstat quod in suo decreto non apponat clausulam qua jus antiquum, secundùm quod talia matrimonia prius valebant, abroget: tali enim clausula non fuit opus; quia satis intelligitur abrogari jus antiquum, quando conditur ei contrarium, etiamsi non fiat expressa mentio abrogationis, cap. *licèt*, tit. de constitutionibus, in 6. Sed præterea non valebant jure antiquo, quasi acciperent ab eo firmitatem; sed solum quia per illud non irritabantur: unde non tam opus fuit abrogatione juris, quam restrictione, ut scilicet non efficeretur vinculum conjugale ex libero quorumcumque consensu, nisi ille exprimeretur coram parocho & testibus.

*Resp.*

## QUÆRITUR IV.

*Utrum matrimonia contra formam Concilij Tridentini contracta, nullo casu sint valida?*

CERTUM est esse valida, quando contrahuntur ab incolis illarum regionum ubi concilium non est publicatum, aut ubi nunquam fuit receptum: partim, quia Synodus non vult suum decretum habere robur, nisi post 30. dies à die primæ publicationis; partim quia lex nunquam recepta non obligat. Insuper autem sunt quidam casus observandi.

PRIMUS, Quando aliqui prius contraxerunt coram Parocho & testibus, sed invalidè propter occultum impedimentum: obtenta dispensatione, valebit eorum matrimonium, si consensus renovent soli absque arbitris; ut artic. 2. diximus, eò quod formam à concilio præscriptam, ante servaverint.

SECUNDUS, Quando infideles nondum baptizati contrahunt, etiam in locis ubi viget concilium. Cùm enim ejus decretum sit lex merè ecclesiastica, & ut talis recepta: solum obligat eos qui subjiciuntur potestati ecclesiasticæ.

Dico, *infideles non baptizati*: nam qui infideles per baptismum semel fuerunt ascripti numero fidelium, pariter ut catholici obligantur servare decretum concilij, quando habitant in locis ubi fuit publicatum. Et propterea in ijs locis, hæreticorum etiam matrimonia, absque forma concilij, quamvis coram ministro hæretico vel magistratu loci contracta; Congregatio Cardinalium censuit nulla, atque irrita esse.

TERTIUS, Ubi constat decretum concilij esse publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tanquam decretum concilij observatum: sed Parochialis Ecclesia (utpotè vacans) proprio Parocho caret: itidem Cathedralis caret Episcopo, atque Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi; nullusque alius ibi est, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat; matrimonium valet absque præsentia Parochi: servata tamen in eo in quo potest, forma concilij, nempè adhibitis saltem duobus testibus.

QUARTUS, Si extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubinam sit: vel si eodem metu à diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus; validum est matrimonium contractum absque forma concilij, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus.

Hos duos casus prædicta Cardinalium congregatio ita expressit Archiepiscopo Philippensi Domino Sasboldo, 19. Jan. 1603. quæ ab Octavio Episcopo Tricaricenli per Germaniam & Belgium, Nuncio apostolico fuerat consulta pro matrimonijs quæ in Holandia, Zelandia, & Frisia contrahebantur.

Prius autem anno 1600. die 30. Decembris eidem Octavio sic D. Bellarminus scripserat: *De matrimonijs contractis ubi nulli jam sunt proprij pastores, jam olim actum fuit cum S. D. N. & cum congregatione Concilij Tridentini. Ac sententia communis fuit, illa esse rata, nec ad ea pertinere decretum concilij, cum in ejusmodi locis observari non possit. Non video ergo cur ea matrimonia nō debeant tolerari; cum satis constet concilij decretum, quod jubet matrimonia fieri coram Parocho; non se extendere ad ea loca, ubi nulli sunt Parochi.* Ita refert Chapeaville Vicarius Leodiensis, q. 15. de matrimonio. Ita etiam scripsit præfatus Octavius Archiepiscopo Mechlinienſi, 13. Febr. 1602. & hic Episcopo Iprensi 14. ejusdē mensis.

*Ob.*

Sive ergo dispensatione Pontificia, sive juris interpretatione, in oppidis & pagis illis, ubi nec Pastor, nec vicem ejus gerens haberi potest, validè contrahunt christiani sine illo.

*Resp.*

Sed, quid si Pastor toleretur quidem ab hæreticis, sed ea constitutione, ut sacramenta non administret: idque tam administranti quàm suscipienti prohibitum sit sub pœna mortis, exilij, vel gravis mulctæ: & ideo cives loci illius contrahant matrimoniū coram magistratu, & non coram Parocho. D. Eftius 19. Martij anni 1607. consultus à Domino Miræo Episcopo Antverpiensi, probabiliter respondit ejusmodi matrimonium esse ratum: nec teneri cives, in illo casu, decretum concilij de contrahendo coram Parocho servare: quia Cardinales superius allegati declarav̄unt valere matrimonium sine Parocho, Episcopo, vel Vicario contractum, quando non est ad eum tutus accessus: ubi autem subest periculum exilij vel gravis mulctæ, non est tutus accessus: sicut non dicimus tutum iter, ubi homines spoliantur, etiamsi non occidantur.

*Ob.* Nec obstat quod præcedit, in antedicta declaratione Cardinalium, *vel eodem metu a Diœcesi absit*: *Resp.* Nam respectu ejus qui vult matrimonium contrahere, paria videntur, Parochum abesse, sic ut non habeat tutum accessum ad eum; & Parochum esse quidem in Parochia præsentem; sed sic ut ope-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ra ejus tutò uti non possit: quia utrobique est pe- A
riculum in accedendo ad Parochum.

Cæterum, si non sit Parochus in loco: vel sit quidem, sed cum dicto periculo: sint autem in vicinis pagis sacerdotes habentes ab Ordinario, vel aliunde facultatem assistendi matrimonijs Christianorum, & circumeuntes oppida & pagos, offerentesque (occultè tamen, & cum periculo) sacramenta, & operam suam: illi qui non coram tali sacerdote contrahunt, cùm possint absque gravi suo periculo, eum vel accersere, vel adire; invalidè contrahunt: quia licet sacerdos non sine suo periculo præstet operam; cùm tamen eam offerat, contrahentes possunt servare decretum concilij, ideoque ad illud tenentur. B

Quintus casus. Incolæ locorum, ubi viget decretum Concilij, venientes ad locum ubi non est publicatum, ibique habitantes, validè contrahunt non servata forma Concilij. Ita Petrus Ledesma in fine q. 45. de matrimonio.

Contra verò, Incolæ locorum ubi concilium non est publicatum, venientes ad locum ubi est receptum, ibique habitantes invalidè contrahunt sine Parocho & testibus; quia decretum concilij circa omnes & solas eas personas quæ inhabitant loca illa, ubi fuit publicatum, habet robur post 30. dies à prima publicatione. Unde non est hîc considerandum, ex quo loco sit quis oriundus: sed ubi habitet eo tempore quo matrimonium contrahit, C
sive cui Parochiæ sit subjectus.

*Ob.* Nec obstat quod prioribus decretum fuerit publicatum; posterioribus autem non fuerit; quia
*Resp.* publicatio non est personalis, sed localis, ideoque comprehendens personas pro omni & solo eo tempore, quo subjectæ sunt locis illis.

Huc facit responsio Cardinalium data Episcopo Antverpiensi, de duobus ejus diœcesanis, qui ad hæreticam civitatem migraverant, ibique coram notario contraxerant. Congregatio enim censuit, si in illa Ecclesia in cujus Parochia tunc habitabant contrahentes, nondum eo tempore quo sic contraxerunt, erat publicatum decretum concilij; illud ad eos non extendit. Si autem in illa ecclesia, D
intra cujus fines habitabant, fuerat publicatum; & matrimonium sit ab eis contractum post 30. dies à publicatione; censuit matrimoniũ esse invalidum.

*Quæst.* Sed quæri potest, si habitatores alicujus loci, ubi concilium fuit publicatum, adeant loca in quibus non est publicatum; & ibi clandestinè contra-
*Resp.* hant, sine animo tamen in illis locis externis habitandi; An validè contrahant? Quibusdam visum est quod sic; quia diœcesani alicujus Episcopatus non tenentur ad jejunia vel festa suæ diœcesis servanda, quando diversantur in alia diœcesi, ubi illa non servantur.

Responsio tamen negativa videtur omnino tenenda. In quibuscumque enim parochijs publicatum fuit decretum Conc. Trid. irritans ma- E
trimonia clandestina; eorum parochiani post 30. dies à prima publicatione, illo decreto obligantur; Atqui diœcesani, de quibus quæritur, sunt parochiani ecclesiæ in qua ejusmodi publicatio fuit facta (neque enim per suum illum transitum in aliam diœcesim desinunt esse parochiani Ecclesiæ illius è qua veniunt, cùm ponatur quod aliò transeant non intentione habitandi, sed solùm animo clandestinè illic contrahendi:) ergo decreto Concilij obligantur: & per consequens inhabiles sunt ad clandestinè contrahendum.

Neque responderi potest, manere quidem eos parochianos illius ecclesiæ, sed non obligari ut servent illud decretum, quando sunt extra provinciam in qua fuit facta publicatio: nam Concilium illo suo decreto omnes tales parochianos reddidit omnino inhabiles ad contrahendum aliter quàm præsente proprio parocho, vel alio sacerdote de illius seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus. Neque putandum est, quod solum reddiderit eos inhabiles ad clandestinè contrahendum in sua Parochia vel provincia, non autem in alia, ubi decretum non est publicatum: Sic enim non fuissent omnino redditi inhabiles ad sic (id est, aliter quam præsente Parocho &c.) contrahendum: neque sufficienter fuisset occursum incommodis quæ Syn. Trid. vitare volebat abolitione clandestinorum matrimoniorum: cùm facillimum sit, eos qui clandestinè volunt contrahere, secedere paulisper in alienam provinciam, ubi publicatio hujus decreti non est facta.

Huc pertinet quod Illust. Cardinales, in Responsis quæ hanc materiam tangunt, semper faciunt vim in *habitatione*. Videri possunt huic resolutioni consentientes Petrus Ledesma supra quæst. 45. hujus Supplem. Roderiquez cap. 27. de matrimonio, & Henriquez lib. 11. cap. 3. num. 8.

Ad Arg. autem Resp. esse disparitatem: quia mens Episcoporum & Synodorum instituentium festa vel jejunia, fuit ea solum esse servanda ab his qui in ipsa diœcesi essent eo tempore, quo illa occurrunt; non verò, esse servanda à diœcesanis, ubicumque locorum tunc diversentur. Quæ mens si illis fuisset, (ut ex causa esse posset, veluti si præciperent festum Patroni ecclesiæ cathedralis servari à diœcesanis, ubicumque locorum existentibus:) tum etiam extra diœcesim versantes, tenerentur illa festa & illa jejunia servare. Adde, quod illi demum diœcesani sint immunes ab observatione festorum & jejuniorum suæ diœcesis, qui seclusis fraude & dolo extra eam diversantur.

Quæri etiam potest, An Parochiani Ecclesiæ, *Quæst.*
ubi Concil. Trid. observatur, transeuntes ad loca ubi non fuit publicatum, animo illic clandestinè contrahendi matrimonium: & ut hoc possint, ibidem aliquamdiu habitandi: validè sic contrahant, *Resp.*
si attentent. Sed ex dictis colligi potest partem affirmantem esse veriorem: postquam enim isti jam habitant in provincia, in qua non est facta publicatio; per ipsam habitationem desierunt esse Parochiani prioris Ecclesiæ parochialis: & facti sunt parochiani hujus alterius, ubi decretum Concilij non obligat: ac proinde, si clandestinè contrahunt, validè contrahunt.

Neque refert quod fraus nemini debeat patro- *Quæst.*
cinari: quoniam his ad validitatem matrimonij non patrocinatur fraus, sed ipsa eorum conditio, scili- *Resp.*
cet quod sunt parochiani talis Ecclesiæ, ubi decretum irritans clandestina matrimonia non obligat. Fraudulenter quidem egerunt, mutantes habitationem tali animo; sed non propterea irritum est quod postea agunt, quando verè illic habitant & parochiani sunt alterius Ecclesiæ.

Qualis autem requiratur habitatio, controver- *Ob.*
titur. Quidam existimant sufficere solùm transitum. Sed cùm transitus non sit habitatio, neque ex *Resp.*
transitu, præsertim in fraudem facto, sortiatur quis parochiam, ideoq; nec desinat esse de parochia unde venit: Omnino dicendum videtur requiri commorationem, seu animum commorandi, ad tempus saltem



saltem tantillum, quantum sufficere potest ad hoc A
ut quis ibi sortiatur parochiam.

Ex his sequitur Christianos apud Turcas vel alios infideles captivos posse validè ibi contrahere matrimonium sine parocho & testibus, quamvis non habeant animum ibi perpetuò manendi; quia eum animum habere non est necessarium.

Quæri potest, An clandestinè contrahentes, vel ob ignorantiam Concilij, vel ob periculum mortis quando non potest subitò haberi parochus, vel ob dispensationem Episcopi; validè contrahant: sed responsio negativa certa est, quia Concilium reddit personas prorsus inhabiles ad sic contrahendum; neque potest in eo dispensari, nisi per B
Pontificem.

## QUÆRITUR V.

*Quis dicatur proprius Parochus contrahentium.*

Verior sententia est, illum esse proprium qui habet potestatem ordinariam administrandi illis sacramenta; ut idem sit in Conc. Trid. *proprius parochus*, qui in cap. *Omnis utriusque sexus, proprius sacerdos.* Ita Petrus de Ledesma quæst. 45. art. 5. dubio 3. & Sanchez lib. 3. disp. 23. quia sicut in illo requiritur præsentia parochi vel alterius sacerdotis, de ejus commissione, ita in isto requiri- C
tur ut confessio fiat proprio sacerdoti, vel alteri de
ejus licentia.

Quæ igitur habitatio sufficit ad esse parochianum alicujus, quantum ad confessionem & communionem; eadem sufficit quantum ad matrimonium: quia neque Pontifex, neque concilium subtraxit ministerio proprij sacerdotis collationem matrimonij. Et propterea, non refert an quis animo permanendi longo vel exiguo tempore alicubi habitet, modò verè habitet, ita ut ex habitatione sortiatur parochiam & parochum. Hinc Emanuel Sa, verbo *Matrimonium*: Qui alicubi habitat, non animo permanendi; quibusdam non videtur posse sub illo parocho contrahere. At mihi D
videtur congregatio Cardinalium aliud sentire, scilicet sufficere illic habitare dum contrahunt. Et verbo, *Parochus*, ad matrimonium sufficit vel modica habitatio.

Ex his sequitur quod studiosi in aliqua universitate, vel oppido studijs incumbentes, parochum habeant quantum ad matrimonij celebrationem, illum in cujus parochia pro tempore habitant; quia ille est proprius eorum sacerdos, qui alia sacramenta eis tanquam suis parochianis tenetur administrare, & qui jura pastoralia, si qua solent à parochianis solvi, potest ab eis exigere. Idem esse dicendum de tironibus opificiorum, famulis, mercenarijs, militibus præsidiarijs, & ijs qui causa pe- E
stis aut belli mutant habitationem, tradunt Sylvester verbo *Excommunicatio*, 7. q. 14. Angelus verbo *Excommunicatio* 5. in fine casus 12. & post eos Sanchez lib. 3. disput. 23. Et horum enim parochialis presbyter, est is in cujus parochia habitant: nec necesse est expectare, ut majori parte anni habitaverint, sed statim ac habitare incipiunt, efficiuntur parochiani.

Qui verò habent duplicem parochiam habitationis, regulariter videntur debere contrahere coram illo, in cujus parochia manent tempore matrimonij contrahendi; quamvis si coram altero contraherent, videatur fore validum; quia etiam ille censetur proprius eorum parochus. Sanchez lib. 3. disp. 24. Henriquez lib. 6. c. 7.

Vagi autem, & qui certas sedes non habent, contrahere debent coram illo parocho ubi se reperiunt, & ubi confessionis & Eucharistiæ sacramenta possunt recipere: quia nullus est alius proprius eorum parochus. Præceptum quidem est c. 7. sess. 24. Conc. Trid. ne matrimonijs illorum inter sint parochi, nisi post inquisitionem diligenter factam, obtinuerint licentiam ab Ordinario; si tamen de facto assisterent absque tali licentia; quamvis peccarent, matrimonium tamen valeret: quia tam sunt parochi talium, quàm Episcopus sit eorum Ordinarius. Ita Ledesma qu. 45. ar. 5. Henriquez B
lib. 11. cap. 3. Sanchez disp. 25.

## QUÆSTIO VI.

*Quæ præsentia Parochi & testium sit necessaria?*

Non sufficit naturalis, quo modo & bestiæ possunt esse præsentes; sed necessaria est *humana & moralis*: qua scilicet non tantum adsint corpore, sed etiam sciant & advertant quid agatur.

De testibus est manifestum; quia de re gesta testificari non possunt, nisi sic fuerint præsentes.

De Parocho autem, majori adhuc ratione; quia debet adesse, ut repræsentans personam Ecclesiæ, C
si non ut administrantis Sacramentum, saltem ut cognoscentis rem quæ geritur; ut sic matrimonium dici possit contractum in facie Ecclesiæ. *Facies* enim *Ecclesiæ* non aliud est intelligenda, quàm ipsius Ecclesiæ conspectus contractum fieri intelligentis & advertentis, cap. *Quod nobis*, & cap. *Cum inhibitio*, tit. de clandestina desponsa.

Ex his sequitur, nullum esse matrimonium, quod coram Parocho & testibus non advertentibus contrahitur. Si autem Parochus aut testes sint præsentes per violentiam, vel contradicant; intelligant tamen & advertant id quod geritur; matrimonium erit ratum; quia satisfit decreto Concilij, nec requiritur ad valorem contractus ut Parochus eum approbet, vel quicquam dicat aut faciat.

Petes, quid si Parochus, vel non sit vocatus, vel *Quæst.*
vocatus quidem sit, sed ad aliud negotium; eo autem præsente, duo contrahunt per verba de præ- *Resp.*
senti, coram testibus, etiam non vocatis, sed tamen præsentibus.

Resp. Si illis advertentibus & intelligentibus contrahant; valere matrimonium; quia est contractum coram Parocho & testibus: & similiter quamvis contraherent coram illis, casu transeuntibus. Consentiunt Navarr. consilio 11. in tit. de clandestina desponsa. Petrus de Ledesma qu. 45. art. 5. in fine dubij 2. Henriquez lib. 11. cap. 3. Sanchez lib. 3. disput 39. Barbosa ad cap. 1. sess. 24. Conc. Trid. num. 84. & 141. 142.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆRITUR VII.

*Qualis Parochus sit necessarius ?*

VIDETUR sufficere non sacerdos ; quia ad satisfaciendum dispositioni datæ sub disjunctione, sufficit præstare alteram partem: Atqui Concilium requirit Parochum, vel alium qui sit sacerdos ; ergo sufficit quod sit Parochus, etiamsi non sit sacerdos. Ita Navarr. consilio 10. ad præfatum titulum, & plures alij apud Barbosam ad sess. 24. Conc. Trid. cap. 1. num. 97.

RESPONSIO verior est, non sufficere Parochum, qui non sit sacerdos.

PRIMÒ, quia Concilium præsupponit Parochum; de quo loquitur, esse sacerdotem: Verborum enim Concilij obvius & proprius sensus (qui debet in decretis quotidiano usui necessarijs maximè attendi) est, ut dictio (*alius*) repetat præcedentè qualitatem ejus cujus persona est expressa, & ita significet similem qualitatem in ipso relato. Cùm ergo dicat (*vel alio sacerdote.*) supponit, alteram partem alternativæ (*præsente Parocho*) esse intelligendam de parocho simili qualitate, scilicet sacerdotij affecto.

SECUNDÒ, quia Concilium dicit se inhærere vestigijs Concilij Later. quod refertur cap. *Cum inhibitio*, de clandestina desponsi. Ibi autem presbyter vocatur is qui hic à Concil. Trid. nominatur Parochus.

TERTIÒ, quia benedictionem (quam statuit à proprio parocho fieri) vocat sacerdotalem.

QUARTÒ, quia idem est Concilio Tridentino *proprius parochus*, qui cap. *Omnis utriusque sexus*, *proprius sacerdos*. Hinc additio ad consilium 9. Navarri tit. de clandest. desponsat. habet, *Advertendum, referri sacram congreg. inclinasse in sententiam ut parochus non sacerdos non possit matrimonio contrahendo interesse, sed debeat licentiam alicui sacerdoti illi interessendi concedere.* Quam additionem ne quis à mente Navarri alienam esse dicat; videndus est ipse in consil. seq. ubi ad quæstionem, an Vicarius Episcopi, qui sacerdos non est, possit præsentiam matrimonio contrahendo præstare: Respondet se intellexisse congregationem sacri Conc. cum quæreretur an sufficeret in contrahendo matrimonio præsentia parochi qui nondum est sacerdos, inclinasse in negativam. Et mox, *Unde* (ait) *licet affirmativa sit etiam de jure probabilis, non auderem tamen recedere à declaratione sacræ congregationis.* Similiter Zerola p. 2. verbo *Parochus* ita tenendum esse ait: & Fernandez p. 3. c. 18. §. 1. nu. 13. hanc sententiam dicit esse probabiliorem & tutiorem.

AD ARG. ergo cum concilium requirat parochum, vel alium sacerdotem de ipsius parochi licentia ; RESP. sufficere alterutrum, non tamen parochum qui non sit sacerdos, quia is non est altera pars disjunctivæ.

Cæterum, quamvis Concilium in his verbis, *Qui aliter quam præsente parocho*, non exprimat *proprio* ; certum est tamen, quod eum intelligat: nam loquitur de illo quem in antecedentibus & subsequentibus nominat proprium, unde cùm olim duo contraxissent coram parocho alieno, propterea quod eorum parochus esset, vel publicus hæreticus, vel profugus ; vel quia parochialis Ecclesia carebat rectore. Gregorius 13. Respondit nullum esse matrimonium, extra scilicet 3. & 4. casum, quæsito 4. allegatum.

Non refert autem sitne parochus mulieris, an viri ; quando contrahentes sunt ex diversis parochijs. Neque est necessarium ut alterius parochus consentiat: quantum enim ad hunc effectum, proprius parochus unius, censetur parochus utriusque ; quia sunt quasi una persona, & faciunt unum eundemque contractum.

Et quamvis omninò deceat eum alterutrius contrahentis parochum assistere, in cujus parochia contrahitur : si tamen parochus viri, assisteret in parochia mulieris ; vel parochus mulieris in parochia viri ; matrimonium esset validum, etiam non consentiente illo, cujus est parochia ; sicut valet absolutio sacramentalis, per proprium parochum facta subdito extra suam parochiam.

Signanter autem dixi, *parochum viri aut mulieris*: quia non sufficit parochus loci, in quo contrahitur : nisi sit parochus alterius contrahentis, aut ab eo licentiam habeat ; ut ex contextu concilij ratiocinatur Navar. consilio 7. ad titulum de clandestina desponsatione.

*Quæst.* SI QUÆRATUR, an matrimonium contractum coram parocho, vel ejus vicario, seu alio sacerdote de licentia parochi, sit validum quando Episcopus prohibuerat parocho ne per se vel per alium illi interesset.

*Resp.* DICENDUM est valere, sive invitus interfuerit, sive volens ; quia nisi addatur clausula irritans id quod contra prohibitionem fit ; nudum præceptum prohibet quidem interesse, sed neque adimit validitatem ipsi præsentiæ si ea exhibeatur, neque tollit robur contractui. Ita respondisse congr. Cardinalium testatur Ledesma, quem sequitur Sanchez l. 3. disput. 32.

*Quæst.* SED, QUID si parochus fuerit intrusus sine legitima authoritate ? RESP. matrimonium coram eo contractum non subsistere : secus, si obtinuerit institutionem vel canonicam vel coloratam, & communiter habeatur pro legitimo parocho, vide Navarrum consilio octavo, ad prædictum titulum, & Sanchez disp. 22.

*Quæst.* Si autem Parochus sit excommunicatus aut suspensus, & ab Ecclesia non toleratus : Ledesma, quem sequitur Henriquez lib. 11. cap. 3. respondet *Resp.* matrimonium coram eo contractum esse validum. Quamdiù enim non est per sententiam privatus beneficio, manet parochus : & ita satisfit decreto concilij.

*Ob.* Nec obstat quod sit privatus jurisdictione : quia assistere matrimonio, ad effectum ut contractus ille sit validus, non est actus jurisdictionis vel ordinis. *Resp.* Nullus enim actus jurisdictionis vel ordinis validè fit à nolente : nolentis tamen assistentia potest sufficere ad valorem matrimonij.

Dixi, *ut contractus sit validus*, quia celebrare matrimonium, ut sit novæ legis Sacramentum, est actus ordinis sacerdotalis. Neque tamen sequitur fore Sacramentum à quovis sacerdote celebratum, sicut valida est consecratio, vel Extrema unctio per quemcumque sacerdotem fiat : si enim absit parochus proprius, vel alius sacerdos ab eo facultatem habens ; cum personæ non sint ad sic contrahendum legitimæ, deest materia Sacramenti.

QUÆRI-



## QUÆRITUR VIII.

*Quis ordinariè possit concedere alteri licentiam assistendi matrimonio ?*

RESP. id posse Pontificem in tota Ecclesia : legatum Pontificis in sua provincia : Episcopum ejusque Vicarium, &. vacante sede, Capitulum in diœcesi : parochum in parochia. At Archiepiscopus in diœcesibus suorum Suffraganeorum, hoc non potest ; nisi in causa per appellationem ad illum devoluta : imò nec valeret matrimonium, si ipsemet Suffraganei sui diœcesanis contrahentibus assisteret absque licentia ipsius : quia non est eorum Ordinarius.

Quisquis autem (excepto Pontifice dispensante) facultatem alteri committit, committere debet sacerdoti : alioquin Commissio nulla esset, ut patet ex verbis Concilij. Sacerdoti autem facta, est valida, etiamsi committens non esset sacerdos : quia commissio non est actus ordinis, sed jurisdictionis, quam non sacerdos potest habere. Si committens esset excommunicatus, etiam valeret commissio, quamdiu ille toleratur : secus postea, quia careret jurisdictione, & consequenter potestate committendi.

Dixi, *excepto Pontifice dispensante*; quia sicut ejus authoritate conditum est decretum Conc. Trid. ita per ejusdem authoritatem dispensari potest, ut matrimonium aliter quàm præsente sacerdote contractum, sit validum, in ratione contractus; etiamsi non sit futurum Sacramentum, nisi sacerdos verba formæ proferat, secundùm ea quæ superius diximus.

Illos quoque qui jurisdictionem Episcopalem habent, posse licentiam inter essendi matrimonijs concedere, cujusmodi sunt Abbates Ecclesiarum nulli subjectarum ; cum multis alijs tradit Barbosa Alleg. 32. numer. 121. & 122. itemque ad cap. 1. sess. 24. Conc. Trid. quia tales prælati sunt ejusmodi ecclesiarum ordinarij.

## QUÆRITUR IX.

*Quales testes sint necessarij ad hoc ut matrimonium coram parocho & testibus contractum sit validum.*

*Non requiruntur testes omni exceptione majores.*

DICENDUM est non esse necessarium ut illi testes sint omni exceptione majores ; sive ut habeant qualitates jure in alijs negotijs requisitas ; sed sufficere quoscunque qui possint intelligere, ac etiam intelligant quid contrahentes dicant & faciant : cujusmodi sunt parentes, consanguinei, viri & mulieres, boni & mali, infames, excommunicati &c. Ita sentiunt Sanchez l. 3. disput. 41. Henriquez lib. 11. cap. 3. num. 9. Roderiquez p. 2. cap. 217. num. 18. Sa verbo *Matrimonium*, Barbosa cum alijs multis in Alleg. 32. num. 138.

PROBATUR PRIMÒ, Concil. Trident. per suam novam constitutionem non voluit contractum matrimonialem reddere magis ambiguum quàm fuisset antea, sed validum remedium apponere clandestinati contractus : si autem testes quos requirit ; deberent esse omni exceptione majores, seu habere qualitates in testibus jure pro cæteris negotijs requisitas, contractus matrimonialis esset redditus magis ambiguus ; frequenter enim potest ambigi de probitate testium qui matrimonijs (vulgarium præsertim) assistunt. Imò, post decem, viginti, triginta & amplius annos, illi deteguntur fuisse improbi, fideque indigni, qui prius habebantur fideles & probi : oporteret ergo matrimonia coram talibus olim contracta, post tanti temporis spatium dissolvere, aut invalida fuisse declarare, si necessarij forent testes omni exceptione majores : quis igitur (de plebeis loquor) de suo matrimonio non ambiget !

SECUNDÒ, Idem Concil. sess. 24. cap. 1. de reform. ter aut quater mentionem facit testium coram quibus matrimonium sit contrahendum, nusquam tamen exprimit vel significat eos debere esse omni exceptione majores ; & meritò, cum causa matrimonialis sit favorabilis, c. ult. de sentent. & re judicata : Atqui si Concil. voluisset testes esse ejusmodi, aut hoc expressisset, aut saltem significasset, quemadmodum fecit Alexand. 3. cap. *Cum esses*, tit. de testamentis, ubi testamenta quæ parochiani coram presbytero suo & tribus vel duabus alijs personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernit permanere, sub interminatione anathematis prohibens ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta. *Coram personis idoneis*, dicit Pontifex, ob causam specialem hoc ita expresè illic requirens ; quoniam suo decreto tollebat consuetudinem, quæ eo usque in diœcesi Hostiensi obtinuerat, ut testamenta penitus rescinderent, nisi cum subscriptione testium septem vel quinque facta essent, secundùm quod leges humanæ decernunt. At verò Concilium Tridentinum indistinctè loquitur de testibus, satisque insinuat se in ijs non plus requirere, quam præsentiam moralem, ut scilicet ratione utantur, & advertant quid agatur adinstar testium instrumentariorum ; cùm præsertim probationis de validitate matrimonij pondus præcipuum sit positum in parochi præsentia & scriptura, quam ut in libro ad hoc comparato faciat, ipsi ab eodem Concilio injungitur his verbis : *Habeat parochus librum, in quo conjugum & testium nomina, diemque & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat.* Unde etiam in Rituali Romano jussu Pauli quinti edito, sub finem pag. 351. in hunc modum statuitur : Si alteri presbytero ab Ordinario, vel à parocho ipso facultas facta sit conjungendi aliquos, id in libro proprij parochi sic adnotetur ipsius parochi manu : N. Presbyter vel Capellanus Ecclesiæ N. de licentia Reverendissimi Episcopi N. seu N. ejus vicarij loci, N. aut mea, quæ penes me extat, N. filium N. & N. &c. Matrimonio conjunxit &c. Et ego N. parochus N. subscripsi, & testor rem ita se habere.

Et his ita argumentor, quando oritur dubium de matrimonio aliquorum, si inveniatur in libro quem parochus jubetur habere, scriptum manu parochi quod illi matrimonium contraxerint præsente N. alterius parochiæ capellano, de ipsius tamen contrahentium parochi licentia, & præsentibus N. & N. testibus ; debet judicari pro matrimonio : ergo nihil refert quales fuerint isti testes : Nam de testium præsentia testari debet subscriptio parochi, non de testium probitate, fidelitate, idoneitate &c.

Confirmatur, Quamvis ita deceat, non est tamen ad valorem matrimonij necessarium, quod parochus ei assistens sit omni exceptione major,

Universidad de Deusto
Biblioteca



quinimò sive sit bonus sive malus, sive dignus si- A
de, sive indignus, modò verè sit parochus in eo officio ab Ecclesia toleratus, sufficit ad validè interessendum matrimonio; ergo similiter non est necesse quod testes sint omni exceptione majores. Quis enim dicat plus requiri in testibus, quam in parocho? imò quis non judicet eum qui sufficit ut matrimonio assistat tanquam parochus, etiam sufficere ut inter sit tanquam testis.

Tertiò, Tanquam testes matrimonio interesse possunt parentes, fratres, cognati utriusque sexus, idque ex ipsius conjugij prærogativa, & quia est res favorabilis, cap. *Videtur*, tit. Qui matrimonium accusare possunt: sed illi non sunt omni exceptione majores, unde in causa criminali non ad- B
mittuntur; ergo non requirùntur testes omni exceptione majores ad validè interessendum matrimonio.

Quartò, In casibus mortis repentinæ aut instantis prælij, qui suarum concubinarum filios legitimandi causa eas ducunt uxores, sæpenumero non possunt habere testes omni exceptione majores; versantur enim inter eos qui similiter sunt concubinarij, homicidæ; adulteri: nemo tamen dicet ipsorum matrimonia coram ejusmodi testibus contracta esse irrita.

Hinc Octavius Frangipanus, Episcopus Tricaricensis, per Germaniam & Belgium nuncius Apostolicus in directorio ecclesiastico, ita ordinavit, *Quando ob persecutionis, alius magis idoneus testis haberi non poterit, coram duabus fœminis, aut* C
*impuberibus, doli capacibus testibus, & proprio parocho vel alio sacerdote ad hoc potestatem habente, contractum matrimonium ratum habeatur; quoniam non rei arduæ aut difficilis, sed luculenter manifestæ, quam observare etiam fœminæ ac impuberes doli capaces, æquè ac viri possunt, testes requiruntur.* Clarum est autem sive fœminas, sive tales impuberes, non esse omni exceptione majores, nec habere qualitates testium in alijs negotijs requisitas.

Quintò, In regionibus hæreticorum, Hollandia, Zelandia, & similibus ubi plerique sunt hæretici, atque adeò non omni exceptione majores, certum est matrimonia esse valida, modò sint contracta præsente parocho vel alio sacerdote ad id D
facultatem habente, & duobus testibus, sive hæreticis sive catholicis; ergo non est necesse testes esse omni exceptione majores.

Postremò, si necessarij essent testes omni exceptione majores; innumera matrimonia possent vocari in dubium, cùm facilè sit, apparentem causam invenire quæ testibus objici possit.

Si dicas, ad probandum matrimonium fuisse irritum, requiruntur testes omni exceptione majores, ergo etiam ad validè contrahendum.

Resp. in primis Neg. Conf. quia causa matrimonialis est favorabilis, ideoque difficilius probatur fuisse irritum, quam vel sit ratum, vel ratum E
esse probetur, præsertim cùm in contractu authoritas parochi suppleat, si quid legalitatis ex parte testium desideretur.

Deinde, Antecedens non est evidenter verum: Quamvis enim cap. *Ex litteris*, tit. de consanguinitate, dicatur illud matrimonium esse dirimendum quod per testes circumspectos omni exceptione majores invenitur habuisse impedimentum; citato tamen prius cap. *Videtur*, dicit Pontifex quod parentes, fratres, alijque utriusque sexus proximiores admittuntur in testificatione ad matrimonium conjungendum, vel dirimendum: hos autem constat non esse omni exceptione majores. Et Covarruvias de matrimonio part. 2. tom. 1. cap. 8. §. 12. receptum esse ait, ut fœminæ in matrimoniali causa ad testimonium admittantur, quamvis tractetur de matrimonio separando. Ac postea concludit: Ex quibus constat matrem, patrem, sororem, & reliquos cognatos esse admittendos ad testimonium in causa matrimoniali, arbitrio tamen judicis; qui cautè perpendet quanta sit testibus fides adhibenda, ex causæ pendentis qualitate, personarum conditione pari aut dissimili.

Observandum porro testes qui pro matrimonij validitate, ipsi assistunt, debere simul cum parocho adesse, & non successivè unum post alium: quia Concilium parochi seu alterius sacerdotis licentiam habentis, & duorum aut trium testium præsentiam exigit, qui sermo significat omnes illos debere simul adesse.

Utrum verò testes debeant esse rogati; ex dictis quæsito 6. patere potest, non debere.

Quod ad bannorum proclamationem attinet: quando est justa causa eam remittendi, recurrendum est ad Ordinarium, seu ejus Vicarium: nam in eo parochi nihil possunt. Quando autem non remittitur, fieri debet in parochia utriusque contrahentis. Qui, si diversis in locis antea habitaverint; conveniens est eam fieri, non in eo solùm loco in quo nunc habitant, sed etiam in quibus habitaverunt ultimis annis, quemadmodum in Synodis Iprensi & Audomarensi statuitur: quia ratio proclamationis est, ut si qua sint impedimenta matrimonij, detegantur: ad horum autem detectionem pertinet proclamatio in istis locis facta. Sive autem licitè, sive illicitè omittatur hæc proclamatio bannorum, sive in totum sive ex parte, non propterea matrimonium desinet esse validum, modò sit contractum coram parocho & duobus testibus, nec aliud obstet impedimentum; quoniam ista proclamatio non est de essentia matrimonij. *De bannorum proclamatione*

## QUÆRITUR X.

*An matrimonia clandestina habeant vim sponsalium.*

Responsio negativa verior est: quia clandestinè contrahentium contractus redduntur à Concilio Tridentino irriti & nulli: si autem valerent ut sponsalia, non essent nulli. Ita Navarr. consilio tertio de clandestina desponsa. Responsa Cardin. & Ledesma quæst. 45. ar. 5. puncto 2. Sanchez lib. 1. cap. 20. & Barbosa cum pluribus alijs dicta Alleg. 32. num 140. cum seqq. *Resp. est neg.*

Nec obstat quod matrimonia impuberum valeant ut sponsalia; cap. unico de desponsatione impuberum in 6. quia hoc solum verificatur, si impuberes contraxerunt eo modo quo contrahi oportet: qui modus hodie est coram parocho & testibus. *Ob. Resp.*

QUÆ-



A

## QUÆSTIO XLVI.

*De consensu cui advenit juramentum vel copula carnalis.*

### Articulus I.

*Consensus per verba de futuro, non facit matrim.*

Art. 1. docet consensum per verba de futuro expressum non efficere matrimonium, etiamsi juramento confirmetur: quia juramentum non mutat, sed confirmat id quod in verbis significatur: illa autem solùm significant promissionem matrimonij.

Objici possunt duo capitula: sed de illis dictum B
est ar. 3. qu. 45.

*Quæst.* Si quæratur, An qui post sponsalia jurata duxit aliam, possit ab ea debitum exigere: dicendum est posse, quia sponsalia sunt dissoluta, ideoque non

*Resp.* obligant. Nihilominus si juraverat quod ea vivente non cognosceret aliam; etsi possit reddere debitum, propter jus quod habet is qui petit; non tamen potest petere, quia debet juramentum suum servare quantum potest.

### Articulus II.

Art. 2. docet copulam carnalem sponsalibus advenientem non facere matrimonium, si desit consensus interior: quantum tamen ad fo- C
rum Ecclesiæ (quæ de externis judicat) præsumi matrimonium; nisi aliqua signa doli vel fraudis appareant.

Intelliguntur autem hæc de tempore Concilij Trid. publicationem antecedente. Cùm enim tunc valerent clandestina matrimonia: si desponsati se cognoscebant animo materiali; perficiebatur matrimonium; quia talis copula erat sufficiens expressio consensus in illud. Unde, si sponsa sponsum admittebat, credens eum velle matrimonium consummare, excusabatur à peccato, ait B. Thomas ad 3. loquitur autem de peccato fornicationis. nam clandestinè contrahentes peccabant, nisi per aliquam legitimam causam excusarentur, ut docet D
q. 45. ar. 5. in corp. & ad 3.

## QUÆSTIO XLVII.

*De consensu coacto & conditionato.*

### Articulus I.

Art. 1. docet consensum non posse esse coactum simpliciter, seu violentum: quia consensus interior, de quo hìc agitur, est actus à voluntate elicitus, ideoque habet voluntatem pro principio; *violentum* autem *dicitur cujus principium est extra non conferente vim passo.* E
Addit tamen consensum posse esse coactum secundùm quid; sicut cum aliquis metu naufragij inducitur ad projiciendum merces in mare. Et hujusmodi actus quamvis non sint voliti secundùm se, sunt tamen hic & nunc, simpliciter & absolutè voluntarij, coacti autem, seu involuntarij, solum secundùm quid. Coactio in hac materia, ubi de illo voluntatis actu agitur, qui simpliciter cogi non potest; idem valet quod metus ad consensum extorquendum adhibitus. Metus autem, definitur esse *instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio.* Conferantur quæ diximus 1. 2. quæst. 6. artic. 6. *Quid metus.*

### Articulus II.

Art. 2. probat aliquam coactionem, quæ fit per metum, cadere in virum constantem: quia hoc non aliud est quam ipsum metu cogi: cogi autem dicitur, qui ad evitandum id quod timet, aliquid facit, quod alias non vellet facere.

Metus qui dicitur hìc cadens in virum constantem, alias vocatur *justus*: & definiri potest, esse *certa aut verisimilis expectatio magni mali.* *Quid metus justus.*

Distinguitur autem contra metum levem aut vanum, quo vel parvum malum expectatur, vel magnum quidem, sed ex levi æstimatione. Navar. cap. 22. num. 51. hanc definitionem, Justus metus est quo minus malum majoris evitandi causa eligitur, ex B. Thoma refert & impugnat: eam tamen in loco per eum citato non reperi. Distinguit quidem B. Thomas constantem ab inconstanti, in eo quod constans sequatur rationem rectam, ideoque cogatur eligere minus malum ad evitandum majus, sed non nisi ex forti & probabili æstimatione; cum inconstans aliter faciat: definitionem autem à Navarro positam non adfert.

In Resp. ad 2. observandum est mortem, carcerem, verbera, & alia tormenta, dehonestationem per stuprum, servitutem, sive pertineant ad personam propriam, sive ad aliquam arctius conjunctam, ut ad uxorem, parentes, fratres, filios, esse magna mala, quibus constans perçelli potest ad aliquid minus sustinendum.

Utrum vero inter ea censeatur etiam infamia, dubitatur. B. Thomas ad 3. dicit quod non, secundùm jura: eo quod infamiæ facilè possit occurri: *Quæst. Resp.* ex hac autem ratione colligi potest, quod si est talis infamia quæ non possit facilè aboleri, ea ponenda sit inter magna mala.

Si quæratur, An semper liceat cedere metui justo: certum est quod non, quia nunquam licet vel *Quæst.* minimum peccatum facere, etiamsi mors intentetur; certum tamen etiam est, quod oporteat aliquando cedere, ut quando per electionem minoris *Resp.* mali potest evitari majus. Si quis ergo metu naufragij nollet merces abjicere, ad evadendam mortem; graviter peccaret, neque diceretur constans, sed pertinax.

Circa Resp. ad 4. observandum est, eum qui justo metu cogitur ad matrimonium, absque mendacio & peccato posse verba consensum significantia proferre.

Primò, si bona fide intendat facere quod verba sonant, tametsi erret, putans se contrahere matrimonium, cum revera non contrahat.

Secundò, si advertat non contrahi à se matrimonium propter obstantem coactionem; velit tamen facere quod verba sonant, quantum est ex sua parte. Potest autem qui sic fuit coactus, petere postea restitutionem, nisi etiam coactus fuerit promittere quod eam non petet: si enim hoc promisit; non potest eam petere; potest tamen denuntiare judici quid ei acciderit. Si autem urgeatur ad promittendum quod non denuntiabit; non licet hoc promittere, quia foret contra justitiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca



### Articulus III.

*Utrum consensus coactus tollat matrimonium.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, Alij enim contractus, consensu per metum extorto, facti, sunt validi: ergo & contractus matrimonialis.

SECUNDÒ, Matrimonium justo metu initum, est validum, si confirmetur juramento, ergo etiam aliàs: quia juramentum non mutat contractum, sed confirmat. Antecedens autem probatur, quia omne juramentum obligat.

RESP. consensum coactum. aliquando tollere matrimonium. Quod ut intelligatur, sit

### Conclusio I.

METUS justus, sed injustè, & ad extorquendum consensum illatus, irritat matrimonium ex eo contractum. Patet ex cap. *Significavit*, De eo qui duxit &c. & ex capitulis *Cum locum*, *Veniens*, & *Consultationi*, tit. de sponsalibus.

*Ob. Resp.* SI DICAS ea jura præsupponere quod per metũ coacto defuerit consensus: RESP. contrarium liquere ex isto cap *Significavit*, ubi Pontifex diserte significat eum qui consensit in unam, sed per vim & non sponte, validum cum altera matrimonium contraxisse. In cap. quidem *Cum locum*, significatur defuisse consensum, sed intelligitur defuisse consensus omnino spontaneus, & perfectè liber.

Confirmatur, Ecclesia non præsumit peccatum de aliquo, nisi probetur; præsumeret autem peccatum mendacij, si existimaret eum qui coactus est, non consensisse, quando dicebat se consentire, ergo hoc non existimat.

Deinde, cùm aliquis metu justo coactus recipit baptismum, præsumitur consensisse; nisi constet de contrario, ut dictum fuit art. 7. quæst. 68. in 3. parte: ergo etiam quando simili metu contrahit matrimonium.

Quia tamen matrimonium est vinculum perpetuum, & æquissimum est ut assumptio proprij status habentis vinculum perpetuum, sit unicuique prorsus libera & spontanea: ideo libertatem istam tantam voluit Ecclesia procurare hominibus per suas leges; adimendo scilicet robur contractui matrimoniali per talem metum inito; seu reddendo personas per ejusmodi metum contrahentes, inhabiles ad sic contrahendum: & vi talis decreti prævij declarat matrimonium esse nullum, quandocumque ita contrahitur. Non statuit idem de baptismo per vim suscepto; quia ille solum est Sacramentum; Sacramenti verò essentialia non possunt per Ecclesiam variari: matrimonium autem est etiam contractus, & ea ratione subjacet dispositioni juris positivi.

*Quo jure metus dirimat matrimonium* Sunt qui existiment matrimonia per talem metum contracta, esse invalida jure naturæ.

Communior tamen sententia habet quod jure tantùm ecclesiastico in jure naturæ fundato, ut videre est apud Bonacinam multos allegantem qu. 3. de Matrim. p. 8. Propos. 1. nu. 8. Nam jure naturæ ad conjugium sufficit voluntas transferendi potestatem sui corporis, nec opus est quod traditio sit omnino spontanea, modò sit verè voluntaria; alioquin etiam illud matrimonium foret invalidum, quod metu justo contrahitur, proveniente ab interiori motivo: quod tamen dici nequit.

SI DICAS metum viri constantis repugnare per- petuitati matrimonij. RESP. non simpliciter illi repugnare, cùm non faciat consensum simpliciter violentum seu involuntarium.

*Ob.* Nec obstat quod ejusmodi metum passus, stando in jure naturæ possit justam querelam movere, & postulare restitui in pristinam libertatem; non possit autem restitui, si matrimonium est validum: quia multæ sunt injuriæ quæ non possunt plenè restitui; neque tamen propterea invalidant id, quod cum talibus injurijs fuit factum.

*Resp.* Hinc baptismus vinculum perpetuum inducit, & tamen est validus, etiamsi per metum gravissimæ injuriæ conjunctum suscipiatur. Similiter, qui virginem, cui promisit matrimonium, corrumpit sub ejusdem matrimonij spe; si aliam ducat, maximam ei facit injuriam, quam non potest totaliter resarcire, ac nihilominus valet matrimonium.

*Ob. Resp.* Cæterum, quia matrimonium sic metu initum conjunctam habet prædictam injuriam: Ideo Ecclesia justè mota est ad ipsum invalidandum.

SI DICAS B. Thomam hîc argumentari ex ratione perpetuitatis matrimonij, RESP. eum supponere determinationem Ecclesiæ: ut patet ex argumento ad oppositum; & ea posita, probare convenienter ita fieri.

Ex his intelligi potest quod matrimonia quæ infideles metu justo ad consensum extorquendum injustè incusso contrahunt, valida sint, nisi apud eos sit lex civilis ea irritans; quia non sunt subjecti Ecclesiæ nec legibus ecclesiasticis. Videri possunt quæ diximus 1. 2. quæst 6. ar 6. quæs. 2. quibus addo Gamacium cap. 7. de Matrim. non deesse tamen qui talia matrimonia doceant esse valida inter infideles, jure nimirum naturæ patet ex Basilio Pontio l. 4 c. 14. ita sentiente.

### Conclusio II.

MATRIMONIUM ex levi metu contractum; vel ex justo, sed proveniente à causa naturali: vel ab homine quidem, sed justè illato: vel ex injustè illato, sed non ordinato ad extorquendum hunc consensum, est validum.

Prima pars probatur ex cap. *Veniens*, & cap: *Consultationi*, supra citatis; quæ ad nullitatem matrimonij metu contracti manifestè requirunt metum cadentem in virum constantem.

Secunda, quia nec consensus tali metu datus est coactus nec contractus qui per eum fit, est ab Ecclesia irritatus.

Tertia, quia nulla fit contrahenti injuria. Unde & aliquando sub gravissimis pœnis, Ecclesia compellit eum qui vult retilire à sponsalibus; ut perficiat matrimonium.

Quarta, quia in tali casu metus per accidens se habet ad matrimonium: ac proinde habendus est eodem loco ac si fuisset illatus à causa merè naturali.

Ex his sequitur quod valida sint matrimonia subsequentia.

*Primum*, si quis concubinam ducat ex metu inferni, vel mortis ex morbo aut naufragio imminentis.

*Secundum*, si ad mortem justè damnatus, & petitus ab aliqua in conjugium, cùm ea contrahit ut mortem evadat.

*Tertium*, si judice mortem justè comminante, nisi eam quam vitiavit, ducat uxorem: is eam ducit.

*Quartum*,



*Quartum*, si ineatur matrimonium à reo justè ad mortem ducendo, nisi contrahat cum ea quæ illi offertur: Quia tunc non tam injicitur metus ad extorquendum consensum matrimonij, quam proponatur ei via evadendi justam mortem.

*Quintum*, si obsessus in aliqua civitate & videns periculum expugnationis, ducat sororem aut consanguineam obsidentis, ut ita solvatur obsidio.

*Sextum*, si parentes aut consanguinei vellent interficere inventum in stupro; ipse autem sua sponte offerret matrimonium stupratæ, sperans se ita posse animos iratos placare, & mortem evadere.

*Septimum*, si parentes talem comprehendant, ac minentur se adducturos eum ad judicem, nisi ducat quam invitam vitiavit; & tali metu compulsus ducat: quia talis metus justè incutitur ob causam propter quam stuprator jure compelli potest ad matrimonium cum ista puella contrahendum: si autem minarentur mortem, aut grave aliquod malum, per se inferre; matrimonium ex hoc metu contractum, esset nullum: quia talis metus non solum ordinatur ad extorquendum consensum, sicut prior; sed insuper injustè infertur. Habent enim parentes jus ad talem detinendum, ut præsentent judici: non autem ut per se mortem ei inferant, aut vulnera, vel quid simile.

Dixi, *quam invitam vitiavit*: quoniam si filia voluntariè consensit; non videtur validum fore matrimonium quod adolescens metu accusationis (ex qua timeatur grave damnum) ad contrahendum incusso iniret: quia iste metus injustè incuteretur; violando enim filiam consentientem, non dedit causam ut sibi talis metus incutiatur; cum stuprator virginis consentientis non teneatur illam ducere, si aliud non interveniat. Et propterea parentes istius puellæ habent quidem causam accusandi stupratorem, vel incutiendi metum accusationis ad obtinendam satisfactionem pro injuria sibi illata, non tamen ad extorquendum matrimonium, nisi adsit alius titulus, veluti quod promiserit eam ducere, vel quod in eo loco sit lex recepta ut stuprator ducat puellam violatam. Confer Bonacin. qu. 3. p. 8. num. 11. Similiter quoque invalidum foret matrimonium quod Titius iniret cum Berta, metu compulsus à Sempronio, qui propter injuriam quam à Titio passus est per furtum, homicidium, aut contumeliam, minatur eum apud judicem deferre, nisi Bertam ducat in uxorem, injustè enim metus ille incutitur; quia etsi Sempronius habeat jus accusandi Titium pro satisfactione habenda; non habet tamen jus accusandi vel accusationem minandi, ut extorqueat consensum matrimonij.

AD 1. ARG. Negatur consequentia: quia talis contractus est ab Ecclesia irritatus, non autem alij: propterea quod illi possint rescindi per sententiam judicis, etiamsi fuerint validi: Matrimonium autem si semel est validum, non potest.

AD 2. Sententia Richard. Dominic. Emanuelis Sa, Bonacinæ, & aliorum quos ipse allegat & sequitur numer. 26. verior est, matrimonium contractum justo metu ad extorquendum consensum illato, esse invalidum, etiamsi juramento confirmetur: quia juramentum non potest facere id esse validum, quod Ecclesiæ authoritate est irritum: unde nec facit ut matrimonium clandestinum valeat.

Deinde, non satis alioquin Ecclesia providisset libertati contrahentium, cùm facilè sit ijs qui aliquem injustè compellunt ad matrimonium, etiam compellere ad ipsum juramento confirmandum.

Quod ergo sumebatur, omne juramentum obligare, verum est si adhibeatur ad confirmandum id quod licitum est, & per Ecclesiam non irritatum.

Ut autem periculum perjurij effugiat is qui cogitur non solùm contrahere, sed etiam contractum juramento confirmare: satis est quod verè consentiat, & vel juret se consentire, vel se contrahere, subintelligendo quantum est in ipso talem metum patiente.

Ex his consequens est non esse opus relaxatione talis juramenti, quia ubi nullum est vinculum, non opus est relaxatione: talis autem juramenti nullum est vinculum.

### QUÆRITUR I.

*An matrimonium coactum & juratum habeat vim sponsalium.*

VIDETUR quod sic: nam Augustinus 2. 2. q. 4. cap *Inter cætera*; de tali matrimonio respondet, *sit in Deo firmum & stabile*:

*Resp. est neg.* RESPONIO tamen negativa est verior: qui enim sic cogitur, neque promittit neque intendit promittere futuras nuptias, sed contrahit per verba de præsenti, quamvis inefficaciter. Accedit quod hujusmodi contractus est irritus: si autem resolveretur in sponsalia, non esset irritus; quia uterque contrahentium alteri maneret obligatus, sicut fit in sponsalibus.

Si autem ille qui metu cogitur, promitteret nuptias, probabile est quod promissio teneret; quia, licet Sa, verbo *Sponsalia*, Sanchez lib. 4 disp 19. Bonacin. num 27. cum quibusdam alijs existiment sponsalia metu extorta esse invalida, etiam si sint jurata. Quia tamen nullum jus reperitur quod ea invalidet: Ideo non minus probabiliter censent Henriquez li. 11. cap. 9 num. 6. Lessius l. 2. cap. 17. num. 37. & ante ipsos Bonav. in 3. dist. 33. Et Silvest. verbo *Sponsalia*, q. 6. nu. 5. sponsalia metu extorta valere, si jurata fuerint. Quod addo, quia simplices promissiones injustè per metum extortas non esse validas, diximus 1. 2. qu. 6. ar. 6. quæsito 2. conclus. 2. & 2. 2. qu. 66. ar. 2 quæsito 4. conformiter ad ea quæ B. Tho. ibid. scribit qu. 89. ar. 7. ad 3. Confirmatur, non est eadem ratio sponsalium, quæ matrimonij; cum illa tametsi juramento sint confirmata & valida, possint rescindi per judicem, non autem matrimonium quod semel est validum.

*Ob.* Nec obstat cap. *Ex litteris*, de desponsatione impuberum, ubi sponsalia puellæ majoris cum impubere docentur esse nulla, propter metum puellæ illatum: quia non ipsa puella promiserat nuptias, sed solùm parentes, ejus nomine. nam textus habet, quod *fuit jurata & desponsata*, non autem quod juraverit, & se desponsaverit. *Resp.*

AD argumentum autem RESP. cap. illud non reperiri in Augustino: ex eo tamen solum habetur licere viro ducere suam concubinam, quam justo metu coactus juraverat in conjugem suscipere: hæc enim, *Matrimonium sit in Deo firmum & stabile*, non aliud significant, quàm adhortationem, ut quod promissum erat, firmetur.

QUÆRI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆRITUR II.

*An matrimonium metu contractum convalescat per supervenientem consensum spontaneum ejus qui fuerat coactus.*

RESP. Si coram Parocho & testibus non aliud fuit actum quam contractus matrimonij, ita ut nihil sciant de metu incusso, matrimonium convalescit per supervenientem spontaneum consensum occultum, etiam tacitum, modò altera pars in suo consensu perseveret, sicut fit quando matrimonium, quod priùs erat præsente Parocho & testibus initum, sed inefficaciter ob occultum impedimentum, eo impedimento sublato, occultè contrahitur, ut diximus quæst. 45. art. 2.

Si autem coram Parocho & testibus fuerat vis adhibita, seu metus incussus quo extorquebatur consensus: ubi Concil. Trid. est publicatum, non convalescit matrimonium, nisi spontaneus consensus exprimatur coram Parocho & testibus.

*Quæst.* SED QUID, si metus coactus ad contractum matrimonij, metu etiam cogatur ad ejus consummationem. *Resp.* RESP. non posse absque mortali peccato consummare; neque si sic consummet erit ratum, propter jura quæ irritant matrimonia metu extorta, ubi tamen Concilium non est publicatum; vel, ubi contractus prior fuerit initus præsente Parocho & testibus coactionis aut metus ignaris, per copulam sponte & animo conjugali factam, matrimonium convalesceret.

Ad extremum hîc est observandum, omnes eos qui directè vel indirectè cogunt aliquos ad matrimonium, esse excommunicatos, per Concil. Trid. sess. 24. cap. 9 in diœcesi autem Cameracensi, etiam *Parochus coactionis conscius & procedens ad matrimonij contractum, est excommunicatus*, per Synod. ann. 1604. tit. 11. cap. 6.

## QUÆRITUR III.

*Utrum matrimonium metu justo extortum sit validum, si metus non sit incussus ab altero contrahente, sed ab alio absque scientia & culpa illius.*

RESP. esse invalidum. Primò, quoniam jura simpliciter irritant matrimonia per vim aut metum, qui in virum constantem cadit, injustè extorta; neque eximunt à quo debeat metus ille fuisse incussus, cap. *Cum locum*, & cap. *Veniens*, 2. tit. de sponsalibus.

Secundò, quia ideo jura irritant ejusmodi matrimonia, quia dum gravis metus incutitur, deest ei qui vim patitur, consensus plenè liber, qualis ad matrimonium requiritur, ut patet ex dicto cap. *Cum locum*: Sive autem ille gravis metus incutiatur ab altero contrahente, sive ab aliquo alio, æquè tollit plenam libertatem ei cui incutitur: ergo eadem causa militat ob quam dicendum est esse invalidum, idque sive incutiatur ad contrahendum determinatè cum hac persona, sive indeterminatè, cum aliqua.

## ARTICULUS IV.

ART. 4. probat consensum coactum, ne quidem ex parte cogentis facere matrimonium, quia matrimonium non potest claudicare, id est, nō potest esse nisi inter duas personas mutuò conjugatas: alioquin daretur maritus qui non haberet uxorem, & contra; quod est contra naturam relativorum. Satis ergo est quod qui aliquam coegit, restituat eam suæ libertati: & sic restitutæ matrimonium offerat: atque ad hoc, etiam ex justitiâ tenetur: Si verò coacta recusét nuptias, aut justæ causæ sint quare non expediant: is qui coegit, arbitrio viri prudentis tenetur satisfacere.

## ARTICULUS V.

ART. 5. docet consensum conditionatum per conditionem bonis matrimonij non repugnantem, facere matrimonium, si ea sit de præsenti, & subsistat: vel si sit de futuro, sed necessaria. Si autem sit contingens & de futuro, non facere: quia suspendit consensum. quod tamen hac impleta matrimonium statim convalescat, quæst. 43. art. 1. quæsito 1. conclusio. 7. dictum est.

Nec repugnat B. Thomas, dum hîc dicit, *quod si conditio apposita sit de futuro & contingens, idem est judicium de tali consensu sicut de consensu, qui fit per verba de futuro: unde non facit matrimonium:* loquitur enim de tempore quo iste contractus conditionatus initur, & non de illo quo conditio priùs posita impletur: verum est autem quod tunc quando fit talis contractus, judicandum sit de illo quod non sit matrimonium, sicut nec ille qui fit per verba de futuro: quia consensus non est absolutus, pendens in futurum. Nihilominus tamen est agnoscendum quod plus valeat quam contractus sponsalium: est enim medius inter sponsalia & matrimonium absolutum; magis tamen accedens ad hoc quàm ad illa, quando exprimitur consensus per verba de præsenti, licèt suspendatur in futurum. Est ergo contractus matrimonialis, sed conditionatus; & propterea habet vim obligandi, sic ut uterque contrahentium teneatur expectare eventum conditionis: qua extante confestim oritur vinculum conjugale. Plura videantur ad dictum articulum primum, & specialiter concl. 11.

*Ob.* *Resp.*

## ARTICULUS VI.

*Utrum aliquis præcepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum?*

VIDETUR quòd sic. PRIMÒ, quia non est filiorū, & minimè filiarum, parentibus subditorum, quærere nuptias; sed hoc est parentum munus, ut ostendit S. Ambr. 32. qu. 2. cap. *Honorantur*; addens præterea Rebeccam Gen. 24. consultam, non de sponsalibus, sed de profectione.

SECUNDÒ, Conc. Toletanum ibidem cap. *Hoc sacramentum*, jubet virgines non cogi accipere maritos extra voluntatem parentum aut suam; parentum, si habeant; suam, si non habeant.

TERTIÒ, Conc. Aurelian. 36. quæst. 1. cap. *De raptoribus*, vult raptam parentibus reddi, etiamsi raptori consenserit.

QUARTÒ, Clemens tertius cap. *Videtur*, tit. Qui matrimonium accusare possint; dicit, si parentes non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundùm leges nullum fieri matrimonium.

QUINTÒ, Conc. Trid. cap. 1. sess. 24. dicit matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta, semper fuisse prohibita.

SEXTÒ, juxta veteres leges, Pater poterat filium vendere & in servitutem civilem redigere: ergo etiam in matrimonium tradere:

Pro responsione sit.



## CONCLUSIO I.

PRÆCEPTUM aut consensus parentum non satis est ad efficiendū conjugium filij, sine ipsius consensu, saltem tacito: sed sufficit consensus filij, sine consensu parentū, ut matrimonium filij sit validū.

PRIUS probari potest ex decretis Honorij, ca. *Tua nos*, de desponsat. impuberum, & Bonifacij 8. cap. *Si infantes*, sub eodem tit. in 6.

POSTERIUS, ex cap. *Sufficiat*, 27. quæst. 2. & ex Conc. Trid. damnante eos qui affirmant matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta; irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse:

UTRUMQUE verò: quia mutuus contrahentium consensus, est causa efficiens matrimonij: ergo si sit inter personas legitimas est sufficiens, quicquid sit de voluntate parentum.

## CONCLUSIO II.

PATER non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum Ita B. Thomas hîc & 2. 2. quæst. 104. ar. 5.

PRIMÒ, quia matrimonium est quædam servitus perpetua; filius autem est liberæ conditionis, quantum ad statum perpetuum certi generis assumendum.

SECUNDÒ, quia compellere quempiam præcepto, est superioris: Pater autem non est in hoc genere superior filio. Omnes enim homines naturâ sunt pares in his quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem.

TERTIÒ, pater non potest præcipere filio ut fiat religiosus, sive indefinitè, sive definitè in certo Ordine: ergo nec potest præcipere matrimonium, sive indefinitè, sive definitè cum aliqua certa: quia utrumque est status perpetuus.

## CONCLUSIO III.

PATER potest inducere filium ad matrimonium cum certa persona ineundum; ita ut si non acquiescat, peccet mortaliter: positis duabus conditionibus.

*Prima*, ut filio constitutum sit, amplecti statum matrimonialem.

*Secundâ*, ut patet ex ea causa moveatur, quæ filium cogat de necessitate, & non solum de honestate, ut si filius eam de qua agitur, defloravit sub spe conjugij; vel si tale conjugium est necessarium ad graves inimicitias componendas, aut ad parentum inopum sustentationem.

*Ob.* DICES; si Pater nō potest præcipere filio matrimonium, ut habet secunda conclusio: quomodo verum est quod dicitur in tertia. *Resp.* RESP. beatum Thomam in secunda loqui, vel de eo quod est per se & regulariter; vel (quod non minus probabile est) de præcepto obedientiæ, prout est virtus specialis distincta à virtute pietatis: In tertia verò loquitur de præcepto pietatis; ex qua filij, prædictis conditionibus positis, obligantur ad acquiescendum voluntati parentum; facturi alioquin eis maximam irreverentiam, & in re magni momenti. Unà tamen earum deficiente, non peccant, nisi fortè per accidens: ut si parentes magna premantur egestate, cui non possit occurri nisi per matrimonium filij cum certa persona divite; tunc enim pietas videtur illum obligare ad istud matrimonium, etiamsi alioquin non fuisset statum matrimonij amplexurus.

## CONCLUSIO IV.

INIRE matrimonium parentibus vel inconsultis, vel rationabiliter invitis, est regulariter peccatum mortale. Cum enim parentes obligentur, in omnibus, ac præcipitè in deligendo statu, & in ijs quæ ad onera matrimonij sustentanda sunt necessaria, prospicere filijs: magna est injuria, sine ipsorum consilio, vel contra voluntatem eorum rationabilem, hoc aggredi.

Dico *rationabiliter*, quia non peccat filius, si patre matrimonium ejus cum certa persona volente, sed sine causa rationabili, recusét ipse rationabiliter motus.

AD 1. ARG. RESP. ex eo sequi, filios & filias debere uti parentum consilio ad certum matrimonium capessendum. Quærebatur autem à Rebecca consensus ad profectionem cito suscipiendam, quia is includebat consensum in conjugium: in quod ipsa consenserat v. 53. c. 24. & profectio non ob aliam causam erat suscipienda. Confer quæ ad c. 24 Genes. vers. 57. & 58 diximus.

AD 2. Versus Concilij sensus est, ne virgo cogatur accipere virum, nisi quem ipsa elegerit, aut ejus consentientis nomine, parentes: sub expressa enim parentum voluntate continetur tacita virginis.

AD 3. Canon iste loquitur de puella quæ consenserat in raptum seu stuprum, etiamsi non in conjugium.

AD 4. Pontifex non simpliciter dicit *nullum fieri conjugium*: sed addit *secundum leges*, civiles scilicet, eas nimirum quæ videntur cassare matrimonium invitis parentibus contractum; sed eæ nullam vim habent, quia per majorem potestatem est eis robur ademptum, scilicet per canones Ecclesiasticos, & per jus naturale quod talia conjugia permittit valida; etiamsi Ecclesia posset reddere personas ad sic contrahendum inhabiles, si expediret. Non expedire autem docent.

PRIMÒ, quorundam parentum avaritia, qui ne dotem numerare cogantur: vel filiorum matrimonia procrastinant, vel quærunt puellas magis dotatas, quam bene moratas.

SECUNDÒ, Zelus indiscretus quorundam parentum qui non cupiunt filios aut filias nuptui tradere, sed religioni, etiam invitas.

TERTIÒ, quod filij sint aliquando religionis catholicæ, & parentes hæreticæ.

QUARTÒ, quod ijdem sint interdum prudentiores parentibus.

AD 5. negatur assumptū. nam cùm Synodus dicit quod *Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est*, solum respicit ad matrimonia clandestina, ut patet tum ex correspondentia verborū, *Tametsi*, & *Nihilominus*: tum ex remedio, quod adhibet.

AD 6. negatur consequentia: partim quia servitus non exigit amorem, qui est in matrimonio necessa-

Universidad de Deusto
Biblioteca



necessarius : partim quia non adfert de se perpetuitatem, cum servus possit se redimere. A

Quæri hîc potest, an pater jure possit exhæredare filium aut filiam ; propter matrimonium, præsertim indignum, contra ejus voluntatem contractum. Dominicus dist. 29. quæst. 1. art. 4. & Navar. cap. 14. num. 15. respondent non posse, nisi ubi leges Regni aut provinciæ ita statuunt : Quæ licet juste ferantur, monendi tamen sunt parentes, ne illas nimis rigidè observent, memores libertatis matrimonij.

## QUÆSTIO XLVIII.

### *De objecto consensus.* B

#### ARTICULUS I.

*Objectũ matrimonij est copula seu conjunctio conjugalis.*

ART. 1. docet consensum, qui est causa efficiens matrimonij, non esse in copulam carnalem expresè, sed in copulam sive conjunctionem conjugalem, id est, in vinculum matrimoniale, & in conjugalem viri & mulieris associationem.

Quæ doctrina, partim ex verbis contrahentium est manifesta (exprimunt enim hunc consensum, & non illum alterum ; ) partim ex eo quod corporum commixtio non pertineat ad essentiam matrimonij, ut ar. 4. qu. 42. dictum est.

Dixi, *expresè* ; quia B. Thomas concedit consensum in matrimonium, esse consensum in carnalem copulam, *implicitè* : quod non ita est accipiendum, quasi sit propositum saltem virtuale copulæ carnalis ; sed quia est consensus in potestatem illam in qua talis copula continetur implicitè, sicut actus continetur in potentia. Unde in 4. dist. 30. qu. 2. art. 1. quæstiuncula 2. ad 3 concedit copulam carnalem cecidisse sic implicitè sub consensum B. Virginis, ut tamen affirmet eam copulam nunquam fuisse in proposito illius. verè enim tradidit sancto Joseph potestatem sui corporis, & accepit potestatem illius ; ideoque fuerunt veri conjuges : sed quia erat divinitus certificata, quod Josephus nunquam esset debitum petiturus & potestate illa usurus ; ipsa nunquam habuit propositum copulæ, ne quidem virtuale : & sic tam animi quam corporis virginitatem semper retinuit. C

*B. Virgo nullum ne implicitum quidem habuit propositum copulæ carnalis.*

Quod in primo argumento sumitur sub nomine Hieronymi, sub quo refertur à Gratiano dist. 27. cap. *Voventibus*, est B. Augustini cap. 9. lib. de bono viduitatis. Intelligitur autem, sicut & responsio B. Thomæ, de illis virginibus & viduis quæ volunt nubere cum intentione matrimonij consummandi ; vel cum periculo amittendæ continentiæ quam voverunt : alioquin voto virginitatis, etiam absoluto, non repugnat matrimonium ; quia simul consistunt hæc duo, promittere Deo perpetuam continentiam, & ejusdem corporis potestatem dare tali conjugi, quem certo scias nunquam usurum. D

In priore argumento ad oppositum supponitur quod nuptiæ Joannis 2. relatæ, fuerint sancti Joannis Evangelistæ ; verisimiliter quia id significat præfatio præponi solita tractatibus S. Augustini in Joannem : sed illa incerti est authoris, & satis certum est, tam ex ipso Augustino in fine istius operis, quam ex alijs quos citat Baronius ad annum Christi 31. §. 30. & 31. Sanctum Joannem nunquam attentasse nuptias. E

#### ARTICULUS II.

ART. 2. docet causam finalem, ad quam matrimonium per se, seu ex sua institutione ordinatur, semper esse bonam : quamvis ea ad quam per accidens ordinatur, possit esse bona vel mala, prout à contrahentibus intenditur aliquid honestum vel inhonestum.

PRIUS probatur, quia finis per se matrimonij, est prolis generatio & educatio, obsequiorum domesticorum societas mutua, & fornicationis vitatio : quamvis hæc postrema non tam sit finis, quam effectus quidam ipsius matrimonij, licet fieri possit, ut sit finis contrahentium. *Finis matrimonij.*

POSTERIUS EST manifestum : sed observat Author, quod fines accidentarij tribuunt bonitatem vel malitiam ipsis contrahentibus (quorum sunt fines per se) non autem ipsi matrimonio, cujus sunt fines per accidens. Ut ergo immunes sint à peccato qui matrimonium contrahunt, vel certo delectu conjuges accipiunt : si præter finem, qui est matrimonij per se, considerent fines alios vel alias aliquas qualitates ; illæ debent esse honestæ, quales sunt religio, pietas, morum probitas, imo & hæredis relinquendi desiderium, divitiæ, forma, gratia, generis splendor, morum similitudo, modò hæc ipsa non expetantur sine aliquo inordinato : Alioquin, prout finis qui à contrahentibus intenditur, fuerit parum aut multùm inhonestus, sic venialiter aut mortaliter peccabunt contrahendo. Quacumque tamen intentione contrahant, etiamsi contraria bonis matrimonij, modò personæ legitimæ consensum de præsenti habeant, & eo modo quo oportet, illum exprimant ; verum erit matrimonium : quia nihil deest illi efficiendo necessarium.

SI DICAS intentionem bonis matrimonij contrariam destruere ipsum matrimonium : Resp. id esse verum, quando talis intentio verbis expressa deducitur in pactum ; quia tunc induit rationem conditionis repugnantis substantiæ matrimonij ; aliàs, non ; modò adsit consensus vinculi conjugalis efficiendi : potest enim esse quod quis intendat se vinculo conjugali obstringere, & tamen intendat finem aliquem perversum contra bona matrimonij. De illis autem qui matrimonium contrahunt causa vitandæ fornicationis, quid sit dicendum, qu. seq. ar. 5. videbitur. *Ob. Resp.*

## QUÆSTIO XLIX.

### *De bonis matrimonij.*

#### ARTICULUS I.

ART. 1. docet habenda esse aliqua bona quibus excusetur matrimonium : Cum enim secum adferat detrimenta quædam non parva ; sapientis autem non sit detrimenta bonorum pati, nisi propter aliquod bonum majus, vel æquale : consequens est esse habenda aliqua bona, per quorum compensationem excusetur & honestetur matrimonium. Ita præter sanctum Thomam, aliosque scholasticos, Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 7. lib. de bono viduitatis cap. 4. libri 1. de nuptijs cap. 14. 17. 21. *Aliqua sunt bona quibus excusatur matrim.*

SI DICAS, matrimonium vel est bonum ; & sic non magis eget excusatione, quam alia bona : vel est malum ; & sic nulla excusatio sufficit : vel est indiffe- *Ob.*



indifferens ; & neque sic opus habet excusatione, quemadmodum nec aliæ res indifferentes, ambulare, loqui. A

*Resp.* RESP. matrimonium esse simpliciter bonum ; ideoque nullis bonis sibi extrinsecis indigere, quibus honestetur ; quo modo ea quæ sunt indifferentia, vel in malum sonantia possunt honestari. Indiget tamen bonis illis quæ vocantur bona matrimonij ; quia sunt de ratione ipsius, quantum scilicet ad intentionem, non quidem contrahentium, sed instituentis matrimonium : & sic honestatur per ea quasi causantia in illo honestatem quæ ei secundùm se competit, ut hîc ad 2. dicitur.

*Quo modo matrimonium excusetur per sua bona.* EXCUSATUR ergo matrimonium per sua bona quia per ea fit, ut post habitis incòmodis quæ in eo reperiuntur, sit honestum & secundùm rectam rationem eligibile. B

Incommoda illa præcipuè tria sunt : *Primum*, perpetua servitus, quia vir uxori, & uxor viro est obligata, ad Rom. 7. & 1. ad Cor. 7.

*Secundum*, solicitudo familiæ, rerum temporalium, prolium educandarum : de qua eodem ad Cor. 7. cap. Apostolus.

*Tertium*, libido, & quod per eam contingit, detrimentum usus rationis. *Tanta est enim voluptati exuberantia in ipso impetu libidinis, ut mens ipsa carnali delectatione submergatur, nec sanctum aliquid possit cogitare*, ait Sanctus Augustinus lib. 14. de civit. c. 16. & lib. 5. contra Julian. cap. 8. hæc autem libido, etsi turpis sit ; & extra matrimonium eam admittere, sit culpa ; propter bona tamen matrimonij, conjuges ei non consentientes, possunt illam in se admittere sine culpa : cætera verò incommoda, propter eadem magna ex parte levantur, & velut compensantur. C

Addit B. Thom. q. 41. art. 3. ad 4. illud propriè excusari quod habet aliquam similitudinem mali, & tamen non est malum, vel non tantum quantum apparet. Et quia actus matrimonialis, propter corruptionem concupiscentiæ, habet similitudinem actus inordinati ; (est enim idem in specie naturæ cum actu adulterij) ideo per bona matrimonij excusatur à toto, ut non sit peccatum.

*Quæst.* SI QUÆRAS, an matrimonium vel B. Virginis, D
*Resp.* vel hominum in statu innocentiæ, indiguisset istis bonis excusari ? RESP. fuisse quidem in illo, & futura fuisse in isto omnia bona matrimonij ; ipsumque matrimonium eis indiguisse tanquam ad suam rationem pertinentibus ; sed non indiguisse illis ad sui excusationem, vel ad aliquam compensationem ; quia nulla erant incommoda vel detrimenta. *His tribus bonis*, ait Augustinus l. 1. de nuptijs cap. 21. *perfectè se haberet bonitas nuptiarum quibus bonis etiam nunc bona sunt nuptiæ.* Et cap. 11. *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum* JESUM : *fidem, quia nullum adulterium : Sacramentum, quia nullum divortium.* E

#### ARTICULUS II.

ART. 2. probat bona matrimonij sufficienter assignari, *prolem, fidem, & Sacramentum* ; quia matrimonium ut est in officium naturæ, postulat duo scil. intentionem debiti finis ; & sic est proles & debitam materiam ; & sic est fides ; per quam acceditur ad propriam & non ad aliam : Ut autem est sacramentum, non dico novæ legis, sed generaliter sacrum signum, habet significationem conjunctionis Christi et Ecclesiæ, quod innuitur per vocabulum Sacramenti.

PROLIS nomine non intelligitur sola ejus procreatio, sed etiam educatio, & religiosa institutio : ut post Augustinum dicto cap. 7. lib. 9. de Genesi, docet hîc ad primum B. Thomas. *Bona matrimonij tria.*

FIDES non hîc ea intelligitur, quæ est virtus Theologica, sed quæ est pars justitiæ, scilicet *fidelitas*, quam uterque conjugum debet alteri ; & complectitur duo : *Prius* (quod ex mutua corporum potestate primò sequitur) ut neuter alteri petenti debitum neget, 1. ad Cor. 7. *Posterius*, ut alteri non commisceatur, ad Rom. 7. *Quid hic fides.*

PER SACRAMENTUM hîc intelligitur firmitas & indissolubilitas : quamvis enim ipsum vinculum matrimoniale sit ex natura sua indissolubile ; tamen, ex ratione sacræ significationis adjuncta, habet majorem firmitatem & indissolubilitatem ; & adhuc majorem in nova lege, ubi & solùm est unius cum una, & est omni prorsus casu indissolubile, post consummationem. *Quid Sacramentũ.*

Ex his patet hæc tria bona matrimonij, non solùm convenire matrimonijs Christianorum in nova lege ; sed omnibus omnino : nam & inter infideles matrimonium ordinatur ad prolem, obligat ad fidelitatem, & est inseparabile, habetque aliquam sacram significationem.

#### ARTICULUS III.

ART. 3. docet quid sit principalius inter bona matrimonij ; *Si principalius* usurpetur pro digniori, Sacramentum est principalius ; quia maximum est matrimonij bonum, quòd in eo Deus posuerit significationem rei tam eximiæ.

*Quod matrimonij bonum principalius.* Si *principalius* dicatur id quod est essentialius, & ea bona considerentur in seipsis ; etiam sic Sacramentum est principalius : quia pertinet ad matrimonium secundùm se consideratum ; proles autẽ & fides solum pertinent ad ipsum quatenus est in usu. Unde nec reperiuntur in omni conjugio : nam proles non est ubi alter conjugum est sterilis ; & fides abest, quando vel debitum negatur, vel ad alienam acceditur. Sacramentum autem est in omni conjugio : quia licet contingat fieri separationem quoad thorum vel habitationem ; manet tamen semper vinculum indissolubile ; quamvis istud vinculum aliter sit insolubile in matrimonio infidelium, aliter in fidelium ; aliter in consummato, aliter in inconsummato.

Si verò ea bona considerentur non in seipsis, sed in intentione, si non contrahentium, saltem instituentis matrimonium, principalius est proles ; postea fides : deinde Sacramentum ; quia omnia quæ sunt in matrimonio, si secundùm ejus institutionem considerentur, ordinantur ad prolem tanquam ad finem : propter eam enim necessaria est fides, & similiter inseparabilitas.

#### ARTICULUS IV.

ART. 4. docet actum matrimonij per prædicta bona sic excusari, ut nullum sit peccatum. Per fidem enim & prolem constituitur in genere virtutis ; per Sacramentum autem sive significationem inseparabilis conjunctionis Christi ad Ecclesiam, potest etiam esse sanctus & meritorius, si ad eum moveantur conjuges ex gratia Christi. *Alius matrimonij est licitus.*

Ista igitur bona excusant actum matrimonij

Universidad de Deusto
Biblioteca



non ex parte agentis, sicut actum malum excusat A ignorantia, sed ex parte ipsius actus: faciunt enim tanquam circumstantiæ ad eum pertinentes, ut non sit malus, sed bonus.

Ob. Ref. Nec obstant verba Gregorij, 33. quæst. 4. cap. *Vir cum propria*, ex resp. 10. ad interrog. Augustini, quibus dicit, voluptatem quæ in actu conjugali reperitur nullatenus posse esse sine culpa: non enim propriè culpam accipit, sed pro eo quod est turpe, inordinatum, ac vitiosum, quo modo concupiscentia vocatur peccatum, ad Rom. 7. quia scilicet suaptè natura incitat ad peccatum, nec ad veram peccati rationem aliud ei deest, quam voluntarium. Hanc responsionem confirmat tum B quod Gregorius ibi de motibus iracundiæ aliarūque vitiosarum passionum similiter loquitur, tum quod ait se conjugium non deputare culpam, & agnoscit corporum admixtionem licitam & cărnis copulam legitimam, quamvis ea non fiat sine aliquo malo libidinis, sed quæ libido, malum pœnæ est, non culpæ, ut hîc dicitur ad secundum. Cæterum, quia est turpis, inordinata & legi Dei repugnans: ideo non licet eam in se admittere, nisi ex justa & legitima causa: quæ si subsit (subest autem quando vel proles intenditur, vel debitum redditur) non magis peccat qui eam in se admittit, non tamen in eam consentit, quàm peccet Princeps permittens usuras, quibus non consentit, quando C habet justam causam eas permittendi.

Si dicas non posse conjuges, in eam libidinem non consentire, cum libere actum illum exercent cui necessariò cohæret: Respondet Estius in 4. d. 31. §. 6. consensum voluntatis posse ferri in solum actum, finemque ejus qui est generatio aut debiti redditio, non autem in libidinem actui conjunctā; quia qui consentit in actum, non continuò consentit in omne id quod est actui conjunctum. Claudus enim in progressionem consentit, non in claudicationem: & viator in ambulationem, non in lassitudinem: & peccator in actum peccati, non in reatum pœnæ, qui necessariò cohæret peccato. Quod si & in ipsam libidinem consentiant conjuges, non nisi venialiter delinquunt. Conferantur D argumenta B. Thomæ.

### Articulus V.

Art. 5. negat actum matrimonialem excusari posse ab omni peccato sine bonis prædictis, quia ipse nec honestatur, nec differt ab actu fornicario, nisi per illa; concluditque postea duobus tantum modis contingere, quod conjuges absque omni peccato conveniant, scilicet causa procreandæ prolis, & debiti reddendi: Aliàs autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale, ut art. 6. declarabitur.

### Articulus VI.

Art. 6. docet actum conjugalem, libidinis seu delectationis causa exercitum aliquando esse peccatum mortale, aliquando veniale. Pro quorum intelligentia.

## QUÆRITUR

*Quando actus conjugalis sit bonus, quando malus.*

### Conclusio I.

Si exerceatur vel causa generationis, vel causa reddendi debiti; caret omni peccato. Alias semper est peccatum, saltem veniale. Ita B. Thomas secutus Augustinum lib. de bono conjugali, cap. 6. 7. 11. & lib. de bono viduitatis, cap. 4. lib. 1. de nuptijs cap. 14. & 15. Fulgentium epist. 1. cap. 2. 3. 4.

Prius probatur, quia dum fit causa generationis refertur in eum finem ad quem matrimonium est divinitus institutum; & pertinet ad religionem: cum autem sit causa reddendi debiti, est actus justitiæ, qua alteri redditur quod suum est.

Si dicas veteres interdum excipere solam cau- *Ob.* sam generationis, ob quam sine peccato fiat actus conjugalis.

Resp. eos tunc loqui de petente debitum. *Resp.* Unde Augustinus cap. 7. de bono conjugali, *Reddere debitum conjugale nullum est crimen; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpa venialis.*

Posterius probatur, quia tunc desunt saltem ex parte, bona illa quæ actum conjugalem respiciunt & honestant. Nam tertium, scilicet Sacramentum, non ad usum matrimonij honestandum pertinet, sed ad ipsum matrimonium secundùm se; & propterea facit matrimonium esse honestum, sed non ejus actum, si solus sacræ significationis causa exerceatur.

### Conclusio II.

Actus conjugalis non causa prolis vel debiti reddendi factus, sed ob solam voluptatem est peccatum; veniale quidem, si delectatio quæratur intra fines matrimonij; ita scilicet ut eam non vellet conjux quærere vel admittere, nisi cum conjuge: mortale verò, si excedat limites matrimonij; ita scilicet ut non attendat quod sit conjux, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum altera.

Primum probatur, quia cum libido sit turpis, & tale malum cui nihil deest ad rationem peccati, nisi voluntarium; voluntas autem, in casu proposito, illi obsequatur sponteque consentiat; consequens est aliquod peccatum hîc inveniri.

Veniale esse, probatur quia licet illa voluptas sit per se mala & inhonesta; cohibetur tamen intra fines matrimonij, neque rationi dominatur, nec evertit ordinem justitiæ.

Utrumque horum, post Apostolum 1. ad E Corinth. 7. asserit Augustinus lib. 1. de nuptijs, c. 14. ubi sic habet: *Cum culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptijs imputandus est; quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges dum se non continent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam; sed propter nuptias accipiat veniam.* Et cap. 15. *Carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem; venialem habet culpam.* Confer etiam quæ habet lib. 4. contra Julian. cap. 3. de bono conjugali cap. 6. 7. 11. de bono viduitatis c. 4.

Ter-



Tertium autem per se est evidens; quia talis A conjunctio exercetur animo fornicario.

### Conclusio III.

Qui actum matrimonialem exercendo, desiderant non oriri inde prolem; non peccant mortaliter, si nullum finem mortaliter malum intendant, nec ullū medium adhibeant ad impediendum ne proles nascatur; partim quia nulla est ibi circumstantia mortalis, & actus est de se ipsis licitus; partim quia homo non semper sub gravi culpa tenetur velle ut suus actus assequatur finem ad quem est ex natura ordinatus. Quia autem potionem vel aliquod aliud medium assumit, vel alteri B præbet quo prolis conceptio impediatur; peccat mortaliter: quia evertit proprium finem matrimonij. Vide Navarr. Enchir. cap. 16. nu. 37. & Sanchez l. 9. disp. 8. num. 10.

### Conclusio IV.

Actus matrimonialis partim generationis, partim voluptatis causa factus, ita ut quamvis delectatio non sit præcipuum motivum, placeat tamen; à Dominico & alijs quibusdam excusatur ab omni culpa: videtur tamen esse venialis. Et propterea, quod in prima conclusione dicebatur, sic restringi debet, *modo delectationem actui conjunctā refrænent conjuges, eique non consentiant:* Alioquin C obsequuntur libidini, quæ per se mala est, & progrediuntur ultra necessitatem generandi, de quibus dicit August. cap. 10. libr. de bono conjugali, *quod si ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non planè nuptiarū verumtamen si magis in suæ conjunctione diligunt quod honestum, quam quod inhonestum est, hoc eis, authore Apostolo secundùm veniam conceditur, cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices.* Et Fulgent. epist. 1. cap. 3. *si thori fidem non deserat, sed in uxore sua, naturali dumtaxat usu; aliquantulum intemperatus excedat, non solum scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem, sine culpa non facit.* Confer & caput 4.

*Tacita ob.* Neque videri debet hîc aliquid impossibile D dici: nam etsi ratio non tunc posset eam delectationem refrænare, quando quasi absorbetur per illius vehementiam: *potest tamen eam ordinare ante principium*, ait B. Thomas quæst. 41. art. 3. ad 6. & *Alia ob. Resp.* hîc ar. 4. ad 3. Neque necesse esse voluntatem consentire in libidinem, ex eo quod consentiat in actū cui ipsa adjungitur, ostensum fuit art. 4.

*Ob.* Si dicas, cibum aut potum cum delectatione sumere quando fit ad conservationem naturæ, non est peccatum: ergo nec facere actum matrimonij cum delectatione voluntaria, quando habetur intentio prolis: *Resp.* Resp. Negando consequentiam: quia delectationes aliorum sensuum non ita ab- E sorbent rationem, ejusque usum impediunt, sicut delectationes venereorum; sed nec habent aliquid inordinatum, propter quod, velut rationi repugnans debeant turpes & inhonestæ censeri.

*Ob.* Nec obstat Hieronymum epistola 10. dicere, quod libido sit actui generationis à Deo insita; *Resp.* usurpat enim *libidinem* pro voluptate seu delectatione, absque consideratione ejus quod est inordinatum: voluptas autem sensuum secundùm se bona est, unde etiam in statu innocentiæ, actus generationis habuisset voluptatem, ut 1. p. quæst. 98. ar. 2. ad 3. docet Beatus Thomas. Quatenus autem est immoderata, rationem non sequens, sed obtenebrans; ideoque turpis & pudenda (quo demum modo fortitur nomen libidinis,) nec bona est, nec à Deo, uti nec concupiscentia.

### Conclusio V.

Actus matrimonialis qui fit ad vitandam fornicationem conjugis, est sine peccato: qui fit ad vitandam propriam, est peccatum veniale. Ita B. Thomas art. 5. ad 2.

Prius probatur, quia in tali casu censendum est conjugem, cui periculum imminet, petere debitum: & ita, quamvis alter formaliter petat, in rei tamen veritate potius reddit. Unde sequitur, quod si alteruter conjugum adverteret periculum alterius, teneretur petere debitum, partim, ex justitia (ex hac enim obligatur ad redditionem debiti, etiam quando solùm interpretativè petitur) partim ex charitate, quia tenetur non negligere periculum salutis in quo scit suum conjugem versari.

Posterius negatur quidem à multis, est tamen Augustini li. de bono conjugali cap. 7. 10. 11. lib. 1. de nuptijs ca. 14. hom. ult. inter 50. & alibi. Item Gregorij lib. 32. moralium cap. 20. Fulgentij epist. 1. cap. 3. quos sequatur B. Thomas art. 5. ad 2. Bonavent. & Richard. in 4. dist. 31. & probatur. Quod enim Apostolus 1. ad Cor. 7. pronuntiat, *hoc autem dico secundùm indulgentiam:* ad duas sententias pertinet, quarum una est, *propter fornicationem* (scilicet vitandam) *unusquisque uxorem suam habeat*, id est, uxore sua utatur: Altera, *Revertimini in idipsum ne tentet vos Sathanas: Dum autem tribuit veniam, denotat culpam*, ait Augustinus li. 2. de peccato originali c. 38. & propterea indulgentia (sive, quod vox Græca ad verbum significat, *ignoscentia*) quam concedit Apostolus, non est permissio boni minoris, sed mali alicujus, ad evitandum majus.

Confirmatur, Talis enim conjux aliquousque obsequitur libidini, quamvis eam coërceat intra limites matrimonij: & cum non reddat debitum, sed exigat; idque non causâ prolis; desunt ea bona quibus actus matrimonialis honestetur, scilicet fides ex parte, & proles.

Cur autem liceat petere debitum ad vitandam *Objectio tacita.* conjugis incontinentiam, non autem ad propriam:

Una ratio est, quia dum petit propter alterius periculum, in effectu potiùs reddit quàm petat:

Altera, quia suo periculo potest occurrere per alia remedia; ut per voluntatem propriam gratia Dei adjutam resistendo, orando, jejunando; periculo autem alterius non potest, cùm non habeat in suâ potestate alienam voluntatem, sicut suam.

Si dicas, non esse peccatum uti matrimonio ad *Ob.* eum finem ad quem est institutum?

Resp. quòd proriè loquendo non sit institu- *Resp.* tum ad vitandam fornicationem; sed ad hoc, tanquam ad effectum quendam suum, valere cœpit post lapsum; cujus propterea usus tali causa factus permittitur; sed secundùm indulgentiam. Vide quæ diximus quæstion. 41. articul. 3. quæst. 42. articul. 2.

Hanc partem Ledesma limitat, si is cui periculum est ab incontinentia, non habeat in promptu alia remedia. Sed cùm voluntas resistendi, & ad eam roborandam, orationes non minus in promptu sint præsente conjuge, quàm ea vel absente, vel infirma: quemadmodum istis casibus copula non est

Universidad de Deusto
Biblioteca



ei ad vitandam incontinentiam medium necessa- A
rium; ita nec aliàs.

Ex his sequitur quod qui matrimonium ineunt causa vitandæ fornicationis, sive sint senes, sive juvenes; peccato non careant; quod tamen non est plusquam veniale; propterea quod affectus per rationem ita ordinetur, ut non excedat limites matrimonij.

### Conclusio VI.

Qui exercent actum conjugalem causa valetudinis, quamvis non paucis videatur quod ab omni peccato excusentur, probabilius est quod peccant venialiter: quia licet finis intentus sit bonus, & medium quod eligunt, sit sibi licitum; non est tamen proportio medij ad finem: actus enim conjugalis non est de se ordinatus ad sanitatem corporalem, sed ad generationem. S. Thom. in 4. d. 31. ar. 2. ad 4. sive Suppl. quæst. 49. art. 5. ad 4. Palud. eadem dist. 31. qu. 3. ar. 3. Antoninus 3. parte tit. 1. cap. 20. B

### Conclusio VII.

Actus conjugalis factus eo tempore quo mulier est gravida, vel menstruata, putatur à quibusdam esse peccatum mortale: probabile tamen est quòd ex parte petentis solùm sit veniale; ex parte autem reddentis, aliquando nullum; modò non sit periculum perdendi aut notabiliter debilitandi fœtum conceptum. Quod quando subest; etiamsi fœtus necdum esset animatus, peccatum mortale foret, etiam reddere. Esset enim cooperari ad impediendum, ne futurus homo nascatur, & propterea tale peccatum sic reducitur ad homicidium, quo modo ad furtum reducitur peccatum ejus qui etiamsi aliena non tollat, impedit tamen justum aliorum lucrum. Sententiam hanc post Palud. & Anton. tenent Cajet. in summula, Alphonsus à Castro li. 1. de lege pœnali, c. 12. Navar. c. 16. nu. 32. Victoria qu. 276. Ledesma qu. 64. a. 1. Vivaldus in tract. de debito conjugali: quia fundamentum asserentium esse peccatum mortale cognoscere menstruatam: C D

*Tacitæ ob. solvuntur.*

*Unum*, est damnum prolis quod ex tali copula timetur: hoc autem damnum putatur esse incertum, quia rara est (ut creditur) conceptio prolis ex congressu tempore menstrui facto: Unde quamvis innumeri tunc copulentur, rarissima tamen creduntur apparere damna magna in prolibus.

*Alterum* fundamentum est in scriptura Levit. 15. 18. 20. & Ezechielis 18. quam B. Augustinus 3. de peccatorum meritis cap. 20. inter illa præcepta numerat, quæ non figuratè sunt accipienda.

Sed Responderi potest præceptum vetans congressum mariti cum menstruata, esse quidem morale, quatenus ille congressus est jure naturæ malus, tum ob indispositionem materiæ quæ necessaria est ad conceptum prolis, tum ob indecentiam & turpitudinem: stando tamen in jure naturæ, non videtur ejus transgressio esse peccatum mortale, ac propterea ex eâ parte qua lex pœnam mortis comminatur, est judicialis, quemadmodum lex vetans esum adipis & sanguinis, etiam sub pœna mortis, Levit. 7. Videri potest Sanchez l. 9. disp. 21. E



### Conclusio VIII.

Actus conjugalis factus modo non naturali, est peccatum mortale, si talis sit ut impediatur conceptio: Aliàs autem est grave veniale. Sanctus Thomas in 4. dist. 31. in expositione textus, Sylvester verbo *debitum*, quæst. 4. Navarr. cap. 16. numer. 42. Victoria qu. 273. Toletus lib. 5. cap. 13. Vivaldus, & communiter alij.

Quod attinet ad oscula, & tactus etiam impudicos, non videntur esse peccata mortalia inter conjuges, sese continentes intra limites conjugij, nisi sint cum periculo pollutionis extra vas, uti post Cajet. & Sylvestrum tradunt Navarr. c. 5. num. 4. Victoria qu. 274. Dominicus dist. 31. artic. 4. Ledesma art. 6. hujus quæst. & Vivaldus.

Sciant autem prædicatores & confessarij, quod his de rebus non debeant prædicare, vel cum sæcularibus tractare: partim ne castas aures offendant, partim ne fideles vel conjiciantur in anxietates, si prædicentur ea quæ gravia mala sunt, vel accipiant occasionem ampliandi licentiam si dicantur licita, aut ea quæ solùm sunt venialia. Rogati autem pro consilio, dicant veritatem, sed moneant ut tanquam Christiani utantur matrimonio, non autem sicut gentes quæ non noverunt Deum. C

Si quando autem in concione occurrit opportunitas aliquid istis de rebus dicendi, ut cum agitur de Her & Onam Gen. 38. vel de matritis Saræ, Tobiæ 6. sufficerit generalibus verbis monere, ne conjugati existiment quidlibet sibi licere circa suas conjuges: quid autem liceat, quid non liceat, eadem opera moneantur generalibus terminis, ut ij qui dubitant, secretò quærant à suis parochis vel alijs viris doctis.

### Conclusio IX.

Actus matrimonialis factus cum notabili detrimento salutis alterutrius conjugis, est peccatum mortale. Quid autem sit de negante debitum leproso, vel tempore aut loco sacris, qu. 64. dicetur. D

## Quæstio L.

## *De impedimentis matrimonij.*

### Articulus Unic.

Hujus quæstionis articulo unico docet impedimenta convenienter assignari matrimonio. Cùm enim in eo, sicut & in alijs Sacramentis, quædam sint de essentia ejus, & quædam solùm de solemnitate: consequens est aliqua posse facere, ne matrimonium sit validum, alia verò solum hoc, ne sit licitum, sicut & in alijs Sacramentis, si aliquid quod sit de essentia vel solemnitate eorum subtrahatur. Unde & de impedimentis Ordinis actum est qu. 39. E

Peculiarius tamen assignantur impedimenta matrimonio magis quàm alijs Sacramentis, partim, quia non solùm est Sacramentum, sed etiam contractus, contractus autem, naturâ, lege, varijsque alijs modis possunt impediri: partim, quia requirit pro sui materia, duorum contrahentium actus, & deinde consummatur in commixtione sexuum. Qua etiam ratione possunt ei obvenire quædam impedimenta.

Dupli-



Duplicem verò ponit impedimentorum divi- A
sionem. Prior est in corpore, ut alia sint dirimentia, alia solum impedientia seu prohibentia.

Dirimentia vocantur, nō quia dirimant matrimonium antea contractum & validū, si ei superveniant (nihil enim matrimonio Christianorum rato superveniens ipsū dirimit, excepta professione religionis antequam fuerit consummatum:) sed quia faciunt ut si matrimoniū, cum aliquo istorum impedimentorum de facto contrahatur, sit nullum. Ejusmodi numerabantur tredecim ante Conciliū Tridentinum; post illud verò sunt quindecim.

*Quindecim impedim. dirimētia.*

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,* B
*Amens, affinis, si clandestinus, & impos,*
*Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto:*
*Hæc sociandа vetant connubia, facta retractant.*

Ex his quædam ita dirimunt, ut personas reddant prorsus inhabiles; cujusmodi sunt votum, ordo, ligamen, amentia, impotentia: cætera verò tantùm certo modo, vel respectu.

Impedientia dumtaxat vocantur, quæ non faciunt matrimonium esse nullum, si attentetur; sed solùm ut nō licitè contrahatur, obstante præcepto.

Ejusmodi, præter indispositionem subjecti alijs sacramentis communem, ut excommunicationem, & affectum peccati mortalis; sunt ista sex.

*Ecclesia vetitum, necnon tempus feriatum,*
*Atque Catechismus, sponsalia, crimina, votum,* C
*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Ecclesiæ vetitum seu interdictum vocatur prohibitio superioris Ecclesiastici, ex causa interdicentis alicui matrimonium ad tempus, sive superior iste sit Episcopus, sive parochus, qui interea velit consulere Episcopum.

Tempus feriatum, est ab Adventu Domini, usque in diem Epiphaniæ; & à feria quarta Cinerum, usque ad octavam Paschatis inclusivè. Est- que hoc tempus computandum à media nocte Domin. primæ Adventus, & à media nocte feriæ quartæ Cinerum.

*Quid tempore feriato vetetur circa matrimonij ineundum.*

Quid autem illis temporibus sit illicitum, quæ- D
ri potest. Iure communi tantum prohibetur solemnitas nuptiarum: quæ hæc tria complectitur; novorum sponsorum publicam benedictionem, sponsæ in domum sponsi traductionem, & nuptiale convivium: ipse autem contractus matrimonij sine illis solemnitatibus fieri potest, ut tradit Cajetan. verbo, *Nuptiarum peccata*: Nam canones non quomodocumque loquuntur de matrimonio tunc non contrahendo, sed de illo non celebrando, id est, perficiendo cum solemnitate, 33. qu. 4. cap. *Non oportet*, cum duobus sequentibus. Unde Conc. Trid. sess. 24. cap. 10. vocat solemnium nuptiarum prohibitiones; additque: *In alijs verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.* E

Nec obstat cap. *Nec uxorem*, ubi Nicolaus Pontifex dicit non licere tunc uxorem ducere. Nam propriè non ducitur uxor, quando matrimonium contrahitur sine solemnitate; cum ducere uxorem sit eam traducere solemniter in domum. Non aliud ergo vult Nicolaus, quam solemnitatem nuptiarum esse in quadragesima interdictam.

Cæterum jure vel consuetudine particulari; quibusdam in locis, nec ipse matrimonij contractus est licitus: ut in Provincia Mechliniensi, per cap. 8. tit. 11. Synodi 2. Provincialis, & per cap. 7. Synodi 1. tit. de sponsalibus: in Diœcesi Audomar. per Synodum Joannis Six. cap. 11. tit. 10. ac etiam (ut nobis quidem videtur) in Cameracensi per Synodum 2. Provincialem tit. 11. cap. 8. A

Per Catechismum intelligitur cognatio spiritualis proveniens ex eo quod puer catechizatur seu in fide solemniter instruitur; sive jam baptizandus, sive antea sine cæremonijs baptizatus: Et ex baptismo nascitur spiritualis cognatio, sed impediens solum, non etiam dirimens, ut habetur ex cap. *Per Baptismum*, de cognatione spirituali in 6. ex Navarro cap. 22. num. 72. & alijs. *Impedizandus, mentū oriebatur olim inter easdem personas, inter quas Catechismi est subl.atum.*

Sed hoc impedimentum sublatum esse existimamus per Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. quia Concilium sustulit omnes cognationes spirituales, præter eas quas ibi recenset, dicit enim, *omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Neque est quod quis opponat Concilium vel de solis impedimentis dirimentibus loqui; vel tantum de impedimentis ex baptismo & Confirmatione provenientibus: In primis, quia impedimentum ex Catechismo est quodammodo ex baptismo; quia Catechismus est cæremonia baptismi. Deinde quia Concilium generaliter loquitur de impedimento cognationis spiritualis, illudque vult restringere, ac statuere ut non oriatur inter alias personas quam quæ ibi exprimuntur, quo modo explicuit Pius 5. in bulla *Sanctissimus*, ac insuper in alia quæ incipit, *Cum illius vicem.* C

Hanc sententiam tenent Emanuel Sa verbo *Matrim. impedim. non dirimentia*, Petrus Ledesma cap. 18. de impedim. dub. 4. Sanchez lib. 7. disput. 7. Bonacinas q. 3. p. 14. & alij apud ipsos.

Si quis tamen oppositam (quæ etiam probabilitate non caret) velit sustinere; sciat super eo dispensari posse per Episcopum.

Per sponsalia intelliguntur ea quæ prius celebrata sunt cum alia persona; Illa enim gravem obligationem induxerunt contrahendi matrimonium cum persona desponsata, ac per consequens impediunt ne illud cum alia persona contrahat, ut diximus q. 43. ar. 1. quæsito 2.

Per Crimina non veniunt intelligenda quæcumque magna peccata; sed quædam certa.

Primum est *incæstus* cum consanguinea uxoris, cap. *Transmissæ*, de eo qui cognovit. *Septem crimina impien. matri.*

*Secundum*, raptus alterius sponsæ, 27. qu. 2. cap. *Statum.*

*Tertium*, uxoris propriæ interfectio, si non est reperta in flagranti delicto adulterij, 33. quæst. 2. cap. *Interfectores.*

*Quartum*, baptizatio vel susceptio propriæ prolis, facta animo defraudandi conjugem debito conjugali, 30. qu. 1. cap. *De eo.*

*Quintum*, occisio Presbyteri, cap. *Qui Presbyterum* de pœnitentijs.

*Sextum*, Pœnitentia solemnis 33. quæst. 2. cap. *De his*; non quod illa sit peccatum, sed quia non nisi ob grave peccatum agitur.

*Septimum*, contractus matrimonialis cum Religiosa professa, 27. qu. 1. cap. *Hi ergo.* Et de his criminibus intelligendi sunt versus sequentes:

*Incæstus, raptus sponsatæ, mors mulieris,*
*Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,*
*Vel si pœnituit solemniter, aut monialem*
*Accipiat; prohibent hæc conjugium sociandum.*

Per votum intellige hic votum simplex, vel Religionis ingrediendæ, vel castitatis servandæ, vel non nubendi, vel sacros ordines recipiendi,

Universidad de Deusto
Biblioteca



cap. *Si nupseris* dist. 27. cap. *Nubendi*; & *Si qua virgo*, 27. quæst. 1. A

Cur à B. Thoma & quibusdam alijs non recenseantur nisi hæc duo impedimenta quæ impediunt tantum, & non dirimunt:

*Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum*; Ratio videtur esse, quod cætera reducantur ad impedimēta dirimentia; ut sponsalia ad ligamen; votum simplex, ad solemne; pœnitentia solemnis cum incœstu & sequentibus, ad crimen. Circa hæc.

## QUÆRITUR I.

### *Quis dispensare possit in impedimentis quæ solum impediunt.* B

RESPONSIO communis est, Episcopum posse in illis omnibus dispensare, præterquam in voto castitatis & Religionis: quia licet inferior non possit dispensare in lege superioris, per se loquendo; consuetudine tamen receptum est, ut dispensatio talium impedimentorum non quæratur à Papa, exceptis votis castitatis & religionis, ut post Paludanum & Antonin. tradit Mavar. Enchir. cap. 22. num. 85. & post eos Bonacinas qu. 3. P. 15. Barbosa Alleg. 35. & alij. Imò consuetudinem inoleviſſe, quod nulla super illis impedimentis petatur dispensatio, nisi super voto, sponsalibus, interdicto; & tempore feriato, ac per consequens quod illa alia non amplius sint impedimenta, partim apud jam dictos, partim apud Sanchez lib. 7. disp. 17. potest videri, licitumque est conformiter cum illis sentire & agere. C

Quoniam verò excipiuntur vota castitatis & Religionis quæ Pontifici tam strictè sunt reservata, ut nec in Jubilæis universalibus concedere soleat facultatem super illis dispensandi.

*Quæ vota dispēset Episcopus.*

Observandum est vota de non nubendo, de non petendo conjugali debito, de suscipiendo sacros ordines, de servando castitatem ad paucos menses vel annos; non comprehendi sub voto castitatis perpetuæ vel Religionis; quia non sunt absoluta vota castitatis: & ideo Episcopus potest in illis dispensare, secundùm ea quæ diximus 2. 2. quæst. 88. art. 12. concluſ. 3. & quæ Azorius tom. 1. l. 11. c. 19. ac etiam Sanchez l. 8. disput. 9. latè deducit. Votum autem servandæ virginitatis prout ordinariè emittitur & intelligitur, est verum castitatis perpetuæ votum; secus autem si vovens intenderet se non obligare ad castitatem perpetuam, sed tantum ad abstinentiam à primo actu, quo deperditur virginitas. Vide Azorium dicto cap. 19. q. 14. D

## QUÆRITUR II.

### *Quis dispensare possit in impedementis dirimentibus.* E

NON quæritur de impedimentis quæ ex jure naturæ, vel fortasse ex jure divino positivo proveniunt: in his enim satis concors est Doctorum sententia, non posse ab ullo homine dispensari, nisi quod de voto solemni Religionis variæ sunt opiniones, de quo quæst. 53. ar. 2. erit dicendum: Sed quæstio est de impedimentis ab Ecclesia introductis.

Ad quam communis RESPONSIO EST solum Pontificem habere potestatem ordinariam in illis dispensandi; ideoque nullum alium posse in illis dispensare, nisi fortè in quibusdam casibus valdè extraordinarijs.

Quod ipse possit in illis dispensare, patet: quia proveniunt ex legibus Ecclesiasticis seu Pontificijs; legum autem Ecclesiasticarum dispensatio ad summum Ecclesiæ Pontificem pertinet.

Quod solus possit, Prob. quia omnes alij sunt ipso inferiores; inferiores autem non possunt dispensare in legibus superioris, nisi quatenus hoc eis ipse permittit; ordinariè autem nulli permittit. Ita docet Navar. cap. 22. num. 85. Henriquez l. 12. c. 3. ac Sanchez l. 8. disp. 6. nu. 14. Barbosa Alleg. 35. nu 1. Hurtado disp. 26.

*Quando possit Episcopus dispensare impedim. Cantus primus.*

Dixi, nisi fortè &c. quia in aliquibus casibus posse Episcopum super impedimentis dirimentibus dispensare ex tacita seu præsumpta voluntate Pontificis, boni Authores consentiunt.

PRIMUS est, quando publicè notum est matrimonium esse contractum, impedimentum autem quod inter conjuges intercedit, occultum est, nec ipsi conjuges possunt separari absque gravi infamia aut scandalo, vel grandis alterius mali periculo, nec ad Papam aut ad ejus legatum facultate dispensandi instructū tutus patet recursus, sive propter paupertatem, sive propter locorum distantiam, aut propter alia impedimenta. Hunc casum adferunt ac probāt, Angelus verbo *dispensatio* n. 5. Sylv. eodem verbo q. 9. Tabiena eodem verbo q. 14. Fumus ibidem nu. 19. Navar. dicto nu. 85. & l. 4. consil. tit. de consang. consil. 14. Zerola verbo *dispensatio* ad 5. Bonacinas quæst. 3. p. 15. Barbosa Alleg. 35. Vasquez in 1. 2. disp. 178. c. 2. n. 16. Emanuel Sa verbo *Matrim ampedim.* Salas disp. 20. de legibus sect. 3. nu. 25. Vivald. de dispens. in impedim. Pontius lib. 8. de matrim. cap. 13. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 22. Hurtado disput. 26. difficult. 2 Tannerus disp. 8. q. 4. num. 162. & cum multis alijs Sanchez lib. 2. disp. 40.

Confirmatur, Non est credibile Pontificem velle sibi reservare dispensationem super impedimento aliquo dirimente in casu tantæ necessitatis, & cum tanto animarum grāviumque damnorum periculo: ergo præsupponi potest tanta ejus voluntas esse, ut illis concurrentibus Episcopus dispenset. Anteced. prob. quia reservatio dispensationis est propter charitatem bonamque Reipub. gubernationem; esset autem contra charitatem & contra bonam gubernationem Ecclesiæ, fideles bona fide procedentes, & in angustijs constitutos relinquere destitutos oportuno remedio.

Accedit quod Summi Pontifices non possunt ignorare sententiam hanc à multis bonis Doctoribus probari, ac etiam ab Episcopis zelum animarum habentibus, & Doctorum virorum judicio libenter acquiescentibus, prout necessitates emergunt, practicari: Cum ergo non contradicant, signum est ipsos consentire.

Observandum autem est, præsupponi quod vel ambo conjuges, vel alter eorum bona fide matrimonium contraxerint: si enim mala fide processerint, aut scilicet conscij quod esset inter eos impedimentum dirimens, aut ignorantes quidem sed sine facultate Ordinarij non servantes solemnitates in matrimonio requisitas, verisimilius est juxta Concilium Trident. sess. 24. cap. 5. ipsos esse separandos, aut ab ipso Pontifice Rom. dispensationem quæri oportere: quia Pontifex non vult favere iniquitati contrahentium, præsumiturque propterea non velle ut ab alio quam à se ipso dispensetur.



pensetur. Ita sentiunt Sanchez, Bonacinas, Barbosa &c. A

Observandum præterea quod dictum est de recursu ad Papam vel ad Nuntium seu Legatum qui facultate dispensandi sit instructus, non sic debere intelligi quasi oporteat quod nullus omnino accessus ad eos pateat; sed satis esse quod is non nisi difficulter haberi possit, aut propter itinerum distantiam, & eorum à latronibus vel alijs inimicis obsessionem, aut propter paupertatem partium, aut propter famæ vel alterius gravis mali culpæ vel pœnæ periculum non leve.

His ita positis Henriquez l. 12 c. 3. nu. 2. fin. scribit quod *hæc sententia & usu multorum Episcoporum, & authoritate sapientium confirmata tutos omnino in conscientia reddit sic dispensatos.* Cui non dissimiliter loquitur Hurtado. B

*Quæst.* At quæres, si Episcopus potest de suis reditibus supplere paupertatem partium: An ipse debeat dispensationem Pontificiam suis sumptibus procurare, & non possit ipsemet dispensare.

*Resp.* Salas dicta disput. 20. num. 27. contra Vasquez Respondet Episcopum non teneri in hujusmodi dispensationibus impetrandis reditus suos consumere, sed posse ob paupertatem partium dispensare (concurrentibus videlicet conditionibus, de quibus supra:) & ita (inquit) habet praxis, & sentiunt Doctores: Nam sine limitatione docent licitum esse Episcopo dispensare in necessitate, quando propter paupertatem partium, difficilis est ad Pontificem aditus. Et idem censet Pontius. C

*Casus secundus.* SECUNDUM CASUM adfert Sanchez citat. disp. 40. nu. 7. docetque Episcopum per se vel per alium à se ad hoc delegatum, posse super impedimento dirimenti dispensare, etiam antequam matrimonium sit contractum; atque ita facere, ut licitè ac valide possint contrahere, quando non est tutus accessus ad Pontificem vel ab eo denominatum, & est urgentissima necessitas, omnibusque medijs possibilibus tentatis, non potest aliter obviari gravibus incommodis scandali, infamiæ & alijs: Et quamvis ante illum (ut ipse ait) nullus inveniatur ita sensisse; quia tamen post illum non pauci ita docent, eisque ratio suffragatur: Ideo ipsius opinio videtur ut probabilis admittenda. Ipsum sequuntur Bonac. quæst. 3. p. 15. num. 6. Barbosa Alleg. 35. num 5. Salas disp. 20. sect. 3 num. 27. Pontius li. 8. cap. 13. num. 6. Hurtado disp. 26. difficultate 2. & alij quos citat. & sequitur Diana tract. 2. Miscella. Resol. 19. D

Rationes autem sunt istæ. UNA, quia impedimentum de quo agitur, est juris humani. Ergo sicut Episcopus in eo dispensare potest in casu necessitatis urgentissimæ post contractum matrimonium; ita priusquam contrahatur. Quod enim hoc possit post contractum, est propter necessitatem valdè urgentem & propter difficilem recursum, ad aliquem facultate Pontificia instructum secundum ea quæ in Primo casu diximus: Si ergo similis necessitas urgeat, similiterque haberi non possit recursus antequam aliqui contrahant; meritò videri potest quod ex tacita voluntate Pontificis possit Episcopus dispensare. E

SECUNDA, etsi Episcopus in lege Pontificia non possit ordinariè dispensare, hoc tamen potest in necessitate gravissima, ut ex 1. 2. quæst. 97. articul. 4 quæsito 1. colligendum reliquimus. Et Confirmatur, Reservatio qua Pontifex sibi reservat absolutionem alicujus criminis præterquam in mortis articulo, non minoris est efficaciæ quam reservatio dispensationis super impedimento quod jure Pontificio fuit introductum: Sed valdè probabile est Episcopum posse à tali crimine absolvere, quando ob justum impedimentum non potest adiri Pontifex aut Nuntius facultate Pontificia ad absolvendum instructus, juxta Navar. Enchirid. cap. 27. num 89. Henriquez lib. 6. cap. 9. numer. 7. cap. 10. num. 1. cap. 16. num. 1. ne alioquin pœnitens debeat tota vita remanere sine absolutione: ergo probabile quoque est Episcopum posse in casu allegato dispensare.

TERTIA, quamvis simplex votum continentiæ per solum Pontificem possit dispensari; in casu tamen magnæ necessitatis dispensari posse per Episcopum si non sit tutus ad Papam accessus, & magnum urgeat incontinentiæ periculum, significavit Sylvester verbo *Votum* 4. quæst. 4. Navar. cap 12. numero 76. de la Torre 2. 2. quæst. 88. disput. 3. fin. cum alijs per eum citatis: ergo Episcopus etiam dispensare potest in impediment. dirimente, si magna necessitas urgeat, nec adiri possit Pontifex aut alius habens facultatem dispensandi. Ejusmodi autem necessitas videtur esse, si quis morti proximus ad legitimandos liberos, vel ad restaurandum honorem, vel pro bono aut compositione magnæ litis velit matrimonium contrahere; obstet autem impedimentum dirimens, nec possit adiri Pontifex vel ejus Legatus habens potestatem dispensandi. Item, si sponsus aut sponsa mane venit ad Confessionem, & per eam deprehenditur esse inter illos impedimentum dirimens cujus manifestatio esset causa gravis infamiæ; & si non statim procedant ad contractum, alteruter existimabitur fuisse confessus aliquod enorme peccatum, ob quod Parochus nolit vel etiam non possit eos conjungere; jamque amici sunt in diem illum vocati, omniaque ad nuptiale convivium parata. In hoc tamen casu videndum, An Confessarius non posset scandalum & infamiam desponsatorum cavere, jubendo pœnitenti ut voveat castitatem ad unum vel duos menses, ut interea quæratur dispensatio; Pœnitens autem consanguineis & amicis dicat se habere votum castitatis, & propterea Pastorem velle ut expectetur dispensatio: non dicat tamen pœnitens votum suum esse temporaneum, ne per hoc cognoscatur non esse necessariam dispensationem Pontificiam; & sic vrgeatur ad contrahendum non expectata illa dispensatione. Quod si tali medio possit differri matrimonium, sine ullius gravi nota vel infamia, donec recurratur ad Sedem Apostolicam vel Nuntium sufficienti potestate instructum; Episcopus non potest dispensare. Si verò possit quidem evitari infamia & omne dedecus per aliquam dilationem, non possit tamen esse recursus ad Pontificem vel ad eum qui facultatem habeat dispensandi, nec etiam possit matrimonium totaliter impediri sine magno scandalo & dedecore: poterit Episcopus dispensare; & idcireo noverint Confessarij hanc Cautelam.

Circa istos duos casus quædam restant notanda.

PRIMUM, si non est recursus ad Papam facilis, tamen sit aditus ad Legatum potestate dispensandi præditum, Episcopus dispensare non potest, quia propter solam necessitatem conceditur Episcopo in dictis casibus dispensare; cessat autem necessitas quando facilis est recursus ad eum cui Pontifex commisit potestatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca



SECUNDUM, quod supradicta dispensatio in impedimentis occultis solum habet locum in foro conscientiæ: Occulta autem dicuntur quæ non constant publicè, nec periculum est quod constabunt, quodve deducenda sint aliquando ad forum externum.

TERTIUM, quod potestas quæ in hujusmodi casibus tribuitur Episcopis, etiam conveniat legatis Apostolicis in sua provincia; at non Vicarijs generalibus Episcoporum, nisi quando Episcopi (sicut possunt) specialiter eis committerent; neque illis quibus ex privilegio con eduntur casus Episcopales; partim quia dispensationes in istis impedimentis non sunt simpliciter casus Episcopales sed Papales; partim quia non conveniunt ordinariè Episcopis; atque ita non competunt eorum Vicarijs, ex generali commissione Vicariatus; sed ex interpretatione juris conveniunt Episcopis propter necessitatem, & ijs quibus ipsi specialiter commiserint.

TERTIUS casus est, quando post contractum matrimonium supervenit impedimentum affinitatis aut spiritualis cognationis, veluti, si unus carnaliter cognoscat suæ conjugis consanguineam in primo vel secundo gradu, Aut si extra casum necessitatis baptizavit suum filium, vel si cum baptizaretur aut confirmaretur, factus est ejus Patrinus. Cum enim hæc impedimenta etsi secundùm se sint dirimentia, non possint tamen dirimere matrimonium quando superveniunt ei antea contracto, nihilominus cum privant jure petendi debitum, qui scienter illa contraxit: Posse autem Episcopum dispensare ut liceat ei debitum petere, asserunt Rodriguez 1. p. suæ summæ cap. 232. num. 12. Bonacin. p. 15. num 5. Barbosa Alleg. 35. & multi alij quos allegant.

Opinantur quidem nonnulli Episcopum posse istam dispensationem facere quando urget necessitas, neque est recursus ad Pontificem vel ad alium facultate Pontificia instructum. At Pontius li. 8. cap. 13. nu. 9. & ante illum Sanchez li. 8. disp. 12. cum plurimis alijs, absolutè censent Episcopum posse dispensare sive recursus ille haberi possit, sive non, quoniam Episcopi præscripta jam dudum consuetudine acquisierunt jurisdictionem dispensandi, & ita servatur in praxi.

Dixi, *scienter*: quia si maritus ignorabat eam quam cognoscebat, esse consanguineam, non impeditur à petitione debiti, ut ait Rodriquez numero 11.

## QUÆRITUR III.

*Quæ causa requiratur ad dispensandum in impedimentis matrimonij.*

PRo Responsione sit

### Conclusio I.

SI Summus Pontifex sine causa dispensaret in illis impedimentis quæ tantum sunt juris Ecclesiastici, quamvis peccaret, valeret tamen dispensatio: Si autem ipso inferior ex delegatione sibi facta dispensaret in impedimenti Pontifici reservatis, dispensatio esset invalida, secundùm ea quæ diximus 1. 2. qu. 97. art. 4. quæsito 3.

### Conclusio II.

DIVERSÆ causæ possunt occurrere, propter quarum aliquam legitimè possit dispensari.

PRIMA, est extinctio magnæ litis vel discordiæ.

SECUNDA est, quando quis non potest sine gravi incommodo invenire matrimonium se dignum, nisi contrahat cum cognata vel alia de qua petitur dispensatio, ut si deberet oppidum suum deserere.

TERTIA est; quando Puella non invenit dotem competentem, aut si Adolescens non inveniat filiam statui suo respondentem, nisi dispensetur.

QUARTA, est conservatio familiæ illustris intra eundem sanguinem.

QUINTA, conservatio amplissimarum divitiarum intra eandem familiam.

SEXTA, excellentia merita de Ecclesia, sive petentis dispensationem, sive ejus pro quo petitur.

SEPTIMA, ingens pecuniæ summa in opus aliquod pium impendenda.

OCTAVA, infamiæ aut magni scandali evitatio.

NONA, si voti castitatis observatio reddita sit valdè difficilis & periculosa, sive propter occasiones moraliter inevitabiles, sive propter fragilitatem personæ, sive propter scrupulos; aut si dubium sit vel de voto emisso, vel an cum sufficienti deliberatione fuerit emissum.

### Conclusio III.

QUOD facilius ac frequentius dispensetur cum magnatibus, alijsque honestis ac opulentis, quam cum plebeis; id sine personarum acceptione fit: quia multum expedit Ecclesiæ, habere illos sibi faventes; & boni publici interest, divitias conservari in bonis familijs.

### Conclusio IV.

SI ad obtinendam dispensationem adfertur unica causa, eaque falsa; dispensatio est invalida. Idemque judicium est, si plures adferantur, eæque falsæ. Si autem exprimantur plures, quarum nulla per se sufficit, sed simul junctæ faciunt unam sufficientem; si omnes veræ sint, valet dispensatio, si una sit falsa, non valet. At si exprimantur plures; quarum una sola est sufficiens, propter quam scilicet, etiam quando sola est, Pontifex solet dispensare, ideoque meritò præsumitur dispensaturus fuisse, quamvis ea sola fuisset expressa) ea existente vera, etiamsi aliæ non sint veræ, valet dispensario: illa autem existente falsa, dispensatio nullius est roboris, nisi aliquæ aliæ, quæ sufficiunt, sint veræ. Videri possunt Sanchez l. 8. disp. 21. Suarez tom. 1. de relig. cap. 7. Pontius l. 8. c. 17. Bonac. disp. 1. de legibus qu. 2. p. 4.

De reliquis ad dispensationem pertinentibus diximus 1. 2. quæst. 97. art. 4.

QUÆRI-



## QUÆRITUR IV.

*Quantum sit peccatum contrahere matrimonium cum aliquo impedimento.*

RESP. per sequentes Conclusiones.

### Conclusio I.

SCIENTER contrahere matrimonium cum impedimento dirimente, est peccatum mortale: quia est contra leges justas in re gravi. Confer qu. 55. art. 9.

### Conclusio II.

QUI ligatus voto simplici castitatis aut religionis, contrahit matrimonium animo consummandi; peccat mortaliter, Et similiter, qui sponsam cum quâ erant ei sponsalia, deserit, absque legitimâ authoritate, & matrimonium contrahit cum aliâ.

### Conclusio III.

SOLEMNITATEM nuptiarum celebrare illo tempore, quo ab Ecclesia interdicitur, videtur etiam esse peccatum mortale: non autem si matrimonium simpliciter ineatur; quia præcipua intentio Ecclesiæ est, prohibere illam solemnitatem.

### Conclusio IV.

ETIAM videtur peccatum mortale, contrahere non præmissis denunciationibus; nisi per legitimam authoritatem remittantur est enim seria Ecclesiæ prohibitio, renovata sess. 24. Concil. Trid. cap. 1. reformationis.

### Conclusio V.

QUI oneratus est personali interdicto judicis Ecclesiastici, ne contrahat matrimonium; peccat mortaliter, si contrahit. Tale est, quando lite pendente judex utrique parti interdicit, ne vel inter se, vel cum tertia persona, matrimonium ineat, ante litis decisionem. Vide cap. 1. & 3. tit. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

### Conclusio VI.

TEMPORE interdicti localis vel personalis absoluti; licitum est matrimonium absque solemnitatibus initum. Navarr. cap. 27. num. 179. Toletus li. 1. c. 20. Emanuel Sa, verbo, *Interdictum.* Vivaldus tractatu de interdict. Nuptiarum autem benedictio etiam videtur licita, si est generale interdictum loci, & serventur conditiones capituli *Alma mater*, de sententia excommunicationis, in 6. ut scilicet fiat submissâ voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis: quia per illud Cap. permittuntur omnia divina officia, cum tali moderatione. Ledesma hîc & Sanchez li. 7. disp. 8. Extra hos casus contrahere matrimonium cum aliquo impedimento non dirimente, vel peccatum est solùm veniale, vel juxta prius dictam consuetudinẽ, nullum.

In Resp. ad 4. ALTERAM impedimentorum divisionem significat. B. Thomas, ut quædam ex lege naturæ proveniant, cujusmodi sunt, *Error, Conditio, Votum solemne, Cognatio in primo gradu, matrimonium prius*: Alia, ex jure positivo; eoque vel Ecclesiastico, inter fideles: vel civili, inter alios. Igitur

## QUÆRITUR V.

*Quis possit impedimenta matrimonij constituere.*

RESP. quod si rem secundùm se suamve naturam præcisè consideremus, omnes illi possunt constituere impedimenta matrimonij, sive solum impedientia, sive etiam dirimentia, qui absolutam habent potestatem ferendi leges; cujusmodi sunt Reges & absoluti Principes, & Respublicæ liberæ: quia constitutio impedimentorum est lex quædam præscribens modum & conditionem, secundùm quam contractus matrimonialis sit ineundus. Sed quoniam matrimonium præter hoc quod sit contractus, est etiam verum novæ legis Sacramentum; aliquot conclusionibus potest Responsio explicari.

### Conclusio I.

REX aut Princeps infidelis seu Paganus rationabili causa existente potest constituere impedimenta matrimonij respectu suorum subditorum in suo regno degentium: quia potest alijs contractibus præscribere conditiones, quarum defectu reddantur irriti; ergo etiam contractui matrimoniali, cum is apud eos sit merus contractus civilis. Accedit quod penes eos sit potestas illa ordinandi & statuendi quæ pertinent ad bonum commune, & ad tranquillitatem Reipublicæ. Huc spectat illud B. Thomæ in 4. d. 34. ar. 1. ad 4. sive in præsentis ar. resp. ad 4 *ex qualibet istarum legũ* (naturalis, divinæ positivæ, & civilis) *potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima:* itemque illud l. 4. contra Gentes c. 78. quod de matrimonio scribit, *in quantum ordinatur ad bonum publicũ, subjacet ordinationi legis civilis.* Tali autẽ constitutione quã poneret princeps infidelis, non soli infideles obligarentur, sed etiam fideles ejus subditi; ut quamdiu Regi illi subessent, non possent ibi matrimonium inire contra ipsius leges. Sicut enim Christiani sub ejusmodi Regum potestate habitantes tenentur servare alias leges civiles ibi vigentes; ita & hanc.

Ex his sequitur quod si infideles contraxissent matrimonium cum aliquo impedimento juxta suorum Regum leges dirimente, & ad fidem converterentur; vel separandi essent, vel deberent renovare consensum & contractum.

### Conclusio II.

PRINCIPES Christiani habentes in sua ditione Paganos sibi subjectos, possunt ipsis constituere impedimenta matrimonij; partim quia tales eorum subditi non subjiciuntur Ecclesiæ, juxta Apostolum 1. ad Cor. 5. dicentem *quid enim mihi de ijs qui foris sunt judicare?* ac per consequens nec legibus Ecclesiasticis, sed tantum legibus civilibus suorum principum; partim quia illis Principibus Ecclesia nunquam ademit ejusmodi potestatem, respectu subditorum infidelium.

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca



### Conclusio III.

IUDÆI non possunt ullum matrimonij impedimentum statuere: quia non habent veram Rempublicam, nec ullum regem vel principem Judæum sibi dominantem. Princeps tamen fidelis, aut etiam infidelis si habet illos sibi subditos, eadem ratione potest eis impedimenta statuere, qua reliquis suis subditis.

### Conclusio IV.

REGES Christiani non possunt fidelibus suis subditis ullum impedimentum matrimonij constituere; idque, vel quia licet eam facultatem habeant jure potestatis regalis, Ecclesia ipsos ab ejus usu impedit, illam sibi soli reservando: vel quia secularis potestas revera non habet ejusmodi potestatem, neque potest ullam legem statuere ad substantiam matrimonij christianorum directè vel indirectè pertinentem, quæ robur habeat, nisi ab Ecclesia expresè vel tacitè probetur.

Priorem rationem sequitur Bonacinas q.3.p.1. & ante illum Sanchez lib.7. disput.3. cum ijs quòs allegat.

Posteriorem Pontius li.6.c.2. & Hurtado disp. 12.difficult.2. quia licet matrimonium ex se sit cõtractus quidam civilis, subjectus potestati civili: quia tamen Christus instituit ut inter Christianos esset novæ legis Sacramentum; ideo hoc ipso desinit subjici civili potestati, cum ad illam non pertineat de Sacramentis, aut etiam de alijs rebus sacris ordinare quantum ad eorum substantiam.

Sive autem istam sive alteram sequamur rationem, negari non potest dedecere ut matrimonij dispositio (quod per Christum elevatum est ad esse spirituale ac supernaturale; ad civilem potestatem pertineat; & propterea meritò dicitur laicam potestatem, tametsi regiam, inter christianos nihil posse de impedimentis matrimonij statuere.

ET PROBATUR PRIMÒ, ex cap. *Tuam*, de ordine cognit. ubi Honorius 3. affirmat *causam natalium* (ac proinde matrimonialem) *ad forum ecclesiasticum pertinere*. De cap. *De Francia*, ti. de sponsalibus cum Francus quidam accepisset uxorem Saxonem, & postea causaretur quod non accepisset illam juxta leges Franciæ, ideoque ea rejecta duxisset aliam: Synodus Triburiensis nulla habita ratione legis Franciæ quæ erat civilis; definivit illum debere separari à secunda, & redire ad primam. Conformiter Gregorius cap. *Euphemium* 2. q. 3. scribit quod *Matrimonia hodie reguntur jure poli, & non jure fori.*

PROBATUR SECUNDÒ, quia B. Thom. in 4. d. 42. quæst.2.art.2. ad 4. sive hujus Supplem.qu.57. art.2. ad 4. disertis verbis ita scribit; *Prohibitio legis humanæ* (hoc est, laicæ) *non sufficeret ad impedimentũ matrimonij, nisi interveniret authoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit.* Et Sylvester verbo, *Matrimonium* 2.q.1. *leges & statuta laicorum circa matrimonium nullius sunt momenti, quia hæc materia non est de foro seculari, nisi ut in §. sequenti.*

### Conclusio V.

FIDE certum est Ecclesiam, atque adeò Summum Pontificem, qui est Ecclesiæ caput, posse constituere impedimenta matrimonij tam dirimentia, quam solum impedientia pro christianis. Ita enim Conc. Trid. sess.24. can.4. definivit: *Si quis dixerit Ecclesiã non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit.* Sicut etiam can.12. insistens antiquo juri quod extat cap. *multorum* 35.q.6.cap. *Ex litteris* tit.de consanguinit.cap. *Accedentibus* ti. de excessibus prælat. anathemate fecit eos qui dixerint causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos.

Confirmatur, Ecclesia est quædam sacra Respublica, habens jurisdictionem & potestatem legislativam: ergo sicut Respublicæ civiles possunt ponere impedimenta illis contractibus qui ad suum forum pertinent; ita ipsa potest contractui matrimoniali (cum is inter Christianos ad forum Ecclesiæ pertineat) statuere impedimenta.

Modus autem quo Ecclesia possit statuere impedimenta dirimentia matrimonium, & contractum matrimonialem irritare, duplex invenitur.

Primus est, quo contractum mediatè irritet, reddendo personas aliquas inhabiles ad contrahendum.

Secundus est, quo invalidet contractum immediatè, faciendo scilicet ut consensus tali vel tali modo datus non sit sufficiens ad contrahendum, vel ad sic contrahendum. Hoc posteriori modo irritat matrimonium per vim extortum; clandestinum autem utroque modo irritat. Nam de modo priori dicitur in Conc. Trid. quod eos qui clandestine contrahere attentabunt *Sancta Synodus ad sic contrahendũ omnino inhabiles reddit.* Et de posteriori, quod *hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.*

Neque ex his consequens est quod Ecclesia possit mutare materiam Sacramenti matrimonij: quia semper manet eadem materia, scilicet personæ legitimæ ad contrahendum, earumque actus consensum exprimentes, quamvis variari contingat quænam personæ sint legitimæ, & quæ non.

Dixi *pro Christianis*, quia Ecclesia hoc non potest pro paganis similibusque infidelibus; nisi ipsi essent Ecclesiæ vel Pontifici civiliter subjecti, ita scilicet ut Pontifex haberet super illos dominium civile tanquam Dominus temporalis provinciæ in qua degunt: nam neque Ecclesia neque Summus Pontifex habet Jurisdictionem in eos qui non sunt baptizati, nisi fortè obtineat dominium temporale in quibusdam locis ipsorum.

### Conclusio VI.

ETSI Episcopi fortasse possent statuere matrimonij impedimenta pro sua diœcesi, si tantum spectaretur munus & jurisdictio quam habent, de quo diversimodè sentiunt Authores: Nihilominus juxta veterem consuetudinem usu receptam, hoc non possunt; quia Pontifici, Concilioque generali reservatam esse illam potestatem communiter docent Doctores.

### Conclusio VII.

DICENDUM videtur quod per consuetudinem abrogari possint aliqua impedimenta, matrimonij & alia induci, si ea omnia concurrunt quæ necessaria sunt ad abolendam unam legem, & ad inducendam aliam, secundùm ea quæ docentur 1.2.q.97.art.3.

Quod in Respons.ad 7.ait, *Si impedimentorũ aliquod matrimonio ritè facto superveniat, matrimonium solvere non valet*; qu.54. ar.4. ad 6. ita repetit, *Nullum impedimentum matrimonio superveniens, ipsum potest dirimere*: ac rursum qu.55.ar.6.qu.56. art.1. ad 2. qu. 59. ait 3. ad 1.



## QUÆSTIO LI.

## *De impedimento erroris.*

### Articulus I.

ART. 1. docet *Errorem* convenienter poni impedimentum matrimonij: quia impedit consensum, qui est causa efficiens matrimonij; quod autem ex natura sua impedit causam, impedit etiam effectum.

Confirmatur, Consensus debet esse voluntarius: sed error impedit voluntarium, ergo & consensum. Unde sequitur quod error de jure naturali habeat, quod matrimonium irritet: contrariatur enim illi quantum ad suam causam.

Circa Responsionem ad tertium, adverte differentiam inter contrahentes matrimonium, & conferentes Sacramenta: Matrimonium enim est contractus, & quidem talis qui non solum est inter personas, sed etiam de personis certis & determinatis, quæ seipsas hinc inde tradunt: A proinde, sicut in alijs contractibus tradi debet illa ipsa res de qua est conventum; ita in matrimonio tradi debent illæ personæ de quibus contrahitur; alioquin contractus est nullus. Alia autem Sacramenta neque sunt contractus, neque qui ea confert, habet intentionem ad personam Petri vel Pauli determinatè, cum exclusione aliarum, sed ad personam præsentem. Ac proinde, si putans baptizare Petrum, baptizet Joannem, Joannes est verè baptizatus. Et similiter si in matrimonio solùm esset error in parocho, qui putans eos quos conjungit esse Petrum & Mariam, jungeret alios; matrimonium valeret; quia intendit conjungere personas præsentes, sibi mutuò fidem dantes: si autem ipsi contrahentes, vel unus eorum erraret in persona; irritum esset matrimonium, quia non traderetur ei persona illa, de qua sola contrahit; & sic erraretur contra substantiam contractus.

Pro RESP. AD 4. dicendum est inter Jacob & Liam non fuisse matrimonium, quando Jacob illam sibi pro Rachele suppositam cognovit carnaliter Genes.29. quia erat ex ejus parte error personæ, deerat que propterea consensus in illam, qui consensus demum post errorem detectum, accessit atque ita tunc verum fuit matrimonium illorum, & non antea. Idem autem Jacob non agnovit Liam sibi pro Rachele suppositam; quia sponsæ olim ducebantur ad thorum nuptialem nuptiæ, id est, velatæ; unde & nuptias à nubendo seu velando esse vocatas diximus qu.41.

*Jacob cum Lia non peccavit.*

In quo facto nihil peccavit Jacob, quia bona fide putabat se ad Rachelem, legitimam uxorem suam accedere, nec habebat causam suspicandi, quod alia ipsi obtruderetur: Lia verò non erat excusanda; cum bene sciret Jacob non suum, sed sororis suæ esse maritum, sicque & injuriam faciebat Racheli, & adulterium committebat a cedendo ad maritum non suum. Dicit tamen B. Thomas, quod etiam Lia excusatur à peccato; quia mimirum existimaverit quod lege primogenitarum munita, & paternis imperijs constricta jure posset copulari cum Jacob: At hæc nullius sunt roboris; cum carnalis copula jure naturæ sit extra matrimonium illicita, nec illa copula posset facere matrimonium cum eo qui neque expressum neque tacitum dabat consensum. Nec B. Thomas dicit vel Liam esse excusandam, vel se illam excusare; sed ait quod excusetur, scilicet à Magistro sentent.

Si quis objiciat benedictionem Isaac errantis in persona, fuisse validam: Respondeti potest intentionem ejus fuisse, benedicere filium præsentem, non satis discernendo an is esset Jacob, an Esau; atque ita non erat error personæ, quandoquidem præsens erat ejus filius. Potest etiam cum Augustino lib.16.de civitate cap.37. & Theodoreto q.79. in Genesim dici, benedictionem ab initio invalidam propter errorem personæ, validum postea fuisse ob ratificationem, quam divina voluntate intellecta, fecit Isaac.

### Articulus II.

*Error in matrim. quadruplex.*

ART. 2. docet non omnem errorem impedire matrimonium: est enim circa matrimonium *quadruplex error*, scilicet, *Personæ, conditionis, qualitatis & fortunæ.*

*Error personæ*, est falsum mentis judicium, quo aliqua persona putatur esse illa quæ non est; non quidem quod sit error in nomine, sed in persona nominata, ut si putetur esse Petrus, & sit alius.

*Error Conditionis*, servilis scilicet, & quo quis creditur esse liber, cùm sit servus, aut contra de hac agetur qu. sequent.

*Error Qualitatis* est; quo persona putatur habere qualitatem quam non habet: ut si creditur catholica, sobria, frugalis; integra corpore; & non sit.

*Error fortunæ* est, quo erratur circa possessiones & bona externa: ut si existimetur dives, qui est pauper.

Ex his Error Personæ semper dirimit matrimonium, Error Conditionis aliquando; error Qualitatis, aut Fortunæ, nunquam, nisi redundet in errorem personæ, tunc autem dirimit, non quia error qualitatis aut fortunæ, sed quia error personæ.

*Error personæ & conditionis ut matrim. dirimat.*

Horum ratio est, quia error Personæ, & interdum error Conditionis servilis, est error eorum quæ sunt de essentia matrimonij, scilicet personarum, & mutuæ potestatis ipsarum in se invicem: error autem qualitatis & fortunæ, est circa accidentia matrimonij.

*Ob.*

SED CAS, commune esse errori quod faciat involuntarium: *Resp.* errores qualitatis & fortunæ facere involuntarium circa id quod matrimonio est per accidens, sed relinquere voluntarium circa contractum, secundùm sua essentialia consideratum: Alij autem errores, faciunt involuntarium circa id quod est de natura contractus, & propterea tollunt consensum ipsi contractui ineundo necessarium.

*Ob.*

DICES, qui ficta paupertate accepit eleëmosynas, cum non haberet sufficientem causam mendicandi, non acquirit earum dominium: ergo nec ille acquirit potestatem in corpus alterius, qui ficta aliqua qualitate induxit eam ad consensum.

*Resp.*

Quidam negant antecedens, sed quia probabilius conceditur, cum Navarr. Enchir ca.17.num. 107.& cum alijs de quibus 2.2.qu.66. ar.2. quæsito 5. ad concl. 4.

RESP. rationem diversitatis esse, quod ille error in eleëmosyna, est circa ejus substantiam, directa enim causa eam tribuendi, est paupertas ejus cui tribuitur: At error qualitatis in matrimonio non versatur circa ejus substantiam, sed solùm circa aliquid accidentale.

Nec

Universidad de Deusto
Biblioteca



Nec obstat irritum esse matrimonium, si quis consentiat in aliquam, modò sit dives, si illa non sit dives: quia quod sit irritum, non est propter errorem fortunæ, sed propter conditionem modo conditionis appositam, quæ non subsistit: juxta ea quæ diximus q.43. art. 1.

In Resp. ad 1. docet errorem impedire matrimonium, non secundùm se seu ex natura generis, in quantum scilicet est error (sic enim omnis error deberet impedire:) sed ex natura differentiæ adjunctæ, prout scilicet est error alicujus eorum quæ sunt de essentia matrimonij; cujusmodi est error personæ, ac etiam error conditionis servilis. Consentanea sunt hæc ijs quæ art. 1. in fin. corp. leguntur, errorem personæ ex jure naturali dirimere matrimonium: Cui juri cum non solum fideles subjiciantur, sed etiam infideles; consequens est matrimonium inter infideles, cum isto errore contractum, esse invalidum.

*Quid sit redundare in errorem personæ.*

Circa Responsionem ad quintum observandum est, errorem qualitatis aut fortunæ tunc redundare in errorem personæ, quando consensus errantis directè fertur in personam illam cui talis qualitas adhæret, & tamen offertur ei persona illa cui ista qualitas non inest: ut si fertur in personam quæ sit vel primogenita, vel filius Regis; & offertur ei is qui tales qualitates non habet. Quando autem directè fertur in personam præsentem; cum eo tamen errore quod existimetur esse filius Regis, aut primogenitus, solùm est error qualitatis. Cæterum, si error qualitatis redundet quidem in personam; sed tunc quando contractus matrimonialis est ineundus, mulier absolutè consentit in eam personam quæ præsens offertur, matrimonium est validum: quia in ipso opere contractus nullus error personæ intervenit, neque error qualitatis tunc afficit personam. Navar. ca. 22. nu. 32.

Ex his satis constat matrimonium quod contrahitur cum errore personæ vel conditionis servilis antecedente, esse invalidum: sed Quæstio manet de illo, quod contraheretur cum errore comitante: veluti si quis contrahat cum Barbara quam putat esse Catharinam, ita tamen affectus & dispositus, ut si sciret esse Barbaram, nihilominus æquè lubenter aut etiam libentius cum ea contraheret. Aut si contraheret cum serva nesciens esse servam, sed ita animo affectus, ut si sciret esse servam, eo non obstante contraheret cum illa.

Resp. ejusmodi matrimonia fore invalida, quia non contrahuntur cum voluntate & consensu in eam personam quæ ipsi offertur: quamvis enim error comitans non faciat actum esse involuntarium positivè, facit tamen non voluntarium, secundùm ea quæ dicit B. Thom. 1. 2. q. 6. ar. 8. hoc est, facit ut contractus qui nunc contrahitur non sit actu præsente volitus respectu personæ in qua erratur; ad matrimonij autem valorem oportet contractum sic esse volitum. Ita sentiunt Sanchez lib. 2. disp. 40. & li. 7. disp. 18. & Bonacinas q. 3. p. 2. & 3. & alij plures quos allegant & sequuntur. Imo quamvis contrahens cum Barbara quam putat esse Catharinam, diceret; contraherem cum Barbara si nossem hanc esse Barbaram, non valeret matrimonium; quia per hoc non consentit in Barbaram, sed tantum ostendit quid facturus esset si nosset esse Barbaram.

## QUÆSTIO LII.

### *De impedimento conditionis.*

#### Articulus I.

*Quid hic conditio.*

Art. 1. docet conditionem servitutis ignoratam impedire matrimonium.

Conditio igitur hic non intelligitur ea quæ modificat & suspendit contractum: Aut quæ facit orationem esse conditionatam, de qua dictum est q. 43. sed intelligitur conditio servitutis, secundùm quam aliqui homines dicuntur esse servi sive mancipia. Et qui isto modo servi sunt, verè sunt in potestate dominorum, tanquam eorum possessio.

Hujus conditionis error potest in contrahendo matrimonio, quadrifariam accidere.

*Primo*, ut persona libera existimet eam cum qua contrahit, esse etiam liberam, & tamen est serva.

*Secundò*, ut quæ libera est, aliam putet servam; quæ tamen est libera,

*Tertiò*, ut quæ serva est, putet eam liberam quæ est etiam serva.

*Quartò*, ut serva putet eam esse servam, quæ est libera.

*Quæst.* Ex his modis *solus primus* dirimit matrimonium 29. q. 2. cap. *Si quis ingenuam*, & cap. *si fœmina*, & de conjugio servorum, cap. *Ad nostram*. Ratio est, quia talis error est alicujus eorum quæ sunt de essentia matrimonij, & ideo tollit consensum. Nam liber existimat eam, cum qua contrahit, posse potestatem sui corporis perfectè transferre in ipsum; quod tamen non potest; traditio autem potestatis corporis est de essentia matrimonij. Cùm ergo tradat ei plenè & perfectè potestatem sui corporis, & officia conjugalia; ut vicissim plenam & perfectam accipiat potestatem corporis illius: sicut hanc non accipit, cum al er dare non possit, ita nec validè tradit potestatem in suum.

*Qualiter error condi-tionis dirimit matrim.*

In alijs autem modis idem non accidit. In secundo quidem & quarto, quia error melioris conditionis quam is requirit, non tollit consensum, hîc ad 5. In tertio, quia cùm in matrimonio sit hinc inde æqualis obligatio ad præstanda officia conjugalia, neuter potest in altero requirere majorem obligationem, quam possit ipsemet præstare, hîc ad 1.

Si autem liber contrahat cum serva, sciens esse servam, propterea valet matrimonium, quia unusquisque potest cedere juri suo, quantum placet, hîc in corpore, & ad quartum. Quod si liber contrahat cum serva, credens eam esse liberam; sed ita affectus, ut vellet eam ducere, etiamsi sciret esse servam: matrimonium non fore validum diximus q. præced. art. 2. quia deest præsens consensus.

*Quæst.* Petes, quid si postquam liber per errorem duxit servam, vel ea manumittatur, vel eam servitute agnita, velit ipse retinere: *Resp.* esse opus novo consensu, juxta ea quæ diximus q. 45. ar. 2. qui si (ut fieri potest) interveniat, verum erit matrimonium.

*Condi-tio ser-vilis non semper impedit matrim.*

In Responsione ad 1. docet posse esse matrimonia inter servos & servas, imo etiam inter servos & liberas, si persona quæ libera est novit alterius servitutem; quia servitus non impedit matrimonium nisi quando est ignorata, hoc est, quando persona libera ignorat servitutem ejus, quæ cum ea cótrahit.

In Responsione ad tertium observa, hæc verba: *Jure positivo determinante factũ est quod servitus ignorata matrimoniũ impediat*; intelligi posse de jure positivo, statuente ut *solum* servitus ignorata dirimat matrimonium, non autem ea quæ à contrahente scitur: Nam quod servitus ignorata matrimonium dirimat jure naturali; probabile sit ex corpore hujus articuli, collato cum responsione ad primum & quartum; & ex art. 2. q. 51. in corp. & ad 1. & ad 4.

Quod in responsione ad 4. dicitur de impotentia cognita, q. 58. ar. 1. examinabitur.



#### Articulus II.

### *Virùm servus possit contrahere matrimonium sine consensu Domini.*

Videtur quod non, Primò, quia servus est domini: si ergo tradat corporis sui potestatem conjugi, aufert alienum invito domino.

Secundò, matrimonia servorum tunc sunt valida, si fuerit legalis conjunctio, & per voluntatem dominorum: ut ex Concilio Cabilonensi 2. dicitur 29. q. 2 cap. *Dictum est*: ergo sine voluntate domini contracta, sunt invalida.

*Dominus non potest impedire matrim. servorũ.*

Tertiò, Basilius ad Amphilochium can. 40. dicit eam fornicari, quæ præter sui domini sententiam nupsit.

Resp. Servos tùm validè, tum licitè posse inire conjugia absque consensu dominorum: idque sive cum liberis, sive cum servis: ut patet ex cap. *Dignum*, tit. de conjugio servorum, ubi Pontifex respondet quod *nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi: & si contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda.*

Confirmatur, cùm enim servitus sit jure humano introducta, non decuit per eam auferri id quod est juris naturalis: Atqui juris naturalis est, quod homo possit disponere de seipso circa naturalia, cujusmodi est usus matrimonij; ergo.

Ad 1. Arg. Resp. quod servus solùm est domini quantum ad civilia obsequia: quantum autem ad naturalia, cujusmodi est matrimonium, est sui juris.

Ad 2. & 3. Resp. Ecclesiam aliquamdiu tolerasse leges civiles matrimonia servorum, absque consensu dominorum contracta, irritantes; præsertim locis illis ubi difficilè erat introducere contrarias: & secundùm hæc, loquuntur Concilium Cabilonénse, & Basilius, si tamen opus illud est Basilij.

Circa Responsionem ad 3. observandum est, quod si servus contraxerit matrimonium ignorante, vel contradicente domino; potius debeat obedire domino, quam uxori debitum reddere, si utrumque non possit: quia dominus non potest fraudari obsequijs jure sibi debitis. Attentis tamen periculis & damnis utriusque partis; illi est acquiescendum, cui timetur majus damnum. Si verò contraxerit domino consentiente; potius debet uxori satisfacere: quia cùm dominus consensit in matrimonium, virtualiter concessit facultatem liberè utendi matrimonio.

Circa Responsionem ad 4. observandum est quod citra magnam necessitatem, non liceat domino servum, etiam illum qui contra ejus voluntatem contraxit, vendere in longinquas regiones abducendum, quò uxor non possit commodè sequi: quia non licet ei onera conjugij facere graviora. Si autem urgeret magna necessitas, nec eum posset in terram propinquam vendere justo pretio; posset vendere in remotam: nisi charitas in uxorem aliud ob circumstantias postularet.

In Respons. ad 5. observa servum posse absque consensu domini vovere continentiam, non autem ordines suscipere aut religionem intrare: quia per hæc præjudicaret domino in obsequijs civilibus; non præjudicat autem per votum continentiæ.

#### Articulus III.

*Servitus potest matrimonio superve-nire.*

Art. 3. docet servitutem posse supervenire matrimonio, ita ut per eam non dirimatur: quia vir subditur uxori solùm in ijs quæ pertinent ad actum naturæ; ad quem prohibendum servitus se non extendit, cap. *Per latum* 29 q. 2.

Quapropter si justa causa subsit, potest vir se in servitutem dare, quamvis uxor repugnet: sed nihilominus manebit obligatus ad officia conjugalia, etiam nolente domino uxori præstanda. Uxor autem non similiter potest se in servam nolente marito, tradere: quia vir est caput mulieris, quantum ad dispensationem domus & similia.

Si verò justa causa non subsit; maritus non potest se servituti subjicere, invita uxore: quod si faciat, potest illa propter hanc separationem, quam maritus ab ea facit, petere divortium. Quod si alteruter in servitutem redigatur sine sua culpa? non licet alteri petere divortium, sed debet operam dare liberationi conjugis.

#### Articulus IV.

*Filius sequitur conditionem matris.*

Art. 4. docet filios sequi conditionem matris, quantum ad hoc quod est, esse servum aut liberum; ita ut sint servilis conditionis, si patre libero, mater erat serva; liberæ, si patre servo mater erat libera; statuerunt enim leges civiles, ut partus sequatur uterum, conformiter ei quod à philosophis dicitur: Receptum est in recipiente per modum recipientis. Ita etiam declaravit Pontifex cap. Unico, De natis ex libero ventre. Ubi tamen est consuetudo, ut sequantur conditionem patris; ea servanda est, cap. *Licet*, De conjugio servorum, & cap. *Si quis* l. 2. initit. juris can. Et similiter, ubi solent sequi deteriorem conditionem indistinctè, sive patris, sive matris: quamquam hæc posterior non nitatur magna æquitate.

*Tsonem matris.*

Circa respons. ad 1. collatam cum respons. ad 4. observa quod quia pater est nobilius principium, quam mater; ideo quoad honores & nobilitatem filius sequitur patrem, & non matrem lege 19. li. 1. digest. tit. 5. Sed quia mater dat substantiam materialem ex parte cujus attenditur servitus: Ideo servitutis conditio sequitur matrem.

*Quæst.* Quæritur autè potest, An filius ita sequatur conditionem matris, vel ad hoc quod ipse sit servus, sufficiat eam fuisse servam quocumque tempore.

*Resp.* Resp. non sufficere: Quando enim mater fuit libera tempore quo filium concepit, vel quo illum peperit, vel tempore intermedio, quamvis antea fuerit serva, filius non est servus, sed liber, quemadmodum lib. 1. instit. civilium tit. de ingenuis sancitum est, nisi fortè mater gravida fieret serva jure belli, tunc enim etiam fœtus fieret servus.

*Quæst.* Sed quid si mater dum concepit & gravida est, seipsam venderet in servam: An fœtus postea genitus esset etiam servus?

Universidad de Deusto
Biblioteca



Resp. RESP. non futurum; tum quia conceptionis tempore mater erat libera; tum quia non potuit vendere suum fœtum, cum is necdum esset in potestate matris.

SI DICAS, qui emit matrem, etiam emere fœtum in ejus utero existentem.

RESP. ita quidem esse, quando emitur mater quæ ante conceptionem erat serva, non verò quando emitur ea qui libera erat.

## QUÆSTIO LIII.

*De impedimento voti & ordinis.*

### ARTICULUS I.

ART. 1. docet per obligationem voti simplicis non dirimi matrimonium: quia votum simplex impedit quidem matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum: est enim simplex promissio corporis ad continentiam; promissio autem alicujus rei, non transfert eam in dominium ejus cui promittitur, sed relinquit illam in potestate promittentis; ac proinde fieri potest, ut eam alteri tradat. Confirmari potest hæc doctrina ex Alexandri 3. cap. *Meminimus*, & cap. *Consuluit* lib. 4. decret. tit. & ex Innocentio primo, 27. q. 1. cap. *Ha vero*. Circa Responsionem ad Tertium & Quartum, observandæ sunt sequentes conclusiones.

### CONCLUSIO I.

ORDINARIE peccat mortaliter is qui post votum simplex continentiæ, contrahit matrimonium: quia ordinarium est quod contrahentes habeant voluntatem consummandi.

Si quis autem voto simplici obstrictus, contraheret animo transeundi ad religionem ante consummationem; non peccaret quidem contra suum votum; sed tamen nisi haberet justam causam id faciendi, peccaret, tum decipiendo sponsam, tum ei nocendo; quippe quæ non tam facilè alteri nubet, ob suspicionem vel copulæ, vel alicujus quod in ea sponso displicuerit. Ita Dominicus dist. 38. qu. 2. ar. 1. & Nav. c. 16. num. 30.

Dixi, *Nisi haberet justam causam*: si enim rationabilis aliqua causa subsit, non est illicitum habenti votum continentiæ, matrimonium contrahere animo non consummandi illud, sed ingrediendi religionem.

### CONCLUSIO II.

QUI post votum simplex continentiæ contraxit matrimonium, juxta B. Thom. hîc ad 3. non potest sine peccato mortali illud consummare, ne quidem reddendo debitum; nisi prius tentet ea media, quibus possit votum suum observare. Nam per consummationem facit contra votum, & reddit se impotentem ad illud deinceps observandum: antea verò sunt ei aliquot modi possibiles ad non violandum votum; ut si dispensationem obtineat; si alteri conjugi persuadeat vel continentiam vovere, vel cedere juri petendi debitum: aut si alter jus petendi amiserit ante consummationem matrimonij. Quando nihil est istorum, si is qui voverat, est ad religionem idoneus, tenetur eam ingredi ad præstandum quod promisit: quia non superest ei alia via. Ita post Sylvest. Nav. c. 12. num. 80. etsi Sanchez lib. 9. disp. 34. oppositum sentiat cum pluribus alijs, allegans inter cæteros Emanuëlem Sa; qui tamen post correctionem Romanam, nostram habet sententiam. Si verò non est idoneus ad religionem, & satis certum est eum in nullo monasterio esse recipiendum; non licet quidem ei matrimonium consummare, debitum exigendo, eò quod votum servare debeat quantum potest; non peccabit tamen, ne quidem prima vice, si rogatus consummet: quia ad hoc tenetur, cùm non possit modis prædictis servare continentiam.

SI DICAS observationem voti esse factam impossibilem ei qui matrimonium contraxit, etiam si sit idoneus ad religionem: eò quod illud censeatur impossibile alicui, quod non potest facere per media ordinaria; status autem religionis non est medium ordinarium ad observationem voti simplicis. *Ob.*

RESP. negando assumptum: quia illud est possibile, quod per media hominibus possibilia, & inter eos usitata, fieri potest: tale autem medium est status religionis; ac proinde satis ordinarium. *Resp.*

Nec obstat illum statum esse supernaturalem: nam & supernaturalis est christiana voti simplicis observatio ut quæ non ex naturæ viribus expectanda sit, sed ex gratia Christi. *Ob.* *Resp.*

Non obstat etiam quod statum illum non voverit: quia satis est voviſse id, quod aliter servare non possit. *Alia ob.* *Resp.*

### CONCLUSIO III.

QUI post votum simplex consummavit matrimonium, absque dispensatione: sive bene fecerit, sive malè, non peccabit deinceps reddendo debitum: peccaret tamen petendo.

PRIUS probatur, quia post consummationem matrimonij, est obligatus ad reddendum debitum, idque sive petatur formaliter, sive interpretativè.

POSTERIUS, quia adhuc tenetur servare votum quantum potest; potest autem non petere debitum: Nam ex matrimonij vinculo non obligatur ad debitum petendum: ergo non potest petere debitum sine peccato. Ita B. Thom. hîc ad 4. addens quod mortua uxore tenetur totaliter continere.

### CONCLUSIO IV.

SI uterque conjugum voverat continentiam ante matrimonium; neuter potest absque peccato mortali exigere debitum; uterque tamen potest reddere absque peccato. Quamvis enim peccet is qui exigit, peccato tamen illius non cooperatur, qui reddit; quia peccatum est ex circumstantia, solum se tenente ex parte exigentis, & non ex parte actus; alter autem facit id ad quod tenetur lege justitiæ.

### CONCLUSIO V.

SI post contractum matrimonium unus alio non consentiente voveat continentiam; peccat mortaliter; votum tamen est validum, ac propterea nunquam ei licet debitum exigere, vel novum matrimonium attentare: licet tamen debitum reddere; quia non potuit se obligare ad non solvendum id quod jure est alteri debitum, sed solum ad id quod est in sua potestate.

Si autem non obstante voto exigat, alter quidem potest ei reddere, non tamen tenetur; juxta S. Thomam quæst. 61. art. 3. ad 3. quia vovens videtur per votum renunciasse juri quod habebat ad petendum.



### CONCLUSIO VI.

SI unus conjugum alio consentiente voveat continentiam; nec is qui vovit, potest petere debitum; quia hoc esset agere contra votum: nec is qui consensit, potest ei (si fortè petierit) reddere; quia consentiret ejus peccato: posse tamen eum qui consensit, petere debitum ab altero, docent Lopez p. 1. c. 46. Roderiquez p. 2. cap. 92. nu. 5. & Sa, verbo, *debitum conjugale*. Quæ quidem sententia etsi propter eorum aliorumque authoritatem non sit improbabilis, probabilius tamen est quod nó possit petere. Hoc ipso enim quo vel consensit, vel potestatem fecit alteri ut voveret continentiam, omnino videtur feciſse etiam illi potestatem servandi suum votum (nisi aliud expresserit) atque ita renuntiasse suo juri quod habebat ad petendum. Et confirmatur. Quare enim alioquin requisiviſſet consensum sui conjugis, nisi ut habito ejus consensu, posset bona ejus venia votum suum servare.

### CONCLUSIO VII.

QUANDO ambo conjuges ex mutuo consensu voverunt continentiam; neuter potest petere debitum, nec alteri petenti potest reddere: quoniam per mutuum consensum uterque renuntiavit juri quod habebat, tum ad petendum, tum ad hoc quod alter deberet ei reddere, quemadmodum tradit Roderiquez: id quod Lopez & alij quidam volunt habere tantum veritatem si ambo simul per modum contractus voverint, scilicet voveo ut voveas, non verò, si uterque voverit de alterius quidē consensu, sed independenter ab alterius voto. Roderiquez tamen non distinguit, nec credo esse distinguendum, quandoquidem maritus consentiens ut sua uxor voveat continentiam, eo ipso consentiat quod eam servet, ac per consequens quod non teneatur debitum conjugale ipsi reddere; idemque sit judicium de uxore consentiente in votum continentiæ sui mariti. Cæterum quia in his & similibus casibus non rarò periculum est vel incontinentiæ, vel fractionis voti: ideo frequenter securius est petere dispensationem: de qua sit dictionem præbet, cap. *Cum contingat* de foro competet. obtentum est hanc dispensationem esse Episcoporum. Confer eundem num. 6. & observa probabilius videri Episcopum non posse (si aditus sit facilis ad Pontificem) dispensare in casu secundæ concl. quando persona est ad religionem idonea, & potest, si velit, eam ingredi, atque ita votum servare: si enim vovisset religionem & postea matrimonium contraxisset, non posset Episcopus cum ea dispensare ante matrimonij consummationem, eò quod votum religionis sit reservatum Pontifici & possit observari: Simile autem est in proposito.

### CONCLUSIO VIII.

IN casibus jam dictis Episcopus potest dispensare cum conjugatis ad reddendum ac petendum debitum, si est periculum incontinentiæ, nec ad Summum Pontificem vel ad Nuntium instructum facultate dispensandi, facilis patet recursus, præ paupertate, vel loci distantia, vel periculo itineris aut ex alia causa. Idemque judicium est, si adiri quidem potest Pontifex, sed magnum est incontinentiæ periculum in mora, juxta Sanchez l. 8. disp. 9. num. 22.

### CONCLUSIO IX.

IN casibus secundæ, tertiæ, & quartæ conclusionis probabile est Episcopum posse dispensare ad petendum debitum, etiamsi facilis esset recursus ad Pontificem: quoniam (ut ratiocinatur Sanchez disp. 12. numer. 4.) licet attento jure hæc dispensatio sit solius Pontificis; At consuetudine quæ juris-

### CONCLUSIO X.

IN casu concluſ. quintæ, si conjux emisit illud votum ante matrimonij consummationnm, animo ad religionem transeundi; solius est Pontificis dispensare; quia ejusmodi votum valet ut votum omnimodæ continentiæ: post consummationem tamen potest Episcopus dispensare ad petendum debitum, quia conjux non potest jam ingredi religionem: Et quia debet suæ comparti cohabitare, versabitur in magno incontinentiæ periculo, si nunquam possit debitum petere. Idem posse Episcopum, si votum sit emissum, nihil cogitando de religione; probabiliter tradit Sanchez disp. 11. nu. 4. ac etiam si emissum sit postquam matrimonium est consummatum.

### CONCLUSIO XI.

IN casu sextæ concluſ. non potest Episcopus dispensare etiam ad petendum debitum, si votum ita ut ponitur factum fuit antequam consummarent matrimonium, cum intentione religionem ingrediendi: Si verò factum sit vel ante consummationem sine ista intentione, vel postquam matrimonium erat consummatum; quidam probabiliter dicunt Episcopum posse dispensare: sed oppositum nobis videtur probabilius; quia videtur fuisse votum omnimodæ continentiæ, cum habito compartis consensu voverit, sicque nec compars possit petere debitum, neque ipse possit reddere, multò minus petere.

### CONCLUSIO XII.

IN casu septimæ concluſ. similiter censemus Episcopum non posse cum talibus conjugatis dispensare, ut vel petant, vel reddant debitum, nisi quando esset incontinentiæ periculum, nec facilis esset aditus ad Romanum Pontificem: quia illicitus est utrique usus conjugij, & est votum omnimodæ castitatis. Vide Emanuël Sa, post correctionem Romæ factam. Atque hæc de voto castitatis conjugatorum.

Si quis autem illorum habeat votum aut ingrediendi religionem, aut suscipiendi sacros ordines; potest (postquam matrimonium semel fuerit consummatum) debitum petere; juxta Navarrum cap. 12. num. 80. quia hoc non est tunc contra votum, quando ei non licet vel religionem ingredi, vel ordines suscipere. Ante consummationem verò, probabile est quod teneatur ingredi religionem, in qua possit ordines suscipere; quia hoc solum ei restat medium adimplendi voti; nisi vel uxor causam divortij dederit, vel consentiat in susceptionem ordinum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



PETES, Quid faciet conjux quæ vovit nunquam petere debitum? De tali voto pauca scribimus.q.64.ar.4.ad 3.

Ad quæstionem verò, ex B. Thoma quodl.3.ar. 18. RESP. quod talis non peccet reddendo, quia hoc est necessitatis, peccat autem exigendo, quia hoc est voluntatis. Confirmari potest per cap. *Quidam*, & cap. *placet*, tit. de conversione conjugatorum, ubi Pontifices dicunt conjugem, qui promisit non petere debitum, obligari, quia hoc in ejus potestate erat. Confer B. Thomam in 4. dist. 38. q.1. ar.3. quæstiunc.2.ad 4.

Sciendum est autem, quod Greg 13. in Bulla quæ incipit *Ascendente domino*, declaravit tria vota religionis substantialia, in Societate, post biennium probationis emissa, matrimonium dirimere, etiamsi sint simplicia; quamdiu qui sic voverunt, non dimittuntur. Ac propterea, quod B. Thomas hoc articulo dixit; intelligendum est de voto simplici, sive secundùm suam naturam, sive secundùm jus commune considerato.

## ARTICULUS II.

*Virùm votum solemne dirimat matrimonium jam contractum?*

VIDETUR quod non, PRIMÒ, quia Apostolus vult juniores viduas nubere, etiam illas quæ voverant, 1. Tim. 5. præsertim, si se non continent, 1.ad Cor.7.

SECUNDÒ, Cyprianus epist. 62. de virginibus professis ita loquitur, *Quod si ex fide se Christo dicaverunt: pudicè & castè sine ulla fabula perseverent: ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent: Si autem perseverare nolunt vel non possunt; melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant.*

TERTIÒ, Auguſt. lib. de bono viduitatis cap. 9. & 10. loquens de matrimonijs earum quæ voverant: *Qui dicunt*, ait, *talium nuptias nō esse nuptias, sed adulteria; non mihi videntur satis accurate considerare quid dicant.*

Narrat quoque S. Hieronymus B. Malchum duxisse uxorem, cum esset Monachus.

DENIQUE propensio ad matrimonium est naturalis; ergo votum continentiæ non potest eam perpetuò impedire.

*Resp. affir. est fidei.*

RESPONSIO ad fidem pertinens, declarata in Conc. Trid. sess. 24. can. 9. est, votum solemne castitatis dirimere matrimonium ab ijs contractū qui tale votum emiserunt. Quæ doctrina quod ex Apostolica traditione descendat, probari potest per regulam Augustini: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Nam quod votum castitatis solemne dirimat matrimonium, non invenitur vel à Pontifice, vel à Concilio aliquo institutum, sed semper in Ecclesia fuisse observatum. Unde Siricius, qui vixit circa annum 389. epistolæ 1. ca 6 religiosos qui matrimonia contraxerant, jubet excommunicari, & in ergastulis tota vita pœnitentiam agere: addens quod *ejusmodi nuptias publicæ leges & Ecclesiastica jura condemnant.*

Innocentius 1. epistolæ 2. ca. 12. & 13. distinguens inter votum simplex & solemne, vult aliquanti temporis pœnitentiam injungi illis, quæ necdum velatæ, habentes tamen votum, nubere audent: Velatas autem (id est professas) dicit non posse admitti ad pœnitentiam, donec is cui se junxerant, à mundo recesserit.

Alexandri 3. decreta videri possunt li. 4. decret. tit. 6. c. 3. 4. 5. Conc. Calchedon. can. 14. & 15. Turonensis secundi ca. 11. Carthag. 4. can. ult. Extant etiam sententiæ Patrum. Ambr. ad virginem lapsam c. 5. Chrysostomi epist. 6. ad Theodorum, Cypriani epistola 62. Gregorij lib. 1. epistola 40. & aliorum.

Confirmatur, Homo per votum solemne amisit potestatem sui corporis, Deo illud tradens ad perpetuam continentiam: ergo non potest ipsum tradere uxori, per matrimonium; quia donatio rei alienæ non subsistit.

Præterea, votum solemne est spirituale quoddam matrimonium hominis cum Deo, per quod scilicet, excellentiori modo quam alij fideles, Deo conjungitur & desponsatur, seipsum totum illi tradens: sed matrimonium hominis cum homine dirimit aliud matrimonium, ergo similiter votum solemne.

AD 1. ARG. RESP. Apostolum loqui uno loco de viduis nullo voto astrictis; alio, indifferenter de omnibus adhuc liberis; quorum infirmitati cedens, ostendit nuptias non esse eis illicitas. Sunt enim verba, non jubentis, sed permittentis.

AD 2. Cyprianus verbis posterioribus non loquitur de virginibus quæ votum aliquod emiserant, sed de liberis, quasi diceret: Si quæ verò nolint vel non possint perseverare in virginitate, non se Christo dicent, sed nubant potius quam ut delinquant, & delictis suis in ignem cadant.

*Ob.* Nec obstat quod priori parte sententiæ loquatur de illis quæ per votum se Deo dicaverant: Interdum enim verba posteriora referunt idem specie quod priora sed non idem numero: ut in collecta de Angelis; *Quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.* Ubi non necesse est eosdem numero angelos intelligi, qui in cœlo semper assistant, & qui in terra vitam nostram custodiant: imò res ipsa potiùs requirit, ut alios & alios intelligamus. Et quod Sap. 10. dicitur: *propter quem* (scilicet injustum) *cum aqua deleret terram*, non potest referri ad Cain, de quo præcedit; sed ad injustum, qui est cum Cain idem specie.

*Resp.*

Adde, quod Cyprian. dicit, *si perseverare nolunt vel non possunt*: virginibus enim Deo dicatis, nunquam (vel sectariorum judicio) permitteret nuptias, ideo solum quod nolint perseverare in castitate.

AD 3. Gratianus in fine dist. 37. Respondet Augustinum loqui de voto simplici: quam responsionem probavit notatio Gregoriana ibidem ad cap. *Quidam.*

Et similiter quod objici potest ex Epiphanio hæresi 61. *Melius est lapsum a cursu, palam sibi uxorem sumere*; vel de habentibus votum simplex est intelligendum qui cum dispensatione super suo voto, possunt uxorem accipere: vel de illis qui sine voto castitatem servare constituerant, ac nihilominus occultè scortabantur.

Quod attinet ad S. Malchum, ex ejus vita per B. Hieronymum recitata, constat nullum inter ipsum, & servam cui tradebatur, fuisse matrimonium: quia maritus illius servæ adhuc vivebat. Non aliud ergo fuit inter illos contubernium, quam spirituale; idque donec ipse rediret ad monasterium, & illa inter sacras virgines locum acciperet.

Objiciuntur & alia loca Hieronymi ex epistola



stola 8. & 47. sed quamvis loquatur de virginibus; non loquitur tamen de velatis, id est, per solemnem professionem consecratis: sed epistola 8. de ancillis nobilium adhuc liberis: epistola 47. de filia, vel simplex dumtaxat, vel nullum votum habente.

AD ult. RESP. propensionem naturalem posse impediri à suo actu per aliquid præstantius; ut inclinationem edendi vel bibendi, per sobrietatem, ex præcepto Ecclesiæ, susceptam; vel pro corporis aut animæ salute necessariam. Atque hæc cum ita sint, difficultas tamen est:

## *An votum solemne religionis dirimat matrimonium jure solum Ecclesiastico.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia traditiones quæ fiunt in matrimonio & in professione religionis, non pugnant inter se: nam conjugatus potest fieri religiosus, etiam post consummatum matrimonium, de licentia conjugis.

SECUNDÒ, non dirimit quia votum, sed quia solemne: atqui solemnitas voti est ex constitutione Ecclesiæ, ut loquitur Bonifacius 8. De voto & voti redemptione in 6. Ergo votum solemne ex eadem constitutione habet robur dirimendi matrimonij. Unde posset Pontifex constituere, ut eadem voti solemnitate servata, non dirimeretur matrimonium subsequens.

TERTIÒ, votum simplex & solemne non differunt specie: Atqui simplex non dirimit matrimonium ex sua natura: ergo nec solemne. Major probatur, quia utrumque est promissio Deo facta; traditio autem quæ invenitur in voto solemni, est ei prorsus accidentaria.

Confirmatur ex cap. *Rursus*, tit. Qui clerici vel voventes, ubi Cœlestinus 3. dicit quod simplex votum apud Deum non minus obliget, quàm solemne. Ita sentiunt plerique illorum qui docent Pontificem posse dispensare in voto solemni religionis; de quo locus dicendi est 2.2.q.88.ar.11.

*Resp. est neg.*

RESPONSIO longè probabilior est, quod votum solemne religionis ex sui natura habeat, dirimere matrimonium contractum.

PRIMÒ, quia per tale votum homo abdicavit à se potestatem sui corporis, tradens ipsum Deo: ergo non potest validè dare uxori, qui enim dedit alicui rem suam, non potest eandem postea dare alteri, præsertim in usum contrarium. Ita ratiocinatur B. Thomas, tum hîc, tum quodlibeto 3. art. 18. & quodlibeto 10. ar. 11.

SECUNDÒ, matrimonium ratum ex natura sua dirimit matrimonium subsequens; ergo similiter votum solemne religionis: quia non est cur dicamus eam traditionem qua quis corpus suum Deo mancipat, ac in perpetuum tradit, habere minus roboris ea traditione, qua quis corpus suum tradit uxori per consensum matrimonialem.

TERTIÒ, Votum simplex castitatis habet ex natura sua vim dirimendi sponsalia subsecuta; ergo votum solemne habet vim dirimendi matrimoniū. Consequentia probari potest à proportione.

QUARTÒ, votum solemne religionis dissolvit matrimonium antea validum, si fit inconsummatum: & hoc non jure Ecclesiastico, ut apparet ex sententia Domini, *Quod Deus conjunxit homo non separet*: ergo majori ratione dissolvit matrimonium postea contractum, & quidem jure divino.

QUINTÒ, si ejusmodi votum dirimat matrimonium solùm ex constitutione Ecclesiæ: ergo fieri potest quod religiosus solemniter professus validum ineat matrimonium; quamvis non sit dispensatum super ejus voto; maneatque religiosus: ut si Pontifex constitutionem illam tollat, & ipsum votum solemne relinquat in eo vigore quem habet ex sua natura: hoc autem est per absurdum, nam *custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali; ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*, ait Innocentius 3. cap. *Cum ad monasterium*, tit. de statu Monachali; propter quod cap. qui diversum sentiunt, ac nominatim Sanchez ajunt Pontificem non posse dispensare ut Monachus quamdiu manet Monachus ducat uxorem, l. 8. disp. 8. num. 12. quæ Interpretatio est falsa, si votum solemne religionis solum ex jure Ecclesiastico dirimit matrimonium.

SEXTÒ, si virgines velatæ, & Deo per solemnem professionem consecratæ nuptias attentent; in Conc. Triburiensi præcipiuntur separari, tum verbo Domini; tum canonica authoritate, 27.qu. 1.cap. *Si quis sacro*: ergo tale matrimonium non solum jure ecclesiastico est nullum, sed & divino.

CONFIRMATUR, Conc. Trid. sess. 24. can. 9. declarat matrimonia clericorum in sacris ordinibus cōstitutorum, & regularium castitatem solemniter professorum, esse irrita: illorum, propter legē ecclesiasticam: istorum, propter votum. Quæ distinctio locum non habet, si votum non ex sua natura, sed ex lege tantum Ecclesiastica vim habet dirimendi matrimonium. Hanc sententiam tuetur B. Thomas hoc art. Bonav. Durand. Major & Dominicus in 4. dist. 38. Sylvester verbo *Votum*, 4. quæst. 5. Ledesma hîc, & Petrus Soto lect. 5. de matrimonio, Valentia 2.2. disput. 6. quæstion. 6. part. 5.

AD 1. ergo ARG. RESP. etsi traditiones illæ non quovis modo secum pugnent; pugnant tamen quando votum solemne præcessit, licut enim frigiditas non sic repugnat vinculo conjugali, quin possit matrimonio prius contracto supervenire, si tamen præcedat, irritabit matrimonium subsequens: Ita traditio per votū solemne non sic repugnat matrimonio, quin possit illud subsequi; si tamen præcedat, matrimonium post eam contractum, non potest esse validum: quia ut matrimonium validè ineatur, debet qui contrahit, in alterum transferre sui corporis potestatem, & jus eo utendi ad copulam carnalem, hoc autem repugnat voto præcedenti, per quod potestatem illam à se abdicavit, & se Deo tradidit ad perpetuam continentiam. Post matrimonium verò semel contractum, potest esse quod unus conjugum, vel amiserit jus utendi corpore alterius, vel sponte juri illi cedat: atque ita tunc nihil invenitur repugnans voto solemni.

AD 2. Votum solemne religionis non habet vim dirimendi matrimonium, quia votum: neque quia votum solemne: sed quia votum solemne *religionis*, in qua essentialiter includitur obligatio ad perpetuam continentiam: Non quia votum, nam alioqui omne votum dirimeret. Nec quia votum solemne: si quis enim faceret votum solemne, sed non castitatis, non propterea esset inhabilis ad matrimonium. Tale fuit eorum votum, qui olim se coram Episcopo ascribebant militiæ ad recuperandam terram Sanctam.

*In quo consistat solemnitas voti.*

Ad verba Pontificis quod attinet: essentialis solemnitas voti religionis non consistit in uno, sed in multis, scilicet in promissione castitatis, obedien-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tiæ, & paupertatis; in traditione sui-ipsius facta in manu superioris ad servanda illa quæ promittit: & in acceptatione quam is facit vice Dei. Quia verò ex Ecclesiæ institutione pendet, quis, & quo modo vice Dei acceptet: ideo solemnitas voti dicitur pendere ab Ecclesia, nomine solemnitatis intelligendo cæremoniam ac modum quo traditio & acceptatio perficiuntur.

*Ob.* SIDICAS B. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 7. docere quod solemnitas voti attenditur secundùm aliquam spiritualem benedictionem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur: *Resp.* illam benedictionem non esse aliud quam assumptionem personæ voventis, ad statum sanctitatis; per acceptationem illam, quam ritu ab Apostolis introducto, facit superior. Neque hîc alia vel benedictio, vel solemnitas est quærenda: posita enim tali acceptatione, votum solemne naturam suam adipiscitur: adeptum verò habet vim & obligandi ad ea quæ sunt promissa, & dirimendi matrimonium: idque ex sua ipsius natura, per quam repugnat vinculo matrimoniali nectendo. Unde patet negandam esse consequentiam argu. 2.

AD 3. Negatur Major. Votum enim solemne est quiddam aggregatum ex promissione & traditione, & acceptatione: simplex autem, est nuda promissio.

*Ob.* SIDICAS, traditionem & promissionem inter se pugnare: *Resp.* id esse verum, si referantur ad idē: *Resp.* Voto autem solemni traditur unum; & promittitur aliud: traditur persona vovens, & promittuntur actus ad observationem votorum necessarij.

Ad Confirmationem RESP. id esse verum, si comparatio accipiatur quoad Deum, & in genere; non autem quoad homines, vel in determinata quantitate reatus: Utriusque enim voti trangressor peccat mortaliter; sed graviùs qui frangit votum solemne, quàm qui simplex. Quantum ad ea verò per quæ homo homini obligatur, quale est matrimonium: major est obligatio voti solemnis etiam in genere, quam voti simplicis.

Ex his sequitur Ecclesiam non posse in voto solemni religionis dispensare, ut matrimonium postea validè contrahatur. Sed amplior istius probatio pertinet ad 2. 2. qu. 88. art. 11. ubi videri possunt quæ diximus.

### ARTICULUS III.

*Utrùm ordo impediat matrimonium.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, testatur enim B. Paulus 1. ad Cor. 9. Apostolos habuisse uxores, easque secum duxisse: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem* (sive, ut est in Græco, sororem mulierem) *circumducendi: sicut & cæteri Apostoli?* Ubi *mulier* uxorem significat: ineptè enim post sororem adderetur mulier; cum omnis soror sit mulier. Et de uxore intellexit Clemens Alexandrinus apud Eusebium l. 3. historiæ cap. 24.

Confirmatur, Apostoli etiam post resurrectionem Christi habebant uxores; dicitur enim Act. 1. quod erant cum mulieribus, Græcè, cum uxoribus; quo modo mulieres illic posse accipi tradit Erasmus in annotat. ad istum locum; & hanc ob causam videri potest B. Lucas separasse S. Mariam ab ipsis, dicendo quod Apostoli erant perseverantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jesu.

SECUNDÒ, ipse Paulus uxorem habuit: eam enim alloquitur, ad Philip. 4. ubi pro *germane compar*, Græca habent, *germana conjunx*. Unde S. Ignatius martyr epist. 9. quæ est ad Philadelphios Paulum recensetinter eos Apostolos qui habuerūt uxores.

TERTIÒ, Idem Apostolus 1. ad Tim. 3. dicit *oportere Episcopum esse unius uxoris virum*: & cap. 4. spiritibus erroris annumerat eos qui venturi erant prohibentes nubere. Et confirmatur, Cum enim Deus reliquerit matrimonium omnibus liberum; Ecclesia non potuit aliquibus illud prohibere.

QUARTÒ, Ad Hebr. 13. honorabile connubium non jubetur esse tantùm in aliquibus, sed in omnibus.

QUINTÒ, Sextus canon Apostolorum habet, ut *Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat.*

SEXTÒ, cum Conc. Nicenum vellet statuere ne clerici majorum ordinum uterentur uxoribus priùs ductis, Paphnutius confessor dissuasit, eique acquieverunt cæteri, uti referunt Socrates lib. 1. cap. 8. Sozomenus lib. 1. cap. 22. Nicephorus lib. 8. ca. 19. Eodemque pertinet quod Spiridion sanctus Episcopus uxorem ac liberos habens, altari deservierit; apud Sozomenum lib. 1. ca. 11. & Nicephorum lib. 8. cap. 42.

SEPTIMÒ, canon 4. Conc. Gangrensis habet, ut qui discernit à presbytero qui uxorem habuit, tanquam non oporteat eo sacris operante, de oblatione percipere; anathema sit.

OCTAVÒ, canon 13. Sextæ Synodi interpretans canonem 3 Concilij 5. Carthaginensis, statuit presbyteros, diaconos, & subdiaconos, non cogi abstinere ab uxoribus, nisi vicis suæ tempore, id est, quando sacrificant: ac reprehendit morem contrarium Ecclesiæ Romanæ; ut etiam patet ex cap. *Quoniam* dist. 31.

Capitulo autem *Aliter*, eadem distinct. Stephanus Papa ait, Orientalium Ecclesiarum presbyteros & diaconos matrimonio copulari; neque reprehendit.

NONÒ, canon 10. Synodi Ancyranæ relatus cap. *Diaconi*, dist. 28. statuit ut diaconi quicunque cùm ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxores, nec posse se continere: hi, si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio, ergo saltem in illis qui sic protestantur, ordo non impedit matrimonium.

DECIMÒ, ad initium dist. 31. apud Gratianum sic legitur; *Tempus quoque* quia nondum erat institutum, ut sacerdotes continentiam servarent; ergo non venit ab Apostolis, quod presbyteri abstineant ab uxoribus.

Confirmatur, Augustinus enim 35. quæst. 1. cap. *Cum igitur*, dicit quod Ecclesia post Apostolica instituta, quædam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia ministrorum.

Et Isidorus lib. 2. de officijs cap. 2. loquens de clericis, ait: castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò servare studeant, aut certè unius matrimonij vinculo fœderentur.

Et S. Leo epistola 87 ca. 1. vult in muliere sacerdotis eligenda, servandum ne alterius viri sit experta conjugium.

S. Hieronymus epistola 2. quæ est ad Nepotianum cap. 12. ita scribit, Ducant Pontifices Christi, uxores virgines.

DENIQUE, Pius secundus Papa, ut refert Platina, dicebat sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, majori restituendas videri.



RESPONSIO ad fidem pertinens, est, ordinem sacrum impedire, ne sic ordinatus validum inire possit matrimonium. Pro cujus intelligentia pleniori, sit

### CONCLUSIO I.

*Ordo facer fuit ſèper impedim. matrimon. ſaltem impediens.*

CLERICIS majorum ordinum sive Græcis, sive Latinis, nunquam licuit matrimonium inire.

Probat hoc imprimis canon Apostolorum 27. aliàs 25. *Innuptis qui ad clerum provecti sunt, præcipimus ut si voluerint, uxores accipiant; sed lectores, cantoresque tantummodo.* De cujus canonis defensione videri potest Turrianus lib. 1. cap. 2.

SECUNDÒ, Concil. Arelatense secundum canon. 2. statuit assumi aliquem ad sacerdotium non posse in vinculo conjugij constitutum, nisi sit promissa conversio, id est, continentia ab usu conjugij.

Et magna Synodus Nicena canone 3. interdicit Episcopis, presbyteris, diaconis, ne secum habeant ullam mulierem, *præter matrem, sororem, aviam, amitam vel materteram*: cui legi nullus erat locus, si poterant uxores ducere; nam Episcoporum & presbyterorum uxores nullæ ex hoc genere mulierum, quæ isto canone permittebantur, esse poterant. Et quamvis eo canone non exprimantur subdiaconi, comprehenduntur tamen: Sub nomine enim Diaconorum tanquam generali, sæpe apud veteres continentur etiam subdiaconi, tanquam Diaconi inferiores. Unde Concil. Romanum sub eodem Pontifice, scilicet Sylvestro, celebratum, expresso nomine subdiaconorum can. 8. expressè statuit, *nullum subdiaconorum ad nuptias transire.*

TERTIÒ, in Conc. 2. Carthaginensi can. 2. *Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus, omnibus placuit ut Episcopi, presbyteri, & diaconi, & qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus sese abstineant.* Quod reperitur in conc. 5. Carthag. canone 3. & cap. *Cum de quorumdam*, dist. 84.

QUARTÒ, Leo primus epist. 84. c. 4. *Nec subdiaconis*, inquit, *connubium carnale conceditur: ut & qui habent, sint tanquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine qui quartus a capite est, dignum est custodiri: quantò magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est*, &c.

Et Calixtus 2. cap. *Presbyteris*, dist. 27. Ita statuit, *presbyteris, diaconis, subdiaconis, & monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere, penitus interdicimus.* Hæc autem non solùm in Ecclesia Occidentali Latina, sed etiam in Orientali sive Græcanica, locum habuisse, patet ex Synodo Nicena in Græcia celebrata; & probari etiam potest, tum ex Origene homilia vigesima tertia super Numeros dicente, *illius solius esse offerre sacrificium, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati*: tum ex Epiphanio, qui in fine operis contra hæreses dicit *sanctum sacerdotium ex virginibus ut plurimum procedere: si verò non ex virginibus, at ex solitariam vitā degentibus: si verò non suffecerint ad ministerium solitariam vitam degentes; ex his qui continent a proprijs uxoribus, aut ab unis nuptijs viduitatem servantibus*: tum ex Hieronymo contra Vigilantium cap. 1. & ex canone 6. qui à Græcis Synodo sextæ generali ascribitur, & refertur cap. *si quis eorum*, dist. 32. Ubi statuunt ut *si qui eorum qui ad clerum accedunt voluerint nuptiali jure mulieri copulari; hoc ante ordinem subdiaconatus faciant.*

### CONCLUSIO II.

*Ordo facer nō ſemper fuit imped. dirimens matrim.*

ORDO facer semper quidem impedivit matrimonium contrahendum; sed non semper fuit impedimentum dirimens contractum. Canones enim antiqui licèt ordinatis prohibeant nuptias, non tamen significant eas, si attententur, fore irritas: imò Conc. Neocæsariense can. 1. cum graviùs puniri jubeat eum presbyterum qui fuerit fornicatus, quam illum qui uxorem duxerit; satis indicat matrimonium presbyteri tunc non fuisse habitum invalidum.

### CONCLUSIO III.

*Semper fuit dirim. poſt Conc. Neocæſar. imo & antea.*

PER canones Neocæsarienses posteriores, ordo facer est impedimentum quod matrimonia post illum contracta prorsus dirimit. Patet hoc ex Calixti 2. cap. *Presbyteris*, dist. 27. ubi sic conjunctos disjungi jubet: atque ut significet se non primum hoc statuere, addit, *juxta sacrorum canonum definitiones.*

Eodem faciunt Alexandri 3. c. 1. & 4. tit. *De clericis conjugatis*, 1. & 2. tit. *Qui clerici vel voventes*: & Clementina unica, *De consanguinitate & affinitate*, ubi Clemens 5. eos qui in sacris ordinibus constituti matrimonium contrahere attentant, excommunicat; & ne absolvi possint donec separentur, statuit. Ac novissimè Synodus Tridentina, sess. 24. can. 9. anathemate ferit eum *qui dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse.*

### CONCLUSIO IV.

QUI ante susceptionem alicujus sacri ordinis matrimonio erant conjuncti, non possunt matrimonio uti, postquam fuerint ordinati.

Probant hoc canones, secundus concilij 2. Arelat. 3. Synodi Nicenæ: secundus concl. 2. Carthag. & tertius concilij 5. etiam Carthaginensis, & capitulum Lucij & Siricij pontificum dist. 81. apud Gratianum.

Et quidem hæc decreta viguisse tam apud Græcos, quam apud Latinos, testis est Epiphanius hæresi 59. in hæc verba scribens: *Adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum, Ecclesia non suscepit, sed eum qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, diaconum, presbyterum, & Episcopum, & hypodiaconum: maximè ubi sinceri sunt canones ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere & presbyteros, & diaconos, & hypodiaconos: At hoc non est juxta canonem*, Apostolicum scilicet.

Et Hieronymus contra Vigilantium ca. 1. *Quid facient Orientis Ecclesiæ*, quid *Ægypti, & sedis Apostolicæ: quæ aut virgines clericos accipiunt, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?*

Cæterum, Græci posteriores ab hac canonum observantia defecerunt, non solùm clericis antea conjugatis permittentes usum conjugij; sed etiam jubentes eos, prius quam sacris initientur, uxores ducere. Quod quidem non sine schismatis specie ab illis factum est: hodie tamen non peccant, qui *De Græcis*, apud illos conjugio ante ordinationem sacram inito, utuntur: quia Pontifices Romani, majoris mali vitandi gratia hoc tolerant; cap. *Aliter*, dist. 31. & cap. *cum olim*, de clericis conjugatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ratio cœtibatus clericorum.*

Quàm sit autē omnimoda clericorū continentia rationabiliter introducta, probari potest ex scriptura. Nam Apostolus 1.ad Cor.7. vult conjugatos abstinere ad tēpus ab usu conjugali, ut vacent orationi: ergo Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semperque orandum, semper est matrimonio carendum. Ita Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum,& Epiphanius dicta hæresi 59.

Idem Apostolus primæ ad Timotheum quarto, monet eum, ut *exemplum se præbeat fidelibus in castitate*: quomodo autem erit exemplum castitatis, si permittitur uxore uti,& solùm prohibetur accedere ad aliam: cùm hoc etiam ab infimo laicorum requiratur?

Cap.5.*Teipsum*, inquit,*castum custodi*. Non metuebat Apostolus Timotheo ab adulterijs : sed cum juvenis esset, hortandus erat ad castitatem.

2.ad Tim.1. cum laborare vult sicut bonum militem Christi, & non implicare se negotijs sæcularibus : quod autem negotium magis sæculare est, quam officia conjugalia , & curæ matrimoniales tam multiplices?

Sanctitas ergo sacrificij & munia clericorum, quæ sunt sacrificare, orare, meditari , justissimæ sunt rationes continentiam exigendi à clericis.

Notandum autem quod subdiaconis Siciliæ, quando in sui ordinatione non promiserant continentiam, neque eam servari invenerant; B. Greg. lib.1.epistola 42.concessit ut uxoribus antea ductis uterentur ; addens tamen, nullos deinceps ordinandos nisi continentiam promittentes, unde sequitur decreta priorum Pontificum non fuisse apud Siculos bene observata.

Ad 1. Arg. Resp. neg. assumptum. Petrum Apostolum aliquando habuisse uxorem , constat ex Matth. 8. De nullo autem aliorum Apostolorum id constat : sed etsi habuissent , eam tamen multò antè sacerdotium reliquisse , probari potest ex illo Matth.19.*Ecce nos reliquimus omnia,& secuti sumus te*: nam quod inter illa *omnia*, etiam uxor comprehendatur , docent verba Domini sequentia:*Omnes qui reliquerit domum,vel fratres, aut sorores,aut patrem, aut matrem,aut uxorem &c.*

Prioris autem ad Cor. 9. sermo est de pijs mulieribus , quæ quibusdam Apostolorum erant comites ut necessaria vitæ ministrarent,eo modo quo mulieres aliquæ Christum sequebantur Lucæ 8. Ita præter istius loci commentatores , intelligunt Tertullianus ca.8.lib.de monogamia, Hieron.li.1. contra Jovinianum cap.14. Et Augustinus libr.de opere Monachorum ca.4. & 5.

*Ob. Resp.* Nec obstat postpositum in Græco nomen mulieris ; partim quia sensu præcedit,ea phrasi qua in Actis legitur, *Viri fratres* ; partim quia *soror* ibi significat Christianam.

Clementis autem authoritas non potest communi aliorum Patrum expositioni præjudicare; quamquam & ipse addat Apostolos uxores eas habuisse, non ut uxores, sed ut sorores.

Ad confirm. Resp. nullo colore eam posse admitti. Quamvis enim Greca vox ambigua sit ad mulierem & uxorem , ut sunt voces ei synonimæ in quibusdam linguis vulgaribus ; neutiquam tamen eo loco sumitur pro uxoribus , minimè vero pro Apostolorum uxoribus. Nulli enim ibi recensentur quorum uxores possint intelligi. De nullis namque Apostolis constat quod uxores habuerint, nisi de B.Petro,&, ut habuissent, quod jam pridem eas reliquissent, constaret ex Matth.19.ubi, quemadmodum supra diximus, Domino responderunt: *Ecce nos reliquimus omnia.*

Annotatio Erasmi hæreticis quibusdam placet, non tamen omnibus : Viderunt enim doctiores quam sit absurda, & eam deseruerunt. Causa propter quam B. Maria scorsim nominetur , longè est alia quàm judicet Erasmus ; nimirum,vel quia ipsa est virgo perpetua , quam ideo Lucas mulierum nomine non comprehendit ; vel quia indefinitè dictum erat de mulieribus fidelibus seu Christianis, atque ita ex vi sermonis illa non continebatur.

Neque est quod objiciat quispiam istas mulieres in eadem cum Apostolis domo mansisse : Id enim neque verum est , neque significatur in ea parte, *cum mulieribus* ; cum hæc pars tantum significet conjunctionem orationis perseverantis , quæ pro magna parte fiebat in templo Jerosolymitano , Lucæ 24. in fine.

Ad 2. Resp. ex his 1.ad Cor.7.verbis: *dico non nuptis & viduis, bonum est illis,si sic permaneant,sicut & ego*,patere quod Paulus fuerit cœlebs.

Capite autem 4. ad Philipp. Græca non habent *germana conjux* , sed *compar* ( sive etiam conjux ) *germane*, *conjux* autem ibi dicitur is , qui socius est ejusdem operis,quique trahit idem jugum: *germanus* autem verum & sincerum significat. Videri possunt commentatores , Chrysostomus , Theod. Oecumenius.

Ad confirmationem Resp. in vetustis exemplaribus Græcis & Latinis quæ in Bibliothecis Vaticana, Sfortiana, & alijs Romæ servantur,non reperiti nomen Pauli, ubi Ignatius conjugatos recenset , quemadmodum testatur Baronius ad annum Christi 57. qui etiam addit veneranda antiquitate nobilem codicem asservari in Bibliotheca Regis Pannoniarum Matthiæ Corvini, in quo similiter Pauli nomen non legitur. Sed nec legi in antiquis cod. Anglicanis & alij annotavit Scholiastes ad istam B.Ignatij epistolam tom. 3. Bibliothecæ Patrum ; ut propterea non dubium sit esse assumentum sciolorum vel scribarum.

Ad 3. *Unius uxoris vir* apud Apostolum vocatur,qui non est neque aliquando fuit secundis nuptijs copulatus , sive qui nec habet nec habuit plusquam unam uxorem , quomodo c. 5. ejusdem epistolæ *viduæ* eligenda præscribitur *quæ fuerit unius viri uxor* , id est , quæ non habuerit plures maritos quam unum. Videri potest Turrianus li.1.pro can. Apostolorum cap.1.

In capite autem quarto , Apostolus prædicit venturos eos qui nuptias damnaturi erant , ut per se malas : cujusmodi fuerunt Tatianus , Marcionitæ , & Manichæi.

Ad Confirmationem Resp. Sicut Deus nemini prohibuit esse negotiatorem , & tamen Ecclesia justè inhibet negotiationem Sacerdotibus : ita potest matrimonium aliquibus interdicere. Quamquam nemini illud simpliciter prohibet , sed solùm posita certa qualitate : statuit enim ad sacros ordines nullum assumi , qui priùs non susceperit jugum continentiæ ; quod qui susceperint , sive voto , sive lege cui sponte se subjiciunt , impediuntur à matrimonio.

Ad 4. Sermo Apostoli dirigitur ad conjugatos , hoc sensu: In omnibus legitimè conjunctis , eorum connubium sit honorabile , eorum cubile sit immaculatum ; sic ut stupris & adulterijs illud non dehonestent. Unde subjicit , *fornicatores enim & adulteros judicabit*, sive puniet, *Deus*.

Ad 5.



Ad 5. Eo canone significatur , conjugatos qui assumuntur in clerum , non posse uxores abjicere quoad curam victus. Hunc enim debent eis suppeditare ; quamvis non possint cum illis conversari conjugaliter. Ita B.Leo epist. 92. cap.3. & Leo 9. dist.31.ca.*omnino*.

Ad 6. Cùm neque Theodoretus lib. 1. hist. c. 7.neque Rufinus li.10. ca.4. ubi de Paphnutio loquuntur ; neque ulli ante Socratem historici meminerint historiæ quæ objicitur , meritò ut adulterina rejicitur à Baronio ad annum Christi 58.& latius ad annum 325. Repugnat enim tū Epiphanio hæresi 59.tum Hieronymo epi.50.& li.contra Vigilantium c.1.tum ipsius Synodi Nicenæ canoni 3.

Si qui tamen existiment eam esse veram , duo advertant.

*Unum* , quod Socrates & alij narrent Paphnutium illic dixisse veterem esse Ecclesię traditionem, ut qui cœlibes assumpti sunt ad sacram ordinationem,hi deinceps abstinerent.

*Alterum*,quod solùm loquatur de illis post matrimonium ordinatis , qui non susceperant legem continentiæ.

De Spiridione dicendum est, ipsum , ut multos alios primis Ecclesiæ sæculis, de uxore filios suscepisse,ante ordinationem.

Ad 7. Resp. id statui contra illos qui detestabantur nuptias,tanquam per se malas;quique propterea illos presbyteros qui ante ordinationem, matrimonium contraxerant ; sperni debere dicebant,nec sacramenta quæ ab eis conficiuntur attingi,ut patet tum ex prefatione concilij,tum ex can.1.

Ad 8. Canones qui dicuntur sextæ Synodi, neque ab ea sunt editi, neque merentur authoritatem. Cùm enim sexta Synodus nullos canones edidisset, Græci schismatici post aliquot annos in Trullo convenientes , centum & duos ediderunt , ut patet ex Synodi 7. generalis Actio. 4. & 6. itemque ex notatione Gregoriana ad cap. *Habeo liberum* dist. 31. in quibus Romanæ Ecclesiæ in non paucis detraxerunt. Et ex horum canonum numero est ille decimus tertius qui objicitur,cujus observationem in Græcis tolerat Stephanus Papa in c. *Aliter* ; *matrimonio copulari* accipiens pro eo quod est matrimonialiter conversari , seu matrimonio prius contracto uti. Nam neque illis postquam ad sacros ordines ascendissent , licebat contrahere matrimonium,ut dicit not.Gregor.ad istud cap. *Aliter*.

Cùm autem Græci in illo can.13.Synodum Carthaginensem interpretantur,graviter errant : in ea enim non habetur ut ab uxoribus abstineant vicis suæ tempore ; *sed,secundum priora statuta*; quænam vero illa sint,ex canon. 2. Concilij Carthaginensis petendum est. Confer quæ notavi ad can. istum 13.& ad can.3. Concilij 5.Cartagin.

De his sextæ Synodo ascriptis canonibus videri potest Baron.Tomo 8.ad annum 692.& quæ diximus l.5.Controvers.q.1.ar.5 §.*Tertium Concilium*, & q.2. art. 2.

Ad 9. Synodus illa de Græcorum temporaria consuetudine loquitur , apud quos permissum aliquando fuit diaconis , præmissa protestatione ordinatis, manere in ministerio etiamsi postea uxores accepissent : quia Episcopus licentiam eis dabat ; An rectè, meritò dubitatur. Neque enim est Episcopi dispensare in canonibus Apostolorum. Sunt qui canonem interpretentur de solo usu conjugij. Quia tamen & de ipso contractu videtur loqui ; pro eo tempore est accipiendus , quo sacer ordo impediebat quidem , sed necdum dirimebat matrimonium, juxta ea quæ ad conclus. 2.dicebantur.

Ad 10. verba illa non sunt alicujus Pontificis , sed solius Gratiani , & quidem falsa , nisi Sacerdotum nomine Subdiaconos intelligamus:Nam & hi sacerdotis vocabulo interdum significantur, veluti cap. *Aliter*,dist.31.*Nullus Sacerdotum à Subdiacono usq; ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi*.Et in Conc.Cabilon.can.3.*Si quis Episcopus, Presbyter,aut Diaconus , vel quicumque ex Sacerdotali catalogo,cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habuerit quæ dedecoris vel adulterij possit afferre suspicionem,ab ordine degradetur*.Ibi in sacerdotali catalogo manifestum est Subdiaconos esse comprehensos.Cujus ratio est,quia Sacerdos aliquando idem valet quod in sacris constitutus. Potuit autem Gratianus ita loqui , de Subdiaconis ; quia *Subdiaconi* permissi aliquando fuerunt uti conjugibus ante ordinationem ductis, ut ex Greg. lib.1.epist.42. superius dictum est.

Ad Confirmationem Resp. Verba objecta esse etiam Gratiani,non Augustini:nam Augustini vera lectio non habet, *consilia*,sed, *consilio* ; ut sensus sit ; Ecclesiam consilio & intentione perficiendi ea quæ ad cultum Christianæ religionis pertinent, quædam instituisse quæ non fuerint ab Apostolis accepta. Errat autem Gratianus in exemplo de continentia clericorum: illam enim esse traditionis Apostolicæ, supra ostendimus.

Quod autem B.Augustinus continentiam clericis liberam esse non existimaverit,ex lib.2.de adulterinis conjugijs cap.20.patet: Ibi enim continentiam clericorum sarcinam appellat.

Isidorus non aliud vult quam clericos vel nunquam habuisse uxorem , vel habuisse unicam eamque virginem ; ita tamen ut post sacram ordinationem ab ejus consuetudine abstineant. Nam.ca.10. *de Subdiaconis dicit placuisse Patribus ut quia sacra mysteria,contrectant,casti sint,& continentes ab uxoribus,& ab omni carnali immunditia liberi*.

Verba S. Leonis perperam citantur ab adversarijs: vera enim lectio habet,*de muliere sacerdotis eligendi*,quam scilicet is ante ordinationem habuerat.

S. Hieronymus non affirmat id quod assumitur; sed potius habet pro absurdo , dicitque hoc sequi, si ea quæ in veteri testamento gesta sunt , solum intelliguntur ad literam , & servari debeant in novo. Si inquit , *tantum literam sequimur , & in auro atque divitijs simplex nos delectat historia , cum auro observemus & cætera. Ducant Pontifices Christi,uxores virgines*.

Pium secundū talia nec sensisse nec dixisse,saltem cum esset Pontifex; argumento est quod pro potestatis suæ amplitudine cœlibatum clericorum non abrogaverit,neque ut abrogaretur,in Episcoporum vel Cardinalium cœtu egerit. Quæ cum ita sint,

## QUÆRITUR I.

*Quo jure sacer ordo dirimat subsequens matrimonium.*

Beatus Thomas, & alij communiter affirmant quod jure solum Ecclesiastico. Cœlibatus enim non est ordini sacro annexus jure divino sed Ecclesiastico: atqui ordo sacer dirimit matrimonium propter cœlibatum ei annexum ; ergo dirimit solū jure Ecclesiastico.

Confirmatur , quamvis maximè deceat sacerdotes

Universidad de Deusto
Biblioteca



sacerdotes esse cœlibes ; sacerdotium tamen non A pugnat ex naturâ suâ cum matrimonio vel ejus usu.

*Ob. Resp.* Si dicas, ordini sacro annexum votum solemne castitatis : Resp. id, si universaliter & propriè sumatur, esse negandum. *Orientalis* enim *Ecclesia votum continentiæ non admisit*, ait Innocentius 3. cap. *Cum olim*, tit. de clericis conjugatis. In Ecclesia verò Latinâ est votum continentiæ sacris ordinibus annexum: *quod etiamsi quis verbotenus non emittat, ex hoc ipso tamen quòd ordinem suscipit secundùm ritũ occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse*, ait hîc B. Thomas. Quibus conformiter scribit 1. 2. qu. 73. ar. 10. & confirmari potest ex cap. *Nullum* dist. 28. ubi statuitur nullum esse ordinandum subdiaconũ, B nisi qui se victurum castè promiserit ; seu ut loquitur Alexander 3. cap. *Sanè*, de clericis conjugatis, *qui castitatem perpetuam voverit*. Hoc autem votum, etsi vocari possit solemne ; atque ita vocetur à Bonifacio 8. tit. de voto & voti redemptione in 6. quia solemnizatur per solemnem consecrationem, sive sacram ordinationem ; per se tamen non est votum solemne castitatis : quia non continet traditionem sui ipsius ad continentiam , sed ad sacrum ministerium. Quia ergo continentia non est de essentiâ sacri ordinis aut sacri ministerij , ad quod se tradit is qui ordinatur ; sicut est de essentiâ statûs religiosi , ad quem se tradit qui religionem *Differentia voti castitatis religiosi, & sacerdotis.* profitetur : ideò non ex sui natura dirimit matri- C monium ordo sacer aut votum ei annexum , sicut votum solemne religionis. Unde fit quòd possit dispensari in uno, & non in altero, Quemadmodum docet B. Thomas 2. 2. qu 88. ar. 6.

## QUÆRITUR II.

*An ordo ante usum rationis, vel post eum, sed ex metu gravi ad hoc ordinato , susceptus, dirimat subsequens matrimonium.*

Resp. ordinem ita susceptum nec dirimere nec impedire matrimonium, nisi postea liber consensus taliter ordinati , in suam ordinationem accesserit ; quia Ecclesiæ constitutio non magis obligat ad castitatem , quàm votum quod in Ecclesiâ Latinâ emittitur, votum autem castitatis debet esse ex proprio consensu 2. 2. qu. 88. art. 1. & vota per justum metum facta sunt ipso jure irrita , ut communiter asserunt doctores, ex capit. *Per latum* tit. De his quæ vi metusve causâ fiunt ; nosque isto art. 1. ostendimus : In casu autem proposito vel deest omnino consensus, vel est coactus : ergo. Ita Dominicus in 4. dist. 25. qu. 1. ar. 2. Tolet. li. 1. c. 25. Navarr. cap. 22. nu. 51. & lib. 1. consil. ad tit. de his quæ vi, consilio 2. 4. & 5. Bonacinas q. 3. p 9. nu. 11. & 14. Ex quibus consequenter est dicendum votum continentiæ esse annexum ordini sacro sponte E susceptо , sicut & onus legendi horas canonicas ; non autem ordini, qualitercumque ille recipiatur. Dicendum præterea matrimonium forè validum quod tales contrahent , prius quam ratificaverint id quod coacti vel ante usum rationis receperunt. Si autem conferretur ordo ei qui ante an. 16. vellet ipsum recipere ; ille & ad horas & ad castitatem obligaretur , nec validum posset inire conjugium , quia nulla est ratio in contrarium. Bonacin. nu. 16.

## ARTICULUS IV.

*Utrùm ordo sacer possit matrimonio supervenire.*

Respondet affirmativè, sic nimirum ut si conjugatus ordinetur , verè suscipiat sacramentum & characterem ordinis ; etiamsi non recipiat executionem , nisi ordinatus fuerit uxore consentiente , vel invitâ quidem , sed dante causam divortij. Ad quorum intelligentiam, sit

### CONCLUSIO I.

Ordo post matrimonium sive consummatum sive inconsummatum susceptus , non dissolvit illud matrimonium. Ita B. Thomas hîc , & post eum Joannes 22. In extravagante *Antiquæ* tit. 6. Vide quæ ad fin. q. 50. sunt annotata , Ubi dictum est impedimenta dirimentia quæ matrimonio contracto superveniunt, non posse illud solvere, nisi nimirum ante quam sit consummatum superveniat votum solemne religionis, de quo casu qu. 61. ar. 2. dicemus.

### CONCLUSIO II.

Qui uxore non consentiente , nec causam divortij dante, recipit sacrum ordinem ; mortaliter peccat ; & , nisi religionem profiteatur, neque potest ( etiam soluto matrimonio ) actum ordinis exercere, neque ad superiores ascendere, neque beneficium aut officium Ecclesiasticum obtinere. Joannes 22. Ibidem.

### CONCLUSIO III.

Sic ordinatus ante consummationem matrimonij , potest liberè ad religionem transire ; non videtur tamen ad hoc obligatus. Nam Joannes 22. præcipit eum instanter moneri ad religionis ingressum : quod si facere noluerit ; per censuras compelli ad reddendum uxori petenti debitum. Dixi, *ante consummationem*, quia si sic ordinatur post consummationem matrimonij , non potest invitâ uxore ingredi religionem , sed tenetur cum eâ manere, ac petenti debitum reddere ; non potest autem ipse petere , nec uxor tenetur ei reddere.

### CONCLUSIO IV.

Si quis uxore invitâ ordinetur ante consummationem matrimonij , cum animo ingrediendi religionem ; non videtur ex hoc à mortali excusandus ; quia se exponit periculo dehonestandi sacrum ordinem ; si enim non admittatur ad professionem , manet obligatus ad reddendum debitum.

### CONCLUSIO V.

Qui post matrimonium , sive consummatum , sive inconsummatum, recipit sacrum ordinem de consensu uxoris ; rectè facit, nec tenetur ingredi religionem ; ipsa verò tenetur vovere continentiam. Imò, si sit ætate junior, ut periculum sit ab incontinentia , debet religionem ingredi, cap. 4. 5. 8. 18. tit. De conversione conjugatorum.

CON-



A

### CONCLUSIO VI.

Qui uxore invitâ quidem , sed causam divortij dante , ordines suscipit ; rectè facit, cap. *Constitutus*, eodem tit.

## QUÆSTIO LIV.

## *De impedimento consanguinitatis.*

Triplex est Cognatio , naturalis , spiritualis, & legalis. Primò S. Doctor de naturali considerat. B

### ARTICULUS I.

*Definitio.* Art. 1. docet consanguinitatem rectè definiri quod sit vinculum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum : quia talis definitio continet genus consanguinitatis, scilicet *vinculum*, seu colligationem ; & subjectum, quæ sunt personæ descendentes ab uno stipite , & principium , quod est *carnalis propagatio*.

*Stipes* generaliter vocatur ea persona , à qua aliqui ducunt originem , sive sit pater , sive mater : Nàm vir & uxor, cùm sint una caro , unũ eundemque stipitem constituunt. In præsenti autem ser- C mo est de stipite propinquo , cujus virtus maneat in illis qui ex eo propagantur, ut B. Thomas exponit hîc ad 1. quia consanguinitas est , in quantùm multi communicant in virtute generantis , ex uno in multos per propagationem deducta : hæc autem virtus , etsi perseveret in omnibus secundùm similitudinem specificam ; secundùm similitudinem tamen individuam , quâ parentes assimilant sibi prolem , etiam in accidentalibus ; quò longius est intervallum , eò magis paulatim debilitatur ac tandem deficit ; & similiter consanguinitas.

Definitioni posset addi hæc pars , *Vel quorum unus ab alio descendit :* eò quod Adam habuerit veram consanguinitatem cum suis filijs , qui tamen D non descendebat carnaliter ab eodem stipite cum illis : sed quia hoc est singulare ; in omnibus autem Adæ posteris, pro quibus adfertur definitio ; reperitur eos ab uno stipite procedere ; non fuit necesse partem illam addere.

Cùm dicitur *Carnali propagatione contractum*, significatur consanguinitas esse propinquitas eorũ qui eandem carnem eundemque sanguinem participant, quatenus participant ; & ostenditur quare non sit consanguinitas inter Angelos.

Præterea , cùm cognatio sit triplex , spiritualis , legalis, & carnalis ; hæc autem subdividatur in consanguinitatem & affinitatem ; omnes cognationes præter consanguinitatem , excluduntur ab hac de- E finitione, per hoc quod non descendunt ab eodem, carnali propagatione. Etsi verò secundùm leges civiles distinguantur cognatio & agnatio , in hoc quod cognati, per matrem ; agnati autem, per patrem ab eodem descendunt ; secundùm canones tamen Ecclesiasticos ea distinctio non attenditur , sed consanguinei vocantur cognati , sive per patrem, sive per matrem descendant.

### ARTICULUS II.

Art. 2. probat consanguinitatem convenienter distingui per lineas & gradus ; quia est propinquitas fundata in communicatione naturali secundùm actum generationis ; hæc autem varios habet progressus.

Linea consanguinitatis est ordinata collectio personarum consanguinitate conjunctarum, diversos continens gradus.

Differunt ergo linea, & consanguinitas : quod consanguinitas est habitudo & vinculum inter ipsas personas : Linea verò est personarum illarum series seu collectio.

Potest autem linea triplex assignari : *Ascendentium*, fundata super habitudine principiati ad principium, geniti ad genitorem, *Descendentium*, fundata super habitudine principij ad principiatum, genitoris ad genitum : & *Collateralis*, sive *transversa*, quæ est eorum qui descendunt ab eodem. Sed cùm duæ priores tantum ratione differant , re autem ipsa sint una & eadem , sicut est eadem scala per quam ascenditur , & per quam descenditur : ideo secundùm distinctionem realem, duplex est linea consanguinitatis, recta, & transversa.

Recta, est eorum consanguineorum quorum alij *Quid linea recta.* ex alijs descendunt.

Transversa , est eorum qui non descendunt al- C ter ab altero, sed omnes ex eodem : idque vel æquali *Quid transversa.* propinquitate, ut duo fratres , frater & soror : vel inæquali, ut patruus , & ejus nepos ex avo. Ex his pater lineas debere distingui per gradus.

Est autem gradus , personarum mensura vel di- *Quid gradus.* stantia , quâ cognoscitur quantum ipsæ distent à se mutuo : sive, est una generationis alicujus progressio in lineâ rectâ.

Si dicas , in lineâ transversa non reperiri pro- *Resp. Ob.* gressionem unius ab altero ; Resp. satis esse , quod reperiatur progressio plurium ab uno ; nam in ea gradus attenduntur per comparationem ad unum principium , ex quo propagantur. Observandæ sunt ergo istæ regulæ , ad sciendũ quo modo computandi sint gradus cõsanguinitatis, ut cognoscatur quoto gradu unus consanguineus ab altero distet.

#### REGULA PRIMA.

Personæ consanguineæ in linea recta, tot gradibus inter se distant , quot progressiones generationis factæ sunt à stipite ad ipsas ; sive, quot sunt personæ in ea linea ordine sanguinis collocatæ, una dempta , nimirum stipite. Sic filius à patre distat primo gradu ; nepos ab avo , secundo ; pronepos à proavo, tertio ; abnepos ab abavo, quarto ; & sic deinceps.

Dixi, *una dempta*, quia pater ( idem judicium est de matre ) secundùm se non constituit gradum , sed is qui ab illo descendit , per comparationem ad ipsum ; atque ita pater cum filio constituit primum gradum ; ipse autem filius , cum eo quem genuit comparatus , secundùm , una enim persona per se non constituit gradum , sed comparata ad alteram.

#### REGULA SECUNDA.

Personæ consanguineæ in linea transversa ; si æqualiter distent à communi stipite ; quoto gradu ab eo distant, eodem distant ab invicem : quia

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca



cum non habeant inter se consanguinitatem, nisi A ratione communis stipitis ex quo descendunt, necesse est gradus attendi penes distantiam ab illo stipite. Ac proinde, duo fratres, itemque frater & soror quia uno tantum gradu distant à communi ipsorum patre, distant etiam uno solum gradu inter se. Filius verò unius fratris, quia duobus gradibus distat à communi stipite, duobus etiam gradibus distat à filio alterius fratris: & hi sunt qui vulgo vocantur cognati germani.

REGULA TERTIA.

SI personæ consanguineæ inæqualiter distant à communi stipite; quoto gradu distat remotior à stipite, eodem distant inter se. Ita B. Thomas, B & Gregor. 9. cap. *Vir qui*, tit. de consanguinitate: quia cum tota ratio propinquitatis vel distantiæ collateralium inter se sumatur ex ordine ad communem stipitem, non possunt esse conjunctiores inter se, quàm sint cum illo stipite: si autem haberetur ratio propinquioris, ille qui est in quinto gradu, esset propinquior ei qui est in secundo gradu, quam stipiti.

Hanc rationem supputandi gradus consanguinitatis, ut antiquis Ecclesiæ canonibus conformem, approbavit cum Concil. Lateranensi, Alex. 2. cap. *Ad sedem* 35. quæst. 5. declarans leges civiles, ideo aliter supputare quàm canones, quia spectant alium finem: Nam leges considerant quousC que hæreditas vel successio deferri valeat à consanguineis ad consanguineos: & quia transferri non potest nisi de una persona ad alteram, idcirco numerant personas: & quot sunt personæ, dempto stipite, tot ponunt gradus in linea transversa. Canones verò, ideo duas in uno gradu personas constituunt: quia nuptiæ, quas considerant, fine duabus personis fieri non possunt.

ARTICULUS III.

*Utrum consanguinitas impediat matrimonium de jure naturali?*

VIDETUR quod non: PRIMÒ, In his enim D quæ sunt de jure naturæ non potest Deus dispensare, 1. 2. quæst. 100 ar. 8. & tamen dispensare potest ut consanguinei quicumque matrimonialiter conjungantur.

SECUNDÒ, filius posset in extrema necessitate matrimonium inire cum matre, vel frater cum sorore: ergo tale matrimonium non est jure naturæ irritum. Antecedens probatur, quia præceptum propagandi genus humanum est majus quàm reverendi parentes, unde Chrysostomus excusat filias Loth cum eo dormientes; quod hoc fecerint existimantes nullos superesse, à quibus propagari posset genus humanum.

TERTIÒ, consanguinitas nec repugnat substan- E tiæ matrimonij nec ejus bono.

QUARTÒ, Abraham duxit Saram quæ erat vera ejus soror, ut scribitur Gen. 20. Et Thamar putabat per authoritatem Regis se posse contrahere cum fratre suo Amnon. 2 Regum 13.

QUINTÒ, B. Thomas 2. 2. qu. 154. art. 9 ad 3. sola matrimonia Patris cum filia, & matris cum filio censet repugnare rationi naturali: ergo saltem consanguinitas primi gradus lineæ transversæ non est impedimentum, jure naturæ dirimens. Unde Conc. Agathense can. 61. & Epaunense can. 30. statuit matrimonia inter fratres & sorores contracta in infidelitate, non esse dissolvenda cum fuerint ad fidem conversi.

RESPONSIO B. Thomæ est, consanguinitatem Quarundam personarum impedire matrimonium jure naturæ; Quarundam autem jure divino positivo: & Quarundam, jure Ecclesiastico.

PRIMA PARS verificatur in primo gradu lineæ tum rectæ, tum transversæ. Quamvis enim Bonavent. in 4. d. 40. qu. 2. Sylvester verbo *Matrimonium* qu. 6. nu. 5. & multi alij apud Sanchez l. 7. disp. 52. numer. 10. itemque Pontius l. 7. cap. 32. Hurtado disp. 17. difficultate 5. probabiliter existiment matrimonia inter fratres & sorores non esse irrita jure naturæ, ac per consequens consanguinitatem in primo gradu lineæ transversæ non dirimere matrimonium stando in lege naturæ. Dominici tamen Soto in 4. dist. 40. ar. 4. & aliorum quos magno numero allegat & sequitur Sanchez l. 7. disp. 52. sententia longè probabilior est Consanguitatem primi gradus sive lineæ rectæ, sive lineæ transversæ, esse impedimentum quod natura sua seu jure naturæ dirimit matrimonium: Et ita etiam sentiunt Petrus Ledesma c. 15. de matrim. concl. 2. Fernandez p. 3. cap. 16. §. 2. Tannerus disp. 8. q 4. dub. 4. nu. 60. Mæratius disp. 9. sect. 6. Layman l. 5. tract. 10. cap. 6. Mercerus qu. 45. art. 3. propos. 3. Bonacinas qu. 3. p. 5. §. 1.

*Primus gradus lineæ rectæ & transversa dirimit matri jure natur.*

De primo gradu lineæ rectæ aperta est B. Thomæ sententia, 2. 2. qu. 154. ar. 9 lection. 1. in cap. 5. prioris ad Corinth. & hoc art. 3. neque inter Orthodoxos dubitatur.

Illud enim in matrimonio contra legem naturæ esse dicitur, per quod matrimonium redditur incompetens respectu finis ad quem ordinatur: Sed per consanguinitatem in primo gradu saltem lineæ rectæ matrimonium redditur incompetens respectu finis ad quem ordinatur: ergo est contra legem naturæ quod personæ in eo gradu consanguineæ sibi invicem matrimonio copulentur. Subst. patet, quia ejusmodi consanguinitas repugnat fini primario, qui est proles; & fini secundario, qui est repressio concupiscentiæ:

Primario quidem, non sic quin proles haberi, educari, & instrui possit inter ejusmodi consanguineos; sed quia non potest hoc fieri convenienter. Inordinatum enim est quod filia Patri per matrimonium jungatur in sociam causa generandæ prolis & educandæ, quam oportet per omnia Patri esse subjectam, velut ex eo procedentem: & adhuc magis est inordinatum, quod filius matri jungatur in matrimonium; quia magis derogaretur reverentiæ Parentibus debitæ, si filius matrem, quam si Pater filiam acciperet; quia uxor debet esse subjecta marito, & sic mater subjiceretur filio.

Secundo etiam fini repugnat, quia loco repressionis concupiscentiæ, magnus ei aditus præberetur, si matrimonium iniri posset inter illas personas quæ invicem tam propinquè attingunt, debentque simul habitare.

De Primo gradu lineæ transversæ non tam evidentem habemus B. Thomæ sententiam: unde & nonnullis visum est quod aliter senserit; potest tamen haud leve argumentum duci ex his ejus verbis dicto ar. 9. in corp. *Naturaliter homo debet quandà honorificentiam Parentibus, & per consequens aliis consanguineis qui ex iisdem parentibus de propinquo originem trahunt.* Hæc enim verba eo fine dicit ut ostendat naturaliter esse incongruum quod tales personæ carnaliter misceantur. *Manifestum est,* inquit,



inquit, *quod in actibus venereis maximè consistit quædà turpitudo honorificentiæ contraria? unde de his homines verecundantur. Et ideo incongruè est quod talis commixtio venerea fiat talium personarũ ad invicem.*

Deinde, fratrum & sororum inter se non minor est cognatio, quam privigni cum noverca: sed matrimonium privigni cum noverca B. Thomas in c. 1. prioris ad Corinth. censet jure naturæ esse irritum, dicens quod *uxor patris repellitur à matrimonio sicut persona patris vel matris:* ergo etiam sentit matrimonia fratrum & sororum esse irrita jure naturæ.

Res ipsa probari potest. PRIMÒ, Actus matrimonialis, ita repugnat pudori ac reverentiæ naturali, quæ est inter fratres & sorores, ut gentiles me- B lius instructi solo luminis naturalis ductu abhorruerint matrimonia inter ejusmodi personas contracta, deformissimamque dixerunt conjunctionem, & parentum cum filijs, & fratrum cum sororibus, ut patet ex Philosopho libr. 2. Politic. cap. 2.

SECUNDÒ, Tertullianus cap. 9. Apologetici gentilibus probro vertit quod exemplo Jovis, quem dicunt vel fabulantur cum sorore concubuisse, incœsti essent.

TERTIÒ, Theodoretus l. 9. Græcarum affectionum, qui est de legibus, Persicarum nationum consuetudinem qua matrum, sororum, filiarum connubijs susque deque commiscebantur, faci- C nus injustissimum vocat.

QUARTÒ, nullæ gentes ejusmodi matrimonia permiserunt nisi incultæ & barbaræ: signum est ergo quod sint contra dictamen rationis naturalis. Unde B. Augustinus l. 22. contra Faustum c. 35. & l. 15. de civit. cap. 16. censet matrimonia inter fratres & sorores solo mundi exordio licuisse, quando aliter propagari non poterat genus humanum, de cujus tamen propagatione dictũ fuerat Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

QUINTÒ, si secundùm jus naturæ fratres & sorores possent jungi matrimonio, maxima daretur causa inflammandæ concupiscentiæ: cum enim oporteat eos simul in eadem domo diu commorari nimia daretur oportunitas, sub spe matrimo- D nij possibilis, carnaliter commiscendi: unde ejusmodi matrimonia videntur repugnare, partim quidem primario fini matrimonij ne is convenienter habeatur; partim ei quem B. Thomas hoc art. vocat secundarium, qui est repressio concupiscentiæ.

DENIQUE, Abraham Gen. 12. & 20. per hoc voluit occultare Saram esse suam uxorem (& simile est de Isaac respectu Rebeccæ Gen. 26.) quod ipsa diceret se esse ejus sororem: si autem stando in lege naturæ, quam solam habebant illi ad quos divertebat, potuissent fratres & sorores jungi matrimonio; illa ejus cautela non profuisset: habebat ergo persuasum quod hoc passim agnoscerent E gentiles, eum qui verè frater est, non posse esse maritum suæ sororis.

Neque sufficit Respondere Abraham idcirco optimè usum isto consilio; quia licet ea conjugia celebrarentur inter aliquos; id tamen erat ratius: Si enim vel Abraham vel ij, ad quorum terram peregrinabatur, putassent aliquando celebrari istiusmodi matrimonia, tanquam rata & legitima, nequaquam efficax erat excusatio qua eam vocaret sororem, quam non vellet sciri esse conjugem; quandoquidem nihil in ea opinione obstaret quominus id quod fieri poterat, inter hos putaretur esse factum, attenta præsertim pulchritudine Saræ.

Adde quod Gen. 26. dum Rex Geraræ sic loquitur ad Isaac, *Perspicuum est quod uxor tua sit, cur mentitus es eam sororem tuam esse?* manifestè supponit eandem non posse esse sororem & uxorem ejusdem.

Neque est quod aliquis opponat Augustinum dicto cap. 16. scribentem, legibus aliquando permissa esse fratrum conjugia: Cum enim leges eas vocet perversas, dicatque meliorem consuetudinem talem licentiam exhorrere; ac subjungat quod cum sorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, *consuetudinem illam sic averseturconsuetudo subsequens, quasi nunquam licere potuerit*; nihil ibi docet Augustinus contra resolutionem prius datam, sed potius illi favet, unde & ait quod *commistio sororum & fratrum tanto facta sit damnabilior religione prohibente, quantò fuit antiquior compellente necessitate.* Ubi quod de *religione prohibente* dicit, intelligi non potest de lege aliqua positiva (cum nulla talis extaret ante Moysen) sed de lege & dictamine rationis naturalis.

Si dicas, ex his omnibus haberi quidem quod illicita sint fratrum & sororum conjugia, non autem quod sint ipso jure irrita.

Resp. etiam haberi quod sint irrita, quia natura non abhorret id ad quod quispiam jure naturæ est C obligatus; abhorret autem (secundùm superius dicta) omnem carnalem commixtionem fratrum & sororum: ergo frater & soror non possunt validũ matrimonium inter se inire: si enim hoc possent, atque id quod possent facerent, essent jure naturæ obligati ad carnalem commixtionem sibi invicem reddendam; ac per consequens lege naturali obligarentur ad id quod natura semper abhorret, secluså peculiari Dei, qui author naturæ est, sive dispensatione, sive interpretatione, vel concessione.

Sciendum est ergo quod hæc matrimonia consanguineorum sunt ipso jure naturæ irrita. *Primũ*, matris cum filio. *Secundum*, patris cum filiâ. *Tertium*, fratris cum sorore germanâ, id est, ex utroque parente. *Quartum*, fratris cum sorore ex altero solùm parente.

Et propterea si duo infideles sic conjuncti matrimonio, converterentur ad fidem: deberent separari, tanquam quorum matrimonium sit nullum. Quamquam sicut aliorum opposita sententia, dicentium quod jure solum Ecclesiastico invalida sint fratrum & sororum matrimonia, non caret probabilitate; ita etiam non sit improbabile quod relinqui possint absque separatione, præsertim quando recens conversi ægrè admodum ferrent separationem. Quo tamen casu Sedem Apostolicam judicarem esse consulendam, potius quam Parochus vel etiam Episcopus ipsos simul conjunctos relinqueret.

Quod in secunda parte responsionis dicebatur, quarumdam personarum consanguinitatem impedire matrimonium jure divino positivo; intelligendum est pro tempore legis Mosaicæ, in qua varij præter jam dictos consanguinitatis gradus, variaque consanguineorum matrimonia interdicuntur Levit. 18. ac nominatim ea quæ Avus cum nepte, Avia cum nepote, Amita vel matertera cum nepote attentaret: conjugia verò patrui vel avunculi cum nepte: & consobrini cum consobrinâ, ibi non prohibentur. Unde Jud. 1. Othoniel duxit Axam filiam fratris sui.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Cur autem prohibita potius fuerint matrimonia nepotis cum amita vel matertera, quam neptis cùm patruo vel avunculo, ratio poteſt eſſe, quod ſi nepos duceret amitam, ſequeretur hæc indecentia, ut amita ſubeſſet nepoti; ſi verò neptis nubat patruo, manet ſubjectio ejus ad patruum.

*De gradibus Levit. 18. prohibitis.*

Cæterum quia per Chriſtum abrogatæ ſunt leges Moyſi cæremoniales, & judiciales, ideoque Chriſtianos non obligant in quantum ſunt per Moyſen latæ; idcirco verius eſt nullos gradus conſanguinitatis in nova lege obligare Chriſtianos aut eorum matrimonia dirimere, jure divino poſitivo; quia nullum invenitur divinum præceptum à Chriſto ea de re poſitum, & leges quæ Levit. 18. prohibent matrimonia inter conſanguineos vel affines, quatenus ſic prohibent ut etiam irritent ejuſmodi matrimonia, omnes ſunt judiciales, ſi illas excipias quæ de primo gradu diſponunt, & ſunt naturales ſeu morales.

Quapropter ex gradibus ibi expreſſis, illi ſolì ſunt impedimenta matrimonium Chriſtianorum dirimentia, qui vel jure naturæ dirimunt (ut primus conſanguinitatis in linea, tum recta, tum tranſverſa, & probabiliter primus gradus affinitatis in linea recta) vel per Eccleſiam conſtituti ſunt eſſe impedimenta dirimentia: in quibus proinde his poſterioribus eadem Eccleſia poteſt diſpenſare, ſicut diſpenſaverat cum Henrico 8. Rege Angliæ & Catharina quondam uxori Arturi fratris dicti Henrici. Quam deinde diſpenſationem imperitè ac etiam impiè Henricus poſtea, velut inanem & quæ per Eccleſiam fieri non potuiſſet, impugnavit, ut videretur licitè Catharinam repudiare, & Annam Bolenam ei ſubrogare.

*De gradibus per Eccleſiam prohibitis.*

Ad tertiam Reſponſionis partem quod attinet, gradus conſanguinitatis ſecundus, tertius, & quartus dirimunt matrimonium jure ſolum Eccleſiaſtico; quia neque eſt ullum jus divinum Chriſtianis poſitum quod intra hujuſmodi gradus matrimoniũ irritum eſſe decernat, neq; etiam eſt ulla lex naturæ.

Et Confirmatur, quia in cap. *Gaudemus* tit. de divortijs decretum eſt eos infideles qui matrimoniũ contraxerunt in illis gradibus, non eſſe ab invicem ſeparandos quando ad fidem convertuntur; ſeparari autem deberent, ſi gradus illi jure naturæ matrimonium dirimerent.

Accedit, quod Synodus Trident. ſeſſ. 24. cap. 5. concedat poſſe inter magnos Principes diſpenſari in ſecundo gradu.

Eſſe autem legem Eccleſiaſticam, quæ omnes illos gradus prohibet, decernitque eſſe impedimenta dirimentia; dubium eſſe non poteſt: Cum enim prohibita eſſent olim conjugia omnium conſanguineorum, uſque ad ſeptimum gradum, 35. quæſt. 5. cap. *Ad ſedem*: Innoc. 3. cum Conc. Lateranenſi in cap. *Non debet* tit. de conſanguinitate, ſtatuit ut prohibitio copulæ conjugalis *quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum non excedat.*

Ad 1. Argumentum Resp. Quod conjunctio in primo gradu, etiam lineæ rectæ, cum non ſit tam intrinſecè mala, quàm eſt v. g. mendacium; ſed quo modo mala eſt uſurpatio rei alienæ invito domino; poſſit concedi à Deo. Qui tamen non propterea diſpenſaret in jure naturæ; ſed rebus variatis, ipſum jus variaretur; ſecundùm ea quæ 1. 2. qu. 94. ar. 5. dicuntur; propter quam variationem Deus concederet id quod alioquin eſt illicitum, ſicut in principio mundi conceſſit matrimonium fratris cum ſorore.

Ad 2. Negat. Antecedens, citra ſpecialem Dei conceſſionem, quia perſonæ illæ ſunt jure naturali inhabiles.

Quod in probationem aſſumitur, verum eſt, ubi cum neceſſitate concurrit poſſibilitas: filium autem ducere matrem in matrimonium non eſt poſſibile, niſi Deus concedat. In tali ergo neceſſitate exiſtentes, nec peculiarem Dei conceſſionem habentes, exiſtimare deberent finem mundi inſtare, nec amplius multiplicandos eſſe homines; quandoquidem Deus eos ſolos relinqueret qui ad multiplicationem licitam ſunt inhabiles.

Ad Chryſoſtomum, Reſp. filias Loth, tum ex perturbatione animi, tum ex eo quòd non ardore libidinis, ſed voluntate propagationis patrem cognoverunt; excuſari poſſe à tanto, ſed non à toto. Neque enim matrimonium iniverunt, ſed ebrietatem patri procurantes, incceſtum admiſerunt. Unde Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 43. docet, ne quidem in ea neceſſitate quam opinabantur, licere filiabus commiſceri cum patre.

Ad 3. Etſi conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, non ſimpliciter adverſetur ſubſtantiæ matrimonij, vel ejus fini, cum filia poſſit ex patre prolem ſuſcipere, & ſimul cum patre nutrire & inſtruere; adverſatur tamen primario fini; ut is non convenienter habeatur. Inconveniens enim eſt, ac contra naturæ ordinem, quod proles, quam oportet per omnia parentibus eſſe ſubjectam velut ab eis procedentem, fiat ipſis æqualis, & ſocia in actu generationis, ut ſupra diximus.

Adde, quod matrimonialis actus, qui ſine turpitudine fieri non poteſt, repugnat reverentiæ quæ filij ex præcepto naturali debent parentibus.

Et quia ille actus etiam repugnat pudori ac reverentiæ, quæ naturaliter eſt inter fratres & ſorores; ideo etiam diximus conſanguinitatem primi gradus lineæ transverſæ, adverſari fini matrimonij, non quidem ſimpliciter, ſed ne convenienti modo habeatur.

Ad 4. Abraham non propriè fuit frater Saræ, quaſi eundem cum ea patrem vel matrem habuerit, ſed erat patruus, frater ſcilicet Aran patris Saræ. Horum igitur verborum Abrahæ. *Vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ*, ſenſus eſt; ſanguine me tam propinquè attingit, ut meritò poſſim eam vocare ſororem: quia eſt filia patris mei, nimirum Thare; (ab eo namque proceſſit per Aran fratrem meum) & non filia matris meæ; quia Aran pater Saræ non erat ex eadem matre genitus, ex qua Abraham: Thare enim duas habuerat uxores ex quarum una genuerat Abraham, & ex altera Aran. Quemadmodum ergo Avi ſolent vocari patres ſeu magni patres ſuorum nepotum & neptum; ita Sara vocatur filia ſeu neptis Thare qui erat ejus Avus; ſoror autem Abrahæ juxta morem uſitatum, quo neptes & cognatæ vocare ſolent ſorores; ſicut nepotes & cognati, fratres. Sic Abraham dicitur frater Loth, Gen. 13. Rebecca, ſoror Iſaac, Gen. 26. Sara ſoror Tobiæ, Tobiæ 8.

Atque hanc interpretationem tradit Aug. l. 22. contra Fauſtum cap. 35. & plerique alij communiter. Nec refert quod S. Hieronymus in qu. Hebraicis ad c. 20. Gen. ſic loquatur, *Quia in Hebræo habet: Vere ſoror mea eſt filia Patris mei, non filia matris meæ, & magis ſonat quod ſoror Abrahæ fuerit, in excuſationem ejus dicimus necdum illo tempore tales nuptias lege prohibitas:* Intelligit enim legem poſitivam, & videtur ſupponere valida tunc fuiſſe fratrum



trum & ſororum matrimonia, ſive quod legem naturæ putaret non obſtare, ſive quod exiſtimaret conceſſionem initio mundi factam adhuc durare.

Sed longè verius eſt, quod idem Hieronymus l. adverſus Heluidium cap. 8. ſcribit de Abraham; *Verè ſoror mea eſt de Patre ſed non de matre, id eſt, fratris eſt filia, non ſororis: Alioqui quale eſt ut Abraham vir juſtus Patris ſui filiam conjugem ſumpſerit, cum in primis hominibus propter auriã ſanctitatem, id ipſum ſcriptura non nominet, malens intelligi quam proferri.* Unde & in cap. 11. Geneſ. dicit, *Aran filius Thare frater Abraham & Nachor duas filias genuit, Melcham & Sarai, cognomento Jeſcham; è quibus Melcham accepit uxorem Nachor, & Sarai Abraham: necdum quippè inter patruos & fratrum filias nuptiæ fuerant lege prohibitæ, quæ in primis hominibus etiam inter fratres & ſorores initæ ſunt.*

Ad confirmationem Reſp. Thamar in anguſtias redactam dixiſſe fratri, *loquere ad Regem & non negabit me tibi*; ut vel hac ratione evaderet illæſa: ſenſiſſe autem quòd tale conjugium poſſet eſſe licitum, non conſtat: ſi conſtaret, ex opinione puellæ anguſtiatæ non poteſt duci efficax argumentum, ſi præſertim cum Abulenſi dicamus Thamar, ut virginem ac juris ignaram neſciſſe qui gradus conſanguinitatis impedirent matrimonium jure divino.

Confirmatur hæc reſponſio, Quicquid enim ſit de jure naturali; certum tamen eſt quod per leges Levitici 18. & 20. non poterat frater ſororem accipere in uxorem; quodque in legibus iſtis, utpotè divinis, nullus Regum poſſet diſpenſare. Cum ergo his legibus non obſtantibus Thamar ita inveniatur ad fratrem locuta, neceſſe eſt fateri ipſam aut juris non tantum naturalis, ſed etiam divini poſitivi ignatam ſic eſſe locutam, aut ea verba aſſumpſiſſe velut medium ad evadendum: Alioquin eadem ratione poſſet concludi matrimonium fratris cum ſorore potuiſſe tunc iniri, ſaltem de conſenſu Regis, non obſtante lege divina poſitiva.

Ad 5. Resp. Neg. Anteced. juxta ea quæ ex eodem authore ſupra attulimus. Eorum verò quæ in iſta reſponſione dicit, ſenſus videtur eſſe quod commiſtio perſonarum quæ non conjunguntur ſecundùm ſeipſas, ſed pro ordinem ad parentes, non ita habeat ex illis perſonis indecentiam ſecundùm ſe repugnantem rationi naturali, ſicut commiſtio inter parentes & filios, quorum eſt per ſe & immediatè cognatio. Ubi non negat naturalem eſſe indecentiam in commiſtione perſonarum quæ conjunguntur in ordine ad parentes, ſed ſolum ſignificat eam indecentiam non eſſe tantam, quanta eſt in commiſtione parentum cum filijs: quod eſt verum, & quia non tanta eſt; ideo addit variari circa hoc decentiam vel indecentiam ſecundùm conſuetudinem & legem humanam, vel divinam. Secundùm conſuetudinem quidem, non ab hominum arbitrio deſcendentem; ſed ex Dei voluntate provenientem, qui cum initio mundi voluerit homines creſcere, multiplicari, & replere terram Gen. 1. id autem fieri ab eis non poſſet, niſi fratres cum ſororibus inirent conjugia, meritò fuerunt interpretati Deum velle ut ſic contraherent: quæ Dei conceſſio quamdiu duravit, non erat in fratrum & ſororum commiſtione indecentia, quæ alioquin naturaliter ineſt; & quæ etiam de facto fuit, poſtquam illa ex Dei conceſſione conſuetudo exolevit. Secundùm verò legem humanam vel divinam variatur ea decentia vel indecentia, quatenus iſtæ leges nunc hos nunc alios gradus permittunt vel prohibent. Pro mente S. Thomæ ponderanda ſunt verba quæ ex B. Auguſtino in eadem Reſponſione adfert & ſequitur.

Ad Canones Conciliorum Agathenſis & Epaunen. Resp. Negando, per eos ſtatutum fuiſſe ut matrimonia inter fratres & ſorores in infidelitate inita, non diſſolverentur cum eſſent ad fidem converſi. In Agathenſi enim poſtquam Patres multas commiſtiones incceſtas recenſuiſſent ac prohibuiſſent, can. 61. nequaquam dicunt id quod ſupponit objectio, matrimonia prius in infidelitate contracta in gradibus illic expreſſis non eſſe diſſolvenda: ſed verba eorum ſunt, *Quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea quæ ſunt hactenus* (al. ante nos) *inſtituta non diſſolvamus*: in Epaunenſi ſic, *quod ut à præſenti tempore prohibemus, ita ea quæ ſunt anterius inſtituta non ſolvimus.* Ubi relativum, *ea*, non refert conjugia, ſed refert decretã prioribus temporibus facta circa commiſtiones conſanguineorum, de quibus videri poſſunt cap. *Conſanguineorum* 3. q. 4. & cap. *Conjunctiones*, cap. de propinquis 35. qu. 2. & 3.

Accedit, quod in prædictis can. ſive Agathenſ. ſive Epaunenſis Concilij nihil omnino dicitur de infidelibus vel de infidelium matrimonijs in infidelitate contractis, uti nec in 2. Syn. Turon. cap. 22. ubi eadem referuntur quæ in illis fuerant ſancita: ſed generaliter recenſentur & prohibentur conjunctiones incceſtuoſæ, & quidem eorum qui Eccleſiæ ſunt ſubjecti.

Atque hæc de primo conſanguinitatis gradu: ſupereſt examinandum,

### *Qui alij gradus jure naturæ matrimonium dirimant.*

Multorum ſententia eſt quod omnes gradus lineæ rectæ, dirimant propter generalem pudorem ac reverentiam natorum ergo parentes, ſive proximos, ſive remotos. Unde li. 1. Inſtitutionum tit. de nuptijs, §. *Ergo non omnes*, perpetuum in linea recta impedimentum ſtatuitur: adeò ut ſi Adam hodie viveret, non poſſet habere uxorem.

Resp. probabilius videri quod ſolus primus gradus lineæ, ſive rectæ ſive transverſæ dirimat matrimonium jure naturæ. Ita Cajet. ad 2. 2. qu. 154. ar 9. Auguſtinus de Ancona qu. 53. ar. 5. Tappetus ar. 20. Emanuel Sa, verbo, *matrimonij impedimenta*, Sanchez l. 7. diſp. 51. Bonac. q. 3. p. 5. §. 1.

Quia Pontifex in cap. *Gaudemus*, de divortijs concedit infidelibus ad fidem converſis qui in ſecundo gradu matrimonia contraxerant, ut non ſepararentur, neque diſtinguit inter gradum lineæ rectæ & transverſæ, ſed loquitur indiſtinctè: & ſimiliter cap. *Non debet*, de conſanguinitate, nulla linearum facta diſtinctione, prohibitio conjugij reſtringitur ad quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum.

Eodem pertinet conſtitutio Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. *In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos principes, & ob publicam cauſam.*

Confirmatur, B. Thom. ar. 1. dixit non oportere accipere ſtipitem remotum in definitione conſanguinitatis, ſed proximum; quia virtus generantis, in qua communicare debent conſanguinei, ita quandoque deficit ut ultra procedere non poſſit; & ſic ipſa etiam conſanguinitas extinguitur ergo: non poteſt durare in omnibus ulterioribus gradibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Lex quidem naturalis dictat honestatem requirere, ut abstineatur à tali conjugio usque ad tertium vel quartum gradum; sed non dictat esse irritum, si attententur; quia *persona quæ non conjunguntur secundum seipsas sed per ordinem ad parentes*: sive mediante conjunctione parentum: *non habent ex seipsis indecentiam*, id est, commixtio conjugalis inter eas non est, secundùm se indecens & repugnans rationi naturali, ut ostendit Beatus Thomas dicto art. 9. qu. 154. in secunda secundæ.

*Ob. Resp.* Nec obstat, quod etiam longinqui posteri vocentur filij: quia non habent tantam inter se propinquitatem, ut eorum commixtio sit juri naturæ contraria secundùm se. Et quamvis major fortasse sit reverentia ad avos similesque progenitores, quos ut dominos ac primos familiæ gubernatores posteri reverentur; naturalis tamen pudor ac reverentia magis est ad parentes proximos; quia ipsi soli sunt causa per se filiorum; remotiores autem solum per accidens. Tannerus quoque cum pluribus alijs docet consanguinitatem inter ascendentes & descendentes seu in linea recta non esse impedimentum perpetuum; quamvis à nobis in eo dissentiat, quod velit gradum secundum etiam jure naturæ dirimere.

Ad legem civilem quod attinet, Resp. Jus canonicum ei esse præferendum.

*De gradibus Levit. 18. prohibitis.* Ex his consequenter est dicendum id quod supra indicavimus, non omnes gradus in Levitico prohibitos, jure naturali dirimere matrimonium sed quosdam ex vi præcepti judicialis: qui propterea non ligent Christianos nisi alia lege sint constituti. Unde Pontificem posse in quibusdam eorum dispensare, definitum est in Conc. Trid. sess. 24. can. 3.

Confirmatur, In Levitico enim prohibetur conjugium inter nepotem & amitam, non autem patrui cum nepte; cùm tamen sint in eodem secundo gradu lineæ transversæ. Unde sequitur secundùm gradum non dirimere matrimonium juræ naturæ.

*Ob. Resp.* Si dicas, Chananæos ideo deletos quod conjugia inirent in gradibus Levit. 18. prohibitis. Resp. verisimile esse, quod etiam in primo gradu contraherent: propter quam conjunctionem, ut & propter adulteria, idololatrias, & peccata contra naturam, deleti sunt, potius quàm propter matrimonia in secundo vel tertio gradu ab eis contracta. In quibus tamen gradibus quia sine causa legitima, solo ardore libidinis, contrahebant (quo modo indecentiam quandam habent isti contractus) non erant in totum excusabiles.

### Articulus IV

Art. 4. probat gradus consanguinitatis impedientes, ac etiam dirimentes matrimonium, potuisse ab Ecclesia taxari usque ad quartum gradum: quia cum Christus Discipulis suis dixerit, *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. sequitur præceptum Ecclesiæ habere firmitatem.

Adde quod Ecclesia non potest errare in decernendis rebus fidei & morum: sed decrevit quatuor tantum gradus consanguinitatis dirimere matrimonium: ergo in eo decernendo non erravit, ac per consequens potuit sic decernere.

Hinc Concil. Trid. sess. 24. can. 3. *Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis ipsorum dispensare, aut constituere ut plures impediant & dirimant, anathema sit.*

Quod porro in lege Mosaica pauciores gradus, nimirum duo matrimonium impedirent; ideo erat, partim quia Judæi non poterant inire conjugia cũ extraneis & gentilibus; partim quia imperfecti erant, & ad uxores repudiandas proni.

Quod autem olim in lege nova, plures, scilicet septem gradus impedirent, cap. *De consanguinitate*, cap. *Nulli*, 35. quæst. 2. & cap. *Ad sedem*, 35. quæst. 5. ratio erat, ut ad plures per consanguinitatem & affinitatem naturalis amicitia permaneret, fidesque propagaretur.

Cur verò postea statutum sit ut quatuor solum gradus dirimant; Alia ratio est, tum quod charitate in multorum cordibus frigescente, quasi nullum fœdus amicitiæ majoris habebatur ad remotiores consanguineos quam ad extraneos; tum quod concupiscentia & negligentia prævalente tam numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis observabant, ut B. Tho. hic loquitur. Ut ergo caveretur dispendium salutis animarum, oportuit restringi gradus consanguinitatis. Sed quare ad quatuor?

Congruentia numeri est, partim quia homines vivere solebant usque ad quartam generationem, partim quia in qualibet generatione fit nova mixtio sanguinis, cujus identitas facit consanguinitatem, & in singulis generationibus evanescit identitas sanguinis quantum ad aliquod elementum, & sic post quartam ille primus sanguis quasi in totum absorbetur.

Notandum autem, si unus contrahentium sit intra quartum gradum, & alter in quinto vel sexto; quod possint jungi matrimonio: quia ut art. 2. dictum est, tales censentur simpliciter in quinto vel sexto gradu, si autem unus sit in quarto, & alter in secundo; sufficit ad valorem dispensationis, quod in supplicatione exprimatur quartus; sed tamen impetrandæ sunt literæ declaratoriæ circa gradum propinquiorem, ut constituit Pius 5. ann. 1566. in bulla quæ incipit *Sanctissimus*, si nimirum vel est scandali periculum, vel res ad forum externum sit deducta. Si verò gradus propinquior esset primus, & remotior secundus, tertius, vel quartus, non valeret dispensatio, si ad eam impetrandam solius remotioris fieret mentio; quia idem Pius requirit expressionem propinquioris in isto casu. Vide Sanchez lib. 8. disp. 24.

## QUÆSTIO LV.

## *De impedimento affinitatis.*

### Articulus I.

Art. 1. docet ex matrimonio oriri affinitatem consanguinei, cùm enim vir & uxor fiant una caro: si vir secundùm carnem attinet suis consanguineis; mulier eadem ratione attinebit eisdem; atque ita consanguinei unius, fiunt per matrimonium, affines alterius. Eandem hanc rationem indicavit Gregorius 35. q. 5. cap. *Porro*, Et qu. 10. cap. *Fraternitatis*. Ex quo autem matrimonio oriatur affinitas, art. 4. videbitur.





### Articulus II.

Art. 2. probat affinitatem manere post mortem viri aut uxoris; quia est relatio fundata in conjunctione quæ est vel fuit: relationes autem quæ fundantur in actione præterita, non pereunt nisi destruatur alterum extremorum. Quamvis ergo moriatur maritus; consanguinei tamen illius manent affines uxori superstiti; & contra.

### Articulus III.

*Utrùm illicitus concubitus causet affinitatem?*

*Definitio.* Definitur hîc Affinitas esse propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela.

Dicitur *propinquitas*, quia ex conjunctione viri ad mulierem, consanguinei unius fiunt propinqui alterius.

Cùm dicitur; *ex carnali copula*; subintelligendum est ex art. 4. ad 2. *vel ejus potestate*: nam affinitas causatur non solùm ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis conjugalis, per quam traditur potestas ad carnalem copulam, intelligitur autem *copula*, sive licita, sive illicita, ex qua nata est sequi generatio.

Quod additur, *omni careni parentela*; ex resp. ad secundùm patet esse intelligendum in sensu per se, ut significetur eam propinquitatem non habere ullam parentelam, quatenus talis est: Nam per accidens, & diversa ratione, unus potest esse eidem affinis & consanguineus.

*Resp. ad Artic.* Ex his patet Resp. ad quæsitum hujus Artic. Affinitatem oriri ex illicito concubitu, modò sit talis ex quo proles apta sit generari: quia vir & mulier etiam sic conjuncti, fiunt una caro, tanquam unum principium generationis. Hæc doctrina patet ex cap. *Nec eam* 35. quæst. 3. & cap. *Transmissæ*, cap. *discretionem*, & cap. *Tuæ*, tit. de eo qui cognovit consanguineam uxoris, & ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 4.

*Tacitâ ob. solvitur.* Quod autem leges civiles dicunt, ex solis justis nuptijs oriri affinitatem, intelligendum est quoad delationem hæreditatis, non quoad prohibitionem matrimonij.

Ex copulâ verò sodomitica nulla oritur affinitas, ut notat B. Thom. hîc ad 3. Idemque judicium est de omni alia sive pollutione, sive commixtione, ex qua non est apta sequi generatio: quia per talem copulam duo non fiunt unum principium generationis. Unde articulo sequenti ad secundum dicit; quod *quantumcumq; aliquis claustrum pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas.*

*Ob.* Cæterum cum 3. parte qu. 31. art. 5. dixerit semen fœminæ non esse materiam quæ de necessitate requiratur ad conceptum; sciendum est seminationem ex parte viri sufficere ad causandam affinitatem; ac proinde quando hoc & sequenti articulo requirit commixtionem seminum, per semen ex parte mulieris, accipit id quod vel est semen, vel loco seminis, cujusmodi est sanguis. Videri potest Sylvester, verbo *Matrimonium*, 8. qu. 15. & Ledesma ad hunc articulum.

*Resp.*

### Articulus IV.

Art. 4. docet ex sponsalibus non oriri affinitatem, sed aliquid ei simile, scilicet justitiam publicæ honestatis, de qua art. 1. quæst. 45. dictum est.

Affinitas ergo solùm oritur duobus modis, vel ex copula carnali, vel ex matrimonio, eo quod sive consummato, sive inconsummato, ut B. Thomas tradit hîc ad 2. *Duobus modis oritur affinitas.*

Confirmatur, Propinquitas ex matrimonio rato non consummato proveniens, est major & alterius rationis quàm ea quæ ex sponsalibus oritur, sicut ipsum matrimonium est contractus major & alterius rationis, quàm sponsalia: sed ea non est consanguinitas, ergo est affinitas. *Ex matrimonio etiamsi non sit consummatum.*

Præterea, Non minus impedimentum oritur ex contractu matrimonij licito & perpetuo, quàm ex copulâ illicita: sed ex hac oriri affinitatem asserit Con. Trid. sess. 24 ca. 4. ergo etiam oritur ex illo. Major videtur clara, quia major reverentia majorque familiaritas nascitur ex tali contractu, quam ex illicita copula. Sive autem hoc impedimentum vocetur affinitas, sive justitia publicæ honestatis; omninò dicendum est quod matrimonium dirimat usque ad quartum gradum. Restrictionem enim factam à Conc. Trid. sess. 24 cap 3. qua justitiæ publicæ honestatis impedimentum ex validis sponsalibus ortum, restringitur ad primum gradum; non pertinere ad propinquitatem, quæ consurgit ex matrimonio contracto, quamvis non consummato, declaravit Pius 5. in Bulla, 1568. data, quæ incipit, *Ad Romanum spectat Pontificem*. Ubi etiam dicit durare adhuc impedimentum ex matrimonio contracto, in omnibus illis casibus & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat. Vide Sanchez l. 7. disp. 70. ex matrimonio autem conditionato, ante eventum conditionis nulla oritur affinitas, sed justitia publicæ honestatis, secundùm ea quæ diximus ejusdem qu. 43. art. 1. *Ex copula.*

### Articulus V.

Art. 5. docet affinitatem non oriri ex alia affinitate, quia persona aliqua non ex eo fit consanguinea, quod matrimonialiter conjungatur consanguineo: ergo similiter non ex eo fit affinis quod conjungatur affini. *Affinitas non oritur ex affinitate.*

Hunc articulum adfert B. Thomas, occasione quorundam veterum canonum qui extant 35 qu. 3. per quos liquet olim fuisse tria genera affinitatis quæ matrimonium impediebant, quamvis non omnia pertingerent ad affinitatem propriè dictam. Concil. autem Lateranens. sub Innocentio 3. impedimentum ex secundo & tertio genere proveniens penitus sustulit; ac primum genus, de quo in articulis præcedentibus actum est, restrinxit ad quartum gradum, cap. *Non debet*, tit. de consanguinitate.

Hinc fit quod consanguinei uxoris nullam habeant affinitatem nisi cum ejus marito; & consanguinei mariti nullam, nisi cum illius uxore: inter ipsos autem mariti & uxoris consanguineos, nulla omnino sit affinitas: ut propterea duo fratres possint accipere duas sorores: frater & soror, sororem & fratrem: filius uxoris, filiam viri: pater & filius matrem & filiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca



### Articulus VI.

*Vtrùm affinitas impediat matrimonium?*

VIDETUR quod non. Primò, nam Adonias 3. Reg. 2. petijt Abisag uxorem sui patris, in conjugium.

Secundò, matrimonium in quocumque gradu affinitatis initum, nec adversatur proli vel mutuo conjugum obsequio, nec desinit esse remedium concupiscentiæ: ergo non est prohibitum, saltem jure naturæ.

Sed contra, affinitatem jure naturæ dirimere matrimonium in primo gradu, etiam lineæ transversæ, probatur Primò, quia iste gradus est prohibitus Levit. 18.

Secundò, quia S. Joannes Baptista arguebat Herodem, Matth. 14. quod fratris sui uxorem haberet, non viventis, sed mortui, ut interpretatur Chrysostomus hom. 49. in Matth.

Tertiò, conjugium cum Noverca reprehenditur 1. ad Cor. 5. tanquam fornicatio: qualis nec inter gentes.

Quartò, Innocentius cap. *gaudemus*, tit. de divortijs, significat matrimonium infidelium in primo gradu contractum, esse irritum.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

AFFINITAS præcedens matrimonium impedit, ac dirimit illud eadem ratione, qua consanguinitas, scilicet propter reverentiam & familiaritatem. Sicut enim est quædam necessitas verendi consanguineos, eisque cohabitandi: ita etiam est inter affines.

*De affinitate superveniente matrimonio.*

Dixi, *præcedens*, quia si affinitas superveniat matrimonio, non potest illud dirimere, sed habet aliud effectum: Nam qui culpabiliter causam dedit ejusmodi affinitati, etiamsi obligetur petenti debitum reddere, nunquam tamen potest petere. Quod si uterque conjugum fuerit in culpa, neuter potest petere debitum, nisi dispensationem obtineant. Quam dari posse ab Episcopo tradunt Paludanus in 4. dist. 42. quæst. 1. ar. 3. concluf. 2. Navarr. c. 22. numer. 75. & 85. Tolet. lib. 5. cap. 12. Vivald. & alij, & nos etiam superius quæst. 50. aliqua diximus. Intelliguntur autem hæc, quando tali affinitati causa data est cum culpa: nam si citra culpam, ut si per meram vim aut ignorantiam invincibilem cognoveris maritus consanguineam suæ uxoris, vel uxor consanguineum mariti, ne à petendo quidem debito impeditur: quia non debet sine sua culpa privari eo jure quod ipsi lege naturæ competit, Cap. *Discretionem*, De eo qui cognovit consanguineam uxoris.

Si petas, An qui post matrimonium ratum, sed non consummatum scienter cognovit primo vel secundo gradu consanguineam suæ uxoris, teneatur ingredi religionem: Et eodem Cap. Resp. illum non teneri, sed posse matrimonium consummare per redditionem debiti.

### Conclusio II.

AFFINITAS ex matrimonio sive consummato sive inconsummato proveniens, matrimonium postea contractum dirimit usque ad quartum gradum inclusivè, cap. *Non debet*, tit. de consanguinitate. Proveniens autem ex fornicatione, seu copula illicita, per Concil. Trid. sess. 24. cap. 4. restringitur ad secundum gradum inclusive.

*Quæst.* Si quæras, An in ulterioribus gradibus quamvis non dirimat contractum, saltem non impediat contrahendum. Pius 5. in Bulla, *Ad Romanum* *Resp.* Pontificem, declaravit nullum impedimentum remanere quo minus in ulterioribus gradibus hujusmodi, liberè & licitè matrimonium contrahi possit.

### Conclusio III.

AFFINITAS ex matrimonio proveniens, dirimit matrimonium postea contractum, in primo quidem gradu lineæ rectæ valdè probabiliter jure naturali; in cæteris verò ejusdem lineæ gradibus, ac in omnibus omnino lineæ transversæ, jure tantum positivo.

Briorem partem tuentur Dominicus in 4. d. 41. art. 3. Covarruvias parte 2. de matrimonio cap. 6. §. 10. Valentia disp. 10. quæst. 5. p. 3. & alij apud Sanchez l. 7. disp. 66. nu. 6. Eamque significat Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 61. dicens, *Si vir & uxor non duo sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda quam filia.* Et B. Thomas, lectione 1. in can. 5. prioris ad Corinthios: *Uxor patris repellitur a matrimonio, sicut persona patris vel matris.*

Et confirmatur, Levit. 18. post primum gradum consanguinitatis in lineâ rectâ, statim prohibetur primus gradus affinitatis ejusdem lineæ; & postea primus gradus consanguinitatis in lineâ transversa: sed quia primo & tertio loco recensetur, dirimit matrimonium jure naturæ, ergo & is qui secundo.

Deinde, affines in lineâ ascendentium, etsi non sint veri parentes descendentium; ita tamen tenent eorum locum, ut descendentes debeant eis honorem & reverentiam, & quidem majorem quâ patiatur æqualitas ad matrimonium requisita.

Existimamus ergo quod jure naturæ irrita sunt hæc affinium matrimonia: *vitrici* cum privigna; *novercæ* cum privigno: *soceri* cum nuru; *generi* cum socru. Unde nec ulla dispensationis exempla reperiuntur.

Si dicas, In Conc. 3. Aurelian. can. 10. haberi ut non dissolvantur matrimonia eorum qui in infidelitate duxerunt relictam patris, filiam uxoris &c. Resp. illud Concil. sicut etiam Agath. & Epaun. (de quibus qu. 54. art. 3.) fuisse Provinciale; cujus non est determinare impedimenta matrimonij, vel gradui affinitatis. Et præterea, ideo patris illi sic loqui potuerunt, quia sententia nostræ opposita, dicens affinitatem in nullo prorsus gradu dirimere matrimonium jure naturæ, est etiam probabilis; eamque sequuntur Sanchez dicta disput. 66. nu. 7. Bonacinas qu. 3. p. 12. nu. 7. Pontius l. 7. cap. 34.

Posterior pars in scripturis manifesta est, Nam Gen. 29. Jacob duxit duas sorores: Gen. 38. Ex voluntate Judæ Patriarchæ, Thamar nupsit successivè duobus fratribus. Adde quod Levit. 18. v. 18. non prohibetur conjugium cum sorore uxoris defunctæ; quin potius per ista verba, *nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illâ vivente*, significatur uxore mortuâ esse licitum.

Jure igitur solum positivo invalidum est hodie matrimonium cum uxore fratris defuncti; cum sorore uxoris defunctæ; vel cum fratre defuncti mariti:





mariti: ac proinde summus Pontifex potest dispensare, ut validè contrahatur. Quo modo Innocentius 3. cap. finali, *De divortijs* propter infirmitatem eorum qui recenter conversi erant ab infidelitate ad fidem, dispensavit ut matrimonijs cum relictis fratrum contractis uterentur: Alexander sextus, ut Emanuel Rex Portugaliæ, duas sorores acciperet: Julius secundus ut Henricus octavus Rex Anglorum duceret Catharinam fratris sui Arcturi viduam, de qua vide qu. 54. art. 3.

Hanc autem Julij dispensationem Clemens septimus viris doctissimis & omnibus ferè studiorum universitatibus consultis, legitimè factam fuisse declaravit in Decreto quod refert Alfonsus Castrensis l. 1. de lege pœnali cap. 12.

### Conclusio IV.

AFFINITAS ex illicito congressu proveniens, in nullo gradu impedit matrimonium, nisi jure positivo: quia filius non inclinatur naturaliter ad exhibendam reverentiam mulieri quam pater cognovit extra matrimonium: neque nascuntur ex fornicationibus amicitiæ, sed odia.

Ad 1. ergo Argum. Resp. non constare an Abisag fuerit uxor Davidis. Quidam enim probabiliter negant, voluntque id significatum per scripturam dicêtem quod *David non cognovit eam.* Alij tamen cum B. Hieronymo epistola 2. cap. 2. non minus probabiliter affirmant: Alioquin enim fuisset res & mali exempli, & plena periculi, tum ex parte Davidis, tum ex parte Abisag, juvenculam dormire cum viro non suo, si consideretur ardor juventutis, & astutia Dæmonis qui flammas amoris facilè excitat, & humana infirmitas quæ non difficulter tam propinquæ occasioni succumbit. Verba autem objecta sic intelligi possunt, ut per ea commendetur David qui etsi jure posset cognoscere Abisag, non tamen cognovit.

Ad Arg. ergo Resp. non debere videri mirum quod Juvenis ambitione exæstuans petierit rem prorsus irrationabilem.

Ad 2. Affinitas primi gradus in linea recta contrariatur aliquo modo fini primario matrimonij. Cùm enim & privignus noverca, & privigna vitrico; & nurus socero & gener socrui, debeat natura ita dictante, subjectionem & reverentiam; ea non satis convenientes servaretur, si matrimonium inter eos valeret.

Ad 1. in oppositum Resp. non omnes gradus in Levitico prohibitos vel jure naturæ prohiberi, vel christianos obligare, ut quæst. 54. art. 3. diximus. Deinde, lex ista ne frater ducat uxorem fratris, non erat intelligenda universaliter, sed cum hac exceptione, *nisi frater mortuus fuerit sine liberis*, ut interpretatur Augustinus quæst. 61. in Leviticum: Hoc enim casu, per legem Deut. 25. debebat frater accipere uxorem fratris, ut suscitaret ei semen, quod etiam fuit observatum ante legem, Gen. 38.

Ad 2. Si Philippus frater Herodis erat mortuus; reprehensibilis tamen erat Herodes, quia professitebatur legem Judaicam: illa autem vetabat conjugium cum uxore fratris defuncti, extra casum jam dictum, qui locum non habebat in Philippo; cujus filia ex Herodiade erat puella saltatrix. Cæterum Philippum adhuc fuisse superstitem, verisimilius tradunt Hieron. & Beda super Matth. Euseb. lib. 1. cap. 11. Egesippus li. 2. cap. 12.

Ad 3. Ille Corinthius incæstuosum concubinatum absque matrimonij contractu exercebat, vivente adhuc patre: nam quod pater viveret probat illud 2. ad Corinth. 7. *Et ipsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est*, scilicet propter patrem, ut commentatur B. Thomas.

Ad 4. Innocentius loquitur de gradibus consanguinitatis: dicitque illos qui in secundo, tertio, vel quarto gradu contraxerunt ante baptismum, debere sic manere. At de primo gradu nihil dicit; quia de illo non erat rogatus.

### Articulus VII.

ART. 7. docet affinitatem per se nullum gradum habere. Cùm enim gradus propinquitatis distinguantur per propagationem carnis; distinctio graduum per se & immediatè competit consanguinitati, ad quam propagatio carnis per se comparatur: affinitati autem solùm convenit mediante consanguinitate. Unde est Regula.

Quoto gradu consanguinitatis attinet alicui maritus alicujus mulieris, tanto gradu affinitatis attinet ei uxor, & contra.

Stipes ergo affinitatis sunt maritus & uxor, seu duæ illæ personæ quæ se carnaliter cognoscunt; sicut consanguinitatis stipes sunt pater & mater.

Affines autem sunt in lineâ rectâ, qui alteri conjugum sunt consanguinei in eâdem linea; ut ascendendo, socer & socrus, vitricus & noverca; descendendo, gener & nurus; privignus & privigna. *Affines in linea rectâ.*

In linea autem transversa affines sunt, qui uni conjugum sunt in eadem linea consanguinei; ut frater aut soror uxoris.

### Articulus VIII.

ART. 8. probat gradus affinitatis extendi sicut gradus consanguinitatis: quia cùm gradus affinitatis sumantur ex gradibus consanguinitatis; oportet tot esse gradus unius, quot alterius. Vide Artic. 6. concl. 2.

### Articulus IX.

ART. 9. tradit conjugium inter affines vel consanguineos contractum intra gradus prohibitos, semper esse dirimendum, sive contrahentes tale impedimentum sciverint, sive non: quia est ipso jure nullum; & omnis carnalis copula extra legitimum matrimonium est peccatum mortale, quod Ecclesia modis omnibus debet impedire.

Neque audiendi sunt qui talia opinantur esse vera conjugia, donec fuerint per Ecclesiæ judicium separata: quia tam affinitas quam consanguinitas, est impedimentum affines & consanguineos faciens inhabiles ad inter se contrahendum. Et, si vera forent inter eos conjugia; nunquam possent per Ecclesiæ judicium dirimi; quia matrimonium semel ratum est indissolubile.

In Resp. ad 3. observa quod cum aliquis conjugum certus est de nullitate sui matrimonij propter occultum aliquod impedimentum dirimens; nec petere nec reddere potest debitum conju-

Universidad de Deusto
Biblioteca



gale, ut quæst. 45. quæsito 5. latius dictum est: Quod si non potest aperire suæ comparti; usque dum obtenta dispensatione consensus renovaverint, conetur ei persuadere vel continentiam ad aliquot hebdomadas aut menses, vel dicat se non posse illi nunc satisfacere sine gravissimo periculo grandis morbi aut etiam mortis (nimirum spiritualis) ideoque velit habere patientiam in aliud tempus; & se non teneri cum tanto suo damno illi acquiescere. Posset etiam vel ob mercaturam vel aliam ob causam foras proficisci, & abesse donec dispensatio advenerit.

*Excõmunicatio.* Observandum est autem quod scienter contrahentes in gradu consanguinitatis aut affinitatis prohibito, incurrant excommunicationem latam in Clementina unica titul. *De consanguinitate*: in quâ eûm excommunicentur illi qui in ejusmodi gradibus *scienter* contrahunt, ab hac censura immunes sunt qui laborant ignorantiâ facti, quamvis non omnino inculpabili, imo & qui laborant ignorantiâ juris non affectata, secundùm Nav. cap. 22. num. 141. Affectatam verò non liberare a pœna, doceri potest ex cap. finali, *De claudestina despensatione*. Si contraxerint, ignorantes impedimentũ, non incurrunt excommunicationẽ per hoc quod impedimento agnito, simul cohabitent vel matrimonium consumment: (tametsi mortaliter peccent, si citra dispensationem id faciant) quia Pontifex in Clementina non punit incœstum, sed contractum, eumque matrimonialem: Unde si qui tale impedimentum scientes, inirent sponsalia, & haberent copulam animo maritali, non incurrerent hanc censuram, ubi Concil. Trid. est publicatum, quia non contrahunt matrimonialiter; secus ubi Concil. non est publicatum, quia in istis locis ejusmodi copula est virtualiter contractus matrimonialis. Ita post Navar. Ledesma. Idem judicium est de illis affinibus & consanguineis qui scienter contrahunt, sed absque Parocho & testibus: si enim sic contrahant ubi Conc. est publicatum, huic pœnæ non subjiciuntur, eò quod non contrahant matrimonialiter: Alibi autem contrahentes, pœnam incurrunt.

Huic pœnæ non subjiciuntur illi qui contrahunt, existimantes intercedere consanguinitatem vel affinitatem, sed reverâ non intercedit; neque qui contrahunt ex metu justo, vel aliàs non habentes consensum interiorem, neque qui contrahunt cum conditione suspendente consensum. Videri potest Sylvester verbo *excommunicatio* 9. casu 41. Cajet. cap. 47. Navar. cap. 27. nu. 141. & Ledesmæ hîc. Apud quos tamen est observandum, quod dicant sacerdotem ejusmodi consanguineorum vel affinium matrimonium scienter celebrantem, esse excommunicatum; cum in Clementina, soli contrahentes excommunicentur; non autem consiliũ vel auxilium dantes, neque presbyteri assistentes.

*Quæst.* Supersunt hic duo examinanda: Prius, An qui putant se esse consanguineos vel affines intra gradum prohibitum, cum revera non sint, valide contrahant, si attentent? Resp. Si hujusmodi impedimento non obstante, putant se posse inire validum contractũ, valebit: si autem credunt non valere, non valebit: quia deest consensus. Ita post Sylvestrũ Navarr. capite vigesimo secundo numer. 43.

*Quæst.* Posterius, quid faciet *qui aliter quam ex confessione* novit subesse impedimentum inter conjuges, hoc ignorantes?

Si impedimentum est prorsus occultum, & inter conjuges est bona fides; magna autem incommoda apparent secutura, sive infamiæ, sive aliorum damnorum si agatur de divortio; nec obtineri possit dispensatio vel aliud remedium adhiberi, nisi cum maxima difficultate; etiamsi sit Parochus vel confessarius qui talẽ impedimentum novit; tacere debet & relinquere ejusmodi conjuges in sua bona fide. Lorcas in 2. 2. quæst. 33. artic. 5. disputat. 41. ad hoc propositum meritò pertinere censet, quod Innocent. 3. cap. *Quia circa*, tit. de cõsanguinitate, dicit; *dissimulare poteris ut remaneant in copula sit contracta, ũ ex separatione (sicut asseris) grave videas scandalum imminere.* Loquitur enim Pontifex de illis qui contraxerant in gradu tunc prohibito. *Resp.*

Et confirmari potest hæc sententia, partim quia præceptum fraternæ correptionis non obligat, quando non speratur fructus, ut ostendimus 2. 2. qu. 33. ar. 2. quæsito 6. partim quia nulli debemus laqueum injicere; quod tamen faceret is qui admoneret illum impedimenti sui matrimonij, quando non speratur fructus.

Si autem vel impedimentum sit publicum (ex quo proinde populus scandalizatur;) vel occultum quidem, sed remedium adhiberi possit absque ullius gravi infamia, vel scandalo, aut alio magno detrimento; oportet vel eos conjuges monere, vel denuntiare illi qui prodesse potest, & non vult obesse; quoniam obviandum est fornicationibus etiamsi solum sint materiales, quando commodè fieri potest.

*Quæst.* Petes Primò, quid si conjux invincibiliter ignorans suum matrimonium esse invalidum propter occultum impedimentum dirimens, ita sit affectus, ut ex irâ, odio, vel alia injusta causa nolit debitum reddere conjugi, etiam invincibiliter ignoranti; & Confessarius non speret fructum ex admonitionis invaliditatis, quæ omnino est occulta: An possit illum absolvere sacramentaliter.

*Resp.* Resp. non posse; cum sciat illum esse in malo statu secundùm suam conscientiam.

Quid ergo, poterit me eum monere ut debitum reddat?

Resp. non posse, quandoquidem ipse sciat illam non esse veram ejus uxorem: Sed seriò illum moneat de ira vel odio penitus deponendo, dicatque illum non posse ignorare quod conjuges obligentur ad conjugale debitum sibi invicem reddendũ, & nihil unquam esse faciendum ex indignatione vel alia injusta causa.

Dixi, *aliter quam ex confessione*; quia is qui non novit impedimentum quod est inter aliquos, nisi ex Confessione; extra illam non potest quicquam dicere vel agere ad conjugem (qui esse putantur) separationem; sed perinde debet agere ac si nihil sciret. Confer quæstionis octavæ articulum quintum, quæsito 7. & quæstionis undecimæ articulum 1.

*Quæst.* Petes Secundò, quid si matrimonium sit contrahendum ab illis inter quos est occultum impedimentum dirimens, cujus ipsi non sunt conscij.

*Resp.* Resp. illud esse denunciandum ab eo qui habet ejus notitiam, etiamsi solum noverit ex auditu, modò audiverit ex persona fide digna, & denuntiare possit absque gravi suo & aliorum detrimento: quia hoc pertinet ad evitandum damnum contrahentium & liberorum ipsorum.

Si verò



Si verò sit ipse Parochus qui illud impedimentum novit & quidem extra Confessionem, caveat ipsos tametsi impedimentum negantes conjungere, sed ipsos contrahere volentes moneat ne procedant ulterius, addens quod non possit eos conjungere neque sit conjuncturus; negotiumque ad Episcopum tempestivè deferat. Ad eum quippè pertinent causæ matrimoniales. Si tamen ab Episcopo compellatur eos conjungere, eò quod ipsi ostenderint nullum esse impedimentum; non peccabit Parochus obediendo, quamvis impedimentum noverit: quia justam habet causam fungendi suo munere.

At si per solam confessionem sciat impedimentum; in ea sola pœnitentem moneat, & à contrahendo avertat: Qui si sit refractarius, & extra confessionem petat conjungi; oportet acquiescere eosque conjungere. Conferantur Adrian. in 4. qu. 5. de confessione dub. 7. Navar. c. 22. nu. 83. Bonacin. qu. 3. p. ult.

## Articulus X.

Art. 10. tradit, quod ad separationem matrimonij inter affines vel consanguineos contracti, procedendum sit per viam accusationis, quâ non tam personæ, quàm ipsum matrimonium accusetur. Accusatur autem matrimonium, quando judici aperitur impedimentum, ob quod est invalidum, cùm tamen putetur esse legitimum. Cùm ijs quæ habet author, conferenda sunt capitula li. 4. Decret. tit. 18.

## Articulus XI.

Art. 11. docet ad separationem matrimonij procedendum esse per testes; quia in omni causâ testes audiuntur. Et debent hi testes esse fide digni; aut certè tales qui non ex auditu referant, sed competenter probent.

Petes, quid agendum sit conjugibus, quando judex ex allegatis & probatis judicat eorum matrimonium esse nullum, quod in rei veritate est validum: Aut, quando judicat esse ratum; quod revera est nullum.

Resp. eos in conscientiâ non ligari tali sententiâ judicis; quia secundùm rem est injusta, etiamsi non secundùm modum judicij. Propter scandalum tamen, ne videantur contemnere sententiam Ecclesiæ, debent specie externa parere: in priori quidem casu, per sui separationem; in posteriori autem, per mutuam cohabitationem, absque tamen copula conjugali, etiamsi illa præciperetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Confer quæ diximus quæstion. 45. articul. 4. quæsito 5.

# Quæstio LVI.

## *De impedimento cognationis spiritualis.*

### Articulus I.

*Cognatio spiritualis dirimit matrim.* Art. 1. Docet cognationem spiritualem, si matrimonium antecedat, impedire illud contrahendum, & dirimere contractum: quia, sicut per carnis propagationem homo accipit esse corporale; ita per Sacramenta accipit esse spirituale; & ex utraque propagatione contrahitur aliquod vinculum quod matrimonium dirimit, quamvis differenter. Nam ex propagatione carnali sequitur vinculum quod in aliquo gradu impedit matrimonium jure naturæ; spiritualis autem cognatio non impedit nisi jure Ecclesiastico; quod, propter dignitatem ac reverentiam spiritualis regenerationis & confirmationis, hoc impedimentum jam olim statuit; ut patèr ex capitulis 30. quæst. 1. citatis. *Ex jure Ecclesiastico.*

*Descriptio.* Est autem Spiritualis Cognatio, quædam propinquitas proveniens ex collatione Baptismi, vel Confirmationis, aut tentione ad illa; ut hîc argumento quarto, & in fine corp. art. sequentis docet Author. Cæterum, si hæc spiritualis cognatio subsequatur matrimonium; non potest ejus vinculum dirimere, sed impedit usum illius, nisi fuerit inducta per necessitatem, vel ignorantiam inculpabilẽ. Unde si unus conjugum, sciens & volens baptizet suam prolem extra casum necessitatis; sive in fraudem matrimonij hoc faciat, sive non, amittit jus petendi debitum, etiamsi teneatur reddere. Si autem fuerit necessitas, potest debitum petere sicut prius, ut habetur in decretis antiquis Cameracensibus tit. 2. & expressum est in jure, 30. qu. 1. cap. *Ad limina.* Hinc Rituale Rom. Pauli 5. jussu editum, *Pater aut mater propriam prolem baptizare non debet præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptizet: neq; tunc ullã contrahunt cognationem quæ matrimonij usum impediat*: quia pœna non incurritur per actum bonum; non posse autem uti matrimonio legitimè contracto, est pœna. Idem judicium est, si per ignorantiam inculpatam contingat parentem baptizare, vel ad Confirmationem tenere suum filium; quia nec ibi culpa intervenit: sine culpa autem non privatur aliquis jure petendi debitum, cap. *Discretionem*, tit. De eo qui cognovit consanguineam uxoris. Et cap. *Si vir*, tit. De cognatione spirituali. Vide quæ diximus 3. p. q. 67. art. 8. *De baptizante suam prolem.*

*Quæst.* Petes, Utrum idem sit dicendum, si quis in necessitate baptizaret suum filium ex fornicatione susceptum.

*Resp.* Resp. quod non. Talis enim incurreret impedimentum dirimens, ideoque non posset inire validum matrimonium cum sua concubina.

*Ob.* Si dicas, neque hunc debere puniri propter actum baptizationis licitum, imo necessarium.

*Resp.* Resp. eum non puniri, contrahi enim cognationem quæ subsequens matrimonium dirimat, non ad pœnam, sed ad quoddam amicitiæ genus pertinet.

Arti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS II.

ART. 2. probat spiritualem cognationem solùm oriri ex Baptismo & Confirmatione: quia in istis tantum Sacramentis est quædam spiritualis regeneratio, proprie quidem in Baptismo, qui vocatur *lavacrum regenerationis* ca. 3. ad Titū: In Confirmatione verò hactenus, quia per eam perficitur regeneratio prius facta. Qui enim erat in utero Ecclesiæ conceptus per baptismum, quasi ab ea fovendus, per Confirmationem velut extra uterum ponitur, cùm per eam roboratus in publicum exponitur ad confessionem nominis Christi. Hinc Bonifacius 8. ca. finali *De cognatione spirituali* in 6. *Ex datione verò aliorum Sacramentorum, cognatio spiritualis nequaquam oritur quæ matrimonium impediat, vel dissolvat.*

In RESP. ad 3. observandum est impedimentum quod olim oriebatur ex catechismo, sublatum esse per Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. ut tradunt Ledesma ad sequentem art. & Sanchez lib. 7. disp. 10. & nos quoque diximus q. 50.

Circa respons. ad 9. observa sententiam esse verisimilem, quod si confessarius carnaliter cognoscereteam cujus audivit confessionem, deberet eam circumstantiam in confessione exprimere, tam ipse Confessarius, quam illa mulier; quia per Sacramentum pœnitentiæ contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem & Sacerdotem, spirituali cognationi simile; ut propterea ejusmodi circumstantia, si non mutat speciem, saltem notabiliter aggravet, ideoque sit necessariò confitenda, ut B. Thomas hìc indicat, quem sequitur Sanchez lib. 7. disp. 55. cum aliis; etiamsi Emanuel Sa, *Verbo Confessio*, Pontius lib. 7. cap. 38. & Bonacinas cum pluribus aliis probabiliter sentiant oppositum, q. 4 p. 16. propos. 5.

ARTICULUS III.

ART. 3. docet cognationem spiritualem ejus qui baptizatur aut confirmatur, extendere se non solum ad baptizantem & confirmantem, sed etiam ad susciptientem: quia sicut is qui Sacramentum confert, gerit personam Dei; ita qui suscipit, gerit personam Ecclesiæ: in generatione autem non solus pater cognationem trahit, sed etiam mater.

*Quæstiones variæ.*

Multa hìc possunt quæri. PRIMUM, An hæc cognatio solùm oriatur ex baptismo solemniter celebrato.

SECUNDUM, quid ad eam requiratur ex parte susciptentis.

TERTIUM, quot possint esse susciptientes.

QUARTUM, An procuratorio nomine susciptiens propinquitatem aliquam contrahat.

*Resp. ad 1*

Sed ad 1. RESP. negativè, contrahitur enim propinquitas hæc ex baptismo, sive domi, sive in Ecclesia, sive cum cæremonijs, sive sine illis ministrato: & qui tunc assumuntur in patrinos, eandem contrahunt, si prolem offerant ad Baptismum tanquam patrini, & ut tales, ejus curam suscipiant: si autem offerant, non ut patrini, sed solùm ut subservientes necessitati, probabile est quod nullam contrahant. Et similiter, si quis post baptismum domi propter necessitatem collatum, adhibeatur ut patrinus tunc quando solemnes cæremoniæ supplentur, nullam etiam contrahit propinquitatem, sicut nec ille adhiberetur, dum quis, vel scienter, vel ignoranter rebaptizaretur.

Si autem adhibeatur, quando (propter dubium de baptismo) puer sub conditione baptizatur, & baptizans & susceptor præsumuntur cognationem contrahere; ideoque non possunt inire matrimonium cum baptizato, neque cum patre vel matre baptizati.

*Ad 2.* AD 2. Susciptens ad baptismum debet esse baptizatus; alioquin non contrahit cognationem, sicut neque contrahit ille qui baptizat, si ipse non sit baptizatus; quia est expers spiritualis vitæ, ac per consequens spiritualis cognationis, hìc ad 3. Confer q. 67. ar. 8. in 3. part.

Tenens autem ad Sacramentum Confirmationis, debet etiam esse confirmatus: si tamen is qui non est confirmatus, teneat alium, spiritualem contrahet cognationem, quia est ejus capax, per baptismum; neque est aliquod decretum illam irritans. Vide quæ diximus qu. 72. art. 10. in tertiam partem.

Insuper, ut quis sit patrinus; debet eum quem suscipit, manu tenere; vel signis, verbis, & assistentia declarare quod eum officio susceptoris offerat ad baptismum vel confirmationem.

*Ad 3.* AD 3. Possunt ut summum esse duo susciptientes in baptismo, ijque non ejusdem sexus: Nam Conc. Trident. sess. 24. cap. 2. *ad summum unum & unam*, vult admitti. Neque potest Episcopus in contrarium dispensare, ne quidem tunc quando susciptientes sunt consanguinei, sive inter se, sive cum baptizato ejusque parentibus. De casu autem quo vel nulli designantur à parochò, vel plures duobus, dictum est 3. part. qu. 67. art. 7. Sicut etiam qu. 72. art. 10. est significatum, quod in Confirmatione unus vel una solùm sit admittenda ad tenendum illum qui confirmatur.

*Ad 4.* AD 4. RESP. negativè: quia si alij ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt, ait Synodus Trid. procurator autem est ultra designatos, designantur enim principales, non autem eorum procuratores. Ita respondit congregatio Cardinalium, ut tradit Emanuel Sa, verbo *Matrim. impedim.* Unde cum Navarrus l. 4. consil. de cognat. spirit. consilio 6. resolvisset sententiam huic oppositam; in fin. operis sic legimus: *Advertatur quod Congregatio sacri Concilij tenuit contrarium, videlicet cognationem spiritualem contrahi per procuratorem; & ipsum procuratorem eam non contrahere, sed mandantem.* Similiterque loquitur & sentit Bonacinas q. 3. p. 5. §. 2. cum pluribus ab eo citatis, & Pontius l. 7. c. 39.

Confirmatur 1. quia quæ procurator agit, non agit nomine suo, sed alterius: ergo non ipse cognationem contrahit, sed alter.

Confirm. 2. Nulla ibi est actio patrini quæ sit simpliciter personalis, ut videri est 3. p. q. 67. art. 7. ergo potest per alium susceptio fieri, sic ut mandans censeatur per alium suscipere.

Confirmatur 3. cura spiritualis quæ incumbit susceptori, potest exerceri per alium cui ipse hoc demandavit, v. g. per ludimagistrum vel pædagogum: ergo potest etiam per alium accipi. Accedit quod alioquin dicendum foret illi puero quem soli procuratores suscipiunt, nullos esse patrinos si nolint eum suscipere nomine proprio, sed tantum alieno: id quod non videtur admittendum, quia hoc esset contra universalem Ecclesiæ legem & consuetudinem.

DICES, si Parochus ad baptizandum rogatus curet



curet alium baptizare, non parochus cognationem contrahit, sed ille alius: ergo similiter is qui procuratorio nomine suscipit, & non is qui mandatum dedit, contrahit illam cognationem.

*Resp.* RESP. neg. C. quia iste alius baptismum ministrat, & non Parochus; jure autem Ecclesiastico eam cognationem contrahit baptizans: Qui verò ut procurator baptismo assistit, is officium susceptoris non acceptat sibi, sed principali; cognationem autem contrahit is qui sit susceptor, seu qui officium susceptoris sibi acceptat.

ARTICULUS IV.

ART. 4. docet cognationem spiritualem à viro transire in uxorem, & contra, secundùm scilicet jus antiquum, quo transibat à viro in mulierem carnaliter cognitam.

*Inter quos sit cognatio spiritualis.*

Sed nunc, post constitutionem Conc. Trid. res non ita se habet. Nulla enim est spiritualis propinquitas seu cognatio inter baptizantem & susceptorem; neque inter susceptores; neque inter baptizatum & filios baptizantis vel susceptoris: Sed tantum est propinquitas baptizantis cum baptizato & ejus parentibus, susciptientis aut susciptientium, etiam cum baptizato & ejus parentibus. Et similiter in confirmatione.

Ac propterea si maritus & uxor eandem prolem suscipiant, nihil vetat eos matrimonialiter copulari, sicut prius; ut declaravit Pius 5. in Bulla, *Cum illis vicem*, anno 1566. data. Et si duo, unus & una simul eandem prolem de sacro fonte levent, possunt (si aliundè nihil obstet) matrimonium simul contrahere. Sed nec aliquid prohibet filiastrum accipere in matrimonium, uxorem aut filium sui patrini. Verba ergo Conc. quibus dicit, *Inter quos ac baptizatum ipsum* &c. non sic sunt intelligenda, quasi inter unum & unam, patrinum & matrinam, cognatio intercedat; sed sensus est, *inter quos*, susciptientes scilicet ex una parte, ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, ex altera, *spiritualis cognatio contrahatur.*

ARTICULUS V.

ART. 5. tradit esse tres species cognationis spiritualis, paternitatem, compaternitatem, & fraternitatem: sed cum fraternitas, consistens nimirum inter baptizatum & filios baptizantis & susciptientis vel susciptientium, sit per Conc. Trident. penitus sublata; solum remanent duæ, scilicet paternitas & compaternitas, eaque cum aliqua limitatione. Paternitas quidem quæ est inter baptizantem, confirmantem, vel susciptientem & baptizatum vel confirmatum; & compaternitas quæ est baptizantis vel confirmantis aut susciptientis, cum parentibus baptizati vel confirmati.

# QUÆSTIO LVII.

## *De cognatione legali.*

ARTICULUS I.

ART. 1. docet *Adoptionem* convenienter definiri, *quod sit persona extranea in filium vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio.* *Quid adoptio.*

*Persona extranea* dicitur, non quæ sit à genere adoptantis prorsus aliena (nam Jacob filij sui Joseph filios adoptavit, Gen. 48.) sed quæ erat extra potestatem adoptantis, & à jure ad quod assumitur; aliena. Dicitur *in filium vel nepotem*; &c. quia nemo adoptatur in patrem vel fratrem, sed tantum in filium, nepotem, vel deinceps. Dicitur *assumptio* seu electio, *legitima*, quia debet fieri secundùm formam legum.

Adoptari autem possunt tam fœminæ quam viri: adoptare verò possunt regulariter soli viri, ijque qui sunt prorsus sui juris, nati viginti quinque annos, naturaliter potentes ad consummationem matrimonij, & octodecim annis majores adoptivo. Confer Respon. ad 3. & 4. & Sylvestrum verbo *Adoptatio*, q. 5.

*Ratio adoptionis.*

Cur adoptatio sit introducta, ratio est; ut qui naturaliter filios non habent, cum vel habuerint vel habere potuerint; orbitatem suam consolentur adoptatione, quasi voluntaria quodā generatione.

Dixi, *vel habere potuerint:* nam quod (secluso principis privilegio) adoptare non possint illi qui perpetuum à natura impedimentum habent ad generandum, in resp. ad 4. declaratur.

*Duplex adoptio.*

Circa Responsionem ad 1. Notanda est duplex adoptio.

Una *perfecta*, per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, eique succedit; & proprio nomine vocatur *Arrogatio*.

Altera *imperfecta*, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis; & vocatur communi nomine adoptio, aliàs, *simplex adoptio.*

Differunt autem, *Primo*, quod arrogatio transferat personam in potestatem adoptantis, instar filij naturalis; ita ut debeat illi succedere in hæreditatem: adoptio autem non transfert adoptatum in potestatem adoptantis, nec ei tribuit jus ad hæreditatem.

*Secundò*, quod arrogatio solius principis authoritate fieri possit, ac certa verba requirat, adoptio autem fieri possit sine verbis, & cum authoritate magistratus.

*Tertiò*, quod adoptari potest qui non est sui juris, non autem arrogari.

ARTICULUS II.

*Quid legalis propinquitas.*

ART. 2. tradens quod legalis cognatio est quædam propinquitas quarundam personarum provenions ex adoptione: Docet eam cognationem impedire matrimonium, quia leges civiles hoc statuentes sunt approbatæ per Ecclesiam. ca. *Ita diligere.* ca. *Post susceptum*, ca. *Per adoptionem* 30. q. 3. & c. unico, *De cognatione legali*, l. 4. decret. Ubi cum Nicolaus Papa dicat, *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit; quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt*; intelligendum est cognationem legalem non solum impedire, matri-

Universidad de Deusto
Biblioteca



matrimonium contrahendum, sed etiam dirimere contractum. Quo modo S. Thomam intellexisse probari potest ex quæst. 50. Ubi cognationem (sub qua naturalis, spiritualis, & legalis comprehenditur) annumeravit impedimentis dirimentibus. Dicitur *legalis cognatio*, quia est per legem introducta. A

*Quæst.* Duplex autem est difficultas. Una, quæ legalis cognatio matrimonium dirimat.

Sylvester Innocentium secutus verbo *matrimonium*, 8. q. 8. Dominicus dist. 42. q. 2. ar. 2. Ledesma hîc, & Sanchez lib. 7. disp. 63. probabiliter docent quod sola illa quæ provenit ex *adoptione perfecta*. Ideo enim cognatio legalis impedit matrimonium, quia filius adoptatus debet habitare in domo adoptantis: Atqui hoc non est necessarium, nisi sit adoptio perfecta, ergo ex ea sola oritur istud impedimentum. Hanc autem esse mentem B. Thomæ patet, tum ex corp. hujus art. tum ex *Resp.* ad 1. & 4. art. sequentis; ubi solum loquitur de adoptione perfecta. B

*Resp.* Nec obstat quod canones citati loquantur indistinctè; ipsa enim canonum ratio, quam assignat B. Thomas, scilicet quod filius adoptatus conversetur in domo adoptantis sicut filius naturalis; ideoque facilis pateret locus concupiscentiæ, si adoptio non esset impedimentum dirimens, clarè ostendit illos canones esse intelligendos de adoptione perfecta. C

*Ob.* *Resp.* Altera difficultas est, an cognatio legalis ex adoptione perfecta proveniens post matrimonium, impediat ejus usum. Ledesma respondet non impedire, quia id nullo jure cavetur, & potest ejusmodi cognatio advenire ne culpa conjugum.

### Articulus III.

*Diversæ species cognationis legalis.* Art. 3. assignat *tres species* cognationis legalis.

*Prima* est quasi ascendentium & descendentium, quæ scilicet contrahitur inter adoptantem & adoptatum, ac adoptati filios & nepotes usque ad quartum gradum. D

*Secunda* est lateralis inter adoptatum & filium seu filiam naturalem adoptantis.

*Tertia* respondet affinitati, & est inter adoptantem & uxorem adoptati, vel inter adoptatum & uxorem adoptantis.

Hæ species singulæ dirimunt matrimonium, sed differenter: *Prima & Tertia* in perpetuum; hoc est, etiam post dissolutionē adoptionis, vel post emancipationem adoptati: 30. q. 3. c. *Ita diligere* & digest. l. 23. tit. 2. lege *Adoptivus. Secunda* vero solū quamdiu persona adoptata manet in potestate adoptantis. Unde, patre mortuo, vel filio adoptivo & filia naturali emancipatis; potest contrahi matrimonium inter filium adoptivum & filiam naturalem, cap. de cognat. legali l. 4. decret. E

*Quæst.* An etiam contrahi possit inter filiam illegitimam adoptantis & adoptatum: ac rursum, an inter ejusdem adoptantis filios adoptivos, durante adoptione, ambigitur. Sylvester verbo *matrimonium*, 8. q. 8. Notabili 6. & 8. utrumque affirmat, eumque sequitur Tolet. lib. 7. cap. 4. & alij quos refert Sanchez lib. 7. disp. 63. Si in usu esset hæc adoptio vel arrogatio; consulendus esset Pontifex, & rogandus ut eam, quoad effectum impediendi matrimonij moderaretur. *Resp.*

## Art. I.

## QUÆSTIO LVIII.

## *De impedimento frigiditatis, maleficij, furiæ vel amentiæ, incæstus, & defectus ætatis.*

### Articulus I.

ART. 1. docet frigiditatem impedire ac dirimere matrimonium, quia frigidus est inhabilis ad solvendum debitum conjugale; ac proinde non potest se obligare ad illud solvendum; quod tamen ad contractum matrimonij requiritur. Vocatur hoc impedimentum generali nomine IMPOTENTIA: cujus quia potissima species est frigiditas, & quia frequentius ex ea consurgit impotentia viri; ideo sub frigiditate comprehenditur omnis defectus naturalis, reddens personam impotentem ad opus conjugale, hîc ad 1. sive sit impotentia propter nimium calorem, sive propter frigiditatem, sive (quod ex parte mulieris attenditur) propter arctationem. *Quid frigiditas.*

### QUÆRITUR I.

*Qualis impotentia dirimat matrimonium.*

CERTUM est quod non omnis impotentia generandi. Nam inter senes & steriles valida sunt matrimonia, quando possunt copulâ conjugalem exercere, quamvis non sint apti ad generandū.

Impotentia ergo quæ matrimonium dirimit, est *impotentia copulæ carnalis*: id est, illius copulæ in qua viri & mulieris commiscentur semina, quemadmodum colligi potest ex q. 55. ar. 3. in corp. & ar. 4. ad 2. & ut pluribus tradit Sanchez l. 2. de matrim. disp. 21. nu. 5. & l. 7. disp. 91. nu. 7.

Hujus ratio est, quia de ratione matrimonij est traditio potestatis ad copulam carnalem, hæc autem copula fieri non potest nisi possint commisceri semina seu quæ sunt loco seminum.

SI DICAS copulam carnalem non esse de essentia matrimonij: RESP. sufficere quod naturalis potentia ad illam sit de ejus essentia.

Hæc impotentia, vel est perpetua, vel temporalis, si perpetua, dirimit matrimonium post eam contractum: si temporalis, non dirimit, cap. *Laudabilem*, cum sequentibus tit. de frigidis, & maleficiatis.

Perpetua dicitur, quæ præter divinum miraculum, per opus humanum absque corporali periculo nequit removeri; ut ibidem indicat Innoc. 3. c. *Fraternitatis*. *Impotentia quæ perpetua.*

Temporalis autem dicitur quæ arte humana tolli potest absque periculo.

PETES, quid si impotentia tolli possit vel per opus humanum, sed non sine peccato, vel per operam dæmonis. RESP. esse tunc perpetuam, quia illud fieri non potest quod jure & absque peccato fieri non potest.

Ad cognoscendum verò an sit perpetua, an temporalis; conceditur ab Ecclesia triennium; quo tempore si bona fide operam dederint matrimonio consummando, nec tamen fuerit consummatum; Ecclesia judicat impotentiam esse perpetuam,



tuam, & matrimonium antea contractum, fuisse nullum, concedítque non impotenti ut liberè transeat ad alias nuptias, ut patet ex ijsdem capitulis. In quo judicio si contingat Ecclesiam errare, ut si is qui judicabatur perpetuò impotens, copulam postea perficiat cum eadem vel cum altera persona, redintegratur prius matrimonium, & dissolvitur posterius. Ibidem, cap. *Accepisti*, & cap. *Fraternitatis*. A

### QUÆRITUR II.

*Quo jure naturalis impotentia dirimat matrimonium?*

VIDETUR quod non naturali. PRIMÒ, quia stando in jure naturæ, temporalis impotentia non dirimit pro eo tempore quo durat: ergo nec perpetua. B

SECUNDÒ, impotentia scita ab eo qui paratus est contrahere cum impotente, non annullat matrimonium, ut B. Thomas hîc ad 4. significat: ergo quod ea quæ ignoratur, annullet, solum provenit ex jure positivo.

RESPONSIO communis est, impotentiam perpetuam jure naturali dirimere matrimonium; quia tollit id quod est de essentia matrimonij, scilicet traditionem potestatis ad copulam carnalem.

AD 1. ARGUM. negatur consequentia. Qui enim habet impotentiam temporalem, etiam quando habet illam, potest se obligare ad reddendum debitum pro eo tempore quo erit potens: sicut qui non est hodie potens solvere debita pecuniaria, potest se obligare ad ea solvendum, quando habebit pecuniam: qui verò habet impotentiam perpetuam, nullo modo potest se obligare ad debitum conjugale. C

AD 2. Negatur antecedens. Impotentia enim sive cognita sive ignorata, semper dirimit matrimonium, si est perpetua: quia per hoc quod cognoscatur, non desinit esse contraria substantiæ matrimonij; quandoquidem non compatiatur secum traditionem corporis ad actum conjugalem. D

*Ob.* *Resp.* SI DICAS cum qui novit alterius impotentiam, cedere juri suo. RESP. illam cessionem, cum sit juris ad essentialem rationem contractus pertinentis, non stare cum substantia contractus: quemadmodum nec ea qua quis vellet cedere juri indissolubilitatis matrimonij.

AD Beatum Thomam RESP. eum loqui de illa impotentia, quæ (sicut servitus cum qua illam comparat) potest removeri; hæc enim si cognoscitur ab altero contrahentium, non dirimit contractum: si verò ignoratur; quamvis non regulariter, certo tamen casu dirimit, quando scilicet tollit consensum.

*Sylv. in III. Part.*

### QUÆRITUR III.

*An detur impotentia naturalis respectiva, quæ matrimonium dirimat.*

MULTI probabiliter affirmant apud Sanchez lib. 7. disp. 93. num. 5. & Basil. Pontium lib. 7. ca. 61.

B. tamen Thom. hîc ad 5. & art. 2. in corp. Bonavent. in 4. d. 34 ar. 2. q. 2. ad ult. Sylvester verbo Matrimon. 6. qu. 1. Tabiena Impedim. 12. q. 6. Fumus eodem verb. nu. 49. & 50. non minus probabiliter negant; concedentes quidem virum alicui posse esse impotentem respectu unius, v. g. virginis qui potens sit respectu alterius: sed negantes talem respectivam impotentiam, si sit naturalis, esse perpetuam; volentesque quod arte humana possit tolli, ac per consequens quod non dirimit matrimonium. Unde ca. *Requisisti* 33. q. 1. c. *Accepisti*, ca. *Laudabilem*, ca. *Fraternitatis*, tit. De frigidis & maleficiatis, constitutum est ut qui post separationem matrimonij reperitur habilis ad aliam, ad prius matrimonium redeat, quia ex eventu cognoscitur impedimentum quod antea erat, non fuisse perpetuum.

*Quæst.* *Resp.* PETES, quid si is qui laborat temporali impotentia, nolit dare operam ut ea tollatur? RESP. matrimonium nihilominus subsistere, quia sic laborans non est inhabilis. Peccat autem, si parte instante ut tollatur, non acquiescit, quando absque notabili incommodo posset tolli per media licita. Si verò tolli quidem possit, sed non aliter quàm per maleficium; ea non est censenda temporalis, sed perpetua, ut quæsito 1. dictum est: si tamen contingat sic tolli, ex art. seq. patebit quid sit agendum. C

PETES præterea, quid si mulier quæ propter arctitudinem est inepta suo viro, possit reddi apta per incisionem. RESP. si potest sic apta reddi sine periculo vitæ, impotentia non est perpetua, neque matrimonium judicandum est esse invalidum.

Utrum verò teneatur incisionem pati. RESP. quod non, si potest alio naturali medio aptari. Si non potest; modo ex incisione non timeatur damnum vitæ nec morbi gravioris, tenetur illam pati, non obstantibus magnis doloribus, Alias non. Plura vide apud Sanchez l. 7. disp. 93. D

### QUÆRITUR IV.

*Quid sit agendum, quando constat de perpetua impotentia alterutrius conjugatorum?*

GREGORIUS cap. *Requisisti* 33. qu. 1. consulit ut tanquam frater & soror simul habitent; aut si separentur, maneant innupti. Si ergo nullum periculum sit agendi ea quæ solis conjugibus sunt permissa, & absit scandalum, possunt simul manere: alioquin separandi sunt, relicta ei qui non est impotens, libertate transeundi ad alias nuptias; quas si non expectata judicis sententia contraheret, illæ quidem essent validè, sed graviter peccaret. E

Ex his consequens est, matrimonia eunuchorum & aliorum qui verum semen emittere non possunt, merito per Sixtum quintum declarata esse irrita, in litteris ad Episcopum Novariensem, sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuntium, ubi sic

Universidad de Deusto
Biblioteca



sic loquitur, *Eidem fraternitati tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut conjugia per dictos, & alios quoscumque eunuchos & spadones, utroque teste carentes, cum quibusvis mulieribus defectum prædictum, sive ignorantibus, sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles, authoritate nostra declares. Et tam locorum Ordinarijs, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam qui sic de facto matrimonium contraxerunt, separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida esse decernas.*

## QUÆRITUR V.

*Vtrùm naturalis impotentia perpetua matrimonia superveniens ipsum dirimat.*

QUIDAM affirmant, si matrimonium adhuc sit inconsummatum, quia potentia ad actum conjugalem est de essentia matrimonij, ut affirmat author hic ad 1.

RESPONSIO negativa certa est. *Nullum* enim *impedimentum matrimonio superveniens potest ipsum dirimere*, ait B. Thomas quæst. 54 art 4. & 6. & consentiunt communiter omnes, nisi quod tam ipse quam alij excipiant votum solemne religionis, ante consummationem matrimonij emissum. Confer Nicolai capitulum, *Hi qui matrimonium*, C 32. q. 7.

AD ARG. autem RESP. De ratione matrimonij prout est in fieri, esse potentiam ad opus conjugale: ut autem postquam semel est legitimè contractum, perduret, potentia illa non requiritur.

### ARTICULUS II.

*Vtrum Maleficium possit matrimonium impedire.*

VIDETUR quòd non: partim, quia maleficium non tollit potentiam copulæ, sed solùm impedit; partim, quia non est perpetuum.

RESPONSIO certa est, maleficium, sive perpetuam impotentiam copulæ conjugalis provenientem ex maleficio, impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum. Quia qui sic est maleficiatus, non potest alteri dare potestatem sui corporis ad opus conjugale; aut saltem non huic personæ respectu cujus est maleficiatus, cum tale opus sit ei impossibile.

AD 1. ARG. RESP. sufficere perpetuum impedimentum potentiæ, quamvis illa potentia non sit sublata: Qui enim sic est impeditus, pro nullo tempore potest dare potestatem sui corporis.

AD 2. B. Thomas respondet esse contra experimentum, & contra jura nova quæ cum antiquis concordant, dicere nullum impedimentum quod E per maleficia præstatur, esse perpetuum.

Jus Antiquum extat 33. qu. 1. cap. *Si per sortiarias*: Novum autem, cap. *Litteræ*, tit. de frigidis & maleficiatis.

Et confirmatur, si dæmon semel aut sæpius potest impedire copulam, Deo permittere: cur non semper, Deo similiter permittente?

Si dicas maleficium semper tolli posse à suo authore; id est negandum, potest enim dæmon plura destruere, quam reparare.

Deinde, *quod non nisi per maleficium tolli potest, est perpetuum*, ait B. Thomas hìc ad 3. Impedimentum enim perpetuum censetur quod per opus humanum licitum tolli non potest.

Ad discernendum autem, an impotentia proveniens ex maleficio sit perpetua, an temporalis; constitutum est, sicut in impedimento frigiditatis ar. 1. quæst. 1. triennium: quo tempore elapso, si adhibitis precibus, jejunijs, eleëmosynis, sacramentorum perceptione, & ecclesiasticis exorcismis, non est sublata ejusmodi impotentia; Ecclesia judicabit esse perpetuam, separabitque conjuges; si verò sublata est, judicabit fuisse temporalem. Nec ob- *Ob.* stat, illud impedimentum censeri perpetuum quod licitè tolli non potest, nisi per miraculum: *Resp.* quia quod fit per preces & exorcismos, etiamsi superet vires naturæ, non est miraculum nisi fiat modo inconsueto.

## QUÆRITUR I.

*Quæ sit differentia inter impedimentum frigiditatis & maleficij.*

PRIMA differentia est, quod maleficiatis dæmon vel horrorem compartis incutiat; vel corpus aliquod medium interponat, vel membra subitò immutet: quorum nihil facit in frigidis.

SECUNDA, quod maleficiatus plerumque sit impotens ad unam, & non ad alias; frigidus autem, ad omnes.

TERTIA, quod Ecclesia non concedit frigido ut po: separationem ducat alteram, concedit autem maleficiato.

QUARTA, si is qui judicabatur frigidus, invenitur habilis ad aliam, debet redire ad priorem, non autem is qui separatus fuit propter maleficium, nisi judicatus fuisset habere impedimentum generale ad quamlibet personam, aut deprehendatur cessare impotentiam respectu illius personæ, à qua fuit separatus: His enim casibus redire deberet maleficiatus ad priorem uxorem, deserta secunda.

Nec obstat quod in cap *Si per sortiarias* dicatur, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt: sensus enim est quod cognita per experientiam potentia copulæ cum alijs habendæ, non est instaurandum prius conjugium: cum hoc autem bene consistit esse instaurandum, si per remedium aliquod licitum deprehenderetur esse potentia *ad eundem* cum qua fuerat prius conjunctus.

Peculiaris difficultas est, si is qui laborat impo- *Quæst.* tentia ex maleficio quod non nisi per maleficium tolli potest, de facto curet illam removeri per maleficium: An debeat redire ad priorem uxorem, relicta secunda. Quibusdam enim videtur quod sic, propterea quod eventus probat impotentiam non fuisse perpetuam. Alij tamen probabiliter negant, *Resp.* ut Sanchez lib. 7 disp. 94. & Henriquez lib. 12. ca. 8. quia illud maleficium cum nullo modo licito posset auferri, erat perpetuum, etiamsi postea per dæmonem fuerit sublatum: & consequenter, matrimonium eo maleficio durante contractum, erat invalidum.

QUÆ-



## QUÆRITUR II.

*Quid agendum, si post separationem causa impotentiæ factam, is qui judicabatur impotens, sit religionem ingressus, vel sacris initiatus, & deprehendatur potens?*

### CONCLUSIO I.

SI professus est religionem, non potest redire ad B uxorem: si non est professus, sed vult profiteri, non tenetur redire. Uxor autem potest nubere alteri, sed non nisi post professionem viri.

Quod si jam ante nupserit, quando deprehenditur impotentia prioris non fuisse perpetua, separanda est à secundo, usque dum prior fecerit professionem: quia matrimonium illud cum secundo, est invalidum, & non potest validari, nisi post prædictam professionem fiat novus contractus.

### CONCLUSIO II.

SI vir iste susceptt sacrum ordinem, & reperitur ab uxore, tenetur ad eam redire, vel religionem profiteri: Si non repetitur, potest manere in suo C ministerio: Uxor autem non potest validum cum altero matrimonium inire, quia durat prius.

## QUÆRITUR III.

*An maleficiatus uti possit aliquo remedio?*

QUATUOR hìc certa sunt. PRIMUM licere uti remedijs Ecclesiasticis, quę si fortasse non proficiant, non est existimandum propterea, quod maleficiatus sit extra Dei gratiam: Pœna enim remanet sublata culpa; ac interdum, afflictiones ejusmodi, Deo permittente, accidunt, non propter peccatum, sed propter probationem. D

SECUNDUM, Tolli posse maleficium per remedia naturalia, quando habet causam naturalem.

TERTIUM, Tolli posse signum maleficij in contemptum & detestationem dæmonis & superstitiosæ artis.

QUARTUM, Non esse licitum petere à malefico, etiam parato, ut maleficium unum tollat per aliud; quia hoc est cooperari peccato illius.

An autem spe nocumenti cessaturi liceat signa tollere, vel à malefico petere ut tollat absque alio maleficio, ad 2. 2. pertinet. Valde autem probabiliter sentire eos qui negant, ibi ostendimus q. 96. ar. 4. etsi aliorum sententiam qui oppositum tenent, non condemnemus. E

### ARTICULUS III.

*Vtrum furia impediat matrimonium.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia Fabianus Pontifex cap. *Neque furiosus* 32. q. 7. dicit, quod neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur.

SECUNDÒ, Si quis sana mente baptismum expetierit, validè conferetur ei postmodum lapso



A in amentiam: ergo similiter est de matrimonio.

RESPONSIO certa est, furiam vel amentiam impedire ac dirimere matrimonium illud quod tempore amentiæ contraheretur; quia ubi deest usus rationis, deest etiam consensus nectendo matrimoniali vinculo necessarius, ca. *Dilectus*, tit. de sponsalibus & matrimonijs.

Si verò amens contraheret tempore lucidi intervalli; quamvis non sit tutum quod sic contrahat, eò quod propter amentiam subinde recurrentem, talis ineptus est educationi prolis; valeret tamen matrimonium; & vel per conjugem sanum, vel per consanguineos, occurri posset ac deberet defectui educationis prolis.

Quod si amentia matrimonio prius contracto superveniat, certum est illud non dirimi, 32. q. 7. ca. *Hi qui matrimonium*. si tamen ea se teneat ex parte utriusque, vel etiam ex parte solius uxoris, non est permittendum ut carnaliter copulentur; tum propter abortus, tum propter prolis educandæ periculum. Si vero solus maritus sit amens, non est uxori interdicendus usus matrimonij: quin potius illa tenetur viro insano qualiter potest petenti, reddere debitum, si periculum est ne alioquin vel polluatur, vel cum altera commisceatur, ut observavit Dominicus in 4. dist. 34. ar. 4. Quamvis enim ipse non foret peccaturus ista faciendo, propter defectum usus rationis, uxori tamen incumbit ne sinat ea per maritum fieri quæ natura sua sunt contra legem naturæ & peccata mortalia.

Si quæras, an liceat duos prorsus amentes sinere *Quæst.* carnaliter copulari: Dominicus & Ledesma res- *Resp.* pondent non licere, tum propter prolis, tum propter abortus periculum, tum etiam propter naturalem honestatem. Peccaret ergo mortaliter qui eos copularet, vel copulari sineret, cùm impedire posset, tenereturque in confessione easdem illarum personarum amentium circumstantias exprimere, quæ forent exprimendæ, si copula inter personas mentis compotes esset habita, quia tales circumstantiæ sunt ab eo volitæ, qui cum potuisset, non impedivit istas personas à commixtione. Sanchez lib. 9. disp. 23. D

AD 1. ARG. RESP. Pontificem ibi statuere, ut si matrimonium amentium aut furiosorum fuerit contractum ante amentiam, non separentur.

AD 2. negand. consequentia: quia recipiens Baptismum, non est agens sed patiens, ideoque sufficit quod aliquando fuerit dispositus, & jam non ponat obicem Sacramento: qui autem matrimonio copulatur, est causa efficiens, non quidem Sacramenti, ut q. 42. diximus, sed contractus: ideoque debet in præsenti consentire & consensum exprimere.

### ARTICULUS IV.

*Vtrum incœstus quo quis cognoscit sororem suæ uxoris dirimat matrimonium.*

VIDETUR quod non. Incœstus enim cum consanguinea propria non impedit matrimonium: ergo nec incœstus cum consanguinea uxoris.

Pro Responsione sit

Universidad de Deusto
Biblioteca



### Conclusio I.

*Confer qu.43. art.1. quæsito*

Incoestus ante matrimonium, etiamsi post sponsalia, commissus cum sorore vel secundo gradu consanguinea suæ sponsæ, dirimit matrimonium quod cum illa sua sponsa vellet contrahere. Quia per talem copulam factus est ei affinis intra gradum prohibitum: qui post restrictionem à Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. factam, est secundus.

### Conclusio II.

Incoestus post matrimonium commissus cum consanguinea uxoris, privat incœstuosum jure petendi debitum, ita ut sine peccato non possit illud exigere, propter affinitatem cum uxore; ipsa autem uxor potest petere, & ei petenti tenetur ille reddere, quia non debet ipsa puniri propter culpam viri.

*Ob.* Nec obstat ca. *Qui dormierit* 27. q. 2. ubi dicitur

*Resp.* quod nec propriæ uxori liceat ei debitum reddere, qui sororem ejus cognovit: quia istud cap. non est ab ecclesia receptum, neque reperitur in aliquo Conc. Aurelian. sub cujus tamen nomine citatur.

### Conclusio III.

Incoestus cum consanguinea uxoris sive viventis, sive etiam (ut probabilius videtur) mortuæ secundùm rigorem juris impedit quodcunque matrimonium postea contrahendum; etsi non dirimat contractum, cap. *Vemens*, Et cap. *Transmisse*, De eo qui cognovit consanguineam uxoris, Ledesma hic, & Sanchez lib. 7. disp. 15.

Ad Arg. autem Resp. probabilius videri quod incœstus cum propria consanguinea intra quartum gradum; quamvis non dirimat, impediat tamen matrimonium quodcunque postea contrahendum secundùm juris dispositionem: ita scilicet ut peccet, qui post ejusmodi peccatum attentet nuptias sine dispensatione. Ita post cap. *Si quis viduam*, 32. q. 7. Angelus verbo *Incœstus*, Navar. cap. 22. num. 74. Et Ledesma hîc. Incurruntur autem hæ pœnæ ipso facto: & quæ dicuntur de viro committente incœstum, pertinent etiam ad mulierem incœstuosam. At ex ijs quæ supra diximus qu. 50. quæsito 1. valdè probabile est ejusmodi impedimenta solum impedientia jam desijsse, præter illa quæ ibi excepimus.

*Quæst.* Cæterum, an incœstus cum propria consanguinea impediat petitionem debiti, sicut incœstus

*Resp.* cum consanguinea uxoris, quæri potest: Dominicus di. 37. probabiliter negat, quia nec inducit affinitatem, nec invenitur in jure.

### Articulus V.

*Utrum defectus ætatis impediat matrimonium.*

Respondet impedire, ita scilicet ut matrimonium contractum ante annos pubertatis (qui sunt in sexu virili decimusquartus, in fœmineo duodecimus, expleti) ordinariè sit nullum: quia ante illud tempus plerumque nec ratio satis viget ad deliberandum & consensum præstandum de re tanta; nec natura idonea est ad solvendum debitum conjugale. Sunt hac de re cap. *Ubi*, cap. *Attestationes*, cap. *Ex litteris* tit. de desponsat. impuberum: & tit. de frigidis cap. *Quod sedem*.

Dixi, *ordinarie*, quia si defectum ætatis suppleat vigor naturæ & rationis; sive, ut loquuntur canones, si prudentia & malitia ætatem suppleat, ita nimirum ut ambo comperiantur esse idonei & ad consensum & ad copulam; matrimonium valebit, cap. *De illis*, & cap. *Tuæ*, dicto tit. De desponsat. impuberum: quod & B. Thomas hîc significat.

Si autem aliqui ante annos pubertatis non sint quidem apti ad copulam, satis tamen prudentiæ habeant ad consentiendum in matrimonium; illud etiamsi attentent, non valebit; quia in supplementum ætatis, canones præter prudentiam, etiam requirunt potentiam copulæ. Ita Dominicus dist. 35. art. 5. & Ledesma hîc.

Quia verò potentiam istam requirunt in supplementum ætatis; ideo si potentia desit, adsit autem ætas per canones requisita, & cum ætate usus rationis, matrimonium valebit, modò impotentia non sit perpetua.

*Quæst.* Quæri hîc etiam potest, quo jure defectus ætatis impediat matrimonium. *Resp.* quod partim

*Resp.* lege naturali, quatenus scilicet ei conjungitur defectus legitimi consensus: partim lege positiva, quatenus secum adfert defectum naturæ ad præstandum officium conjugale.

Unde sequitur quod inter infideles qui non sunt subjecti legibus Ecclesiæ; validum erit matrimonium impuberum, etiamsi necdum sint apti ad copulam; modò habeant sufficientem usum rationis.

Sequitur etiam, quod ex causa dispensari possit ut duo impuberes matrimonium contrahant, quando satis habent judicij: quod significatur in dicto cap. *Ubi*, Multorum est etiam opinio valiturum eorum matrimonium quia ab annis pubertatis non longè absunt, ut quatuor, aut quinque mensibus, cap. *Attestationes*.

Est autem sciendum, quod quando matrimonium est nullum defectu ætatis, æquipolleat sponsalibus, cap. Unico, *De desponsat. impub.* in 6. si videlicet contractum fuerat coram Parocho & testibus; Alioquin, propter decretum Conc. Trid. de clandestinis matrimonijs, nullum omnino habet effectum. Atque hæc de ætate, quantum ad necessitatem.

Honestas vero publica, ipsorumque contrahentium utilitas requirit ut mulieres demum circa vigesimum; viri autem circa 25. annum contrahant.

Ut autem hoc obiter dicatur, præter dispositionem in omnibus matrimonium contracturis requisitam, cujusmodi est, de necessitate quidem peccatorum mortalium contritio, de congruitate verò, confessio & communio, ad quas Synod. Trid. illos hortatur sess. 24. cap. 1. in junioribus specialiter videndum est, an sciant orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, præcepta decalogi & Ecclesiæ, ut præter diœcesanas Synodos, statuit secunda Provincialis Camerac. tit. 11. cap. 6.

QUÆ-



## QUÆSTIO LIX.

## *De disparitate cultus.*

### Articulus I.

Art. 1. docet disparitatem cultus, si præcedat matrimonium; impedire illud contrahendum & dirimere contractum.

*Quid disparitas cultus.* Cultus autem sive religionis disparitas non vocatur hîc ea qua unus est fidelis, alter hæreticus; sed qua unus est baptizatus, alter autem non. Cùm enim matrimonium sit Sacramentum novæ legis; meritò requirit paritatem quantum ad Sacramentum fidei, quod est baptismus.

Dictum est, *si præcedat*; disparitas enim cultus matrimonio superveniens, non per se dissolvit illud, sed solùm propter aliud, de quo agitur art. 5.

Circa Responsionem ad 1.

### QUÆRITUR I.

*Quo jure cultus disparitas matrimonium dirimat.*

Videtur quòd divino. Quæ enim adversantur matrimonio, ut est in officium naturæ, dirimunt ipsum jure naturali: ergo quæ adversantur illi ut est Sacramentum, ipsum dirimunt jure divino positivo. At qui disparitas cultus adversatur matrimonio ut est Sacramentum: quia de ratione hujus Sacramenti est, quod uterque contrahentium sit baptizatus.

Confirmatur, Disparitas cultus repugnat fini matrimonij. Cùm enim finis ejus sit non sola prolis generatio; sed etiam legitima ipsius educatio: ipsaque proles pertineat ad utrumque parentem: si illi sint religione dispares, ea non poterit convenienter educari.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

Matrimonia fidelium cum infidelibus, jure naturali & divino semper fuerunt prohibita, saltem regulariter.

Probatur Primò, quia jus naturale & divinum dictat, omnibus modis vitandum esse periculum peccati: tale autem periculum est ex matrimonio fidelis cum infideli: tum propter mutuum amorem conjugum: tum propter familiaritatem, arctissimam que imò continuam conversationem; ut vel uno sapientissimi Salomonis exemplo doceri potest, cujus *cor depravatum est per mulieres ut sequeretur deos alienos* 3. Reg. 11.

Secundò, matrimonium in dispari cultu adversatur commodæ prolis educationi in fide catholica, paci domesticæ, & exercitio veræ religionis. Unde sicut prohibitum fuit in veteri lege, ut patet ex cap. 34. Exod. 7. Deut. 1. Esdræ 9. & 2. Esdræ 13. ita & in nova, 2. ad Cor. 6 his verbis; *Nolite jugum ducere cum infidelibus*: & 1. ad Cor. 7. *Cui vult nubat, tantum in domino*, id est, christiano, ait Hiero. lib. 1. adversus Jovinianum cap. 5 Tertull. lib. 2. ad uxorem. cap. 1. Cyprianus lib 3. Testimoniorum c. 62. Quam expositionem etiam Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugijs cap. 25. admittit.

His accesserunt decreta Ecclesiastica, Conc. Elibertini can. 19. Chalcedon. can. 13. Aurelianensis

*Sylv. in III. Part.*

A 2. can. 18. Et alia quæ sunt apud Gratianũ 28. q. 1.

Dixi, *regulariter*, quia certis quibusdam circumstantijs, non est jure naturali, aut divino illicitum matrimonium fidelis cum infideli, quando scilicet nullum est periculum ne fidelis aut ejus liberi pervertantur, sed potius est spes vel convertendi infidelem, vel adjuvandi fideles ne exterminentur. Sic Joseph, & Moyses nupserunt gentibus, Helter Assuero S. Cæcilia Valeriano, S. Monica Patricio: & alij alijs.

### Conclusio II.

Matrimonium fidelium cum infidelibus non sunt irrita jure naturali vel divino: partim quia non omnino adversantur fini matrimonij; possunt enim ex eis proles nasci, & catholicè educari, quamvis plerumque difficiliùs quàm si ambo conjuges essent fideles; partim quia validè fuerunt conjugia Ismaëlis cum Ægyptia, Gen. 21. Esau cum mulieribus Chananæis, Gen. 26. & Salomonis cum alienigenis: Nam Roboam filius ejus ex Ammonitide 3. Reg. 14. successit in regnum tanquam filius legitimus: partim denique, quia nec in novo nec in veteri testamento ullum invenitur præceptum, quo talia matrimonia decernantur irrita.

*Ob.* Si dicas illud satis innui, quando 1. Esdræ 10. facta est separatio uxorum alienigenarum: *Resp.* eam separationem non fuisse quoad vinculum, sed solùm quoad habitationem. Unde & ipsæ vocantur uxores, & conjunctiones earum *matrimonia*.

### Conclusio III.

Matrimonia fidelium cum infidelibus in nova lege sunt irrita vi juris ecclesiastici, non in aliquo generali canone expressi, sed consistentis in universali consuetudine totius Ecclesiæ. Post tempora B. Augustini, videtur ea paulatim invaluisse: sive cùm infidelitas jam magis ac magis esset profligata; sive cùm adverteretur infideles restantes non amplius converti per conjunctionem cum fidelibus. Ita nihil mirum; si consuetudo ista non ubique sit æquè cito introducta. Nullum autem esse canonem universalem; probari potest ex eo quod qui allegantur, vel sint concilij particularis, vel solum prohibent ejusmodi matrimonia, non etiam decernunt esse irrita.

Ex his sequitur, primò, disparitatem cultus dirimere matrimonium jure tantùm Ecclesiastico; atque ideo posse ex causis dispensari, ut ea non obstante ineatur validum matrimonium.

*Ob.* Nec obstat præceptum, *Cui vult, nubat, tantum in Domino*: Est enim dumtaxat Apostolicum: sicut *Resp.* illud, *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*. Unde subdit Apostolus, *Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam*.

Sequitur secundò, eodem jure ecclesiastico irrita esse sponsalia fidelis cum infideli, si sint absoluta; valida autem si apponeretur conditio de fidei Sacramento ante matrimonium suscipiendo, hîc ad 3.

Sequitur tertiò, quod matrimonium fidelis cum infideli contractum, non convalescat, eo ipso quo infidelis convertitur & baptizatur: quia quod à principio fuit nullum, non oritur, nisi per novum contractum.

Ad Arg. in contrarium allatum Resp. con-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cedendo quod disparitas cultus jure divino dirimat matrimonium secundùm quod est Sacramentum novæ legis; non autem absolutè, vel secundùm quod est contractus.

Ad confirmationem Resp. disparitatem cultus adversari ut plurimum facili & commodæ prolis institutioni; non autem institutioni simpliciter.

Circa Resp. ad 1. observandum est quod præceptum Deut. 7. & Exodi 34. datum, expresse solùm vetabat matrimonia Israëlitarum cum Chananæis, qui omnes jubebantur occidi, & à quibus alioquin magis erat timendum ne seducerentur Israëlitæ: cum alijs autem gentibus videbantur permitti conjugia; non tamen nisi abesset omne periculum perversionis: quod cùm timebatur vel timeri debebat, existimandum est Israëlitis prohibita fuisse conjugia, cum quibuscunque gentibus, nam 3. Reg. 11. reprehenditur Salomon tanquam harum legum violator, quod duxisset Ammonitidas, & Moabitidas, & Idumæas. Et in libris Esdræ arguuntur Judæi qui duxerant Ægyptias. Cum igitur semper timeri deberet periculum, quando gentiles in sua infidelitate manebant, cum illis sic manentibus non poterant Hebræi miscere connubia qualescunque essent gentiles. Confer quæ dixi ad cap. 34. Exodi vers. 16.

Circa resp. ad 5.

## QUÆRITUR II.

*An validum sit matrimonium fidelis cum persona hæretica baptizata.*

Responsio affirmativa certa est: quia nihil ei deest istorum quæ requiruntur ad verum matrimonium: neque ulla lege divina vel ecclesiastica, tale matrimonium factum est irritum; quin potius cap. *Decrevit*, titul. de hæreticis in 6. supponitur esse ratum.

Cur autem Ecclesia non irritaverit ejusmodi matrimonia, sicut irritavit ea quæ fideles cum infidelibus non baptizatis contraherent.

Ratio Prima esse potest, quia hæreticus baptizatus, propter baptismum computatur inter christianos; & ideo conveniens est quod permittatur esse susceptivus sacramentorum Christi.

Unde sequitur Secunda ratio; quia matrimonium cum hæretica vel hæretico potest esse Sacramentum novæ legis, non autem quod contraheretur cum Pagano vel Pagana.

Tertia, quia matrimonium, utpotè Sacramentum Ecclesiæ, debet pertinere ad Tribunal Ecclesiæ: ad illud autem pertinere non potest, si inter fidelem & infidelem contraheretur; potest verò, quod initur inter fidelem & hæreticam; quia hæreticus est subjectus jurisdictioni Ecclesiæ, non autem infidelis.

Adde, quod si uterque contrahentium sit baptizatus; non reperiatur inter eos disparitas cultus, quantum ad professionem christianismi; etiamsi unus eorum sit à fide devius: quia & ille professus est fidem, suscipiendo baptismum, neque est solutus ab obligatione eam profitendi.

Quarta, quoniam ex generali irritatione matrimonij fidelis cum hæretica, vel hæretico, nimis magna & multa sequerentur incommoda, ex eo quod hæresis sæpè latet; sicque fieret ut post annos etiam multos separari deberent, uno illorum deprehenso quod fuerit ac sit hæreticus: fieret etiá quod improbi validè conjuncti, ad alias nuptias transirent, mentientes se esse aut fuisse hæreticos.

Cæterum, qui vel quæ fidelis iniret conjugium cum hæretica vel hæretico sine Sedis Apostolicæ venia, contra varias leges peccaret: Contra naturalem, quidem; propter periculum subversionis quod creatur tum illi, tum liberis: Contra divinam positivam; quia Matth. 8. ad Tit. 3. & ib 2. epist. Joannis, jubetur devitari hæreticus, & *nec Ave ei dici*; multò minus permittitur, in domum recipi: Contra Ecclesiasticam verò, quia in Concil. Chaled. can. 13. in Laodicæno can. 31. & apud Gratianum 28. qu. 1. ejusmodi matrimonia interdicuntur. Dixi sine venia &c. quia si utilitas publica, vel spes convertendi hæreticum aliud requirat; summus Pontifex potest dispensare ut matrimonium fidelis cum hæretico vel hæretica sit licitum.

*Matrimonium cum hæretico vel hæretica illicitum.*

Ex his consequenter est dicendum quod hæresis matrimonio, etiam inconsummato, superveniens, non dirimat illud: ut definitum est in Conc. Trid. sess. 24. can. 5. post declarationem Innocentij 3. cap. *Quanto*, De divortijs. Potest tamen à judice ecclesiastico peti divortium: sed sine ejus sententia fieri non potest, cap. *De illa*, eodem tit.

Circa eandem responsionem ad 5. observandum est, quod si catechumenus habens rectam fidem, cum aliqua fideli sive baptizata contraheret, matrimonium esset invalidum: quia licet conveniant in fide, in fidei tamen Sacramento non conveniunt; atque ita sunt in disparicultu.

### Articulus II.

Art. 2. probat posse esse matrimonium inter infideles: quia convenit illis quatenus est in officium naturæ. Idem significavit Apostolus 1. ad Cor. 7. dicens, *Si quis frater uxorem habet infidelem & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam*: si enim mulier in infidelitate ducta, non esset vera uxor deberet vel dimitti, vel iteratò duci, nec posset aliter retineri. Videri potest Innoc. 3. cap. *Gaudemus*, tit. de divortijs, & Gratianus 28. qu. 1.

In Responsione ad primum est advertendum quod matrimonium infidelium sit generali ratione Sacramentum, quia est signum, alicujus rei sacræ, conjunctionis scilicet Christi cum Ecclesia quantum ad conformitatem naturæ: non est autem Sacramentū novæ legis, partim defectu baptismi qui est janua sacramentorum, partim defectu formæ & ministri. Quod si ambo convertantur ad fidem & baptizentur, ne quidem sic, eorum matrimonium fiet Sacramentum, nisi aliud accedat; quia baptismus non facit novum contractum, nec adhibet formam hujus Sacramenti.

*Matrimonium infidelium quatenus sit Sacramentū. Vide qu. 42. art. 1.*

B. Thom. dicit matrimonium infidelium esse aliquo modo Sacramentum, *habitualiter* sive potentialiter: quia scilicet potest fieri ut sit actu Sacramentum Christi: si enim ambo baptizentur, & baptizati consensum renovent coram testibus & Parocho, qui super eos verba consueta proferat; admodum probabile est quod jam sit Sacramentum; secuti & illud, quod antea per procuratores contractum, de novo contrahitur per principales, parocho super illos formam proferente. Nihil enim deest ad rationem Sacramenti; cum supponatur minister applicare formam super materiam legitimam.

Si dicas deesse materiam quia cum nemo det quod non habet, non potest hic inveniri mutua traditio corporum. *Ob.*

Resp. adesse materiam, actus scilicet contrahentium, quibus & consensum exprimunt, & corpora invicem tradunt, quantum tradere possunt. Et quamvis absque consensu possidentis nemo dare possit id quod non habet; de ipsius tamen consensu potest donationem ei factam renovare, & confirmare, quod in virtute est iteratò donare. *Resp.*



Si Quæras, quid novus ille contractus efficiet? Resp. quod si parochus proferat verba quæ diximus esse formam, præsentibus testibus; ipse faciet ut contractus antea solum civilis, jam sit sacer & Sacramentum novæ legis, vim habens conferendi gratiam; utque vinculum ex tali contractu sic inito ortum, sit sacrum. Si autem consensum renovent parocho nihil dicente contractus ratificabit matrimonium prius initum, & non faciet vinculum sacratius, juxta sententiam quæst. 42. probatam.

Circa Responsionem ad 3. adverte; matrimonium infidelium posse esse irritum per aliquas leges positivas ipsis proprias, etiamsi lege naturæ non sit irritum, ut si imperator Turcarum decerneret irrita fore matrimonia suorum cum Judæis vel alijs: si tamen decerneret irrita fore cum christianis, & quispiam ex ejus subditis factus christianus, cum christiana contraheret, matrimonium valeret: quia prohibitio legis humanæ seu civilis non sufficit inter fideles ad impedimentum matrimonij, nisi interveniat authoritas Ecclesiæ, q 57. ar. 2. ad 4.

### Articulus III.

Art. 3. docet conjugem ad fidem conversum posse remanere cum conjuge fideli nolente converti: quia fides fideique Sacramentum superveniens matrimonio, non dirimit illud.

Confer quæ dicuntur art. 4.

Addit autem, sic conversio esse liberum vel manere, vel non manere cum conjuge nolente converti; quando est spes conversionis; consulendum tamen ut aliquamdiu maneat: quod si diutius recuset converti; non permittitur ei cohabitare, ait in Responsi. ad 2. Atque ita post Augustinum lib. 1. de adulterinis conjugijs cap. 13. 14. 18. non pauci sentiunt, propter locum Apostoli 1. ad Cor. 7. *Cæteris ego dico, non dominus: Si quis frater* &c. cùm ipse Augustinus lib. 1. Retractationum cap. 19. & lib. 2. cap. 57. fateatur ad quæstionis hujus difficillimæ plenum intellectum se necdum perveniss: Art. 4. dicemus quid alij veteres senserint.

In Responsione ad 3. tradit infideles qui contraxerant in gradibus ecclesiastica tantum lege prohibitis, posse post conversionem unius vel utriusque sic manere: quia tale matrimonium fuit validè contractum; eò quod ecclesiasticis constitutionibus non essent subjecti tunc quando contrahebant. Idem affimat Pontifex cap. *gaudemus*, tit. de divortijs. Si autem contraxerant in gradibus secundùm legem divinam Levit. 18. prohibitis; non posse manere: Hoc autem non de omnibus casibus ibi expressis, sed tantum de illis qui jure naturæ vim habent matrimonij dirimendi, esse accipiendum; rectè monet Dominicus dist. 39. ar. 3. ad 4.

In responsione ad 4. adverte matrimonia infidelium cum pluribus uxoribus, omnia esse irrita, excepto primo; & ideo, si quis eorum convertatur; debet omnes uxores dimittere præter primam: quæ si nolit pacificè cohabitare, potest de novo contrahere cum una ex alijs. Quod si primam ante repudiaverat, debet eam, si in pacificam cohabitationem consentiat, recipere, & posteriores dimittere hîc ad 5.

### Articulus IV.

Art. 4. docet fidelem conversum posse dimittere infidelem conjugem quæ recusat converti. Hoc autem certum esse intelligimus, quando præcedit sententia judicis ecclesiastici, divortium ex causa decernentis: Alioquin probabilius videtur quod infidelem, nolentem quidem converti, volentem tamen pacificè cohabitare, fidelis non possit authoritate sua dimittere.

*Infidelē nolentē converti, volentem tamen cohabitare pacificè, non potest fidelis dimittere.*

Et probatur Primò, quia Apostolus 1. ad Cor. 7. vult ut fidelis habens uxorem in infidelitate manentem, sed tamen consentientem habitare cum fideli, eam non dimittat: *Si quis*, inquit, *frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Quæ verba continere præceptum docent Hieron. lib. 1. contra Jovinianum cap. 5. & 6. Tertull. lib. 2. ad uxorem cap. 2. Haymo & Bruno ad illud caput, & alij.

Confirmatur, Addens enim Apostolus, *Quod si infidelis discedit, discedat* &c. significavit ita demum fidelem posse desetere infidelem, si ipse infidelis discedat, seu habitare non consentiat.

Secundò, major est nexus conjugum quàm obligatio servorum ad dominos: atqui ex eo quod servus convertatur ad fidem, non est ei liberum deserere dominum infidelem, 1. ad Tim. 6. ergo nec fideli conjugi liberum est conjugem infidelem deserere. Unde 1. Petri 3. mulieres jubentur subditæ esse viris suis, etiam infidelibus.

Adde, quod magna fuisset occasio offensionis, si ab initio licuisset uxores dimittere, prætextu infidelitatis earum, sicut etiam nunc foret in India & alibi ubi urgente infidelitate quidam convertuntur ad fidem.

Ad verba autem Apostoli consilium significantia, scilicet; *Cæteris ego dico, non Dominus*: Resp. ea referri ad superiora; hoc sensu: *nam cæteris*, id est, non conjugatis ego dico, seu consulo (id nimirum quod versu 8. præcedit, bonum est, si sic permaneant) *non dominus* præcipit.

Istud ergo, *si quis frater*, novum continet argumentum, ac ad alteram à Corinthijs factam quæstionem, responsum.

Jura quæ ex Concil. Toletani 3. can. 14. & ex con. 4. can. 62. possent in contrarium adferri, nec sunt alicujus concilij generalis; nec loquuntur de quibuslibet infidelibus, sed de Judæis; qui regulariter sunt magis obstinati, quam alij.

Ex his consequenter est dicendum, fidelem conversum quamdiu ab Ecclesia divortium non obtinuerit, teneri ad reddendum debitum infideli pacificè cohabitanti. Sive autem divortium obtinuerit, sive non; nunquam potest ea vivente, & in pacificam cohabitationem consentiente, aliud matrimonium inire: quod si attentet, erit irritum, quia nullum est jure divino fundamentum dissolutionis matrimonij, pro isto casu. Vide conclus. 1. Artic. sequent. & observa cohabitationem pacificam importare quietam & ita tranquillam cohabitationem; ut non sit periculum quod nec conjugem nec liberos conabitur pervertere aut in peccatum inducere, nec blasphemiam ullam proferet contra religionem christianam.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS V.

*Utrùm fidelis discedens ab uxore infideli possit aliam ducere.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia omne matrimonium, est natura sua indissolubile.

SECUNDÒ, *in baptismo solvuntur crimina, non conjugia*, cap. *Si quis* 28. qu. 2.

TERTIÒ, matrimonium christianorum non solvitur uno eorum labente in hæresim: ergo nec matrimoniũ infidelium, uno manente in infidelitate.

QUARTÒ, si tempore legis duorum infidelium unus convertebatur ad fidem, altero nolente citra contumeliam creatoris convivere; nõ poterat ejusmodi conversus inire novum conjugium: ergo similiter nunc, præsertim si verum est quod Ambros. in cap. 16. Lucæ scribit, *Apostolus negavit legis esse divinæ ut conjugium qualecumque solvatur: nec ipse præcepit nec dedit deserendi authoritatem, sed culpam abstulit destituto.*

SED CONTRA est cap. *Si infidelis*, 28. quæst. 2. Ubi dicitur quod *contumelia Creatoris solvat jus matrimonij.*

Pro Responsione, sit

CONCLUSIO I.

SI infidelis volebat pacificè habitare, fidelis ab ea recedens, non potest aliam ducere, ipsa vivente: quia Apostolus 1. ad Cor. 7. non significat eo casu posse aliam duci, ut ar. 4 indicavimus, nec aliud jus divinum eam potestatem faciens potest asserri.

Confirmatur, quoniam in cap. *Gaudemus* de divortijs, Pontifex clarè significat ad fidem Christi conversum non posse aliam ab ea quàm in infidelitate habuerat, uxorem ducere, *nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum*: Quando autem consentit habitare pacificè, nihil istorum est: ergo quamvis fidelis recedat, non potest aliam ducere.

SI DICAS Pontificem ibi pro codẽ sumere, conjugem velle cohabitare manendo infidelitate, & id velle cum contumelia Creatoris: RESP. neg. Assumpt. tum quia Pontifex ibi ut & cap. Quantò, ponit illa ut distincta; tum quia Apostolus 1. ad Corinth. 7. dicens, *si consentit* habitare, loquitur de manente in infidelitate, & tamen non censet eum facere contumeliam Creatori.

CONCLUSIO II.

SI infidelis vel nolit fideli cohabitare, vel non sine contumelia Creatoris; fidelis debet eum deserere; & eo deserto, potest aliud matrimonium contrahere, etiamsi præcedens matrimonium fuisset consummatum. Ita declaravit Innocent. 3. cap. *Quanto*, tit. De divortijs; atque ita habet universalis Ecclesiæ consuetudo, cujus fundamentum est in istis verbis Apostoli; *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Sensus enim est, si conjux infidelis, odio religionis christianæ sponte recesserit, conjugemque reliquerit; aut si dimissus fuerit, eò quod nollet habitare sine Creatoris injuria: (nam & hunc posteriorem casum comprehendi, probat illud: *si consentit habitare, non dimittat*; unde datur intelligi quod nolentem habitare dimittere possit vel debeat; *discedat*, id est, sinatur recedere: nam in hujusmodi casibus christiani aut christianæ non subjiciuntur servituti ut vel debeant conjugibus infidelibus cohabitare eisque reconciliari, vel manere innupti.

AD 1. ARG. RESP. matrimonium dici natura indissolubile, non quod nullo unquam casu possit dissolvi; sed quia est adeò firmum & validum, ut non nisi rarissimè solvi possit; christianorum quidem consummatum nullo prorsus casu; inconsummatum autem unico, scilicet per professionem religionis: infidelium autem, etiam consummatum, tunc solùm quando uno illorum ad fidẽ converso, alter renuit circa contumeliam Creatoris habitare. *Matrimonium cur indissolubile.*

SI DICAS, matrimonium infidelium esse à Deo; *Quod* autem *Deus conjunxit, homo non potest separare.* RESP. nõ esse hominem, sed Deum, qui casu isto dissolvit matrimonium: Hanc autem Dei voluntatem enuntiavit nobis Apostolus 1. ad Cor. 7. *Ob.* *Resp.*

AD 2. Conjugia verè non solvuntur in baptismo, quia manent valida etiam post baptismum, nec solvi possunt si conjuges infideles in habitationem pacificam consentiant.

AD 3. Negatur consequentia nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum & ratum existit, quia *Sacramentum fidei quod semel est admissum nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugij Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante, perduret.* Ita Innoc. 3. dicto cap. *Quanto.*

Dicitur autem matrimonium infidelium non esse ratum; etiamsi & validum sit & consummatum; partim quia non est ita firmum quin possit, uno saltem casu, dirimi; partim quia nondum est positiva christianorum lege firmatum; partim denique, quia adhuc est imperfectum, non tendens nisi in generationem & educationem prolis naturalem, cui propterea deest ultima perfectio qua destinetur ad educationem prolis secundùm legem Christi. *Infidelium matrimonium cur non ratum.*

Præterea, ex hoc christianorum matrimonia fiunt magis insolubilia, quod insolubilitatem habeant non solum ex jure naturali, sed etiam ex divino Christi præcepto positivo: huic autem juri non subjiciuntur matrimonia infidelium etiamsi unus eorum convertatur; subjiciuntur autem matrimonia christianorum, etiamsi à fide devient; consequens ergo est quod hæc magis sint insolubilia, quam illa.

Horum occasione observandum, quoddam matrimonium dici legitimum, quoddam ratum, aliud consummatum. Legitimum dicitur quod legitimo consensu contrahitur, & tale est apud infideles. Ratum describunt quidam esse illud quod est Sacramentum, priusquam consummetur, voluntque id significatum esse in cap. *Quantò*: sed hoc ibi non significari patere potest ex eo quod non dicitur matrimonium inter fideles esse ratum; quia est Sacramentum, sed quia Sacramentum fidei, id est, baptismus facit illud esse ratum. Ratum ergo vocatur quod peculiariter est insolubile, quamvis non sit consummatum; cum conjugia infidelium etiam consummata solvi possint lege fori per repudium, etsi non lege poli; & nunc quoque solvi possint lege poli, in casu ex 1. ad Corinth. 7. hîc explicato. Consentit his quod l. 2. Instit. juris can. tit. 12. cap. *Ex his*, legitur. Consummatum verò dicitur, quod copula carnali est perfectum. *Quod matrim. legitimum.* *Quod ratum.*

AD 4.



AD 4. Negatur consequentia: quod enim Christus in favorem fidei christianæ concessit, non concesserat olim.

AD Ambrosium RESP. cum sic loqui; quia Apostolus non vult fidelem ab infideli recedere; novasque nuptias attentare, nisi infidelis causam dederit; quo casu, culpam abstulit fideli destituto, id est, cum quo citra contumeliam Creatoris habitare non vult infidelis.

Pro RESP. ad quintum

QUÆRITUR I.

*Quando, & per quid, in casu jam dicto, solvatur prius matrimonium.*

QUIDAM existimaverunt quod eo ipso quo infidelis vel pacificam habitationem recusat, vel odio religionis fidelem deserit.

Verum hæc non posse dici, manifestè probatur ex eo, quod si infidelis qui semel discessit, vel contumeliosus fuit in creatorem, convertatur ad fidem priusquam fidelis contraxerit novum conjugium; hic tenetur illum recipere: ut patet ex cap. *Gaudemus*, titul. De divortijs: non ob aliud, quam quia prius vinculum adhuc perseverat.

Resp. SOLVITUR ergo per hoc ipsum quod fidelis actu contrahit novum conjugium, ut tradit B. Thomas ad 2. Atque ita contumelia creatoris solvit jus matrimonij; quia tribuit fideli facultatem ipsum dissolvendi. Infidelis autem non pariter habet libertatem ineundi novi conjugij: nam si illud attentet, priusquam christianus reipsa novum inierit, nihil aget: si verò postea; validè contrahet, quamvis illicitè, si & infidelitate persistat, & subjiciatur principi fideli. Hoc enim casu verificatur quod B. Thomas in responsione ad tertium dicit, *In pœnam uxoris infidelis ei indicitur quod non possit cum alio contrahere.*

QUÆRITUR II.

*Quibus ex causis ab infideli datis possit solvi tale conjugium.*

TRES assignat Pontifex dictis capitulis, *Quantò*, & *Gaudemus*, tit. De divortijs.

PRIMAM, si infidelis ex odio religionis christianæ renuit habitare cum fideli.

SECUNDAM, si vult quidem habitare, sed non absque contumelia Creatoris.

TERTIAM, si fidelem pertrahere conetur ad mortale peccatum.

PRIMAM expressit Apostolus 1. ad Cor. 7. ex qua cæteræ deducuntur. Nam nolle cohabitare nisi cum contumelia Creatoris, vel cum sollicitatione ad malum mortale; perinde, imo pejus est, quam omnino nolle cohabitare.

IN 2. intelligi debet formalis, sive contumelia, sive (ut aliàs vocatur) blasphemia. Alioquin posset christianus inire novum conjugium, etiamsi infidelis vellet cohabitare pacificè; nam idololatria & cultus superstitiosi includunt blasphemiam & contumeliam, saltem indirectè & materialiter.

DE TERTIA loquitur B. Augustinus lib. de fide & operibus cap. 16. & refertur 28. quæst. 1. cap. *Uxor.*

Notandum autem, probabile esse, quod etiam per professionem religionis dissolvatur matrimonium in infidelitate contractum, quamvis consummatum. Hoc enim licet non inveniatur definitum; ex communi tamen sententia Bonav. Rich. Dominici, & aliorum in 4. di. 39. habetur.

Et confirmari potest, Professio religionis dissolvit matrimonium ratum, quale est christianorum, ante consummationem; ergo etiam dirimit matrimonium infidelium, quamvis sit consummatum: quia ejusmodi matrimonium non est ratum. *Supra in resp. ad 3.*

Præterea, conjugium quod erat inter infideles, dirimitur per novum quod conversus init cum altera; & hoc secundum, si non fuerit consummatum, dirimitur per professionem religionis: ergo & prius. Videri possunt Ledesma hîc, & Sanchez lib. 7. disp. 76. Sacri autem ordinis susceptio sicut non dirimit matrimonium christianorum inconsummatum; ita nec matrimonium infidelium consummatum, ullo casu.

ARTICULUS VI.

ART 6. docet nullum esse crimen propter quod solvi possit vinculum matrimonij semel validi, nisi infidelitatem persistentem in altero conjugum; eo casu qui jam articulo quinto, fuit expositus.

SI DICAS, Adulterium magis directè opponi matrimonio, quàm infidelitatem: RESP. id esse verum de matrimonio quatenus est in officium naturæ; non autem quatenus est, vel Sacramentum, vel ratione Sacramenti, subjectum legibus christianis. Quoad thorum verò & cohabitationem, specialiter separantur conjuges propter adulterium, etiam unicum; & propter infidelitatem, sed perdurantem: propter alia vitia non separantur nisi illa vergant in perniciem conjugis corporalem aut spiritualem, vel Reipublicæ, hîc ad tertium & quintum. *Ob.* *Resp.*

QUÆSTIO LX.

*De uxoricidio. Tractat in ista quæstione S. Doctor de impedimento quod vocatur crimen.*

ARTICULUS I.

ART. 1. docet non licere viro occidere uxorem in adulterio deprehensam: quia nullo casu licet ei uxorem occidere propria authoritate, cùm hoc interdicatur præcepto, *Non occides.*

Leges quidem civiles, ejusmodi facinus non puniunt: *sed his legibus non astringitur Ecclesia*, inquit Nicolaus. 33. quæst. 2. cap. *Inter hæc*: & per istud ca. patet, quod cùm idem Nicolaus in cap. *Interfectores*, dixit, *interfectores suarum conjugum sine judicio, cum non addit adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud habendi sunt quam homicidæ*, non voluerit interfectores conjugum adulterarum, ab homicidio excusare; sed solum significare quod judicio humano, non ita reputentur homicidæ, sicut interfectores uxorum non adulterarum. Adde, quod leges illæ civiles non tribuunt authoritatem occidendi; sed tantùm permittunt occisionem (si fiat) esse; impunitam; propter justissimum mariti dolorem, id dissimulantes. *Tacitè ob. solvitur.*

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quod si maritus zelo dumtaxat justitiæ uxorem A adulteram occideret, postquam est in judicio convicta & condemnata, ipsique à judice tradita ad exequendum sententiam; neque peccaret, neque pœnam, de qua sequenti articulo agitur, incurreret: quia, ut minister justitiæ, hoc ageret ex authoritate publica: hęc autem authoritas dari non potest ad occidendum in ipso crimine inventam; quia tunc res non sufficienter constare potest Judici; potest enim esse quod fuerit vi oppressa, vel quod putaverit esse suum maritum &c.

### Articulus II.

Art. 2. docet uxoricidium impedire matri- B monium: aliquando quidem contrahendum, sic tamen ut non dirimat contractum, aliquando verò sic, ut etiam dirimat.

Prius est: quando maritus occidit uxorem sive propter adulterium, sive ex odio, rixâ, & similibus. Tunc enim peccabit contra leges, ca. *Interfectores*, & ca. *Admonere* 33.q.2. si uxorem ducat; valebit tamen matrimonium. Poterit autem Episcopus dispensare ut licitè contrahat, si de incontinentia timeatur: Aut etiam absque dispensatione potest modò contrahere, secundùm ea quæ dicebantur q.50.

Posterius, quia pertinet ad impedimentum dirimens quod dicitur Crimen; paulò latius C est explicandum.

Sciendum ergo quod in genere duo sint Crimina, quæ matrimonium dirimunt, scilicet *homicidium & adulterium*, ita tamen ut non censeantur esse simpliciter impedimenta dirimentia, nisi fuerint *certo modo* facta.

Primus ergo casus est, si alter conjugum occidat alterum per tertiam personam, non potest validum esse matrimonium tertiæ illius personæ cum conjuge superstite; sive causa matrimonij contrahendi fuerit ista machinatio, sive non: Itemque sive adulterium intercesserit; sive non, c. *Laudabilem*, tit. de conversione infidelium. Intelliguntur autem hæc de occisione ex proposito facta: nam si vel casu, D vel in bello alius alium occiderit, interfector non prohibetur ducere uxorem interfecti, ut eodem capite declarat Pontifex.

Secundus casus est, si quis alium occidat spe matrimonij contrahendi cum ejus uxore, in homicidium consentiente. Si enim occisio fiat utroque consentiente; perpetuum est inter eos impedimentum, etiamsi adulterium non intercesserit; si vero fiat per unum, non consentiente altero; possunt validum inter se matrimonium contrahere, nisi adulterium intervenerit; & similiter, si alio fine occiderint, quam causâ matrimonij, ut ex dicto ca. colligit Navarr. ca. vigesimo secundo, nu. 46.

Tertius casus est, homicidij adulterio mixti, E cum quis adulteratur, & conjugem suam interficit vel curat interfici: tunc enim inter conjugē superstitem & adulteram non potest validum iniri matrimonium, si animo ducendi adulteram ejusmodi homicidium factum sit S. Thomas hîc, Ledesma, & alij, post cap. *Super hoc*, & cap. *Significasti*, tit. De eo qui duxit in matrimonium.

Quartus & quintus casus sunt Adulterij ab homicidio separati.

Quartus quidem, cùm alter conjugum promittit ei cum quo vel qua mœchatur, quod post mortem conjugis eam ducet in uxorem, sive promissio illa subsequatur adulterium, sive præcedat: tunc inter adulteram & eum qui promisit, perpetuum est impedimentum dirimens cap. *Significasti*, & ca. *Relatum*, 31.q.1.

Quintus est, cum quis sciens propriam uxorem esse superstitem, contrahit per verba de præsenti cum eâ cum quâ mœchatus est, sive ante sive post illum contractum. ca. *Si quis*, eod. tit.

Circa hæc tria sunt observanda. Primum, Jura quæ loquuntur de impedimento uxoricidij, esse etiam intelligenda de mariticidio: quia quæ de uno conjuge dicuntur, de altera similiter intelliguntur, præsertim cum agitur de impedimentis. Ita post Paludanum Navarrus ca. 22. nu. 74.

Secundum, Adulterium nudum non impedire, quo minus inter adulteros validum iniri possit matrimonium, si aliundè nihil obstet: quia canones statuentes, ut nullus ducat in matrimonium quam prius polluit adulterio, 31. quæstione prima ca. *Nullus*, & ca. *Illud*, prohibent quidem ejusmodi matrimonium, sed non decernunt fore irritum, si attentetur.

Tertium, hoc impedimentum esse juris Ecclesiastici, ideoque dispensationem admittere. Unde David validum contraxit matrimonium cum Betsabee 2. Reg. 11.

## QUÆSTIO LXI.

### *De impedimento voti solemnis matrimonium subsequentis.*

Actum est q. 53. art. 2. de voto solemni quod antecedit matrimonium, illudque dirimit si attentetur ab illo qui tali voto est obstrictus: Hîc agendum est de solemni voto quod est posterius matrimonio, quodque emitteretur ab eo qui matrimonio est conjunctus.

### Articulus I.

Art. 1. docet unum conjugum non posse alte- *Conjugatus ut non possit ire ad religionem.*
ro invito ad religionem transire, postquam matrimonium est consummatum: quia nullus Deo offerre potest ex alieno; per consummationem verò matrimonij, uterque conjugum accepit possessionem corporis alterius.

Si de facto professionem faciat, ea non tenet, ac proinde sic professus, debet redire ad suum matrimonium, 27.q.2.ca. *Agathosa*, & ca. *Si quis*, & tit. De conversione conjugatorum, ca. *Quidam*, & ca. *Placet*.

Ex quibus illud est observandum quod is qui taliter professionem emiserit, non teneatur mortua uxore ad monasterium redire, teneatur autem à novis nuptijs abstinere: *promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, & ideo quoad hoc, votum tenuit.* Hujus autem articuli doctrina intelligenda est vera esse regulariter, quibusdam enim intervenientibus, exceptiones patitur.

Prima, quæstione 59. articulo quinto, dicta *Exceptiones.*
est, si duorum infidelium conjugum unus nolit citra contumeliam Creatoris habitare, potest is qui ad fidem conversus est, vel religionem intrare, vel sacros ordines suscipere.

Secunda exceptio est, quando alter conjugum incidit in adulterium, cap. *Constitutus*, dicto titulo de conversione conjugatorum.

Ter-



Tertia, quando propter alterius hæresim, A per sententiam Ecclesiæ factum est divortium, cap. *Mulier*, eodem tit.

*Ob.* Si dicas Theonam, apud Cassian. collation. vigesima prima, capite nono, ad Monasterium convolasse, cum ab uxore licentiam obtinere non
*Resp.* posset. Resp. id non aliter excusari posse, quam quod speciali Spiritus sancti instinctu fecerit.

*Quæst.* Cæterum, quæ consummatio matrimonij intelligatur ad effectum impediendi professionem religionis, quæri potest:

*Resp.* Verisimilius est sufficere imperfectam, ex qua proles nasci non potest, qua scilicet vas fœminæ penetratur, licet non seminetur. Ledesma hîc.

*Quæst.* Sed quid si matrimonium sit quidem consumma- B tum, sed per vim: an sic oppressa posset ingredi re-
*Resp.* ligionem, invito marito. Resp. posse, si oppressio illa contigit ante finem bimestris, jure enim communi neuter conjugum tenetur alteri debitum reddere ante finem duorum mensium à contracto matrimonio: ut articulo secundo ad secundum, dicit Beatus Thomas; quia licet in ipso matrimonij contractu transferat sui corporis potestatem in alium, ea tamen translatio semper fit retenta potestate utendi beneficio juris, quod extat ea. *Ex publico*, tit. de conversione conjugatorum: cum ergo mulier sit passa injuriam, non est rationabile quod propterea privetur jure suo.

Quia tamen matrimonium verè est consummatum, ideo per professionem religionis non dissolvetur: & consequenter maritus non poterit C transire ad alias nuptias.

Si autem oppressio facta est post bimestre, non potest oppressa religionem ingredi: & si ingrediatur, professio per eam facta non tenebit: quia cùm nullam sit passa injuriam, reditur ad regulam ordinariam, secundùm quam dictum est non posse unum conjugem altero invito religionem ingredi post matrimonium consummatum.

*Quæst.* Petes, An saltem ex communi consensu possint ambo conjuges religionem profiteri.

*Resp.* Certum est posse, modo proli, si qua ex conjugio nata supersit, provideatur sicut oportet, cap. *Sunt qui dicunt*, 27 q.2. & ca. *Uxoratus*, de conversione conjugatorum. Idem judicium est, si unus D tantùm ingredi velit, alio consentiente, modò serventur conditiones in canonibus requisitæ; nimirum ut conjux qui consensum præbet, profiteatur etiam ipse religionem, si alioquin esset ei periculum incontinentiæ: quod periculum si absit, voveat tamen perpetuam continentiam in manu Episcopi cap. *Cum sit*, ca. *Ad Apostolicam*, ca. *Significavit*, dicto tit. Quod si his conditionibus non servatis, uno conjugum consentiente alter profiteatur religionem, professio erit invalida, cap. *Præterea*, eod. tit. ubi dicit, *quod nisi uxor ad religionem transierit, aut perpetuo castitatem servare promiserit, vir potest & debet de Monasterio revocari.* E

*Quæst.* Quæri etiam potest, An duorum conjugum qui ante matrimonium fuerant carnaliter commixti, unus possit altero invito religionem ingredi, si post matrimonium initum necdum sunt commixti.

*Resp.* Resp. certa est, posse; quia matrimonium adhuc est inconsummatum.

In Argumento primo Beatus Thomas meminit legis mundanæ, qua permittebatur utrivis conjugum etiam altero invito transire ad religionem post matrimonium consummatum. Sed eam B. Gregorius 27.quæst.2.ca. *Sunt qui dicunt*, & cap. *Agathosa*, ut legi divinæ contrariam reprehendit. *Ista enim qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*, ait Apostolus 1. Cor. 7. Quod in matrimonio saltem consummato, debet locum habere.

### Articulus II.

*Utrum unus conjugum possit altero invito religionem intrare, ante carnalem copulam.*

Videtur quod non. Primò, quia nullus potest offerre alienum: per matrimonium autem ratum, quamvis inconsummatum, uterque conjux abdicavit à se potestatem sui corporis, & transtulit eam in alterum.

Secundò, ejusmodi matrimonium est ratum, ergo indissolubile: *quod enim Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. 19. Adde, quod matrimonium consummatum & inconsummatum non differunt specie: ergo sicut vinculum illius non solvitur per votum solemne religionis, ita nec vinculum hujus.

Tertiò, Tale matrimonium est verum novæ legis sacramentum: ergo est omnibus modis insolubile.

Quartò, generaliter dictum est, Matth. 5. *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa facit eam mœchari*: & ad Rom. 7. *mulier vivente viro allegata est legi.*

Quintò, vinculum matrimonij inconsummati non solvitur per susceptionem ordinis Episcopalis, ergo nec per professionem religionis quia utrique annectitur votum solemne castitatis.

Sextò, B. Augustinus li. 1. de nuptijs c. 11. affirmat vinculum conjugale esse firmius inter illos qui ex consensu abstinent in perpetuum ab usu matrimonij, quàm inter alios: ergo minus potest solvi.

Septimò, Professio religionis non liberat à debito pecuniario, ergo nec à debito conjugali, quod arctiùs obligat.

Resionsio, ad fidem pertinens est, *Antequam* Resp.
*matrimonium sit per carnalem copulam consummatū, licere alteri conjugum, reliquos inconsulto, ad religionē tranſire, ita quod reliquus ex tunc legitimè possit alteri copulari.* Ita respondet Innocentius 3. ca. *Ex parte tua*, De conversione conjugatorum, asserens se prædecessorum suorum sequi vestigia. Ita & Alexander 3. Ibidem ca. *Verum*, & ca. *Ex publico*: & in tit. De sponsalibus, cap. *Commissum*, ac tandem Synodus Trid. Sess. 24. can. 6. Confirmari potest.

Primò, Juxta regulam Augustini, lib. 4. contra Donatistas ca. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*: hęc ergo doctrina per traditionem Apostolicam ad nos derivata est: si quidem universa Ecclesia illam tenet, nec invenire potest prima ejus institutio.

Secundò, sunt apud veteres exempla sanctorum qui matrimonio contracto, sed non consummato, sponsas reliquerunt, ut perpetuam continentiam servarent, voto (ut verisimile est) juxta consuetudinem illius temporis solemni.

De Theclâ, apud Epiphanium hæresi 78. De Cæciliâ, & Alexio, in eorum vitis. De Macario Eremita, apud Gratianum 27.q.2.cap. *Scripsit.*

In argumento ad oppositum B. Thomas adfert etiam exemplum de sancto Joanne Evangelista: sed vide quæ diximus quæstione quadragesima octava, art. 1.

Ter-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Tertiò, matrimonium inconsummatum tantum habet vinculum spirituale: ergo decet illud dissolvi per professionem religionis; sicut consummatum, quod habet vinculum carnis, dissolvitur per mortem carnalem. Solemnis enim professio religionis est mors quædam spiritualis seu civilis, cum adferat secum privationem omnis proprietatis; Ita ut professus totus & in perpetuum sit juris alterius, nec possit unquam habere regressum ad propriam voluntatem. De hujus art. doctrina vide seq. articulum.

Ad 1. Argumentum Resp. aliquem tunc posse de alieno offerre, quando id ei conceditur à superiore potestatem ad hoc habente: Deus autem, cujus est terra & plenitudo ejus, facultatē tribuit conjugi, ut ante consummationem matrimonij, possit se suumq; corpus ipsi ad castitatē perpetuam offerre.

Ad 2. Matrimonium christianorum inconsummatum verè dicitur insolubile; quia tantum solvitur uno modo, eoque raro ac difficili; imo non solvitur, nisi per professionem religionis, quę est mors quædam civilis: solvitur autem tunc, non ab homine, sed à Deo, qui privilegium istud per traditionē Apostolican. ad nos derivatum, concessit fidelibus, fideliumque inconsummato matrimonio.

Quod non solvatur ab homine, sed à Christo, tradit Scot. in 4. dist. 31. & cum pluribus alijs Basil. Pontius l. 9. ca. 5. probarique potest ex illo Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo nō separet:* Hoc enim à Christo dictum esse de matrimonio non tantum consummato, sed etiam inconsummato, est existimandum.

*Primò*, quia Christus illam sententiam infert ex primæva institutione matrimonij, qua Deus unum & unam fecit; ac dixit, *Propter hoc*, id est, quia mulier formata est ex ossibus & carne viri: *Dimittet homo patrem & matrem*, scilicet quoad habitationem & domesticam conversationem, *& adhærebit uxori suæ*, firmissimo nimirum vinculo ei conjunctus: *& erunt duo in carne una*, hoc est, duo erunt velut una caro, unum corpus, unus homo; carnis enim nomine totus homo significatur. Quamvis autem per copulam carnalem, vir & mulier sint perfectè una caro: hoc ipsum tamen etiam fuit ante consummationem matrimonij, partim propter affectum quo conjuges se invicem amant tanquam unum corpus, juxta illud ad Ephes. 5. *Viri debent diligere uxores ut corpora sua:* &, *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit*; partim propter potestatem quam unus conjugum habet in corpus alterius, dicente eodem Apostolo 1. ad Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*; partim, quia ex natura contractus, hoc ipso quo vir & mulier sunt matrimonialiter conjuncti, sunt unum totale principium ad generationem ordinatum. Unde Tert. de velandis virg. c. 5. *Duo in unam carnem efficiuntur per matrimonij nexum.*

*Vir & uxor ut sint una caro ante copulam.*

Considerandū etiam hic est, quod Christus post jam allegata ex ca. 19. Matth. infert; *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*, postquam sc. Deus virum & mulierem matrimonio copulavit, deque ipsis pronunciavit quod *erunt duo in carne una*; ac tum concludit, *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Unde apparet quod hanc sententiam concludat de matrimonio secundùm se, & secundùm divinam sui institutionem, ac per consequens conveniat non tantum consummato, sed etiam inconsummato.

*Secundo*, Conc. Trid. sess. 24. statim in principio, eandē illam sententiam, *Quod Deus conjunxit*, &c. Christianorum matrimonio attribuit, non hoc attendens quod sit consummatum, sed quod matrimonium. Cum enim dixisset primum parentem matrimonij perpetuum indissolubilemque nexum divini Spiritus instinctu pronuntiasse his verbis: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrē, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; subdit (quod de matrimonio etiam inconsummato verissimum est:) *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi Christus Dominus apertius docuit, cū post rem illa verba tanquam à Deo prolata, referens, dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Statimque ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam his verbis confirmavit, Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Confirmatur, Adamus non pronuntiavit firmitatem ejus solius matrimonij quod esset consummatum, sed indistinctè firmitatem nexus matrimonij legitimè initi: Atqui Christus per sententiā jam allegatam confirmavit firmitatē nexus matrimonialis eandem quam primus parens pronuntiaverat: ergo confirmavit firmitatem nexus matrimonij sive consummati, sive inconsummati.

*Tertiò*, potissimū quod in matrimonio jam consummato, quam inconsummato Deus operatur, est nexus ac vinculum conjugale: ergo verisimile est Christū dicentē, *quod Deus conjunxit*, eo respexisse.

Confirmatur: Nullus præter Deum potest efficere ut matrimonium inconsummatum non solvatur per professionem religionis: ergo nullus etiam præter ipsum potest efficere ut per eā solvatur. Et alioquin, si de matrimonio inconsummato dici non potest: *Quod Deus conjunxit, homo nō separet*: sequetur illud non esse insolubile, ut quod solvi possit ab homine, & quidem varijs qui evenire queant casibus, cum ut nulli sunt expressi, ita nulli sint excepti.

*Objectt.*

Scimus quidem jam dictæ expositioni posse opponi sententiam Alex. 3. ca. *Ex publico*, De conversione conjug. sed ibi non loquitur de hac Domini conclusione, *Quod Deus conjunxit homo nō separet*: sed de ista, *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationē, mœchatur*: Verba ejus sunt, *Sanè quod Dominus in Evangelio dicit, nō licere, viro nisi ob causam fornicationis, uxorē suam dimittere, intelligendū est secundùm interpretationem divini eloquij, de his quorū matrimoniū carnalis copula est consummatū.*

*Resp.*

Circa quæ advertendum est quod in eo ca. Pontifex directè respondit, uxorem à viro non cognitam posse ad religionem transire, nec esse compellendam ut ad virum redeat. Cùm addit sententiam Domini de non dimittenda uxore nisi ob fornicationem, esse intelligendam de matrimonio consummato, ei quod principaliter agebatur, hoc annectit; ita volens ostendere quod hæc verba, (Vir non dimittat uxorem, nisi ob causam fornicationis, ut vera sint etiam excluso privilegio divinitus concesso in favorem religionis:) debeant accipi de matrimonio consummato. Utrum verò non possint aliquo sensu etiam de inconsummato matrimonio verificari, non definit. Vide Domin. Soto in 4. d. 27. q. 1. ar. 4.

*Alia ob.*

Opponitur etiam S. Greg. ca. Sunt qui dicunt, 27. q. 2. ubi dicit, *Sunt qui dicunt, religionis causa conjugia debere dissolvi. Verum sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit: Per se enim veritas dicit: Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sed Resp. ex eo quod illa Veritatis sententia est vera de matrimonio consummato, ut propterea rectè inde concludatur quòd non possit dissolvi causa religionis: non sequitur de illo solo esse intelligendam, & non etiam de inconsummato.

*Resp.*

Ad Confirmationem, Resp. ex eâ solùm haberi quod matrimonium inconsummatum non solvatur per professionem solemnem, ex natura rei: cum hoc autem consistit quòd solvatur ex privilegio: quod privilegium si conceditur uni: non propterea censeri debet concessum omnibus quæ sunt similis naturæ: imò si concederetur omnibus, non esset privilegium. Concessum est autem inconsummato potiùs quam consummato: quia licet uterque conjux acceperit jus in corpus alterius, corpus tamen unius necdum est perfectè translatum in alterius potestatem; quia necdum accepit corporalem ejus possessionem, sed in eam demum inducitur per consummationem matrimonij, ut docet B. Tho. hîc ad secundum.

Ad 3. Negatur consequentia: quia matrimonium Christianorum inconsummatum, est quidem verum Sacramentum, sed non est perfectum quoad omnem significationem: nam, ut hîc ad 1. dicitur, significat conjunctionem Christi cum anima per charitatem (quę conjunctio est solubilis) non significat autem eam quæ est per naturæ conformitatē: quæ sicut sola est prorsus insolubilis; ita solum matrimonium quod eam significat (quale solum est consummatū) est prorsus insolubile. Huc pertinet illud Innoc. 3 cap. *Debitum*, tit. De bigamis, *Conjugium illud quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum.*

Ad 4. Salvator loquitur de dimittente qui vult in fœculo remanere, & extra casum particularis privilegij: quod privilegium non est ex naturâ matrimonij vel contractus alicujus, sed ex ipsius Domini concessione.

Apostolus autem sumit comparationem ab eo quod est ordinarium, docetque matrimonium ex natura sua esse insolubile: quod tamen, an ex privilegio solvi aliquando possit, sicut non affirmat, eò quod casus rari sunt; ita nec negat. Unde 1. ad Cor. 7. casum unum expressit, de quo diximus ar. 5. q. 59. præsentem verò non docuit scripto, sed facto, cum Beatam Theclam à nuptijs ad custodiam virginitatis adduxit, ut est apud Epiphanium hæresi 78. & apud Augustinum lib. 30. contra Faustum ca. 4. verbis quidem Fausti, sed ab Augustino non reprehensis.

Ad 5. Negatur consequentia. Cum enim illi qui ordinantur Episcopi, non totaliter se Deo tradant, sed remaneant sui juris, & proprietatem rerum retineant, non moriuntur civiliter; ideoque non est mirum, si privilegium istud non sit eis concessum.

Ad 6. Augustinus loquitur de conjugibus propter Dei amorem ex mutuo consensu continentiam servantibus. Horum autem vinculum conjugale dicitur esse firmius vinculo matrimonij consummati, non quoad obligationem contractus, sed quoad charitatem & mutuam animorum consensionem.

Ad 7. Negatur consequentia: quia Deus potest uno casu dare privilegium, etiamsi non det altero. Sed nec Antecedens verum est: nam professus liberatur à debito pecuniaria per professionem religionis; obligatur autem vel ipsa communitas, vel is qui hæreditatem professi adivit.

Circa hanc materiam

*Sylv. in III. Part.*



## QUÆRITUR I.

*An per simplicia biennij vota, aut coadjutorum formatorum in Societate* Jesu *emissa; matrimonium præcedens dissolvatur si non fuerit consummatum.*

Affirmat Pontius l. 9. cap. 6. Sed illi qui votorum suorum rationem exactius noviſse præsumuntur, communiter negant. Nam Vasquez 1. 2. disp. 165. cap. 10. scribit suam & antiquorum Patrum societatis sententiam esse, per illa tria vota simplicia non dirimi matrimonium ratum non consummatum, etiamsi sint vota coadjutorum formatorum, quæ non statim post biennium, sed post longiora & plura experimenta emittuntur. Ratio est, quia quod matrimonium non consummatum dirimatur per professionem Religionis sequentem, hoc est, vel ex Christi Domini privilegio vel ex jure Ecclesiastico: At nullibi invenitur id sive ex privilegio, sive ex jure concessum votis simplicibus, sed soli professioni Religionis solemnis, de qua semper loquuntur jura, quando hujus dissolutionis meminerunt, veluti in Joan. 22 extr. *Antiqua*, tit. de voto: in cap. *ex publico*. & ca. *ex parte*. De convers. conjugat. & in Conc. Trid. sess. 24. can. 6. Eademque est resolutio Sanchez l. 2. de matrim. disp. 18. & l. 5. in Decalog. c. 1. n. 19. & ibidem aliorum, quos sequitur Layman l. 5. t. 5. ca. 3. *Resp. est neg.*

Quapropter vota simplicia post biennium probationis emissa in societate, sunt quidem impedimentum matrimonij dirimens, ita ut si matrimonium attentetur ab eo quem societas retinet post ejusmodi votorum emissionem, illud sit revera invalidū, juxta Bullā Greg. 13. *Ascendente Domino*, citatam q. 63 ar. 1. fin. sed non valent dirimere matrimonium semel ratum, tametsi inconsummatum.

## QUÆRITUR II.

*An vinculum matrimonij inconsummati possit aliter solvi quam per professionem religionis.*

Videtur quòd sic. Primò, quia S. Antoninus 3. p. tit. 1. ca. 21. dicit se vidisse bullas Martini 5. & Eugenij 4. continentes dispensationem ad dissolutionem matrimonij non consummati: idemque de suo tempore affirmat Navarr. ca. 22. nu. 21.

Secundò, Alexander 3. ca. *Quod sedem*, tit. De frigidis & maleficiatis, concessit mulieri nondum à viro cognitæ, ut alteri nuberet.

Idemque fecit Greg. tertius, sive ut alij volunt secundus, viro cujus mulier debitum reddere non poterat, 32. q. 7. ca. *Quod proposuisti.*

Respondeo veriorem videri sententiam quæ ait matrimonium Christianorum rarum, tametsi nondum consummatum, non aliter solvi posse quàm per professionem religionis: Ac proinde, ne Summum quidem Pontificem posse per suam dispensationem illud dirimere. Ita sentiunt Scotus in 4. d. 31. §. *Tertio modo*, Palud. dist. 27. q. 1. ar. 2. & q. 3. art. 3. Victoria in Relectio. 4. concl. 1. ad 1. & in Summa Sacram. nu. 281. Dominic. Soto in 4. d. 27. quæst. 1. art. 4. Petrus Soto lectio. 12. de matrimonio, Corduba l. 1. quæstionarij qu. 25. & qui complures allegat Basil. Pontius l. 9. cap. 3. Et ne simul *Resp. est neg.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



prolixi in Doctorum numero coacervando; ita communiter docere solent Theologi, ut affirmant illi ipsi quos jam citavimus: unde & Sanchez aliter licet sentiens, dicit tamen: *Hanc sententiam, quæ probabilissima est, tenent communiter Theologi.* Et Covarr. p. 2. de matrimonio §. 4. nu. 21. *Tutior ac verior est communis opinio Theologorum, quæ probat matrimonium ratum nondum secuta commixtione carnis, & sic non consummatum, minimè posse dissolvi Romani Pontificis dispensatione.*

PROBATUR PRIMÒ, Matrimonium secundùm se consideratum est insolubile; Ideo enim definitur esse viri & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam vitæ societatem retinens, hujus Suppl. qu. 44. art. 3. & communiter in catechismis, ac nominatim in Romano p. 2. ca. 8. q. 3. Unde & Conc. Trid. initio sessio 24. *Matrimonij perpetuum indissolubilemq; nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea &c.* Atqui hæc indissolubilitas convenit matrimonio, tum ex prima sui institutione, quæ divina est, Gen. 2. tum ex ejusdem reformatione, etiam divina Matt. 19. ut propterea idem Rom. Catechismus qu. 11. dicat: *Quamvis matrimonio quatenus naturæ est officium, conveniat, ut dissolvi non possit, tamen id maximè fit quatenus est Sacramentum.* Pontifex autem non potest solvere id quod est ex divina institutione insolubile: ergo non potest solvere matrimonium, quando est ratum.

PROBATUR SECUNDÒ, Hæc verba Domini, *Quod Deus conjunxit, homo non separet,* secundùm ea quæ in resp. ad 2. diximus, & secundùm ea quæ Victoria, Cordubа, Petrus Soto, & alij dicunt, sunt vera quantùm ad matrimonium à Deo institutum, sive sit consummatum, sive non: ergo nullus homo potest illud solvere.

*Objectt.* SI DICAS, Quando Pontifex dispensat, non esse hominem qui solvit vinculum conjugale, sed Deum; quia Pontifex agit ex authoritate sibi à Deo concessa:

*Resp.* RESP. id non posse dici. Si enim Pontifex accepisset à Deo potestatem dispensandi in matrimonijs non consummatis, verè esset Pontifex qui dispensaret: sicut ipse est qui dispensat in votis & juramentis, qui condit leges Ecclesiasticas, & qui concedit indulgentias, etiamsi ad ista omnia nihil possit, nisi ex potestate sibi à Deo concessa: Unde istiusmodi leges & dispensationes nō sunt divinæ, sed humanę.

Confirmatur, Si de matrimonio inconsummato dici nequit, *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* quid impedit quominus vel ipsi conjuges mutuo consensu, vel Pastores aut saltem Episcopi solvere possint ejusmodi matrimonium?

PROBATUR 3. Id quod potest frequenter solvi, non est insolubile: Atqui si matrimonium inconsummatum potest per dispensationem Pontificiam solvi, potest frequenter solvi; ergo non est insolubile. Minor patet, quia frequenter possunt proponi causæ quæ animum dispensare valentis movent: Unde quidam scribunt Gregorium 13. dispensasse uno die cum undecim: Est autem apud omnes in confesso quod matrimonium sit insolubile, sive sit consummatum, sive non: ergo non potest solvi per dispensationem.

Confirmatur, Vinculum voti & juramenti etiam ejus quod per solum Rom. Pontificem potest solvi, non est insolubile; & hoc ideo, quia potest per dispensationem Pontificiam tolli: ergo nec vinculum matrimonij inconsummati erit insolubile, si potest similiter solvi.

PROBATUR 4. Summus Pontifex non potest statuere ut matrimonium ratum solvatur per unum aliud quod fuerit consummatum. Ergo nec potest per dispensationem illud solvere: ejusdem est enim potestatis solvere, & casum quo solvatur, statuere.

AD 1. ARGUMENTUM RESP. eos Pontifices secutos fuisse sententiam probabilem, & apud Jurisconsultos communem: quod in re obscurâ ipsis licuit; & illi, quibuscum sic fuit dispensatum ex justâ causâ, tuti fuerunt. Non defuerunt autem alij Pontifices qui existimarent se talem potestatem non habere; ut Innocentius tertius cap. *Ex parte,* tit. de conversi. conjug. ubi Respondet matrimonium inter legitimas personas contractum, illis viventibus nullo casu posse dissolvi, nisi vel ex revelatione divina, vel si per carnalem copulā consummatum non fuerit, per alterius professionem in religione. Censebat igitur in matrimonio etiam non consummato dispensationem Pontificiam nihil posse quoad ejus diremptionem.

Idem sensisse Alex. 3. ex Conc. Lateran. p. 6. c. 8. colligi potest, prout Basilius Pontius egregiè illud expendit.

Et de Adriano 6. refert Domin. d. 27. q. 1. art. 4. quod cum ab eo hujusmodi dispensatio postulata esset, oblataque fautrix sententia Cajetani, demiratus est virum Theologum hoc sibi in animum inducere potuisse: & ideo improbis, inquit, precibus succumbens, respondit se dare quod posset, sed tamen credere nihil posse.

AD 2. RESP. quod ista matrimonia erant invalida: *prius* quidem, propter antecedentem viri perpetuam impotentiam: *posterius* autem, propter mulieris. Nec obstat juberi viro ut præstet subsidium mulieri; vult enim ei restitui dotem: quam cur amitteret, nulla erat causa. Conferri potest Covarr. p. 2. de matrim. ca. 7. §. 4. fi. *Ob.* *Resp.*

## ARTICULUS III.

ART. 3. probat mulierem, viro suo ante consummationem matrimonij religionem ingressō, posse alteri nubere; quia vinculum præcedentis matrimonij solvitur per mortem spiritualem, qualis est professio religionis.

Observanda autem sunt duo. PRIUS, ut mulier expectet usque dum maritus sit professus: quia vinculum conjugale non solvitur antea, cum maritus non moriatur sæculo, nisi per professionem, ut dicitur ad 2. Et ideo, si uxor secundum matrimonium tentaret inire, viro nondum professo; matrimonium non valeret, propter prioris matrimonij vinculum, adhuc perseverans.

POSTERIUS, ut vir professionem non emiserit ante tempus jure constitutum, hoc est, non ante decimum sextum ætatis annum expletum, nec ante finem integri anni probationis à suscepto habitu. Professio enim antea facta, per Conc. Trid. sess. 25. c. 15. de regularibus, decernitur esse nulla, nullamque obligationem inducere ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus: ac proinde non solvit vinculum conjugale. Si ergo post ejusmodi professionem invalidam, maritus ad uxorem redire voluerit, uxor tenetur eum recipere, ac ei petenti debitum reddere: quia licet ejusmodi professio æquivaleret olim voto simplici, ut est hîc ad 3. post Conc. tamen Tridentini declarationem, non æquivalet; quia nullam nunc inducit obligationem.



Circa eandem resp. ad 3. observandum est olim prohibitum fuisse ne professio religionis, fieret intra annum probationis; illa tamen sic facta non erat irrita, cap. *Ad Apostolicam,* quod est Innocentij tertij, tit. *de Regularibus:* postea, per decretalem quam B. Thomas hîc in arg. 3. vocat novam, fratribus Prædicatoribus & Minoribus prohibitum fuit intra annum probationis quemquam ad sui ordinis professionem recipere; simulq; statutum, quod si aliquem receperint, sic receptus non alligetur eorum ordini. Quæ decretalis facta est per Alexandrum quartum, & ad aliorum mendicantium ordines extensa per Bonifacium octavum. Relatæ sunt hæ decretales in sextum decretalium, tit. de Regularibus ca. *Non solum,* & ca. *Constitutionem.*

Novissimè verò omnes professiones ante prædictum probationis annum factæ, sunt per Conc. Trid. irritatæ, citata superius sess. 25. sic ut nullam omnino obligationem inducant ad quoscumque effectus. Circa resp. ad 1. Quæritur,

*Quæst.* UTRUM solvatur vinculum conjugale, si ante consummationem matrimonij, uterque conjux profiteatur religionem. Quibusdam videtur quod non: quia neuter abrenuntiat vinculo.

*Resp.* ALIJ tamen verius affirmant: quia hæc dissolutio non provenit ex renunciatione proprij juris; alioquin enim nec vinculum solveretur, quando unus de consensu alterius profitetur; sed ex privilegio per Christum dato.

## QUÆSTIO LXII.

## *De impedimento fornicationis matrimonio supervenientis.*

*Quid divortium.* AGITUR ista quæstione de DIVORTIO.

Est autem Divortium, ea conjugum separatio, quæ fit, vinculo conjugij manente salvo. Triplex enim intelligi potest separatio conjugum: *Prima,* quoad vinculum, quando vinculum matrimoniale dissolvitur, sic ut aliud iniri possit cum alia persona: quo modo separantur conjuges per professionem unius in religione, antequam matrimonium sit consummatum.

*Secunda,* separatio est quoad thorum seu concubitum.

*Tertia,* quoad habitationem. Certissimè autem tenendum est, conjugium etiam consummatum variis ex causis posse solvi quoad thorum & cohabitationem; quamvis non solvatur quoad vinculum, ut patet ex rescriptis Alex. 3. & Innoc. 3. tit. *De divortijs,* & ex sess. 24. Conc. Trid. can. 8.

Possunt autem generatim *duæ causæ* assignari, continentia, & crimen.

Propter *continentiam* servandam, unus ab alio separari non potest absque ejus consensu, postquam matrimonium est consummatum: ut diximus ar. 1. q. 61. quoad thorum tamen potest, modo alter consentiat. Sicut enim ex consensu, ad tempus abstinere possunt à concubitu, ut vacent orationi, 1. ad Cor. 7. v. 5. ita & in perpetuum, sive ad vacandum orationi vel contemplationi, sive studio servandæ continentiæ, sive ob alias causas, quando est mutuus consensus.

Propter *crimen* unus ab alio etiam nolente separari potest. Inter crimina verò potissimum locum habet fornicatio, velut directè repugnans fidei matrimoniali.

## ARTICULUS I.

ART. 1. docet licere viro dimittere uxorem, si fuerit fornicata. Cùm enim fornicando fidem conjugalem ipsa fregerit, non tenetur vir ei fidem servare, sic ut obligatus maneat ad reddendum ipsi debitum. Quæ doctrina ex verbis Domini Matth. 5. & 19. *Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa facit eam mœchari;* certa est. *Vir potest dimittere uxorem quæ est fornicata.*

Si DICAS Apostolum 1. ad Cor. 7. absolutè pronuntiare quod nec vir à muliere, nec mulier à viro possit recedere. *Ob.*

RESP. eum loqui extra casum quem Dominus apud Matthæum expressit. Nomine autem fornicationis non intelligitur fornicatio spiritualis, qualis est Apostasia, Idololatria, vel hæresis; sed ea quæ directè est contra fidem matrimonialem: & sub ea comprehenditur omnis concubitus qui fiat cum alio vel alia, quam cum proprio seu propria conjuge. Sicut enim fornicationis vocabulum extenditur ad adulterium: ita & ad alios concubitus illicitos, 32. q. 4. ca. *Meretrices.* Unde B. Thomas hîc ad 4. affirmat peccatum contra naturam esse sufficientem causam divortij. Confer Hieron. epist. 147. Procuratio verò sterilitatis, aut fœtus interfectio, non sub fornicatione (ut quibusdam visum est) continentur, sed ad homicidium pertinent. *Resp.*

In corpore assignantur *septem* casus in quibus non licet viro uxorem dimittere, tametsi fuerit fornicata.

PRIMUS est, si ipse vir etiam fuerit fornicatus. Circa quem tria sunt observanda.

*Primum.* Quod si maritus fuerit fornicatus, sive ante uxoris adulterium, sive post: sive ipsa sciente, sive ignorante: sive clam pœnituerit ipse, sive perseveret in eodem crimine; in conscientia non potest illam dimittere, ne quidem quoad thorum: quia in rei veritate fregit fidem matrimonialem, neque est reconciliatus.

Dixi, sive *clam,* quia si mulier conscia fornicationis viri, sciat eum pœnituisse; ipsa verò nihilominus persistat in adulterio, poterit accusari & dimitti. Antoninus 3. p. tit. 1. ca. 21. Cur dicam, *neque est reconciliatus,* patebit ex jam sequentibus.

*Secundum,* si post commissum utrimque crimen, ambo reconcilientur; is quis reincidit, potest ab alio dimitti: & similiter, si is qui priùs erat innocens, fornicetur; potest dimitti à conjuge adultero, sed jam reconciliato & correcto: quia quod factum est ante reconciliationem, habetur pro non facto; atque ita reconciliatus redit in idem jus quod prius habebat.

*Tertium,* Si post divortium, innocens fornicetur quantumvis occultè; tenetur in conscientia conjugi petenti reconciliari: & ad hoc cogi debet per judicem, si ad eum res deferatur, cap. *significasti,* tit. De divortijs, Antoninus eodem ca. 21. Navar. ca. 22. nu. 23.

SECUNDUS casus est, si vir uxorem suam prostituerit. Ad quem casum etiam pertinet, si is qui conscius est criminis alterius, vel approbet, vel cōniveat, vel dederit occasionem fornicationis per hoc quod diu negaverit ei debitum conjugale; secus, si indirectè solùm occasionem dedisset, expellendo eam, vel necessaria denegando: *quia non est*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*ignoscendum ei quæ prætextu paupertatis turpissimam vitam elegit*, ait Antoninus.

TERTIUS est, si uxor virum suum probabiliter credens esse mortuum propter longam ejus absentiam, alteri nupserit.

QUARTUS est, si alium à suo virum cognoverit, rationabiliter putans esse suum.

QUINTUS, si uxor fuerit vi oppressa: intelligitur autem vis præcisa seu absoluta violentia: Nam si mulier metu vel aliâ simili ex causa inducatur ad fornicandum, non excusatur quin possit dimitti 32. q.7.ca. *Omnes*: quamvis si metus gravis fuerit, probabile sit non posse dimitti, ut ostendit Bonacinas qu.4.p.2.q.3.& p.5.q.4.cum alijs contra Sanchez.

SEXTUS casus est, si vir innocens reconcilietur uxori adulteræ vel uxor viro, aut expresse verbotenus ei condonando; aut tacitè, veluti si post notitiam adulterij sui comparis, ab eo debitum exigit; aut petenti spontaneè reddit. Si verò illi commisceatur, ignarus adulterij, vel conscius quidem, sed per judicem Ecclesiasticum, apud quem probare non potuit uxoris adulterium, coactus debitum reddidit; non ex hoc censetur reconciliatus: ac proinde poterit postea, ubi sufficientem probationem nactus fuerit, causam resumere, & condemnatam dimittere; secus, si ipse debitum ab illâ petijsset.

Cæterum quod dici solet ac verum est, conjugem adulterum esse privatum jure petendi debitum; non sic est accipiendum, quasi non ei liceat petere commercium conjugale tanquam rem licitam, in voluntate innocentis positam; sed quia non amplius ei debetur, sive crimen sciatur ab innocente, sive non.

SEPTIMUS est, si matrimonio in infidelitate utriusque contracto vir dederat uxori libellum repudij, & uxor alteri nupserat. Tunc enim si ambo convertantur, vir tenetur eam recipere.

## QUÆRI HIC POTEST.

### *Sintne aliæ præter adulterium causæ, propter quas separari possint conjuges habitatione vel thoro.*

CERTUM EST esse: ita enim definit canon 8. sess. 24. Conc. Trid. *Si quis dixerit Ecclesiam, errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad habitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, Anathema sit.*

*Resp. affir. & assignantur variæ.*

Ex his UNA est, sævitia conjugis tanta, ut alter non possit illi cohabitare sine periculo, ca. *litteras*, De restitutione spoliatorum.

SECUNDA est, si conjux laborat tanta furia, ut ab eâ sit periculum.

TERTIA, si tentaverit alium è medio tollere.

QUARTA, si sollicitet ipsum ad peccatum, ita ut non possit ei cohabitare, sine periculo incidendi in grave aliquod crimen.

QUINTA, si defecerit à fide. Quia enim infidelitas, quæ dicitur fornicatio spiritualis, est contra bonum matrimonij quod est proles educanda ad cultum Dei: ideo infidelitas est sufficiens causa divortij; differenter quam fornicatio carnalis; quia propter unum hujus actum potest fieri, non autem propter unum actum infidelitatis: quia fornicatio carnalis est magis directè contra bona matrimonij scil. contra certitudinem prolis, contra fidem, & contra significationem, dum unus in plures dividit suam carnem. An addi debeat sexta, quando pertinaciter negat debitum conjugale, quæri potest. *Quæst.*

Sed Resp. hoc ad dimissionem non sufficere; dicit enim Apostolus 1 ad Cor. 7. *Nolite fraudare invicem*: fraudaret autem conjugè hunc pertinacem, si eum simpliciter dimitteret. Nec refert quod delinquat contra fidem conjugalem: quia eam servat quoad partem, cujus solius defectum qui est fornicatio, Christus Matth. 5. & 19. expressit pro causa dimissionis. Quare autem solam illam expresserit, art. 5. dicetur. *Resp.*

### ARTICULUS II.

*Vir tenetur dimittere uxorem adulteram.*

ART. 2. probat virum teneri dimittere uxorem adulteram, si se non emendet; quia aliquividebitur consentire ejus peccato. Hinc Proverb. 18. *Qui tenet adulteram stultus est & impius.* Quâ sententiâ motus Augustinus lib. 1. retract. cap. 19. retractat id quod lib. 1. de serm. Domini in monte scripserat, dimissionem uxoris propter fornicationem permissam esse, non jussam. Ad ejusdem doctrinæ probationem faciunt cap. *Apud misericordem* 32. q. 1. & cap. *Si vir* tit. De adulterijs.

Si autem fuerit emendata, vir innocens habet quidem jus ut possit eam dimittere, ad hoc tamen non tenetur; imò satius est ut non dimittat; per ea quæ dicit B. Augustinus eodem cap. 19. & lib. 1. de adulterinis conjugijs cap. 6. quod refertur 32. q. 1. cap. *Quod autem*. Idem judicium est, si uxor nondum sit emendata; sed consideratis circumstantijs timeatur gravius malum ex dimissione; ipse verò sceleus detestetur, Navarr. cap. 22. num. 22.

*Mulier non patitur ut vir teneatur dimittere virum adulterum.*

Loquitur autem B. Thomas peculiariter de viro; quia ordinariè non peccat mulier, si à marito etiam in adulterio perseverante, non se separet, neque si debitum reddat aut petat.

Ratio diversitatis *Prima* est, quia mulier non est caput viri, sicut vir est caput mulieris; ideoque non pariter potest ipsa virum cum authoritate corripere & punire, sicut vir potest mulierem: & consequenter non ita censebitur consentire peccatum viri, sicut censeretur vir consentire in peccatum mulieris, si eam non dimitteret.

*Secunda*, quia non idem incommodum incertitudinis prolis imminet, si mulier viro adultero, commaneat & commisceatur, atque si vir commisceretur uxori adulteræ.

*Tertia*, quia ratum est quòd maritus adulter propter secessionem uxoris se corrigat; imò potius metuendum est, ne fiat deterior, unde prudentes confessarij solent talium uxoribus suadere, ut non dimittant.

Quod si ex dimissione probabiliter speraretur correctio, teneretur mulier innocens, virum adulterum deserere, etiamsi timeret sibi periculum incontinentiæ. Sicut enim aliquando abstinendum est à licitis, majoris boni causa: ita debet illa abstinere ab actu conjugali (qui si propter solam incontinentiam fiat, erit illicitus secundùm ea quæ dicebamus q. 49. art. 6.) ut virum suum lucri faciat; sibi autem per orationem aliaque media consulere debet, ne per incontinentiam peccet.

ARTI-



### ARTICULUS III.

*Ut vir possit authoritate propria dimittere uxorem.*

ART. 3. docet virum posse suo proprio judicio uxorem adulteram dimittere quoad thorum, ita ut absque ullâ judicis sententiâ interpositâ, possit ei quantumvis petenti negare usum sui corporis: quoad habitationem verò non posse dimittere, nisi prævio judicio Ecclesiæ. Quia cùm talis separatio sit publica; non leviter alios offenderet, si causa per judicem incognita fieret. Adde, quòd pœnam publicam nemo nisi judex publicus potest inferre, separatio autem quoad habitationè, est adulteræ pœna publica. In hoc verò judicio conjux innocens erit actor; qui si deficiat in probatione, non est puniendus pœna talionis, hoc est, divortij (sic enim obtineret quod intendit) sed pœnâ arbitrariâ. Si verò ageret ad pœnam legibus civilibus decretam, admitti non debet ejus accusatio, nisi prævia inscriptione quâ se obliget ad pœnam talionis.

Circa prius, adverte conjugem ut alteri negare possit usum sui corporis, debere esse certum de ipsius adulterio, vel saltem debere habere suspicionem violentam, id est, procedentem ex talibus indicijs quæ cogant ad assentiendum, & quibus probatis, videretur ipsum factum esse probatum. De hac intelligendum est illud Hieronymi in caput 19. Matth. *Ubicumq; est fornicatio vel fornicationis suspicio libere uxor dimittitur.* Si autem foret solùm levis suspicio non licet negare debitum licitum tamè est clam observare, ut si quid est, possit in facto vel in signis facto propinquis, deprehendi, hîc ad 4.

Circa posterius, nota conjugem posse privatâ suâ authoritate recedere à conjuge adulterante, etiam quoad habitationem in duobus casibus. *Primo*, si matrimonium non erat celebratum in facie Ecclesiæ; & peccatum sit occultum. *Secundò*, si adulterium ita sit publicè notum, ut non sit opus judiciario processu: veluti, si post longam absentiam mariti inveniatur uxor vel prostituta vel gravida; aut si maritus introducat pellicem in domum secumque retineat.

### ARTICULUS IV.

*Vir & uxor sunt pares in causa divortij.*

ART. 4. docet in causa divortij virum & uxorem ad paria judicari: ita ut, sicut vir innocens potest uxorem adulteram deserere, ita uxor innocens virum adulterum, quia uterque per suum adulterium peccat contra bona matrimonij.

Confirmari potest ex Apostolo 1. ad Cor. 7. declarante præceptum Domini, quod solius viri meminit in Evangelio, etiam pertinere ad mulierem, *Ijs*, inquit, *qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Postremis enim verbis loquitur de justa discessione uxoris; alioquin non daret ei optionem, ut postquam discessit, vel innupta remaneat, vel viro reconcilietur; sed juberet eam ad virum injustè dimissum redire: Justa autem causa discessionis perpetuæ, non alia Matth. 19. est expressa, quàm fornicatio, ergo propter fornicationem uxor potest à viro discedere, seu eum dimittere.

*Ob. Resp.*

Nec obstat vocabulum *reconciliandi*, quasi per illud significetur quòd mulier virum offenderat: neque enim solus is reconciliari dicitur qui offendit, sed etiam qui est offensus. Unde 2. Machab. 1. & 7. Deus reconciliari dicitur hominibus. Eandem doctrinam tradunt Innoc. 1. Epistola 3. cap. 4. Conc. Milevitanum can. 17. Hieron. apud Gratianum 32. q. 5. cap. Præcepit.

*Sylv. in III Part.*

*Ob.* Si ex Basilio can. 9. dicas, consuetudinem jam inoleviss e, ut uxores non dimittant maritos, quantumvis adulteros: *Resp.* hoc ideo dici, non quia non habeant jus eos dimittendi, sed quia valdè rarò videntur intentare divortium, ob virorum adulteria.

Circa Responsionem ad tertium, observandum est virum in simplici fornicatione peccare graviùs quàm mulierem, cæteris paribus; quia habet plus de bono rationis. In peccato autem adulterij, simpliciter plus peccat mulier quam vir, quia magis offendit contra bonum matrimonij, quod est proles: uxore enim adulterante pater incertam habet prolem, non autem uxor, adulterante viro.

### ARTICULUS V.

*Utrùm post divortium vir alteri nubere possit.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, Matth. 19. dicitur, *Quicumq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit; mœchatur*: ergo qui dimittit ob fornicationem & aliam ducit, non mœchatur. Consequentia videtur ex naturâ exceptionis clara esse.

Si dicas, exceptionem solum pertinere ad priorem partem sententiæ: contra facit, quod multæ sunt præter fornicationem causæ, ob quas licitè dimittitur uxor.

SECUNDÒ, Pharisæi Dominum interrogabant; An ex quacumque causa cæpisset uxor displicere, liceret eam dimittere, dimissione utique inter ipsos usitata, sic nimirum ut & dimittens & dimissa posset inire novum conjugium: Respondet autem non licere dimittere, nisi ob fornicationè, & loquitur de illa dimissione de quâ fuerat interrogatus: alioquin ejus responsio non esset ad propositum.

TERTIÒ, Origenes tract. 7. in Matth. refert Episcopos permisisse cuidam mulieri à viro dimissæ, ut eo vivente nuberet alteri. Et Concil. primum Arelat. can. 10. ita loquitur, *De viris qui deprehenderunt suas conjuges in adulterio, placuit ut in quantum potest consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis licet adulteris, alias accipiant*: ergo possunt validè alias accipere: Alioquin præceptum erat eis dandum, non consilium.

QUARTÒ, cap. *Quædam* 32. quæstione 7. statuitur ut illi cujus uxor stuprata est, licita conjugia non negentur. Unde Hieronymus epistola 30. Fabiolam excusat, quæ tamen vivente priore marito, nupserat alteri.

QUINTÒ, B. Augustinus lib. 1. de fide & operibus cap. 19. In ipsis, inquit, divinis sententijs ita obscurum est, utrum iste cui licet adulteram dimittere, adulter habeatur si alteram duxerit: ut quantùm existimo, venialiter ibi quisque fallatur.

Et Sanctus Leo epist. 87. c. 1. Istum qui à primâ uxore dimissus alteram duxisse perhibetur, honore tantùm sacerdotali privandum decernit: de secundo isto conjugio an sit irritum, nihil dicit. Esse autem ratum affirmat Ambr. in cap. 7. epistolæ 1. ad Corinth.

DENIQUE, si non licet innocenti novas nuptias attentare; sequitur, ipsum sine suâ culpâ privari usu conjugij, quod est iniquum. Conferantur quæ adferimus infra q. 65. art. 2. quæsito 3.

RESP. Ad fidem pertinens in Concilijs, Trid. sess. 24. can. 7. & Florentino in fine, de matrimonio,

Universidad de Deusto
Biblioteca



nio, & in Milevitano per Innocentium primum confirmato tradita & definita est; virum propter uxoris adulterium ab eâ separatum, non posse ipsa vivente aliud matrimonium contrahere; mœcharique, & cum qui dimissâ adulterâ aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero, alteri nupserit. Quia sicut matrimonij vinculum non dissolvitur, aut per hæresim, aut per molestam cohabitationem, aut per absentiam: ita nec per divortium causâ fornicationis factum.

Probatur Primò, Dominus Matth. 5. generaliter dixit, *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Quæ posteriora verba universaliter esse accipienda hoc sensu. Quicumque duxerit dimissam, etiamsi dimissa esset propter fornicationem, adulterat; patet ex eo quod Dominus non repetierit exceptionem, quam in priori parte sententiæ expresserat. Neque dici potest eam esse subintelligendam: sic enim melior foret conditio fornicariæ, quam castæ: nam fornicaria dimissa posset nubere alteri, non autem casta injustè dimissa.

Secundò, Marci 10. Absque ulla exceptione dicitur, *Quicumq; dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super* (id est, contra) *eam: & si uxor dimiserit virum suum & alij nupserit, mœchatur.* Eadem est universalitas Lucæ 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Et his, Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugijs cap. 9. exclamat: *Qui nos sumus, ut dicamus, est qui mœchatur uxore sua dimissa alteram ducens: & est, qui hoc faciens non mœchatur: cum Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit?*

Tertiò, Apostolus ad Rom 7. & 1. ad Cor. 7. affirmat mulierem *esse alligatam legi quanto tempore vir ejus vivit*; futuramque adulteram, si eo vivente fuerit cum aliquo viro, id est, si alij viro nupserit. Hinc Concil. Milevitanum can. 17. *Placuit ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungatur sed ita maneant aut sibi reconcilientur.*

Videri etiam possunt Canon Apostolorum 48. Inno. c. 1. epistola 3. cap. 6. Amb. in cap. 16. Lucæ, Hier. epistola 30. & 147. August. lib. De adulterinis conjugijs, & de bono conjugali. Chrysost. & Ansel. super Matth. Beda, & alij super epistolam priorem ad Corinth.

His & rationes accedunt. Prima, matrimonium fidelium est signum conjunctionis Christi cum Ecclesiâ; hæc autem conjunctio sic est insolubilis, ut quamvis aliqui subinde spiritualiter fornicentur, & à Deo divortium faciant; non liceat tamen eis alium Deum eligere, neque putandum sit Deum ita illos abjicere, ut nunquam velit reconciliari: ergo matrimonium christianorum similiter est insolubile. Si dicas soli innocenti licitum esse novum conjugium: Neque ulla lex hoc docet; neque ratio est, quare foret irritum si attentaretur ab adultero, posito quod prioris matrimonij vinculum sit disruptum.

Ob. Resp.

Secunda, sic aperiretur maxima janua adulterijs, eorum scilicet qui à matrimonio contracto cupiunt liberari.

Tertia, sic proles ex priore matrimonio genita, magno detrimento afficeretur, vel à patre vel à matre deserta.

Ad 1. Argumentum Negatur Consequentia. Nam exceptio in antecedente contenta, solùm refertur ad id quod præcedit, id est, ad dimissionem; idque vel hoc sensu, Quicumque dimiserit uxorem suam (quod quidem facere non potest nisi propter fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur: Vel isto, quem habet S. Martialis epistola 2. cap. 9. Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem hoc faciat, mœchatur; & quicumque aliam duxerit, etiam mœchatur: ille quidem mœchiâ alienâ, dando uxori occasionem mœchandi; iste verò, mœchiâ propriâ, cognoscendo eam quæ non est sua. Quo modo verbum *mœchatur* divisim refertur ad utramque partem sententiæ, conformiter alijs verbis Domini Matth. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis facit eã mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Hunc sensum indicavit Augustinus lib. contra Adimantum capite 3. Alium tradit lib. 1. de adulterinis conjugijs capite 9. Sed qui jam est assignatus, videtur esse germanior: quia juxta illum Dominus plenè satisfecerit quæstioni Pharisæorum. Respondet enim non licere uxorem dimittere quacumque ex causa, sed solùm ob fornicationem; ac simul docet non licere ullâ ex causâ dimittere, modo Judæis usitato; qui erat ut tum dimittens, tum dimissa possent inire novum conjugium.

Ad Confirmationem Resp. quod aliæ causæ dimittendi conjugem quoad thorum aut habitationẽ, non sunt à Domino expressæ, ob varias rationes.

Prima est, quia loquebatur de dimissione perpetuâ; sola autem fornicatio est legitima causa dimissionis perpetuæ, ita ut dimittens nunquam teneatur recipere dimissum, ne quidem post actam pœnitentiam, quæ autem alijs ex causis fit dimissio, solùm est ad tempus, dum scilicet ea quæ dimittitur, fuerit emendata, & cesset omne periculum.

Secunda, quia separatio quæ est propter fornicationem, fit jure matrimoniali, propter violatam fidem conjugij: quæ autem est ex alijs causis, fit jure defensionis, unde & communes sunt alijs consortijs: cum causa fornicationis propria sit matrimonio.

Tertia, quia fornicantem etiamsi volentem se emendare, & absque periculo relapsûs commanere, potest conjux innocens dimittere: alijs verò vitijs deditum non potest, quando cessat periculum, & spondetur emendatio.

Ad 2. etiamsi Christus respondit de alia dimissione quàm fuerat interrogatus: ad rem tamen quæ controvertebatur, optimè respondit. Cùm enim in dimissione Judæis familiari continerentur duo, scil. dimissio unius quoad thorum, & mos ducendi aliam, respondendo, illa separavit: & prius quidem concessit, sed cum restrictione ad causam fornicationis: posterius autem omnino negavit, & sustulit.

Ad 3. Episcopos illos fecisse contra scripturam agnoscit etiam ipse Origenes. Concil. autem Arelat. dixit, *ut consitum detur:* non quia non potuisset præcipi, sed partim, quia res hæc nondũ erat clarè definita, partim, quia consiliũ & monitio utiliùs aliquando dantur quàm præcepta, de rebus etiam propter præcedentia præcepta necessarijs.

Ad 4. Iste canon loquitur de adulteris incœstuosis: ac decernit eos nunquam posse matrimonio copulari, ne quidem post mortem conjugum: illum autem qui est innocens, posse ad alias nuptias transire, postquam conjunx adultera fuerit mortua. Patet hic intellectus tum ex anthitesi, tum ex cap. sequenti, *Hi verò.*

Hiero-



Hieronymus non excusat Fabiolam tanquam vel benefecerit, vel leviter solùm deliquerit: ait enim *dum multa diaboli vitat vulnera, unum incautam vulnus accepisse, & publicam sui ipsius motu pœnitentiam egisse in Ecclesia Later.* Sed peccatum ejus extenuat, partim ob infirmitatem, partim ob ignorantiam legis Ecclesiasticæ. *Evangelij,* inquit, *vigorem non noverat, in quo nubendi universalis causatio viventibus viris, fœminis amputatur.*

Ad 5. Augustinus ita loquitur, quia scripturarum aliqua est hac in re obscuritas: neque Ecclesia quod sentiebat, universali aliquo canone declaraverat, declaravit autem postea in Conc. Milevit. per Innoc. primum confirmato, cui beatus Augustinus interfuit.

Sanctus Leo, propterea non dicit an secundum illud matrimonium esset irritum: quia solùm quærebatur de ordinatione illorum qui aut viduas ante ordinationem acceperant, aut duas simul, aut una dimissa alteram.

Commentarius in epistolas sub nomine Ambrosij vulgatus, neque est ipsius, neque scriptoris sanè Catholici, sed cujusdam Hilarij sectæ Luciferianæ diaconi, ut observarunt Theologi Lovanienses ad lib. 4. August. contra duas epistolas Pelagian. cap. 4. & post eos Bellarminus in Ambrosio.

Ad postremum Resp. non esse iniquum aliquem privari jure suo absque culpa, modò sit causa. Sicut autem, uno conjuge vel laborante morbo incurabili, vel perpetuis carceribus apud barbaros detento, vel alioquin semper absente, alter debet continere propter vinculum matrimoniale quod cum eo perdurat: ita etiam quando fit divortium. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus,* dicit Regula juris in sexto.

### Articulus VI.

*Dimissus per divortium potest reconciliari.*

Art. 6. probat virum & uxorem posse post divortium reconciliari, sic ut uxore emendata possit recipi, non possit autem si sit incorrigibilis.

In Responsione ad secundum & quintum advertendum est, virum innocentem non teneri recipere conjugem; quamvis emendatam, nisi etiam ipse fuerit fornicatus.

Circa responsionem ad tertium, observa uxorem adulteram, si (quemadmodum potest) post divortium revocetur ab innocente, teneri redire, nisi de ipsius consensu voverit continentiam. Cùm enim divortium fiat in favorem innocentis, is non perdit jus suũ, (ideoque potest revocare dimissam, & ipsa debet redire) sed tantum ab illius usu impeditur per malitiam alterius; quâ correctâ usum illum potest recipere. Unde sequitur, quod quæ dimissa fuerat, non possit voto continentiæ se obstringere, nisi de consensu innocentis.

His porro addendum est, quod si mulier dimissa nupserit alteri, & postea redire cupiat ad priorem, sic quoque eam posse recipi: Nam quòd Hieronymus epistola 147. dicit, *Si reliquerit secundum virum, & reconciliari voluerit priori, non potest:* hunc sensum habet, digna est cui negetur reconciliatio seu reditus ad priorem. Adfert quidem Hieronymus legem Deut. 24. quâ talis reconciliatio prohibetur, sed cum ea lex christianos non obliget, legem adfert in sensu solùm accommodato.

In Responsione ad 4. Adverte virum qui post divortium, Ecclesiæ judicio factum fornicatur, teneri ex æquitate uxorem sic dimissam ac pœnitentem recipere, etiamsi fortasse non teneatur ex rigore juris.

Quæri potest V. post divortium Ecclesiæ judicio factum, possit vel innocens vel adulter suscipere sacros ordines, aut ingredi religionem?

Resp. id posse innocentem, at non adulterum sine innocentis consensu. Prius, colligi potest tum ex cap. *Agathosa,* 27. q. 2. tum ex cap. Constitutus, De conversi. conjug. & probatur ex eo quod secundùm juris rigorem innocens potest semper manere separatus ab uxore adultera. Posterius patet, quia innocens habet jus repetendi conjugem adulteram, quo non potest invitus privari.

## Quæstio LXIII.

## *De secundis nuptijs.*

### Articulus I.

*Utrum secundæ nuptiæ sint licitæ.*

Non esse licitas dogmatizarunt olim Montanistæ & Novatiani, & confirmari potest.

Primò, quia Apostolus 1. ad Cor. 7. permittit secundas nuptias tanquam minus malum: dicit enim de viduis, *quod melius sit nubere quam uri:* ubi *nubere* confert cum *uri,* tanquam minus malum cum majori.

Secundò, his qui sæpius nubunt, tempus pœnitentiæ constitutum est, ajunt patres Conc. Neocæsariensis can. 3. Hinc can. 7. statuunt presbyterum convivio secundarum nuptiarum interesse non debere, maximè cum præcipiatur his nuptijs pœnitentiam tribuere.

Tertiò, secundæ nuptiæ ejiciunt à regno Dei, teste Origine, homilia 17. in Lucam. Unde & Apostolus eas deprecatur, ait Nazianzenus oratione 31. Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sunt, & duæ uxores: si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput, una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod si secundam prohibeat, de tertiâ quid dicendum est? & Hieronym. lib. 1. contra Jovinianum ca. 8. eadem secundas nuptias videtur damnare.

Responsio ad fidem pertinens est, secundas à morte prioris conjugis nuptias, similiterque tertias, & quartas, & deinceps, esse secundùm se licitas: quia vinculum matrimoniale solvitur per mortem unius conjugum, ideoque non impedit quò minus novum iniri possit *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est* mulier *à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro;* ait Apostolus ad Rom 7. & 1. ad Corinth. 7. *Si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in domino.* 1. ad Timot. 5. *Volo juniores viduas nubere, filios procreare.* Idem probat perpetuus Ecclesiæ usus, & can. 8. Concil. Niceni, Epiphanius hæresi 48. & 56 Hieron. epistola 11. ca. 3. Ambr. lib. de viduis, Augustinus lib. De bono viduitatis.

Resp. affir.

Ad 1. Argumentum, Negatur assumptum: neque enim Apostolus solis viduis, sed etiam non nuptis, id est, illis quæ nunquam nupserunt, dicit *melius esse nubere quam uri.* Comparatio autem illa *nubere* ad *uri,* potest bifariam intelligi. *Primò,* ut nubere consideretur per se absque circumstantijs, & sic est comparatio boni ad malum, quomodo Ecclesiastæ 7. dicitur, *melior est patiens arrogante. Secundò,* ut nubere sumatur cum hac circũstantia, per

Universidad de Deusto
Biblioteca



incontinentiam: & sic est minus malum, quam uri, A secundùm ea quæ diximus art. 6. quæst. 49.

AD 2. Quorundam locorum Episcopi, hâc in re olim, sicut & in quibusdam alijs, severiores, aliquâ pœnitentiâ, privatâ tamen, mulctandos voluerunt eos qui sæpius matrimonia contrahebant; non quòd judicarent ea esse illicita; sed tum ne fideles Bigamiam licentiùs admitterent; tum ob signum incontinentiæ. Unde & Conc. Laodicæni canon primus secundas nuptias agnoscit legitimas, prò quibus tamè certi temporis pœnitentiam injungit.

AD 3. Origenes contra scripturam, quæ Matth. 25. & alibi, habet pro ijsdem vitam æternam, & regnum Dei quod post mortem expectatur; distinguebat inter regnum Dei, & vitam æternam: & asserebat digamos futuros quidem in vitâ æternâ, sed non in regno Dei. *Puto*, inquit, *eum qui sit digamus, licet bonam habeat conversationem & cæteris virtutibus polleat, tamen non esse de Ecclesia, & de eo numero qui non habent rugam aut maculam aut aliquid ejusmodi: sed esse de secundo gradu & de his qui invocant nomen Domini; & qui salvantur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronatur ab eo.* *Error Origen.*

Nazianzenus non damnat secundas nuptias, sed dissuadet. Nec obstat quòd in secundis dicat esse veniam, in tertijs iniquitatem; quia non sic loquitur propter iteratas nuptias secundùm se consideratas, sed propter conditionem contrahentium; qui ut plurimum ad iterandas nuptias moventur C libidine potiùs quàm sobolis amore. Quod autem secundas nuptias omnino putaverit licitas, ex ejus oratione 39. constat, ubi Novatum eo nomine insectatur, quod juvenibus viduis nubendi potestatem non faceret.

HIERONYMUS loco allegato solùm hortatur ad viduälem continentiam, eamque præfert secundis nuptijs. unde in Apologia ad Pammachium, *Aperiant*, inquit, *aures obtrectatores mei, & videant me secundas & tertias nuptias concessisse in Domino. Qui secundas & tertias non damnavi, potui damnare matrimonium? Non damno digamos, imo nec trigamos.*

Quæ argumento primo à B. Thoma adferuntur, non sunt Chrysostomi, sed authoris operis im- D perfecti, hominis non satis catholici.

Quod in Responsione ad Tertium, sacerdotes dicuntur arceri à secundis nuptijs, id est, à convivio secundarum nuptiarum, sumptum est ex Concil. Neocæsariensi can. 7.

*Quæst.* QUÆRI hic posset, An mulier quæ intra primum viduitatis annum nubit, ipso jure sit infamis;

*Resp.* propter leges quasdam civiles id statuentes. Sed quia sacri canones eas aboleverunt, cap. *Super illa*, cap. *cum secundum* tit. De secundis nuptijs; RESPONSIO negativa certa est.

### ARTICULUS II.

*Secundum matrim. est Sacramentum.* ART. 2. probat secundum matrimonium esse Sacramentum; quia nihil ei deest illorum quæ requiruntur ad essentiam Sacramenti.

*Ob.* Nec obstat digamos dici irregulares defectu

*Resp.* Sacramenti: hoc enim idem valet quòd defectu cujusdam mysticæ significationis. Nam cùm Christus sit unicus sponsus unicæ Ecclesiæ, hujus rei significatio deest secundis nuptijs, per quas fit ut unus conjux sit plurium, quamvis alio, & alio tempore.

Atque ex hujus significationis defectu, etiam est quòd secundis nuptijs non sit adhibenda benedictio; cap. *Capellanum*, ca. *Vir*, tit. de secundis nuptijs. Intelligitur autem benedictio, non ea quæ consistit in illis verbis, *Ego vos in matrimonium conjungo*; sed quæ in fine missæ danda præscribitur.

*Quibus secundis nuptijs non est danda benedictio.* ILLÆ vero nuptiæ dicuntur SECUNDÆ (ut non benedicantur) quæ sunt secundæ ex parte mulieris, etiamsi sint primæ ex parte viri. Ratio diversitatis est, quia cùm mulier secundò nubit, omnino deest significatio conjunctionis Ecclesiæ cum uno Christo: quando autem solus vir secundò nubit, ea significatio salvatur aliquo modo: Nam Christus etiamsi habeat unicam Ecclesiam, illa tamen ejus Ecclesia habet plures personas fideles sibi desponsatas: Ecclesia verò vel anima fidelis non potest esse nisi unius Christi sponsa.

Sciendum est ergò benedictionem nunquam esse adhibendam quando mulier secundò nubit, etiamsi adhuc sit virgo; nisi casu aliquo adhibita non fuerit primis nuptijs. Tunc autem esse adhibendam præscribunt Pastoralia Camerac. & Mechlinien. Docet quidem Navarr. capite vigesimo secundo, numero 83. secundas nuptias nunquam esse benedicendas, sive sint secundæ ab utraque parte, sive ab altera semel benedictæ: Et similiter in Rituali Rom. jussu Pauli 5. edito præscribitur, ut quando conjuges in primis nuptijs benedictionem acceperint, parochus eos in secundis non benedicat, sive mulier sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ibidem additur; *Ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea servanda est: Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit.*

*Obj.* DICES, significatio huic Sacramento propria est, quod significet conjunctionem unius Christi cum Ecclesiâ unâ: sed hæc, secundùm jam dicta, deest in secundis nuptijs; ergo secundæ nuptiæ non sunt Sacramentum.

*Resp.* RESP. Distinctione Subsumpti. Unumquodque enim conjugium, sive secundum, sive tertium, per se & seorsim sumptum, cum sit solum unius cum unâ, habet significationem unius Christi cum unâ Ecclesiâ: si autem sumatur quatenus est secundum, id est, quatenus importat relationem ad prius; sic prædictam significationem non habet, ideoque perfectione quadâ Sacramenti accidentariâ caret.

## QUÆSTIO LXIV.

## *De redditione debiti.*

### ARTICULUS I.

*Conjux conjugi tenetur debitum reddere.* ART. 1. docet alterum conjugum teneri alteri ad redditionem debiti: quia per matrimonium dederunt sibi invicem potestatem suorum corporum. Unde Apostolus 1. ad E Corinth. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro, Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Debitum hîc vocatur concubitus, alteri conjugum ab altero debitus. Hoc debitum negare, est ex genere suo peccatum mortale; quia est contra justitiam, & in re gravi, exponitur enim is cui negatur, periculis incontinentiæ, daturque occasio rixarum, odiorum, & dissensionum. Prudentes autem confessarij mulieres conjugatas quæ confitentur se fuisse maritis iratas, examinare debent, an propter talem occasionem maritis suis negaverint debitum.

Scien-



*Quando negare debitum non sit grave peccatum.* Sciendum tamen, quòd negatio debiti, ratione A circumstantiarum, aliquando vel nullum sit peccatum, vel non nisi veniale: ut si viro petenti, uxor respondeat se non esse sic dispositam, nec bene valere, aut velle communicare; Et ipse acquiescat. Et generaliter, si remissè petit; aut rogatus dilationem facilè cedit, neque imminet illi periculum incontinentiæ. Sicut enim in alijs debitis, non est mortale, eorum solutionem negare, quando creditor remissè illam petit, aut rogatus facilè concedit dilationem: ita etiam in proposito.

Præterea, quando conjux est in petendo frequentior, importunior, & molestior quàm par sit; potest alter absque peccato, saltem mortali, negare; si non sit ullum incontinentiæ periculum: quia B in omnibus rebus debet modus servari: Si verò, vel illius periculum sit, vel is qui aliàs moderatè petere solet, nunc multùm insistat, mortale est negare.

Circa finem corporis, adverte conjugem posse alteri negare debitum, si ex redditione timeatur notabile aliquod detrimentum valetudinis: quia alter alteri non obligatur, nisi præsuppositis sui ipsius conservatione & incolumitate, ut in fin. corp. tradit S. Doctor: quibus conformiter in resp. ad 2. ait quod *uxor non habet potestatem in corpus viri, nisi salva consistentia personæ ipsius.* Si ergo propter alterius conjugis morbum gallicum aut alium, reverà periculum sit vel mortis vel gravis morbi ei qui C sanus est; is non debet alteri debitum reddere, etsi possit quando non est ullum mortis periculum, quemadmodum Bonacin. quæst. 4. p. 1. numer. 8. post Sanchez l. 9. disput. 24. & alios existimat. Vide etiam Layman l. 5. tract. 10. p. 3. cap. 1. & Pontium l. 10. cap. 14.

Duæ tamen adhiberi possunt exceptiones. *Una*, quando petenti est grave periculum incontinentiæ: Ad eam enim vitandam alter debet aliquanti corporalis morbi periculum negligere.

*Altera*, quando Regni vel provinciæ publica utilitas exposcit, ut princeps relinquat prolem successorem tenetur ad uxorem accedere, etiam cùm D manifesto vitæ periculo; tenetur (inquam) non ex justitia quæ sit inter eum & uxorem, sed ex justitia qua est obligatus bono publico.

In Responsione ad 4. tradit B. Thomas, conjugem sanum teneri reddere debitum conjugi leproso; Idemque declaravit Alexander 3. cap *Pervenit*, & cap. *Quoniam*, tit. De conjugio leprosorum. Præsupponunt autem quod sano nullum sit notabile periculum contagionis ex hujusmodi congressu: Ac propterea, si probabile illius esset periculum; censerent sanum non teneri ad redditionem debiti; eâdem ratione quâ B. Thomas dicit eum non teneri ad cohabitandum leproso, eò quod ex frequente cum illo conversatione, citius inficiatur sanus quàm ex actu matrimoniali. His consentiunt E qui capitula illa interpretantur pro illo tempore & casu quo non imminet sano grave periculum ex copula cum leproso. Quando autem periculum illud immineat, consulendi erunt medici: generaliter autem observandum est, majus esse periculum à muliere leprosa, quam à viro, & à leprâ vetustiore, quam ab aliâ.

Quod si ante contractum matrimonij alter noverat alterum leprâ, vel alio contagioso morbo laborare, & nihilominus contraxit; non potest propter periculum contagionis, illi negare debitum; quia voluntariè se conjecit in eam necessitatem, per hoc quòd sciens & volens dedit potestatem sui corporis leproso. Atque hæc de periculo conjugis. Superest jam examinare.

*Quæst.* An propter morbum aut vitium quod proli concipiendæ timetur eventurum, excusetur conjux à

*Resp.* redditione debiti. Si causa, ex quâ periculum istud imminet, est perpetua, non excusatur; si est temporalis; ut quando mulier patitur naturalem fluxum menstruorũ, excusatur, nisi alter in exigendo persistat, & alioquin metuendum ei sit ab incontinentiâ. B. Thomas in 4. dist. 32. art. 2. quæstiuncula 2. & 3.

Dixi, *concipiendæ*, quia si proli conceptæ metuitur vel abortus, vel aliud aliquod grave nocumentum; non licet debitum reddere; secundùm ea quæ diximus q. 49. art. 6.

## QUÆRITUR I.

### *An conjux teneatur reddere debitum, quando is qui petit, petendo peccat.*

SI venialiter solùm peccet; certum est teneri: si mortaliter, & peccatum sit ob circumstantiam tenentem se ex parte actus; ut si petat in loco vel sacro vel publico, si cum periculo abortus, si modo innaturali; alter non tenetur, imo nec potest reddere; quia cooperaretur ad actum, tam reddenti quam petenti illicitum.

Si verò peccatum petentis solùm sit ex circumstantia personali, ut quia petit malo fine; alter tenetur reddere, nisi personalis illa circumstantia petentem privaverit suo jure, vel fecerit eum cedere juri quod habebat ad petendum: Tunc enim non tenetur reddere quamvis licitè possit, eò quod actus ille sit ex natura sua licitus, neque sit ex parte reddentis ulla circumstantia quæ faciat eum ipsi illicitum. Vide q. 53. art. 1. & q. 58. art. 4.

## QUÆRITUR II.

### *Utrum quando unus conjugum est ebrius, alter teneatur ei petenti reddere debitum.*

RESP. si est totus ebrius, illum per se seu ex natura rei non teneri; teneri tamen per accidens.

PRIUS, prob. quia ebrius non petit actu humano, ac proinde non sic petit ut possit obligare. Confirmatur, si vir dormiendo & somniando requireret debitum, uxor non teneretur acquiescere, ebrius autem non est melioris conditionis quam dormiens & somnians. Accedit quod amenti non teneatur conjux debitum reddere, nisi ad periculum aliquod cavendum, ut intelligi potest ex dictis q. 58. art. 3. ergo nec ebrio.

PROB. POSTERIUS, Si enim sit periculum ne ebrius denegato sibi debito conjugali, vel ad aliam accedat, vel seipsum polluat, alter tenetur ei reddere, quia cavere debet ejusmodi turpitudines in sua comparte. Sive autem vir sit ebrius sive mulier parum refert: quia non est ex parte mulieris ebriæ periculum vel abortus, vel occisionis fœtus, vel malæ educationis, sicut ex parte mulieris amentis aut furiosæ, cum ebrietas citò transeat, non similiter amentia vel furia. Videri possunt Bonac. q. 4. p. 1. & Sanch. l. 9. disp. 24. cum illis quos allegant.

QUÆRI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆRITUR III.

*An liceat negare debitum, ne proles multiplicentur.*

*Resp. non licere.*

RESP. non licere; tum quia is qui negat, facit alteri petenti & instanti injuriam; tum quia facit contra finem matrimonij. Possunt nihilominus de communi consensu abstinere à copula (modò absit periculum incontinentiæ, aut si quod sit, aliter illud superent) ne plures liberi nascantur; quia non tenentur operam dare multiplicandæ soboli. Imo si admodum sunt pauperes ita ut ex multiplicatione liberorum magna immineat incommoditas pro illis alendis; credibile est conjugem hoc considerantem vel non peccare, vel non plus quam venialiter, si alteri debitum neget, secluso incontinentiæ periculo.

## QUÆRITUR IV.

*An uxor peccet negando debitum, quando experta est se non posse aut parere sine gravi mortis periculo, aut pueros in lucem edere vivos.*

*Resp. non peccare.*

RESP. non peccare; quia non tenetur reddere debitum cum probabili periculo vitæ: ejusmodi autem periculum est non solum in primo, sed etiam in secundo casu: nam mulier periculum vitæ subit ex morte fœtus in ventre.

Utrùm autem ipsa, non obstante isto periculo possit debitum petere ad vitandum magnum incontinentiæ periculum: Sunt qui affirment apud Sanchez lib. 7. disp. 102. & Bonacin. q. 4. part. 1. nu. 14. quia licet eligere minus malum, ad evitandum majus.

Sed quoniam hoc intelligendum videtur, quando est necessitas eligendi alterutrum; hic autem non est talis necessitas, cum periculo incontinentiæ possit occurrere aliter quam se exponendo probabili periculo mortis. Ideo verius videtur quod non possit petere, & quod debeat id agere quod ageret si maritus suus aut perpetuo morbo laboraret, aut detineretur in carcere apud hostes.

### ARTICULUS II.

*Vir uxori etiam non expresse petenti debitum reddere tenetur.*

ART. 2. docet virum teneri reddere debitum uxori etiam non petenti (expressa scilicet petitione) modò petat interpretativè, vel signis, vel ingenio seu conditione: ut si advertat eam id cupere, sed præ verecundia non audêre formaliter petere. Quo casu, cavere debent mariti ne suas uxores desiderium suum insinuantes, aut diuturniorem continentiam ægrè ferentes, objurgent vel reprehendant; neve aliqua alia ratione avertant à debito petendo, nisi fortè ex rationabili causa; & ne tunc quidem, asperè: propter pericula fornicationum, aut aliarum immunditiarum.

### ARTICULUS III.

*Vir & mulier æquales sunt in debito exigendo.*

ART. 3. docet virum & mulierem esse æquales, quantum ad jus petendi & reddendi debitum: Quamvis enim non sit æqualis dignitas in utroque, uterque tamen habet æquale jus in corpus alterius, ut declarat Apostolus 1. ad Corinth. 7. In cæteris autem omnibus à conjugali debito diversis, non sunt simpliciter æquales; sed vir est caput mulieris; cui propterea debet illa subjici. Est tamen æqualitas proportionis; quia quantum uxor est obligata viro ad parendum, auxiliandum, & quæ uxoris sunt præstandum; tantum vice versa obligatus est maritus uxori, ut ei prospiciat, eam gubernet, ac præstet officia probi mariti.

DICES. Lia conduxit maritum suum, Gen. 30. ergo non habebat jus exigendi debitum.

RESP. Neg. consequentiam: habebant enim singulæ uxores jus; sed quia Jacob non poterat omnibus simul satisfacere, ordinem constituerat quo ad eas esset ingressurus; ut ex B. Augustino li. 22. contra Faustum capite 49. patet. Quia verò nox illa erat Rachaëlis; ipsa jus suum cedit Liæ propter mandragoras, quibus non tanquam pretio, sed tanquam dono honesto, Rachaëli datis, mariti benevolentiam sibi comparabat. Confer quæ ad istud cap. Genes. scripsi.

In RESP. ad 2. tradit uxorem non ita teneri reddere debitum viro non petenti, sicut vir tenetur uxori: quia vir naturaliter non ita erubescit petere, sicut mulier. Cæterum, si vir ob suam pusillanimitatem, vel ob uxoris duram conditionem, aut insignem authoritatem, non audet petere; tenebitur uxor illi, sive signis, sive ingenio & conditione petenti, similiter reddere. Navarr. c. 16. nu. 26.

### ARTICULUS IV.

*Unus conjugum non potest continentiam vovere sine consensu alterius.*

ART. 4. probat alterum conjugum non posse absque alterius consensu vovere continentiam: & si voverit, teneri nihilominus post matrimonium consummatum, ad redditionem debiti, quia reddere non subjacet ejus voluntati; sed est necessitatis, ex matrimonio provenientis. Conferantur quæ diximus q. 53. ar. 1. & 4. & qu. 61. art. 1.

In Responsione ad tertium, advertendum est, ordinariè esse illicitum conjugi facere votum non petendi debitum; si tamen faciat, illud est validum.

PRIUS probatur quia qui sic vovet, reddit matrimonium alteri onerosum, & quia mulieri gravius est semper petere quam viro; ideo gravius peccat vir tale votum emittens, quam mulier.

Dixi *ordinariè*, quia si alter non sit ex ejusmodi voto gravandus, utpotè senex, aut alioqui bene continens; non peccabit is qui tale votum emittet.

POSTERIUS traditur à S. Thoma quodlibeto 3. ar. 18. & in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiuncula 2. ad 4. quia per matrimonium non est obligatus ad petendum, sed solum ad reddendum debitum, vide q. 53. art. 1. ad 4.

De alijs votis uxoris quæri solet, An omnia possint irritari per maritum: sed hoc ad 2. 2. q. 88. art. 8. pertinet. Videantur etiam Navarr. Enchir. c. 12. nu. 64. Et Lessius lib. 2. ca. 40. Dubio 10. qui probabiliter negant.

ARTI-



### ARTICULUS V.

*Diebus sacris non est conjugale debitum petendum.*

ART. 5. docet petitionem debiti temporibus sacris, esse illicitam: quia tunc vacandum est orationi rebusque divinis, à quibus per actum conjugalem homines distrahuntur: Nec referre quod ne esse non sit orare omnibus horis; quia sufficit homines omnibus sacrorum dierum horis teneri ad se conservandum, ut idonei sint orare.

In hanc sententiam facit cap. *Proposuisti* dist. 82. ex 3. epist. Innoc. 1. quę est ad Exuperium, ubi Pontifex scribit Apostolum præcepisse laicis 1. ad Cor. 7. abstinere ad tempus ut vacent orationi. Quibus conformia leguntur ex August. & Ambros. 33. qu. 4. cap. *Quotiescunq.* & cap. *Fratres*. Et cum B. Thoma sentiunt plurimi apud Sanchez lib. 9. disp. 12. nu. 3. nec dubium est quin hæc sententia sit communior, vel ut Sanchez dicit, frequentior; quamvis ipse nu. 5. non improbabiliter doceat nullum esse peccatum, exigere debitum conjugale sacris diebus, eò quod nulla extet formalis prohibitio: Quæ enim ex sanctis Patribus adferuntur, ipse per modum consilij dicta intelligit. Verba autem Innocentij dicentis, quod Apostolus laicis præcepit abstinere ut vacent orationi, interpretatur, ut, præcepit, positum sit pro; persuasit; quæ certè interpretatio nonnihil dura videri potest. Et propterea nihil videtur esse quod à B. Thomæ sententia nos recedere urgeat.

SI DICAS finem præcepti non esse in præcepto. RESP. quod abstinere à petendo debito in diebus festivis, non est finis præcepti; sed potius est medium quoddam convenientissimum ad tunc vacandum orationi.

Sed ubi extat prohibitio? RESP. quod tum apud Innoc. 1. tum apud alios Patres; quorum verba plus important quam nudum consilium.

### ARTICULUS VI.

*Non tamen est mort. peccare.*

ART. 6. docet non esse peccatum mortale, si conjux à conjuge conjugale debitum petat sacris diebus: quia actus ille secundùm se est ei licitus, & nulla est circumstantia quæ vel speciem mutet, vel sic aggravet ut mortale faciat.

His non obstat mulierem quandam à dæmone obsessam legi apud Greg. lib. 1. dialog. cap. 9. eò quod ad processionem procederet cum nocte præcedente virum suum cognovisset: Obsessionis enim hujus ratio non erat, quia debitum petierat, sed quia conscientia ipsi dictante quod post copulam non liceret sibi ire, ivit tamen.

### ARTICULUS VII.

*Oportet reddere etiam sacris dieb.*

ART. 7. docet conjuges teneri ad redditionem debiti etiam diebus sacris; ac propterea nullum esse illis peccatum, tunc reddere; quia non habent potestatem sui corporis, sed eam alteri tradiderunt. Vide 3. partis q. 80. art. 7.

*Ob.*

DICES, non licet gladium furioso reddere, quando est illo malè usurus; ergo nec licet conjugi debitum sacro die petenti reddere, cum utendo peccet.

*Resp.*

RESP. neg. consequentiam; quia per redditionem debiti, evitatur malum incontinentiæ conjugis petentis; per redditionem verò gladij, nullum malum evitatur, sed potius incurritur.

Quæritur autem, An debitum in loco sacro petere vel reddere sit aliquando licitum; ut tempore belli quando conjuges diu morantur in Ecclesia. *Quæst.*

Cùm Navarr. cap. 16. n. 32. & alijs per eum citatis, verius videtur nunquam licere, etsi non desint qui probabiliter oppositum sentiant apud Bonacinam qu. 4. de Matrim. punct. ult. nu. 6. Si enim quando maritus diu abest, in Regijs negotijs occupatus; debet uxor toto illo tempore abstinere, & suæ incontinentiæ alijs modis consulere: quantò magis, propter reverentiam Dei & loci sacri? Vide 2. 2. q. 154. art. 10 & 3. part. q. 83. art. 2. *Resp.*

Tempore autem puerperij nec petere licet, nec reddere; ut respondit Gregorius cap. 10. ad interrogationes Augustini: idque partim ob mulieris indispositionem; partim ob nocumentum prolis jam natæ, vel ejus quæ nasci posset ex tali complexu. Si tamen tali tempore congrediantur, non videtur esse peccatum mortale; nisi notabile aliquod damnum inde sit rationabiliter timendum. *De purificationibus puerperarum.*

Postremò hìc est observandum, nullum quidem ab Ecclesia præscriptum esse tempus, quo mulieres debeant post partum abstinere ab ingressu ecclesiæ, servandum tamen unicuique esse morem suæ regionis. Monet enim naturalis pudor, honestas, & partim sequens debilitas, ut aliquanto tempore domi se contineant: constitutiones autem synodales, ut prima vice qua domum exeunt, juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, ad Ecclesiam recta se conferant, gratias Deo acturæ, & à proprio pastore seu ejus vicem gerente purificandæ.

Notandum autem, quod absque licentia superioris purificans jacentem ex fornicatione, sit in Atrebatensi diœcesi excommunicatus in Statutis prædecess. tit. de purificatione post partum: in Cameracensi verò suspensus, si fornicatio sit notoria, tit. 9, Stat. Antiq.

## QUÆSTIO LXV.

## *De pluralitate uxorum.*

### ARTICULUS I.

*Utrùm habere plures uxores, sit contra legem naturæ.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia cum Abraham duxit Agar, *non commisit in legem, sed legem prævenit*, ait Ambros. 33. q. 4. cap. *Dixit*, ergo nondum erat lex vetans pluralitatem uxorum.

SECUNDÒ, Lotharius imperator habuit simul duas uxores, cap. *Præcipuè*, & cap. *Teugualdum* 11. q. 3. similiterque Valentinianus senior, apud Socratem lib. 4. cap. 26. nam Severa priore sua conjuge adhuc vivente, Justinam duxit, ac legem tulit ut cuique volenti liceret duas uxores habere legitimas: eamque in singulis civitatibus divulgavit.

TERTIÒ, August. lib. 22. contra Faustum c. 47. tradit pluralitatem uxorum factam esse licitam per consuetudinem. *Quando*, inquit, *mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen est quia mos non est.* consuetudo autem non potest prævalere contra jus naturæ: ergo pluralitas uxorum non est contra jus naturæ.

Pro responsione, sit

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca



### Conclusio I.

*Polygamia est jure naturæ illicita. Quæ prima quæ secunda legis naturæ præcepta.*

Polygamia qua quis uno eodemque tempore plures uxores habeat, est contra jus naturale ac divinum. Quamvis enim non sit contra prima præcepta legis naturæ quæ sunt prima principia, sic universaliter continentia regulam rectitudinis, ut nullus occurrere possit casus quo ea mutari conveniat; cujusmodi sunt præcepta Decalogi: neque etiam sit contra primum finem matrimonij, qui est, proles, cùm unus vir possit plures mulieres fœcundare; Est tamen contra secunda præcepta legis naturæ, & contra secundarium finem matrimonij. Secunda præcepta juris naturæ vocantur ea, quæ tanquam conclusiones deducuntur ex primis, mutarique possunt mutatis rerum ac personarum circumstantijs, sed non nisi per eum à quo processerunt. Finis secundarius, est communicatio operum & pax domestica.

Confirmatur 1. Quidquid finem à natura ex opere aliquo intentum sic impedit ut ejus acquisitionem reddat difficilem, aut minus convenientem, prohibetur secundis præceptis legis naturæ: Polygamia prædicta, est ejusmodi: ergo Minor probatur, quia polygamia de se nata est parere discordias, tum ratione regiminis domestici, tum ratione amoris & usus conjugis, educationis, & evectionis filiorum, &c.

Secundò, polygamia adversatur æqualitati quam ex jure naturæ habent conjuges in ijs quæ pertinent ad thorum conjugalem: nam mulieri natura non permittit plures viros.

Tertiò, Adversatur etiam aliqua ratione fidei conjugali, qua vir tenetur uxori petenti reddere debitum; hoc enim præstare non potest, pluribus simul debitum exigentibus.

Huc pertinet, quod ab initio unum tantum masculum, unamque fœminam creaverit Deus in specie humana: significare volens, non unum pluribus, sed unum uni esse in matrimonio copulandum. Unde & dixit, *Vir adhærebit uxori*, non uxoribus: *erunt*, non tres aut plures; sed *duo in carne una*: ac deinde infert; *itaque jam non sunt duo, sed una caro.* quod verum esse non potest, si unus conjungeretur pluribus. Videri possunt Hieron. Chrys. & alij super caput 19. Matthæi.

### Conclusio II.

Pluralitas uxorum in nova lege ita est illicita, ut omnia matrimonia quæ priore legitima conjuge vivente contrahuntur, sint irrita.

Christus enim Matth. 19. & Marci 10. conjugium reduxit ad primævam suam institutionem & naturam, ac prohibuit dimittenti uxorem, ducere aliam, affirmans quod *quicumq; dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, mœchatur:* Quia nimirum, prior licet sit dimissa, adhuc verè est uxor. *Si ergo uxore dimissa, duci alia de jure non potest; fortius, & ipsa retenta:* ait Innocent. 3. cap. *Gaudemus* titul. De divortijs.

Quod autem apud Marcum dicitur, *Adulterium committit super eam*, non significat secundum istud conjugium esse solum adulterium secundùm quid, quatenus scilicet cum injuria prioris est conjunctum; sed significat esse simpliciter verum adulterium; idque committi adversus priorem illam conjugem.

Hanc doctrinam confirmat perpetuus in Ecclesia Christi usus, ac novissimè Conc. Trid. sess. 24. cap. doctrinali & can. 2.

Ex his sequitur, etiam apud Judæos & Gentiles matrimonia cum pluribus uxoribus esse invalida: subjiciuntur enim legi naturæ; ad quam revocatum est matrimonium. Unde Innoc. 3. c. *Gaudemus*, de divortijs, ejusmodi conjugia docet esse irrita.

Ad 1. Arg. Neg. consequ. Quia S. Ambrosius loquitur de lege positiva, quæ necdum expressè prohibebat, vel adulterium, vel polygamiam: laborans autem in excusando Abraham, varias adfert ejus defensiones, sed veram posuit in responsione tertia; ideo scilicet non peccasse, quia Deus id eum facere voluit, propter mysterium.

Ad 2. Resp. quod Nicolaus Pontifex ejus nominis primus, secundam illam Lotharij conjunctionem vocat adulterium, 24. qu. 3. cap. *An non*, ideoque illi interdicit omni pellicis istius consortio. Episcopos etiam qui factum Lotharij probaverant, severè punivit, omni eos dignitate ecclesiastica, propter istam causam, privando.

Ad narrationem Socratis, Resp. eam esse fabulosam; ut ostendit Baronius tomo 4. ad annum Christi 370. Duxit quidem Valentinianus Justinam, ex qua præter cæteros genuit Valentinianum juniorem; sed non duxit, nisi post mortem Severæ prioris conjugis.

Ad 3 Resp. Augustinum loqui supposita divina dispensatione seu voluntate; quæ & consuetudinem induxit, & polygamiam fecit esse licitam. Nunc autem quia nulla est vel dispensatio vel Dei voluntas ut vir unus simul plures uxores habeat; aut quæ morem talem inducat: simpliciter non licet: significat etiam Augustinus polygamiam non fuisse olim contra legem, scilicet positivam & scriptam; neque contra naturam; scilicet fœcunditatis & generationis. Cum quibus bene consistit fuisse contra legē naturæ, modò superius explicato.

### Articulus II.

*Ali-quando licuit habere plures uxores.*

Art. 2. docet fuisse aliquando licitum habere plures uxores, sed non nisi per divinam authoritatem, qua vel Deus dispensabat in lege monogamiæ, vel declarabat eam tali tempore non obligare, sibique placere ut hic & nunc non servaretur.

Prius probari potest per exempla sanctorum veteris testamenti, qui partim ante legem, partim sub lege plures uxores habuisse leguntur sine reprehensione, ut Abraham, Jacob, David.

*Confirmatur*, David propter adulterium semel commissum fuit graviter increpatus & punitus: ergo multo magis fuisset reprehensus, si plures ille mulieres, quæ in scriptura vocantur ejus uxores, non fuissent ipsi per verum matrimonium copulatæ: sic enim multa commisisset adulteria, eaque continua.

*Deinde*, cum Deut. 21. dicitur, *Si habuerit homo uxores duas, unā dilectam, & alteram odiosam; non reprehenditur* is qui duas uxores habet, sed constituitur ut jus primogenituræ cedat ei qui revera est primogenitus, etiamsi natus sit ex odiosa uxore.

Posterius asseritur ab Innoc. 3. cap. *Gaudemus*, de divortijs; & probatur, quia nullus præter Deum potest dispensare in lege naturali.

*Ob.* Si dicas neque Deum hoc posse, propterea quod lex naturalis sit immutabilis.

*Resp.* Resp. legem naturalem esse prorsus immutabilem & indispensabilem quoad prima principia legis



legis naturæ; quoad secunda verò (contra quæ solum, est polygamia) esse dispensabilem, ut 1. 2. qu. 94. art. 5. docetur.

Ratio dispensationis, Una est multiplicatio posteritatis, præsertim in populo fideli.

Altera, quorundam mysteriorum significatio; ut distinctionis graduum in Ecclesia tum militante, tum triumphante, hic ad 5. & duorum testamentorum, ad Gal. 4. Reductionis quoque populi Gentilis & Judaici in unum corpus; & aliarum rerum de quibus agit Augustinus, propter quatuor uxores Jacob lib. 22. contra Faustum cap. 54. 55. 56. & tract. 11. in Joannem.

Non debuit autem hæc dispensatio fieri statim initio creationis hominum, aut primis eorum filijs; quia Deus ab initio voluit ostendere statum matrimonij, quem ipsum exposcit secundùm legem naturæ; ne, si tunc unum virum pluribus uxoribus copulasset, existimaretur hoc esse ex ipso naturali statu matrimonij; ac propterea licere semper ita fieri.

### Quæritur ergo I.

*Quando primum fuerit dispensatum ut polygamia esset licita.*

Satis convenit non fuisse 4. ca. Geneseos, ubi Lamech duas accepit uxores: ejus enim bigamiam, tanquam rem mali exempli, omnes intelligunt illic reprehendi.

*Resp. ad quæst.* Probabile autem est fuisse statim post diluvium quando in illa hominum paucitate multiplicandus erat populus fidelis: ita ut Noë tanquam aliorum princeps revelationem primus acceperit, qui posteros deinde docuit, polygamiam ex divina authoritate & voluntate esse licitam. Fuisse enim illam & licitam & usitatam ante tempora Abrahæ, doceri posse videtur ex eo quòd cùm Sara, Gen. 16. illum rogaret ut acciperet secundam uxorem, scilicet Agar, loquebatur non tanquam de re sibi divinitus tunc patefacta quod liceret, sed tanquam de ea quam licere notum esset omnibus, unde & Abraham statim acquievit, etiamsi nondum audivisset quod cap. 21. ei dictum est, *Omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.*

*Ob.* Neque refert quod Noe aut ejus filij plures uxores non acceperint: nullæ enim erant quas acciperent.

*Resp.* Facta est autem hæc qualiscunque dispensatio per inspirationem internam, eamque non singulis, sed uni & alteri ex pluribus. Sicut enim lex monogamiæ non erat eo tempore scripta, sed primo parenti inspirata, & per eum alijs patefacta: ita dispensationem in ea lege, conveniens fuit non scripto exprimi, sed per inspirationem dari uni vel pluribus patribus, per quos deinde tum verbo, tum exemplo manifestaretur posteris.

### Quæritur II.

*An hæc dispensatio pertinuerit ad solum populum fidelem.*

Videtur quod sic. Primò, quia si ante Christum legitima fuerunt Gentilium conjugia cum pluribus uxoribus; consequens videtur etiam nunc esse legitima, cum lex christiana nihil immutaverit, in conjugijs Gentilium.

*Syn. in III. Part.*

Secundò, quia causæ dispensationis non habebant locum in Gentilibus.

*Etiam inter infideles licuit polygamia.*

Respondeo neg. nobis probatur. Primò, quia etiam si polygamia non fuisset Gentilibus licita, consequens esset matrimonia per eos cum pluribus mulieribus attentata, fuisse omnia irrita præter primum, & consequenter, matrimonium Hesteris cum Assuero non fuisse validum nulla enim ratio est dicendi quod Deus non dispensaverit ut polygamia inter Gentiles esset licita; dispensaverit tamen ut polygami validè contraherent.

Secundò, Cum nulla tunc extaret lex scripta vetans polygamiam, & passim viderentur viri probi pluribus uxoribus jungi; meritò existimare potuerunt idem sibi licere quod alijs. Huic sententiæ favet Augustinus lib. 16. De civitate c. 38. & lib. 22. Contra Faustum cap. 47. scribens Jacob licitè quatuor uxores accepisse, quia in terris ubi versabatur erat consuetudo, & per consuetudinem idem factitabatur; terræ autem illæ erant Gentilium: erat enim Mesopotania; & Laban erat idololatra.

Ad 1. Arg. Negatur sequela: quia Christus reduxit omne conjugium, sive Christianorum, sive aliorum, ad suam primam institutionem.

Ad 2. Neg. assumptum: multiplicatio enim posteritatis quam Augustinus dicto cap. 38. expressit ut causam dispensationis, non addendo, populi fidelis, etiam locum habuit in Gentilibus. Sed nec mysterium defuit, nam conjunctio plurium uxorum ad unum virum, significabat unionem diversorum populorum ad unum Christum.

Breviter hic est observandum, non pariter fuisse dispensatum ut una mulier haberet plures maritos, quia hoc non valebat ad multiplicationem generis humani, quin potius eam impediviſset. pluralitas enim maritorum generationem prolis multum impedit, ut patet in meretrice plures viros admittente; educationem verò adhuc magis.

An dispensari possit, ambigitur, B. Thomas art. 1. ad 8 existimat esse contra prima præcepta legis naturæ, ideoque dispensationem non admittere. Confer Dominicum dist. 33. qu. 1. art. 3.

### Quæritur III.

*De impedimento quod vocatur* Ligamen. *Virum matrimonium ratum sit alterius matrimonij impedimentum dirimens.*

Videtur quod non. Primò, quia in cap. *uxor a viro*, 32. qu. 7. dicitur quod viro licet aliam uxorem ducere, si uxorem peccantem dimiserit.

Secundò, quia Basilius epist. 1. ad Amphilochium can. 9. ait quod mulier quæ relinquit virum, est adultera, si ad alium virum accesserit. Qui autem reliquit, est dignus venia; & quæ ei cohabitat, non ideo condemnabitur: ergo matrimonium cum secunda est validum, alioquin enim condemnaretur; ac per consequens, prius matrimonium non dirimit secundum.

Tertiò, Aug. l. 1. de nuptijs c. 10. scribit lege hujus sæculi, interveniente repudio, sine crimine concedi cum alijs alia copulare connubia.

Quartò, In cap. *Si quis sponsa*, & cap. Quidam desponsi. 27. qu. 2. Item c. Si qua mulier 31. qu. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



& cap. *Quædam cum fratre*, cap. *Concubisti*, c. *Si quis* A *cum noverca*, 32. q. 7. negatur adulteræ dimissæ matrimonium secundum, & conceditur viro innocenti: ergo secundum matrimonium non dirimitur per primum. Opponuntur quoque cap. *Quod quidam*, & cap. *Quod proposuisti*, sed de illis dictum est q. 61. ar. 2. quæsito 2. Itemque canon 10. Conc. 1. Arel. & cap. *Quædam* 32. qu. 7. A: de his diximus q. 62. art. 5. ad 3. & 4.

*Matrim. validū est impedim. dirimens alterius.*

Responsio certa est, matrimonium præcedens (etsi solum sit ratum & non consummatum) esse impedimentū dirimens illud matrimonium quod postea attentaretur. Varia siquidem extant hac de re cap. 32. q. 7. & alibi. Ipsum etiam Conc. Trid. sess. 24. can. 7. apertè docet mœchari cum qui dimissa adultera, aliam duxerit; & eam quæ dimisso adul- B tero, alij nupserit. Et horum omnium ratio est; quia postquam matrimonium est à Christo reductum ad primævam suam naturam & institutionem, illud non potest esse nisi unius viri cum una muliere, Matth. 19. secundùm ea quæ ar. 1. concl. 2. diximus.

Quare, inter impedimenta Matrimonij, unum est quod vocatur Ligamen id est, vinculum matrimonij, quo nimirum quis alligatus est uni conjugi.

Hoc autem impedimentum, jure naturæ dirimit omne aliud matrimonium quod eo durante attentatur; ac proinde si sic ligatus attentet secundum matrimonium, nihil agit, sive prius fuerit consummatum, sive non. *Mulier*, ait Apostolus, *alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit*, ad Rom. 7. hoc C autem impedimentum revocat B. Thomas ad pluralitatem uxorum, ut ex quæst. 50. colligitur. Circa quod observanda sunt sequentia.

Primum, quod matrimonium vivente illo conjuge qui putabatur mortuus, contractum; post quantamcunque ejus absentiam, & quantumvis bona fide contractum fuerit statim ut de vita prioris conjugis constiterit, est dissolvendum, seu potius judicandum fuisse invalidum; & facienda est separatio eorum qui sic erant conjuncti. Constat enim neque polygamiam esse licitam; neque matrimonium christianorum semel validum posse utroque conjugum vivente dissolvi, nisi per professionem religionis, ante consummationem. D

Redintegrandum est ergo prius matrimonium, & redire debet conjux ad priorem conjugem. Ita declaravit Leo 1. epistola 77. quæ refertur 34. q. 1. & 2. cap. *cum per bellicam*.

Censetur autem secundum matrimonium bona fide contrahi, non obstante primo; quando conjux de morte conjugis moralem habet certitudinem, quæ æstimatur arbitrio prudentum, qualis nimirum haberi solet per certum nuntium, vel per litteras, vel per aliud simile testimonium, de cujus fide dubitandi causas non habeamus. Sola enim longa absentia, qua durante nihil (etiam post diligentem adhibitam solicitudinem) auditur; ad bonam fidem non sufficit, ut declaravit Clemens 3. cap. *In præsentia*, tit. De sponsalibus. E

Secundum, Qui matrimonium secundum bona fide contraxerunt, tam diu excusantur à culpa, sive in petendo, sive in reddendo debito conjugali, quamdiu bona illa fides seu moralis certitudo de morte prioris conjugis, manet: *Inculpabile enim judicandum est, quod necessitas intulit*, ait Leo dicta epistola 77.

Tertium, Quando moralis certitudo deficit, propter conjecturas, quæ in contrarium, dubitationem aut probabilitatem, non tamen certitudinem moralem gignunt; conjux potest reddere debitum, sed non potest petere. Ita respondit Lucius 3 cap. *Dominus*, de secundis nuptijs, & Innoc. 3. cap. *Inquisitioni*, de sententia excommunicationis. Quod si graviores sint conjecturæ, ita ut non solùm probabile fiat, sed etiam certum moraliter, quod conjux vivat: ne quidem reddere debitum, ei licebit.

Cùm enim in moralibus id pro vero sit tenendum, quod moraliter certum habetur; talis conjiceret se in crimen adulterij, ut patet ex dicto cap. *Inquisitioni*. Quod autem ea quæ mala fide inijt secundum matrimonium, & postea peccati pœnitens vult resilire, sed ab ecclesiastico Judice (propter defectum probationis) cum secundo compellitur remanere, & debitum reddere; non possit sententiæ obsequi: ex ijs quæ diximus q. 45. art. 4. quæsito 3. potest haberi; & manifestum est ex eodem Innocentij 3. capitulo, *Inquisitioni*.

Ad 1. verò Arg. superius allatum. Resp. cap. istud desumptum esse ex Comment. in epistolas Paulinas, qui sub nomine S. Ambrosij circumfertur, de quo diximus q. 63. ar. 4. non esse B. Ambrosij. Quoniam verò Responsionem hanc parvi quidam æstimant, ut Basil. Pontius lib. 7. cap. 52. perpendendæ sunt rationes Lovanienſium ad cap. 4. lib. 4. contra duas epistolas Pelagian. & aliæ quas deducit Bellarminus in Ambrosio: His enim consideratis facile quis intelliget illos commentarios re vera non S. Ambrosij esse, sed potius cujusdam Hilarij sectæ Luciferianæ diaconi.

Accedit quod verus Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 4. asserit oppositum ejus quod habetur in eo cap *Vxor a viro*; dicens *nec viro licet quod mulieri non licet: eadem a viro quæ ab uxore debetur castimonia*. Vide cap. *Nemo* 32. q. 4.

Solutio tamen quam adhibet Pontius; nō est aliena, scilicet authorem prædicti commentarij locutum esse de lege humana seu civili, quæ potiorem habebat causam viri quam mulieris, permittens viro qui suam conjugem propter adulterium dimiserat, ad alias nuptias transire; non similiter autem mulieri, quæ virum adulterum dimisisset.

Ad 2. Resp. neg. Conseq. Cum enim S. Basilius dicit: *Qui reliquit, est dignus venia; & quæ ei cohabitat, non ideo condemnabitur*; agit de venia & condemnatione juxta leges civiles olim vigentes; cum juxta legem Dei accipiendum sit quod subjungit; *Sed si vir qui ab uxore discessit, accessit ad aliam* (ineundo scilicet cum ea tale quale matrimonium) *est & ipse adulter, quoniam facit eam adulterari, & quæ ei cohabitat est adultera, eo quod alienum virum ad se traduxit*.

*Quæ lex seculi.*

Ad 3. Resp. Augustinum legem seculi vocare legem civilem quæ non prohibebat nec puniebat matrimonium illud secundum, quod contrahebat vir uxore priore repudiata; cum interim ibi agnoscat legem divinam reprobare ejusmodi secundum matrimonium. Verba Augustini sunt. *Quod si quisquam fecerit* (ut nimirum aliam uxorem ducat, vivente prima) *non lege hujus seculi, ubi interveniente repudio, sine crimine conceditur cum aliqua alia copulare connubia; quod etiam sanctum Moysen Dominus propter duritiam cordis illorum permisisse testatur: sed lege Evangelij reus est adulterij sicut etiam illa si alteri nupserit*: per quæ id significare vult quod qui uxore repudiata ducit aliam, est reus adulterij, non quidem lege civili quæ olim hoc permittebat, sed lege Evangelica per Christum data.

Ad 4.



Ad 4. neg. Conf. quia in istis capitulis solum A significatur negari adulteræ aliud matrimonium etiam post mortem viri; non negari autem viro innocenti, ut post mortem uxoris aliam ducat: sicut vice versa non prohibentur secundæ nuptiæ mulieri innocenti, post mortem mariti, negabantur autē olim marito adultero, etiam post uxoris mortem: fuisse enim ejusmodi pœnam priscis temporibus haud infrequentem, clarum est ex c. *Hi verò*, & ex cap. *Concubuisti* 32. q. 7. & ex alijs pluribus.

### Articulus III. & IV.

*Concubinam habere, pec. est.*

Art. 3. & 4. docet habere concubinam esse contra legem naturæ, & peccatum mor- B tale. Cùm enim fides & ratio doceat fornicationem simplicem esse peccatum mortale, ut 2. 2. q. 154. ar. 2. ostenditur; multò magis concubinatus mortale peccatum est, etiamsi solutus solutam teneat concubinam. Concubinatus enim non tantùm est crimen, sed est assiduitas & consuetudo in crimine, quod peculiarem enormitatem addit huic flagitio. Propter quam regulariter absolvi non potest concubinarius, nisi à concubina separetur. Vide Navar. c. 3. n. 19. & c. 16. n. 20. Concubina verò dicitur illa mulier cum qua quispiam frequenter & ex consuetudine fornicatur, vel eam domi retinens, vel ad eā accedens sicut ad uxorē. Quo modo differat concubinatus à fornicatione diximus 2. 2. q. 154. ar. 2. C

### Articulus V.

Art. 5. probat nunquam fuisse licitum habere concubinam: quia hoc est contra prima præcepta legis naturæ quæ dispensationem non admittunt.

*Ob.* Si dicas, Abraham, & alios sanctos veteris testamenti habuisse concubinas, Gen. 25. & 35. 2. Reg. 5. & alibi.

*Resp.* Resp. *concubinam* his articulis dici quæ cum viro habitat & concumbit extra matrimonium: In scriptura verò, ubicunque concubina tribuitur alicui, quem à peccato excusare oporteat, semper ac- D cipitur pro legitima uxore; quæ quidem habebat jus ad concubitum, sed non plenè participabat jus uxorium, habebat scilicet jus thori, sed non erat viro socia in regimine domus, nec habebat communionem omnium bonorum, quandoque etiam remanebat servilis conditionis, ut Agar.

*Quid concubina quando tribuitur sanctis.*

Fuisse legitimas uxores scriptura ipsa testatur: nam Agar quæ Gen. 25. vocatur concubina, c. 16. dicitur uxor: & Cethura similiter, initio cap. 25. Zelpha item capit. 37. Et quæ 2. Reg. 16. vocantur concubinæ Davidis, eædem uxores ejus appellantur à Domino, cap. 12.

Similis acceptio concubinæ est in Conc. Tolet. 1. can. 17. cum dicitur; *Is qui non habet uxorem* (id E est, conjugē quæ & libera sit & in plenum jus conjugale admissa) *& pro uxore concubinam habet; à communione non repellatur*. Quo modo & accipitur ab Isidoro in li. de distantia veteris & novi testamenti, dist. 34. cap. *christiano*.

Quidam concubinas interpretantur quæ non erant ductæ cum solemnitate, ea scilicet quæ in conjugijs ingenuarum adhibebatur, ut est tabula dotalis, solemnis introductio in domum, & similes: nam quod non excluderetur ipsa matrimonij publicatio, certum est, quia alioquin fuisset suspicio mali, propter disparitatem conditionis.



## QUÆSTIO LXVI.

## De digamia.

### Articulus I.

Art. 1. Docet esse annexam irregularitatem digamiæ.

Confirmatur, nam ex Apostolo 1. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. jubente non ordinari Episcopos vel diaconos qui fuerint plurium uxorum viri, lex ecclesiastica perpetuo usu servata emanavit, digamos excludens, non solùm ab illis ordinibus, sed ab omnibus omnino. *Cognoscamus*, ait Ambros. epistola 82. *non solum hoc Apostolum de Episcopo & presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilij Niceni tractatu addidisse, neque clericum quemquā debere esse qui secunda conjugia sortitus sit.*

Hujus autem Apostolici instituti rationes variæ sunt.

*Digamiæ cur annexa irregularitas.*

Prima & potissima est, propter defectum Sacramenti seu sacræ significationis: integra enim & perfecta significatio conjunctionis unius Christi ad unam Ecclesiam deficit in digamo, ut ostendit Innoc. 3. cap. *Debitum* tit. de digamis.

Secunda est, quod digamia signum sit incontinentiæ.

Tertia, quod elevet authoritatem volentis suadere continentiam.

Quarta, quod excellentia sacri ordinis mereatur monogamiam.

Sciendum autem quod ad incurrendum irregularitatem bigamiæ duo requirantur.

*Quare fornicator non sit bigamus.*

*Unum*, ut matrimonium sit contractum, sive de jure sive de facto, id est, sive validè sive invalidè; quia cum matrimonium neque est validè contractum, neque attentatum, sicut in fornicarijs & concubinarijs; illa ipsorum commixtio nihil habet de conjunctione Christi cum Ecclesia, neque instituta est ad illam significandam: atque ideò non deficit ab ejus significatione.

*Alterum* est, ut intercedat copula carnalis tam in secundo matrimonio quam in primo: Alioquin nō tollitur significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia per incarnationem; quandoquidem matrimonium inconsummatum illam non significet, eodem cap. *Debitum*.

*Divisio bigamiæ.*

B. Thomas quatuor adfert modos bigamiæ, ad quos reduci possint alij, sed cùm triplex bigamia soleat agnosci, *Vera* seu formalis; *Interpretativa*; & *Similitudinaria*: unicuique suos assignabimus.

Vera bigamia est, cùm quis successivè habuit duas legitimas uxores, easque cognovit.

Interpretativa est, qua juris interpretatione quispiam habetur ut bigamus, eo quod in ipso reperiatur defectus Sacramenti, etiamsi non sit verè bigamus.

Similitudinaria est, quæ habet similitudinem cum præcedentibus: quamvis enim in ea non reperiatur defectus Sacramenti; inducit tamen irregularitatem, perinde ut vera vel interpretativa.

Ad interpretativam pertinent modi sequentes.

*Primus*, si quis matrimonium contrahat & consummet cum vidua, quæ prius matrimonium consummaverat, cap. *Si quis viduam*, dist. 34.

*Secundus*, si quis contrahat & consummet cum corrupta per alium; tametsi non vidua, *cap. Præcipimus*.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Tertius*, si quis virginem duxerit, sed eam cognoscat postquam fuit adulterata, cap. *Si cujus*, & cap. *si laici*, eadem dist. In his enim casibus, quia mulier fuit plurium; deest significatio mysterij, ideoque contrahitur irregularitas, etiamsi vir ignoraverit uxoris fornicationem & adulterium, ut post S. Thomam art. 3. ad 3. tradunt Navar. ca. 27. num. 195. Vivaldus, & alij.

Ad similitudinariam pertinent modi sequentes. *Primus*, quando aliquis habuit simul aut successivè duas uxores, unam validè, alteram invalidè, cap. *Nuper*, de bigamis; Non propter defectum Sacramenti; cum revera non fuerit matrimonialiter conjunctus pluribus; sed (ut loquitur Innoc.) *propter affectum intentionis, cum opere subsecuto*: quantum enim in illo fuit, secundum sibi matrimonialiter copulavit. B

*Secundus*, quàdo quis de facto habet duas uxores, etiamsi neutram de jure, propter aliquod impedimentum dirimens, sive clandestinitatis, sive consanguinitatis, sive aliud: quia sunt duo interpretativa matrimonia, inquit Dominic. dist. 27. qu. 3. ar. 1.

*Tertius*, quando quis post susceptum sacrum ordinem, aut post solemnem professionem religionis attentat contrahere matrimonium, cap. *Anobis*, eodem titulo, & cap. *Quotquot* 27. qu. 1. cap. *Decernimus*, dist. 28. quia per tale matrimonium carnale quod de facto contrahit, violat spirituale quod præcessit. C

Quidam propter jam dictum cap. *a nobis*, addunt *quartum*, dum clericus aut laicus de facto ducit viduam, licet non de jure, contrahens scilicet cum vidua, sive corrupta, sed invalidè propter aliquod impedimentum dirimens: Verum eos qui sacris non sunt initiati, tametsi minores ordines susceperint, non incurrere irregularitatem per talem contractum, in sacra pœnitentiaria fuisse conclusum testatur Navarr. Cap. 27. nu. 195. Cap. autem objectum loquitur de Diacono.

Ex his consequens est eum qui habuit duas uxores legitimas, sed solum consummavit cum una: eum item qui duxit viduam, sed adhuc virginem; neque bigamum neque irregularem censendum. D Idem judicium est de illo, qui eam accipit uxorem quam ante matrimonium ipse vitiaverat; si à nullo alio sit cognita. Artic. 3. ad 2.

### Articulus II.

Art. 2. probat illum esse irregularem qui habuit duas uxores, unam de jure, alteram de facto; non autem eum qui fornicatur ante vel post matrimonium; quia secundum illud matrimonium habet aliquam similitudinem Sacramenti, quæ non reperitur in fornicario vel adulterino concubitu; atque ita est defectus Sacramenti in illo contrahente, non autem in fornicante. E

### Articulus III.

Art. 3. docet eum qui non virginem ducit in matrimonium, esse irregularem, si erat ab alio quam ab ipso cognita.

Cur autem vir non sit irregularis, etiamsi ante vel post matrimonium fornicetur, sive cum una sive cum pluribus; sit autem, si cognoscat suam uxorem ab alio prius cognitam; duæ sunt rationes potissimæ. *Una*, quia corruptio opposita virginitati non ita habet locum in viris, ut in fœminis. *Altera*, quia actus contrahentium specificantur ex termino, matrimonium autem viri terminatur ad fœminam: & ideo si contrahit cum fœmina corrupta (ex cujus parte est defectus mysticæ significationis) efficitur irregularis.

### Articulus IV.

Art. 4. probat digamiam non solvi per baptismum, & propterea illum qui ante baptismum ea fecit per quę irregularitas digamię contrahitur; manere irregularem, etiamsi baptizetur, quia baptismus solvit peccata, non autem conjugia. *Digamia non tollitur per baptismum.*

Confirmatur, quia qui ejusmodi est, cùm per diversa conjugia carnem suam diviserit in plures; non retinet significationem mysterij, quæ in ordinandis requiritur.

Eadem est sententia Innocentij dist. 34. cap. *Si quis viduam*: & dist. 26. cap. *Deinde*: Ambrosij cap. *Una*: Augustini cap. *Acutius*, eadem dist. 26. & est communis totius Ecclesiæ.

In Responsione ad 1. adverte B. Hieronymum fuisse in diversa opinione, cum res nondum esset satis discussa; ita tamen ut solùm quid sibi videretur, responderit, nulli præjudicans sequi quod velit, quemadmodum testatur ipse lib. 1. Apologiæ contra Rufinum in fine.

### Articulus V.

Art. 5. probat dispensari posse cum digamo; quia irregularitas non est annexa bigamiæ nisi ex jure Ecclesiastico, & non repugnat substantiæ ordinum. *Dispensari potest in bigamia.*

Dispensare autem potest summus Pontifex cum bigamo cujuscumque generis, ad quoscumque ordines: Episcopus verò solùm dispensare potest ad minores ordines; non ut suscipiantur; sed ut prius susceptí exerceantur, Navarr. cap. 27. n. 197. Quidam existimant Episcopum posse dispensare super bigamia similitudinaria tertij generis: quia tamen Pontifex cap. *Sane*, tit. de clericis conjugatis, solum dicit Episcopum posse executionem ordinis prius suscepti concedere; verius est eum non aliud posse. Alij dicunt Episcopo facultatem esse dispensandi super quacumque bigamia ejus qui religionem ingreditur: sed nec hujus rei sufficiens reperitur fundamentum. Vide Dominic. dist. 27. q. 3. ar. 3. & Piasecium Praxis Episcop. p. 1. cap. 1. num. 14. ubi dicit regulariter circa dispensationum materiam tenendum esse, in omnibus irregularitatibus Episcopum dispensare posse quoad minores ordines & simplex beneficium, præterquam in bigamia & homicidio voluntario; additque communiter ita sentire Doctores.

Circa Responsionem ad 1. adverte Lucium & Innocentium Pontifices cum in tit. de bigamis dicunt, non licere cum ipsis dispensare, solùm velle quod Episcopus hoc non possit; imo nec alius, nisi ex gravi causa; propter prohibitionem Apostolicam; Alioquin ipsummet Lucium dispensasse cum Episcopo Panormitano, qui erat bigamus, testatur hîc B. Thom.

In Resp. ad 2. observa præceptum de bigamis non ordinandis, non esse divinum, sed ecclesiasticũ.

*Ob.* Neque refert quod extet in sacris litteris: non enim quæcumque ibi inveniuntur, præcepta sunt juris divini, sed quędam ecclesiastici. Nam Apostoli non omnia quæ ibi sunt, nobis proposuerunt ut præco- *Resp.*



præcones Dei legislatoris; sed pro authoritate quam in Ecclesia summam habebant, aliqua statuerunt tanquam ipsi legislatores, pastores, & rectores. Ejusmodi sunt, Actor. 15. ut Gentiles abstinerent à suffocato & sanguine. 1. ad Corinth. 14. ut tantùm duo aut tres Prophetæ dicerent, 1. ad Timoth. 3. ut qui Episcopus eligitur, neque sit percussor, neque neophitus. A

## QUÆSTIO LXVII.

### *De libello repudij.*

### Articulus I.

*Utrum inseparabilitas matrimonij sit de lege naturæ.* B

VIDETUR quod non. Primò, quia matrimonium potest aliquando solvi, tam consummatum, quam inconsummatum.

Secundò, quia matrimonium est contractus humanus, contractus autem humani mutuo contrahentium consensu dissolvuntur.

Tertiò, Non videtur assignari posse ratio naturalis, ob quam ille qui uxorem habet sterilem, aut morbo perpetuo laborantem, non possit eo matrimonio dissoluto, aliam assumere.

Quartò, Discipuli audientes matrimonij insolubilitatem, scandalizati sunt Matth. 19. quasi de re nova & ante inaudita: ergo matrimonium non est insolubile jure naturæ. C

Quintò, Innocentius 3. cap. *Quantò*, de divortijs ait matrimonium ideo esse insolubile, quia est Sacramentum; ergo non de jure naturæ. Videantur etiam quæ dicimus q. 59. ar. 5. q. 62. ar. 5. & q. 65. ar. 2. quæsito 3.

Responsio B. Thomæ est, inseparabilitatem matrimonij esse de lege naturæ.

*Inseparabilitas matrimonij est de lege naturæ.* Probatur 1. quia illud est de lege naturæ, quod natura bene instituta accepit in suo principio, idque non ex aliquo dono naturæ superaddito, sed ex naturali sua conditione. At inseparabilitas matrimonij est talis Matth enim 19. loquens Christus de matrimonio secundùm primævam & naturalem suam conditionem dicit quod *ab initio non fuit sic*, sicut nimirum sub lege Moysi, quando permittebatur repudium uxoris & assumptio alterius. Hinc Bonifac. 8. cap. unico de voto, in 6. dicit matrimonij vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in paradiso & in statu innocentiæ instituente, unionem & indissolubilitatem accepisse. D

Secundò, Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad generationem & educationem prolis; ergo oportet conjuges, ex ipsa conjugij natura, esse inter se obligatos ad perpetuam societatem, vitæque communionem individuam. Non enim alioquin satis erit prospectum proli, quæ non tantum debet generari, sed etiam debet educari, honestè institui, & ad certum vitæ statum perduci; idque verum est non solum de prima prole, sed de omnibus omnino quæ possunt nasci ex matrimonio, interea dum prima educatur, & instituitur, & ad statum perducitur. E

*Ob.* Si dicas, fieri posse quod aliter provideatur prolibus, aut quod proles non nascantur. *Resp.* ista esse per accidens: Nam per se, & seclusis impedimentis, ex quolibet conjugum congressu nata est sequi proles; ad cujus educationem, institutionem, & provisionem naturaliter solicitus esse debet uterque parentum. Lex autem considerat ea quæ sunt per se, non quæ per accidens. Vide B. Thomam 3. contra Gentiles cap. 122. 123,

Tertiò, Matrimonium est institutum Gen. 2. ut vir relictis patre & matre, juberetur adhærere, sive (ut 70. reddiderunt) adglutinari uxori: qua sententia perpetuus & indissolubilis nexus significatur, isque major ad uxorem quam ad parentes. Ideo etiam fecit Deus fœminam ex carne & ossibus viri; volens insinuare vinculum arctissimum, sanctamque conjunctionem. Hinc Conc. Trid. initio sess. 24. *Matrimonij perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens, divini spiritus instinctu, pronuntiavit, cum dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suũ & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Cùm autem non legatur ullum præceptum positivum datum hominibus in primo illo statu, nisi illud; Ne ederent ex ligno scientię boni, & mali consequens est, inseparabilitatẽ matrimonij quam primus parens verbis jam dictis enuntiavit; non esse legis positivæ, sed naturalis. Huc pertinet quod Christus Matth. 19. declaravit dimissionem uxorũ Judæis permissam; repugnasse primæ institutioni matrimonij: ad quam proinde reduxit statum conjugij, & ut loquitur idem Concilium, *ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavit. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quæ verba de matrimonio etiam inconsummato dici ar. 2. qu. 61. ostendimus, & probat ipsa series verborum concilij.

*Ob.* Nec obstat hæc de solo consummato vera esse, *Erunt duo in carne una*, quemadmodum significat Alexand. 3. cap. *Verum* tit. de conversione conjugatorum: Id enim negandum est, sed potius videntur habere hunc generalem sensum, Duo homines per conjugale vinculum erunt unus homo; unum scilicet totale principium ad generationem ordinatum; Unde infertur: *Itaque jam* (postquam scilicet Deus eos ita conjugavit) *non sunt duo, sed una caro.* Eundem sensum indicavit Apostolus ad Ephes. 5. his verbis, *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* Hæc enim, cùm etiam de inconsummato matrimonio vera sint; significant illic quoque conjuges esse unum hominem. *Resp.*

Verum nihilominus est, quod per commixtionem corporum conjuges fiant una caro, modo quodam perfectiori, superaddito illi unitati, quam ante habebant. Sicut enim tunc dicitur consummari matrimonium, perfectione scilicet accidentaria; ita tunc fiunt perfectè una caro; & de hoc perfecto modo intelligendus est Pontifex.

Quartò, Matrimonium quodcunque, modo sit verum, definitur per individuam vitæ societatem: ergo individua societas seu indissolubilis nexus convenit matrimonio ex sua natura: ea enim quæ definitionem ingrediuntur, ad rei naturam pertinent. Cæterum aliam præter hanc insolubilitatem convenire matrimonio christianorum, ex præcepto Christi positivo, docet ea sententia Matth. 19. *Quod Deus conjunxit homo non separet:* Itemque illa 1. ad Corinth. 7. *Ijs qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus uxorem à viro non recedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Ex his sequitur nullam esse in hominibus potestatem

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſtatem diſſolvendi vinculum matrimonij legitime A contracti : quia ſolus Deus poteſt diſpenſare in lege naturæ.

Ad 1. Arg. Resp. omne matrimonium eſſe inſolubile, ſed non æqualiter; quo modo dicitur accidens aliud alio magis inſeparabile, & caſtrum aliud alio magis inexpugnabile. Matrimonium infidelium eſt ex ſua natura inſolubile, ac nihilominus poteſt, etiamſi ſit conſummatum, ſolvi uno caſu, quem qu. 59. art. 5. expreſſimus: Chriſtianorum verò, ſive habeat rationem Sacramenti novæ legis, ſive non; eſt magis inſolubile; quia novum robur, majoremque inſolubilitatem accipit ex eo quod ſit baptizatorum, & ex eo quod præter obligationem legis naturæ, accedit illi vinculum juris poſitivi, B quod Chriſtus tulit. Illud tamen quod ab illis eſt conſummatum, adhuc eſt magis inſolubile, ut q. 61. art. 2. fuit oſtenſum, nec ſolvi poteſt, niſi morte alterutrius conjugis. Quod autem tunc ſolvatur, certum eſt, & ex c. 7. ad Ro. manifeſtum. *Si mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri.* Et iterum, *ſi mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.* Igitur, ſi vir reſurgeret, non poſſet ad priorem uxorem ſuam reverti, niſi forte adhuc eſſet vidua; & novum cum illa contractum matrimonialem iniret; quod facere poſſet. Quod ergo raris quibuſdam caſibus ſolvi poſſit matrimonium, non obſtat naturali ejus inſolubilitati; cum à ſolo naturæ authore veniat quod in illis C ſolvi poſſit.

Ad 2. Resp. quod illi contractus humani mutuo contrahentium conſenſu diſſolvuntur, qui & natura ſua ſunt ſolubiles, & quorum diremptionē non reſervavit ſibi ſuperior: Matrimonium autem eſt natura ſua inſolubile, & ejus diſſolutionē Deus ſibi reſervavit.

Ad 3. Resp. neg. Aſſumpt. Hæc enim eſt ratio, quia matrimonium ex natura ſua poſtulat ut ſit inſolubile; inter illos autem de quibus objicitur, verum eſt matrimonium. Quod verò uxor ſit ſterilis vel morbo perpetuo laboret, parū refert; hoc enim eſt per accidens: leges autem non attendunt ad ea quæ per accidens, ſed ad ea quæ per ſe ſunt. D

Ad 4. Resp. diſcipulos fuiſſe admiratos non de qualicunque inſeparabilitate matrimonij, ſed de arctiori illa quam ante non audierant. Ita namque audierant matrimonium eſſe inſeparabile, ut tamen ex cauſis multis permitteretur uxorum dimiſſio, ac etiam aliarum aſſumptio; cum & in uſu eſſet repudium, & licita foret uxorum pluralitas. Matth. autem 19. audiebant Chriſtum prohibere ne quis uxorem dimitteret niſi ex cauſa fornicationis; & inſuper ne is qui dimitteret, aliam duceret. Quibus ita explicatis facile eſt intelligere argumenti quod opponebatur conſequentiam nullius eſſe roboris.

Ad 5. Resp. neg. eſſe anteced. clarum eſt ex ipſius Innocentij verbis, & ex ijs quæ diximus qu. 42. ar. 1. quæſito 3. & q 59. ar. 5. E

### Articulus II.

*Dimiſſio uxoris potuit eſſe licita.*

Art. 2. probat, per diſpenſationem potuiſſe eſſe licitum, dimittere uxorem non ſolum quoad thorum, ſed etiam quoad vinculum: quia inſolubilitas matrimonij ſolùm ad ſecundaria legis naturæ præcepta pertinet. Nam *primaria* continent primam legiſlatoris intentionē, boni communis conſervationem, & juſtitiæ ordinem; ideo- que nullam admittunt diſpenſationem, ne quidem divinam, ut docet B. Thom. 1. 2. qu. 100. ar. 8. tacitè revocans id quod art. præſenti ſcripſerat, ſive in 4. diſt. 33. Vide etiam quæ 1. 2. q. 94. ar. 5. diximus.

*Secundaria* verò conſtituunt de medijs ad primaria ordinatis, & diſpenſari poſſunt à Deo. In præſenti autem negotio, prima legiſlatoris intentio eſt, ne quis accedat ad alienam: quia hoc continet ordinem juſtitiæ inter homines ſervandæ, &, ad genus humanum debito modo propagandum, qui eſt primarius finis matrimonij, eſt prorſus neceſſarium. Inſolubilitas verò matrimonij neceſſaria eſt, tanquam medium valde conferens ad illum finem primarium.

Diſpenſat autem Deus diſpenſatione ſaltem largè accepta, ut iſto ar. 5. indicavimus in inſolubilitate, duobus caſibus. *Primò*, quando infidelis non vult pacificè cohabitare conjugi converſo.

*Secundo*, quando ante conſummationem emittitur ſolemnis profeſſio religionis. Quidam exiſtimant, quod etiam diſpenſaverit cum Abraham quando ejecit Agar, Gen. 21. ſed eam ejectionem fuiſſe thori & habitationis ſeparationem, non vinculi ſolutionem; veriſimilius eſt.

### Articulus III.

*Vtrum ſub lege Moyſi licitum fuerit uxorē dimittere.*

Videtur quod ſic. Primò, quia lex vetus etiamſi gratiam non conferret, ad hoc tamen data erat ut peccatum oſtenderet: ſi ergo non licebat Judæis uxores dimittere, hoc ſaltem per legem aut Prophetas ei indicari debuiſſet.

Secundò, ea verba Deut. 24. important conceſſionem rei licitæ: *Si acceperit homo uxorē, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua*, & Malachiæ 2. *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus.*

Hanc affirmativam ſententiam tuetur Sanchez cum alijs quos allegat l. 10. diſp. 1. At Responsio negat. verior eſt: quia Dominus Phariſæis Matt. 19. interrogantibus, *ſi liceret homini quacumque ex cauſa dimittere uxorem*: Reſpondet non licere, eò quod obſtet inſtitutio matrimonij: ipſis autem replicantibus. *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudij & dimittere*: ait; *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras.* Ubi ſignificat hoc eis fuiſſe permiſſū: id eſt, abſque objectione pœnæ toleratū, tanquam minus malum, ad vitandum majus; ne ſcilicet uxores quas haberent exoſas, occiderent. Nec obſtat verbum *mandandi*, à Phariſæis appoſitum: poteſt enim habere generalem ſignificationem ordinationis, qua aliquid, vel jubetur, vel permittitur. Ut autem retineatur propria vocabuli ſignificatio, ſciendum eſt quod aliquid erat Judæis præceptum circa uxorum dimiſſionem, & aliquid permiſſum: *permiſſum* erat dimittere uxores: *præceptum* verò, ut ſi quando vellent dimittere, ſcriberent libellum repudij, & ſcriptū darent uxori quam dimittebant. Ita Chryſoſt. hom. 17. in Matth. & Auguſtinus lib. 19 contra Fauſtum cap. 26. & 29. lib. 1. de ſermone Domini cap. 14. Denique, non eſt credibile Deum in jure naturali diſpenſaſſe generaliter, niſi propter finem aliquem honeſtum, qualis erat multiplicatio generis humani, & ſpecialiter populi fidelis, quando diſpen-



diſpenſabat in lege monogamiæ: talis autem finis A non reperitur in permiſſione repudij; ſola enim ejus ratio erat duritia cordis Judæorum: ergo non diſpenſabat, ſed tantùm permittebat. Sententiam hanc tradit Hieron. in cap. 5. & 19. Matt. & multi quos Sanchez dicta diſp. 1. citat nec ſequitur. Quamvis autem B. Thomas in utramque partem hic diſputet, dicit tamen hanc ſententiam communius ſuſtineri. Prima autem 2. q. 105. ar. 4. ad 8. *Lex*, ait, *permiſit repudium uxoris, non quia ſimpliciter juſtum eſſet ſed propter duritiam Judæorum.* Et q. 108. ar. 3. ad 2. Judæos erraſſe aſſerit exiſtimantes ea quæ illis tradita erant ut permiſſiones eſſe per ſe juſta, ſcilicet repudium uxoris, & uſuras accipere ab extraneis, & lib. 3. contra Gentiles cap. 123. *excluditur* B inquit, *conſuetudo dimittentium uxores: quod tamen in veteri lege permiſſum fuit Judæis, propter eorū duritiam, quia ſcilicet proni erant ad occaſionē uxorum. Permiſſum ergo fuit minus malum ad excludendum majus malum.* Conformia ſcribit in 3. diſt. 37. ar. ult. ad 1.

Ad 1. Arg. *Una* reſponſio eſt, quando timetur majus peccatum eventurum ex indicatione minoris, poſſe interdum illud taceri.

*Secunda*, legem naturæ docuiſſe Judæos repudium eſſe illicitum; quamvis multi eorum id non intelligerent.

*Tertiò*, prophetas peccatum eorum ſubinde reprehendiſſe; ut ex Malachiæ 2. patet, *Uxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere*; quò etiam pertinere poteſt quod ex Jerem. 3. dicetur ar. ſeq. C

Ad 2. Verba Deut. ſolùm eſſe permittentis probat reſponſio Chriſti Matth. 19. verba autem Malachiæ vel ſunt Judæorum legem objicientium; quibus propheta reſpondet legem quidem id permittere, ſed nihilominus *operiet iniquitas veſtimentum ejus*; qui ſine cauſa legitima uxorem dimiſerit: vel ſunt prophetæ ſignificantis Deum permittere dimiſſionem.

### Articulus IV.

*Vtrum licuerit uxori repudiatæ alium virum habere.* D

Videtur quod ſic. Primò, quia alioquin iniquè fuiſſet actum cum fœmina, ſi etiam citra culpam dimiſſa non poterat alteri nubere; cum vir permitteretur eam dimittere, & aliam ducere.

Secundò, Sacerdos Levit. 21. prohibetur ducere repudiatam: ergo hoc licebat non ſacerdotibus.

Tertiò, conſtitutum fuit Exodi 21. ut ſervus Hebræus poſt ſextum annum liber egrederetur; relicta tamen uxore & liberis, ſi dominus ipſius eam illi dederat: ergo ſolvebatur conjugium iſtius ſervi; alioquin debuiſſet illa ſervare perpetuam continentiam.

Quartò, Lex jubebat lapidari adulteram: & ta- E men, ſi per repudium non fuiſſet ſolutum vinculum matrimonij, permiſiſſet continua adulteria.

Quintò. Ex verbis Domini Matt. 19. conſtat id quod Moyſes permiſerat, repugnaſſe primæ inſtitutioni matrimonij: atqui ſeparatio conjugum quoad thorum vel cohabitationem, illi non repugnat, cum interdum licitè fieri poſſit, imò debeat, ergo non eſt illa quam Dominus dicit Moyſen permiſiſſe, ſed ſeparatio quoad vinculum.

*Reſp. neg.* Responsio negativa nobis videtur verior. Primò, quia mulier quæ poſt repudium nubebat alteri, *polluta* erat, & *abominabilis corū Domino*. Deut. 24. & Hierem. 3. quod non fuiſſet, ſi ſecundùm illud matrimonium fuiſſet verum; ſicut polluta non eſt quæ mortuo marito, iterum nubit.

Si dicas eam vocari pollutam, quia maritus eo ipſo quo illam repudiabat, pollutam judicabat.

Contra facit quod ſcriptura loquatur de pollutione quæ ſecundas nuptias conſequebatur, propter quam non poterat ea mulier recipi à priore viro: ſicut poterat antea, cum necdum contraxiſſet ſecundùm matrimonium.

Neque dici poteſt eam cenſeri pollutam; non ſimpliciter, ſed reſpectu prioris mariti. Scriptura enim pronuntiat eam eſſe pollutam & abominabilem *coram Domino*, id eſt, verè, ſcilicet propter B conjunctionem cum ſecundo viro, quæ erat adulterium. Hinc Hieremias cap. 3. dimiſſam alteri nubentem non ſolum vocat pollutam, ſed etiam illam comparat cum fornicaria, & ſignificat ideo virum priorem non poſſe ad eum reverti; quia ducendo alterum virum, polluta & contaminata eſt mulier illa.

Secundò, Dominus Matth. 5. ſimpliciter pronuntiat, quod *Qui dimiſſam duxerit, adulterat*: hoc autem non ſolùm ad tempus novi teſtamenti pertinere, probari poteſt ex eo quod Dominus hoc dicat in veram legis veteris interpretationem. Unde Chryſoſt. hom. 17. in Matth. *Expulſa*, inquit, *uxor, eſſe ejus qui eam expulit, perſeverat. Ipſi* (ſcilicet uxori) *ne poſſet ea alius eam ſuſcipiat, januam claudit, dicendo; qui autem dimiſſam duxerit, adulterat.* Conſentiunt Bonav. Richard. Dominic. in 4. diſt. 33.

Ad 1. Argum. Neg. aſſumpt. quia quod viri permitterentur dimittere uxores, erat in earum favorem; ut ſcilicet evaderent periculum mortis. Quod autem viri poſſent alias ducere, non erat per acceſſionem novi juris ex repudio advenientis, ſed ex eo quod Polygamia tunc erat licita, propter multiplicationem populi fidelis. Quæ cauſæ, quia locum non habebant in uxoribus; ideo non poterant idem facere quod viri: unde nec permittebantur eos repudiare. *Vxor non poterat repudiare virum.*

Ad 2. Neg. conſeq. quia ſacerdotibus ideo peculiariter hoc prohibebatur, tum ut magis abhorrerent à tali conjugio; tum quia in illis ut in altiori gradu conſtitutis non tolerabatur id quod in alijs. Adde quod ſacerdotibus nunquam licebat ducere repudiatam, ne quidem marito qui eam repudiaverat mortuo; Cæteris autem tunc licebat ducere; ſed ante iſtius mariti mortem nemini licebat, quamvis tolleraretur impunè in non ſacerdotibus.

Si dicas, repudiatam poſt mortem mariti, fuiſſe viduam: ſcripturam vero prohibere tanquam diſtincta, ne ſacerdotes ducerent aut viduam, aut repudiatam.

Resp. rectè ut diſtincta prohiberi, quia ſacerdos nullam omnino poterat ducere repudiatam: viduam autem poterat aliquam, ſcilicet eam quæ eſſet vidua à ſacerdote, ut ſcriptum eſt Ezech. 44. verſ. 22.

Ad 3. etiam neg. conſeq. Lex enim ita ſtatuit; ut ſervus ad uxorem & liberos affectus, remaneret cum eis in ſervitio.

Ad 4. jubebatur lapidari adultera quæ ſine ſpecie conjugij adulterabatur: propter duritiam tamen Judæorum tolerabantur connubia repudiatarum, etiamſi eſſent adulteria, quia ſaltem habebant ſpeciem conjugiorum.

Ad 5. ſeparatio quoad thorum & habitationem qualibet ex cauſa, quo modo frequentabatur à

Universidad de Deusto
Biblioteca



Judæis erat contra primam institutionem matrimonij: transitus etiam repudiatæ ad secundas nuptias, eidem repugnabat: Moyses autem omnia illa permittebat, majoris mali evitandi causa.

### Articulus V.

*Vir non poterat à se repudiatâ accipere.*

ART. 5. docet non licuisse viro à se repudiatam iterum accipere. Quod ex Deut. 24. & Hiere. 3. intelligendum videtur, postquam repudiata novo fictitioque conjugio alteri se conjunxerat. Nam antea licebat eam recipere quemadmodum Levites Judicum 19. recepit concubinam, quæ ut secundùm originalem scripturam legitur, fornicata fuerat contra eum. B

### Articulus VI.

*Causa repudij erat odium & alia plura. Quæst.*

ART. 6. tradit proximam causam repudij fuisse odium mariti in uxorem, sive illud justum esset, sive injustum. Quamvis enim esset injustum; permittebatur tamen repudiare, ne alioquin eam occideret.

UTRUM autem solum odium fuerit causa sufficiens, ut secundùm legem permitterentur viri dimittere uxores; ambigitur. Ex his verbis Deut. 22. *Si duxerit vir uxorem & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, &c.*

*Resp.*

DICENDUM videtur non fuisse, sed oportebat causas odij legitimas aut probabiles proferre; quæ Deut. 24. generali nomine fœditatis comprehenduntur, cum dicitur, *Si non invenerit gratiam ante oculos ejus* (id est si displicuerit) *propter aliquam fœditatem.* Quod ipsum in verbis subsequentibus est repetendum; *& ille quoque oderit eam*, scilicet propter aliquam fœditatem: & similiter in verbis quæ possunt ex Malachiæ 2. objici: *Cum odio habueris, dimitte*; respicitur enim ad istum locum Deuteronomij. Causæ autem illę vel erant in corpore, vel in moribus; ut lepra, veneficij suspicio, adulterium; notabilis morum improbitas, vel incommoditas in convictu, ac fortasse sterilitas; sive causæ illæ matrimonio supervenissent, sive illud antecessisset. C

Fuisse alias præter fornicationem, satis indicat Christus quando restrinxit dimissionem ad causam fornicationis: & alioquin vix fuisset locus repudio, nam adultera lapidabatur: aut per aquas zelotipiæ probabatur, si solùm erat suspicio. Cæterum sub Christi adventum adeò multiplicatæ sunt causæ repudij, ut in quæstionem verteretur, an ex qualibet causa id liceret.

Notandi autem sunt duo casus ex Deuter. 22. quibus non licebat viro dimittere uxorem, *unus*, quando falsò objiciebat fornicationem matrimonio præviam. *Alter*, quando ipsemet uxorem corruperat ante matrimonium.

### Articulus VII.

*Non scribebantur causæ repudij.*

ART. 7. docet causas repudij non fuisse particulariter scriptas in libello repudij: quia vel se infamasset maritus, si erant insufficientes; vel uxorem, si sufficientes. Probabile est quod nec in generali scribebantur: quia non erat necesse per libellum probari quod repudium esset justum; sed is scribebatur, partim ad ostendendum quod maritus renuntiabat juri quod habebat in illam quam repudiabat; partim ut mora temporis interveniente qua opus erat ad libellum concilio scribarum aut similium, exhibendum, à proposito revocaretur. Vide Augu. lib. 19. contra Faustum c. 26. D

Scribebatur ergo in libello quod vir talem uxorem dimittebat, securitatemque illi faciebat quod numquam eam esset repetiturus.

## QUÆSTIO LXVIII.

*De filijs illegitimè natis.*

### Articulus I.

*Filij extra matrimonium nati sunt illegitimi.*

ART. 1. Docet filios qui nascuntur extra matrimonium, esse illegitimos: quia generantur contra legem, non solùm positivam, sed etiam naturalem hominibus propriam. Est enim lex naturalis quæ vetat omnem viri & mulieris congressum extra matrimonium. B

Ut autem proles aliqua censeatur illegitima, non sufficit qualiscumque parentum illegitimus congressus; ut qui sit contra votum castitatis; sed requiritur quod fuerit factus extra matrimonium: & qui sic nascuntur, generali nomine vocantur *illegitimi*: *naturales* autem, si nati sint ex simplici fornicatione: *spurij* vero, si ex damnato congressu, talium scilicet parentum, qui etiamsi voluissent matrimonium inter se contrahere, non potuissent, obstante videlicet aliquo impedimento dirimente. Tales sunt qui nascuntur ex adulterio, ex persona religiosa ex consanguinea, vel affini. C

*Ob. Resp.*

In RESP. ad 2. observa illos esse legitimos, qui nascuntur ex matrimonio propter impedimentum dirimens irrito, si fuerat in facie Ecclesiæ contractum à parentibus, bona fide agentibus; eaque fides adhuc duret quando proles nascuntur: si autem parentes impedimentum noverant, aut ignorabant quidem, sed vel contraxerunt in occulto, vel denuntiationes absque authoritate legitima omiserunt, filij ex tali matrimonio nati, sunt illegitimi.

### Articulus II.

*Incommoda legitimorum.*

ART. 2. docet illegitimos ex hoc quod illegitimi sunt, reportare duplex damnum, si de damno loquamur generaliter. D

*Unum*, quod non admittantur ad actus legitimos; ut ad dignitates, ad officia publica, ad ordines c. *Ut filij*, tit. De filijs presbyterorum.

*Alterum* est, quòd non succedant in hæreditate paterna. Naturales tamen succedere possunt in sexta parte: & quibusdam in locis matri, absque legitima prole decedenti, succedunt ab intestato. *Spurij* verò in nulla parte succedunt.

*Ob. Resp.*

SI DICAS injustum esse filios sine sua culpa sic puniri: RESP. quod propriè nec puniantur, nec dānum reportent. Nam pœna est justa peccati ultio: non hoc autem agitur istis prohibitionibus, ut sumatur ultio de illegitimis, damnum verò propriè non est nisi cum alicui petit quod suum erat, vel impeditur ab illo, quod ei debebatur. Unde aliud est damnum incurrere, aliud prohiberi commodis. E

Rationes porro, cur illegitimi commodis quibusdam prohibeantur, variæ sunt.

*Prima*, dignitas clericalis, & honestas officiorum publicorum, quæ committi non debent personis vilibus, ne (cum facilè despiciantur) minore cum fructu versentur in suis officijs.

*Secunda*, detestatio paterni criminis.

*Tertia*, ut saltem hoc fræno coerceantur homines



nes ab incontinentia, scientes tanta incommoda manere suos filios illegitimos. A

*Quarta*, quia illegitimi plerumque imitantur parentes, pleni sunt vitijs, & malè instructi. Incurrunt autem illegitimi dicta incommoda ipso facto & ante sententiam Judicis: nam leges quæ privant commodis, & non requirunt specialem judicis executionem; fortiuntur effectum absque nova sententia. Unde, si de facto acciperent beneficia & dignitates ecclesiasticas; non facerent fructus suos & tenerentur resignare vel dispensationem obtinere.

Sciendum tamen quod parentes ejusmodi filijs debeant alimenta, rerumque necessariarum submi-nistrationem; & institutionem sive disciplinam; ut propterea leges quædam civiles quæ vetabant aligenitos ex damnato congressu; meritò sint abrogatæ tanquam iniquæ. Ad hæc autem obligatur non minus pater quam mater; quando is certus est se esse patrem. B

### Articulus III.

ART. 3. docet illegitimum posse legitimari ad hoc ut incommoda in quæ erat incursurus, avertantur. Sex modos assignat; sed duo tantùm sunt usu recepti.

*Prior* est; per sacros canones: quo modo legitimatur aliquis vel per subsequens matrimonium parentum, si eo tempore quo nascebatur, nullum erat inter ipsos impedimentum dirimens; cap. *Tanta*, Qui filij sint legitimi; vel per professionem religionis, cap. *Ut filij*. De filijs presbyterorum. Per hanc tamen non legitimatur aliquis ad dignitates, sed solùm ad ordines: per matrimonium verò, ut jam dictum est contractum, etiam ad dignitates. C

*Qui legitimare possint.*

*Posterior* est, per dispensationem. Summus enim Pontifex potest quempiam legitimare ad quosvis ordines, dignitates, & officia ecclesiastica; ac etiam quoad temporalia, in terris temporali ejus dominio subjectis. In alijs verò provincijs, legitimatio ejus non habet robur quoad hæreditates, cap. Per *Venerabilem*. Qui filij sint legitimi.

*Episcopus* autem solùm potest legitimare ad minores ordines, & beneficia simplicia, id est, quæ nec dignitatem, nec animarum curam habent annexam. cap. *Nimis*. De filijs Presbyterorum. D

*Princeps* autem sæcularis qui superiorem non agnoscit, legitimare potest subditos quoad hæreditates, dignitates, & officia sæcularia; non quoad ecclesiasticа.

Illud hic est observandum, quòd Pontifex conferendo beneficium, dignitatem, aut ordinem ei quem novit esse illegitimum; censetur hoc ipso illum legitimare; quantum ad ea quæ illi confert.

De prælatis inferioribus idem probabile est in foro conscientiæ, quando habent, sive ex privilegio, sive ex consuetudine, aut jure communi potestatem legitimandi: in foro etiam externo, quando adest causa legitimationis idonea. E

Dispensare potest solus Rom. Pontifex cum bigamo ad ordines sacros, ad dignitates & ad beneficia curata: Episcopus ad minores, & ad unum simplex beneficium. Navar. c. 27. num. 201. & supra q. 66. ar. 5.

Atque hæc de Sacramentis, quibus animæ vita, vera scilicet justitia, vel incipit, vel cæpta augetur, vel amissa reparatur, ad Dei honorem dicta sint. Proximum est, ut de ijs quæ ad ultimum Ecclesiæ terminum, & vitæ futuræ statum pertinent; cum authore dicamus. Sed quoniam S. Doctor non eo ordine prosecutus est impedimenta matrimonij quem continent versiculi q. 50. allati; indicandum antea judicavimus quæ quibus locis explicet. *Erroris* impedimentum, q. 51. *Conditionis*, q. 52. *Voti*, q. 53. & 61. *Cognationis*, qu. 54. 56. 57. *Criminis*, qu. 60. *Disparitatis cultus*, qu. 59. *Vis*, qu. 47. *Ordinis*; qu. 53. *De ligaminis* impedimento vide q. 62. ar. 5. & q. 65. art. 2. *De Honestatis*, qu. 43. ar. 1. quæsito 2. & 3. *De Amentiæ* q. 58. *De Affinitatis*, q. 55. *De Clandestinitatis*, q. 55. art. 5. *De Impotentia*, q. 58. *De Raptus* tract. 2. 2. q. 154. ar. 7.

## QUÆSTIO LXIX.

*De his quæ spectant ad statum resurrectionis: & primò, De loco animarum post mortem.*

### Articulus I.

ART. 1. Docet animabus post mortem assignanda esse receptacula, sive loca quædam corporalia, in quibus eo modo sint, quo substantiæ corporeæ possunt esse in loco.

Assignantur autem per congruentiam, secundùm gradus dignitatis earum: nam sicut Deo deputatur locus supremus qui est cœlum: ita animæ beatæ quæ divinitatem perfectè participant, ponuntur in cœlo; quæ verò illius participationis sunt expertes; in locis quæ statui cujusque sint proportionata.

### Articulus II.

*Utrum statim post mortem animæ deducantur ad cœlum, vel ad infernum.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia merces debita propter eleemosynas distributas, demum post tempora multa recipietur, juxta illud Ecclesiastæ 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.* Et cōfirmatur: Nam præmia & pœnæ (cum decernantur per judicium) non debent illud antecedere.

SECUNDÒ, Sancti olim defuncti nunc *apperunt cælestem patriam, & non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*, ad Hebr. 11.

TERTIÒ, quando Christus apparuerit, in secundo scilicet adventu, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, 1. Joannis 3. ergo sanctæ animæ necdum sunt beatæ; alioquin jam nunc essent similes Christo in gloria.

QUARTÒ, animæ martyrum sunt subtus altare, Apoc. 6. non est, interprete B Bernardo serm. 4. de omnibus sanctis, sub humanitate Christi; eam contemplantes, donec resumant corpora, & admittantur ad visionem Dei.

QUINTÒ, Scriptura frequenter rejicit bonorum operum retributionem usque in diem judicij: Matth. 25. ad Rom. 2. 2 ad 1 Imoth. 1. & alibi.

Accedit quod Apoc. 15. dicitur quod nemo poterat introire in templum donec consummarentur septem plagæ; illæ autem solùm consummabuntur circa finem mundi: ergo ante finem mundi nemo potest introire in cælestem beatitudinem, ibi per templum significatam.

SEXTÒ,

Universidad de Deusto
Biblioteca



Sextò, Anima non meruit sine corpore : ergo A nec debet recipere mercedem sine illo.

Septimò, Christus non ascendit in cœlum statim à morte, ergo nec in illud statim ascendunt animæ sanctorum.

Octavò, Patres idem affirmare videntur. Hilar. in Psalm. 138. *Humanæ*, inquit, *ista lex necessitatis est, ut sepultis corporibus ad inferos anima descendant.*

Ambros. lib. de bono mortis cap. 10. dicit animas justorum infernum petere; & libr. 2. De Cain. & Abel cap. 2. *Solvitur corpore anima, & post finem vitæ hujus, adhuc tamen futuri judicij ambiguo suspenditur.*

Chrysostomus hom. 39. in priorem ad Corinth. *Quamquam animus sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum nec pœnis punietur.* B

Augustinus, præter loca hîc ab authore citata & explicata: libr. 1. retract. cap. 14. *De Sanctis*, inquit, *hominibus jam defunctis utrum dicendi sint jam in illa possessione consistere, meritò quæritur:* & epistola 111. etiam Hieronymum sentire affirmat, *tunc nos visuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus, id est, æquales Angelis facti fuerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum.*

Joannes autem 22. publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit quod animæ purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ C est clara & facialis visio; & universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quod nemo poterat gradum Theologicum adipisci, nisi primitus hunc errorem jurasset se defensurum, ait, post Guilielmum Ockam, Adrianus in 4. De Sacramento Confirmationis in fine.

Pro responsione sit

## Conclusio I.

*Mali statim à morte erunt in infernũ.*

Animæ hominum in actuali mortali peccato, vel solo originali decedentium, statim à morte descendunt in infernum : pœnis tamen disparibus puniendæ. Ita definivit Conc. Florent. in fine. Et confirmari potest exemplo Epulonis, D qui mortuus, in inferno sepultus refertur, Lucæ 16. Neque Catholicorum quispiam hac de re dubitat.

## Conclusio II.

*Animæ plenè purgatæ statim à morte sunt beatæ.*

Animæ illorum qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam habuerunt : Illorum item, qui post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ, sunt ad plenum purgatæ, statim in cœlum recipiuntur, & clara ac intuitiva Dei visione fruuntur. Ita definivit præfata synodus Florentina, & asseruerat antea Innoc. 3. ca. *cum Marthæ*, de celebra- E tione Missarum. ca. *Majores*, & cap. *Debitum*, De baptismo, ca. *Apostolicam*, De Presbytero non baptizato: Et Benedictus 11. aliàs 12. apud Alphonsum Castrensem, verbo, *Beatitudo*, Hæresi 6. ac novissimè Conc. Trid. sess. 25.

Confirmari potest : Primò, quia Apostolus 2. ad Cor. 5. asseveranter dicit: *si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur*, id est, si corpus hoc nostrum in quo velut in habitaculo moramur ad tempus super terram, fuerit dissolutum ; quod *ædificationem ex Deo habemus ; domum non manufactam, æternam in cœlis*, id est, quod habituri sumus aliam domum longè præstantiorem, nempè cœlestem & æternam. Et postea, *dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus & non per speciem:) audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Quibus verbis clarè significat nos quamdiu sumus in corpore, peregrinari à Deo; ut autem simus præsentes ad Dominum, utque non amplius per fidem ambulemus, sed per speciem ; optandum esse ut à corpore peregrinemur. Quæ optatio locum non haberet, si ad speciem non perveniremus, nisi post universale judicium.

Secundò, Christus Lucæ 23. promisit latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso*, hoc est, in gloria beatitudinis, de qua petierat, dicens: *Memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Vide illic Ambrosium, Bedam, Theophylactum, & Authorem nostrum 3. p. q. 52. ar. 4. ad 3.

Tertiò, Apostolus ad Philippenses 1. *cupit dissolvi, & esse cum Christo:* per hoc satis exprimens quod sancti continuò post dissolutionem corporis, sint cum Christo : neque id quomodocunque, (nam & hîc degentes cum Christo sunt) sed modo beatis proprio, de quo 1. ad Thess. 4. dicit, *& sic semper cum Domino erimus.* Eodem pertinet, quod Christus ascendens in cœlum, illuc secum duxerit sanctos veteris testamenti, ad Ephesios 4. Et quod nunc propalata sit via sanctorum, ad Hebræos 9. Quodque Stephanus viderit cœlos apertos, Actorum 7. Et quod datæ sint animabus martyrum singulæ stolæ albæ, Apocalyps 6. per quas (interprete Greg. in Psalm. 4. pœnitentialem, & Bern. serm. 3. De omnibus sanctis, & alijs) gloria animæ intelligitur.

Quartò, probari potest hæc veritas ex Patribus, Dionysio, Ignatio, Ambrosio, & alijs quos videre est citatos apud Bellarminum libr. 1. de sanctorum beatitudine ca. 4. & 5.

Quod autem & Bernardus idem senserit, probari potest, tum ex eo quod in ser. 2. de ascensione, & ser. 2. de Pentecoste, asserit Christum in cœlos ascendisse, *comitatum Angelorum & sanctarum animarum choris*; tum quod in ser. de vigilia SS. Petri & Pauli, dicit eos *regna cœlestia ascendisse*; & ser. 2. de ijsdem, *in æterna fælicitate vivere:* tum quod ser. de S. Humberto, *Non movetur*, ait, *hominum verbis, fortius inhærens atque fœlicius verbo Dei.* Ipsumque alloquens, *Conversus es* (dicit) *in illam divinæ bonitatis abyssum, desiderium animæ tuæ tribuit tibi Deus:* tum quod in ser. quem habuit in transitu S. Malachiæ, affirmat eum *concivem Sanctorum & domesticum Dei, beatè vivere:* hoc est, *jam non in fide ambulare, sed in specie regnare*, ut in epistola de eodem ad fratres de Hybernia loquitur: tum etiam, quia epi. 266. Sugerium Abbatem ad cœlum dicit esse iturum, stola gloriæ mox induendum : tum denique, ex multis alijs, quæ in orationibus pro hac Bernardi causa habitis, aliquando recitavimus. Accedunt & rationes.

Prima, Animæ sanctorum quibus nihil restat purgandum, habent meritum gloriæ, & nihil est quod eas impediat ab ea consequenda ; cœlum enim quod antea erat clausum, per Christum fuit apertum: ergo illam consequuntur.

Secunda, Alioqui non erit discrimen inter tempus veteris & novi testamenti, quoad statum post mortem, sed solum quoad locum, si tamen adversarij



adversarij meliorem locum possint eis assignare, A quam habuerint Patres in Limbo.

Tertia, Dies mortis sanctorum vocatur ab Ecclesia, Natalis, quia scilicet quodam modo nascuntur ad vitam gloriæ, dum ad eam transferuntur.

Ex his sequitur

## Conclusio III.

*Ad articulum directè responsiva.*

Animæ statim post mortem deducuntur vel ad infernum, vel ad cœlum ; nisi aliquid impediat, propter quod vel purgatione aliqua, vel satisfactione indigeant. Quo casu in purgatorio, ut B qu. 100. videbitur, detinentur, donec ad plenum purgatæ, & ab omnibus debitis sint exolutæ.

Ad 1. Arg. Resp. neg. Assumpt. Ad prob. dicendum est verba Sapientis dicta fuisse illo tempore quo dilata beatitudine, sanctorum animæ descendebant in limbum : Nunc autè merces operum statim à morte recipitur. Verborum hic est sensus, Eleëmosynam esse egentibus largè tribuendam ; quia quod quis dederit, si non statim, saltem post multum tempus pro certo recipiet,

Ad Confirmationem Resp. præmia & pœnas animarum non antecedere judicium privatum & particulare; sed solum universale, quo palam omnibus hominibus præmia & pœnæ decernentur.

Ad 2. Resp. verba Apostoli referenda esse ad tempus quo sancti, de quibus loquitur, vivebant C in terris ; ut vocula, *nunc*, vim adversativæ habeat potius, quam designet tempus : quasi diceret : atqui sancti qui confitentur se esse peregrinos super terram, appetunt meliorem patriam, quam sit ea de qua exiverunt, scilicet cœlestem. Repromissio autem de qua postremis istius cap. 11. verbis dicit Apostolus, quod veteres illi Patres eam non acceperunt sine nobis, vel intelligitur beatitudo consummata, quam illi (exceptis, respectu totius multitudinis, paucis illis qui cum Christo surrexerunt) non accipiunt sine cæteris communem resurrectionem expectantibus : Vel gloria animæ, seu vera & essentialis beatitudo, quam veteres patres non acceperunt *sine nobis*, id est, non ante sanctos novi D testamenti, Deo nobis aliquid præstantius providente, ut beatitudo sit tempore status nostri, & non fuerit ipsorum statu durante.

Ad 3. Neg. Conseq. Cum enim Apostolus Joan. dicit, *Scimus autem cum apparuerit*, non est necesse quod subaudiatur, (*Christus,*) sed subaudiri rectè potest id quod præcedit, *quid erimus :* ut sensus sit, cum *apparuerit* quod simus futuri, similes erimus Christo, glorioso nimirum non tantum secundùm animam, sed etiam secundùm corpus: quæ gloria causabitur ex eo quod *videbimus eum sicuti est.* E

Quod si quis (ut etiam potest) subaudiendum putet, *Christus* ; neque sic valet consequentia : quia S. Joannes non loquitur de animabus separatis quas Apoc. 20. dicit regnare cum Christo mille annis ; sed de hominibus in judicio resuscitandis ad vitam. Quamvis autem animæ sanctorum jam Deum Deique essentiam videant, ipsi tamen sancti corpore & anima constantes, tunc demum videbunt, quando resurrexerint, sicuti etiam tunc demum erunt similes Christo in gloria corporis, quam similitudinem hîc potissimum spectat Apostolus, quæ descendet ex gloria animæ videntis Christum secundùm utramque naturam, hoc est, divinam & humanam.

Ad 4. Per *altare* in Apocalypsi rectè per metaphoram intelligitur locus in cœlo animabus Martyrum deputatus ; quo modo earundem requies beata, vocatur cubile, Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*, ducta scilicet similitudine à cubili corporum.

Satis etiam probabile videtur quod sancto Joanni ostensum sit in visione unum altare, ac simul ostensi ei sint Martyres pro Christo occisi sub eodem altari quiescentes : Hoc autem altare fuisse sancto Joanni ostensum in cœlo, patet ex initio cap. 8.

Si quis autem altare interpretetur Christum aut humanitatem ejus, animæ intelligendæ sunt esse subtus altare, quia sunt infra conditionem corporis Christi glorioši, utpotè necdum habentes corpora configurata corpori claritatis ejus, & ad nutum sibi obedientia, quo modo habebunt post resurrectionem ; quando (juxta Bernardum) admittentur ad visionem divinitatis, non quasi nunc eam non contemplentur : sed vel quia clarius videbunt, ut Bernardus à quibusdam putatur intellexisse ; vel quia tunc ipsi homines corpore & anima constantes videbunt Deum sicuti est, cùm nunc non homines, nisi synecdochicè videant ; sed sola anima, corpus suum non informans.

Ad 5. Scripturæ illæ loquuntur de perfecta retributione, qua totus homo præmia vel pœnas est recepturus. Quo modo etiam intelligi potest locus Matth. 20. si vespera referatur ad finem sæculi. Alioquin unicuique vespera est finis vitæ suæ.

Ad Confirm. Resp. neg. Cons. quia per templum isto loco Apoc. non significatur cœlestis beatitudo, sed secretum judiciorum Dei, quid per istas plagas velit, & quare tales homines eo tempore, & istis plagis crucientur.

Ad 6. Neg. Conseq. *Primò*, quia anima est bonorum operum causa principalis.

*Secundò*, quia anima quædam bona potest exercere, non per corpus.

*Tertiò*, quia anima separata est capax beatitudinis, non item corpus separatum.

Ad 7. etiam Neg. Conseq. partim quia Christus etiam extra cœlum erat beatus ; partim quia descendere habebat ad infernum, non ut pararet nobis viam eò descendendi, sed ut justorum animas inde educeret.

Ad 8. Hilarius loquitur de eo tempore quo clausum erat cœlum : neque tamen excludit divinam visionem ; statim enim subjungit quod eam descensionem Christus non recusavit, quem constat divina visione fruitum, etiam cum descendisset in infernum.

Ambrosius priore loco philosophorum sententiam de piarum animarum descensu ad inferos, probat pro eo tempore quo dicta fuit, non autem absolutè : nam eodem cap. animarum superiora esse habitacula, Scripturæ testimonij affirmat : & c. 9. dicit eas ad sublime evolare, ut Deo adhæreant, & cum ipso sint.

Posteriori loco, tantùm significat animas, post hanc vitam, etiam bonas, non scire diem aut tempus, quo futurum sit universale judicium.

Chrysostomus non dicit animam non frui bonis æternis ante resurrectionem, sed simpliciter, non fruituram ullis bonis cœlestibus, si corpus nõ

resur-

Universidad de Deusto
Biblioteca



resurgat. Cùm enim utraque pars hominis laboraverit, par est ut utraque mercedem accipiat, quam si una non habeat, consequens est quod nec altera sit habitura.

Augustinus etsi fortasse aliquando dubitaverit quid vocetur ille sinus Abrahæ, in quem recipiuntur animæ sanctorum post ascensionem Christi, ut lib.9. Confessionum cap.3. constanter tamen affirmavit eas visione Dei esse beatas, in Psal.119.& li. Meditationum cap.23.24.25.26.

Quod autem ad inferos non descendant, lib.20. De civit. Dei cap.15. exprimit: ac sinum Abrahæ, requiem beatorum & secretum Patris interpretatur; lib.2. quæstionum Evangelicarum c.38.

Loco priore hîc objecto, meritò quæri dicit; nõ, An animæ sanctæ sint beatæ; sed an ita sint in possessione beatitudinis, ut nihil eis desit. *Utrum* (inquit) *id contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem, nihil ex hoc* (quod scilicet sint sine corpore) *minus habeant, non hic locus est disputando inquirere.*

Posteriore autem significat nos in resurrectione mortuorum æquales Angelis futuros, quia toti & corpore & anima erimus immortales, quando etiã non anima sola, sed ipsi homines Deum videbunt.

De Joanne 22. falsa sunt ea quæ sedis Apostolicæ inimicus Guilielmus Ockam refert: Canonizavit enim ipse Joannes B. Thomam Aquinatem, & in bulla canonizationis, ejus animam inter sanctorum agmina, cœlum possidere asseruit. Quod autem hac de re nihil unquam definiverit, testatur Benedictus, ejus successor, in Extravaganti, quam refert Alfonsus Castrensis, verbo *beatitudo*, hæresi 6.& nunc extat to.1.magni Bullarij, numero quarto inter Benedictinas.

### Articulus III.

*Animæ an exeant aliquando de cælo, & de inferno.*

Art. 3. docet, animas paradiso vel inferno finaliter deputatas, non posse sic egredi ut ille desinat esse earum locus; posse tamen exire ad tempus, non quidem secundùm naturalem cursum animæ separatæ, sed secundùm dispositionem divinæ providentiæ.

Rectè autem monet in Responsione ad ultimum, animas sive sanctorum sive damnatorum non semper adesse præsentialiter, ubi apparent: Tales enim apparitiones aliquando fiunt operatione Angelorum; aut bonorum, ad instructionem; aut malorum, ad deceptionem.

### Articulus IV.

*Sinus Abrahæ & limbus olim erat idem.*

Art.4. tradit limbum inferni & sinum Abrahæ fuisse reipsa eundem ante Christi adventum; sola autem ratione distinctum: nunc verò, etiam re distingui. Sanctorum enim animæ ad plenum purgatæ habebant, ante tempora Christi, aliquam requiem quatenus immunes erant à tormentis; non habebant tamen quietem desiderij per consecutionem finis; quia adhuc erant in tenebris & umbra mortis, desiderantes videre faciem Dei, nondum autem eam videntes.

Quatenus ergo ille status habebat aliquid de requie, dicebatur *Sinus Abrahæ*, quia ad illum pervenire non poterat nisi merito fidei: fidelium autem Pater est Abraham.

Quatenus verò deerat aliquid de requie; dicebatur *infernus*, & *limbus*, sive extremitas inferni. Eum fuisse locum consolationis, probat nomen *sinus seu gremij*, & testatur Abraham Luc.16.cum de Lazaro dicit, *Nunc autem hic cõsolatur.* Fuisse etiam comprehensum nomine *inferni*, docet illud Gen. 37. *Descendam ad filium meum lugens in infernum:* Neque enim infernum damnatorum sibi aut filio, quem noverat innocentem, sic metuebat, ut ejusmodi verba proferret. Sed neque sepulchrum potest illic intelligi, nam Jacob putabat Joseph à bestijs devoratum, ideoque esse in sepultum.

*Infernum* ergo dixit locum seu statum animarum post mortem, etiam eorum qui piè moriuntur: quo modo dicimus, *Christum descendisse ad inferos*, Unde sequitur nomen *inferni* non semper accipi pro inferno damnatorum: quod & ex psalmo 15. 29.48.85.manifestum est.

In scriptura verò novi testamenti nunquam legimus animas justorum plenè purgatas descendere ad inferos, vel apud inferos detineri. Ex quo satis intelligitur quod infernus infernique limbus sit post Christi adventum, re diversus à loco quietis sanctarum animarum. Is enim est cœlum: & interdum, ut in officio De S. Martino, & in precibus ecclesiasticis quæ fiunt pro defunctis, vocatur sinus Abrahæ; quia sinus Abrahæ generaliter significat locum quietis & consolationis, in quem recipiuntur animæ justorum.

*Infernus nunquam sumitur pro loco beatorũ.*

Pro Respons. ad 1. dicendum est inferos aut infernum in sacris litteris nunquam sic in bonum sumi, ut significet statum vel locum veræ sempiternæque beatitudinis, seu locum in quo nullus sit defectus: & hoc est quod B. Thom. vult in fi. Resp.

*Sed bene pro limbo patrum.*

Nihilominus aliquando ita sumitur in bonum, ut significet aut comprehendat eum locum in quo animæ sanctorum veteris testamenti post mortem erant cum requie & consolatione, qui locus & limbus patrum, & limbus inferni, & sinus Abrahæ, solet appellari. Unde S.Doctor hîc in corp. scribit quod limbus inferni & sinus Abrahæ fuerunt ante Christi adventum unum per accidens.

Neque his obstat quod Augustinus libr. 12. de Gen. ad litt. c.33. scribit se nondum invenisse inferos appellatos ubi justorum animæ requiescunt, seu olim requiescebant: ita enim dicit se necdum invenisse, ut addat se adhuc quærere: Scribens autem in Psal. 85. tanquam probabile agnoscit duo inferna, in quorum uno quieverunt animæ justorum; in altero torquentur animæ impiorum, & li. 20. de civit. c.15. sic ait: *Si non absurdè credi videtur antiquos etiam sanctos qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi & ad ea descensus eruerit; profectò deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti prorsus inferos nesciunt:* Dicit, *locis remotissimis*, propter illud Lucæ 16. *Vidit Abraham a longè.*

Quæ in arg.2.ad oppositum adferuntur ex Gen.42. *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos*, acceptis inferis generaliter pro loco seu statu mortuorum, sensus litteralis est, facietis quod præ dolore & tristitia moriar: quamvis Aug. infra art. 5. ad 3. citatus ex l.12. de Gen. ad litt. exponat de inferno damnatorum (quasi Jacob timuerit ne nimia tristitia sic perturbaretur ut ad requiem bonorum non iret, sed ad inferos peccatorũ:) sed disputativè magis quam assertivè. Unde li.2. Retract. cap.24. scribit quod in lib. de Gen. *plura fuerint quæsita quam inventa; & eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata: cætera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint.*

Arti-



### Articulus V.

*Limbus Patrum & infernus damnatorum sunt diversa receptacula.*

Art.5. Docet limbum Patrum, & infernum damnatorum esse diversa receptacula, quantum ad locorum qualitatem; tum quia in inferno damnatorum est pœna sensibilis, quæ non erat in limbo: tum quia pœna in inferno est æterna; in limbo autem solum temporalis.

Si autem quæratur de his, quantum ad situm; probabile est quod idem locus vel quasi continuus, erat infernus & limbus, non idem propriè & strictè, sed idem locus communis, quatenus utraque loca erant subterranea, quamvis magno intervallo ab invicè dissita, erat enim chasma sive hiatus magnùs intermedius, Lucæ 16.& probabile est quod intercedebat *Purgatorium.*

### Articulus VI.

Art.6. tradit limbum puerorum, eorum scilicet qui cum solo peccato originali hinc decedunt, esse diversum à limbo Patrum, secundùm qualitatem præmij vel pœnæ; non autem secundùm situm; nisi quod requies Patrum adhuc erat in superiori loco.

Utrum autem isti pueri patiantur pœnam sensus: ambiguè disputatur. Pars affirmans videtur nobis omnino tenenda, tum propter scripturam, quæ omnes judicandos comprehendit sub nomine palearum & tritici Matth.3. hędorum & ovium, Matth. 25. dicitque paleas & *hædos* igne comburendos: tum ob alia quæ in 1.2. luculentè diximus qu.85.ar.6. Confer qu.89.seq.ar.5.

### Articulus VII.

*Quot sint receptacula post mortem.*

Art.7. propter quinque status animarum post mortem, assignat eis *quinque receptacula*; Paradisum, Limbum Patrum, Limbum Puerorum, Purgatorium, & Infernum.

Quia tamen limbus puerorum est pars inferni damnatorum, (cum revera illi qui in peccato Originali, etiam solo, moriuntur, in æternum sint damnati:) ideo alij non annumerant ipsum inter receptacula. Sicut & Innoc. 3. serm. 1. de omnibus sanctis, locum talium puerorum comprehendit sub inferno, ac deinde de his qui sunt in inferno, generaliter & indistinctè dicit, eos ad exercitum diaboli pertinere, & quod ijs tandem dicetur, ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis ejus.

Quia item ante Christum nulla anima in paradisum ascendebat, uti nec post eum ulla descendit in limbum Patrum, qui descensu Christi ad inferos est evacuatus: Ideo, facta distinctione temporum,

*Tria* tantum numerantur receptacula ante Christum, *Limbus Patrum, Purgatorium*, & *Infernus.*

Tria item *post Christum*, scilicet *Cælum, Purgatorium, & Infernus.* De purgatorio posset hîc disputari; sed cum centesima quæstio per Theologos Duacenses ann.1614. addita, tota sit de illo, usque ad eam differemus.



## QUÆSTIO LXX.

## *De qualitate animæ exeuntis à corpore.*

### Articulus I.& II.

*Non manent in anima separata rata sensitivæ potentiæ, nec earum actus.*

Art.1.& 2. negat potentias sensitivas & similes, à corpore tanquam subjecto dependentes, aut earum potentiarum actus, manere in anima separata: quia corrupto subjecto, corrumpuntur passiones & potentiæ quæ sunt in illo; talium autem potentiarum subjectum est compositum quod corrumpitur.

Addit autem, illas potentias manere in ea secundùm quid, scilicet ut in radice; per modum quo principiata sunt in suis principijs; quatenus in anima separata manet efficacia iterum in fluendi potentias, si ipsa iterum uniatur corpori.

In argumento primo citatur liber de spiritu & anima: sed is authoritatem non habet, ut indicat S. Thomas art.2.ad 1:& clariùs 1.p.qu.77.art.8.ad 1. qu.82.ar.5.ad 2.

Cum Responsione ad 3. art. 2. conferatur dicti art.8. Responsio ad 6.

Cum Respons. ad 4. conferatur ejusdem artic. Respons. ad 4.& qu.79.ar.6.

Cum Respons. ad sextum, articulus quartus qu.82.

Plura videri possunt in quæstionibus disputatis, quæstione De anima, art.19.

### Articulus III.

*Utrum anima separata pati possit ab igne corporeo.*

Videtur quod non. Primò, quia Spiritus pati non potest à corpore; cùm corpus, quale est ignis, agat per qualitatem sensibilem, cujus natura incorporea non est capax.

Secundò, Ignis corporeus non infert nisi sensibilem pœnam; animæ autem separatæ non habent sensum.

Si dicas, ignem, ut instrumentum divinæ justitiæ, eas sibi alligare & detinere, ut perpetuò maneant ipsi tanquam horrendo carceri alligatæ: contra facit,

Tertiò, quod alligari deberent potius terræ, tanquam viliori elemento, quam igni.

Quartò, quod hinc sequatur, vel omnium, tam dæmonum quam animarum pœnam esse æqualem, eò quod alligatio sit æqualis: vel dæmones errare in ijs quæ naturaliter sciunt, apprehendendo se magis alligatos & detentos, quam alios. Confer quæ dicimus qu. 97. ar.5.& 6.

Pro responsione sit

### Conclusio I.

*Ignis inferni est corporeus.*

Ignis inferni est verus, id est, corporeus, ejusdemque cum nostro substantiæ. Quæ conclusio, etsi non sit fidei, cùm de ea non extet aperta definitio Ecclesiæ, communiter tamen asseritur, propter frequentes scripturæ sacræ sententias; in quibus damnatorum supplicium *ignis* nomine designatur. Judith. 16. Job. 20. Isaiæ 33.& evidentius Matthæi 5. *Reus erit gehennæ ignis*; Matth.7. *In ignẽ mittetur*; & cap.13. *Mittent eos in caminum ignis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Confirmatur ; Ignis quo damnatorum corpora A cruciabuntur, aptissimè intelligitur esse corporeus; eò quod corporibus cruciandis convenientissimũ sit instrumentum corporeum : atqui scriptura facit illum ignem communem dæmonibus, Matth. 25. ergo sicut homines damnati : ita & dæmones igne corporeo cruciantur, & consequenter, etiam animæ hominum separatæ, ante diem judicij ; est enim eadem ratio ; cùm tam dæmones quam illæ animæ sint incorporei, & utrisque locus inferni sit communis. Ita sentiunt Basilius oratione 23. Chrysostomus hom. 44. in Matth Aug. lib. 21. De civit. Dei cap. 9 & 10. Gregor. libr. 4. Dialog. cap. 29. B. Thomas, tum hîc, tum prima part. qu. 64. art. 4. & libr. 4. contrà Gent. capit. 90. opusculo 10. artic. B 41. Scotus, Durandus, & alij in quartum distinctione 44.

Ex his sequitur

### Conclusio II.

*Quomodo animæ separatæ patiuntur ab igne corporeo.*

Animæ separatæ patiuntur ab igne corporeo. Verùm de illius intellectu non omnes conveniunt.

B. Thomæ sententia est, animas separatas pati ab igne, per hoc quod ignis tanquam instrumentum divinæ justitiæ, eas sibi alliget ac detineat: quod illæ ut sibi noxium (utpotè contra naturalem suam, tum dignitatem tum libertatem) apprehendentes; C summam inde tristitiam concipiunt. Considerant enim se infimis rebus subdi, quæ natæ erant Deo per fruitionem uniri ; & se impediri à quadam naturali libertate secundùm quam sunt absolutæ ab omni obligatione ad locum corporalem. Neque eis liberum est ab hac consideratione cessare : quia Deus eodem illo igne utitur, quo tanquam motivo excitetur & applicetur intellectus earum ad actualem considerationem miserrimi illius status.

*Locis concl. 1. citatis.* In hunc sensum scripserunt Augustinus & Gregorius.

Ille, cum dixit. *Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora spiritus dæmonum; imò spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi.* D

Iste verò, *si incorporeus spiritus in hoc teneri potest quod vivificat : quare non pœnaliter & ibi teneatur, ubi mortificatur ? Teneri autem per ignem, spiritum dicimus, ut in tormento ignis sit, videndo atque sentiendo. Igne namque eo ipso patitur quo videt : & quia cremari se aspicit, crematur : sicque fit ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor & dolor invisibilis trahitur.*

Ex quibus ultimis verbis, ut & ex illis sequentibus, *incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patitur*, collatis cũ eo quod Augustinus dicit, *Spiritus malignos ab igne torqueri, quamvis miris & ineffabilibus, veris tamen modis*; probabile est, præter modum jam explicatum, superesse adhuc E alium, nulli mortalium satis cognitum quo animæ patiuntur ab igne. Neque tamen rogandus est Deus ut cum revelet, sed potius ut efficiat ne per experientiam discamus.

Dici interea potest, quod sicut cum corpus animatum uritur, anima inde sentit peculiarem afflictionem, diversam ab ea quam haberet si ab aqua vel gladio pateretur ; imò & diversam ab excessiva exsiccatione vel calefactione : ita cum à corpore separata est, cruciatum ab igne percipiat, similem ei quem perceptura est post corpus resumptum ; Deo scilicet ignem assumente ad talem effectum.



Ad 1. & 2. Argum. Resp. ea procedere de igne naturaliter agente : ut autem est supernaturale instrumentum divinæ potentiæ, potest pœnam intelligibilem ac etiam aliam inferre spiritui, etiamsi nullam sensibilem qualitatem imprimat.

Ad 3. Neg. Assumpt. partim quia conveniens erat assumi id quod communiter affligeret tam spiritus quam corpora ; ejusmodi autem est ignis potius quam aliud elementum : partim, quia sic duo extrema elementa conveniunt, quasi vice totius naturæ corporeæ, ad torquendos damnatos ; scilicet infimum ; & supremum. Nam terra cum aptior sit ad recipiendum, passivè hîc se habet, tanquam locus in quo damnati recipiuntur ; ignis autem, qui natura sua multum est activus, eosdem effectivè detinet.

Ad 4. etiam Neg. assumpt. quia licet alligatio vel detentio sit æqualis, neque unus apprehendat se magis alligatum, quam alium : dolor tamen & tristitia quam concipiunt ex alligatione, major est in uno quam in altero; quia apprehendit eam alligationem tum sibi magis esse debitam quam alijs, propter majora sua peccata ; tum sibi secundùm naturalem suam dignitatem considerato, magis esse contrariam.

## QUÆSTIO LXXI.

### *De suffragijs mortuorum.*

### Articulus I.

Art. 1. docet suffragia per unum facta prodesse alijs; non quidem per viam meriti, ad consequendum statum beatitudinis; cum sors gloriæ reddatur secundùm mensuram accipientis ; unusquisque autem solum disponatur ex opere proprio, & non ex alieno : sed, tum per viam orationis, etiam quantum ad consequendum statum (potest enim unus alteri impetrare non tantum varia dona, sed primam quoque gratiam) tum, per viam meriti, quantum ad id quod consequitur statum, quale est præmium accidentale, vel remissio pœnæ.

Circa Responsionem ad 1. explicandæ sunt hæ scripturæ, ad Gal. 6. *Unusquisque onus suum portabit: Quæ seminaverit homo, hæc & metet.*

Prioris sensus est, vel quod in judicio extremo unusquisque portabit suam sarcinam, non alienam; sive, Recipiet stipendium sui peccati, non alieni: Vel, quod unusquisque pro se reddet rationem Deo, ut qu. 13. ar. 2. diximus.

Posterioris autem sensus est, quod in eodem Dei judicio homo metet quæcumque hîc seminaverit, id est, omnium operum quæ hîc fecerit, justam retributionem accipiet. Unde patet eas non esse contrarias vel satisfactionibus, vel suffragijs aliorum pro alijs ; cum hæc sint opera charitatis, invicem exercendæ in hac vita. De quibus proinde procedit quod eodem cap. 6. dixit Apostolus, *Alter alterius onera portate ; & sic adimplebitis legem Christi.*

Arti-



### Articulus II.

*Utrum mortui possint juvari ex operibus vivorum.*

Videtur quod non. Primò, quia, ut dicitur Ecclesiastæ 9. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedẽ quia oblivioni tradita est memoria eorum. Amor quoque & odium, & invidia simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, nec in opere quod sub sole geritur.* & postea, *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.*

Secundò, Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 9. ad hæc verba Gen. 23. *Cum surrexisset ab officio fu-* B *neris*, Docemur, inquit, ut non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officij deferamus.

Tertiò, Hieronymus in ca. 6. ad Galatas *docemur* (ait) *dum in præsenti sæculo sumus : sive orationibus, sive concilijs invicem posse nos coadjuvari. Cum autem ante Tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniël, nec Noe rogare posse pro quoquam sed unumquemque portare onus suum.*

Quartò, Augustinus serm. 21. de verbis Domini, *nihil te adjuvabit quod hic non feceris.*

Quintò, sæculum futurum non est remissionis, sed retributionis.

Sextò, melius est per se satisfacere, quam per alios : qui enim per se satisfacit, majorem gloriam C consequitur : ergo non debemus orare pro mortuis, ne ab eis tollamus quod est melius.

Septimò, incertum est nobis an mortui sint in inferno, an in cœlo, an in purgatorio : ergo sæpè oramus frustra : & sic melius est non orare.

Octavò, mortui non juvantur suis ipsorum orationibus ; ergo multò minus alienis.

Denique, statim à morte recipit unaquæque anima sententiam definitivam quantitatis pœnæ vel præmij : cùm ergo illa sit irrevocabilis ; frustra pro diminutione pœnarum oraretur. Omnino confer art. 6. sequentem.

Responsio ad fidem pertinens definita in Concilijs Florentino sub finem, & Tridentino sess. D 22. can. 3. & sess. 25. in principio, est ; mortuos qui in charitate hinc decesserunt, vivent ium suffragijs adjuvari.

Hanc responsionem confirmat tum scriptura tum consuetudo ab Apostolis descendens. Tobiæ 4. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue* : quod non ritu Gentilium qui superstitiosè panem & vinum collocabant super sepulchra suorum, accipi debet ; sed sensus est, ut in sepultura justorum pro refrigerio animæ ipsorum, dentur eleëmosynæ.

*Mortui possunt juvari precibus vivorũ.*

Quò etiam pertinet illud Ecclesiastici 7. *Mortuo non prohibeas gratiam*, id est, ne deneges ei tuam beneficentiam ; sed tum per eleëmosynas tum per E orationes & alia opera, præsta illi misericordiam.

Apertissimus autem locus est 2. Machab. 12. ubi Judas commemoratur misisse Jerusalem, offerri sacrificium pro peccatis eorum qui in bello ceciderant ; & deinde concluditur ; *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.*

*Ob.* Si quis sectariorum dicat illa sacrificia fuisse oblata pro mortuis in peccato mortali, pro illis scilicet qui habebant donaria idolorum, quod lex vetabat Deuter. 7. ideoque non posse hinc colligi suffragio vivorum valere defunctis, cum non va-

A leant defunctis in peccato mortali.

Resp. Resp. non constare, quod illi mortaliter peccaverant : fortè enim excusabantur, si non à toto saltem à tanto, vel per ignorantiam legis, vel quod nescirent spolia quæ capiebant, esse idolorum donaria.

Deinde, esto mortaliter peccaverint ; Judas tamen rationabiliter existimare potuit veram eos pœnitentiam concepisse ante mortem, cum viderent eam sibi imminere ; ut B. Thom. articul. 5. ad 1. docet.

Eandem pro mortuis juvandis curam fidelibus diu ante fuisse ; probat jejunium quod viri Jabes indixerunt pro mortuis, 1. Reg. ult. ubi Beda, *Rectè & ad literam, pro mortuis, ut ad requiem pervenire valeant, septem diebus jejunatur.*

Fuisse autem in Ecclesia perpetuam hanc con- *Anti-* suetudinem, ut pro defunctis fiant suffragia, tum *quæ est* per sacrificium missæ, tum per eleëmosynas, jeju- *Ecclesiæ* nia, & orationes ; manifestũ est ex Dionysio Areo- *consue-* pagita ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 7. Ambros. in *tudo*, sermonibus de obitu Valentiniani, & fratris sui *orare* Satiri ; Augustino lib. 9. confess. cap. 11. 12. 13. lib. *pro mor-* de cura pro mortuis agenda, & alibi ; Epiphanio hę- *tuis.* resi 75. quæ est Arianorum dogmatizantium non oportere orare pro mortuis : Chrysost. qui hom. 69. ad pop. Antiochenum sic loquitur. *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam.*

His accedit & ratio, Sanctorum omnium ubicumque degentium agnoscenda est communio sive communicatio : ergo, tum propter convenientiam in radice operum quæ est charitas, tum propter intentionem vivorum ad mortuos, prodesse possunt mortuis suffragia viventium. Confirmatur, Apostolo teste 1. ad Cor. 12. Membra ejusdem corporis solicita sunt pro invicem : ergo quoad possunt, conantur liberare illos qui pœnis detinentur.

Addit autem B. Thomas, non sic mortuis valere credenda sunt vivorum suffragia, ut status eorum mutetur de miseria in fælicitatem, vel è converso : quia per viventium preces nullus mortuorum de statu extremæ damnationis transit ad salutem ; quia damnati non possunt juvari per suffragia.

Ad 1. Arg. Resp. Scripturæ sensum esse, quod mortui nesciant per experientiam quid hic in terris agatur, frequenterque accidat, ut memoria eorum apud vivos sensim pereat, nec eis ipsi retribuant secundùm ea quæ pro illis egerunt, aut passi sunt.

*Amor quoque & odium* simul cũ morte pereunt, quia mortui non amplius moventur affectibus ad ea quæ sibi prodesse hîc solebant, prout faciebant cum viverent.

Neque propria actione vel passione sunt participes bonorum aut malorum hujus vitæ, sic nimirum ut aliquid eorum agant ipsi vel patiantur cum viventibus.

Cum additur, *Nec opus, nec ratio*, &c. ratio datur quare in hac vita sit diligenter incumbendum bonis operibus, quia post mortem non est tempus operandi. Unde nec ullum opus tum fieri potest æternæ vitæ meritorium ; sed nec ratio, nec modus, nec sapientia, nec scientia, nec consilium ullum ibi est ad recuperandum bona perdita, vel evitanda mala illic inventa.

Ad 2. Ex contentu Ambrosij clarum est eum

Universidad de Deusto
Biblioteca



non agere de precibus quæ fiunt pro defunctis, sed A de luctu & pompa funebri; quam vult esse moderatam, nec in longum tempus extendi. Unde nihil hinc habetur contra anniversaria, sed potius contra morem illum, quo, tempore luctus in multos dies, imo & menses extenso, viduæ quædam non egrediuntur, ne quidem ad Missam. Quod autem orationes existimet esse pro defunctis repetendas, etiam per menses & annos; hæc ejus verba clarè significant ex oratione in Valentinianum: *Si quid meæ orationes valebunt; nulla dies vos silentio præteribit. Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla nox non donatos aliqua precum mearum contexione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo.*

Ad 3. Hieronymus non aliud vult quam in B judicio neminem posse à damnationis sententia liberari per alterius preces, quantumvis sanctissimi, sed unumquemque accipere sententiam secundùm ea quæ commeruit. Alioquin, cum agnoscere quod pro alijs utiliter oretur, etiam post mortem, pater ex lib. contra Vigilantium cap. 3. quem contra sentientem ibi reprehendit.

Ad 4. Resp. fideles qui in altero sæculo juvantur suffragijs viventium feciste dum viverent ea, propter quæ digni sunt ut juventur, eo ipso quo in charitate mortui sunt. *Ad hoc* quippe *ut suffragium alicui valeat requiritur ex parte ejus pro quo fit, capacitas hujusmodi valoris: & hanc homo acquisivit per opera propria, quæ cum divinæ gratiæ auxilio gessit, C dum esset in hac vita.* ar. 3. ad 6.

Ad 5. Sæculum futurum non est tempus remissionis mortalium, sed bene venialium, & pœnæ pro mortalibus remissis adhuc debitæ.

Ad 6. Resp. in hac vita melius esse satisfacere per se quam per alium, quia qui satisfacit, simul meretur: in purgatorio autem, ubi cessat meritum, melius est cito liberari, quàm diutius pœnas sufferre.

Ad 7. Neg. Conseq. quia nullum bonum opus fit frustra, sed semper valet ad cumulum pietatis. Aliquando quidem fit frustra, quantum ad eum pro quo fit; sed melius est superesse suffragia ijs quibus nec prosunt nec obsunt, quam deesse illis D qui egent; quemadmodum monet Augustinus ca. ult. de cura pro mortuis agenda.

Ad 8. Mortui orationibus quas post mortem pro se fundunt, non juvantur per viam meriti vel satisfactionis, quia sunt extra statum non solùm meriti, sed etiam satisfactionis ejus quæ fit pro pœna, & quæ redemptionem seu compensationem pœnæ dicit. Viventes autem qui pro illis orant, sunt adhuc in via merendi, & tum pro se, tum pro alijs satisfaciendi.

*Quæst. Resp. Qui sunt in purgatorio possunt seipsos juvare, orando.*

Cæterum, An fideles defuncti seipsos juvent per modum impetrationis, orando; quæri potest. Videntur autem loqui probabilius, qui affirmant. Nam in officio defunctorum introducuntur oran- E tes pro sui liberatione; estque pietati valdè consentaneum, quod omnis anima fidelis, in sua tribulatione clamet ad Deum; quem clamorem utiliter fieri non est cur dubitemus.

Ad Ult. utrum singulæ animæ statim à morte cognoscant gravitatem & durationem pœnæ cui addicuntur, non liquet. Gravitatem cognoscunt per experientiam, tunc quando illam patiuntur: durationem verò non videntur certo scire, saltem statim à morte.

Neque verò sequitur, Definitiva Dei sententia est irrevocabilis, ergo frustra oratur pro liberatione animarum. Sententiam enim illam Deus decernit, præsupponendo preces quas prævidit ac præordinavit futuras, sciens quantum pœnæ alioquin debitæ, sit per eas detrahendum.

In Responsione ad 1. Sciendum est hæc Apostoli verba 2. ad Cor. 5. *ut referat unusquisque propria corporis*, id est, quæ singuli fecerunt in suo corpore, dum hîc viverent, pertinere ad extremum judicium: in quo sistendus est unusquisque ante tribunal Christi, id est, ante judicem Christum, ut ab eo recipiat pro ijs quæ gessit in corpore, bona vel mala, præmium vel pœnam. Neque hinc sequitur nihil prodesse mortuis id quod pro eis faciunt viventes: cùm enim mortui juvantur suffragijs viventium, recipiunt ea quæ gesserunt in corpore; quia ut sic juvari possent, meruerunt, hoc ipso quod in charitate decesserunt.

## Articulus III.

*Suffragia per peccatores facta resultant mortuis.*

Art. 3. docet suffragia per peccatores facta prodesse mortuis, ea scilicet quæ valent ex opere operato: ut sacrificium altaris. Ea verò quæ solùm valent ex opere operantis, quatenus quidem à peccatore fiunt, non prosunt mortuis; prosunt tamen, vel quatenus is qui facit, gerit personam Ecclesiæ, ut dum Sacerdos celebrat exequias: vel quatenus agit ut instrumentum ejus qui in bono statu existes jubet ea fieri, ut si justus moriens mandet suffragia pro se fieri, ea ipsi valebunt, etiamsi per malos fiant. Magis tamen valerent, si per bonos fierent, quia tunc valerent ex duabus partibus.

De Responsione ad 1. videri potest Author 2.2. quæst. 83. ar. 16. & quæst. 178. art. 2. utrobiq; ad primum.

## Articulus IV.

*Ut suffragia pro mortuis, non prodesse facientibus, in ratione fragia satisfactionis, sed solùm in ratione meriti: quia in pro alijs satisfactione attenditur compensatio per quandam facta æqualitatem justitiæ, fieri autem potest quod opus prosint satisfactorium ita adæquetur reatui ejus pro quo facienti. fit, ut nihil supersit pro reatu satisfacientis. Meritum verò attenditur ex dispositione operantis, & ideo opus satisfactorium quod quis pro alio facit, valet secundùm rationem meriti ei qui opus facit.*

Art. 4. probat suffragia quæ à vivis fiunt pro mortuis, non prodesse facientibus, in ratione satisfactionis, sed solùm in ratione meriti: quia in satisfactione attenditur compensatio per quandam æqualitatem justitiæ, fieri autem potest quod opus satisfactorium ita adæquetur reatui ejus pro quo fit, ut nihil supersit pro reatu satisfacientis. Meritum verò attenditur ex dispositione operantis, & ideo opus satisfactorium quod quis pro alio facit, valet secundùm rationem meriti ei qui opus facit.

## Articulus V.

*Damnatis nō prosunt suffragia.*

Art. 5. refutatis varijs dicendi modis, tandem resolvit suffragia nihil prodesse existentibus in inferno; partim quia sunt extra vinculum charitatis, secundùm quam opera vivorum continuantur defunctis, partim quia totaliter ad viæ terminum pervenerunt, recepta ultima retributione pro meritis, nimirum æterna damnatione. Nec obstat quod adhuc eis restet pœna corporis: quia hoc eis non præbet rationem viatoris; cum pœna damnatorum essentialiter & radicaliter consistat in anima, sicut beatorum gloria.

De Responsione ad 1. diximus ar. 2.

De Responsione ad 2. tertia parte qu. 83. art. 1. quæsito 10. ubi Augustinum loqui diximus de *damnatione*, id est, punitione eorum qui sunt in purgatorio; & velle quod suffragia fidelium prosint eis ad hoc, ut vel statim liberentur, vel ut tolerabilius puniantur.

In Responsione ad 4. si narratio, quæ fabulosa potiùs



potiùs videtur quam historica (cum in Lausiaca A Palladij historia, ad quam se refert author illius sermonis, nulla fiat mentio, vel cranij, vel historiæ de Macario (admittitur, significatur quod damnatorum animæ per sanctorum preces recipiant, non verum aliquod gaudium, sed inane & fallax; quatenus nimirum eis conceditur videre quod habeant socios in pœnis.

*De Trajano.*

In Resp. ad 5. movetur dubium de Trajano Imperatore. Cujus si vera est historia, ut propter authoritatē Damascени supponit B. Thomas, & cum ipso alij: dicendum videtur eum non fuisse definitiva sententia damnatum ad pœnas inferni, sed solùm in inferno punitum secundùm præsentia demerita, suspensam verò fuisse sententiam definitivam prop- B ter futuras B. Gregor. preces, propter quas transierit ex inferno ad cœlum, non immediatè, sed mediante resurrectione, & post resurrectionem, pœnitentia & baptismo.

Cæterum de veritate historiæ non immeritò ambigitur. Mirum enim est, ait Melchior Canus l. 11. de locis cap. 2. Damascenum hominem Græcum, rem & nostram, & toto orbe, ut ait, vulgatam Græcis suis prodidisse, quam tamen Latinorum ignorat historia.

Refert quidem eam Joannes Diaconus lib. 2. vitæ B. Gregor. cap. 44. sed ob id vel maximè dubitari dicit de hoc miraculo, quod tantus Doctor nunquam præsumeret pro pagano (eoque tunc annos 500. luente inferni pœnas) orare, qui 4. Dialogorum suorum lib. (cap. 44.) docet omninò non C esse orandum pro infidelibus defunctis. Gregorij verba sunt: *Eadem est causa cur non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo angelisque ejus æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro infidelibus hominibus, impiisque defunctis: quia pro eis utique, quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum justi judicis conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt.* Ita autem legendum, *quos æterno &c.* & non, *eos æterno*, quomodo communiter habent codices; tum ex contextu colligitur; tum ex vetustissimo nostro codice typis ligneis jam olim excuso,

Neque propter jam dictam narrationem culpan- D dus est Damascenus: partim quia in his quæ sunt facti, non dogmatis, potuit vir sanctus, tametsi prudens & doctus, falli; istis narrationibus fidem facilè adhibendo; partim, quia admodum probabile est sermonem illum non esse Damasceni: sive quia Author illius dicit totum orientem & occidentem historiam illam pro vera recipere, cum inter antiquos vix sit ullus qui meminerit, neque Joannes Diaconus à Romanis, sed à Saxonibus acceperit; sive quia refert multos in infidelitate mortuos, Christo ad inferos descendente conversos & salvatos esse, quod tamen & per se erroneum est, & Damasceno contrarium lib. 2. de fide cap. 4 asserenti E hominibus id esse mortem quod Angelis est lapsus. Plura videri possunt apud Bellarminum lib. 2. de Purgatorio c. 8. & apud Baronium tom. 8. Annalium ad annum Christi 604. Observandum autem B. Thomam loqui de Trajano, non assertivè; sed dubitanter. *Idem est* (ait in 1. sent. d. 44. qu. 2. art. 2. ad 5.) de Trajano, qui *fortè* post trecentos annos suscitatus est, & de alijs qui post unum diem suscitati sunt. De omnibus enim dicendum est quod nō finaliter damnati erant. Præsciebat enim Deus eos sanctorum precibus à pœnis liberandos & vitæ restituendos.

## Articulus VI.

*Utrum suffragia prosint existentibus in Purgatorio.*

Videtur quod non. Primò, quia viventes non juvantur precibus eorum qui sunt in Purgatorio, ut tradit B. Thomas 2.2.q. 83. ar. 11. ad 3. ergo nec illi qui sunt in Purgatorio juvantur precibus viventium: communio enim charitatis tenet utrimque: & ideo preces, si quæ essent, deberent esse mutuæ.

Secundò, Animæ in Purgatorio detentæ non juvantur precibus sanctorum in cœlo regnantium, ut probat Dominicus ad finem distinctionis quadragesimæ quintæ, ex eo quod suffragia non prosint existentibus in Purgatorio, nisi per modum satisfactionis; Sancti autem non sint in statu satisfaciendi: ergo nec precibus mortalium.

Tertiò, Sacrificium Missæ non videtur talibus prodesse: ergo nec alia suffragia Anteced. prob. ex Augustl. 4. de Trinit. c. 14. dicente non rite offerri sacrificium, nisi ab eis accipiatur quod offertur pro quibus offertur: Qui autem sunt in Purgatorio, nō accipiunt corpus Christi quod in Missa offertur. Alia argumenta petenda sunt ex q. hujus ar. 2.

Responsio ad fidem pertinens, in concilijs Florentino & Tridentino definita, est affirmativa; patetque tum ex art. 2. tum ex eo quod pœna purgatorij sit in supplementum satisfactionis in hac vita non expletæ. Cum enim opera unius valere possint alteri ad satisfactionem, sive is mortuus sit, sive vivus; consequens est suffragia per vivos facta, prodesse illis qui sunt in purgatorio. Vide quæst. 100. art. 1.

Ad 1. Arg. Negari posset Conseq. partim quia animæ in purgatorio detentæ non cognoscunt in particulari quid mortales hîc agant, partim quia sunt in maximis tormentis: Potiùs tamen Negandum videtur Antecedens. Si enim dives Epulo in maximis damnatorum tormentis existens, erat solicitus pro fratribus, erga quos veram charitatem non habebat; quantò magis animæ sanctæ in purgatorio, charitate flagrantes, & de sua jam salute securæ; solicitæ sunt pro nobis? præsertim, cum affectum quem ante habebant, & quo permotæ orabant, non deposuerint?

Accedit, quod in purgatorio existentes remanent in communione sanctorum & aliquando clarent miraculis, ut de Paschasio Diacono refert Greg. l. 4. Dialog. c. 40. & de Severino Petrus Damianus l. 2. epist. 15. Quamvis autem in particulari non sciant quæ apud nos aguntur: sciunt tamen in generali multas esse necessitates mortalium, & scire possunt in quibus reliquerint tum parentes suos & amicos, tum Ecclesiam. Ita sentiunt Joannes Medina q. 5. de orat. Bellarm. l. 2. de purgatorio cap. 15. & Estius in 4. dist. 45. §. 11. eandemque sententiam ut probabilem admittit Valentia tom. 3. disp. 6. q. 2. p. 6. quamvis opposita quam sequuntur Tannerus tom. 3. Gavantus de ritibus Missæ, & alij, non sit etiam improbabilis.

Ad authoritatem B. Thomæ Resp. eum in loco objecto non dicere, vel quod viventes non juventur precibus eorū qui sunt in purgatorio; vel quod illi qui ibi sunt non orent pro viventibus: sed solum quod quantum ad pœnas quas patiuntur sunt inferiores nobis, & secundum hoc non sunt in statu orandi: non sunt autem eadem, non

Universidad de Deusto
Biblioteca



esse in statu orandi; &, non orare; sicut nec eadem A sunt *orare, & esse in statu orandi.* Si quis enim detineatur captivus non hostili, sed amico, vel etiam paterno affectu, hoc ipso quo detinetur captivus, non est in statu orandi, & tamen potest orare tum pro se, tum pro alijs etiam cum fiducia impetrandi, si noverit benevolum affectum ejus per quem detinetur. Animæ vero in purgatorio detentæ sciunt paternum ac benevolum Dei affectum, tum erga seipsas, tum erga nos: nihil ergo vetat quominus & pro se orent (ut ar. 2. dicebamus) & pro nobis adhuc viventibus.

*Ob.* Si dicas in Missa pro defunctis nullam posse dici collectam pro vivis ad notandum quod defuncti nequeunt juvare vivos in hac vita existentes, ut est B apud Durandum in rationali l. 4. c. 14.

*Resp.* Resp. illam rationem ut vera sit, ita esse intelligendam, ad notandum quod mortui non possunt juvare vivos, ipsis aliquid promerendo, cum omne ipsorum meritum sit in morte finitum. Alioquin hæc ratio videtur posse reddi, quare Ecclesia sic ordinavit; quia voluit ut totum quod publicè auditur tam in Missa quam in vigilijs defunctorum, sit de defunctis, eò quod hoc magis pertineat ad luctum quem in istis officijs Ecclesia vult exprimere.

Ad 2. etiam Antecedens est negandum; neque enim Ecclesia frustra orat, *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli.* Unde & in collecta Deum rogat, *ut eos qui ex hoc sæculo transierunt, B. Maria semper* C *Virgine intercedente cum omnibus sanctis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedat.*

Ad motivum Dominici Resp. suffragia non solùm prodesse per modum satisfactionis, sed quædam etiam prosunt per modum impetrationis, ut orationes.

Ad 3. Resp. Neg. Anteced. Ad ejus probationem duplex dari potest Responsio.

Una, non ritè offerri sacrificium nisi id quod offertur, sumatur ab eis, hoc est, ab aliquo eorum pro quibus offertur: Corpus autem Christi semper sumitur ab aliquo illorum, ut minimum scilicet à celebrante, pro quo etiam offertur, quamvis fiat Missa de requiem. D

Alia, eaque probabilior est verborum Augustini sensum esse, non ritè offerri sacrificium, nisi id quod offertur accipiatur ab eis, hoc est, desumatur ab eis, vel sumatur ex eis pro quibus offertur. Quomodo id quod Christus pro hominibus obtulit, acceptum seu sumptum est ex hominibus; caro enim quam in cruce pro nobis obtulit, de hominum natura fuit sumpta. Hunc esse verborum S. Aug. sensum probari potest ex eo quod isto cap. 14. non loquitur de sacrificio Eucharistiæ; sed tum de sacrificio propitiatorio in genere, tũ de sacrificio quod Christus in cruce obtulit, se ipsum mortalem offerendo: Cum enim de idololatris dicit cap. 13. quod non intelligunt *ne ipsos quidem superbissimos spiritus* E *honoribus sacrificiorum gaudere potuisse, nisi uni vero Deo pro quo coli volunt, verum sacrificium deberetur*; & initio cap. 14. addit: *Neque* (scilicet intelligunt) *id posse ritè offerri nisi per sacerdotem sanctum & justum nec nisi ab eis accipiatur quod offertur pro quibus offertur, atque id sine vitio sit ut pro vitiosis mundandis possit offerri*; singula illa resumens subjungit: *Quis ergo tam justus & sanctus sacerdos quam unicus filius Dei qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur? & quid tam congruenter ab hominibus sumeretur quod pro eis offerretur quam humana caro, & quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? & quid tam mundum pro mundandis vitijs mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero & ex utero virginali? & quid tam gratè offerri & suscipi posset, quam caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri? ut quoniam quatuor considerantur omni sacrificio, cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus verusque mediator per sacrificium panis reconcilians nos Deo, unumque cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat & quod offerebat.* Ex quibus satis clarum videtur quod de sacrificio crucis hęc dicat, quo caro mortalis de hominibus sumpta, fuit oblata, & per quod Christus mundum Deo Patri reconciliavit.

Circa Responsionem ad 4. observandum est eum qui disponit suffragia pro se fieri; etiamsi non statim fiant, percipere fructum illorum quantum ad efficaciam quæ erat ex opere operantis principaliter agentis, id est, quantum ad meritum bonæ illius dispositionis: differtur autem fructus, tam qui esset ex opere operato suffragiorum, quam qui esset ex opere exequentis.

Et similiter, quando per amicos vel executores differtur elargitio eleëmosynæ quã quis ante mortem ordinavit fieri; is qui ordinavit eam fieri, non obstante mora executorum, meritum suæ illius bonæ voluntatis ac dispositionis percipiet, eò quod illud principaliter dependeat ex bona voluntate, & intentione jubentis: *sed quantum ad effectum eleëmosynæ, patietur detrimentum, non quidem sic ut pro hujusmodi tarditate puniatur, sed quia remedium ei non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus multum juvaretur.* Unde patet quod executoribus non liceat tardare distributiones eleëmosynarum, nisi fortè ad modicum tempus, & ut res defuncti vendantur pluris, & ita plures sint eleëmosynæ distribuendæ. Confer B. Thom. quod libero 6. ar. 13. & 14.

## Articulus VII.

*Suffragia non prosunt pueris in pecc. originali.*

Art. 7. docet suffragia nihil prodesse pueris in originali peccato mortuis; quia suffragia vivorum non profunt mortuis extra gratiam; tales autem sunt isti pueri.

In Responsione ad 2. advertè Augustinum Enchir. ca. 110. facere divisionẽ trimembrem, & docere quod Ecclesiæ suffragia *pro valdè bonis*, quales sunt qui cum Christo regnant in cœlis, gratiarum sunt actiones.

*Pro valdè malis*, cujusmodi sunt omnes extra gratiam seu charitatem mortui; qualescumque vivorum consolationes.

*Pro non valdè malis*, cujusmodi sunt qui in charitate decesserunt, sed necdum sunt ad plenum purgati, propitiationes.

*Ob.* Dices, Innoc. 3. ca. *cum Marthæ*, de celebratione Missarum, addit quartum membrum eorum qui sunt mediocriter boni, eosque distinguit à mediocriter malis; & utrisque valere dicit suffragia: ergo pueris in limbo existentibus suffragia sunt propitiationes; si qui enim sint mediocriter mali, diversi à mediocriter bonis, sunt ejusmodi pueri.

*Resp.* Resp. eosdem esse mediocriter bonos & mediocriter malos, eos nimirum qui sunt quidem in gratia, sed adhuc purgatione indigent: si quis tamen contendat esse distinctionẽ; mediocriter boni possunt intelligi, qui nullam habent culpam, etiamsi habeant



habeant reatum pœnę; mediocriter autem mali, qui A etiam habent culpam, sed tantùm venialem.

## Articulus VIII.

*Suffragia non prosunt beatis.*

Art. 8. probat suffragia non prodesse sanctis existentibus in patria. suffragium enim significat auxilium indigenti impensum: sancti autem illi, sunt ab omni indigentia immunes. Confer Augustinum Enchir. cap. 110. & de cura pro mortuis agenda cap. 1.

*Ob.* Si dicas, nos pro sanctis orare in Missa communi Confessorum Pontificum, *ut illos beata retributio comitetur*: & alibi, ut sacrificia nostra *prosint eis ad gloriam*: ergo suffragia nostra illis prosunt. B

*Resp.* Resp. Neg. conseq. quia non est necesse omnem orationem esse suffragium; cum oratio possit fieri pro non indigente, si per eam petatur illi res bona, nondum habita, & aliquando habenda: suffragium verò non fit nisi pro indigente. Deinde, oratio non fit pro sanctis ad aliquid eis impetrandum, dependens à nostris orationibus; sed petitur eis vel gloria corporum, quam pro certo recepturi sunt ex vi beatitudinis jam adeptæ: vel gloria externa, ut scilicet magis ac magis honorificentur & glorificentur in terris: hoc autem nihil in eis ponit intrinsecum. Confer 3. partis qu. 83. art. 1. quæst. 11.

*Ob.* His non obstat quod pro pueris baptizatis & in baptismali gratia mortuis Missarum solemnia ce- C lebrantur: quia non propriè celebrantur pro ipsis, cum non fiant ad eis suffragandum; sed tum in protestationem fidei resurrectionis ipsorum; tum ad gratiarum actionem pro beneficio illis collato. Maximè autem convenit dici vel Missam de Angelis: vel propriam, quæ est in Pastorali Cameracensi, plena gratiarum actionis: vel, si omnino petatur Missa de *Requiem*, celebretur pro animabus parentum seu consanguineorum defunctorum.

*Resp.*

## Articulus IX.

*Tria sunt genera suffragiorum.*

Art. 9. docet esse tria suffragiorum genera quæ defunctis prosunt, *orationem, sacrificium, & eleëmosynam*: quia secundùm ea viventes uniuntur fidelibus in charitate mortuis, & intentio vivorum fertur in mortuos. D

Non negat alia reperiri suffragia quæ prosint mortuis, imò reperiri, disertè asserit in fine corporis, dicens: *quæcumq; alia bona quæ ex charitate fiunt pro mortuis, eis valere credenda sunt*: sed docere vult ista tria esse præcipua: eò quod ad charitatem maximè pertineant Eucharistia & eleëmosyna, quæ est præcipuus charitatis effectus: oratio autem directè respicit eum pro quo oratur, & ita per eam magis expresè significatur directio intentionis unius ad alterum.

Ad hæc verò facilè possunt cætera omnia revo- E cari: ut jejunium, peregrinatio, & alia opera pœnalia, ad eleëmosynam: & similiter indulgentiæ quæ pro defunctis conceduntur: per eas enim, satisfactiones & opera pœnalia Christi & sanctorum, ipsis applicantur.

*Quæst.* Difficultas autem est, An restitutio rei alienæ prosit defuncto. Citatur enim ex revelationibus B. Brigittæ lib. 6. ca. 66. quod anima tam diu crucietur, donec restituatur id quod injustè ablatum est. Et ca. *In litteris*, tit. de raptoribus, hæredes mortui jubentur cis quibus illa damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas satisfacere, ut sic à peccato valeat liberari. Unde consequens videtur defunctum tam diu detineri in purgatorio, donec ejus debita solvantur.

*Resp.* Resp. restitutionem post obitum defuncti, factam, secundùm se nec prodesse illi, nec obesse: quia Deus neminem in purgatorio detinet, nisi ro culpa propria. Si ergo moriens quantum in se erat, curaverat fieri restitutionem, ita ut non peccaverit in non restituendo per se; non punietur ibi hac de causa, etiamsi hæredes non restituant: si autem negligens fuerat; pro quantitate suæ negligentiæ punietur, sive hæredes citò restituant, sive tardè: quia punitionem illam commeruit. Vide Dominicum in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. Et Bellarm. lib. 2. De purgatorio ca. 16.

Dixi *secundum se* quia ratione suffragiorum quæ facta restitutione fierent vel à creditoribus, vel à pauperibus, patitur defunctus detrimentum remedij, ex dilatione restitutionis: simili ferè modo ei quem diximus art. 6. ad 4.

De revelationibus autem (quas non constat omnes esse authenticas, eò quod ibi de eadem anima in purgatorio existente dicatur, quod prima ejus pœna est, *quia omnia quæ patitur non ex charitate illa patitur, sed cum mala voluntate*: Et septima, *desperatio de venia quia nescit utrum salvabitur, an non*) Resp. ibi non haberi id quod assumitur, sed solum quòd salvabitur propter elcëmosynas factas de bonis justè acquisitis: &, si restituantur ea quæ sciuntur malè acquisita; ex quo non est necessariò consequens, quod nõ salvabitur si non restituantur: cũ sit argumentum ab oppositio antecedentis; & concludendum esset juxta illud, nunquam salvandum, si nunquam fieret restitutio. Vide q. 100. ar. 6. ad 8.

Ad cap. *In litteris*, respondet Navarr. cap. 17. nu. 68. loco verbi, *valeat*, debere legi, *valeant*, ut non ad defunctum, sed ad hæredes referatur. Retinendo autem verbum, *valeat*, sensus erit, defunctum de quo agitur, esse sepeliendum in cœmiterio, & esse restituenda quæ injustè abstulit, ut per orationes quæ ista occasione pro illo fient, liberari possit à pœnis suorum peccatorum.

In Responsione ad quartum notandum est Apostolum 1. ad Cor. 15. istis verbis, *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* hunc sensum verisimiliùs intendisse, si omninò resurrectio mortuorum non est; quem fructum habebunt illi qui baptizantur jam jam morituri? nam, *pro mortuis*, idem ibi est, quod pro statu mortuorum, seu pro statu quem jam nunc morientes sunt habituri. Vide Epiphanium hæresi 28.

Circa Responsionem ad quintum, cùm una Missa tantùm valeat quantum altera ex parte sacrificij; quod autem ex parte orationum deest in una, suppleri possit in altera per devotionem, aut celebrantis, aut jubentis Missam fieri, aut per intercessionem sancti de quo celebratur: dicendum videtur quod Sacerdos quamcumque Missam dicens satisfacere possit, etiamsi sit rogatus dicere de Requiem. Id significant Rubricæ Missalis §. 4. ubi cum habetur quod Missæ votivæ possint dici ad libitum Sacerdotis privatim celebrantis, quando non est duplex; additur, id tamen non esse passim faciendum, sed quoad fieri potest Missam cum officio debere convenire. Unde obligatus dicere Missam de requiem, convenienter dicet Missam dici; immò convenientiùs, si est duplex aut Dominica.

Cęterùm hęc intelligenda putamus, salvis altaribus illis privilegiatis, ubi Pontifex tanquam opus

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad consequendam indulgentiam præscriptum, requirit Missam determinatam: si enim requirit de Requiem, ea dicenda est, & non alia; quia ad indulgentias non sufficit opus æquivalens, sed præstandum est illud ipsum quod à concedente præscribitur. Et propterea Dominicis ac festis, præsertim majoribus, non sunt adeunda ejusmodi altaria pro indulgentijs, sed ea potius in quibus certa Missa non præscribitur. Vide Rodriquez to. 2. qq. 9. Regul. q. 97. ar. 6. & Hieron Rodericum Resol. 77. num. 70.

### Articulus X.

*Utrum indulgentiæ Ecclesiæ prosint mortuis.*

VIDETUR quod non. Indulgentiæ enim illis solis prosunt, quibus ut prosint proprij judices specialiter indulserint, ait Alex. 3. cap. *Quod autem*, tit. De pœnitentijs & remiss. Pontifex autem qui indulgentias concedit, non est judex eorum qui sunt in purgatorio.

Sed contra, quod eis prosint, non solum per modum suffragij, sed etiam per modum absolutionis: Probatur Primò, quia cum mortui in purgatorio existentes, non sint consecuti terminum; adhuc sunt viatores, per fidem ambulantes: omnes autem viatores fideles subsunt potestati pontificis.

Secundò, Axioma juris habet, delinquentem sortiri forum ratione delicti: cùm ergo mortui peccaverint quando hîc erant, possunt hîc absolvi.

Tertiò, Ecclesia excommunicat, & ab excommunicatione absolvit mortuos; ergo censet eos subesse suæ jurisdictioni.

Pro Responsione sit

### Conclusio I.

*Ad fidem pertinens.*

INDULGENTIÆ prosunt defunctis in purgatorio existentibus, si in forma indulgentiarum fiat expressa mentio quod etiam illis concedantur. Probat id in primis Pontificum Romanorum declaratio & consuetudo.

Fuisse olim consuetudinem Ecclesiæ, ut faceret prædicari crucem, idest, expeditionem cruciatam, cum indulgentia pro euntibus ad illam expeditionem, ac etiam interdum pro alijs animabus tam vivorum quam mortuorum testatur B. Thom. hîc argumento 1.

Gabriël in additione ad lectio. 57. super Canonem refert se vidisse declarationem Sixti 4. qua declarabat indulgentias proficere per modum suffragij, etiam animabus in purgatorio existentibus, dum ad ipsas per summum Pontificem expressè extenduntur.

Adjungit deinde Innoc. 8. extendisse ad contribuentes pro cruciata, eas indulgentias, quas Pius 2. & Sixtus 4. concessas visitantibus Ecclesiam Xantonensem, & fabricæ ejus contribuentibus, ad animas in purgatorio per modum suffragij extenderant. Tum addit, similiter Calixtus Papa tales indulgentias dedit in Hispania Ecclesiæ Tyrasinensi, ut quidem apud Gabriëlem legitur.

Paschalem quoque ejus nominis, primum, aliosque Pontifices pro mortuis indulgentias concessisse, tum ex eodem Gabriële, tum ex B. Thoma, hic art. 1. tum ex alijs doctoribus constat, nisi quod apud Gabriëlem vitiosè legatur, *Pascasius quintus* pro *Paschalis primo*.

Leo decimus in Bulla, quæ apud Cajetanum (cui legationem pontificiam agenti est missa) 3. parte qu. 48. ar. 5. exstat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ decernit ab omnibus teneri & prædicari debere, quod indulgentiæ per Pontificem Romanum concessæ sive vivis sive defunctis, valeant eis ad remissionem pœnæ.

Hujus doctrinæ fundamentum est, quod fideles defuncti sint nobiscum ejusdem corporis mystici membra per fidem & charitatem colligata: Cùm enim hæc sit ratio, cur privati suffragia & satisfactiones suas possint applicare defunctis, utpotè membris ejusdem corporis: quare non posset summus Pontifex eis applicare satisfactiones Christi & sanctorum; cùm ipse sit dispensator thesauri, & thesaurus sit pro corpore mystico totius Ecclesiæ nondum triumphantis? *Non est aliqua ratio*, ait hic B. Thomas, *quare Ecclesia possit transferre communia merita quibus indulgentiæ innituntur, in vivos, & non in mortuos.*

Dictum est in conclusione, *si in forma* &c. quia etsi quilibet possit opus proprium applicare cui voluerit, atque ita satisfacere pro illo; indulgentiam tamen nemo potest applicare ad aliquem, nisi ex intentione concedentis: quia privatus quisque non est dispensator Thesauri satisfactionum Christi & sanctorum, sed Pontifex, qui indulgentiam concedit.

### Conclusio II.

*Quo modo indulgentiæ valeant defunctis.*

INDULGENTIÆ non valent defunctis per modum absolutionis, sed solum per modum suffragij. *Sensus est*, indulgentias non ita valere defunctis, quasi ipsi per Pontificem illas concedentem judicialiter absolvantur à suis pœnis, propter satisfactiones Christi & sanctorum; sed per modum auxilij ecclesiastici, id est, eo modo quo auxilium ecclesiasticum potest impendi defunctis. Quod cùm trifariam fieri possit; vel per opera pia merendo liberationem eorum, de congruo; vel per orationem, eam impetrando, vel per passiones, satisfaciendo: cumque indulgentia ut talis, nec sit meritoria, nec impetratoria: consequens est indulgentiam valere defunctis *per modum suffragij* satisfactorij, id est, eo modo quo suffragium satisfactorium prodest, scilicet per modum solutionis, satisfaciendo nimirum pro illis, & pœnas ab eis debitas solvendo de satisfactionibus Christi & sanctorum, in Ecclesiæ Thesauro reconditis, quæ à Pontifice offeruntur Deo in compensationem. Ita Navarr. in commentario de indulgentijs 22. notabili, num. 21.

*Quid est per modum suffragij.*

Sicut ergo, cùm quis dat eleëmosynam, vel jejunat pro defuncto, non absolvit eum à reatu pœnæ, sed offert Deo satisfactionem, ut Deus illam acceptans liberet defunctum à pœna quam debet: Ita Pontifex non absolvit animas defunctorum, sed offert Deo ex thesauro satisfactionum, ut illis acceptatis liberentur.

Multum tamen interest inter modum quo Pontifex indulgentiam extendit ad defunctos, & eum quo quilibet fideles possunt per opera satisfactoria eis suffragari, nam hi nulla jurisdictione vel authoritate utuntur; Pontifex autem utitur potestate clavium, & authoritate non quidem judiciaria, sed dispensatoria, quam habet in thesaurum, quemadmodum si princeps de thesauro depromeret pro libe-



liberatione captivorum eorum qui sunt membra communitatis, ad quam ille thesaurus pertinet.

Prior pars conclusionis probatur, quia defuncti non subsunt jurisdictioni Pontificis, cùm is non possit eos citare, ad obediendum urgere, causas eorum cognoscere.

Confirmatur. Pontifex non habet authoritatem nisi in oves quas Joannis 21. suscepit pascendas: mortui autem non comprehenduntur sub nomine istarum ovium, cum Pontifex nullum eis nec vitæ nec doctrinæ pabulum præbere possit.

Adde, quod potestas Apostolis concessa solum est ad ligandum & solvendum eos qui sunt in terra superstites, nam aliquid *solvere vel ligare super terram* Matth. 16. & 18. est potestatem ligandi vel solvendi exercere circa homines in terra viventes, ut quibusdam videtur ex Gelasio cap. *Legatur* 24. qu. 2. Alij tamen probabilius putant quod solvere vel ligare super terram, sit actus solutionis & ligationis facere super terram, ut sit sensus: Quoscunque actus solutionis & ligationis feceris super terram, illi erunt rati in cœlo, hoc est, apud Deum.

Sciendum autem quod per solutionem non intelligatur solus actus absolutionis propriè dictæ, sed generaliter quæcumque remissio, dispensatio relaxatio, absolutio, sicut etiam per actum ligandi generaliter intelligitur ligatio per legem, per decretum fidei aut morum, per excommunicationem, per pœnitentiæ injunctionem &c.

Posterior pars ex priori sequitur, tantum enim sunt duo modi concedendi indulgentias, scilicet per modum absolutionis, & per modum solutionis sive suffragij; quo posteriore expressè communiter utuntur Pontifices, quando eas ad mortuos extendunt; ut tum ex Gabriële, tum ex Bulla Leonis 10. patet. Si quando autè simpliciter concedunt; intelligendi sunt concedere per modum suffragij, quia mens eorum est concedere eo modo quo possunt.

### Conclusio III.

PROBABILE est indulgentias non prodesse defunctis per viam justitiæ, quasi Deus teneatur eas acceptare ad relaxandas ipsorum pœnas: non videtur enim ad hoc se per aliquam promissionem obligasse; neque dedit suis vicarijs jurisdictionem absolvendi defunctos, sed solùm dedit authoritatem in thesaurum Gratuitò igitur & misericorditer acceptat satisfactiones sibi ex thesauro Ecclesiæ pro defunctis oblatas: ea tamen acceptatione posita, rectè dicitur intervenire justitiam: justa enim pœnarum, quas defuncti subire deberent, compensatio fit per satisfactiones de thesauro Ecclesiæ oblatas; quia pœna unius (in primis autem Christi Domini) computatur alteri. Ita sentit Estius in 4. d. 20. § 11. & hanc sententiam Bellarmin. li. 1. de indulgentijs cap. 14. vocat valde rationabilem. Confer B. Tho. qu. 25. art. 1. ad 1. & 3. art. 2. in corp. & hujus qu. art. 6. ad 2. & 3.

### Conclusio IV.

INDULGENTIÆ, positis omnibus requisitis, prosunt defunctis infallibiliter: quia nullum est impedimentum ex parte defunctorum, cum sint in gratia confirmati; neque ratio apparet ex parte Dei, cùm & alia Ecclesiæ suffragia quæ fiunt pro defunctis, semper acceptet; ut testatur Augustinus Ench. c. 110. & l. de cura pro mortuis agenda c. 1. & 4. Hanc esse mentem B. Thom. probari facilè potest.

Primò, quia qu. 25. art. 2. nullam facit distinctionem quantum ad efficaciam indulgentiæ vivis & defunctis concessæ.

Secundò, quia non laboraret alioquin in ostendendo quomodo Pontifex non possit pro libito evacuare purgatorium; neque necesse illi fuisset confugere ad necessitatem causæ convenientis; cùm in promptu esset dicere, indulgentias non semper valere defunctis, sed solùm, quando divinæ benignitati visum fuerit.

### Conclusio V.

UT indulgentiæ valeant defunctis, Primò requiritur quod sint datæ per summum Pontificem: quia solus ille habet absolutam commissionem dispensandi thesaurum; Episcopi verò solùm possunt facere indulgentias secundùm mensuram eis à Pontifice taxatam, ait B. Thomas qu. 26. art. 3. *Requisita ad indulgentiæ.*

Secundò, requiritur causa justa & proportione quadam respondens magnitudini indulgentiæ; secundùm ea quæ de indulgentijs vivorum dicta sunt qu. 25. art. 2. & secundùm quod S. Doctor hîc ait Prælatum Ecclesiæ non posse pro suo arbitrio animas à purgatorio liberare: *quia ad hoc ut indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens indulgentias faciendi.*

Tertiò, requiritur ut opus præscriptum adimpleatur juxta mentem præscribentis. An autem vivus qui adimplet, necessariò debeat esse in statu gratiæ; quæri potest. Conformiter ijs, quæ art. 1. qu. 27. diximus, probabile est quod non, nisi in diplomate indulgentiarum id exprimatur.

Quartò, requiritur ut defunctus sit in statu gratiæ. Ut autem dum viveret, singularem habuerit devotionem ad claves Ecclesiæ, studueritque mortuos suffragijs adjuvare, & pro peccatis suis satisfacere, quod Cajetanus requirit; non omninò requiritur: quemadmodum ex illis quæ ad articulum 1. qu. 27. diximus, potest ostendi.

Si dicas Augustinum locis ante citatis, dicere suffragia solum prodesse illis qui cum viverent, ut *hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt.* *Ob.*

Resp. omnes in gratia defunctos hoc meruisse. Ad hoc enim meritum nihil aliud requirit Augustinus, quam ut usque in finem perseveraverint in gratia, quæ est fundamentum communionis inter membra Ecclesiæ. Unde non alias animas excludit à fructu suffragiorum, quam damnatas ad pœnas inferni æternas. *Resp.*

### Conclusio VI.

ETSI indulgentiæ quantum ad consolationem & gaudium spirituale prosint omnibus defunctis, eò quod omnes in charitate existentes de bonis aliorum gaudent; quantum tamen ad satisfactionem & liberationem à pœnis, tantum prosunt illis quibus applicantur à concedente. Hic est enim sensus fidelium, & hæc natura satisfactionis, ut pro uno facta, illi particulariter prosit. *Indulg. solum juvant eos quibus applicantur.*

Ad 1. Argum. Resp. Pontificem loqui de indulgentijs quæ dantur per modum absolutionis. Pro ratione enim addit, *quod nullus a non suo judice ligari possit vel absolvi.*

Ad 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ad 2. Defuncti in purgatorio existentes *sunt in statu vie quantum ad aliquid*, ait B. Tho. art. 2. ad 3. quatenus scilicet nondum sunt consecuti terminum retributionis æternæ: non sunt tamen simpliciter viatores; quia nec possunt transmutari secundùm statum felicitatis & miseriæ; nec progredi, merendo, vel demerendo. Soli autem ejusmodi viatores subjiciuntur jurisdictioni Pontificis.

Ad 3. Ecclesia propriè, neque excommunicat, neque ab excommunicatione absolvit mortuos, sed declarat quæ sententia potuisset in eos ferri dum viverent, & prohibet aut promittit fidelibus ut pro illis orare, & sacrificia possint offerre, & sacra sepultura eos donare. Confer ea quæ diximus ad articulum quartum quæst. vigesimæ secundæ.

### Articulus XI.

*Utrum cultus exequiarum prosint defunctis.*

Videtur quod non. Cap. enim *Sacris*, titul. de Sepulturis, expresè dicitur quod non obsit justis sepultura nulla vel vilis.

Quod etiam non sit opus meritorium, ex eo videtur ostendi quod inter opera misericordiæ, Christus Matth. 25. nullam fecerit ejus mentionem. Pro Resp. sit

### Conclusio I.

*Sepultura est bona:*

Corporis humani sepultura est res bona, & tum vivis, tum defunctis utilis: Commendatur enim ut opus misericordiæ, 2. Reg. 2. & laudatur Tobias mortuos sepeliens, Tob. 12. similiterque illi qui sepelierunt Dominum Joanni 19. & Stephanum Act. 8.

Idem probant exempla Patriarcharum, aliorumque justorum, qui de sua & suorum sepultura fuerunt solliciti Gen. 23. 49. 50. & alibi.

Quin & hoc opus sibi esse acceptum, Deus per miracula declaravit; ut est in vita S. Pauli Eremitæ, & in historia de inventione S. Stephani.

Deinde, si barbarum est ac inhumanum mortuorum corpora insepulta abjicere; humanitatis est ea sepelire.

*Et viventibus utilis.*

Utilitatum verò quas vivis adfert sepultura; Prima est, quod per eam horror ac fœtor cadaverum arceantur.

Secunda, quod viventes ita satisfaciant affectui quem habuerunt in defunctos, si enim paternam vestem vel annulum diligenter custodimus: quantò majoré curam corporis paterni habere debemus? Ita etiam exhibent nō sentientibus, quod sibi cùm non sentient; volunt exhiberi, vide August. de cura pro mortuis agenda c. 3. & 9. & B. Thomā hîc ad 3.

Tertia, Quod sic admoneantur propriæ mortis: Unde tumuli defunctorum dicuntur *monumenta* à monendo.

Quarta, quod ita protestentur fidem resurrectionis.

Mortuis autem has utilitates generaliter adfert sepultura.

*Ac etiā mortuis.*

Primam, quod hoc modo consulatur honori corum.

Secundam, quod satisfit desiderio quod habebant cum viverent, ut corpus suum honestè tractaretur. Unde gravis pœna & ignominia censeri solet, privatio sepulturæ. Quæ vero fit *in loco sacro*, has habet peculiares. Primam quod parentes & amici, vel ad eam convenientes, vel sepulchrum postea videntes, ipsius sacri loci conspectu excitantur ad orandum pro defuncto.

Secundam, quod defunctus ita committitur patrocinio Sanctorum, qui sunt patroni istius loci, & etiam patrocinio illorum qui loco sacro deserviunt. Confer August. cap. 4. & ultimo de cura pro mortuis, & Gregorium lib. 4. Dialogorum c. 50.

Tertiam, quod Ecclesiæ preces quibus solemniter dedicantur cæmiteria, cum non sint inanes, particulariter prosint illis qui ibi sepeliuntur.

### Conclusio II.

Exequiarum cultus sive ornatus qui in funere defunctis adhibetur, etsi per se non eis prosit, prodest tamen per accidens, quatenus per eum homines excitantur ad conveniendum, compatiendū, orandum; Vel etiam quatenus ex sumptibus sepulturæ, pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur. Quod *per se* non prosit, probat illud Augustini ejusdem lib. c. 2. *Curatio funeris, conditio sepulturæ pompa exequiarū, magis vivorum solatia sunt quam subsidia mortuorum.* Et cap. ultimo *corpori humando quidquid impenditur, nō est præsidium salutis, sed humanitatis officium.* Vide ad q. 32. art. 2. in 2. 2.

Ad Argumentum Resp. sermonem ibi esse de sepultura *per se* solitariè sumpta: quo modo dixit Augustinus ejusdem lib. c. 9. *Nec obest fidelibus neglecta eorum corporibus sepultura*; quia scilicet ipsa per se nihil facit ad æternam salutem animę: quamvis per accidens ratione precum, sive beatorum, sive fidelium, multum prosit, ut dictum est.

Ad confirmationem Resp. cum Chrysostomo hom. 84. in Joannem, Christum non dixisse; mortuus fui, & sepelistis me, quia homines sponte satis ad sepeliendum propendent, adeò ut superfluitas & ambitio potius reprehendi debeat.

Quamquam Christus non omnino reticuit istud opus misericordiæ: commendavit enim factum mulieris ipsum ungentis, dicens Matth. 26. *Opus bonum operata est in me: mittens enim unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit*, quod intellige non quasi formaliter & ex intentione id fecerit ad sepeliendum Christum: sed velut per compensationem; quasi diceret, quod mortuo sepeliendo impendere volet nec poterit, id nunc fecit.

In ultimo argumento observandum est Dominum Matth. 10. & Lucæ 12. dixisse, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant:* quoniam quidquid facere permittuntur, nihil est quo minuatur Christiana defunctorum fœlicitas: nihil inde ad sensum pervenit: nihil ad detrimentum ipsorum corporum, quo minus integra resurgant, pertinet. Ita Augustinus cap. 6. De cura pro mortuis agenda.

### Articulus XII.

*Suffragia illi peculiariter prosunt pro quo fiunt.*

Art. 12. docet suffragia quæ pro uno defuncto fiunt, prodesse quidem alijs quantum ad interiorem consolationem, qua in charitate existentes, gaudent de diminutione pœnæ alterius: simpliciter tamen magis valere ei pro quo fiunt, imò illi soli valere; quia suffragiorum valor maximè attenditur per modum satisfactionis; satisfactio autem facta pro uno liberat eum, & non alium. Huc pertinet condemnatio artic. 19. Joannis Wicleff. facta in Concil. Constantiensi sess. 8. quo dicebat orationes specialiter uni applicatas non plus ei prodesse, quam generales.

De his, ut & de Responsione ad 1. videantur quę diximus 3. parte quæst. 83. art. 1. quæsito 16.

In responsione ad secundum respondet aliquos defun-



defunctos magis quam alios meruisse juvari per suffragia vivorum, quatenus reddiderunt se magis habiles ad recipiendum, fructum eorum, si fiant.

*Ob.*

Si dicas, opera bona non mereri conditionaliter, sed absolutè:

*Resp.*

Resp. ea mereri absolutè præmium essentiale; præmium verò accessorium, solum conditionaliter, quo modo qui membrum est alicujus communitatis meretur participare privilegia ejus accidentaria, non absolutè, sed si qua sint, aut fiant.

Ex his & præcedentibus sequitur non omnes in gratiā defunctos, ne quidem eos qui æqualiter juvari meruerant, æqualiter adjuvari suffragijs viventium: quia licet omnes participent de illis quæ communiter fiunt pro omnibus; contingit tamen plura specialia fieri pro uno, quam pro alio, ut pro divite plura quam pro paupere; atque ita conditionem merito annexam in uno plenius impleri quam in alio: & hac ratione divites sunt melioris conditionis quam pauperes, ait B. Thomas ad 3. sed hoc quasi nihil est comparatione beatitudinis essentialis, quæ respondet quantitati charitatis tam in paupere quàm in divite.

### Articulus XIII.

Art. 13. probat suffragia pro multis facta non tantum valere singulis, ac si pro unoquoque specialiter fierent: quia habent vim satisfactivam finitam, quæ proinde ex divina justitia dividitur inter illos, pro quibus suffragia fiunt. Confer dicta ad q. 83. ar. 1. quæst. 16. in 3. part. & 2. 2. q. 83. ar. 8.

### Articulus XIV.

Art. 14. consequenter docet suffragia communia non tantum prodesse illis pro quibus non fiunt specialia, quantum alijs prosunt communia & specialia simul; eò quod suffragium pro uno factum non indifferenter prosit omnibus, sed maximè illi pro quo fit specialiter.

## Quæstio LXXII.

*De oratione respectu sanctorum qui sunt in patriâ.*

### Articulus I.

*Sancti nostras preces cognoscunt.*

*Videtur* quod non. Primò, quia *mortui nihil noverunt amplius*, Eccles. 9. & 1. ad Corinth. 2. *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est:* Similiterque Job 14. de homine mortuo dicitur, quod *sive nobiles fuerint filij ejus, sive ignobiles, non intelliget.*

Secundò, Greg. Nazianzenus in fine orationis 11. *Si quid eos quoque qui tibi à nobis habentur honores curas, atque hoc premij Sanctis animis contingit ut istæ sentiant: nostram quoque orationē suscipias, velim.* Ubi Greg. dubitanter loquitur, An sancti nostras preces cognoscant: similemque dubitationem exprimunt Origenes sub initium l. 2. in epistolam ad Romanos, & August. in fine lib. de vera religione.

Tertiò, Augustinus sermone 171. De tempore, *Nullus*, ait, *respondet de janitoribus, quia omnes tenuerat somnus; non Angeli, non Archangeli, non prophetæ, non ministri.* Quibus addi possunt quæ ex lib. de cura pro mortuis, solent objici.

Quartò, Non est verisimile omnes sanctos quando unus dicit, omnes sancti orate pro me, cognoscere illam ejus orationem; ac multò minus probabile est, omnes tunc peculiariter pro illo Deum orare.

*Sancti nostras preces cognoscunt.*

Responsio certa est, Sanctos cum Christo regnantes cognoscere preces viventium, quæ ad eos diriguntur.

De Angelis, aperta est scriptura Tobiæ 12. ubi Raphaël dicit, *Ego obtuli orationem tuā Domino:* & Apoc. 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Eodemque pertinet quod pœnitentiam peccatoris cognoscunt, Lucæ 15. quod hominem custodiunt in omnibus vijs; id est, actionibus suis, Psal. 90. quod in conspectu Angelorū psallamus, Psal. 137.

De Sanctis animabus idem probatur.

Primò, quoniam Apoc. 5. unus de senioribus legitur dixisse S. Joanni, *Ne fleveris, Ecce vicit leo de tribu Juda* &c. Et cap. 11. 18. 19. viginti quatuor seniores, Apostoli, prophetæ, & turbæ multæ in cœlo ostenduntur Sancto Joanni tanquam cognoscentes statum Ecclesiæ militantis.

Secundò, sanctis adhuc mortalibus per divinam revelationem innotuerunt ea quæ in illorum absentia gerebantur, etiam occultissima, 1. Reg. 9. 4. Reg. 5. & 6. & Act. 8. multò igitur magis existimandi sunt nunc ea cognoscere quæ à nobis fiunt ad eos pertinentia, quando corporeis vinculis soluti, Deo clarè viso perfruuntur.

Tertiò, Abraham nondum beatus audivit preces Epulonis in inferno jacentis. Lucæ 16. quantò igitur magis nunc in cœlo beatus audit preces fidelium ipsum invocantium?

Quartò, Sancti in cœlo præfecturam quandam habent super homines mortales, ad eos regendos ac gubernandos. *Sicut Angeli præsunt, ita & hi qui vitam meruerint Angelorum*, ait Ambr. in fine l. 8. in Lucam; Id quod servo fideli Lucæ 19. dicitur, *Eris potestatem habens super decem civitates*, interpretans de præfectura super animas. Cui simile est, quod Apoc. 2. dicitur; *Qui vicerit, dabo ei potestatem super gentes &c.* Præfecturæ autem ratio exigit, ut præfectus cognoscat actiones eorum quibus præficitur.

Quintò, sententiam hanc unanimiter tradunt veteres, Origenes homil. 26. in Numeros, & hom. 16. in Josue. Nazianz. orat. 21. Ambr. lib. de viduis post medium, Hieron. epist. 29. August serm. 94. de diversis, Leo serm. 1. in anniversario suæ assumptionis, Greg. lib. 12. Moralium cap. 13. lib. 2. cap. 3. & lib. 4. Dialogorum c. 33. Bernardus epist. 78.

His & ratio suffragatur, cùm enim videant divinam essentiam, & sint quoad animam perfectè beati; consequens est eos cognoscere illa quæ ad ipsos pertinent; cujusmodi sunt preces fidelium eos invocantium.

Accedit quod beati sunt *sicut Angeli Dei in cœlo*, Matth. 22. *æquales Angelis*, Luc. 20. eademque est *mensura hominis quæ est Angeli*, Apoc. 21. Cum ergo Angelos cognoscere hominum præces, certum sit; certum quoque esse debet, quod & homines beati seu beatorum animæ illas cognoscunt.

Cæterum, An fide Catholica certum atque ut fidei Articulus tenendum sit, quod animæ beatæ cognoscant preces quas homines hîc ad eas fundunt, alia quæstio est.

Pesantius 1. p. q. 12. dub. 7. asserit esse de fide. At Bellarm. l. 1. de beatitud. cap. 20. docet quidem esse certum; sed de fidei certitudine nihil; addens nihilominus nullo solido fundamento probari sanctos non cognoscere preces nostras. Similiter Vasquez 1. p. disput. 50 cap. 9. solum ait Ecclesiam certò sibi persuadere nostras preces esse sanctis cognitas.

Estius

Universidad de Deusto
Biblioteca



Estius autem in 4. d. 45. §. 18. primò dicit consentaneum esse quod sancti supplicum petitiones non ignorent: Deinde, plus quam probabile esse, quod eas cognoscant. Tum addit: *Quamvis autem Tridentini Concil. Patres, istud tanquam rem fidei definire noluerint, docent tamen sess. 25. eos impiè sentire qui asserunt stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare.* His addi potest non extare ullam apertam scripturæ sententiam, aut evidentem traditionem, vel Ecclesiæ definitionem quæ certò statuat ac decernat rem istam velut dogma fidei; etsi ejus veritas non sine maxima temeritate possit negari, sanctis patribus, scholasticisque Doctoribus conformiter sacræ scripturæ docentibus ita esse, quod sancti preces nostras cognoscant: Id quod propterea unicuique orthodoxo, certum ac persuasum esse debet.

Ad 1. Argumentum Resp. *Primo & Tertio* loco significari mortuos naturaliter non cognoscere quid agant vivi. *Secundo*, non aliud significatur, quam naturaliter nulli homini patere arcanum cordis alterius.

Ad 2. Illud *(si)* apud Nazianzenum non est dubitantis, sed asserentis; quo modo Apostolus in epistola ad Philemonem dicit, *Si habes me socium:* Et Dominus Malachiæ 1. *Si pater ego sum.*

Origenes ibi solùm dubitat utrum hominum, vel bonorum, vel malorum spiritus ita nobiscum assiduè versentur, sicut Angeli & dæmones, qui nobis semper adsunt; illi ut ad bonum nos inducant; isti, ut ad malum.

Augustinus ideo velut conditionaliter loquitur, *quisquis in illo manet & potest humanas preces audire:* quia multi manent in Deo qui non possunt eos audire; ut justi nondum beati.

Ad 3. Sermo ille 171. non videtur esse Augustini. Nam quod in eo dicitur Angelos & Archangelos teneri somno, nec nostra curare; nullo modo convenit cũ Augustino lib. 11. de civit. c. 31. asserente quòd *sine difficultate nos adjuvant, quoniam spiritualibus motibus puris & liberis non laborant:* & serm. 7. de tempore; quod *vota nostra ante conspectum divinæ majestatis offerant.* De alio loco vide B. Th. hîc ad 1.

Ad 4. Nullum videtur inconveniens dicere quod omnes sancti cognoscant talem orationem, & pro ejusmodi orent, saltem generaliter.

In Primò argumento ad oppositum verba Gregorij sic accipienda sunt, ut illis significetur sanctas animas nihil nescire eorum quæ pertinent ad ipsarum statum, sive, ut idem Greg. loquitur lib. 2. mortalium cap. 3. *eorum quæ scienda sunt.* Vide B. Thomam q. 8. de veritate ar. 4. ad 8. & in hujus art. responsione ad 4. & quæ nos diximus 1. p. q. 12. art. 8.

Circa responsionem ad primum sciendum est hæc verba populi Israël, Isaiæ 63. *Tu pater noster, & Abraham nescivit nos*, hunc sensum habere, Abraham non habuit nos pro filijs; non diligit, sed adversatur, eò quod ostenderimus Deum. Verba autem Augustini rectè ibidem explicantur, de cognitione naturali animarum separatarum.

Ad Secundum præter Responsionem B. Thomæ, dici potest *videre* accipi pro experiri, seu per experientiam cognoscere. Promittitur Regi Joziæ quòd proximè imminentes calamitates non sit experturus, sed antea per mortem de hoc sæculo sit subtrahendus.

*Sancti preces nostras vident in Verbo.*

Circa responsionem ad 4. & 5. dicendum est modum quo sancti preces nostras, etiamsi nec verbis nec signis expressas, cognoscunt, probabilissimum esse illum quem B. Thom. hoc art. & 2. 2. quæst. 83. art. 4. tradit, nimirum in Verbo.

Neque tamen propterea dicendum existimamus quod ab initio beatitudinis videant omnes omniũ hominum usque in finem mundi futurorum, preces ad se pertinentes; Inde enim sequi videretur quod determinatè cognoscant quando futurum sit judicium; sed *in Verbo* illis tunc demum innotescunt, quando actu fiunt.

Si dicas, B. Thom. 1. parte quæst. 12. art. 10. docere quod videntes Deum per essentiam, *simul* videant omnia quæ in ipso vident. *Ob.*

Resp. cum loqui de illis quæ videntur in Deo illa ipsa visione beatifica qua Deus videtur, preces autem nostras sancti non vident in Deo illa visione qua beati sunt, sed alia, per influxum Verbi clarè visi in ipsos. *Resp.*

Quamvis enim B. Thom. affirmet sanctos vota & preces mortalium videre in Verbo, simul tamen docet quod per revelationem eas cognoscant.

Quæst. 83. ar. 4. ad 2. in 2. 2. *Petitiones*, inquit, *quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt.*

Et q. 8. de verit. ar. 13. *Motus voluntatis & cordis cogitatio non potest cognosci in aliquibus similitudinibus rerum naturalium, sed solum in essentia divina quæ in voluntatem imprimit: & sic Angeli cognoscere non possunt cogitationes cordium directe, nisi in verbo eis revelentur.* Vide quæ ad art. 10. q. 12. diximus in 1. p.

## Articulus II.

*Utrum debeamus sanctos interpellare ad orandum pro nobis.*

Videtur quod non. Primò, quia nemo invocat eum in quem non credit: *Quomodo* enim *invocabunt in quem non crediderunt?* ad Rom. 10. Nemo autem credere dicitur in sanctos, sed solùm in Deum: ergo nemo illos invocare debet.

Secundò, unicus est mediator Dei & hominum, 1. ad Tim. 2. ergo non sine injuria Christi potest aliquis Sanctos invocare: Qui enim eos invocat, tribuit ipsis prærogativam mediatoris.

Tertiò, Apostolus ad Coloss. 2. monet ut nemo eos seducat in humilitate & religione Angelorum, unde & Angelus noluit à S. Joanne adorari, Apoc. 19. & ultimo.

Quartò, Theodoretus lib. 8. de martyribus, dicit martyres pro dijs gentium in templis collocatos, & eorum honores illis attributos; sentit ergo martyres honorari ut Deos, quando invocantur.

Quintò, commentarius Ambrosio adscriptus in cap. 1. ad Rom. Ad Deum (inquit) promerendum suffragatore non est opus, sed mente devota: Quod confirmari potest ex eo quòd Christus sit Patri acceptissimus, ut propterea supervacaneum sit Sanctos interpellare.

Sextò, Augustinus lib. 2. contra Parmenianum ca. 8. *Pro quo nullus interpellat, & ipse pro omnibus, hic unus verusque Mediator est:* Atqui secundũ catholicos, pro sanctis, utpotè jam beatis, nullus interpellat, & ipsi pro omnibus interpellant: ergo sunt veri mediatores, hoc tamen Augustinus ibidem reprobat, dicens de B. Paulo, *Nec mediatorẽ se facit inter populum & Deum. Si enim esset mediator Paulus essent utique & cæteri coapostoli ejus, ac si multi mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio quâ dixerat, Unus enim Deus, unus & mediator.*

Septimò, idem Augustinus lib. 10. De civit. cap. 26. Angelos asserit imitandos potiùs quàm invocandos;



vocandos: & lib. 22. cap. 10. dicit in sacrificio missæ A martyres non invocati à sacerdote.

Octavò, in veteri testamento sancti non invocabantur, ergo nec sunt invocandi in novo.

Postremò, Epiphanius hæresi 79. negat B. Virginem, aliosque sanctos esse colendos: ergo sentit non esse invocandos.

Alia quæ objici solent, videantur tum hîc apud S. Doct. tum in nostro Com. ad 2. 2. q. 83. art. 4.

Resp. est affirm. Responsio ad fidem pertinens, definita in Conc. Trid. sess. 25. est, Sanctos unà cum Christo regnantes utiliter à nobis invocari.

Probat id in primis hæc sententia Job 5. *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorũ convertere,* ideest, aliquem sanctorum Angelorũ B invoca. *Sanctorum* enim nomine illic intelligi Angelos, tradit Augustinus in Annotationibus super istud caput, atque ita verterũt 70. Et quamvis hæc verba non sint à S. Job dicta, sed ab Eliphaz Themanite: ex illis tamẽ ostenditur in more tunc fuisse sanctorum Angelorum patrocinia implorare.

Secundò, sancti adhuc mortales sæpè inveniuntur fuisse invocati ab alijs, etiam viventibus. Exodi 8. 1. Reg. 7. Hieremiæ 37. ad Rom. 15. ad Ephesios 6. 2. ad Thess. 3. & alibi. Quantò igitur magis invocandi sunt jam cum Christo regnantes? Hinc Hieronymus cap. 3. contra Vigilantium, *Si Apostoli & martyres, adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quantò magis post coronas, victorias, & triumphos?* C

Eandem doctrinam confirmat perpetuus Ecclesiæ usus, & continuata traditio. Sanctos enim ab initio invocari solitos, ac specialiter B. Virginem Dei param, probat canon missæ quo utitur Ecclesia Romana; probat & Liturgia S. Jacobi; probant & sanctorum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum testimonia, Cornelij Epist. 1. Athanasij crm. de Deipara; Ephremde laudibus martyrum; Cyrilli Catechesi 5. Mystagogica, Augustini lib. de cura pro mortuis, cap. 4. lib. 7. de Baptismo cap. 1. serm. 17. de verbis Apostoli, serm. 1. 18. 21. 25. de sanctis, & alij, quos videre licet citatos ab ijs qui D de controversijs ex professo tractant.

Accedit & ratio; Dictat enim lex naturæ, ut quisquis indiget, opem petat ab eo qui vult & potest eum adjuvare: Sed Sancti, cùm sint in charitate confirmari, volunt nos adjuvare; & cum diligantur à Deo, habeantque illam ejus promissionem, *Quodcumque petierimus secundũ voluntatẽ ejus, audit nos,* 1. Joan. 5. hoc possunt: ergo sunt à nobis invocandi.

Ad 1. Argumentum Resp. non invocari aliquem ut Deum & authorẽ salutis, nisi in eum credatur: hoc est enim quod Apostoli interrogatio significat; *Quomodo invocabunt* (scilicet nomen Dominí, quod ex præcedentibus est subintelligendũ) *in quem* (scilicet Dominum) *non crediderunt?* Hoc autem modo catholici non invocant sanctos.

Ad 2. Neg. conseq. sicut enim Christo non facit injuriâ, qui viventes interpellat ut pro se orent; E ita nec ille qui sanctos cum Christo regnantes invocat: quia nulli ab eo invocantur, ut fumant partes Christi Mediatoris; sed ut se teneant ex parte nostrâ, nosque adjuvent, orando & intercedendo pro nobis. Partes autẽ Christi mediatores sunt, nos redimere, pretium que redemptionis Deo exhibere ad nostram liberationem, unde apud Apostolum sequitur, *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

*Esse mediatorẽ est Christo proprium.*

Christo igitur proprium est esse mediatorem per modum redemptionis; ac insuper, etiam ratione naturæ: quia solus ipse, cùm Deus sit & homo, medius est inter Deum & hominem; ut observavit Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 10. Vide quæ diximus 3. p. q. 26.

Generaliori autem ratione nihil vetat sanctos dici nostros mediatores. Generaliter enim non solus ille mediator est, qui pretium solvit, & captivum redimit: sed etiam qui creditorẽ vel redemptorem orat pro debitoribus. Hinc Moyses Deut. 5. dicit; *ego sequester & medius fui inter Dominum & vos.* Apostolus etiam ad Gal. 3. dicit legem esse datam *in manu mediatoris,* scilicet Moysi Nazianzenus oratione 6. Martyres vocat mediatores ad Dominum; similiterque Apostolos & prophetas, Cyrillus dicto cap. 10. Thesauri. Bern. etiam serm. 2. in vigilia Nativitatis, Angelos vocat medios inter nos & Deum.

Ad 3. Resp. Apostolum avocare Colossenses à secta eorum, qui de Christi nimis humiliter sentientes, præferebant ei Angelos, eosque honorabant tanquam vel mundi creatores, vel eos quibus mediantibus purgari nos oporteret. Unde addit, *non tenens Caput;* quia is qui Angelos ita honorat, Christo caput non adhæret. Confert Baron. ad annum Christi 60. Chrysostomum in hunc locum dictæ epist. Tertullianum lib. de præscript. cap. 33. Christiani autem, nec Angelos, nec alios sanctos invocant aut venerantur, tanquam Deos, vel tanquam Christo majores aut pares: sed ut intercessores ad ipsum.

Prohibuit nihilominus Joannes Angelus ab honoratione, non latriæ (quam non est ullo modo verisimile S. Joannes voluisse illi exhibere, etiamsi quidam ita existiment) sed dũliæ: ut ostenderet ipsius Joannes dignitatem, quâ per Christum erat Angelis adæquatus. Quemadmodum loquitur B. Thomas 2. 2. quæst. 103. art. 2. ad 1. conformiter Greg. lib. 8. moralium cap. 22. & lib. 27. cap. 11. *Cur Angelus à S. Joanne adorari renuit.*

Quanquam & dici possit verba Angeli, *Vide ne feceris,* non esse prohibentis nec reprehendentis sed modestiam ostendentis. Angelus enim hoc in se considerans quod cum Joanne habebat commune, nempe se esse servum Dei, modestiæ causa renuebat ab Joanne adorari, id quoad nostram instructionem, ne quis homo, quantumvis magnus, facilè patiatur se eximio aliquo honore affici, ne in superbiam erigatur: sed statim sibi proponat id quod habet cum alio commune, nempe se esse hominem, se esse Christianum, & Dei ministrum. Sic Petrus Act. 10. recusavit honorem sibi à Cornelio delatũ, contestatione communis naturæ dicens, *& ego ipse homo sum,* quando Centurio non aliter quam ut hominem Dei ministrum volebat eum honorare.

Denique Responderi potest S. Joannes non voluisse adorare Angelum, sed visum sibi esse quod hoc vellet; Narrat enim B. Joannes suas visiones.

Ad 4. sensus verborum Theodoreti est, Martyres esse pro dijs gentium introductos in eorũ templa, ut omisso Deorum cultu, ipsi honorentur, non quidem illis honoribus quibus Deos suos colebant gentiles; sed tanquam amici & domestici Dei.

Si dicas, eundem Theodoretum in cap. 2. ad Coloss. vitio tribuere illũ cultum Angelorũ, quem & in Phrygiâ & Pisidiâ diu mãsisse asserit; ut propterea debuerit prohiberi à Synodo Laodicena. *Ob.*

Resp. ex Synodi illius can. 35. constare Theodoretum loqui de cultu quo divini honores Angelis exhibebantur. Ita enim illic habetur; *Non oportet* *Resp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Christianos derelictâ Ecclesiâ abire, & ad Angelos Idololatriæ abominandæ congregationes facere.*

Cum autem addit Theodoretus, *In hodiernum usque diem videri apud illos oratoria S. Michaëlis*; non sentit ea esse reliquias cultus Idololatrici, quæ adhuc restent abolendæ, sed significat quod per prudentiam Episcoporum, cultus illicitus conversus fuerit in licitum, qualem decet sanctos; & fana Idolorum, in oratoria Sanctorum. Solere enim templa Idolorum converti in Basilicas & oratoria Martyrum, aliorumque sanctorum, manifestum est tum ex Greg. libr. 2. Dialogorum cap. 8. & lib. nono epistolarum capite septuagesimo primo, tum ex templo Pantheon Romæ converso in templum omnium Sanctorum martyrum. B

Ad 5. Illum commentarium non esse Ambrosij, sed neque hominis Catholici semel iterumque supra monuimus. Verba tamen ex illo objecta sensum habent verum, scilicet Deo non esse opus suffragatore vel interprete qui significet illi vel petitiones, vel petentium merita: quo modo ad Regem per Tribunos & Comites itur.

Ad confirmationem Resp. Sanctos non ideò à nobis invocari, quasi Christus non sit Patri satis per se acceptus, ideoque oporteat per sanctos suppleri id quod ex parte illius defit: sed ut nobis supplicibus se jungant, & quod ex parte dispositionis nostræ deest, suppleant orant nobiscum.

Ad 6. Neg. Minor. sententia enim Augustini C est, esse illum verum ac solum mediatorem qui per seipsum interpellat pro omnibus, non indigens interim ullo qui pro se interpellet, vel per quem interpellet, ejusmodi autem non sunt sancti: nam & Christo intercessore opus habent, & non exaudiuntur nisi per illum.

Cùm deinde negat Augustinus, vel Paulum vel quemquam alium Apostolorum, esse mediatorum, loquitur contra Parmenianum Donatistam; qui dogmatizabat gratiam Sacramenti pendere à bonitate ministri; faciens propterea ministrum mediatorem per modum redemptionis, qui per Sacramentum daret gratiam, si bonus esset; non daret, si malus. D

Ad 7. Remonet Augustinus invocationem quâ Angeli vel martyres invocentur ut dij.

Ad 8. In veteri testamento non in totum ab fuisse invocationem sanctorum, colligi potest ex Gen. 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum, Abraham & Isaac.* Eodemque pertinet illud Exodi 32. *Recordare Abraham, Isaac, & Jacob:* Et Dan. 3. *Neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham* &c. ejusmodi enim sermo invocationem continet implicitam; sicut cum alicui dicimus, *Deus benedicat tibi*; &, cùm rogamus per merita sanctorum nos adjuvari. Idem probari potest per sententiam ex Job 5. E superius allatam. Sanctos quoque olim orasse pro mortalibus apertissimè docet illud 2. Machab. 15. *Hic est qui multum orat pro populo & universa sancta civitate Jeremias Propheta Dei.*

Cæterum, quia sancti veteris testamenti nondum fruebantur visione Dei beatifica: ideoque nec in verbo videbant ea quæ sancti cum Christo regnantes aspiciunt; cumque populus Israëliticus ad idololatriam pronus, facilè declinasset ad honorem divinum, sanctis tribuendum (quod cessat in populo Christiano:) hinc est quod non solerent dicere, sancte Abraham ora pro nobis; quodque non proponeretur eis sanctorum invocatio, sicut Christianus.

Ad Postremum Resp. Epiphanium non negare sanctos esse honorandos tanquam Dei amicos, sed solum tanquam deos. Dicit enim, *Sit in honore Maria: Dominus adoretur.* Confer quæ diximus 3. p. q. 25. art. 3. quæsito 1. ad 6.

In Responsione ad Primum, observa non esse ob defectum divinæ vel potentiæ vel misericordiæ, quod oporteat nos Dei clementiam per sanctos pulsare; sed quia Deus decrevit quædam beneficia nobis non conferre, nisi mediantibus sanctorum invocationibus; idque partim ut servetur ordo universi, ad cujus complementum Deus multa facere vult mediantibus causis secundis, quæ potest absque illis facere, sed non vult; partim ut ipsius bonitas multipliciter diffundatur in creaturas, dum eis varias causalitates communicat. *Cur Deus velit quod oremus sanctos.*

In Responsione ad Secundum, Observandæ sunt variæ rationes, ob quas utile est etiam inferiores sanctos invocare, quamvis sancti superiores sint Deo magis accepti. *Cur sancti inferiores orandi.*

Prima est, quia is qui orat, aliquando majorem habet devotionem ad minorem sanctum quam ad majorem; sive hoc proveniat ex eo quod minor sanctus est ei magis notus, sive quod magis evidenter ejus meritis aliqua beneficia obtinuerit, sive aliunde; ex devotione autem maximè pendet orationis effectus.

Secunda est, ad tollendum fastidium: unius enim rei assiduitas citò in hac valle miseriæ fastidium parit; per hoc autem quod diversos sanctos invocamus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur, & sic non oritur fastidium.

Tertia; quia quibusdam sanctis datum est specialiter patrocinari in aliquibus causis specialibus; sicut Antonio ad ignem infernalem, ait hîc B. Thomas; ac etiam ad ignem pestilentialem, ut docet Molan. cap. 59. depicturis. Quam utramque causam complectitur hæc Collecta quæ in veteri Missali Morin. & in alijs quibusdam reperitur: *Deus qui concedis obitentu B. Antonij Confessoris tui morbidum ignem extingui, & membris ægris refrigeria præstari: fac nos propitius ipsius meritis à gehennæ incendijs liberatos, integros mente & corpore tibi feliciter in gloria præsentari.*

Similiter Sebastiano Adriano, Rocho, Nicolao Tolentinati datum est patrocinari contra pestem; Huberto contra morsus canis rabidi; Blasio contra malum gutturis; Apolloniæ contra malum dentium; Barbaræ ad impetrandum ne quis moriatur absque confessione; Drogoni contra calculum: & sic de multis alijs: quorum quidem aliqua ratio potest subinde dari, veluti quod Blasius in vita puerum sanaverit qui transversa spina faucibus inhærente animam agebat, quod Apolloniæ fuerunt propter Christum per Tyrannum dentes contusi & convulsi, quod Rochus hîc vivens peste laborans miraculosè curatus fuerit pesteque laborantes ipse curaverit: Vera autem omnium causa in secreta Dei judicia est referenda, qui beneficia quæ vult, quibus vult, per quos vult, quando vult gratuitò elargitur.

Quarta causa est; ut omnibus honor debitus exhibeatur à nobis.

Quinta, ut plurium orationibus impetremus quod aliquando non obtineremus oratione unius.

De Responsione ad tertium, vide quæ diximus 3. p. q. 21. art. 1. Examinandum hîc restat quod

QUÆ-



A

QUÆRITUR

*Vtrùm absolutè necessarium sit, sanctos cognoscere nostras preces, ad hoc ut illorum invocatio sit nobis salutaris.*

Ita sentire videntur Valentia tom. 3. disp. 6. q. 2. p. 7. & Suarez l. 1. de orat. cap. 10.

Verisimilius tamen alij negant esse absolutè necessarium. Resp. ést neg.

Hugo Victorinus l. 2. de sacram. p. 16. ca. 11. *Hoc unum* (ait) *certum est, animas sanctorum in secreto divinæ contemplationis constitutas, eorum quæ foris B aguntur, tantum scire, quantum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodesse constat. Nos intercessores quærimus apud Deum. Quid amplius vis? Timesne fortè, non orent, qui semper orant? Quomodo non orabunt pro te, quando tu oras, qui & quando tu non oras, orare tamen non cessant? Si non audiunt inquis, & ego in ventum fundo verba, non audientibus & non intelligentibus loquens: Ecce dicamus, non audiunt sancti verba postulantium, neque ad beatitudinem illorum attinet ista nosse quæ foris aguntur: ecce dicamus, non audiunt;* (quasi diceret, etsi concederetur quod non audiunt:) *Nunquid Deus non audit? quod ergo laboras investigare quid audiunt & quantum audiunt sancti; quos oras; cum ipse Deus C audiat propter quem oras? Ipse videt humilitatem tuam, qui remuneraturus est devotionem tuam; tamen si audiunt; & quantum audiunt, quid est audire nisi scire unum est lumen in quo & audiunt ad percipiendum & vident ad cognoscendum.*

Non absimile est quod Bellarminus ad hoc argumentum hæreticorum; Sancti jam defuncti non cognoscunt viventium preces, igitur frustra invocantur: Respondet l. 1. de beatitud. c. 20. *nec bonam esse consecutionem, nec verum id quod assumitur. Itaque primum consecutio negari potest: nam cum certum sit ex tot Patrum testimonijs & tot miraculis a Deo ostensis, eos qui invocant sanctos exaudiri & impetrare quod petunt: Certè non frustra invocantur Sancti, D etiamsi demus eos non audire neque cognoscere nostras preces, nam aliquis eorum vice fungitur. Sicut non frustra supplicat Regi qui certò scit Regem non lecturum supplicationem, sed aliquem alium ex aula ejus; & nihilominus ita se impetraturum quod petit, ac si Rex legisset supplicationem.* Hæc Bellarminus.

Quibus fere eadem habet Estius in 4. d. 45. §. 20. ostendens pariter quod hæreticorum argumentum solvi possit negatione consequentiæ: & Raphaël de la Torre in 2. 2. q. 83. art. 4. disp. 3. *Etiamsi* (inquit) *Sancti beati nostras orationes non agnoscerent, inde tamen non inferitur quod non orent pro nobis: nam illi bene sciunt nos versari in magnis periculis, & pluribus egere; ergo possunt petere, & petunt auxilium E divinum pro nobis.* Et postea, *nec etiam infertur ex hoc quod beati ignorent nostras petitiones, ipsos non esse utiliter invocandos; nam aliquis v. g. Angelus potest eas Deo præsentare, & satis nobis sit quod Deus ipsas audit.*

Concludendo igitur asserimus Beatos audire seu cognoscere preces nostras; & hoc unicuique debere esse certò persuasum, secundùm ea quæ ostendimus q. 72. art. 1. etsi ad hoc ut sanctos utiliter invocemus, non sit absolutè necessarium quod eas cognoscant.

*Sylv. in III. Part.*

Articulus III.

*Vtrùm orationes sanctorum pro nobis ad Deum fusa semper exaudiantur.*

Videtur quod non. Primò, quia non ita placamus Deum orantes per alios, sicut per nos, ait Chrysostomus in Psal. 4.

Secundò, petunt perseverantiam pro aliquo ipsorum cliente, qui non est perseveraturus. Cùm enim nesciant secretum prædestinationis; nesciunt an is qui eos invocat, & pro quo sic invocante orant, sit prædestinatus necne.

Responsio B. Thomæ, eaque verisimilior est, *Resp.* sanctos pro nobis orantes semper exaudiri; quia *ha- affirm.* *bent voluntatem plenariè conformem divinæ voluntati, etiam in voluto*, ut loquitur B. Thom. art. 1. ad 3. neque *volunt nisi quod in divina voluntate conspiciunt*, ut hîc ad 5. dicit: ergo non petunt, nisi quod sciunt Deum velle ut impleatur. Unde Greg. li. 17. Moral. ca. 7. loquens de beatis Angelis dicit, quod *dum voluntatem divinam semper aspiciunt; quod obtinere non valent, nunquam volunt:* Et Innoc. 3. cap. *Cum Marthæ*, tit. de celebratione Missarum; *cum sint* (ait) *perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt.* Et Prudentius in hymno primo de coronis:

*Nil suis bonus negavit*
*Christus unquam testibus.*

Eodem pertinet, tum quod beatus dici soleatis qui habet quidquid vult, & nihil inordinatè vult: tum quod Beati nihil petant sine conditionibus ad impetrandum necessarijs.

Ad 1. Argumentum Resp. Chrysost. loqui de illis quos cùm tæderet pro seipsis orare, aliorum viventium preces petebant. Si qui autem & pro se orent, & secum alios adhibeant precatores, faciliùs exaudientur.

Ad 2. Neg. Assumptum. Cùm enim sancti habeant suam voluntatem per omnia conformem divinæ, non petunt (ut jam superius dictum est) determinatè aliquid à Deo, nisi quod noverunt voluntatis ejus esse ut impleatur. Confer B. Thomam, hîc ad 5. & art. 1. ad 3. & Cajet. ad 2. 2. qu. 83. art. 4.

Quapropter nemini absolutè petunt donum perseverantiæ, qui non sit perseveraturus. Et quamvis nesciant vel secretum prædestinationis, vel numerum electorum; sciunt tamen illum esse electum, pro quo simpliciter orant ut perseveret usque in finem: quando autem id nesciunt de aliquo; non absolutè hoc petunt pro illo.

In Resp. ad 1. explicat istam ex cap. 6. Apoc. sententiam: *Usquequo* &c. *non judicas:* dicitque illam orationem martyrum non esse aliud quam eorum desiderium de obtinenda stola seu gloria corporis, & societate sanctorum qui salvandi sunt; & consensus quo consentiunt divinæ justitiæ punientis malos. Addi potest illos petere diem judicij ut veniat, quo sciunt & malos esse puniendos, & se immortalia corpora accepturos. Sive, petunt suæ beatitudinis consummationem, & cupiunt impleri Dei justitiam super impios.

In Resp. ad 2. verba Dei ex Jerem. 15. de Moyse & Samuële interpretatur secundùm statum quo fuerunt in hac vita. Ipsi enim leguntur pro populo orantes iræ Dei restitisse, & tamen si illo tempore fuissent, non potuissent suis orationibus Deum placare, propter nimiam populi malitiam. Vide 3. p. q. 86. art. 1. ad 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quod ad Resp. ad 3. dicit de pugna Angelorum ex Dan. 10. confer cum dictis ad 1. p. q. 113. art. 8. & observa nullas eorum preces fuisse repulsas, quia sic petebant ut non aliud impleri vellent quam quod volebat Deus, cujus sententiam expectabant.

Pro sol. 4. Neg. est. Ma. ut & B. Thomas ostendit, & nos declaravimus 1. 2. q. 114. art. 7. Non enim idem est impetrare quod mereri. Deinde, quamvis sancti non mereantur in patria, possunt tamen ex meritis hujus vitæ nos adjuvare. Et hæ sunt solutiones arg. ex mente S. Doctoris.

Pro sol. 5. distinguenda est Min. *Hoc quod vult Deus fieret, etiam sanctis non orantibus*; Si enim Deus absolutè vellet fieri, nullo ad orationes habito respectu verum est quod fiet: At si velit fieri, orationibus intervenientibus, non fiet, nisi illæ interveniant. Vide art. 1. ad 1. B

In resp. ad 6. observa quod viventium suffragia valent defunctis per viam satisfactionis, non similiter preces beatorum.

## QUÆSTIO LXXIII.

### *De signis quæ judicium præcedent.*

### ARTICULUS I.

ART. 1. docet aliqua signa præcessura adventum Domini ad judicium; tum propter judicis dignitatem; tum ut ad ejus reverentiam & subjectionem corda hominum præparentur. C

Quænam vero sint illa signa; non facile sciri posse asserit. Nam quæ leguntur in evangelijs, non solùm pertinent ad adventum Christi judicaturi; sed etiam ad tempus destructionis Jerusalem, & ad adventum quo Christus Ecclesiam suam quotidie visitat. Quæ autem ex Hieronymo adferuntur, rectè dicit ea, & ab Hieronymo non asseri, & valdè parum verisimilitudinis habere.

Ut ergo quod verisimilius est dicamus:

*Primum signum.* PRIMÒ, omnium prædicandum est Evangelium in universo orbe, quemadmodum Matth. 24. prædixit Dominus. Quæ tamen prædicatio non est data ut signum, post quod statim futura sit consummatio sæculi: sed ut signum quod necessariò debeat consummationem sæculi antecedere. Unde Augustinus epist. 78. explicans illa verba Domini, *Tunc veniet consummatio: Tunc veniet*, inquit, *quid est, nisi ante non veniet? Quantò ergo post veniat, incertum nobis est; ante tamen non esse venturum, dubitare utique non debemus.* Eadem est Venerabilis Bedæ sententia in cap. 24. Matthæi. D

*Secundum.* Futura DEINDE est universalis quædam Apostasia, seu defectio, significata per Apostolum 2. ad Thess. 2. his verbis, *Nisi venerit discessio primum.* Hanc enim discessionem interpretatur B. Thomas in commentario, recessum à fide catholica & ab obedientiâ Romanæ Ecclesiæ; eamque præcessuram dicit adventum Antichristi. Quæ tamen non sic futura est universalis, quasi nullus omnino futurus sit, qui & fidem retineat & Ecclesiæ Romanæ adhæreat: sed erit universalis, quia admodum multæ non tantum personæ, sed etiam Regiones & provinciæ fidem & obedientiam illam deferent. E

*Tertium.* TERTIÒ, deinde loco revelabitur, seu palam manifestabitur Antichristus, de quo Apostolus dicto cap. 2. ad Thess. 2.



*Quartum.* Eo Christianos persequente, venient Enoch & Elias: ad quorum prædicationem, sequetur Judæorum conversio.

*Quintum.* POSTEA, Sol, Luna, & Stellæ obscurabuntur ad modicum tempus, & in terris erit præssura gentium, sive magna hominum anxietas, proveniens, tum ex cælestium signorum horribili obscuritate & commotione (nam *virtutes cœlorum commovebuntur*, Matth. 24.) tum ex resonantia maris ac fluctuum.

*Sextum.* DEINDE, Mundus ardebit per ignem conflagrationis, & innovabitur.

*Septimum.* ACTUM, Christus Dominus præeunte ipsum signo crucis, veniet in clangore tubæ. De illo signo vide infra ad q. 90. art. 2.

Mox resurgent mortui: & separabuntur boni à malis, cum discussione meritorum.

POSTEA, Christus pronuntiabit sententiam finalis judicij, ac tandem recipiet justos in regnum; impij verò projicientur in gehennam.

*Ob.* DICES, cùm Christus velit tempus secundi sui adventûs esse ignotum: quomodo præcedent eum signa, quæ secundùm sui rationem ordinantur ad aliquid manifestandum?

*Resp.* RESP. quod per signa diem adventûs Domini præcedentia; significabitur quidem dies illæ appropinquare: sed tamen tempus determinatum manebit ignotum, quoad usque signum crucis palam ab omnibus conspiciatur præcedere faciem judicis: quod signum sub die judicij comprehenditur. Vide Responsionem ad 2.

Ex Responsione autem ad Tertium, nota diversitatem secundi adventûs à primo. *Primus* fuit occultus, nullis quasi signis eum præcedentibus; sed tempus ejus determinatum, fuerat à prophetis cognitum, Dan. 9. *Secundus* erit manifestus, quamvis determinatum ejus tempus ignoretur.

Circa responsionem ad primum,

## QUÆRITUR I.

### *Vtrùm Antichristus venerit, An venturus sit.*

VENISSE docent Hæretici, blasphemantes Pontificem Romanum esse Antichristum. D

PRIMÒ, quia de Antichristo legitur Dan. 11. secundùm lectionem Hebraicam: cui & 70. consentiunt, *Super Deum Patrum suorum non intelliget; & super concupiscentiam mulierum*, scilicet non intelliget, quibus significatur amorem mulierum non curaturus; quod Papa (inquiunt) facit; præcipiendo suis cœlibatum.

SECUNDÒ, Babylon est sedes Antichristi: At qui solus Pontifex Romanus sedem habet in Babylone: ergo solus ipse est Antichristus. Minor probatur, quia ex 1. Petri 5. & ex Apoc. 17. constat Romam esse Babylonem.

TERTIÒ, sanctus Joannes Apoc. 13. affirmat numerum nominis Antichristi futurum 666. hunc autem numerum continet nomen Pontificis: nam *Latinus*, quod idem est ac *Romanus*, habet numerum sexcentorum sexaginta sex, teste Irenæo lib. 5. cap. 30.

QUARTÒ, S. Gregorius prædixit eum futurum Antichristum, qui sibi sumpserit nomen universalis Episcopi: sed hoc nomen sibi, à Phoca Imperatore impetratum, usurpavit Bonifacius 3. ergo.

Priusquam



Priusquam Respondeatur, quædam sunt annotanda. A

*Quid Antichristus.* PRIMUM, quòd Antichristus in scriptura & scriptis Patrum non significat vicarium Christi; sed Christo contrarium; & hoc non quomodocumque, sed sic ut Christo dejecto velit ipse Christus haberi. Ille enim dicitur Antichristus, qui *extollitur supra omne quod dicitur Deus*, 2. ad Thess. 2. qui affirmat, *Ego sum Christus*; Matth. 24. *qui negat Jesum esse Christum.* 1. Joannis 2. *Qui magnificabitur adversùs omnem Deum*; Dan. 11.

SECUNDUM, Antichristum futurum hominem singularem, non autem Regnum, vel sedem Apostaticam eorum qui Ecclesiæ præsident.

*Erit vetus homo.* Probatur *Primo*, ex verbis Christi Joannis 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis:* Ibi enim non opponit Regnum Regnò, vel sectam sectæ, sed personam personæ, Antichristum Christo, quemadmodum Patres intellexerunt, Irenæus lib. 5. cap. 25. Damascenus lib. 4. cap. 27. Chrysost. Aug. & communiter alij. B

*Secundo*, Apostolus 2. ad Thess. 2. dicens, quod *revelabitur homo peccati, filius perditionis*, loquitur de Antichristo: Atqui loquitur de certâ quapiam & singulari personâ; nam (ut observavit Epiphanius hæresi 9.) articuli Græci contrahunt significationem nominis ad unam rem certam: in Græco autem præponuntur articuli: ita ut sicut interpres postea vertit, *ille iniquus*, etiam supravertere potuerit, *Ille homo peccati; ille filius perditionis.* C

*Tertiò*, cùm 1. Joannis 2. dicitur, *Audistis quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt*, priori loco ponitur articulus ut significetur singularis ille Christi adversarius adventare: non autem posteriori, quia ibi indefinitè significantur hæretici.

Eodem pertinent quæ à Patribus dicuntur ad cap. 7. 11. & 12. Danielis: Ad 13. & 17. Apocalypsis. Quæ ab Ambrosio in cap. 21. Lucæ; Ab Hieronymo epist. 151. quæst. 11. Ab Augustino lib. 20. De civitate Dei cap. 12. 13. A Gregorio lib. 32. Moralium cap. 12.

*Ob.* Si dicas, de Antichristo 2. ad Thess. 2. referri quod *mysterium jam operatur iniquitatis*: & 1. Joannis 4. *Hic est Antichristus, de quo audistis quia venit.* D

*Resp.* Resp. verbum *operatur*, sumi passivè, ut sensus sit, iniquitatem Antichristi jam tùm occultè, velut in mysterio agi, & exerceri, per ipsius antecessores hæreticos.

Dicitur autem de Antichristo, quòd *venit*, verbo præsentis temporis: quia omnino venturus est, imò adventat.

Dicitur etiam quòd *nunc in mundo est*, vel spiritus Antichristi, vel ipse Antichristus; propter multos præcursores, qui doctrinis & factis suis viam ei sternunt. E

TERTIUM est, Antichristum futurum purum hominem, non autem diabolum incarnatum; partim, quia hoc sit impossibile, ut indicavimus 3. parte quæst. 3. art. 1. partim quia prorsus indecens, ut affirmat Damascenus lib. 4. cap. 27. Neque in ulla vel scriptura vel traditione fundatum.

*Necdum venit Antichristus.* His præmissis, RESPONSIO CERTA EST, Antichristum necdum advenisse, adventurum autem suo tempore quod à nobis ignoratur.

PRIMÒ, quia priusquam Antichristus veniat, Evangelium prædicari debet in universo orbe: quemadmodum ex Matth. 24. asserunt Damasc. di-



cto cap. 27. Cyrill. Catechesi 15. & Theodoretus in cap. 2. epist. 2. ad Thessal. Quòd autem Evangelium nondum sit in toto orbe prædicatum, experientiâ illorum qui novum orbem adeunt, doceri potest.

SECUNDÒ, Antichristus non veniet nisi prius desolatum & destructum sit Romanum imperium, ut Irenæus lib. 5. cap. 26. Hieron. dicta qu. 11. Chrysostomus in Epi. 2. ad Thessalon. & alij communiter affirmant, probantes tum ex illius Epist. cap. 2. tum ex Dan. 2. & 7. & Apoc. 17. Illud autem quamvis sit diminutum, adhuc tamen subsistit in Romano Imperatore, & quidem diversis victorijs nostro sæculo nobilitatum.

TERTIÒ, præcedere etiam debet generalis Apostasia seu defectio à fide; quam in regnis seu provincijs plurimis nondum accidisse videmus, Deo gratia.

*Romanus Pontifex non est Antichristus.* Ex his consequens est Romanum Pontificem non posse esse Antichristum.

Et confirmatur, tum ex titulis quibus sancti Patres honorant Pontificem Romanum, vocantes eum totius Ecclesiæ caput, Principem, Doctorem, Petram, Fundamentum, Episcopum Episcoporum, Patrem Patrum, Summum Pontificem, Beatissimum, Sanctissimum: tum ex eo quod Hieron. epist. 57. ad Damasum dicit; *Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est*: tum ex sequentibus argumentis.

PRIMÒ, quia Antichristus designatur in scripturis ut unus singularis homo; Pontifices autem Romani sunt plures, alij alijs succedentes.

SECUNDÒ, Antichristus ut ex Daniel. 11. patet, solùm est regnaturus tribus annis cum medio: illi verò multis annorum centurijs, per continuatam seriem præsunt Ecclesiæ.

TERTIÒ, Antichristus veniet paulò ante mundi consummationem, ut patet ex Matth. 24. 2. ad Thess. 2. Apoc. 12. & 20. Pontifices autem Romani Ecclesiam gubernant à temporibus Christi.

QUARTÒ, ille persequetur Ecclesiam & tollet juge sacrificium: Romani Pontifices Ecclesiam regunt, sacrificium propagant, stabiliunt, exornant, & ipsimet offerunt.

QUINTÒ, nomen & character Antichristi nondum innotuit: ergo probari non potest quod is conveniat Romanis Pontificibus.

SEXTÒ, Antichristus venturus est præsertim propter Judæos, estque ex Judæis nasciturus: (neque enim illi reciperent pro Messia eum qui non esset Judæus:) Pontifices autem Romani à multis jam sæculis nulli sunt ex genere Judaico.

SEPTIMÒ, Antichristus ut habetur 2. ad Thess. 2. *sedebit in templo Dei*; quod secundùm veteres, Irenæum lib. 5. cap. 30. Cyrill. Catechesi 15. Hilarium can. 25. in Matth. Ambr. in cap. 21. Lucæ, Damasc. lib. 4. cap. 27. intelligitur Judaicum, ab ipso scil. Antichristo taliter qualiter reædificandum: in hoc autem nullus Romanorum Pontificum sedem habuit.

OCTAVÒ, Antichristus *ostendet se tanquam sit Deus, & extolletur supra omne quod dicitur Deus*, 2. ad Thess. 2. Romani autem Pontifices tantùm abest, ut se vel Deos faciant, vel ut Deos honorari velint; quin potius se Christi servos ac vicarios profitentur, ei se submittentes, & recognoscentes omnem potestatem quam habent, ab eo descendere. Ac proinde honor quem sibi permittunt exhiberi, sive cum humeris gestantur, sive cum pedibus eorum oscula figuntur, neque est latriæ, neque duliæ, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca



veneratio quædam honoraria longè inferior, & A quæ non exhibetur illis nisi propter Christum, cujus sunt Vicarij.

Nonò, Antichristus veniet *in signis & prodigijs mendacibus:* Pontifices autem Romani, complures quidem claruerunt veris miraculis, sed nulli venerunt in falsis & mendacibus signis.

Decimò, Si Papa est Antichristus: ergo Christus commisit oves suas lupo, quando Petro Petrique successoribus dixit, *Pasce oves meas:* Item, Christus non fuit exauditus, quando rogavit ut *non deficeret fides Petri:* Item, falsò promisit quod *portæ inferi non prævalerent adversus Ecclesiam*, quæ omnia non tantum absurda sunt, sed & blasphema.

Ad 1. Argumentum, imprimis Resp. Pon- B tificem non præcipere cœlibatum, nisi illis qui aut legem continentiæ susceperunt, aut ad eam voto se astrinxerunt. Quod idem feciſſe Apostolos, q. 53. art. 3. probavimus.

Ad scripturam verò Resp. quod licet ea secundùm lectionem Hebraicam sensum habeat ambiguum; optimè tamen vertit Hieronymus, *& erit in concupiscentijs fœminarum:* Ad litteram enim sermo est de Antiocho, quem historiæ tradunt fuisse luxuriosissimum.

Deinde, cum Antichristus recipiendus sit à Judæis tanquam ipsorum Messias; & Judæi præter cætera bona, à suo Messia expectent multitudinem uxorum; nullo modo probabile est quod cœliba- C tum sit laudaturus, multo minus præcepturus. Imo nec probabile est quod ipse continenter sit victurus, quamvis credibile sit quod hoc simulabit. Palam ergo finget se amorem mulierum non curare, clam verò erit luxuriosus.

Ad 2. Resp. nos admittere quod nomine Babylonis tam S. Petrus, quam S. Joannes intellexerint Romam, non tamen Christianam, sed Ethnicam, qualis erat Apostolorum tempore, & deinceps usque ad Constantinum; De istâ enim verum est, quod *matèr erat fornicationum & abominationũ terræ*, id est, totius Idololatriæ; quod *ebria de sanguine martyrum* Jesu; quod *omnium gentium*, ut loquitur S. Leo serm. 1. in natali Apostolorum Petri & D Pauli, *serviebat erroribus.* Postea verò, *cum scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione delevit*; ut ait S. Hieron. in fine lib. 2. contra Jovinianum, tunc non amplius vocatur Babylon, sed, (ut declarat Rupertus li. 8. de glorificatione Trinitatis c. 5.) *Quædam Sion, & filia superna Jerusalem:* quia mutatis rebus, mutantur & vocabula.

*Ob.* Si dicas ipsum Hieronymum suo adhuc tempore Romam vocasse Babylonem in præfatione ad li. Didymi de Spiritu sancto, ubi ait, *Cum in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus.*

*Resp.* Resp. eum loqui de Româ, qualis aliquando fuit, hoc est, Ethnicâ; ut sensus sit, cum in eâ civita- E te versarer, quæ aliquando fuit Babylon & meretrix illa purpurata, quam S. Joannes in Apoc. describit: frequens enim est, res vocari illis nominibus quæ aliquando habuerunt. Ex his patet Romanum Pontificem non habere sedem in Babylone, sed in ea urbe quæ ex Babylone mutata est in civitatem & Ecclesiam Christi.

Ad 3. Neg. Minor: quia nomen *Latinus*, vel *Romanus*, non est Pontifici Romano proprium, sed commune: Sanctus autem Joannes loquitur de nomine proprio.

Deinde, nec nomen *Latinus*, exactè continet numerum 666. nisi scribatur (contra quam à Græcis scribi solet, quando significat Romanum) λατεῖνος.

Adde, quod licet Irenæus probabiliter dixerit illud nomen *Latinus*, esse nomen Antichristi, eò quod videret Latinos tunc dominari, nunc tamen illa ratio cessat.

Præterea, ipsemet Irenæus adjungit, longè probabilius esse quod nomen Antichristi sit τειτὰν; quod & prædictum numerum in se habet, & est sex litterarum, & divinum esse putatur apud multos.

Denique, cum multa possint inveniri nomina numerum istum continentia, tutius est cum eodem Irenæo & alijs, fateri quodnam futurum sit illud nomen nos nescire, quàm temerè aliquid definire.

Ad 4. Neg. Assumptum. Greg. enim li. 4. epist. 38. significat eum qui nomen istud sibi usurpat, esse præcursorem Antichristi, non ipsum Antichristum.

Deinde, nec ullus Romanorum Pontificum sibi hoc nomen assumpsit, sed Joannes Constantinopolitanus; quem idcirco Greg. acriter reprehendit, asserens Romanum Pontificem illud respuisse, cum à Synodo Chalcedonensi offerretur.

Quia verò nefas est dicere Sanctos illius Synodi Patres, falsum aliquid obtulisse: ideo sciendum est quod Romanus Pontifex sit Episcopus universalis, si ille dicatur *universalis*, qui generalem habet curam totius Ecclesiæ; non est autem universalis, si universalem intelligas eum qui solus est omnium locorum & provinciarum Episcopus, habens alios sub se non Episcopos, sed suos vicarios, quo modo, quia facilè est nomen illud accipere, ideo Greg. nec Romano præsuli voluit attribui, epist. 30. lib. 7. *Quid Episcopus universalis.*

Quod de Bonifacio sumitur, falsum est: non enim aliud à Phoca Imperatore petijt & impetravit, quàm ut authoritate imperiali, contra superbiam Patriarchæ Constantinopolitani, qui suam Ecclesiam primam esse volebat, tueretur primatum sedis Romanæ, statuit ergo Phocas, quemadmodum scribunt Beda in lib. de sex ætatibus ad annum mundi 4565. & Ado in chronico ad annum Christi 604. Ecclesiam Romanam esse caput omnium aliarum, non instituendo, sed declarando & defendendo.

## QUÆRITUR II.

### *Quis, & qualis futurus sit Antichristus.*

Non futurum Neronem, ut quidam existimaverunt, significat Augustinus lib. 20. de civit. cap. 19. & probari potest ex eo quòd non sit verisimile Deum tot annorum spatijs, vel Neronem vivum conservare, vel mortuum ad vitam suscitaturum ante generalem omnium resurrectionem. Adde, certum esse quòd Antichristus futurus sit Judæus, & legalia observaturus, ut tradunt Hieron. in cap. 11. Dan. & Greg. lib. 11. epist. 3. Alioquin non reciperetur à Judæis; quibus tamen Christus dixit, *si alius venerit in nomine suo, eum recipietis*, Joannis 5. Satis etiam certum est quod propter Judæos veniet; quia ipsi expectant Messiam qui futurus sit Rex eorum temporalis; gentiles autem nullum expectant, quamvis ubi advenerit, non pauci etiam eorum, Antichristum sint secuturi.

Quòd nasciturus sit ex fornicatione, traditur à



tur à Damascen. libr. 4. capit. 27. In certum ta- A men est.

Quod ex tribu Dan. quæ idcirco non annumeratur in Apoc. cum his qui salvantur; non quidem certum, est tamen probabile, propter veterum authoritatem, Irenæi lib. 5. cap. 30. Hippolyti tract. de consummatione mundi, Ambros. lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 7. Augustin. quæst. 22. super Josuë, Greg. lib. 31. Moral. cap. 18. & aliorum, partim in cap. 49. Geneseos, partim in cap. 7 Apocalypsis.

Sedem autem habebit Antichristus in templo Jerosolymitano, quemadmodum supra quæsito 1. diximus, sed non solo: credibile enim est quod etiam ad Christianorum Ecclesias transibit, ibique B se ut Deum adorari curabit. Vide Chrysost. in 2. cap. Epist. 2. ad Thess.

*Ob.* Si dicas, Danielem cap. 9. prædixisse quod desolatio templi perseveratura sit usque ad consummationem & finem.

*Resp.* Resp. id propterea dici, quod Antichristus non sit venturus nisi sub finem mundi; quando reædificabitur quidem templum Jerosolymitanum, in eoque utcunque inchoato sedebit Antichristus: sed verisimile est quod non perficietur.

Quod attinet ad reliqua quæ de Antichristo feruntur, satis est nosse ipsum futurum caput impiorum, electissimum diaboli organum, crudelissimum Ecclesiæ persecutorem, signis & prodigijs C mendacibus assiduè utentem.

## QUÆRITUR III.

### *Qui prædicatores sint contra Antichristum venturi.*

Venturum Moysen tradere videtur scriptura Apoc. 11. quando eos qui tunc venturi sunt testes, affirmat habere potestatem super aquas, convertendi eas in sanguinem: quod de Moyse legitur Exod. 7.

Venturum etiam sanctum Joannem Evange- D listam, probatur Primò, quia *oportet iterum eum prophetare gentibus & populis*, Apoc. 10. & confirmatur quia Christus vult eum manere, donec veniat, Joannis 21. & prædixit quod calicem passionis biberet, Matth. 20. quem necdum bibisse videtur, cùm non sit passus martyrium.

Secundò, si contra Antichristum veniat untis ex illis qui fuerunt ante legem, & alter ex ijs qui fuerunt tempore legis: quare non veniret unus ex illis qui fuerunt post legem, tempore gratiæ?

Tertiò, non potest dici quòd Elias veniet: ergo secundus testis erit, vel Moyses, vel Joannes. Antecedens probatur, quia Elias jam olim venit: nam *Joannes Baptista ipse est Elias qui venturus erat*, ait Christus Matth. 11. Et ca. 17. *Elias jam venit*, & E *non cognoverunt eum.* Eodemque pertinet quod Angelus Lucæ 1. tribuat Joanni ea quæ Malachias dicit de Elia; scilicet quod *convertet corda Patrum in filios.*

Quartò, Hieron. in ca. 4. Malachiæ scribit in Elia omnem Prophetarum chorum intelligi: & Epist. 148. spiritualiter intelligendum esse asserit, quod de Enoch & Elia docetur ex Apocalypsi.

Epistola autem 152. dicit Enoch & Eliam ad cœlestia regna translatos, *mutatis glorificatisque corporibus esse cum Christo*, ut propterea non amplius videantur esse mortales.

Responsio veterum, & communis, est: Enoch & Eliam venturos contra Antichristum; qui prædicatione suâ illi se opponant, Judæos convertant, tandemque interficiantur ab eo: Moysen verò, aut Joannem Evangelistam, non venturos.

Probatur Primò, quia Enoch & Elias necdum sunt mortui.

De Enoch patet ex Gen. 5. ubi, cùm de reliquis omnibus dicatur; *& mortuus est*: de illo dicitur, *ambulavit, cum Deo, & non apparuit quia tulit eum Deus, Translatus est*, ut Ecclesiastici 44. dicitur, *ut det gentibus pœnitentiam*; & clarissimè ad Hebr. 11. *fide Enoch translatus est, ne videret mortem.* *Enoch & Elias necdum sunt mortui.*

De Elia, Idem probari potest ex ejus translatione, quæ refertur 4. Reg. 2. ex Ecclesiastici 48. & ex 1. Machab. 2. sub fin.

De utroque, sic Tertull. lib. de anima ca. 30. *Translatus est Enoch & Elias: nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Cæterum morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant.*

Et Hieron. Epist. 61. ca. 10. *Enoch translatus est in carne; Elias carneus raptus est in cœlum: necdũ mortui, & Paradisi jam coloni.* & li. 3. contra Pelagianos ca. 4. *communem mortem, quâ & bruta solvuntur animalia, Enoch & Eliam nondum vidisse cognoscimus.*

Quod autem sentiat eos aliquando morituros, ex Epist. 152. manifestum est, ubi Ecclesiam magis acquiescere dicit huic sententiæ ut omnes communi morte moriamur. Eadem sentiunt Epiphanius in Anchorato, & Augustinus lib. de peccato originali ca. 23.

Cæterum, ubi, & quomodo nunc vivant; incertum est. Aliqui eos collocant in Paradiso terrestri, propterea quod Ecclesiastici 44. Enoch dicatur *translatus in Paradisum*: sed hoc non convincit; partim quia in Græco non exprimitur, *in paradisum*; partim quia paradisus generaliter significat locum amœnum & deliciosum; in quali aliquo hi conservantur ab omni miseriâ & defectu immunes, sed ubi ille sit, ignoratur. Propter vulgatam nihilominus versionem quæ habet illa verba, *in paradisum*; & propter veteres magno numero citatos in scholijs ad Iren. lib. 4. cap. 30. & lib. 5. ca. 5. qui omnino videntur eadem legisse; probabile est eos esse in Paradiso terrestri.

His non obstat quod ad Hebr. 11. de fidelibus inter quos numeratus erat Enoch, dicitur, *juxta fidem defuncti sunt omnes isti*: intelliguntur enim *Object.* *Resp.* omnes præter eum, qui versu ejusdem capitis quinto fuerat exceptus. Vel, omnes isti, intelliguntur Abraham, Isaac, & Jacob, quibus solis facta fuerat promissio terræ Chanaam, complenda in eorum posteris; de quâ promissione loquitur Apostolus; cum dicit *non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes.* Vide B. Thomam in commentario.

Non obstat etiam quod de illis qui *circuierunt in* *Ob.* *melotis*, id est, in pellibus ovillis, cujusmodi fuerunt Elias & Eliæus, in fine ejusdem cap. dicatur quod sub veteri testamento *non acceperunt repromissionem.* Id enim simpliciter verum est, quia beatitu- *Resp.* dinem animæ quæ verisimiliter ibi intelligitur, ut supra indicavimus quæst. 69. art. 2. nullus omnino accepit sub veteri testamento. Utrum autem omnes qui in illo cap. recensentur, eam nunc sub novo testamento acceperint, non dicitur expressè: verum tamen est de omnibus, salvâ unius Enoch, qui supra fuerat exceptus, & alterius, scilicet Eliæ, exceptione: nam de illis verificari non potest

Universidad de Deusto
Biblioteca



quòd sint in fide defuncti; sed potiùs, quòd testimonio fidei probati, legantur fuisse translati.

*Enoch & Elias venturi sunt contra Antichristum.*

Quod autem Enoch & Elias, quos vivere probavimus, venturi sint contra Antichristum probat;

In primis testimonium Domini Malachiæ 4. *Ecce ego mittò vobis Eliam Prophetam antequam veniet dies Domini magnus & horribilis.* Sermonem enim esse de Eliâ Thesbyte, & non de Joanne Baptista, ut quidam volunt:

Probatur *Primò*, quia 70. vertetunt *Eliam Thesbytem*, quasi dicerent ipsum Eliam in personâ, & non in similitudine tantùm.

*Secundò*, quia dicitur, *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*; Joannes autem non est præcursor ante diem magnum & horribilem, quæ est periphrasis diei judicij, sed ante tempus *acceptabile & diem salutis*, quæ est periphrasis primi adventûs Christi.

*Tertiò*, quia dicitur; *ne fortè veniam & percutiam terram anathemate*, quod de primo adventu non potest intelligi; cum in eo Christus non venerit judicare, sed judicari, non perdere sed salvare, Joan. 3.

Secundum scripturæ testimonium est Ecclesiastici ca. 48. ubi manifestè sermo est de Eliâ; & respectu facto ad prophetiam Malachiæ dicitur Elias *esse inscriptus in judicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Jacob.* Unde Dominus Matth. 11. *Elias quidem venturus est; & restituet omnia.*

Tertium est, Ecclesiastici 44. ubi Enoch dicitur in hunc finem translatus *ut det gentibus pœnitentiam.*

Quartum est, Apoc. 11. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt*, hos enim duos esse Enoch & Eliam tradunt Gregor. lib. 9. moral. ca. 4. Isidorus lib. de vitâ & morte sanctorum ca. 3. & 35. Beda & Arethas in Apocal. Commentarius Ambrosio adscriptus in cap. 41. ad Cor. & in cap. 11. Apoc. Prosper in lib. cui tit. Dimidium temporis cap. 15. Rich. Victorinus lib. 3. p. 2. cap. 7. super Apocalypsim: quibus & alij consentiunt; dum concorditer scribunt eosdem in fine esse venturos; Damasc. lib. 4. cap. 37. Hippolytus in oratione de Antichristo, Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 6. Greg. lib. 14 Moral. cap. 12. & communiter illi qui scribunt in Matthæum, aut in 11. ca. Apoc.

Ratio convenientiæ est, quia sicut contra Pharaonem & magos ejus, missi fuerunt Moyses & Aaron; contra Neronem & magum ejus Simonem, Petrus & Paulus: Ita conveniens est, ut contra Antichristum ejusque ministros, duo mittantur insignes veritatis præcones.

*Moyses est duorum mortuus.*

Ad Argumentum de Moyse allatum Resp. firmiter esse tenendum quod Moyses non sit contra Antichristum venturus: Deut. enim 32. Jubetur ascendere in montem Abarim, *ut ibi moriatur; sicut mortuus erat Aaron in monte*, Ho. & ca. 34. expressè dicitur, *mortuusq; est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino: & sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor.* Quapropter quin verè mortuus sit, nullum potest esse dubium.

In Apocalypsi vero non dicitur, quod venturi sint illi qui aliquando converterunt aquas in sanguinem; sed quod ili qui venturi sunt, potestatem habebunt id faciendi.

Ut ad alterum argumentum respondeatur; præmittendum est certum etiam esse quod sanctus Joannes Evangelista non sit venturus. Non cum Enoch & Elia; sic enim essent tres testes, cùm tamen ipse scribat venturos duos, satis significans quod non plures. Non etiam sine illis duobus; quia ex Tertull. lib. de anima ca. 50. Eusebio lib. 3. historiæ ca. 25. Hieron. in lib. de script. Ecclesiasticis, Augustino tract. ult. in Joannem, constat ipsum esse defunctum. Unde & Chrysost. hom. 26. in epi. ad Hebr. dicit ejus *sepulchrum esse manifestum:* ad quod sepulchrum allusisse visus est Cœlestinus Pontifex, dum in Epist. ad Conc. Ephesinum dicit ejusdem Joannis reliquias Ephesi esse in honore. *S. Joannes est mortuus.*

Eandem rem confirmat tum officium Ecclesiasticum, in quo S. Joannes invocatur tanquam in cœlis regnans, tum Græcorum Menologium 26. Septembris, ac Latinorum Martyrologia 27. Decembris.

Quod autem, præter duos testes, de quibus Apocal. 11. qui nimirum servantur vivi ad hunc finem; alij ex mortuis sint resuscitandi, & contra Antichristum venturi, neque scriptura, neque sanctorum Patrum habet traditio. His præmissis.

Ad 1. Argumentum Resp. Joannem iterum prophetasse gentibus & populis, in illo ipso libro, quando multas in consequentibus prophetias attexuit.

Ad confirmationem Resp. Christum verbis istis significasse; quod persecutor non esset animam Joannis ablaturus, sed quod ipse Joannes mansurus esset in hac vitâ, donec (juxta quorundam interpretationem) Dominus ad eum veniens, per mortem placidam illum assumeret.

Alij significatum putant quod mansurus esset superstes donec Dominus veniret secundùm effectum, ad puniendum Judæos, per Romanorum exercitum: idque confirmant ex Jacobi 5. *Adventus Domini appropinquavit.* Sed ex contextu capitis, verius videtur, Jacobum loqui de adventu ad judicium; quando fideles laborum suorum præmia sunt recepturi. Quo modo & Christi Domini verba convenienter intelligi possunt; conformia enim sunt alijs locis ubi de adventu ejus ad judicium est sermo, ut Luc. 18. *filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Et 1. ad Cor. 11. *Mortem Domini annunciabitis donec veniat.*

Neque tamen propterea consequens est Christum significasse quod Joannes esset in vi is mansurus usque ad illum adventum; quia sermo Christi non est affirmativus, sed conditionalis; ita ut juxta lectionem nostram vulgatam quæ habet; *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* subaudienda sit conjunctio, *si*, aut verbum, *esto*, vel aliquid simile, hoc sensu: Si sic eum volo manere: esto, velim eum manere donec veniam, quid ad te pertinet? quid tua refert? Qui sensus in Græco manifestior est, ubi pro (sic,) *si*, legitur: Ejusmodi autem verbis ita conditionatè prolatis Christus non affirmat Joannem mansurum donec ipse veniat, sed ostendit quod esto ita vellet, aut si ita velit, hoc scire non pertineat ad Petrum.

Calicem autem Domini bibit S. Joannes, partim Act. 5. flagellatus cum cæteris Apostolis; partim quando in vas olei ferventis missus est, ac in exilium relegatus. Bibitur enim calix Domini non solùm per tolerantiam mortis, sed etiam per tribulationes, afflictiones, passiones.

Ad 2. Resp. non esse opus teste qui vixerit tempore gratiæ; quia status novi testamenti adhuc durabit, & prædicatores illius status erunt præsentes.

Ad 3.



Ad 3. Neg. Antecedens: sensus autem verborum Domini est, quod Joannes si Elias, quem Malachias prædixit esse venturum; non quidem ad litteram & in persona, sed secundùm allegoriam, & in similitudine, ac proportione.

*Similitudo* consistit in austeritate vitæ, & libertate arguendi vitia hominum, etiam magnorum.

*Proportio* autem in eo; quòd sicut Elias Thesbites præcedet secundum Domini adventum, sic Joannes præcessit primum. Ad significandum sensum improprium, addidit Dominus; *Qui habet aures audiendi, audiat. Iste enim sermo demonstrat mysticum esse, & egere intelligentia quod dictum est*; ait Hieronymus.

Ex his patet illud Matth. 17. *Elias jam venit, & non cognoverunt eum*, intelligendum etiam esse de Elia secundùm similitudinem; deque illo qui venit *in spiritu & virtute Eliæ.* Unde & de Elia Thesbite prædidit; *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Tribuit autem Angelus Joanni ea quæ facturus est Elias; quia id fecit in primo adventu, quod Elias faciet in secundo. Verba autem adjuncta, de die horribili, & de percutiendo terram anathemate, in Joannis tempora non competunt.

Ad 4. licet Hieronymus in commentario super Malachiam; omnem Prophetarum chorum intelligat in Elia, in ca. tamen 11. & 17. Matth. & epist. 61. cap. 10. manifestè affirmat Eliam Thesbitem in personâ esse venturum.

Cùm in fine cap. 4. Malachiæ ad Judaizantium opinionem pertinere dicit, quod Elias sit venturus; loquitur de illis qui Eliam existimant, venturum esse ante istum Messiam quem Judæi expectant, & restituturum legis antiquæ cæremonias, totumque cultum Mosaicum.

In epistola 148. librum Apoc. dicit esse spiritualiter intelligendum: de Enoch autem & Elia, quos liber iste venturos refert ac morituros: *non est*, inquit, *istius temporis disputatio.*

In epistola 152 intelligi possunt Enoch & Elias *esse cum Christo mutatis glorificatisque corporibus*, quatenus extra hominum conversationem in continua Christi contemplatione versantur, habentes corpora miserijs & necessitatibus nostris non subjecta. Cæterum verba illa non sunt Hieronymi, sed partim Theodori Heracleotæ, partim Apollinarij, affirmantium non omnes esse morituros. Hieronymus autem aliquantò post sic scribit: *Cui sententiæ magis adquiescit Ecclesia: ut omnes communi morte moriamur, & non omnes mutemur in gloriam.*

His consentanea sunt quæ scribit Augustinus l. 1. de pecc. merit. ca. 3. *Neque enim Enoch, & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt. Nec tamen credo eos jam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit: nisi quia isti fortasse nec his cibis egent qui sui consumptione resciunt, sed ex quo transiti sunt, ita vivunt ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus quibus Elias ex calice aquæ & ex collyride panis, sine cibo vixit. Aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in Paradiso pascuntur, sicut Adam, priusquam propter peccatum exinde exire meruisset.*

## QUÆRITUR IV.

### *Vtrùm Judæi sint in fine mundi convertendi.*

Non esse; probatur. Primò, quia ipsi recipient Anti hristum pro Messia, ut Joannis 5. significatur.

Secundò, semper obscurandi & incurvandi prædicuntur, Psalm. 68. & nunquam facturi fructum, Matth. 21.

Tertiò, vocantur absque misericordiâ, Oseæ 1. diciturque Deus nunquam eos conversurus, Amos 1.

Quartò; *pervenit ira Dei super illos usque in finem*, 1. ad Thess. 2.

Denique, objicitur Hieron. in cap. 11. Isaiæ & in cap. 9. Oseæ.

Responsio affirmativa est communis, & quasi certa. *Resp. affir.*

Primum, quia *Elias cum venerit, restituet omnia*, Marci 9. sive, ut antea expositi Ecclesiasticus ca. 48. *tribus Jacob.*

Secundò, quia *convertet cor patrum* (id est, Patriarcharum & Prophetarum) *ad filios*, Judæos scilicet illos qui ipsum prædicantem audient. Cùm enim isti Judæi crediderint in Christum, Patriarchæ & Prophetæ qui fuerant ab eis propter incredulitatem aversi, ipsis tanquam filijs afficientur, eosque diligent, Malachiæ 4. & Ecclesiastici 48.

Tertiò, cum filij Israël *dies multos sedebunt sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari: revertentur & quærent Dominum Deum suum & David Regem suum*, Oseæ 3.

Quartò, *cum plenitudo gentium intraverit tunc omnis Israël salvus fiet*, ad Rom. 11. Quam sententiam esse intelligendam de Israël carnali, id est, de judæis: & non de spirituali, id est, de electis tam ex Gentilibus quam ex Judæis; manifestum est; tum ex subjuncto Prophetæ testimonio; tum ex antitheti, Gentium, & Israël; tum ex eo quod Apostolus rem hanc vocat *mysterium*, seu rem arcanam: nullum enim arcanum est quod totus Israël spiritualis salvetur. Cæterum, quod dicit, *omnis Israël*; non est necesse sic accipere, quasi ex Israëlitico populo nullus omnino sit permansurus in incredulitate, nam *omnem Israëlem* vocat, quam supra dixerat plenitudinem eorum: quo modo etiam dicit plenitudinem gentium, quamvis non significet omnes gentiles sine exceptione. Omnis ergo Israël intelligitur tanta multitudo Judæorum, ut meritò censeatur Judaicus populus converti.

Denique, sententiam hanc concorditer tradunt veteres. Hieron. in ca. ultimum Malachiæ, August. lib. 18. de civitate capite 28. & libro vigesimo, capite vigesimo nono, Greg. hom. 12. super Ezechielem, Damasc. lib. 4. cap. 27. & alij. Imò, ut ex Durando libr. 4. de divinis officijs cap. 23. patet, quidam huc referunt quod Sacerdos etsi in celebratione Missæ diutius hæreat ad sinistrum latus altaris, incipiat tamen à dextro, & ad illud revertatur circa finem: ad significandum scilicet quod religio Christiana toto ferè novi testamenti decursu potissimum consistat ex Gentibus, incœperit tamen à Judæis, & reversura sit ad eos circa finem mundi.

Ad 1. Argumentum Resp. Judæos recepturos quidem Antichristum; sed per Eliæ prædicationem

Universidad de Deusto
Biblioteca



cationem lege explicata, errorem suum agnoscent; A pœnitentiamque agentes, ad Christum convertentur.

Ad 2. Non significatur illis verbis sempiternitas absoluta, sed longissimi temporis: quamquam nihil vetet Matth. 21. intelligere absolutam, quatenus agitur de siculneâ; nam ea erat peritura, & nunquam fructum allatura: in re autem significatâ non est necesse eandem sempiternitatem intelligi, quia populus Judaicus non erat penitus consumendus, sed in finem usque sæculi per varia loca dispergendus, & aliquando tandem convertendus.

Ad 3. Dominus per Oseam significat quod nunquam miserebitur decem tribuum, sic ut eas B revocet à captivitate; quo modo miserturus erat tribus Juda. Hinc Hieron. in cap. 37. Ezechielis, in cap. 1. Oseæ, & in cap. 2. Zachariæ, affirmat decem tribus nunquam fuisse à locis suæ captivitatis revocatas.

Amos 2. significatur Deus afflictiones Judæ & Israëli comminatas non remissurus, sed propter varia ipsorum peccata omnino illaturus.

Ad 4. illi super quos ira Dei pervenisse dicitur usque in finem rectè intelliguntur Judæi isti qui tempore Apostolorum vivebant, ac in peccatis obstinati, Evangelio resistebant: Aut alioqui, vocula (*usque*) exclusivè accipienda est, ut significetur ira Dei totò hoc tempore esse super Judæos, C donec in fine tandem convertantur.

Ad Vltimum, Hieron. negat restitutionem populi Judaici in statum pristinum, quo legem legaliaque præcepta observent.

### Articulus II.

*Sol & luna obscuranda ante Christi adventum.*

Art. 2. docet hæc luminaria, *solem*, & *lunam*, non obscuranda sui luminis privatione tunc quando adveniet Christus ad judicium; sed paulò ante. Nam post tribulationem ab Antichristo inductam, *antequam adveniat dies Domini magnus & horribilis, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo:* & postea demum apparebit signum filij hominis, ut ex Joëlis 2. & D Matth. 24. colligitur.

Et confirmatur, luminum enim cœlestium obscuratio prædicitur ut horribile quoddam signum ac prodigium, homines terrore concutiens, & judicij maximè terribilis tempus instare prænuncians: debet ergo præcedere adventum judicis, & non simul esse. Hinc Lucæ 21. dicitur quod homines visis illis signis, *erunt in timore & expectatione eorum quæ supervenient.*

*Quo modo.*

De modo obscurationis solis, lunæ, & stellarum, dicendum videtur quod contingat partim ex retractione radiorum solis, Deo suspendente suam operationem: partim, per oppositionem nigrarum & densissimarum nubium, ut sol factus videatur tanquam saccus cilicinus, Apoc. 6. colore scilicet suo exprimens tristitiam. E

*Quomodo stellæ casuræ.*

De casu stellarum non est ita opinandum, quasi stellæ cœlestium orbium sint revera casuræ per ipsorum divisionem & corruptionem; cùm cœli sint naturâ suâ incorruptibiles & *solidissimi quasi ære fusi*, Job 37. neque necesse sit sine causa miracula multiplicare: sed stellæ dicuntur casuræ; duas ob causas.

*Primo*, quia retrahent lumen suum, atque ita videbuntur cecidisse de cœlo, id est, in eo non amplius esse; ut jam cœlum sit velut *liber complicatus*, Isaiæ 34. vel *involutus* Apoc. 6. cujus litteræ conspici nequeunt.

*Secundò*, quia de cœlo aëreo exhalationes ignitæ stellis similes, cometæ, fulminumque globi multi & magni mittentur in terram, eâ vi & frequentiâ, ut prorsus innaturalia sint, & portendant horrendum aliquid. Ejusmodi enim sive exhalationes, sive cometæ & fulmina, communiter stellæ vocantur. Unde Poëta:

*Sæpè etiam stellas, vento impellente, videbis*
*Præcipites cœlo labi: noctisq; per umbras*
*Flammarum longos à tergo albescere tractus.*

### Articulus III.

Art. 3. docet ex cap. 24. Matth. quod *virtutes cœlorum commovebuntur*, Domino veniente ad judicium; sive quando judicium proximè instabit, Earum autem nomine intelligi possunt Angeli, qui rerum mirabilium novitate commovebuntur in admirationem, & veluti obstupescent; insuetaque opera ipsi etiam facient, idque sive *Virtutes* proprie accipiamus, prout nomen illud appriatur uni ordini Angelorum; sivè communiter, pro omnibus spiritibus cœlestibus. *Quo modo Virtutes cæl. movebuntur.*

Possunt etiam per *virtutes cœlorum*, cœli ipsi, cœlorumque firmitas & stabilitas intelligi: qui commovebuntur motibus & tremoribus insolitis, similique sensu rectè accipitur illud Job 26. *columnæ cœli contremiscunt & pavent ad nutum ejus*, ut scilicet significetur quod firmitas & robur cœli ad nutum Conditoris, & ad tanti judicij diem contremiscet ac veluti nutabit. Et quia hæc virtutum commotio ponitur, inter signa judicij proximè futuri, quæ quidem signa debent ad hominibus cognosci: Ideò hæc posterior explicatio priori est adjungenda.

De Responsione ad secundùm Confer. qu. 15. art. 8. in 3. parte.

## QUÆSTIO LXXIV.

## *De igne ultimæ conflagrationis.*

### Articulus I.

Art. 1. docet futuram mundi purgationem.

*Mundus est purgandus.*

Primò, quia mundus in fine sæculi est innovandus, ut quæst. 91. art. 1. docetur: omnis autem rei innovatio fit per aliquam purgationem.

Secundò, quia mundus quodammodo est propter hominem: *Omnia enim subjecit Deus sub pedibus ejus*, Psal. 8. & *fecit eum ut præesset piscibus maris & volatilibus cæli*, Gen. 1. idque indicatum videtur à Philosopho libro secundo physicorum cap. 2. textu 24. His verbis, *Omnia sunt gratiâ nostri: sumus enim & nos quodammodo finis*: ergo quando homo est purgandus, & quoad corpus glorificandus; conveniens est ipsum etiam mundum purgari & in melius commutari: ut sic habitatio respondeat habitatoribus. Unde B. Thomas articulo sexto, ad tertium, dicit, *quod illa purgatio præcipuè ad hoc erit, ut quidquid est imperfectionis, à sanctorum habitatione removeatur.*

*Tacita ob.*

Et quamvis in creaturis corporalibus hominę inferioribus infectio culpæ locū non habeat: quatenus tamen sunt in servitium hominum, indecentiam & incongruitatem quandam ex eorum culpis



culpis contrahunt, Ut in resp. ad 2. docet B. Thom. A Quam ob causam loca in quibus commissa sunt aliqua crimina, non reputantur idonea ad certa quædam sacra in eis exercenda, nisi purgentur.

Præterea, multæ sunt in elementis alterationes & corruptiones quæ puritati eorum derogant: à quibus propterea debent purgari, ut ad naturalem suam puritatem reducantur.

*Quæst. 91. art. 1.*

Eandem doctrinam tradit Apostolus ad Rom. 8. docens creaturam (eam scilicet omnem quæ deservit hominum usibus) *vanitati*, id est, instabilitati, & in deterius mutabilitati, *esse subjectam*, non ex inclinatione naturæ, sed ex ordinatione Dei, qui hominis culpâ sic exigente, subjecit eam tali vanitati: cum hac tamen spe, quod aliquando vindicabitur B è servitute istius corruptionis & mutabilitatis: tunc scilicet quando Filij Dei assequentur perfectam suam gloriam & libertatem.

Ex resp. ad 3. duo sunt observanda.

Unum, corpus mixtum esse quidem perfectius corpore simplici, quantū ad perfectionem speciei; corpus tamen simplex esse perfectius mixto, quantum ad perpetuitatem durationis; quia corpus mixtum habet in seipso causam corruptionis, scil. compositionem ex contrarijs; corpus autem simplex non habet in se causam corruptionis, quamvis possit corrumpi ab exteriori corruptivo.

Alterum, perfectionem corporis simplicis magis convenire perfectioni gloriæ, quam perfe- C ctionem corporis mixti, excepto illo corpore mixto quod habet in se aliquod incorruptionis principium, sicut corpus humanum, cujus forma est incorruptibilis, quia perfectio corporis simplicis est ex eo quod sit incorruptibile secundùm totum, si considerentur ea quæ ipsi insunt; non similiter perfectio corporis mixti. Quamvis enim corpora simplicia sint simpliciter corruptibilia, & corrumpantur secundùm partem in generatione mixtorum, nunquam tamen corrumpentur secundùm se tota, ut aliquandò desinat esse totum elementum vel ignis, vel aëris, vel aquæ, vel terræ.

### Articulus II.

*Mundi purgatio est per ignem futura.*

Art. 2. probat purgationem mundi futuram per ignem. D

Primò, quia ignis est nobilissimum elementorum, habens proprietates similiores proprietatibus gloriæ: ut maximè patet de luce.

Secundò, quia est purissimum, non ita recipiens admixtionem alicujus extranei, sicut aliæ res.

Tertiò, quia cum sit à nostrâ habitatione remotissimum, non ita inficitur sicut alia elementa.

Quartò, quia habet maximam efficaciam ad purgandum à commixtione & impuritate: propter quam causam, etsi aqua sit aptior ad abluendas sordes corporeas; quia tamen non est aptior E ad purificationem eorum quæ de extraneis naturis sunt commixta; non ipsa assumetur ad purgationem mundi, sicut in diluvio assumpta est; sed ignis: quia tunc mundatio erat solum à peccatis ipsque carnalibus: in fine autem mundatio esse debet, etiam ab impuritate commixtionis. Ac præterea, tunc regnabat ardor concupiscentiæ, qui per suum contrarium, id est, per aquam convenienter est extinctus: in fine verò regnabit vitium tepiditatis, cujus proinde purgatio convenienter fiet per ignem ardentem. Confer ea quæ in resp. ad 2. dicit Author.

*Cur non per aquam sicut in diluvio.*

In ejusdem doctrinæ confirmationem adfert B. Thomas verba Psal. 46. *Ignis in conspectu ejus exardescet:* Et 2. Petri 3. *Cæli ardentes solventur, & elementa igne ardore tabescent.*

Addi possunt & alia: Ex Psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet:* Isaiæ 66. *Ecce Dominus in igne veniet:* Joëlis 2. *Ante faciem ejus ignis vorans:* 1. ad Corinth. 3. *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur:* 2. ad Thess. 1. *In revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum.*

Ex his constans est Ecclesiæ doctrina, Mundum in fine sæculi arsurum *igne*, quem vocant *conflagrationes*, eoque purgandum ac renovandum esse. Vide Aug. lib. 20. De civit. Dei cap. 16. & Gregor. hom. 26. in Evangelia, & officium defunctorum in quo semel & iterum dicitur Christus *venturus judicare sæculum per ignem.* Quod ipsum in exorcismus Ecclesiasticis sæpe repetitur.

Circa Responsionem ad 1. adverte ignem posse dupliciter considerari. Priori modo, prout est in suâ propriâ, tum sphærâ, tum materiâ: quo modo, quia nihil extranei habet admixtum, purgatione non indigebit. Posteriori modo, prout est in aliena materia, & extra locum suum naturalem, cujusmodi est is qui venit in nostros usus: hîc purgandus erit, & purgari poterit, non per seipsum, sed per alium, numero & quàdam etiam qualitate diversum: per ignem scilicet conflagrationis, qui erit nostro igne vehementior & purior.

### Articulus III.

*Ignis conflagrationis erit idem specie cum elementari.*

Art. 3. probat ignem quo mundus purgabitur, futurum ejusdem speciei cum elementari: sicut aqua per quam, tempore diluvij, facta est prima purgatio, erat ejusdem speciei cum aqua elementari: partim ex Augustino lib. 20. de civit. cap. 16. dicente, *Tunc figura hujus mundi mundano-rum ignium conflagratione præteribit; sicut factum est mundanarum aquarum inundatione, diluvium:* partim ex eo, quod igitur ex quacumque causa generetur, ejusdem sit speciei.

Cum in corpore dicit, *ista autem conflagratio nihil aliud est quam congregatio omnium causarum* &c. causaliter loquitur, quasi diceret, ignis conflagrationis orietur ex congregatione causarum superiorum & inferiorum, vim & calefactivam & inflammativam habentium. Sicut enim ad diluvium Deus fecit, ut omnes causæ aquarum causativæ tam cœlestes quam terrenæ, præter suum naturalem ordinem convenirent: ita universæ causæ ignis effectrices, tam quæ sunt supra nos, quam quæ infra, virtute supernaturali convenient.

### Articulus IV.

*Cœli superiores non purgabuntur igne.*

Art. 4. docet ignem non purgaturum cœlos superiores, quia purgatio mundi ad hoc erit, ut removeatur à corporibus dispositio contraria perfectioni gloriæ: talis autem dispositio in cœlis superioribus sive sidereis nulla est, præter motum: qui quidem cessare debebit, at non per actionem alicujus contrarij agentis, sed per hoc quòd motor desistet à movendo.

Confirmari potest non solùm, quia cœlum, utpotè natura sua incorruptibile, non est receptivum peregrinæ impressionis; sed vel maximè, quia 2. Petri 3. cùm cœli dicuntur *igni reservati* sermo solū est de cœlis aëreis, non de sidereis: loquitur enim Petrus

Universidad de Deusto
Biblioteca



Petrus de cœlis illis, qui olim diluvio interierunt; hi autem fuerunt soli aerei. Confer Aug. lib. 20. de civit. Dei cap. 24. & B. Thomam hîc ad 2.

In Responsione ad Primum, consequenter docet illud Psal. 101. *cæli peribunt*, de cœlis aëreis esse intelligendum: aut si de sidereis accipiatur, intelligendum esse quod ipsorum motum, qui tunc cessabit: *eorum* enim *quietatio sola voluntate divina accidens, eis loco purgationis erit*, ait in corpore.

Circa Responsionem ad tertium, sciendum est quod Apostolus ad Rom. 8. prosopopœiâ quadam utatur; fingens creaturam seu Machinam mundi velut personam anxiè expectantem, dum gloria manifestetur in electis Dei; ut & ipsa gloriæ particeps fiat.

Glossa verò quam author citat in argumento, est Ambrosiastri. Vide quæ diximus art. 1. & 2. & q. 91. art. 1.

### Articulus V.

*Ignis non absumet reliqua elementa.*

Art. 5. docet ignem non assumpturum alia elementa, neque quantùm ab substantiam, neque quantùm ad qualitates eorum proprias; sed illa purgaturum ab infectione quam ex peccatis hominum contraxerunt, & ab impuritate quam habent ex actione & passione mutua.

Communis enim veterum ac recentiorum est doctrina, quòd & elementa, & cœli siderei nunquam sint interituri, sed tum in sua substantia, tum in suis qualitatibus naturalibus remansuri, ut B. Thom. hîc, & qu. 5. de pot. ar. 7. tradit. Quò pertinet illud Ecclesiastæ 1. *Terra in æternum stat*; & c. 3. *Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum.* Quod vel de integralibus & principalibus mundi partibus, vel de illis operibus quæ Deus solus fecit, est accipiendum.

*Ob.* Nec obstat quod elementa sint corruptibilia, corrumpanturque secundùm substantiam in generatione mixtorum: quia licet partes eorum generentur & corrumpantur; ipsa tamen secundum se tota nunquam corrumpuntur, ut art. 1. fuit dictum. Quanquam & hæc mutatio quæ partibus eorum generatis & corruptis accidit, extremis temporibus finem capiet.

*Resp.*

Communem hanc doctrinam tradunt Epiphanius hæresi 64. Hieron. in cap. 51. & 65. Isaiæ, & in cap. 3. Abacuc, Aug. lib. 20. de civit. Dei c. 14. 16. 18. 24. Greg. lib. 17. moral. cap. 5. & confirmari potest, tum ex eo quod 1. ad Corin. 7. *præterire* dicatur non natura *hujus mundi*, sed *figura*, tum ex eo quod B. Petrus non dixit alios cœlos & aliam terram: sed *novos* id est, eosdem qui priùs erant, innovandos.

*Quæst.* Petes, cur igitur cœli dicuntur transituri & perituri, Job 14. Psal. 101. ad Hebr. 1. & similiter terra Isaiæ 51. Matth. 24. 2. Petri 3.

*Resp.* Respondet Epiphanius, quia hic est mos scripturæ, ut mutationem in meliorem ac pulchriorem formam, vocet interitum prioris, veluti si quis perditionem dicat figuræ puerilis, mutationem in virum perfectum.

Circa Responsionem ad Primum, adverte sententiam Bedæ de duobus elementis in totum absumendis, illic benignè exponi, quasi per eam significetur quòd duo elementa maximè removebuntur à qualitatibus quas nunc habent: Alioqui si (quod verba sonant) intelligatur de omnimoda absumptione sic ut destruantur; ea sententia falsa est. Principales enim partes universi non possunt tunc destrui, quando universum est commutandum in melius: nec ignis elementaris (de quo loquitur Beda) est in aliena materia, ut possit absumi per ignem conflagrationis. Adde, quod ignis conflagrationis cùm non sit ascensurus altiùs quam ascenderint aquæ diluvij, ut art. 6. dicetur, pervenire non possit ad locum elementi ignis.

Circa responsionem ad secundum, notandum est quòd *primum cœlum & prima terra* dicantur Apoc. 21. abijsse, quoad qualitates præsenti nostræ mortalitati convenientes. Quod autem sequitur, *& non jam non est*, rectè prout sonat accipitur: quia mare non nudè sonat elementum aquæ, sed quatenus ipsum est crassum, terrestre, falsum, & impurum; quale factum fuit tertio die mundi: cum tamen elementum aquæ priùs fuisset factum. Renovato igitur mundo erit quidem aqua, subtilis & impermixta: non erit tamen mare. Omnino legatur B. Thomas qu. 5. de pot. art. 7.

### Articulus VI.

Art. 6. docet ignem purgaturum elementa usque ad medium aëris interstitium: quia ignis purgabit usque ad eum locum, ad quem pervenerunt aquæ diluvij, ut ex 2. Petri 3. & Aug. lib. 20. de civit. cap. 18. & Beda super dictam epistolam colligunt. *Aër* (inquit Beda) *terrâ proximus, igne perdendus est, tantum (ut rectè creditur) spatij tenente quantum aqua diluvij tenebat.* Aquas autem diluvij solùm pervenisse ad medium aëris interstitium, ex altitudine montium quos illæ ad quindecim cubitos superarunt, potest colligi: ignis ergo conflagrationis purgabit terram; aquam, aërem, imo & ignem illum qui est in his inferioribus impurus & alienæ materiæ permixtus; non autem illum qui est in suâ sphærâ & in propriâ materiâ, purus; quia illuc non ascendet.

### Articulus VII.

*Ignis præcedet ac sequetur judicium.*

Art. 7. probat ignem conflagrationis quantum ad sui initium & purgationem mundi, præcessurum judicium; etiamsi subsecuturus sit, quantum ad hoc quod est involuere reprobos: quia Resurrectio mortuorum erit ante judicium; mundi autem conflagratio, seu per conflagrationem renovatio debet præcedere resurrectionem, in quâ sancti habebunt corpore gloriosa, ut mundus innovatus hominibus innovatis serviat.

Ad ejusdem rei probationem faciunt scripturæ art. 2. allatæ, quatenus significant ignem simul futurum cum judice, & arsurum ante conspectum judicis: nam Græca sonant *ante*, id est, *coram*.

*Ob.* Si dicas Dominum venturum in nube ad judicium, Act. 1. & sanctos in nubibus rapiendos obviâ Christo, 1. ad Thes. 5. ergo mundum tunc necdum fore renovatum; cum statui renovationis nubes non conveniant, uti nec alia meteora: Resp. aut nubes miraculosè adfuturas, ut Christo & sanctis ejus ad tempus serviant: aut potiùs mundum non plenè purgatum fore, nisi peracto judicio, ut B. Thomas art. 9. indicat. Ac proinde igne in alijs mundi partibus ardente, nubes poterunt esse in loco ubi Christus ad judicium consistet. Neque enim, quia ignis præcedet faciem advenientis judicis; ideo necesse est ut statim omnia depascat: sed terram & quæ in ea sunt exuret, homines vivos extinguet, puniet, aut purgabit; locum autem judicij, præsentibus ibi judicandis cum judice, non attinget donec prolatâ in reprobos sententiâ,

*Resp.*





in eos desæviat, omniaque residua depascat, ac purget.

Talis ergo futurus videtur tunc ordo. Paulò antequam Christus ad judicium veniat, orietur ignis, quo mundus purgetur, hominesque interimantur: deinde Dominus, præcedente illum signo crucis, ad judicium veniet: resurgent mortui, & judicabuntur: prolatâ verò judicij sententia, dum electi cum Christo ascendent, in ea quæ depascenda restabunt, ignis desæviet, ac reprobos complexus in infernum devolvet.

### Articulus VIII.

*Effectus ignis cõflagrationis.*

Art. 8. Docet ignem habiturum talem effectum, qualis à Magistro designatur in textu d. 47. ubi dicit, quod ille ignis malos consumet, bonos, in quibus aliquid purgandum fuerit, purgabit: alijs verò nullam ingeret molestiam.

Notandi ergo sunt varij effectus ignis conflagrationis.

*Primus* est, purgare & renovare mundum elementarem.

*Secundus*, omnes homines, tam bonos quam malos, adhuc vivos repertos, extinguere.

*Tertius*, justos probare & purgare. Quicumque enim justi purgatione indigebunt, eos ignis ille tanquam divinæ justitiæ instrumentum urendo affliget, & ad plenum expurgabit, ut statim judici venturo possint per beatam resurrectionem cum omnibus sanctis occurrere. Erit ergo talibus iste ignis loco purgatorij: & quod deerit ex parte durationis, gravitas & acerbitas pœnæ compensabit, simul cum voluntariâ illius perpessione in hoc læculo, quod est tempus gratiæ & misericordiæ.

*Quartus effectus* erit, impios punire, tum eos in peccatorum pœnam extinguendo; tum post resurrectionem, eos involvendo.

Cæterum quod dicitur de bonis, in quibus nihil purgandum invenietur, quòd nullum omnino dolorem ex igne sentient; verumne sit, ambigitur. B. enim Thomas hoc in 4. asseruit propter Magistrum; Magister autem motus fuit authoritate Augustini lib. 20. de civit. Dei cap. 18. Verùm Augustinus manifestè loquitur de bonis ad immortalem vitam resuscitatis: ita enim habet; *Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic sint, ubi esse voluerint: sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent, immortales atque incorruptibiles facti.*

Quapropter sicut martyres quantumcumque sanctissimi, dolorem in morte senserunt; ita verisimile est eos qui in vitâ mortali tunc reperientur, etiamsi sint sanctissimi, non futuros à dolore immunes. Qui dolor voluntariè toleratus, in accretionem meriti cedet.

### Articulus IX.

Art. 9. docet ignem conflagrationis involuturum reprobos; juxta illud, *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*, Psal. 96. Sicut enim reprobi separabuntur ab electis: ita quidquid turpe ac fœdum erit illius ignis, unà cum reprobis mittetur in infernum; quidquid autem pulchrum & nobile, reservabitur in superioribus ad gloriam electorum. Huc pertinet quod in Ecclesia canitur, *Christus judicaturus sæculum per ignem*; quodque 2. ad Thess. 1. dicitur *Dominus venturus de cælo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam ijs qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio; qui pœnas dabunt in interitu æterno.* Et quod 2. Petri 3. dicuntur *cæli & terra igni esse reservati in diem judicij & perditionis impiorum.*



## QUÆSTIO LXXV.

### *De Resurrectione.*

### Articulus I.

*Utrum corporum Resurrectio sit futura.*

Non esse futuram dogmatizârunt olim Sadducæi, ut patet ex Matth. 22. & alij de quibus prioris ad Cor. 15. Itemque Hymenæus & Philetus, 2. ad Timoth. 2. qui docebant resurrectionem esse jam factam, solam scilicet agnoscentes animarum resurrectionem à peccatis ad justitiam.

*Vide Alphonsum Castrensem verbo Resurrectio, hæresi 1.*

Postea eundem errorem tenuerunt Simoniani, Carpocratiani, Valentiniani, & omnes illi qui dixerunt corporalia esse à malo principio, ut Gnostici & Manichæi, & circa annum 1200. Albigenses. Nitebantur autem his similibusve argumentis.

Primum, Anima hominis Psalm. 77. vocatur *spiritus vadens & non rediens*: ergo nunquam revertetur ad corpus. Unde Job. 7. *Sicut consumitur nubes & pertransit; sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.*

Secundum, Psalmista de seipso dicit Psalm. 38. *Priusquam abeam, & amplius non ero*: ergo post mortem nunquam erat futurus homo.

Tertium, *Homo cum dormierit, non resurget*, Job 14. *donec atteratur cœlum, non evigilabit*: atqui cœlum, cùm sit incorruptibile, nunquam atteretur; ergo homo numquam evigilabit.

Quartum, Deus est perfector naturæ: sed anima habet majorem perfectionem extra corpus, quàm in illo; nam separata similior fit Deo cœlestibusque spiritibus qui sunt sine corpore: ergo debet relinqui sine corpore.

*Quid resurrectio.*

Quintum, Anima non utitur corpore nisi ut instrumento: instrumentum autem nec est præmio dignum, nec supplicio.

Priusquam Respondeatur, notandum est quod resurrectio mortuorum ideo appelletur carnis aut corporum resurrectio, quia cùm homines non moriantur nisi secundùm corpus, quòd synecdochicè etiam *caro* dicitur; resurgere non possunt, nisi secundùm illud: nam resurrectio non aliud est, quàm *secunda ejus quod cecidit surrectio*, ait Damascenus lib. 4. c. ult. sive, *est humani corporis ad vitam quam morte miserat, revocatio.* Rectè tamen dicitur totus homo resurgere, quia corpori resurgenti sic eadem numero anima copulatur, ut homo qui per mortem esse desierat, idem reviviscat; atque ita homo est terminus resurrectionis, quod ille sermo significat. Vocatur etiam *regeneratio* Matth. 19. quia qui per generationem acceperat esse, & per mortem illud amiserat; per resurrectionem tanquam per alteram generationem, sed supernaturalem; recipit. His præmissis.

Responsio ad eidem pertinens est, corporum resurrectionem aliquando futuram.

Probatur Primò, ex Job 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.*

Tobiæ 2. *filij sanctorum sumus; & vitam illa expectamus*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*tamus quam Deus daturus est his qui fidem suam* A *nunquam mutant ab eo.*

Danielis 12. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt.*

*Secundi* Machabæorum cap. 7. *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit:* & c. 12. Judas memoratur *bene & religiose de resurrectione cogitasse*; ac speraſſe eos qui ceciderant, resurrecturos.

Ezechielis 37. Sub figurâ ossium aridorum revivisscentium significantur filij Israel, qui de omni prosperitate desperabant, reducendi in suam terram.

SECUNDÒ, Probatur argumento Christi syllogisticò: Deus (ut exodi 3. dixit) *est Deus Abrahã,* B *& Deus Isaac, & Deus Jacob:* Atqui non est Deus mortuorum, sed viventium: ergo Abraham, Isaac, & Jacob, non ita sunt mortui, quin adhuc vivant; non quidem in præsenti, vitâ corporis; cùm secundùm illud jam mortui sint; sed in futuro; quia etsi mortui sint, certissimè tamen sunt ad vitam revocandi. *Omnes*, enim (addit Dominus apud Lucam, cap. 20. *ei vivunt*, id est, quamvis per separationem animæ à corpore sint mortui, vivunt tamen Deo, qui facilè potest eos ad vitam revocare, & omnino est revocaturus. Hæc ergo subsumptio; *Non est Deus mortuorum*, rectè intelligitur significare, Deum non esse Deum eorum qui sic mortui sunt, ut nec in re, nec in certâ expectatione vivant, per- C fectâ vitâ viventium, quemadmodum B. Thomas hîc ad 2. videtur intellexisse.

Alij tamen solùm significare putant, Deum non esse illorum Deum, qui totaliter, & secundùm corpus & secundum animam esse desierunt: ut Christus directè solùm probet animas adhuc esse superstites; ex consequenti verò, eas suis corporibus aliquando uniendas. Protulit autem Christus hoc ex Moyse testimonium, etiamsi manifestioribus uti potuisset: quia Sadducæi quos revincebat, solos libros Moysi recipiebant, ut testantur Origenes, Hieron. & alij in c. 22. Matth.

TERTIA PROBATIO est ex Matth. 19. *In regeneratione* &c. *sedebitis & vos.* D

Et Joannis 5. *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei; & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicij.*

Et cap. 11. *Scio quia resurget in resurrectione, in novissimo die* 1. ad Corinthios 15. *Si mortui non resurgunt; neque Christus resurrexit: Nunc autem Christus resurrexit, primitiæ dormientium.* Prioris ad Thess. 4. *mortui qui in Christo sunt, resurgent primi*, seu primùm.

QUARTA PROBATIO est ex symbolis; Apostolorum, ubi *credimus carnis resurrectionem*; Constantinopolitano, *expectlo resurrectionem mortuorum*; ex Athanasij, *Ad cujus adventum omnes ho-* E *mines resurgere habent.*

His addi potest & *ratio.* PRIMA, Anima naturaliter unitur corpori: est ergo contra naturam animæ, esse absque corpore. Nihil autem quòd est contra naturam, potest esse perpetuum: ergo anima non erit perpetuò absque corpore. Cùm ergo perpetuò maneat, oportet eam iterum conjungi suo corpori; quod est resurgere.

SECUNDA, Ultimus finis quem omnes homines naturaliter desiderant, est beatitudo: sed hanc consequi non possunt in hoc sæculo, imò nec in futuro, nisi anima reuniatur corpori sicut forma: ergo necessariò est reunienda. Minor, quantum ad priorem partem, clara est ex miserijs & instabilitatibus hujus vitæ: & declaratur 1. sec. quæstione 5. ar. 3. Quantùm ad posteriorem, probatur: quia cuicumque deest aliquid ad perfectionem, nondum habet fœlicitatem perfectam; non enim totaliter quietatur ejus desiderium: animæ autem separatæ deest aliquid ad perfectionem, nam sine corpore est quodam modo imperfecta, sicut pars extra totum existens, cùm sit pars humanæ naturæ: ergo non habet fœlicitatem perfectam.

TERTIA, Homines ex animâ & corpore compositi peccant, vel rectè agunt: ergo debetur illis, & secundùm animam, & secundùm corpus, pœna vel præmium: sed præmium ultimæ felicitatis non possunt recipere in hac vita: sæpè etiam pro suis peccatis hîc non puniuntur: ergo necessarium est ponere iteratam animæ unionem ad corpus, ut & in corpore, & in anima præmiari possint vel puniri: sive, ut consequi possint plenam & completam suorum meritorum retributionem. Vide Beatum Thomam libro quarto contra gentes capite 79.

QUARTA. Donum Christi potentius est peccato Adæ: atqui per peccatum Adæ introducta est mors corporis: ergo illa per donum Christi auferenda est. Non potest autem auferri, nisi per resurrectionem: ergo.

QUINTA; Membra debent conformari capiti: sed caput nostrum, Christus semper vivet in corpore & anima: ergo & homines qui sunt ejus membra, similiter vivent. Unde S. Leo serm. 1 De ascensione Domini: *Quo præcessit gloria capitis: eò spes vocatur & corporis.*

AD 1. ET 2. ARG. RESP. Neg. Conseq. quia illæ scripturæ loquuntur, & de naturali virtute animarum, & de reditu ipsarum ad corpus tale, quale est ante mortem: ut sensus sit, spiritum, id est, animam hominis morientis, non posse naturali sua virtute reverti ad corpus mortale, & ad statum præsentis vitæ, unde apud Job sequitur, *nec revertetur ultra in domum suam.* Vide B. Thomam lect. 2. in cap. 7. Job.

AD 3. Distinguenda est subsumptio. Cœlum enim nunquam atteretur secundùm substantiam: atteretur tamen sive transibit & immutabitur secundùm accidentia. *Sensus* ergo scripturę est, usque dum veniet consummatio sæculi, quando cœli aterentur sive immutabuntur & transibunt ad alterum statum; homo semel mortuus non expergiscetur à morte ad vitam. Vide Titelmannum.

AD 4. Negatur Minor. *cæteris* enim *paribus perfectior est status animæ in corpore, quam extra corpus*, ait B. Thomas hîc ad 4. quia est pars compositi, sic sua perfectio est, illi inesse. Et ideò quamvis anima separata, secundùm quid sit Deo similior; simpliciter tamen loquendo, eo similior est in corpore: quia tunc habet quidquid conditio suæ naturæ requirit: tunc autem unum quodque est maximè Deo conforme, quando habet quidquid requirit conditio suæ naturæ; quia tunc perfectionem divinam maximè imitatur.

AD 5. Neg. Assumpt. Corpus enim comparatur ad animam sicut propria materia ad suam formam: ita ut, & corpus anima sint partes ejusdem compositi substantialis: Hîc ad 3.

ARTI-



A surgent, at non ad vitam, beatam scilicet illam & optabilem, quam meritò tanquam magnum bonum sperare oporteat; sed ad vitam corporis talem, quæ non est eis morte optabilior.

AD 2. Christus & Apostoli propterea interdum usi fuerunt argumentis quæ solùm probare videantur resurrectionem justorum; quia quæstio potissimùm erat de beatâ resurrectione, in quâ justi expectant laborum suorum mercedem, & quam prophetæ, Apostoli, alijque sancti promittebant fidelibus.

AD 3. Illud quod ex principijs naturæ causatum invenitur communiter in omnibus individuis alicujus speciei, naturale est illi speciei; non autem, B si quomodocumque aliter in illis inveniatur, ut ostendit B. Thomas art. seq. ad 1. Resurrectio autem non causatur ex principijs naturæ.

Circa Responsionem ad primum, Adverte hunc versum Psalm. 1. *non resurgent impij in judicio* explicari posse: vel ut ex posteriore membro subaudiatur, *justorum*: hoc sensu, Impij in judicio non consistent cum justis: hoc est, inter justos locum non habebunt: Vel ut non resurgere, idem sit quod non stare, nec se exigere, sed causa cadere & condemnari: nam, ut B. Thomas in illum Psal. scribit, *Resurgere in judicio* propriè *dicitur homo, quando causa sua sublevatur per sententiam judicis.* Isti ergo non resurgent in judicio, quia sententia pro eis in judicio non feretur, sed potiùs contra, unde alia lectio habet, *non stabilientur.*

In Responsione ad secundum ista verba Dan. 12. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere*, sic interpretatur ex Aug. l. 20. de civit. c. 23. ut dicat, *multos*, poni pro omnibus. Ita etiam ponitur Gen. 17. quando Abraham *Pater multarum gentium* constituitur: nam cap. 22. dicitur *benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Simili modo ad Rom. 5. Apostolus, modò multos, modò omnes dicit ex unius delicto constitui peccatores.

Dixit autem Daniel *multos*, & non omnes: ut significaret immensam multitudinem resurgentium, ut quæ sit comprehensura omnes homines quotquot unquam fuerunt aut futuri sunt. Omnes enim aliquando pauciores sunt quam multi: ut si quatuor vel quinque sint in scholâ, & scribant: omnes dicentur scribere, sed non multi. Confer quæ diximus 1. 2. quæst. 81. art. 1. in Resp. ad 4. è scriptura.

Pro Responsione ad Quartum dicendum est pœnam originalis peccati non dimitti impijs ex hoc quòd resurgunt; quia & verè mortui sunt in illius peccati pœnam, & per resurrectionem non simpliciter liberabuntur à morte, sed transibunt ad vitam morti similem, imo priori morte deteriorem; quæ Apoc. 20. vocatur mors secunda.

Circa Responsionem ad Quintum, adverte infantes in uteris matrum mortuos, etsi non sint nati ex utero; natos tamen fuisse in utero, ita ut per veram generationem acceperint esse humanum; & ideo quamvis non fuerint renati per gratiam justificantem, neque per eam sint aliquando renascituri; possunt tamen resurgere, quia possunt denuò pertingere ad perfectionem humanæ speciei, quam ante habuerunt. Et revera resurgent.

ARTICULUS II.

*Utrum erit resurrectio omnium generaliter.*

NON QUÆRITUR hîc utrum omnes sint morituri, & deinde resurrecturi (nam quòd omnes morituri sint, quæst. 78. art. 1. disputat) sed, an omnes qui fuerint mortui, resurgent.

VIDETUR autem quod non. PRIMÒ, quia de impijs Isaiæ 26. dicitur, *Morientes non vivant: Gigantes non resurgant.* Et cap. 43. *Simul obdormierunt nec resurgent.*

SECUNDÒ, Christus Joannis 6. non promittit B resurrectionem nisi venientibus ad se. *Nemo*, inquit, *venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* In argumento etiam contra Sadducæos, Lucæ 20. solùm agit de resurrectione bonorum: & similiter Apostolus ad Ro. 6. 1. ad Corinth. 15. & 1. ad Thess. 4.

TERTIÒ, illud quod est commune omnibus existentibus in aliqua specie, videtur esse naturale illius speciei: hominis autem resurrectio non est naturalis; ergo non omnes homines communiter resurgent.

*Omnes mortui resurgent.*

RESPONSIO ad fidem pertinens est, omnes omninò mortuos, nemine excepto, resurrecturos, nisi jam ante resurrexerint: ut illi qui resurrexerunt C cum Christo, & B Virgo Deipara, & quorundam opinione, S. Joannes Evangelista, ut qu. 77. argumento 2. indicat B. Thomas.

Probatur PRIMÒ, ex scriptura Joannis 5. Dominus universaliter affirmat, quod *omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionẽ vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicij.*

Actorum 24. Apostolus expectari dicit *resurrectionem futuram justorum & iniquorum.*

Ad Rom. 14. de bonis & malis universaliter dicit, *Omnes stabimus ante tribunal Christi: atque ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum*, quemadmodum 2. ad Corinth. D 5. loquitur.

Idemque ex verbis Domini Matth. 25. etiam constat; & rursum ex cap. 20. Apoc. ubi omnium mortuorum tam malorum quam bonorum resurrectio & retributio describitur.

Daniel quoque cap. 12. alios evigilaturos scribit in vitam æternam, alios in opprobrium. Hinc Ecclesia in symbolo Athanasij profitetur quòd *ad Christi* judicis *adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.*

SECUNDÒ, Ad hoc futura est resurrectio, ut omnes judicentur, & unusquisque recipiat pœnam aut præmium: cum ergo omnibus, absque exceptione, debeatur pœna vel præmium; omnium om- E nino futura est resurrectio.

TERTIÒ, Ea quorum ratio sumitur ex natura speciei, similiter inveniri debent in omnibus: resurrectio est talis; ergo. Minor probatur, quia ratio resurrectionis est, ne anima per quam species humana constituitur, in perpetuum maneat separata à corpore.

AD 1. ARGUM. RESP. quod sicut *vita*, etsi indifferens sit ad bonam & malam, ad beatam & miseram; aliquando tamen solùm accipitur pro bona & beata: ita *resurrectio* sæpè accipitur solùm in bono, pro eâ quâ resurgitur ad vitam beatam. Et hæc est quæ negatur impijs, qui quidem re-

*Sylv. in III. Part.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ARTICULUS III.

*Utrum resurrectio sit naturalis.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia homo non generat hominem, producendo animam, sed inducendo dispositiones ad illam: homine autem mortuo possunt in eandem materiam induci dispositiones ab agente naturali; ergo si Deus eandem illam animam quæ prius inerat, infunderet; idem homo naturaliter rediret.

Confirmatur ex 8. Metaphysicorum cap. 6. ubi philosophus dicit, quòd *si materia est eadem & agens idem, effectus erit idem.* B

SECUNDÒ, resurrectio est naturaliter cognoscibilis per rationes art. 1. datas, ergo est etiam naturaliter possibilis; sicut enim se habent res ad esse, ita ad cognosci.

*Resp. neg.* RESPONSIO CERTA EST, resurrectionem non esse naturalem. Naturale enim dicitur, cujus principium est natura: natura autem non potest esse principium resurrectionis.

Confirmatur, Agens naturale non potest eandem numero materiam disponere, organizare, & applicare ad ejusdem formæ introductionem, sive quia contingit eam materiam dissipari, dividi, & commisceri; sive quia causarum universalium, à quibus tale agens pendet in agendo, diversus est in- C fluxus, diversum tempus, diversa actio, diversæ circumstantiæ limitantes operationem causæ secundæ ad hunc singularem effectum potiùs quam ad alium; sive quia ipsa animæ, postquam semel est separata, nulla naturalis inveniri potest corporis dispositio, propter quam ipsa reuniri debeat vel possit, suæ materiæ. Hinc Philosophus l. 2. de generatione textu 70. dicit *ea quorum substantia est corruptibilis, redire eadem specie, non numero*; communeque est illud ejusdem in cap. de oppositis, non dari regressum à privatione ad habitum.

Hinc Dionysius cap. 6. de divinis nominibus. *Nos* (inquit) *totos* (*animas dico & socia corpora*) *ad perfectam vitam & immortalitatem transferre pollicetur. Quod veteribus quidem præter naturam fortasse videatur: mihi verò, tibique & veritati, & divinum, & supra naturam, ut est; videtur.* D

Idem sentiunt Chrysostomus hom. 65. in Joannem, Ambros. l. 4. in cap. 4 Lucæ, Aug. lib. 22 de civit. Dei cap. 4. Greg. Hom. 20. in Ezechielem, B. Thomas hic, & l. 4. contra gent. c. 81. & quodlibeto 4. art. 5. Durandus & alij in 4. dist. 43.

Cæterum, quia resurrectio erit ad vitam naturæ: ideò, secundùm quid dici potest naturalis, propter terminum: simpliciter tamen est supernaturalis, non solum considerata secundùm modum quo fiet, sed etiam quatenus est reparatio unius & ejusdem qui fuit mortuus, ac insuper secundùm prin- E cipium activum.

Ex his patet AD 1. ARG. Negandam esse Minorē.

Ad Confirmationem Resp. quod manere eandem materiam & idem agens, non sufficiat ad unitatem numeralem effectus; alioquin sequeretur semper esse eandem numero circulationem cœli; & idem esse numero lumen quod hodie causatur à sole, & quod heri, in eadem materiâ vel subjecto: sed præterea requiritur identitas actionis & motus, si agens tale sit quod à motu pendeat in agendo. Unâ enim actione operatur unum, & aliâ aliud, Philosophus autem non dicit id quod sumitur, sed A ita habet; *si materia est diversa & agens diversum, effectus erit diversus*; & loquitur de diversitate specifica, ut ex ejus exemplis, de arca & lecto, patet.

AD 2. Etsi probabili aliquâ ratione cognosci possit resurrectio; absque fide tamen, nulla ratio demonstrare potest eam vel esse possibilem, vel futuram.

PRIMÒ, quia longè superat facultatem naturæ: naturalis autem ratio non sufficit demonstrare, nisi illa quæ sunt in viribus naturæ, ut hîc ad 2. dicit B. Thomas.

SECUNDÒ, quia *ut resurrectio negetur, de omnium philosophorum schola sumitur*, ait Tertullian. lib. de præscriptionibus cap. 7. Unde semper fuit habita tanquam res creditu difficillima: Et cum Apostolus eam prædicaret; *novorum dæmoniorum* videbatur esse *annuntiator*, Act. 17. & *insanire* dicebatur, Act. 26.

AD PRIMAM autem rationem articulo primo positam, philosophus ethnicus, quemadmodum patet ex illis quæ B. Thomas ibi scribit; responderet, vel animam esse mortalem: vel immortalem quidem, sed mansuram sine corpore; sive quia nullum est agens quod possit materiam recolligere, disponere, & organizare; sive quia si anima resumeret suum corpus, impediretur à consecutione beatitudinis: nam corpus retardaret eam à contemplatione tali, qualis ad beatitudinem solâ naturali scientiâ cognitam, potest sufficere, fortasse etiam negaret esse contra naturam animæ, esse sine corpore, cò quod naturale sit animæ desiderare beatitudinem; quam tamen consequi non potest (judicio Philosophi ethnici) nisi anima sine corpore existat. Secundùm hoc enim potest homo beatitudinem adipisci, secundùm quod est natus semper vivere, id est, secundùm animam: nam quod secundùm corpus, immortalitatis dote præditum, possit semper vivere; talis philosophus cognoscere non potest.

Unde patet quid AD SECUNDAM rationem esset responsurus, animam scilicet beatitudinem melius consequi posse sine corpore, quam cum illo, & desiderium quod ipsa habet ad corpus, posse satiari per Dei & substantiarum separatarum contemplationem, in qua poneret ejus fælicitatem.

AD TERTIAM, Negaret consequentiam, diceretque præmiationem & punitionem sufficienter fieri in ea hominis parte, quæ est præcipuum operationis principium.

Præsuppositâ autem fide & omnipotentia Dei, facilè demonstrari potest, & quod resurrectio sit possibilis; & quod sit futura.

QUOD POSSIBILIS; quia manent materia, forma, & causa efficiens, Deus, qui potest eas unire: ac insuper, quia potentia Dei, cum sit infinita, posset animam & corpus etiamsi poneretur quod omnino periissent, reproducere ad eundem hominem constituendum, sicut utraque de nihilo ante creavit.

QUOD SIT FUTURA argumenta artic. 1. allata prorsus convincunt; quia fides, præter animæ immortalitatem agnoscit infinitam Dei potentiam, ac beatitudinem supernaturalem, præmiationemque ac punitionem totius hominis, æternam.

*Quæst.* PETES, Utrum Angeli possint naturaliter cognoscere hominum resurrectionem.

*Resp.* RESP. eos sive de bonis, sive de malis loquamur, non posse naturaliter cognoscere futuram aliquando generalem omnium resurrectionem; imò



imò nec cognoscere posse aliquam alicujus resur- A rectionem aut esse futuram, aut esse possibilem, loquendo de illis, priusquam viderint aliquem resurrexisse: quia principium resurrectionem causans, moduscque illam causandi superat omnes naturæ vires, & per consequens omnem naturæ cognitionem.

Postquam verò aliquis resurrexerit, Angeli possunt cognoscere, & quòd ille resurrexerit, & quòd resurrectio sit possibilis: quia resurrectio est ad vitam naturæ, ideoque terminus resurrectionis est naturaliter cognoscibilis. Cùm ergo Angeli videant eum qui antea mortuus erat, nunc iterum vivere; consequens est quòd sciant eum resurrexisse. Et quia in toto naturalium rerum ordine, nullâ B causam vident quæ potuerit hoc facere, superest ut sciant factum esse à Deo virtute supernaturali.

## QUÆSTIO LXXVI.

### De *causa resurrectionis.*

ARTICULUS I.

ART. 1. docet resurrectionem Christi esse causam nostræ; partim quia primum in unoquoque genere est causa reliquorum: partim quia sicut Christus secundùm humanam naturam accepit primitias C gratiæ, & ejus gratia est causa nostræ: ita in ipso inchoata est resurrectio, & sua resurrectio, est causa nostræ resurrectionis.

*Variæ sunt causæ nostræ resurrectionis.* Invenitur autem præter causam finalem, quæ est perfecta meritorum retributio, ut art. 1. quæst. 75. dictum est; *quadruplex causa*, nostræ resurrectionis, Efficiens principalis, Efficiens instrumentalis, Meritoria, & Exemplaris.

Efficiens principalis est Deus, qui vocatur ab authore, causa quasi æquivoca: quia resuscitando homines, non producit effectū sibi similem in specie.

Efficiens instrumentalis est Christi humanitas, quæ ut unita verbo, habet vim effectivam instrumentalem, ut 3. partis qu. 13. ar. 2. declaravimus: & D hæc (sicuti & Christus, secundùm quod homo) est causa univoca, quia suscitando homines, facit eos sibi similes in gloria corporis & animæ.

Meritoria causa non est resurrectio Christi; (cum ejus meritum morte sit finitum;) sed ejus opera mortem antecedentia. Ejus autem resurrectio est causa exemplaris nostræ: imò & efficiens instrumentalis, si consideretur ratione termini, id est, humanitatis.

Utrum autem etiam sit causa meritoria resurrectionis malorum, quæst. 56. ar. 1. ejusdem partis est examinatum.

ARTICULUS II. E

*De voce tubæ.* ART. 2. probat vocem tubæ esse causam nostræ resurrectionis; tum quia Christus resurgens est causa univoca nostræ resurrectionis, ideoque oportet, ut communi aliquo signo corporali dato, illam operetur; tum quia Joannis 5. mortui dicuntur *vocem filij Dei audituri*, quam Apostolus 1. ad Thess. 4. *tubam Dei, & vocem Archangeli* nominavit.

*Quæst.* Relinquit autem hîc B. Thomas in dubio, quid ista vox futura sit, an verus sonus, an sola evidens repræsentatio filij Dei.

*Sylv. in III. Part.*

Sed cum scriptura adventum Domini describens, tum locis jàm dictis, tum Matth. 24. & 25. & *Resp.* Apoc. 10. *vocem, clangorem, & tubam*, exprimat, adeò ut Apostolus asseveranter dicat 1. ad Corinth. 15. *canet enim tuba*: meritò in cap 5. Joannis resolvit vocem istam futuram sensibile signum Filij Dei: erit scilicet verus & propriè dictus sonus; ac verisimiliter vox articulata, hæc aut similis, *Surgite mortui, venite ad judicium*, ut Chrys. in c. 4. 1. ad Thess. tradit.

Hæc autem vox *erit Dei*; quia Dei jussu formabitur; *erit* etiam *Archangeli*, qui ab Archangelo edetur, & quidem Michaële, quia absoluto nomine *Archangeli* solet intelligi.

Vocatur *tuba* propter sonoritatem: erit enim tam magna & tam sonora, ut eam omnes omnino mortui sint audituri, & ad illam resurrecturi, eo modo quo ad hanc vocem Domini, *Lazare veni foras*, surrexit Lazarus, nam ad suscitandos mortuos similiter valebit, propter divinitatem Christi, qui dabit voci suæ vocem virtutis. *Habebit* autem *ista vox efficaciam instrumentalem ad resuscitandum, non ex hoc quod sentitur, sed ex hoc quod profertur*, ait B Thomas hîc ad 2. Ac nihilominus, ut Joannis 5. dicitur, *mortui eam audient*: sicut is qui excitatur à somno, audit vocem per quam excitatur, saltem indistinctè, & si non totam, saltem aliquam partem.

An autem futura sit propriè dictâ tuba, incertum est B. Thomas in cap. 24. Matth. ex Remigio negat.

ARTICULUS III.

*Angeli ad resurrect. cooperabuntur.* ART. 3. docet Angelos ad resurrectionem operaturos, quia Deus administrat inferiora per superiora, & per secundas causas operatur ea ad quæ illæ se extendunt.

Sed cum in resurrectione quatuor possint considerari, *cinerum collectio*, eorundem *præparatio ad reparationem humani corporis*, ut ex eis scil. formentur membra, ipsumque corpus; & *ipsius corporis formatio ac organizatio*; & postremò, animarum ad corpora *reunitio*:

Primum quidem & Secundum fiet per Angelos, partim naturali virtute, partim supernaturali agentes:

De Tertio etsi non certum probabilius tamen est Dominico in 4. dist. 43. quæst. 2. ar. 3. post Scot. & Durandum, quos sequitur Suarez tom. 2. in 3. p. disput. 44. sect. 4. quod non fiet Angelorum ministerio.

De Quarto certum est quod nec per eos fiet, sed (ut ex art. 1. colligitur) per humanitatem Christi, & per Deum tanquam causam principalem ea humanitate ut instrumento utentem.

Mortui autem suscitati, eorundem Angelorum ministerio congregabuntur ante tribunal Christi: & ibidem boni à malis per eos separabuntur; juxta illud Matth. 13. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆSTIO LXXVII.

## *De tempore & modo resurrectionis.*

### ARTICULUS I.

*Resurrectio differtur ad finem mundi.*

ART. 1. docet tempus resurrectionis humanorum corporum differri usque ad finem mundi: quia resurrectio erit ad vitam immortalem: esset autem contra ordinem, quem divina providentia statuit, si corpora inferiora perducerentur ad statum immortalitatis, durante motu cœlestium corporum; quia tota materia corporum inferiorum subjacet variationi secundùm motum cœlestium.

Hanc doctrinam certissimè probat illud Job 19. *Scio quod in novissimo die de terra surrecturus sum:* Et, quod Christus de eo qui videt filium & credit in eum, dicit; *Ego resuscitabo eum in novissimo die*, Joannis 6. Unde Martha fidem suam profitetur, de fratre suo dicens, Joannis 11. *scio quia resurget in novissimo die.*

Confirmatur, Resurrectio universalis non fiet, nisi quando erit messis omnium operum quæ hìc seminantur: *messis* autem *est consummatio sæculi*, Matth. 13. ergo non fiet nisi in consummatione sæculi. Major nota relinquitur ex eo quod nomine messis intelligatur tempus generalis retributionis, quando unusquisque metet quod seminavit.

Deinde, Adventus Christi ad judicium, futurus est in fine sæculi, Matth. 24. & 25. 1. ad Corinth. 15. 1. ad Thess. 4. 2. ad Thess. 2. Resurrectio autem ad hoc est futura: ut omnes Christo judici præsententur, ab eoque recipiant plenam retributionem.

Accedit, quod scripturæ nos doceant, hæc quatuor in unum tempus convenire: *Adventum Christi*, *Resurrectionem* mortuorum, Universale *judicium*, *Consummationem* sæculi; ut propterea hujus articuli doctrina ad fidem pertineat.

In responsione ad secundum, notans huic generali doctrinæ non obstare quorundam resurrectionem acceleratam, quia id ex speciali privilegio factum sit; concedere videtur non solum Beatam Virginem, sed etiam B. Joannem Evangelistam, resumpto corpore glorioso, in cœlum ascendisse.

*B. Virgo resurrexit.*

Et quidem de B. Virgine Deiparâ satis convenit, nec sinè temeritate potest negari.

PRIMÒ, quia decuit ut Dominus gloriæ, qui etiam post partum incorruptam servavit ejus virginitatem, ipsius postquam migravit, immaculatum corpus, incorruptum servatum, translatione honoraret ante communem & universalem resurrectionem; quemadmodum ex B. Joanne Dam. recitat Ecclesia 18. Augusti.

SECUNDÒ, quia si tam gloriosæ Virginis corpus adhuc esset super terram, non deberet latere; sed quemadmodum aliorum sanctorum corpora, honorari.

TERTIÒ, quia id à veteribus traditum est, ut à Juvenale Hierosolymorum Episcopo apud Nicephorum lib. 2. c. 23. & apud Damasc. oratione 2. de Assumptione; qui duo id acceperunt ex historiæ Euthimiacæ li. 3. cap. 40. in qua historicus inducit Juvenalem Episcopum Hierosolymæ hæc dicentem Martiano Imperatori Chalcedone, ubi cum reliquis Palestinæ Episcopis tunc in Synodo agebat. Traditur idem ab Epiphanio hæresi 78. & alijs, de quibus Baron. ad annum Christi 48.

POSTREMÒ, quia id piè credit Ecclesia, ut ex officio Ecclesiastico patet.

De Joanne Evangelista, incertum est: affirmat quidem Nicephorus lib. 2. cap. 40. sed ex quo authore id acceperit non constat.

De sanctis qui cum Christo surrexerunt; 3. parte qu. 53. ar. 3. dictum est, conformiter ijs quæ hìc dicuntur ad 3. quod resurrexerint ad gloriam, non amplius morituri.

Pro Responsione ad 4. neganda est Minor. Nam mille anni quibus Apoc. 20. diabolus dicitur esse ligatus, significant totum tempus quod est à Christi morte, usque ad tempus Antichristi. Quo tempore propterea dicitur esse ligatus diabolus, *quia Christus ejus potestatem à seducendis ac possidendis eis qui fuerant liberandi frenavit atque cohibuit*, ut loquitur Augustinus lib. 20. de civit. cap. 7.

Interea verò, animæ decollatorum propter Christum, dicuntur vivere, vitâ scilicet beatâ, & *regnare cum Christo mille annis*, id est, toto illo tempore quod est ab illorum decollatione usque dum resumant sua corpora: & *hæc est resurrectio prima*, quia scilicet animæ quæ simul cum corporibus mortuæ putabantur ab infidelibus, beatificantur, & in meliorem statum restituuntur. In qua resurrectione seu beatificatione *qui partem habet, beatus est; nec secunda mors*, quæ est damnatio æterna, *habebit potestatem in illo, sed erit sacerdos Dei & Christi*, seipsum semper illi offerens, laudesque decantans; *& regnabit cum illo mille annis*, hoc est, toto illo tempore quod intercedit à beata ejus morte, usque dum palam omnibus appareat quod æternaliter sit in corpore & animâ victurus.

### ARTICULUS II.

*Utrum tempus resurrectionis nostræ sit occultum.*

QUIBUSDAM visum est quod non. PRIMÒ, quia mundus est creatus sex diebus: dies autem pro mille annis computatur apud Deum, Psal. 89. & 2. Petri 3. ergo post sex millia annorum erit finis mundi; & consequenter generalis resurrectio.

SECUNDÒ, mundus, (teste Greg. homil. 19. in Evangelia) habet sex ætates; unicuique autem ætati assignantur mille anni.

TERTIÒ, signum institutum est ad significandum; sed resurrectionem signa multa præcedunt: ergo illa significabunt quando sit futura.

Quia generalem hominum resurrectionem statim subsequetur, tanquam illi proximè conjunctum generale judicium, ut patet ex dictis q. 73. ar. 1. & qu. 77. art. etiam 1. Ideo de tempore utriusque una, eaque certa.

*Resp. esse occultum.*

RESPONSIO B. Thomæ, tum hìc, tum qu. 88. ar. 3. est tam Resurrectionis, quam judicij tempus ignotum esse. Quia cognosci non potest, nisi vel per revelationem, vel per rationem naturalem: Neutro autem modo cognoscitur.

Quod non cognoscatur per revelationem, ex scriptura constat, Act. 1. *Non est vestrũ nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in suâ potestate*: & Matth. 24. *De die autem illâ & horâ nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Et quod amplius est, Marc. 13. dicitur, *neq; filius* die illum sciret; quod Christus, etiam ut homo, eum ignoret; sed quia non sic accipit illius notitiam, ut illam communicaret



nicaret hominibus: vide quæst. 10. ar. 2. in 3. p. usus autem est Christus tali sermone, ut ab hujus mysterij inquisitione tum discipulos suos, tum alios omnes fideles longissimè arceret, tanquam à re cognitu impossibili.

Quod non possit etiam cognosci per rationem naturalem; probatur.

*Primò*, quia motus cœli cum sit circularis, potest ex natura sua durare in perpetuum; resurrectio autem generalis non fiet nisi motu illo cessante.

*Secundò*, neque judicij, neque resurrectionis tempus erit ex causis naturalibus, sed ex voluntatis Dei beneplacito: ad hoc autem beneplacitum cognoscendum ratio naturalis non potest pertingere.

Cæterum, ne quis suspicetur diem quidem & horam resurrectionis esse incertam, sed tempus, ut annum, lustrum, sæculum post quod futura sit, posse à nobis cognosci: sciendum est *diem & horam* phrasi scripturæ familiari, positam esse Matth. 24. & Marci 13. generaliter pro tempore. Et quamvis videatur nunc esse major ratio suspicandi quòd tempus illud in propinquo sit; quia fieri potest ut multa quæ prædicta sunt esse futura ante diem judicij, jam sint impleta, quæ olim adhuc erant implenda: neque nunc tamen affirmari potest diem judicij ante centum, ducentos, aut mille annos, adfuturum; quia id omnino incertum est, & unicuique ignotum. Unde Synodus Lateran. sub Leone 10. *Tempus præfixum, futurorum malorum, vel Antichristi adventum, aut certum diem judicij prædicare vel asserere* prohibet, sess. 11.

AD 1. ARGUMENTUM RESP. Nec Psalmistam, nec Apostolum, respexisse in illis locis ad dies creationis mundi; sed tantum significasse, quod in oculis & æstimatione Dei, unus dies & mille anni non differant, quod attinet ad proportionem mensuræ cum tempore infinito; quia utrumque respectu æternitatis est sicut punctum respectu temporis.

AD 2. Neg. subs. quanto enim temporis spatio duret novissima ætas, non est definitum, ait B. Thomas dicto art. 3. ad 3.

AD 3. Resp. Neg. Cons. quoniam illa significabunt diem judicij appropinquare, non tamen significabunt vel quam sit propinquus, vel quodnam sit ejus tempus determinatum. Vide qu. 73. art. 1. & nota quod præsentia, dominatus, & persecutio Antichristi significabunt appropinquare finem sæculi: sed quia post ejus mortem futura est adhuc incerti temporis duratio, in qua impij videntes mundum non statim consummari, existimabunt se esse quietos & securos, ideo tempus judicij determinatum adhuc erit occultum; & cum peccatores *dixerint, Pax & securitas*; 1. ad Thes. 5. 2. Petri 3. cumque sicut in diebus Noë, erunt comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, Matth. 24. inopinatè superveniet eis interitus, obscuratio solis, & aliorum astrorum (ad modicum tamen tempus) confusio, sonitus maris ac fluctuum, anxietas hominum, ignis conflagrationis, & signum crucis præcedens faciem Christi venientis ad judicium.

*Ob.*

Nec obstat illud Danielis 12. *Beatus qui expectat & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*, id est, qui supra trium annorum & sex mensium tempus, quod duratura & persecutio Antichristi supervixerit per dies 45. quos Deus ad pœnitentiam concedet illis qui vel per ignorantiam, vel per infirmitatem Antichristo consenserint; quasi hinc sequatur sciri posse determinatum tempus judicij, ab illis qui post mortem Antichristi erunt superstites: Incertum est enim, num illi dies futùri sint usuales; &, ut certum esset, non constat, an post illos immediatè Dominus venturus sit ad judicium, aut quanto tempore post, quemadmodum in illud caput scribunt Liranus, Dionysius Carthusianus, Pintus, & in cap. 2. posterioris ad Thessalonicenses Anselmus, seu quisquis est eorum commentariorum Author, & Haymo. Ac nihilominus, beatus dicitur qui ita supervixerit; quia tunc sacerdotes, pastores & concionatores, qui antea latebant, primò quidem metu. Antichristi, post mortem verò ejus metu principium & asseclarum ipsius, è latebris prodibunt, publicè concionabuntur, lapsos reconciliabunt, infideles ad fidem hortabuntur, divinaque officia exercebunt; sicque omnes qui tum vixerint, poterunt absque timore Deum colere, ipsique se reconciliare. Impij verò, qui ne tunc quidem volent pœnitentiam agere, secuti sequentur sua prava desideria, donec ex improviso intereant, ut ad 3. diximus.

*Resp.*

### ARTICULUS III.

ART. 3. docet determinatam horam temporis quâ fiet resurrectio non posse certò sciri, probabiliter tamen à quibusdam dici, quod fiet circa auroram, sole existente in oriente; & luna, in occidente: tum quia in tali dispositione creata putantur sol & luna; tum quia Christus dicitur tali hora resurrexisse, ut 3. p. qu. 53. ar. 2. visum est.

Cæterum, quia istæ conjecturæ non convincunt: hinc in cap. 5. prioris ad Thess. meritò affirmat *esse incertum qua hora erit*, id est, an die, an nocte, & qua hora diei vel noctis, *Qua nescitis, hora, filius hominis venturus est*; ait Christus Matth. 24. & Marci 13. *Nescitis quando Dominus domus veniat, serò an media nocte, an gallicantu, an mane.*

Scripturæ ergo quæ interdum diei, interdum noctis meminerunt; non determinati temporis, sed mysterij nos admonent. Quando tempus judicij vocant diem, significant quod Dominus *tunc illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium*, 1. ad Corinth. 4. quando nocti comparant; significant quod *dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet*, 1. ad Thess. 5.

### ARTICULUS IV.

ART. 4. docet resurrectionem, quantum ad ea quæ fient ministerio Angelorum, non futuram in instanti, prout instans significat indivisibile temporis, sed in tempore brevissimo & imperceptibili: quantum autem ad id quod fiet immediatè virtute divina, futuram omnino in instanti, scilicet in termino temporis quo Angelorum opus complebitur. Idem docet in 1. ad Corinth. cap. 15. ad ista verba, *In momento, in ictu oculi.*

De Responsione ad 1. vide B. Thomam 1. part. quæst. 74. ar. 2. & nota simplici narrationi scripturæ magis convenire, ut quæ Gen. cap. 1. narrantur, per sex dierum intervalla putemus facta; prout series historiæ significat, & ibi latius ostendimus.

De Responsione ad 3. confer quæ diximus tertia parte quæst. 62. ar. 1. quæsito 3. ad 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QUÆSTIO LXXVIII.
### De termino à quo resurrectionis.

### ARTICULUS I.

*Utrum mors erit terminus à quo resurrectionis in omnibus.*

SENSUS est, utrum omnium transitus ad immortalitatem futurus sit mediante morte: An verò aliqui vivi permanentes, sint superveſtiendi immortalitate. In ſumma,

QUÆRITUR

*An omnes omnino sint morituri.*

ET VIDETUR quòd non. PRIMÒ, quia 1. ad Corinth. 15. ubi nos legimus. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: Græci codices habent, *non omnes quidem dormient; omnes tamen immutabimur*. quam esse germanam Apostoli scripturam probari potest, partim ex eo quòd Apostolus de sola bonorum resurrectione loquatur isto capite; cum tamen secundùm Latinorum lectionem, hic, velut ex abrupto, mentio esset ejus resurrectionis quę communis est etiam impijs: partim quia potius dixisset in tertia persona, omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabuntur; cùm extra morem sermonis Apostolici esse videatur, ut de reprobis agens, utatur verbo primæ personæ.

SECUNDÒ, Apostolus loquens eodem illo capite de incorruptione solis electis propria, ut patet ex his verbis; *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*; collatis cùm versu 42. significat diversos fore illos qui ex mortalis resurgent ad incorruptionem, ab his qui reperientur vivi, ac nihilominus immutabuntur. *Mortui*, inquit, *resurgent incorrupti, & nos immutabimur*: ergo quidam immutabuntur, qui non resurgent.

TERTIÒ, cùm Apostolus 1. ad Theſſ. 4. dixisset, *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi*, adjecit, *deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis*, ubi loquens in persona eorum qui tunc vivi reperientur, affirmare videtur quòd in adventu judicis, mortui qui in Christo dormierunt, primùm resurgent, ac deinde quòd justi qui reperientur vivi, simul cum illis jam à morte ſuscitatis, assumentur in gloriosam societatem & regnum Christi.

QUARTÒ, ex scriptura & symbolo habemus, quòd Christus sit venturus *judicare vivos & mortuos*.

QUINTÒ, *Enoch translatus est, ne videret mortem*, ad Hebr. 11. quem sine morte esse glorificatum, tradit Hieron. quando epist. 152. scribit Enoch & Eliam, *mortis necessitate superata, ita ut erant in corporibus, ad cælestia regna esse translatos: & mutatis glorificatisque corporibus esse cum Christo*.

SEXTÒ, de Bestia & Pseudo propheta, id est, de Antichristo & ejus Pseudo propheta, dicitur Apoc 19. *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis*.

Similiter etiam Num. 16. Dathan & Abiron vivi descendisse dicuntur in infernum.

DENIQUE, Augustinus libr. 2. de peccatorum meritis capite 31. Quibusdam hoc in fine largiendum dicit, ut mortem non sentiant.

RESP. Quamvis hæc sententia non sit omnino improbabilis, tum ob quorundam Græcorum codicum lectionem in 1. epist. ad Corinth. 15. cum ob Græcos patres:

Latinorum tamen *communis doctrina*, affirmans omnes sine exceptione morituros, vera videtur.

ET PROB. PRIMÒ, *Quis enim est homo qui vivet, & non videbit mortem?* Psal. 88. *Omnes morientur.*

*Omnes morimur*, 2. Reg. 14. & Ecclesiastici 8.

*Scio quia morti trades me; ubi constituta est domus omni viventi*, Job. 30.

*Statuitū est hominibus semel mori*, ad Hebr. 9. Unde Hilarius in Psal. 68. *Vivendi omnibus finem mors in omnes constituta præscribit*.

SECUNDÒ, id probant scripturæ, tum Gen. 3. ad Rom. 5. tum aliæ, quæ mortis necessitatē ascribunt peccato originali. Cùm enim illud sit commune omnibus (nisi quod de Beatâ Virgine, Sedes Apostolica nondum resolvit quid fide sit tenendum, vetans interim ne in publicis actibus vel asseratur pars affirmans, vel illic ab alijs impugnetur; in Bullâ Pauli 5. anno 1617. data) consequens est, etiam mortem futuram omnibus communem.

TERTIÒ, omnes justi, comprehensis etiam illis qui vivi reperientur in adventu judicis, dicuntur vivificandi, 1. ad Corinth. 15. *sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur*: ergo morientur ut vivificari possint, juxta illud quòd ibidem dicitur, *Quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur*.

IDEM PROBAT Latina vulgata lectio, *omnes quidem resurgemus*. Cùm enim resurrectio non sit nisi ejus qui cecidit per mortem; si omnes resurrecturi sunt, consequens est omnes esse morituros. Eodem pertinet altera Græcorum lectio, de qua ex B. Hieron. epist. 152. dicemus in Resp. ad 1. quæ habet, *Omnes dormiemus, non omnes autem immutabimur*.

QUARTÒ, non solùm Christus qui pro nostra redemptione patiebatur, mortuus est, sed etiam beata Virgo mortua est, cui potius privilegium non moriendi videbatur concedendum, si non omnes morituri sint.

QUINTÒ, in adventu judicis tam multi vel plures erunt mali, quàm boni: Absurdum est autem malos facere liberos à maledictione propter peccatum illatâ.

Non est etiam probabile, quod justi illius temporis donabuntur his duobus privilegijs: uno, ut sine morte; altero, ut sine purgatorio transeant ad immortalitatem: partim quia nemini quantumvis sancto fuerunt simul concessa; partim quia alioquin sequitur ejusmodi futuros pene æquales ijs qui statum innocentiæ retinuissent.

Sententiam hanc tenent Theophil. in cap. ultimum Joannis, Aug. lib. 20. de civit Dei capite 20. commentatores Paulini, & (si Cajetanum excipias) omnes scholastici.

*Probabilius & convenientius tenetur*; ait B. Tho. 1. 2. qu. 81. ar. 3. ad 1. *quod omnes illi qui in adventu Domini reperientur, morientur, & post modicum resurgent*. Et in hoc artic. *Securior est hæc & communior opinio quod omnes morientur, & à morte resurgent*. Rursum lection. 8. in cap. 15. epist. 1. ad Corinth. *Licet hæc litera, scilicet, Non omnes moriemur &c. non sit contra fidem; tamen Ecclesia magis acceptat primam, scilicet quod omnes moriemur sive resurgemus*. Similiter loquitur quæstione quarta de malo artic. 6. ad 1.

UT AD 1. ARGUMENTUM respondeatur, concedendum est in Græcis quibusdam codicibus ita legi, *Non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur*: hanc autem esse germanam lectionem, non facilè probari potest; tum quòd vulgatæ nostræ standum velit synodus Tridentina; tum quòd & Græci ipsi codices olim variaverint, quemadmodum testatur Hieronymus epistola 152. ad Minerium & Alexandrū Monachos Ægypti, ita scribens: *Quæritis quo sensu dictum sit, & quo modo in prima ad Corinth. epistola Pauli Apostoli sit legendum: Omnes quidem dormiemus, nō omnes autem immutabimur* (quæ lectio etsi non sit eadem cum ea quæ habetur in nostris biblijs, *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, omnino tamen cum ea convenit, quoniam ut omnes resurgamus, oportet quod omnes dormiamus seu moriamur:) AN JUXTA QUÆDAM EXEMPLARIA, *non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. Vtraque enim in Græcis codicibus invenitur*. Et postea, relatis sententijs Theodori Heracleotæ, & Apollinarij qui juxta illam lectionem Græcam, *Omnes quidem non dormiemus, seu non omnes dormiemus*, asseruerunt quosdam non esse morituros; subjungit hæc verba Didymi ex Origene: *Si non indigeret Resurrectio interprete, nec obscuritatem haberet in sensibus, nunquam Paulus post multa quæ de Resurrectione locutus est, intulisset; Ecce Mysterium vobis dico Omnes quidem dormiemus, id est, moriemur, non omnes autem sed soli sancti immutabimur*. Tum addit; *Scio quod in* NONNULLIS CODICIBUS, *scriptum sit, non quidem omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. Sed considerandum an ei quod præmissum est, omnes immutabimur, possit convenire quod sequitur, mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Si enim omnes immutabuntur, & hoc commune cum cæteris est, superfluum fuit dicere, & nos immutabimur. Quamobrem ita legendum est, Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur*. Et rursum postea refert Acacium de eadem quæstione disputantem, sic locutum esse: *Dicamus primum de eo quod magis in pluribus codicibus inventur: Ecce mysterium dico vobis, Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur. Mysterium dixit, ut attentiores faceret auditores de resurrectione plenius disserturus. Dromitio autem mortem istam quæ communis est omnium significat, unde rectissimè posuit quod omnes dormiamus id est, moriamur, sicut supra dixit. Quomodo in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. Cum ergo omnes morituri sint, audite sacramenta quæ dico, Omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur*. Addit post hęc Hieron. *Cui sententiæ magis acquievit Ecclesia, ut omnes communi morte moriamur, & non omnes mutemur in gloriam*. Similiterque multis interpolitis: *Hoc autem sciendum quod magis conveniat veritati ita legere, Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur: maximè quia sequitur, Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Si enim omnes sunt immutandi, juxta alteram lectionem: quomodo postea dicitur, quasi præcipuum atque privatum & propriè Apostolorum, & nos immutabimur? Quando autē dicit, nos, sanctos quosque significat*.

Ex quibus colligere licet, quod ista lectio, *Non omnes dormiemus*, non erat olim in omnibus Græcis codicibus, imo nec in plurimis; sed *juxta quædā exemplaria; &, in nonnullis codicibus*, ut ait Hieronymus cum altera, *Omnes quidem dormiemus*, magis in pluribus codicibus inveniatur, sicut dicit Acacius.

Observandum porro quod cum Hieronymus hanc lectionem alijs præfert, *Omnes quidem dormiemus* &c. non instituit comparationem cum lectione Latina, quæ ipso Hieron. ibidem beatoque Aug. l. 20. de civit. cap. 20. attestante habebat, sicut nunc habet, *Omnes quidem resurgemus*, sed cum ijs quæ in Græcis voluminibus legebantur; in ijs autem non habebatur *Omnes quidem resurgemus*, sed, vel *omnes quidem dormiemus*: vel, *non omnes dormiemus*, aut *omnes quidem non dormiemus*, si finem dictæ epist. 152. conferas cum ejus principio.

AD EA VERÒ quæ contra vulgatam nostram lectionem objiciuntur, bifariam potest Respondeti.

PRIMÒ, Apostolum præcipuè quidem loqui de resurrectione bonorum; interferere tamen aliqua ad communem omnium resurrectionem pertinentia: cujusmodi est illud, *Omnes resurgemus*; & *Mortui*, scilicet omnes, *resurgent incorrupti*; eâ nimirum incorruptione quæ dicit immortalitatem, non eâ quæ impassibilitatem & glorificationem; ut interpretantur Hieron. dicta epist. & Ansel. in cap. 15. prioris ad Corinth.

Hieronymi verba sunt; *Hic commutatio qua Paulus mutandus & sancti sunt, glorificatio intelligitur: Incorruptio autē idcirco communis est omnium, quia in eo miserabiliores erunt peccatores, ut ad tormenta perpetui sint, & non mortali & corruptibili corpore dissolvantur*. Anselmi, seu Authoris commentariorum ipsi inscriptorum, hæc sunt: *Quid sibi vult ista distinctio, Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur, nisi quia omnes incorrupti resurgent, sed ex his justi etiam immutabuntur, in illam incorruptelam, cui omnino nulla possit nocere corruptio*? Et postea, *Incorruptio itaque communis est omnium, quia in ea miserabiliores erunt peccatores ut ad tormenta perpetui sint*.

Neque tamen propterea oportuit Apostolum in tertiâ personâ loqui: nam & aliàs sermonem de re bonis & malis communi texens, in primâ personâ loquitur. *Omnes enim* (ait) *nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, 2. ad Cor. 5. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, ad Rom. 14. Quanquam & hoc in tertiâ personâ dicit, *Mortui resurgent incorrupti*; quod secundùm jam dicta universaliter accipitur, ut & bonos & malos comprehendat.

SECUNDÒ, Responderi potest Apostolum toto contextu loqui de resurrectione bonorum, hoc sensu: omnes electi, qui nimirum priùs dormierant, de somno mortis resurgent; non omnes tamen immutabuntur, sed soli illi qui tunc invenientur vivi: ut *immutationem* vocet, non glorificationem omnibus electis communem, sed à subitâ brevissimi temporis morte resurrectionem gloriosam. Et quod sequitur, *mortui resurgent incorrupti*, similiter potest intelligi, quod illi justi qui somno mortis occupati ac longa morte detenti fuerunt, resurgent; & nos qui in adventu Domini reperiemur viventes, immutabimur ad eundem statum incorruptionis, absque eo quod resurgamus è somno mortis.

Et sic patet RESPONSIO AD 2. Aliquos scilicet immutandos, qui etsi resurgent à morte, non resurgent tamen à *somno* mortis.

Si dicas, Apostolum addidisse, *Ecce mysterium vobis dico*: nullum autem esse mysterium, si juxta Latinorum lectionē dicantur omnes electi esse immutandi: Ex verbis Acacij apud Hier. responderi potest, quod Apostolus *mysterium dixit, ut attentiores faceret auditores de resurrectione plenius disserturus*, quemadmodum supra recitavimus. *Ob.* *Resp.*

Si quis autem illam lectionem quorundam Græcorum quæ habet, *Non omnes dormiemus* &c. tueri velit: dicere poterit quod in ea sententia *dormire* signi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



significet aliquid amplius quàm mori. Sicut enim A dormire somno corporis naturali, significat continuationem somni per modum quietis : (unde non omninò dormivisse dicitur is qui ad momentum obdormiscens statim evigilat: ) ita *dormire* pro mori corporaliter positum, significat aliquanti temporis in morte quietem. Huc pertinere potest quod Psalm.120. dicitur, *non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel*, quatenus significat minus esse dormitare quam dormire. Igitur illius lectionis Græcæ sensus esse potest, quod non omnes homines dormient; quia qui vivi reperientur in adventu judicis, etsi morituri sint, non accipient tamen quietem mortis, sed dormitabunt potiùs & velut leviter obdormiscent, subita morte occupati, statim B autem resurrecturi.

Ad 3. Resp. cum Augustino lib. 20. de civit. Dei cap. 20. etiam illos qui vivi reperientur, quique dicuntur ab Apostolo rapiendi obviam Christo, esse morituros. Morientur autem, vel in raptu, vel potius (ut quæst. 74. ar. 7. & 8. dictum est) ante raptum per ignem conflagrationis.

*Primò*, quia raptus fiet non solùm post mortem, sed etiam post resurrectionem: Rapientur enim ut semper sint cum Domino; unde raptus non erit nisi bonorum; & tamen inter vivos multi erunt mali, qui etiam morientur.

*Secundo*, quia sequeretur alioquin non omnium resurrectionem simul futuram, quod tamen signi- C ficat Apostolus 1. ad Cor. 15. docens non solum uniuscujusque resurrectionem vel immutationem futuram *in momento, in ictu oculi*, hoc est, in instanti: sed etiam omnes electos eodem puncto temporis simul resurrecturos seu immutandos.

Sciendum ergo quod in epist. ad Thess. non dicit quod mortui qui in Christo sunt, prius resurgent quam isti resurgant, vel immutentur: sed quod illi prius resurgent, quam isti rapiantur obviam Christo. Ponit enim ordinem resurrectionis non ad resurrectionem vel immutationem, sed ad raptum; & significat eos qui in sepulchris ac terræ pulvere dormierint, primum resurrecturos, deinde illos qui vivi reperti fuerint (per ignem tamen in- D terea mortui, & ad vocem Archangeli, cum alijs, per resurrectionem immutati) rapiendos obviam Christo in aëra, cum alijs prius mortuis, sed simul immutatis, vide B. Thomam in commentario.

Ad 4. Resp. per *mortuos* intelligi vel eos qui jam sunt mortui; vel eos qui ante judicij tempus mortui fuerint: *vivos* autem vel eos qui nunc vivunt ac deinceps victuri sunt; vel eos qui tunc reperti fuerint vivi.

*Quæst.* Dices, jam dictum est omnes vivos per ignem conflagrationis morituros: ergo nulli reperientur vivi in adventu Judicis.

*Resp.* Resp. si loquamur præcisè de judicis adventu, vel de ipso judicij tempore; nulli tunc reperientur vitam hanc mortalem degentes: nam quod dicitur E aliquos fore tunc superstites, non est referendum ad ipsum judicij tempus, *sed ad illud tempus determinatum quod immediatè præcedet judicium, quando scilicet judicij* jam nunc futuri *signa incipient apparere*, ait B. Thomas hîc ad 1. sive, ut qu. 74 art. 7. ad 3. dixit, *ad tempus conflagrationis*; ut illi dicantur vivi reperiri, qui usque ad tempus conflagrationis vivent in corpore; totum enim tempus conflagrationis & subsequentium signorum, sub die Domini comprehenditur.

Ad 5. Sicut de Elia scribit Gregor. hom. 29. in Evangelia, *quod mortem distulit, non evasit*; ita & de ipso & de Henoch pronuntiat libr 14. moral. cap. 12. quod *ad medium revocabuntur, & crudelitatis Antichristi sævitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt.* Idque patet ex Apoc. 11.

Quæ objiciuntur ex B. Hieron. non sunt verba ipsius, sed Theodori Heracleotæ, & Apollinarij ipsum sequentis, qui ambo dicebant quosdam non esse morituros. Quæ autem fuerit sententia Hieronymi, ex Resp. ad 1. notum relinquimus.

Ad 6. Cum Apostolus 2. ad Thess. 2. dicat, quod *Dominus Jesus interficiet* Antichristum *spiritu oris sui*, non dubium est quin Antichristus morietur. Jussu ergo Christi vivus absorbebitur à terra, sed ea se iterum concludente, occidetur, antequam perveniat ad infernum, quo modo Dathan & Abyron vivi descenderunt, sed non pervenerunt vivi ad gehennam.

Ad postremum, Augustinus lib. 2. retractat. capit. 33. affirmat quod hoc dixerit servans locum diligentiori de hac re inquisitioni. *Aut enim*, inquit, *non morientur; aut de vita ista in mortem, & de morte in æternam vitam, celerrima commutatione, tanquam in ictu oculi transeundo, mortem nō sentient:* magisque posteriorem in partem se resolvit lib. 20. de civit. Dei cap. 20.

### Articulus II.

Art. 2. docet omnium resurrectionem futuram à cineribus, nisi ex speciali privilegio quibusdam aliter sit indultum : quia ordo naturæ exigit, ut non solum corporis & animæ conjunctio solvatur, sed etiam elementorum commixtio, quæ est & conservatur ex motu cælorum, qui tunc cessabit. Huc pertinet illud Gen. 3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* *Omnes resurgent ex cineribus, nisi &c.*

In responsione ad 2. tradit per cineres, intelligendas esse eas reliquias, quæ manent, humano corpore resoluto : Consuetum quippe est, corporum humanorum reliquias, hoc est, quicquid illud sit in quod ipsa resolvuntur, generali nomine cineres appellare; sive quia olim solebant humana corpora comburi post mortem, sicque in cineres redigi, unde sepulchra seu cinerum loca vocabantur busta: sive, quia homo ex terra & pulvere est formatus, mortisque sententiam accepit quod in pulverem rediret; cineribus autem & pulveribus magna est similitudo. Ideo cinerum nomen pro terra & pulvere usurpatur; partes verò in quę corpus mortuum resolvitur, sunt terra.

### Articulus III.

Art. 3. probat in pulveribus ex quibus humanum corpus reparabitur, nullam esse naturalem inclinationem ad resurrectionem: quia illi pulveres seu reliquiæ possunt esse elementa, vel carnes aliorum animalium : elementa autem sunt homogenea, & similiter carnes cujuscumque animalis. Cum ergo in alijs partibus elementorum vel animalium non sit aliqua naturalis inclinatio ad animam rationalem; neque est in illis partibus in quas conversum est corpus humanum. *In pulveribus corporis humani non est inclinatio naturalis ad resurr.*

Quod in argumento secundo ad oppositum sumitur, *cuilibet inclinationi naturali respondet aliquod agens naturale*; disputationis causa profertur; non habet autem veritatem universalem. Nam anima separata naturaliter inclinatur ad corpus, ut hîc ad 2. & prima parte qu. 76. art. 1. ad 6. dicitur; neque tamen est ullum naturale agens quod potest eam





reunire. Et cæcus naturalem habet inclinationem A ad videndum : cujus tamen cæcitas non potest à naturali agente curari.

Cæterum, quod hæc naturalis inclinatio animæ sit ipsius propensio, & non actus elicitus, nisi conditionatus; videri potest in Bannesio ad 1. p. qu. 76. art. 2. dub. 5. Sicut etiam, quod ex illa animæ inclinatione non sequatur in materia seu corpore, potentia naturalis ad animam recipiendam; eò quod potentia naturalis dicatur per respectum ad agens naturale significat B. Tho. 3. p. qu. 11. ar. 1.

In argum. 3. opponitur quod legimus cap. 20. Job de impio, *Ossa ejus implebuntur vitijs adolescentiæ ejus & cum eo in pulvere dormient*, ex quo sequi videtur quod humani cadaveris reliquiæ seu pul- B veres aliquam habeant inclinationem ad animam, cum vitia quæ in anima sunt, dicantur cum impio mortuo dormire in pulvere. Sed Resp. id nequaquam sequi : quia verba objecta non sic intelligi debent, quasi vitia actu maneant in pulveribus mortuorum; sed figurato sermone significant, quod vitia vitiorumque affectus comitentur impium usque ad mortem, nec ipsum deserant etiam tunc quando corpus in cineres redigitur; quoniam anima in peccato mortali decedentis, peccati affectum semper retinet, eamque semper comitatur pœna peccati. Vide Titelman. & Pinedam in Job.

## QUÆSTIO LXXIX.

## *De conditionibus resurgentium.*

### Articulus I.

### *Virum anima idem numero corpus resumat in resurrectione.*

Negabat olim Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, sed à S. Gregor, tunc verbis Romæ diacono convictus, *pellem manus suæ ægrotus tenebat, dicens; Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus*, ut refert ipse D Greg. lib. 14. moral. c. 32.

Objecerat autem Eutychius Gregorio illud 1. ad Corinth. 15. *caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.*

Et iterum, *Tu quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum.*

Potest Tertiò loco, & illud ejusdem capitis objici, *Seminatur corpus animale, surget spirituale; Secundus homo de cælo, cælestis: qualis cælestis, tales & cælestes.*

Quartò, Sancti resurgentes erunt *æquales Angelis Dei*, Lucæ 20. ergo induent naturam Angelicam.

Quintò, Cyrillus Jerosolymitanus catechesi E 18. *Qui est justus*, inquit, *corpus accipiet cæleste, ut possit cum Angelis dignè conversari.*

Sextò, Hieronymus in c. 5. ad Ephesios dixit, *quod corpora redigentur in animas.*

Septimò, Augustinus varijs locis affirmat nos in resurrectione habituros Angelica & cælestia corpora, ut libr. 83. quæstionum quæst. 47. lib. de fide & symbolo cap. 10. libr. de Agone Christiano cap. 32.

Octavò, generatio & resurrectio sunt diversæ actiones : cum actio quæ in generatione invenitur, essentialiter dependeat ab illis principijs & instrumentis per quæ naturaliter fit; quæ autem est in resurrectione, à solo Deo pendet, secundùm suam essentiam. Atqui diversarum actionum diversi sunt termini ad quos: ergo diversum erit corpus resurgens ab eo quod fuit generatum.

Nonò, etiamsi anima rationalis in morte hominis non pereat; perit tamen anima sensitiva; quæ constituit animal : ergo homo non resurget idem numero animal.

Decmò; ad ejusdem hominis resurrectionem sufficit identitas formæ in quacumque materia, ut probat Durandus. Cùm enim materia per se nullum habeat actualitatem, accipit suum esse à forma.

Responsio ad fidem pertinens est, quod ani- *Resp. affirm.* ma idem numero corpus resumet in resurrectione, constans scilicet ijsdem, carne, nervis, & ossibus. Neque enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat; quia *resurrectio est iterata surrectio*; sive *ejus quod cecidit, secunda surrectio*: hoc autem corpus quod gerimus, per mortem cadit, ergo illud ipsum resurget idem numero. Quod si anima resumeret corpus, at non idem numero; non diceretur resurrectio, sed novi corporis assumptio. Igitur quæcumque probant resurrectionem corporum, eadem valent ad probandum quod corpora resurgent eadem numero.

Idem clarè probat illud Job 19. *Rursum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*, ego, inquit, ipse; eodem igitur hoc corpore & eadem anima constans; & non alius, loco mei, diversus.

Aperta est etiam Apostoli sententia 1. ad Cor. 15. *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*: Si enim anima non resumeret idem numero corpus; non esset *hoc* corruptibile, quod incorruptionem indueret, sed aliud.

Eodem pertinet, tum quod Christus post resurrectionem idem numero corpus exhibuit discipulis videndum & palpandum, quod fuerat crucifixū; tum quod sancti qui cum Christo surrexerunt, dicuntur de monumentis exisse, Matth. 27. sine dubio cùm ijsdem illis corporibus in quibus vixerant; tū quòd in symbolo profitemur *carnis resurrectionem*; tum denique declaratio Innoc. 3. in Conc. Lateran. can. 1. quæ sic habet, *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent quæ nunc gestant.*

De hac re extant etiam sententiæ Hieronymi epist. 61. ad Pammachium contra errores Joannis Jerosolymitani, Aug. serm. 4. de verbis Domini, & in sermonibus in Pascha te habitis : lib. 22. de civit. Dei cap. 20. & 21. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 31. & aliorum, sive in epistolas Paulinas scribentium, sive in Job, sive in evangelia.

Ad 1. Argum. Resp. B. Gregor. & post illum S. Thomæ 3. parte quæst. 5. ar. 2. est, quod *caro & sanguis* nona accipiuntur ibi pro substantia, sed pro corruptione carnis & sanguinis, unde sequitur apud Apostolum, *Neque corruptio incorrupteli possidebit.* Eodem modo sumitur ad Rom. 8. cum dicitur, *Vos autem in carne non estis*, id est, carnalibus affectibus subditi non estis, ut illi vobis dominentur.

Ad 2. Apostolus in ea similitudine non considerat diversitatem rei, quod scilicet granum renascens sit numero diversum ab eo quod fuerat seminatum; sed diversitatem conditionis & qualitatis, quasi diceret, *id quod seminas* non est tale quale nascetur:

Universidad de Deusto
Biblioteca



cetur: seminatur enim nudum granum, sive tritici, A sive cujuscumque alterius seminis ; nascetur autem granum herba & aristis vestrum & ornatum. Ita corpus nostrum seminatur mortale, resurget immortale & gloriosum.

Ad 3. Corpus dicitur *spirituale*, quando ita subjectum est spiritui, ut solus spiritus sufficiat ad perpetuam atque fælicem vitam corporis, & ad omnem actionem, absque alimentis : & hoc ad distinctionem corporis *animalis*, quod ad sui conservationem eget alimentis, quodque sustentatur actionibus animæ quatenus ipsum animat ac vegetat.

Dicimur autem futuri *cælestes* ; quia secundùm gloriam & immortalitatem erimus donati qualitatibus quæ cælestibus congruunt, & conformes B Christo, qui proprie dicitur cœlestis ob divinam originem. vide 3.p.qu.5.ar.2.

Ad 4. Neg. conseq. quia sancti erunt *æquales Angelis*, non secundùm naturam, sed secundùm gloriam ; non nubentes, neque nuptui tradentes, nec cibo & potu egentes.

Ad 5. Cyrillus vocat corpus cæleste, non secundùm naturam, sed secundùm qualitates ; quia erit splendidum & gloriosum, ac simile corpori Christi.

Ad 6. Hieron. non vult corpora in animas esse convertenda, sic enim anima non resumeret corpus, sed assumeret animam, eamque animaret, quod nemo dixerit : sed loquitur de statu vitæ præsentis, C & monet ut qui aliquando futuri sumus similes Angelis, jam nunc incipiamus esse quod nobis in cælestibus est repromissum, ut scilicet refrenatis concupiscentijs simus toti spirituales. Vide qu.81. ar.3. ad 3.

Ad 7. Augustinus ea loca retractans libr. 1. retract. cap. 17. & 26. & li.2. ca.3. dicit intelligenda esse quoad similitudinem Angelorum, non quoad naturam.

Ad 8. Quidam Neg. Major. apud Suarez to. 2. in 3. part. disp. 44. section. 5. sed ea tanquam valde probabili concessa Resp. quod etsi in naturalibus, diversarum actionum diversi debeant esse formales termini ad quos, in supernaturalibus tamen id D non est omnino necessarium. Cum enim Deus non pendeat ab actione vel motu ; per absolutam suam potentiam potest diversis actionibus eundem numero effectum semel producere, & postea reproducere : ita ut actiones illas distingui faciat, non ex terminis, sed vel ex seipsis, vel ex principio, vel ex modo, vel aliunde.

Ad 9. Resp. neg. Cons. Cum enim in homine juxta sententiam magis receptam unica sit anima, eaque rationalis, à qua compositum habet esse animal, & esse hominem ; non tantum resurget homo idem secundùm numerum, sed etiam animal idem numero.

Ad 10. Resp. istam Durandi opinionem esse E erroneam. Ex illa enim sequuntur hæc absurda.

*Primum*, transmigrationem animæ in diversa corpora (quemadmodum philosophabatur Pythagoras) esse resurrectionem propriè dictam.

*Secundum*, non esse Deo possibile ut una anima informet, sive eodem, sive diverso tempore, diversa corpora ; eo enim ipso esset idem numero corpus, quo informaretur ab eadem anima.

*Tertium*, eandem esse numero materiam in capite & pedibus ; quia informatur ab eadem anima.

*Quartum*, futuram unius hominis resurrectionem, si ejus anima assumeret corpus quod nunquam cecidit.

Ad rationem verò in contrarium allatam Resp. materiam, etsi in sua ratione essentiali non includat actum substantialem ; habere tamen unitatem sibi propriam & intrinsecam, quam à forma non accipit : sicut enim est aliquid, reipsa differens à forma ; ita habere debet suam unitatem, & esse diversa secundùm essentiam singularem, ab alia. Esse ergo quod accipit à forma ; non est, esse *hanc* in individuo ; sed est esse hujus aut illius compositi partem.

Sciendum autem ad fidem identitatis corporum resurgentium, non sufficere, si dicatur anima resumptura eandem materiam ; sed agnoscendum est quod resumet idem corpus humanum organizatum, constans ijsdem partibus & membris.

Pro responsione ad 4. dicendum est, formam mixti dupliciter posse accipi.

*Primò*, pro forma substantiali corporis mixti ; & sic cùm in homine non sit alia forma substantialis, quam anima rationalis, forma mixti, homine moriente, non perit.

*Secundò*, potest intelligi forma mixti esse qualitas resultans ex temperie primarum ; & hæc cùm sit accidens, non præjudicat unitati corporis resurgentis, etiamsi non redeat eadem. Vide lib. 4. contra Gent. cap. 81.

### Articulus II.

Art. 2. probat esse eundem numero homi- *Resurget idem*
nem qui resurget ; quia alioquin non esset *numero*
idem qui finem consequeretur, & qui propter fi- *homo.*
nem est factus, imo nec esset resurrectio : ac proinde hæc doctrina est fidei, patetque ex ijs quæ art. superiore diximus.

Confirmatur, quilibet homo ita resurget, ut constet ijsdem numero, anima & corpore, quibus antea constitit ; ergo erit idem numero qui ante fuit. Vide B. Thomam quodlibeto 11. ar. 6.

In Responsione ad secundum observandum est in resurrectione futuram eandem numero humanitatem ; quia eadem numero anima eidem numero corpori conjungetur. Vocatur autem humanitas, *forma totius* ; non quod sit quædam forma consurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab utroque ; sed quia est totum quoddam resultans ex compositione formæ & materiæ, comprehendens in se utrumque, & dicens quidditatem præcisè, non etiam suppositum. Confer 4. contra Gent. cap. 81. & dicti quodlib. ar. 6. ad 4.

Si dicas, diversa erit conjunctio ad corpus : *Ob.*
ergo erit diversa humanitas.

Resp. Neg. conseq. cùm enim conjunctio, sive *Resp.*
sumatur pro actione & passione, sive pro relatione, non sit de essentia humanitatis ; diversitas ejus non potest impedire identitatem humanitatis.

Circa Responsionem ad 3. difficultas est.

An



A per Dei potentiam bis esse, sic ut non propterea habeat duas diversas existentias, vel duas durationes internas, sed unam & eandem : hæc autem res dicetur bis esse, quia non duravit continuò & sine intermissione, sed duratio ejus fuit interrupta ; & ita, in ordine ad durationem externam, coextitit duabus mensuris discontinuis. Ita Suarez 3. p. q. 53. art. 1. disp. 44. section. 6.

Quamquam & hoc quod B. Thom. tum hîc ad 1. tum libro 4. contra Gent. cap. 81. dicit, diligenter est notandum ; In hominis morte non fieri interruptionem esse substantialis ; quia esse quod erat compositi, manet in anima, etiam post separationem à corpore ; corpus autem in resurrectione adducitur in illius esse participationem.

In eadem responsione ad 3. observandum est, quod sensus aliquando accipitur pro anima sensitiva ; & sic manere dicitur post mortem, quatenus anima rationalis eam continens, manet : aliquando autem sumitur pro potentia sensitiva ; & ita non manet. Quæ si in resurrectione non restituatur eadem, non officit unitati hominis : cùm enim sit accidens, solùm inducit diversitatem accidentalem : non est tamen impossibile Deo, etiam potentias sensitivas reddere easdem secundùm numerum.

### Articulus III.

*An aliquod ens penitus corruptum possit per Dei potentiam idem numero reproduci.*

Videtur enim quod non. Primò, quia B. Thomas hîc ad 3. dicit, quod si anima sensitiva esset in homine diversa à rationali, consequens foret non idem animal, nec eundem hominem resurrecturum, quia non rediret eadem anima sensitiva.

Secundò, 3.p.qu.77.art.5. affirmat, quod *si panis substantia esse annihilata, non posset redire.*

Tertiò, Deus non plus potest agere per vo- B luntatem, quam si ageret ex necessitate ; voluntas enim non auget potentiam : si autem ageret ex necessitate, non posset reparare corruptum idem numero, quia ageret instar causarum naturalium : ergo nec nunc potest.

Quartò, Iteratio opponitur identitati, si enim aliquid iteratur, bis est : ergo habet duplicem durationem ; atque ita sunt duæ res.

Resp. Quamvis de entibus successivis, ut motu & tempore problematicè disputetur, an possint per omnipotentiam Dei reproduci ; & pars negans in doctrina B. Thomæ sit probabilis, ut declarat Dominic. in 4.d.44.art.1. quia eorum esse consistit in continuo fluxu, & propterea ad sui unitatem, re- C quirunt continuitatem durationis : de rebus tamen permanentibus certò constat quod illas, etiamsi penitus perierint, possit Deus eadem numero reproducere.

Primò, quia ejusmodi res reproduci, non in- *Resp. affirm.*
volvit contradictionem.

Secundò, quia non videtur alioquin, quomodo resurgeret idem numero corpus, quod igne absumptum, in minimos cineres est redactum.

Tertiò, quod naturale agens non possit reproducere aliquod ens corruptum, accidit ex eo quod non possit producere sine motu & tempore ; cujus identitas requiritur ad identitatem actionis naturalis, qua sola potest agens naturale operari. D Cùm ergo Deus neque à tempore, neque à motu, neque ab ullis causis pendeat : sicut in ejus potestate est producere effectus sine causis medijs, ita potest eadem numero reparare, etiamsi in nihilum collapsa fuerint. Ita B. Thomas quodlibeto 4. art. 5.

Ad 1. Arg. Resp. B. Thomam loqui contra opinionem illorum qui ponebant animam sensibilem & rationalem, diversas esse in homine, ex quo sequebatur quod anima sensitiva non sit in homine incorruptibilis : & consequenter, quod in resurrectione non erit eadem anima sensibilis ; non quia Deus non possit animam corruptam reproducere ; sed quia resurrectio per hoc intelligitur futura, quod anima incorruptibilis, ideoque E seorsim à corpore manens, resumat corpus ; absque novæ alicujus formæ creatione.

Ad 2. In tertia parte respondimus eum loqui secluſis his miraculis, quæ cum consecratione non habent necessariam connexionem.

Ad 3. Neg. Assumpt. non quia voluntas potentiam augeat ; sed quia Deus dum per voluntatem agit, est virtutis infinitæ ; si autem ageret ex necessitate, non esset virtutis infinitæ : aut, si hoc supponeretur ; posset supra naturam agentium naturalium, ex nihilo producere, & corrupta reparare.

Ad 4. Neg. Antecedens, una enim res potest

*Sylv. in III. Part.*

Art. 3. docet, absque præjudicio identitatis fieri posse quod una pars materiæ redeat ad aliam ejusdem totius partem homogeneam, id est ejusdem speciei, quia hoc non faceret varietatem, nisi secundùm situm partium ; situs autem partium in totis homogeneis non variat speciem. Si autem materia unius partis rediret ad aliam partem alterius speciei ; variaretur, non solùm situs partium, sed etiam identitas earum : ablata autem identitate partium, aufertur identitas totius ; si loquamur de partibus essentialibus, quales sunt ossa, caro, venter, brachia.

*Sed loquendo secundum congruentiam, magis probabile est* (inquit) *quod & situs partium idem servabitur in resurrectione, præcipue quantum ad partes essentiales, & organicas : quamvis forte non quantum ad accidentales, sicut sunt ungues & capilli.*

Secundùm hæc igitur non solum ipsi corpori, *Materia redetur*
sed etiam singulis ejus membris sua propria mate- *cuique*
ria est restituenda : sic ut quæ fuit materia oculi, *membro*
reddatur oculo : quæ manuum, manibus ; & sic de *propria.*
alijs, servato etiam situ partium.

Confirmatur, Nam hoc divinæ potentiæ facile est, & facit ad perfectiorem identitatem corporum, quæ credimus quod resurrectura sint eadem ; facit etiam ad majorem congruitatem, ut scilicet homo præmium vel pœnam accipiat in ea parte quæ fuit organum virtutis aut vitij.

Sicut enim B. Thomas lib. 4. contra Gent. c. 79. & alij, probant resurrectionem, quia æquum est ut corpus quod fuit instrumentum animæ ad opus virtutis, sit particeps beatitudinis : ita probari potest esse congruum quod pars corporis, v. g. oculus per quem effusæ sunt lachrymæ compunctionis, redeat, ut sanctus per eum fæliciter Christum videat.

Adde, quod Scriptura sacra non solum tradat nos in resurrectione recepturos eadem corpora, sed etiam eadem membra : De ijsdem *pelle*, *carne*, & *oculis*. Job 19. De *lingua* & *manibus*, 2. Machab. 7. *De intestinis*, ejusdem libr. cap. 14. Unde Christus

Universidad de Deusto
Biblioteca



Lucæ 24. & Joan. 20. post resurrectionem *ostendit manus suas, pedes & latus* eadem quæ ante habuerat. A

Ad identitatem autem membrorum non sufficit identitas formæ & accidentium; sed requiri ut etiam identitas materiæ: adeò ut si manui non restitueretur eadem materia; non magis esset eadem manus, quam si alicui pro manu combusta miraculosè redderetur alia ex nihilo; vel ex diversa quapiam materia, tametsi eandem numero formam habitura: ergo singulis membris restituetur sua materia.

*Ob.* Nec obstat, Aug. cap. 89. Enchiridij dicere quod corpus non ita in resurrectione reparabitur, ut ea quæ dilabuntur aut in alias species vertuntur, quávis ad corpus redeant, ad easdem corporis partes B redire necesse sit: Non enim aliud vult quam non esse necesse, ut quæcumque superflua, velut capilli & ungues toties detonsi, redeant ad easdem partes, sed quatenus opus erit secundùm sapientissimam Dei providentiam, accessura esse alijs partibus.

*Resp.*

## QUÆSTIO LXXX.

### *De integritate corporum resurgentium.*

### Articulus I.

*Omnia hominis membra resurgent.*

Art. 1. docet omnia membra humani corporis resurrectura: Cum enim corpus non resurgat nisi secundùm ordinem C quem habet ad animam rationalem; oportet quod ex omni parte respondeat animæ: hoc autem esse non potest, nisi omnia membra resurgant, quia omnia continentur implicitè in anima; ergo omnia resurgent.

Confirmatur, homo in resurrectione reparatur ad ultimam perfectionem consequendam: ergo debet resurgere perfectus, constàs omnibus mebris.

Hanc doctrinam generaliter tam de reprobis quam de electis intelligit Author: sed quia de reprobis art. 1. qu. 86. peculiariter agitur; ideo nunc eam probare sufficiat, quantum ad electos; de quibus nulla ratione dubitandum est quin resurrecturi sint integris corporibus, habentibus non tan- D tum ea membra cum quibus mortui sunt, sed etiam illa quæ fortassis defuerint, vel à nativitate, vel quocumque casu. Si qua verò habuerint superflua, cum ea deformitatem adferant, non decorem; non restituentur.

Probatur Primò, quia status beatæ resurrectionis postulat ut justi resurgant perfecti, sine defectu & superfluitate.

Secundò, Quia appetitui naturali quo anima inclinatur ad suum corpus, non perfectè fieret satis, nisi universa membra sui corporis reciperet.

Tertiò, Cum resurrectio sit peculiare opus Dei, non poterit illic esse defectus, vel ex parte E virtutis agentis, vel ex parte materiæ, sicut in naturalibus: quia virtus Dei est infinita, eique ad nutum obedit materia.

Quartò, Christus *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, ad Phil. 3. Ipse autem integer surrexit absque ullo defectu. Eodem facit illud 1. ad Cor. 15. *Qualis cælestis, tales & cælestes.*

Quintò, Electis promittitur Lucæ 21. quod *capillus de capite illorum non peribit*: ergo multò minus eis decerunt membra vel partes ad integritatem pertinentes. Atque ita intellexerunt Machabæi martyres, & Razias, 2. & Machab. 7 & 14. Aug. serm. 4. de verbis Domini, Anselmus in cap. 4. ad Ephesios, Prudentius in fine Apotheosis.

*Quare redden-tur ea membra quorum nullus exer-cetur usus.*

In Responsione ad 1. adverte membra quorum nullus, qui nunc exercetur, erit post resurrectionem usus, non fore superflua: partim, quia unus eorum finis est perfectum esse speciei, quod etiam tunc requiretur; partim, quia instrumenta non serviunt solùm ad operationem agentis, sed etiam ad ostendendam virtutem ipsius.

In Responsione ad 2. notandum est, intestina, cum sint veræ partes corporis humani, sine dubio resurrectura, ut etiam ex 2. Machab. 14. v. ult colligi potest. In electis quidem plena nobilibus humoribus & subtilibus spiritibus; in reprobis autem verisimiliter plena materijs sordidis, ipsos condecentibus.

### Articulus II.

*Capilli & ungues resurgent.*

Art. 2. probat capillos & ungues in homine resurrecturos: tum quia homo resurget in omni perfectione suæ naturæ, sive prima, sive secunda; capilli autem & ungues pertinent ad secundam, cum sint ad conservationem aliarum partium: tum quia resurgent cum illis quæ pertinent ad ornatum & decentiam; cujusmodi sunt illa.

*Quæst.* Petes, si capilli & ungues toties detonsi, omnes resurgant: quomodo non est futura deformitas præsertim in viris? *Resp.* Respondet Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 19. illud Domini apud Lucam c. 21. *capillus de capite vestro non peribit*, de numero potius intelligendum, quam de longitudine. Unde Matth. 10. & Lucæ 12. dicitur, *capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Resurget ergo numerus capillorum, & quantitas unguium omnis illa quæ ad hominis ornatum pertinet, non quæ erit superflua. Vide etiam caput 89. Enchiridij apud eundem S. Augustinum.

Pro Responsione ad 1. & 2. observa ex Bonav. in 4. dist. 44. quod in homine possit tripliciter esse superfluum.

*Triplex in homine superfluum.*

*Primò*, & corpori, & speciei, cujusmodi sunt sudor, urina, & aliæ impuritates; quæ cum ad nihilum sint utiles, non erunt post resurrectionem.

*Secundò*, corpori, sed non speciei: ut semen, quod ad perfectionem individui non pertinet, sed solùm ad perfectionem speciei, propter necessitatem propagationis; & neque hoc superfluum in resurrectione erit. Tale etiam est lac mulierum, nutritioni infantum deserviens.

*Tertiò*, aliquid est superfluum uni parti, sed non alteri: sic materia capillorum & unguium, etiamsi superflua sit stomacho, decenter tamen locatur in capite, barba, digitis & pedibus; ac propterea remanebit, quanta erit ad decentem corporis constitutionem necessaria.

### Articulus III.

*Etiam quatuor humores restituentur.*

Art. 3. probat quatuor humores, qui sunt *sanguis, atra, & flava bilis, & phlegma*, esse restituendos resurgentibus: quia etsi non sint partes perfectæ, pertinent tamen ad constitutionem & integritatem corporis humani. Reddentur ergo electis in tanta quantitate, quanta requiritur ad optimam constitutionem: reprobis autem, prout Deus novit.

Arti-



### Articulus IV.

Art. 4. docet totum quod in corpore fuit de veritate humanæ naturæ, resurrecturum esse in ipso: nisi quod in resp. ad 3. & 4. ponat exceptionem de illis qui nutriti fuerint humanis carnibus, ut propterea verè dici possit, nec solum, nec totum id in singulis resurrecturum, quod fuit de veritate humanæ naturæ in individuo.

*Aliquid de alimento convertitur in substantiam aliti.*

Ex varijs opinionibus quas in corpore recenset, ea omnino tenenda est quæ tradit aliquid de alimento converti in substantiam aliti, ejusque forma informari, tam in hominibus quam in cæteris animalibus. Alioquin enim tolleretur nutritio, & B restauratio ejus quod per actionem caloris naturalis deperditur. Atque hæc est B. Thomæ sententia, tum hoc art. tum quodlibeto 8. art. 5. & manifestius 1. part. q. ult. art. 1. Unde sequitur, non solùm illud quod fuit ex semine vel humido radicali genitum, (ut vult secunda opinio) esse vel fuisse de veritate humanæ naturæ: sed quidquid post ea per nutritionem accessit. Resurget autem in unoquoque id quod ad naturæ suæ veritatem & integritatem pertinebit secundùm statum resurrectionis.

Ac proinde, quibus ad perfectam quantitatem perductis, pro ætate illa nihil materiæ defuit, neque superabundavit; ijs omnibus illa præcisè materia corporis restituetur, quam illo tempore habuerunt: Nam particulæ quæ interim defluxerunt vel accesserunt, ut superfluæ reputabuntur, & per consequens non resumentur. C

Qui verò habuerint, vel eodem vel diverso tempore, plus materiæ quam ad decentem statusam oporteat, ut obesi, & quidam alij; non totam eam resument, sed quantum ad convenientem eis quantitatem sufficiet.

Quibus autem aliquid defuerit, sive per ætatem sive per morbum, sive aliter: tota quam habuerunt materia reddetur, & reliquum virtute divina supplebitur, quod quomodo unitatem non impediat, in resp. ad 3. dicetur.

In Responsione ad secundum conformiter ijs D quæ 1. parte quæst. 92. art. 3. ad 2. tradidit, docet costam ex qua formata est Eva, fuisse quidem de substantia corporis Adami, non tamen ad integritatem ejus pertinuisse, sive non fuisse in illo de perfectione individui; ac proinde non resurrecturam in ipso, sed in Eva. Cæterum, quia costa illa ordinabatur in Adamo ad multiplicationem speciei, non erat in eo superflua: & quia figura hominis exterior mansit eadem; nulla fuit, aut deformitas, aut monstrositas.

*De Antropophagis.*

In Responsione ad 3. de Antropophagis, id est, de ijs qui vescuntur carnibus humanis, disserens, dicit quod *unumquodque in illo resurget, in quo magis accessit ad perfectam participationem virtutis speciei*; sive, in quo magis pertinuit ad veritatem humanæ naturæ: &, *si æqualiter in duobus vel pluribus accesserit, resurget in illo, in quo primò habuit ordinem ad resurrectionem, ex conjunctione ad animam rationalem illius hominis*, id est, in quo fuit primò informatum anima rationali: quia quod ab ea primò informatur, primò est de substantia illius hominis, & principaliter pertinet ad veritatem naturæ ipsius: quæ autem postea adveniunt, etsi convertantur in substantiam, non videntur tamen ita principaliter ad eam pertinere, cùm solùm inducantur vel ad augmentum, vel ad reparationem. Idem docuit Aug. cap. 88. Enchiridij dicens: *Terrena materies illi animæ humanæ puncto temporis redit quæ illam primitus, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit.*

Dicendum est ergo quod caro hominis ab homine comesta, resurgetur in eo qui fuit comestus; comedenti autem supplebitur, aut de eo quod ex alijs cibis fuit in ipso materialiter, aut aliundè.

Quod si ponatur solis carnibus humanis pastus; totum id in ipso resurget, quod à parentibus nascendo traxit; quod autem defuerit, supplebitur omnipotentia creatoris; eo modo quo in illis qui statim ut nati sunt, moriuntur.

Quod si & parentes solis humanis carnibus pasti fuerint, ut sic & eorum semen (quod est superfluum alimenti) ex aliorum hominum carnibus sit generatum: materia ista seminalis resurget in eo qui ex semine illo natus fuerat, ei verò qui generavit, aliunde supplebitur; sicut & illi, ex cujus carnibus comestis erat istud semen.

Neque additiones jam dictæ impedient corporis resurgentis unitatem: verè enim resurget totum id quod ceciderat; quamvis defectus aliundè suppleantur.

Et confirmatur, super id quod puer habet, aliquid per naturæ opus additur aliundè, ut ad perfectam quantitatem perveniat: neque tamen talis additio facit alium numero hominem, sed idem numero qui antea erat puer, postea est vir. Vide ar. 5.

At dices, Si parvæ nolæ adderetur magna quantitas æris, & ex ea simul cum ære præcedente fieret magna campana, nemo diceret istam campanã esse eandem numero cum parva nola: ergo similiter si puero suppleatur multum materiæ ut resurgat in quantitate virili, non erit homo idem numero, Resp. neg. C. quia non manet eadem numero forma nolæ & magnæ campanæ, sicut manet eadem numero forma (scilicet anima) in puero resurgente. Confer quæ S. Doctor habet quodlib. 11. art. 6. ad 3. & hujus Supplem. qu. 79. art. 2. ad 4.

Notandum porro naturaliter fieri non posse quod aliquis vescatur tota vita solis humanis carnibus.

*Primò*, quia infantia requirit cibos diversos & teneriores quam sint carnes.

*Secundò*, quia carnes non possunt semper comedi sine pane, vel alio cibo tenente locum panis.

*Tertiò*, quia præter cibum necessarius est potus, qui etiam transit in substantiam aliti.

In Responsione ad 5. observa embrionem, qui est fœtus imperfectus; ac generaliter omnem fœtum abortivum resurrecturum, si fuit informatus anima rationali; quia tunc fuit homo: omnem autem hominem qui mortuus fuerit, etiamsi in utero materno, resurrecturum, fide tenemus. Confer Aug. Enchir. cap. 84. & 86.

*Quæst.* Quæritur autem, quando fœtus censeatur animatus anima rationali.

*Resp.* Responsio communis est, quod tunc quando est formatus, habens scilicet membra & figuram hominis. Sicut enim anima hoc ipso quo anima est, requirit ut sit actus corporis cujus partes sint instrumenta, lib. 2. de anima cap. 1. id est, cujus partes sunt distincta quædam organa distinctis functionibus destinata, ita anima rationalis postulat corpus quod habeat, & partes diversis hominum functionibus deputatas, & membra, figuramque hominis. Unde Exodi 21. secundùm versionem 70. statuitur, ut si quis percusserit mulierem gravidam, & exierit infans ejus non formatus, id est, in quo non est expressa imago & effigies hominis, mulctam pendat: si

Universidad de Deusto
Biblioteca



dat: si autem formatus fuerit, puniatur ut homicida. Vide Aug. qu. 80. in Exodum, Theodoretum qu. 48. & Hieron. epist. 151. ad Algasiam quæst. 5. A

Non posse autem dici quod fœtus animetur anima rationali, ante omnem organizationem; etsi non si hujus loci breviter tamen probatur.

Primò, quia in illa scriptura secundùm dictam versionem supponitur quod fœtus ante formationem non sit animatus anima rationali, ideo enim percussor non punitur ut homicida.

Secundò, quia commune est formis quod naturaliter non recipiantur nisi in materia seu subjecto dispositò: ergo diversæ formæ diversam requirunt dispositionem. Atqui ante organizationem non sunt in materia dispositiones propriæ ad animam rationalem: ergo ipsa non tunc infunditur. Prob. Subs. partim quia dispositiones materiæ ad animam rationalem sunt membrorum & organorum humanorum præparationes, quæ hic absunt; partim quia ante organizationem materia non habet similitudinem cum specie humana. B

Tertiò, Quando materia recepit animam rationalem, ille fœtus jam est homo vivens, potestque discerni à re inanimata; sed ante omnem organizationem materia neque habet figuram neque proprietatem hominis viventis, imò nec discerni potest à re inanimata: ergo non habet animam rationalem. Confirmatur. Si fœtus ante organizationem, quando nullam adhuc præ se fert C speciem humanam, esset animatus anima rationali, deberet baptizari, si fortè ex utero prodeat; esset enim homo, ideoque obnoxius peccato originali: Non esse autem baptizandum habet communis Ecclesiæ praxis. Unde in Rom. Rituali ita præscribitur. *Monstrum quod humanam speciem non præ se ferat, baptizari non debet.* Ergo communis Ecclesiæ sensus est, fœtum non habere animam rationalem, nisi sit formatus & organizatus. Et in hanc sententiam conveniunt etiam communiter scriptores, sive Theologi sive Philosophi. Ac proinde si quis diceret eum recipere animam rationalem, tertio, quarto, vel quinto die, & omnino quando nullam prorsus habet organizationem, nullam humanam D speciem aut figuram; paradoxum diceret, neque esset in Theologia audiendus.

*Quæst.* Si autem quæratur, quo tempore fœtus humani formentur & animentur: Navarr. cap. 15. nu. 14.
*Resp.* & ca. 27. num. 223. dicit mares quadragesimo die animari: fœminas octogesimo. Aristoteles autem li. 7. de historia animalium cap. 3. & Plinius lib. 7. cap. 6. de fœminis dicunt quod circiter nonagesimum diem. Res hæc incerta est: ex diversitate enim personarum & complexionis ipsarum, certum est variari tempus formationis fœtuum.

*Quæst.* Quæri etiam potest, An monstra resurgent.
*Resp.* Resp. illa resurrectura in quibus magis appareret figura humana quam alia; hæc enim argumen- E to est, esse vel fuisse hominem: non resurgent autem illa, quorum tanta est deformitas ut magis habeant figuram alterius animalis quam hominis; quia non ad humanam, sed ad illius animalis naturam & speciem pertinent, cujus figuram referunt. Si dubia est figura vel natura; Deo, qui resurrectionis est Author, nullum est dubium; ideoque resuscitabit omne id quod verè fuit homo. Apud homines, propter Sacramentum baptismi ministrandum, judicium præcipuè sumendum est ex capite quod rationis ac sensuum est sedes. Vide quæ diximus 3. p. qu. 68. art. 11.

De homine bicorpore, Aug. Enchiridij cap. 87. pronuntiat quod non ita resurget: sed duo diversi, si nimirum fuerit duplus secundùm partes principales, maximè secundùm caput & cor: quia id argumento est, fuisse duas animas: quæ proinde singulæ singula sua corpora obtinebunt, Deo quod utrique deerit, supplente per suam omnipotentiam.

### Articulus V.

*Non resurget totum quod fuit materialiter in homine.*

Art. 5. docet non quidquid fuit materialiter in membris hominis, totum resurrecturum; quia etsi totum pertinuerit ad veritatem humanæ naturæ, quatenus habebat illius speciem; tota tamen materia quæ ab initio vitæ usque ad finem fuit in homine, non est ad illius perfectionem aut integritatem necessaria; Alioquin materia excederet quantitatem debitam speciei.

Sciendum est ergo in homine esse partes quas physici vocant *materiales*, esse & *formales*. Materiales vocantur parvæ partes materiæ quæ quotidie fluunt & accedunt: formales, sunt partes integrales majoris quantitatis, retinentes semper communem speciem; ut ossa, caro, nervi, &c. Ex his formales omnes resurgent, quia erunt eadem numero ossa, ijdem nervi, eædem carnes, eadem brachia, eædem manus &c. non resurgent tamen omnes partes materiales. Et hoc nequaquam tollit unitatem resurgentis. Quod enim non impedit unitatem secundùm numerum in homine dum continuè vivit, non impedit etiam unitatem resurgentis. In corpore autem hominis quamdiu vivit non semper sunt eædem partes secundùm materiam seu materiales; cum materia partium & resolvatur per actionem caloris naturalis, & de novo adgeneretur per alimentum: quam ob causam partes illæ dicuntur fluere & refluere: nec propter hoc impeditur quin homo sit unus numero à principio usque ad finem; quia cum eadem anima, forma & species singularum partium ejusdem corporis manent per totam vitam: ergo similiter ut resurgat idem numero homo, non oportet quod quidquid fuit materialiter in eo, resurgat, sed quantum sufficit ad complementum debitæ quantitatis, ait B. Tho. l. 4. contra Gent. c. 81.

De responsione ad 2. videatur 1. part. qu. ult. art. 1. ad 2.

## Quæstio LXXXI.

## *De qualitate resurgentium.*

### Articulus I.

*Lib. 4. contra Gent. c. 88. Omnes resurgent in ætate juvenili.*

Art. 1. docet omnes resurrecturos in ætate juvenili; loquendo de ætate non quantum ad numerum annorum, sed quantum ad eum statum qui in corpore humano ex annis relinquitur: sicut Adam dicitur in ætate juvenili formatus, propter talem corporis conditionem quam primo die suæ formationis habuit. Resurgent ergo omnes in ea staturæ magnitudine, in eo robore, & in ea totius corporis compositione, quæ convenit ætati hominis perfectissimæ; qualis solet esse circa annum trigesimum tertium, trigesimum quartum, trigesimum quintum: hoc enim tempus est in juvenili ætate medium. *Circa*



*Circa triginta quippe annos definierunt esse, etiam doctissimi hujus sæculi homines, juventutem,* ait Aug. li. 22. de civit. Dei c. 15. A

Hæc doctrina non est quidem ab Ecclesia definita; pœnè tamen certa est quantùm ad electos; & communiter tenetur à Patribus, Hieron. epistolæ 27. cap. 12. Aug. lib. 22. de civit. Dei cap. 14. & serm. 147. de tempor. cap. 3. & à Scholasticis in 4. dist. 44.

*Prob. de electis.* Probatur Primò, quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit; ita sine defectu reparabit: deficit autem natura, & in pueris qui necdum sunt consecuti suam ultimam perfectionem; & in senibus qui ab ea recesserunt: utrique ergo reducentur ad statum ultimæ perfectionis, B quæ est in juventute.

Secundò. Statura & compositio debent respondere operibus tam animi quam corporis: sed omnes operationes non solum animi, sed etiam corporis in Beatitudine erunt perfectæ: ergo similiter statura & compositio.

*Ac etiam de reprobis.* An idem sentiendum sit de reprobis, non æquè certum est; probabiliter tamen affirmant scholastici, quia resurrectio est opus Dei restaurantis naturam. Confer qu. 86. ar. 1.

In 1. argumento ad oppositum hæc doctrina probatur ex cap. 4. ad Ephes. ubi sic legimus; *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filij Dei in virum perfectū, in mensuram ætatis plenitudinis Christi,* ubi sensu litterali significatur quod tam diu ædificabitur corpus Christi quod est Ecclesia, donec omnes ad vitam destinati, alij post alios perveniamus in unam eandemque fidem & agnitionem Filij Dei, ut evadamus in virum perfectum, id est, ut assequamur robur virile, seu constantiam in fide & cognitione Christi, tanquam mensuram plenæ & perfectæ ætatis Christi, in corpore suo mystico. Unde illic sequitur, *ut jam non simus parvuli,* &c. vide Aug. lib. 22. de civit. Dei c. 18. & B. Thomam in commentario, qui cum expositionem de resurrectione mortuorum attulisset, dicens, *virum perfectum,* non ad sexum referri, sed ad robur & perfectionem utrique sexui com- D munem; subjungit, quod *Alio modo potest intelligi de fructu ultimo præsentis vitæ, in qua occurrent omnes fideles in unam fidem.* C

### Articulus II.

*Non omnes resurgent in eadem statura.*

Art. 2. probat non omnes resurrecturos ejusdem staturæ, sed unumquemque in ea quantitate, in qua (secluso naturæ defectu & errore) vel fuit in termino augmenti, vel fuisset si ante mortuus non esset; quia in resurrectione reparanda est natura, non solum quantum ad perfectionem speciei, sed etiam quantum ad perfectionem individui; hæc autem in uno postulat unam quantitatem, in alio aliam, secundùm proportio- E nem caloris & humidi radicalis, quæ non in omnibus est eadem. Ita etiam docuit Aug. dicto lib. de civit. c. 15. & Anselmus in cap. 4. ad Ephesios.

*De gigantum & nanorum statura.* Ex responsione ad 3. dicendum est gigantes non resumpturos corpora immoderatæ magnitudinis, neque nanos immoderatæ parvitatis; sed staturam viri, secluså monstruositate, congruentem: quia illi, vitio naturæ superabundantis ad tantam magnitudinem pervenerunt: isti verò, ex naturæ defectu quantitatem sufficientem non attigerunt.

Idemque sentiendum est de Pygmæis, si qui sint: quamvis enim Pygmæus in sua gente non sit monstruosus, uti nec claudus inter claudos, nec gibbosus inter gibbosos: comparatione tamen generis humani, simpliciter est monstruosus; quia illi ætatem virilem assecuto naturaliter convenit major statura, si naturæ humanæ conditionem spectemus.

*De Pygmæis.* Utrum autem sint Pygmæi, non immeritò dubitat Aug. lib. 16 de civit. Dei cap. 8. nam illi quorum mentio est Ezechielis 27. potius custodes videntur esse (quo modo verterunt 70.) & bellatores ad bella promptissimi (ut Hieronym. loquitur) quam homines cubitales. Aristoteles tamen li. 8. de historia animalium c. 12. & in fine lib. 2. de generatione animalium, affirmat esse aliquos: idemque sentit Plinius li. 4. cap. 11. lib. 5. cap. 29. li. 6. c. 19. li. 7. cap. 2. Aulus autem Gell. Noct. Attic. li. 9. cap. 4. inter fabulas refert, cique consentiunt, Gaspar Sanctius, & Cornel. à Lapide in c. 27. Ezech.

### Articulus III.

*Virum omnes resurgent in sexu virili.*

*Lib. 4. contra gent. ca. 88.*

Ita putantur existimasse Armenij his similibusque argumentis moti. Primò, quia in resurrectione cessabit imperfectio; unde supra dixi- mus nullam ibi futuram ætatem aut staturam puerilem: sexus autem muliebris est imperfectus.

Secundò, id videtur necessarium, ne sexuum diversitas oculis objecta, statum illum pudore dehonestet.

Tertiò, *Omnes occurremus in virum perfectum,* Ad Ephes. 4. Unde Hieronymus in illud cap. scribens dicit, quod uxores redigentur in viros.

Quartò, Athan. in lib. De virginitate, In regno, inquit, cœlorum non est mas & fœmina; sed omnes fœminæ quæcumque placuerunt Deo, virorum ordinem accipiunt.

*Resp. est in neg.* Responsio ad fidem pertinens est, non omnes in sexu virili resurrecturos, seu unumquemque in suo sexu: quia Christus Matth. 22. interrogatus à Sadducæis de uxore septem vira, cujus futura esset uxor in resurrectione, non respondit nequaquam futuras ibi fœminas aut viros, sed quod *ibi non nubent, neque nubentur,* supponēs scilicet futuras tunc fœminas, sed non ad eum usum ut nubant. *Vbi dicitur non nubent, neque nubentur, sexuum diversitas demonstratur, nemo enim de lapide & ligno dicit, non nubent neque nubentur, quia naturam nubendi non habent; sed de ijs qui possint nubere, & gratia Christi ac virtute non nubunt,* ut loquitur Hieron. epist. 27. c. 11. Et Beda in cap. 20. Lucæ; consentitque Aug. li. 22. de civit. Dei cap. 17.

Secundò, Deus reparabit quod in homine fecit in prima conditione; fecit autem utrumque sexum; ergo utrumque reparabit.

Tertiò, Sicut diversa quantitas, ita & diversus sexus debetur diversis hominibus, propter perfectionem speciei, cujus diversi gradus implentur in ea diversitate.

Quartò, homines resurgent integri secundùm omnia sua membra; ergo & secundum illa quæ faciunt ad diversitatem sexuum.

Quintò, Aliqua sunt merita ratione sexus, ut quod fœminæ in sexu fragili pro fide & castitate certantes, mortem oppetant: quod B. Virgo Christum concepit, peperit, lactavit; ergo in suo sexu glorificabuntur.

Ad 1. Argum. Resp. quod sexus fœmineus sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca



sicut virili est inferior quantum ad animi vigorem & corporis robur; ita est nunc imperfectus respectu illius: absolutè tamen est perfectus; utpotè non ad vitium pertinens, sed ad naturam, *Non est* enim *infirmitas per recessum a natura, sed a natura intenta*, inquit B. Thomas l. 4. contra Gent. cap. 88. unde hic ad 3. affirmat fœminas esse *de intentione naturæ universalis, quæ ad perfectionem humanæ speciei utrumque sexum requirit.* A

Cæterum, in resurrectione non erit ulla quoad diversitatem sexus, vel inferioritas, vel imperfectio: quia vigoris aut roboris differentia non attendetur secundùm illam diversitatem, sed secundùm diversitatem meritorum: propter quam sicut non omnes habebunt eundem fœlicitatis gradum, ita nec parem corporis perfectionem. Omnia tamen simpliciter erunt perfecta, unumquodque in suo ordine. Nec simile est de ætate vel statura puerili: nam sexus muliebris non ordinatur ad virilem ut eum aliquando assequatur; sicut ætas & statura puerilis ordinatur ad virilem. B

AD 2. Sicut in statu innocentiæ *nudi erant & non erubescant*, Gen. 2. ita multò magis pudor excludetur à statu gloriæ, ubi nec erit libido, nec ad eam declinari poterit, *Absit*, ait hic B. Thom. *libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causatur.*

*Resp. Ob.* SI DICAS, hæc non habere locum in damnatis: RESP. quod nec illi patientur motus libidinis, partim quia suo modo habebunt corpora quæ non possint ab intrinseco alterari, sed solùm ab igne & alijs externis agentibus, partim quia tristitia & dolore, velut absorbebuntur, etiamsi complacentia præteritarum libidinum maneat in voluntate illorum damnatorum qui propter tales libidines sunt damnati. C

*Qu. 79. ar. 1. ad 6.* AD scripturam in tertio argum. objectam Respondo petenda est ex ijs quæ ar. 1. diximus.

Ad verba autem Hieronymi RESP. eum non dicere quod in futuro sæculo uxores redigentur in viros; sed loquens de statu præsenti, monet, ut qui sunt aliquando futuri similes Angelis, refræna jam concupiscentia, fiant spirituales. *Rectè monerent*, inquit l. 1. in Ruffinum c. 6. *nisi post priora dixissem. Jam nunc incipiamus esse quod nobis in cælestibus repromissum est. Quando dico, hic esse incipiamus in terris; naturam non tollo sexuum, sed libidinem, & coitum viri & uxoris aufero.* D

AD 4. Athanasius significat fœminas ex eo quod fœminæ sunt, nihil minus in Regno cælorum habituras, sed accepturas ordinem virorum, quantum ad perfectionem animi & dona immortalitatis.

Pro responsione ad 2. vel dicendum est quod Apostolus significat abolendam prælationem Angelorum sive bonorum sive malorum, quantum ad hoc quod est posse alios ducere ad finem, vel abducere à fine: vel potiùs, quod loquitur de potestatibus adversarijs, quas Christus ita debellabit ac proteret, ut nemini, qui sit ex parte ipsius, quicquam mali possint inferre. E

### ARTICULUS IV.

### *Utrum omnes resurgent in vita animali.*

*Lib. 4. contra Gent. c. 83.* VIDETUR quod sic, quia post resurrectionem alij comedent & bibent; alij esurient & sitient, Isaiæ 65. Lucæ 22.

RESPONSIO ad fidem pertinens est, nullus resurrecturos in vita animali. PRIMÒ, quia in resurrectione *neque nubent neque nubentur*, Matth. 22. *æquales enim Angelis sunt*, Lucæ 20. *& regnum Dei non est esca & potus*, Ad Rom. 14 *surget & corpus, non animale* sed *spirituale*, 1. ad Corinth. 15. *Homines non resurgent in vita animali.*

SECUNDÒ, operationes vitæ animalis serviunt vel ad multiplicationem individuorum, ut generatio: vel ad restaurationem ejus quod actione caloris naturalis deperditur, ut comestio & nutritio: vel ad quantitatis augmentum, ut accretio. Atqui post resurrectionem completus erit numerus individuorum, & quilibet resurget in debita quantitate, nec mors erit ultra, nec fiet aliqua deperditio in partibus: ergo frustra esset actus potentiarum generativæ & nutritivæ, quæ ad vitam animalem pertinent.

AD ARG. respondet B. Thomas libr. 4. contra Gent. cap. 83. illa esse spiritualiter intelligenda, scilicet de plena saturitate omnis desiderij, quantum ad electos; & de inquietudine affectus, quantum ad impios.

Pro responsione ad 1. dicendum est cum B. Thom. hîc, tum dicto cap. 83. ad 2. & quodlib. 1. a. 5. quod Christus post resurrectionem comedit, non propter necessitatem, sed ad demonstrandum suæ resurrectionis veritatem, unde cibus ille non fuit conversus in carnem, sed resolutus in præjacentem materiam. Hæc autem causa comedendi non erit in resurrectione communi. Confer quæ diximus 3. p. qu. 54. art. 3.

In responsione ad 2. adverte post resurrectionem futura membra & potentias omnes naturales, non quidem ad eum usum quem nunc habent; sed, partim, ne quid desit ad perfectionem humanæ naturæ; partim ad ornatum universi; partim ad declarandam excellentiam animæ quæ vim habet membra & potentias movendi ad certos actus; partim denique, ut in toto homine, & secundùm corpus & secundùm animam, appareat Dei sapientia, qui quod non erat fecit, & quod corruptum fuerat, à corruptione liberavit. Et quamvis de singulorum membrorum particulari usu non facilè sit affirmandum: satis tamen certum est quorundam in vita beata usum futurum, ut docetur qu. seq. ar. 4. & qu. 84. art. 2.

## QUÆSTIO LXXXII.

## *De impassibilitate corporum beatorum resurgentium.*

QUI Supplementum ex 4. sententiarum B. Thomæ in ordinem redegerunt, huic quæstioni potuissent præponere duos articulos ex dist. 49. quæst. 4 art. 4. & 5. quibus resolvit aliquas esse *corporis gloriosi dotes*, easque *numero quatuor*, impassibilitatem, subtilitatem, agilitatem, claritatem: quibus velut ornamentis quibusdam, Christus electorum suorum corpora est dotaturus; possuntque isto distticho comprehendi. *Quatuor dotes corp. gloriosi.*

*Clari, subtiles, agiles, impassibilesque,*
*Omnes quadruplici pollebunt dote beati.*

Est autem dos corporis, dispositio quædam in corpore glorioso existens, ex qua fit ut ipsum perfectè subjiciatur animæ. Hæc autem subjectio quatuor modis intelligi potest. *Quid dos corporis.*

*Primò,*



*Primò*, ut corpus conservetur ab omni malo; & ad hoc valet dos impassibilitatis. A

*Secundò*, ut sine impedimento subserviat animæ quantum ad omnes actiones organicas; & ad hoc est subtilitas.

*Tertiò*, ut eidem animæ perfectè subjiciatur ad omnem motum loçalem; & ad hoc est agilitas.

*Quartò*, ut eidem subdatur secundùm formas accidentales, quæ in corpore sunt ab anima; & ad hoc est claritas, inter alias qualitates corporales nobilior.

Huic numero quidam adaptant quatuor virtutes cardinales, Prudentiam claritati, propter cognitionem: Justitiam impassibilitati, propter perpetuitatem: Fortitudinem, agilitati, quæ qualitas significata est ab Apostolo 1. ad Corinth. 15. per illud, *surget in virtute*: Temperantiam subtilitati, quia corpus extenuat. His præmissis, ad singularum tractationem veniendum est. B

### ARTICULUS I.

*Lib. 4. contra Gent. ca. 86.* ART. 1. docet corpora sanctorum post resurrectionem futura impassibilia; quia corpus humanum & quidquid in eo est, perfectè subjectum erit animæ, ac propterea nihil poterit corpori glorioso accidere contra dispositionem quam ab anima recipit.

Cæterum, quia passio dupliciter accipi potest. Uno modo generaliter pro omni receptione sive conveniente, & perfectiva, sive contraria & corruptiva: Secundò propriè, pro mutatione præter sive contra naturam; Sciendum est dotem impassibilitatis consistere in eo quod beati non poterunt pati passione posterioris generis se propriè dicta, non autem in eo quod non poterunt pati passione generaliter dicta; poterunt enim recipere aliquid sibi conveniens & perfectivum; quamvis non poterunt recipere aliquid corruptivum, uti nec corpora damnatorum, quæ talis passionis sic erunt expertia ut nequaquam corrumpi possint, sed perseverent mortalia & incorruptibilia, etsi non impassibilia. C

*In quo consistat dos impassibilitatis.* Erunt igitur corpora sanctorum impassibilia, non solum quia non poterunt mori, sed quia non poterunt aliquid pati quod sit eis molestum, triste, pœnale, afflictivum. Vide qu 86. art. 3. in fine corporis, & lib. 4. contra Gent. cap. 86. D

*Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*, Apoc. 21.

De hac etiam dote dixit Apostolus 1. ad Cor. 15. quod *corpus seminatur in corruptione*, id est, moritur corruptibile, *surget in incorruptione*. Et postea, *neque corruptio incorruptelam possidebit*. Sicut enim corruptionis nomine omnis miseria corporalis rectè intelligitur; ita per incorruptionem, status corporis ab omni miseria liber, de quo ad Rom. 2. dicitur quod *justi gloriam & honorem & incorruptionem quærunt*. E

Utrum autem hæc impassibilitas sit qualitas in corporibus gloriosis residens; B. Thomas hîc non exprimit: expressit verò 3. p. q. 45. art. 2. generaliter dicens quod *dos nominat qualitatem immanentem corpori glorioso*: & in 4 d. 49. asserens quod dispositionem quæ sunt in corpore glorioso, dicuntur corporis dotes. Videtur ergo impassibilitas esse bona quædam corporis constitutio, seu qualitas ex ejusmodi constitutione proveniens, quia corpus ita perfectè subjicitur animæ beatæ ipsum informanti, ut omnis passionis corruptivæ seu molestæ & afflictivæ sit expers. Sive ut Richard. in 4. dist. 49. qu. 2. loquitur, *est qualitas in corpore ex redundantia beatitudinis animæ causata, corpus prohibens ab omni passione suæ perfectioni contraria.*

De responsione ad 5. videndus est art. 4 qu. 54. ad 3. in 3. part. & cum Aug. hîc citato, conferatur Ambr. lib. 10. in Lucam cap. ult. noteturque quod sicut Christus resurrexit cum cicatricibus, ita resurrecturi sint martyres etiam cum cicatricibus, & cum signis vulnerum eximia claritate fulgentibus; idque in signum constantissimæ virtutis.

### ARTICULUS II.

*Ut erit in omnibus sanctis impassibilitas æqualis.* ART. 2. tradit impassibilitatem fore in omnibus beatis *æqualem*, si consideretur secundum se prout est negatio vel privatio potentiæ patiendi: *inæqualem* verò, si consideretur secundùm causam, quæ est dominium animæ super corpus: hoc enim dominium causatur ex eo quod anima fruatur Deo immobiliter; unde quæ perfectius illo fruitur, magis dominatur.

*Ut inæqualis.* Addi potest, futuram inæqualem ex parte causæ proximè, quæ erit qualitas seu bona dispositio in corpore: hæc enim admitti magis & minus. Unde in responsione ad 3. simpliciter affirmat quod *impassibilitas* sit *major in uno quam in alio*. Et S. Bonav. in 4. dist. 49. ar. 2. qu. 2. *Dotes*, ait, *in corporibus beatorum sunt secundum plus & minus, perfectius & minus perfectum in diversis.*

De responsione ad secundum quod privationes & negationes admittant magis & minus ex suis causis, vide quæstionis unicæ de potentia Dei ar. 3. ad 4. qq. 28. de veritate ar. 9 in corp. in secundùm sent. dist. 25. ar. 4. ad 3. 1. part. quæst. 11. art. 4. ad 3. prima 2. quæst. 22. art. 2. ad 1. & quæst. 73. art. 2.

### ARTICULUS III.

*Sensatio non excludetur à beatis.* ART. 3. docet impassibilitatem à corporibus gloriosis non excludere sensum in actu: quia alioquin corporalis vita sanctorum magis assimilaretur somno perpetuo, quam vigiliæ: imo non videretur esse vita, cum vita maximè appareat in exercitio sensuum.

Tota difficultas est, de modo sentiendi. Duobus refutatis, tertium probat, scilicet quod sensus sive sensatio corporum gloriosorum erit per susceptionem à rebus quæ sunt extra animam; ita tamen ut potentia sentitiva non immutetur immutatione naturali, sed spirituali.

*Quid immutatio naturalis.* *Immutatio naturalis*, ut hic & 1. part. qu. 78. ar. 3. tradit B. Thomas, est, *quando organum disponitur eadem qualitate naturali, qua disponitur res extra animam*: id est, quando organum recipit eandem qualitatem naturalem, quam habet objectum, sicut cum manus fit calida, *ex tactu rei calidæ; odorifera* ex tactu rei odoriferæ.

*Quid spiritualis.* *Immutatio spiritualis est, quando recipitur qualitas sensibilis in instrumento secundùm esse spirituale*: id est quando recipitur species sive quiddam intentionale qualitatis, & non ipsa qualitas, sicut pupilla oculi recipit speciem albedinis, & tamen non efficitur.

Prior immutatio non habebit locum in corporibus gloriosis; quia per illam immutatur natura recipientis.

Posterior verò in illis futura est, quia per eam

Universidad de Deusto
Biblioteca



non immutatur natura recipientis, sed ipsa solùm A servit ad sensationem actu faciendam.

Pro resonsione ad 1. nota quòd sentire sit pati, quatenus potentia sensitiva nata est immutari ab exteriori sensibili: ut jam dictæ qu. 78. ar. 3. loquitur. Quia verò ipsa sic ab exteriori sensibili pati potest, ut corpus non trahatur extra naturalem sua qualitatem, sed perficiatur spiritualiter; ideo sentire est pati passione perfectiva; quam non oportet removeri à beatis.

Circa resonsionem ad 3. adverte in beatis non succedere nova judicia rerum illarum quas vident visione beatifica, posse tamen succedere nova judicia rerum, quas vel per species inditas, vel per illuminationes, cognoscere possunt. Illud enim Aug. B *fortassis etiam non erunt voluntates nostræ cogitationes ab aliis in alia euntes*; sic ab authore nostro explicatur qu. 8. de veritate art. 4. ad 14. & 15. ut significet non esse in Angelis (idem videtur judicium de hominibus beatis) voluptibilitatem seu successionem eorum quę cogitantur, quantum ad illam cognitionem qua Angeli cognoscunt res in Verbo. *Sed quantum ad ea quæ cognoscunt per species innatas vel per illuminationes*, inquit, *ibi successio*. Confer 1. p. q. 10. art. 3. in corp. & qu. 12. art. 10. ad 2, itemque illa quæ ad qu. 72. art. 1. supra notavimus.

In resonsione ad 4. observandum est quod operationes sensuum in beatis non impediant quò minus tota mentis intentione ferantur in Deum: C quia quoties duo aliqua sic se habent, ut unum eorum sit ratio alterius, occupatio animæ circa unum, non impedit nec remittit occupationem ejus circa aliud. Sicut vox insonans auribus non impedit à consideratione rei significatæ, sed magis eam animo per sensum auditus ingerit: Et inspectio urinæ non impedit medicum à consideratione præceptorum artis de significatione ipsius urinæ. Deus autem apprehenditur à sanctis ut ratio omnium quæ ab eis aguntur vel cognoscuntur; ergo occupatio sanctorum circa sensibilia sensu percipienda, vel quæcunque alia contemplanda aut agenda, in nullo impedit divinam contemplationem. D

ARTICULUS IV.

ART. 4. probat in beatis *visum, auditum, odoratum*, & *tactum* habituros aliquam operationem: quia nullus erit defectus objecti; & nullum erit impedimentum ex parte medij. Cùm enim cælum Empireum sit maximè lucidum & transparens, multò meliùs per ipsum quam per purissimum aërem species diffundentur

*Erit in beatis visio corporalis.* Futuram ibi visionem corporalem tum gloriosæ humanitatis Christi, tum fulgentissimorum corporum beatorum, tum cælestium orbium, tum mundi hujus innovari, nullum potest esse dubium.

Et quia inter sanctos erit laus Dei vocalis, quem- E admodum hîc dicitur in corpore & ad 4. & 2. 2. q. 13. ar. 4. *cantabitur* enim *Alleluia & laudem dicent Deo nostro omnes servi ejus*, Tobiæ 13. & Apoc. 19. *Et auditio.* etiam erit corporalis auditio, quæ fiet per hoc quod species soni deferentur secundùm esse spirituale tantum, absque motu & incisione corporis medij.

*Odoratus.* Odoratus suavissimis qui ibi erunt odoribus afficietur, si enim corpora sanctorum miro odore flagrant in terris; multò magis gloriosa gratissimum spirabunt odorem.

*Tactus.* De tactu probatur, quia corpora sanctorum post resurrectionem sunt palpabilia, ut patet de corpore Christi, Lucæ ult variaque ibi futura sunt objecta quæ tangi poterunt.

*Et gustus.* De gustu major est difficultas, eò quod actui virtutis nutritivæ deserviat. Verum quod non habeat hunc solum usum; ex manducatione quæ fuit in Christo post resurrectionem, patet.

Quapropter omnino dicendum videtur, quod etiam tunc *erit operatio gustus*, non quidem per assumptionem cibi vel potus, qualem gustationem hîc negat B. Thomas; sed per immutationem linguæ ab aliqua humiditate suavissimi saporis illi adjuncta, ex optimo qualitatum humani corporis temperamento. Et hanc admittit S. Doctor. His consentit Richard. in 4. dist. 49. docens in beatis quemlibet sensum fore in actu; & Major eadem dist. qu. 14.

## QUÆSTIO LXXXIII.

## *De subtilitate corporum beatorum.*

ARTICULUS I.

ART. 1. docet subtilitatem esse proprietatem corporis glorioſi: quia secundùm Apostolum *seminatur corpus animale*, 1. Cor. *surget spirituale*. Vocatur autem corpus 15. gloriosum, spirituale; vel quia erit spiritui simile, quoad perfectionem operationum animæ; vel quia erit spiritui, id est, animæ perfectè subjectum, sine necessitate alimenti.

*In quo consistat dos subtilitatis.* Non est porro hæc dos sic accipienda, ut corpora sanctorum vel putentur futura aëri ventoque similia; vel in spiritus convertenda (sic enim non salvaretur carnis resurrectio:) sed quia erunt spiritui omninò subjecta quoad operationes animæ proprias. Anima enim tanquam forma corporis habebit perfectum dominium super illud, ita ut plenè & perfectè suas operationes per illud exerceat, sine ullo impedimento somni, cibi, potus, aut alicujus hujusmodi. Hinc Apostolus istam dotem sub nomine spiritualitatis expressit, 1. ad Cor. 15. dicens, *surget corpus spirituale*.

ARTICULUS II.

*Corpori glorioso non competit ex dote subtilitatis penetrare alia corpora.* ART. 2. probat non competere corpori glorioso ratione subtilitatis, quod sit simul in eodem loco cum alio corpore non glorioso: quia dotes non tollunt naturam, sed perficiunt; corpori autem naturaliter convenit quantitas dimensiva, qua corpus sic in proprio loco constituitur ut in eodem non simul admittat aliud. Huc pertinet quod Apostolus hanc dotem non opposuerit grossitiei vel corpulentiæ, sed animalitati, secundùm quam corpus alimonia indiget; *seminatur* inquit, 1. ad Cor. 15. *corpus animale, surget spirituale*. Ita etiam docuit B. Thomas quodlibeto 1. ar. 21. & 3. p. q. 54. art. 1. ad 1. Juxta quam sententiam non negatur quin corpora gloriosa possint, quando Deus voluerit, alia corpora penetrare, sed dicitur id eis non competere ex dote subtilitatis secluſa alia Dei operatione.

*Ob.* SI DICAS Damascenum l. 4. c. 28. sic intelligere subtilitatem ut vi illius corpus transire possit per januas clausas. *Resp.* RESP. eum aliud non dicere, quam quod *spirituale* apud Apostolum significet immutabile, impassibile, subtile; quale post resurrectionem



nem corpus Domini erat, cum per januas clausas A transiret: quod autem sic transire, illi conveniat ratione spiritualitatis inditæ, non dicit.

His conformiter loquitur Durandus in 4. d. 44. qu. 5. Quærens enim an per dotem subtilitatis possit corpus glorioſum simul esse cum alio corpore: respondet quod non, sive dos subtilitatis sit aliqua qualitas naturalis superaddita, sive non. Et probat, quia dos subtilitatis consistit in puritate operationum sensitivarum, & in subjectione earum ad rationem, ideoque nullam secundùm se dicit habitudinem ad locum. Quod autem secundùm se nullam dicit habitudinem ad locum, nihil facit ad hoc ut unum corpus possit vel non possit esse simul in eodem loco cum alio corpore. In eandem B sententiam scribit Rich. in 4. d. 49. qu. 5.

ARTICULUS III.

*Potest per miraculum unũ corpus penetrare aliud.* ART. 3. probat per miraculum fieri posse quod unum corpus sit in eodem loco simul cum alio carpore. Cùm enim Deus possit rerum proprietates auferre, ac nihilominus res ipsas conservare integras (quo modo in Eucharistia conservat accidens sine subjecto) nihil vetat quo minus quantitatem conservet, etiamsi ab illa auferat hanc proprietatem, secundùm quam requirit distinctionem situs ab alia. Sic Christus è clauso C matris utero est egressus, & ad discipulos januis clausis intravit. Sic sancti ad cœlum ascendentes, sphæras cælorum sine eorum divisione transibunt, non propter qualitatem vel dispositionem aliquam insitam, cujusmodi est dos subtilitatis, sed sola divina virtute hoc operantis. Vide dicti quodlibeti art. 2.

De resonsione ad 4. videantur quæ in 3. parte diximus qu. 75. ar. 1. in Resonsione ad argumenta ex ratione.

ARTICULUS IV.

ART. 4. docet duo corpora gloriosa posse esse per divinam virtutem simul in eodem lo- D co, nunquam tamen id futurum: quia unum eorum non se opponet alteri, neque erit ratio debitum ordinem, qui distinctionem requirit, transgrediendi.

ARTICULUS V.

*Corpus glorioſum postulat esse in loco æquali.* ART. 5. probat, ex dote subtilitatis à corpore glorioso non removeri necessitatem existendi in æquali loco; quia neque aliquid de quantitate sua unquam amittet; neque fiet modò rarius, modo spissius, neque ipsa quantitas efficietur minor seipsa per variationem situs, ita ut partes corporis subintrent se invicem. E

De resonsione ad 1. vide quæ diximus 3. part. quæst. 75. ar. 5. in resonsione ad argumenta ex ratione.

Ex resonsione ad 3. nota corpus glorioſum posse quando vult videri, & quando vult, non videri; quia in potestate ipsius est, agere in visum, vel non agere, diffendendo species proprias pro voluntatis arbitrio. Confer 3. p. qu. 55. art. 4.

ARTICULUS VI.

*Corpus glorioſum non est impalpabile.* ART. 6. tradit corpus glorioſum non esse propter suam subtilitatem, impalpabile: quia palpabile, dicitur aliquod corpus ex duobus, ex qualitatibus scilicet tangibilibus, & ex hoc quod resistat tangenti: hæc autem duo inveniuntur in corpore glorioso. Hinc de corpore Christi post resurrectionem dictum est, *palpate, & videte*, Lucæ ult. Notandum tamen quod corpori glorioso competat, ut cùm vult, non palpetur à corpore non glorioso. Verum hoc non habet ex dote insita, sed ex divina virtute assistente. *Ex virtute*, inquit B. Thom. *supernaturali hoc ei competit, ut cum vult non palpetur a corpore non glorioso.*

De resonsione ad 1. confer quæ diximus 3. p. q. 54. art. 3.

## QUÆSTIO LXXXIV.

## *De agilitate corporum beatorum.*

ARTICULUS I.

1. Cor. 15. ART. 1. docet corpora glorioſa futura agilia, quia corpus *seminatur in infirmitate, surget in virtute*, tanta scilicet ut perfectè subjiciatur animæ tanquam principio motivo, eique propterea nullam exhibeat difficultatem ad omnem motum, sive sursum sive deorsum, sive in dextrum sive in sinistrum; sicut nunc exhibet corpus infirmum & invalidum, etiam ad motus naturales.

*Quid dos agilitatis.* Consistit ergo dos agilitatis in qualitate seu dispositione corporis ab anima proveniente, per quã ita perfectè subjicietur animæ tanquam motori, ut sine labore & lassitudine, vel alia quavis difficultate; possit ab illa moveri secundùm quamlibet loci differentiam; idque brevissimè & velut imperceptibili tempore. Significata est hæc dos, Sap. 3. his verbis, *fulgebunt justi & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*: Et Isaiæ 40. *Assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Eodemque pertinet quod Lucæ 20. promittitur illis æqualitas Angelorum, quantum scilicet natura corporis permittit.

Hac dote Christus apparuit discipulis post resurrectionem; eademque in cælos ascendit. Specimen aliquod fuit Dan. ult. & Act. 8. Ubi Habacuc & Philippus subitò in alium locum translati sunt. Vide 3. p. q. 57. art. 3.

Circa resonsionem ad primum adverte sanctos 1. ad Thess. 4. dici *rapiendos obviam Christo*, non propter violentiam, sed propter summam celeritatem. Quæ enim celeriter fiunt, raptim fieri dicuntur.

ARTICULUS II.

*Sancti usuri sunt dote agilitatis.* ART. 2. ex scripturis art. 1. citatis probat sanctos aliquando usuros dote agilitatis. Quæ doctrina certa est. Nam è terra in cœlum ascendent: postea quoque in cœlo empyreo, ac fortassis etiam in inferioribus mundi partibus movebuntur; tum ut exercentes id quod habent in virtute, divinam sapientiam commendabilem ostendant; tum ut visus eorum reficiatur pulchritudine creaturarum diverſarum, in quibus Dei sapientia eminenter relucebit.

Quæritur

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quæst. Resp.*

QUÆRITUR autem, An movebuntur pedibus, an aliter. Quæ quæstio nimis curiosa est. Ad quam tamen si quid est respondendum, dici potest quod movebuntur prout eis placebit.

Quare motus, cum sit actus imperfecti, non repugnet perfectioni beatorum; ex responsione ad 1. & 2. potest intelligi, quia scilicet motus localis non variat aliquid eorum quæ sunt intranea rei, sed solum id quod est extra rem, scilicet locum. Unde id quod movetur localiter, manet perfectum quantum ad ea quæ sunt intra ipsum; quamvis hoc imperfectionis habeat respectu loci, quod dum est in uno loco, non est in altero, sed est in potentia ad locum alterum: Talis autem imperfectio B non repugnat perfectioni beatorum; sicut neque quod sint ex nihilo, quia non desinunt esse creaturæ, & habere conditionem creaturæ proprias.

Neque hinc sequitur beatos alicujus rei indigos futuros; quia non indigebunt motu locali simpliciter; (nam sine eo & esse & perfecti ac beati esse poterunt; & erunt) sed tantum sub conditione, si velint virtutem suam motivam experimento manifestare, aut creaturas diversas corporali visu aspicere.

### Articulus III.

ART. 3. docet quod corpora sanctorum non movebuntur in instanti: quia retinebunt C naturam corporis, ideoque habebunt determinatum situm: sed movebuntur in tempore imperceptibili, propter brevitatem & velocitatem motus: Addit etiam motum corporis instantaneum esse impossibilem: sed hoc controvertitur. Vide supradictæ qu. 57. ar. 3. in 3. p. Cum hujus ar. doctrina consentiunt Durand. in 4. d. 44. qu. 7. & Rich. d. 49. qu. 7. & 8. art. 4.

In respons. ad 1. vide explicationem verborum S. Augustini dicentis l. 22. de civit. cap. ult. *Vbi volet spiritus ibi protinus erit corpus.*

## QUÆSTIO LXXXV.

## *De claritate corporum beatorum resurgentium.*

### Articulus I.

ART. 1. docet in corporibus glorioſis futuram claritatem: quia *fulgebunt justi*, Sap. 3. & *Justi fulgebunt sicut sol in conspectu Dei*, Matth. 13. &, *Corpus quod seminatur in ignobilitate, surget in gloria*, ait Apost. 1. ad Cor. 15. Nam *Christus reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, ad Philipp. 3. eodemque pertinet quod idem Apostolus eodem 15 cap. ad Corinth. dixit, *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum*; significans dotem istam (sicut & de cæteris existimandum videtur, secundùm ea quæ notavimus qu. 82. art. 2.) non in omnibus electis futuram æqualem: causabitur enim ex redundantia gloriæ animæ in corpus, hæc autem gloria non erit æqualis. De modo causationis, non omnino convenit. Conformiter ijs quæ ad qu. 45. ar. 2. dicta sunt in tertia parte, probabilius videtur quod à solo Deo causabitur, secundùm quandam rationem debiti, fundatam in merito & in proportione connaturali, quæ est inter animam & corpus. Unde artic. sequenti ad 2. dicit Author. quod claritas corporis glorioſi provenit ex merito voluntatis. Hujus dotis exemplum fuit in transfiguratione Christi, & specimen quoddam in claritate vultus Moysi, Exodi 34.

*Claritas non erit æqualis in omnibus beatis.*

Circa responsionem ad 2. observandum est quod sanctorum corpora non tantum erunt lucida exterius, sed etiam interius transparentia, & oculis pervia instar vitri: nam hoc decet dignitatem corporis glorioſi, & magis quadrat verbis B. Greg. qui li. 18. moral. c. 31. ad hæc verba Job 28. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum; in auro* claritatem intelligit, in *vitro* transparentiam: neque enim posterius videtur sufficienter referri ad animam, ut significetur beatis suas invicem cogitationes patere: nam cum dixisset, Ibi uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus: addidit, *patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.*

### Articulus II.

*Claritas corporis glorioſi potest naturaliter videri ab oculo non glorioſo.*

ART. 2. probat claritatem corporis glorioſi posse naturaliter videri ab oculo non glorioſo: quia lux secundùm suam essentiam nata est movere visum, & visus secundùm suam essentiam natus est percipere lucem: claritas autem corporis glorioſi est lux ejusdem speciei cum claritate naturæ.

Ad ejusdem rei confirmationem facit quod claritas Christi in transfiguratione visa sit ab Apostolis, & quod impij videbunt gloriam justorum in die judicij, Sap. 5.

*Resp.*

SI DICAS, Christum post resurrectionem ideo noluisse discipulis, in sua clarificatione apparere; quia non potuissent oculis suis talem claritatem prospicere; ut dicitur in Dialogo quæstionum 65. quæst. 14. sub nomine Augustini: ergo oculus non glorificatus non potest ferre claritatem corporis glorioſi. RESP. neg. Cons. quia quod homo mortalis ejusmodi claritatem ferre non possit, hoc est propter alterationem naturalem quæ cum actione claritatis conjungeretur in tali subjecto: si autem actio naturæ suspendatur, & claritas neque calefaciat, neque dissolvat organum, neque disgregetur spiritus, sed solum agat actione intentionali per species; sic videri potest ab oculo non glorificato; præsertim si statum illum est consequutus, ut corrumpi nequeat. Vide hîc ad 2. & qu. 90. art. 2.

*Ob.*

### Articulus III.

*Corpus glorioſum non necessario videtur à non glorioſo.*

ART. 3. probat corpus glorioſum, neque ut corpus, neque ut glorioſum, necessariò videri à corpore non glorioſo; quia & actio corporis glorioſi, & color ipsius, est in perfecta potestate animæ, ut visum immutet vel non immutet, & consequenter ut videatur vel non videatur. Cum enim corpus glorioſum habeat suam gloriam ex merito voluntatis; conveniens est quod voluntati subdatur ut secundùm ejus imperium videatur vel non videatur. Et quoniam ejusmodi corpus est instrumentum summè obediens animæ, oportet quod tam ipsum quam ejus color non videatur nisi quando ipsa vult.

QUÆ-



## QUÆSTIO LXXXVI.

## *De conditionibus corporum damnatorum resurgentium.*

### Articulus I.

*Utrum corpora damnatorum cum suis deformitatibus resurgent.*

*Quæst. Resp.*

VIDETUR quod sic PRIMÒ, quia quod à sanctis tollantur deformitates, si quas habuerint; erit ex divina gratia; damnatis autem nulla fiet gratia: ergo defor- B mitates non tollentur ab eis.

SECUNDÒ, si omnia corporum vitia tollerentur à reprobis, sequeretur omnes mulieres corruptas resurrecturas virgines, quod non videtur dicendum.

RESP. Etsi Bonavent. non improbabiliter existimet deformitates, quæ sunt per diminutionem; auferendas in reprobis; remansuras autem eas quæ sunt ex indebita membrorum compositione; Nihilominus tamen.

B. THOMÆ SENTENTIA, quam sequuntur Palud. & Dominicus, probabilior est, omnes reprobos resurrecturos absque deformitatibus & defectibus illis qui non consequuntur naturaliter C ex principijs naturalibus in humano genere: qui autem sic consequuntur, cujusmodi sunt ponderositas, passibilitas, tarditas, & similes; in eis erunt: Restituetur ergo reprobis ea corporum habitudo quam ex primæva institutione erant habituri; sic ut & nullum eis membrum desit, & nullam habeant undecunque contractam deformitatem, seu quodcumque vitium in corpore.

*Quibus deformitatibus carebunt damnati.*

PROBATUR PRIMÒ, Resurrectio est restauratio naturæ: ergo sicut ab initio Deus creavit humanam naturam integram; ita integram reparabit.

SECUNDÒ, Christum judicem *videbit omnis oculus*, Apoc. 1. ergo etiam oculus eorum reproborum D qui cæci fuerint; ac proinde restituetur eis visus.

TERTIÒ, Defectus naturæ, ut communior habet sententia, reparabitur etiam in reprobis, qui omnes ad staturam juvenili ætati congruentem resurgent, etiamsi vel ad eam non pertigerint, vel ab ea recesserint. Quod si defectus illi restaurentur; cur non & alij?

AD 1. ARGUM. Neg. Conseq. Quamvis enim resurrectio beata divinæ gratiæ sit beneficium; non similiter tamen resurrectio malorum: nam hi resurgent ut magis puniantur, & per consequens hoc ipsum quod omnia illis membra restituentur, alijque defectus tollentur, ad majorem & extensiorem pœnam eis cedet. E

AD 2. Nihil absurdi est quod natura integrè reparetur, etiam in mulieribus illis reprobis quæ corruptæ fuerint; quia corporis integritas non est aliquid magnum, si desit integritas mentis; neque habet rationem virginitatis, saltem integram.

Circa responsionem ad secundum adverte quod cum bonum possit esse purum ab omni malo; non autem malum possit esse separatum ab omni bono: fælicitas sanctorum, tanquam bonum perfectum, excludet omnem miseriam; sed miseria damnatorum non excludet omnem perfectionem, præsertim illam quæ pertinet ad conditionem naturæ. A Ac nihilominus nihil impijs auferetur ad eorum miseriam pertinens, quia æquè vel magis miseri erunt, sublatis defectibus vel turpitudinibus ex corruptione vel debilitate naturæ provenientibus, quam si illos retinerent.

### Articulus II.

*Corpora damnatorum erunt incorruptibilia.*

ART. 2. docet, id *quod fidei est*, corpora damnatorum fore post resurrectionem incorruptibilia, sic ut nunquam corrumpi vel emori possint, neque ad corruptionem vel mortem aliqua alteratione disponi: tum quia supplicium eorum erit æternum Matth. 25. & alibi, tum quia *mori cupient, & non poterunt*, Apoc. 9.

Hujus autem incorruptionis causam ponit li. 4. contra gentes c. 89. quod corpus humanum post resurrectionem non erit transmutabile de forma in formam, quia tam in malis quam in bonis totaliter perficietur ab anima; quantum ad esse naturæ.

*Quæ incorruptionis causa.*

Aliam causam hîc adfert, cessationem motus cæli, propter quam in responsione ad 2. dicit quod incorruptibilitas illa erit per naturam: non quod in corporibus damnatorum futurum sit aliquod incorruptionis principium, sed quia erit defectus principij moventis ad corruptionem, motus enim cælorum est principium generationis & corruptionis, tunc autem motus ille cessabit.

Cæterum, cum ejusdem B. Thomæ doctrina sit, quod secundùm ordinem naturæ corpora humana & omnia corpora mixta corrumperentur, si motus cæli cessaret: dicendum est quod motu illo cessante, corpus hominis non sit incorruptibile per naturam, nisi per accidens & conditionaliter; quatenus scilicet, si divina virtute remaneat, non erit corruptibile per naturam, quia non erit aliqua causa agens corruptionem.

Verum, quia semper id quod per se, potius est eo quod est per accidens; causa autem per se corruptionis, scilicet compositio ex contrarijs, tunc erit potius: Ideo

*Justitia divina erit causa incorruptionis corp. damnatorum.*

Videtur dicendum quod per corpus hominis erit corruptibile per naturam, sed incorruptibile per gratiam, vel per justitiam divinam, Deo scilicet illud conservante in esse, vel per bonam dispositionem, quam electis conferet, vel aliter. Legendus est ipse B. Thom. opusculo 9. alias 10. art. 25. & opusculo 10. alias 11. art. 19.

### Articulus III.

*Corpora damnatorum erunt passibilia.*

ART. 3. docet (quod similiter fidei est) corpora damnatorum futura passibilia: quia sicut cooperata sunt animæ ad peccatum, ita simul cum ea punientur. Qua ratione quædam eis corruptio, scilicet afflictionis, doloris, & miseriæ conveniet, juxta illud Aug. in Psal. 38. *Dolor ipse æternus plenus corruptionis ad hoc non finitur, ut sine fine finiatur.* Et Enchir. cap. 92. *Vbi dolor perpetuus non intermittit sed affligit; ipsa corruptio non finitur, hæc in sanctis scripturis secunda mors dicitur.*

Erunt tamen corpora damnatorum incorruptibilia; quia (divina justitia sic volente) neque unquam consumentur, neque (ut jam art. 1. diximus) ad consumptionem vel mortem disponentur, simili ferè modo, quo anima in corpore existens, etsi illata forinsecus passione intensissimè doleat, corrumpi tamè non potest. Quo exemplo utitur Aug. l. 21. de civit. Dei c. 3. ad ostendendum non debere videri

Universidad de Deusto
Biblioteca



videri incredibile quod corpora damnatorum semper ab igne patientur, nec unquam consumentur.

Isti enim animæ passioni admodum similis est illorum corporum passio, quia non patientur per realem susceptionem qualitatis contrariæ ab agente impressiæ, quæ diceretur passio naturæ; sed per solam immutationem sensus à speciebus sensibilibus, quæ vocatur passio animæ: quia, ut loquitur B. Thom. *similis est illi receptioni qua anima recipit similitudines rerum.* Ita præter S. Thomam sentiunt Scotus d. 44. qu 3. & Dominic. dist. 50. art. 3. Nicolaus Denize tract. 7. p. 3.

Alij tamen existimant quod corpora damnatorum, patientur ab igne per veram & naturalem alterationem calefactionis, ac nihilominus quod non corrumpentur, divina virtute faciente quod ad talem alterationem non sequatur corruptio. Ita Paludan. d. 44. qu. 6. Durand. q. 10. Gregorius à Valentia tom. 4. disp. 11. qu. 5. in eandemque propendent Rich. dist. 44. qu. 6. & de Orbellis qu. 2. Quid verius sit, non magnopere refert scire modò utrumque per experientiam nesciatur, Deo sic nos adjuvante ut pœnas illas evadamus.

## QUÆSTIO LXXXVII.

## *De cognitione quam habebunt resuscitati in judicio, respectu meritorum & demeritorum.*

### Articulus I.

*Post resurrectionem omnes scient sua omnia bona & mala.*

ARt. 1. Docet unumquemque post resurrectionem in generali judicio habiturum notitiam omnium operum suorum, sive bonorum, sive malorum: quia secundùm Apostolum ad Rom. 2. *uniuscujusque conscientia testimonium ipsi reddet*, ipsum accusabit vel defendet; testis autem, accusator, & defensor, debet habere notitiam omnium eorum quæ in judicio discutiuntur. Unde conscientiæ singulorum erunt quasi quidam libri continentes res gestas, ex quibus judicium procedet: & isti sunt libri de quibus Daniëlis 7. & Apoc. 20. dicitur, *libri aperti sunt*: hoc enim non de libris materialibus est intelligendum, sed de conscientijs singulorum: & tunc unicuique suus liber aperitur, quando factorum suorum notitiam plenam accipit, non sono vocis externæ, sed occulta vi divina hoc operante, ut docet B. Aug. li. 20. de civit. c. 14.

Liber autem vitæ de quo in Apoc. sequitur; *Et alius liber apertus est qui est vitæ*, aptissimè intelligitur liber prædestinationis: sequitur enim quod *qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Vide B. Thomam 1. p. qu. 24.

In responsione ad primum ostendit in quolibet homine futurum aliquid, ex quo possit peccata revocare in memoriam; vim tamen divinam ad hoc principaliter operativam. Vide Basilium in c. 3. Isa.

### Articulus II.

*Omnes scient omnium opera & cogitationes hujus sæculi.*

ARt. 2. probat quemlibet in generali judicio habiturum notitiam omnium eorum quæ sunt in conscientia alterius: quia oportet ut in ultimo & communi judicio, divina justitia quæ nunc in plerisque latet, omnibus evidenter appareat. Sicut autem sententia condemnationis vel præmiationis non potest esse justa, nisi proferatur secundùm merita & demerita: ita non potest ab omnibus cognosci esse justa, nisi omnium merita & demerita omnibus innotescant, idque non solùm in genere, quod refellit Author ar. 3. sed etiam in particulari, neque tantùm cognitione facti, sed etiam juris; ita nimirum ut à singulis, cognoscatur & quæ alius gessit, & quod illa sint bona vel mala, & quibus præmijs vel supplicijs digna.

*Etiam peccata remissa manifesta erunt in judicio.*

Existimavit quidem Magister quod peccata per pœnitentiam deleta non patefient alijs in judicio; partim quia Angeli non cognoscunt ea quæ in aliorum cordibus latent, à libero arbitrio dependentia, nisi ipsi velint, secundùm ea quæ dicta sunt 1. p. qu. 57. art. 4. homines autem beati non erunt perspicaciores quam Angeli, sed sicut Angeli Matt. 22. partim quia dici non potest in quo unusquisque talia cognoscet: partim quia sequeretur esse dolorem vel tristitiam in Beatis: si enim charitas hîc dolorem de peccatis excitat, multò magis in futuro, ubi erit major charitas.

At meritò illi sententiæ Magistri contradicitur ab omnibus. Inde enim foret consequens pœnitentiam Davidis, Pauli, Magdalenæ, & aliorum sanctorum non esse cognoscendam ab alijs; nam pœnitentia distinctè cognosci non potest, nisi & ipsa peccata cognoscantur quorum est pœnitentia.

Deinde, scriptura nos docet quod *nihil est opertũ quod non revelabitur; & occultum, quod non scietur.* Matth. 10. quodque *Dominus veniens illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, 1. ad Cor. 4. Eodemque pertinet apertio librorum de quibus ar. 1. non enim ea solùm pertinet ad conscientias singulorum sibi-ipsis manifestandas, sed ad eas omnibus palam aperiendas. Unde libri illi comparantur registris quæ in judicijs aperiuntur, & ex quibus acta judicandorum clarè leguntur in auribus omnium qui judicio intersunt.

DICENDUM EST ergo omnia sive bona sive, mala, quæcunque toto vitæ tempore quis fecerit, dixerit, cogitaverit; omnibus esse manifestanda. *Posturus est* enim *Christus ante oculos omnium omnia occulta singulorum*, ait Greg. apud Joannem Diaconum l. 2. vitæ B. Gregorij cap. 2. *Et qui novit omnia, nota faciet universis*, Bern. serm. de conversione ad clericos c. 16. &, ut quidam cecinit.

*Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.*

Quæ autem in diversam sententiam adferuntur solvi possunt;

AD 1. dicendo, quod homines beati post resurrectionem cognoscent plura quam nunc cognoscant Angeli, etsi non plura quam tunc scient Angeli, ut patere potest ex qu. 92. art. 3.

AD 2. RESP. quod in judicio omnes omnium opera cognoscent; tum in effectu secundùm quem licet præterierint, manent apud Deum: ut bona non mortificata, in divina acceptatione; mortificata in ingratitudine: Mala autem deleta in virtute pœnitentiæ, non deleta, in reatu pœnæ: tum & præcipuè per divinam virtutem mirabiliter facientem ut omnibus illa notitia adveniat etiam clara & certa.

AD 3. Neg. sequela; quia gaudium de Deo viso & habito, impediet ne ullus nascatur dolor, & faciet ut laudetur Dei bonitas qui misericorditer peccata delevit pœnasque remisit. Neque verò tunc ulla orietur beatis erubescentia suorũ præteritorũ peccatorum; quia non publicabuntur ad ignominiam & vituperiũ, sed in magnam eorum gloriam, propter pœnitentiã quam fecerunt, sicut nec S. Petri negationes, nec S. Matth. publicani exercitium



citium cedunt in verecundiam, etsi palam nunc publicentur.

Ex his ergo consequenter est dicendum quod in eo judicio & deinceps in æternum, sancti memoriam suorum peccatorum sint habituri: Alioquin, ut dicit Aug. c. ult. lib. ult. de civit. Dei, *si se fuisse miseros nescituri sunt; quomodo sicut ait Psalmista, misericordias Domini in æternum cantabunt?*

*Ob. Resp.*

SI DICAS ex Isai. c. 65. justos in cælo priorum angustiarũ esse oblitos: RESPONDENDUM est. Neg. Ass. quia non aliud ibi significatur, quam propter successionem bonorum, nullum ex angustiarum præteritarum recordatione futurum in cœlo dolorem, nullam tristitiam. Quomodo etiam intelligi possunt verba Hier. dicentis quod ibidem omnis pristinæ conversationis memoria delebitur; quamquam hoc alij ab eo dictum putent, referendo sententiam aliorum, potiùs quam affirmando, id quod in commentarijs non est illi infrequens.

### Articulus III.

ARt. 3. docet omnia merita & demerita, propria & aliena, ab unoquoque per divinam virtutem cognoscenda; non quidem in instanti indivisibili, sed brevissimo tempore, &, ut ait Augustinus, *mira celeritate.*

## QUÆSTIO LXXXVIII.

## *De judicio generali, tempore & loco in quo fiet.*

### Articulus I.

*Futurũ est generale judicium.*

ARt. 1. docet futurum generale judicium: ut sicut in prima rerum productione, omnia processerunt immediatè à Deo; ita tunc ultima completio mundi fiat per eundem, unicuique dantem secundùm sua merita.

Hæc doctrina est fidei declaratæ tum in scripturis. *Tyro & Synodi remissius erit in die judicij.* Matt. 11. *Regina austri surget in judicio cum generatione ista*, Matth. 12. *Igni reservati in diem judicij & perditionis impiorum hominum*, 2. Petri 3. *Dies Domini sicut fur in nocte, ità veniet*, 1. ad Thess. 5. tũ in symbolis, Apostolico, Niceno, Constantinopol. & Athanasij, ubi Christus dicitur *venturus judicare vivos & mortuos.*

*Quare sit futurum generale judicium.*

Rationes autem hujus judicij, etiamsi particulare præcesserit, variæ sunt.

PRIMA, ut divina justitia omnibus manifestè appareat, quæ nunc occultatur, ex eo quod boni non rarò affligantur, mali autem prosperitate fruantur.

SECUNDA, ut Christus Dominus qui olim tanquam reus injustè est judicatus, palam clarificetur, cum majestate veniens, ut & eos qui ipsum judicaverunt & alios omnes judicet.

TERTIA, quia, (ut ostendit author 3. p. q. 59. ar. 5.) opera hominum quæ quodam modo manent post mortem illorum, vel in hominum æstimatione & fama, vel in effectibus, prout benè vel malè docuerunt, sive verbo, sive opere & exemplo, omnia subduntur judicio divino: Cum ergo de illis perfectum & manifestum judicium haberi nõ possit, quamdiu hujus temporis cursus durat consequens est oportere esse finale judiciũ in novissimo die, in quo perfectè & manifestè ista omnia judicentur.

SI DICAS, judicium fieri secundum merita & demerita cujusque; omnia autem hæc consummari per mortem? RESP. quod licet post mortem homo nec mereatur nec demereatur; multa tamen ad ipsum pertinentia tunc aguntur quæ ad aliquod ejus præmium vel pœnam pertinent: nam effectus qui aliqua ratione fuerunt prævisi, vel cum actionibus ita conjuncti, ut illæ actiones sint istorum effectuũ quoddam semen & origo, præmium & pœnam accidentalem augent: ut pulchrè declarat Basilius in lib. de vera virginitate, paulò ante medium, docens eos qui vel per Apostoli, vel per Davidis scripta se ad virtutem exercent; laudes semper ac præmia illis transmittere; qui verò salutis suæ damna per hæreticos percipiunt, ipsos, etsi dudum vita functos, atrocioribus illic judicijs tradere.

*Ob. Resp.*

Huc etiam facit, ad accidentarium præmium aut pœnam non parum pertinere, ut boni videant omnium bonorum operum suorum omnes fructus, ac de illis palam gaudeant; mali verò omnium peccatorum suorum effectus simul intuentes confundantur.

QUARTA ratio est, ut justi qui fuerunt in mundo contemptibiles, in publico hominum & Angelorũ conventu, honorentur, & famam iniquè ablatam recuperent: malorum verò perversitas palam detegatur, manifestumque fiat quanta erat operum ipsorum malitia, per quæ tam multi fuerunt seducti.

QUINTA, ut totus homo judicetur. Cum enim ad opera bona & mala corpus fuerit instrumentum animæ; ad ipsum etiam pertinere debet præmiatio vel punitio.

In resp. ad 1. docet Deum, etiamsi eosdem judicet judicio particulari & generali, non judicare tamen bis, secundùm eandem rationem; quia non inferet duas pœnas pro uno peccato; sed supplebit quidquid ex debita pœna deerat; & eum qui prius non totaliter, sed quasi ex parte solum fuerat judicatus; perfectè judicabit secundùm animam & secundùm corpus, secundùm opera & operum fructus. Vide quæ de illa scriptura Nav. 1. diximus q. 13 ar. 1. ad 3.

### Articulus II.

*Judiciũ non fiet vocaliter.*

ARt. 2. docet judicium non vocaliter sed mentaliter perficiendum, tam quoad discussionem bonorum commendationem, & malorum accusationem; quam quoad sententiam singulorum: quia locutio qua vel singulorum opera discuterentur, vel singulis præmia & pœnæ decernerentur, requireret immensam temporis longitudinem.

Singulis ergo plenè innotescent singulorum opera, tanquam causæ, & eorundem retributiones, tanquam effectus & mercedes; ac simul practicum Dei & Christi hominis judicium, conjunctum cum efficaci imperio & voluntate retributiones illas unicuique addicendi secundùm eorum opera.

*Quæ sententia sit sensibiliter pronuntianda.*

Non incongruè huc afferri potest illud cap. 2. ad Rom. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorũ, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cum judicabit Deus occulta hominum.* Significari enim videtur nullos in judicio futuros accusatores & testes, præter conscientiam propriam.

Cæterum, etsi singulorum sententiæ non dicentur vocaliter: admodum tamen probabile est quod sententia ultima qua communiter omnibus electis regnum, & omnibus reprobis, supplicium assignabitur, voce sensibili proferetur: quia hoc & brevissimo tẽpore fieri potest, & congruit Christo Domino

Universidad de Deusto
Biblioteca



mino, qui cùm in humana & sensibili forma ventu- A rus sit judicare; probabile videtur quòd sensibili voce locuturus sit hæc aut similia; *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: Discedite a me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis ejus*, unde versus.

*Mortis vel vitæ brevis est vox*, Ite, venite.

Ita sentiunt Rich. Major, Palud. Dominic. dist. 47. favetque Aug. lib. 20. de civit. Dei cap. 24. dicens, *In voce judicis evidens apparebit, qui prius cum venisset occultus, ante judicem siluit.*

Neque hæc sententia est à mente B. Thomæ prorsus aliena: loquitur enim isto ar. solum de sententijs singulorum, ut patet ex mora quam in illis B proferendis affirmat futuram, si locutio vocalis interveniret.

Si quæras, qua lingua proferetur hæc sententia? dicendum videtur quod Christus dominus una quadam lingua utetur quam sic omnes intelligent, perinde atque si uniuscujusque proprio idiomate loqueretur.

### Articulus III.

*Judicij tempus est ignotum.*

Art. 3. docet ignotum esse tempus judicij: partim quia dies Domini, per quem judicij tempus significatur, sicut fur in nocte, ita veniet, 1. ad Thess. 5. idemque probant scripturæ qu. 77. ar. C 2. allatæ: partim quia finis mundi per solum Deum fiet, sicut ejus initium per eum solum fuit factum; ergo conveniens est quod ejus tempus illius solius cognitioni reservetur.

*Ob.* Si dicas, tempus primi adventus Christi fuit notum, utpotè in scriptura Evang. determinatum: ergo idem deberet esse de secundo. *Resp.* neg. C. propter diversitatem rationis. Illud prius ideo fuit determinatum, quia tunc Christus erat venturus occultus, juxta illud; *Verè tu es Deus absconditus.* Isai. 45. sed in extremo judicio palam & manifestè veniet, ut dicitur Psal. 49. *Deus manifestè veniet Deus noster, & non silebit.* Argumenta quæ S. Doctor hìc habet conferantur cum qu. 73. ar. 1. & D eum quæst. 77. ar. 2.

### Articulus IV.

*De loco judicij.*

Art. 4. docet, ex scripturis probabiliter colligi quod judicium futurum sit in valle Josaphat: quia Deus Joel. 3. dixit; *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis.* Et postea, *consurgant & ascendant gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu.* Hæc enim & de judicio, & de certo judicij loco, *vallis Josaphat* dicto, rectè intelligi tradunt Hieron. Lyranus, Carthus. in Joelem, Isidorus de judicio Domini cap. 61. Albertus magnus in E cap. 25. Matth. & scholastici in 4. d. 47.

Confirmatur Primò, quia conveniens est Christum circa eundem locum venire, ex quo ascendit, juxta illud Act. 1. *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum, ita veniet.*

Secundò, decet Christum exercere justum judicium circa illum locum, ubi fuit injustè judicatus, hoc est, circa Jerusalem.

Si dicas, hinc esse consequens quod scriptura convenientius locum judicij dixisset vel montem Oliveti, vel ipsam Jerusalem.

In primis dicendum est quod non tacuerit Dominum in Jerusalem judicaturum: Nam Joel. 3. etiam dicitur quod *Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam.* Deinde Christus Dominus erit in aëre præeminens & sub se comprehendens tum vallem Josaphat, tum montem Olivarum, & civitatem Jerusalem, aliaque spatia quibus comprehendi possit tanta hominum multitudo, quanta erit judicandorum: Nam qui sublimis in aëre consistit, verè est supra plura in circuitu loca, præsertim largè accipiendo, & juxta vulgarem loquendi modum.

Magis tamen expressit vallem *Josaphat*, partim quia est mediâ inter ista duo loca; partim quia vox *Oliveti*, propter mysticam olei significationem, importat misericordiam *Josaphat* verò, judicium.

Adde, quod pro loco damnandorum, magis conveniat exprimere *vallem*, quæ est humilis & depressa, quam montes aut loca montosa.

Circa responsionem ad primum, sciendum est omnes sanctos, tam homines quam Angelos, futuros in aëre sublimes cum Christo, qui tamen eminentiori adhuc loco, erit à terra elevatus; solos autem impios futuros super terram, tum in valle Josaphat, tum in locis circumjacentibus: Nam cum valle, intelligendum est tantum spatium circa illam, quantum sufficit ad capiendam multitudinem judicandorum.

Petes, quomodo igitur electi statuentur à dex- *Quæst.* tris, & impij à sinistris, si soli impij erunt in terra?

Resp. Quod sic erunt in terra, ut Christo sint *Resp.* ad sinistram; electi autem sic in aëre infra Christum, ut sint ei ad dexteram.

## Quæstio LXXXIX.

*De judicantibus & judicatis in judicio generali.*

### Articulus I.

*Varij modi quibus aliqui dicuntur judicaturi.*

Art. 1. docet aliquos homines judicaturos cum Christo; non tantum *comparativè*, quod scilicet ex comparatione illorum alij ostendentur meritissimò esse condemnandi, quo modo etiam impijs tribuitur judicare, Matth. 12. ubi Ninivitæ & Regina Austri dicuntur condemnaturi gentem Judæorum. Quo etiam modo rectè accipi potest illud Sap. 4. *Condemnat justus mortuus vivos impios.*

Neque etiam judicaturi sunt quidam solum *interpretativè*, approbando sententiam judicis, eamque ut justam venerando; Nam hoc omnibus electis cõmune esse significatur, Sap. 3. cum dicitur quod *judicabunt nationes*: Unde Psal. 149. *ut faciant judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Et 1. ad Cor. 6. *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* Nec dubium est quin omnes sancti sint dicturi illud Apoc. 19. *Laus & gloria & virtus Deo nostro est: quia vera & justa judicia sunt ejus* &c.

Sed aliquibus dabitur ut peculiari modo non omnibus proprio judicent, partim scilicet *dignitate assessoria*; partim *actione* aliqua ad judicium pertinente, juxta illud Dan. 7. *Judicium sedit*, id est, Judices sederunt quomodo dicimus senatum, id est, senatores consedisse: Et Matth. 19 *sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.*

Fide ergo certum est sanctos aliquos, cum Chri- *Christus* sto judicaturos, sed de modo quæritur. Probabile *in judi-* est, quod, sicut Christus Dominus in nube ma- *cio sede-* teriali visibiliter sedebit, ad majorem quendam *bit.* exter-



externum splendorem, & majestatis significationẽ A (*sedebit* enim *super sedem majestatis suæ*, Matth. 25. *Cum nubibus veniet*, Matth. 26. & Apoc. 1. & *super nubem candidam sedebit*, Apoc. 14.) ita sancti quidam præcipui, Christo sint assessuri, non super sedes ex terra vel terrea aliqua materia compositas; sed super nubes, ex aëre mirabiliter efformatas, unde Dan. 7. dicitur quod *Throni positi sunt*, ad indicandum scilicet fore aliquos Christo judici assessores, sedentes super thronos ut & Matth. 19. dicuntur Apostoli *super* thronos, sessuri.

*Ob. Resp.* Nec obstat illud ad Rom. 14. *omnes stabimus ante tribunal Christi*: Sensus enim est, quod omnes ante judicem Christum præsentes sistendi sumus. Nam verbum Græcum, idem significat quod *stamus* B *tuemur* & *sistemur.*

Cæterum, quia Christus Matth. 19. non tantum promisit Apostolis quod sedebunt, sed quod *sedebunt, judicantes*; *judicare* autem importat actionem in alium procedentem; qua nimirum loquendo aliquis in alterum sententiam ferat; futura videtur aliqua virorum Apostolicorum actio, propter quam non tantùm sedere, sed etiam judicare dicentur.

Hæc autem actio, erit sententiæ Christi judicis in judicatorum notitiam deductio sive prolatio, ut B. Thomas Richardum sancti Victoris secutus, hic docet.

*Ob. Resp.* Si dicas, Christum per se id facturum: Resp. C Christum, per se quidem pronuntiaturum communes illas sententias, *Venite benedicti. Ite maledicti*; particulares tamen singulorum sententias, cum illæ non sint vocaliter efferendæ, non eas solus pronuntiabit, sed per Apostolos & Apostolicos viros, hoc ipso quod in judicatorum mentibus eas revelabit per ipsos. Unde addit Richard. *Hoc erit Apostolicos viros judicandorum quemlibet judicare, dando sententiæ rationem oculis eorum ingerere.* Et postea, *Nã ex illo divini splendoris lumine quod immediatè suscipiunt, ad inferiora refundendo, judicandorum quibuslibet tam meritorum quam retributionum qualitatem haud dubia visione ostendunt*: idque, *vel per modum illuminationis, vel per modum locutionis,* D ut dicitur hic ad 3. Confer B. Thomam lect. 1. in cap. 6. prioris ad Corinth. atque hæc revelatio, *judicium ministeriale*, potest appellari; quemadmodum & potestas sic judicandi, *ministerialis.*

### Articulus II.

*Potestas judiciaria respondet paupertati voluntariæ.*

Art. 2. probat judiciariam potestatem correspondere paupertati voluntariæ.

Primò, quia cum illa paupertas consistat in contemptu omnium quæ sunt mundi, ad hoc ut soli Christo inhæreatur; qui eam profitentur, maximè idonei redduntur ad judicandum, utpotè nihil temporalium habentes præ oculis, quod eos E avertat à justitia.

Secundò, quia decet humiles exaltari; contemptus autem rerum temporalium est insigne opus humilitatis.

Tertiò, quia ejusmodi pauperes sunt rectè dispositi ad contemplandum divina, & consequenter ad cognoscendam veritatem sententiæ, quam revelent alijs. Huc pertinet illud quod ex Matth. 19. citat Gregor. lib. 26. moral. cap. 25. & B. Thom. hic in arg. ad oppositum, *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim* &c. Quamvis enim in evangelio solùm habeatur, *vos qui secuti estis me*: alterum tamen, *vos qui reliquistis omnia*, ex præcedentibus manifestè intelligitur: quoniam Petrus utrumque dixerat, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*; atque ita conjunctim legitur in Officio Ecclesiastico, de Apostolis.

In fine corporis advertendum est, non omnes qui paupertatem profitentur & ad beatitudinem perveniunt, esse judicaturos cum Apostolis: quia privilegium hoc non est promissum statui vel professioni, sed tum exactæ illius status observationi; *Non omnes boni paupertatem professi habebunt judiciariam potestatem, sed soli perfecti.* tum illis *qui relinquentes omnia, se nuntur Christum secundùm perfectionẽ vitæ. Qui judicabunt cũ Christo*, ait Aug. in Psal. 90. *Principes Ecclesiæ sunt, perfecti sunt*: &, ut ait Greg. lib. 20. moral. c. 17. *qui sapiẽtem Dei ſtultitiam perfectè secuti sunt.* Hinc Antonius 3. part. tit. 16. cap. 10. *perfecti*, ait, *reagiosi venient cum Christo judice in fine mundi non judicandi, sed judicaturi, qui mundum perfectè contempserunt.*

Circa responsionem ad primum, secundum, & tertium argumentum, duo sunt observanda.

Primus, in duodenario numero Apostolorum, significatam esse universam judicantium multitudinẽ; sicut in duodecim tribubus intelligitur universa multitudo judicandorum, ut ostendit Augustin. lib. 20. de civit. Dei cap. 5. & in Psalm. 49. & 90.

Posterius, non solos eos judicaturos qui religionem professi fuerint, sed etiam alios eximiè sanctos tam veteris quam novi testamenti, qui licet divitias habuerint, affectu tamen pauperes fuerunt, id est, suis divitijs cor non apposuerunt: & sine consilijs evangelicis actu susceptis, eam perfectionem assecuti sunt, quam per ea tanquam per opportunissima media (simpliciter tamen non necessaria) alij obtinuerint. Ita B. Thomas hic significat, apertius autem Bonav. & Rich. in 4. d. 47. & consentit Aug. privilegium hoc martyribus attribuens epist. 89 & generaliter omnibus perfectis in Psal. 49.

*Etiam illi qui non fuerint religiosi.*

Cum Christo ergo judicabunt Apostoli, fideles utriusque sexus perfectè religiosi, Episcopi quorum vita statui episcopatus responderit, Martyres, Doctores, & omnes illi, qui in perfectione vitæ spiritualis decesserint. Quæ autem & quanta illa sit, solus ille novit qui tribuit.

Dicitur nihilominus potestas judiciaria potius respondere paupertati quam alicui aliorum; quia paupertas est prima pars illius perfectionis, cui respondet hoc privilegium.

### Articulus III.

*Angeli non judicabũt cũ Christo.*

Art. 3. docet Angelos non futuros Christi assessores, neque cum eo judicaturos genus humanum: quia non sunt Christo conformes in ea natura, secundùm quam datum est ei judicium facere. Ita etiam Bonav. in 4. d. 47.

Utrum autem sint judicaturi malos Angelos, neuter exprimit: Pars affirmans videtur probabilis.

### Articulus IV.

*Dæmones torquebunt damnatos.*

Art. 4. docet dæmones executuros sententiam judicis, quantum ad punitionem & torturam hominum damnatorum: quia conveniens videtur, ut sicut in beatis servabitur ordo, quo quidam à quibusdam illuminabuntur, ita servetur ordo in damnatis, quo alij ab alijs, homines à dæmonibus torqueantur.

Confirmatur Primò, homines diabolo se sub-

Universidad de Deusto
Biblioteca



diderunt per peccatum : ergo justum est ut etiam A in pœnis illi subjiciantur , præsertim cum è potestate diaboli nullus liberetur, nisi per merita Christi ; damnati autem non sunt participes meritorum Christi.

SECUNDÒ, dæmones sunt tortores ; Matth. 18. torquentes quoad usque reddatur universum debitum, hoc est, in æternum : qui enim illis traditus erat,non habebat unde redderet : Unde venerabilis Beda ibi scribit quod sine fine puniunt. Et Aug. lib. de catechizandis rudibus cap. 25. loquens de tormentis post resurrectionem futuris;*fuge* inquit, *frater illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur.*

*Ob.* SI DICAS Angelis bonis tribui Matth. 13. quod B mittent malos in caminum ignis ;id quod fieri maximè conveniebat per dæmones , si adhuc potestatem aliquam habituri sunt in damnatos: RESPONDERI POTEST , quod etiam fiet per dæmones tanquam sententiæ judicis executores & tortores. Nihil enim vetat id quod à sanctis Angelis fiet zelò justitiæ , etiam fieri à malis, animo saturandi suam crudelitatem in genus nostrum Adde,varias in inferno pœnas futuras ; quarum aliquæ poterunt inferri per dæmones.

*Resp.*

Quomodo autem huic sententiæ non obstet locus 1. ad Cor. 15. hîc ad 1. explicat B. Thom. & de eo diximus qu. 81. ar. 3.

C

## ARTICULUS V.

*Omnes in judicio comparebunt.*

ART. 5. probat omnes in judicio comparituros,bonos & malos,magnos & parvos: quia potestas judiciaria collata est Christo in præmium suæ humilitatis quam in passione exhibuit : Ipse autem passus est pro omnibus quantum ad sufficientiam,licet ejus passio non in omnibus effectum habuerit : ergo conveniens est ut omnes videant ejus exaltationem in humana natura. Hinc Apoc. 1. dicitur,*Ecce venit cum nubibus : & videbit eum omnis oculus.* Eodemque facit quod ipse Matth. 25. dixit omnes gentes congregandas ante filiũ hominis; quodque Apostolus 2. ad Cor. 3. ait, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi* &c. Ubi B. Th. ita scribit; *Ponit Apostolus futuri judicij universalitatem,quia nullus excipietur ab illo judicio:& ideo dicit omnes nos*, id est,*omnes homines,bonos & malos, magnos & parvos* , idque confirmat ex cap. 14. ad Rom. & ex Apoc. 20. Et postea : *Sed de pueris* ( inquit)*non videtur,quia dicitur ut referat unusquisque propria corporis prout gessit : Sed pueri nihil gesserunt in corpore: ergo &c.Sed hoc solvit Glossa,quia non judicabuntur pro his quæ ipsi gesserunt per se , sed de his quæ gesserunt per alios,dum per eos crediderunt vel nõ crediderunt, baptizati vel non baptizati fuerunt ; vel damnabuntur pro peccato primi parentis* , Hucusque E B. Thom. & conformiter opusc. 3. cap. 143. *Omnes boni & mali a primo homine usque ad ultimum judicio Christi subdentur,quia ut dicitur* 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, a quorũ generalitate non excluduntur etiam parvuli qui vel sine baptismo vel cum baptismo decesserunt.*

Ex quibus clarè patet B. Thomæ mentem esse quod parvuli comparebunt in eo judicio quod Matth. 25. describitur. Et illi qui mortui fuerint in peccato originali,non erunt ad dextram;ergo ad sinistram:his autem qui ad sinistram erunt,omnibus dicetur, *Ite in ignẽ æternum :* ergo tales parvuli mittentur in ignem æternum, etiam ex B. Tho. sententia Confer quæ diximus 1. 2. quæst. 85. art. 6. quæsito 2.

Alia quæstio hîc esse potest.

### *An omnes homines judicandi sint.*

ET videtur quod non. PRIMÒ , quia secundùm Greg. lib. 26. moral. cap. 24. & alios ipsum sequentes , quatuor sunt ordines hominum in judicio; duo electorum, quorum alij judicantur & regnant, alij non judicantur & regnant: & duo reproborum;quorum alij judicantur & percunt,alij non judicantur & pereunt.

SECUNDÒ, B. Thom hîc ad 3. dicit,*quod pueri ante perfectam ætatẽ decedentes in judicio comparebunt , non ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis.*

TERTIÒ, Psal. 1. dicitur quod *non resurgent impij in judicio.*

QUARTÒ, *Qui non credit, jam judicatus est.* Joannis 3.

RESPONSIO B. Thomæ , tum art. 6. & 7. tum lect. *Resp. est* 1. in cap. 14. ad Rom. & lect. 2. in cap. 5. posterioris *affirm.* ad Corinth. certa est ; omnes omnino homines à Christo esse judicandos , nullo excepto.

PRIMÒ , quia Christus Act. 10. dicitur *constitutus esse à Deo judex vivorum & mortuorum* , id est, omnium;tali enim divisione omnes omnino homines comprehenduntur. C

SECUNDÒ, *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, ad Rom. 14. utique ut judicemur. Apostolum autem intelligere *omnes* sine exceptione ; patet,tum ex subjuncto prophetæ testimonio, *Mihi flectetur omne genu* ; tum ex universali dominio Christi in omnes. unde c. 2. dixerat quod in judicio Deus sit redditurus unicuique secundùm opera ejus : & 2. ad Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi , ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum , sive malum.*

TERTIÒ , S. Joannes Apoc. 20. vidit *mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni*, eosque dicit esse judicatos. Et cap. 22. dicit Christus , *Ecce venio citò,& merces mea mecum est , reddere unicuique secundùm opera sua.* D

QUARTÒ Matth. 25. & Joelis 3. congregandæ dicuntur omnes gentes ante tribunal judicis & quidem ut judicentur , quemadmodum contextus indicat : ergo omnes gentes sunt judicandæ : sub omnibus autem gentibus comprehenduntur parvi & magni, fideles & infideles, boni & mali. Confirmatur, Omnibus electis dicetur , Venite benedicti:ergo & omnibus reprobis,Ite maledicti.

QUINTÒ, ad parvulos sicut ad adultos pertinet illud ad Rom. 5. *Judicium ex uno in omnes in condemnationẽ:* ergo & parvuli judicabuntur, id quod expresè docet Aug. epist. 107. cum de parvulis ita loquitur; *Propter quod & illis qui hoc Sacramentum* ( baptismi ) *non accipiunt , contingit quod sequitur ; Qui autem non crediderit,condemnabitur. Unde & ipsi sicut dixi , si in illa parva ætate moriuntur , utique secundùm ea quæ per corpus gesserunt , id est , tempore quo in corpore fuerunt , quando per corda & ora gestantium crediderunt vel non crediderunt , quando baptizati vel nõ baptizati sunt,quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt , quando & sanguinem biberunt vel non biberunt : secundum hæc ergo quæ per corpus gesserunt nõ secundùm ea quæ si diu hic viverent gesturi fuerant*, judicantur. Eandemque esse S. Tho. sententiam ex ejus verbis supra allatis non videtur relinqui dubium.





Si quæratur, de quibus sint omnes homines ju- A dicandi ; etiam certò affirmandum est,quod de omnibus suis factis,dictis,cogitatis. *Cuncta* enim *quæ fiunt adducet Deus in judicium* , Ecclesiastæ ult. & *scrutabitur Jerusalem in lucernis*,Sophoniæ 1. id est, exactissimam faciet inquisitionem operum illius. *Illuminabit abscondita tenebrarum , & manifestabit consilia cordium*,1. ad Cor. 4.

*Ob.* SI DICAS,parvulos nihil fecisse,dixisse,vel cogitasse. *Resp.* RESP. ex sanctis Aug. & Thom. supr. citatis eos judicandos secundùm illa quæ habuerunt cum essent in corpore : qualia sunt peccatum originale, baptismus,& baptismi effectus,fides,spes,charitas ; propter hæc enim digni sunt damnatione vel vita.

*Ob.* Neque his obstat Apostolus 2. ad Cor. 5. docens B *Resp.* quod unusquisque *referet propria corporis prout gessit* seu fecit : quemadmodum enim illud (*gessit*) extenditur ad cogitationes,ita etiam extendi debet ad habitus bonos & malos , aut si quid est simile habitibus ; cujusmodi esse peccatum originale, patet ex 1. 2. qu. 82. art. 1. Et confirmatur , Nam & adulti non solum judicabuntur secundùm actus,sed etiam secundùm habitus , quatenus voluntarij fuerint ; juxta illud ; *Beati mites,pacifici,misericordes,mundo corde ; quia ipsorum est regnum cœlorum* , Matth. 5. contra verò,*avari,ebriosi,immundi,regnum Dei non possidebunt*, 1. ad Cor. 6. & ad Ephesios 5.

AD 1. ARGUM. sunt qui respondeant distinguendo *judicium* , ut aliud sit discussionis,aliud retributionis ; dicantque , omnes tam electos quam reprobos esse judicandos judicio retributionis ; ju- C dicio autem discussionis solos eos qui habuerint plura mala cum aliquibus bonis operibus permixta;vel plura bona cum aliquibus malis notabilibus: qui propterea consequenter addunt,neque infideles judicio discussionis esse judicandos , quia nihil boni salutaris habuerunt ; neque sanctos illos perfectos qui futuri sunt judices cum Christo , quia non habent notabilem commixtionem alicujus meriti mali cum bonis.

Verum quod hæc distinctio difficultatem non evacuet ; probatur

PRIMÒ , quia nec omnes infideles æqualiter peccaverunt, nec omnes perfecti æqualiter à peccatis abstinuerunt: ergo locus erit discussioni , ut D palam fiat quis plus,quis minus puniri vel præmiari sit dignus.

SECUNDÒ , de infidelibus futurum judicium discussionis , probat illud Joel. 3. *Congregabo omnes gentes &c. & disceptabo cum eis*: Et illud Jere. 25. *Judicium Domini cum gentibus.* Ubi Hiero. *Sunt & gentium merita diversa. Qui non credit, jam judicatus quidem est in eo quod non credidit; sed ipsi qui non credunt,inter se diversis afficientur supplicijs. Judicatur ipse cum omni carne,ut nullus injudicatus abeat.*

TERTIÒ , discussio ad judicium generale pertinens,non fiet nisi mentaliter , ut qu. 88. art. 2. dixit Author , Deo nimirum judicandorum conscien- E tias non solùm cognoscente , sed etiam singulis totius mundi hominibus distinctè & evidenter illas manifestante : Atqui perfectissimorum conscientiæ etiam manifestabuntur alijs ; & similiter infidelium,imò & puerorum ; nam ut q. 87. dicebatur , omnia omnium arcana patebunt omnibus : ergo & perfectissimi,& infideles, & pueri judicandi sunt judicio discussionis.

Confirmatur , parvuli post baptismum mortui, videbunt alios , etiam parvulos, sine baptismo defunctos ; qui propriis actibus nec plus nec minus fecerunt quam ipsi , esse exclusos à regno , ad quod ipsi admittuntur : ergo oportet ut hoc justè fieri intelligant ; hoc autem intelligere non possunt absque discussione seu cognitione status illorum tam evidenti , quam si facta esset discussio vocalis & distincta.

AD ARGUM. ergo RESP. illos ordines hominum in judicio compariturorum , distinctè fuisse assignatos,per respectum ad cognitionem quam in hoc sæculo habemus , & secundùm consuetudinem judiciorum humanorum , ubi causa evidenter & palam bona non eget discussione ad absolvendum ; sicut nec causa evidenter & palam mala, ad condemnandum.

SI DICAS,futuros quosdam cum Christo judices & assessores , qui proinde non videntur judicandi. RESP. etiam illos esse judicandos judicio & discussionis & retributionis ; sed ita ut simul judicent alios se inferiores. Tantæ scilicet perfectionis palam apparebunt,ut si humano more loquamur,merita eorum non videantur examini subjicienda ad hoc ut mercedem accipiant , sed ipsi absque ullo examine digni habeantur & mercede & assessoria dignitate. Quo modo & infideles & pueri in peccato mortui sic apparebunt bonis omnibus salutaribus destituti,& peccatis obnoxij,ut juxta morem humanum loquendo , non videatur pro illis opus esse discussione , cum nihil habuerint præmio , sed tantum pœna dignum.

AD 2. Similiter est respondendum quod pueri revera sint quidem judicandi, ob rationes supra dictas ; sed tamen , si loquamur de judicijs humano more,non opus est discussione circa illos.

AD 3. Non soli infideles , sed quilibet impij dicuntur non resurgere in judicio , quia in eo non consistent tanquam victores , sed causa cadent , & condemnabuntur. Vide quæ diximus quæst. 75. art. 2.

AD 4. RESP. cum qui jam credit,habere justam sue condemnationis causam,imò & jam esse in præscientia Dei condemnatum : judicandum tamen cum cæteris , ut palam fiat justa ejus condemnatio. Vide Aug. tract. 12. in Joannem & serm. 14. De verbis Apostoli,cap. 13. ubi *judicium* illic pro condemnatione poni docet, idque probat ex verbis Domini Joannis 5. *procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala,in resurrectionem judicij* , id est condemnationis. Hoc modo, etiam Joannis 3. dicitur, *Qui credit in eum* , fide scilicet viva,*non judicatur*, id est,non condemnatur.

## ARTICULUS VI. & VII.

*Omnes sunt judicandi judicio retributionis.*

ART. 6. & 7. docet bonos & malos judicandos judicio retributionis , sed non omnes judicio discussionis,si nimirum loquamur de judicijs humano more ; ut art. 5. fuit explicatum.

## ARTICULUS VIII.

*Angeli ut a Christo judicandi.*

ART. 8. probat Angelos in futuro judicio non esse judicandos à Christo homine , quantum ad præmium , vel pœnam essentialem sive principalem , quia jam olim boni receperunt mercedem vitæ æternæ , & quidem absque meritis Christi, ut 3. parte quæst. 8. art. 4. fuit probatum : Mali verò è cœlo detrusi , in æternam miseriam sunt præcipitati.

Quantum autem ad retributionem accidentalem, omnes Angeli sunt à Christo , etiam ut ho-

Universidad de Deusto
Biblioteca



mine, judicandi: boni quidem, quia amplius gaudium habebunt de salute eorum quos ad meritum induxerunt; mali autem, quia amplius torquebuntur, multiplicata ruina eorum qui per eos ad mala sunt incitati.

Et hac ratione simpliciter esse dicendum quod Angeli judicabuntur à Christo, satis ostendit B. Thomas 3. part. quæst. 59. ar. 2. affirmans eos subesse potestati judiciariæ Christi, non solùm quantum ad divinam naturam, sed etiam quantum ad humanam.

Confirmatur, quia 2. Petri 2. *Angeli peccantes in tartarum detracti dicuntur in judicium reservari*; similiterque in epi. Judæ. Imò quod justi sint judicaturi Angelos Apostatas, tradit Apostolus 1. ad Cor. 6. Unde Tertull. lib. de pœnitentia c. 7. de diabolo loquens; *Dolet*, ait, *quod ipsum & Angelos ejus Christi servus ille peccator judicaturus est.*

Judicabuntur autem dæmones à Christo; partim quia sic recludentur in inferno, ut egredi non possint; partim quia auferetur ab eis omnis potestas nocendi electis; partim, quia non poterunt amplius procurare sibi exhiberi honores divinos; partim denique, quia ipsorum malitia toti mundo cum ignominia manifestabitur, & palam apparebit quam sint infirmi, viles, & contemptibiles. Tunc enim perfectè fiet illud quod ad Coloss. 2. factum refertur, *Christus* scilicet palam triumphabit dæmones, sive de dæmonibus triumphabit, palam eos ostentans, omnibusque spectandos exhibens, eo modo quo reges & imperatores parta victoria solent in triumpho præcipuos & potentiores captivos ducere cum ostentatione. Justi verò etiam dæmones judicabunt, partim approbando Christi judicium, partim ipsis tanquam vilibus & contemptibilibus coram toto mundo (cum gloriatione in Deo) insultando. Quæ res erit superbissimis illis spiritibus pœna molestissima.

## QUÆSTIO XC.

*De forma judicis venientis ad judicium.*

### ARTICULUS I.

*Christus judicabit in forma humanitatis.*

ARt. 1. Docet Christum in forma humanitatis judicaturum; quia non tantum est Dominus omnium in quantum Deus, ratione creationis, sed etiam in quantum homo, ratione redemptionis. *In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur*, ad Rom. 14. Atqui magna dominij pars est, jus dicere, ergo jus dicet, seu judicabit ut homo, & in forma humana.

*Ob.* Neque hinc sequitur quod non judicabit omnes, sed solos eos qui beneficij redemptionis participes fuerint: quamvis enim beneficium illud non pervenerit ad omnes, ipse tamen hactenus omnes redemit, quia pro omnibus sufficiens pretium dedit, ut ostensum est 3. part. quæst. 19. art. 4. & qu 49. ar. 1. Atque ita in omnes omnino homines, dominiũ, & consequenter jus exercendi judicij accepit.

*Resp.* Confirmatur PRIMÒ, quia etsi Deus Pater sit judicaturus, juxta illud Joan. 8. *est qui quærat & judicet*; dictum est tamen Joan. 5. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio*: Ac si diceretur, ait Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 13. *Patrem nemo videbit in judicio vivorũ & mortuorũ, sed omnes filiũ, quia & filius hominis est*, ut possit ab impijs videri.

SECUNDÒ, juxta Prophetiam quæ Dan. 7. habet, *Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat*, dicitur Matth. 24. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli*, & 26. *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Et Apoc. 1. *Ecce venit cum nubibus; & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Ac specialiter de Christi crucifixoribus Zachariæ 12. & Joannis 19. dicitur; *Videbunt in quem transfixerunt.* Quæ omnia intelligenda esse de forma Christi humana, manifestum est, non solùm quia semper nominatur filius hominis, sed etiam, quia dicitur quod omnes sint eum visuri, etiam impij.

TERTIÒ, *ejus qui assumptus est in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*, Act. 1. id est, in eadem forma. Unde articulus symboli habet quod *è cælo venturus est judicare vivos & mortuos*, in eadem scilicet illa forma, secundùm quam ut ibidem præcedit, est conceptus, natus passus, sepultus, resurrexit, ascendit.

DENIQUE, hæc est communis sanctorum Patrum sententia, Ignatij in epist. ad Smyrnenses, Hieron. in cap. 17. Matth. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 13. & serm. 75. de diversis, Greg. hom. 20. in Evangelia, & aliorum; qui ut rem indubitatam asserunt, Christum & in humana forma venturum, & ab omnibus bonis & malis conspiciendum.

Quod in responsione ad 2. dicit, *Christus judicabit quidem in humana natura, sed ex divinitatis virtute*; conforme est Augustino, dicto c. 13. dicenti, quod *filius hominis judicaturus est, non ex humana potestate, sed ex ea qua filius Dei est*; quia scilicet solius naturæ ac potestatis divinæ est in æternum & simpliciter beatos facere vel miserosjac, ut dixit author 3. parte q. 59. ar. 2. ad 2. *solius Dei est sui participatione animas beatas facere.*

De responsione ad 5. videndus est ejusdem partis qu. 56. ar. 2. ad 1.

### ARTICULUS II.

*Christus in forma gloriosa apparebit.*

ARt. 2. probat Christum in forma humanitatis, gloriosa appariturum; quia est mediator Dei & hominum: qui autem mediatorem se ponit inter duos, modò huic, modò illi se adjungit, atque ita quodam modo assimilatur illi, cujus pro tempore, partes agit: Atqui Christus in priori adventu causam hominum egit; idcirco *nobis assimilatus per omnia absque peccato*: restat ergo ut in altero adventu, Dei partes agat, ac in forma gloriosa appareat; in qua sit Deo similior. Huc pertinet quod Matth. 16. dicitur *venturus in gloria Patris*; Matth. 24. *cum virtute multa & majestate*, sive gloria, ut vox Græca verti potest, & versa est 1. ad Cor. 15. ubi habemus *surget in gloria.* Hinc Aug. c. 13. l. 1. de Trinit. affirmat quod *& boni & mali visuri sunt judicem in claritate in qua judicabit, non in humilitate, in qua judicatus est.*

*In quibus consistet gloria Christi judicis.*

Hæc autem judicis gloria primum quidem consistet in eo quod habebit corpus maximè glorioſum summèque refulgens. Si enim in transfiguratione *resplenduit facies ejus sicut sol; & vestimenta ejus facta sunt splendida & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Matth. 17. & Marci 9. & si *erit lux luna sicut lux solis*, & si *lux solis erit septempliciter*, Isaiæ 30. quantam putamus futuram claritatem corporis ejus qui solem & lunam creavit, eisque lucem omnem quam habent, quamque tunc habebunt tribuit?

Deinde,



Deinde, in eo etiam consistit gloria judicis, A quod *veniet cum virtute multa*, id est; cum varijs suę omnipotentiæ signis, & beatorum Angelorum eorumque omnium (& forte, ut quidam voluit, corpora lucida habentium) & aliorum quoque sanctorum stipatus comitatu, Isaiæ 3. *Dominus ad judicandum veniet cum senibus populi sui & principibus ejus.* Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo.* Et in epist. Judæ. *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes.*

*Crux in cœre apparebit.*

Insuper apparebit in aëre sublimis, præeunte ipsum cruce seu signo crucis fulgentissimo: *Tunc* enim *parebit signum filij hominis in cælo*, &c. *& videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli*, Matt. B 24. unde Ecclesia canit; *Hoc signum crucis erit in cælo cum Dominus ad judicandum venerit.*

Confirmatur, Christus loquitur de signo filij hominis tanquam de certo & noto signo; quale non potest aliud assignari, quam crux ejus *Signum verum & proprium Christi, est crux*, ait Cyrillus Jerosol catechesi 15. *Quid est quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi*, ait August. tract. 118. in Joan.

*Hæc rursus in secundo adventu Domini, prima in cælo apparebit tanquam pretiosum & venerabile magni regis Christi sceptrum, secundùm verbum Domini dicentis, & apparebit signum filij hominis in cælo cum* C *multitudine exercitus Angelorum, universam terram illuminans à finibus usque ad fines super claritatem solis.* Ita S. Ephrem. in serm. de cruce.

Nec dissimiliter Chrysostomus ad ista verba; tunc apparebit signum filij hominis in cœlo. *Hoc* (inquit) *est crux ipsa: Crux enim sole fulgentior videbitur.* Et mox. *Cujus autem rei gratia istud signum apparet? Ut magno cumulo, Judæorum impudentia opprimatur, crucem in suam justificationem secum habens, in judicium veniet. Non vulnera enim solum, sed etiam acerbum ac ignominiosum mortis suæ genus ostendens.* Addi potest crucem appariturum, partim in consolationem fidelium ut videant signum victoriæ in quo sunt redempti; partim in confusionem infidelium; qui eam contempserint, & aliorum D impiorum qui peccando pretium ejus neglexerunt.

Cæterum qualenam futurum sit illud signum; An illa ipsa Domini crux in qua pro nobis pependit, ex varijs ubique terrarum particulis miraculosè redintegrata: An crux alia definitus formata, incertum est.

*Non apparebit vera crux Christi, sed ejus similitudo.*

B Albertus in c. 24. Matthæi; S. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 11 §. 5. Abul. qu. 172. in dictum c. 24. Jansenius cap. 123. concordiæ Evangelicæ nolunt ipsum crucis Domini lignum appariturum, sed crucem aliquam longè majorem, ex aëre aut ex alia materia Dei voluntate formatam, quæ erit signum crucis Dominicæ. Et hanc sententiam amplectitur Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 57. sect. 2. velut anti- E quis Patribus conformiorem & faciliorem, utpotè quæ non requirat tam multa miracula quam altera sententia: miracula autem non sunt absque fundamento asserenda. Eandem etiam nos amplectimur velut etiam Ecclesiæ sensui magis consonam: Cum enim canit; *hoc signum crucis erit in cælo* loqui videtur de ipsius veræ crucis signo, seu de cruce quæ sit imago vel similitudo crucis dominicæ: sicut & B. Thom. cum hic ad 2. & opusc. 3. c. 224. dicit quod *signum crucis apparebit in judicio.* Aliam nihilominus sententiam non judicamus rejiciendam ut improbabilem.

SI QUÆRAS quando crux apparebit. RESP. verisimilius esse quod non diu ante judicium, sed illo ipso die quo judex apparere incipiet Illum enim anteibit eo modo quo vexillum triumphale solet anteire Imperatorem triumphantem: & verisimile est quod ita per Angelum vel Archangelum præferetur ante Christum; durabitque, & apparebit usque dum judicium finiatur.

Ad gloriam quoque Christi judicis spectabit, quod veniet cum tuba seu fono tubæ (ut qu. 76. ar. 2. dictum est) in nubibus splendidis, Matth. 24. Marci 13. Apoc. 1. quodque sedebit in throno glorioso, seu in nube fulgida ad instar throni parata, secundùm ea quæ qu. 89. ar. 1. diximus.

Ex his intelligi facilè potest quod & gloriam corporis Christi, & crucem ingenti luce splendentem videbunt omnes omnino, boni & mali. Et quamvis omnes quoque, etiam impij sint manifestè cogniturі Christum esse Deum, soli tamen justi videbunt divinitatem ejusque gloriam: Impij verò propter manifestissima divinitatis indicia, cognoscent Christum esse Deum.

*Ob.* SI DICAS, Christus post resurrectionem non se exhibuit Apostolis in forma gloriosa: ergo neque se ita exhibebit in judicio.

*Resp.* RESP. neg. Cons. partim quia Apostoli adhuc erant mortales; partim quia sicuti necdum erat tempus judicij, ita nec authoritatis & gloriæ.

*Ob. Resp.* Posset etiam objici quod Isaiæ 26. dicitur de impio, *non videbit gloriam Domini.* Verum illic impius solum negatur visurus gloriam divinitatis. vide Aug. cap. 13. lib. 1. de Trinitate.

### ARTICULUS III.

*Impij non possunt videre divinitatem.*

ARt. 3. probat divinitatem non posse videri à malis sine gaudio: quia ipsa, cum sit ratio delectabilitatis, nihil habet nec habere potest admixtũ, propter quod non sit delectabilis. Imò ejus visio est nostrum summum bonum nostraque beatitudo, quam habere nemo potest nisi mundo corde.

De responsione ad 2. vide in 2. 2. qu. 34. art. 1. & ibidem Cajetanum.

## QUÆSTIO XCI.

*De qualitate mundi post judicium.*

### ARTICULUS I.

*Mundus est innovandus.*

ARt. 1. docet mundum innovatum iri post judicium. Cùm enim sit factus propter hominem; consequens est ut homine innovato, & glorificato, etiam ipse innovetur; & cujusdam gloriæ participationem accipiat: ut scilicet, teste Aug. lib. 20. de civit. cap. 16. *mundus in melius innovatus aptè accommodetur hominibus etiã carne in melius innovatis.*

Hæc doctrina est fidei. Nam scriptura Isaiæ 65. 2. Petri 3. Apoc. 21. *novos cælos & novam terram* nobis promittit: hoc est, eosdem, sed innovatos; similiterque terram eandem quoad substantiam, sed innovatam. Idem significavit Apostolus cum ad Rom. 8. docet istam mundi machinam esse *vanitati seu* instabilitati *subjectam in spe*, commutationis scilicet in melius: *quia & ipsa liberabitur a servitute corruptionis*, id est, à mutabilitate & defectione, cui jam servire cogitur, donec filij Dei perfectam gloriam & libertatem assequantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ob.* DICES, cum mundus factus sit propter hominem; nulla autem tunc futura sit hominis indigentia, cui mundus serviat: quare opus est ipsam innovari? *Resp.* RESP. tum ut sit aptum habitaculum beatorum, tum ut quemadmodum interior mentis oculus Deum contemplabitur & in eo delectabitur, ita exterior oculus corporis quasi sensibiliter Deũ videat per manifesta indicia divinæ majestatis: & sic delectentur beati in factura Dei, & in operibus manuum ejus exultent. Vide B. Thom. hîc, & ar. 3, in corpore, & art 4. ad 1.

## ARTICULUS II.

*Motus cæli cessabit.* ART. 2. probat motum corporum cælestium B in mundi innovatione cessaturum, idque non ex naturali aliqua causa, sed ex divina voluntate, suspendente scilicet Deo suam operationem, quæ ad illum motum est necessaria.

Probatur PRIMÒ, quia ut ratiocinatur Author qu. 5. de potentia ar. 5. *Motus cæli est propter implendum numerum electorum*: Anima namque rationalis quolibet corpore nobilior est, etiam ipso cælo; unde nullum est inconveniens, si ponatur finis motus cæli, multiplicatio rationalium animarum, non in infinitum sed determinata. Tunc autem numerus electorum erit impletus.

SECUNDÒ, proximior finis motus corporum cælestium, est ortus & interitus rerum ac distinctio C temporum, annorum, & dierum, de qua Gen. 1. hæc autem omnia tunc cessabunt; adimpleto enim numero electorum, nullius fiet vel generatio vel corruptio; &, ut Apoc. 10. dicitur, *Tempus non erit amplius. Neque occidet ultra Sol, neque luna minuetur*, Isaiæ 60.

TERTIÒ, quies est simpliciter nobilior & perfectior motu, utpotè ejus terminus, & per quam Deo, qui maximè est immobilis, unaquæque res magis assimilatur.

*Ob.* SI DICAS, corpora cælestia participare divinam *Resp.* bonitatem, & assimilari Deo per motum. RESP. quod per eum assimilentur Deo, quantum ad similitudinem causalitatis, non autem quantum ad D perfectionem substantiæ, hîc ad 4. Plura videantur dicta qu. de potentia ar. 5. & 6.

Circa responsionem ad 8. adverte incertum esse an cælum quieverit in eo situ in quo fuit factum. Probabilius autem est, cùm tota innovatio mundi ad hominem ordinetur, quod cælum in ea novitate habebit nobilissimum situm qui est possibilis in respectu ad habitationem beatorum.

*Quæst.* Quæri hic solet, An cessatio motus cæli sit sufficiens causa ut cessent omnes generationes rerum, ac motus naturales: videturque non paucis quod non, partim, quia cælum non tantum agit per motum, sed etiam per lumen & occultas influentias; partim quia sole (Josue 10.) motum sistente, & consequenter etiam quiescentibus alijs orbibus E cælestibus, ut omnes eundem cursum retinerent quem antea habuerant, generationes & actiones non cessaverunt.

*Resp.* Cæterum, etsi hæc sententia negans admodum sit probabilis: B. tamen Thomas, tum hîc, tum opusc. 9. aliàs 10. art. 8. & opusc. 10. alias 11. ar. 10. *Motu cæli cessante generatio cessaret.* & q. 9. de potentia ar. 8. tenet affirmativam, eumque sequitur Dominic. in 4 dist. 48. qu. 2. art. 2. Quia Deus ita videtur instituisse corporalia, ut inferiora pendeant à superioribus, & superiora à spiritualibus, *unde cessante actione substantiæ separatæ oportet quod cesset actio corporis cælestis, & ea cessante, oportet quod cesset actio corporis elementaris, ea quæ est secundum proprietatem corporis, quæ scilicet est agere per motum*, quod additur, quia non oportet eam actionem corporis cessare quæ non est ad transmutationem materiæ, sed ad quandam diffusionem similitudinis formæ in medio, secundùm similitudinem spiritualis intentionis; nam hæc actio non sit secundùm proprietatem corporis, sed secundùm quod attingit ad similitudinem substantiarum separatarum.

AD 1. ergo Responderi potest, quod & luminis & influentiarum cæli applicatio non fiat, nisi per ejus motum.

AD 2. Quod Deus qua virtute fecit solem & alios orbes stare, fecit etiam ut generationum & actionum ordo servaretur.

## ARTICULUS III.

*Lux cælorum augebitur.* ART. 3. probat quod cælestia corpora incrementum lucis accipient: quia pulchritudo eorum maximè consistit in luce; innovabuntur autem, ut sua pulchritudine manifestent sapientiam facientis & gubernantis. Hinc Isaiæ 30. *Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.* Ubi Hieron. *Luna solis fulgorem accipiet, & sol septuplum lumen accipiet, sicut fuit lux septem dierum quando ab initio creatus est mundus.* Et B. Thom. tum opusculis 9. & 10. alias 10. & 11. art. 36. tum hîc ad 4. docet tutò dici posse, quod luna magis lucebit quam nunc sol; & sol septuplo amplius quam modò luceat; corpora verò beatorum septies magis sole.

*Ob.* Quod autem ex Isaiæ 60. posset opponi; *Non erit ubi amplius sol ad lucendum per diem*: intelligendum est de usu & necessitate; quasi diceretur quod *Resp.* ad nullum usum necessaria erunt post innovationem mundi sol, luna, & astra. Cùm hoc tamen bene consistit, quod accepto luminis incremento permanebunt ad ornatum universi, & ad aliquem usum hominis; qui in contemplatione operum Dei tanta pulchritudine illorum refulgentium oblectabitur, atque ita majorem quandam habebit perfectionem accidentariam; ut in resp. ad 5. significatur.

## ARTICULUS IV.

*Elementa sunt etiam innovanda.* ART. 4. probat elementa per receptionem alicujus claritatis innovanda; quia sicut est ordo cælestium spirituum ad terrenos, scilicet humanos; ita est ordo cælestium corporum ad elementa: sed humani spiritus in eo in quo conveniunt cum cælestibus, perveniunt ad maximam perfectionem, ita ut sint *sicut Angeli Dei in cælo*. Matth. 22. ergo elementa similiter maximè perficientur in eo in quo cum cælestibus corporibus communicant; hoc autem, ut in 2. de Anima tradit Philosophus, est natura lucis & diaphani.

Confirmatur PRIMÒ, Præter cælos novos, etiam promittitur nobis terra nova, Isaiæ 65. 2. Petri 3. Apoc. 21. Sicut autem cælum complectitur omnia corpora cælestia, sic terra omnia elementa.

SECUNDÒ, tota creatura quæ ullibus hominum deseruit, liberanda est à servitute, ad Rom. 8. ut & ipsa fiat particeps gloriæ. Cùm enim terra in peccato hominis fuerit maledicta, congruum est ut & in ejus gloria benedicatur. Accipient autem omnia elementa claritatem, non æqualiter, sed secundùm suum modum, prout in fine corporis A declaratur.



## ARTICULUS V.

*Omnia mixta præter hominẽ interibunt.* ART. 5. docet plantas & animalia, & generaliter omnia corpora mixta, solo homine excepto, in interitura innovatione mundi, sic ut in eorum locum nulla succedant: quia nihil remanebit, nisi quod ad innovationem ordinatur: ad eam verò nihil ordinari poterit, nisi quod habet ordinem ad incorruptionem; hujusmodi autem sunt corpora cælestia, elementa, & homines. Nam cætera corpora, & ex parte materiæ, & ex parte formæ corruptibilia sunt, nec eis promissa est im- B mortalitas & incorruptibilitas, quemadmodum homini qui secundùm animam est immortalis.

Confirmatur, Plantarum, aliorumque mixtorum duplex est finis. *Unus*, completio universi; *Alter*, homo.

Ad priorem autem, res prædictæ non ordinantur quasi per se & essentialiter de perfectione universi existentes, cum nihil sit in eis quod non inveniatur in principalibus partibus mundi (quę sunt corpora cælestia & elementa) sicut in principijs activis & materialibus; sed tantùm sunt de perfectione universi secundùm quod egrediuntur à suis causis: quod quidem fit per motum; unde pertinent ad perfectionem universi, sub motu existen- C tis; & ideo cessante ejus mutabilitate, cessabunt.

Ad posteriorum autem finem ordinantur; in quantum plantæ sunt propter animalia, & animalia propter hominem, necessaria ei ad cibum & ad alia auxilia: sed hæc necessitas solum est durante vita animali hominis: cùm ergo vita hæc animalis cessatura sit post innovationem mundi; cessabunt quoque illa quæ propter ipsum erant.

*Ob.* SI DICAS, omnia opera quæ fecit Deus perseverare in perpetuum, Ecclesiastæ 3.

*Resp.* RESP. Sapientem loqui de operibus quæ tantùm sunt Dei, quæ scilicet est operatus absque interventu causarum secundarum, cujusmodi sunt corpora cælestia, elementa, animæ rationales, An- D geli: Si quis autem universalius accipiat; respondebit omnes Dei creaturas secundùm aliquid in æternum perseverare, ad minus secundùm materiam. Plura argumenta videri possunt quæst. 5. de potentia ar. 9.

SI QUÆRAS de vera cruce, an ea quoque sit destitura & in elementa resolvenda post finem judicij. RESP. probabilius videri quod sic: quia nullum est in antiquitate fundamentum dicendi, Deum perpetuo miraculo eam conservaturum in æternum.

De RESP. ad 4. conferatur Author qu. 74. art. 1. ad 3. E

# QUÆSTIO XCII.

*De visione beatorum respectu divinæ essentiæ.*

## ARTICULUS I.

ART. 1. docet intellectum humanum posse pervenire ad videndum Deum per essentiam. Quæ doctrina, est fidei, &

Probatur PRIMÒ, quia Matth. 5. promittitur mundis corde quod Deum videbunt, facie scilicet ad faciem, & sicuti ipse est, ut habetur 1. ad Cor. 13. & 1. Joannis 3. *Humanus intellectus*

SECUNDÒ, quia alioquin commune desiderium sanctorum frustraretur.

TERTIÒ, quia si in perfectissima operatione intellectus, homo non perveniret ad videndam essentiam divinam, sed ad aliquid aliud; oporteret dicere quod aliquid aliud sit beatificans ipsum hominem, quam Deus. Cùm enim intelligere sit maximè propria operatio hominis; oportet quod secundùm eam assignetur ei sua beatitudo, quando fuerit perfecta. Et cum ultima perfectio cujuslibet sit in conjunctione ad suum principium, sequeretur quod aliquid aliud sit principium effectivum hominis quam Deus, quod absurdum est, & fidei repugnat. *potest videre.*

Hæc autem visio, quia fit per hoc quod essentia divina immediatè conjungitur intellectui humano, tanquam forma, ut ipsa sit & id quod intelligitur, & id quo intelligitur, ideo dicitur clara & immediata Dei visio. Non est tamen existimandum essentiam divinam fieri veram formam intellectus humani, sed dicitur conjungi ut forma, quia in ea conjunctione essentia divina habet quandam proportionem ad intellectum, aliquo modo similem ei quæ est formæ ad materiam. Plura videantur hîc in responsione ad argumenta, & p. 1. qu. 12. ar. 1. & 2. Item l. 3. contra Gent. c. 51. & qu. 8. de verit. ar. 1.

De responsione ad 1. quod B. Thomas rectè Chrysostomum interpretetur non aliud eum negasse, quam quod Deus à creato intellectu possit comprehendi: conferri potest ipse Chrys. hom. 14. in Joannem, in homilijs de incomprehensibili Dei natura, & alijs locis quæ in orationibus pro ista Chrysostomi causa habitis, aliquando recitavimus.

Pro responsione ad 6. adverte finiti ad infinitum non esse proportionem certi & determinati gradus; posse tamen esse proportionem seu habitudinem effectus ad causam, potentiæ ad objectum intelligentis ad intelligibile.

Pro responsione ad septimum, adverte Deum plus distare ab intellectu nostro, quam substantiæ spirituales distent à sensu, in ratione entis seu naturæ: Verum, in ratione objecti & potentiæ, minùs distat Deus ab intellectu nostro, quam spirituale à sensu. Nam Deus non est extra rationem objecti intellectus creati, ac per consequens neque extra facultatem ipsius, quasi aliquid omnino extraneum ab ipso, sicut est substantia immaterialis à sensu, sed sicut excedens virtutem ejus. Confer libr. 3. contra Gent. c. 54.

In responsione ad decimumquintum, negans ad visionem beatificam intervenire medium quo vel per quod Deus videatur, concedit medium disponens, quod intellectum humanum elevet ad hoc ut possit conjungi essentiæ divinæ, & eam clarè videre: similiterque loquitur quodlib. 7. ar. 1. Sed ab hoc medio non dicitur cognitio mediata, quia non cadit inter cognoscentem & rem cognitam, sed est illud quod dat cognoscenti vim cognoscendi, & fortificat intellectum. vide 1. p. qu. 12. ar. 5.

## ARTICULUS II.

*Sancti non videbunt divinã essentiã oculis corporalibus.* ART. 2. probat sanctos post resurrectionem non visuros Deum sive divinam essentiam, oculis corporalibus: quia visus corporalis tantum est perceptivus coloris & magnitudinis: Deus autem neque est coloratus, neque corporaliter magnus.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quod addit oculum corporalem visurum essen- A
tiam divinam, *sicut visibile per accidens* ; non est
propriè intelligendum, quasi visus in illis corpori-
bus quæ videbit glorificata, apprehendat divinam
essentiam talem qualis in se est : Nam in respon-
sione ad 5. tradit, visum quidquid apprehendit,
apprehendere corporaliter, & ideo non posse
cognoscere illa quæ corporaliter apprehendi non
possunt : sed *sensus est*, quod in creaturis corporali-
ter visis, & præcipuè in glorioso corpore Christi,
intellectus modo quodam videbit Deum Deique
essentiam, non secundùm se, sed sicut in locutione
hominis percipitur ejus vita ; & sicut mox ut aspi-
cimus homines motus vitales exercentes, nó credi-
mus eos vivere, sed videmus. Confer responsio-
nem ad 6. cum ijs quæ sunt in corpore, paulò ante B
verba Augustini, & cum quæst 91. ar. 4. ad 1. Cum
tota autem doctrinâ articuli confer 1. part. qu. 12.
articulo 3.

### Articulus III.

Art. 3. docet sanctos Deum videntes non
omnia videre quæ Deus videt ; quia non
cum comprehendunt ; sed unumquemque tanto
plura videre, quanto perfectius divinam essentiam
intuetur. Videndi sunt art. 7. & 8. in qu. 12. primæ
partis, & quæ ibi diximus, & quæ habet S. Doctor
lib. 3. contra gent. cap. 56. & 59. & q. 8. de veritate
art. 4 C

Ex Resp. ad 12. collata cum ijs quæ dicuntur in
fi. corp. Observandum est, quod nunc quidem An-
geli non sciunt cogitationes liberas in aliorum
cordibus latentes, nisi ipsi velint, & per mutuam
locutionem eas aperiant ; quia usque ad finem
mundi sunt in eo statu in quo ipsorum cognitio
crescere potest. *Scientiâ* (inquit S. Doctor) *Angelo-*
*rum, & animarum sanctarum potest augeri usque ad*
*diem judicij, sicut & alia quæ ad præmium accidenta-*
*le pertinent. Sed ulterius non proficient, quia tum erit*
*ultimus status rerum* ; de quo propterea statu in
Resp. ad 12. significat Angelos ea quæ in aliorum
sunt cordibus, à libero licet arbitrio dependentia,
omnes cognoscituros. Dicit enim : *nihil prohibet* D
*dicere, quod post diem judicij quando gloria hominum*
*& Angelorum erit penitus consummata, quod omnes*
*beati scient omnia quæ Deus scientia visionis novit*
(hoc est, & præsentia, & præterita, & futura) *ita*
*tamen quod non omnes omnia videant in essentia di-*
*vina : sed anima Christi ibi plene videbit omnia, sicut*
*& nunc videt. Alij autem videbunt ibi plura vel pau-*
*ciora secundum gradum quo Deum cognoscent : & sic*
*anima Christi de his quæ præ aliis videt in Verbo, om-*
*nes alias illuminabit. Et similiter alij superiores illu-*
*minabunt inferiores, non quidem nova illuminatione*
*ut scientia inferiorum per hoc augeatur, sed quadam*
*continuatione illuminationis*, sicut si intelligatur
quod sol quiescens illuminat aërem. Et ex his elu- E
cidari potest solutio argumenti quæst. 87. art. 2.
per nos moti.

*Angelorum & beatorũ scientia potest crescere usque in diem judicij.*

*Non postea.*

## Art. I.

## QUÆSTIO CXIII.

### *De sanctorum beatitudine, & eorum mansionibus.*

### Articulus I.

*Utrum beatitudo sanctorum sit major futura post judicium.*



Videtur quod sic. Primò, quia
Anima habet perfectius esse dum est cõ-
juncta corpori, præsertim glorificato,
quam quando est separata : sed quanto
aliquid est perfectiùs in esse, tantò potest perfectiùs
operari : ergo perfectiorem habebit operatio-
nem quando resumpserit corpus glorioſum.

Secundò, anima separata naturaliter appe-
tit corporis conjunctionem : propter hunc autem
appetitum ex imperfectione procedentem, ejus
operatio quâ in Deum fertur, est minus intensa.
Unde Aug. lib. 12. de Gen. ad litteram cap. 35. scri-
bit animas eo appetitu quem ad corpus habent, re-
tardari quodammodo, ne totâ intentione pergant
in illud summum cœlum, sive Deum : & Bern. ser.
3. De omnibus sanctis ; Adeo viget in eis deside-
rium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio
liberè pergat in Deum.

Tertiò, pœna damnatorum erit post resur-
rectionem major ; ergo similiter beatitudo sancto-
rum.

Quartò, In proœmio Conc. Florentini, Con-
fessio Græcorum, eaque Latinorum confessioni
consentanea, est ; justorum ac sanctorum animas
perfectâ frui fœlicitate, perfectiori tamen cum suis
corporibus, cum resurrexerint, fruituras.

Resp. Sanctorum beatitudinem fore post
generale judicium majorem extensivè, sed non
intensivè.

Prius manifestum est, quia beatitudo non *Beatitudo sanctorum erit post resurr. major extensivè.*
solum erit in animâ, sed etiam redundabit ad cor-
pus, quod erit animæ unitum & glorioſum. Hinc
est quod animæ tunc dicantur *vestiendæ duplicibus*,
apud Bern. ser. 3. de omnibus sanctis & quod sancti
olim vitâ functi, *non sine nobis consummandi*, sive
consummatâ beatitudine donandi sint, ad Heb. 11.
juxta quorundam probabilem expositionem :
quodque perfecta retributio danda sit in resurre-
ctione. Hinc autem sequitur, quod etiam ipsius
animæ beatitudo augebitur extensivè, in quantum
anima non solum gaudebit de bono proprio, sed
etiam de bono sui corporis.

Ad Posterius quod attinet, etsi B. Tho- *Non erit major intensivè.*
mas in 4. sententiarum aliter senserit : tamen in 1.
2. quæst. 4. art. 5. Ita loquitur, *Corpore resumpto bea-*
*titudo crescit non intensive, sed extensivè.* Ita etiam
sentiunt Durandus in 4. dist. 49. quæst. 7. Palud.
quæst. 6. Major quæst. 12. Supplementum Gabriël
quæst. 5.

Probatur, quia si crescceret intensivè, hoc
esset vel ratione objecti ejus in quo essentialiter
consistit beatitudo : vel ratione luminis gloriæ : vel
ratione potentiæ intellectivæ.

Non ratione objecti, nec ratione luminis ; quia
objectum non videtur clarius, nisi propter majus
lumen gloriæ, lumen autẽ in nullo beato est majus
nisi



nisi major sit gratia justificans ; hæc verò per resur- A
rectionem non augebitur.

Non etiam ratione potentiæ, partim quia facul-
tas videndi Deum non competit potentiæ secun-
dùm suam naturam, sed per lumen gloriæ ; partim,
quia anima cum in videndo Deum non pendeat à
phantasmate, non pendet etiam ullo modo à cor-
pore ; ac proinde tam perfectè potest videre Deum
separata, quam unita.

Confirmatur, In beatitudine, tantum
quisque videt Deum quantum amat ; *plus enim*
*participabit de lumine gloriæ, qui plus habebit de cha-*
*ritate*, ait B. Thomas 1. p. q. 12. ar. 6. Sed post judi-
cium non crescet charitas, (*nihil erit*, ait Aug. lib. de
perfectione justitiæ cap. 3. *quod addatur ad dile-* B
*ctionem, cum fides pervenerit ad visionem* :) ergo ne-
que crescet visio.

Ad Primum argumentum Resp. Neg. Majo-
rem : nam anima rationalis habet idem & perfectũ
esse, quando est à corpore separata, & quando est
conjuncta ; ut B. Thomas docet 1. parte quæst. 76.
art. 1. ad 5. & 6. & 1. 2. quæst. 4. art. 5. ad 2.

Verum quidem est, quod habeat alium modum
essendi, cùm unita fuerit corpori, 1. p. quæst. 89. art.
1. quodque tunc habeat suum esse perfectiori mo-
do, hujus Suppl. quæst. 75. art. 1. ad 4. constituta
scilicet in ultimâ perfectione speciei humanæ. Sed
hinc non sequitur, quod operationem illam, in qua
consistit essentialis beatitudo, habeat perfectiorem ;
quia id quod sumitur (*quanto aliquid est perfectius* C
*in esse, tanto perfectius potest operari*) solum est ve-
rum de operationibus naturalibus, quæ sequuntur
ad esse naturale : visio autem Dei non sequitur ad
esse naturale, sed est supernaturale, & respondet
quantitati luminis gloriæ.

*Ob.* Nec obstat B. Thomam dicto art. 5. in 1. 2. con-
cludere, quod quanto anima perfectior erit in sua
natura, tanto perfectiorem habebit suam propriam
*Resp.* operationem in qua fœlicitas consistit : Non enim
dicit quod operationem habebit perfectiorem, sed
(ut bene annotavit Conradus) quod *habebit perfe-*
*ctius*, quia scilicet habebit eam in natura tota, cum
separata solum habeat illam in parte naturæ.

Ad 2. Negatur Minor : partim quia desiderium
animæ ad corpus non est cum anxietate, ut possit D
eam distrahere, partim quia est propter Deum
tanquam finem : amor autem mediorum non mi-
nuit amorem finis, vide q. 82. ar. 3. ad 4.

Augustinus & Bernardus non dicunt animas re-
missius nunc videre Deum quàm visuræ sint post
resumptionem corporum : sed significant fruitio-
nem & delectationem esse nunc minus intensam ;
resumptis autem corporibus futuram intensiorem.
Uterque enim exprimit actum voluntatis : ille in-
tentionem, iste affectionem. Unde Aug. tract. 49.
in Joannem. *Habent animæ bona gaudium, mala tor-*
*menta : sed cum facta fuerit resurrectio ; & bonorum* E
*gaudiũ amplius erit, & malorum tormenta graviora.*

*Quæ damnatorum pœna essentialis.*

Ad 3. Cùm essentialis sive principalis pœna
damnatorum sit dolor de carentiâ divinæ visionis,
qui dolor non erit post resurrectionem intensior,
quàm ante : consequens est principalem eorum pœ-
nam non augendam intensivè ; quamvis quoad ex-
tensionem multipliciter augeri possint pœnæ aliæ.

Ad 4. Græcorum confessio non est animas
perfectius Deum visuras post resurrectionem ; sed
Deo fruituras perfectiori fœlicitate. Quamvis
enim beatitudo hominis principaliter consistat in
visione Dei, aliorum tamen bonorum accessione
fit auctior & perfectior, scilicet extensivè : & eâ sic
perfectiore fruentur animæ sanctorum post resur-
rectionem.

Latinorum autem confessio habet, *sanctorum*
*animas quatenus animæ sunt, perfectam suam fœli-*
*citatem assecutas esse, ita tamen ut aliam cum suis cor-*
*poribus perfectionem expectent quâ perpetuò fruantur.*
Unde sequitur, mercedem animarum quatenus
animæ sunt, id est, visionem Dei non esse augen-
dam, sed bonum quoddam illi superaddendum.

### Articulus II.

Art. 2. probat gradus beatitudinis rectè voca- *Gradus beatitudinis sunt mansiones.*
ri mansiones : quia cum translatione sumptâ
à motu locali, quies in fine cujuslibet motus voce-
tur mansio ; consequens est quod assecutio finis ul-
timi beatorum, dicatur mansio : diversi autem gra-
dus illius assecutionis, diversæ mansiones.

Huc pertinet illud Christi Joannis 14. *In domo*
*Patris mei mansiones multæ sunt.* Quod cum Jovi-
nianus de Ecclesia militante interpretaretur, in qua
diversi sunt gradus & ordines credentium, ne sci-
licet cogeretur fateri diversos esse beatorum gra-
dus, & inæqualem esse sanctorum beatitudinem :
à S. Hieronymo l. 2. adversus eum scripti cap. 15. &
sequenti, reprehensus est & refutatus ; qui de cœ-
lorum mansionibus & æternis tabernaculis Chri-
stum ibi sermonem facere, docet ex scriptura esse
manifestissimum : loquebatur enim Christus de
domo Patris, ad quam ibat, & ex qua venturus erat
accipere Apostolos ad semetipsum.

Hieronymo consentiunt Tertull. lib. de resurre-
ctione carnis ca. 41. & in Scorpiaco ca. 6. Irenæus
lib. 3. ca. 21. Cyrillus li. 9. ca. 31. Hilarius Psal. 64.
Basilius l. de Spiritu sancto ca. 16. Ambr. l. de bono
mortis ca. 12. Greg. lib. 4. Moralium ca. 42. lib. 4.
Dialogorum c. 35. hom. 16. in Ezechielem, & Au-
gustinus tract. 67. In Joannem, ubi sic loquitur,
*Multæ mansiones diversas meritorum in una vita*
*æterna significant dignitates. Alia est gloria solis, alia*
*gloria lunæ, alia gloria stellarum, stella enim a stella*
*differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum.*

Advertendum ergo, per has mansiones non
solum multitudinem significari, nempè multas
esse, sed etiam diversitatem & inæqualitatem, de
qua inæqualitate conferendus est author 1. p.
quæst. 12. art. 6. prima 2. qu. 5. art. 2. & lib. 3. Con-
tra gent. cap. 58.

### Articulus III.

Art. 3. probat diversas mansiones distingui *Diversæ mansiones distinguũtur ex diversis gradibus charitatis.*
penes diversos gradus charitatis : quia quanto
aliquis erit Deo conjunctior, tanto erit beatior.
Atqui secundum modum charitatis, est modus
conjunctionis ad Deum : ergo secundum differen-
tiam charitatis, erit diversitas beatitudinis.

Confirmatur. Retributio gloriæ redditur secun-
dùm merita : sed quod opera sint meritoria, habent
ex charitate, qua informantur ; ergo diversitas in
merendo, & consequenter etiam diversitas in retri-
butionem accipiendo, tota revertitur ad diversita-
tem charitatis, habitualis scilicet, ut ex responsione
ad 3. patet : quia ipse habitus charitatis est princi-
pium & tota ratio merendi in actibus. Hinc Aug.
sic de anima nostra loquitur lib. 83. quæstionum,
q. 46. *In quantum charitate cohæserit Deo, in tantum*
*ab eo lumine intelligibili perfusa quodammodo, & il-*
*lustrata,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*justrata, cernit per intelligentiam suam istas rationes, quarum visione sit beata.* A

Adde, quod beatitudo, cùm sit ultima perfectio hominis, debet correspondere perfectioni vitæ præsentis: sed hæc essentialiter consistit in charitate; 2.2.quæst.184.art.3.ergo beatitudo debet proportionari charitati: ut etiam 1.p.quæst.12.artic.6. tradit B.Thomas.

Ex his sequitur quod qui habebit majorem charitatem, habebit etiam majorem gloriam essentialem, clarioremque Dei visionem. Confer quæ attulimus quæst.89.artic.2.in 3.parte.

In responsione ad primum, nota virtutem hominis secundùm quam Deus impertitur sua dona, esse conatum & dispositionem quam operatur in illo B Spiritus sanctus, mentem ejus præveniens & movens: ut B.Thomas interpretatur 2.2.quæst.24. art.3.ad 1. & quæst.disput.de charitate art.7.ad 9. favetque Synodus Tridentina sess.6.cap.7.

## QUÆSTIO XCIV.

### *De modo quo sancti se habebunt erga damnatos.*

#### Articulus I.

*Beati in cœlo videbunt pœnas dãnatorũ.*

ART.1. docet beatos qui erunt in patriâ visuros pœnas damnatorum: quia hoc quadam ratione pertinet ad perfectionem C beatitudinis ipsorum; tum ut contraria, juxta se posita magis elucescant; tum ut beatitudo sanctorum eis magis complaceat, & de eâ majores Deo agant gratias. *Justi*, ait Greg.hom.40.in Evangelia, *in tormentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat; quia malum conspiciunt quod misericorditer evaserunt; tantoq; majores Redemptori suo gratias referunt, quantò vident in alijs quod ipsi perpeti, si essent relicti, potuerunt.* Eadem est sententia Hieronymi, & Haymonis in cap.ultimum Isaiæ, & Aug. lib.20.de civit.cap.22. qui omnes verba illa, *egredientur & videbunt cadavera virorum*, explicant de egressu per scientiam, non autem per corporis motum.

*Quæst. Resp.* D Si modus quo ista videbunt sancti, quæritur: Greg. indicat quod videbunt in Verbo: *Qui creatoris sui claritatem vident*, inquit, *nihil in creatura agitur quod videre non possint.* Ex quo tamen non sequitur quod illa videant in Verbo formaliter, cum sufficere possit quod videant per influxum Verbi in ipsos, sicut quæst.77.art.1.de precibus nostris diximus.

Dominicus in fine 4. sententiarum addit quòd etiam videre poterunt in proprio genere, seu oculis corporalibus: Cui favet quod propter acumen visus, & propter auctam corporibus, tum cælestibus, tum elementaribus claritatem; beati videre poterunt à remotis. Confer quæst 82.art.4.ad 6.& quæst.91.art.4. in fine corporis. Neque oportet ut E semper illa intueantur, sed quando eis placebit.

#### Articulus II.

ART.2. probat beatos non compati miserijs damnatorum: quia qui compatitur alicui, fit particeps miseriæ illius; beati autem nullius miseriæ possunt esse participes.

*Beati nõ compatientur damnatis.*

DEINDE, cũ in beatitudine vires inferiores perfectè subjiciantur superioribus; in beatis nulla erit passio in parte inferiori, nisi secundùm electionem rationis: ratio autem erit perfectè conformis Deo; ita ut beati nihil velint nec velle possint, nisi quod viderint Deum velle: ergo secundùm electionem rationis nullâ veri nominis compassione tangentur, neque parentes erga filios, neque filij erga parentes; sed laudabunt & approbabunt Dei justitiam. Quomodo de B. Maria Ogniacensi refert Cantipratanus l.2.de bono universali cap.54.quod agnitâ matris suæ æternâ damnatione, adhuc in hoc *Beati nõ* sæculo vivens *justum Dei judicium benedixit, nec compassi sunt amplius perpetuæ morti traditam per quam cartiuntur nis initia sumpserat; quia ratio intellectualis animæ pœnis quam solus creavit omnipotens, judici universorũ Deo damnasubdita concordabat.* Similiter Durandus in 4.d.ult. *torum.* q.3.& Major eadem d.q.1.docent beatos non compati pœnis damnatorum; quia compassio vel est secundùm passionem quę est motus appetitus sensitivi, vel est secundùm electionem. Non compatiuntur priori modo, quia appetitus sensitivus in beatis est plenè subjectus rationi, ideoque nunquam prævenit electionem rationis. Non etiam posteriori, quia hoc modò solùm compatimur illis quorum malum repellere volumus: beati autem non volunt repellere malum damnatorum: ergo nullo modo compatiuntur. Imò etiamsi Christus nunc pro nobis Patrem interpellet, ut q.21. art.1.dictum est in 3.parte; ac etiam sancti cum eo regnantes pro nobis orare non desinant usque ad finem sæculi: nostris tamen miserijs propriè non compatiuntur; neque ex peccatis quæ committimus, tristitia vel dolore afficiuntur, aut ullum patiuntur perfectæ suæ fœlicitatis detrimentum, ut malè sensit Origenes hom.7.in Levit. Hinc Abraham Lucæ 16. etsi divitem Epulonem, filium vocet, utpote ex suâ posteritate genitum; nullum tamen misericordiæ affectum illi ostendit; sed magis objurgavit, vitam præteritam improperando.

*Objectiones solvuntur.* His non obstat vel quod Christus ad Heb.4.dicatur *compati nostris infirmitatibus*: vel quod aliqui volunt ex sinu Abrahæ ad inferos transire, nec possint, ut jam dicto capite Lucæ significare videtur Abraham: Nam si compati propriè accipiatur, Christus nunc non compatitur, uti nec condolet, nec misereatur sive non tangitur compassione misericordiæ; sed hæc omnia ipsi in cœlo regnanti per tropum attribuuntur, quatenus ad sanandas nostras infirmitates propensior est ex eo quod eas scit per experientiam, ut tradit Author noster Lectione 3. in cap. 4. ad Hebr. unde cap. 2. *In eo enim in quo passus est ipse tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.*

Verba autem Abrahæ non significant inesse beatis aliquem commiserationis affectum, quo etsi non possint, velint tamen sucurrere damnatis: sed propter immobilitatem divini decreti, tanquam impertransibile chasma interpositum, non posse beatos ullam opem ferre damnatis, etiamsi vellent. Conferantur Aug. quæst. Evangelicarum lib.2.q. 38.& Greg. hom.40.in Evangelia.

#### Articulus III.

*Vt beati de pœnis damnatorum gaudeant.*

ART.3. docet beatos gaudere de pœnis damnatorum, non per se seu quatenus sunt quoddam malum afflictivum; sed per accidens, seu ratione adjuncti, considerando scilicet in eis divinam justitiam, & suam ab eis liberationem: quæ duo gaudent per se causa gaudij beatorum; pœnæ autem damnatorum, per accidens. *Lætabitur* enim *justus, cum*



*cum viderit vindictam*, Psal. 57. His consentanea A tradunt Durand. & Major art. superiori citati.

Pro responsione ad secundum considerandum sunt verba Gregorij lib.4.Dialog. cap.44. *Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia verò justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur.*

## QUÆSTIO XCV.

### *De dotibus beatorum.*

QUÆSTIONE 82.& tribus sequẽtibus egit author de dotibus corporum beatorum: præsenti autem quæst. de dotibus ani- B marum disputat.

#### Articulus I.

ART. 1. docet animabus beatis cum transferuntur in gloriam, aliqua dona divinitus dari ad earum ornatum, quæ à Scholasticis dotes vocantur.

*Quid generaliter dos beatorũ.* Dos autem beatorum, generaliter definitur esse perpetuus animæ vel corporis ornatus, vitæ sufficiens, in æternâ beatitudine jugiter perseverans, Appellatio sumitur ex matrimonio corporali, ubi id quòd datur ab his qui sunt ex parte mulieris, his qui sunt ex parte viri, ad hoc ut sponsam & libe- C ros sufficienter nutrire possit; ita tamen ut inamissibiliter maneat sponsæ: dos vocatur.

*Ob.* Nec obstat quod quæ vocantur dotes beatorum, non videantur dari à parentibus sponsæ, sed

*Resp.* à sponso: dantur enim à tota Trinitate, quæ est Pater sponsæ, scilicet Ecclesiæ; etiamsi sola prima persona sit Pater sponsi, id est, Christi. Et præterea, nihil vetat dotem aliquando sponsæ assignari, à sponso divite & liberali.

*Ob.* Non obstat etiam, quod in beatitudine non sint onera propter quæ ferenda, solet dos assignari. Nam, ut est in responsione ad tertium, per accidens est doti quod per eam removeantur oneras per se autem convenit illi, esse solatio. D

*Resp.* Cur dona quæ justis hîc conferuntur non sint dotes, rationem dat in responsione ad quartum; quia adhuc peregrinantur à Domino: dos autem sponsæ datur, quando in domum sponsi traducitur.

#### Articulus II.

ART. 2. probat dotem realiter differre à beatitudine.

PRIMÒ, quia beatitudo est una; dotes sunt plures.

SECUNDÒ, quia beatitudo est in animâ, dotes etiam in corpore.

TERTIÒ, quia beatitudo consistit in operatione; dos autem est qualitas quædam ad hujusmodi E operationem ordinata. Unde in responsione ad tertium, dicit visionem quæ ponitur dos animæ, non intelligi ipsam operationem, sed claritatem gloriæ quæ est illius operationis principium.

QUARTÒ, quia beatitudo est in homine secundùm id quod est potissimum in eo, id est, secundùm rationem; aliquæ autem dotes sunt in corpore.

Dicit enim quod dos datur sine meritis. Ad hoc in arg. *Sed contra*, disputativè, ut scilicet quæstionem utrimque agitet, videtur esse dictum; cùm quæst. 82. art. 2. dixerit impassibilitatem quæ est



dos dari, in præmium; in arg. quidem etiam, *Sed contra*, sed conformiter rationi quam adfert in corp. ostendens impassibilitatem non esse in omnibus æqualem ex parte causæ; & consentaneè etiam scripturis, in quibus ea quæ ad dotes pertinent, promittuntur justis, & dicuntur futura inæqualia, secundùm illa quæ attulimus qq. 82. 83. 84. 85.

Quoniam verò, B. Thomas in sua Summa non omnino sic de dotibus loquitur, quomodo hîc in Supplem. sive in 4. sent. locutus fuerat, ubi non tam exactè rem discusserat: Ideo pro hujus Artic. doctrina, sit

#### Conclusio I.

DOTES corporis glorioſi omnes realiter differunt à beatitudine: quia beatitudo est animæ, ejus scilicet operatio; Dotes autem illæ sunt qualitates quædam in ipso corpore existentes.

#### Conclusio III.

NON omnes dotes animæ beatæ realiter differunt à beatitudine, neque sunt qualitates, sed aliquid aliud.

PRIMÒ, quia satis incommoda & impropria locutio est; per visionem non intelligere actionem, sed ejus principium, lumen gloriæ.

SECUNDÒ, quia nullus habitus dilectionis de novo confertur post mortem qui sit principium fruitionis: nullus item, qui sit principium comprehensionis; cum tamen dotes dentur animæ post mortem, & non antea.

*Tres dotes animæ explicantur.* TERTIÒ, quia B. Thomas 1.2.quæst.4.art.3. tres animæ beatæ dotes recensens, visionem, comprehensionem, delectationem, vel fruitionem: eas ita explicat, *ut visio sit perfecta cognitio finis intelligibilis: comprehensio, tentio finis jam habiti*; quatenus *cantur.* scilicet voluntas, Deum qui est ejus finis ultimus, præsentem habet ac tenet: *Delectatio*, complacentia *& quietatio amantis in amato jam præsente & habito.* Ex quibus clarum est quod per visionem ipse non velit intelligere qualitatem quæ sit principium operationis, sed ipsam operationem, seu cognitionem, quæ secundùm rem non est diversa à beatifica visione seu beatitudine. Per alias quoque dotes animæ patet ipsum non intelligere qualitates.

*Ob.* Neque illis ejus dictis obstat comprehensionem pertinere ad intellectum: quamvis enim quatenus dicit consecutionem finis, ad intellectum *Resp.* pertineat, ut ex ejusdem partis quæst.3.art.4. patet; quatenus tamen dicit tentionem rei quæ jam præsentialiter habetur, pertinet ad voluntatem: Intellectus enim est qui Deum consequitur & apprehendit; sed voluntas est, quæ eum sic apprehensum & quodam modo præsentem factum, habet & tenet. *Sicut ad voluntatem*, ait quæst. 4. art. 3. ad secundum, *pertinet spes & amor: quia ejusdem est amare aliquid & tendere in illud non habitum: ita etiam ad voluntatem pertinet comprehensio & delectatio: quia ejusdem est habere aliquid, & quiescere in illo.*

*Quæst.* An autem ista comprehensio sit operatio quædam à visione diversa, sicut delectatio; disputatur. *Resp.* B. Thomas ibidem in resp.ad 3. negat, dicens quod *comprehensio non est aliqua operatio præter visionem, sed quædã habitudo ad finem jam habitũ.* Cùm enim voluntas moveat alias potentias ad suos fines:

Universidad de Deusto
Biblioteca



ipsa consequitur finem, quando quælibet aliarum pertingit ad finem: atque ita beatitudinem quæ est noster ultimus finis, intellectus quidem consequitur tanquam potentia agens; voluntas autem tanquam potentia movens ad finem, & fruens fine jam adepto: ut loquitur ejusdem partis quæstione 11. art. 1. ad 1. & 2. quo modo appetitus sensitivus desiderat gratum odorem vel saporem: illum autem habet, quando olfactus vel gustus, olfacit vel gustat.

### Conclusio III.

EX his consequenter est dicendum, quod ab essentiali beatitudine realiter differat dos quæ vocatur fruitio: ac fortassis etiam illa quæ vocatur comprehensio.

Prius quidem, quia fruitio est actus voluntatis; essentialis autem beatitudo est actus intellectus.

Posterius autem, quia comprehensio pro objecto habeat visionem vel rem visam præsentem, ut docet author dicta quæst. quarta, articulo tertio, ad 3. Visio autem est ipsa beatitudo.

Confirmatur, Non omne quod videtur, jam tenetur vel habetur: quia videntur etiam distantia, vel quæ non sunt in potestate nostra. Neque etiam omnibus quæ habemus, fruimur; vel quia non delectamur in eis; vel quia non sunt ultimus finis desiderij nostri: ergo secundùm se visio, comprehensio, fruitio sunt res diversæ. Cùm igitur sancti sint per Dei visionem beati, visio quidem non differt à beatitudine; sed quia videndo Deum, tenent illum sibi præsentem, in potestate habentes semper eum videre, quod est comprehensionis, & tenentes fruuntur eo sicut ultimo fine desiderium implente, quod est fruitionis, ideo comprehensio & fruitio differre videntur à beatitudine secundùm rem. Vide 1. p. q. 12. art. 7. ad 1.

Ulterius autem ex his responderi potest ad argumenta: *Primum, Secundum, & Tertium.* Concedendum est enim quod simpliciter loquendo dos differt à beatitudine. Sed comparatione facta ad dotes animæ, de quibus hìc quæritur; dicendum est quod earum aliquæ differunt realiter à beatitudine, non tamen omnes. Neque tamen sunt qualitates, sed visio quidem & fruitio sunt operationes, comprehensio autem est relatio seu habitudo.

### Articulus III.

*In Christo non propriè sunt dotes.*

ART. 3. docet quod vel omnino Christo non convenit ratio dotis, vel non ita propriè sicut alijs sanctis: ea tamen quæ dotes dicuntur excellentissimè illi conveniunt.

Prius Probatur, quia non est considerare aliquod matrimonium spirituale in quo Christus sit sponsa: Nam si ipse spectetur ut unum cum Patre, deest subjectio sponsæ ad sponsum: si unio humanæ naturæ ad divinam; deest conformitas naturæ, & differentia personarum: si conjunctio ad Ecclesiam; ipsemet est sponsus & dos quædam excellentissima.

Posterius per se manifestum est; quia Christus ut homo, ab instanti conceptionis clarissimè Deum videt, tenet, Deoque fruitur.

In resp. ad 2. observa naturam humanam aliquando dici desponsatam à Verbo; non quia sit sponsa Verbi, cum inter sponsam & sponsum requiratur personarum distinctio, quæ ibi non est sed quia habet aliquem actum sponsæ; est enim Verbo inseparabiliter conjuncta, ipso inferior, & ab eo gubernata.

In resp. ad 4. nota B. Thomæ mentem esse quod Christus non propriè dicitur membrum Ecclesiæ; quia membrum importat partialitatem & imperfectionem: in Christo autem bonum spirituale non est particulatim, sed totale & integrum, nec habet ullam imperfectionem. Vide quæ diximus 3. p. q. 8. art. 1.

### Articulus IV.

ART. 4. docet Angelos habere ea quæ ad dotes pertinent, non tamen ita propriè secundùm rationem dotis, sicut homines: quia ratio sponsæ non tam propriè illis convenit, cùm non sint conformes in naturâ speciei cum sponso.

### Articulus VI.

*Tres sunt dotes animæ.*

ART. 5. tradit ab omnibus communiter poni tres animæ dotes, sed diversimodè. Ipsi conformius est has tres assignare, *Visionem*, quæ respondeat fidei: *Comprehensionem*, quæ spei: *fruitionem* sive delectationem, quæ charitati: Et intelligi possunt in hoc versiculo:

*Spiritus apprendit, fruiturque, videtque Beatus.*

Prima enim dos quæ vocatur Comprehensio, per apprehensionem significari potest, quia non intelligitur hìc comprehensio propriè secundùm quod aliquid includitur in comprehendente (quo modo Deus à nulla creatura potest comprehendi) sed generaliter, prout opponitur in secutioni: & sic comprehendere dicitur qui Deum apprehendit, tenet, ac possidet. Has tres animæ dotes assignat. 1. p. q. 12. ar. 7. ad 1. 1. 2. q. 4. art. 3. & conformiter loquitur in 4. seu in q. præsenti.

## QUÆSTIO XCVI.

## *De Aureolis.*

### Articulus I.

*Aureola est diversa à beatitudine.*

ART. 1. Docet aureolam esse aliud à præmio essentiali: quia Exodi 25. ubi hujus rei figura exprimitur, corona aureola jussa est superponi coronæ aureæ; non superponeretur autem una alteri, nisi essent diversæ.

Præterea, cum merito respondeat præmium; oportet quod illi excellentiæ meriti quæ est ex modo agendi, respondeat aliqua excellentia in præmio: & hanc excellentiam vocamus aureolam, quæ definiri potest, esse *præmium quoddam accidentale præmio essentiali superadditum, ob excellentem victoriam.* *Quid aureola.*

Non dicitur *accidentale*, quia sit in genere accidentis; nam & visio Dei, quæ est beatitudo essentialis, est accidens: neque quia possit deficere, est enim perpetuum, sed quia beatitudini essentiali superadditur, non ut necessarium ad illam, sed ut eam exornans.

Additur, *ob excellentem victoriam*: quia non quidquid essentiali præmio superadditur, est aureola: nam quod superadditur ex conditione naturæ ejus qui præmiatur, ut gloria corporis, etsi sit præmium accidentale, non est tamen aureola, sed id solum quòd superadditur ratione operis excellentè quandam



dam victoriam continentis, per quam Christo victori perfectissimè homo conformatur.

Dicitur autem diminutivè *aureola*; quia nihil potest superaddi alicui essentiali, quin sit eo minus: & ideo quantumcumque parvum sit præmium respondens merito, ratione charitatis, est majus quolibet præmio accidentali, quia sicut primum principium merendi est charitas: ita illud præmium quod respondet merito ratione charitatis, est primum & principale seu essentiale. Quâ ratione, etiam hoc fieri potest, ut aliqui sine aureolis sint magis beati quantum ad beatitudinem essentialem, quam alij qui habent aureolas, si nimirum charitas illorum sit major.

### Articulus II.

*Aureola differt à fructu.*

ART. 2. probat aureolam differre à fructu: quia quibusdam assignatur fructus, quibus non assignatur aureola.

Sumitur autem hìc fructus, non ut respondet fruitioni, neque ut reficit mentem, neque ut significat remunerationem quamcumque; sed quatenus respondet ei quod ex semine oritur in naturalibus: ubi quantò virtus seminis est efficacior & terra paratior, tantò uberior fructus sequitur: similiter enim in spiritualibus (ubi semen est verbum Dei, ex natura sua efficacissimum,) quantò terra cordis nostri fuerit paratior; tanto sequetur major fructus. Paratior autem censetur, quando recedens à carne, magis convertitur in spiritualitatem. Unde differt ab aureolâ, quod ipsa sit præmium accidentale de excellentia operum: fructus verò, de dispositione operantis, secundùm gradum spiritualitatis, in quem proficit ex semine verbi Dei. *Quid fructus.*

### Articulus III.

*Fructus magis respondet continentiæ, quam alijs.*

ART. 3. docet fructum magis respondere continentiæ quam alteri virtuti: quia fructus est quoddam præmium, quod debetur homini ex hoc quod à carnali vitâ in spiritualem transit: hoc autem præcipuè est per virtutem continentiæ. Cum enim maximè per delectationes venereas anima subjiciatur carni; continentia quæ illas delectationes cohibet, maximè liberat hominem à subjectione carnis. De verbis in corpore citatis, diximus q. 41. art. 3.

### Articulus IV.

*Tres sunt fructus.*

ART. 4. docet tres fructus convenienter assignari tribus partibus continentiæ: *tricesimum*, continentiæ conjugali; *sexagesimum*, viduali; *centesimum*, virginali. Vide Hieron. epist. 11. cap. 3. & in cap. 13. Matth. & B. Thomam 2. 2. q. 152. art. 5. ad 2.

### Articulus V.

*Aureola debetur virginibus.*

ART. 5 tradit aureolam deberi ratione Virginitatis: quia virgines singularem quandam victoriam obtinent de carne, unde ad illos pertinet *canticum novum* (gratiarum scilicet actionis de puritate mentis & corporis,) cujus Apoc. 14. fit mentio: & *nomen melius a filijs & filiabus*, Isaiæ 56. hoc est major gloria præ illis qui genuerint.

*Non tamen quibuslibet virginibus.*

Notandum autem non quibuslibet virginibus deberi hanc aureolam, sed solis illis quæ propositum habuerunt virginitatem perpetuo servandi, eamque sic servaverunt; sive propositum illud voto firmaverint, sive non: Nam aureola respondet merito secundùm quod est opus perfectionis, habens rationem victoriæ excellentis, hoc autem esse potest absque voto, sed non absque proposito virginitatis perpetuæ.

Hinc illæ quæ habent voluntatem nubendi, & tamen antequam nupserint, decedunt; aureolam non habebunt, etiamsi sint de numero salvandorum. Idemque judicium est de illis, qui vel quæ fuerunt voluntariè polluti, etiamsi nullum alium actum commiserint.

De illis autem qui absque voluntaria pollutione, propositum virginitatis interruperunt, per consensum dumtaxat mentalem, in delectationes morosas, vel in fornicationem, aut in nuptias; dubitatur.

B. Thomas, Sylvester, verbo *Virginitas*, & Dominicus dist. 49. quæst. 5. art. 2. tradunt quod habituri sint aureolam, si pœniteant, & post pœnitentiam in proposito virginitatis perseverent: quia virginitas mentis reparari potest; etiam si non virginitas carnis. Quam carnis virginitatem etiam ille dicendus est perdidisse, qui licet fornicatus non fuerit, voluntariè tamen pollutus fuit: nam *Delectatio voluntaria quæ est ex seminis resolutione, tollit virginitatem: sive fiat per concubitum, sive absque concubitu*; ait B. Thomas 2. 2. q. 152. art. 1. ad 4.

In responsione ad secundum, observandum B. Virginem Deiparam, habere aureolam virginitatis: quia licet non habuerit pugnam per tentationem à carne, habuit tamen pugnam per tentationem ab hoste, & ex ea pugna perfectam victoriam.

De eo quod in eadem responsione dicitur, *Nec tentatio a carne sine peccato esse potest*, videantur quæ diximus 3. p. q. 27. art. 3. & q. 41. ar. 1. Sumit hoc B. Thom ex glossa quadam ad illud 2. ad Cor. 12. Datus est mihi stimulus carnis meæ.

Circa responsionem ad tertium, adverte quod quando matrimonium ad multiplicationem generis humani erat necessarium; virginitas non addebat aliquam excellentiam super alios continentiæ gradus, ideoque nec merebatur aureolam: postea verò, etiam durante statu legis Mosaicæ, quando non erat necessitas multiplicationis, aureolam merebantur qui in perpetuæ virginitatis proposito perseverabant, ut tradit Major dist. 49. quæst. 22. Dominicus dist. 30. quæst. 2. art. 1. & probari potest ex Heliâ, Helizæo, Hieremia, & alijs, quæ tota cœlibes permanserunt, utique non sine prærogativa meriti.

In responsione ad quartum, adverte illam quæ invita corrumpitur, non amittere aureolam, modò nullatenus consentiat, ac in proposito perpetuæ virginitatis perseveret: quia tunc non perdit virginitatem secundùm id quod in ea est formale; sive non amittit virtutem virginitatis, ideoque nec ejus meritum; quod si pro fide talem injuriam patiatur, præter aureolam virginitatis, participabit etiam aureolam martyrij. Juxta illud S. Luciæ 13. Dec. *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*: non quod esset habitura duas aureolas virginitatis, sed quia duplex præmium erat reportatura: Unum pro virginitatis custodia: Alterum pro injuria quam passa fuisset in Christi honorem. Confer in 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 3. quæst. 124. art. 4. ad 2. quæst. 152. art. 1.

In responsione ad quintum, explicat quomodo Eunuchi possunt mereri hanc aureolam. *Quæst.*

Quæri posset, utrum infantes statim à baptismo *Resp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



mortui, eam accipiant. Sed cum virginitatis propositum nullum habuerint, responsio negativa satis certa est.

### Articulus VI.

*Martyribus debetur aureola.*

Art. 6. probat Martyribus deberi aureolam; quia in illis invenitur difficilis pugna, & perfecta victoria. Cum enim perfectio victoriæ consideretur ex magnitudine passionis, & ex causa pugnæ, inter omnes autem passiones exterius illatas, præcipuum locum teneat mors; & honestissima causa pugnæ, sit Christus, pro quo martyres patiuntur: utrumque illud quod ad perfectionem victoriæ pertinet, invenitur in ipsis; ad quos proinde pertinet illud Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo ei calculum candidum* &c.

In responsione ad tertium, observa quod sicut voluntas martyrij non facit verè martyrem; ita etiam non mereatur aureolam: quia hæc non debetur nisi difficultati quæ est in ipsa pugna martyrij. Confer quæstionis 20. art. 4. in 1. 2. & observa quod his conformiter in Resp. ad 4. significat B. Virginem Deiparam non propriè fuisse martyrem, ac per consequens non habere aureolam martyrij, eò quod non sit perpessa mortem pro Christo vel pro justitia, sed in pace dormierit. Eademque est sententia Dominici in 4. d. 49. Valentiæ tom. 3. disp. 8. q. 2. puncto 1. Tanneri tom. 3. disp. 3. qu. 2. dub. 2. num. 30.

*An B. V. habeat aureolam.*

Neque his obstat quod veteres eandem sanctam virginem aliquando martyrem vel plus quam martyrem vocant, ut Hieron. seu potius Sophronius serm. de Assumpt. tom. 9. operum S. Hier. Bernard. serm. de B. Maria ex verb. Apoc. 12. & alij: Ita enim vocatur per similitudinem martyrij; quia vehementissimos dolores sensit de morte filij, *in qua* (ut ait Bern.) *corporeæ sensum passionis excessit compassionis affectus.* Unde & postea vocat eam martyrem in anima.

De responsione ad sexum, vide in 2. 2. quæst. 64. art. 5.

Circa responsionem ad septimum, quinque sunt observanda. Unum, si quis vulnus mortale accipiat, & aliquanto tempore supervivens (sive naturaliter, sive miraculosè) ex illo tandem vulnere moriatur, habebit aureolam: quia est verè martyr.

Secundum, qui ex aliqua afflictione illata & usque ad mortem continuata, quæ non erat lætalis, moritur, habebit aureolam, modò non intervenerit negligentia quæ sit peccatum mortale: quia prima occasio mortis, fuit passio pro Christo.

Tertium, si quis accepto vulnere sive lætali, sive alio, non moritur ex illo, moritur tamen in carcere vel ærumna detentus; habebit adhuc aureolam. Unde Ecclesia tanquam martyres celebrat quinque Romanos Pontifices, qui vel in carcere, vel in exilio, aut alijs ærumnis mortui sunt, etiamsi omittat Responsorium; *Hic est verè martyr qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit*; eò quod non sint mortui per effusionem sanguinis.

Quartum, si tales cruciatus alicui inferantur ex quibus mors naturali necessitate sequi nata est, sed Dei protectione sequi prohibetur; is non erit propriè & perfectè martyr, ideoque nec aureola donabitur: hi enim soli habentur martyres (seu testes per Antonomasiam) qui sua morte fidem obsignant. Hinc S. Joannes Evangelista *in fer-*

*ventis olei dolium missus*; è quo illæsus *exivit*, non habetur ut propriè martyr.

Quintum, si quis nullis acceptis verberibus, sola diuturni carceris afflictione moriatur; etiam ut martyr, aureola donandus videtur: quia talis afflictio, verberum loco æstimatur, & est causa mortis. Vide B. Thomam 2. 2. qu. 124. art. 4. ad 3. *Nec martyrium*, inquit, *dicitur pro sola tolerantia carceris, vel exilij, vel rapinæ divitiarum; nisi fortè secundum quod ex his sequitur mors.* Quibus verbis satis indicat martyrium propriè futurū, si ex tolerantia carceris mors sequatur. Unde hujus quæst. artic. 10. *Aliqui martyres*, inquit, *aureolam habebunt in quibus cicatrices non erunt, utpote illi qui sunt submersi, aut famis inedia, vel squallore carceris interempti.*

Cum responsione ad nonum conferatur art. 5. qu. 124. in 2. 2.

In Responsione ad undecimum, nota illos qui in bello justo propter conservationem Reipublicæ occiduntur; non propterea esse martyres, nisi Rempublicam defendant ab illorum hostium impugnatione, qui fidem Christi subvertere moliuntur. Qui autem sic eam defendunt, & defendendo moriuntur; coram Deo sunt martyres, & martyrum aureolam accipiunt; ut post S. Thomam hîc, & dicta qu. 124. art. 5. ad 3. tradunt Palud. & Dominic. dist. 49.

*Ob.*

Nec obstat quod milites in bello ab hostibus fidei occisos, Ecclesia non ascribat numero martyrum: Imò cū Phocas imperator id tentaret, Orientales Episcopi restiterunt, ut videre est apud Baronium ad 19. Aprilis: Ecclesia enim neminem sanctorum catalogo ascribit, nisi prævia diligenti inquisitione: hæc autem inquisitio non facile potest haberi de occumbentibus in bello; cum aliquando hæretici, Schismatici, aliique facinorosi homines in bello contra infideles decertent, non habito respectu fidei, sed proprij commodi.

*Resp.*

Cum responsione ad duodecimum conferri debet resp. ad 1. art. 1. dictę quæst. 124. ubi sanctos Innocentes simpliciter esse martyres affirmat, propter actualem mortem pro Christo.

### Articulus VII.

*Doctores habent aureolam.*

Art. 7. probat aureolam deberi doctoribus quia perfectam obtinent victoriam de diabolo, quando per prædicationem & doctrinam, non solum ei non cedunt, sed etiam expellunt eum, & à se, & ab alijs. Hinc Dan. 12. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*: & Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

*Qui sint illi.*

Doctorum autem nomine non intelliguntur illi qui vel titulum, vel statum seu officium habent doctoris; sed illi qui verbo vel scripto doctrinam sanctam explicant; sive sint titulo doctores, sive pastores, sive prædicatores, sive scriptores.

Dixi, *Doctrinam sanctam*; quia cum dicitur quod doctrinæ debetur aureola, intelligendum est, de doctrina pertinente ad salutem, per quam diabolus à corbibus hominum expugnatur; ait hic B. Thomas ad 3.

Cæterum cavendum semper est ab inani gloria: nam qui propter eam doceret vel prædicaret, aureolam perderet, ita ut ne quidem eam recuperaret per pœnitentiam, nisi in quantum post eam iteraret actus docendi; ait B. Thomas quodlib. 5. ar. 24. loquitur autem de inani gloria quæ sit peccatum mortale; sicuti & Joan. Major dist. 49 q. 23.

Si quæ



Si quæras, An B. Virgo Maria habeat Aureolam Doctorum.

Resp. nullam videri justam dubitandi rationem. Cum enim 2. cap. Lu. semel iterumque dicatur, quod *conservabat omnia verba hæc* (quæ de Christo) *conferens in corde suo*; quis nō credat eam instruxisse Apostolos de ijs quæ ipsi non viderant, viderat autem illa. quod S. Ildefonsus serm. 5 de Assumpt. tradit; Unde meritò ab alijs nuncupatur *Doctrix Apostolorum.*

### Articulus VIII.

*Christus non habet aureolam.*

Art. 8. docet Christum non habere aureolam; quia aureola importat aliquid quod participativè & secundùm diminutionem, non verò secundùm sui plenitudinem possidetur, scilicet gaudium de aliqua participatione perfectæ victoriæ; in Christo autem non invenitur participatio, sed plena ratio perfectæ victoriæ: per cujus victoriam, omnes alij victores constituuntur. Quamvis ergo fuerit perfectissimè Virgo, Martyr, & Doctor, non tamen habet aureolam, sed aliquid omni aureola excellentius.

### Articulus IX.

*Angelis non debetur aureola.*

Art. 9. probat Angelis non deberi aureolam, quia aureola respondet cuidam perfectioni excellentis meriti: ea verò quæ in hominibus pertinent ad perfectionem meriti, sunt Angelis vel connaturalia, ut puritas à delectationibus carnis; vel pertinent ad præmium essentiale, ut perpetua incorruptio spiritus; vel spectant ad communem eorum statum, ut actus secundùm quos docent homines.

### Articulus X.

*Quodnam aureolæ subjectū proximum.*

Art. 10. disputans de proximo subjecto aureolæ, docet eam propriè esse in anima: est enim gaudium de operibus illis quibus ipsa debetur. Addit tamen quod in corpore sit, per quandam redundantiam; quia ex illo animæ gaudio resultat in corpore aliquis decor & fulgor; isque ita distinctus seu distinctæ rationis, ut alio modo fulgeat Virgo, alio Martyr, alio Doctor, & alio qui omnes aureolas simul habet. Unde sequitur quod ex fulgoris aspectu statim scitur qualis quisque fuerit, Virgo, Doctor, an Martyr, an omnia simul.

In quâ autem parte corporis futurus sit ille decor; probabiliter putatur quod in capite, per modum coronulæ; quia aureola coronulam significat.

Pinguntur quidem omnes sancti cum coronis, eò quod receperint immarcescibilem gloriæ coronam; eisque radij quidam ignei seu lucidi adduntur, juxta illud, *sic luceat lux vestra coram hominibus*: Verum per eos non significatur aureola, sed aurea, sive æternæ beatitudinis corona, quæ omnibus sanctis est communis. Aureola verò posset per alium minorem circulum supra alterum, exprimi.

Cum addit B. Thomas, quod *decor cicatricū quæ in corporibus martyrum apparebunt, nō potest dici aureola*; non negat in locis cicatricum futurum quendam splendorem & pulchritudinem; ut patet tum ex verbo *decoris*, tum ex quæst. 82. artic. 1. ad 5. sed declarat non sufficienter dici, quod aureola martyrum ibi sit futura; partim quia non omnes habebunt cicatrices, ut qui fuerunt submersi, aut famis inedia vel squallore carceris interempti; partim quia aureola est aliquod à cicatricum pulchritudine diversum.

*Sylv. in III. Part.*

### Articulus XI.

*Tres sunt aureolæ.*

Art. 11. explicat convenienter designari tres aureolas, secundùm tres reportatas expugnis, quæ cuilibet homini competunt, excellentes victorias: contra Diabolum, docendo; contra Mundum, mortem sustinendo: contra Carnem, à delectationibus venereis totaliter abstinendo.

Respondere etiam possunt aureolæ tribus actibus virium animæ: actui quidem rationalis, aureola doctorum: irascibilis, martyrum, concupiscibilis, virginum.

### Articulus XII.

*Aureola Martyrum est excellentior alijs.*

Art. 12. tradit aureolam martyrum simpliciter loquendo esse præstantiorem cæteris. Quamvis enim aureola virginum secundùm quid potior sit, si præeminentia spectetur ex vicinitate hostis, & diuturnitate pugnæ: secundùm aliud verò potior sit aureola doctorum, si consideretur objectum circa quod ipsi versantur: Quia tamen Aureolæ debentur victoribus; potius habenda est ratio difficultatis in vincendo: pugna autem martyrum est secundùm se difficilior ad vincendum, & magis affligens; Omnium enim terribilium terribilissimum est mors: ergo victoria illorum, est difficilior, & consequenter aureola potior.

Post eam sequitur aureola doctorum: ac postremò, virginum, ut tradunt Major dist. 49. quæst. 24. & Palud. q. 8. art. 4.

### Articulus XIII.

*Nō omnes aureolæ donati, eā habent æqualiter.*

Art. 13. docet unum excellentius alio habere aureolam ejusdem speciei; ita scilicet ut non omnes virgines habeant æqualem aureolam virginitatis, & sic de alijs, Quia aureola est præmium quoddam; præmium autem respondet merito, quod non in omnibus est æquale.

Spectatur autem hæc præferentia, non ex parte radicis meriti quæ est charitas secundùm ea quæ cum B. Thoma diximus 1. 2. q. 114. ar. 4. quia merito sic considerato respondet intensio aureæ, non aureolæ: sed consideratur ex parte operis; ita ut qui acerbius martyrium passus est, qui purus virginitatem servavit, qui sacram doctrinam diligentius docuit; majorem sit aureolam suo muneri respondentem, habiturus. Unde consequens est quod aliquis qui minus meretur in martyrio vel doctrina, possit habere majorem aureolam; si minimum ex minori charitate plura patiatur, aut plus doceat quàm unus alius, qui ex majori charitate pauciora ferat, minúsve doceat.

Universidad de Deusto
Biblioteca



A

## QUÆSTIO XCVII.

### De pœna damnatorum.

ARTICULUS I.

*Damnati non solo igne cruciatur.*

ARt. 1. docet damnatos in inferno non solâ pœnâ ignis affligi : quia divinæ justitiæ congruit ut sicut ab uno recedentes, per multa peccaverunt ; ita etiam multipliciter, & ex multis affligantur.

In genere autem duplex est damnatorum pœna : una, *damni*, altera, *sensus*. B

*Duplex pœna damnatorum.*

Pœna damni est carentia visionis Dei, & æterna ab ipso seu ab ipsius intuitu expulsio; velut æternum exilium. Hæc carentia conjunctum habet odium Dei punientis, & summam tristitiam in mente, de tanto bono amisso : & longè gravior est, quam pœna sensus. *Intolerabilis quidem res, est gehenna* (inquit Chrysost. hom. 24. in Matth.) *tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, & audire ab illo: Non novi vos.*

*Quæst. Resp.*

QUÆRITUR autem, An pœna damni sit in omnibus æqualis. Et videtur quod sic. PRIMÒ, quia carentia divinæ visionis non recipit magis & minus, ait B. Thomas 3. p. q. 71. art. 3. ad 1.

SECUNDÒ, par visio Dei facit æquè beatos : ergo æqualis privatio visionis facit æqualiter mi- C seros.

RESPONSIO Joan. Majoris in 4. d. 50. qu. 2. & Dominici Soto eadem dist. art. 4. post Abulensem, Conradi & Medinæ in 1. 2. quæst. 87. art. 4.

*Pœna damni nõ est in omnibus æqualis.*

verior est, pœnam damni pro mensura peccatorum esse inæqualem ; non quidem ratione sui, cum sit privatio; privatio autem si pura est, major minórve esse nequeat : sed ratione causæ, quæ sunt ob majora vel minora, plura vel pauciora peccata, major aut minor Dei contra ipsos indignatio, & ex indignatione eos abominantis & rejicientis, tam à suo conspectu, quam à participatione omnium bonorũ expulsio. Talis enim rejectio magis aut minus torquet, prout major aut minor est indignatio ejus D qui rejicit ; sicut gravius affligitur qui ab eo, cujus amicitiam conciliare debuerat, magis nunc sibi infenso, mittitur in exilium, spoliaturque omnibus bonis; quam affligeretur, si ab eo non tam indignanter, sic puniretur. Accedit, quod pœna damni, prout est pœna essentialis damnatorum, non videtur esse carentia visionis Dei nudè sumpta, sed ejus carentia simul cum anxietate, dolore & tristitia de illa. *Pœna essentialis*, ait B. Tho. q. 2. de Malo art. 2. ad 8. *consistit in separatione a Deo, & dolore exinde proveniente.*

AD 1. ARGUMENTUM RESP. B. Thomam illic E loqui de carentia visionis Dei secundùm se, quatenus est nuda privatio. *Quamvis* autem *privatio pura non recipiat magis & minus secundum se, potest tamẽ recipere secundum causam*; ait ipse qu. de potentia Dei ar. 3. ad 4. q. 28. de veritate ar 9. Prima parte qu. 11. ar. 4. ad 1. Prima secundæ qu. 73. art. 2. Hujus Supplementi q. 82. ar. 2. In 2. dist. 25. art. 4. ad 3.

AD 2. Neg. conseq. par enim visio ideo facit æquè beatos : quia qui æqualiter Deum vident, æqualiter eum mente assequuntur. Qui autem istâ visione privantur æqualiter, non æqualiter contristantur, indignantur vel affliguntur quod ea sint A privati. Adde, quod etiamsi privatio sit æqualis secundùm se, inæqualis tamen est ex parte causæ : Par autem visio Dei est æqualis, & secundùm se, & ex parte causæ.

Præter hanc pœnam damni, quæ & principalior est, & quasi essentialis : alia est pœna sensus seu sensibilis, quæ nimirum aliquo sensu percipi potest. Varijs enim pœnis affliguntur reprobi : & quidem secundùm omnes suas potentias, tam interiores, quam exteriores, adeò ut quemadmodum sancti in singulis sensibus suas habebunt oblectationes, de quibus qu. 82. art. 4. diximus : ita verisimile sit futuros in damnatis singulorum sensuum cruciatus.

*Pœna sensus varia.*

*Visus* torquebitur tenebris & terribilibus pœnarum spectaculis. *Auditus*, luctuosis clamoribus & lamentis. *Odoratus*, fœtore, quem ipse locus, & eorum corpora exhalabunt. *Gustus*, ab humore corrupto. *Tactus*, ab igne in omnibus partibus intolerabilem percipiet læsionem. Vide illos qui de quatuor novissimis tractant.

Circa responsionem ad Tertium adverte quod pœna frigoris quam nonnulli significatam putant per stridorem dentium, Matth 8. & 25. etiamsi posset esse in damnatis, absque omni refrigerio : non videri tamen necessarium, eam asserere ; uti nec vicissitudinem caloris & frigoris.

PRIMÒ, quia cum in scripturis varia recenseantur tormenta inferni, ut ignis, fletus, & stridoris dentium, tenebrarum, & sulphuris, nunquam fit mentio frigoris.

SECUNDÒ, quia nõ solum ignis inferni erit perpetuus, sed supplicium ignis erit unicuique damnatorum perpetuum. *Ibunt* enim *in supplicium æternũ* Matth. 25. seu ut legunt Cypr. & Augustinus, *in combustionem æternam*, id est, quæ jugiter & absque ullâ interruptione urit. unde Apoc. 20. *Bestia & pseudopropheta missi* dicuntur *in stagnum ignis & sulphuris*, die ac nocte in sæcula sæculorum cruciandi. Vide Dominicum dicto art. 4. dist. 50. Stridor ergo dentium nõ provenit ex frigore, sed partim ex rabie iracundiæ, qua fremunt adversus Deum & sanctos, partim ex vehementiâ doloris quẽ patientur.

*De stridore dentiũ.*

Ad verba autem Job 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius*, quæ non paucos moverunt in diversam sententiam: ex Greg. l. 16. Moral. c. 30. & B. Thoma in commentario istius loci : Resp. literaliter de impio significari quod transeat ab uno peccato ad aliud : quod cum ante finem præsentis vitæ non emendetur per pœnitentiam, usque ad inferos ducitur ut ibi æternaliter puniatur.

*Ob. Resp.*

Si dicas Zach. 14. haberi de impijs quod non erit eis lux, sed frigus & gelu. Resp. illa non dici pro tempore judicium sublequente, sed pro tempore adventus Domini ad judicium, quando impijs securè agentibus repentè deficiet eis lux, & omnia videbuntur plena tenebris, frigore & gelu, ita ut non possint effugere. Ac tum, subitò erit *dies una*, judicij scil. extremi : & in fine illius diei, hoc est, finito judicio, *erit* sanctis *lux* indeficiens.

ARTICULUS II.

*Vermis damnatorum non erit corporeus.*

ARt. 2. tradit, etsi non fide certum, verius tamen esse quod vermis damnatorum ; Judith 16. Ecclesiastici 7 Isaiæ ultimo, & Marci 9. expressus, non sit corporalis : quia post diem judicij nullum corpus mixtum remanebit, præter corpus hominis;



minis, nec amplius futura est vel generatio vel A corruptio.

VERMIS ergo ille, est remorsus conscientiæ, qui ex putredine peccati oritur, & animam affligit. Idem sentit opusculo 9. aliàs 10. ar. 41.

ARTICULUS III.

*Vi futurus sit fletus in damnatis.*

ARt. 3. declarans in fletu duo contineri, resolutionem lachrymarum, & quandam commotionem seu turbationem capitis & oculorum : DOCET in damnatis non futurum fletum quoad prius, quia hoc pertinet ad statum corruptibilem, futurum tamen quoad posterius, quia corpora damnatorum non solum ab exteriori affligentur, B sed etiam ab interiori :

Erit ergo in illis ejulatus corporalis, cum mirâ capitis oculorumque perturbatione ; ut etiam tradit l. 4. contra Gent. ca. 90. & post eum Durand. Richard. Palud. in 4. dist. 50.

ARTICULUS IV.

*Damnati sunt in tenebris corporalibus.*

ARt. 4 probat damnatos esse in tenebris corporalibus: quia talis debet esse inferni dispositio, quæ maximè conveniat miserijs damnatorum, illis autem maximè congruit locus tenebrosus. Huc facit scriptura Matth. 8. 22. & 25. ubi impij *in tenebras exteriores* mitti jubentur; sive exteriores dicantur, C id est, externæ, ad distinctionem tenebrarum interiorum mentis ; sive potiùs, comparativus pro superlativo positus sit, (*exteriores*) pro (*extremas.*)

*Ob. Resp.*

SI DICAS damnatos futuros in igne; ignem autè naturaliter splendere : RESPONDET author art. 6. ad 4. ignem non lucere, quando est vel in materia opaca terrestri, ut in sulphure : vel quando aliquo grosso fumo ejus claritas offuscatur. Aliquid tamen obscuri luminis esse in inferno, quantum sufficit ad videndum illa quæ torquere possunt, hîc agnoscit, ut proinde non sint ibi tenebræ per omnimodam lucis carentiam, sed per carentiam lucis prout visio ejus est delectabilis. Nihil enim ibi perspicuè videbitur, sed solum sub tenebrositate quadam vi- D debunt singuli ea quæ afflictionẽ possunt ingerere, ut pœnas suas, & eos quos exẽplo suo perdiderunt. *Ignis qui in obscuritate cruciat, credendũ est quia lumen ad tormentũ servat*, ait Greg. Moral. l. 9. ca. 49. & postea, *Gehennæ flamma reprobis & nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam.* Vide Richard. Durand. & alios in 4. dist. 50.

ARTICULUS V. & VI.

*Utrum ignis inferni sit corporalis, & ejusdem speciei cum nostro.*

VIDETUR quòd non. PRIMÒ, quia de igne & E verme Christus pariter dicit Marci 9. *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur* : vermis autem ille non intelligitur corporeus, ergo nec ignis. Unde Hier. in ultimum cap. Isaiæ, ignis juxta id accipiendus, quod & vermis.

SECUNDÒ, in scriptura ignis non ratò sumitur metaphoricè, pro quacumque gravi afflictione, ut cum dicitur, *transivimus per ignem & aquam*: & iterum, *Igne me examinasti* ; ergo ad designandam damnatorum gravissimam pœnam, convenienter intelligitur esse nominatus ignis.

TERTIÒ, dæmones ubicumque sunt, torquentur igne cui sunt adjudicati : sed cum sunt in aëre vel in corporibus obsessis, non videntur torqueri igni corporeo; Alioquin enim sequeretur & aërem esse plenum igne, & obsessos eodem igne cruciari.

QUARTÒ, de gehennâ dicitur Isaiæ 30. *Nutrimenta ejus ignis & ligna multa* : sed non sunt in inferno ligna corporea, ergo nec ignis corporeus. unde Greg. l. 15. Moral. c. 14. Gehennæ ignis, inquit, cùm sit incorporeus & in se missos reprobos urat, nec studio humano succenditur. Et Damasc. l. 4. de fide cap. ultimo, de eodem igne dicit quod non sit materialis, qualis est apud nos. Similiterque Ambros. l. 7. in Lucam. Augustinus autem l. 12. de Gen. ad litteram ca. 33. dicit animam de corpore egressam non ad corporalia loca ferri, sed ad spiritualia : unde consequens est quod & ignis animas illas affligens, non sit corporalis, sed spiritualis.

*Ignis inferni est corporeus.*

RESPONSIO B. Thomæ & communis, est, Ignem inferni esse corporalem, ejusdemque cum nostro substantiæ, ut quæst. 70. ar. 3. probavimus.

AD ARGUMENTA verò, & AD 1. quidem RESP. non pariter loqui scripturam de verme, sicut de igne. Cùm enim de pœnis inferni loquitur, assiduè nominat ignem, vermem autem rarius, Hinc Augustinus l. 21. de civit. ca. 9. credibilius dici asserit ignẽ propriè ad corpus, vermem verò tropicè ad animã referri ; & potiùs dicendum quod utrumque pertineat ad corpus, quam neutrum.

Hieron. autem non negat ignem corporeum, C sed indicat quid alij quidam senserint, qui ignem & vermem apud Isaiam, interpretabantur conscientiam peccatorum, quæ torqueat constitutos in supplicijs, utique ab igne corporeo venientibus. Dici etiam potest cum velle quod tam vermis quam ignis pœna semper durabit.

AD 2. Resp. quod vox uno vel pluribus locis metaphoricè sumpta, non propterea debeat alibi ita accipi.

AD 3. respondet B. Thomas 1. p. q. 64. art. 4. ad 3. in quæstio. disput. q. de anima art. 21. ad 16. & hujus Suppl. qu. 70. art. 3. ad 8. dæmones ubicumque sint, torqueri igne, & portare secum suam gehennam ; non quia deferant ignem, sed quia apprehendunt se ad ignem esse damnatos, & perpetuam alligationem ad ipsum, sibi esse debitam : Ignis enim apprehensus est proximum affligens ; ignis autem corporeus extra animam existens, est affligens remotum.

Secundùm vero probabilem sententiam eorum qui existimant ignem inferni non solum torquere dæmones, per alligationem, & alligationis tanquam sibi nocivæ apprehensionem, sed etiam ex eo quod *miris modis* agat in illos, causans in eis dolorem similem illi, quem causabit in animabus damnatis post resurrectionem : Addi probabiliter potest, quod ignis in inferno existens possit tanquam instrumentum divinæ virtutis, torquere dæmones in aëre existentes, quia virtus illa non pendet à loco.

AD 4. Neg. conseq. sensus enim scripturæ est, Nutrimenta, sive fomes gehennæ, est ignis & ligna multa, id est, ignis perpetuò ardens, perinde ac si ligna multa continuo ei subjicerentur.

In verbis Greg. secundùm aliam lectionem non habetur, *incorporeus*, sed *corporeus* : quæ lectio confirmari potest ex cap. 29. l. 4. Dialog. ubi Gregor. dicit rem corpoream urere incorpoream, & per ignem corporeum, mentem incorpoream cruciari.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Si quis contendat retinendam in l.15.moral.vocem, *incorporeus*; sensus Greg. idē erit qui Damasceni, scilicet Ignem nō esse corporeum & materialem, hoc est, non indigere materiâ & formento corporeo, ut vel accendatur, vel accensus conservetur: Quamvis enim sit ejusdem speciei cum nostro: secundùm accidentia tamen differt: *Primò*, quia non alitur formentis corporeis, art. 6. ad 1. *Secundò*, quia non est luminosus, sed obscurus, ad 4. *Tertiò*, quia longè acrius urit.

Ambr. non negat absolutè cruciatum dæmonum vel animarum futurum corporalē, sed ignem & vermen interpretatur de pœna quæ apud inferos est præcipua; hæc autem non est ab igne corporeo, cùm pœna damni sit major quam pœna sensus.

Augustinus non hoc dixit determinando, sed inquirendo: vel, si opinando dixit, postmodum expressè revocavit in l.21. de civit. Dei, ait B. Thom. ad 19. art. 21. de anima; addens posse etiam dici quòd pœna infernorum dicatur esse spiritualis, quantum ad proximum affligens, quod est ignis apprehensus ut nocivus per modum detentionis & allegationis. Confert hujus q. art. 5. responsionem ad secundum.

### ARTICULUS VII.

*Ignis inferni est sub terra.*

ART. 7. docet ignem inferni esse sub terrâ; partim quia id significat nominis inferni ratio; partim quia de Diabolo mysticè dicitur Isaiæ 14. *Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui.* Eodem pertinet quod Chore, Dathan, & Abyron Num. 16. & 26. leguntur absorpti à terrâ, & vivi descendisse in infernum; quodque Apoc. 5. *nemo poterat aperire librum, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram.* Quæ doctrina tametsi non sit fidei; usque adeò tamen certa est, ut contrarium temeritate non careat.

Quamvis autem naturaliter fieri non possit, ut aliquod elementum perpetuò durat extra locum suum naturalem; ex ordine tamen justitiæ semper conservari potest, & conservatur ignis in inferno, ut hìc ad 2. dicitur. Neque propterea Deus aliquid facit contra naturam: Cùm enim naturæ ordo sit à Deo; si quid præter hunc ordinem Deus faciat, non est contra naturam, ait B. Thomas 1.p.quæst. 105. art. 6. ad 1. 3. parte quæst. 44. art. 2. ad 1. & 3. contra gent. cap. 100.

## QUÆSTIO XCVIII.

## *De pertinentibus ad affectum & intellectum damnatorum.*

### ARTICULUS I.

*Utrum omnis damnatorum voluntas sit mala.*

VIDETUR quòd non. PRIMÒ, quia quidam ex damnatis habent veram fidē: ergo possunt aliquem ejus actum elicere. Antecedēs probatur, quia fides nō amittitur nisi per infidelitatem; non pauci autem sunt Christiani qui propter malè actam vitam condemnantur, etiamsi peccato infidelitatis nunquam peccaverint. Huc pertinere videtur illud Jacobi 2. *Dæmones credunt & contremiscunt.*

SECUNDÒ, Psalterij conclusio est: *Omnis spiritus laudet Dominum*: ergo & damnatorum spiritus laudem Deo dicere possunt, quod est bonum.

TERTIÒ, *Omnis lingua confitebitur Deo*, ad Rom. 14. & ad Philipp. 2. unde Apoc. 5. etiam creaturæ quæ sunt sub terra dicunt; *sedenti in throno & Agno, Benedictio, & honor, & gloria.*

QUARTÒ, damnati possunt velle ut qui sunt in hoc mundo superstites, salvarentur, quemadmodum de epulone legitur Lucæ 16. hæc autem voluntas est bona.

QUINTÒ, Greg. Nyssenus in disp. de anima & resurrectione, dicit quod vitiositate longis sæculorum amfractibus & circuitionibus aliquando abolita atque extincta; nihil præter bonum relinquetur: sed etiam dæmones concorditer & consentienter dominationem Christi confitebuntur.

SEXTÒ, Hieronymus in cap. 4. epist. ad Ephesios affirmat quod Angelus refuga id esse incipiet quod creatus est.

SEPTIMÒ, Joannes Papa cap. *Visis* 16. quæst. 2. dicit diabolum dolere quod charitatem amiserit.

DENIQUE, manet in damnatis liberum arbitrium: ergo possunt bene & malè velle.

*Omnis damnatorum voluntas est mala.*

RESPONSIO certa est, omnem voluntatem damnatorum esse malam: quamvis enim voluntate, ut natura est, bonum aliquod velle possint; quia tamen perfectè sunt ab ultimo fine rectæ rationis aversi; nulla voluntas simpliciter bona potest in illis esse. Nam & naturalis ipsorum inclinatio, quæ in genere naturæ bona est, per ipsorum malitiam corrumpitur, in quantum hoc bonum quod naturaliter desiderant, sub quibusdam malis circumstantijs appetunt.

Confirmatur PRIMÒ, Voluntas obstinata in malo nunquam potest flecti nisi in malum: atqui damnatorum omnium voluntas est obstinata in malo, ergo.

SECUNDÒ, sicut se habet voluntas beatorum ad bonum; ita se habet voluntas damnatorum ad malum: sed beati nihil unquam volunt, nisi bene: ergo nec damnati aliquid volunt, nisi malè.

Difficultas autem est, unde hæc damnatorum obstinatio oriatur.

*Unde damnatorum obstinatio in malo.*

Verisimile est, quòd ex naturâ status in tali termino, qui conjunctam habet perpetuam divini auxilij negationem. Naturale est enim unicuique rei, ut postquam ad terminum pervenit, in eo quiescat, nisi forte ab aliquo alio moveatur: Damnati autem cùm pravâ suæ voluntatis ad indebitum finem ultimum affectione decedentes, sunt in termino; neque Deus cui solus posset eos à malo in bonum vertere, daturus est unquam auxilium ut bene aliquid velint, sed justo judicio statuit eos relinquere in malo quod elegerunt; ergo nunquam movebuntur ad aliquid bene appetendum. Confer B. Thomam lib. 4. contra gent. cap. 95. Palud in 4. dist. 50. Banesium in 1.p.quæst. 64. art. 2.

*In damnatis nō est fides.*

AD 1. ARGUMENTUM Neg. Antecedens. Quamvis enim dū homo est in hac vitâ, nunquam fidem amittat nisi per infidelitatem; in termino tamen viæ illam amittit is qui damnatur, etiamsi antea peccatum infidelitatis non admiserit; quia injustam ejus punitionem, Deus radium suæ misericordiæ, quo fidem in illo conservabat, subtrahit. Dæmones autem non credunt fide divinitus infusa; sed credere dicuntur, quia per evidentiam rerum convicti, coguntur assentiri rebus quas negare non possunt.

AD 2. Resp. quòd spiritus damnati quadam ratione



tione possint dici laudare Deum, juxta illud, *Benedicite omnia opera Domini Domino*; quatenus scilicet propter naturæ ipsorum excellentiam, Deus in illis agnoscitur esse laudabilis: Psalmista tamen non loquitur de spiritibus Angelicis, sed generaliter de omni eo quòd flatum & spiraculum vitæ habet. *Omnis spiritus*, id est, omne quod spirat, tam in hominibus quàm in brutis, suo spiritu ac flatu *laudet Dominum*, eo scilicet modo, quo etiam res inanimatæ possunt laudare Deum.

Quòd si sententiam Psalmistæ extendas ad spiritus incorporeos, & laudem propriè dictam intelligas, limitanda erit ad solos spiritus excitabiles in laudem Dei; quales nec sunt dæmones, nec animæ damnatæ, sed illi spiritus qui non sunt obstinati in malo; hoc sensu, Omnes spiritus tam beati quam qui ad beatitudinem tendere possunt, laudent Dominum.

AD 3. Resp. etiam damnatis ista convenire, quia licet non propriè laudent Deum, sciunt tamen ipsum regnare, & velint nolint, fateri coguntur, quòd Christus omni laude sit dignus.

AD 4. Resp. quòd nullus damnatorum salutem alicui sincerè exoptet; sed solum, ex superbiâ, & invidiâ, vel metu augmenti suarum pœnarum, aut ex similibus causis mallent certos quosdam salvari potius quam alios. Hinc B. Thomas art. 4. ad 1. asserit quod dives Epulo simpliciter maluisset fratres suos cùm alijs omnibus damnari: sed quia sciebat quod aliqui eriperentur, potiùs voluisset fratres eripi, quam extraneos; partim quia damnati minus invident propinquis, quam alijs; partim quia pœna ipsorum major esset, si omnes propinqui damnarentur, & alij salvarentur, quam si aliqui de suis propinquis salvarentur.

*De divite epulone.*

Adde, quod propterea timebat ex fratrum in condemnatione consortio, pœnam suam augendam, quia per malæ vitæ exempla, & per relictas divitias, illis occasionem peccandi præbuerat. Confer quæ diximus 1.p.q. 64. art. 2. & nota id quod de divite epulone narratur Luc. 16. non esse parabolam, sed veram rei gestæ historiam, quemadmodum ex August. Greg. & alijs docet Estius in 4. d. ultim. § 3. & colligitur ex eo quod mendici nomen exprimitur, quod in parabolis non solet; divitis tamen reticetur, quia nominari dignus non est.

AD 5. Gregorius satis declarat se aliorum sententiam referre; suam autem proponens lib. 1 de philosophia capite 3. affirmat quòd *dæmones pœnitentiam agendo veniā digni effici non possunt sed solus homo secundùm hujus vitæ tempus: post mortem autem concessum est nemini.*

AD 6. Hieron. etiam ex aliorum sententiâ loquitur, ut 3.p.q. 8. art. 4. diximus.

AD 7. Joannes Papa non dicit diabolum dolere, quòd charitatem non habeat; sed asserit eum dolere quod homo illam habeat, *dolet*, inquit, *satis & erubescit charitatem quam in cœlo nequivit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra.* Talis autem dolor ex invidiâ oritur, & signum est magnæ malitiæ. Vide nostra ad 1.p. q. 62. art. 3. ad 5.

AD ULTIMUM Neg. conseq. quia libertas arbitrij consistit in facultate eligendi utrumlibet oppositorum: sed non est necesse quod hæc opposita sint bonum & malum, possunt enim esse, vel duo bona, vel duo mala. Vide in prima parte quæst. 19. artic. 10 quæst. 59. art. 3. quæst. 64. art. 2.

### ARTICULUS II.

*Damnati non verè pœnitentiam agunt.*

ART. 2. probat damnatos simpliciter non pœnitere suorum peccatorum; quia voluntas malitiæ peccati in illis remanet: pœnitere tamen per accidens, juxta illud Sap. 5. *Pœnitentiam agentes*: quia etsi non refugiant in peccatis id quod prius appetiverunt, refugiunt tamen pœnam quam propter peccata patiuntur.

### ARTICULUS III.

*Vt damnati appetant, non esse.*

ART. 3. docet damnatos non appetere, *non esse*, secundùm se; quia sic nullo modo est appetibile, cùm non habeat aliquam rationem boni, sed sit pura boni privatio: appetere autem, etiam deliberatâ voluntate, *non esse*, per accidens: quatenus est ablativum vitæ pœnalis & miseriæ, quia sub illâ ratione spectatum, accipit rationem boni: carere enim malo, est quoddam bonum. Appetunt ergo non esse tanquam remedium, quo possent ab extrema miseria, in qua sunt, eripi: juxta illud Apoc. 9. *Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Confer quæ scribit 1.p.q. 5. art. 2. ad 3.

Cæterum quamvis damnati rectè possint, sic velle, non esse: quia (*non esse*) melius est, quàm in extremis gehennæ pœnis vivere, juxta illud Salvatoris de Juda, Matth. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*; atque adeò si ex parte objecti consideretur, recta ratione est appetibile: illa tamen ipsorum volitio, mala est, propter obstinatam adhæsionem ad malum finem. An autem ista volitio futura sit in omnibus damnatis; nō liquet: nam Aug. lib. 5. contra Julianum cap. 11. aliàs 8. non audet dicere quod pueris sine baptismo defunctis potius expediret ut nulli essent, quàm ut ibi essent. Vide à nobis dicta 1.2.q. 85. art. 6. quæsito 9. ad 10.

### ARTICULUS IV.

ART. 4. docet damnatos in inferno velle alios qui damnati non sunt, esse damnatos: quia in ipsis est perfectissimum odium, & de aliorum fælicitate dolor, ac invidia. Quod ex Lu. 16. posset opponi vide solutum art. 1. ad 4. conformiter his quæ hìc dicuntur in resp. ad 1.

### ARTICULUS V.

*Damnati Deum odio habent.*

ART. 5. probat damnatos habere Deum odio, non secundùm se; sed ratione effectuum.

PRIUS quidem, quia in Deo secundùm se considerato nihil est nisi bonitas, quæ non potest esse objectum motivum odij.

POSTERIUS autem, quia Deus mente apprehenditur à damnatis ut author pœnarum quæ voluntatibus ipsorum repugnant. Cum his conferri debet quæst. 90. articulus tertius ad secundum; & in secunda secundæ quæstionis 34. articulus primus; & observari quod Deus secundùm se, hoc est, secundùm substantiam possit quidem esse objectum odij terminativum, ita ut perversa voluntas elicere possit hunc actum, Averfor Deum, nolo Deum esse; nihilominus tamen verum esse quodam sensu, *quod dignitatem secundum quod est in se, nullus potest odio habere*; sive, ut hìc dicitur, quod Deus *in seipso, cū sit per essentiā bonus, ō potest alicui voluntati displicere*: quia Deus secundùm se consideratus non potest esse objectum motivum odij, id est, nihil potest in eo

Universidad de Deusto
Biblioteca



in eo reperiri (cùm sit undequaque bonus) quod A voluntatem moveat ad odium vel displicentiam. Vide Cajetan. ad dict. qu. 34. art. 1.

Hujus art. doctrinæ conforme est quod 2. 2. qu. 13. ar. 4. tradit B. Thom. damnatus cum retinuerint voluntatem à Dei justitia aversam, odisse pœnas quæ illis infliguntur, & detestari divinam justitiam, quæ in eis est blasphemia interior. Credibile autem est quod post resurrectionem, etiam voce blasphemabunt, saltem illi qui gravissimis pœnis addicentur, gravissimæ ipsorum malitiæ respondentibus: nam quod omnes omnino blasphemabunt, non constat: Imò nobis valde probabile est, quod illi qui hinc per mortem abeuntes in uno quidem vel altero peccato mortali, sed voluntate sic affe- B cti ut nollent veras in Deum jactare blasphemias; in inferno non sint verè & propriè Deum blasphematuri: sed tantum impropriè, in quantum scilicet detestabuntur pœnas quas inviti patientur, ac etiam earum pœnarum authorem, Deum. Talis enim detestatio videtur subsequi obstinationem in malo, sed non similiter propriè dicta blasphemia. Conferri potest Estius in 2. d. 33. §. 8. & quæ diximus 2. 2. qu. 13. art. 4.

### Articulus VI.

*Damnati nihil merentur nec præmium nec pœnam.*

Art. 6. probat damnatos post diem judicij non demereri: quia meritum vel demeritum C ordinatur ad aliquod bonum vel malum ulterius consequendum; post diem autem judicij erit terminus & ultima consummatio bonorum & malorum, ita ut nihil sit ulterius addendum. Quare nec boni merebuntur, nec mali demerebuntur: sed sicut in beatis bona voluntas erit præmium; ita in damnatis bona voluntas erit pœna seu supplicium.

Addit autem *post diem judicij*, quia quod ante diem illum mereri possint; beati quidem præmium accidentale; damnati verò pœnam secundariam, hoc loco non existimat improbabile. Sed postea, id quod verius est, decuit, neque beatos, neque damnatos quicquam mereri post mortem. 1. p. qu. 62. art. 9. ad 3. *Melius est*, ait, *ut dicatur quod nullo modo* D *aliquis beatus mereri potest, nisi sit simul viator & comprehensor, ut Christus:* & 2. 2. q. 13. art. 4. ad 2. *In beatis*, inquit, *bona non sunt meritoria, sed pertinentia ad eorum beatitudinis præmium: & similiter mala in damnatis non sunt demerituria, sed pertinent ad damnationis pœnam.* Similia ex q. 7. de malo attulimus 3. p. qu. 87. art. 1.

Ex his

DIFFICULTAS MANET,

## *An igitur damnati sint impeccabiles* E

Videtur enim quod sic.

Primò, quia omne peccatum meretur pœnam: si ergo damnati nullam pœnam merentur nec peccant.

Secundò, Mors peccatoris finem adfert peccandi, ait Ambr. l. 2. de Abel & Cain. c. 7. Etc. 10. De peccatoribus morientibus dicit, quod finem, non naturæ, sed culpæ adipiscuntur, ne plura delinquant, cique consentit Hier. in cap. 9. Ecclesiastæ, dicens quod nec justè possunt agere, nec peccare.

Tertiò, Idem Hieronymus in cap. 1. Sophoniæ, blasphemiam malorum in die judicij cessare dicit, & linguam eorum æterno silentio conticescere. In caput autem quartum Malachiæ addit, quod Deus non relinquet in eis ullam radicem & germen malitiæ. Aug. etiam Enchirid. cap. 111. & B. Thomas 2. 2. qu. 25. art. 6. ad 2. asserunt facultatem peccandi tolli à damnatis.

Quartò, de impio dicitur, Psalm. 9. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur*; Matth. 22. ligandæ dicuntur manus & pedes damnatorum: & Joannis 9. mors comparatur nocti, in qua nemo potest operari.

Resp. Damnatos, sive dæmones sive homines, non solum non esse impeccabiles, sed continuò peccare, propter obstirmatam in malo voluntatem; ut toto ar. 1. & ar. 2. in corp. & ad 1. docuit B. Tho. quibus conformia habet 1. p. qu. 64. ar. 2. ad 5. & 1. 2. quæst. 89. ar. 4. q. 7. de malo, ar. 9. qu. 16. ar. 5. qu. 24. de veritate, art. 11. Neque vero dici potest malam in damnatis voluntatem non habere rationem peccati: est enim de illis quę lege æterna prohibentur.

*Damnati continuò peccant.*

Ad 1. ergo argumentum Resp. Antecedens tantum esse verum pro statu viæ, in qua cum sit tempus progrediendi & proficiendi, locus est merito & demerito.

Ad 2. sententijs illis significatur quod in morte sit finis peccati; non simpliciter, sed quatenus meretur pœnam vel ejus augmentum.

Ad 3. Hieron. significare videtur, quod Deus non sit permissurus ut damnati lingua blasphement, licet animi ipsorum malitia non sit cessatura. Alij verò, etiam vocalem blasphemiam in damnatis, saltem aliquibus, futuram existimant; quia de re ad ar. 5. aliquid diximus.

Germen autem malitiæ & facultas peccandi propterea dicitur tollenda à damnatis; quia nihil facere poterunt quo sanctis noceant; neque poterunt malam voluntatem exequi cum effectu alicujus nocumenti.

Ad 4. Resp. versiculi sensum esse, quod de peccato impij quæstio fiet ac vindicta sumetur; & tunc ipse impius non subsisteret, sed in æternas miserias dejicietur condemnatus.

Matth. 22. significatur auferenda post mortem omnis benè agendi facultas, ab eo qui in hac vita noluit bona agere.

Joannis 9. mors intelligi potest esse nox in qua nullus operari potest utilia ad salutem.

Sensus autem scripturæ est, dum inter homines visibilis sum, & cum eis conversor, oportet me operari opera Patris; quæ sunt non solum prædicatio evangelij, sed varia miracula, & signa; *donec dies est*, id est, donec præsens sum & visibilis. Instat enim nox mortis meæ, in qua non erit oportunitas ea faciendi: sicut homines in nocte non possunt opera sua facere. *Quamdiu sum in mundo*, visibiliter conversans, *lux sum mundi*, per doctrinam & opera. Huc pertinet quod ista dicens statim illuminare volebat cæcum, de quo erat interrogatus. Vide Toletum in cap. 9. Joannis.

Arti-



### Articulus VII.

*Damnati possunt uti notitia ad hic habita.*

Art. 7. probat damnatos posse uti notitia quam in hoc mundo habuerunt; tum quia species intelligibiles rerum hîc cognitarum; conservantur in eis; tum quia cùm sint in maxima miseria, nihil ipsis deest quod ad tristitiam pertinere possit. Erit ergo in illis actualis consideratio eorum quæ hîc sciverunt, ut materia tristitiæ; non autem ut causa delectationis. Conferri debent q. de Anima art. 15. in fine corporis, art. 17. ad 7. & 8. ar. 18. in fine corporis & in resp. ad 2. ac rursum art. 20. & quæst. 19. de veritate ar. 1. in fine corporis, & in responsione ad decimumtertium, & tota quæstio B 89. primæ partis.

### Articulus VIII.

*Vi damnati de Deo cogitabunt.*

Art. 8. docet damnatos non cogitare de Deo secundùm quod est principium bonitatis; cogitare tamen de illo secundùm quosdam effectus, cujusmodi sunt punire, vel prohibere: quia prior ista cogitatio gaudium causare potest, posterior tristitiam.

### Articulus IX. C

*Damnati vident beatos in gloria & quo modo.*

Art. 9. tradit eos qui damnati sunt, ante diem judicij videre seu cognoscere beatos in gloria; non quod secundùm ordinarium cognoscendi modum distincta & particulari cognitione, quam *visionem* vocare solemus, cognoscant gloriam eorum qualis sit: (hoc enim cognitionis modo non est verisimile bonos à malis ordinariè cognosci, sive ante Christi adventum, sive post:) sed quia generali & confuso quodam modo cognoscunt fœlicissimum statum beatorum, scientes illos esse in gloria quadam inæstimabili. Hinc Aug. l. 2. qq. Evangelicarum q. 38. dicit malos *videre de* D *longinquo atque sentire beatorum requiem, quo sanè transire non possunt*: Et Chrysost. epist. 3. *Est & hæc dispensatio Domini*, inquit, *ut quando impios punit, & justos remunerat, mutuo se videant & cognoscant.*

*Ob.* Nec obstat quod loqui videatur de die judicij: quia non de illo solo loquitur, sed de toto tempore quod est à morte hominis usque ad illum diem. Ab illo enim tempore, & impij puniuntur, & justi præmiantur.

*Resp.* Non obstat etiam quod Gregor. homil. 40. in Evangelia dicit credendum quod ante retributionem extremi judicij, injusti in requie quosdam justos conspiciunt, ut eos videntes in gaudio, non solum suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Vel enim loquitur de generali & confuso modo cognitionis; vel potius de peculiari quidem & distincta notitia, sed secundùm dispensationem E Dei extraordinariam, quo modo illud quod de divite Epulone refertur Lucæ 16. rectè accipitur.

In ipso autem extremo judicio, impij etiam oculis corporeis videbunt gloriam sanctorum. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperata salutis.* &c. Sap. 5.

*Ob.* Nec obstat id quod postea sequitur, *Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt*: quasi Sapiens tantum loquatur de impijs in inferno constitutis. Primum enim loquitur de modo quo impij se habe- A bunt in judicio, ac postea exprimit quid gloriæ sanctorum, quam in die judicij viderint, memores, dicturi, sint, etiam existentes in inferno, quando non amplius eos videbunt, nam post judicium neque corporeo aspectu intuebuntur gloriam sanctorum, neque divina permissione notitiam aliquam de certis quibusdam, quanta in fœlicitate versentur, habebunt. Non quod hujusmodi cognitio minueret ipsorum miseriam, sed quia tanquam extremè despicabiles, à facie sanctorum, & à nova felicissimi status eorum cognitione, repellentur. Qua de causa maximè torquebuntur, tum invidia de fælicitate & gloria in qua sanctos aliquando viderint; tum ex contemptu quem patientur, quod ne videre quidem sanctos digni habebuntur. *Resp.*

## QUÆSTIO XCIX.

## *De misericordia & justitia respectu damnatorum.*

### Articulus I.

*Vtrum ex divina justitia inferatur peccatoribus pœna æterna.*

Videtur quod non. Primò, quia Deus *non in perpetuum irascetur*. Psal. 102. & Psalm. 139. dicitur de impijs quod *in miserijs non subsistent*: ergo aliquando desinent esse in miserijs, sive per totalem interitum, sive per liberationem.

Secundò, impij in carcere inferni, concluſi, *post multos dies visitandi* leguntur, Isaiæ 24.

Tertiò, dicitur Marci duodecimo de quibusdam, quod *accipient prolixius judicium*; si autem esset æternum, unum non esset prolixius altero.

Quartò, in scripturis, *æternum*, sæpè ponitur pro tempore valdè longo; ut cum legalia dicuntur in æternum duratura: ergo scripturæ quæ ignem æternum nominant non convincunt æternitatem interminabilem.

Quintò, omnes pœnæ sunt purgatoriæ; ergo aliquando finiendæ. Antecedens probatur: tum ex humana consuetudine; pœnæ enim per humanas leges inferuntur ad emendationem: tum quia si pœna non inferretur à puniente propter aliud, sequeretur eum delectari in pœnis secundùm se; quod bonitati divinæ non congruit: oportet ergo pœnas propter aliud inferri; non videtur autem propter quid aliud, nisi propter emendationem vitiorum: ergo convenienter dicitur omnes pœnas esse purgatorias.

Sextò, Aug. libro de moribus Manichæorum cap. 7. dicit omnia deficientia tandem eò recurrere, unde defecerunt: ergo omnia convertentur ad Deum.

Septimò, Prudentius in Hymno ante somnum dicit, quod Deus paucos impiorum patitur perire in æternum; & in fine Hymni de Romano martyre, optat ut ejus precibus in die judicij, ex parte hædorum transferatur ad dexteram.

Octavò, nulli peccato debetur pœna intensiva infinitè; ergo nec extensivè.

Denique, sancti leguntur orasse pro damnatis,

Universidad de Deusto
Biblioteca



natis, & impetrasse liberationem ipsorum. Pro Trajano S. Gregorius; Pro Falconilla, S. Thecla; Pro Dinocrate, S. Perpetua; S. Otillia pro suo Patre. Alia argumenta videantur apud Authorem tum hoc, tum sequentibus articulis.

*Pœna inferni sunt æternæ.*

RESPONSIO ad fidem pertinens est, pœnas damnatorum futuras æternas, ita ut nunquam sint finem durationis habituræ.

Probatur PRIMÒ, quia paleæ Matth. 3. dicuntur comburendæ igni inextinguibili: & cap. 25. Judex asseritur dicturus impijs; *Ite maledicti in ignem æternum.* Quod ne quis solum de igne dictum accipiat, non de actione ignis in reprobos; in evangelio subjungitur, *Ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* Ubi vocabulum Græ- B cum pro quo habemus, *supplicium*, propriè significat punitionem & cruciatum ignis. Unde Cyprianus in fine tract. De opere & eleëmosyna, & Aug. serm. 14. de verbis Apostoli legunt; *Abibunt isti in ambustionem æternam.*

Adde quod scriptura pari modo loquitur de æternitate gaudij justorum, & de æternitate supplicij impiorum. Sicut ergo gaudium & gloria justorum sine fine durabit; ita pœnæ impiorum erunt perpetuæ. Quo argumento utitur Aug. Enchir. capite centesimo duodecimo, & lib. contra Prisc. lianistas & Origenistas cap. 6.

Eodem pertinet illud Isaiæ 33. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et quod Marci 9. de impijs ter repetitur; *ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, scilicet ne quis dubitet verè & propriè verum esse quod dicitur. C

SECUNDÒ, Origenem quod pœnarum æternitatem negaret, Ecclesia reprobavit, ut testatur Aug. l. 21. de civit. Dei cap. 17.

TERTIÒ, Damnati propterea sunt miserrimi, quod sciant se ex miseria in qua sunt, nunquam liberandos.

QUARTÒ, status hominis post mortem est immutabilis ex malo in bonum, & contra: *lignum* enim *in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, Ecclesiastæ 11.

QUINTÒ, pro damnatis sive dæmonibus sive hominibus non licet orare vel sacrificium offerre, liceret autem, si eorum damnatio posset aliquando finem habere. Antecedens notum est ex consuetudine totius Ecclesiæ, & ex Aug. lib. 21. de civit. Dei capite vigesimo quarto, & ex Gregor. l. 4. Dialog. cap. 44. D

*Ob.* Cæterum QUÆRI potest, quomodo justum sit, peccatū uno momento commissum, æternaliter puniri.

*Resp.* RESP. propterea justum esse, quia quantitas pœnæ non debet respondere durationi actus peccati, sed ejus gravitati; peccati autem mortalis gravitas tanta est, ut mereatur pœnam, non solum secundùm intensionem acerbam, sed etiam secundùm extensionem infinitam seu æternam, omninoq; perpetuam; partim, quia sic est contra Deum E qui est infinitè bonus, ut ejus amicitiam tollat; partim, quia justum est, ut unusquisque privetur eo bono contra quod agit: sicut in civilibus, is qui contra Rempublicam peccat, societate Reipublicæ privatur omnino per mortem, vel per exilium perpetuum; *nec attenditur quanta fuerit mora temporis in peccando, sed quod sit contra quod peccavit*, ait B. Tho. lib. 3. contra Gent. cap. 144.

Præterea, Impius Domini sui contemptor, tam diu justè punitur, quamdiu in contemptu & rebellione persistit: damnati autem, licet non demeantur, semper tamen persistunt in contemptu & rebellione contra Deum; ergo. Confirmatur, non est æquum, ut pœna desinat, quando non desinit prava voluntas peccantis; hæc autem nunquam desinit in ijs qui cum peccato mortali decedunt.

Denique, *ad magnam justitiam judicantis pertinet*, ait Greg. lib. 4. Dialog. c. 44. *ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato*: tales autem sunt qui moriuntur in peccato mortali.

*Ob.* SI DICAS, quosdam quando peccant, proponere statim postquam peccaverint, deinceps abstinere.

*Resp.* RESP. eos, quantum ad animi affectum, hoc non revera proponere, quando habent voluntatem peccandi. *Vellent* enim, *si possent, sine fine vivere, ut possent sine fine peccare*, ait ibidem Gregor. Quia qui mortaliter peccat, finem suum in creatura constituit: & quia tota vita ordinatur ad finem apprehensum, hoc ipso totam vitam ordinat ad peccatum illud, in quo finem suum constituit.

AD 1. ARG. Neg. conseq. prioris enim psalmi versiculus loquitur de pœnis electorum in hac vita: Posterioris autem sensus est, quod impij tantis miserijs affligentur, ut se attollere, seu ex ijs emergere non possint. Unde Hieron. pro, *non obsistent*, vertit, *ut non consurgant.*

AD 2. RESP. impius post quantumcunque temporis spatium visitandos, sed in suum malum; per continuationem scilicet pœnarum. Vide quæ diximus 3. p. q. 52. art. 6.

AD 3. *Prolixius* ibi idem est quod, *gravius & acerbius*: neque enim vox Græca (quæ est eadem Matth. 23. v. 14.) refertur ad tempus, sed significat idem quod, *abundantius, amplius, gravius*; quo modo etiam Latinis scriptoribus prolixum, sæpenumero idem valet quod copiosum, abundans, amplum. Exemplum manifestum est apud Marcum Tullium epist. famil. lib. 3. epist. 8. sub fin. *Si de tua prolixa* (id est, ampla) *beneficâ, natura limavit aliquid posterior annus* &c.

AD 4. Neg. conseq. quia ex innumeris scripturæ locis constat vitam absolutè æternam, id est, nunquam finiendam nobis promitti: similiter autem comminatur scriptura supplicium æternum peccatoribus, sicut vitam æternam promittit electis.

AD 5. Neg. Antecedens. Ad primam probationem RESP. quod etiam secundùm leges civiles aliqui morte puniuntur in vindictam suorum peccatorum, & non ad emendationem (nisi fortè aliorum:) atque ita nec legum civilium pœnæ omnes sunt purgatoriæ ejus qui punitur.

Ad secundam, etsi pœnæ inferantur à Deo, non propter se, quasi Deus ipsis delectetur, sed propter aliud, illud tamen aliud non semper est emendatio vitiorum, sed est ordo rerum, qui postulat ut sicut præmia respondent bonis meritis; ita pœnæ respondeant peccatis; & quibusdam (nimirum mortalibus quæ perdurant usque ad mortem) sempiternæ.

AD 6. Augustin. libr. 1. retractationum cap. 7. ita seipsum explicat ut non sic accipiatur quod dixit, tanquam omnia recurrant ad id unde defecerunt, sicut Origeni visum est; sed ea *omnia quæ recurrunt.*

AD 7. Prudentius quibusdam videtur non satis rectam hac in re sententiam tenuisse: Quod enim dicit paucos impiorum perire in æternum; non facilè concordari potest cum Evangelio, dicente & paucos esse electos, & paucos qui salvantur;



tur; omnes autem qui pœnitentiam non egerint, A perire in æternum.

Similiter quod secundo loco adfertur, non rectè sonat: & (nisi intelligatur significare quod in die judicij, quidam precibus sanctorum liberandi sint à pœnis purgatorij, & ita beatis associandi) falsum significat.

AD 8. Neg. Cons. quia pœna intensivè infinita non est possibilis: ea autem quæ dicitur infinita extensivè, (cùm consistat in continua successione seu perpetua duratione, ideoque solùm sit infinita potentia) est possibilis.

AD 9. illi, pro quibus in infidelitate aut alio mortali peccato mortuis, sancti leguntur orasse, ut B filius Præfecti oratione S. Agnetis suscitatus, non erant simpliciter damnati: sed extraordinariè suspensa erat illorum sententia; ipsis interim (quod verisimile est) secundùm præsentia demerita pœnas luentibus, donec sancti divinitus inspirati orarent pro illis, ut ad vitam revocari, per fidem & pœnitentiam salvarentur.

Narrationem de Trajano esse fabulosam, qu. 71. ar. 5. probavimus. Idemque non paucis videtur de Falconilla.

De Dinocrate Aug. lib. 3. de anima cap. 9. non agnoscit veritatem historiæ. Et similitet de Ottilia videtur dicendum, nisi fortè, patri reditum ad hanc vitam impetraverit, ut sic per pœnitentiam C salvaretur.

## ARTICULUS II.

*Damnatorū pœna non est finienda.*

ART. 2. probat non omnem pœnam damnatorum sive hominum sive dæmonum finiendam. Est hæc doctrina contra Origenem, ab Ecclesia reprobatum, quod doceret dæmones & homines impios aliquando per Dei misericordiam liberandos. Qui error manifestè repugnat tum scripturis art. 1. allatis, tum ei quæ Apoc. 20. asserit bestiam & pseudoprophetam (& eadem ratio est de tota universitate impiorum) cruciandos die ac nocte, in sæcula sæculorum. D

In respons. ad 1. propter verba Sap. 11. *Misereris omnium Domine*, dicit quod Deus quantum in ipso est, misereretur omnibus: per quæ non vult significare Deum semper esse paratum unicuique impertiri gratiam, modò ipse homo velit: nam parvuli qui moriuntur in peccato origin. non potuerunt velle; & ipse B. Tho. in c. 2. prioris ad Tim. inconveniens esse dicit quod omnipotens impediatur per voluntatem non omnipotentis: & 1. p. qu. 19. ar. 6. docet omnem Dei voluntatem quæ est beneplaciti seu absoluta, semper impleri: Prima etiam 2. qu. 73. ar. 3. tradit Deum proprio judicio lumen gratiæ non immittere illis in quibus obstaculum invenit; quod utique posset tollere, si vellet, quæ E consentanea sunt ijs quæ impij dicunt Sap. 5. *justitia lumen nō luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sed vult dicere Deum ex se, id est, seclusis peccatis & hominum indignitatibus ac indispositionibus neminem punire, sed omnium misereri; partim pœnas ab eis avertendo, *partim beneficia varia illis conferendo. Sed quia* (inquit) *ejus misericordia ordine sapientiæ regulatur, inde est quod ad quosdam non se extendit qui se misericordiæ fecerunt indignos, sicut dæmones & damnati.*

Cum his conferendum est quod in respons. ad 2. ait, quod in verbis Apostoli ad Rom. 11. *ut omnium misereatur*, intelligenda est distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum ut intelligatur authoritas de hominibus secundùm statum viæ, quia scilicet & Judæorum & Gentium misertus est, *sed non omnium Gentilium, vel omnium Judæorum.* Quæ postrema verba benè notanda sunt, & conferenda cum illis quæ habet lect. 4. in cap. 11. ad Rom. Ut omnium misereatur, id est, ut in omni genere hominum sua misericordia locum habeat. Sap. 11. *Misereris omnium Domine*: quod quidem non est extendendum ad dæmones, secundùm errorem Origenis; *nec etiam quantum ad omnes homines sigillatim*, sed ad omnia genera hominum: fit enim hîc distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum. Ita B. Thom. ex quibus intelligi potest ejus sententiam esse, non omnibus dari gratiam quæ se sola, seu absque alio auxilio sufficiat, ut homo actu credat, diligat, operetur; etsi alio quodam sensu possit concedi quod detur, juxta ea quæ diximus 1. 2. quæst. 111. art. 3. quæsito 3.

## ARTICULUS III.

QUONIAM aliqui in hoc ab errore Origenis declinaverunt, quod dixerunt dæmones quidem in æternum puniri, sed omnes homines aliquando esse à pœnis liberandos: Ideo postquam B. Thom. art. 2. resolvit, quod divina misericordia non se extendat ad damnatos quandoque liberandos; in 3 art. QUÆRIT, AN saltem non se extendat ad homines è pœnis aliquando eripiendos.

ET RESPONDENS negat. docet etiam hominum damnatorum pœnas sine fine duraturas: quia sicut dæmones sunt obstinati in malis; ita & homines damnati. Confirmatur, justorum beatitudo nunquam terminabitur: ergo nec impiorum damnatio. Pariter enim & electorum vita, vocatur æterna; & reproborum supplicium æternum, Matth. 25.

Circa responsionem ad 3. adverte illa quæ in scripturis dicuntur de gravitate & æternitate supplicij impiorum, non esse tantum comminatoria, quasi supplicium illud non sit revera peccatoribus inferendum: sed ita sunt comminatoria, ut nisi præcedat emendatio, verè sint inferenda. *Si* enim *Deus minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus; fallacem (quod dici nefas est) prædicare compellimur*, ait Gregor. lib. 4. Dialog. c. 44. Horum occasione

### QUÆRI POTEST PRIMO

### *An saltem in inferno sit aliqua pœnarum mitigatio.*

VIDETUR quod sic. PRIMÒ, quia Prudentius in hymno ad incensum ita cecinit,

*Sunt & spiritibus sæpè nocentibus*
*Pœnarum celebres sub stige feriæ?*
*Illa nocte sacer, qua redijt Deus*
*Stagnis ad superos ex Acheronticis.*

SECUNDÒ, Beda in cap. 11. Job scribit eos qui in inferno sunt, preces supplices sanctis fundere, ut eis tarrat ei cruciatus temperentur; juxta illud Aug. Enchir. cap. 110. dicentis suffragia *quibusdam prodesse ut eis tolerabilior fiat ipsa damnatio.*

TERTIÒ, peccata venialia damnatorum non punientur in æternum: ergo pœnæ illorum minuentur, per hoc quod desinent puniri pro peccatis venialibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Posset etiam Augustini sententia ex cap. 112. Enchiridij objici : sed explicata fuit tertiæ partis qu. 83. ar. 1. quæsito 10.

*Resp. neg.* Responsio Negativa certa est, pœnas scilicet damnatorum, neque per Intermissiones, quasi per quasdam ferias; neque per vicissitudinem aut varietatem, esse mitigandas; aut successu temporis diminuendas. Unde Apocal. 14. dicitur quod *non habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam.*

Primò, quia vicissitudo & intermissio rei cujuspiam prohibet eam esse perpetuam : ostensum est autem superius (art. scilicet 1.) pœnas damnatorum esse perpetuas.

Secundò, quia pœna damni quæ est potissima pœnarum inferni, nunquam vel intermittetur, vel minuetur.

Tertiò, quia dives epulo non potuit impetrare, ut ejus cruciatus vel minimum mitigaretur.

Quartò, quia in damnatis nihil dimittitur de culpa; ergo nihil etiam dimittitur de pœna: Deus enim nihil relinquit inordinatum : culpa autem non potest ordinari, nisi per pœnam ei respondentem.

Ad 1. Arg. Resp. Prudentium ista dicere magis fictione Poëtica, quam ex regula orthodoxæ veritatis; sicut & illud non satis cautè scriptum est in operatione Harmatigeniæ, ubi significat esse in inferno teporem, & clementiam; nisi fortè de pœnis ignis purgatorij illa dicat.

Ad 2. Beda non dicit quod illi suis orationibus aliquid impetrabunt; adfert enim exemplum divitis epulonis.

Quod Augustinus *damnationem* pro punitione temporali accipiat, in tract. de sacrificio quæsito 10. & hujus Supplem. q. 71. ar. 5. diximus: atque ita sumitur Lucæ 23. *qui in eadem damnatione es*; & quandocunque dicimus aliquos esse damnatos ad mortem, exilium &c.

Ad 3. Negat Antecedens cum B. Thoma qu. 7. de malo art. 10. tertia parte quæst. 87. ar. 4. & hujus Suppl. qu. 69. art. 7. ad 6. quamvis enim peccatis venialibus ex se non debeatur pœna æterna, debetur tamen per accidens in damnatis: quia cum in eo statu, ubi non sit remissio, reperiantur conjuncta mortalibus; nunquam remittentur? Absurdum est autem dicere quod homini in sua malitia perseveranti & nullo modo pœnitenti pœna relaxetur.

Idemque videtur quibusdam dicendum de pœna pro mortalibus quoad culpam remissis restante. Cum enim (inquiunt) non possit quis pro illa satisfacere Deo, in affectu peccati mortalis, quod qu. 14. ar. 2. probavimus: multò minùs satisfacere poterit in inferno, ubi nullum est desiderium amicitiæ cum Deo. Huc pertinet illud Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 39. *Hoc sciendum, quia illic* (id est, in futuro sæculo) *de minimis nihil quisque purgationis obtinebit; nisi bonis actibus, in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat promereatur.*

Verum etsi hæc rectè probent, eos qui sunt in inferno, nõ satisfacere pro pœnis quibus obnoxij erant, quando moriebantur; eò quod talis satisfactio dicat quandam redemptionem & commutationem: non probant tamen eos non satisfacere in pœna, seu eos non satis pati pro pœna quæ restabat luenda. Si verò satis patiuntur, & pœna pro peccatis remissis restans solum est temporalis; videtur quod non æternaliter illam sustinebunt, sed tanto solum tempore, pro quanto restabant obligati. Neque enim Deus, cum sit justus videtur exigere pœnas æternas, quando restant solum temporales.

Probabile igitur est, quod pœna temporalis ex peccatis prius remissis restans in damnato, non erit æterna, sed temporalis : ita ut quando erit pro illis punitus toto eo tempore quo oportet, non amplius sit pro illis puniendus: & hoc, non quia satisfaciat Deo pro talibus pœnis, sed quia passus est totum quod restabat.

Sidicas, hinc sequi quod pœnæ damnatorum minuentur. Resp. nullo modo minui vel mitigari eas quæ respondent peccatis ob quæ damnantur. Et hoc est satis.

Non potest autem similiter dici de peccatis venialibus, quod scilicet puniantur in inferno solum temporaliter : quia, etsi illa peccata secundùm se mereantur pœnam dumtaxat temporalem, justum tamen est ut tam diu puniantur, quamdiu ipsa durant; quia non debet pœna cessare, quam diu culpa manet, ut in fine corp. ar. 1. dicit B. Tho. Illa autem peccata semper durant.

Sidicas quod in inferno non mereantur. Resp. hîc meruisse pœnam tamdiu duraturam, quamdiu peccata durabunt.

Jam dictis omnino consentit B. Tho. in 4. d. 22. qu. 1. ar. 1. ad 5. cùm alijs dicens, *quod pœna cujus est aliquis debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod sit in inferno redemptio; quia pœna quæ solvitur, non redimitur. Nec est inconveniens quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diẽ judicij, sicut etiam augetur.*

Ad verba B. Gregor. Resp. per illa significari neminem à peccatis post hanc vitam purgari, nisi antequam moreretur, meruerit ut postea sibi possint remitti; hoc est, nisi sit mortuus in statu gratiæ. Qui autem in inferno desinunt puniri pœna temporali restante ex peccatis quoad culpam remissis, non purgantur à peccatis etiam minimis, sed tantum desinunt esse debitores pœnæ illius temporalis; idque non per remissionem, sed per totius debiti solutionem.

## QUÆRITUR II.

### *An damnati puniantur infra condignum.*

Videtur quod sic. Primò, quia in omnibus operibus Dei invenitur misericordia & justitia, juxta illud Psal. 24. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Unde S. Leo serm. 1. de jejunio decimi mensis, dicit, quod in ejus operibus atque judicijs, nihil vacat à veritate justitiæ, nihil à miseratione clementiæ.

Secundò, Deus *non continebit in ira sua misericordias suas*, Psal. 76.

Tertiò, *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*; Psal. 144.

Quartò, *Deus omnium miseretur*, Sap. 11. & ad Rom. 11.

Quintò, *Exiguis conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur*, Sap. 6. ergo saltem aliqui eorum qui sunt in inferno, puniuntur infra meritum.

Sextò, dicitur in collectis ecclesiæ, proprium esse *Deo, misereri & parcere.*

Septimò, videtur non posse fieri ut Deus peccatum puniat ad condignum; quia in ratione malitiæ





malitiæ, malum pœnæ nunquam adæquatur malo culpæ.

Postremò, Deus remunerat Sanctos ultra condignum : ergo punit malos infra condignum. His similibusque moti nõ pauci scholastici, sententiam hanc sunt amplexi.

Responsio tamẽ negativa videtur probabilior.

*Prob. Resp. Neg.* Primò, quia Apoc. 18. dicitur, *Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentũ & luctum.* Non daretur autem tantum quantum meruit, si daretur minus, hoc est, infra condignum.

Secundò, qui à judice mittitur in carcerem, asseritur Matt 5. non exiturus inde *donec reddat novissimum quadrantem*, id est, donec pœnas debitas exactissimè luat, easque æternas : ut interpretatur Aug. l. 1. de serm. Domini in monte cap. 11.

Tertiò, *Deus reddet unicuique secundum opera sua*, ad Rom. 2. & alibi: non redderet autem secundùm opera, si puniret infra condignum; sicut nec si præmiaret infra meritum.

*Tacitè ob. occurritur* Quartò, *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*, Jac. 2.

Neque satisfacere videntur, qui respondent futurum damnatis judicium sine misericordia totaliter relaxante; non tamen sine misericordia alleviante: Sensus enim verborum Apostolicorum est, quod is qui misericordiam non fecit, ita in suo judicio sentiet Deum justum & severum, ut quemadmodum ipse nullam fecit misericordiam proximo, ita nullam experiatur à Deo.

Quintò, Nihil pœnæ remittitur, nisi aliquid tollatur de culpa; in damnatis autem nihil de culpa tollitur: ergo.

Sextò, Omnis remissio pœnæ sit per meritum Christi : atqui sicut dæmones non sunt participes meritorum Christi, ita nec alij damnati: ergo.

Denique, ita sentiunt Hieron. & Aug. Hieronymi in fine lib. 2. super Ezech. verba sunt; *Peccatoribus reddit Deus juxta vias suas, ut teneat judicij veritatem. Cæterum in sanctis excedit modum clementiæ.*

Augustini concione, in Psal. 32. ista, *In illo judicio habet misericordiam, in eos utique quibus dicturus est, Esurivi & dedistis mihi manducare.* Et postea, *Nõ in quemlibet, sed in eum erit misericordia qui prærogavit misericordiam.* Et in Psal. 105. *Nisi fortè*, ait, *quis audeat dicere etiam in his qui damnabuntur cum diabolo & Angelis ejus, aliquam misericordiam Dei minimè defuturam &c. aut eis aliquatenus mitigetur.* Ubi non solum n asserit hoc futurum, sed addit paucos esse qui id audeant affirmare. Et quamvis B. Tho. 1. p. qu. 21. ar. 4. ad 1. visus sit asserere; dubiè tamen loquitur hujus quæst. art. 1. ad 1. utens his terminis, *Potest dici*: & manifestius qu. 94. art. 2. ad 2. ubi docet Deum esse misericordem in eos quos secundùm ordinem sapientiæ & justitiæ suæ convenit à miseria liberari; non quod damnatorum misereatur, *nisi fortè* puniendo citra condignum.

Ad 1. Arg. Resp. cum B. Thoma dictæ qu. 21. ar. 4. in omnibus Dei operibus inveniri misericordiam, quatenus misericordia pro remotione cujuscunque defectus accipitur : nam hoc ipsum quod damnatos non sinit cadere in nihilum, sed conservat in esse; pertinet ad misericordiam sic generaliter sumptam.

Versiculus Psal. 24. loquitur de solis pijs & electis: sequitur enim; *Requirentibus testamentum ejus & testimonia ejus* quasi diceret, omnes operationes Dei sunt plenæ misericordia & veritate erga pios legem ejus requirentes, & cum illis agit misericorditer & fideliter.

Sanctus Leo etiam loquitur de operibus Dei erga electos, quos hîc afflictionibus corrigit vel probat.

Ad 2. Resp. eo loco significari quod Deus præ ira in populum suum hîc afflictum, non reprimet suas misericordias, sed dabit ut varia benignitatis ejus beneficia aliquando sentiant.

Ad 3. Deus dicitur esse suavis, id est, benignus universis, & effundere misericordiam sive bonitatem suam super universam creaturam; quia sola sua benignitate dat illi saltem aliquod esse, quod & conservat.

Ad 4. Sententia Sapientis non est extendenda ad omnes homines sigillatim, sed ad omnia genera hominum: ut interpretatur B. Thom. in cap. 11. ad Rom. ubi etiam sententiam Apostoli conformiter explicat *ut omnium misereatur*, id est, ut in omni genere hominum sua misericordia locum habeat. Vide quæ diximus artic. 2.

Ad 5. *Misericordia* ibi sumitur impropriè pro pœna leviori; quæ licet adæquatè respondeat peccatis ejus qui punitur, est tamen minor ea quam patiuntur potentes.

Ad 6. id propterea dicitur, quia Deus ex se, seu ex proprio suo beneplacito miseretur; cum non sic puniat; sed eos solos qui peccaverint.

Ad 7. Nego antecedens, sequeretur enim alioqui Deum suæ justitiæ non posse perfectè satisfacere. Ad probationem, Resp. ad exactam justitiam nõ requiri quod pœna in ratione malitiæ adæquetur culpæ (sic enim nec peccatum veniale puniri posset condignè:) sed satis est, quod peccatum puniatur quantum meruit.

Ad Postremum Neg. Cons. quia virtus passionis Christi extenditur ad electos, ut possint sic remunerari; non extenditur autem ad damnatos, ut accipiant beneficium minoris punitionis, quam sunt promeriti.

Cæterum, Beatos remunerari supra condignum indicat illud Domini Lucæ 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*: Indicat & Chrysostomus hom. 1. ad populum Antiochenum. Clarè autem tradit Hier. verbis ex commentario super Ezechielem, supra citatis, & Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 10.

*Artic. damnatus.* Huc pertinere videtur condemnatio hujus articuli, qui inter damnatos à Pio 5. erat 14. Opera bona justorum non accipient in die judicij extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

## Articulus IV.

*Etiam mali christiani ne sine fi- nientur.* Art. 4. rejectis varijs erroribus docet id quod fide certum est, etiam christianorum malè viventium & sine pœnitentia morientium pœnas sine fine duraturas : quia scriptura multis locis, ut Matth. 3. 5. 18. 25. prioris ad Cor. 6. Ad Galatas 5. ad Ephesios 5. & alibi comminatur peccatoribus, sive illi sint christiani, sive nõ, pœnas æternas; docetque solos eos ab ijs immunes futuros, qui in fide catholica perseverantes, à peccatis ante mortem erunt immunes. Imo de christianis malè viventibus asserit 2. Petri 2. quod *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionẽ veritatis retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



De verbis Apostoli quæ explicantur in responsione ad 3. idem ipse S. Doctor videatur lect. 2. in cap. 3. prioris ad Corinthios, & conferantur quæ diximus 1. 2. qu. 89. ar. 2.

### Articulus V.

*Utrum omnes illi qui opera misericordiæ fecerunt, punientur aeternaliter.*

Testis est Augustinus li. 21. de civitate Dei cap. 27. quosdam tantum tribuisse operibus eleemosynæ, ut existimarent illos qui ea fecissent, quantumvis nequiter viverent, misericordiam consecuturos; ut vel nulla damnatione plecterentur, vel post aliquod tempus à damnatione liberarentur. Qui error confirmari posse videtur.

Primò, *Mundi corde Deum videbunt*, Matth. 5. ad cordis autem munditiam Lucæ 11. dicitur sufficere eleemosyna: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Secundò, *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & nõ patietur animam ire in tenebras*, Tob. 4.

Tertiò, *Sicut ignem ardentem extinguit aqua: ita eleemosyna extinguit peccatum*, Eccles. 3. juxta lectionem Sanctis Patribus frequentem.

Quartò, Regi infideli Daniel sufficere dicit, si det eleemosynam: *Peccata tua*, inquit. ca. 4. *eleemosynis redime.*

Quintò, Ambros. serm. 31. eleemosynam comparat baptismo; additque illam esse indulgentiorem, quam sit baptismus: *Lavacrum enim*, inquit, *semel datur & semel veniam pollicetur: eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.*

Sextò, Augustinus serm. 50. de tempore ita Christum inducit loquentem in judicio; Difficile est ut si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inveniam unde vos damnem; sed ite in regnum: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.

*Etiam eleemosynarij aeternaliter punientur, si malè vitã finierint.*

Responsio ad fidem pertinens, est etiam illos æternaliter puniendos qui eleemosynas fecerint, si à peccatis mortalibus non abstinuerint.

Primò, quia generale est quod *neque fornicarij, neque adulteri &c. regnum Dei possidebunt*, 1. ad Cor. 6. sive eleemosynas fecerint, sive non: Item, quod qui opera carnis faciunt, *regnum Dei non possidebunt*, ad Gal. 5.

Secundò, quia *qui offendit in uno, factus est omnium reus*, Jacobi 2. id est, est reus totius legis non servatæ; nam lex dicit collectionem omnium præceptorum: ergo est obnoxius pœnæ transgressoribus legis statutæ; hæc autem est æterna damnatio. De ista B. Jacobi sententia luculentè diximus 1. 2. qu. 73. ar. 1.

Tertiò, Apertissima est sententia Apostoli, 1. ad Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Denique, tolleretur alioquin necessitas pœnitentiæ: contra illud Domini, Lucæ 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Tolleretur & necessitas sacramentorum, baptismi, pœnitentiæ, & aliorum; similiter & necessitas restitutionis.

Ad 1. Arg. Neg. Minor. Vel enim Dominus ironicè ibi loquitur, sugillans Pharisæos; quasi diceret, cum sitis pleni rapina & iniquitate; existimatis vos propter eleemosynas vestras, esse mundos; cum illas non detis ex affectu charitatis, sed ex appetitu laudis, ut Matth. 6. declaravit: Vel sermo ejus est serius, & hortatorius; hoc sensu, *Quod superest, date eleemosynam*, sive, ut Græca sonant, inexistentia, id est, ea quæ restitutis injustè ablatis, vobis adsunt ex proprijs facultatibus, convertite in eleemosynam, *& ecce omnia munda sunt vobis. Omnia* (inquit Basilius in regulis brevioribus ad interrogationem 271.) *quæ per rapinam & defraudationem peccata committuntur.* Proprium enim remedium quo peccata rapinæ expiantur, est, si post sufficientem alienorum restitutionem, etiam propria distribuamus in eleemosynas; quemadmodum fecit Zachæus.

Nihilominus sententia ista Domini potest etiam generaliter accipi de omnium peccatorum expiatione; ita tamen ut non excludantur alia remedia (nam & Basilius expressè dicit eleemosynæ dationem non sufficere; cum principaliter opus sit misericordia Dei, & sanguine Christi:) sed ut intelligantur reliqua quæ ad salutem hominis sunt necessaria, esse conjungenda, quemadmodum in similibus sententijs semper est præsupponendum. Conferri possunt quæ diximus 2. 2. qu. 62. art. 2. ad 1.

Ad 2. & 3. Resp. eleemosynam propterea dici liberare à morte & extinguere peccatum, vel (secundùm nostram lectionem) resistere peccatis.

*Primò*, quia supponitur cætera, per scripturam alibi requisita, non omitti; fidem, pœnitentiam, charitatem.

*Secundò*, quia si eleemosyna fiat sicut facienda est, ex Dei amore, disponit hominẽ tanquam opus singulariter bonum, ad remissionem peccatorum, etiam mortalium.

*Tertiò*, quia cum sit satisfactoria, liberat à pœnis.

*Quartò*, quia custodit à peccatis futuris, in quantum Dei gratiam & auxilium promeretur.

*Quinto*, quia per preces pauperum quibus fit eleemosyna, obtinetur interdum vera conversio & salus; quemadmodum puellæ fornicariæ contigit, quæ (quia cuidam suspendium paranti per largam eleemosynam sebvenisset) ab Angelis mirabiliter deducta ad baptismum, & salvata esse narratur in Prato spirituali, cap. 207.

Ad 4. Neg. Assumptum. Nam Daniel hoc dicebat regi, non excludens fidem & pœnitentiam, sed quia sciebat quod unà cum illis, multum valeret eleemosyna, ad extinguenda & delenda peccata. Vide August. serm. 50. de tempore cap. 10. & quæ diximus 2. 2. qu. 32. ar. 5. ad 1.

Ad 5. Eleemosyna ex fide & dilectione procedens rectè comparatur baptismo, quia valet ad delectionem & remissionem peccatorum; non eorum tantum quæ eleemosynam præcesserunt, sicut baptismus solum delet peccata ipsum præcedentia; sed etiam aliorum quæ postea repeti contingeret, modò etiam ipsa eleemosynæ largitio repetatur. Quoties enim repetitur (semper autem potest repeti, & hoc habet præ baptismo, qui est initerabilis:) toties valere potest, ad remissionem peccatorum; quamvis non eo modo quo baptismus, hoc est, non ex opere operato, quemadmodum declaravimus dicta qu. 32. ar. 4.

Ad 6. August. illis verbis non significat in hominibus justis invenienda in die judicij peccata, ob quæ damnari mereantur; sed ob quæ damnari potuissent, nisi per fructus dignos pœnitentiæ (inter quos sunt eleemosynæ) ea delere studuissent.

*Non*



*Non itis*, inquit, *in regnum, quia nõ peccastis, sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis.*

In responsione ad 1. advertendum est, ut Jac. 2. legitur; *judicium sine misericordia* futurum *illi qui nõ fecerit misericordiam*; quia ipse damnabitur, & secundùm exactam Dei justitiam punietur, ut art. 3. diximus. *Qui* autẽ *fecerit misericordiam*; nisi aliunde sit impedimentum, misericordiam consequetur, quam consequutus non esset, si misericordiam non fecisset.

Quod additur apud S. Jacobum, *Superexaltat autem misericordia judicium*, hunc habet sensum, facit hominem altiorem ac superiorem judicio, ita, ut possit evadere severitatem illius. unde Augustin. Græcæ lectioni conformiter, plerumque legit, *Superexultat misericordia judicio.* Id est, gloriatur & quasi triumphat de judicio Dei obtinens gratiam, atque ita Dei severitatem evadens.

Circa responsionem ad 2. observa Christum Matth. 25. posuisse exemplum examinis extremi judicij in operibus misericordiæ; ut ex eo colligamus quale judicium futurum sit de rebus gravioribus. Si enim qui rẽs suas non communicaverunt, damnandi sunt; multò magis qui alienas rapuerunt: & si salvandi sunt qui res vilissimas pauperibus dederunt, multò magis qui pretiosissimas. Confer quæ latius exposita sunt 1. 2. qu. 85. ar. 6. quæsito 2. ad locum Matth. 25.

Pro solutione tertij dicendum est Christum non declarasse Matth. 6. quid ad remissionem peccati sufficiat, sed quid requiratur, nisi enim remiserimus fratri in nos peccanti, non consequemur à Deo remissionem nostrorum peccatorum.

In responsione ad 4. agitur de lubrico carnis à quo quis per pœnitentiam recedit, sibi impetratam per preces eorum quibus impendit misericordiam. Istum verò commentarium ex quo verba sunt desumpta, non esse Ambrosij, doctis certum est.

## Quæstio C.

*Suo loco à collectore Supplementi omissa, & editioni Summæ Theologicæ S. Thomæ per Theologos Duacenses an. 1614. adornatæ, addita ex Commentario in quartum sententiarum.*

## De Purgatorio.

### Articulus I.

*Utrum sit Purgatorium post hanc vitam.*

Videtur quod non. Primò, quia electi statim à morte accipiunt hæreditatem cælestem, juxta illud Psalm. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Et Confirmatur ex Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis.*

Secundò, Sapiens Ecclesiastæ 9. monet nullum post mortem supersse remedium *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.*

Tertiò, *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, Ecclesiastæ 11. ergo non sunt nisi duo loca post mortem, Austri & Aquilonis, regni & gehennæ.

Quartò, *Justorum animæ* (Sap. 3.) *in manu Dei & in pace esse* dicuntur: & cap. 4. dicitur quod *justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: ergo non est in igne.

Quintò, *Cum averterit se impius ab impietate sua*; *Deus*, Ezechielis 18. pronuntiat quod *omnium iniquitatum ejus non recordabitur*, quomodo autem non recordatur, si punit in purgatorio.

Sextò, Duæ solum sunt viæ, una ad cælum, altera ad infernum, Matth. 7. & duo tantum ordines hominum, Matth. 25.

Septimò, Dominus Joan. 5. dicit, *Qui verbum meum audit, habet vitam æternam, & in judicium nõ venit, sed transiet a morte ad vitam*: ergo non ad purgatorium.

Octavò, *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, habemus domum non manufactam, æternam in cælis*, 2. ad Corinth. 5. ergo justi recta eunt in cælum.

Nonò, Cyprianus in fine tractatus ad Demetrianum, *Quando iste hinc excessum fuerit; nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus.*

Decimò, Hieronymus in cap. 9. Amos, *Quando anima vinculis laxata corporeis volandi quo velit, sive quo ire compellitur, habuerit libertatem; aut ad infernа ducetur, aut certè ad cælestia sublevabitur.*

Undecimò, Chrysostomus homil. 28. in priorem ad Corinth. *Si nostra tantum voluerimus peccata cognoscere; liberi erimus ab hujus & futuri sæculi supplicijs:* qui autẽ in justitia moriuntur, agnoscunt sua peccata, ergo.

Duodecimò, August. epist. 80. *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.*

Tractatu 49. in Joannem. *Requiem quæ continuò post mortẽ datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cum moritur.*

Sermone 14. de verbis Apostoli, *qui inducis medium, recede de medio.*

Et serm. 29. cap. 6. *Non hic sumus sine peccato; sed exibimus hinc sine peccato.*

Lib. 2. de peccatorum meritis cap. 33. asserit peccata hîc remissa, non obesse post hanc vitam.

Libro de Spiritu & littera cap. 28. Quòd venialia peccata non impediunt justum à vita æterna.

Enarratio. 2. in Psalmum 31. sic dicit, *Si texit peccata, noluit advertere: si noluit advertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.*

Objicitur etiam liber de vanitate sæculi, sed is non est Augustini: uti nec libri Hypognosticon, in quorum quinto Author dicit se *tertium locum* ignorare, scilicet *perpetuum*, qualem Pelagiani tribuebant parvulis non baptizatis.

Decimotertiò, Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 18. affirmat tempus pœnitentiæ & remissionis peccatorum nos in hac vita tantum habere præscriptum.

Et Epiphanius, etsi concedat preces pro defunctis factas, eis prodesse, hæresi 75. addit tamen quod totam culpam non abscindant. His & ratio suffragatur.

Prima, Post hanc vitam non est locus meriti: ergo nec satisfactionis.

Secunda, nullus est locus ubi præmientur bona opera malorum: ergo nullus etiam est ubi puniantur opera mala bonorum.

Tertia, gratia est efficacior in bono quam

Universidad de Deusto
Biblioteca



peccatum in malo : sed peccatum mortificat omnia bona ? ergo gratia vivificat omnia mala, aut saltem ea delet, & quidem statim, sicut peccatum statim mortificat omnia bona.

QUARTA, in extremo judicio omnes admittentur statim ad regnum, vel mittentur in infernum; non obstante eo quod qui vivi reperti fuerint, non plenè satisfecerint in hac vita.

His similibúsve moti Waldenses & Wiclefistæ, nostrꝙque tempestatis hæretici, purgatorium negaverunt.

### *Responsio ad Articulum.*

RESPONSIO ad fidem pertinens est, esse post hanc vitam aliquod purgatorium, id est locum, seu statum in quo animæ justorum peccatis quibusdam peccatorumve pœnis obnoxiæ, purgantur & puniuntur, ut tandem ad beatorum societatem transeant.

*Fidei est esse Purgatorium.*

Probatur PRIMÒ, quia cum 2. Machab. 12. de Juda Machabæo legitur quod *pro peccatis eorum* qui in prælio ceciderant, *jussit offerri sacrificium*, laudatur tanquam *benè & religiosè de resurrectione cogitans?* & tum additur, *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.* Ex quo manifestum est quorundam animas post hanc vitam à peccatis solvi per orationes & sacrificia viventium, quod est, purgari : Neque adversarij possunt aliter hoc testimonium refellere, quam authoritatem istius libri canonicam inficiando. Verùm etsi non sit in canone Hebræorum, est tamen in canone Ecclesiæ, sicut & quidam alij libri, quos, (reclamantibus Hebræis) tanquam sacros & à Spiritu sancto dictatos recipit Ecclesia.

Hinc Aug. lib. 18. de civit. Dei, cap. 36. de libris Machabæorum dicit, *quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Sed de istorum librorum authoritate proprius locus est in tractatu de scriptura sacra. Videri interea potest Sixtus Senensis libr. 8. Bibliothecæ Sanctæ, hæresi duodecima, & Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, cap. 15. & lib. 1. de purgatorio cap. 3. Et quæ alia contra hanc probationem opponi solent, diluimus sup. qu. 71. ar. 2.

Ad ejusdem doctrinæ confirmationẽ pertinent quæ de locis Tobiæ 4. Ecclesiastici 7. 1. Reg. ult. dicta sunt eodem illo art. 2. Omnia enim illa directè quidem ostendunt in usu fuisse suffragia pro defunctis; ex consequenti autem concludunt esse purgatorium : quia frustra, imò superstitiosè fierent, si defuncti non essent in aliquo miseriæ statu, à quo per illa suffragia possent liberari.

Et quamvis in lege Mosaica nihil expresè præscriptum legatur de sacrificijs pro defunctis : qui tamen in eo populo spirituales erant, non ignorabant eos qui piè moriebantur, adjuvari, tum per sacrificia quæ vocabantur hostiæ pro peccato, & jubebantur offerri pro peccatis, non tantum præsentium, sed etiam absentium; tum per jejunia & eleemosynas.

Probatur SECUNDÒ, Dominus Matth. 12. clarè significavit quædam peccata remitti in futuro sæculo; quando peculiariter de peccante in Spiritum sanctum dixit, *quod non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Videantur quæ de isto loco diximus 3. p. qu. 87. ar. 1. & conferatur Greg. lib. 4. dialogorum cap. 39.

TERTIÒ, cum Apostolus 1. ad Corinth. 3. dicit, *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, juxta communiorem & verisimiliorem expositionem ostendit peccata quædam in alio sæculo remitti, per pœnam ignis purgatoriam & temporalem. Totius enim sententiæ sensus est : Illo igne, quo Dies Domini sive dies extremi judicij revelabitur tanquam instrumento divinæ justitiæ examinabitur quidquid doctrinæ super fundamento superædificatum fuerit à ministris verbi Dei. Ille cujus opus quod superædificavit, permanserit ab igne illæsum, utpotè purum, sanctum, & irreprehensibile; nullum istius operis detrimentum patietur, sed à Christo mercedem accipiet. Is autem cujus opus quod superædificavit, fuerit ab igne corruptum & combustum, quomodo comburi solent ligna, fœnum, stipulæ, dispendium sui operis patietur (nam pro eo mercedem non accipiet) erit tamen salvus, sed non nisi per ignem quo urendus & purgandus est, ut ad salutem perveniat.

PETES, si hæc futura sint in extremo judicio : quomodo ex ista scriptura statui potest purgatorium? RESP. illud posse statui, partim quia manifestè hinc habetur quod in futuro sæculo seu post mortem quædam peccata sint remittenda, eorum scilicet qui purgabuntur & salvi fient per ignem; partim quia sicut scriptura ex generali judicio, sæpè vult intelligi particulare; & ex die novissimo quo omnes judicabuntur, vult intelligi diem mortis cujusque, quo singuli judicantur; ita ex igne qui faciem Christi judicis præcedet ad universale judicium, & quidquid restabit purgandum, purgabit; intelligendum relinquit ignem aliquem quo statim post hanc vitam purgentur illæ animæ quæ purgandum aliquid habent. Vide Estium in 4. d. 21. & in c. 3. prioris ad Corinth.

QUARTÒ, Christus ad inferos descendens liberavit quosdam eorum qui erant in tormentis, ut Zach. 9. & Act. 2. significatur; & traditur ab Ambrosio lib. de mysterio paschæ cap. 4. Ab Hieron. in illum locum Zach. ab Aug. lib. 12. de Genesi ad lit. c. 33.

QUINTÒ, preces & oblationes pro fidelium defunctorum animabus faciendas, atque adeò locum seu statum aliquem purgatorij esse post hanc vitam; Apostoli docuerunt, & ex Apostolis alij Patres.

Dionysius Ecclesiasticæ hierarchiæ c. 7. p. 3. *Divinus*, inquit, *Antistes ipsi mortuo sanctè precatur; Precibus a divina benignitate contendit, ut & omnia peccata quæ humana fragilitate imbecillitateque admissa sunt, eique excessit è vita, remittat, & in lucem ac regionem vivorum, in sinus Abrahæ, Isaac, & Jacob deducat, in locum a quo fugit dolor, tristitia, & gemitus*, & postea addit se *a divinis præceptoribus*, hoc est, Apostolis, *tradita accepisse ea quæ deprecatione qua Antistes super eo qui mortuus est utitur, scripto mandat.* Similis locus est apud Clementem lib. 8. constitutionum c. 41.

Cyprianus Epistolis 52. & 66. clarè meminit oblationis & deprecationis pro dormitione illorum fidelium, qui purgantur igne.

Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 5. mystagogica; *Pro omnibus*, inquit, *oramus qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi quod in altari positum est, sacrificij.* Hoc autem traditum esse ab Apostolis distertis verbis asserit Chrysostomus hom. 69. ad populum Antiochenũ.

Augustinus, pœnas post mortem purgatorias agnoscit lib. 20. de civit. cap. 25. & lib. 21. c. 13. ubi etiam addit; *Quibusdam quod in ista non remittitur, remitti*



*remitti in futuro sæculo, id est, ne futuri sæculi æterno supplicio puniantur jam supra diximus.*

Alia ejusdem loca sunt libro nono confessionum cap. 11. 12. 13. lib. de cura pro mortuis cap. 1. 2. 4. serm. 17. & 32. de verbis Apostoli, & in libr. de hæresibus hæresi 55. ubi damnat in Aërio quod docuerit non oportere pro defunctis orare vel oblationem offerre.

*Tacita ob ex Aug. solvitur.*

Quare cùm Augustinus Enchiridij cap. 69. dixit quæri posse, An post hanc vitam animæ torqueantur igne purgatorio; non vult esse dubium de pœna animarum, sed de modo & qualitate : dubitat enim, An post mortem, animæ afficiantur dolore amissionis rerum temporalium, quas hìc dilexerant, ut propterea vitiosus ille affectus, ignis ustione seu afflictione debeat repurgari.

Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 39. *De quibusdam*, inquit, *levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est.*

Eundem purgatorium ignem asserit Bern. serm. 3. de S. Andrea, serm. de S. Nicolao, & serm. 66. in cantica

In liturgijs quoque tam S. Jacobi, quam B. Basilij, expresè invenitur quod pro defunctis fierent orationes.

Et, ut cæterorum Patrum testimonia pręteream : sciendum est hanc fidei doctrinam communem esse Latinorum cum Græcis, tum veteribus, ut ex Dionysio, Chrysostomo, & alijs constat : tum recentioribus, ut testantur acta Concilij Florentini, tam in principio quam in fine : nam utrobiq; Græci confitentur purgatorium tanquam rem apud suos indubitatam; tantum in hoc à Latinis discrepantes, quod non verum ignem, sed obscurum quendam locum ac laborum plenum esse censerent purgatorium; quodque sententiam Apostoli 1. ad Cor. 3. interpretarentur aliter quam Latini.

Quod autem nonnulli existimaverunt Græcos negasse purgatorium : accidisse putatur ex epistola sub Cyrilli Jerosolymitani falso titulo, ad Augustinum, ubi error ille Græcis tribuitur.

Cæterum, ne quid hujus dogmatis certitudini desit, præter Conc. Cartaginense 3. can. 29. & quartum can. 79. Bracarense primum can. 39. Wormatiense can. 10. Videri possunt Flor. sess. ult. & Tridentinum sess. 6. can. 30. sess. 22. c. 2. sess. 25. in decreto de Purgatorio. His adjungi possunt rationes.

PRIMA, nihil inquinatum intrabit in regnum cælorum : Quidam autem moriuntur peccatis venialibus inquinati; ergo illi non intrabunt in regnum cælorum, quamdiu tales erunt : non tamen possunt in perpetuum ab illo excludi, quia peccata venialia non merentur pœnam æternam : ergo necessarium est dicere quod purgentur post hanc vitã.

SECUNDA, Remissa culpa non semper tollitur totus reatus pœnæ luendæ, ut qu. 86. art. 5. dictum est in tertia parte : qui ergo moriuntur antequam hìc satisfecerint, supereſt ut in altero sæculo pœnas restantes patiantur, easque temporales, quandoquidem reatus æternæ pœnæ sublatus est simul cum abolitione culpæ.

### *Responsio ad argumenta.*

AD 1. ARG. RESP. quod post Christi passionem, illi electi quibus nihil restat purgandum, accipiant hæreditatem cælestem statim à morte; sententia tamen Psalmistæ, quæ secundùm veritatem Hebraicam ita est distinguenda, *Ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris*, litterali sensu aliò pertinet. Sensus enim est, quod cum Dominus his quos diligit, quietem ac mentis securitatem dederit ipsis filij erunt hæreditas data à Domino; & fructus ventris, erit eorum merces, secundùm promissionem Deut. 28. factam. Sensu autem Anagogico, significatur quod cum Dominus dederit omnibus suis electis somnum; id est, cum omnes mortui fuerint; ẽõtinuò tunc apparebit quod filij adoptivi sint hæreditas Christi; & quod fructus ventris, sint merces ejusdem, juxta illud Psal. 2. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

Sententia Apoc. 14. rectè intelligitur secundùm August. lib. 20. de civit. c. 9. & Richard. de S. Victore lib. 4. in Apoc. cap. 7. de martyribus, qui circa finem mundi morientur propter Christum : præcedit enim, *hic patientia sanctorum est*, sive hìc spectabitur & examinabitur patientia sanctorum, si nullis cruciatibus induci possint, ut adorent bestiam aut imaginem ejus, vel ut accipiant characterem nominis ejus, sed patienter & perseveranter custodiant mandata Dei & fidem JESU. De his autem verum est, quod statim à morte transeant ad regnum.

Quod si paulò generalius eam sententiam putet quis accipiendam; verificari nihilominus potest, intelligendo eos perfectè in Domino mori, qui sic in fide & charitate Christi moriuntur, ut liberi sint ab omni culpa & ab omni reatu pœnæ : Nam & de his indubitata fide certum est, quod statim à morte ad beatitudinem transeant, ut ostendimus qu. 69. ar. 2.

Quod si generaliter de omnibus omnino, qui moriuntur in Domino, id est, in Dei gratia, intelligatur, etiam vera erit hac ratione, quia omnes tales statim à morte beati sunt, vel reipsa, ut qui purgatione non egent; vel certitudine & securitate beatitudinis adipiscendæ, ut ij qui etsi sint justi, adhuc tamen habent à quibus purgentur.

Si enim spes facit justos, in hac vita esse beatos, dicente Apostolo ad Rom. 8. *Spe salvi facti sumus*; ipsoque Domino Matth. 5. *Beati pauperes spiritu* : multò magis poterunt post mortem dici beati, qui præter spem, habent securitatem.

*Requiescunt* autem illi, nondum quidem à pœnis, cujusmodi requiem precatur illis Ecclesia; sed *à laboribus* quibus hìc sudarunt contra diabolum, mundum, & carnem.

AD 2. RESP. post mortem nullum salutis remedium superesse illis qui hinc decedunt extra statum gratiæ : Nullum etiam opus posse ibi fieri, quo quis vel mereatur, vel se disponat ad justitiam vel justitiæ augmentum; nec ullam rationem illic inveniri posse, ad recuperanda bona perdita, vel evitanda mala quæ ibi animam apprehendunt : Justos autem, quia hìc meruerunt ut ibi possint adjuvari, precibus viventium adjuvari posse, qu. 71. ar. 2. & 6. diximus.

AD 3. Neg. Conseq. constat enim (etiam sectariorum judicio) sanctos Patres ante Christum mortuos, neque descendisse in gehennam, neque tunc ascendisse in cælum. Scriptura ergo duos status hominum morientium significat; unum salutis, qui per Austrum significatur; alterum damnationis, qui per Aquilonem. Quotquot autem moriuntur in gratia, etiamsi ad Purgatorium transeant, cadunt ad statum salutis, ac in eo æternaliter permanebunt : qui verò moriuntur extra gratiam, cadunt ad statũ damnationis, & in ea semper manebunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ad 4. Animæ justorum quæ purgantur, sunt *in manu Dei*, hoc est, in tutissima apud Deum custodia, quia nec ulla tentatio, nec ulla persecutio potest eis nocere, *sunt* etiam *in pace*, quia de regno seu de vita beata securæ. sunt *in refrigerio*; quia non amplius patiuntur æstum tentationum hujus seculi: Non sunt tamen in pleno refrigerio, quia sentiunt ardorem pœnarum: & hinc est quod in canone missæ petitur eis locus refrigerij & pacis, ut scilicet peccatis omnino condonatis perfectam cum Deo pacem obtineant, & extincto omni pœnarum ardore, sint in pleno refrigerio.

Ad 5. Deus dicitur non recordari iniquitatum ejus qui ab illis se avertit; quia illas delet, nec ad pœnas æternas amplius imputat; imò nec ad temporales, quando peccator sic fuerit perfectè conversus, ut plenè satisfecerit. B

Ad 6. Duæ illæ viæ pertinent ad præsens sæculum; generaliter enim loquendo sunt duo modi vivendi, quibus vel ad cælum itur, vel ad infernum. Duo autem ordines, de quibus Matt. 25. sunt ordines hominum in judicio extremo, (quando Purgatorium finem accipiet) comparentium: quorum alij salvabuntur, alij damnabuntur.

Ad 7. Negat. conseq. significatur enim eo loco, quod in Resurrectione is qui verbum Dei audierit, *non veniet in judicium* æternæ damnationis (de quo sequitur, *qui mala egerunt, procedent in resurrectionē judicij*, id est, condemnationis;) *sed transijt a morte* corporis, *ad vitam* beatam; ut scilicet verbum, *transijt*, intelligatur habere vim certò futuri, nisi per præteritum explicare velis, dicendo quod qui verbum Dei audijt, & credidit, jam transijt à morte peccati, ad vitam gratiæ. C

Ad 8. etiam Neg. conseq. sive enim per domum non manufactam intelligatur corpus gloriosum, sive beatitudo animæ; significatur quod justi non sunt domum illam habituri, nisi post mortem: non significatur autem, quod omnes illam statim accipiant; nisi tales sint, qui salvari mereantur & nō per ignem; de quo dixit prioris epistolæ capit. 3.

Ad 9. Cyprianus negat post hanc vitam esse locum vel pœnitentiæ, qua quis ex malo bonus fieri possit; vel satisfactioni, qua possit æternæ pœnæ remissionem obtinere. D

Ad 10. Hieron. non agit de morte, sed de solutione animæ à corpore per speculationem; & loquitur de anima impia, quæ quocunque per cogitationem se vertat, ibi Deum ultorem inveniet. *Aut ad inferna dūcetur*, inquit, *de quibus scriptū est, convertantur peccatores in infernum* &c. *Aut certè ad cœlestia sublevabitur, ubi sunt spiritualia nequitiæ in cœlestibus: &, si sibi veræ circumcisionis scientiam voluerit vendicare* (hoc enim interpretatur Carmelus) *& humilitate contempta habitare in montibus; & ibi scrutantem manum Dei evadere non valebit.*

Ad 11. Chrysost. ad hæc verba, *Si nostra tantum voluerimus peccata cognoscere*; addit, *si condemnare nosipsos*: ubi requirit plenam hic factam fuisse satisfactionem. E

Ad 12. *Primus* ex August. locus significat unumquemque talem qualis hic moritur, judicandum in novissimo die; in eodem scilicet statu, sive gratiæ, sive damnationis; & secundùm eadem opera, bona vel mala. Nam post mortem neque merito vel demerito locus est, neque mutationi è malo in bonum, vel contra.

*Secundus* habet adjunctam conditionem, *si dignus est*, in qua & hæc continetur, *si statim dignus est accipere*. Sicut enim oportet, quod sit dignus, ut accipiat; ita etiam debet esse hic & nunc ita dignus, ut deceat eum statim accipere.

*Tertius* contra Pelagium, negat ullum esse tertium locum æternum, in quo parvuli sine baptismo mortui constituantur. De quo confer ea quæ docuimus ex Aug. 1.2. qu. 85. ar. 6. quæsito 2.

*Quartus* vel significat quid in quibusdam fiat; vel de actu peccati est intelligendus: nam qui sunt in Purgatorio, peccare non possunt.

*Quintus* significat peccata remissa vel non obesse, ut propter illa excludatur quis à beatitudine; velne ad hoc quidem obesse ut à beatitudine quis retardetur, si fuerant omnino & plenè remissa.

*Sextus* negat peccata venialia impedire, id est, simpliciter excludere hominem à vita æterna: quo modo gladius flammeus impediebat ingressum paradisi.

*Postremus* de pœna æterna quam Deus remiserat, debet intelligi.

Ad 13. Cyrillus agit de peccatis mortalibus; quorum remissioni locus non est post mortē, si non fuerint in hoc sæculo remissa per pœnitentiam.

Quo etiam modo verificatur sententia Epiphanij: Preces enim quas vivi faciunt pro mortuis, non abscindunt culpam mortalem, si fortassis in ea sint defuncti, imo nec totam venialem in cujus affectu decesserunt, cum ea tolli non possit absque proprio motu voluntatis illorum qui in ea moriuntur.

Ad 1. verò rationem in contrarium allatam Resp. non esse post hanc vitam locum satisfactionis illius quæ fiat *pro* pœna, sive pro pœnæ commutatione & quadam redemptione: hæc enim, sicuti & meritum, non pertinet ad statum retributionis, cujusmodi est status futuri sæculi, sed ad statum viæ. Certum est tamen esse post hanc vitam locum satisfactionis *in* pœna; quia ad talem satisfactionem non requiritur status viæ, sed sufficit status retributionis cum statu gratiæ, in quo realiter persolvitur id quod debetur.

Ad 2. Neg. Conf. quia bona opera malorum nihil merentur, propriè loquendo; quamvis enim Deus interdum ea remuneret in hoc sæculo, non tamen perpetua lege mercedem pro illis addixit: mala autem opera justorum, verè & propriè merentur pœnam.

Ad 3. cum id quod non est capax vitæ non possit vivificari: mirum non est, si peccata quæ non sunt capacia vitæ spiritualis, non vivificentur per gratiam; delentur tamen per illam, sed non statim: & hoc, non propter inefficaciam gratiæ, sed quia non statim adsunt omnes dispositiones requisitæ. Deus enim ordinavit peccata non remitti nisi per eorum displicentiam; hanc autem displicentiam non de omnibus omnino peccatis habent, etiam illi qui justi sunt.

Quod sumitur, peccatum mortificat omnia bona; de peccato mortali verum est: de cujusmodi si intelligatur consequens, dicendum etiam est quod gratia justificans statim delet omne peccatum.

Ad 4. post judicium propterea non fient alicujus purgatio, quia omnes qui purgatione indiguerint, purgati erunt ante sententiam judicis, idque vel in sola anima per ignem purgatorij, vel in corpore simul & anima, per ignem conflagrationis: ita tamen ut quod deerit diuturnitati temporis, vel compensetur gravitate pœnæ, quemadmodum dixit B. Tho. qu. 74. art. 8. ad 5. vel condonetur misericorditer per intercessionem sanctorum.

Arti-



Articulus II.

*Ubi sit Purgatorium.*

Art. 2. tradit esse probabilius quod locus purgatorij sit in inferiori parte terræ, superior tamen inferno damnatorum: ac nihilominus quod aliqui interdum puniantur in alijs locis, per dispensationem.

Cum addit, esse eundem ignem qui damnatos cruciat in inferno, & qui justos in purgatorio purgat; sciendum est Græcos ad Conc. Flor. congregatos, existimasse quod Purgatorium vel in Purgatorio non esset ignis, sed solum locus quidam obscurus ac laborum plenus. Quæ sententia etli non sit condemnata; Latinorum tamen constans sententia omnino retinenda est, esse *in purgatorio verum ac materialem ignem* simul cum aliqua obscuritate & inquietudine. Hinc enim est quod Ecclesia in canone precatur illis *locum*, non tantum *lucis & pacis*, contra obscuritatem & inquietudinem; sed etiam *refrigerij*, contra ardorem ignis. B

Huc pertinet locus prioris ad Corinth. 3. *salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, juxta communiorem Latinorum expositionem superius allatam. Neque vocula (*quasi*) obstat quo minus intelligatur verus ignis: Certum est enim illa adverbia, *quasi, tanquam*, frequenter accipi specificativè, non comparativè; ut Joan. 1. *Quasi unigeniti à Patre*: Et eodem illo cap. 3. ad Corinth. *non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* C

Articulus III.

*De quantitate pœnæ Purgatorij.*

Art. 3. probat minimam pœnam purgatorij excedere maximam pœnam hujus vitæ: pœnam quidem damni; quia affectus quo animæ desiderant summum bonum, est intensissimus, cùm non retardetur mole corporis; quantò autem aliquid magis desideratur, tantò ejus absentia est molestior: Pœnam etiam sensus; quia cum ab anima sit omnis sensus corporis, læsivum quod ipsam animam attingit, maximè illam affligit.

Sanctus tamen Bonav. in 4. dist. 20. negat pœnam carentiæ divinæ visionis esse majorem omni pœna hujus sæculi; idque probabiliter: quamvis enim absentia summi boni ex se causet summam tristitiam in amante; mitigari tamen potest ex certitudine & securitate illius adipiscendi. Unde Sancti Patres in limbo non affligebantur summa tristitia, sed quemadmodum Lucæ 16. legimus de Lazaro, *consolabantur*. D

De pœna autem sensus, concedit pœnas purgatorij, esse majores pœnis hujus vitæ; non quod ea quæ ibi est minima, sit major quam maxima pœna vitæ præsentis; sed quia pœna quæ ibi est maxima, est major quam sit maxima pœna hujus vitæ. Et confirmatur, si quis enim hinc decedat cum uno solum & altero levi peccato, non videtur debere pati supplicia graviora omnibus pœnis hujus vitæ. E

Cæterum, etsi hæc res incerta sit: certum tamen est pœnam purgatorij esse admodum acerbam.

*Primò*, quia alioquin Ecclesia non tam solicitè hortaretur suos filios ad opera satisfactoria, & ad fructum indulgentiarum percipiendum.

*Secundò*, quia sæculum futurum est sæculum retributionis & vindictæ.

*Tertiò*, quia sancti Patres ita sentiunt. August. in Psalm. 37. *Quamvis*, inquit, *salvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis quam quidquid potest homo pati in hac vita.*

Similiter Gregorius in eundem Psal. scribens, *Illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem.* A

Et Beda super hæc verba; *neque in ira tua corripias me*: correptionem quæ fit in purgatorio, dicit *esse graviorem quam quidquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quidquid gravius possit homo excogitare.*

An autem pœnæ purgatorij paulatim remittantur, quantò unaquæque anima propinquior est fini; similiter est incertum, nisi quod tum ex ijs quæ scribit Bern. in vita S. Malachiæ de ejus sorore, tum ex eo quod objectum tristitiæ, scilicet dilatio gloriæ, semper minuitur; pars affirmans probabilitate non caret. B

Articulus IV.

*Ut pœna Purgatorij, sit voluntaria.*

Art. 4 docet pœnam purgatorij non esse animabus quæ ibi sunt, voluntariam simpliciter, & absolutè, quia sic non esset pœna, neque peterent suffragia ut liberentur: esse tamen voluntariam, conditionatè, quatenus sciunt se aliter pervenire non posse ad beatitudinem.

Articulus V.

*In Purgatorio non puniuntur ordinariè à dæmonibus*

Art. 5. probat animas in purgatorio non puniri per dæmones; quia triumphaverunt de dæmonibus; non decet autem divinam justitiam, *animæ* sinere eas vexari ab hostibus devictis. Addit quod *non* nec à Sanctis Angelis puniantur, quia non videtur *puniuntur* quod illi cives suos tam vehementer affligerent. C

Quia tamen & sancti Angeli conformant voluntatem suam divinæ; & animæ quæ sunt in purgatorio, in quibusdā consenserunt diabolo: ideo si quis contrarium sentiret, non facilè posset revinci.

Quamquam sententia authoris videtur verior, scilicet animas illas neque à sanctis, neque à reprobis spiritibus *ordinariè* puniri; tum quia vindicta futuri sæculi erga justos, non videtur per bonos Angelos fieri; tum quia, cum illæ animæ sanctæ sint & de salute sua securæ, non videntur esse sub potestate malignorum spirituum, nisi aliquæ interdum velut extra ordinem eis subjiciantur: ut de illis, quæ commemorantur apud Bedam lib. 3. histor. cap 19. & apud Bernardum lib. 1. de ejus vita cap. 10. dici potest, Cum S. Thoma sentit Abulensis paradoxo 5. cap. 47. D

Articulus VI.

*Ut pecc. veniale remittatur post hanc vitam.*

Art. 6. docet per purgatorij pœnam expurgari peccatum veniale, quoad culpam: quia pœna illa aliqualiter voluntaria, virtute gratiæ habet vim expiandi omnem culpam quæ simul cum gratia stare potest. E

Verum legendus est Author noster qu. 7. de malo, art. 11. ad 9. & 17. ubi retractans id quod in 4. sententiarum scripserat, dicit peccatum veniale in altero sæculo non remitti per pœnam, sed *virtute gratiæ*, prout exit in actum charitatis detestantis veniale peccatum. vide quæ diximus 3. part. qu. 87. art. 1.

Cum in argumento 2. ad oppositum dicit, per *lignum fœnum, & stipulam, ut dictum est, venialia intelligantur*; refert se ad 4. sent. dist. 21. quæst. 1. ar. 2. ubi hoc dixerat: qui articulus in Supplemento prætermissus fuit à Theologis Duacensibus, ob causas ab eis

Universidad de Deusto
Biblioteca



cis in præfatione hujus quæstionis centesimæ Supplementi ab eis redditas. videatur Author 1.2. qu. 89. ar. 2. A

De responsione ad 4. vide quæ diximus q. 98. ar. 6. & quæ habet ipse B.Tho. dicto art. 11. de malo, ubi disertis verbis affirmat, quod *quia post hanc vitam non est status merendi; dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem pœnæ sicut in hac vita.*

Sciendum est ergo quod omnis meriti tempus finitur morte: juxta illud Christi, Joan 9. *Venit nox, quando nemo potest operari*, meritoriè scilicet aut demeritoriè. Unde Sapiens Ecclesiastici 18. monet *ne verearis usque ad mortem justificari*; quia nimirum B tempus justitiæ acquirendæ est ante mortem. Quod & Eccles. 9. judicatur his verbis, *Quodcumque potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas.* quod de opere meritorio intelligitur.

Confirmatur, post mortem est tempus reddendæ rationis Lucæ 16 est & tempus retributionis, juxta illud Eccles. 11. *facilè est coram Deo, in die obitus, retribuere unicuique secundum vias suas*: ergo nõ est tempus merendi. Hinc Chrys. ho. 37. in Matt. *præsens hæc vita rectè vivendi occasionem & opportunitatem habet; postquam verò diem tuum obieris, judicium & pœna consequetur.* Et Aug. Enchir. c. 110. C *Hic omne meritũ comparatur quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari; nemo autẽ se speret quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deũ promereri.*

Néque his obstant argumenta sequentia.

*Ob.* PRIMUM, videri quod animæ in Purgatorio existentes habeant charitatem imperfectam, ac per consequens quod sint in statu merendi.

SECUNDUM, quod peccent timendo pœnas: ergo non purgantur à peccatis venialibus.

TERTIUM, quod offendant, quærendo quæ sua sunt.

QUARTUM, quod Deum amant amore concupiscentiæ.

*Resp.* AD 1. namque RESP. quod licet illæ animæ non habeant charitatem consummatam per operationẽ D perfectissimam; quatenus (cum adhuc videant per fidem) nondum amant Deum ut clarè visum & possessum: habent tamen charitatem alio modo perfectam. Cursum enim consummaverunt, & ad eum intensionis gradum pervenerunt, ultra quem non sunt perventuræ.

AD 2. RESP. Neg. Ant. PRIMÒ, quia illæ animæ non timent gehennam, sed pœnarum in quibus sunt diuturnitatem, eò quod nesciant præcisè, quando sint liberandæ.

SECUNDÒ, quia non omnis timor pœnæ repugnat perfectæ charitati (alioquin sequeretur Christum qui passione sua imminente cæpit pavere, Marci 14. non habuisse perfectam charitatem) sed E timor ille servilis quo quis malè sibi conscius & affectum peccati retinens, timet condemnari in judicio. Sic autem non timent animæ quæ sunt in Purgatorio.

AD 3. & 4. RESP. illas animas non quærere quæ sua sunt, sed honorem Dei: cupiunt enim citò liberari, ut possint magis & melius Deum laudare; Deumque amant amore amicitiæ, quia bonum suum referunt in ipsum.

## Art. VI.

### QUÆRITUR AUTEM.

*Utrum animæ in Purgatorio certæ sint de sua salute.*

VIDETUR quod non. PRIMÒ, quia vehementissimè turbantur, juxta illud Psal. 6. *Anima mea turbata est valdè*; quod Ecclesia de animabus in Purgatorio existentibus recitat in primo nocturno vigiliarum; si autem non metuerent damnationem æternam, non sic perturbarentur: scriptum est enim Proverb. 12. *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.*

SECUNDÒ, *Mortui nihil noverunt amplius*; Ecclesiastæ 9.

TERTIÒ, securitas salutis est magna pars beatitudinis; beatitudinis autem nullam partem accipiunt animæ; nisi post purgationem.

QUARTÒ, sequeretur quod neque sperent neque timeant: sicut enim malum apprehensum ut inevitabile, jam non timetur; ita bonum apprehensum ut inamissibile, non speratur, quia non apprehenditur ut arduum.

QUINTÒ, preces Ecclesiæ significant sententiam judicis suspendi usque in diem extremi judicij. In officio enim defunctorum, ex persona defuncti sic orat; *Dum veneris judicare noli me condẽnare: Miserere mei dum veneris in novissimo die, Ne recorderis peccata mea dum veneris judicare sæculum per ignem.* Et iterum, *Libera me de morte æterna in die illa tremenda* In officio etiam Missæ orat, ut animæ defunctorum liberentur *de pœnis inferni, & de profundo lacu de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.*

SEXTÒ, si essent securæ de sua salute, pœna illarum non esset gravissima.

SEPTIMÒ, Greg. l. 4. Dialog. c. 36. refert unius mortui sententiam alteri per extasim visam adhuc pendere.

OCTAVÒ, libr. 4. Revelationum S. Brigittæ cap. 8. introducitur Angelus de quadam anima dicens, quod non intelligit utrum veniet ad requiem post purgationem, an damnata sit.

Objicitur etiam unus locus Ambrosij: sed ad illum respondimus qu. 69. ar. 2.

*Resp.* RESPONSIO catholica est, omnes animas quæ in purgatorio sunt, habere certitudinem suæ salutis. Contrarium enim articulum tanquam doctrinæ totius Ecclesiæ contrarium in Luthero damnavit Leo decimus.

Et quidem, quod à parte rei securitatẽ habeant, ita ut & liberæ sint ab omni periculo peccandi, & infallibiliter ad gloriam perventuræ, clarè probat illud Domini, Matth. 19. *Quicumque perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: Tales enim animæ perseveraverunt usque in finem: ergo certum est quod erunt salvæ. Eodem pertinet illud Apoc. 2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Jam enim cognoscunt se in gratia Dei perseverasse & fideles fuisse usque ad mortem: ergo sciunt se esse salvandas & coronam vitæ habituras.

Confirmatur, unusquisque judicatur statim à morte: ergo unicuique decernitur sententia damnationis vel salvationis. *Statutum est*, ait Apostolus ad Hebr. 11. *hominibus semel mori: post hoc autem judicium.* Et Eccles. 1. *facilè est coram Deo in die obitus*



*obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Hinc A Aug. lib. 2. de origine animæ cap. 4. *Rectissimè & valde salubriter credit* (Vincentius Victor) *judicari animas cum de corporibus exierint, an equam veniant ad illud judicium quo eas oportet redditis jam corporibus judicari.*

Præterea, de fide est, impiorum animas statim à morte descendere ad infernum damnatorum: sed illæ quæ sunt in purgatorio, sciunt se non descendisse illuc; neque enim vel blasphemant, vel Deum odio habent, vel de salute desperant; quod faciunt damnati: ergo sciunt se non esse damnatas. Et tamen sciunt se esse judicatas; ergo etiam sciunt quod nunquam damnabuntur.

Adde, quod sciunt se esse in pœnis purgatorij, se B patienter illas tolerare, se spem regni cælestis habere, se dormire in somno pacis, se in Christo quiescere.

*Quæst. Resp.* QUÆRITUR autem quomodo hanc suam securitatem sciant. RESP. quod sciant eo ipso quo judicantur, ac sententiæ judicialis notitiam accipiunt à judice.

AD 1. ARG. Neg. Assumptum. Ad probationem verò RESP. ex eo quod Ecclesia in officio defunctorum utitur aliquo psalmo, non sequi quod omnia verba istius psalmi debeant aut possint intelligi de defunctis, quomodo enim de illis intelligi potest illud ejusdem psalmi; *lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo?* C sed propter unum alterumve versicul. eis convenientem, cujusmodi est, *Domine ne in furore tuo arguas me, Miserere mei Domine quoniã infirmus sum*; legit integrum psalm. Qua ratione, propter hæc verba, *hodie salus huic domui facta est*, in Dedicatione Ecclesiæ legitur Evangelium de Zachæo.

SI DICAS Ecclesiam illum ipsum versiculum applicare defunctis in Purgatorio existentibus, cum in versu Responsorij quinti canit ex eorum persona, *Anima mea turbata est valde, sed tu Domine succurre ei.*

RESP. animas, quando sunt in Purgatorio, non turbari, quasi sint dubiæ de sua salute, & per conse- D quens non turbari vehementissimè.

Ecclesia tamen ex persona defunctorum, ita loquitur.

Primò quia repræsentat diem & horam obitus ipsorum: quo tempore meritò animæ introducuntur ut turbatæ, quia sisti habent coram judice, neque sciunt vel quia respondere habeant ad ea quæ judex potest contra illas objicere, vel quam sententiam sint accepturæ. Unde in eodem Responsorio ex eorundem persona dicit, *Hei mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miser, ubi fugiam, nisi ad te Deus meus.* Et in Responsorio 3. *Commissa mea pavesco, & ante te erubesco.* Et in nono, *Tremens factus sum ego, & timeo.*

Secundò, quia acerbitas pœnarum non nihil E animas turbat, sed non sic ut de sua salute postmodum futura dubitent.

Unde ad scripturam ex Proverbijs objectam RESP. in ea significari, quod justus, quidquid ei acciderit, eo quo animo tit laturus, quomodo animę in purgatorio existentes patienter ferunt, tum pœnas sibi justè illatas, tum dilationem beatitudinis.

AD 2. mortui non habent experientalem notitiam rerum quæ hic aguntur, neque acquirunt novam aliquam earundem scientiam, nisi quatenus specialiter eis revelantur.

AD 3. RESP. animas purgatorij jam donatas esse illa fœlicitatis parte, ut sciant se de suo præmio esse securas: idque convenienter, quia pervenerunt ad terminum certaminis.

AD 4. RESP. Animas illas tantò certiùs sperare, quantò securius. Neque enim certitudo consequendi bonum speratum est contra rationem spei, quamdiu non est obtentum, maximè si difficultates quædam superandæ sint, priusquam obtineatur: quia tunc adhuc est considerabile ut futurum & arduum: & quamvis non timeant gehennam, timent tamen diuturnitatem pœnarum, & tristantur se non posse gloriam quam expectant, citò consequi.

Quod sumitur, timorem non esse de malo inevitabili; verum est, si de malo præsenti,) de quo potius est tristitia) intelligatur: Alioquin, timorem esse de malo inevitabili, nondum præsenti, sed futuro, 3. p. qu. 15. ar. 7 diximus.

AD 5. Neg. Assumptum. *Primò* quidem, quia Ecclesia in officio defunctorum simul nobis ante oculos ponit diem extremi judicij; idque propter viventes. Nam (ut ait Aug. epist. 80.) *unicuique venit dies ille, cum ei venerit ultimus dies vitæ suæ.*

*Secundò*, quia defunctis Ecclesia non petit, præservationem ab aliquo periculo: sed partim remissionem pœnarum inferni sive purgatorij; partim liberationem animarum ex illis pœnis; partim hoc Dei beneficium, ut in judicio extremo non cadant in obscurum, neque absorbeantur à tartaro, de quo quidem beneficio certæ sunt & securæ illæ animæ, ipsum tamen rectè petunt, quamdiu non est eis præstitum; quia certitudo effectus non obstat ejus petitioni; quin potius petitio est unum ex medijs à Deo ordinatis, per quæ talis effectus ponatur. Huc pertinet quod, Quæcumque Christus petijt, certò sciebat futura.

*Tertiò*, Ecclesia dum sic loquitur quasi animæ jam è corpore migrarent, ac ante tribunal judicis constitutæ essent in periculo, commemorat diem obitus, eumque repræsentat: Unde in ultimo Responsorio ex persona defuncti dicit; *Libera me Domine de viis inferni* &c. quomodo etiam partim in Adventu, partim in Nativitate Domini, perinde orat, ac si Deus tunc foret Incarnandus, vel Nasciturus, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum. Spiritus sanctus in te descendet Maria. O Adonai, veni ad redimendum nos. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ. Orietur sicut sol Salvator mundi, & descendet in uterum virginis*; quia repræsentat mysterium olim factum, & petit fructum ejus nobis applicari.

AD 6. etsi securitas salutis consolationem præstet ex parte illius objecti, atque ita minuat dolorem qui est de carentia visionis Dei: non tamen est necesse quod minuat dolorem ex pœna ignis provenientem; qui proinde potest esse maximus.

AD 7. Greg. non dicit sententiam illius mortui adhuc pendere, sed ait, ostensum fuisse quod mala causa cum eleemosynarum operibus in eo certarent, ut scilicet nobis significaretur & malorum & bonorum reddendam esse rationem, nec sufficere bona agere, nisi etiam abstineatur à malis; vel eorum, si facta fuerint, agatur pœnitentia. Addit autem Greg. & se, & eum qui visionem habuit latere, cujusmodi fuerit sententia judicis de illo mortuo, supponens proinde illam non pendere, sed latè esse. *In illo*, inquit, *occulto arbitri examine quid in eo vicerit, & nos, & eum qui vidit & revocatus est, latet.*

AD 8. illud, si verum est, ad extraordinaria Dei judi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



judicia pertinet, cæterum istam revelationem esse unam ex illis quæ neque sunt factæ S. Brigittæ, neque ab ea scriptæ, sed ejus nomine ab alijs promulgatæ; verius videtur. Confer Baronium to. 8 ad annum Christi 604. & quæ diximus q. 71. ar. 9

### Articulus VII.

*Per ignē Purgatorij tollitur reatus pœnæ.*

ART. 7. docet per ignem purgatorij tolli reatum pœnæ quæ post culpam dimissam restat luenda: quia anima ibi patitur id quod debet; per hoc autem quod aliquis sustinet pœnam quam debebat, à reatu absolvitur. Neque propterea dicendum est, animas defunctorum propriè satisfacere; cum propriè dicta satisfactio (quæ dicit quandam redemptionem pœnæ) non sit extra statum meriti; quamvis largè possint dici satisfacere, quatenus satisfactio est pœnæ solutio, ut ait Author qu. 4. ar. 3. ad 3.

### Articulus VIII.

ART. 8. probat unum liberari citiùs quam alium è pœnis purgatorij: quia peccata venialia quæ comparantur ligno, fœno, stipulæ, sunt inæqualia, non solum in quantitate culpæ, cui respondet acerbitas pœnæ, sed etiam in adhærentia affectus, cui respondere dicit diuturnitatem purgationis. Adde unum exire hinc non solum gravioribus, sed etiam pluribus vel diuturnioribus pœnis obnoxium, quæ ex peccatis mortalibus deletis restant, quam alium.

QUÆRI AUTEM POTEST,

*Quamdiu unaquæque anima maneat in Purgatorio.*

DOMINICUS in 4. d. 19. qu. 3. ar. 2. tradit quod nulla maneat in Purgatorio viginti annis imo nec decem.

PRIMÒ, quia per aliquas pœnas possumus hîc brevi tempore liberari ab omnibus pœnis: ergo multò magis ubi pœnæ sunt gravissimæ.

SECUNDÒ, quia Dei clementia non fert suos amicos multo tempore arceri à suo conspectu.

TERTIÒ, quia diuturnitatem pœnarum potest supplere per earum intensionem.

RESP. hanc sententiam esse omnino improbabilem.

PRIMÒ, quia nullo fundamento nititur: neque illæ conjecturæ magis probant de decem annis, quam de quinque vel viginti, vel triginta.

SECUNDÒ, quia dum Ecclesia celebrat anniversaria pro defunctis, etiamsi constet illos ante ducentos aut quadringentos annos fuisse defunctos; supponit eos tanto tempore detineri posse in pœnis purgatorijs. Tornaci 28. Martij celebratur obitus Chilperici Regis Franciæ; qui ante mille annos obijt: In Monasterio S. Amandi in Pabula, Regis Dagoberti, similiter.

TERTIÒ, Aug. lib. 9. Confessionum cap. 13. non solum orat pro matre sua Monica ante triginta circiter annos tunc mortua; sed etiam rogat, ut quotquot ista legerint, ejus meminerint ad altare.

QUARTÒ, Beda lib. 5. historiæ cap. 13. refert ostensas fuisse alicui pœnas Purgatorij; dictumque illi quod animarum quæ ibi sunt, quædam salvandæ sint in die judicij; quædam verò prius, per suffragia vivorum.

QUINTÒ, Huc facit locus 1. Petri 3. ubi dicitur Christus prædicasse *his qui in carcere erant spiritibus, qui increduli fuerant aliquando in diebus Noë cũ fabricaretur arca.* Inde enim colligi posse videtur quod animæ illorum qui in diluvio pœnitentiam egerunt, ac nihilominus in eo mortui sunt, adhuc fuerint in carcere Purgatorij, quando Christus illuc descendit. Vide quæ diximus 3. p. qu. 52. ar. 2.

DENIQUE, quidam moriuntur à multis & gravibus admodum peccatis per Sacramentum pœnitentiæ recens absoluti; quibus proinde multorum annorum pœnæ restant luendæ.

Quapropter non videtur dubitandum, quin aliquæ animæ multis annis in Purgatorio detineantur: quis autem sit illorum numerus, ignorantiam nostram fatemur.

AD 1. ARG. Negat. conseq. partim quia hîc est tempus miserendi; in futuro autem sæculo est tempus justitiam exercendi; partim quia hîc cum satisfactione, est meritum; non ibi..

AD 2. Negatur Assumptum. Nam Patres veteris testamenti per multa sæcula non fuerunt admissi ad conspectum Dei; uti nec modò Enoch & Elias.

AD 3. Etsi Deus compensare possit diuturnitatem pœnarum, brevi aliquo tempore, ut unius diei, imo & horæ spatio, intendendo acerbitatem illarum; non tamen facit: sed, quemadmodum justus judex acerbitatem pœnarum intendit ad certum modum; ita & ad certum tempus. A quibus nos & animas quæ ibi sunt, liberet JESUS CHRISTUS, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

# FINIS

## Commentariorum in Supplementum.

# INDEX

# AUTHORITATUM SCRIPTURÆ SACRÆ

## QVÆ IN TOTO HOC OPERE INSERVNTVR ET EXPLICANTUR.

*Nota prima designabit paginam: littera lineam: numerus sequens, columnam priorem vel posteriorem.*

## *EX GENESI.*

### CAPUT I.



REAVIT Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. pag. 3. C. 1.
Crescite & multiplicamini 624. E. 1. & 625. B. 1. & 725. C. 1.

CAP. 2.

Relinquet homo Patrem suum, & matrem, &c. 634. C. 2.
Adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. 718 D. 1.
Uterque nudus &c. & non erubescant. 774. B. 1.

CAP. 3.

Sub viri potestate eris. 550. D. 1.
Pulvis es & in pulverem reverteris. 766. C. 2.

CAP. 5.

Ambulavitque cum Deo & non apparuit quia tulit eum Deus. 751. A. 2.

CAP. 12.

In te benedicentur universæ cognationes. 268. C. 2.

CAP. 13.

Fratres enim sumus. 120. E. 2.

CAP. 14.

Quatuor Reges adversus quinque. 135. B. 1.
At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum. 101. B. 1. & 290. A. 1. & 370. B. 1. & 376. A. 2.

CAP. 17.

Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. 268. C. 2.
Erisque pater multarum Gentium. 759. C. 2.
Ut sim Deus tuus & seminis tui post te. 139. B. 1. & 251. C. 1. & 268. D. 2.
Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuę omnem terram Chanaan. 268. c. 2. & 269. C. 1.
Et tu ergo custodies pactum meum & semen tuum post te. 269. C. 1.
Circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos &c. 197. B. 2. & 268. C. 2.
Tam vernaculus quam emptitius circumcidetur. 269. C. 1.
Masculus cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. 270. A. 2.

CAP. 20.

Dixitque de Sara uxore sua: soror mea est. 684. E. 1.
Habet enim virum. 101. C. 2.
Verè soror mea est filia patris mei & non filia matris meæ. 686. D. 2.

CAP. 21.

Omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem ejus. 719 D. 1.
In Isaac vocabitur tibi semen. 369. C. 1.
Accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti. 70. B. 2.
Statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. 230. E. 2.

CAP. 22.

Postquam adoraverimus revertemur ad vos. 370. C. 1.
Benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ. 32. A. 1. & 268. C. 2. 759. C. 1.

CAP. 23.

Cum surrexisset ab officio funeris. 735. B. 1.

CAP. 25.

Filijs autem concubinarum largitus est munera. 721. D. 1.

CAP. 26.

Perspicuum est quod uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse. 685. A. 2.
Esau verò quadragenarius duxit uxores, Judith filiam Beeri Hethæi & Basemath filiam Elon ejusdem loci. 70. B. 2.

CAP. 27.

Benedicens ergo illi ait &c. 221. A. 1.
Benedixique ei & erit benedictus. 671. A. 2.
Venient dies luctus patris mei & occidam Jacob fratrem meum. 432. A. 2.

CAP. 29.

Et indicavit ei quod frater esset patris sui. 120. E. 2.
Liam filiam suam introduxit ad eum &c. 67. D. 1.

CAP. 30.

Zelpham ancillam suam marito tradidit. 716. B. 2.
Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. 716. C. 2.

CAP. 34.

Assensique sunt omnes, circumcilis cunctis maribus. 270. D. 1.

CAP. 37.

Descendam ad filium meum lugens in infernum. 732. A. 2.

CAP. 41.

Septem spicæ pullulabant in culmine uno. 230. E. 2.

CAP. 42.

Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. 732. E. 2.

CAP. 48.

Duo ergo filij tui qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt. 695. A. 2.
Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac. 746. D. 1.

CAP. 49.

Ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis 6. B. 2.
Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. 6. B. 1. & 133. E. 1.
Requiescens accubuisti ut Leo, & quasi Leæna, quis suscitabit eum! 173. E. 1. & 295. E. 2.

### *EX EXODO.*

CAP. 3.

Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, non est Deus mortuorum sed vivorum. 758. B. 1.

CAP. 4.

Filius meus primogenitus Israel. 102. C. 2.
Tulit illico Sephora acutissimam petram & circumcidit præ-

præputium filij sui. 269.E.2.
Cap. 5.
Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto. 378.C.2.
Cap. 8.
Vocavit autem Pharao Moysen & Aaron & dixit eis: orate Dominum ut auferat ranas à me. 745.B.1.
Cap. 12.
Non erit fermentum in domibus vestris. 294.E.1.
Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ. 269.E.1.
Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. 158.B.1.
Nullum vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane. 289.C.1.
Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti. 289.E.1.
Nox ista est observabilis Domini quando eduxit eos de terra Ægypti. 289.C.1.
Omnis servus emptitius circumcidetur & sic comedet. 269.A.1.
Nec os illius confringetis. 393.A.1.
Cap. 13.
Sanctifica mihi omne primogenitum. 99.E.2.
Immola Domino omne quod aperit vulvam masculinis sexus. 139.A.2.
Cap. 16.
Nec qui plus collegerat habuit amplius. 359.A.2.
Cap. 19.
Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum sanctificentur ne percutiat eos. 216.C.2.
Cap. 20.
Non occides. 705.E.2.
Non facies tibi sculptile. 199.B.2.
Cap. 21.
Sin autem Dominus dederit illi uxorem & pepererit filios & filias, mulier & liberi ejus erunt Domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. 725.D.1.
Cap. 23.
Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua. 624.E.1.
Cap. 25.
Faciesque &c. ipsi labio, coronam interrasilem altam quatuor digitis & super illam alteram coronam aureolam. 794.D.2.
Cap. 28.
Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs suis de medio filiorum Israel ut sacerdotio fungantur mihi. 600.A.2.
Cap. 29.
Septem diebus consecrabis manus eorum & vitulum pro peccato offeres per singlos dies ad expiandum. 230.E.2.
Cap. 31.
Ecce vocavi ex nomine Beseleel filium Uri filij Hur de tribu Juda & implevi eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia & scientia in omni opere: ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro & argento & ære &c. 111.D.2.
Cap. 32.
Hi sunt Dij tui Israel. 109.C.2.
Peccavit populus tuus &c. feceruntque sibi vitulum conflatilem & adoraverunt eum. ibid.
Recordare Abraham Isaac & Jacob. 746.D.1.
Placatusque est Dominus. 437.C.2.& 446.B.2.
Cumque appropinquasset ad castra vidit vitulum & choros. 109.E.2.
Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum, percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli. 437.C.2.& 446.B.2.
Cap. 34.
Nec uxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis. 701.E.1.
Cap. 37.
Fecit & lucernas septem. 230.E.2.

*EX LEVITICO.*

Cap. 12.
Mulier, si suscepto semine, pepererit masculum. 140.A.1.
Die octavo circumcidetur infantulus &c. 271.B.1.
Pro filio sive pro filia deferet agnum anniculum in holocaustum. 139.D.2.
Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum. 139.B.2.
Orabitque pro ea sacerdos & sic mundabitur. 139.C.2.
Cap. 17.
Anima carnis, in sanguine est. 45.C.1.
Cap. 18.
Turpitudinem patris tui non revelabis nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. 696.B.1.
Nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente. ibid. E.2.
Cap. 19.
Neque in rotundum attondebitis comam. 616.A.1.
Sancti estote, quia ego sanctus sum. 216.C.2.
Cap. 21.
Non radent caput nec barbam. 616.B.1.
Scortum & vile prostibulum non ducent in uxorem, nec eam quæ repudiata est à marito suo. 725.D.1.
Cap. 23.
Mense primo quarta decima die mensis ad vesperam phase Domini est. 289.D.1.
Offeretis sacrificium. 378.C.2.
Sabbathum requietionis est affligetisque animas vestras. 483.B.2.
Cap. 24.
Coques duodecim panes. 290.A.1.
Sit panis in monumentum oblationis Domini. 102.B.1.
Cap. 25.
Ædes Levitarum quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi. 618.B.1.
Cap. 26.
Non facietis vobis Idolum, & sculptile, nec titulos exigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra ut adoretis eum. 109.B.2.
Cap. 27.
Quidquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. 211.A.2.

*EX NUMERIS.*

Cap. 5.
Confitebuntur peccatum suum. 460.A.2.
Cap. 6.
Quod radet illico in eadem die purgationis suæ. 616.E.2.
Cap. 8.
Applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis convocatâ omni multitudine filiorum Israel. 601.C.2.
Feceruntque Moyses & Aaron & omnis multitudo filiorũ Israel super Levitis quæ præceperat Dominus Moysi. 600.A.2.
Cap. 9.
Homo qui fuerit immundus super anima &c. faciat phase Domino in mense secundo quartadecima die mensis ad vesperam. 270.C.1.
Cap. 15.
Cum essent filij Israel in deserto & invenissent hominem colligentem ligna in die sabbathi &c. obruerunt lapidibus. 270.C.1.
Cap. 16.
Descenderuntque vivi in infernum &c. 764.E.1.
Cap. 18.



Cap. 18.
In terra eorum nihil possidebitis. 617.A.2.
Siclis argenti quinque. 139.A.2.
Cap. 19.
Asperget contra fores tabernaculi septem vicibus. 230.E.2.
Cap. 21.
Fecit ergo Moyses serpentem æneum. 111.D.2.
Cap. 24.
Orietur stella ex Jacob. 136.C.1.& 136.E.1.
Cap. 28.
Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis. 378.C.2.
Oblationem meam & panes &c. offerre per tempora sua &c.& libabitis vini quartam partem hinc. 102.B.2.
Mense primo quarta decima die mensis, phases Domini erit & quintadecima solemnitas. 158.B.2.
Cap. 33,
Profecti de Ramasse mense primo quintadecima die mensis primi, &c. 289.B.1.

*EX DEUTERONOMIO.*

Cap. 4.
Cave ne quando obliviscaris parti Domini &c. & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri dominus prohibuit. 111.E.2.
Cum quæsieris dominum invenies eum, si tamen toto corde quæsieris. 477.E.2.
Cap. 5.
Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos. 115.E.1.& 745.A.2.
Cap. 7.
Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. 701.E.1.
Non erit apud te sterilis. 121.D.2.
Cap. 16.
Eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. 289.D.1. & 289.B.2.
Immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. ibid.
Celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam, manus tuæ, quam offeras &c. 387.C.2.
Cap. 18.
Prophetam de genere tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus. 6.A.1.& D.1. & 52.B.1.
Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus &c. qui autem verba ejus audite noluerit ego ultor existam. 99.C.2. & 141.C.1.
Cap. 21.
Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam & alteram modiosam &c. 740.E.2.
Appensus fuerit in patibulo. 155.E.1.
Maledictus à Deo est qui pendet in ligno. 154.E.1.
Cap. 22.
Si duxerit vir uxorem & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam &c. 726.C.1.
Et non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus Patris sui, & lapidibus obruent. 322.A.1.
Dabit qui dormierit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti. 122.A.1.
Cap. 24.
Si acceperit homo uxorem & habuerit eam & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. 724.D.2.& 726.C.1.
Polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. 725.E.1.
Cap. 25.
Et suscitabit semen fratris sui. 121.D.2.
Maledictus homo qui non suscitaverit semen in Israel. ibid. & 626.D.1.
Tollet calceamentum de pede ejus. 146.A.1.
Cap. 32.
Dei perfecta sunt opera & omnes viæ ejus judicia. 136.A.2.& 265.E.2.
Immolaverunt dæmonijs & non Deo &c. 109.C.2.
Deum qui te genuit dereliquisti & oblitus es Domini creatoris. ibid.
Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus &c. ibid.
De quorum victimis comedebant adipes. 101.C.2.
Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum ulciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum: & propitius erit terræ populi sui. 65.A.1.
Ascende in montem istum Abarim &c. & morere in monte. 752.E.1.
Cap. 34.
Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino & sepelivit eum in valle terræ Moab, contra Phogor. 752.E.1.
Et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem. 114.E.2.

*EX JOSUE.*

Cap. 5.
Fac tibi cultros lapideos & circumcide secundo filios Israel 269.E.2.
Cap. 6.
Septimo die sacerdotes tollant septem buccinas &c. septiesque circuibitis civitatem. 230.E.2.
Cap. 10.
Steterunt sol & luna: donec ulciscceretur se gens de inimicis suis. 788.E.1.
Cap. 13.
Levi non dedi possessionem, sed sacrificia &c. 618.B.1.
Cap. 14.
Tradidit ei Hebron in possessionem. ibid.
Cap. 21.
Dominus præcepit &c. ut darentur nobis urbes ad habitandum, & suburbana. ibid.

*EX LIB. JUDICUM.*

Cap. 4.
Erat autem Debbora prophetissa. 123.D.1.
Cap. 16.
Apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera & portavit ad verticem montis. 172.C.1.
Cap. 19.
Accepit uxorem &c. quæ reliquit eum &c. secutusque est eam vir suus volens reconciliari ei. 726.B.1.

*EX LIB. I. REGUM.*

Cap. 2.
Si peccaverit vir in virum: placari ei potest Deus, si autem in Deum peccaverit quis orabit pro eo? 430.A.2.
Cap. 7.
Ut orem pro vobis Dominum. 745.B.1.
Cap. 9.
Ascende ante me in excelsum ut comedatis. 101.C.2.
Cap. 10.
Et hoc tibi signum. 123.E.1.
Cap. 18.
Non habet rex sponsalia necesse. 635.E.2.
Cap. 31.
Et sepelierunt in nemore labes & jejunaverunt septem diebus. 735.B.2.

*EX LIB. II. REGUM.*

Cap. 2.
Benedicti vos à Domino qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul. 742.C.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



CAP. 5.
Nati sunt David & alij Filij,& filiæ. 270.E.1.
CAP. 12.
Peccavi Domino. 460.A.2.& 464.E.1.
Dominus quoque transtulit peccatum tuum: 486.A.1.
Dedit tibi domum Domini tui,& uxores Domini tui.721.E.1.
CAP. 13.
Loquere ad regem & non negabit me tibi. 684.E.1.
CAP. 14.
Omnes morimur. 764.A.2.
CAP. 16.
Nec enim discumbemus priusquam huc ille veniat. 560.C.2.
CAP. 21.
Crucifixerunt eos. 155.E.1.
CAP. 34.
Percussit cor David eum,postquam numeratus est populus, &c. peccavi valde in hoc facto sed precor Domine ut transferas iniquitatem servi tui. 460.B.2.
Ego sum qui peccavi, ego qui iniquè feci, isti qui oves sunt quid fecerunt: vertatur obsecro manus tua contra me. 460.C.2.

*EX LIBERO TERTIO REGUM.*
CAP. 1.
Rex vero non cognovit eam. 691.C.1.
CAP. 2.
Dices Salomoni Regi, ut det mihi Abisag. Sunamitidem uxorem. 690.A.1.
Positus est thronus matris regis, quæ sedit ad dexteram ejus. 185.A.1.
Ut impleretur sermo Domini. 601.E.2.
Sadoc Sacerdotem posuit pro Abiathar. 600.A.2.
CAP. 4.
Sadoc autem & Abiathar Sacerdotes. 601.E.2.
CAP. 6.
Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum. 111.E.2.
CAP. 11.
Depravatum est cor ejus per mulieres ut sequeretur Deos alienos. 701.D.1.
CAP. 14.
Roboam, filius Salomonis regnavit in Juda, &c. nomen autem matris ejus Naama Ammanitis. 701.B.2.
CAP. 17.
Quid mihi & tibi vir Dei, ingressus es ad me ut rememorentur iniquitates meæ. 446.C.2.
CAP. 21.
Cum audisset Achab sermones istos scidit vestimenta sua & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque &c. 424.D.2.

*EX LIBRO QUARTO REGUM.*
CAP. 5.
Vade & lavare septies in Jordane. 231.A.1.
CAP. 6.
Ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel. 133.E.1.
CAP. 18.
Confregitque serpentem æneum quem fecerat Moyses, siquidem usque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum. 115.C.1.
CAP. 25.
Locutus est ei benignè,& posuit thronum ejus,super thronum Regum qui erant cum eo in Babilone. 133.C.2.

*EX I. PARALIPOMENON.*
CAP. 3.
Nati sunt & filij Simaa & Sobab & Nathan. 124.E.2.
David vero hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron. 270.E.1.
CAP. 23.
Rohobia primus,& non erant Eliezer filij alij. 120.D.2.
Numeratique sunt Levitæ, à triginta annis &c. ex his electi sunt & distributi in ministerium domus Domini. 600.A.2.
CAP. 29.
Quæ de manu tua accepimus dedimus tibi. 372.B.1.

*EX II. PARALIPOMENON.*
CAP. 19.
Bona opera inventa sunt in te. 459.C.2.
In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas & sacerdotes. 600.A.2.

*EX LIB. I. ESDRÆ.*
CAP. 2.
Habitaverunt ergo sacerdotes & Levitæ &c. & Nathinæi in urbibus suis. 606.E.1.
CAP. 8.
Et posui in ore eorum verba qui loquerentur ad Addo, & fratres ejus Nathinæos, ut adducerent nobis ministros. 606.E.1.
CAP. 9.
Nunc ergo filias vestras ne detis filijs eorum & filias eorum ne accipiatis filijs vestris. 701.E.1.
CAP. 10.
Separamini à populis terræ & ab uxoribus alienigenis. 701.C.2.

*EX LIB. II. ESDRÆ.*
CAP. 13.
Adjuravi in Domino ut non darent filias suas filijs eorum & non acciperent de filiabus eorum filijs suis & sibimetipsis. 701.E.1.

*EX LIB. TOBIÆ.*
CAP. 2.
Sicut Beato Job insultabant Reges. 135.B.1.
Filij sanctorum sumus & vitam expectamus, quam Deus daturus est his,qui fidem suam nunquam mutant ab eo. 758.A.1.
CAP. 3.
Ne reminiscaris peccata mea vel parentum meorum. 446.C.2.
CAP. 4.
Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. 196.C.1.& 808.B.1.
Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue. 733.D.2.
CAP. 12.
Sacramentum Regis abscondere bonum est. 186.A.2.
Opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est. 134.E.2.
Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna. 544.B.2.
Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos &c. ego obtuli orationem tuam Domino. 742.C.1.& 282.A.1.
CAP. 13.
Per vicos ejus alleluia cantabitur. 776.E.1.

*EX LIB. JUDITH.*
CAP. 16.
Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum,ut comburantur &c. 733.E.2.

*EX LIB. ESTHER.*
CAP. 20.
Fecitque eam regnare loco Vasthi. 719.A.2.

*EX LIB. JOB.*
CAP. 1.
Quadam autem die cum venissent filij Dei. 103.B.2.
CAP. 2.



Cum quâdam die venissent filij Dei. 103.B.2.
CAP. 5.
Voca, si est qui tibi respondeat & ad aliquam sanctorum convertere. 745.A.1.
CAP. 7.
Sicut consumitur nubes & pertransit,sic qui descenderit ad inferos non ascendet. 75-.C.2.
Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis. 89.C.1.
CAP. 14.
Sive nobiles fuerint filij ejus sive ignobilis non intelligent. 743.D.1.
Homo cum dormierit non resurget donec atteratur cælum non evigilabit. 757.C.2.
CAP. 17.
In profundissimum infernum descendent omnia mea. 171.B.1.
CAP. 19.
Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum. 757.E.2.& 762.B.1.
Rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum quem visurus sum ego ipse, & oculi mei circumspecturi sunt & non alius. 767.C.2.& 769.E.2.
CAP. 20.
Ossa ejus implebuntur vitijs adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. 767.B.1.
Devorabit eum ignis qui non succenditur. 733.E.2.
CAP. 22.
Quid prodest Deo,si justus fueris. 483.C.1.
CAP. 24.
Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium & usque ad inferos peccatum illius. 798.D.2.
CAP. 26.
Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus. 754.C.2.
CAP. 28.
Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum nec commutabuntur pro ea vasa auri. 778.A.2.
CAP. 10.
Scio quia morti trades me: ubi constituta est domus omni viventi. 763.A.2
CAP. 31.
Si declinavit gressus meus de via, etsi secutum est oculos meos cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula. 357.B.2.
CAP. 33.
Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit. 154.B.1.
CAP. 37.
Cum eo fabricatus es cælos qui solidissimi quasi ære fusi sunt. 754.E.1.
CAP. 41.
Rex super omnes filios superbiæ. 10.A.1.
CAP. 42.
Job autem servus meus orabit pro vobis,faciem ejus suscipiam. 378.C.2.

*EX LIBRO PSALMORUM.*
PSAL. 1.
Non resurgent impij in judicio. 759.B.2.& 783.B.2.
PSAL. 2.
Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. 14.A.2.& 91.D.1.& 96.A.1.& 811.A.2.
Filius meus es tu, ego hodie genui te. 173.A.2.
PSAL. 6.
Domine ne in furore tuo arguas me &c. miserere mei Domine quoniam infirmus sum. 815.C.1.
Anima mea turbata est valde. 814.A.2.
Laboravi in gemitu meo lavabo per singulas noctes lectum meum. 460.A.2.& 815.C.1.
PSAL. 8.
Omnia subjecisti sub pedibus ejus &c. volucres cæli & pisces maris &c. 754.D.2.
PSAL. 9.
Quæretur peccatum illius & non invenietur. 802.A.2.
Non dereliquisti quærentes te Domine. 244.C.2.
PSAL. 15.
Deus &c Bonorum meorum non eges. 483.C.1.
Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. 617.A.2.
Non derelinques animam meam in inferno. 170.A.1.& 171.E.2.& 173.A.2.
PSAL. 17.
Clamaverunt nec erat qui salvos faceret; ad Dominum nec exaudivit eos. 430.B.2.
Filij alieni mentiti sunt mihi. 476.E.1.
PSAL. 18.
Lex Domini immaculata. 208.E.2.
Delicta quis intelligit. 492.C.1.
Ab alienis parce servo tuo. 476.E.1.
PSAL. 21.
Verba delictorum meorum. 73.A.1.
Ego autem sum vermis & non homo,opprobrium hominum & abjectio plebis. 6.C.2.
Clamabo per diem & non exaudies. 97.E.2.
Foderunt manus meas & pedes meos. 155.A.2.
PSAL. 24.
Universæ viæ Domini,misericordia & veritas. 806.D.2.
Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. 163.C.2.
Requirentibus testamentū ejus & testimonia ejus.807.E.1.
PSAL. 29.
Deus factus est adjutor meus. 13.A.2.
PSAL. 30.
In te Domine speravi &c. 50.D.2.
PSAL. 31.
Quoniam tacui,inveteraverunt ossa mea. 460.A.2.
Delictum meum cognitum tibi feci. 489.E.1.
Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino. 460.A.2.& 477.C.1.& 486.A.1.
PSAL. 32.
Et omnia opera ejus in fide. 50.C.2.
PSAL. 33.
Diverte à malo,& fac bonum. 458.D.1.
Juxta est Dominus his qui tribulatio sunt corde, 462.C.1.
PSAL. 34.
Quæ ignorabam interrogabant me &c. congregata sunt super me flagella & ignoravi. 60.D.2.
PSAL. 35.
Homines & jumenta salvabis Domine. 43.C.1.
PSAL. 37.
Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. 446.D.2.
Iniquitatem meam annuntiabo & cogitabo pro peccato meo. 424.C.2.
PSAL. 38.
Priusquam abeam & amplius non ero. 757.C.2.
PSAL. 39.
Ego mendicus sum & pauper. 146.A.2.
PSAL. 44.
Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem,propterea unxit te Deus,Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. 31.D.2.& 32.A.2.& 48.B.2.
Astitit Regina à dextris tuis. 185.A.1.
PSAL. 45.
Transferentur montes in cor maris. 170.C.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



PSAL. 49.
Ignis in conspectu ejus exardescet. 755.A.2.
Dominus noster manifestè veniet & non silebit. 5.E.2.& 782.D.1.
Sacrificium laudis honorificabit me. 370.E.1.
PSAL. 50.
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, &c. Tibi soli peccavi & malum contra te feci, &c. 422.E.2.& 460.B.2.& 495.D.2.
Cor mundum crea in me Deus. 202.B.2.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus. 370.E.1.
Cor contritum & humiliatum Deus non despicies, &c. 460.B.2.
PSAL. 57.
Lætabitur justus cum viderit vindictam. 793.A.1.
PSAL. 59.
Quia vana salus hominis. 101.D.2.
PSAL. 64.
Inhabitabit in atrijs tuis. 42.D.2.
PSAL. 67.
Ascendisti in altum cepisti captivitatem. 80.E.1.
PSAL. 68.
Et dorsum eorum semper incurva. 753.A.2.
PSAL. 71.
Reges Arabum & Saba dona adducent. 235.A.2.
Dabitur ei de auro Arabiæ. ibid.
PSAL. 76.
Cogitavi dies antiquos & scopebam spiritum meum. 477.D.1.
Aut obliviscetur misereri Deus ; aut continebit in ira sua misericordias suas. 806.E.2.
PSAL. 77.
Cum occideret eos, quærebant eum. 171.A.2.
Spiritus vadens & non rediens. 757.C.2.
PSAL. 78.
Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. 446.C.2.
Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. 163.C.2.
PSAL. 87.
Repleta est malis anima mea. 71.D.2.
PSAL. 88.
Quis est homo qui vivet & non videbit mortem. 764.A.2.
PSAL. 90.
Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. 743.A.2.
Conculcabit leonem & draconem. 295.E.2.
PSAL. 94.
Quibus juravi in ira mea : si introibo in requiem meam. 437.C.2.
PSAL. 96.
Ignis ante ipsum præcedet. 755.A.2.& 757.E.1.
PSAL. 98.
Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus. 614.A.1.
PSAL. 100.
Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam. 22.D.1.
PSAL. 101.
Cæli peribunt &c. 756.A.1.
PSAL. 102.
Non in perpetuum irascetur. 803.C.2.
PSAL. 103.
Lætabitur Deus in operibus suis. 19.A.1.
PSAL. 105.
Fecerunt virtutem in Horeb, & adoraverunt sculptile, & mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, obliti sunt Deum, &c. 109.D.2.
PSAL. 106.
Contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit. 172.B.1.
PSAL. 108.
In memoriam redeat iniquitas patrum ejus. 446.B.2.
PSAL. 109.
Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. 98.B.2.& 100.D.2. & 101.B.1.& 370.A.1.& 371.A.2.
Sede à dextris meis, donec ponam inimicos &c. 120.D.2.
PSAL. 113.
Simulachra gentium argentum & aurum. 110.A.1.
PSAL. 115.
Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo. 289.A.1.
PSAL. 118.
Redime me à calumnijs hominum. 165.A.2.
A judicijs tuis timui, &c. 429.E.2.
PSAL. 120.
Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. 766.A.1.
PSAL. 126.
Cum dederit dilectis suis somnum ecce hæreditas Domini. 809.E.1.& 811.E.1.
PSAL. 128.
De quo non implevit manum suam, qui metit & sinum suum qui manipulos colligit. 357.C.2.
PSAL. 129.
Copiosa apud eum redemptio. 12.C.1.
Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus. 165.B.2.
PSAL. 131.
De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. 124.E.1.
PSAL. 137.
In conspectu Angelorum psallam tibi. 743.A.2.
PSAL. 139.
In miserijs non subsistent. 803.C.2.
PSAL. 144.
Suavis Dominus viventis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. 704.E.2.
PSAL. 149.
Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. 731.A.2.
Ut faciant judicium, conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis ejus. 782.E.2.
PSAL. 150.
Omnis spiritus laudet Dominum. 800.E.1.

*EX PROVERBIIS.*

CAP. 1.
Tunc invocabunt me & non exaudiam. 430.B.2.
CAP. 3.
Lignum vitæ est his qui apprehenderunt eam. 194.E.2.
CAP. 4.
Filius sui Patris mei tenellus & unigenitus coram matre mea. 270.E.1.
CAP. 8.
Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum. 295.E.2.
Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. 16.D.1.
Deliciæ meæ esse cum filijs hominum. 16.A.2.
CAP. 9.
Excidit columnas septem. 231.A.1.
Bibite vinum quod miscui vobis. 295.E.2.
CAP. 10.
Universa delicta operit charitas. 196.C.1.& 433.C.2.



CAP. 12.
Non contristabit justum quidquid ei acciderit. 814.B.2.
CAP. 16.
Universa propter semetipsum operatus est Dominus. 17.C.2.
CAP. 18.
Qui tenet adulteram, stultus est & impius. 712.B.2.
CAP. 28.
Beatus homo qui semper est pavidus. 75.C.2.

*EX ECCLESIASTE.*

CAP. 1.
Terra in æternum stat. 756.C.1.
CAP. 2.
Dixi vadam & affluam delitijs : & vidi quod hoc quoque esset vanitas. 489.E.1.
CAP. 3.
Didici quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum. 756.C.1.& 789.C.1.
CAP. 7.
Melior est patiens arrogante.
CAP. 9.
Mortui nihil noverunt amplius, nec habent, vitra mercedem qua oblivioni tradita est memoria eorum : Amor quoque & odium & invidia simul peribunt, nec habent partem in hoc sæculo nec in opere quod sub sole geritur &c. 735.A.1.& 743.D.1.
Quodcunque potest facere manus tua instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos quo tu properas. 735.A.1.& 751.E.1.& 809.B.1.
CAP. 11.
Mitte panem tuum super transeuntes aquas quia post tempora multa invenies illum. 727.D.2.
Lignum &c. in quocunque loco ceciderit, ibi erit. 804.D.1. 809.E.1.
CAP. 12.
Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium. 785.A.1.

*EX CANTICO CANTICORUM.*

CAP. 5.
Una est columba mea. 144.B.2.

*EX LIB. SAPIENTIÆ.*

CAP. 1.
Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet factum. 144.A.2.
CAP. 2.
Morte turpissima condemnemus eum. 154.E.2.
Nescierunt sacramenta Dei. 187.A.1.
CAP. 3.
Fulgebunt justi & tanquam scintillæ in arundine te discurrent. 777.D.2.& 778.D.1.
Judicabunt nationes. 782.D.2.
Justorum animæ in manu Dei sunt. 809.A.2.
CAP. 4.
Condemnat Justus mortuos, vivos impios. 382.D.2.
Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 782.A.2.
CAP. 5.
Videntes turbabuntur timore horribili &c. 778.D.2.& 803.E.1.
Pœnitentiam agentes. 801.A.2.
Justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. 493.D.1.
Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt. 803.E.1.
CAP. 6.
Exiguis conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. 806.E.2.
CAP. 7.
Quam sine fictione didici, & sine injuria communico & honestatem illius non abscondo. 149.D.2.
CAP. 11.
Misereris omnium Domine. 805.D.1.& 806.E.2.
CAP. 13.
Aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem aut girum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt. 110.A.1.
CAP. 14.
Nunc tanquam Deum colere cæpit. 110.A.1.
CAP. 16.
Creatura tibi factori deserviens. 94.B.1.
CAP. 18.
Cum quietum silentium contineret omnia & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosilijt. 289.A.2.

*EX ECCLESIASTICO.*

CAP. 1.
Qui sine timore est non poterit justificari. 197.C.1.
CAP. 2.
Nullus speravit in Domino & confusus est. 244.C.2.
CAP. 3.
Ignem ardentem extinguit aqua & eleemosyna resistit peccatis. 196.C.1.& 808.B.1.
Qui amat periculum in illo peribit. 499.B.1.
CAP. 4.
Non confundaris confiteri peccata tua, &c. 495.C.2.
CAP. 5.
De propitiato peccato noli esse sine metu. 480.C.2.
Non tardes converti ad Dominum & ne differas de die in diem. 481.E.2.
CAP. 7.
Mortuo non prohibeas gratiam. 735.E.1.
CAP. 8.
Sciens quoniam omnes morimur. 764.A.2.
CAP. 11.
Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundùm vias suas. 186.A.1.& 353.B.1.& 353.E.2.
CAP. 18.
Ne verearis usque ad mortem justificari. 814.B.1.
CAP. 20.
Sapientia abscondita & thesaurus invisus ; quæ utilitas in utrisque. 134.D.2.
CAP. 24.
Quasi balsamum non mixtum odor meus. 275.A.2.
Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt adhuc sitient. 359.B.2.
Penetrabo omnes inferiores partes terræ. 170.D.2.
Illuminabo omnes sperantes in Domino. 172.E.2.
CAP. 26.
Omnis autem ponderatio, non est digna continentis animæ. 50.A.1.
CAP. 34.
Dona iniquorum non probat altissimus. 540.A.1.
Qui baptizatus à mortuo, & iterum tangit eum quid proficit lavatio illius. 215.C.3.& 216.E.1.
CAP. 40.
Occupatio magna creata est omnibus hominibus & jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. 437.A.2.
CAP. 44.
Translatus est in paradisum ut det gentibus pœnitentiam. 751.B.2.& 752.C.1.
CAP. 48.
Qui scriptus es in judicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium & restituere tribus Jacob. 752.C.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## EX ISAIA.

CAP. 1.

Cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui. 133.B.1.
Lavamini mundi estote. 262.E.1.& 460.E.1.
Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: etsi fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. 430.E.2.
Vinum tuum mistum est aqua. 295.A.2.
Quiescite agere perversè, discite bene facere. 458.D.& 460.E.1.& 460.C.2.& 464.E.2.& 481.C.1.

CAP. 2.

Et erit in novissimis diebus &c. & fluent ad eum omnes gentes. 5.E.2.
De Sion exibit lex & verbum Domini de Jerusalem. 269.A.1.
Non levabit gens contra gentem gladium, & non exercebuntur ultra ad prælium. 133.D.1.

CAP. 3.

Dominus ad judicandum veniet cum senibus populi sui & principibus ejus. 787.A.1.

CAP. 7.

Ecce virgo concipiet & pariet filium. 6.C.1.& 119.C.2.
Butirum & mel comedet. 87.B.2.& 129.C.1.

CAP. 8.

Antequam sciat puer vocare Patrem suum & matrem suam, 71.C.2.
Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. 476.C.2.

CAP. 9.

Jugum enim oneris ejus & virgam humeri ejus & Sceptrum exactoris ejus superacti. 10.A.1.
Nobis datus. 56.D.1.
Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis &c. & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus 60.E.2.

CAP. 10.

Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris reliquiæ salvæ fient. 6.D.2.

CAP. 11.

Requiescet super eum spiritus Domini. 48.D.2.
Erit fides cinctorium renum ejus. 50.C.2.

CAP. 12.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. 205.D.2.

CAP. 14.

Cedentem populos in indignatione, plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. 10.A.1.
Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, 800.C.1.

CAP. 20.

Vadens nudus & discalceatus. 145.D.2.

CAP. 22.

Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini dicit Dominus exercituum, 430.C.2.

CAP. 24.

Claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur, 803.C.2.

CAP. 26.

Morientes non vivant, gigantes non resurgant, 759.A.1.
Misereamur impio &c. non videbit gloriam Domini. 787.C.2.
Cum conversus, ingemueris, tunc salvus eris, 27.C.1.
Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, 786.E.2.& 788.C.2.
Nutrimenta ejus ignis & ligna multa. 799.A.2.

CAP. 33.

Spinæ congregatæ igni comburentur, 721.E.2.
Dominus legifer noster, 99.E.2.
Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis, 804.C.1.

CAP. 34.

Liber complicatus, 754.E.1.

CAP. 37.

Antequam matureſceret exaruit, 120.B.2.

CAP. 38.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, 424.D.2.& 462.C.1.

CAP. 40.

Loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam, quoniam impleta est malitia ejus: dimissa est iniquitas illius, 436.C.2.
Assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, 777.D.2.
Cui similem fecistis Deum aut quam imaginem ponetis ei, 111.C.1.

CAP. 42.

Non erit tristis neque turbulentus, 75.B.2.

CAP. 43.

Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris, 495.D.2.
Simul obdormient, nec resurgent, 759.A.1.

CAP. 44.

Plastæ Idoli omnes nihil sunt & amantissima eorum, non proderunt eis. 110.A.1.

CAP. 45.

Verè tu es Deus absconditus, 782.D.1.

CAP. 49.

Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, 94.D.1.

CAP. 50.

Corpus meum dedi percutientibus, 43.E.2.

CAP. 52.

Mundamini qui fertis vasa Domini, 216.C.2.
Ecce intelliget servus meus, 94.D.1.& 46.B.1.

CAP. 53.

Vidimus eum & non erat aspectus, 6.C.2.
Nos putabamus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum, 70.E.1.
Vulneratus est propter iniquitates nostras attritus est propter scelera nostra, 19.E.2.& 71.A.1.& 74.C.1.
Oblatus est quia voluit, 87.C.1.& 16.A.1.
Eo quod iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore ejus, 70.C. .& 100.D.2.
Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longevum, 14.A.2.& 91.D.1.
Pro eo quod laboravit anima ejus videbit & saturabitur, 91.D.1.

CAP 55.

Derelinquat impius viam suam & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum quoniam multus est ad ignoscendum, 341.A.1.

CAP. 56.

Et dabo illis nomen melius à filijs & filiabus. 795.E.1.

CAP. 58.

In die jejunij vestri invenietur voluntas vestra, 540.A.1.

CAP. 59.

Rugiemus quasi ursi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus, 477.E.2.

CAP. 60.

Tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur, 6.A.1.

Inunda-



Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes. 135.B.2.
Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem. 788.C.2.
Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur. 788.C.1.

CAP. 61.

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me. 48.B.2.
Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde. 475.C.2.
Et prædicarem captivis indulgentiam. 565.B.1.
Vos autem sacerdotes Domini vocabimini. 611.E.2.

CAP. 63.

Conculcavi populos in furore meo, & inebriavi eos in indignatione mea. 67.E.1.
Abraham nescivit nos. 744.E.1.
Tu Domine Pater noster, redemptor noster &c. 165.C.2.

CAP. 65.

Ecce ego creo cælos novos & terram novam. 787.E.2.

CAP. 66.

Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi. 391.C.1.
Antequam parturiret peperit. 120.B.2.& 132.E.1.
Dominus in igne veniet. 66.& 755.A.2.
Assumam ex eis sacerdotes. 611.E.2.
Et egredientur & videbunt cadavera virorum. 792.D.1.
Iniquus qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidit. 216.C.2.

## EX IEREMIA.

CAP. 1.

Confusi sunt domus Israel, ipsi & reges eorum principes & sacerdotes, & prophetæ eorum dicentes ligno. Pater meus es tu; & lapidi: tu me genuisti. 110.A.1.

CAP. 7.

Noli orare pro populo hoc &c. quia non exaudiam te. 30.B.2.

CAP. 8.

Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, quod feci. 477.C.1.

CAP. 11.

Non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia. 60.D.2.

CAP. 14.

Cum jejunaverint non exaudiam preces eorum. 430.B.2.

CAP. 15.

Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, ejice illos à facie mea, & egrediantur. 430.B.2.& 747.E.2.

CAP. 17.

Recedentes à te in terra scribentur. 150.D.1.

CAP. 18.

Revertatur unusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras & studia vestra. 481.C.1.
Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras. ibid.

CAP. 25.

Judicium Domini cum gentibus. 785.E.1.

CAP. 31.

Converte me Domine & convertar quia tu Dominus Deus meus, postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam. 426.C.1.& 429.B.1.
Creavit Dominus novum super terram. 35.E.2.
Fœmina circumdabit virum. 129.B.1.

CAP. 32.

Eme agrum argento. 618.B.1.

CAP. 33.

Levitæ & sacerdotes ministri mei. 611.E.2.

CAP. 37.

Et misit Rex Sedecias &c. ad Jeremiam Prophetam dicens, ora pro nobis Dominum Deum nostrum. 745.B.1.

CAP. 51.

Fugite de medio Babylonis. 22.D.1.

## EX THRENIS IEREMIÆ.

CAP. 5.

Converte nos ad te Domine & convertemur. 429.B.1.

## EX BARUCH.

Hic est Deus noster. 60.E.2.
Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. 6.D.1.& 43.A.1.& 60.E.2.& 145.A.2.

CAP. 6.

Videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos & ligneos &c. 110.A.1.

## EX EZECHIELE.

CAP. 6.

Displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt. 424.C.2.& 443.C.2.
Contrivi cor eorum fornicans & recedens à me. 429.B.1.

CAP. 9.

Vas interfectionis. 205.C.2.

CAP. 11.

Auferam cor lapideum de carne eorum. 462.C.1.

CAP. 18.

Et ad mulierem menstruatam non accesseret. 662.E.1.
Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est &c. vita vivet & non morietur. Omnium iniquitatem ejus quas operatus est, non recordabor. 431.A.2.& 464.E.2.& 477.D.1.& 486.B.1.& 809.A.2.
Omnes injustitiæ ejus non recordabuntur. 446.A.2.
Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. 431.A.1.& 464.E.2.

CAP. 33.

Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit. 451.B.2.

CAP. 34.

Quod infirmum fuit non consolidasti: quod ægrotum non sanasti. 512.E.1.
Et suscitabo super eas pastorem unum. 133.A.1.
Servus meus David princeps in medio eorum. 94.D.1.

CAP. 36.

Effundam super vos aquam mundam. 235.C.1.& 239.B.2.
Et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. 262.E.1.

CAP. 37.

Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis. 758.A.1.

CAP. 44.

Porta hæc clausa erit; non aperietur. 120.E.1.
Tondentes attondent capita sua. 616.E.2.
Sacerdotes, viduam & repudiatam non accipient uxores &c. sed & viduam, quæ fuerit vidua à sacerdote, accipient, 725.E.2.

## EX DANIELE.

CAP. 2.

Quorum non est cum hominibus conversatio. 145.A.2.
Ipse mutat tempora, & ætates. 136.B.2.

CAP. 3.

Neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham &c. 746.D.1.

CAP. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Cap. 4.
Peccata tua eleemosynis redime. 11.C.1.& 165.E.2.& 537.C.2.& 808.C.1.
Cap. 5.
Laudabant Deos suos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque & lapideos. 110.A.1.
Cap. 6.
Non pervenerunt usque ad pavimentum, donec acciperent eos leones. 120.C.2.
Cap. 7.
Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli ejus quasi lana munda. 111.B.2.
Judicium sedit. 782.E.2.
Libri aperti sunt. 780.D.1.
Ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat. 782.
Cap. 9.
Ut consumeretur prævaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas. 16.C.2.
Et ungatur Sanctus sanctorum. 48.C.2.
Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem. 6.C.1.
Cap. 11.
Auferent juge sacrificium. 370.C.2.
Deum patrum suorum non reputabit: & erit in concupiscentijs fœminarum. 748.D.2.& 748.C.1.
Qui magnificabitur adversus omnem Deum. 749.A.1.
Cap. 12.
Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt. 758.A.1. & 759.C.2.
Beatus qui exspectat & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. 763.E.1.
Qui ad justitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. 796.E.2.
Cap. 13.
Constituti sunt de populo duo senes judices in illo anno. 133.D.2.

EX OSEE.

Cap. 1.
Voca nomen ejus absque misericordia. 753.B.2.
Cap. 2.
Et sponsabo te mihi in fide. 50.C.2.
Cap. 3.
Revertentur & quærent Dominum Deum suum & David Regem suum. 133.A.1.
Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege & sine principe, & sine sacrificio & sine altari &c. & post hæc revertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum. 753.C.2.
Cap. 6.
In die tertia suscitabit nos. 173.A.2.& 173.E.2.
Misericordiam volo & non sacrificium. 196.A.2.
Cap. 11.
Ex Ægypto vocavi filium meum. 102.C.2.& 140.B.2.& 393.A.1.
Cap. 13.
Ero mors tua ô mors. 172.B.1.
Morsus tuus ô inferne. 172.B.1.

EX JOEL.

Cap. 2.
Ante faciem ejus ignis vorans. 755.A.2.
Magnus enim dies Domini & terribilis valde. 754.D.1.
Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & in fletu & in planctu. 424.C.2.& 460.A.2.
Scindite corda vestra & non vestimenta vestra. 543.A.1.
Præstabilis super malitia. 431.A.1.
Reddam vobis annos quos comedit locusta. 451.B.2.
Cap. 3.
Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat & disceptabo cum eis &c. consurgant & ascendant gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes, in circuitu. 782.D.1.& 785.D.1.
Dominus de Sion rugiet & de Jerusalem dabit vocem suam. 782.A.2.

EX AMOS.

Cap. 1.
Super tribus sceleribus Gaza, & super quatuor non convertam eum. 430.C.2.& 753.B.2.
Cap. 3.
Odite malum & diligite bonum. 465.A.1.
Cap. 5.
Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi. 109.E.2.
Cap. 6.
Vasa cantici. 205.C.2.

EX JONA PROPHETA.

Cap. 3.
Prædicaverunt jejunium & vestiti sunt saccis &c. 424. D.2.& 458.D.2.& 543.A.1.

EX MICHÆA.

Cap. 2.
Congregatione congregabo Jacob totum te, in unum conducam reliquias Israel. 6.A.1.
Cap. 4.
Dole & satage filia Sion quasi parturiens. 477.E.2.
Cap. 5.
Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. 132.E.2.
Auferam equos tuos de medio tui. 22.D.1.
Cap. 7.
Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. 262. C.2.

EX NAHUM.

Cap. 1.
Non vindicabit bis in idipsum. 447.C.2.

EX HABACVC

Cap. 3.
In medio duorum animalium cognosceris. 133.B.1.

EX SOPHONIA.

Cap. 1.
Scrutabitur Jerusalem in lucernis. 785.A.1.
Cap. 3.
Expecta me dicit Dominus in die resurrectionis meæ in futurum. 173.A.2.

EX ZACHARIA.

Cap. 3.
Adducam servum meum orientem &c. & auferam iniquitatem terræ illæ illius, in die una. 16.C.2.& 94.D.1.
Cap. 4.
Septem lucernæ super candelabrum. 231.A.1.
Cap. 9.
Ecce rex tuus veniet tibi, justus & Salvator, ipse pauper & ascendens super asinam & pullum filium asinæ. 6. C.2.
Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. 170.C.1.
Cap. 12.
Aspicient ad me, quem confixerunt. 786.B.2.
Cap. 13.
In illa die erit fons patens domui David & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ. 205. B.2.& 235.C.1.
Cap. 14.



Cap. 14.
Non erit lux, sed frigus & gelu. 798.E.2.

EX MALACHIA.

Cap. 1.
Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra ab ortu enim solis usque ad occasum; magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sanctificatur & offertur nomini meo, oblatio munda. 370.A.2.& 393.B.1.
Si Pater ego sum. 583.B.2.& 744.B.1.
Cap. 2.
Mittam in vos egestatem. 368.E.1.
Maledicam benedictionibus vestris. 215.C.2.
Labia sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore ejus quia Angelus Domini exercituum est. 599. E.1.
Uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. 725.C.1.
Cum odio habueris dimitte dicit Dominus. 724.D.2.
Cap. 4.
Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. 752.A.1.
Convertet cor Patrum ad filios &c. 753.C.2.
Ne forte veniam & percutiam terram anathemate. 752. B.1.

EX LIB. I. MACHABÆORUM.

Cap. 2.
Circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israel. 259.E.1.& 261.D.1.& 270. D.1.
Cap. 10.
Et induit se Jonathas stola sancta. 134.A.1.
Cap. 12.
Jonathas summus sacerdos. 134.A.1.
Cap. 14.
Anno tertio sub Simeone sacerdote magno. 134.A.1.
Cap. 16.
Estote loco meo & fratres mei, & egressi pugnate pro gente nostra. 134.C.1.

EX LIB. II. MACHABÆORUM.

Cap. 7.
Contigit septem fratres una cum matre sua apprehensos compelli à rege edere contra fas carnes, porcinas, flagris & taureis cruciatos. 246.C.1.
Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. 758.A.1.& 769.E.2.
Cap. 9.
Orabat hic scelestus Dominum à quo non esset misericordiam consecuturus. 433.B.1.
Cap. 12.
Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare. 735.E.1. & 740.A.1.& 810.B.1.
Ut à peccatis solvantur. 538.B.1.
Cap. 15.
Hic est qui multum orat pro populo & universa sancta civitate Jeremias propheta Dei. 746.E.1.

## Finis Authoritatum ex veteri Testamento.



AUTHO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

# AUTHORITATES
## EX NOVO TESTAMENTO.

### EX MATTHÆO.

CAPUT I.

ANTEQUAM convenirent, inventa est in utero habens &c. pag.120.A.2.& 122. B.1.
Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.35.E.2.& 44.D.1.& 119.B.1.& 261.C.2.
Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. 26. A.1.
Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo &c. 119.D.2.
Ecce Virgo in utero habebit,& pariet filium. 6.C.1.
Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. 121.A.2. & 122.D.1.
Non cognoscebat eam,donec peperit. 120.C.2.

CAP. 2.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam. 135.A.1.
Ubi est qui natus est Rex Judæorum vidimus enim stellam ejus. 137.A.1.
Et tu Bethleem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. 132.E.2.
Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos. 138.D.1.
Qui cum recussissent. 237.D.2.
Et intrantes domum invenerunt puerum, cum Maria matre ejus. 138.A.1.
A bimatu & infra secundùm tempus quod exquisierat à Magis. 136.D.2.

CAP. 3.

Pœnitentiam agite. 424.D.1.& 433.E.1.
Baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua. 260.A.2.
Quis demonstrabit vobis fugere à ventura irâ? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. 535.A.2.
Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. 233.D.1.& 243.A.1.
Paleas autem comburet igni inextinguibili. 733.C.1.& 804.A.1.
Sic enim decet nos implere omnem justitiam. 143.A.1.
Vidit spiritum Dei descendentem,sicut columbam. 144. E.1.
Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. 49.B.2.

CAP. 4.

Dic ut lapides isti panes fiant &c. mitte te deorsum &c. ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum & dixit &c. 147.E.2.
Tunc reliquit eum diabolus. 148.C.2.

CAP. 5.

Beati pauperes spiritu. 811.D.2.
Beati mites &c. 785.C.1.
Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. 359.B.2.
Beati misericordes &c. 785.C.1.
Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. 785. C.1.& 789.E.1.& 808.B.1.
Beati pacifici. 785.C.1.
Sic luceat lux vestra coram hominibus. 797.E.1.
Qui fecit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum. 375.E.2.
Si offers munus tuum. 482.C.1.
Reus erit gehennæ ignis. 733.E.2.
Ego autem dico vobis. 99.C.2.
Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa facit eam mœchari. 707.C.2.& 711.A.2.& 713. B.2.& 714.B.1.& B.2.
Qui dimissam duxerit adulterat. 725.B.2.
Donec reddas novissimum quadrantem. 705.B.1.
Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. 215.C.1.

CAP. 6.

Receperunt mercedem suam. 542.E.1.
Scit enim Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis eum. 120.B.2.
Dimitte nobis debita nostra. 443.E.1.& 537.C.1.
Si non dimiseritis hominibus peccata eorum nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. 445.D.2.& 464.B.2.
Non poterat ibi virtutem ullam facere. 150.D.2.

CAP. 7.

Omnis qui petit, accipit. 235.D.1.
In ignem mittetur. 733.E.2.

CAP. 8.

Domine puer meus jacet in domo paralyticus. 49.D.1.
Jesus miratus est. 75.D.2.
Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores. 102. D.2.
Ipse infirmitates nostras accepit & ægrotationes nostras portavit. 70.A.2.
Filius hominis non habet ubi caput reclinet. 145.E.1.

CAP. 9.

Confide filij,remittuntur tibi peccata tua. 429.B.1.
Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. 19.A.2.& 20.E.2.& 338.C.2.
Non veni vocare justos sed peccatores. 338.C.2.
Videte ne quis sciat. 68.C.2.
Illi autem exeuntes diffamaverunt, in tota terra illa. 68. C.1.

CAP. 10.

Qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor & & ego eum &c. 434.C.1.
Nolite possidere aurum &c.neque calceamenta. 145.E.2.
Estote simplices sicut columbæ. 144.A.2.
Omnis qui confitebitur me coram hominibus,confitebor & ego eum coram patre meo,qui in cælis est. 244.C.2.
Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam. ibidem.
Qui amat patrem aut matrem plusquam me non est me dignus. 466.B.2.477.E.2.
Nolite possidere aurum neque argentum. 617.B.2.
Nolite timere eos qui occidunt corpus,animam autem non possunt occidere. 742.D.2.



possunt occidere. 742.D.2.
Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. 770.C.2.
Nihil est opertum quod non revelabitur & occultum quod non scietur, 780.C.2.
Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit, 814. E.2.

CAP. 11.

Cæci vident,claudi ambulant, 150.A.2.
Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt, 145. B.2.
Etiam dico vobis & plusquam prophetam, 140.E.2.
Ipse est Elias qui venturus est, 751.E.1.
Tyro & Sidonei remissius erit in die judicij, 781.D.1.
Confitebor tibi pater. 495.B.2.
Patrem quis novit nisi filius,& cui voluerit filius revelare. 151.E.2.
Venite ad me omnes qui laboratis. 430.E.2.
Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud. 477.E.2.& 543.A.1.

CAP. 12.

Dominus enim est filius hominis, etiam sabbathi. 95. B.1.
Ecce puer meus,&c. 94.D.1.
Si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filij vestri in quo ejiciunt. 605.D.2.
Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis &c. 10.A.1.
Qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei,neque in hoc sæculo, neque in futuro. 144.C.2. & 810.E.1.
Signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. 150. C.2.
Sic erit filius hominis in corde terræ. 170.C.1.
Regina austri surget in judicio cum generatione ista & condemnabit eam. 781.D.1.
Ecce mater ejus & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. 118.A.1.

CAP. 13.

Non est propheta sine honore,nisi in patria sua. 52.A.1.
Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum. 304. D.1.
Simile est regnum cælorum fermento. 255.A.2.
Semen est Verbum Dei. 335.C.1.
Mittent eos in caminum ignis. 731.E.2.
Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum. 761.C.2.

CAP. 14.

Aspiciens in cælum benedixit & fregit. 96.A.1.
Non licet tibi habere eam(scilicet uxorem fratris tui. 690. B.1.

CAP. 15.

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. 102.D.2.
De corde exeunt cogitationes. 127.cap.1.
Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. 149.A.1.& B.2.
Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt. 149. B.1.& 209.A.1.
Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. 302.C.1.
Populus hic labijs me honorat. 401.B.2.

CAP. 16.

Et multa pati à senioribus & Scribis, & principibus sacerdotum,& occidi,& tertia die resurgere. 51.C.2.
Quem dicunt homines esse filium hominis &c.Tu es Christus filius Dei vivi. 103.D.2.
Assumens eum Petrus. 148.E.2.
Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis &c. 212.B.2.& 414.C.1.& 547.C.2.& 555. C.& D.2.
Quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis, 417.A.1.& 545.E.1.& 565.C.1.

CAP. 17.

Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. 49.B.1.& 102.D.2.
Et aperto ore ejus invenies staterem. 51.E.2.
Ergo liberi sunt filij. 95.C.1.
Assumpsit Jesus Petrum. 148.C.2.
Conversantibus eis in Galilæam. 144.D.1.

CAP. 18.

Venit enim filius hominis salvare quod perierat. 16.B.2.
Sic & Pater vester cœlestis faciet vobis, sinon dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. 446.C.1.
Omne debitum dimisi tibi. 448.D.1.
Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. 556.B.2.& 739.A.1.
Quorum remiseritis peccata. 545.C.1.

CAP.19.

Quod Deus conjunxit homo non separet. 677. C.1.& 704.B.2.& 707.B.2.
Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. 780. D.1.
Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem. 708.D.1.
Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ,& erunt duo in carne una. 708.D.1.
Itaque jam non sunt duo sed una caro. 723.D.2.
Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. 723.C.1.
Ab initio autem non fuit sic. 723.D.1.
Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa. 724.D.2.
Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudij & dimittere? quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. ibid.
In regeneratione &c. sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.758.D.1.&782. E.2.

CAP. 20.

Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis. 11.C.1.& 165.C.1.
Calicem quidem meum bibetis. 751.D.1.
Sedere autem ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. 185. B.1.
Opus bonum operata est in me, mittens enim unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. 740. D.2.

CAP.21.

Arefacta est continuo ficulnea. 153.A.1.
Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus suos. 153.D.1.&753.A.2.
Vidit hominem non vestitum veste nuptiali. 266.C.1.

CAP. 22.

Sicut Angeli Dei in cælo. 733.D.2.& 788.E.1.
In resurrectione enim neque nubent neque nubentur. 774. A.2.
Ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras. 802.A.2.

CAP. 23.

Si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. 114.B.2.

CAP. 24.

Refrigescet charitas multorum. 21.D.1.
Non relinquetur hic lapis super lapidem. 52.A.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illis, nolite credere, 302.D.1.
Multi pseudoprophetæ surgent, 305.A.2.
Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, 746.D.1.
Virtutes cæli commovebuntur, 287.A.2.
Ego sum Christus, 740.A.1.
De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum neque solus pater. 762.

Cap. 25.
Possidete paratum vobis regnum, 252.C.2.
Ne forte non sufficiat nobis & vobis, 537.C.2.& 567.D.2.
Statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris, 731.C.1.
Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus, 782.A.1.
Sedebit super sedem majestatis suæ. 783.A.1.
Cum venerit filius hominis in majestate sua & omnes Angeli ejus cum eo, 787.A.1.
Ibunt in supplicium æternum, 798.C 2.

Cap. 26.
Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, 21.C.2.& 75.A.1.
Tristis est anima mea usque ad mortem, 44.A.1.& 46.B.1.& 71.D.2.
Antequam gallus cantet ter me negabis, 52.A.1.
Si possibile est transeat à me calix iste, 75.E.1.89.E.1.& 97.E.1.
Non sicut ego volo, sed sicut tu, 86.E.1.
Cæpit contristari & mœstus esse, 89.C.2.
Bibite ex eo omnes, 295.B.1.& 318.D.2.& 355.A.2.
Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis, 302.D.1.
Non bibam amodo de hoc genimine vitis, 308.C.2.310.E.2.
Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. 363.C.1.
Donec illud bibam vobiscum in regno Patris mei, 363.C.1.
Videbitis filium hominis &c. venientem in nubibus cæli, 782.A.1.& 786.A.2.
Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille, 801.C.2.
Procidit in faciem suam orans, 26.A.1.
Iterum abijt & oravit dicens: Pater mi si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua, spiritus quidem promptus est, 155.E.2.

Cap. 27.
Non in die festo, 157.D.1.& 158.E.1.
Accepit Jesus panem, 290.D.1.
Sexta autem hora, &c. emisit spiritum, 160.C.1.

Cap. 28.
Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. 302.E.2.
Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, 65.B.2.
Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis, 99.D.2.
Vespere autem sabbathi quæ lucescit in prima sabbathi, 174.E.1.
Ite nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt, 180.C.1.
Aspicientes viderunt revolutum lapidem & Angelum sedentem, 100.C.1.
Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, 215.B.2.& 237.C.1.& 251.D.1. 258.D.2. 272.C.1. 594.A.2. 621.C.2.

MARCI.
Cap. 1.
Ego baptizavi vos aquâ, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto. 142.D.1.& 233.C.2.
Vidit spiritum tanquam columbam descendentem, 144.D.1.
Eratque cum bestijs, 145.E.1.
Scio qui sis Sanctus Dei, 151.D.2.
Pœnitemini & credite Evangelio. 458.B.2.

Cap. 3.
Alligavit fortem & domum ejus diripuit, 12.C.1.
Circumspiciens eos cum ira, 76.E.1.

Cap. 6.
Multi admirabantur in doctrinâ ejus dicentes, unde huic hæc omnia, 145.E.1.
Ne induerentur duabus tunicis, 145.C.2.

Cap. 7.
Neminem voluit scire & non potuit latere, 68.B.1.86.E.1.

Cap. 8.
Oportet filium hominis post tres dies resurgere, 143.B.2. 174.A.1.
Et cæpit videre, 152.C.2.

Cap. 9.
Profecti prætergrediebantur Galilæam, 24.
Elias cum venerit primo restituet omnia, 753.C.2.
Vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere, 786.E.2.
Vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur, 799.E.1.& 804.C.1.

Cap. 10.
Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor baptizari, 243.B.1.
Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit. Et si virum suum uxor dimiserit, & alij nupserit mœchatur, 714.B.1.& B.2.

Cap. 11.
Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem ut & Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra, quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra, 448.B.1.

Cap. 12.
Accipient prolixius judicium, 701.C.2.

Cap. 13.
De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo neque filius hominis, 61.D.2.& 762.C.2.
Quod vobis dico, omnibus dico. Vigilate, 358.B.1.
Nescitis quando Dominus domus veniat, sero an media nocte, an galli cantu, an mane, 763.D.2.

Cap. 14.
Cæpit pavere & tædere. 75.D.1.& 89.C.1.
Transfer calicem hunc à me, 89.E.1.
Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, 97.B.2.
Paremus tibi comedere pascha. 158.C.2.
Accepit Jesus panem, 290.D.1.
Jam non bibam de hoc genimine vitis &c. 290.D.1.& 295.C.1.& 297.B.2.
Biberunt ex eo omnes, 357.D.2.& 363.E.1.
Joseph mercatus sindonem, 363.E.1.
Erat parasceve quod est ante sabbathum, 159.B.1.

Cap. 16.
Surgens autem mane primâ sabbathi, 174.C.1.
Apparuit primò Mariæ Magdalenæ. 178.B.1.
De qua ejecerat septem dæmonia. 178.C.1.
Illa vadens nuntiavit eis qui cum eo fuerant lugentibus & & flentibus. Illi audientes quia viveret, & visus esset ab eâ, non crediderunt, 179.E.2.& 180.C.2.





Orto jam sole &c. dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti, 180.C.1.
Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, 180.C.1.
Assumptus est in cælum, 183.A.2.
Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur, 197.A.2.225.A.2.258.D.2.433.D.1.
Surrexit, non est hic, 317.C.1.

LUCÆ.
Cap. 1.
Spiritus sanctus superveniet in te & filius altissimi obumbrabit tibi, 35.E.2.& 52.E.2.
Quod ex te nascetur sanctum, 48.B.2.
Filius altissimi vocabitur &c. quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei, 103.D.2.& 122.B.2.& 125.A.2.
Ecce concipies, 117.D.1.
Quomodo fiet istud, 117.A.2.
Beata quæ credidisti, 117.E.1.
Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. 118.C.2.
Exultavit infans in utero ejus, 119.C.1.
Dominus tecum, 122.B.2.
Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum, 122.C.2.
Ecce concipies in utero & paries filium & vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus & filius altissimi vocabitur, 127.A.1.
Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me, 131.E.1.
Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum, 139.C.1.& 270.E.1.
Tu puer propheta altissimi vocaberis, 140.E.2.
Et impleti sunt dies officij ejus, 371.E.2.

Cap. 2.
Jesus proficiebat sapientiâ, 52.C.2.& 53.E.2.
Natus est vobis hodie Salvator, 56.D.1.
Tuam ipsius animam pertransibit gradius, 117.C.1.
Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse, 117.D.2.
Remansit puer Jesus in Hierusalem, 118.D.1.& C.1.
Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, 120.A.1.
Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem &c. & videntes admirati sunt &c. ecce Pater tuus & ego, 120.D.1.
Ascendit autem & Joseph cum Maria desponsata sibi uxore. 128.C.1.
Priusquam in utero conciperetur, 122.B.2.
Et hoc vobis signum, 123.E.2.
Ut describeretur universus orbis, 123.C.1.
Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini reverti sunt in Galilæam, 137.C.1.
Quia non erat ei locus in diversorio, 137.E.2.
Vidimus stellam ejus in oriente, 138.D.1.
Postquam consummati sunt dies &c. ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, 138.E.2.& 143.B.2.& 124.A.1.
Par turturum aut duos pullos columbarum, 139.B.2.
Fecerunt secundùm consuetudinem legis pro eo, 139.C.2.
Post triduum invenerunt puerum, 174 A.1.
Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo, 797 A.1.

Cap. 3.
Factum est verbum Domini super Joannem, & venit prædicare baptismum pœnitentiæ, 141.E.1.
Ego quidem aquâ baptizo &c. ipse baptizabit vos in Spiritu sancto, 141.B.2.
Erat incipiens quasi annorum triginta, 143.D.1.
Anno quinto decimo imperij Triberij Cæsaris, & ipse Jesus erat incipiens, 143.E.1.
Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba. 144.C.1.
Qui habet duas tunicas det non habenti, 145.D.2.
Et qui habet escas similiter faciat, 425.A.1.
Facite fructus dignos pœnitentiæ, 425.A.1.& 536.C.1.

Cap. 4.
Alijs civitatibus oportet me evangelizare; quia ideo missus sum, 332.D.2.
Jesus plenus Spiritu sancto, 52.C.2.
Exijt in montem orare, 96.A.1.
Regressus est à Jordane & agebatur à Spiritu in desertum, 147.B.1.
Diebus quadraginta tentabatur à diabolo, 148.A.2.
Duxit illum diabolus in montem excelsum, 148.D.2.

Cap. 5.
Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, 52.A.1.
Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus, 417.D.1.

Cap. 6.
Virtus de illo exibat & sanabat omnes, 66.B.2.
Non est discipulus supra magistrum, 617.B.2.
Mensuram bonam & confertam & cogitatâ & superfluentem dabunt in sinum vestrum, 807.D.2.

Cap. 7.
Propheta magnus surrexit in nobis, 25.A.1.& 41.D.1.
Remittuntur tibi peccata tua, 188.C.1.& 417.A.2.

Cap. 8.
Novi virtutem de me exivisse, 66.B.2.
Sequebantur eum mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis, 146.E.1.

Cap. 9.
Propheta de prioribus surrexit, 141.C.1.
Facta est species vultus ejus altera, & vestitus ejus albus & refulgens, ibid.

Cap. 10.
Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, 65.D.2.
Qui vos audit me audit, 688.C.1.

Cap. 11.
Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, 539.B.2.& 544.C.2.
Væ vobis legisperiti quia tulistis clavem scientiæ, 546.A.1.

Cap. 12.
Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, 449.E.2.
Capilli capitis vestri omnes numerati sunt, 809.C.2.

Cap. 13.
Non capit Prophetam perire extra Jerusalem, 160.D.2.
Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis, 430.E.1.& 808.C.1.

Cap. 14.
Qui non odit patrem & matrem non potest meus esse discipulus, 478.A.1.
Uxorem duxi, & ideo non possum venire, 626.A.1.

Cap. 15.
Jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenarijs tuis, 429.C.1.
Cito proferte stolam primam, 451.C.1.
Gaudiũ erit in cælo super uno peccatore pœnitentiã agente, quam super nonaginta novem justis, 451.E.1.& 743.A.2.
Pater peccavi in cælum & coram te, 489.E.2.

Cap. 16.
Omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur, 744.C.1.

Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, 731.B.1.
Ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum, 801.B.C.1.
Lex & Prophetæ usque ad Joannem, 141.A.1.
Audiebant omnia hæc Pharisæi qui erant avari, & deridebant eum, 430.C.1.
Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula, 538.B.1.

Cap. 17.

Si habueritis fidem sicut granum sinapis, 51.C.2.
Nonne decem mundati sunt,& novem ubi sunt? 266.C.1.
Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, 567.A.1.

Cap. 18.

Sinite pueros venire ad me, 258.C.1.

Cap. 19.

Venit enim filius hominis quærere & salvum facere quod perierat, 239.D.1.
Eris potestatem habens super decem civitates, 741.C.2.
Hodie salus huic domui facta est, 815.C.1.
Æquales Angelis, 741.B.2. & 762.A.2.
Deus autem non est mortuorum sed vivorum: omnes enim vivunt ei, 758.C.1.

Cap. 21.

Non relinquetur lapis super lapidem, 52.A.1.
Erunt in timore & expectatione eorum quæ supervenient, 754.D.1.

Cap. 22.

Dies azymorum in qua necesse erat occidi pascha, 158.C.1.
Appropinquabat festus Judæorum qui dicitur pascha, 158.C.2.
Si tu es Christus dic nobis, & ait illis si vobis dixero non credetis mihi, 163.A.1.
Hoc facite in meam commemorationem, 218.C.2.& 291.C.1.304.C.1.352.D.2.364.D.2.374.D.1.596.A.1.599.E.2.
Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, 339.D.1.& 355.C.2.371.C.1.
Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem, 358.C.1.
Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, 62.C.2.
Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa, 363.C.1.
Cum tetigisset auriculam ejus sanavit eum, 266.C.1.
Et accepto pane gratias egit, 290.D.1.
Hoc est corpus meum, 304.C.1. & 309.C.1.& 311.B.1.& 318.D.2.
Quod pro vobis tradetur, 333.D.2.
Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum, 10.A.1.& 95.D.1.
Apparuit autem illi Angelus Domini confortans eum, 54.C.2.
Non mea voluntas sed tua fiat, 86.D.2.
Transfer calicem istum à me, 89.C.1.
Et factus in agoniâ, 89.C.2.

Cap. 23.

Quando misi vos sine sacculo & perâ & calceamentis, 146.B.1.
Ignosce illis, 97.D.2.
Postquam cænavit, 289.B.2.
Et revertentes paraverunt aromata & unguenta, 157.C.1.
Erat parasceve & sabbathum illucescebat, 159.A.1.
Numerabitis ab altero die sabbathi, 159.D.1.
Hodie mecum eris in paradiso, 167.A.1.

Cap. 24.

Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, 174.B.1.
Surrexit Dominus verò & apparuit Simoni, 179.A.2.
Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos,quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus venerunt dicentes,se etiam visionem Angelorum vidisse qui dicant eum vivere, 179.D.2.
Quid quæritis viventem cum mortuis? non est hic sed resurrexit, 180.D.1.
Oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam, 16.E.2.& 91.E.1.& 173.E.1.177.C.2.770.A.1.777.A.2.
Palpate & videte quia carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, 44.A.2. & C.2.
Videte manus meas & pedes quia ego ipse sum, 157.A.2.
Oportebat enim Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum, 137.E.2.

## JOANNIS EVANGELIUM.

Cap. 1.

Verbum caro factum est,1.C.1.& 6.D.1.24.C.1.25.B.1.33.D.2.27.A.2.43.E.2.75.E.1.81.B.1.303.D.2.
De plenitudine ejus omnes accepimus, 47.C.1. 52.B.2.53.A.1.52.D.2.103.D.2.&c.
Gratia & veritas per Jesum Christum facta est, 66.C.2.
Qui post me venturus est ante me factus est,

Cap. 2.

Solvite templum hoc &c. ille autem dicebat de templo corporis sui, 43.E.2.
Recordati sunt discipuli ejus quia scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me, 760.
Quid mihi & tibi est mulier, 118.B.1.
Hoc fecit initium signorum, 150.E.2.

Cap. 3.

Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, 18.B.2.& 15.A.1.
Quod natum est ex Spiritu spiritus est, 44.D.1.
Non enim ad mensuram dat Deus spiritum,48.D.2.& 53.A.2.
Nisi quis renatus fuerit, 99.C.2.& 142.D.1.& 197.C.2.226.D.1.234.D.1.275.A.1.244.A.2.251.B.1.258.E.1.266.E.2.351.B.2.
Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, 130.B.1.
Erat autem & Joannes baptizans &c. nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem, 141.B.1.

Cap. 4.

Quamvis Jesus non baptizaret,sed discipuli ejus, 233.B.2.
Qui bibent,ex aqua, 232.A.1.
Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate, 370.D.1.

Cap. 5.

Sed & patrem suum dicebat Deum æqualem se faciens Deo 23.E.1.& 25.A.1.
Non quæro voluntatem meam sed ejus qui misit me, 86.E.1.
Ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem, 107.C.1.& 185.E.1.
Pater omne judicium dedit filio, 185.D.1.
Pater non judicat quemquam, ibid.
Potestatem dedit ei judicium facere quia filius hominis est, 185.A.2.
Ecce sanus factus es jam noli peccare, 465.A.1.
Ego veni in nomine Patris mei & non accipitis me: si alius



alius venerit in nomine suo illum accipietis.477.B.1.& 748.E.2.& 753.A.2.
Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicij. 759.C.1.& 785.D.2.
Quando mortui audient vocem filij Dei. 761.B.2.
Pater non judicat quemquam. 786.E.1.
Qui verbum meum audit habet vitam æternam & in judicium non venit, sed transiet à morte ad vitam. 809.B.2.

Cap. 6.

Spiritus est qui vivificat,caro non prodest quidquam. 302.E.1.
Patres vestri manducaverunt manna in deserto & mortuo sunt qui manducat hunc panem vivet in æternum. 303.E.1.
Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. 303.A.2.& 337.C.2.
Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt. 305.B.2.
Pater meus dat vobis panem de cælo verum. 310.D.2.
Qui manducat me vivet propter me. 316.B.2.& 322.C.1.
Cum vidisset turba quia Jesus non esset ibi. 317.C.1.
Nisi manducaveritis. 352.D.2.555.A.2.
Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum. 354.C.1.
Qui manducat hunc panem vivet in æternum. 359.A.1.
Qui bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo. 359.A.1.
Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum &c. ego resuscitabo eum in novissimo die. 762.B.1.
Propterea dedit vobis Moyses circumcisionem, non quia ex Moyse est,sed ex patribus. 268.D.1.& 271.B.1.
Ego sum panis vivus qui de cælo descendi. 25.A.1.
Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. 197.B.2.
Nisi manducaveritis panem hunc & calicem &c. 334.D.1.& 288.B.2.& 351.B.2.
Nisi manducaveritis carnem filij hominis. 251.B.1.
Qui manducat hunc panem vivet in æternum. 285.C.2.
Durus est hic sermo & quis potest eum audire. 302.A.1.

Cap. 7.

Hic est verè propheta. 141.D.1.
Quomodo hic litteras scit cum non didicerit. 145.E.1.
Nondum erat spiritus datus quia Jesus nondum erat glorificatus. 173.E.2.& 233.D.1.
Totum hominem salvum fieri in Sabbatho. 265.C.2.

Cap. 8.

Moriemini in peccato vestro. 431.B.2.
Jam amplius noli peccare. 465.A.1.
Est qui quærat & judicet. 786.C.1.
Antequam Abraham fieret ego sum. 25.A.1.
Solus non sum sed ego & qui misit me Pater. 38.D.2.
Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. 58.B.1.
Scio eum & sermonem ejus servo. 58.B.1.
Qui veritatem vobis locutus sum. 70.C.2.
Quæ vidi apud Patrem loquor. 134.B.1.
Christus scribebat in terra. 150.C.1.
Abscondit se & exivit de templo. 152.B.1.

Cap. 9.

Procidens adoravit eum. 357.C.1.



Venit nox quando nemo potest operari. 802.A.2.& 814.A.1.
Quamdiu sum in mundo lux sum mundi. ibid.E.2.

Cap. 10.

Hoc mandatum accepi à Patre. 94.D.1.
Nemo tollet eam à me, sed ego eam pono à meipso. 100.A.1.& 161.A.2.
Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. 587.B.1.
Ego & Pater unum sumus. 25.A.1.
Animam meam pono. 46.B.1.
Quem Pater sanctificavit. 78.E.2.

Cap. 11.

Turbavit seipsum. 73.E.2.
Jesus elevatis sursum oculis dixit:Pater gratias ago tibi &c. 96.A.1.
Quæcumque poposceris à Deo dabit tibi Deus,ego autem sciebam quia semper me audis. 97.B.1.
Ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum. 102.C.2.
Expedit unum hominem mori pro populo. 167.B.2.
Non eram ibi. 317.C.1.
Infirmitas hæc non est ad mortem. 433.B.1.& 301.B.2.
Scio quod resurget in resurrectione in novissimo die. 758.& 762.B.1.

Cap. 12.

Princeps hujus mundi. 10.A.1.
Nunc anima mea turbata est. 71.D.2.
Non propter me hæc vox venit,sed propter vos. 145.B.1.
Cum tanta signa fecisset coram eis non credebant in eum 163.A.1.
Cum exaltatus fuero à terrâ omnia traham ad meipsum, 172.D.1.
Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. 186.A.1.

Cap. 13.

Cum ergo accepisset ille bucellam exivit continuò. 289.C.2.
Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. 104.C.1.
Cui intinctum panem porrexero. 263.C.1.
Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet. 443.B.2.
Sciens quia omnia dedit ei pater in manus. 65.D.2.
Surgens à mensâ posuit vestimenta sua. 145.C.2.& 289.B.2.
Ante diem festum paschæ. 157.D.1.& 158.B.1.
Quod facis, fac citius. 158.D.1.
Non habebis partem mecum. 231.C.1.
Exemplum enim dedi vobis. 231.A.2.

Cap. 14.

Quia pater major me est. 23.C.1.& 94.C.1.
Non creditis quia ego in patre & pater in me est. 38.D.2.
Quem mittet pater in nomine meo. 80.D.1.
Si diligitis me, mandata mea servate. 99.C.2.
Majora horum faciet. 151.D.1.
Rogabo patrem,& alium paracletum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum. 302.C.1.
In domo patris mei mansiones multæ sunt, 791.B.2.

Cap. 15.

Quem ego mittam vobis à patre. 80.D.1.
Sine me nil potestis facere. 93.A.2.
Si præcepta mea servaveritis. 99.C.2.
Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit,peccatum non haberent. 150.A.2.
Majorem hanc dilectionem nemo habet ut animam suam ponat pro omnibus. 244.A.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



CAP. 16.
Exivi à patre & veni in mundum. 25.A.1.
Non sum solus quia pater mecum est. 38.D.2.
Non noverunt patrem neque me. 163.B.1.
Relinquo mundum & vado ad patrem. 32.D.1.317.C.1.
CAP. 17.
Dedisti potestatem omnis carnis. 65.D.2.
Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi. 93.E.2.&97.D.2.
Pro eis ego sanctifico meipsum. 99.E.2.
CAP. 18.
Omnes abierunt retrorsum. 100.A.1.
In hoc natus sum & ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati. 130.B.1.
Ego palam locutus sum mundo &c. & in occulto locutus sum nihil. 149.C.2.
Non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. 159.E.1.
Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam. 155.E.1.
CAP. 19.
Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te. 95.C.1.
Consummatum est. 129.D.2.
Parasceve Paschæ. 157.E.1.
Os non comminuetis ex eo. ibid.
Hora quasi sexta. 160.C.1.
Exivit sanguis & aqua. 206.D.2.
Videbunt in quem transfixerunt. 186.A.2.
CAP. 20.
Nisi videro in manibus ejus figuram clavorum & mittam digitum meum in locum clavorum non credam. 155.A.2.
Infer digitum tuum huc & vide manus meas. ibid.
Et fores essent clausæ &c. venit Jesus. 175.B.2.
Infer digitum tuum huc & vide manus meas & affer manum tuam & mitte in latus meum. 170.
Cum esses junior cingebas te, ambulabas ubi volebas, cum autem senueris alius te cinget. 82.A.1.
Non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 180.E.1.
Abierunt discipuli ad semetipsos. ibid.
Maria stabat ad monumentum foris plorans, cum ergo fleret prospexit in monumentum & vidit duos Angelos in albis sedentes unum ad caput & unum ad pedes, ubi positum fuerat Corpus Jesu: dicunt ei Angeli, mulier quid ploras? Dicit eis quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. 180.A.1.
Thomas autem unus ex 12. qui dicitur Didimus non erat cum eis quando venit Jesus. 180.D.2.
Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis & quorum retinueritis retenta sunt. 197.D 2.212.B.2.215.B.1.
Sicut misit me pater & ego mitto vos. 215.A.1.505.A.1. 556.B.1.600.D.2.735.E.2.
CAP. 21.
Hoc jam tertiò manifestatus est Jesus discipulis suis. 179.B.2.
Pasce oves meas. 565.C.1.707.B.1.
Sic eum volo manere donec veniam. 290.D.1.291.E.2.

*ACTA APOSTOLORUM.*

CAP. 1.
Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit &, exivit inter nos Dominus Jesus incipiens à baptismate Joannis usque in diem quâ assumptus est à nobis testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. 160.A.2.
Per dies quadraginta apparuit discipulis suis. 179.C.2.& 213.B.2.& 495.D.1.
Nubes suscepit eum. 183.D.1.
Assumptus est in cœlum. 183.A.2.
Accipietis virtutem Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem. 180.A.2.
Præcipiens eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris. 281.E.2.
CAP. 2.
Dominum meum & Christum fecit Deus. 82.E.1.
Solutis doloribus inferni. 171.C.1.& 171.E.2.
David defunctus est & sepultus. 175.B.1.
Baptizetur unusquisque vestrum. 197.B.1.
Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. 237.C.2.& 238.E.1.& 255.B.2.& 267.B.2.& 280.A.2.
Baptizati sunt, & appositæ sunt in die illâ animæ circiter tria millia. 239.C.2.
Pœnitentiam agite. 258.
CAP. 3.
Et miserit eum qui prædicatus est vobis Jesum Christum. 6.D.1.
Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris; tanquam me ipsum audietis. 99.C.2.
Petrus & Joannes ascendebant in templum ad orationis nonam. 160.B.1.
Scio quia per ignorantiam feciftis, sicut & Principes vestri. 163.A.1.
Quem oportet cœlum suscipere. 183.A.2.
Usque in tempora restitutionis omnium. ibid.E.2.
Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. 274.B.1.
Argentum & aurum non est mihi. 357.C.2.
Qui habet clave David qui aperit & nemo claudit. 549.E.2.
CAP. 4.
Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. 8.C.2.
Manus & consilium Dei decreverunt fieri quæ Judæi fecerunt. 162.D.1.
CAP. 5.
Hunc principem & salvatorem Deus exaltavit dexterâ suâ ad dandam pœnitentiam Israeli & remissionem peccatorum. 426.C.1.
CAP. 6.
Plenus Spiritu sancto & sapientiâ. 152.E.2.
Nos autem orationi & ministerio Verbi instantes erimus. 371.E.1.
CAP. 7.
Et titulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum. 110.A.1.
Ecce video cælos apertos. 144.C.1.
Et proditores & homicidæ fuistis. 63.C.1.
Non excelsus in manufactis habitat. 391.C.1.
CAP. 8.
Venerat adorare in Jerusalem. 370.C.1.
Ecce aqua quid prohibet me baptizari, & descenderunt uterque in aquam. 225.C.1.
In nomine Jesu Christi baptizabantur viri & mulieres. 237.C.2.& 238.A.2.
Credo filium Dei esse jam Christum. 255.A.2.
Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum. 273.A.2.
Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum sanctum. 283.B.2.





CAP. 9.
Circumfulsit eum lux de cælo. 183.E.2.
Saule, Saule quid me persequeris. 384.C.1.
Apertis oculis nihil vidit. ibid.
Vas electionis. 285.C.2.
Imponens ei manus dixit: Saule frater &c. 280.C.1.& 283.A.2.
CAP. 10.
Unxit eum Deus Spiritu sancto & virtute. 48.B.2.
Petrus ascendit ut oraret circa horam sextam. 160.B.1.
Nunquid aquam quis prohibere potest ut non baptizentur hi. 235.C.1.& 251.E.1.
Cæcidit spiritus sanctus super omnes. 277.B.1.
Qui constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum. 784.C.2.
CAP. 11.
Vir bonus, & plenus Spiritu sancto & fide. 52.E.2.
In his autem diebus supervenerunt à Jerosolymis Prophetæ. 14.B.1.
Qui spititum sanctum receperunt sicut & nos. 245.C.2.
Cum cæpissent loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos. 277.B.1.
CAP. 12.
Volens post pascha producere eum populo. 152.D.2.
CAP. 13.
Qui habitabant Jerusalem & principes ejus hunc ignorantes & voces Prophetarum. 163.A.1.
Ministrantibus autem illis Domino. 371.E.2.
CAP. 14.
Cum constituissent illis presbyteros. 600.E.1.
CAP. 15.
Visum est Spiritui sancto & nobis. 611.B.2.
CAP. 16.
Et assumens circumcidit eum. 139.B.1.
Cum autem baptizata esset & domus ejus. 258.A.2.
CAP. 17.
Dominus non in manufactis templis habitat. 302.A.2.& 391.C.1.
CAP. 18.
Noli timere, sed loquere & non taceas, propter quod ego sum tecum. 32.B.2.
Insurrexerunt Judæi uno animo in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal. 162.C.2.
CAP. 19.
Super languidos deterrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia & recedebant ab eis languores & spiritus nequam egrediebantur. 114.E.1.
His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. 114.D.1.& 233.D.2.
Neque si Spiritus sanctus est audivimus. 238.D.1.
Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos. 493.C.1.
CAP. 20.
Regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine. 462.E.2.& 539.E.2.
Una autem sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem. 356.C.1.
In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos. 619.A.2.
CAP. 22.
Baptizare & abluere peccata tua. 197.C.2.& 545.D.1.
Pro me satisfaciam. 534.A.2.
CAP. 24.
Quam & ipsi expectant resurrectionem futuram justorum & iniquorum. 759.C.1.
CAP. 26.
Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum. 174.C.2.
Judæis & Gentibus annuntiabam ut pœnitentiam agerent & converterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes. 536.C.1.

*EPISTOLA AD ROMANOS.*

CAP. 1.
Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem. 44.C.2.& 106.A.1.& 124.E.1.
Qui prædestinatus est. 82.C.1.& 105.D.2.
Secundùm spiritum sanctificationis. 106.B.1.
Justus ex fide vivit. 197.E.1.
CAP. 2.
Justi gloriam & honorem & incorruptionem quærunt. 673.E.1.
Testimonium reddente illi conscientiæ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicabit Deus occulta hominum. 678.C.1.& 679.E.2.
Deus reddet unicuique secundùm opera sua. 807.B.1.
CAP. 3.
Per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum. 50.C.2.
Justificati gratis per gratiam ipsius. 93.A.2.
Justificati sumus per redemptionem quæ est in Christo Jesu. 166.C.1.
Ex operibus legis non justificabitur omnis caro. 309.A.2.
Per legem cognitio peccati. 208.B.2.
Justitia autem Dei, per fidem Jesu Christi. 258.C.1.
Quæ utilitas circumcisionis. 271.A.1.
CAP. 4.
Christus resurrexit propter justificationem nostram. 67.C.1.
Signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei. 197.B.2.& 268.B.2.
Reputata est Abrahæ fides ad justitiam. 270.E.2.
CAP. 5.
Non sicut delictum ita & donum; ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. 12.B.1.& 18.B.2.& 252.A.2.
Diffunditur charitas Dei in cordibus eorum. 48.B.2.
Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. 181.E.2.
Judicium ex uno in omnes in condemnationem. 784.D.2.
CAP. 6.
Christus resurgens à mortuis jam non moritur mors illi ultra non dominabitur. 44.B.1.
Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. 181.D.2.
In morte ipsius baptizati sumus. 262.A.2.
Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentijs vestris. 263.B.1.
Gratia Dei vita æterna. 288.E.2.
CAP. 7.
Lex enim sancta & mandatum sanctum & justum & bonum. 208.E.2.
Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. 262.E.1.
Mulier vivente viro alligata est legi. 707.C.2.& 714.C.1.& 720.C.1.
Si mortuus fuerit vir ejus liberata est à lege viri ut non sit adultera si fuerit cum alio viro. 715.D.2.
CAP. 8.
Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. 18.A.1.39.E.2.104.C.1.105.B.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Spes quæ videtur non est spes; nam quod videt quis sperat. 50.B.2.
Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati 68.D.2.
Sumus filij Dei. 102.D.1
Qui interpellat pro nobis. 96.D.2.
Vos autem in carne non estis. 767.E.2.

Cap. 9.

Non enim omnes qui ex Israelitis sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ omnes filij. 6.D.2.
Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen. 23.E.1.&25.B.1.& 61.A.1.
Adoptio filiorum. 102.D.2.
Qui filij sunt promissionis æstimantur in semine. 269. C.1.

Cap. 10.

Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. 96.E.1.
Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. 196. C.1.
Omnis qui crediderit in illum non confundetur, & omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. 243. B.
Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. 495.A.2.

Cap. 11.

Si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. 102. B.2.
Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. 425.B.1.& 434.D.1.
Cum plenitudo gentium intraverit: tunc omnis Israel salvus fiet. 753.C.2.
Ut omnium misereatur. 805.E.1.& 805.E.2.

Cap. 14.

Deus illum assumpsit. 39.B.2.
Omnes stabimus ante tribunal Christi: idque ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum. 759.D.1.& 765.D. 2.& 783.B.1.& 784. C.2.
Regnum Dei non est esca & potus. 774.A.2.
In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur. 786.E.1.
Omnis lingua confitebitur Deo. 800.A.2.

Cap. 15.

Propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum. 33.A.2.
Suscipite invicem. 502.C.1.
Ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. 743.B.1.

Cap. 16.

Secundùm revelationem mysterij temporibus æternis taciti. 4.B.2.

## AD CORINTHIOS PRIMA.

Cap. 1.

Non misit me Christus baptizare, sed Evangelizare. 190. D.1.
Baptizavi Stephanæ domum. 258.A.2.

Cap. 2.

Si enim cognovissent. 134.D.2.& 152.A.1.
Loquitur Dei sapientiam. 152.B.1.
Nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. 163.C.1.
Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui in ipso est. 741.D.1.

Cap. 3.

Omnia vestra sunt, vos vero Christi, Christus autem Dei. 22.A.1.
Ministri ejus cui credidistis. 214.D.1.& 215.E.2.
Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat. 216.C.1.
Si quis superædificat super fundamentum hoc lignum, fœnum stipulam. 441.D.2.
Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur. 755. A.2.
Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 810.C.1. & 813.B.1.
Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. 813.C.1.

Cap. 4.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi. 213.B.2.
Ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei. 367. C.1.& 545.D.1.
In virga veniam ad vos. 555.E.2.
Tunc illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. 302.D.2.& 785.A.1.

Cap. 5.

Modicum fermentum totam massam corrumpit. 294.A.2. 294.C.2.
Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azimis sinceritatis & veritatis. 294.A.1.
Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi &c. tradere hujusmodi sathanæ. 555.C.2.
Ut spiritus salvus sit. 556.C.1.
Quid enim mihi de ijs qui foris sunt judicare. 460.C.1.
Talis fornicatio qualis nec inter Gentes; ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat. 690.B.1.

Cap. 6.

Empti estis pretio magno. 11.E.1.
An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt. 680.E.2.
Neque fornicarij, neque idolis servientes, neque adulteri neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 785.C.1. & 808.D.1.

Cap. 7.

Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 251.C.1.
Unusquisque uxorem suam habeat. 624.E.1.& 635.C.2.
Qui non se continent nubant. 166.B.2.& 217.C.1.
Bonum est si sic permaneant sicut & ego. 625.B.1.
Uxori vir debitum reddat. 625.
Volo omnes esse sicut meipsum. ibid.
Bonum est homini mulierem non tangere. 625.C.2.
Si acceperis uxorem non peccasti, etsi nupserit Virgo non peccavit &c. non peccat si nubat. 626.C.1.
Qui judicavit in corde suo servare virginem suam, benè facit. 167.E.1.
Qui enim cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori & divisus est. 626.B.2.
Tribulationem carnis habebunt hujusmodi. 635.C.1.
Hoc autem dico secundùm indulgentiam. 663.C.2.
Dico non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut & ego. 680.B.2.
Cui vult nubat tantum in Domino. 701.C.1.& D.2.
Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo non dimittat illam. 702.C.2.& 703. B.2.
Cæteris ego dico non Dominus, si quis frater &c. 703. C.1.

Quod



Quod si infidelis discedit, discedat, ibid.
Subjectus est frater aut soror in hujusmodi, 704.E.1.
Nolite fraudare invicem, 711.A.2.
Melius est nubere quam uri, 715.C.2.
Si dormierit vir ejus liberata est, cui vult nubat tantum in Domino, 715.E.2.
Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, 716.E.2.
Ijs qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus uxorem à viro non recedere, quod si discesserit manere innuptam aut viro suo reconciliari, 723.E.2.
Præterit enim figura hujus mundi. 756.C.1.

Cap. 9.

Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi, 184. B.1.
Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli, 678.E.1.
Qui altari deserviunt, de altari participant, 396.A.2.

Cap. 10.

Neque idololatræ efficiamini sicut quidam ex istis quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, 109.D.2.
Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, 235.
Manducaverunt & omnes eundem spiritualem potum biberunt, 302.A.2.
Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, & panis quem frangimus non participatio corporis Domini est, 304.A.2.& 308. C.2. 319.A.1.343.A.1.
Petra erat Christus, 336.E.1.
Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum, 379.B.2.& 396.A.2.

Cap. 11.

In qua nocte tradebatur accepit panem, 157.D.1.& 290. D.1.
Accipite & manducate, hoc est corpus meum, 304.E.1.
De pane illo ædat, 308.C.2.
Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini, 342.D.1.& 355.A.2.
Reus erit corporis & sanguinis Domini, 342.E.1.
Probet seipsum homo, 342.B.2.
Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, 343.D.1.
Et de calice bibat. 255.C.2.
Unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum, 350.A.1.
Unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus, 358.E.2.
Quotiescumque manducabitis & mortem Domini annuntiabitis, 370.D.1.
Convenientibus vobis in Ecclesiam, 391.E.1.
Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, 391.E.1.
Dum judicamur autem à Domino corripimur ut non cum hoc mundo damnemur, 535.A.2.& 536.C.1.
Si nosmetipsos dijudicaremus non utique judicaremur, ibidem.
Mortem Domini annuntiabitis donec veniat, 752.D.1.

Cap. 12.

Vos estis corpus Christi, & membra de membro, 54.C.2.
Omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult, 280.B.2.

Cap. 13.

Ex parte prophetamus &c. 52.D.1.
Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, 245.B.1.
Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, Charitatem autem non habuero nihil mihi prodest, 546. E.2.& 808.E.1.
Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, 786.A.2.

Cap. 14.

Si quid volunt discere, domi viros suos interrogent, 123. C.1.
Mulieres in Ecclesijs taceant, si quid autem volunt dicere, &c. 391.E.1.& 550.C.1.
Incertam vocem det tuba, quis præparabit se ad bellum? ita & vos ni manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur &c. si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est &c. si benedixeris spiritu qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit. 401.A.2.
Tu quidem bene gratias agis, sed aliter non ædificatur, 402.A.2.
Linguæ insignum sunt non fidelibus, sed infidelibus, 579. C.1.

Cap. 15.

Per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum, 6.C.1.& 118.E.2.
Ut portent ejus imaginem, 39.C.2.
Secundus homo de cælo cælestis, 44.D.2.
Tunc & ipse filius subjectus erit ei, 95.E.1.
Oportet eum regnare donec ponat, 120.D.2.
Si (secundùm hominem) ad bestias pugnavi Epheси, 124. C.1.
Christus resurrexit primitiæ dormientium, 174.B.2.
Christus resurrexit tertia die secundùm scripturas, 173. B.2.
Noviſſimè omnium visus est & mihi, 184.A.1. & 758. D.2.
Seminatur corpus animale: surget spirituale, secundus homo de cælo cælestis, qualis cælestis, tales & cælestes, 767.D.1.& 770.C.1.& 774.A.2.& 776.C.2.
Neque corruptio incorruptelam possidebit, 767.C.2.& 775.E.1.
Seminatur in infirmitate, surget in virtute, 775.B.1.& 777. C.2.
Corpus seminatur in corruptione, surget in incorruptione, 775.E.1.
Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, 778.D.1.
Alia claritas lunæ alia claritas Solis, alia stellarum, 778. C.1.
Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, 764.C.1.& 765.A.1.
Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. ibidem.
Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, ibid.C.2.
Ecce mysterium vobis dico, 765.E.2.
Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, 767. D.1.
Tu quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, 767.D.1.
Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgant. 737.D.2.
Si mortui non resurgent, neque Christus resurrexit. 758. D.1.
Canet enim tuba, 762.A.2.
In momento in ictu oculi, &c. 763. D.1. & 766. C.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca




SECUNDA AD CORINTHIOS.

CAP. 2.

Ne abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est, 572.D.1.& 576.D.1.
Cui autem aliquid donastis, & ego, 574.B.1.

CAP. 5.

Et si cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus, 44.A.1.
Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, 56.E.2.& 16.A.2.
Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum factus est, 165.A.1.
Omnia ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum, 167.A.1.
Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, 167.A.1. & 287.E.1.
Unusquisque referet propria corporis prout gessit, 569. B.1.& 734.A.2.
Si terrestris domus nostræ hujus habitationis dissolvatur, 728.E.1.

CAP. 6.

Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, 25.D.1.
Nolite jugum ducere cum infidelibus. 701.E.2.

CAP. 7.

Hoc ipsum secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam; 424.C.2.
Contristati estis secundùm Deum, 462.C.1.
Gaudeo non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam &c. ecce hoc ipsum secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, &c. 536.E.1.

CAP. 8.

Vestra abundantia illorum inopiam sublevet, ut & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum, 538. B.1.
Etsi scripsi vobis non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est, 691.A.1.

CAP. 11.

Despondit enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo, 55.B.1.

CAP. 23.

Si venero iterum non parcam, 555.E.2.
Ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cælis, 728.A.2.& 809.B.2.
Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus & non per speciem, audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad Dominum, 728.A.2.
Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, 765.D.2.& 784.D.1.& D.2.

AD GALATAS.

CAP. 2.

Si ex lege esset justitia, Christus gratis mortuus est, 207. C.1.

CAP. 3.

Sub lege custodiebantur concluſi, itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, 21.C.1.& 206.D.2.
Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris, 115.E.1. & 243.A.2.
Fratres secundùm hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut subordinat, 355. C.2.
Christus nos redemit de maledicto legis. 11.E.1.
Tanta passi estis sine causa, 456.C.2.

CAP. 3.

Ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, 6. D.1.& 21.B.2.& 37.A.2.
Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, 16.C.2. & 21.D.2. 44.C.2.82.C.1.
Ut adoptionem reciperemus. 102.D.2.103.A.2. 105. B.1.
Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena elementa. 207.C.2.& 209.A.2.& 486.B.1.

CAP. 5.

Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem ut non quæcumque volumus faciamus. 89. C.1.
Testificor omni homini circumcidenti se quia debitor est universæ legis faciendæ, 146.C.2.
Qui talia agunt regnum Dei non consequentur. 808.D.1.

CAP. 6.

Unusquisque onus suum portabit, 537.D.2.& 732.D.2.
Quæ seminaverit homo, hæc & metet, 732.D.2.
Alter alterius onera portate & sic adimplebitis legem Christi, 538.B.1.& B.2.

AD EPHESIOS.

CAP. 1.

In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, 11. C.1.
Elegit nos in ipso seu per ipsum ante mundi constitutionem ut essemus sancti, prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, 18.A.1.& 102.D.1.
Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, 54.A.2.& 55. A.2.
Deus proposuit in Christo instaurare omnia & quæ in cælis, & quæ in terra sunt, 56.D.1.
Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, 93.A.2.& 106.E.2.
Suscitans illum à mortuis & constituens ad dexteram suam in cælestibus. 183.A.2.
Deus Pater constituit illum super omnem principatum & potestatem. 183.C.2.

CAP. 2.

Cum essemus mortui peccatis nostris convivificavit nos in Christo, 37.D.2.
Reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, 167. A.1.& 171.B.1.
Creati in Christo Jesu in operibus bonis, 202.B.2.

CAP. 4.

Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, 80.E.1. & 269.C.2.
Descendit primùm in inferiores partes terræ, 170.B.1.
Induite novum hominem, 181.D.2.
Qui ascendit, ipse est & qui descendit, 183.B.1.
Unum baptisma, 241.A.1.
Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, 773.C.1.

CAP. 5.

Christus caput est Ecclesiæ, 54.A.2.
Tradidit enim semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, 99.E.2.& 165.A.1.
Sacramentum hoc magnum est, 186.A.2.& 628.A.1.
Ecclesiam mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, 190.C.1. & 197.C.2.& 262.B.2.
Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, 443.B.2.
Subjecti invicem, 502.C.1.
Surge qui dormis, 579.E.1.

Viri debent diligere uxores ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit, 708.D.1.& 723.B.2.

CAP. 6.

Orantes omni tempore in Spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantiâ & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me. 745.B.1.

AD PHILIPPENSES.

CAP. 1.

Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo. 728.B.2.

CAP. 2.

Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo sed semetipsum exinavivit formam servi accipiens. 6.D.1.& 23.E.1.& 24.E.1.
Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum. 16.E.2.& 31.D.2.& 86.A.2.& 51.D.1.& 94. D.1.& 129.D.2.& 162.A.1.
Et habitu inventus ut homo. 28.E.2.
Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, 32.C.2.& 107. C.1.
In similitudinem factus. 44.C.1.
Et donavit illi nomen quod est super omne nomen, 93. A.1.
Configuratum corpori claritatis suæ, 40.A.1.& 770. E.1.
Reformavit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, 101.D.2.& 778.E.1.

CAP. 4.

Germane compar. 678.A.2.& 680.C.2.

AD COLOSSENSES.

CAP. 1.

Mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus, 4.B.2.
Habemus redemptionem in Christo per sanguinem ejus, 12.C.1.
Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, 14.C.2.
Primogenitus ex mortuis ut sit omnibus ipse primatum tenens, 16.D.1.& 174.C.2.
In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, 52. C.2.& 167.A.1.
Ipse est caput corporis Ecclesiæ, 54.A.2.
Reconciliavit omnia, sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt, 56.A.1.
Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, 166.B.2.

CAP. 2.

Expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso, 12.C.1.
In omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitionem mysterij Dei patris & Christi Jesu, 31.C.2.
In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, 38.D.2.
Omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, 50.B.2.. & 61.B.2.
Qui est caput omnis principatus & potestatis,
In quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, 181. D.2.
Circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, 268.A.2.
Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum &c. 744.C.2.

CAP. 3.

Charitas est vinculum perfectionis, 50.E.1.

PRIMA AD THESSALONICENSES.

CAP. 2.

Non de errore neque de immunditia. 149.D.2.
Pervenit ita Dei super illos usque in finem, 753.B.2.

CAP. 4.

Sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, 606.E.2.
Et sic semper cum Domino erimus, 728.C.2.
Mortui qui in Christo sunt resurgent primi, 758.D.1.& 764.D.1.
In voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cælo, 761. E.1.
Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, 764.D.1. & 777.D.2.

CAP. 5.

Cum enim dixerint pax & securitas, 763.D.1.
De temporibus autem & momentis fratres non indigetis &c. dies Domini sicut fur in nocte, 763.C.2.& 781. D.1.

SECUNDA AD THESSALONICENSES.

CAP. 1.

In revelatione Domini de cælo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam ijs qui non noverunt Deum, 755.A.2.& 757.E.1.

CAP. 2.

Nisi venerit discessio primum, 748.E.1.
Et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis, 748. E.1.& 749.B.1.
Extollitur supra omne quod dicitur Deus, 749.A.1.& E.2
Mysterium jam operatur iniquitatis, 749.D.1.
Quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, 766.A.2

CAP. 3.

De cætero fratres orate pro nobis, 745.B.1.

PRIMA AD TIMOTHEUM.

CAP. 1.

Venit Christus in hunc mundum peccatores salvos facere, 16.C.2.& 21.E.2.
Misericordiam Dei consecutus sum quia ignorans feci, 163.C.2.
Ex quibus est Hymenæus & Alexander: quos tradidi Satanæ, 555.E.2.

CAP. 2.

Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, 11. C.1.& 166.A.2.& 745.E.1.
Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, 96.C.2. & 744.C.2.
Obsecro primum omnium fieri obsecrationes; orationes, postulationes gratiarum actiones, pro omnibus hominibus. 379.A.2.& 400.B.2.
Mulier in silentio discat cum omni subjectione, 550.E.1.
Mulier salvabitur per filiorum generationem si permanserit in fide & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate, 626.E.2.

CAP. 3.

Manifestum est in carne, 1.C.2.& 4.B.2.& 86.A.2.
Magnum est pietatis sacramentum, 4.D.E.2.& 186.A.2.
Ut ministrent nullum crimen habentes, 218.D.1.
Oportet Episcopum esse unius uxoris virum, 778.A.2.& 701.E.2.
Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam, 701.E.2.

CAP. 4.

In novissimis temporibus. 6.B.2.
Salvator omnium hominum maximè fidelium, 43.D.1.
Cum impositione manuum presbyterij, 197.E.2.
Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, 544.B.2.
Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij, 596.A.1.& C.1.& 622.B.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, 680.A.1.

CAP. 5.

Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis, 600.C.1.& E.2.& 620.E.2.
Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina, 611.A.1. & 619.D.2.
Adversus presbyterum accusationem noli recipere, 611. C.2.& 619.B.1.& D.2.
Volo ergo juniores nubere, filios procreare, 676.C.1.& 715.E.2.

*AD TIMOTHEUM. II.*

CAP. 1.

Liberavit & vocavit nos vocatione sua &c. secundùm gratiam quæ data est nobis in Christo, 106.E.2.
Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum, 197.E.2.& 596.C.1. & 621.D.1.
Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis & dilectionis & sobrietatis, 596.C.1.

CAP. 2.

Fidelis est & negare seipsum non potest, 14 A.2.
Novit Dominus qui sunt ejus, 97.D.2.
Ne fortè det illis pœnitentiam, 424.D.1.
Labora sicut bonus miles Christi, nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus, 680.B.1.

CAP. 3.

In novissimis diebus, 6.B.2.

*AD TITUM.*

CAP. 1.

Oportet Episcopum continentem esse, 50.A.1.
Ut constituas per civitates presbyteros, 365.A.1.& 618. E.1.
Ut potens sit exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt arguere, 599.E.1.
Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, 618.E.1.
Hujus gratia reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, 619.B.1.

CAP. 3.

Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, 197.C.2.& 233.A.1.& 263.B.2. & 414.A.1.& 694.A.1.

*AD PHILEMONEM.*

Si habes me socium, 744.B.1.

*AD HEBRÆOS*

Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui, 55.C.2.
Splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, 80.D.1.
Melior Angelis effectus, 82.E.1.
Æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris quæ ejus dextera dicitur, 184.E.1.
Ad quem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis, 185.B.1.

CAP. 2.

Qui habet imperium mortis, 10.A.1.& 164.B.1.& 166. E.2.& 172.D.1.
Eum qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, 16.E.2.& 91.D.1.& 93.A.1.
Quia pueri communicaverunt carni & sanguini & ipse similiter participavit eisdem, 45.E.1.
Minuisti eum paulo minus ab Angelis, 6.B.2.
Nusquam Angelos apprehendit, 124.B.1.

CAP. 3.

Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum, 82.E.1.

CAP. 4.

Habemus Pontificem qui penetravit cælos, Jesum filium Dei, 98.C.1.

CAP. 5.

Exauditus est pro sua reverentia, 14.E.1.& 97.D.1.& 97. E.2.
Didicit ex eis quæ passus est obedientiam, 59.D.1.& 86. A.2.
Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, 96.A.1.
Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, 99.C.2.
Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, 101.B.1.
Christus non semetipsum clarificavit &c. sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, 103.C.2.
Qui vocatur à Deo tanquam Aaron, 215.A.2.
Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, 370.D.2.& 379.B.1.& 382. D.2.

CAP. 6.

Impossibile est eos qui semel sunt illuminati &c. rursus renovari ad pœnitentiam, 240.E.2.& 411.E.2.
Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, 255.C.2.

CAP. 7.

Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, 43.E.2.& 70.C.2.
Talis decebat ut nobis esset pontifex &c. 96.D.2.
Semper vivens ad interpellandum pro nobis, 96.D.2.
Hic cò quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, 98.C.1.& 370.A.1.& 378.E.1.
Manifestum est quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in quo tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est, 98. D.2.
Si secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos, 101.C.1.
Sine patre sine matre sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habens, 101.C.1.

CAP. 8.

Omnis pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat, 371.B.2.& 370.E.1.
Si illud prius culpa vacasset, 208.A.2.

CAP. 9.

Pro multis & ad multorum exhaurienda peccata oblatus & in redemptionem datus, 166.A.2.
Hostiæ offeruntur quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, 207.D.2.
Omnia pœnè in sanguine secundùm legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio, B.1.
Usque ad tempus correctionis, 208.A.2.

CAP. 10.

Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata, 12.C.1.
Ingrediens in mundum dixit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, tunc dixi ecce venio, 129. E.1.
In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel, 129.A.2.& 370.B.1.
Umbram habens lex futurorum bonorum &c. nunquam potest accedentes perfectos facere, 207.D.2.
Alioquin cessassent offerri: eo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati, 382.C.2.

CAP. 11.



CAP. 11.

Fides est non apparentium. 50.B.2.
Ut non sine nobis consummarentur. 17.B.1.
Sine fide impossibile est placere Deo. 255.B.2.
Accedentem ad Deum oportet credere. 429.B.1.
Omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. 719.D.2.& 751. E.2.& 790.D.2.
Fide Enoch translatus est ne videret mortem. 751.B.2. & 764.E.1.
Juxta fidem defuncti sunt omnes isti. 751.D.2.
Non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes. 751.E.2.

CAP. 12.

Et Esau &c. non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam. 430.C.2.& 432.A.2.

CAP. 13.

Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. 371.E.2.& 396.B.2.
Connubium honorabile & thorus immaculatus. 626.C.1. & 678.B.2.
Fornicatores enim & adulatores judicabit Deus. 680.E.2.

*EPISTOLA JACOBI.*

CAP. 1.

Postulet autem in fide nihil hæsitans. 96.E.1.
Si quis vestrum indiget sapientia. 583.A.2.

CAP. 2.

Qui offendit in uno factus est omnium reus. 540.A.1.& 706.D.1.
In multis offendimus omnes. 583.A.2.
Dæmones credunt & contremiscunt. 800.E.1.
Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. 807.B.1.&.809.A.1.
Superexaltat autem misericordia judicium. 809.A.1.
Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini & oratio fidei salvabit infirmum & alleviabit eum Dominus & si in peccatis sit remittentur ei. 197.D.2.& 414.B.1. & B.2.& 578.C.1.& D.1.& 581.D.2.& 585.B.1.& 586.C.1.& 619.D.2.& 633.B.1.
Confitemini alterutrum peccata vestra. 493.B.1.
Ungentes eum oleo in nomine Domini. 493.D.2.
Si in peccatis sit remittuntur ei. 583.B.1.
Adventus Domini appropinquavit. 752.C.2.

*PETRI I.*

CAP. 2.

Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo. 43.E.2.
Quis arguet me de peccato. 70.C.2.
Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. 566.A.2.
Cujus livore sanati estis. 579.E.1.
Superædificamini, domus, spiritualis, sacerdotium sanctum &c. vos autem genus electum regale sacerdotium. 600. A.1.
Offerre spirituales hostias Deo. 600.A.1.

CAP. 3.

Quod & vos similis formæ salvos facit baptisma: non carnis dispositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. 197.A.2.
Expectabant Dei patientiam in diebus Noë. 235.C.1.
Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est, spe. 534.E.1.& 599.A.2.
His qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando in diebus Noë cum fabricaretur arca. 816.C.2.

CAP. 4.

Charitas operis multitudinem peccatorum. 196.C.2.
Hospitales invicem, unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. 502.C.1.
Justus vix salvabitur. 537.C.2.

CAP. 5.

Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis &c. sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. 11.C.1.
Tanquam leo rugiens. 295.E.2.

*PETRI II.*

CAP. 2.

A quo quis superatus est hujus & servus est. 10.A.1.
Melius erat illis non cognovisse viam justitiæ quam post cognitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. 182.B.1.& 346.E.2.
Deus Angelis peccantibus non pepercit sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari. 786.B.1.

CAP. 3.

Cœli ardentes solventur & elementa ignis ardore tabescent. 755.A.2.& 757.A.2.
Igni reservati in diem judicij & perditionis impiorum hominum. 781.D.1.
Novos vero cœlos & novam terram secundùm promissa ipsius expectamus. 787.E.2.

*APOCALYPSIS.*

CAP. 1.

Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. 20.A.1.
Primogenitus mortuorum. 174.C.2.
Mittens per Angelum suum servo suo Joanni. 183.E.2.
Videbit omnis oculus. 779.D.1.
Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus. 783.A.1.& 784.D.1.& 786.A.2.

CAP. 2.

Stella splendida & matutina. 138.E.1.
Qui tenet septem stellas in dextera sua. 231.A.1.
Qui vicerit dabo ei potestatem super Gentes. 743.C.2.
Vincenti dabo manna absconditum & dabo ei calculum. 796.B.1.
Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ. 814.E.2.

CAP. 3.

Pœnitentiam age. 433.E.1.
Tene quod habes ut nemo accipiat coronam tuam. 456. C.2.

CAP. 5.

Redemisti nos Deo in sanguine tuo. 11.C.1.& 165.D.1.
Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem. 31.D.2.& 61.B.1.& 91.D.1.& 93.A.1.
Et fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. 98.B.1.& 600.A.1.& 611.A.2.
Librum &c. signatum sigillis septem. 231.A.1.
Ecce vicit leo de tribu Juda. 295.E.2.& 743.B.2.
Nemo poterat aperire librum, neque in cælo, neque in terra neque subtus terram. 800.C.1.
Sedenti in throno & agno benedictio, & honor & gloria. 800.A.2.

CAP. 6.

Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. 728.
Usquequo &c. non judicas. 747.E.2.
Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus. 754.D.1.
Sicut liber involutus. 754.A.2.

CAP. 8.

Datæ sunt Angelis septem tubæ. 231.A.1.
Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo. 743.A.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



CAP. 9.
Mori cupient & non poterunt. 779.B.2.
Desiderabunt mori & fugiet mors ab eis. 801.B.2.
CAP. 10.
Oportet iterum eum prophetare Gentibus & populis. 751.D.1.
Tempus non erit amplius. 788.C.1.
CAP. 11.
Dabo duobus testibus meis & prophetabunt. 752.C.1.
Ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni. 56.A.1.& D.2.
CAP. 13.
Numerus ejus sexcenti sexaginta sex. 748.E.2.
CAP. 14.
Et vidi & ecce nubem candidam & super nubem sedentem &c. 783.A.1.
Et cantabant quasi canticum novum. 795.E.1.
Non habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam. 806.A.1.
Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis. 809.E.1.
Nemo poterat introire in templum donec consummarentur septem plagæ. 727.E.2.
CAP. 17.
Dicam tibi secretum mulieris. 186.E.1.
Fuit & non est. 166.C.2.
CAP. 18.
Miscete illi duplum. 295.E.2.
Quantum glorificavit se, & in delitijs fuit tantum date illi tormentum & luctum. 807.A.1.
Dicentes amen; alleluia &c. laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus. 776.E.1.
CAP. 19.
Cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum, & dixit mihi: vide ne feceris. 743.D.2.
Vivi missi sunt hi duo in stagnum illis. 764.E.1.
Laus & gloria & virtus Deo nostro est: quia vera & justa judicia sunt ejus. 782.E.2.
CAP. 20.
Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione primæ: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis. 762.C.2.
Libri aperti sunt. 780.D.1.
Et alius liber apertus est, qui est vitæ &c. qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. 780.E.1.
Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni &c. 784.D.2.
Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. 805.C.1.
CAP. 21.
Templum non vidi in ea. 391.B.
Mensura hominis quæ est Angeli. 743.E.2.
Primum enim cælum & prima terra abijt. 756.A.2.
Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra. 775.D.1.
Vidi cælum novum & terram novam. 787.E.2.
CAP. 22.
Ecce venio cito & merces mea mecum est reddere unicuique secundùm opera sua. 784.D.2.

INDEX

# INDEX RERUM PRÆCIPUARUM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTUR.

*Hujus indicis, & sequentium notas, (quibus brevitatis gratia usi sumus) ita intellige, studiose Lector: Primus numerus denotat paginam: Secundus Litteram, Tertia denique nota, columnam.*

A.

Abbates.

ABbates *sacerdotes possunt conferre minores ordines.* 613.D.2.
*Abbates ad officium patrini non sunt admittendi.* 250.C.2.
*Abbatissæ non gaudent privilegio eligendi confessarium.* 507.C.1.
*Abbatissæ possimne jurisdictionem habere, aut ex commissione illam exercere.* 550.E.1.

Abraham.

*Abraham non propriè fuit frater Saræ.* 686.D.2.

Abaillardus.

*Abaillardi quidam errores.* 469.B.1.

Absolutio à Censuris.

*Absolui potest pœnitens in periculo mortis per quemlibet sacerdotem ab omni peccato & censura.* 512.A.2.
*Absoluti à censuris proter periculũ mortis, si evaserint, obliganter ut quamprimum fieri potest, sistant se superiori.* 513.E.1.

Absolutio sacramentalis.

*An absolutio possit dari sub conditione.* 419.C.2.
*Absolutio sacramentalis dari potest super confessionem peccatorum adhuc antea confessorum & remissorum.* 419.B.2.
*Absolvi potest superior sacramẽtaliter a suo inferiore.* 554.C.2.

Ejus forma.

*Quæ sit forma absolutionis.* 414.C.1.
*Ista verba, à peccatis, non sunt de essentia formæ.* 415.D.2.
*Quis sit sensus horum verborum.* 417.C.1.
*Precationes aut absolutiones forma deprecativa prolatæ non sufficiunt ad constituendum hoc sacramentum.* 414.C.2.
*Loco formæ validè possunt substitui verba æquivalentia.* ib.D.

Absolutionis minister, & subjectum.

*Vide* Confessarius.
*Absolvendus est moribundus qui ante sacerdotis adventum signa doloris edidit.* 521.C.1.

Accidens.

*Accidentia panis & vini in Eucharistia manent sine subjecto. Vide* Eucharistia.
*Accidentia quomodo existunt sine subjecto, Deo de novo nihil reale tribuente.* 329.A.1.
*Accidentis essentia in quo consistat.* 328.D.2.
*Accidentia in subjecto, ut non habeant esse; separata ut componantur ex esse, & quod est.* 329.B.1.
*Accidentia diversa à quantitate possimne etiam divinitus sine omni subjecto existere.* ibidem.C.

Actio.

*Actionis reciprocæ idem esse principium, ut verum sit.* 37.C.2.
*Actionum diversarum in supernaturalibus; non necessario esse diversos terminos formales.* 768.D.1.

Actus.

*Unus actus potest una ratione esse liber, & alia ratione necessarius.* 92.A.1.
*Actus ad quorum agentium multitudinem, & quando multiplicentur.* 149.D.1.

Actus conjugalis.

*Actus conjugalis intendens prolem nullum est peccatum.* 662.A.1.
*Actus conjugalis ob solam voluptatem est peccatum.* ibidem D.
*Quale.* ibidem.
*Partim generationis, partim voluptatis causa factus est venialis.* 663.B.1.
*Si sit ad vitandam fornicationem conjugis, est sine peccato: si ad vitandam propriam, veniale.* ibid.B.2.
*Si causa valetudinis exerceatur, veniale.* 664.B.
*Actus conjugalis cum muliere gravida, aut menstruata quale peccatum.* ibid.C.
*Factus modo non naturali, est peccatum mortale.* ibidem A.
*Factus cum notabili detrimento salutis alterius conjugis, est peccatum mortale.* ibid.D.

Adam.

*An Adam sepultus sit in monte Calvariæ.* 180.E.2.
*Adam ante peccatum habuit explicitam fide de Christi Incarnatione.* 9.A.1.
*Adæ costa ut fuerit de ejus substantia.* 772.D.1.

Agilitas.

*Quid dos agilitatis.* 777.C.2.
*Agilia fore corpora sanctorum.* ibid.
*Sancti usuri sunt dote agilitatis.* ibid.E.
*Agilia corpora num in instanti moveantur.* 378.C.1.

Agnoitæ.

*Agnoitarum hæresis.* 61.B.1.

Agonia.

*Agonia Christi qualis fuerit.* 89.B.2.

Admiratio.

*Quid admiratio.* 75.D.2.
*Quatuor modi admirationis.* ibid.

Adoptio.

*Quid sit adoptio.* 102.C.1.
*Deus aliquos filios adoptat.* ibid.D.
*Differentia adoptionis humanæ à divina.* ibid.
*Etiam reprobi sunt filij Dei adoptivi quando sunt justi.* ibid.E.
*Adoptare convenit toti Trinitati.* 103.D.1.
*Adoptio habet similitudinem filiationis naturalis.* ibid.A.2.
*Duplex adoptio.* 797.C.2.
*Ratio adoptionis.* ibid.

Adoratio.

*Vide* Christi adoratio. Imago.
*Quæ res ob contactum Christi sint adorandæ.* 113.C.2.

Affinitas.

*Vide* Matrimonij impedimenta.
*Affinitas manet post mortem viri aut uxoris.* 689.A.1.
*Quid sit affinitas.* ibid.B.
*Ex illicito concubitu oritur affinitas.* ibid.
*Affinitas duobus modis oritur.* ibid.A.2.
*Affinitas ex affinitate non oritur.* ibid.D.
*Affinitas per se nullum gradum habet.* 691.B.2.
*Affinitate ut leges civiles dicant oriri ex solis nuptijs.* 689.D.1.
*Affinitatem non oriri ex sponsalibus, sed aliquid ei simile.* ibid.A.2.
*Affinitas oritur ex matrimonio inconsummato, & ex copula carnali.* ibid.B.
*Affinitas matrimonium dirimit usque ad quartum gradum.* ibid.
*Nulla affinitas oritur ex matrimonio conditionato ante eventum conditionis.* ibid.C.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Qui dicuntur affines in linea recta.* 691.C.2.
*Affines invalidè conjugati ut separandi sint.* 693.C.1.

Altare.

*Altarium antiquitas.* 396.A.2.
*Altare in quo celebratur debet esse consecratum.* *ibid.*E.
*Debet etiam esse lapideum.* 397.A.1.
*Altare sine reliquijs non est consecrandum.* *ibid.*D.
*Quando altare censeatur violatum.* *ibid.*B.2.

Amens.

*An liceat duos prorsus amentes copulari carnaliter.* 483.C.2.
*Amentia dirimit matrimonium si tempore amentiæ contrahatur.* 699.A.2.
*Amentia matrimonio prius contracto illud non dirimit.* *ib.*B.

Anathema.

*Anathema interdum sumi pro execratione.* 561.A.1.

Angelus.

*Cur pro Angelis non venerit Christus.* 41.B.2.
*In Angelis natura & suppositum differunt realiter.* *ibid.* D.
*An gratiam & gloriam acceperint Angeli in istu meritorum Christi.* 56.A.1.
*Angelus quomodo confortavit Christum.* 64.E.2.
*Quomodo Angeli pinguntur & quare.* 111.E.1.
*Angelus convenienter apparuit B. V. in humana specie.* 123.D.1.
*Angeli nostras preces cognoscunt.* 743.A.2.
*Cur Angelus à sancto Joanne adorari renuit.* 745.C.2.
*Angeli ad resurrectionem cooperabuntur.* 761.D.2.
*Angeli non judicabunt cum Christo.* 783.D.2.
*Angelorum & beatorum scientia potest crescere usque in diem judicij.* 790.C.1.
*Angelis non debetur aureola.* 797.C.1.
*Angeli qui Abrahæ apparuerunt non fuerunt incarnati.* 34.D.2.
*Angeli cur per species infusas non cognoscant futura contingentia sicut Christus.* 62.D.2.
*Angelos etiam esse & vocari in scriptura filios Dei.* 103.B.2.
*Angeli tam boni quam mali quomodo à Christo judicandi.* 785.E.2.

Anima.

*Vide* Christi anima. Purgatorium.

*Animæ plenè purgatæ statim a morte sunt beatæ.* 730.E.1.
*Animæ post mortem non statim deducuntur ad cœlum vel ad infernum.* 731.B.1.
*Animæ exeantne aliquando de cœlo & inferno.* *ibid.*D.
*Non manent in anima separata sensitivæ potentiæ, nec earum actus.* 733.A.2.
*Quomodo animæ separatæ patiantur ab igne corporeo.* 733.C.1.
*Animæ sanctæ nostras preces cognoscunt.* 743.B.2.
*An sit de fide.* *ibid.*E.
*Anima cur non præexistat corpori.* 47.B.1.
*Animarum receptacula quinque.* 733.C.1.
*Animæ inclinatio naturalis ad corpus resumendum an sit actus ejus elicitus.* 767.A.1.

Antichristus.

*Quid Antichristus.* 749.A.1.
*Erit verus homo.* *ibid.*B.
*Necdum venit.* *ibid.*E.
*Romanus Pontifex non est Antichristus.* *ibid.*B.2.
*Quis & qualis futurus sit Antichristus.* 750.E.2.
*Qui venturi sint contra Antichristum.* 752.A.1.
*Antichristus quomodo omnium malorum caput.* 58.B.1.

Approbare, approbatio.

*Parochus quamdiu habet officium parochiale censetur ubique approbatus.* 509.E.2.
*Non beneficiatus non habens beneficium parochiale approbatus ab uno Episcopo, non ideo est approbatus pro alijs Diœcesibus.* 510.B.1.
*Approbatio & jurisdictio potest revocari.* *ibid.*B.

Aqua.

*Vide* Eucharistia, Baptismi materia.

*Cur aqua benedicta non sit Sacramentum.* 188.C.2.
*Aqua benedicta quomodo peccata venialia remittat.* 444.B.2.

Attritio.

*Ad attritionem firmum propositum non peccandi requiritur.* 465.B.1.
*Attritio non requirit charitatem sed inferiorem dilectionem.* 467.D.1.
*An & qualis dilectio Dei super omnia requiratur ad attritionem.* *ibid.*A.2.
*Attritio ex metu gehennæ est bona.* 469.A.1.
*Varij attritionis modi.* *ibid.*E.2.
*Attritio non potest fieri contritio.* 470.C.2.
*Quid ex attrito fieri contritum vi Sacramenti.* 471.B.1.
*Attritio naturalis non sufficit ad effectum Sacramenti recipiendum.* *ibid.*D.2.
*Quæ attritio sufficiat.* 472.D.2.
*Non est necesse quod attritio putetur esse contritio.* 473.C.2.
*Vera attritio sufficienter dividitur in eam quæ concipitur ex turpitudinis peccati consideratione, & eam quæ ex gehennæ metu.* 474.C.2.

Aureola.

*Tres sunt aureolæ.* 794.B.2.
*Aureola est diversa à beatitudine.* *ibid.*D.
*Quid aureola.* *ibid.*E.
*Aureola differt à fructu.* 795.B.1.
*Aureola debetur virginibus.* *ibid.*E.
*Non tamen quibusvis.* *ibid.*
*Aureola martyribus debetur.* 796.A.1.
*Aureolam ut B. V. habeat, cum non habuerit pugnam per tentationem à carne.* 795.C.2.
*Aureolam non habet Christus.* 797.B.1.
*Aureola Angelis non competit.* *ibid.*C.
*Quodnam aureolæ subjectum proximum.* *ibid.*D.
*Aureola martyrum est excellentior alijs.* *ibid.*C.2.
*Non omnes aureola donati, eam habent æqualiter.* *ibid.*D.
*Doctores habent aureolam.* 796.D.2.
*Qui sint illi.* *ibid.*
*Aureola Doctorum quomodo pendatur.* *ibid.*E.
*An B.V. habeat aureolam Doctorum.* 797.A.1.
*An B.V. habeat aureolam martyrij.* 796.B.1.

B.

Baptismus. Ejus essentia.

Baptismi *definitio.* 232.C.2.
*Baptismus est Sacramentum.* *ibid.*E.
*Fuit institutus ante passionem Christi.* 233.A.2.
*Baptismus verò Christi quando à Joanne fuit baptizatus.* *ib.*E.
*Convenienter describuntur tria baptismata.* 242.E.2.
*Baptismus sanguinis est inter alia baptisma potissimus.* 246.D.2.
*Baptismus flaminis an suppleat vicem Sacramenti Baptismi.* 243.A.2.
*Martyrium supplet vicem baptismi.* 244.B.2.

Ejus materia.

*Baptismi propria materia est aqua vera & naturalis.* 235.B.1.
*Debetque esse elementaris.* *ibid.*A.2.
*In glacie, nive, grandine non potest fieri baptismus.* *ibid.*C.
*Baptismus non necessario confertur per immersionem, sed sufficit aspersio.* 239.A.2.
*Aqua debet immediatè tangere corpus.* *ibid.*C.
*Ubi adhibetur immersio non est necessaria emersio.* *ibid.*E.
*An esset baptismus, si quis animo occidendi mergeret puerum formam proferendo.* 240.A.1.
*Non est necessaria trina immersio vel ablutio.* *ibid.*D.
*Quæ fuerit occasio modo unam modo tres immersiones adhibendi.* *ibid.*E.





Ejus forma.

*Quæ sit forma sacramenti baptismi.* 235.D.2.
*Persona baptizans non necessaria exprimenda.* 236.A.1.
*Ad essentiam baptismi necessarium est exprimere actum baptizandi.* *ibid.*E.
*Persona quæ baptizatur debet aliquo modo exprimi.* *ibid.*C.
*Quo modo exprimenda sit.* *ibid.*C.2.
*De necessitate forma est ut dicatur* In nomine. *ibid.*E.
*Debent exprimi tres personæ in forma baptismi.* 237.B.1.
*An valeret baptismus datus* In nomine geniti, genitoris & procedentis ab utroque. *ibid.*D.
*Baptismus conferri non potest in nomine Christi.* *ibid.*C.2.
*Secluſa dispensatione divina non sufficit implicita Trinitatis invocatio.* *ibid.*E.
*Apostoli nunquam baptizaverunt expresso solius Christi nomine.* 238.C.1.

Minister.

*Non pertinet ad diaconi officium baptizare.* 247.A.1.
*Subdiacono committi non potest solemniter baptizare.* *ibid.*D.
*Baptizare pertinet ad officium presbyterorum.* *ibid.*E.
*Laicus & mulier possunt baptizare.* *ibid.*D.2.
*Extra necessitatem sine licentia baptizans non subditum peccat mortaliter.* 248.A.1.
*Inter ministros necessitas est ordo & quod peccatum illum ordinem non servare.* *ibid.*B.
*Baptizare unum quomodo plures possint simul.* *ibid.*D.2.
*Sic baptizantes unicum conficiunt Sacramentum.* 249.B.1.
*Non fore baptismũ, si uno verba proferente, alter abluat.* *ib.*D.

Recipiens.

*Vide* Sacramentum. Recipientis intentio.

*Omnes tenentur ad baptismi susceptionem.* 251.C.2.
*Ad baptismum bene suscipiendum fides requiritur sed non sufficit.* 255.A.2.
*Adultis necessaria est pœnitentia ante baptismum.* *ibid.*C.
*Baptizandi sunt peccatores qui peccatorum agunt pœnitentiam.* *ibid.*D.1.
*Satisfactoria opera non sunt in baptismo injungenda.* 256.B.1.
*Baptizandi non debent confiteri.* *ibid.*E.
*An baptizandi sint furiosi, amentes, & dormientes.* 257.B.1.
*In eo qui habet usum liberi arbitrij requiritur intentio qua velit suscipere baptismum.* 256.A.2.
*Ut per baptismum gratia recipiatur requiritur fides ex parte baptizati, non tamen ut baptismus subsistat.* 258.C.1.
*Pueri sunt baptizandi.* *ibid.*E.
*Quomodo illud est intelligendum quod à baptizandis requiratur* ut pœnitentiam agant. *ibid.*D.2.
*Quare parvulos ante usum rationis baptizare, non solum liceat, sed etiam expediat.* *ibid.*E.
*Pueri cum adoleverint interrogandi non sunt an ratum habeant quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt.* 259.A.1.
*Cogi possunt ad baptismum filij fidelium jam adulti.* *ibid.*C.
*Baptizantur licite filij fidelium qui aliquando fidem susceperunt.* *ibid.*B.2.
*Baptizantur validè filij quorumcumque infidelium.* *ibid.*C.
*Ordinariè tamen non licet neque privata, neque publica authoritate, invitis parentibus, etiamsi principi Christiano sint subditi.* *ibid.*D.
*Parvulus in extrema necessitate constitutus de cujus vita moraliter loquendo desperatur, baptizari potest invitis parentibus.* 260.D.1.
*Quando pueri sunt à parentibus infidelibus separati & ita ut parentes non possint eos recipere, baptizari possunt sine eorum consensu.* *ibid.*E.
*Possunt baptizari alterutro parentum consentiente.* *ibid.*C.2.
*Parvuli eorum infidelium qui sunt mancipia Christianorum possunt authoritate dominorum baptizari.* *ibid.*B.
*Dominus Christianus non tenetur parvulos bello captos baptizare.* *ibid.*E.
*Pueri infidelium habentes usum rationis possunt baptizari si velint parentibus invitis.* 261.A.1.
*Pueri in maternis uteris positi non possunt baptizari.* *ibid.*C.2.
*Monstra an & quomodo baptizari debeant.* *ibid.*E.
*Baptizandi sunt Amentes, & furiosi perpetui.* 262.C.1.

Effectus.

*Peccata omnia delentur in baptismo.* 262.D.1.
*Tollitur reatus pœnæ temporalis.* 263.A.1.
*Pœnalitates vitæ præsentis non statim tolluntur per baptismum.* *ibid.*D.
*Per baptismum conferuntur gratia & virtutes.* *ibid.*B.2.
*Pueri in baptismo recipiunt gratiam habitualem & virtutes.* 264.A.1.
*Aperit januam regni cælestis.* *ibid.*B.2.
*Effectus per se baptismi æqualis est in omnibus æqualiter dispositis non autem effectus per accidens.* *ibid.*E.

Necessitas.

*Baptismus non obligavit ex eo tempore quo Christus sermonem habuit ab Nicodemum.* 234.B.1.
*Non fuit ante Pentecosten indicta baptismi necessitas.* *ibid.*E.
*Sine baptismo in re vel voto susceptο nemo salvari potest.* 252.B.2.
*Etiam parvuli non possunt salvari sine baptismo extra casum martyrij.* *ibid.*C.

Iteratio & ejus pœnæ.

*Baptismus reiterari non potest.* 240.C.2.
*Scienter rebaptizare quale peccatum.* 241.B.1.
*Irregularitas est pœna reiterantium baptismum.* *ibid.*C.
*Hæc irregularitas impediatne usum ordinis suscepti, an vero solum ascensum ad ordines superiores.* *ibid.*D.
*Qui sub conditione rebaptizat cum de quo dubitatur an sit baptizatus non peccat.* *ibid.*A.2.
*Si non sit dubium quin ritè sit baptizatus graviter peccat irregularitatem tamen non incurrit.* *ibid.*B.
*Per ignorantiam rebaptizans non peccat.* *ibid.*D.
*Qui baptizatum domi ab obstetrice postea sub conditione baptizat non sit irregularis.* 242.B.1.
*Nec peccat.* *ibid.*
*Qui post multos annos intelligit se domi baptizatum fuisse cum esset puer, non debet nunc curare se sub conditione baptizari.* *ibid.*E.
*An baptizatum ab hæreticis liceat baptizare sub conditione.* *ibid.*B.2.

Fictio. Reviviscentia.

*Quid fictio & quotuplex.* 265.A.2.
*Impedit effectum Sacramenti.* *ibid.*
*Qui in baptismo ponit obicem gratiæ sanctificanti, potest recipere spem, fidem, sine charitate.* 266.B.1.
*Baptismus consequitur suum effectum recedente fictione.* *ibid.*D.2.
*Fictio non tollitur per baptismum sed per pœnitentiam.* 267.D.1.
*Peccata in baptismi susceptione commissa tolluntur per baptismum remota fictione.* *ibid.*A.2.
*An habere effectum recedente fictione proprium sit baptismo.* 267.C.2.

Cæremoniæ.

*Quid cæremoniæ sacramentales.* 272.B.1.
*Quædam cæremoniæ baptismi solum adhibentur ad significandum, solum quædam ad efficiendum, & iterum aliæ præcedunt baptismum, aliæ sequuntur.* *ibid.*D.
*Ea quæ in exorcismis aguntur solum aliquid efficiunt per modum impetrationis.* *ibid.*E.2.
*Peccatum est mortale baptizare aliquem sive cum cæremonijs sive sine illis extra Ecclesiam ad hoc fontes specialiter deputatos habentem, nisi regum aut principum filios, aut in necessitate.* 273.C.1.
*Quæ nomina non imponenda.* *ibid.*B.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Patrinus.
*In baptismo requiritur aliquis qui levet baptizatum de sacro fonte.* 249.B.2.
*Quid requiratur ad esse patrinum.* *ibid.*D.
*Qui non possint admitti ad officium patrini.* 250.E.1.
Baptismus Joannis.
*Baptismus Joannis, non erat Sacramentum.* 140 C.2.
*Baptismus pœnitentiæ à Joanne prædicatus, erat baptismus ipsius Joannis.* 141.D.2.
*Baptizati baptismo Joannis debebant baptizari baptismo Christi.* 142.A.1.
*Non solus Christus erat baptizandus baptismo Joannis.* *ib.*A.
Baptismus Christi.
*Quando baptismus Christi cessaverit.* 142.B.1.
*Apostoli baptizati fuerunt baptismo Christi.* *ibid.*E.
*Christus fuit convenienter baptizatus.* *ibid.*D.2.
*Non decuit Christum suo baptismo baptizari.* 143.B.1.
*Christus est baptizatus anno trigesimo ætatis inchoato.* *ibid* D.
*Quo anni tempore & quo die contigerit baptismus Christi.* *ibid.*C.2.
*Cœli Christo baptizo aperti.* 144.B.1.
*Quomodo, & qui sint illi cœli.* *ibid.*C.
*Num convenienter spiritus sanctus super Christum baptizatum descenderit in specie columbæ.* *ibid.*E.
*Columba apparens non erat verum animal.* *ibid.*E.2.
*Qualis vox tunc audita sit.* 145.B.2.
Beata Virgo.
*Beata Virgo aliquo modo pertinet ad tribum Levi.* 98.E.2.
*Ad hoc ut propriè dicatur mater Christi non oportet quod activè sit operata unionem hypostaticam.* 36.C.1.
*Pater & Spiritus sanctus fuerunt in utero B.V. ex vi Incarnationis indirectè.* 39.D.1.
*Non est adoranda cultu latriæ.* 114.A.1.
*Fuit in utero sanctificata.* 115.E.2.
*Cur ejus nativitas celebretur.* 116.A.2.
*Non fuit sanctificata ante animationem.* *ibid.*
*An sit concepta in peccato originali.* *ibid.*D.
*Fuit in ea fomes peccati sed ligatus.* *ibid.*E.
*Nunquam peccavit B.V. actualiter.* *ibid.*D.2.
*Non est inculpanda infidelitatis quando Angelo nuncianti,* Ecce concipies &c. *respondit,* Quomodo fiet istud. 117.D.1.
*B.V. non est spasmum passa.* *ibid* D.2.
*Fuit plena gratia.* 118.A.2.
*An & quomodo fuerit confirmata in bono.* *ibid.*B.
*Sanctificatio in utero non est propria B.V.* *ibid.*C.
*Fuit virgo in partu & in conceptu.* 119.B.2.
*Etiam post partum.* 120.E.1.
*Vovit virginitatem.* 121.B.1.
*Ejus votum fuit absolutum.* *ibid.*D.
*Sciebat B.V. suum matrimonium nunquam esse consummandum.* *ibid.*E.
*Verum fuit matrimonium B.V. cum Joseph.* 122.B.1.
*Fuit perfectum.* *ibid.*D.
*Quando concepit Christum.* 122.C.2.
*Annuntiatio B.V. convenienter facta fuit per Angelum.* *ib.*B.
*B.V. non vidit hic essentiam Angeli.* 123.B.2.
*Angelus apparuit B.V. in humana specie.* *ibid.*D.1.
*B.V. turbata est non ex visione sed ex sermone.* *ibid.* D.2.
*Cur exemplum sit, B.V. datum.* *ibid.*E.
*Non est operata activè in conceptione.* 127.A.2.
*B.V. nullum ne implicitum quidem habuit propositum copulæ carnalis.* 660.D.1.
Beati.
*Qualiter in beatis fuit timor.* 51.D.1.
*Sensatio non excludetur a beatis.* 775.E.2.
*Beati visum, auditum, odoratum, & tactum habituri sunt.* 776.E.1.
*Quomodo erit operatio gustus.* *ibid.*A.2.
*Claritas non erit æqualis in omnibus beatis.* 778.E.1.
*Beatorum scientia potest crescere usque in diem judicij.* 790.C.1.
*Beati in cœlo videbunt pœnas damnatorum.* 792.C.1.
*Modus quo ista videbunt.* *ibid.*D.
*Beati non compatientur damnatis.* *ibid.*E.
*Quomodo de pœnis damnatorum gaudeant.* *ibid.*E.2.
Beatitudo.
*Qui sint gradus beatitudinis.* 791.B.2.
*Dos realiter differt a beatitudine.* 793.D.1.
*Beatitudo sanctorum erit post resurrectionem major extensivè non intensivè.* 785.D.&E.2.
*Beatitudo debet proportionari charitati.* 792.A.1.

C.

Cæremoniæ.
IN *lege nova fuit aliqua externa Cæremonia.* 196.C.1.
*Quid cæremonia.* 272.A.1.
*Quid cæremoniæ sacramentales.* *ibid.*B.
Caro.
*Vide* Christi corpus.
*Caro Christi quo sensu dicatur deificata.* 24.C.1.
*Caro non est prius unita verbo quam anima.* 47.D.1.
*Caro Christi sumpta fuit ex Adam.* 124.A.1.
*Caro Christi ex David.* *ibid.*B.
*Tota caro antiquorum patrum fuit peccato obnoxia.* 126.A.1.
Casus.
*Vide* Reservatio.
Catechumeni.
*Catechumenos ad baptismum obligare ut Ecclesia possit.* 255.A.1.
*Catechumenorum quosdam fuisse auditores, quosdam competentes.* 272.E.1.
Censura.
*Quid censura.* 554.E.2.
*Censura & casus ut distinguantur.* 551.C.1.
Cœlum.
*Cœlum non est palpabile.* 177.C.1.
*Cœli superiores purgabuntur igne.* 753.E.2.
*Cur cœli ducantur transituri & perituri.* 758.D.1.
*Motus cœli cessabit.* 788.B.1.
*Quo cessante generatio cessabit.* *ibid.*E.
*Lux cœlorum augebitur.* *ibid.*B.2.
Cessatio à divinis.
*Cessatio à divinis non est censura.* 555.A.1.
*Quomodo æquiparetur interdicto.* *ibid.*B.
*Cessationis violator nunquam incidit in irregularitatem.* *ibid.*
Character.
*Quid sit character.* 209.E.1.
*Character est qualitas ab anima re distincta.* 210.A.1.
*Character pertinet ad secundam speciem qualitatis.* *ibid.*2.
*An sit potentia physica, an moralis.* *ibid.*B.
*Character sacramentalis est character Christi.* *ibid.*E.
*Tria officia characteris.* 211.A.1.
*Character est in intellectu tanquam in subjecto.* *ibid.*B.
*Inhæret animæ indelebiliter.* *ibid.*E.
*Tria Sacramenta tantum characterem imprimunt.* 212.A.1.
Chrisma.
*Vide* Confirmationis materia.
Christianus.
*Mali Christiani sunt membra Ecclesiæ.* 55.D.1.
Christus.
*Christus non tantum est doctor sed etiam verus hominum redemptor.* 11.C.1.
*Christus satisfecit secundùm veram & propriè dictam justitiam.* 12.B.1.
*Sunt in Christo duæ naturæ.* 23.D.1.
*Christus non est Deus per solam habitationem.* 25.C.1.
*Quid vocabulo Christi, intelligatur.* 26.B.2.
*In Christo non est species communis.* 28.E.1.
*Christus secundùm humanitatem fuit sanctus & Deo gratus.* 49.B.1.
*Christus secundùm corpus est caput hominum.* 354.D.2.
*Ut homo caput Angelorum.* 54.A.2.
*Christus influit in Angelos.* *ibid.*C.
*Christus ut Deus est salvator Angelorum, etiam ut homo, hominum.* 57.A.1.
*Ut Deus omnia scit.* 60.E.2.
*In Christo nulla fuit ignorantia.* 61.A.1.
*In Christo fuerunt diversi habitus scientiæ.* 63.E.2.
*Christus fuit simul viator & comprehensor.* 76.A.2.
*Non potest dici homo dominicus.* 78.C.1.
*Non dicitur deificatus nec deifer.* *ibid.*B.2.
*Christus qua ratione divinus.* *ibid.*D.
*Quomodo fuerit sanctificatus.* *ibid.*E.
*Hæc propositio* Christus est creatura *simpliciter non est concedenda.* 82.E.1.
*Hæc propositio (iste homo demonstrato Christo, incapit esse) vitanda est.* 83.E.1.
*Nec tamen, (Christus secundùm quod homo incapit esse) magis concedenda est quam neganda.* *ibid.*E.
*Christus secundùm quod homo non est Deus.* *ibid.*C.2.
*Non est simpliciter dicendum, Christus ut homo est persona.* *ibid.*D.
*Christus est Legislator.* 99.C.2.
*Christus secundum quod homo, est mediator.* 115.A.2.
*Etiam in quantum est Deus homo.* *ibid.*B.
*Quomodo Christus manserit in Hierusalem.* 118.D.1.
*Christus natus est sine apertione uteri materni.* 119.D.2.
*In Christo propriè non sunt dotes.* 794.D.1.
*Conveniens fuit Christum nasci ex desponsata.* 121.E.2.
*Christus non est natus ex semine matris.* 125.E.1.
*Usus liberi arbitrij fuit in Christo ab initio suæ conceptionis.* 129.B.1.
*Ab initio fuit comprehensor.* 130.A.1.
*Non decebat ut Christus per se suam nativitatem manifestaret.* 135.E.2.
*Non fuit conveniens ut Christus puer faceret miracula.* 136.A.1.
*An Christus resumpsit totum sanguinem quem pro nobis effudit.* 175.D.2.
*An in corpore Christi sit præputium.* 176.D.2.
Christi unitas, Compositio.
*Christus dicendus est unus, item unum non Duo.* 8.B.1.
*Christus nec est alius, nec aliud.* *ibid.*B.2.
*In Christo est aliud & aliud.* *ibid.*D.
*An dici posit Christus est divinitas & humanitas simul.* *ib.*E.
*In Christo est tantum unum esse.* 85.E.1.
*In Christo est tantum una existentia.* *ibid.*B.2.
*Una est humana Christi operatio.* 90.B.2.
*In Christo sunt duæ operationes.* 89.B.2.
Christi ascensio.
*Christus in cœlum convenienter ascendit.* 182.B.2.
*Christus in cœlum ascendit secundum humanam naturam.* *ibid.*E.
*Ascendit propria virtute.* 183.C.1.
*Motu successivo ascendit.* *ibid.*
*Christus super omnes cœlos ascendit.* *ibid.*E.
*Ascendit super Angelos.* *ibid.*C.2.
*Ascensio Christi est causa nostræ salutis.* *ibid.*E.
Christi prædestinatio.
*Christus rectè dicitur primo omnium prædestinatus.* 17.E.2.
*Christo convenit esse prædestinatum.* 105.E.1.
*Christus ut homo prædestinatus est esse filius Dei.* 106.C.1.
*Item quodnam sit in proposito prædestinationis subjectum & quis terminus.* *ibid.*
*Prædestinatio Christi est exemplar nostræ.* *ibid.*B.2.
*Christus meruit nostram prædestinationem.* *ibid.*D.
Christi filiatio, Adoptio.
*Christus etiã ut homo dici non potest filius adoptivus.* 103.D.2.
*Quomodo Christus etiam ut homo sit filius Dei naturalis.* 104.C.1.
*Quid adoptio.* 102.D.1.
*Deus aliquos filios adoptat.* *ibid.*
*Differentia adoptionis divinæ ab humana.* *ibid.*
Christi corpus, Anima.
*Corpus Christi fuit terrenum sicut nostra.* 44.B.2.
*Christi corpus fuit formatum de purissimis sanguinibus, B.V.* 125.C.1.
*Corpus Christi non fuit secundùm aliquid sui in antiquis patribus.* 125.B.2.
*Anima unita est corpori in Christo.* 28.C.1.
*Anima assumpta est a verbo mediante spiritu.* 46.D.2.
*Anima non est assumpta ante carnem.* 47.
*Anima Christi est divina per participationem.* 49.A.2.
*Anima Christi non potest formaliter intelligere per scientiam divinam.* 58.C.2.
*Anima Christi non comprehendit Deum.* 60.C.1.
*Anima Christi non scit omnia possibilia.* 61.C.1.
*Quomodo anima Christi sciat infinita.* 62.B.1.
*Anima Christi perfectius videt Deum quam alij beati.* *ib.*E.1.
*Anima Christi poterat non uti phantasmatibus.* 63.B.1.
*Anima Christi semper fuit in aliquo actu scientiæ infusæ.* *ibid.*C.2.
Christi scientia, visio.
*In Christo est aliqua scientia creata.* 58.D.1.
*Christus habuit scientiam beatorum.* *ibid.*C.2.
*Christus habuit scientiam infusam.* *ibid.*E.
*Christus habuit scientiam acquisitam.* 59.D.1.
*Scientia infusa & acquisita in Christo differunt specie.* *ib.*A.2.
*Christus videt omnia quæ ad statum suum spectant.* 61.B.2.
*Quatenus filius nesciat diem judicij.* *ibid.*C.
*Scientia Christi creata est finita.* 62.E.1.
*Quæ per scientiam inditam Christus noverit.* *ibid.*B.2.
*Per scientiam infusam Christus non videt Dei essentiam.* *ib.*C.
*Scientia Christi indita non necessariò erat discursiva.* 63.C.1.
*Scientia Christi infusa fuit perfectior scientia Angelorum.* *ibidem.*E.
*Fuit habitualis.* *ibid.*B.2.
*Per scientiam acquisitam Christus non omnia scivit multa tamen.* 64.D.1.
*Christus profecit in scientia acquisita.* *ibid.*B.2.
*Christus nihil didicit ab Angelis vel hominibus.* 64.C.2.
Christi voluntas & libertas.
*Omnis humana Christi voluntas absoluta fuit impleta.* 69.A.1.
*Duæ sunt in Christo voluntates.* 86.D.1.
*Fuit in Christo voluntas sensualitatis.* 87.C.1.
*Variæ Christi voluntates.* *ibid.*D.
*In Christo fuit liberum arbitrium.* *ibid.*B.
*Voluntas Christi humana ut ratio est, fuit conformis divinæ, eadem ut est naturalis poterat velle aliud quam divina.* 88.E.1.
*Quid voluntas ut ratio.* *ibid.*D.2.
*Non fuerunt in Christo voluntarij actus imperfecti ut ratio est.* *ibid.*D.
*Non fuit in Christo contrarietas voluntatum.* 89.A.1.
Christi gratia, virtutes, dona.
*In Christo fuerunt omnes virtutes non importantes imperfectionem.* 49.D.2.
*Quæ virtutes non fuerint in Christo.* *ibid.*E.
*Virtutes per se acquisitæ sunt in conceptione Christo infusæ.* 50.C.1.
*Quæ spes in Christo fuerit.* *ibid.*D.2.
*In Christo fuerunt dona.* 51.B.1.
*In Christo fuit donum timoris.* *ibid.*C.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo.* ibid.B.2.
*Donum Prophetiæ varie fuit in Christo.* ibid.E.
*Christus habuit maximam gratiam.* 52.B.2.
*Quæ plenitudo gratiæ sit Christo propria.* ibid.D.
*Gratia unionis est infinita, gratia habitualis finita.* 51.B.1.
*Gratia habitualis Christi quomodo sit infinita.* ibid.C.
*Gratia Christi est ejusdem speciei cum nostra.* ibid.A.2.
*Gratia Christi non potuit augeri.* ibid.D.
*Quod sit gratia capitis.* 57.D.1.
*Gratia capitis in Christo est eadem secundùm substantiam cum gratia personalis sive habituali.* 57.D.1.

Christi meritum, satisfactio.

*Operationes Christi finitæ in ratione entis valoris tamen infiniti.* 14.A.1.
*Ante Incarnationem erat salus per Christum.* 21.D.1.
*Christus meruit præmium infinitum.* 32.E.1.
*Christus per actiones humanitatis sibi meruit.* 91.B.1.
*Christus meruit per actus omnium virtutum quos exercuit.* ibid.D.2.
*Quænam Christus sibi meruerit.* 92.B.2.
*Christus mereri posset scientiam, gratiam beatitudinem si humanitas assumeretur sine illis.* 93.C.1.
*Christus meruit nobis gratiam &c.* ibid.E.
*Etiam baptismi applicationem.* ibid C.2.
*An solis bonis Christus meruerit resurrectionem.* 181.E.2.

Christi sacerdotium.

*Christus fuit sacerdos.* 98.B.1.
*Christus factus est sacerdos in quantum homo.* ibid.C.
*Christus non est minor Angelis quia sacerdos.* ibid.A.2.
*Christus non fuit sacerdos veteris legis.* ibid.C.2.
*Sacerdotium Christi non fuit ejusdem rationis cum sacerdotio legis naturæ neque est omnino ejusdem cum sacerdotio legis novæ.* 99.C.1.
*Sacerdotium Christi ut pertinuerit ad sacerdotium novæ legis.* ibid.E.
*Christus fuit simul sacerdos & hostia.* ibid E.2.
*Effectus sacerdotij Christi est expiatio peccatorum.* 100.D.1.
*Christus fuit sacerdotij effectum non recepit.* ibid.B.2.
*Christus est Sacerdos in æternum.* ibid.E.
*Sacerdotium Christi fuit secundùm ordinem Melchisedech.* 101.C.1.
*Christus cur non sacerdos secundùm ordinem Aaron.* 102.A.2.

Christi adoratio.

*Christi humanitas & divinitas una adoratione adorantur.* 107.B.1.
*Una tantum est adoratio Christi ea quæ latriæ.* ibid.C.
*Humanitas Christi adoratur latria.* ibid.E.
*Quomodo Christus ut homo adoratur latria.* ibid.C.2.
*Si caro Christi separaretur a verbo non esset adoranda latria, sed quadam inferiori adoratione.* 108.A.1.
*An licitè ut eadem persona propter duas naturas duabus adorationibus adoretur.* ibid.B.

Christi oratio.

*Christus secundùm quod homo est, patrem oravit.* 96.A.1.
*Non ex ea necessitate qua nos.* ibid.B.
*Christus nunc verè & propriè orat pro nobis.* ibid. C.2.
*Christus pro se oravit.* 97.B.1.
*Non oravit secundùm sensualitatem.* ibid.A.
*Omnis oratio Christi fuit exaudita.* ibid.D.
*De Christi oratione in horto.* ibid.A.2.
*Pro quibus Christus oraverit.* ibid.C.
*Pro quibus oraverit in passione.* 163.A.2.

Christi potentia, & miracula.

*Anima Christi non habuit omnipotentiam.* 65.D.1.
*Nec fuit omnipotens ad immutandas creaturas.* ibid.E.2.
*Anima Jesu Christi habet aliquam principalitatem, non tamen est simpliciter principalis causa gratiæ.* 6 .C.1.
*Quæ potentia animæ Christi ad corpus proprium.* 67.B.2.
*Quæ potentia animæ Christi ad suam voluntatem.* ibid.D.
*Christus convenienter fecit miracula.* 150.D.1.
*Miracula per Christum facta sufficienter ostendunt ejus divinitatem.* 152.A.1.
*Christus convenienter fecit miracula circa dæmones.* ibid.2.
*Christus fecit miracula circa corpora cœlestia.* 252.C.1.
*Similiter circa homines.* ibid.B.2.
*Etiam circa creaturas irrationales.* ibid.E.

Christi subjectio, & servitus.

*Christus est patri subjectus.* 9.A.1.
*Tria in nomine subjectionis comprehensa.* ibid.B.
*Quid subjectio.* ibid.
*Christus non est servus servitute pœnali vel legali.* ibid.2.
*Christus ut homo fuit servus Dei patris servitute quæ consequitur naturam creatam.* ibid.D.
*Christus non fuit subjectus legi Mosaicæ nec legibus humanis.* 95.B.2.
*Christus ut sibi ipsi subjectus.* ibid.A.2.
*Quomodo fuerit necessarium Christum pati.* 154.A.2.
*Decuit Christus in cruce pati.* ibid.D.
*Christus ex obedientia mortuus est.* 161.E.2.

Christi sessio ad dexteram patris.

*Christus sedet ad dexteram patris.* 184.E.2.
*Non est in Deo dextera.* ibid.
*Christus ut Deus dici potest sedere ad dexteram patris.* ibid. A.2.
*Quid sit sedere ad dexteram patris.* ibid.B.
*Pater non sedet ad dexteram filij.* ibid.
*Christus secundum quod homo sedet ad dexteram patris.* ib.C.
*Quid sit sedere.* ibid.
*Nulli creaturæ convenit, sedere ad dexteram patris.* 185.A.1.

Christi resurrectio.

*Christus convenienter variis argumentis declaravit suam resurrectionem.* 181.B.1.
*Manifestavitque eam sufficienter.* ibid.E.
*Resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ.* ibid.C.2.
*Necessarium Christum resurgere.* 173.D.1.
*Christus die tertia resurrexit.* ibid. E.2.
*Christus resurrexit in aurora.* 174.B.1.
*Christus resurrexit die prima septimanæ.* ibid.D.
*Christus primus omnium resurrexit.* ibid.B.2.
*Fuit suæ resurrectionis causa.* 175.C.1.
*Verum corpus habuit Christus post resurrectionem.* 175.D.1.
*Surrexit clauso sepulchro.* ibid.E.
*Corpus Christi resurrexit integrum.* ibid.D.2.
*Christus resurrexit cum cicatricibus.* 177.E.1.
*Non omnibus promiscuè Christus debebat suam resurrectionem manifestare.* ibid.E.2.
*Christus non fuit visus resurgere.* 179.A.1.

Christi potestas.

*Christus habuit potestatem judiciariam.* 185.D.1.
*Etiam ut homo.* ibid.E.
*Licet hæc potestas non sit suprema est tamen vera & propria.* ibid.B.2.
*Quatenus Christus habuit potestatem judiciariam ex merito.* ibid.C.
*Potestas judiciaria Christi extendit se ad omnes res humanas.* ibid.D.

Christi defectus, passiones.

*Christus assumpsit defectus corporis.* 68 D.1.
*Corpus Christi ut fuerit subjectum necessitati morienai.* ibid. D.2.
*Christus secundùm conditionem corporis quam accepit habuit necessitatem moriendi.* 69.A.1.
*Quæ differentia Christi a nobis quantum ad necessitatem moriendi.* ibid.C.
*Passibilitas corporis Christi non erat miraculosa.* ibid.D.
*Christus defectus naturæ humanæ non contraxit sed suscepit.* ibid.A.2.

Christus



*Christus non assumpsit omnes defectus hominum.* ibid.C.
*Quos defectus non assumpserit.* ibid.D.
*An morbos aliquos sumpserit.* 70.A.1.
*Potuisset Christus naturaliter mori.* ibid.D.
*In Christo nullum fuit peccatum.* ibid.B.2.
*Christus peccare non potuit.* 71.B.1.
*In Christo non fuit fomes peccati.* 73.B.1.
*In Christo fuerunt passiones sed aliter quam in nobis.* ibid. D.2.
*In Christo fuit dolor sensibilis.* 74.B.1.
*Etiam tristitia.* 75.A.1.
*In Christo fuit timor.* ibid.D.
*Etiam admiratio.* ibid.2.
*In Christo fuit ira.* 96.D.1.

Circumcisio.

*Causæ circumcisionis.* 139.A.1.
*Ante circumcisionem fuit aliquod remedium contra peccatum originale.* 195.C.2.
*Circumcisio non impressit in anima characterem.* 209.C.2.
*Circumcisio die octava.* 255.C.1.
*Erat figura baptismi.* ibid. E.
*Fuit convenienter instituta in Abraham.* ibid.2.
*Lex circumcisionis communiter non obligavit nisi Abraham & illius posteros per Isaac & Jacob oriundos.* 269.C.1.
*Circumcidere non potuisset Abraham filios & mancipia domus suæ si non voluissent.* ibid.E.
*Circumcisionis ritus fuerunt convenientes.* ibid.D.2.
*Culter lapideus non erat de necessitate.* ibid.E.
*Dies octavus circumcisionis nulla necessitate potuit prævenri, potuit tamen interdum differri circumcisio ultra diem octavum.* 270.B.1.
*Circumcisio non habuit vim conferendi gratiam, ideo nec peccatorum remissionem contulit.* ibid.D.2.

Circumstantiæ.

*Quæ circumstantiæ mutantes speciem sunt confitendæ.* 56.D.1.
*Quæ circumstantiæ mutent speciem.* ibid.E.
*Circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt confitendæ.* ibid. B.2.
*Quænam circumstantiæ dicendæ sunt multum aggravantes.* 57.C.1.
*Casus in quibus sunt confitendæ circumstantiæ notabiliter aggravantes.* ibid.
*Quæ circumstantiæ minuentes sunt confitendæ.* ibid.E.2.

Cognatio.

*Vide* Debitum conjugale, & matrimonij impedimenta.
*Quotuplex sit cognatio.* 683.A.1.
*Quid cognatio spiritualis.* 693.B.2.
*Solum oritur ex baptismo & confirmatione.* 694.A.1.
*Ad quos se extendat.* ibid.D.
*An solum oriatur ex baptismo solemniter collato.* ibid.E.

Communicatio idiomatum.

*Quid idioma.* 79.A.1.
*Quid communicatio idiomatum.* ibid.B.
*In quo consistat.* ibid.C.
*Triplici generis idiomata.* ibid.D.

Communionis præceptum divinum.

*Obligat in periculo mortis.* 353.D.1.
*Præceptum divinum de communione non tantum obligat in morte sed etiam ante periculum illius: & sæpius.* ibid.A.2.

Communionis præceptum Ecclesiasticum.

*Qui communicant indignè non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ.* 357.D.1.
*An qui prævidet impedimentum ob quod non poterit in paschate communicare teneatur prævenire.* ibid.A.2.
*Qui prætermisit communicare in paschate adhuc tenetur ad Communionem pro isto anno.* 355.A.1.

Communionis modus.

*Vide* Eucharistiæ sumptio.
*Communio sub utraque specie non est laicis & sacerdotibus non consecrantibus jure divino præcepta.* 356.A.1.
*Non datur major gratia communicanti sub utraque specie quam communicanti sub una.* 358.C.1.
*Ecclesia potuit prohibere laicis usum calicis.* 360.A.1.
*Utrum tamen calix sit ex dispensatione concedendus hæreticis.* ibid.D.2.
*Communio laica non erat ea quæ fiebat sub una specie.* 361. B.2.
*Sed quæ cum laicis.* ibid.D.
*Quæ communio olim dicta fuit peregrinorum.* 362.D.1.

Claves.

*In Ecclesia sunt claves.* 545.B.1.
*Actus clavium Beati Petri.* ibid.C.
*Quid clavis?* ibid.B.2.
*Duæ sunt claves spirituales.* ibid.C.
*Quot in universum sint claves Ecclesiæ.* ibid.E.
*Effectus clavium est remissio peccati etiam quoad culpam.* 546.C.1.

Minister.

*Sacerdotes legales non habuerunt claves regni cœlorum.* 549. C.2.
*Christus verò habuit.* ibid.D.
*Clavem ordinis habent soli sacerdotes.* 550.A.1.
*Ex eo quod quis sit sanctus, non habet claves regni cœlorum.* ibid.B.2.
*Sacerdos non desinit habere claves regni cœlorum ex eo quod sit malus.* ibid.C.
*Sacerdos non potest uti clave in quemlibet.* 550.E.2.

Concubina.

*Habere concubinam est contra legem naturæ & peccatum mortale.* 721.B.1
*Nunquam fuit licitum habere concubinam.* ibid.C.
*Quod concubina quandoque tribuitur sanctis.* ibid.D.

Conditio.

*Vide* Matrimonium sub conditione.

Confessarius.

*Minister est solus sacerdos.* 562.D.2.
*Nullo casu potest fieri confessio sacramentalis illi qui non est sacerdos.* 503.E.1.
*Qui non sacerdos tentaret proferre absolutionem super confessione sibi facta committeret sacrilegium.* ibid.B.2.
*Incurreret etiam irregularitatem.* ibid.
*Non est consultum facere confessionem alicui non sacerdoti.* ibid.C.
*In ministro sacramenti pœnitentiæ requiritur potestas ordinis.* 504.B.2.
*Etiam jurisdictionis.* ibid.C.
*Ista jurisdictio est requisita jure divino.* ibid.E.
*Etiam ad absolutionem venialium requiritur jurisdictio.* 505. D.1.
*Quid sit ea jurisdictio, quando detur.* ibid.A.2.
*Pontifex vel Episcopus potest alicui dare facultatem audiendi confessiones sine licentia parochi.* ibid.D.
*Qui præter privilegiatos sortiantur jurisdictionem delegatam.* ibid.A.
*Pontifex ex jure divino potest eligere confessarium.* ibid.D.
*Jure Ecclesiastico Episcopus & alij superiores, necnon minores Prælati exempti, possunt eligere confessarium.* 507.A.1.
*Parochi & alij sacerdotes seculares possunt confiteri cuivis sacerdoti ab Episcopo approbato.* ibid.C.
*Vagabundi, viatores, peregrini possunt confiteri parocho ubi se inveniunt tempore confessionis.* ibid.A.2.
*Sæcularis habens potestatem eligendi confessarium debet eligere approbatum.* 508.B.2.
*Quæ approbatio sit necessaria.* ibid.C.
*Cujus Episcopi approbatio sit necessaria.* 509.D.1.
*Quæ bonitas, scientia, prudentia, confessario sit necessaria.* 510.D.2.
*Confessarius non debet ferre judicium in particulari de singu-*

*lis*

Universidad de Deusto
Biblioteca




lis in confessione auditis. 511. A. 1.
Nec debet habere distinctam singulorum memoriam quando profert absolutionem. ibid.
Quid agendum confessario qui errorem commisit in confessione audienda. ibid. C. 2.
Quando confessor tenetur audire confessionem pœnitentis. 512. C. 1.
Pœnitens potest in fine vitæ à quolibet sacerdote absolvi ib. A. 2.
Confessarius debet monere & examinare pœnitentem & quando. 523. B. 2.
Quid in interrogationibus servandum. ibid. D.
Debet absolvere à se probabiliter dissentientem. ibid. C.
Confessarius non solum potest, sed etiam tenetur satisfactionem injungere pœnitentibus. 526. D. 2.

*Vide* Satisfactio sacramentalis.

Confessio.

Confessionis definitio. 502. D. 1.
Est pars essentialis pœnitentiæ. 461. B. 1.
Peccatorum confessio coram Deo est juris naturalis, coram sacerdote juris positivi divini. 495. C. 2.
An minister sacramentorum debeat esse confessus de mortali cujus habet conscientiam. 219. A. 1.

Confessionis modus.

Utrum confessio debeat fieri secretè. 595. A. 1.
Confitens per se & ordinariè debet confiteri verbo. 524. E. 1.
Potens voce confiteri, nec vult confiteri nisi nutibus aut scripto, ordinariè peccat mortaliter. ibid. B. 2.
Quando liceat scripto, nutibus, vel per interpretem confiteri. ibidem.
Non licet per litteras confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. 525. C. 1.

Confessionis præceptum divinum.

Confessio est relapsis necessaria jure divino. 492. D. 1.
Est etiam necessaria in re vel in voto necessitate. 494. B. 2.
Pueri obligantur præcepto divino cum ad annos discretionis pervenerint si mortale peccatum habeant. 497. C. 1.
Præceptum hoc per se obligat in periculo & in articulo mortis. 499. E. 1.
Etiam ante periculum mortis. ibid C. 2.
Jure divino necessaria est confessio communicaturo, si sit conscius peccati mortalis. 500. C 1.
Hoc præcepto tenetur quis ratione conscientiæ erroneæ ad confessionem, nisi illam deponat. ibid. D.

Præceptum Ecclesiasticum.

Qui per totum annum non habet peccatum mortale non tenetur confiteri vi juris Ecclesiastici. 496. A. 2.
Teneretur tamen ob scandalum, vel particulare statutum suæ religionis. ibid.
Ecclesia præcipere potest confessionem venialium certis temporibus faciendam. ibid. D. 2.
Summus pontifex obligatur præcepto confessionis annuæ. 38. A. 2.
Peccator non statim atque peccavit tenetur ad confessionem. 499. B. 1.
Fideles tenentur ad confessionem semel in anno faciendam per se ac vi Ecclesiastici. 500. E. 1.
Præceptum confessionis secundùm se non obligat pro certa parte anni. ibid. 2.
An consuetudo confitendi in paschate vim legis non obtinuerit. 501. C. 1.
Quilibet tenetur intra annum à tempore quo pervenit ad usum rationis. ibid. D.
Unicuique computandus est suus annus ab ultima sua confessione. ibid. E.
Per illam solam confessionem impletur, istud cui injungitur valida absolutio. ibid. C. 2.
Quas pœnas incurrat hujus præcepti prævaricator. ibid. D.
Confessio debet fieri proprio sacerdoti vel alteri de ipsius consensu. 504. E. 1.
Quis dicatur proprius sacerdos. 505. E. 2.
Ex privilegio potest quis alteri quam proprio sacerdoti confiteri. 506. C. 1.

Confessionis integritas.

Nemini licet confiteri peccatum cujus non habet conscientiam. 497. C. 2
In confessione mentiri affirmando vel negando peccatum veniale, est solum veniale. 498. B. 1.
Qui dubitat an peccatum aliquod sit confessus illud confiteri debet. ibid. C. D.
Peccata ut dubia sunt confitenda. ibid. B.
Summus pontifex non potest cum unico dispensare ne unquam confiteatur. ibid. E.
Potest tamen dispensare in tempore confessionis. ibid.
Confessio debet esse integra. 514. A. 2.
Ad integritatem confessionis requiritur ut singula peccata mortalia quoad speciem & numerum exprimantur. 515. A. 1.
Idque jure divino. ibid.
Numerus peccatorum ille est exprimendus quatenus sciri potest. 517. E. 1.
Ad integritatem confessionis sufficit talis diligentia qualem pœnitens adhibere solet in re gravi. 518. B. 1.
An circumstantiæ loci, temporis, personæ, scandali, sint confitendæ. ibid. D.
Illa confessio est invalida in qua propter verecundiam & malitiam reticetur aliquod peccatum mortale vel circumstantia confitenda. 519. C. 1.
Varij casus confessionis non integræ (scilicet materialiter) & tamen validæ. ibid. E. & 520

Confessionis repetitio.

Confessio est repetenda quando prior confessio fuit invalida. 522. E. 2.
Confessio illa est valida quando in generali confessione peccatorum reticentur aliqua prius legitimè confessa. 519. D. 1.
Iteranda est confessio, si sciatur defuisse confessario intentionem absolvendi. 523. C. 1.
Item si verba formæ principalia non protulerit. ibid.
Item si in illis errorem essentialem commiserit. ibid.

Confessionis sigillum.

*Vide* Sigillum.

Confirmatio.

Est propriè dictum novæ legis Sacramentum. 274. A. 2.
Quid sit confirmatio. ibid. C. 2.
Variæ confirmationis appellationes. ibid. B.
Confirmatio fuit instituta in ultima cœna. 274. D. 2.

Ejus materia.

Materia confirmationis est chrisma. 237. E. 1.
Balsamum requiritur in chrismate confirmationis de necessitate Sacramenti. ibid. D. 2.
Apostoli semper usi sunt chrismate quando confirmationis Sacramentum ministrabant. 277. A. 1.
Chrisma debet esse consecratum seu benedictum ab Episcopo & probabile est quod illa benedictio sit de necessitate Sacramenti nec etiam possit (etiam per summum Pontificem) committi sacerdoti simplici. ibid. A. 2.

Ejus forma.

Hæc est legitima forma confirmationis, signo te signo crucis &c. 278. A. 2. ibid.
Quæ verba essentialia.

Ejus minister.

Solus Episcopus est hujus sacramenti minister ordinarius. 283. A. 2.
Pontifex potest presbytero committere ut confirmet. ibid. D.
Non tamen facit quod simplex sacerdos sit minister ordinarius. 284. D. 1. ibid.
Bene tamen ut sit extraordinarius.

Recipiens.

Hoc Sacramentum est omnibus exhibendum. 281. C 1.
Rationabilius est non confirmare infantem regulariter. ibid. D.
Amentes





Amentes tamen ut statim est commoditas confirmari debent. ibid. B. 2.
Etiam morituris dandum est hoc Sacramentum. ibid.

Effectus.

Sacramentum confirmationis imprimit characterem. 279. B. 2.
Character confirmationis, characterem baptismi de necessitate præsupponit. 280. A. 1.
Effectus confirmationis qui est robur spirituale præsupponit effectum baptismi qui est prima justificatio. ibid. C.
Sacramentum confirmationis confert gratiam gratum facientem. ibid. E.

Necessitas.

Hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medij. 282. A. 1.
Sed neque videtur esse aliquod singulare & absolutum præceptum, sive divinum sive Ecclesiasticum obligans sub peccato mortali. ibid.
Ejus tamen omissis cum sit negligentia rerum salutarium est peccatum. ibid. C.
Iterato confirmationem dans, aut recipiens non sit irregularis. 279. D. 2.

Ejus cæremoniæ.

Sunt convenientes ritus confirmationis. 285. C. 1.
Quid levis *in maxillam* percussio *significet*. ibid. E.

Susceptor.

Requiritur susceptor in confirmatione. 282. D. 2.
Non confirmatus tenens in confirmatione contrahit cognationem. 283. A. 1.
Unus patrinus tantum esse debet. 283. B. 1.
Servandum est ut neque masculi fœminis patrini, neque fœminæ masculis matrinæ sint. ibid.

Conjux.

*Vide* Debitum conjugale, matrimonium, votum.

Conjux ad fidem conversus potest remanere cum conjuge infideli nolente converti. 703. C. 1.
Triplex separatio conjugum. 711. D. 1.

Consanguinitas.

*Vide* Matrimonij impedimenta.

Quid sit consanguinitas. 683. B. 1.
Quid sit linea consanguinitatis. ibid. A. 2.
Quomodo differant consanguinitas & linea. ibid.
Quotuplex sit linea. ibid. B.
Quid linea recta, transversa, & quid sit gradus. ibid. C.
Tres regulæ ad dignoscendos gradus. 683. E. 2.

Consecrans.

*Vide* Eucharistiæ, minister.

Consecrare chrisma confirmationis in peccato mortali est mortale peccatum. 218. A. 2.

Consensus.

*Vide* Matrimonium.

Contritio.

Contritio est de essentia sacramenti pœnitentiæ. 461. A. 2.
Rectè definitur quod sit Dolor de peccatis, &c. 462. C. 1.
Contritionis divisio. 463. B. 1.
Contritio est essentialiter dolor. ibid. 2.
Propositum de non peccando requiritur ad contritionem. 464. B. 2.
Non requiritur tamen omnino quod illud propositum sit formale. 465. C. 1.
Ordinariè id requiritur. ibid. E.
Votum confitendi & satisfaciendi est ad veram contritionem necessarium. ibid. D. 2.
Nunc eadem est ratio essentialis contritionis quæ olim fuit. 466. A. 1.
Ad contritionem etiam imperfectam amor Dei supernaturalis requiritur. ibid. D.
Ad perfectam contritionem requiritur amor Dei super omnia simpliciter. 468. A. 1.
Contritio est actus virtutis. ibid. 2.
Ad Sacramentum pœnitentiæ non requiritur contritio charitate perfecta. 471. E. 1.
Quomodo contritio differat ab attritione. 484. B. 1.
Quid perfecta & imperfecta contritio. ibid. A. 2.
Non est contritio de pœnis. 475. C. 1.
Propriè loquendo de contritione ipsa non debet nec potest esse de peccato originali. ibid. 2.
De omni peccato actuali est contritio. ibid. E.
Contritio non est de peccatis futuris. 476. B. 1.
Nec de peccato alieno. ibid. C.
Ad essentialem contritionis imperfectæ rationem interdum sufficere potest de omnibus universim dolore. 18. E. 1.
Contritio est dolor appretiative summus. 778. D. 1.
Non debet esse summus intensive. ibid. E.
Contritio potest unico instanti persici. 779. B. 1.
Non potest esse nimia. 786. A. 1.
Plus de uno peccato dolendum quam de alio. ibid. C.
Contritio ut remanere debeat tota vita. ibid. B. 2.
Quomodo expediat contritionem continuari. ibid. C.
Beati non habent contritionem neque damnati. 484. C. 2.
Contritio remittit peccatum non tamen sine ordine ad Sacramentum. 485. A. 1.
An omnis vera contritio semper habeat conjunctam remissionem peccatorum priusquam Sacramentum recipiatur. 486. D. 2.
Omnis contritio charitate perfecta semper habet conjunctam remissionem peccatorum. 488. D. 2.
Contritio quædam imperfecta etiam apud S. T. vera tamen. 491. C. 1.
Per contritionem potest tolli omnis reatus pœnæ. ibid. 2.

Contritionis obligatio.

Contritio est necessaria non tantum necessitate medij sed etiam præcepti specialis. 481. C. 1.
Illud præceptum partim est positivum, partim naturale. ibid.
Præceptum contritionis non obligat ad statim. 482. C. 1.
Præceptum contritionis non obligat diebus festis aut Dominicis. 483. B. 2.
Contritio per se obligat in mortis periculo. ibid. C.
Alij casus in quibus obliget hoc præceptum. ibid. & 484. 1.

Conversio.

Quæ requirantur ad conversionem. 312. E. 2.
Quodlibet convertine potest in quodlibet. 314. D. 1.
Quodlibet ens creatum potest converti in aliud etiam creatum. ibid. E.

Corona.

Corona & tonsura sunt idem. 616. A. 1.
Ritus habendi coronam per detonsionem capillorum est ex traditione Apostolica. ibid. C.
Variæ coronæ rationes. ibid. E.
Corona non est ordo. 617. C. 1.
Clerici ex hoc quod coronam accipiant, non renuntiant bonis temporalibus. ibid. B. 2.

Corpus.

*Vide* Christi corpus.

Unum corpus potest per miraculum penetrare aliud. 777. B. 1.
Idem corpus potest esse localiter in duobus locis. 307. C. 1.
Corpus quando dicitur spirituale. 768. A. 1.
Quid dos corporis. 774. E. 2.

Corpus glorioſum.

Quatuor dotes corporis gloriosi. 774. E. 2.
Corpori glorioso non competit ex dote subtilitatis penetrare alia corpora. 776. D. 2.
Corpus glorioſum postulat esse in loco æquali. 777. E. 2.
Corpus glorioſum non est impalpabile. ibid. A. 2.
Claritas corporis gloriosi potest naturaliter videri ab oculo non glorioso. 778. C. 2.
Quomodo corpus glorioſum à corpore non glorioso videbitur. ibid. E.
Quatuor dotes corporis gloriosi differunt à beatitudine, 332. B. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca




Creatura.

*An nulla creatura unionem verbi hypostaticam efficere potuerit.* 35.B.2.

Crux.

*Qua adoratione crux Christi sit adoranda.* 113.E.1.
*Ibidem vide de clavis.* E.2.
*Crux Christi cujus figuræ fuerit.* 155.C.1.
*Mors crucis maximè dolorosa.* ibid.B.

Cyrillus.

*Cyrillus ab errore circa incarnationem defenditur.* 23.D.2.

D.

Damnati.

QUIBUS *deformitatibus carebunt damnati.* 779.C.1.
*Corpora damnatorum erunt incorruptibilia.* ibid.A.2.
*Quæ incorruptionis causa.* ibid.B.
*Corpora damnatorum erunt passibilia.* ibid.E.
*Quæ damnatorum pœna essentialis.* 791.E.1.
*Damnati non solo igne cruciantur.* 798.A.1.
*Duplex pœna damnatorum.* ibid.B.
*Pœna damni non in omnibus æqualis.* ibid.C.
*De stridore dentium.* ibid. C.2.
*Vermis damnatorum non erit corporeus.* ibid.E.
*Quomodo fletus futurus sit in damnatis.* 799.A.1.
*Damnati sunt in tenebris corporalibus.* ibid.C.
*Omnis damnatorum voluntas est mala.* 800.D.2.
*In damnatis non est fides.* ibid.E.
*Damnati non ex pœnitentiam agunt.* 801.A.2.
*Quomodo appetunt non esse.* ibid.B.
*Deum odio habent.* ibid.D.
*Nihil merentur.* 802.C.1.
*Continuò peccant.* ibid.B.2.
*Possunt uti notitia hic habita.* 802.A.1.
*Quomodo de Deo cogitabunt.* ibid.B.
*Vident beatos in gloria & quomodo.* ibid.C.
*Damnatorum pœna non est finienda.* 805.C.1.
*Damnati non puniuntur infra condignum.* 807.A.1.

Debitum conjugale.

*Si unus conjugum alio consentiente voveat continentiam qui vovit non potest petere debitum.* 675.A.1.
*Quando ambo conjuges ex mutuo consensu voverunt continentiam neuter potest petere debitum nec alteri petenti potest reddere.* ibid.C.
*Qui post votum simplex consummavit matrimonium absque dispensatione, sive bene, sive male fecerit non peccabit deinceps reddendo debitum; peccare tamen petendo.* 674.C.2.
*Si uterque conjugum voverant continentiam ante matrimonium; neuter potest absque peccato mortali exigere debitum; uterque tamen potest reddere absque peccato.* ibid.D.
*Potest in his Episcopus dispensare ad petendum debitum, etiam si facilis esset recursus ad pontificem.* 675.E.1.
*Conjux quæ vovit nunquam petere debitum non peccat reddendo, peccat autem exigendo.* 676.A.1.
*Cum aliquis conjugum certus est de nullitate matrimonij propter aliquod impedimentum dirimens nec petere nec reddere potest debitum conjugale.* 691.E.2.
*Unus conjugum non potest continentiam vovere sine consensu alterius.* 711.D.2.
*Si unus conjugum sciens & volens baptizet suam prolem extra casum necessitatis, amittit jus petendi debitum, etiamsi teneatur reddere.* 693.C.2.
*An sit idem dicendum qui in necessitate baptizaret suum filium ex fornicatione.* ibid.E.
*Incæstus post matrimonium commissus cum consanguinea uxoris privat incæstuosum jure petendi debitum.* 241.B.1.
*An Incæstus cum propria consanguinea impediat petitionem debiti.* ibid.D.
*Conjux conjugi tenetur debitum reddere.* 716.E.2.
*Quando negare debitum non sit grave peccatum.* 717.A.1.
*Conjux potest alteri negare debitum si ex redditione timeatur notabile detrimentum valetudinis.* ibid.B.
*Conjux sanus tenetur reddere debitum conjugi leproso.* ibid. D.
*An propter morbum aut vitium quod proli concipiendæ timetur eventurum excusetur conjux a redditione debiti.* ibid. A.2.
*An conjux teneatur reddere debitum quando is, qui petit, petendo peccat.* ibid.C.
*Quando unus conjugum est totus ebrius, alter non tenetur per se ei petenti reddere debitum, per accidens autem tenetur.* ibid.D. & E.2.
*Non licet negare debitum ne proles multiplicentur.* 716.A.1.
*Uxor non peccat negando debitum, quando experta est se non posse, aut parere sine gravi mortis periculo, aut pueros in lucem edere vivos.* ibid.C.
*Vir uxori etiam non expresiè petenti debitum reddere tenetur.* ibid. E.
*Vir & mulier æquales sunt in debito exigenda.* ibid.A.2.
*Petitio debiti temporibus sacris est illicita.* 717.A.1.
*Non est peccatum mortale, si conjux a conjuge debitum conjugale petat sacris diebus.* ibid.D.
*Alisque diebus tenentur ad redditionem debiti.* ibid.
*An debitum in loco sacro petere vel reddere aliquando sit licitum.* ibid.A.2.
*Cur liceat petere debitum ad vitandum conjugis incontinentiam, non autem ad propriam.* 663.D.2.

Dæmones.

*Dæmones sciverint ne Christum esse messiam & verum Dei filium.* 151.C.1.
*Dæmones ut ignem infernalem, ubicumque sint, patiantur.* 799.D.2.

Descensus Christi ad inferos.

*Christus descendit ad inferos descensu reali.* 169.E.2.
*Non fuit Christo pœna descendere ad infernum.* 170.A.2.
*Christus non descendit realiter ad infernum damnatorum.* ibid. C.
*Christus ut solverit dolores inferni.* 17.C.1.
*Totus Christus fuit in inferno.* 630.C.2.
*Quam moram traxit Christus in inferno.* ibid.D.

Deus.

*Nulli sunt actus in Deo priores & posteriores.* 17.A.2.
*An Deus possit assumere abstrahendo a tribus personis.* 36.A.2.
*Deus potest assumere naturam irrationalem.* 41.E.2.
*Deus quo sensu assumpserit hominem.* 42.B.2.
*Cur Deus possit dici mortuus & non peccare.* 72.E.2.
*In Deo non est admiratio.* 76.C.1.
*Hæc propositio* Deus est homo, *est vera,* 76.D.2.
*Item est prædicatio univoca.* ibid E.
*Illa propositio* Deus est homo, *est in materia necessaria.* 77. C.1.
Deus est factus homo *verè & propriè dicitur.* 81.B.1.
*Item non sequitur Deum esse mutatum.* ibid.C.
*Deus videri potest per essentiam ab intellectu humano.* 789. E.1.
*Illa visio cur dicatur clara & immediata Dei visio.* ibid.B.

Diabolus.

*Diabolus est omnium malorum caput.* 57.D.2.
*Diabolus non influit malitiam.* ibid.E.
*Diaboli agnoverunt Christum esse Messiam & Deum.* 151.C.2.
*Non tamen omnino certo.* ibid.E.
*Diabolus ut per peccatum hominum jus & dominium in eos acquisiverit.* 10.B.1.

Diaconi.

*Diaconus in peccato mortali exercens solemniter actum sui ordinis quomodo peccet.* 218.C.1.
*Non pertinet ad officium diaconi baptizare.* 247.A.1.


*Quæ*




*Quæ sit materia, forma, & officia diaconatus.* 606.B.2.
*Diaconatus est verum Sacramentum.* 603.E.1.
*In ordinatione diaconi imprimuntur duo characteres, sicut conferuntur duæ potestates.* 607.A.2.

Diaconissæ.

*Quæ olim dicebantur diaconissa.* 614.B.2.
*Officia diaconissarum.* ibid.C.

Dilectio.

*Duplex dilectio salutaris.* 490.A.1.
*Dilectionem Dei quæ fuit principium passionis Christi, Christum nobis non promeruisse, sed tantum dilectionem reconciliationis.* 167.B.1.

Dispensare. Dispensatio.

*Dispensare potest Episcopus in impedimentis quæ solum impediunt præterquam in voto castitatis, & religionis.* 666.B.1.
*Quæ vota dispenset Episcopus.* ibid.C.
*Solus pontifex (nisi in casibus extraordinarijs) potest dispensare in impedimentis dirimentibus ab Ecclesia introductis.* ib.E.
*Quando possit Episcopus dispensare super impedimenta dirimentia.* ibid.B.2.
*Potest Episcopus per se vel per alium à se ad hoc delegatum dispensare super impedimento dirimenti antequam matrimonium sit contractum, quando non est tutus accessus ad pontificem, & est urgentissima necessitas.* 667.C.1.
*Si tamen sit aditus ad legatum potestate dispensandi prædium, Episcopus dispensare non potest.* ibid.E.2.
*Referuntur causæ ad dispensandum sufficientes.* 668.A.2.
*Episcopus potest dispensare cum conjugatis ad reddendum ac petendum debitum, si est periculum incontinentiæ.* 675.D.1.

Divortium.

*Quid divortium.* 711.C.1.
*Vir & uxor sunt pares in causæ divortij.* 713.D.1.
*Post divortium vir alteri non potest nubere ipsa vivente.* 714. A.1.
*Dimissus per divortium potest reconciliari.* 715.D.1.
*An post divortium Ecclesiæ judicio factum, possit innocens vel adulter suscipere sacros ordines, aut ingredi religionem.* ibid.A.2.

Dolor.

*Dolor sensibilis fuit in Christo.* 74.C.1.
*Dolor passionis Christi fuit maximus.* 154.A.1.

Dos.

*Quid dos corporis glorioſi.* 774.E.1.
*Dos est qualitas corpori glorioso immanens.* 775.E.1.

E.

Ecclesia.

CHRISTUS *ut homo est caput Ecclesiæ.* 54.D.1.
*Quid hic Ecclesia.* ibid.E.
*Christus non est propriè membrum Ecclesiæ.* ibid.B.2.
*Ecclesia quatenus sit in hoc sæculo sine macula.* 55.C.1.
*Esse caput Ecclesiæ proprium est Christo.* 57.A.2.
*Quæ Ecclesiæ patriarchales.* 622.E.2.
*Duplex fundamentum Ecclesiæ.* ibid.B.

Ecclesiæ pollutio.

*Quid Ecclesiæ pollutio.* 393.B.2.
*Quibus casibus illam pollui seu violari contingit.* ibid.
*Ecclesia violatur per sepulturam parvuli non baptizati.* 394. D.2.
*Etiam si talis infans in utero matris mortuæ reponatur ut cum ea possit sepeliri in loco sacro.* ibid.
*Per casus occultos Ecclesia non polluitur.* 395.C.2.
*Ecclesia consecrata non nisi per Episcopum reconciliari potest.* 396.B.1.

Effectus.

*An effectus unus pendere possit a pluribus causis totalibus.* 40. E.1.





Eleëmosyna.

*Eleëmosynam non liberaturam a pœnâ æterna perseverantes in suis peccatis.* 808.D.1.
*Eleëmosynæ hæreticos aliquos nimium tribuisse.* ibid.B.
*Eleëmosyna ex fide, & dilectione facta, quomodo comparetur baptismo.* ibid.D.2.

Enoch.

*Enoch & Eliam non videre divinam essentiam.* 167.D.1.
*Enoch & Elias necdum sunt mortui.* 751.A.2.
*Enoch & Elias venturi sunt contra Antichristum.* 572.A.1.

Episcopus.

*Episcopum unumquemq; in sua Ecclesia hoc esse quod summus Pontifex est in Ecclesia tota, quomodo verum sit.* 284.E.1.
*Episcopos omnes confirmatos etsi nondum consecratos gaudere privilegio eligendi confessarium.* 507.A.1.
*Episcopæ quæ olim dicerentur.* 614.B.2.
*Episcopalis potestas an, & qua ratione sit major ordine sacerdotali.* 618.D. & E.2.
*Episcopi nomine interdum comprehendi etiam presbyteros.* 619.A.2.
*Episcopatus est ordo, verumque & propriè dictum Sacramentum novæ legis.* 620.D.2.
*Potestas Episcopalis major est sacerdotali.* 622.A.2.
*Super Episcopos aliquis est in Ecclesia superior.* ibid.C.

Error.

*Vide* Matrimonij impedimenta.
*Error personæ quid?* 671.B.2.
*Quid error conditionis, & qualitatis.* ibid.C.
*Error fortunæ quid?* ibid.
*Error convenienter ponitur impedimentum matrimonij.* ibidem.A.1.

Eucharistia.

*Eucharistia est verum & proprium novæ legis sacramentum.* 285.C.2.
*Ejus definitio.* ibid.E.
*In Eucharistia per concomitantiam sunt Pater & Spiritus sanctus.* 39.A.1.
*Id quod hic est propriè Sacramentum est verum Christi corpus & sanguis quatenus sub visibilibus panis & vini speciebus existunt.* 286.E.1.
*Qua ratione dicatur Christus esse in hoc sacramento.* 287.E.1.
*Eucharistia sacramentum est unum.* ibid.C.2.
*Hujus Sacramenti varia nomina & rationes.* 288.D.2.
*Eucharistiæ præcipua figura, Agnus Paschalis.* 289.E.2.
*Cur Eucharistia vocetur panis.* 310.D.2.

Ejus institutio.

*Hoc sacramentum convenienter est institutum in ultima cœna.* 289.B.1.
*In qua vespera lunæ instituta sit.* ibid.C.
*Quando fuerit in ultima cœna institutum.* ibid.B.2.
*Quare Christus dedit corpus suum in cœna.* 364.B.1.

Materia.

*Materia hujus sacramenti est panis & vinum.* 289.C.1.
*Non requiritur determinata quantitas materiæ.* 292.D.1.
*Quæ materia censetur præsens.* ibid.E.
*An materia hujus sacramenti habeat terminum parvitatis.* ibid.A.2.
*Materia hujus sacramenti debet esse particularis & determinata.* ibid.D.
*Panis triticeus propria est materia hujus sacramenti.* ibid.E.
*An panis ex siligine, farre, spelta & quibusdam alijs.* 293.E. 1.& 2.
*Ad veritatem sacramenti nihil refert an panis sit azymus an fermentatus: quisque tamen servare debet ritum suæ Ecclesiæ.* 293.E.2.
*Latinorum consuetudo utendi azymis est convenientior.* 294. A.2.
*Vinum vitis est materia sacramenti necessaria.* ibid.C.
*Agresta non est materia sufficiens.* ibid.E.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Mustum tamen materia sufficiens est.* 295.A.1.
*An vinum mixtum & congelatum sit sufficiens.* *ibid.*B.
*Aqua est vino miscenda.* *ibid.*D.
*Christus miscuit aquam vino.* *ibid.*A.2.
*Mixtio aquæ non est de necessitate Sacramenti est tamen de præcepto Ecclesiastico.* 96.D.1.&B.2.
*Aqua misceri debet in parva quantitate.* *ibid.*C.2.
*Aqua non conversa prius in vinum nunquam convertitur in sanguinem.* 297.D.2.

Materiæ accidentia.

*Panis substantia non resolvitur in præcedentem materiam.* *ibidem.*B.
*In Eucharistia remanent accidentia panis & vini.* 314.A.1.
*Quæ accidentia panis remaneant.* *ibid.*B.
*Forma substantialis panis non manet.* *ibid.*E.
*Non manet etiam materia panis.* 315.C.1.
*In hoc sacramento remanent accidentia sine subjecto.* 328.A,2.
*Cur accidentia remaneant sine subjecto.* *ibid.*C.
*Quomodo faciat Deus separatim accidentia esse sine subjecto.* 329.A.1.
*Quantitas est subjectum aliorum accidentium.* *ibid.*C.
*Fieri potest quod non solum quantitas sed etiam alia accidentia sine subjecto existant.* *ibid.*

Forma.

*Forma consecrationis panis hæc est,* Hoc est corpus meum, *calicis autem & sanguinis:* Hic est calix sanguinis mei. 332.B.1.
*Christus in consecratione usus est verbis quibus nunc utimur.* *ibid.*D.
*Benedictio Christi per Evangelistas expressa non fuit consecratio.* *ibid.*C.2.
*Sacramentum hoc quibus verbis perficiatur.* 333.E.2.
*Pronomine* hoc *demonstratur corpus Christi.* 334.C.2.
*Verbum* est *sumitur in propria significatione.* 335.E.1.
*Quid significet* corpus. *ibid.*C.2.
*Sola hæc verba.* Hic calix sanguinis mei, *sunt essentialia in forma consecrationis vini.* *ibid.*E.2.
*Verbis formæ quædam vis inest.* 337.B.1.
*Verba formæ sunt vera.* *ibid.*C.
*Prædictæ formæ prius natura veræ sunt quam effectus ponatur.* *ibid.*E.
*Forma una habet suum effectum antequam altera pronuncietur.* *ibid.*A.2.

Formæ efficacia.

*Panis convertitur in corpus Christi.* 312.E.2.
*Eadem numero actu substantia panis desinit & corpus Christi incipit esse.* 313.B.1.
*Hæc tamen actio non est additiva.* *ibid.*B.
*Sed productiva veluti corporis Christi.* *ibid.*C.
*Hujus actionis terminus est substantia corporis Christi ac proinde illa est substantialis.* *ibid.*E.
*Conversio panis in corpus Christi fit in instanti.* 315.B.2.
*Statim post prolationem formæ Christus est in hoc sacramento.* 318.B.2.
*Corpus est sub specie panis vi verborum & similiter sanguis sub specie vini.* 320.C.1.
*Divinitas non est in sacramento vi verborum.* *ibid.*D.
*Quid ea vox* (corpus) *complectatur quatenus est hic vi verborum.* *ibid.*E.2.
*Si consecratio esset facta in triduo mortis, corpus Christi non fuisset in sacramento vivum.* 364.C.1.

Species sacramentales.

*Tam diu corpus Christi est in sacramento Eucharistiæ quamdiu durant species sacramentales.* 319.D.1.
*Christus totus continetur sub qualibet parte specierum etiam post divisionem.* 322.D.1.
*Species sacramentales omne illud agere possunt quod poterant præsente substantia panis aut vini.* 329.C.2.
*Qualitates sacramentales agunt tanquam virtutes substantiæ.* *ibid.*D.
*Species sacramentales possunt corrumpi.* *ibid.*E.
*Ex illis aliquid generari potest.* 340.B.1.
*Et quo sensu.* *ibid.*
*Possuntque nutrire.* *ibid.*B.2.
*Frangique possunt.* *ibid.*C.
*Aliquis liquor his speciebus misceri potest.* *ibid.*E.
*Una species si consecretur sine altera consecratio tenet.* 290.D.2.
*Ex Christi tamen institutione sacramentum hoc confici non potest in una specie sine alia.* 291.B.1.
*Nec id unquam licet sive ex dispensatione, sive ex interpretatione Pontificis.* *ibid.*A.2.
*Si vino consecrato infundatur vinum non consecratum non erit tunc perfecta mixtio.* 341.C.1.

Modus existendi Christi, & cætera accidentia.

*In sacramento Eucharistiæ realiter & substantialiter corpus & sanguis Christi continetur.* 303.D.1.
*In Eucharistia tamen post consecrationem non remanet substantia panis & vini.* 309.E.1.
*Totus Christus est in hoc sacramento.* 316.A.2.
*Etiam sub utraque specie.* 322.B.1.
*Tota quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento.* 223.A.2.
*Corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco propriè loquendo.* 324.E.1.
*Est tamen in loco si generalius sumatur.* *ibid.*A.2.
*Christus non est in Eucharistia sicut in loco definitivè.* *ibid.*E.
*Christus per se loquendo est immobiliter in hoc sacramento.* 325.C.1.

Christi visio & apparitiones.

*Nullus oculus corporeus potest videre corpus Christi prout est in Eucharistia.* 326.E.1.
*Absolutâ tamen Dei potentia potest videre Christum in Eucharistia quamvis non possit modum essendi videre.* *ibid.*E.2.
*Nullus intellectus creatus potest naturaliter videre Christum in Eucharistia.* 327.E.1.
*Quando in Eucharistia miraculosè apparet caro vel puer an sit ibi corpus Christi.* *ibid.*C.2.
*Illa apparitio aliquando sit ex parte videntis, aliquando ex parte medij.* *ibid.*E.2.
*Illæ apparitiones fiunt aliquando per veram specierum sacramentalium mutationem in colore, figura, & quod tunc apparet, neque est ipse Christus, neque caro Christi.* 328.B.1.
*Quid agendum sacerdoti quando post consecrationem apparet miraculosè caro vel sanguis Christi.* *ibid.*E.

Minister.

*Solus Sacerdos potest consecrare corpus Christi.* 364.E.2.
*Plures Sacerdotes possunt consecrare eandem hostiam.* 365.E.1.
*Novi sacerdotes celebrant cum Episcopo.* *ibid.*D.2.
*Quæ intentio eorundem cum Episcopo celebrantium esse debeat.* 366.C.1.
*Episcopus est principalis celebrans respectu eorumdem.* *ibid.*B.2.
*Sacramentum Eucharistiæ dispensare est sacerdotis jure divino intelligendo de potestate ordinaria.* 367.C.1.
*Eucharistiæ dispensatio communicari potest diacono & quibus de causis.* *ibid.*E.
*Non videtur tamen subdiacono committi posse.* *ibid.*A.2.
*Eucharistiam ministrare non potest sacerdos cuilibet.* *ibidem.*E.
*Malus sacerdos validè potest consecrare.* 368.E.1.
*Similiter hæretici sacerdotes.* *ibid.*D.2.
*Etiam degradati.* 369.B.1.

Recipiens.

*Quarundam Ecclesiarum fuit olim consuetudo communicare parvulos.* 319.D.2.

*Quæ*



*Quæ dispositio ad receptionem hujus Sacramenti requiratur.* 342.A.2.
*Confessio est necessaria ei qui solum opinatur vel dubitat de peccato mortali non confesso.* 345.B.2.
*Indignè communicare non est omnium peccatorum maximum.* *ibid.*E.
*Indignè communicans unum tantum peccatum mortale committit.* 346.B.1.
*Manifestis peccatoribus neganda est Eucharistia.* *ibid.*C.
*Quid dicendum sit de suspectis.* *ibid.*B.2.
*Extremo supplicio afficiendis danda est communio.* *ibid.*C.
*Occulto peccatori publicè petenti non potest denegari Eucharistia sine peccato.* 347.A.1.
*Non est deneganda Eucharistia his qui debilem habent usum rationis.* 351.B.1.
*Nec energumenis.* *ibid.*E.
*An amentibus.* *ibid.*C.
*Parvuli usu rationis carentes nulla necessitate obligantur ad Sacramenti Eucharistiæ sumptionem.* *ibid.*B.2.
*Aliquando data fuit parvulis, sed nunc non est danda.* *ibid.*D.&E.

Eucharistiæ sumptio.

*Tres hujus Sacramenti manducationes.* 341.C.2.
*An manducent hoc Sacramentum Angeli spiritualiter.* *ibid.*E.
*Non solus homo justus manducat Christum sacramentaliter.* 342.B.1.
*Qui hoc Sacramentum sumit in conscientia peccati mortalis peccat mortaliter.* *ibid.*B.
*Licet communicare non præmissa confessione, quando urget necessitas & deest copia confessoris.* 343.A.2.
*Quando autem sit urgens necessitas aut desit copia confessoris.* 344.B.1.
*Qui post confessionem recordatur alicujus peccati mortalis obliti si commodè potest debet confiteri ante communionem.* 345.C.1.
*Quando non potest præmitti confessio requiritur vera contritio ad dignam communionem.* *ibid.*E.
*Quid dicendum sit de conjugali copula an impediat communionem.* 48.D.2.
*Cibus & potus impedit communionem.* *ibid.*D.2.
*An ablutio oris, gustatio cibi, somnus impediant communionem.* 349.C.1.&2.
*Aliqui casus in quibus licet communicare non jejunus.* 350.A.1.
*Eucharistiam quotidie sumere non expedit.* 352.C.1.
*Nec licet similiter in totum cessare a communione.* *ibid.*E.
*Celebrantes Eucharistiam sumere debent sub utraque specie.* 355.C.1.
*Alij vero non debent utramque speciem sumere.* *ibid.*B.

Effectus.

*Per sacramentum Eucharistiæ confertur gratia.* 337.C.2.
*Quando conferat Eucharistia gratiam.* 338.C.1.
*Quis effectus hujus Sacramenti in corpore.* *ibid.*E.
*Adeptio gloriæ est effectus hujus Sacramenti.* *ibid.*A.2.
*Remissio peccati mortalis, non est effectus hujus Sacramenti per se, eam tamen potest aliquando conferre.* *ibid.*E.
*Hoc Sacramento remittuntur peccata venialia.* 339.D.2.
*Non tamen remittitur pœna tota peccatis debita.* 340.A.1.
*Præservat tamen a futuris.* *ibid.*D.
*Prodest alijs quam sumentibus & quomodo.* *ibid.*E.
*Quem effectum Sacramenti impediant peccata venialia.* *ibidem.*C.2.

Necessitas.

*An Eucharistia sit de necessitate salutis.* 388.B.1.
*Sacramentum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medij.* *ibid.*E.

Eucharistiæ sacrificium.

*Vide* Sacrificium Eucharistiæ.

Eunuchus.

*Eunuchi qui irregulares, & qui non.* 615.E.2.

Eutyches.

*Eutychedis error circa incarnationem.* 22.D.2.

Excommunicare, excommunicatio.

*Excommunicationis definitio.* 555.C.1.
*Excommunicatio major & minor.* *ibid.*
*In Ecclesia est potestas excommunicandi.* *ibid.*2.
*Varij fines excommunicationis.* 538.B.1.
*Excommunicari potest quis pro temporali damno.* *ibid.*E.
*Differunt excommunicatio a jure, & ab homine illata.* *ibid.*D.2.
*Excommunicare possunt qui habent jurisdictionem exteriorem.* 559.E.2.
*Qui possint excommunicari.* 560.A.2.
*Mortui excommunicari non possunt.* *ibid.*E.
*Neque ulla universitas.* 561.D.1.
*Scienter contrahentes in gradu consanguinitatis aut affinitatis prohibito incurrunt excommunicationem latam in clementina.* 692.B.1.
*Excommunicatio dupliciter dicitur injusta.* 558.A.1.
*Omittens ordinem accidentalem in excommunicatione ferenda peccat, excommunicatio tamen est valida.* *ibid.*B.
*Si defuerit ordo substantialis excommunicatio est invalida nec sortitur suum effectum.* *ibid.*
*Idem dic si defuerit legitima causa.* *ibid.*D.
*Ignorantia invincibilis tam juris quam facti excusat ab excommunicatione.* *ibid.*C.2.

Excommunicatio minor & ejus effectus.

*Excommunicatio minor non habet varias species.* 563.E.1.
*Ejus effectus adæquatus est privatio perceptionis Sacramentorum.* *ibid.*
*Licet excommunicato minori excommunicatione communicare in omnibus alijs actibus, præterquam receptionis alicujus Sacramenti.* *ibid.*
*Potest Sacramenta ministrare.* *ibid.*
*Excommunicatio minor incurritur propter illicitam participationem cum excommunicato majori excommunicatione.* *ibid.*A.2.

Absolutio à minori excommunicatione.

*Absolvi potest vel per judicem si ab eo lata fuit vel per confessarium si a jure lata erat.* 563.B.2.

Excommunicatio major.

*Excommunicationem majorem incurri admittendo ad divina excommunicatum à S. Pontifice.* 563.D.1.

Ejus effectus.

*Excommunicatio justa privat participatione Sacramentorum activa & passiva.* 557.A.1.
*Privat suffragijs & orationibus communibus, privat usu divinorum officiorum missæ, & horarum Canonicarum quamvis possit interesse concioni & horas recitare.* *ibid.*
*Privat Ecclesiastica sepultura.* *ibid.*C.
*Separat a cœtu fidelium juxta hunc versum* Os, orare vale, communio, mensa negatur. *ibid.*
*Privat usu jurisdictionis.* *ibid.*D.
*Excommunicatus administrans aliquod Sacramentum mortaliter peccat etiamsi sit occultus.* *ibid.*
*Excommunicatus ministrans aliquod Sacramentum sine necessitate peccat mortaliter.* *ibid.*B.2.
*Si sit nominatim denuntiatus publicè, vel notorius clerici percussor irrita est absolutio per eum data.* *ibid.*
*In irregularitatem incidit, exercens actum ordinis, sive publicè sive privatim, si sciebat se esse excommunicatum.* *ibid.*C.
*Excommunicatus occultus tenetur abstinere a communione fidelium, fideles non tenentur eum vitare vel privare sepultura.* *ibid.*E.
*Ignorans invincibiliter præceptum Ecclesiasticum sub pœna excommunicationis esse latum non incurrit.* 558.D.2.
*Si quis etiam non ignoraret præcipium merè Ecclesiasticum,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*sed solam excommunicationem eam non incurrit.* 559.A.1.
*Quos excommunicatos debent vitare fideles.* 561.E.2.
*Licet ab excommunicato Sacramenta recipere modo sit toleratus, & missam ejus audire.* 563.C.1.
*Licet etiam Sacramenta ei publicè petenti ministrare si factum est occultum.* ibid.
*Non potest tamen si excommunicatus occultus cum alijs conversari, nec etiam Sacramenta recipere vel administrare.* ibidem.
*Causæ in quibus licet communicare cum excommunicatis.* ibidem. E.
*Excusantur etiam patres & Domini communicantes cum filijs excommunicatis.* ibid.E.2.
*An cum his liceat communicare in divinis.* ibid.
*Participans cum excommunicato non semper incurrit eandem excommunicationem.* 563.C.1.

Exorcismi.

*Quid exorcismus.* 272.C.2.
*De effectu exorcismi ante baptismum.* ibid.E.
*Exorcismus debet præmitti baptismo.* ibid.C.
*Officium exorcisandi ad quos spectet.* ibid.E.

Extensio.

*Extensio triplex.* 323.B.2.
*Et in qua ratio quantitatis existat.* ibid.

Extrema unctio.

*Qui sectarij negaverint extremam unctionem esse Sacramentum.* 578.B.1.
*De fide est esse verè & propriè Sacramentum novæ legis.* ibidem.D.
*Ejus definitio.* 579.A.1.
*Est unum Sacramentum,* 580.A.1.
*Est à Christo institutum.* ibid.C.
*Quando.* ibid.D.
*Iterari potest hoc Sacramentum.* 596.E.2.
*Non tamen in eadem infirmitate durante.* 597.A.1.

Ejus materia.

*Oleum olivarum est materia remota hujus Sacramenti.* 580. E.1.
*Debet esse simplex.* ibid.B.2.
*Ab Episcopo benedictum.* ibid.D.
*Idque necessitate Sacramenti.* ibid.
*Pontifex non potest dispensare, ut hujus olei benedictio fiat per alium quam per Episcopum.* ibid.E.
*Cur oleum sit sic benedicendum.* 581.A.1.
*Non subsisteret hoc Sacramentum ministratum oleo catechumenorum, vel oleo chrismali.* ibid.B.
*Ad essentiam hujus Sacramenti sufficit una unctio.* 584. A.2.

Forma.

*Hoc Sacramentum habet formam determinatam.* 581.B.2.
*Forma debet esse depracativa necessario.* ibid.D.
*Quare sit forma hujus Sacramenti depræcativa.* 582.
*Quæ verba formæ sint essentialia.* ibid.2.

Minister.

*Solus sacerdos est minister hujus Sacramenti.* 584.C.2.
*Qui licitè hoc Sacramentum ministrent.* 585.A.2.
*Hoc Sacramentum non debet ministrari a pluribus.* ibid.B.
*An sit validum si a pluribus ministretur.* ibid.D.
*Parochus tenetur ministrare hoc Sacramentum morbo contagioso laborantibus.* 507.B.1.

Subjectum.

*Hoc sacramentum non debet conferri nisi infirmis.* 585.C.2.
*Non omnibus infirmis est ministrandum.* 386.A.1.
*Non est tamen expectandus ultimus vitæ articulus.* ibid.E.
*Amentibus qui nunquam habuerunt usum rationis non est conferendum.* ibid.A.2.
*Bene tamen alijs.* ibid.B.
*Conferri etiam potest pestè infectis, lethaliter vulneratis, moriturò ex senio &c.* ibid.E.
*Non est conferendū parvulis usu rationis carentibus.* 592.A.2
*Suscipiens hoc sacramentum debet esse baptizatus.* ibid.B.
*Non requiritur ut suscipiens aliquando peccaverit.* ibid.C.
*Num B.V. receperit hoc Sacramentum.* ibid.E.
*Quæ dispositio ad hoc Sacramentum requiratur.* 593.A.2.
*Convenienter sunt determinatæ partes ungendæ.* ibid.C.
*Num totum corpus unguendum.* ibid.B.
*An sacerdos dum est solus possit seipsum ungere, sicut potest seipsum communicare.* 594.C.1.
*Quæ unctiones ad essentiam Sacramenti requirantur.* ibid. E.
*Quomodo mutilati sint ungendi.* 596.D.2.

Ejus effectus.

*Hoc sacramentum valet ad remissionem peccatorum.* 583. B.1.
*Primarius hujus Sacramenti effectus quis sit.* ibid.D.
*Remittit peccata etiam mortalia.* ibid.D.
*Effectus hujus Sacramenti est etiam absterso reliquiarum peccati.* ibid.E.
*Quæ hic dicantur reliquiæ peccati.* ibid.
*Confert sanitatem corporis & quomodo.* 584.D.1.
*Non operatur hunc effectum ut Sacramentum sed ut sacramentale.* ibid.E.
*Non imprimitur per hoc sacramentum character.* ibid.A.2.

Ejus necessitas.

*Hoc sacramentum non est necessarium ad salutem.* 593.B.1.
*Neque necessitate medij.* ibid.C.

F.

Fides.

*Cur potius sit una fides de diversis objectis quam una scientia.* 64.B.1.
*Fides & spes in Christo non fuerunt.* 50.A.2.
*Fides aut votum parentum non sufficiunt ad filiorum salutem sine Sacramento.* 253.E.1.
*Fides parentum non sufficiebat parvulis ante circumcisionem.* ibid.B.
*Fidem & spem informen posse in baptismo recipi ab eo qui ponit obicem gratiæ justificanti.* 266.B.1.

Filiatio.

*Filiatio æterna, & temporalis est in Christo.* 132.A.1.
*Filiatio temporalis num sit in Christo realis.* ibid.B.
*Filiatio adoptiva per gratiam quid sit.* 39.D.2.

Filius Dei.

*Filius Dei non assumpsit naturam abstractam ab individuis.* 42.E.2.
*Non conveniebat quod Filius Dei naturam humanam assumeret in omnibus individuis.* 43.D.1.
*Filius Dei assumpsit verum Corpus.* ibid.2.
*Ea quæ conveniunt filio Dei possunt prædicari seu affirmari de filio hominis.* 79.E.1.
*Utrum ea quæ conveniunt filio hominis possint prædicari de divina natura, & de humana natura quæ conveniunt filio Dei.* ibid.C.2.

Fomes.

*Fomes fuit in B. Virgine sed ligatus.* 116.E.1.
*Et postea extinctus.* ibid.A.2.

Fornicatio.

*Fornicatio est sufficiens causa divortij conjugalis, demptis septem casibus: & qua fornicatio hic intelligatur.* 711.A.& E.2.
*In simplici fornicatione cæteris paribus vir peccat gravius quam mulier.* 713.A.2.
*Sola fornicatio est causa sufficiens perpetuæ dimissionis.* 714. C.2.

Frigiditas.

*Frigiditas impedit ac dirimit matrimonium.* 696.A.2.
*Quid frigiditas.* ibid.B.
*Quæ sit differentia inter impedimentum frigiditatis & malefitij.* 698.B.2.

Fructus.

*Quid fructus.* 795.C.1.
*Fructus magis respondet continentiæ, quam alteri virtuti.* 795. D.1.
*Tres sunt fructus.* ibid.

G.

Gigantes.

GIGANTES *in qua statura resurrecturi.* 773.E.1.

Gratia.

*Vide* Christi gratia.

*Gratia habitualis non præcessit gratiam unionis.* 48.B.1.
*Gratia habitualis fuit in anima Christi.* ibid.
*Tres modi plenitudinis gratiæ.* 52.E.2.
*Gratia non creatur, sed educitur de potentia obedientiali animæ.* 202.A.2.

H.

Habitus.

HABITUS *posse esse in instrumentis animatis.* 49.C.2.

Homicidium.

*Homicidium impedit ordines.* 615.A.1.
*Homicidij & incendij peccata jure communi non reservari, sed ex statutis locorum particularibus.* 551.E.2.
*An homicidium irregularitatem inducat, vide* Irregularitas ex homicidio.

Homo.

*Homo per peccatum est servus diaboli.* 10.A.1.
*Homo non potuit satisfacere secundum perfectam justitiam pro peccato humani generis.* 15.A.1.
*Hæc propositio* Homo est factus Deus *in proprio sensu falsa est.* 81.C.2.
*Partes materiales & formales sunt in homine.* 772.B.2.
*Quæ materiales quæ formales.* ibid.

Humanitas Christi.

*Humanitas Christi est individua.* 25.C.2.
*Humanitas Christi non est hypostasis.* 26.D.1.
*De modo quo Pater & Spiritus sanctus sunt in Christi humanitate.* 38.D.1.
*Humanitas Christi est causa gratiæ quasi physica.* 66.B.2.
*An etiam nunc humanitas Christi physice operetur effectus gratiæ per passionem, aliasve res præteritas.* 67.C.1.
*An & quæ virtus miraculorum communicata sit humanitati Christi.* 67.E.1.
*Natura humana Christi, itemque anima ejus vel caro potest dici deificata.* 78.E.1.
*Humanitas Christi non est Deus.* ibid.A.2.
*Humanitas Christi non est super connexam superficiem cœli empyrei.* 183.A.2.
*Humanitas Christi non est ubique.* 317.C.1.

I.

Jacob.

IACOB *cum Lya non peccavit.* 671.E.1.

Ignis.

*Ignis inferni est corporeus.* 731.E.1.
*Ejusdemque species cum nostro.* 799.B.2.
*Ignis inferni est sub terra.* 800.C.1.
*Ignis conflagrationis in fine mundi futurus est.* 752.D.2.
*Ignis dupliciter potest considerari.* 753.B.2.
*Ignis conflagrationis erit idem specie cum elementari.* ibid.C.
*Ignis non purgabit cœlos superiores.* ibid.E.
*Ignis non absumet reliqua elementa, neque quantum ad substantiam, neque quantum ad qualitates eorum proprias.* 756.B.1.
*Ignis purgabit elementa usque ad medium aeris interstitium.* ibid.2.
*Ignis præcedet ac sequetur judicium.* ibid.D.
*Effectus ignis conflagrationis.* 757.B.1.
*Ignis conflagrationis involvet reprobos.* ibid.E.

Infernus.

*Infernus nunquam sumitur pro loco beatorum.* 730.
*Sed bene pro limbo patrum.* ibid.
*Pœnæ inferni sunt æternæ.* 804.A.1.
*In inferno nulla est mitigatio pœnarum.* 806.A.1.

Illegitimi.

*Filij extra matrimonium sunt illegitimi.* 726.A.1.
*Incommoda illegitimorum.* ibid.D.
*Quando illegitimus potest legitimari.* 719.C.1.
*Duo modi legitimandi.* ibid.
*Qui legitimari possint.* ibid.D.

Imagines.

*Quid Imago.* 108.B.2.
*Cultus imaginum est licitus.* 109.A.1.
*Dei & Angelorum imagines licitæ sunt.* 111.C.1.
*Sanctissimæ Trinitatis licet aliquas habere imagines.* ibidem. A.2.
*Cur institutæ sint imagines.* 112.A.1.
*Nulla Imago adoranda est cultu latriæ.* ibid.E.
*Imago duobus modis considerari potest.* 112.B.2.
*Quomodo intelligendus S. Thomas dicens imaginem Christi adorari latriâ.* ibid.E.

Impœnitentia.

*Impœnitentia quatenus sit speciale peccatum.* 481.A.2.

Impassibilitas.

*Ad quid valeat dos impassibilitatis.* 775.A.1.
*In quo consistat dos impassibilitatis.* ibid.D.
*Futura sunt impassibilia corpora sanctorum post resurrectionem.* ibid.B.
*Quid impassibilitas.* ibid.E.
*Quomodo impassibilitas erit in omnibus sanctis.* ibid.B.2.

Impedimenta matrimonij.

*Vide* Matrimonij impedimenta.

Impositio manuum.

*Impositio manuum in sacerdote non est cæremonia accidentalis, sed essentialis.* 609.E.1.
*In impositione manuum invenitur signum visibile efficax gratiæ.* ibid.A.2.
*Impositio manuum est ex una parte materia diaconatus.* 606. B.2.
*Illaque impositio ad essentialem rationem diaconatus pertinet.* ibid.C.
*Per impositionem manuum fuerunt primi diaconi ordinati ab Apostolis.* ibid.B.

Impius.

*Impij non possunt videre divinam majestatem.* 787.C.2.

Incarnatio.

*Antiquitas vocabuli Incarnationis.* 1.B.1.
*Quid sit Incarnatio.* ibid.A.2.
*Cur potius a carne quam ab anima hoc ministerium nominetur.* ibid.B.
*Cur S. Thomas non disputet utrum incarnatio sit possibilis.* 2. C.1.
*Incarnatio possibilis est secundum fidem.* 2.E.2.
*Apud infideles ostendi potest incarnationis possibilitas.* 3.B.1.
*Incarnationis possibilitas nulla ratione naturali probari potest.* 4.B.2.
*Non potest demonstrari quod incarnatio sit possibilis.* 5.B.2.
*Incarnationis mysterium esse peractum est fides.* 6.B.1.
*Nulla creatura naturaliter cognoscere potest incarnatio-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nis mysterium esse peractum. 7.B.1.
Possitne contra gentiles probari incarnationem esse peractam. ibid.E.
Quæ sit proportio humanæ naturæ ad divinam. ibid.E.
Deum incarnari fuit necessarium tanquam melius & convenientius ad reparationem generis humani. 9.C 2.
Quare per incarnationem convenientius fuit nos liberari. 10. C.1.
Si homo non peccasset Deus incarnatus non fuisset. 16.B.2.
Deus principalius incarnatus fuit in remedium peccati originalis. 20.C.1.
Si nullum fuisset peccatum actuale præter peccatum Adami quod transit originaliter in posteros fuisset incarnatio. 20. D.2.
At non si essent sola actualia. ibid.
Non fuisse conveniens Christum incarnari ab initio mundi. ibid.E.
Nec statim post peccatum. 21.A.1.
Num salus humani generis fuerit verè & propriè causa incarnationis. ibid.C.2.
Non fuit conveniens incarnationis opus differri usque in finem mundi. 22.B.1.
Nullum fuit meritum incarnationis nequidem congrui. 33. C.1.

Indulgentiæ.

Quid indulgentiæ. 565.B.1.
Est in Ecclesia potestas concedendi indulgentias. ibid.E.
Usus indulgentiarum semper fuit in Ecclesia. ibid.D.2.
Per indulgentiam remittitur pœna purgatorij. 566 B.1.
In Ecclesia est thesaurus constans meritis Christi & sanctorum quibus innituntur indulgentiæ. ibid.E.
Quid hic thesaurus. ibid.
Indulgentia quæ conceditur vivis est absolutio cum solutione conjuncta. 568.D.1.
Divisiones indulgentiæ. 569.B.1.
Indulgentiæ tantum valent quantum sonant si adsint conditiones requisitæ. ibid.B.2.
Indulgentiæ valent ad remissionem pœnarum non injunctarum. 570.A.2.
Ad valorem indulgentiarum requiritur authoritas in concedente, & status gratiæ in suscipiente. 571.C.1.
Causa justa est ad indulgentiam necessaria. ibid.B.2.
Causæ justæ indulgentiarum. 572.C.1.
Causa indulgentiarum debet etiam esse proportionata ex parte suscipientis. ibid.A.2.
Non omnes sacerdotes possunt dare indulgentias. 573.C.2.
Nec Abbates, parochi. ibid.B.
Aliqui non sacerdotes possunt concedere indulgentias. 574. E.1.
Episcopi possunt facere indulgentias & quales. ibid.A.2.
Concilium generale non potest concedere indulgentiam plenariam. ibid.D.
Indulgentiæ non valent in manentibus in peccato. 575.C.1.
Quæ dispositio requiratur ad indulgentiam. ibid.
Peccatum veniale vitians opus injunctum, ita ut opus sit peccatum veniale impedit fructum indulgentiæ. ibid.D.2.
Sollicitudo ac studium satisfaciendi propriis laboribus non est necessarium ad indulgentiam. 576.B.1.
Requiri potest confessio sacramentalis & quomodo. ibid.C.2.
Religiosis convenit participare indulgentias. ibid.E.
Quis non facit opus pro quo datur indulgentia non consequitur illam. 577.B.1.
Exceptio. ibid.
Quid si post impletam partem operis non possit præstare residuum. ibid.
Indulgentiæ etiam valent illi qui eas facit. ibid.C.
Indulgentiæ prosunt defunctis in purgatorio existentibus si in forma indulgentiarum fuit expressa mentio quod illis concedantur. 738.D.1.
Quomodo indulgentiæ valeant defunctis. ibid.C.2.
Differentia inter modum quo Pontifex indulgentiam extendit ad defunctos, & eum quo quilibet fidelis potest per opera satisfactoria suffragari. ibid.E.
Probabile indulgentias non prodesse defunctis per viam justitiæ. 739.D.1.
Positis omnibus requisitis prosunt defunctis infallibiliter. ibidem.E.
Requisita ad indulgentiam. ibid.B.2.
Indulgentiæ solum juvant eos quibus applicantur. ibid.E.

Incœstus.

Incœstus ante matrimonium, etiamsi post sponsalia commissus cum sorore vel in secundo gradu consanguinea suæ sponsæ dirimit matrimonium subsequens. 700.A.1.
Incœstus post matrimonium commissus cum consanguinea uxoris privat incœstuosum jure petendi debitum. ibid.B.
Incœstus cum consanguinea uxoris seu viventis, seu mortuæ impedit quodcumque matrimonium postea contrahendum etsi non dirimat contractum. ibid.C.
An incœstus cum propria consanguinea impediat petitionem debiti sicut incœstus cum consanguinea uxoris. ibid.D.

Innocentia.

Quod beneficium sit majus innocentiæ an pœnitentiæ. 450. A.1.
Innocentia non est virtus specialis, sed solum significat quandam continuationem in justitia, per peccatum non interrupta. 456.E.1.

Ingratitudo.

Ingratitudo peccantis quando sit peccatum speciale. 450.E.1.
Quando ingratitudo necessario exprimenda sit in confessione. ibid.A.2.

Intentio.

Quæ intentio actualis, virtualis, habitualis. 228.D.2.

Joseph.

Joseph quomodo Pater Christi. 120.C.1.
S. Joseph mansit virgo. ibid.D.2.

Joannes Baptista.

B. Joannes fuit sanctificatus in utero. 118.C.2.
Probabile est habuisse usum rationis in utero. 119.C.1.

Irregularitas.

An soli clerici non sacerdotes si solemniter baptizent fiant irregulares. 247.D.1.
Irregularitas ob peccatum non incurritur ab ignorante illam. 559.D.1.

Irregularitas ex homicidio.

Irregularitatem non incurri per quodlibet homicidium. 456. C.1.
An ex homicidio casuali fiat quis irregularis. 615.B.2.
Ex homicidio in defensionem necessariam patriæ, parentum quis sit irregularis. ibid.C.

Irregularitas ex bigamia.

Qui duas uxores habuit unam de jure, alteram de facto irregularis est. 722.D.1.

Judæi.

Judæis non fuerunt prohibitæ imagines. 111.C.2.
Judæi aliquando celebrant plura festa continuè. 157.E.2.
Judæi sunt in fine mundi convertendi. 753.A.2.

Judicium.

Futurum est generale judicium. 791.C.1.
Quare. ibid.
Judicium non fiet vocaliter. ibid.D.2.
Quæ sententia sit sensibiliter pronuntianda. ibid.E.
Ignotum est tempus judicij. 792.C.1.
Ubi futurum sit. ibid.D.
Christus in judicio sedebit. ibid.E.
Christus judicabit in forma humanitatis. 796.D.1.
In forma gloriosa apparebit. ibid.D.2.
In quibus consistet gloria Christi judicis. ibid.E.
Crux in aëre apparebit. 797.A.1.
Non



Non erit vera crux Christi sed ejus similitudo. ibid.E.
Omnes in judicio comparebunt. 794.C.1.

Judiciaria potestas.

Judiciaria potestas respondet paupertati voluntariæ. 792.D.1.
Non omnes boni paupertatem professi habebunt judiciariam potestatem. ibid.A.2.
Sed soli perfecti. ibid.
Omnes homines judicandi sunt à Christo. 793.B.2.
Omnes judicandi sunt judicio retributionis. 794.E.2.
Angeli quomodo a Christo judicandi. ibid.

Jurisdictio.

Quid sit jurisdictio ad absolutionem sacramentalem necessaria. 505.A.2.
Jurisdictio requiritur ad absolutionem à venialibus. ibidem. D.1.
Qui præter privilegiatos sortiantur jurisdictionem delegatam. 506.A.2.
Jurisdictionem spiritualem non habent mulieres. 550.D.1.

Justificatio.

Justificari principaliter majus esse quam creare principaliter, non tamen justificare instrumentaliter, quam creare instrumentaliter. 215.D.1.
Justificatio ut sit merè gratuita. 537.A.2.

Juramentum.

Juramentum non validare matrimonium ex metu justo contractum. 657.E.1.
Quomodo omne juramentum obliget. ibid.A.2.
An matrimonium coactum & juratum habeat vim sponsalium. ibid.B.

Jus.

Jus diaboli in peccatores. 10.B.1.

Justitia.

Justitiam originalem non esse virtutem specialem, nec restituti per pœnitentiam. 456.E.1.
Justitia publicæ honestatis, quale sit impedimentum matrimonij. 693.C.2.
Justitiam publicæ honestatis ex sponsalibus oriri. 791.A.2.

L.

Lex.

QUÆ prima, quæ secunda legis novæ præcepta. 718.B.1.

Lex vetus, & nova.

Cur lex vetus retineat nomen legis. 99.D.2.
Discrimen legis veteris à nova. 102.E.2.
Quibus modis Christus legem impleverit. 146.D.2.

Libellus repudij.

Sub lege Moysis fuit licitum uxorem dimittere. 724.D.2.
Non licuit uxori repudiatæ alium virum habere. 725.E.1.
Uxor non potest repudiare virum. ibid.C.2.
Vir non poterat à se repudiatam accipere. 726.A.1.
Causa repudij erat odium & alia plura. ibid.B.
Casus in quibus non licet viro dimittere uxorem. ibid.D.
Causæ repudij non scribebantur. ibid.E.

M.

Magi.

NOMEN Magorum non semper in malam partem sumi. 135.A.1.
Magos Christi infantis adoratores, non fuisse maleficos. ibid.
Cur nomine Magorum non autem Regum scriptura appellarit. ibid.B.
Ex qua regione Magi illi venerint. ibid.E.
Magi præter stellam habuerunt divinam inspirationem. 136. D.1.
Ubi Magi Christum adoraverint. 137.E.2.
Singuli Magorum tria munera obtulerunt. 138.B.1.
Magi exhibuerunt Christo honorem divinum. ibid.C.2.

Maleficium.

Quæ sit differentia inter impedimentum maleficij & frigiditatis. 698.C.2.
An maleficiatus possit uti aliquo remedio. 699.D.1.

Martyr.

Martyribus debetur aureola. 796.A.1.
Quibus. ibid.& seq.
Martyres qui propriè censeantur. ibid.B.& seq.
Martyresne sint milites in defensionem fidei occumbentes. ibid. B.2.

Martyrium.

Martyrium supplet vicem baptismi. 244.B.2.
Quæ dispositiones requirantur ad martyrium. 245.B.1.
Qui martyrium patitur & excluditur a Sacramento baptismi non est necesse ut habeat votum illius explicitum. ibid. D.2.
Martyrium valet ex opere operato ad gratiam, non tamen confert eam efficienter. 247.A.1.
Cur non sit Sacramentum. ibid.D.
Paulo ante instans mortis datur gratia martyrij. ibid.B.2.

Mali

Mali statim à morte eunt in infernum. 728.D.1.

Mors.

Mors crucis maximè dolorosa. 155.B.1.
Omnes sunt morituri. 764.A.2.

Materia.

Materia in sua ratione formali non includit actum substantialem. 768.A.2.
Materia habet unitatem independentem à forma. ibid.
Esse quod accipit a forma quale sit. ibidem.

Machabæi.

Machabæi non erant simpliciter de tribu Juda. 134.A.1.

Matrimonium in genere.

Matrimonium quadrupliciter accipitur. 623.A.2.
Matrimonium est juris naturæ. ibid.D.
Ejus actus est licitus. 626.C.1.
Quomodo ejus actus sit meritorius. ibid.E.
Matrimonium ut est officium naturæ, & ut remedium contra morbum concupiscentiæ quando fuerit institutum. 634.D.1.
Ut repræsentat conjunctionem Christi & Ecclesiæ est in nova lege institutum. ibid.A.2.
Cujus rei signum sit matrimonium. ibid.
Matrimonium est in genere conjunctionis. 641.A.2.
Quid matrimonium in fieri, quid in facto esse. ibid.B.
Definitio matrimonij. ibid.E.
Matrimonium simpliciter est bonum. 661.A.1.
Quomodo matrimonium excusetur per sua bona. ibid.
Bona matrimonij. ibid.A.2.
An matrimonium B. Virginis, aut hominum indiguisset istis bonis in statu innocentiæ excusari. ibid.E.1.
Quod bonum matrimonij principalius. ibid.C.2.
Actus matrimonij quomodo per prædicta bona excusatur ut nullum sit peccatum. ibid.E.
Matrimonia fidelium cum infidelibus jure naturali & divino semper fuerunt prohibita. 701.D.1.
Non sunt irrita jure naturali vel divino. ibid.B.2.
In nova lege sunt irrita vi juris Ecclesiastici. ibid.C.
Potest esse matrimonium inter infideles. 702.C.2.
Matrimonium infidelium potest esse irritum per aliquas leges positivas. 703.B.1.
Infidelium matrimonium non ratum. 704.C.2.
Quid matrimonium legitimum, ratum, consummatum. ibid.E.
Cur prohibita potius fuerint matrimonia nepotis cum amita quam neptis cum avunculo. 686.A.1.
Qui putant esse consanguineos vel affines intra gradum prohibitum cum revera non sint, an valide contrahant si attenta. 692.E.1.

*Copula carnalis non est de ratione matrimonij.* 635.E.1.

Matrimonium Sacramentum.

*Matrimonium est Sacramentum.* 727.A.2.
*Gratiam confert.* 634.E.2.
*Hujus gratiæ varij effectus.* 635.C.1.
*Quatenus infidelium matrimonia sint sacramenta.* ibid.D.
*Quomodo matrimonium Christianorum ab alijs differat.* 728.C.2.
*Matrimonij sacramentum quando institutum.* 634.D.2.
*Matrimonium in statu innocentiæ quo sensu sacramentum?* ibid.B.
*Definitio matrimonij ut est sacramentum novæ legis.* 183.C.1.
*Matrimonium infidelium generali ratione Sacramentum.* 702.D.2.
*Matrimonium Christianorum inconsummatum est quidem verum Sacramentum, sed non est perfectum quoad omnem significationem.* 709.B.1.

Materia, forma, minister, benedictio.

*Materia proxima hujus sacramenti sunt actus sensibiles contrahentium.* 632.C.2.
*Remota sunt personæ legitimè contrahentes.* ibid.E.
*Forma hujus sacramenti quæ sit.* ibid.E.
*Sensus verborum formæ.* 633.A.1.
*Sacramenti matrimonij minister est solus sacerdos.* 629.D.1.
*Quibus secundis nuptijs non est danda benedictio.* 716.A.2.

Matrimonij finis, & obligatio.

*Matrimonium cadit sub præcepto juris naturalis eo quod ipsam communitatem obligat, & quomodo præceptum matrimonij sit juris naturalis.* 624.C.&D.2.
*Matrimonium non cadit sub præcepto quod unumquemque obliget nisi illo tempore quo paucitas hominum exigeret, ut quilibet generationi vacaret.* ibid.E.
*Objectum matrimonij est copula seu conjunctio conjugalis.* 660.B.1.
*Finis matrimonij quis sit.* ibid.A.2.

Matrimonij unitas.

*Secundæ nuptiæ sunt licitæ a morte prioris.* 615.D.2.
*Pluralitas uxorum in lege novâ est illicita.* 618.E.1.
*Fuit aliquando licitum habere plures uxores divina concessione.* ibid D.2.
*Matrimonium cum hæretico vel hæretica est illicitum.* 702.E.1.

Indissolubilitas.

*Ordo post matrimonium sive consummatum, sive inconsummatum susceptus non dissolvit illud matrimonium.* 682.B.2.
*Matrimonium cur indissolubile.* 704.A.2.
*Infidelis volens pacificè habitare, fidelis ab ea recedens non potest aliam ducere: ipsa vivente.* ibid.C.
*Si infidelis nolit fideli cohabitare vel non sine contumelia, fidelis debet eum deserere, & potest aliud matrimonium contrahere etiamsi fuisset consummatum.* ibid.E.
*Quando solvitur matrimonium.* 705.C.1.
*Quibus ex causis ab infideli datis possit solvi conjugium.* ibidem D.
*An possit dari aliquod crimen propter quod solvi possit vinculum matrimonij.* ibid.B.2.
*Quæ consummatio matrimonij intelligatur ad effectum impediendi professionem religionis.* 707.B.1.
*An ex communi consensu possint ambo conjuges religionem profiteri.* ibid.D.
*Antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum licet alteri conjugum, reliquo inconsulto ad religionem transire.* ibid.D.2.
*Matrimonium Christianorum inconsummatum non solvitur nisi per professionem religionis.* 708.B.1.
*An per simplicia biennij vota, aut coadjutorum fratrum in societate Jesu emissa matrimonium præcedens dissolvatur si non fuerit consummatum.* 709.B.2.
*Solvitur vinculum conjugale, si ante consummationem matrimonij, uterque conjux profitentur religionem.* 711.B.1.
*Septem casus in quibus non licet viro uxorem dimittere etiamsi fuerit fornicata.* ibid.C.2.
*Alia causa præter adulterium, propter quas separari possint conjuges, habitatione, vel thoro.* 712.D.1.
*Inseparabilitas matrimonij est de lege naturæ.* 723.C.1.
*Omne matrimonium est insolubile sed non æqualiter.* 724.A.1.
*Per dispensationem potuit esse licitum, dimittere uxorem non solum quoad thorum, sed etiam quoad vinculum.* ibid.E.
*An fidelis conversus possit dimittere infidelem conjugem quæ recessit converti.* 703.A.2.

Ætas ad matrimonium necessaria.

*Matrimonium contractum ante annos pubertatis est nullum.* 700.E.1.
*Nisi defectum ætatis suppleat vigor naturæ.* ibid.A.2.
*Qui sint anni pubertatis.* ibid.E.1.
*Quo jure defectus ætatis impediat matrimonium.* ibid.B.2.
*Ex causa dispensari potest ut duo impuberes matrimonium contrahant quando habent satis judicij.* ibid.C.

Consensus ad matrimonium necessarius.

*Mutuus consensus contrahentium est causa proxima & sufficiens matrimonij.* 641.D.1.
*Contractus matrimonialis per absolutam Dei potentiam non potest esse sine consensu contrahentium.* ibid.C.
*Consensus verbis aut signis æquivalentibus exprimi debet.* ibidem.
*Consensus viri & mulieris non decet ut simul exprimantur.* 643.A.1.
*Quæ expressio requiratur ad validandum matrimonium, quod prius inium erat invalidum.* ibid.C.&seq.
*Consensus per verba de futuro expressus, non efficit matrimonium.* 644.E.1.
*Bene tamen expressus per verba de præsenti.* ibid.
*Si desit consensus interior non efficit matrimonium.* ibid.B.2.
*Qui simulatè contraxit matrimonium cum aliqua (per se) tenetur eam ducere.* ibid.D.
*Per accidens tamen non tenetur.* ibid.E.
*Uno conjugum affirmante sibi defuisse consensum, alter non potest statim inire novum conjugium.* 645.B.2.
*Num consensus in occulto factus per verba de præsenti faciat matrimonium.* 647.D.1.
*Consensus non potest esse coactus simpliciter, seu violentus.* 655.D.1.
*Consensus coactus ex parte cogentis non facit matrimonium.* 658.A.2.
*Consensus conditionatus per conditionem bonis matrimonij non repugnantem facit matrimonium.* ibid.B.
*Præceptum aut consensus parentum non satis est ad efficiendum conjugium filij, sine ipsius consensu, saltem tacito.* 659.B.
*Sufficit tamen consensus filij, sine consensu parentum, ut matrimonium filij sit validum.* ibid.
*Pater non potest cogere filium per præceptum ad matrimonium.* ibid.C.
*Inire matrimonium parentibus inconsultis, vel rationabiliter invitis est regulariter peccatum mortale.* ibid.C.2.

Matrimonium metu contractum.

*Metus justus, sed injustè, & ad extorquendum consensum illatus irritat matrimonium ex eo contractum.* 656.B.1.
*Quo jure metus dirimat matrimonium.* ibid.E.
*Matrimonium ex levi metu contractum, vel ex justo, sed proveniente a causa naturali: vel ab homine quidem, sed justè illato: vel ex injustè illato, sed non ad extorquendum hunc consensum, est validum.* ibid.D.2.
*Si quis concubinam ducat ex metu inferni, vel mortis ex morbo aut naufragio imminentis validum est matrimonium.* ibid.E.





*Alij casus in quibus est validum matrimonium ex metu.* 657.A.1.&*seq.*
*An matrimonium metu contractum convalescat per supervenientem consensum spontaneum ejus qui fuerit coactus.* 658.A.1.
*Matrimonium metu justo exortum est validum si non sit incussus ab altero contrahente, sed ab alio absque scientia & culpâ illius.* ibid.D.

Matrimonium sub conditione.

*Quomodo conditio hic sumatur.* 636.C.2.
*Si matrimonio apponatur conditio de præsenti vel præterito, stante conditione stat, non stante non stat.* ibid.E.
*Etiam matrimonium stat, sive illæ conditionis sint honestæ, sive turpes, modo non contrarientur bonis matrimonij.* 737.A.1.
*Si contractui matrimonij apponatur conditio de præsenti vel de præterito contraria bonis matrimonij afficiens matrimonium in futurum, contractus est irritus.* ibid.B.
*Conditio turpis aut impossibilis non contraria bonis matrimonij, si adjiciatur animo declarandi non esse sibi consensum ad talem contractum, irritus est contractus.* ibid.C.
*Matrimonium contractum sub conditione de futuro, sed necessaria validum est.* ibid.D.
*Si vero illa conditio sit honesta de futuro, contractus non subsistit ante ejus impletionem.* ibid.E.
*Quid dicendum de eo qui hoc modo contraheret* Accipio te in uxorem, *si patri meo placuerit, & pater ejus erat tunc mortuus.* ibid.E.2.
*Si matrimonium contrahatur cum duabus, sub conditione honesta, ille contractus valet cujus conditio primo evenit.* 638.B.1.
*Matrimonium contractum sub conditione alicui ex bonis matrimonij repugnante sive ea sit turpis, sive honesta, irritum est.* ibid.A.2.

Matrimonium per procuratores & litteras.

*Contractum matrimonium per procuratorem, vel per litteras est validum, si conditiones serventur.* 633.E.1.
*Quæ sint illæ conditiones.* ibid.&A.2.
*Ad valorem contractus non requiritur procuratorium fuisse datum coram parocho nec parochus assistens debet necessariò videre litteras mandati.* ibid.B.2.
*Matrimonium inter absentes sive per litteras, sive per procuratores non est Sacramentum novæ legis.* ibid.C.2.

Matrimonium clandestinum.

*Quid sit matrimonium clandestinum.* 647.C.2.
*Semper est illicitum.* ibid.E.
*Fuit validum ante Concilium Tridentinum.* ibid.
*Clandestina matrimonia cur olim prohibita.* 648.A.1.
*Causæ excusantes matrimonium clandestinum.* ibid.C.
*Matrimonia clandestina contracta in locis ubi Conc. Trident. est publicatum esse invalida.* ibid.A.2.
*Cur illud Conc. illa matrimonia clandestina irritaverit.* ib.C.
*Quomodo matrimonia clandestina olim valebant jure naturæ.* ibid.
*Matrimonia clandestina esse invalida tam pro foro conscientiæ est accipiendum quam pro foro externo.* 644.B.1.
*An matrimonia contra formam Conc. Trid. contracta, nullo casu sint valida.* ibid.D.
*Habitatores alicujus loci ubi Conc. fuit publicatum si adeant loca in quibus non est publicatum; & ibi clandestinè contrahant, sine animo in illis locis habitandi invalidè contrahunt.* 650.D.1.
*Etsi aliquamdiu ibi habitent.* ibid.2.
*Quis dicatur proprius parochus contrahentium.* 651.B.1.
*Clandestina matrimonia non habent vim sponsalium.* 654.D.2.
*Quis dicatur proprius parochus contrahentium.* 651.B.1.
*Quæ habitatio sufficiat ad esse parochianum alicujus quantum ad confessionem & communionem.* ibid.C.
*Vagi contrahere debent coram illo parocho ubi se reperiunt.* ibid.A.2.
*Quæ præsentia parochi & testium sit necessaria.* ibid.C.
*Si duo contrahant coram sacerdote vocato, sed ad aliud negotium vocato, & coram testibus non vocatis si illis advertentibus contrahant, valet matrimonium.* ibid.D.
*Qualis parochus sit necessarius.* 652.A.1.
*Matrimonium contractum coram parocho aut ejus vicario seu alio de ejus licentia, etiamsi Episcopus prohibuerat parocho ne per se vel per alium illi interesset est validum.* ibid.C.2.
*Si autem fuerit intrusus sine legitima authoritate non subsistit matrimonium.* ibid.
*Si autem excommunicatus, suspensus, & ab Ecclesia non toleratus matrimonium coram eo contractum est validum.* ibidem D.
*Quis possit ordinariè concedere alteri licentiam assistendi matrimonio.* 653.A.1.
*Quales testes sint necessarij ad hoc ut matrimonium coram parocho & testibus contractum sit validum.* ibid.E.

Matrimonij denunciationes.

*Peccatum mortale est, contrahere non præmissis denunciationibus, nisi per legitimam authoritatem remittantur.* 210.C.1.
*Habita dispensatione non debent fieri novæ denunciationes.* 644.A.1.
*Debent fieri proclamationes bannorum in parochia utriusque contrahentis.* 644.C.2.
*Si in diversis locis antea habitaverint, conveniens est eas fieri, non in eo solum loco in quo nunc habitant, sed in quibus ultimis annis habitaverint.* ibid.

Impedimenta dirimentia.

*Quare vocantur impedimenta dirimentia.* 669.A.1.
*Quindecim impedimenta dirimentia.* ibid.B.1.
*Votum solemne dirimit matrimonium jam contractum.* 676.D.1.
*Votum solemne religionis ex sui natura habet dirimere matrimonium contractum.* 677.D.1.
*Ordo sacer impedit matrimonium.* 679.A.1.
*Non fuit semper impedimentum dirimens.* ibid.A.2.
*Semper fuit dirimens post Conc. Neocæsar.* ibid.B.
*Solo jure Ecclesiastico dirimit.* 681.E.2.
*Primus gradus lineæ rectæ, & transversæ dirimit matrimonium jure naturali.* 684.A.2.
*Quæ matrimonia consanguineorum sint ipso jure naturæ irrita.* 685.D.2.
*Gradus consanguinitatis primus, secundus, tertius, & quartus dirimunt matrimonium jure solum Ecclesiastico.* 687.C.1.
*Solus primus gradus lineæ, sive rectæ, sive transversæ, dirimit matrimonium jure naturæ.* ibid.D.2.
*Quatuor gradus dirimentes matrimonium.* 688.B.2.
*Affinitas præcedens matrimonium impedit ac dirimit matrimonium, vide* Affinitas.
*Conjugium inter affines vel consanguineos contractum intra gradus prohibitos semper est dirimendum.* 691.D.1.
*Cognatio spiritualis dirimit matrimonium.* 693.A.2.
*Ex jure Ecclesiastico.* ibid.B.
*Quæ cognatio legalis dirimat matrimonium.* 696.A.1.
*Frigiditas impedit ac dirimit matrimonium.* ibid.B.2.
*Quæ impotentia dirimat matrimonium.* ibid.C.
*Impotentia quæ perpetua, quæ temporalis.* ibid.
*Jure naturali impotentia dirimit matrimonium.* 697.C.1.
*An detur impotentia respectiva quæ matrimonium dirimat.* ibid.A.2.
*Nullum impedimentum matrimonio superveniens potest ipsum dirimere.* 698.C.1.
*Furia vel amentia impedit ac dirimit matrimonium.* 699.A.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Error personæ, & conditionis quomodo matrimonium dirimat.* 671.C.2.
*Error in matrimonio quadruplex.* ibid.B.
*Qualiter error conditionis dirimat matrimonium.* ibid.C.
*Error qualitatis, aut personæ, fortunæ nunquam nisi redundent in errorem personæ.* ibid.C.2.
*Quid sit redundare in errorem personæ.* 672.B.1
*Error convenienter ponitur impedimentum matrimonij.* 671.A.1.
*Conditio servilis non semper impedit matrimonium.* ibid.E.
*Dominus non potest impedire matrimonium servorum.* 673.C.1.
*Obligatio voti simplicis non dirimit matrimonium.* 674.B.1.
*Disparitas cultus si præcedat matrimonium impedit illud contrahendum & dirimit contractum.* 701.A.1.
*Quo jure.* ibid B.
*Quid disparitas cultus.* ibid.A.2.
*Hæresis matrimonio etiam inconsummato, superveniens non dirimit illud.* 702.B.2.
*Duo sunt in genere crimina quæ matrimonium dirimunt.* 706.C.1.
*Matrimonium præcedens (etsi solum sit ratum & non consummatum) est impedimentum dirimens illud matrimonium quod postea attentatur.* 720.A.2.
*Vinculum matrimonij jure naturæ dirimit matrimonium, quod eo durante attentatur.* ibid.D.

Impedimenta, impedientia tantum.

*Quare impedimenta, impedientia vocentur.* 665.B.1.
*Septem crimina impedientia matrimonium.* 665.D.2.
*Impedimentum cathecismi est sublatum.* ibid.A.
*Certis temporibus matrimonium interdicitur.* ibid.C.1.
*Quæ sint impedimenta quæ ex lege naturæ proveniunt.* 669.A.2.
*Possunt constituere impedimenta matrimonij Reges, Principes absoluti, respublicæ liberæ.* ibid.B.
*Princeps infidelis seu paganus rationabili de causa potest constituere impedimenta matrimonij respectu suorum subditorum in suo regno degentium.* ibid.C.
*Idem possunt Christiani principes habentes in sua ditione paganos sibi subjectos.* ibid.E.
*Judæi non possunt ullum matrimonij impedimentum statuere.* 670.A.1.
*De fide est Ecclesiam summum pontificem posse constituere impedimenta matrimonij tam dirimentia, quam solum impedientia pro Christianis.* ibid.E.
*Per consuetudinem abrogari possunt aliqua impedimenta matrimonij.* ibid.E.2.
*Ordo sacer semper fuit impedimentum matrimonij saltem impediens.* 679.A.1.
*Maleficium impedit matrimonium.* 698.D.1.
*Uxoricidium quomodo impediat matrimonium.* 247.B.1.

Mediator.

*Esse mediatorem est Christo proprium.* 706.D.1.
*Mediator solus Christus est.* 115.D.1.
*Mediatoris nomen cur potius hominibus tribuatur in scriptura quam nomen redemptoris.* 165.D.2.

Melchisedech.

*Melchisedech obtulit panem & vinum.* 101.B.2.

Meritum.

*Vide* Christi meritum.

*Conditiones ad meritum necessariæ.* 91.C.1.
*Potest quis id mereri quod est sibi debitum.* ibid.B.2.
*Meriti tempus in morte finitur.* 814.A.1.
*Meritum de congruo dupliciter.* 35.E.1.
*Quid congrui meritum importet.* ibid.D.

Meriti reviviscentia.

*Opera bona quæ erant mortificata reviviscunt per pœnitentiam.* 256.E.2.
*Quomodo merita reviviscant.* 457.B.1.
*Opera mortua non reviviscunt per pœnitentiam.* ibid.E.
*Opera facta extrà charitatem non vivificantur.* 541.D.2.

Metus.

*Vide* Matrimonium metu contractum.

*Quid sit metus.* 655.E.1.
*Quis metus dicitur cadens in virum constantem.* ibid.A.2.
*Quis metus justus.* ibid.
*Metus alius vanus, levis, magnus.* ibid.

Minister.

*Vide* Sacramenti minister.

*Per ministrum aliquid fieri potest dupliciter.* 224.C.1.

Miracula Christi.

*Christus convenienter fecit miracula.* 150.E.1.
*Christum miracula fecisse divina virtute.* ibid.D.2.
*Quod primum a Christo factum miraculum.* ibid.E.
*Miracula Christi probant ejus divinitatem.* 151.A.1.
*Christus convenienter fecit miracula circa dæmones.* ibid.A.2.
*Etiam circa cœlestia corpora.* 152.C.1.
*Item circa homines.* ibid.B.2.
*Circa creaturas irrationales.* ibid.E.

Missa.

*Quid Missa significet.* 387.C.2.
*Missa catechumenorum.* ibid.D.
*Missa fidelium.* ibid.
*Missa non est lingua vulgari celebranda.* 388.C.2.
*Quomodo nullæ Missæ sint privatæ, & quomodo aliquæ.* 404.D.2.
*Privatæ licitè celebrantur.* ibid.E.

Missa ubi celebrari debeat.

*Non licet Ecclesia violata celebrare.* 395.D.2.
*Potest tamen Episcopus dispensare ut in ea celebretur sicut in alio loco nunquam consecrato.* 396.A.1.
*Ad Missam celebrandam necessarium est altare.* 396.D.2.

Missam quando celebrare liceat.

*Sacerdos non jejunus celebrare non potest ut communicetur infirmus alioquin sine viatico moriturus.* 350.E.2.
*Convenienter determinatè est tempus celebrationis.* 388.A.1.
*Non licet Missam facere feria sexta Parasceves licet tamen communicare.* ibid.C.2.
*Licitum est sacerdotibus sabbatho sancto celebrare.* 389.A.1.
*Feria quinta cœnæ Domini licet singulis sacerdotibus celebrare.* ibid.D.
*Parochus qui solus est in duabus Ecclesijs non debet isto die cœnæ Domini in utraque Ecclesia consecrare duas hostias.* ibid.A.2.
*Tempus nunc ad celebrandum statutum est ab aurora usque ad meridiem.* ibid.D.
*Quid per auroram intelligatur.* ibid.E.
*Sacerdos non potest plures quam unam in die Missas celebrare excepto die Natalis Domini.* 390.C.1.
*Licet etiam sacerdoti plures Missas facere qui habet plures Ecclesias parochiales.* ibid.E.
*An liceat celebrare ante lectum matutinum.* 390.A.1.

Missæ vasa & ornamenta.

*Non licet celebrare sine Missali estque p.m. sic celebrare.* 408.D.1.
*Ad Missam lumen est necessarium sub p.m.* ibid.A.2.
*Sex vestes sunt necessariæ.* ibid.C.
*Illæque benedictæ.* ibid.
*Quamdiu maneant benedictæ.* 409.C.1.
*Absque sacris his vestibus celebrare esset peccatum.* ibidem.E.
*Ad evadendum mortis periculum liceret celebrare absque sacris vestibus secluso scandalo.* ibid.B.2.
*Omissio alicujus vestis sacræ ex magna necessitate non est peccatum.* ibid.C.
*Extra tamen necessitatem est peccatum mortale.* ibid.D.
*Sacræ*



*Sacræ istæ vestes, sicut & corporalia debent esse mundæ.* ibidem.E.
*Fas ad usum prophanum applicare vel illas ad hoc accommodare peccatum mortale.* 410.A.1.
*Mortaliter peccaret qui sacro calice uteretur ad bibendum in cœna usuali.* ibid.B.
*Quid faciendum de sacris vestibus vetustate consumptis.* ibidem.C.
*Vestes prophanæ virorum aut mulierum illustrium applicari possunt ad sacrum usum.* ibid.E.

Missæ cæremoniæ.

*Ritus missæ sunt convenientes.* 402.C.2.
*Divisionis hostiæ in tres partes variæ significationes.* ibid.E.
*Minister debet esse vir non mulier.* 403.A.2.
*Qualiter possit admitti mulier ad respondendum.* ibid.C.
*An liceat celebrare absque ministro.* ibid.
*Non licet celebrare tecto capite.* ibid.E.
*Concedere ut celebrans utatur pileolo est solius summi Pontificis.* 404.B.1.
*Celebrans tenetur ad omnia quæ in missali præscribuntur ita ut nil possit addere vel omittere.* 408.C.1.
*Canon missæ rectè submissa voce recitatur.* 401.A.1.

Missæ effectus.

*An missa mali sacerdotis non minus valeat quam sacerdotis boni.* 368.A.2.

Missæ defectus.

*Sufficienter occurri potest defectibus circa celebrationem missæ contingentibus.* 406.C.1.
*Casu quo sacerdos qui sacrificium incæpit, quoad id quod est essentiale, non posset perficere, per alium sacerdotem debet perfici.* ibid.D.
*Qui missam incœptam sine causa relinquit imperfectam excommunicationem ipso facto non incurrit.* ibid.2.
*Virum aliquando liceat missam incœptam relinquere.* 407.A.1.

Missæ stipendium.

*Cavendum ne parochi frequenter in festis, & Dominicis stipendium ab aliquo particulari accipiant.* 387.D.1.
*Sacerdos honorarium accipiens pro missa non potest curare eam dici per alium minuto honorario.* ibid.D.
*Qui pro pluribus celebrare debet, non satisfacit celebrando unam missam pro omnibus.* 386.D.2.

Mixtio.

*Præceptum miscendi aquam vino obligat sub peccato mortali.* 408.A.1.
*Potest liquor aliquis misceri speciebus.* 340.E.2.
*Mixtio liquoris cum liquore duplex & per quam mixtionem designat sanguis Christi esse sub speciebus vini.* 341.B.1.

Moyses.

*Moyses fuit sacerdos.* 601.B.2.
*Moyses est dudum mortuus.* 752.E.1.
*Moyses ut dicatur redemptor.* 165.E.1.

Mors Christi.

*Conveniens fuit Christum mori.* 167.A.2.
*In morte Christi divinitas non fuit separata à corpore.* ibidem.C.
*Christus in triduo mortis non fuit homo.* 268.C.1.
*Corpus Christi quo modo idem numero vivum & mortuum.* ibid.E.
*An mors Christi sit causa meritoria nostræ salutis.* 169.B.1.

Mundus.

*Mundus est purgandus.* 254.D.2.
*Purgatio illa est per ignem futurã.* 255.D.1.
*Cur non per aquam sicut in diluvio.* ibid.E.
*Mundus est innovandus.* 787.E.2.
*Elementa sunt innovanda.* 788.D.2.

N.

Natura.

*Natura & suppositum differunt realiter in creaturis.* 22.D.2.
*Natura divina non est alicujus formæ.* 23.C.1.
*Natura divina quo sensu dicatur incarnata* 24.B.1.
*Neutra natura in Christo habet rationem partis.* 27.D.1.
*Natura humana non fuit unita verbo Dei accidentaliter, neque essentialiter sed substantialiter.* 28.B.2.
*Natura abstracta per intellectum personalitate potest adhuc intelligi ut assumens.* 36.E.1.
*Natura humana est magis assumptibilis quam alia.* 41.A.2.
*Natura humana non fuit assumpta mediante gratia.* 47.D.2.

Nativitas Christi.

*Non decuit Christi nativitatem ab initio manifestari omnibus.* 134.A.2.
*Debuit tamen aliquibus manifestari.* ibid.D.
*Duo prodigia quæ Christi nativitati famulata sunt.* 135.B.1.
*Non decuit ut Christus per se suam nativitatem manifestaret.* ibid.E.2.
*Varia manifestatio nativitatis Christi ad varios.* 136.C.1.
*Ordo manifestationis nativitatis Christi.* ibid.B.2.

Nestorius.

*Mors Nestorij.* 131.E.2.

Nuptiæ.

*Nuptias secundas à morte conjugis esse licitas.* 695.D.2.
*Secundas nuptias esse sacramentum.* 716.E.1.
*Nuptias secundas ex parte mulieris non benedici.* ibid.A.2.
*Nuptiæ ut significent conjunctionem unius Christi cum una Ecclesia.* ibid.C.

O.

Omnipotentia, Omnipotens.

*Omnipotentia non est communicabilis creaturæ.* 65.E.1.
*Anima Christi non habuit omnipotentiam.* ibid.D.
*Christus erat omnipotens.* ibid.E.
*Anima Christi non fuit omnipotens ad immutandas creaturas.* ibid.E.2.

Opus.

*Opera bona extra charitatem facta ad quid valeant.* 642.B.1.
*Opera moraliter bona ad quid valeant.* ibid.A.2.
*Operis reviviscentia. Vide* Meriti reviviscentia.
*Duplex qualitas bonorum operum.* 567.E.1.

Ordo.

*Ordo variè sumitur.* 595.C.1.
*Definitio ordinis.* ibid.A.2.
*De fide est esse verum sacramentum novæ legis.* 596.B.2.
*Confert gratiam sanctificantem.* 598.A.1.
*Imprimit characterem.* ibid.C.
*Præsupponit de necessitate characterem baptismi.* ibid.A.2.
*Non tamen characterem confirmationis.* ibid.C.
*Character unius ordinis non præsupponit characterem alterius.* ibid.E.
*Sunt plures ordines.* 602.A.2.
*Minores ordines sunt sacramenta.* 603.C.2.
*Quæ sint officia minorum ordinum.* 605.C.1.
*Episcopatus est ordo & proprie sacramentum novæ legis* 620.D.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca




Materia & forma.

*Hoc Sacramentum habet materiam.* 597.D.1.
*Diversimodè tamen ab alijs.* *ibid.*
*Forma hujus Sacramenti convenienter exprimitur per modum imperativum.* 597.B.1.
*Quæ sit materia & forma minorum ordinum.* 605.C.1.

Minister. Suscipiens.

*An electio & constitutio ministrorum pendeat à potestate laica.* 600.D.1.
*Solus Episcopus est ordinarius minister hujus Sacramenti.* 613.A.1.
*Nemo potest in peccato mortali uti suo ordine absque peccato.* 602.B.1.
*In ordinando requiritur bonitas vitæ.* 599.A.1.
*Quæ scientia.* *ibid.*C.
*Qui ad ordinem promovent indignos peccant mortaliter.* 600.C.1.
*Pontifex non potest sacerdoti non Episcopo committere confectionem majorem ordinum.* 613.E.1.
*Episcopi hæretici validè ordinant.* 614.B.1.
*Sexus fœmineus impedit susceptionem hujus sacramenti.* *ibidem.*E.
*Item ætas puerilis.* 615.A.1.
*Etiam servitus.* *ibid.*E.
*Item homicidium.* *ibid.*A.2.
*Illegitimè nati impediuntur à susceptione ordinum.* *ibid.*D.
*Clerici debent tonsuram deferre.* 613.B.2.
*Per acceptionem coronæ non renuntiant bonis temporalibus.* 617.B.2.

Origenes.

*Origenis error circa secundas nuptias.* 716.B.1.
*Origenis error circa pœnas damnatorum.* 804.C.1.

Oscula.

*Oscula & tactus inter conjuges quando sint peccata & qualia.* 664.A.2.

Originale.

*Vide* Peccatum originale.

P.

Panis.

SUBSTANTIAM *panis non manet post consecrationem.* 309.E.1.
*Panis substantia non resolvitur in præjacentem materiam.* 314.B.1.
*Substantia panis non annihilatur.* *ibid.*C.
*Panis non convertitur in corpus Christi.* *ibid.*E.2.
*Quæ panis accidentia maneant.* 314.B.2.
*Forma substantiæ panis non manet.* *ibid.*E.
*Nec etiam materia panis.* 325.C.1.

Parochus.

*Parochus quando in Ecclesia parochiali celebrare teneatur.* 387.C.1.
*An parochus recipiens honoraria missarum, majora solito possit eas curare dici per alios.* 387.E.1.
*Cavendum ne parochi frequenter, in festis & Dominicis stipendium ab aliquo particulari recipiant.* *ibid.*D.1.
*Licet parochus obligatus sit celebrare pro populo, Dominicis præsertim & festis diebus potest aliquando accipere stipendium ab uno particulari.* *ibid.*B.1.

Pascha.

*Pascha variè accipitur.* 158.C.2.
*Paschæ celebrationem Judæos non transtulisse in passione Domini.* 157.C.1.
*Pascha suum olim celebrasse Judæos luna 14. finiente atque adeo vespera posteriore.* 289.D.1.

SS. Patres.

*SS. Patres explicantur de oratione Christi.* 96.B.1.

Paulus.

*B. Paulus oculis corporalibus Christum vidit.* 183.E.2.

Patrinus.

*Patrinos ex Apostolico instituto in baptismo adhibendos esse.* 249.C.2.
*Quid requiratur ad esse patrinum.* *ibid.*D.2.
*Qui possint admitti ad officium patrini.* 250.E.1.
*Patrini obligantur instruere eos quos de sacro fonte susceperunt instruere aut instrui faciant in ijs quæ ab unoquoque credi oportet.* *ibid.*E.2.

Peccator, peccatum.

*Qui dicantur manifesti peccatores.* 346.E.1.
*Peccatoribus manifestis deneganda est communio.* 346.C.1.
*Peccatum non est simpliciter infinitum.* 13.B.2.
*Peccati permissio est à Deo volita.* 18.E.1.
*Quid sit fomes peccati.* 73.C.1.
*Quomodo peccatum Christum crucifigentium fuerit maximum.* 163.E.1.
*Opera bona mortificantur per peccatum.* 456.A.2.
*Quomodo justum sit, peccatum uno momento commissum æternaliter puniri.* 804.D.1.
*Quæ peccata sint materia Sacramenti pœnitentiæ.* 413.C.1.

Peccatum originale.

*Originale peccatum cadere potest sub virtutem pœnitentiæ.* 413.D.1.
*Propter peccatum originale venit Christus.* 20.C.1.
*Peccatum originale est origo & occasio actualium.* *ibid.*D.
*Peccatum originale non est intensivè majus peccato actuali, bene tamen extensivè.* *ibid.*E.
*Peccatum originale est peccatum mundi.* *ibid.*A.2.
*An peccato originali debeatur pœna sensus.* *ibid.*B.2.

Peccatum mortale.

*Quatenus peccata mortalia dicantur materia necessaria pœnitentiæ.* 413.E.1.
*Unum peccatum mortale remitti non potest sine alio de lege Dei ordinaria.* 436.A.1.
*Potest tamen absoluta Dei potentia.* *ibid.*E.
*Peccatum mortale sine pœnitentia ut est virtus non potest de lege Dei ordinaria remitti.* 433.C.1.
*Regulariter necessaria est formalis pœnitentia ad remissionem peccati mortalis.* *ibid.*2.
*Peccatum mortale includit aversionem à bono incommutabili & conversionem ad bonum commutabile.* 435.A.1.
*An peccatum mortale possit remitti ac deleri sine infusione gratiæ.* 434.E.2.
*Privatio seu carentia gratiæ præcisè sumpta non constituit essentialem rationem peccati mortalis.* 435.A.2.
*Quis sit ordinarius modus remittendi peccatum mortale.* *ibidem.*E.1.

Peccatum veniale.

*Nunquam peccatum veniale remittitur sine pœnitentia.* 440.B.1.
*Ad ejus remissionem non sufficit habitualis pœnitentia, sed requiritur & sufficit virtualis.* *ibid.*D.
*Quando & per quid fiat culpæ venialis remissio.* 442.A.2.
*Ad remissionem peccati venialis sufficit aliquis motus gratiæ & charitatis.* *ibid.*E.
*Peccatum veniale non potest remitti per actum contrarium viribus naturæ elicitum.* 443.D.1.
*Remedia contra peccata venialia.* 444.A.1.
*Quæ dispositio requiratur ut per Sacramentum aliquod remittantur peccata venialia.* *ibid.*B.
*Neque aqua benedicta, aut ea quæ dicuntur Sacramentalia delent peccata venialia ex opere operato.* *ibidem.*C.2.


*Non*




*Non potest remitti veniale sive mortale remissione ei conjuncti.* *ibid.*
*Potest tamen de potentia Dei absoluta.* 446.D.1.

Peccati macula.

*Peccatum veniale causat maculum quæ deletur quando remittitur.* 443.A.2.
*Macula peccati quid sit.* 435.B.2.

Peccati malitia.

*Peccatum non habet infinitam malitiam, & unde spectetur.* 13.C.2.

Peccati pœna.

*Peccatum veniale per accidens puniri potest pœna æterna.* 445.D.2.
*Peccato mortali non deberi duplicem pœnam sensus, unam æternam ex parte aversionis, temporalem alteram ex parte conversionis.* 438.D.1.
*Peccato veniali in damnatis ut debeatur pœna æterna.* 806.D.1.

Peccati remissio.

*Nullam est peccatum in hac vita quod non possit remitti per Pœnitentiam.* 430.D.2.
*Peccatum in Spiritum sanctum ut dicatur irremissibile.* 431.E.2.
*An peccatum mortale remitti possit sine infusione gratiæ.* 433.E.2.
*Remissa culpa non remanet reatus pœnæ æternæ, remanet tamen sæpè reatus alicujus pœnæ temporalis.* 437.D.1.
*Remissa culpa mortali non statim tolluntur omnes reliquiæ peccati.* 429.E.1.

Peccati reviviscentia.

*Peccata remissa nunquam redeunt simpliciter.* 446.B.1.
*Tripliciter peccata possunt dici redire.* *ibid.*A.
*Redeunt tamen secundum quid ratione ingratitudinis.* 440.B.2.
*Peccatum commissum post remissionem est majus, quam illud quod post innocentiam committitur.* 450.A.1.
*Reatus peccati sequentis non est semper tantus, quantus præcedentium.* *ibid.*C.

Peregrini.

*Peregrini possunt confiteri Parocho ubi se inveniunt tempore confessionis.* 507.A.2.
*Possuntque absolvi à casibus Episcopo reservatis, si non reserventur Episcopo loci ubi fit confessio.* *ibid.*C.

Periculum.

*Periculum quid sit.* 482.C.2.
*Periculi & articuli differentia.* 499.C.1.

Persona.

*Vide* Suppositum, Subsistentia.

*Unica persona est in Christo.* 24.E.2.
*Persona Christi est composita.* 26.D.2.
*Num persona Christi dicatur rectè composita ex Verbo & humanitate.* 27.D.2.
*Personæ divinæ convenit assumere naturam creatam.* 33.D.2.
*Personæ primariò convenit assumere, secundariò naturæ.* 35.A.1.
*Una persona potest assumere naturam creatam alia non assumente.* 37.D.1.
*Persona Verbi terminavit humanitatem ut distincta ab alijs personis.* *ibid.*D.2.
*Quælibet persona divina potest naturam humanam assumere.* 39.C.2.
*Plures personæ divinæ potuerunt assumere unam naturam humanam.* 40.B.1.
*Una persona divina potest assumere duas naturas.* 40.D.2.
*Convenientius fuit quod persona Filij assumeret naturam humanam quam alia persona divina.* 41.C.1.
*Filius Dei non assumpsit personam.* 42.B.1.
*Item persona non est assumptibilis.* *ibid.*C.

Pœna.

*Pœna temporalis futuri sæculi taxatur à Deo secundùm quantitatem culpæ.* 539.B.1.
*Pœna temporalis injuncta à Sacerdote spectari debet in ordine, tam ad solvendum debitum, tum ad præstandum remedium.* *ibid.*C.

Pœnitentia virtus.

*Pœnitentia est virtus ea, specialis.* 424.B.1.
*Pœnitentia est virtus infusa.* 426.A.1.
*Quarè non sit virtus Theologica.* 428.C.1.
*Pœnitentia non est prima virtutum.* 430.D.1.
*Pœnitentiæ definitio.* 424.A.2.
*Actus principalis Pœnitentiæ.* 425.C.1.
*Pœnitentia est species justitiæ.* 428.A.1.
*Pœnitentiæ subjectum est voluntas.* *ibid.*E.
*Pœnitentia non fuit in Christo nec in Angelis.* *ibid.*D.2.
*Ejus habitus manet in beatis.* *ibid.*C.
*Pœnitentia pro habitu sumpta à solo Deo infunditur.* *ibid.*
*Si pro actu intelligatur principium ejus est ex timore.* 429.A.1.

Pœnitentia Sacramentum.

*Pœnitentia est Sacramentum novæ legis.* 411.A.2.
*Hoc Sacramentum est diversum à Sacramento Baptismi.* *ibid.*D.
*Pœnitentia quid res tantum, quid Sacramentum tantum, & utrumque simul.* 412.A.2.
*Quid Sacramentum Pœnitentiæ.* *ibid.*C.
*Materia remota hujus Sacramenti sunt peccata, proxima vero actus pœnitentis.* 413.A.1.
*Hæc est forma conveniens hujus Sacramenti, Ego te absolvo.* 414.C.1.
*Ista verba* à peccatis *non sunt de essentia formæ.* 415.D.2.
*In hoc Sacramento non est necessaria impositio manuum.* 420.A.1.
*Hoc Sacramentum necessarium est relapsis.* *ibid.*E.
*In re vel in voto.* *ibid.*A.2.
*Sufficit votum implicitum.* *ibid.*B.
*Hoc Sacramentum est necessarium relapsis tum medij, tum præcepti necessitate.* *ibid.*D.
*Pœnitentia est secunda tabula.* 421.D.1.
*Hoc Sacramentum est institutum post resurrectionem.* 422.C.1.
*Quatenus Pœnitentia sit de jure naturæ.* *ibid.*E.
*Quæ Pœnitentia in veteri & in nova lege.* *ibid.*A. & B.2.
*Sacramentum Pœnitentiæ potest reiterari, & debet ab ijs qui relabuntur.* 423.B.1.

Effectus.

*Effectus hujus Sacramenti non confertur effectivè per solam Sacerdotis absolutionem, sed etiam per actus pœnitentis.* 426.B.2.
*Virtutes amissæ restituuntur per Pœnitentiam.* 450.D.2.
*Homo post pœnitentiam non semper resurgit in æquali gratia & virtute.* 452.C.1.
*Per Pœnitentiam restituitur homo in pristinam dignitatem.* 456.B.1.
*Ad hoc ut Sacramentum Pœnitentiæ sit validum non sufficit dolor vel attritio naturalis.* 471.D.2.
*Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato est validum & quomodo.* 557.E.1.

Pœnitentiæ partes.

*Aliquæ sunt partes Pœnitentiæ integrales.* 457.B.2.
*Partes essentiales Pœnitentiæ sunt duæ.* 458.E.1.
*Convenienter assignantur tres partes integrales Pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio.* 459.B.1.
*Tres sunt partes essentiales Pœnitentiæ in particulari contritio, confessio, & absolutio.* 451.B.1.
*Pœnitentia convenienter dividitur in eam quæ est ante Baptismum,*

*timum, & eam quæ est mortalium post Baptismum, & eam quæ est venialium.* 461.E.2.

Pollutio.

*Vide* Ecclesiæ pollutio.

*Pollutio ut impediat communionem.* 348.E.1.

Polygamus.

*Polygamia est jure naturæ illicita.* 718.A.1.

*Quando fuit dispensatum ut polygamia esset licita.* 719.C.1.

*Hæc dispensatio non pertinet ad solum populum fidelem. ibidem.E.*

*Polygamia uxorum cur potius permissa quam maritorum. ibid.C.2.*

Potestas.

*Vide* Christi potestas, judiciaria potestas.

*Potestas Regum ad quæ se extendat, utque distinguatur à potestate Sacerdotum.* 550.B.1.

Præceptum.

*Præceptum obligans non ratione sui, sed ratione alterius non censetur distincta obligatio.* 346.B.1.

*Præcepta affirmativa ut dicantur obligare tantum in necessitate.* 483.D.2.

Prædestinatio.

*Vide* Christi prædestinatio.

*Prædestinationis effectum aliquem possumus mereri.* 10.C.2.

*Non autem reparationem nostram mereri possumus. ibid.*

Presbyter.

*Quæ sint officia Presbyterorum.* 611.C.1.

*Quæ sit materia & forma Presbyteratus.* 608.C.2.

*An idem valeant Presbyter & Sacerdos.* 611.A.2.

*Quæ olim Presbyteræ dicebantur.* 614.B.2.

Prædicatio.

*Quid ad prædicationem univocam requiratur.* 77.A.1.

*Prædicatio reduplicativa quando sit propria, & per se & quando non.* 81.A.2.

*Prædicare verbum Dei in p.m. non est mortale.* 218.D.2.

Proles.

*An proles ex matrimonio simulato suscepta sit legitima.* 645.C.1.

Propositio.

*Propositum multarum quæ unionem hypostaticam in Christo, consequuntur, explicatio.* 378.D.2.

*Quæ propositio identica.* 335.A.1.

*In propositione de præsenti verbum (est) non significat momentum temporis quo profertur, sed tempus præsens, cujus partes illo momento copulantur & quando propositio suum significatum habeat, & vera sit.* 335.B.1.

Purgatorium.

*Fidei est esse purgatorium.* 801.B.1.

*Ubi sit purgatorium.* 813.A.1.

*De quantitate pœnæ purgatorij. ibid.C.*

*Quomodo ejus pœna sit ultima. ibid.B.2.*

*In purgatorio ordinariè animæ non patiuntur à dæmonibus. ibid.C.*

*In purgatorio existentes habent certitudinem suæ salvationis.* 814.D.2.

*In purgatorio existentes non turbantur.* 815.C.1.

*Per ignem purgatorij tollitur reatus pœnæ.* 816.A.1.

*Quamdiu unaquæque anima maneat in purgatorio. ibid.D.1.*

*Purgatorij pœna expurgat peccatum veniale quoad culpam.* 813.B.2.

Prophetia.

*Obscuritas non est de ratione Prophetiæ.* 52.C.1.

*Quid prophetia prædestinationis, præscientiæ, & comminationis.* 122.D.2.

Q.

Quantitas.

QUANTITATIS *essentia in qua extensione consistat.* 323.D.2.

*Quantitas quæ remanet in Eucharistia est subjectum aliorum accidentium.* 339.C.1.

*Tota quantitas dimensiva corporis Christi est in Sacramento Eucharistiæ ex vi Sacramenti.* 323.A.1.

R.

*Ratihabitio.* 506.B.2.

Redemptio.

REDEMPTIO *nostra cur peculiariter passioni Christi adscribatur.* 164.A.1.

*Esse redemptorem est Christo proprium.* 165.E.1.

*Trinitas quomodo nos redemit. ibid.B.2.*

*Sancti non sunt redemptores nostri. ibid.C.*

*Redemptoris nomen nulli præterquam Christo in Scriptura tribuitur. ibid.D.*

*Redemptio compensationem includit.* 536.C.1.

*Quid sit redimere.* 11.C.1.

Religiosus.

*Religiosi debent singulis mensibus confiteri, sive habeant peccata mortalia sive non.* 496.D.2.

*Quale peccatum illud omittere. ibid.*

*Religionem fictè professus num teneatur postea serio profiteri.* 645.B.1.

*Religionem ingredi post matrimonium consummatum quando utrique vel alteri conjugum liceat vel non.* 706.D.2.

Reliquiæ.

*Reliquiæ Sanctorum sunt adorandæ.* 113.E.1.

Remissio.

*Vide* Peccati remissio.

Reservatio peccatorum.

*In Ecclesia est potestas reservandi quædam peccata.* 551.A.1.

*Quid sit reservatio. ibid.B.*

*Cujusvis generis peccata reservari possunt, & venialia, & interna si solum spectetur potestas. ibid.E.*

*Quæ peccata debent reservari. ibid.C.2.*

*Possunt peccata reservare qui habent ordinariam jurisdictionem in foro conscientiæ.* 512.A.1.

*Quæ peccata reservare possunt superiores Religionum. ibid.C.*

*Absolvere potest a casibus reservatis qui illos reservavit.* 553.C.1.

*Id etiam potest superior reservantis. ibid.*

*Quilibet Sacerdos in articulo mortis potest ab eis absolvere. ibid.*

*Quis habeat potestatem delegatam. ibid.*

*Non potest inferior absolvere à non reservatis remittendo ad superiorem pro reservatis.* 553.A.2.

*Nisi in periculo mortis & cum consensu Superioris. ibid.*

*Habens reservata nec valens adire Superiorem potest sine confessione celebrare propter grave scandalum evitandum.* 554.B.1.

*Si confitearis habenti potestatem absolvendi à reservatis & obliviscaris casus reservati; potes per quemlibet ab illo absolvi. ibid.D.*

*Non tamen si confitens fuerit oblitus casum reservatum ex oblivione culpabili. ibid.E.*

*Si quis peccata reservata confiteatur sicè reservata esse desinunt. ibid.*

*Confessarius potest petere à Superiore veniam absolvendi à reservatis. ibid.B.2.*

*Superior debet esse facilis in ea danda. ibid.*





Resurrectio.

*Vide* Christi resurrectio.

*Quid resurrectio.* 787.E.2.

*Corporum resurrectio aliquando futura. ibid.*

*Omnes mortui resurgent.* 759.C.1.

*Resurrectio non est naturalis.* 760.B.1.

*Variæ causæ resurrectionis.* 761.C.1.

*Angeli ad resurrectionem cooperabuntur. ibid.*

*Resurrectio differtur ad finem mundi. ibid.*

*Tempus resurrectionis est ignotum. ibid.E.2.*

*Incertaq; est hora.* 761.C.2. & 760.A.1.

*Omnium resurrectio futura à cineribus nisi ex speciali privilegio quibusdam aliis sit indultum.* 764.C.2.

*Quid per cineres intelligendum. ibid.*

De conditionibus resurgentium.

*Anima idem numero corpus resumet in resurrectione.* 306.A.2.

*Quomodo dicimus futuri cœlestes.* 766.B.1.

*Resurget idem numero homo. ibid.C.D.1.*

*Futura eadem numero humanitas. ibid.D.2.*

*Materia reddetur cuique membro propria.* 767.D.2.

De integritate corporum resurgentium.

*Omnia hominis membra resurgent.* 768.C.1.

*Quare reddentur ea membra quorum nullus erit usus. ibid.A.2.*

*Capilli & ungues resurgent. ibid.B.*

*An capilli & ungues toties detonsi, omnes resurgant. ibid.C.*

*Etiam quatuor humores restituentur. ibid.E.*

*Non resurget totum quod fuit materiale in homine.* 770.A.2.

*Omnis fœtus adoptivus resurrecturus est si aliquando fuerit informatus animâ rationali.* 769.D.2.

*An monstra resurgent.* 770.E.1.

De resurgentium qualitate.

*Omnes resurgent in ætate juvenili. ibid.E.2.*

*Non omnes resurgent in eadem figura.* 771.D.1.

*De Gigantium & nanorum statura. ibid.E.*

*De Pygmeis. ibid.A.2.*

*Non omnes in sexu virili, sed unusquisque in suo sexu est resurrecturus. ibid.C.*

*Homines non resurgent in vita animali.* 772.A.2.

De cognitione resurgentium.

*Post resurrectionem omnes scient sua omnia bona & mala.* 778.C.1.

*Omnes scient opera & cogitationes omnium hujus sæculi. ibid.E.*

S.

Sacerdos, Sacerdotium.

*AN idem valeant Sacerdos & Presbyter.* 611.A.2.

*Non omnes baptizati sunt Sacerdotes.* 599.C.2.

*Sacerdotes debent aliquando consecrare.* 369.E.1.

*Sacerdotes mali ab Ecclesia non tolerati ut maneant Christo unis, etsi non Ecclesiæ. ibid.A.1.*

*Sacerdos proprius in præcepto de confessione annua quis dicatur.* 505.E.2.

*Sacerdotes sæculares posse ex consuetudine confiteri ouibus Sacerdoti per Episcopum approbato.* 507.C.1.

*Fide certum est Sacerdotium esse Sacramentum.* 573.D.1.

*Sacerdotij character imprimitur in datione calicis cum vino, & patenæ cum forma verborum determinata.* 592.C.1.

*Sacerdotium Christi. Vide* Christi Sacerdotium.

Sacramentum.

*Sacramenti nomen variè usurpatur.* 186.E.1.

*Sacramentum est in genere signi. ibid.D.2*



*Omne signum rei sacræ ut Sacramentum.* 187.C.1.

*Sacramentum debet esse signum sensibile. ibid.*

*Debet etiam significare rem sacramenti. ibid.A.2.*

*Debet esse signum publicum & stabile.* 188.A.1.

*Debet etiam significare ex instituto.* 187.D.2.

*Definitio Sacramenti, ejusq; sensus.* 188.D.1.

*Ab hac definitione potest excludi Sacrificium. ibid.B.2.*

*Sacramentum tria significat.* 189.B.1.

*Ad Sacramentum requiritur res sensibilis. ibid.E.*

*Quid hic res sensibilis. ibid.A.2.*

*Utrum res de se insensibilis possit esse pars Sacramenti. ibid.B.*

*Requiruntur res determinatæ in Sacramentis. ibid.E.*

*Omnia Sacramenta novæ legis tribus perficiuntur.* 190.E.1.

*Requiruntur in Sacramentis novæ legis verba determinata.* 191.C.1.

*Quæ mutatio tollat veritatem Sacramenti. ibid.B 2.*

*Sacramenta alia vivorum, alia mortuorum.* 199.C.1.

*Sacramenta veteris legis erant univoce Sacramenta cum nostris.* 188.C.1.

Sacramentorum institutio.

*Omnia Sacramenta sunt à Christo immediatè instituta.* 213.A.1.

Numerus.

*Est de fide esse septem Sacramenta novæ legis.* 230.B.2.

*Unde numerus ille septennarius petatur. ibid.E.*

*Ordo Sacramentorum est conveniens.* 231.E.2.

Minister.

*Ministri Sacramentorum conferunt gratiam per Sacramenta instrumentaliter.* 212.A.2.

*Non quilibet est omnium Sacramentorum minister.* 215.A.2.

*An malus minister conferat verum Sacramentum. ibid.B.*

*Per malos ministros sive occultos sive notos vera Sacramenta persici & conferri possunt. ibid.D.*

*Sacramentorum effectus per ipsos conferri potest.* 216.B.1.

*An omnis, qui in peccato mortali ministrat Sacramenta, peccet mortaliter.* 217.A.1.

*Qui ministri censendi sunt tolerati ab Ecclesia.* 219.B.2.

*Fides ministri non requiritur ad perfectionem Sacramenti.* 227.E.2.

Ministri intentio.

*Intentio ministri est necessaria ut Sacramentum subsistat.* 221.A.2.

*Nec subsistit intentio operis quod agitur ut est quædam actio naturalis. ibid.D.*

*Non est tamen necessaria intentio effectus ad perfectionem Sacramenti.* 222.D.1.

*Non sufficit ad esse Sacramenti intentio conditionata.* 223.D.1.

*Requiritur tamen & sufficit intentio virtualis. ibid.C.2.*

*Quædam recta intentio ministri est necessaria.* 230.D.1.

*Quæ intentio actualis.* 223.D.2.

*Quæ virtualis. ibid.*

*Sufficit generalis intentio faciendi quod Ecclesia Christi facit.* 224.B.2.

*De suppletione intentionis ministri.* 226.C.1.

Recipiens & ejus intentio.

*An liceat Sacramenta recipere a malis ministris.* 219.A.2.

*In recipiente aliquod Sacramentum in usu consistens necessaria est intentio seu voluntas recipiendi.* 256.E.2.

*Quæ intentio recipientis sit necessaria.* 257.B.1.

Sacramentorum efficientia.

*Sacramenta novæ legis multo aliter valent ad gratiam quam verbum Dei.* 197.B.1.

*De fide est Sacramenta conferre gratiam. ibid.C.2.*

*Non omnia Sacramenta per se conferunt primam gratiam.* 169.D.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Sacramenta gratiam conferunt.* 120.A.1.
*Sacramenta gratiam conferunt ex opere operato.* 196.D.1.
*Sacramentum non operatur antequam existat.* 204.C.1.
*Quid gratia sacramentalis addat supra gratiam communiter dictam.* ibid.E.2.
*Effectus Sacramentorum sunt proprij.* 205 A.1.
*An gratia sacramentalis non detur aliter quam per Sacramenta.* ibid.E.
B.1.
*Sacramenta continent gratiam.* ibid.C.2.
*Sacramenta sunt vasa gratiæ.* ibid.E.
*Est in Sacramentis virtus gratiæ.* ibid.
*Quid sit virtus Sacramentorum.* ibid.
*Sacramenta habent vim ex passione Christi.* 206.C.2.
*Per aliqua Sacramenta novæ legis imprimitur character spiritualis in anima.* 209.E.1.
*Solus Deus operatur interiorem effectum Sacramentorum tanquam causa principalis.* 212.C.1.
*Quomodo.* 214.C.1.
*Potestas excellentiæ quam Christus ut homo habuit in Sacramentis potuit communicari creaturæ.* ibid.A.1.
*Ista tamen potestas nulli fuit communicata.* 215.B.1.
*Character sacramentalis est character Christi.* 210.E.2.

Necessitas.

*Necesse fuit aliqua Sacramenta institui.* 104.A.2.
*An in statu innocentiæ necessaria fuerint Sacramenta.* ibidem.C.
*Oportuit esse Sacramenta ante Christi adventum.* 195.C.1.
*Debent esse Sacramenta post Christum diversa à veteribus.* 196.D.2.

Sacramenta veteris legis.

*Sacramenta veteris legis erant univocè Sacramenta cum nostris.* 188.C.1.
*Quæ sint definitiones Sacramenti veteris legis.* ibid.E.2.
*Non conferebant gratiam.* 207.B.1.
*Discrimen Sacramentorum veteris legis à Sacramentis novæ legis.* 208.B.1.
*Sacramenta veteris legis justificabant ex opere operantis.* ibidem.2.

Sacrificium, sacrificij essentia.

*Sacrificium excludi potest à definitione Sacramenti.* 188.B.2.
*Fuissent sacrificia durante statu innocentiæ.* 198.B.1.
*Sacrificij definitio.* 370.E.1.
*In nova lege est aliquod sacrificium externum propriè dictum.* 370.E.1.

Sacrificium Eucharistiæ.

*In Eucharistia offertur verum ac proprium novæ legis sacrificium.* 371 A.1.
*Oblatio vocalis sive consecrationem antecedens sive subsequens non pertinet ad essentiam sacrificij Eucharistiæ neque est ejus pars principalis.* 373.E.1.
*Similiter neque fractio neque mixtio, neque distributio.* ibidem.B.2.
*Sumptio quæ fit in celebratione est sacrificij pars integralis principalis.* ibid.D.
*Non est tamen de essentia sacrificij.* ibid.E.
*Consecratio junctæ mentali oblationi est id in quo essentialis ratio sacrificij consistit.* 374.B.1.
*Consecratio utriusque speciei est de essentia hujus sacrificij.* 376.D.1.
*Quid sit res principalis oblata in hoc sacrificio.* 177.A.1.
*Quæ sit differentia hujus sacrificij ab alijs.* ibid.B.2.
*Hoc sacrificium differt a sacrificio crucis in ratione offerendi & quomodo.* ibid.D.
*Non tamen ideo differunt specie.* ibid.E.
*Quomodo sacrificium missæ differat à sacrificio quod Christus obtulit in cœna.* 378.A.1.
*Solus sacerdos ritè ordinatus potest per se offerre sacrificium Eucharistiæ.* ibid.C.
*Christus est principalis offerens in hoc sacrificio.* ibid.E.
*Laici & fideles rectè etiam dicuntur offerre & quomodo.* ibidem.A.2.
*Hoc sacrificium verè est propitiatorium.* 382.D.2.
*Hoc sacrificium valet ijs pro quibus offertur.* 379 B.1.
*Non prò solis fidelibus est sacrificandum.* ibid.A.2.
*Pro fidelibus in purgatorio existentibus est offerendum.* ibidem.D.
*Non est offerendum sacrificium pro beatis.* 382.C.1.

Sacrificij Eucharistiæ effectus.

*Hoc sacrificium non habet vim independentem.* 383.D.1.
*Hoc sacrificium valet ex opere operato.* ibid.C.2.
*Quomodo.* 384.A.1.
*Justis sive vivis, sive mortuis valet ad alicujus pœnæ remissionem.* ibid.D.
*Non confert immediatè primam gratiam justificantem.* ibidem.E.
*Valet tamen mediatè ad remissionem peccatorum mortalium.* ibid.B.2.
*Valet etiam ad augmentum gratiæ, & ad remissionem culparum venialium.* 385.A.1.
*Quæ dispositio requiratur in illis pro quibus offertur hoc sacrificium.* ibid.B.
*Utrum valor hujus sacrificij sit infinitus intensivè.* ibid.C.

Fructus.

*Quando percipiatur fructus sacrificij.* 376.A.1.
*Hoc sacrificium valet ijs pro quibus offertur.* 379.B.1.
*Hoc sacrificium pro multis oblatum non tantum prodest ac si solum pro uno offerretur.* 385.D.2.

Sancti.

*Sancti nostras preces cognoscunt.* 743.A.2.
*Eas vident in verbo.* 744.E.1.
*Sancti utiliter à nobis invocantur.* 745.A.1.
*Cur Deus velit quod oremus Sanctos.* 746.A.2.
*Cur Sancti inferiores adorandi.* ibid.B.
*An ad hoc ut illorum invocatio sit nobis salutaris absolutè necessarium sit Sanctos cognoscere nostras preces.* 747.A.1.
*Sancti non videbunt divinam essentiam oculis corporalibus.* 789.C.2.
*Beatitudo Sanctorum erit post resurrectionem major extensivè non intensivè.* 790.D.E.2.

Sanguis.

*Aliquis Christi sanguis fuit immediatè unitus Verbo secundum hypostasim.* 45.C.1.
*Sanguis est pars corporis.* ibid.A.2.

Satisfacere, satisfactio.

*Homo potest satisfacere Deo.* 536.B.1.
*Satisfacere potest unus pro alio.* 537.E.2.
*Non potest homo de uno peccato satisfacere sine alio.* 539.D.2.
*Qui actu vel affectu persistit in peccato mortali non potest Deo satisfacere pro illis peccatis.* 540.C.2.
*Possumus satisfacere per opera alias debita.* A.2.
*Quid satisfactio.* 12.D.2.
*Quæ necessaria ad perfectam satisfactionem.* ibid.E.
*Satisfactio est necessaria necessitate præcepti.* 536.B.2.
*Satisfactio nostra expiat pœnam temporalem de condigno.* ibidem.E.
*Satisfactio debet fieri per opera pœnalia.* 542.D.2.
*Potest tamen omne opus bonum esse satisfactorium.* 543.B.1.
*Flagella quibus à Deo in hac vita punimur sunt satisfactoria.* 544.C.1.
*Convenienter enumerantur 3. opera satisfactoria, jejunium eleemosyna, oratio.* ibid.E.
Satis-



Satisfactio Sacramentalis.

*Satisfactio sacramentalis habet aliquem effectum ex opere operato.* 427.D.1.
*Valet ex opere operato ad remissionem pœnæ.* ibid.E.
*Etiam ad gratiam aliquam.* ibid.B.2.
*Satisfactio est actus virtutis.* 534.E.1.
*Variæ satisfactionis definitiones.* ibid.D.2.
*Opera alias debita non sunt ordinariè per confessarios injungenda pœnitentibus.* 543.C.2.
*Debet Sacerdos satisfactionem injungere pœnitentibus.* 556.D.2.
*Quando non.* ibid.
*Convenientius satisfactio imponitur ante absolutionem.* 547.A.1.
*Explenda est satisfactio quam primum fieri potest.* ibid.B.
*Quando tempus est designatum intra illud est implenda.* ibidem.
*Non cessat obligatio si tempore statuto non fuerit impleta.* ibid.
*Pœnitens tenetur acceptare Pœnitentiam rationabilem & acceptatam implere.* ibid.C.2.
*Satisfactionis injunctæ omissio & in effectu peccati mortalis impletio non faciunt confessionem invalidam.* ibid.

Sepultura.

*Corporis humani sepultura est bona.* 742.C.1.
*Utilitates quas vivis adfert.* ibid.D.
*Quas generaliter adfert mortuis.* ibid.E.
*Exequiarum cultus per accidens prodest defunctis.* ibid.B.2.

Servitus.

*Servitus duplex.* 94.E.1.

Sigillum.

*In omni casu tenetur Sacerdos illa servare quæ habet sub sigillo confessionis.* 528.E.1.
*Sigilli obligatio est juris divini naturalis, & juris divini positivi.* ibid.E.2.
*Est etiam juris Ecclesiastici.* ibid.D.
*Sigilli violatio semper est peccatum mortale.* 529.A.1.
*Etiamsi sit peccati venialis revelatio.* ibid.B.
*Sigillum hoc oritur ex omni & sola confessione sacramentali.* ibid.E.
*Peccata futura declarata cadunt sub sigillum per modum accusationis.* ibid.D.2.
*Extra confessionem uti non licet scientia per eam acquisita si ex ejus usu sequitur periculum revelationis confessionis.* 531.B.2.
*Licet tamen si absit periculum.* ibid.
*Sub sigillum directè cadunt omnia illa de quibus facta fuit confessio sacramentalis.* 532.A.1.
*Indirectè autem illa per quæ deveniri posset in notitiam peccati.* ibid.
*Cadit etiam sub sigillum, naturalis defectus occasione peccati declaratus.* ibid.E.
*Peccata complicis cadunt sub sigillum confessionis.* ibid.E.
*Potest pœnitens si hoc sit necessarium ad integritatem confessionis socium peccati sui manifestare.* ibid.
*Solus Sacerdos habet sigillum confessionis propriè loquendo.* ibid.C.2.
*Alij tamen per quandam participationem obligantur ad sigillum observandum.* ibid.
*Omnes illi tenentur ad sigillum qui ex confessione noverunt peccata confessa sive per se sive ex alijs audiendo, sive illicitè.* 533.A.1.
*De licentia pœnitentis potest Sacerdos peccatum quod scit sub sigillo confessionis alteri prodere.* ibid.D.
*Non licet Sacerdoti extra confessionem loqui cum pœnitente de auditis in illa sine ejus consensu.* ibid.E.2.
*Qui per confessionem aliquid novit & etiam aliquo alio modo, potest illud revelare exprimendo illum alium modum quando necessitas justa id postulat.* 534.E.1.

Spiritus Sanctus.

*Spiritus Sanctus respectu Ecclesiæ assimilatur cordi animalis, Christus capiti.* 54.C.2.
*Spiritus Sanctus non potest dici Pater Christi.* 127.E.1.
*De Spiritu Sancto Christus est conceptus.* ibid.B.

Sponsalium natura, & obligatio.

*Variæ usurpationes sponsalium.* 635.E.2.
*Definitio sponsalium.* 636.A.1.
*Sponsalia alia absoluta, alia conditionata quot modis fieri possunt.* ibid.D.2.
*Sponsalia conditionata stante conditione stant, non stante non stant.* ibid.E.
*Si contractui sponsalium apponatur conditio contraria bonis matrimonij afficiens matrimonium in futurum, contractus est irritus.* 637.B.1.
*Conditiones turpes, impossibiles non contrariæ bonis matrimonij faciunt sponsalia esse irrita.* ibid.C.
*Sponsalia contracta sub conditione necessaria de futuro contractus statim subsistit non spectando eventum conditionis.* ibid.E.
*Si apponatur conditio honesta de futuro, contractus non subsistit ante ejus impletionem.* ibid.
*Impleta hujusmodi conditione contractus statim valet absque novo consensu modo contrahentes perseverent in sua voluntate.* ibid.B.2.
*Sponsalia contracta sub conditione alicui ex bonis matrimonij repugnante, sive ea sit turpis, sive honesta sunt irrita.* 638.A.1.
*Officium Parochi circa sponsalia.* 639.A.1.
*Qui sint effectus sponsalium.* ibid.B.
*An obligatio quam habent desponsati per verba de futuro tanta sit, ut si alteruter fornicetur cum alia persona sit circumstantia in confessione necessario exprimenda.* ibidem B.2.
*Convenienter est ab Ecclesia constitutum ut sponsalia contrahentes sint in fine septennij.* 640.B.1.
*Qui sponsalia juramento confirmavit potest religionem ingredi antequam matrimonium inierit.* ibid.B.2.

Quando dissolvantur.

*Sponsalia dirimi possunt.* ibid.E.1.
*Varij casus in quibus dirimuntur.* ibid.
*Simplex votum castitatis dirimit sponsalia prius contracta.* 641.E.1.
*Per ingressum religionis dirimuntur.* ibid.
*Quando alter desponsatorum contrahit Matrimonium cum alio.* 640.D.2.
*Quando utrique vel alteri deest ætas legitima, & cum ad eam venit recusat.* ibid.
*Quando inter contrahendum fuerit terminus Matrimonio ineundo constitutus, eo transacto is qui per quem non stetit, solvi potest sua obligatione.* ibid.E.
*Item quando alter desponsatorum proficiscitur absque consensu alterius in longinquam regionem.* ibid.
*Et quando post sponsalia fornicatur.* ibid.
*Quando sponsalibus supervenit affinitas vel quodcumque juris impedimentum, aut impedimenti fama, vel scandalum, lepra, mutilatio.* 641.A.1.
*Quando aliquid supervenit quod si fuisset prævisum non fuissent contracta.* ibid.B.

Stella.

*Stella cœpit apparere Magis ipso die Nativitatis Christi.* 137.A.1.
*Per stellam Magi habuerunt divinam inspirationem.* 136.D.1.
*Stella Magis apparens fuit nova.* 138.C.1.
*Num hæc stella in Oriente existens apparuerit Magis, an potius Magis in Oriente existentibus ipsa apparuerit existens in terra Juda.* ibid.D.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*An hæc stella fuerit à Judæis visa.* ibid.E.
*An stella Magos duxerit ab Oriente usque in Hierusalem.* ibidem.A.2.
*Stella non toto itinere præivit Magos.* ibid.E.2.

Subdiaconatus.

*Subdiaconatus est Sacramentum.* 602.A.2.
*Quæ sint officia Subdiaconatus.* 606.B.1.
*Quæ sit materia & forma Subdiaconatus.* 606.B.1.

Subditus.

*Quisnam subditus dicatur.* 94.B.1.

Subsistentia.

*Subsistentiam absolutam in divinis non dari.* 36.C.1.

Subtilitas.

*In quo constat dos subtilitatis.* 706.C.2.
*Corpori glorioso non competit ex dote subtilitatis penetrare alia corpora.* ibid.D.2.

Suppositum.

*Suppositum & natura differunt realiter in Angelis.* 41. D.2.

Suffragia.

*Quomodo suffragia per unum facta prosint alijs.* 734.C.2.
*Mortui possunt juvari precibus vivorum.* 735.E.1.
*Suffragia per peccatores facta, valent mortuis.* 736.B.2.
*Quomodo suffragia pro alijs facta facienti prosint.* ibid.D.
*Damnatis non prosunt suffragia.* ibid.E.
*Suffragia prosunt existentibus in purgatorio.* 737.A.2.
*Suffragia non prosunt pueris in peccato originali mortuis.* 738. D.2.
*Suffragia non prosunt beatis.* 739.A.1.
*Tria sunt genera suffragiorum.* ibid.D.
*Quid est per modum suffragij.* 740.D.2.
*Suffragia illi peculiariter prosunt pro quibus fiunt.* 742. E.2.
*Suffragia pro multis facta non tantum valent singulis ac si pro unoquoque specialiter fierent.* 743.C.1.

T.

Taciturnitas.

TACITURNITAS *potest esse signum consensus.* 636. E.1.

Tactus.

*Tactum habiturum aliquem usum & operationem in beatis.* 776.E.1.

Templum.

*Templa Deo construi sanctum esse ac necessarium.* 391.D.1.
*Templa dedicare, consecrare, vel benedicere perpetua Ecclesiæ consuetudo.* ibid.B.2.
*Templorum consecratio non solum est ad reverentiam sacramenti sed etiam ad nostram utilitatem.* ibid.E.
*Templa soli Deo construuntur.* 392.A.1.
*Templi nomen interdum sumi pro loco ad sacrificia cruenta deputato.* 393.E.1.
*Quibus in casibus templa pollui seu violari contingat.* ibid. B.2. *& seq.*

Testamentum.

*Testamentum novum non esse propriè sanguinem Christi, sed per eum sanciri, & confirmari.* 339.D.1.
*Testamentum novum quomodo ad justificationem valuerit ante Christi mortem.* 209.B.1.
*Testamenti, sacrificij, & Sacramenti rationes etsi diversæ non repugnare.* 372.A.1.

Timor.

*Duo actus timoris filialis.* 51.A.2.
*Timor est etiam de malo inevitabili.* 75.A.2.

Tonsura.

*Tonsura non est ordo.* 617.C.1.
*Tonsura, & corona, non sunt idem.* 616.B.1.
*Tonsuram deferre debent clerici.* ibid.
*Usu tonsuræ quantum ad typum & similitudinem exortus à Nazareis.* 617.B.1.

Tristitia.

*Tristitia est etiam de malis quæ volentibus accidunt.* 75. C.1.
*Tristitia secundum rationem superiorem fuit in Christo.* 156. B.1.

Tentatio Christi.

*Christus convenienter fuit tentatus.* 147.A.1.
*Christus non est tentatus tentatione interna.* ibid.2.
*Non omnes Christi tentationes acciderunt in deserto.* 148. B.1.
*Antequam tentaretur jejunavit,* ibid.C.
*Quis ordo tentationum.* ibid.B.2.

Transfiguratio Christi.

*Christus quare transfiguratus.* 153.C.1.
*Quid sit transfiguratio.* ibid.
*Claritas Christi in transfiguratione fuit miraculosa.* ibidem. 2.
*Qui testes in transfiguratione.* 154.A.1.
*De loco transfigurationis.* ibid.C.

V.

Verbum.

VERBUM *non est per incarnationem mutatum.* 8. A.2.
*Verbum Dei assumpsit animam & mentem.* 46.A.1.
*Item verbum assumpsit carnem mediante anima.* ibid.D.

Vir.

*Vir potest dimittere uxorem quæ est fornicata.* 711.A.2.
*Ante consummationem matrimonij vir & uxor sunt una caro.* 708.D.1.
*Septem casus in quibus non licet viro uxorem dimittere etsi fuerit fornicata.* 711.C.2.

Visio.

*Vide* Christi visio.
*Quæ visio intellectualis, quæ imaginaria, quæ corporalis.* 12. E.1.
*Visionis beatificæ perfectio unde attendenda.* 62.A.2.

Virginitas.

*Virginitatem esse veram virtutem, & quomodo amissa per Pœnitentiam restituatur.* 451.A. & B.1.

Unio, uniri.

*Quid ad unionem substantialem requiratur.* 28.D.2.
*Unio naturæ humanæ & divinæ sine aliquid creatum.* 29. A.2.
*Unionis varia acceptio.* ibid.B.
*Quid uniri in natura.* 22.E.2.

Unio hypostatica.

*Unio verbi incarnati non est facta in natura.* ibid.
*Bene tamen in persona.* 24.B.2.
*Etiam facta est in supposito sive hypostasi.* 25.E.2.
*Quis terminus hujus unionis.* 29.D.2.
*Unio est relatio realis in humanitate.* 30.E.1.
*Quomodo unio & assumptio differant.* ibid.B.2.
*Hæc unio est maxima unionum.* ibid.E.
*Quid sit maxima unio.* 31.A.1.
*Num unio incarnationis sit facta per gratia.* ibid.B.2.
*Num unionem verbi incarnati aliqua merita præcesserint.* ibid.D.
*Utrum gratia unionis sit homini Christo naturalis.* 33.B.2.





*Unio non est facta in subsistentia aliqua communi, sed in propria Verbi eaq; relativa.* 37.C.1.

Votum.

*In quo consistat solemnitas voti.* 677.C.2.
*Differentia voti castitatis, Religiosi & Sacerdotis.* 688. B.1.

Usus matrimonij.

*Qui ante susceptionem alicujus sacri ordinis Matrimonio erant conjuncti non possunt Matrimonio uti postquam fuerint ordinati.* 679.D.2.

Unctio extrema. *Vide* Extrema unctio.
Virgo. *Vide* Beata Virgo.

FINIS.

## APPROBATIO.

HÆc Commentaria eximij Dom, M. N. FRANCISCI SYLVII; insignis Ecclesiæ S. Amati Decani & Canonici, S. Theol. Doctoris, & Regij atque Ordinarij Professoris IN TERTIAM PARTEM Summæ S. Thomæ, & Supplementi ejusdem, nunc plurimum aucta, accuratè digesta, clara & solida sunt, & multimoda eruditione referta, nec-non Authoris, quem explicat, menti bene inhærentia. Quapropter magno Ecclesiæ fructu jam tertiò recudentur, & ab omnibus Sacræ Theologiæ & juris Canonici studio addictis perlegentur. Datum Duaci die 22. Martij 1637.

*GEORGIUS COLVENERIUS S. Theologiæ Doctor & ejusdem in Academia Duacena Regius Ordinariusque Professor, insignis Ecclesiæ S. Petri Præpositus & Canonicus, dictæ Academiæ Cancellarius, & Librorum Censor.*

## APPROBATIO.

COmmentaria hæc IN TERTIAM PARTEM & Supplementum S. Thomæ Aquinatis, ab *Eximio Domino M. N. FRANCISCO SYLVIO S. Theol. Doct. ac Professore Regio & Ordinario, nec-non insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Amati Canonico & Decano*, non minus subtili, & firmo quam moderato ingenio conscripta, obscuras quasque difficultates circa Mysterium Dominicæ Incarnationis & Sacramentorum, ita solidè simul & clarè elucidant, ut non tantùm quibusvis Ecclesiæ Ministris, sed doctis etiam Theologis sint utilia & grata: præsertim cum tertiâ hâc Editione ab Authore suo ita sint aucta & locupletata, ut non immeritò videri possint ac dici novum diversumque opus, tantò quidem futurum utilius ac melius, quantò prodit magis, magisque absolutum.

Nihil in eo fidei orthodoxæ dissonum, nihil morum honestati contrarium, sed omnia rationi, Scripturæ Sacræ, & Ecclesiasticis traditionibus conformia, adeoque omni commendatione dignum, ut quam primum in lucem emittatur, omniumque manibus teratur. Actum Duaci prid. Calend. April. 1637.

*THEODORUS VAN COVVERDEN S. Theol. Doctor & Professor Regius ac Ordinarius, insignis Ecclesiæ Collegiat. S. Petri Canonicus.*

## APPROBATIO.

HÆc Theologica in TERTIAM PARTEM S. Thomæ Doctoris Angelici Commentaria Eximij Viri D. M. N. FRANCISCI SYLVII S. Theolog. Doct. & Regii Ordinariique in Vniversitate Duacenâ Professoris, indefesso studio, ac diligentiâ, doctè admodum, subtiliter, accuratè, solidè, & quæ mirificè ipsam S. Doctoris Angelici mentem exprimant, elaborata, concinnata, atque tertia jam editione non parum aucta legi, dignaque censui, quæ magno Theologorum omnium bono in lucem edantur. Actum Duaci 30. Martii 1637.

*VALENTINUS RANDOUR S. Theologiæ Doctor, ejusdemq; in Universitate Duacenâ Regius Ordinariusq; Professor.*

## APPROBATIO.

IDEM quod suprà infra scriptus censet de quartâ & ultimâ hâc Editione. Actum Duaci die decimâ tertiâ Mensis Novembris Anno 1645.

*VALENTINUS RANDOUR S. Theologiæ Doctor, ejusdemq; in Universitate Duacenâ Regius Ordinariusq; Professor.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca